
ACCADEMIA DI MEDICINA
DI
TORINO





OBSERVATIONVM ET CVRATIONVM MEDICINALIVM.

Liber Decimussextus, DE PECTORIS PVLMONISQVE Vitiis ac Morbis.

PETRO FORESTO ACMARIANO, REIPVB. DELfensis Medico, Auctore.

OBSERVATIO I.

De tussi ex frigida & nuda intemperie.



VM aqulonia constitut esse, vir quidam hyeme ventedum iter faceret, tussiq; molesta correptus est, et non valde violenta. Hic vo, cum auxilium a me peteret, in mentem mihi venit ex *de causis sympt.* licet Gal. tussi, quandoque fieri scribat ex refrigeratione instrumentorum respirationis: ab eodem quoq;, ab intemperantiis eorũdem instrumentorum fieri posse non negari: namq; cum non de malignis tussi. (quas Hippocr. aridas, ac parum seu leuiter irritantes, tum eodem sexto de morbis vulgaribus, tum *aphor. 54. 4. lib.* appellat) sermonem faceret, eas ob faucium, arteriæue asperitatem, aut instrumentorum spirabilium intemperiem oriri asserit: quam intemperiem interim frigidam esse testatur, vtpote in aquiloniis constitutionbus, in quibus Hippoc. *aph. 5. lib. 3.* tusses ac fauces excitari asserebat: non propter aliud (*vt Galen. fateur commen. eiusdem aph.*) quam propter instrumẽtorum respirationi obseruientium intemperiem, & propter faucium asperitatem: aer namq; admodum frigidus inspiratus interdum faucium asperæq; ateriæ locos exasperat atq; refrigerat: nonnunquan & toto pulmoni pectoriq; intemperiem affert: sæpius vero & ambo hæc contingunt: quapropter ex his arida modicaque tussicula (vt huic viro euenit) vexantur, quod quidem cognoui ex signo ab eodem Galen. sic descripto: *Cum æger spiritum attraheret, ad tussim prouocabatur, potissimum cum multus subito aer, ipsi loquenti ac oscitanti, ac ore spiritum ducenti intraret, sed cum per nares aerem extrinsecum attraheret in ædibus calefactis, tunc omnino parum aut nequaquam tussiebat.* Ideo nos consuluimus, vt in domicilio calido versaretur, & vini dulcis calido potu vteretur, partesq; pectorales linteis calidis muniret: nam & animæ retentio, pedum calor & capitis, sufficienti remedio aliquãdo esse possunt. Si vero ex inæquali duntaxat intemperie ortum ducat: frigida ea exsistente, per calefacientia emendamus, *vt inquit Aet.* Hæc inquam tussis (modo non valde magna fuerit) ex spiritus cohibitione, *iuxta Gal. sententiam 2. de caus. sympt.* curari poterit. Quamobrem huic ægro inhibuimus frigidam inspirationẽ, frigidum quoq; cibũ ac potum: & vt in calidis locis versaretur, imperauimus, & vt calidis cibis, tum potibus vteretur: & summatim, vt thoracis partes a frigidis defenderentur, ac calidæ seruarentur, prius vnguento infrascripto inunctæ: *℞. olei chamomil. anethini, amygd. dul. lilior. an. ℥ ij. pinguedinis anseris, gallinæ, butyri recẽtis, an. ℥ iij. misc.* zaccharo etiã enulato vtebatur: & breui cõualuit.

SCHOLIA.

CVm in hoc libro recte proposuerimus agere de pulmonis & ceteris thoracis vitiis, æquum est, vt omnium primo de tussi agamus. Hæc enim cum omnibus vitiis ac affectibus pulmonis & thoracis fere semper copulatur. Vt in sternutatione cerebrum, in vomitu ventriculus, quod noxium est, cõcitato quodam naturæ impetu expellere conantur: ita in tussi, partes thoracis simul insurgunt, concutiunturque musculi, vt vel quæ carni suæ molestæ sunt, in pulmonum arterias expellant, vel quæ in aspera arteria præter naturam continentur, foras eiiciant (non per contractionẽ sed confertim emisso per eius interiores ductus, plurimo spiritu, haud secus ac si quis, quæ in fistulæ cauitate hærent, efflatione vehementer expurga-

re velit) siue humor aliquis impactus fuerit, vel corpusculum, vel intemperies liberum spiritum prohibeat: vel compressio diaphragmatis a tumo- ... eque caussæ id præstent: de quibus postea la- ... Et sic tussis est motus instrumentorum anhelitus, a virtute animali motrice, qua natura intendit expellere, quod in trachea arteria lædit, vel in propinquis membris. *Opifex sublimis*, inquit Galenus, *duplicem motum in animali constituit, vt contraria expellat, alterum sternutationis, alterum tussiendi.*

Tussis.

4\. Quædam animalia tussiunt, quædam nunquam tussi vexantur, veluti boues: quoniam, *vt tradit Aristoteles*, humoris materia iis extra saliuari fluxu effertur. Tussis itaque, quam Græci βὴχα appellant, pertinet ad genus deprauatorum motuum; non a natura, sed a morbosa caussa violenter facta. Est duorum generum, *iuxta Galenum 2. de caussis symptom.* quorum vna est vehementissima efflatio, qua plurimus spiritus celerrime foras erumpit, ad quam pertinet vehemens & magna tussis: quales tusses fiunt ex destillatione a capite in asperam arteriam atque pulmonem, *teste Aetio cap. 54. libr. 8.* quas tusses malignas & contumaces appellabat, Paulus *cap. 28. libr. 3.* Aliud genus est, de quo iam exemplum posuimus, non adeo violenta, neque coacta, sed exigua, *vt Galen. 2. lib. de caus. symptom.* etiam testatur. Priorem autem sequi volunt morbum in via, nempe obstructionem viarum spiritus, quæ quidem valida est, vehemens, ac violenta, nec supprimi, seu prohiberi potest omnino ne eueniat, vide de his 4. *de loc. affect.* Alteram vero, exiguam scilicet, sequi volũt intemperiem frigidam aut calidam: Trallianus addit, siccam & humidam: alii, vt Donatus, humidam cum Galeno non admittunt, eũdem ad longum videas. Alii vero symptomatis caussas, id est, morbos, multi generis esse volunt, *vt Iacchinus:* Primum, repletionem arteriarum pulmonis, quod est frequentissimum, estq; ea obstructio ex puluere & aliis corpusculis, quæ mordicant. Secundum genus apud eundem est intemperies inæqualis, quamquam & humidam prorsus molestia carere vult, quibus additur & vitiosus humor. Tertium genus ad asperitatem reuocat, quæ ex siccitate ortum habere potest: & est vitium in tunicis: aliquando in summo gutture solum, vel in tota arteria ex caussis branchi, fit & ex asperis corpusculis irruentibus cum aere. Galenus hoc genus reducit ad obstructionem: sed Iacchinus potius ad noxam partis ad superficiem: quam natura lenẽ fecit, propterea quod in asperam impingit spiritus, non in lenem. De hac Galenus 1. *differen. morb.* cum dicat tusses excitari ex faucium asperitate. Exasperant & acres humores, & medicamenta extergentia, *2. de caus. morb.* Cuncta vero quæ exasperant, dolorem faciunt, & continuum soluunt. Quartum genus mordicatio est, & omnino dolor partium: & videntur omnia ad vnitatis solutionem reduci. Siue enim ex asperitate, siue intemperie dolor excitetur, seu ob morsum humoris influentis sponte, vt in destillatione, vel extrinsecus, vt pipere, euphorbio, oleo præsertim ac. Hæc enim omnia eadem ratione tussim videntur efficere. Sæpe igitur vnus ex his morbus est, qui tussim facit, sæpe & varii iungunt simul, quia & ab vno eodemq; principio & caussa, varios gigni affectus apparet. Partes autem quæ in tussi afficiuntur, secundum aliquos, sunt respirationis organa, præsertim thoracis musculi. Verum (*vt dicebat Iacchinus*) in hac re multum laborãt Sophistæ, parum vero proficiunt: quoniam nec definientes, nec distinguentes omnia confundunt. Si de symptomate solo quæritur, parum vtile est quæstio, quoniam ipsi primo non debetur ratio, nisi rato, cũ caussæ & morbi rationem obtinet. Ideo musculorum pectori motrix est, quę symptomate afficitur. At tussis apud medicos aliud quoq; significat, quod nomine accidentis significatur, & cui remedia adhibentur: & sunt quatuor morborum genera iam dicta, quibus curatio debetur, quorum sedes requirimus. Hic ergo non vnam partem lædi videas, neque vno modo: Aliquando enim membra respirationi deseruientia, per se læduntur, vt musculi, septum, pulmo. Aliquando solum cõsensu quodam, cum ipsis læsio propria non sit: vt cum iocinoris gibbi phlegmone laborant: aut cum gula læsa est: nam coniuncta tracheæ, in consensum eam trahit, & tussim facit, similiter & cum fauces mordentur extrinsecó vel intrinseco aliquo irritamento. Cum vero proprie afficiuntur, quæret quis, num semper pulmo afficiatur. Videtur autem Galenus dicere, aliquando musculos pectoris moueri, ad noxam propriam intemperiei pellendam, *2. de sympt. caus.* Experientia tamen monstrat, quod nisi affectus pulmoni aliquo modo communicent, tussim non faciunt: confossi enim latus tussiunt: propterea quod sanies decidit, & pulmonem tangit: aut medicamenta, q̃ iniiciuntur. Sed cur tussis sicca in pleuritide accedit, cum pulmo adhuc non repletur? Similiter & tumores, qui in externis partibus thoraci eueniunt, tussim non faciunt. Contra vero statim, vbi aerem frigidum multum inspiramus, aut parte aliqua pulmoni adhærente lædimur, fit tussis: ideo motus ille pectoris, vt seruit in respiratione, ita in expurgatione noxis pulmoni seruire videtur. Igitur obstructio asperarum arteriarũ pulmonis tussim facit: & vulnera & morsus circa eas partes, & intemperies visceris. Aer enim in simplici illa carne (quã *Affusionem* dixere) nõ sentitur. Quod si extrinsecus aer pectus refrigeret, certum est qualitatem illam frigidam ad pulmonem quoque velocissime peruenire. Quamuis vero per motum hunc intendat natura expultrix noxas pellere, frustratur tamen sæpe fine suo. Cuius ratio est varia: prima, quoniam nihil aderat obstruens corpus, quod expelli posset: sed intemperies, vel vlcus, vel affixũ tuberculum: & dicitur tussis sicca. Secunda caussa est, quoniam materia est rebellis & contumax, non cedens impellenti, vt cum viscida nimium est, & hæret, aut crassa, quæ non facile per minores arterias pręterlabi possit. Tertia, quoniam a spiritu dissipatur, dum impellitur ob tenuitatem, quod accidit in aquosa & tenui destillatione: Hæc ex primo epid. 4. de tussi arida Iacchinus quoq; sumsit. Sed hunc aliud exemplum proferamus.

Affectus quis. *Duo genera tussium.* *Quem morbũ sectentur.* 5. *Tussis caussæ, id est, morbi sunt multi generis.* 6. *Quæ partes in ea afficiatur.* 7. 8.

OBSERVATIO II.

... tussi ex intemperie calida.

1. SIcuti ... em ex aere circumfuso frigido tussis generari possit, ita quoque ob vehementem æstum, immodicamq; ariditatem a circumfuso aere tussi oriri potest, quod iuueni euenit post deambulationem in sole: qui cum etiam cibis calidis pipere conditis vsus esset, asperitatem tracheæ arteriæ incurrebat, & arida & exigua tussi afficiebatur, qualis & in febribus aliquando euenire solet. Contrariam igitur huic victus rationem superiori præscripsimus, tum medicamenta aliaq; omnia ad frigidum & humidum vergentia, cum huic siccitas quædam permixta esset. Dedimus autem ptisanæ cremorem, lenientesq; cibos tum potiones, propter asperitatem, *syr. pap. de iuiubis cum muccag. gummi tragac. Arabic. extract. cum aqua vngulæ caballinæ, sem. cotoneorũ.* Et gargarisma *ex lacte & elect. diatrag. frig. oleoq; viol. & amygd.* pectus inunxi, quibus & hic breui restitutus est.

SCHOLIA.

2. *Caussæ tussis.* FRequenter tussit homo pluribus de caussis, vt in scholio præcedente dicere cœpimus: a sola intemperie, alias frigida, alias calida, siccitate trachææ, vnde exasperatur, vel si quid in eam fortuito inciderit aridum aut humidum, quoniã nihil aliud preterquam spiritus ingreditur. Offendunt extrinsecus nix pota, aut aqua gelida, vinum item, aer quoque, & quæ frigida pectori imponuntur, ferrea vel plumbea, quibus vocis studiosi vtuntur, aut nimium calefacientia exsiccantiaq; qualis fumus & calx: vel iis qui aurum & argentum ex metallicis facere arbitrantur, continuis venenatis vaporibus pectora replentur: cuiusmodi & puluerum genera hinc lapicidæ facile tussi afficiuntur, tum alii prædicti, & plurimi horum suffocati sunt. Caussæ vero horũ affectuum sunt expositæ fere. Nam obstruentes dictæ sunt, destillatio, tuberculum, & quę extrinsecus in arteriam incidunt: quæque intemperiem faciunt, externæ sunt: quæ exasperant, siccantia multum & extergentia, vt pulueres inter respirandum attracti, sitis nimia in febribus, ita & in acuta, aut pestifera febre, vel frequenter in pueris, cum boa vel papulis laborãt, non sine contagiosa febri, tum enim antequam pustulas emittant, asperrime tussiunt. Tussiunt & hepatici, hectici-

3. que quam importune, quoniam tussis somnũ aufert. Addit Hippocrat. *6. Epidem. libr. 2. in eo aphorismo.* Siccæ tusses ex cibis & potibus exasperantibus, cuiusmodi sunt austera nimis & acerba: quæ etiam mordent, aut acria sunt intrinsecus incidentia, vt acetum, oleum vetus rancidum, piper, euphorbiũ. Sapor enim acutus aut acetosus tussim excitat. Ex destillationibus nihil magis & frequentius, pituita acuta liquida, aut crasso phlegmate, cum in pulmonis tramitem destillauerit. Fit quoque in his, quibus exesa est columella, vel diuisa: a compressione septi transuersi, vt in tumoribus hepatis arida tussis: a liene quoque, vel a tuberculo innato in aliqua parte tracheæ arteriæ vel pulmonum. Aetiu quoque fieri vult ex lumbricis stomachum infestantibus, & acri humore ipsum perturbante: similiter & in his, qui stomachi morsum sentiũt, sed potius circa gulam irritationes a quacũq; caussa fiant: quibus Iacchinus adnumerat vermes in pueris: quam caussam cum quidam scripsissent, Galenus nec negat, nec probat, dicit solum, eos nõ

4. scripsisse, num ita fieri experientia an ratione compererint. Sed ipsi (*inquit Iacchinus*) loquebantur de ore ventris, quod non communicat arteriæ: nos dicimus de gula, quæ illi iuncta est, & experientia id monstrat fieri aliquando. A materia igitur fit, cũ aliquid in arteriam dilapsum est, siue sit humor, siue corpus aliquod, vt mica panis, potus, aut aliud quoddam humidum, vt sanguis, pituita, a capite, vt in catarrho, aut acri defluxione: a materia, quæ in pulmonem, vel in thoracem, vel tracheam arteriam, vt a serosa humiditate, quæ in spatium resudauit, sicut in hydrope: vel a tenui materia, quæ ab inflammata membrana resudat, vt in pulmonis inflammatione, quando materia in asperam arteriam resudat. Plura de caussis videas apud Benedictum Fauentinum præceptorem meum in sua magna Praxi. Tussis præterea alia sicca est, alia humorem continet, alia recẽs, alia vetusta. Celsus in duas tantum differentias redigit in humidam & siccam. Verum hæc omnia exemplis clariora euadent.

OBSERVATIO III.

De tussi ex destillatione acri orta.

1. QVoniam igitur tussis non vnam, teste Tralliano, sed multiplicẽ caussam sortita est, conuenit etiam nos omni studio eniti, vt caussam eius effectricem internoscamus, discernamusque. Nam apud omnes hoc in confesso notumq; est, citra internotionem non posse recte curari. Exemplum autem paulo ante attulimus de nuda intemperie calida: qui autem eam sentiunt, aerem frigidum respirare desiderant, iuuanturq; magis aeris inspiratu, quam aquæ potione: & facies rubicunda magis & caput apparet. Quod si igitur sola adeo nuda qualitas (*vt in præcedente*) fuerit: nihil pene aut nequaquam exspuunt, sin autem exspuũt, sputum falsam habet qualitatem, aut fumosam colore, aut leuiter biliosam, idque modicum admodum & tenue apparet. Nihil vero minus etiam ex his, quæ præcesserunt, hoc fieri potest, nempe insolatu magna parte, balneis calidis, victuque calefaciente. Tales, vbi materia acris ex iisdem caussis præcedẽtibus coaceruatur, in destillationes acres incidunt. Sic domina illustris de Abbenbroeck, filia Domini de Bergen, cum fluxione tali acri laboraret, & ex destillatione rimas & pustulas quoque in lingua haberet, vt lacte tepido gargarissaret, iussi, & vt præsumta cassiæ ℥ j. *cum decoct. hordei mundati, viol. glycyrrhizæ* ℥ *ij. & mandaui, vt syrup. viol. papau. cum decoct. hordei mundati, sem. 4. frig. maior. maluæ sumeret, & diatrag.* Deinde etiam & illa, quæ ad ta-

2. bem conferunt, vt puluerem Haly contra phthisin. Hæc enim tussis, etiamsi initio leuis est, facile in tabem transire potest. valet & his diacodion iuxta Galenum, vt fluxio in principio inhibeatur. Postea etiam dedi *loch de pino cum syrup. viol. papau. iuiubino, & similia.* Pro cibo vtebatur luteis

ouorum, gallinarum alis, testiculis gallorum, piscibus dura carne præditis, tum aliis a Tralliano descriptis, pro iis, qui ex tenui & acri fluxione tussiunt. Quibus remediis hæc & curata fuit: quemadmodum & vxor mea Eua Teylingia, mihi carissima: quæ sub noctem, cum pauca materia adesset: ex acri fluxione tussiebat. Cui deglutiendum *exhibui vitellum oui crudum, cum zacch. cand.* quod cum in introitu lecti ter quaterue deglutiisset, ilico in principio tussis cessauit, neque aliis remediis opus fuit. Prętor Reniburchius, cum de tussi mentio fieret, dicebat se omnem tussim curare pomo excauato, & melle rosato impleto, supra prunas viuas assato & sub noctem deuorato, quo seipsum semper, tum alios plurimos a tussi curasse iactabat.

SCHOLIA.

3.

TVssis licet ab omnibus & visu & auditu, teste Aristotele, percipiatur: attamen a quib. caussis oriatur, id non omnibus, sed medicis peritis, per signa quædam innotescit. Ideo diligenter æger percunctandus, quibus de caussis tussire inceperit, vnde & signa specialius distinguimus. Si ex nimia caliditate, tum in parte pectoris aut capitis, feruor quidam facile percipitur, cum siti & faciei rubore, tum aere frigido gaudet, pulsus magis excitatur. Si enim ab intemperie calida fuerit, necesse fuit præcessisse caussas externas, vt in duabus obser. præcedentibus ostensum est: aut saltem præcedentes in corpore, vt febrem ardentem, calfacientem. Si adsit simul materia calida vel destillatio acris, ea quoq; facile dignoscetur ex iis, quæ de distillationibus acribus, & de raucedine diximus. Ex frigida vero caussa signa iis contraria apparent, pallor faciei, frigiditas capitis sine siti, cum & calida prodesse sentiuntur, saliua aut aquosa est aut acetosa, & victus ratio his subscribere creditur: Acidum enim, inquit Trallianus, magis quam amarorem sentiunt, neq; salsum exspuũt. Præcedit hos potius frigiditas, quam ardor solis: item intempestiuorum balneorum, potuum, & ciborum frigidorum vsus.

Signa.

Ex caussa calida.

Ex caussa frigida.

4.

Si autem materia admixta, & quis sit humor a capite destillans in fauces, asperam arteriam, in pectus, vel pulmonem, & ex iis, quæ de destillatione & catarrho diximus, numquid lentus, viscidus, pituitosus, bronchiis infixus, vel acris, mordens, salsus, vel tenuis, vt aqua, etiam ex sputo cognoscemus: Si a bile, erit citrinum, subrubeum, aderit amaritudo oris, sitis, tussis, molesta, magisq; sonora. Si ex sanguine vel plenitudine, facies rubet, venæ tenduntur, pulsus grauis est & mollis, sputum rubrum cum dulcedine oris. Sic si a pituita fit, facies albescit, sapor insipidus, aut salsus, sputum album, viscidum, aquosum. Sic tussis a sola intemperantia sicca est. Si ex materia, quæ a capite fluit, vti coryza siue grauedo indicat. Si in pulmonis vias defluxerit, spirandi difficultatem facit, febrem inducit. Hinc si ab obstructione fit, erit vehementior & magis impetuosa, & si signa alia destillationis adfuerint circa fauces, nares, oculos, vel etiam totum caput, aut sonitus aliquis sentiatur in pectore, certo id significatur. Si ab asperitate, caussæ exasperantes aderunt vel præcesserunt. Si a morsu, iam dolor ipse manifestat, & eo magis [...]e mordente aliqua caussa certi simus. Si non sit aff[...]us obstructionis, moderatiores tusses sunt. Porro [...]sses, quę ex influxa materia superueniũt, ea re inno[...]escunt, quod copiosa exspuantur, sed ex quibus pa[...]iculis materiæ transmittãtur, distinguendum, num a capite. Tunc enim irritationem quandam in vua vel aspera arteria concitari necesse est.

Signa materiæ vel humoris.

Alia signa.

5.

Ex fluxione capitis.

Si ex inflammatione pulmonis, ex spirandi difficultate, febre acuta, lingua scabra, genis rubris & sensu grauitatis, vt latius de pulmonia dicetur. Si biliosum exspuatur sine grauitate & angustia, ab erysipelate pulmonis. Si strepitus elidatur cum grauitate pectoris, ex pectore. Et si a pleuritide, signa huius præcesserunt. Si ab vlcere vel tabe, huius signa quoq; aderũt. Ita si tuberculũ sit in pulmone, accedet angustia maior & spirãdi difficultas, modo subito, modo paulatim: nihil exspuet. Strepitum aliquem aut stridorem sustinebit: quæ euenire nequeant dum pituita incocta sit & nondum reiiciatur.

Ab inflammatione pulmonis, vel erysipelate.

A tuberculo in pulmone contracto.

6.

Indicia viscosi humoris in pulmone.

Si autem æger angustiam subito citra molestiam febris sitimque multam percipit, stridorem autem quendam cum tussi experitur, interdũ etiam humoris eductionem; crassum viscosumq; in pulmone humorem contineri, & ex capite, aut alia quadam particula, eo cõfluxisse liquet. Caput vero materiæ thoraci influẽtis caussam exsistere, inde manifeste cognosces, quod irritatio quædam & gargarismus circa vuam præcessit. Si ex vlceratione, ruptura, erosione, propria habebunt sua signa. Si & vitio stomachi, tussiunt in crapula magis quam in fame. Ex abscessu iecoris, lienis, ex propriis quoq; signis. Vir quoque ex Tralliani historia (*vt antea quoque mentionem fecimus, cum de lingua loqueremur*) calculum exquisite figuratum exspuit. Meminit & Galenus aliquem non calculum, sed grandinibus similia exspuisse.

Historia de viro qui calculos exspuit.

Caussæ itaque primitiuæ, vti & externæ, ex relatu ægri & assistentium facile habentur, ex iis quoque, quæ præcesserunt siue a puluere, fumo, cibo, potuque aut aliis rebus ortæ. Internæ ex intemperie & materia abundante, tum ex iis, quæ diximus, cognoscuntur. Quæ per essentiam fiunt membrorum spiritualium & maxime pulmonis, habentur ex continua & laboriosa tussi. Quæ vero per consensum a toto post febrem consequuta, cuius augmento augetur, & diminutione diminuitur. Si a capite per catarrhum dignoscitur, ex signis catarrhi, defluentis modo per tracheam arteriam ad pulmonem, qui cum per nasum exire deberet, nunc in pectus defluat. Si ob splenem, hepar, ventriculum, aut ab aliis membris, id læsiones & dolores eorundem indicabunt, tum signa ex propriis locis petenda.

7.

Signa autem præsagientia tussim, sunt corpora pectoris minus lata, collumque longum ac humer[...]s eleuatos instar alarum habentia, debilia: & [...]æ cerebrum debile sortiuntur, malique regimi[...]s, senilia, tempore hyemali parata sunt ad tussi[...]. Vbi æstas aquilonia, sicca, autumnus pluuiosu[...], au[...]strinus, tunc in hyeme, teste Hippocrate, tu[...]es exspectandæ: & tempore boreali: quemadmodum[...] & austrinum liquefacit borea subsequente,

Signa [...]gienti[...]

tunc

tunc tussis sequitur austro dilatante, borea constringente, refrigidante, comprimente. Prognostica ex ætate: Tusses infantium deterrimæ, quod respirationem & somnum impediant & præfocent, sæpe & ex multa agitatione febres acutas & comitiales excitent: plurimi ergo pereunt. Senes vero ob ætatem non maturantur, & affectus eos ad mortem comitatur. Secundo ex caussis: quæ ex destillatione acri, periculosissimæ de tabe, præsertim in iuuene: Quæcunque igitur tusses ex destillante humore a capite oriuntur, siue ex alicuius spirabilium viscerum vlcere, aut ex aliquo in iisdem orto abscessu, siue ob ea, quæ vocantur empyemata, quæ ab *Hippocrat. ferinæ appellantur, libr. 6. de morbis vulgaribus*, omnes malignæ sunt, vt Galenus eodem loco testatur, maleficæ & contumaces, vt inquit Paulus: Quæ autem a fixa caussa obstruente, difficilimam habent affectus sanationem, & periculum tandem minantur. Et ideo validæ & vehementissimæ tusses nequaquam prætereundæ: nam vbi diu protelentur, propter vehementem thoracis motum sputum sanguinis superuenire consueuit. At cum nihil excreatur, materia intus putrefit, & febrem mouet, & putridæ materiæ aut hecticam, & ideo tussis diu perdurans & sicca, reiectiones facit sanguinis, aut saniem aut phthisin, quæ omnium teterrima est. Celsus quoque tussim propter faucium exulcerationem fere molestam esse asseruit: solent tamen (*vt ipse inquit*) interdum per se quoque male habere, & vix cum vetus facta est, eliditur. Quæ in hydrope quoque superuenit tussis, dira est. Ceteræ caussæ faciles sunt curatu, vlcere excepto: nam reliquæ tusses, quæ malignæ non sunt (*ab his siquidem diuersæ, ac exiguæ dictæ*) periculum (*quantum in ipsis est*) non minantur: suntque curatu faciles. Tussis ex qua materia facile exscreatur, qua pulmo lenior fit, salutaris habetur. Exemplum tradit Galenus cuiusdam, qui subita tussi purulentum excutiebat tenue, deinde aliud crassius: exinde sanguinem; vnde corpus eius macie eliquata substantia conficiebatur, & mortuus est. Et se vidisse tradit quendam, qui pulmonis partem putris exscreauit: & alium diutine tussientem, qui frustum pariter pulmonis exspuerat, & subinde quasdam veluti glandulas quotidiano exscreatu. Tertio itaque prognosticum habetur, si febris multum eam exasperet. Si grauida mulier, de abortu periclitatur. Et licet tota ætate molestæ sint tusses, senioribus tamen molestiores & periculosiores, vt constat *Aphorism. 5. comment. 69. & 3. comment. 24. ex Galeno & 3. 31.* Quicunque in febribus ardentibus sicca tussi molestantur, ii parum sitiunt. *4. aphorism. 54.* consule de his Galenum. Hepate quoque tumido facto, malum: *ex 6. aphorism. comment. 16.* & tussis ex aqua intercute mala. Et qui gibbi facti sunt ex tussi, ante pubertatem moriuntur, id quod nos in praxi sæpe obseruauimus. Quicunque tussi premuntur a frigido aeris ambientis, cauere frigida oportet, dicente Galeno *5. aphorism. comment. 24.* Frigida, qualis nix & glacies, pectori inimica, tusses mouent. Quod vero tusses in aquilonia constitutione ac hyeme generari magis aptæ sunt, decretum reliquit Hippocrat. *Aphorism. 5. & 25. lib. 3.* Nunc ad alia exempla curationis procedamus.

Prognostica. 8. 9. 10.

Observatio IV.

De tussi ex materia viscida pituitosa, tam pectori quam asperæ arteriæ infarcta.

1. Andreas Petrus Sellius, vir consularis apud Alcmarianos, cum ad 64. annum peruenisset, Anno 1547. mense Octobri, tussi valida correptus fuit (*alioquin anhelosus*) ex materia pituitosa viscida, partim in pectore, partim in bronchiis asperæ arteriæ infarcta. Per ea igitur, quæ extenuant succos frigidos, & crassos, & discindunt, iuxta mentem Aetii, curationem instituimus; vtentes eodem victu, quem diximus catarrho ex caussa frigida conuenire. Et hunc syrupum præscripsimus: *℞. syrup. de hyssopo, de prasio, de liquirit. ana ℥ j. ß. aquar. hyssopi, fœniculi, helenii ana ℥ iij. misce, & a ieiuno per triduum bibantur.* Deinde in diluculo solutiuum sequens ebibit, *℞. diacatholici ℥ ß. diaphœnici ℥ ij. ß. dissolue cum ℥ iij. decoct. pectoral. addendo syrupum de hyssopo ℥ ß. misce, & quinquies aluum deposuit.* 2. Rursus sumsit decoctum radic. ireos, inulæ, hyssopi, glycyrr. adianthi, caryearum pinguium, etiam marrubii, syrupis vna cum melle rosar. superius scriptis adiectis. Fiant quoque *rotulæ in tabul. ex specieb. diaireos simplicis ad ℥ ij. & ℥ ij. vel iij. cum decocto sumantur, & sæpe de eo in ore detineat, & quod superest deglutiat.* Postea iterum pilulis infra scriptis illum purgaui, *℞. pilul. de agarico, cochiar. de assaieret, ana ℈ j. cum aqua hyssopi*, fiant pilulæ vij quæ circa noctis dimidium sumantur. Interea & hoc linctu vtebatur, vel eius æmulo, cum baculo glycyrrh. *℞. loch sani & experti ℥ j. ß. diapenid. ℥ ß. specier. diatr. calid. diaireos, ana ℈ j. pinearum recentium maceratarum in aqua vngulæ caball. contusarum ℥ ij. pilul. sub lingua ℥ j. syrup. de hyssopo, de liquiritia, ana ℥ j. fiat eclegma.* Pectus inungebat vnguento pectorali, adiecta dialthæa, & quia ex parte asthmaticus, vtebatur inula condita. Modo per se vtebatur loch sano & experto, modo eclegmate de pino: modo diatragacantho calido per se. Et sic tandem a tussi liberatus recte valuit.

Scholia.

Curatio. Quoniam vero neque vnum duntaxat habent tusses ipsæ generationis modum, nec caussam vnam, propterea pro caussarum diuersitate earum quoque curationem variari contingit. Cum enim constet symptoma esse & morbos sequi, illius nulla est curatio, cum curatio ad morbum referatur. Sed illius ablatio erit, auferendo caussam, scilicet morbum curando, qui illius tussis caussa est. Nam vt morbus non tollitur, nisi caussa prius auferatur; sic neque symptoma. Nam, vt Philosophi dicunt, non tollitur effectus, qui fit, nisi auferatur caussa; & ablata caussa tollitur effectus, si morbus adhuc sit in generatione & in fieri, & a caussa dependeat fiente vel conseruante. Interea, qui curaturus est hunc morbum, primum consideret oportet aliquando affectum

esse respiciendum, aliquando symptoma. Etenim tussis est ex his, quæ ad se aliquando vertunt curationem, etiam neglecta caussa, non secus ac dolores: ideo quod rationem caussę obtineat aliquando & alia grauissima symptomata gignat & morbos. Ex tussi enim febres exasperantur, tum motione, tum & vigiliis, quarum ratione etiam vires debilitantur, vt & motione ipsa. Nam tussis vehemēs caput replet: videmus enim & venas capitis intumescere & faciem rubere, non secus ac vomitione. Verum tussis, vt dolor & alia symptomata, si tantum sua vehementia molestent ægrum, tunc neglecta caussa ad mitigationem veniemus, tāquam ad id, quod magis vrget. Mitigatur autem, dolorem, id est, dispositionem minuendo, vel sensum partis auferēdo vel stupefaciendo ne tussiant: qualia sunt pilulæ de arnoglossa & cynoglossa, & diaspermaton: sed iis non vtendum nisi cogamur: & cum cautione, vbi metus est, ne ex tussi rumpatur vena, ne vehementia præfocetur æger, ne acris catarrhus pulmonem erodat: Ideo nō vtimur iis nisi in molestissima tussi & perpetua vigilia, vt syrup. papau. cum decocto palmularum, quod tutius est, vel pilula vna de cynoglossa pondere scrupuli semissis: & horum vsus tutior est repurgato iam corpore, & thorace non ita pleno. Aliqui vehementer commendant syrup. myrtillorum sedandæ & reprimendæ tussi: calidæ quidem cum iuleb rosato: frigidæ vero cum decocto passul. aromatizato cum modica spica. Sed hæc est cura coacta: alia vero propria, quæ morbi caussam tollit. Morbi itaq; curatio pro caussarū varietate varia quoque est. Quapropter si ex peripneumonia, pleuritide, empyemate, tabe aut simili aliquo affectu in spiritalibus instrumentis orto, (*veluti etiam dispnœa seu asthmate*) tussis fiat, ex eorum affectuum curatione (*vt in sequentibus etiam exemplis patebit*) curabitur & ipsa. Si vero a morbo instrumentario incipiat, id est, obstructione, si ea a re externa fit, sponte sua soluitur affectus: nam tussi caussa eiicitur, nisi vehementer inhæserit: quando & præfocari metus est, & aliqui visi sunt (*vt historiis est proditum*) non adeo, quod via claussa esset spiritus tam exiguo corpore: sed tanta & tam vehemēs exspiratio sine intermissione ad præfocationem adducere potest: quod ad cor aer inspiratus non perueniat (*vt recte dicebat Iacchinus*) & præoccupatus a pulmone extra feratur. Nonnunquam in his, qui aqua præfocantur, plenus est aqua pulmo, & ex syncope, amisso sensu, non proritatur ad pulsionem. Si ex calida vel frigida sola intemperie nascatur, curationem eam duobus exemplis ostendimus. In frigida, calidis vtendum extra admotis, fotu, vnguentis tum victu ex his, quæ actu & potestate sunt calida: contra vero in calida: & hic quoque vtendum erit his, quæ hebetant sensum. Nihil enim obsunt materiæ, quæ non adest, & ex tussi periculum est in refrigeratis, vbi duriora vasa sunt affecta ne rumpantur: ideo admonebat hoc Hippocrates, cum frigidum disruptorum appellet 6. Epid. In calida aerem calidum fumosum declinabimus, somno & quieti indulgebimus, ac balneo aquæ dulcis, modo absit febris: iam & aqua hordei, syr. viol. pap. muccag. psyllii vtemur. In frigida imperabimus, vt vigilia somnum superet, aerem calidum naturalem vel arte paratum eligemus, somnumque moderatum, ventumq; frigidum & borealem vitabimus, iisq; præscriptis vtemur, quæ te periei frigidæ conferre exemplis docuimus. Si ab asperitate, succum tragacanthæ dabimus cibosque lenientes, & potiones molles, vt diximus. Si ab acritudine, siquidem intrinsecus irruat, facile sedatur obtundentibus frigidis, & humidis abluentib. aqua, mulsa, lacte. In tussi, inquam omni, quæ fit ex caussis primitiuis, omnibus modis illę amouendæ sunt: & quæ ex sola intemperie, alteranda est. Et sic etiam caussa asperitatis statim tollenda, seu ex puluere, seu ex fumo oriatur: interea & in exasperata arteria valent viscosa sine mordicatione: quale est tragac. gummi Arab. oui luteum sorbile, butyr. sem. cydon. lac per se, mel passulatū, succus iuiubarum, ficuum, dactylorum veterum non recentium, nam recentes exasperant: hordeatū, lac amygd. penidia, zach. violatū. Si vero tussis fiat ex destillatione multis modis communicat cum cura branchi. Primū enim, vt ibi, totum vacuare, & a capite reuellere oportet: siquidem copia humorum adsit in toto. Vacuatio autem molienda iuxta qualitatem copiæ: nam vbi sanguine æger abundat, præcipue circa capitis venas, & præsertim calida quoque fluxio appareat: expedit venam secare: mox purgatione vti pro qualitate humoris, vt iam sæpe dictum est. Mox capiti prospicere oportet, aliis præterea auertendi ingeniis: cuiusmodi sunt frictiones, quæ ab infernis incipiant, & semper ex supernis deorsum fiant: & cucurbitulis itidē. Mox, & si opus sit, vtemur auersione ad posteriora per sinapismum facta, prius abrasis occipitii capillis iuxta eminentiores partes. Dehinc deriuatione vti oportet & tralatione. Deriuatio quidem ad nares fiat: tralatio autem ad cutim sincipitis per ea, quæ siccant. Hic tamen iam diuersificantur remedia, pro natura materiæ & intemperiei. In frigida enim hæc acria sunto: in calida vero siccantia citra calorem. Post hæc ad partem affectam descendēdum: primum vero prohibere oportet, ne in fauces materia descendat: mox pectus expurgare iis, quæ defluxerunt. Primo igitur scopo satisfacimus si calida materia sit. Frigidis siccantib. cuiusmodi sunt trochisci diaspermatum, *de quib. 5. method.* Sunt enim in his semina siccantia & frigida vi; quatenus siccant, cogunt & densant: quatenus frigida sunt, caliditate mobilem humorem immobilem reddunt: huius generis est diacodion. Fit vero cum sapa & cum zaccharo: & confectio ex succo nucum, pinulæ de cynoglossa. Cū enim sistere oporteat, si prohibere volumus, id faciunt siccando & refrigerando: cum vero & astringere partē, quę recipit, id astringentia faciunt: ideo & diacodion admiscere solemus, bolū Armenum & zaccharū rosatum, quousq; materia sensibiliter influere a capite cernitur. In tussi igitur, quæ ab acri fluxione ac tenui fit, proba victus ratio instituta, qualem in catarrho calido descripsimus, conuenit: & in omni

tu-

Marginal notes:
4. — *Mitigatio tussis ac doloris.* — 5. — *Curatio tussis pro caussarum varietate non vna, sed diuersa exsistit.* — *Ab obstructione curatio.* — 6. — *Intemperie* — *Curatio tussis ab asperitate.* — 7. — *Curatio ex destillatione repente.* — 8. — *Quæ calidæ stillationi conferūt.* — 9. — *Ex acri & tenui destillatione curatio.*

tussi speciatim vtilis est, Celsi auctoritate peregrinatio, nauigatio longa, loca maritima & natationes. Sed in acri, iuxta Aetium, medicamenta conferunt, quæ vim refrigerandi, spissandi, acrimoniamque obtundendi habeant, quorum copiam & apud Aetium & Paulum, & præcipue Trallianum, (*cuius quintus liber nihil aliud, quam de tussi agit*) inuenies. Materia itaque incrassata cum syr. de papau. viol. & aliis, purgatio quoque adhibenda cum cassia, manna, zacchar. viol. vel syr. ex pluribus infus. viol. deinde antidota in ore detinenda ex pap. diatrag. diapenid. pilulisque bechicis refrigerantibus, tum aliis supradictis, quorum formulas a practicis mutuabimini, & thorax oleo violaceo inungetur: quibus adiunges ea, quibus nos *Obseru. 3. huius libri in tussi ex destillatione aeri*, vsi sumus. Habes & pulcerrima remedia ad acres fluxiones, apud Trallianum libro iam citato. Verum, quantum ad fluxionem sistendam in frigida fluxione, quamuis nõ multus sit fluxionis plerunque impetus: aliquando tamen propter tenuitatem & aquositatem vehementer fertur. Ideo iis ingeniis quoque vti oportuit: sed erunt vi maiore siccãdi prædita pharmaca, cuiusmodi sunt pastilli, quibus vtitur Iacchinus, ex thure, mastiche, croco confectis, addito glycyrr. succo & tragacanthæ. Similiter & theriaca noua vesperi exhibita id facit, vel sola, vel rosato zacch. admixta. Sequitur post, vt omni ingenio pectus expurgari iuuemus: impediri vero scimus expurgationem visciditate, crassitie, tenuitate humoris: his omnibus contrariis insistemus, si visciditas sit, in quæ incidant, si crassities, quæ extenuent: semper vero detergendi vi est opus, ne inhæreant. Sed quæ incidunt, inquit Hipp. nimis sicca ne sunto, ne magis glutinosum faciant: ideo aquosum oxymel est optimũ, & ad crassos aliquando mulsa iuuat humectando. Hic syrupi oẽs ad calidum, vel frigidum, vel crassum, vel tenuem materiam, conferunt: sed parum valent, vbi non diu in ore detinentur. Modus vero applicandi communis erit omnibus faucium morbis, id est, vt diu in ore teneantur, & sensim dilabantur: ideo & consistentia glutinosa esse, opus erit, eclegmata vocãt: aut aquea sensim dimittãtur: semper enim aliquid in arteriam percolatur. *4. meth.* Iam ergo hic multæ compositiones occurrunt, vt est compositio Iacchini de terebinthina & succo prassii & succo brassicæ. Quæ vero in officinis confectæ sunt, est loch sanum, de pino, de scilla in viscida materia: confectio ex iridis radice, & alia, quæ fortiora sunt, in capite de asthmate proponentur. Ex potionibus vero sunt, quę ex hyssopo & marrubio & melle fiunt cum ficubus, & passis vuis. Pectus vero inungendum butyro & croco. Quod si materia aquosa sit, si frigida, siccantibus & calfacientibus vtemur: sic enim crassescens a natura per tussim expurgabitur. Pectus ergo iuuat concalfacere, & cibis & potione actu calida vti, & pastilli illi iuuabunt, & demum quæ calorem innatum fouent: contra vero in calida, quæ siccant & acritudinem tollunt, quæ dicta sunt. Optimum vero est, quod glutinosum reddit, quod est fluidũ, vt cõfectio ex tragacanth. & succus extragacanth. solus: & loch de zaccharo cãdi, & q vulgo Sauoneam dicunt, delicatæ sane confectiones. Confectio vero ex radice tussilaginis prodest in omni humore. Sic igitur vbi crassus & viscidus fuerit affligens humor, per ea quæ extenuant & discindunt, medebimur, ex Aetii sententia, eodem victu vtentes, vt de catarrho ex caussa frigida diximus, & decocto glycyrrh. carycarum ping. hyssopi & adianthi: & in crassiore pituita adiecta radic. irid. inulæ, & herba scabiosa, & marrubio, & melle: vel *syrup. e glyzyrrh. adiantho, hyssopo, marrubio, melle ros. scyllino, & similibus.* & humore repurgato cum pilulis de agarico vel similibus, *vt in Obseru. præcedente diximus.* Cornelius Celsus laudat ouum sorbile cum pauco sulphure adiecto: alii vtũtur diahyssopo. Plurima attenuatoria tam simplicia quam composita habes apud Trallianum & Aetium, tum alios: qualia & præceptor meus Benedictus Fauentinus in sua magna Praxi scripsit. Tussi valida Cornelius Cannius sacerdos Alcmarianus afficiebatur, vna cum pectoris angustia & ingenti dolore sub dextro hypochondrio, annos viginti quinque natus. Hic cum bolum sumsisset, & syrupum sequentem, ab omni dolore leuatus simul & tussi liberatus est. ℞. *cassiæ mundatæ ℥ vj. diacathol. ℥ ij. seminis dauci pul. ℈ j. ß. agarici trochisc. ℈ ß. cum zacchar. albiss. fiat bolus*: quatuor inde secessus habuit, multis excrementis vna cum ventositatibus emissis, dolor statim sedatus est, sæpiusq; deglutito syrup. de glycyrrhiza, multa deinde expectorauit, & tussis sedata fuit. In plurimis commode vsi sumus loch de botryde, vel ficus aridas ad ignem parum tostas, vt roridæ tantum essent, sub noctem dum cubitum irent, deuorare iussimus: & hoc vnico remedio multi a tusse liberati sunt. Conficiuntur quoque tabulæ ex botryde ad tussim.

10. *Quibus modis sistitur fluxio a caussa frigida.*

11.

Si ex crassis & frigidis succis defluentibus tussis fiat, curatio.

13.

Observatio V.

De inueterata tussi, quæ per annum durauerat.

1. Gerardus æditiuus Alcmarianus supra sexaginta octo annos natus, per integrũ annum tussi validissima laborabat, homo admodum macilentus, vt vix per cubiculum incedere posset: subinde ventriculus etiam ructus emittebat: decoctum sequens cum sumsisset, & purgationem, & eclegma, tussis ita sedata fuit, vt rursus in publicum exiret: ℞. *rad. glyzyr. rasa, fœniculi, petros. ana ℥ j. hyssopi, capill. Vener. viol. bugloss. ana m. j. tussilaginis cum rad. flor. cord. ana p. j. radic. althææ, inulæ ana ℥ ß. ficuum ping. num. 5. prun. Damasc. num. x. iuiubar. sebesten ana num vij. vuar. pass. detractis vinaceis, hordei mundati ana m. j. sem. anisi, carui an. ℥ ij. sem. 4. frig. maior. & minor. an ℈ iij. ß. fiat decoctio in lib. iij. ceruisiæ communis ad consumtionem medietatis: maneant per noctem infusa: fortiter exprimantur, addatur qr. j. zacch. cand. & rursus bulliant ad syrupi longioris consistentiam. Capiat bis in die mane & post meridiem hora quarta pomeridiana ℥ v.* Deinde ℞. *diacatholici ℥ vj. cassiæ recens tracta ℥ ij. dissol. cum ℥ iij. decoct. pector. addendo syr. de bugloss. viol. ana ℥ ß. misc.* sexies alui[illegible] creuit, cum facilis solutionis esset: & febris hect[illegible]

quæ videbatur sublatitare, desiit, & tussis eclegmate sæpius repetito etiam cessauit: *℞. loch de pino ℥ j. ß. diapenid. sine speciebus ℥ ij. syrup. viol. capil. vener. de liquir. ana ℥ ß. misce.* pectus inunximus mane & sero cum butyro recēti, & his sanus euasit præter mentem multorum, & bene se habuit: quanquam idem post tres annos anno ætatis suæ 71. pleuritide correptus est, cumque eo tempore non satis tempestiue sibi consuleret, ea ipsa pleuritis in suppurationem conuersa est: qua etiam, viribus paulatim destitutus, senex obiit.

SCHOLIA.

3. *Lib. 8 cap. 22. ad veterem & siccam tussim aliquot medicamenta Veterum.*

TVssis sicca vehementissime hominem vrget: quam emollit syrup. viol. cum ptisana. Veteres medici (*teste Alexandro, Benedicto, Veronensi medico*) laseris optimi paulum deuorandum dabant: plebi fabam sine cortice coctam ex amygd. oleo. Prodest ex horto porrum, malua, vrtica in cibo sumta, aut allium ex lacte coctum: sed addendum, modo non adsit febris. Apud eundem plura habes: tum apud Aetium, ad veterem tussim. Plinius Secund. *libr. 1. capit. 58. ficus aridas coquit cum hyssopo.* iisdem fere, tum aliis, vtitur Aetius *libr. 8. capit. 54.* vbi & syluam medicamentorum ad veterem tussim & diuturnam inuenies. Quidam in inueterata tussi, ob humorum qui influxerant rebellionem, etiam suffumigiis vtuntur ex foliis bechii. Inter Veteres Trallianus, ex resinæ terebinthinæ, auripigmenti, stercoris leporis pares modos in collyrium, inquit, redigito, & carbonibus abiegnis & terebinthinis fumum excitato ad triduum, si vires permiserint, & affectus ex omnibus notis apparuerit frigidissimus, atque id, quod influit, tale ad amussim exsistat. Nam in quibus calidus est affectus, talibus vti periculosum est. Aliud ab eodem sæpe expertum: thuris, sandarachæ, medullæ ceruinæ paria pondera in pastillos leuigata.

Suffumigia.

4.

[C]uratio.

Cautione tamen opus est, vt materia in pectore vel natura, vel arte sit imminuta, reiteratis euacuationibus communibus & propriis: deinde quod absit febris: tertio viribus constantibus: quarto stomacho ieiuno: quinto, vt in minima quantitate prius attentetur: sexto, si sequatur constrictio anhelitus, aut febris, corrigantur cum humectantibus, pectusque dilatantibus & infrigidantibus, aut in actiuis temperatis. vt aqua hordei, glycyr. passul. & similium cum iuleb aut zaccharo violaceo. Alii autem statim a fumigiis iubent ægros sumere aliquid quod egregie humectet, vt est aqua hordei cum butyro ouino. Fit autem fumigium per embotum aut cannulam ore aperto ter quaterue in die, prout æger tolerare potest. Hæc autem volunt esse medicamenta extrema, quæ conferre dicunt phthisi, asthmati, empyemati, & proprie quando materia est subtilis & saniosa. Refert *Matthæus de Gradi. cap. proprio.* se feliciter vsum fuisse fumigio Rhasis in muliere 60. annorum, matre scilic. illustris Poetæ Maphæi de Vegiis Laudensis, quæ materiam catarrhalē quasi saniosam longo tempore in pectore cōtentam habuerat, cum aliis remediis curari non posset, hoc fumigio intra quinque dies sanitati præter opinionem restituta est.

Mat. Gradi.

3. Descriptionem huius fumigii habes apud Rhas. 9 ad Almansorem c. de tussi. Ad omnem tussim prosunt pulmo ceruinus cum gula sua arefactus in fumo, deinde tusus ex melle, quotidiano eclegmate: cocta oua & trita cum melle. Ego ad tussim siccam & veterem ad tabidos, pleuriticos, asthmaticos, & eos, qui valida tussi laborāt, vtor hoc eclegmate: *℞. succi tussilaginis seu faruaræ ℔. ß. muccag. altheæ extracta cum aqua hordei ℥ ij. cum zaccharo penid. q. s. fiat loch.*

OBSERVATIO VI.

De tussi puerorum.

1. INfans vnius anni, filiola Theodori Verhochii cereuisiarii Delfensis, cum valida tussi afficeretur, quæ & nullis præsidiis mitigari potuit, tandem nescio cuius mulierculæ consilio mures coctos nutrix masticabat, & pro cibo infanti dabat, quo remedio a tussi liberata est. At altera puella annos quinque nata, ex Persinorum familia, cum validissima tussi longo tempore (*quam vulgus idiomate vulgari die kinchoest appellant*) detineretur, nec vllis medicamentis curari posset, alterius mulierculæ consilio vtens, guttam vnam atque alteram sumsit aquæ destillantis a limace, exiguo sale consperso (*hoc enim modo limaces in liquorem resoluūtur.*) quam cum cyatho ceruisiæ communis ebibit, & ex incontinenti curata fuit. Insulanus medicus quidem hoc eclegmate ad tussim puerorum commode vtebatur magno experimento: *℞. rad. althææ bene mundatæ ℥ iij. coquantur in ℔. j. lactis vaccini, vel melius in flore lactis ad optimam dissolutionem: tundantur, & cribro cremor excipiatur, addendo zacch. candi, zacchari penidiarum ana ℥ iij. misce: tempore tussis vehemētis detur cochlear vnum, deinde bis in die.* Hoc magna cū vtilitate vsus sum, & raro me fefellit: quanquam subinde (*cum facile situm contrahat, ob lactis pinguedinem, neque diu eclegma durare possit,*) iubeo radices althææ in aqua faruaræ decoqui, deinde per setaceum, vt prius, extractis reliqua addo. Vtor quoque commode & vtiliter ad tussim non solum succo glycyrrhizæ vel radice ipsa recenti, verum etiam radice althææ zaccharo incrustata, quam pharmacopœi nostri in vsu paratam, vt habeant, iubeo.

2.

SCHOLIA.

3. *Centur. 6. curat. 90.*

MVlti (inquit Amatus) qui tussi veteri laborabant, experti varia medicamenta, hoc vno liberi facti sunt. *℞. sulphuris viui vel communis optime triti ℥ ß. beniuini ℈ j. in ouo sorbili excipito, & ieiuno stomacho in aurora sorbenda dato, vel post cœnam eunti dormitum:* Hoc n. remedio repetito, sani oēs facti sunt, vt sæpe experti sumus. Ceterū pueri qui absq; manifesta, aut procatarctica caussa, tussi ingenti cruciabantur, hoc alio sanati sunt: *℞. succi petros. vulgati ℥ ß. lactis mulieb. ℥ j pul. cumini ℈ j misce, & propina tepidum:* & ilico pectus pueri hoc inunge linimento: *℞. sem. lini, fœnug. rad. maluauisci an. parū, in aqua incoque, & postea muccaginem illam excolatam butyro excipe, & calida pectus pueri inunge, & fascia, breuique recte habebit.* His adde quæ Sebastianus Austrius ex Paulo, Rhase & Auicenna contra tussim,

sim, branchum & coryzam *libello suo, de morbo* 34. *puerorum scripsit.*

Observatio VII.

De Asthmate, per modum Consultationis, pro M. Adriano Goesio senatus populique Hollandici Aduocato.

1. Malum, quo tua dominatio laborat, vir doctissime, crebram efficit respirationem citra febrem, qualis est iis, qui citatiore fatigati sunt cursu, ob tenacium & crassorum humorum copiam pulmonis branchiis, cartilaginibusue infartam: conquestus enim mihi es de anhelitus difficultate, potissimum infestante, si per gradus vel scalas, altiora loca vel montes ascendere debeas. Hoc quidem vitium ad asthma pertinet: quod quidem senibus non tantum graue & molestum, imo vix curatur: verum nunc nondum eo processit malum, vti anhelosis euenit, qui vix procedere possunt, & interdum etiam corporis partes, quæ supra thoracem sunt, rectas habere coguntur, suffocari metuentes, nisi recta ceruice spirent. Et licet a catarrho, originem sumsisse videatur, cum destillationem prius senseris, & ob hoc difficulter etiam in sene curetur. Verum cum tantum in primo senio hæreas, recte facis, quod consilium tempori adhibeas: iacula enim præuisa (*teste Diuo Gregorio*) minus feriunt.

2. Propterea neque ipsa curatio adeo leuis habenda est, neque omnino omittenda atque negligenda, tanquam omnia præsidia inutilia existerent: sed omnibus modis elaborandum, vt huic malo quantum possimus resistamus, ne incrementum recipiat, quod commode inprimis fiet optima victus ratione, & vitæ regimine probe prius obseruatis. Deinde iis medicamentis adhibitis, quæ asthmatis succurrere solent, & id curare valent. Aer igitur vitetur frigidus & humidus, niuosus, pluuiosus, ventosus. Victus sit prorsus calidus & siccus: non tamen ita siccus, neque pharmaca ita sicca, quin eadem talia sint, vt viscositatem & crassitudinem humorum dissecare possint, quum talia & humiditatē quandam habere oporteat, Gal. *auctor. 7. de compos. med. secundum locos.* Cibi igitur sint leues, Celso teste, & sorbitiones. Vtendum igitur carnibus perdicum, auicularum montanarum, gallinarum, pullorum, phasianorum, sternarum, caponum, potius assis, quam elixis: interea & elixis cum pauco hyssopo, oreoselino, thymo, calamintha, aut fœniculo, aut reliquis eiusmodi extenuantibus. Pisces vitandi omnes, quantum fieri potest, nisi saxatiles potius ad saporem concedantur.

3. Vitabis in genere fructus, ac omnia, quæ crassos & lentos humores procreare possunt. Vini potus, iuxta Galenum, tibi conuenit substantia tenuis: nec exiguus eius potus tribuendus erit, imo multus, vt ipse inquit: nam humectatione multa opus habet, quo facile efferatur per tussim, id quod in bronchiis continetur. A ceruisia crassa abstinebis, sed pro potu si mulsa vti cupias aliquando, vel melicrato cum cinamomo clareti instar, concedo. Somno autem moderato, præcipue nocturno, vtere, caputque in lecto sublime habeas: id & Celsus iubet: & diurnum fugias. Præstat autem anhelosos altioribus stramentis, thorace atque capite subleuato, loco lucido atque calido decumbere. Clysterisque aluus ducenda, vel glande irritanda. Præsertim vbi natura eadem humecta non sit. Prodest & ambulatio lenta, pene vsque ad lassitudinem: frictio quoque multa, præcipue inferiorum partium, vel in sole, vel ad ignem, & per se ipsum, & per alios vsque ad sudorem.

4. Exercitio vti quoque debes ante cibum, & nequaquam subito, quod complures hac ratione exstincti sint. Animi perturbationes fugiendæ, maxime vero mœror, & ira. Præter cibos superius dictos, quidam commēdant aliquas carnes a proprietate anhelosis conferre, vt bubonis, ericii, vulpis, vt habetur apud Gradum: sed nostratibus non sunt in vsu. Quod ad medicamenta, breuiter me his quoque expediam: alia rationem habent materiæ contentæ in pectore, alia vero eius, quæ fluit, & adhuc fluxibilis est, & nondum fluxa. Et sic non minus capitis ratio tum catarrhi habenda, quam pectoris aut pulmonis, & membrorum spiritualium, quippe cum curatio asthmatis quid commūne obtineat cum aliis morbis: nempe vt redundātia humoris hæc vitia procreantis absumatur & cibo aboleatur. Secundo, cum proprium quiddam obtineat, vt si ab humoribus crassis ac tenacibus oriatur, malum per extenuantia & extergētia medicamenta curetur. Omnium primo igitur vniuersalem euacuationem instituemus.

5. Sed quia crassa difficulter soluuntur, prius materia coaptanda ad expulsionem cum decoctis conuenientibus *ex glycyrrhiza, marrubio, hyssopo, herbarum capill. scabiosæ, betonic. passulis, carycis, & similibus, adiectis syrup. de hyssopo, prassio, de glycyrrhiza, oxymelite, vel syrupi per se dandi.* Deinde vniuersalis euacuatio administranda. Sed quia solstitium hyemale transiit, & in hyeme sumus, & in sene, potius pharmaco vtendum, quam venæ sectione: a purgatione leui incipiendo, vt hoc modo. ℞. *agarici optimi* ℥ j. *rhabar. selecti* (quia dominatio tua hepar calidum habet) ℥ ß. *zinzib. alb.* ℈ j. *schœnanth.* ℈ ß. *infunde per noctem, facta prius leni ebullitione in* ℥ v. *decoct. pectoral. mane fortiss. express. adde syrup. de liquiritia* ℥ j. *electuarii lenitiui, diaphœnici ana* ℥ ij, *misce: detur in diluculo. Vel si mauis pilulas,* ℞. *pilul. de agarico* ℈ ij. *rhabarb. optimi* ℈ j. *cum aqua fœniculi, fiant pilulæ* vij.

6. Præterea cum etiam adest catarrhus, vnde & asthma, duo præcipue membra in curatione respicienda, nempe cerebrum tanquam mandans, pulmo vero & pectus tanquam recipiens. Primo membro, nempe cerebro, debetur exsiccatio ac roboratio, ne humor catarrhalis generetur: mox & humoris incrassatio, vel potius suspensio, ne amplius fluat, postea vt humor diuertatur, & per aliā viam fluat. Si itaque catarrhum fluere sentias, fiat sacculus ex sale tosto cum furfure, & capiti imponatur, ad capitis exsiccationem & roborationē. Vt autem incrassetur, si opus est, detur pil. vna ex olibano in introitu lecti, alii ex olibano fumum recipiunt per os: illud tamē asthmaticis suspectū. Quę aūt auertunt humorem fluentem: sunt hæc: succus maioranæ vel betæ per nares attractus, vel radix

gentianæ naribus imposita, cucurbitulæ quoque scapulis admotæ. At suscipiens membrum trachea arteria, pulmo, pectus, præter communem purgationem etiam pectoris cum agarico, proprio quoque remedio indiget, quodque materiam in pectore existentem expurget, extenuet, tergat, & partim per sputum exspectoratione educat, qualia sunt decocta rad. helenii, iridis, hyssopi, prassii, vngulæ caballinæ, scabiosæ, ficuum & vuarum passularum. Eclegmata de pino, de botryde, loch sanum, loch de caulibus, loch de pulmone vulpis, etiam scyllinum. Interea & pectus inunges cum oleis calfacientibus, liliaceo, irino, vng. dialthæa, pectorali. Quibus cum vsus fueris, cum in Hagam Comitis accessero, si malum non cesserit, reliqua medicamenta addam: cum ad alios euocamur, te quoque inuisam. Hæc pauca pro tuo affectu annotasse sufficit. Ex nostro Musæo Delphis 23. Decembr. anno 1559.

7.

Petrus Forestus Alcmarianus, Delphensis Reipubl. Medicus.

SCHOLIA.

8.

Asthma est affectus, qui respirandi difficultatem cum magno conamine præ se fert, Latini crebrum anhelitum, vel anhelationem dicũt. Nomen est a symptomate sumtum, etenim species est vitii in respiratione: & est actio deprauata, non secus ac tussis, & sternutamentum. Mouet enim natura, sed irritata a caussa præter naturam, & morbosum affectum sequitur. Qualis autem sit vitiosa respiratio, describunt, quoniam creber est, instar eorum, qui vehementer sunt moti. Creber autem dicitur, vbi exigua quies interest inter vtrumque motum, dilatationis & depressionis pectoris. *Galen. aphorism. 6. comment. 46.* Multæ, inquit, sunt spirandi difficultates, sed solam illam Hippocr. consueuit Asthma nominare, in qua cõtingit satis crebrum anhelitum tum fieri: estque difficultas respirationis, qualis iis, qui diu cucurrerunt, ex quo ἀσθμαίνειν, anhelare, id quod in cursibus & vehementioribus exercitiis fit. Vide de his plura apud *Galen. 7. de compos. medic. secund. locos cap. 6.* Dicuntur autem tales, qui citra febrem dense respirant, dicuntur tales anhelosi seu suspiriosi, Aetio & Paulo testibus, & Galeno auctore 3. de difficultate respirationis. Interea spirationis difficultas, si modica est, δύσπνοια Græce dicitur. vide Galen. *libr. 4. de loc. affect.* vbi ἄπνοιαν, quasi non spirationem dixeris, duntaxat a quauis alia respirationis oblæsione seiunxit. Sic & Galenus libr. De difficultate respirationis, tum etiam *6. de morb. vulgar.* cum Hippocrates δύσπνοιαν spiritum densum crebrumq;, licet nõ valde difficilem respirationem, intelligit, a reliquis seiunctam, æsthmate videlicet & orthopnœa. At cum vehementior fit, & spirare æger sine anhelitu & sono non potest, tunc ἆσθμα vocatur: si vero accidat in spirando, vt non nisi recta ceruice spiritus trahatur, tunc ὀρθόπνοια nominatur, estque hæc maxima, vt ægri iacentes suffocentur. Hæ inquam tres differentiæ communicãt, quod videlicet febre careant, vt patet *3. de morb. vulg. & 6. eiusdem.* De his noster sermo est, & non de eis, quæ cum febre fiunt, ad alias videlicet seu inflammationes spiritualium, seu reliquarum partium subsequentes, sic enim difficultas respirationis fit & angustia quoque peripneumonicis, suppuratis, & pleuriticis, sed cum febre, a quibus facile distinguuntur prædictæ anhelationes difficiles, quæ sine febre fiunt, & ideo facile distinguuntur. In quibus etiam non facultas ipsa respirationem efficiens, neque vsus per se afficiuntur, sed instrumenta ipsa, & inter ea aspera ipsa arteria, quæ in collo & thorace continetur, seu eius propagines, quæ in pulmones distribuuntur: id quod sæpius accidit, sunt enim strictiores, & propterea promtius obstruuntur, ac constringuntur, seu angustiores redduntur: quemadmodum liquet *4. de loc. affect. de compos. medic. secund. locos, & comment. aphor. 26. lib. 3.* quamuis nõ semper huius symptomatis caussa, siue morbus ipse in fistulis aut cauitatibus pulmonis consistit, vt experientia cõstat. Anno enim, inquit interpres Holerii, 1549. mense Septembri, monachus quidam in collegio vulgo de Arras, breui asthmate interiit, corpore dissecto abscessus repertus est, in vena arteriosa & sine pari, integris omnino pulmonibus. In quodam (*nomine Britio*) asthmate mortuo pulmo tanquam spongia, imbutus multo humore pituitoso, inuentus est. Similem fere casum cum superiore refert Dodonæus de difficultate respirandi cum suffocationis periculo, *cap. 19. in suis Obseruat. medicinalibus,* de quodam nobili defuncto, in cuius pulmonis inferiore sede ac basi, qua septo transuerso incumbit, reperti sunt abscessus duo, vnus in dextra, alter in sinistra parte, per meatus pulmonis purulentus ferebatur humor, qui inscisso pulmone ex ipsis profluebat. At Beneuenius, *de abditis morborum caussis, cap. 61.* corpus etiam incidit in orthopnoico, in quo inuenit non parum atræ bilis & sanguinis nigrioris in eius corde coiisse: vnde etiam per venas diffusus, non est mirum si corrumpente eo spiritum ipsum, hominem ad festinam mortem deduxerit: quod etiam auctore Galeno alias contigisse nouimus. Interea quod quis difficulter spiret, tres caussas ponit Galenus *4. de loc. affect.* vel ex virium imbecillitate, dum spiritus ex solis naribus emittatur, & narium pinnæ manifeste per inspirationem contrahi videntur: vel aucto in corde & pulmone calore, calido frequenti spiritu exsufflante. Vel ob spiritualium instrumentorũ angustiam, toto thorace magna ex parte celeriter & frequenter dilatato, sed nec spiritum efflant, nec calidum emittunt, vt illi faciunt, qui ob cordis vel pulmonis calorem, musculis thoracis maxime agentibus, difficulter spirant. Hic vero agimus de iis, qui ex spiritalium instrumentorum angustia difficilem spirationem habent: ita vt cunctæ istæ affectiones, de quibus paulo ante diximus, ad symptomata referantur functionis voluntariæ, respirationis inquam, non quidem ablatæ, sed oblæsę, vt in apnœa quidem debiliter seu imbecille, aut interim quoque deprauate, & in orthopnœa, licet raro. Separatur autem vna ab alia quibusdam propriis indiciis. Namque in ea, quam dyspnœam nomine generis

Quæ pars in eisdem affecta sit.

11.

12.

Quod quis difficulter spiret, ex vna trium caussarum prouenit.

Qui affectus præter naturam sint.

Quibus signis ... differentia ...

appellauimus, spiritus duntaxat densus, isq; ne citra sonum & anhelationem apparet. In asthmate vero seu anhelatione, præter spiritus densum maiorem, æger sine sono & anhelatione, vt ait Celsus, spirare nō potest. At in orthopnœa, cum spiritus crebritas maior percipitur, sed ita affecti, non nisi recta ceruice spiritum trahere valent, & cum decumbunt, seu iacent, suffocari seu strangulari videntur. Symptomata autem hæc ad morbum in via succedunt, quamuis interdum viæ ipsæ obstruantur, per quas aer inspiratur: interim constringuntur ac coarctantur pro caussarum diuersitate, de quib. postea agemus: atq; hæc omnia exemplis illustriora euadent.

OBSERVATIO VIII.

De viro pituitoso dyspnœa paulatim correpto.

VIr annos quadraginta natus, obesus, & pituitosus, cum in hyeme, tempore niuoso, iter faceret, paulatim anhelitus difficultatem incurrebat. Erat autem huic spiritus quidam densus citra tamē sonum & magnam anhelationē, ita vt potius dyspnœa laborare videretur, quam asthmate: nam calido tempore hic iuuamen sentiebat, veluti thermarum vapore, vel si in cubiculo paulo calidiore sederet, melius se habere fatebatur. Verū cum hic pituitosus esset & non sine catarrho, ne in asthma aut grauius malum incideret, huic imperauimus, vt in aere calido & sicco versaretur, & exercitium leue, nempe ambulationem lentam ante cibum, ad lassitudinem fere concessimus, & somnum moderatum, & vt diuturnum vitaret præcepimus, vinoque tenui vel aqua mulsa aut cinamomi, in qua aliquid prassii, vel hyssopi incoctum esset, loco potus vteretur, mandauimus, & ad materiam frigidiorem concoquendam, *vt oxymelle simplici compos. & syr. prassii & hyssopi cū aquis hyssopi, betonicæ, prassii, vel decocto similiter vteretur, iussi.* atq; mox illum purgauimus cum diaphœnico. A venæ sectione, quia in hyeme eramus, nec sanguine abundaret, abstinuimus. Postea vtens *zacchar. enulato, etiam theriaca veteri ad* ʒ *j cum vino, & victu calfaciente & exsiccante, etiam assumptis iij. aut quatuor guttis destillationis anisi cum vino*, ab hoc symptomate probe curatus fuit.

SCHOLIA.

A Primitiua caussa, nempe ab aere frigido, hæc dyspnœa ortum habebat, postea etiam accedente catarrho cum pauco humore, pituitoso in pectus collapso: sed facile cessauit malum, sicuti enim dyspnœa, ita & asthma & orthopnœa ab iisdē caussis oriuntur: quanquam asthma a grauioribus, & orthopnœa leuiorib. vero dyspnœa. Asthma itaque, tum reliquæ dictæ affectiones, multas caussas habere possunt, licet a Paulo vna tantum assignetur, quæ quidem potissima exsistit. Potest namque angustia hæc citra febrem excitari, aut a tuberculo quopiam iuxta asperam arteriam orto, eamque coarctante, aut a lentis crassisve, seu multis succis in brōchiis ipsis exsistentibus, aut eisdem ab aliis partibus ad eadem delatis, ipsam asperam arteriam obstruentibus: alii volunt caussam esse tuberculum aliquod crudum in pulmonibus genitum. Nam & Galenus *aphorism. 46. libr. 6.* fieri significat aliquando a tuberculo nato in spina, vt in gibbis: quod si magnum est & durum siue crudum, asthma facit, si non ita durum & aliquid desudat in arteriam, tussim. Aliquando etiam suppuratur, & interimit. Si fuerit in collo, asperam arteriam contrahit, in dorso, pulmonem & vicina corpora, sub septo, & renes & lumbos, vrinā quoque intercipit. Malum quoque hoc quandoque generat fumus argenti viui, aer cauernarum, a quibus metalla effodiuntur: ab iis enim vaporib. contingit pulmonem nimium exsiccari: vt & ex metallorum cuniculis, ex nauis carina, vbi multa corrumpuntur: dirum enim odorem emittit triticum, quo superuenientes multi suffocati sunt: etiam in nauibus occlusis cereuisia onustis aut in furnibulis, quibus cinnabaris factitius, aut similia confici solent, aut arsenicum, argentum viuum, vel reliqua metallica sublimantur. Si sit a resiccatione, vt in aurificibus, chymistis, fabris ferrariis, & similibus, quibus addi possunt, inunctiones & remedia a morbo Gallico. *Rhas. libr. 4.* Continentis adiecit pectus strictum & paruum pulmonem: Qui natura talem constitutionem habet, iugiter (inquit) fit asthmaticus, vel si quid incaute in spiritalem fistulam, veluti in alienum tramitem, exciderit, vt refert Benedictus Veronensis, de quadam Lucretia Veneta, quæ nucem Ponticam in pulmonis fistulam imprudenter admisit. Victus quoque intemperantia, nec non corporis crassities otio aut natura contracta, anhelosos subinde facit. Omniū autem frequentissime fit a pituita crassa & viscida, quæ in asperæ arteriæ ductibus inuiscata hæret, siue aliunde influat (*quo tempore sæpe subito spirandi difficultas oritur*) siue ibi generati sint: sæpe enim spirandi instrumenta (*vt nunc diximus*) sui mali principium habent, cum scilicet multæ superfluitates in ipsis generantur, quæ aliquando tempore, vi caloris, in pituitam vitream aut gypseam permutantur, hinc quoque tempore in grandinem atque calculos degenerant: tales enim aliquando calculos ex pectore tum pulmone expulsos esse diximus *libr. 14. scholio Obseru. 26.* cum & in asthmatico frustum carneum eiectum vidimus, de quo eodem loco mentionem fecimus: quem & nos probe curauimus, qui & post carnem illam eiectam melius multo spirare potuit. Neoterici vero caussam huius procatarcticam esse volunt, caliditatem vel frigiditatem aeris, casum, percussionem, nimium corporis motum, fumigium argenti viui, & quemcunque odorem pectus constringentem. Antecedentem vero dicunt esse malam intemperiem frigidam coarctantem vel obstruentem, vel materiam pituitosam in pulmone vel eius bronchiis infarctam: & caussam coniunctā volunt esse humores infarctos in arteriis & venis pulmonis. Signa per se tum vniuscuiusque generis per se satis patent, tum ex iis quæ scholio præcedente diximus. At signa caussarum probe sunt distinguenda, ob curationem. Si sit ex tuberculo, inter respirandū stertere videtur: nihil exspuit, malū semper augetur, circa arterias pulmonis gra-

Signa caussarum.

uitas sentitur, veluti Antipatro medico contigit: demum temporis diuturnitate asperas pulmonis arterias coarctans, spirandi difficultatem facit. Iam quoque sine manifesta a capite fluxione, sine sputo aut humida tussi illud patiuntur. Si vero stertendo strepidum fecerit respiratio, lentorum crassorumq; humorũ pertinaciter impactorum, multitudinem pulmonis bronchia infestare indicium est.

7. Sed nec generatim verum est, quod ex humore crasso aut viscido semper fiat, sæpe enim vidimus (*inquit Iacchinus quoque*) a tenui destillatione fieri, & ratio dictat: quoniam omnia corpora, quæ replent, spiritum impedire possunt: sic his fieri diximus, qui metallica tractant, qui etiam aliquando præfocantur, vt Galenus in Cypro accidere dicit circa chalcanthi venas: sic & carbonum fumus præfocat. Videntur igitur hæc fieri potius qualitate attracti aeris, quam quantitate: vt autem externus aer hoc efficit, ita & vapor venenosus internus. Sed adhuc quæritur, qua ratione fiat hic creber anhelitus? An quia multum refugit eius respirationem, ideo crebro ad inspirandum reuertitur ob necessitatem? tandem vero præfocat, cum nihil inspiratur, vel cum cor refrigerare nequit, quia non admittitur? Hoc euenit etiam in aere cauernis incluso, & ita putrescente. Hæc facile habentur ex caussis prægressis & sermonibus ægri aut astantiũ.

8. Iam quoque vehementissimo asthmate prehenduntur laborantes ex vtero. De ea quæ mulieribus accidit caussa, nihil forte inconuenit dicere: quod afficitur pectus per consensum vteri: etenim genitalia pectori multum consentire Gal. ait, *1. epid. 13.* & caussam ibi exponit: ideo ab vna parte ad alteram abscessus fieri ait facile. Cognoscitur autem ex ꝓpriis signis: si ex destillatione, quam primum ab angustiæ sensu quis difficulter spirauerit, id vel a cerebro, vel a vicinis sedibus in pulmonem irruentem fieri, portendit, idq; sæpius ex manifesta caussa accidit, propriis destillationis signis existentibus: pingui etenim (*vt inquit Theodorus Priscianus, libr. 2. ad Timoth. cap. 12.*) & frigido phlegmate pulmonib. adhærente, cauernæ vel meatus, quibus naturaliter spiritus redditur, & accipitur, concluduntur:

9. & ex hoc impedimento suspirium, vel anhelitus molestissimus nascitur, vt sedẽdo magis, quam iacendo respirent. Verum si prædictæ affectiones ex aliis quibusdam præter iam dictas caussas, interdũ oriantur, vt ab hepate, splene, stomacho, vel diaphragmate inflammatis, vel pulmonem distẽdentibus, vel a ventositate, vel quouis modo per consensum, vel a vertebris dislocatis, vel gibbosis, vel a vaporibus, sanie, cruore, sanguine trumboso, vel ab angina, peripneumonia, pleuritide, empyemate, aut ex tumore aliquo abscessui simili in pulmone genito, seu aliis eiusmodi, licet de his nunc non sit sermo, ex propriis tamen prædictorum affectuum notis interstinguendę sunt, potissimum quod non citra febrem erunt, cum & de his postea acturi simus in propriis quoque suis locis, vt de sanguinis sputo, pulmonia, pleuritide, & empyemate, &c. Nos nunc ægre spirantes intelligimus sine febre, cuius rursus exemplum adferamus.

Observatio IX.

De Asthmate difficili, hereditario, antiquo & periodos habente, ex succis crassis & viscidis.

Asthma plurimas differentias in se contin[et], cum aliud nouum sit ac recens, aliud rur[sus] sine periodis, aliud vero periodos habens, diutu[r]num quoque & antiquum: quale Iusta Teylingia vxoris meæ soror, matrona me hercule proba, patiebatur, per certas periodos, tempore potissimum pluuioso, niuoso magis & nebuloso, cum difficili anhelatione, adeo sonora, tanquam per fistulã aer cum magno conamine exsufflaretur, vt etiã extra cubiculum subinde sonitus exaudiretur. Insuper & hoc malum erat hereditarium: pater enim eius Augustinus Teylingius hoc eodem malo afficiebatur, vti & duo fratres Bartholomæus Teylingius Prætor Alcmarianus, & Augustin. Teylingius iunior frater. Filia quoque eiusdem Iustæ, virgo. Ideo peius malum erat, & hereditarium, & diuturnum: & quia iam ætate satis prouectiore, difficulter in talibus asthma curatur. Etenim de signis prognosticis difficultatis illud commune est, quod in ætate decrepita non sanantur, neq; diuturnæ iam, propter magnam infirmitatem, quam viscus cõtraxit, sicut nec diuturni dolores articulorum, nec aliud malum vllum eiusmodi quod ad multam infirmitatem partem trahat: propterea in iis, qui male formato sunt pectore, vt angusto thorace, vel in iis qui natura ad hunc morbum inclinant, (*vt hic quidem, & morbo hereditario, viscus imbecillum fiebat, & a leui caussa lædebatur ob angustiam malo sæpius repente & diuturno, ex frigidis humoribus orto*) ita in valde senibus si excitetur, *iuxta aphorism. 40. lib. 2. e commento Galen.* eos fere comitari solet ad mortem. Hyeme magis corripiebatur: nam, Cælio Aureliano teste *lib. 3. cap. 2.* magis grauat atque premit hæc passio mulieribus viros, & iuuenibus senes atque pueros, & durioribus corporibus natura teneriora hyberno tempore atque nocte magis, quam die vel æstate. Omnes autem isti, de quibus diximus, asthmate laborabãt ex pituita viscida & crassa, arteriam tracheam, tum pulmonem cauitatemque pectoris implente, simul & tussi quandoq; grauiore pituitosum quid exspuentes, modo difficili anhelatione tantum sine tussi. Fratribus vero, qui iuniores erant, vena tempore veris commode fuit secta, idque ex Pauli & Celsi, tum Galeni decreto, cum vires venæ sectionem admitterent, quę a Cælio & Prisciano quoque laudatur. Reliquam curationem, quæ plurima cum tussi communia habet (*vt in caussis & affectus natura communica*[t]) post totius corporis prouidentiam absoluimus iam iis, quæ materiam viscidam & concoquerent, & deinde euacuarent. Interea [p]rius distinguendo aliam esse curandi rationem in iis qui iam in accessione sunt, aliam in tempore medio, cum hoc malum periodos haberet. Ideo tempore medio & ante accessionem diligente victus rationem instituimus, vt cibos concoctu faciles sumeret, & qui tenues succos gignerent, & vt omnem cruditatem vitaret: in ea enim capit pituita colligitur, vinumque

numque modice sumtum, tenue, aquosum, & pallidum, quod minime caput tentaret, concessimus, & vt aerem clarum eligeret, mandauimus, a paludibus semotum, siccum, apricum, insolatum, & exercitium ante cibum. Per interualla pilulas ex hiera simpl. vel compos. de agarico & assaieret (*quæ neq; diagridium neque myrobal. reciperent*) exhibuimus. Aliqui & hic singulis mensibus vomitum laudant, præsertim si facile vomant, alioqui præstat per aluum purgatione vti. Deinde etiam decoctis extenuantibus & expectorantibus (*capite prius quoq; expurgato & roborato ob catarrhum*) vtebamur: & syrupis pectoralibus, prius quoque auersione & diuersione facta cerebro: & post pilulas dictas etiam theriaca, cuius vsus (*vti & diacalaminthes & oxymelitis scillini*) eximius est præ omnibus, vt prorsus a periodo liberare queat. Dum extra paroxysmum esset, ad nares quoque materiam deriuare contendebamus. Vtebantur omnes oxymelite scillino, inula campana condita, & similibus. In accessione (caussam antecedentem inspicientes) si copia sanguinis adsit in corpore, & magnitudo affectus suadeat, venam secamus communem, vt in duobus fratribus fecimus, mox purgamus, sed prius leni purgatione, quæ a capite attrahit, & a superioribus reuellit, vt est hiera cum agarico: qua purgatione vsi sumus in his duobus, tum muliere. Vniuerso corpore repurgato, caput etiam resiccauimus: deinde & pectus repurgauimus, ideo & oxymel aquosum dedimus, hyssopo incocto. Non desunt qui cõmode terebinthinę ℥ß. exhibeant ex oleo amyg. dul. pectus & aluum simul purgant: loch etiam de scilla dedimus, & confectiones quæ ex helenii radice conficiuntur, tum loch de pulmone vulpis. Sed & huic matronæ egregie contulit, quod vrgente spiritus difficultate, pitisando sumserit aliquot guttas vini ardentis e vino Rhenensi per destillationem depurati (*vulgus aquam vitæ vocat*) vel cum sub noctem sumeret buccellam paruam panis macerati in tali vino. Post materiam paratam & incisam ac concoctam, fratribus quoque egregie profuit apozema ex foliis senæ, & agarico, cum herbis pectoralibus aperitiuis: sumebant subinde & rad. althææ conditas, & enulæ, vti & vinum enulatum egregie quoque contulit, (*post sectionem venæ & purgationem*) M. Adriano Wentzio consiliario, cognato nostro, qui pectoris & interscapulii dolore afficiebatur, & asthmate ex compressione diaphragmatis, oris ventriculi repletione, vt aliquando in via sistere deberet, nec progredi posset, ob anhelitus difficultatem: qui nostro consilio vtens, tum Martini æditui Amstelrodamensis, istis & similibus remediis bene se habuit. Hic tamen post aliquot annos in platea concidit ex asthmate, & subito mortuus est. Solebat enim bis in anno sese purgare, nostro consilio, quod cum iam intermisisset, quanquam admonitus, subito exstinctus est.

2

3

SCHOLIA.

4 Signa prognostica.

PRIMA differentia, scilicet, dyspnœa (*Celso teste*) diutius trahitur, duæ vero insequentes, asthma & orthopnœa videlicet, acutæ esse consueuerunt: ob vehementissimas etenim accessiones interdum ægros strangulare solent, id quod dyspnœa proprie dicta, nequaquam efficere valet, cum modica in ea consistat spirandi difficultas, si asthmaticis quoque deliquium animi frequenter superuenit, lethale augurium facit. Et quibus gibbi ex asthmate (*teste Hippocrate Aphorism. 47. libro sexto.*) aut tussi fiunt, ante pubertatem moriuntur: vti euenit filiæ Iodoci Francisci cereuisiarii Delphensis, quam longo tempore ante me Henricus Vergerius medicus Haghanus in curatione habebat: atque cum ego deinde etiam accitus essem, curationem impossibilem esse diximus: quanto enim magis confirmatur, tanto eius cura, secundum Auicennam, difficilior est. Ego enim plurimos tales vidi, vt etiam Gradus fatetur, nunquam curatos: licet etiam cum magna diligentia tractarentur. Ideo quædam in eadem puella, vt matri & huic complaceremus, tentauimus, sine spe tamen curationis: cum illi, qui non ex tuberculo, sed ex ictu aut casu gibbi fiunt, melius restituantur, vel si restitui non possint, diutius viuant. Sic ego memini in Iusta Neoburchia cognata vxoris meæ Alcmariana: quæ cum decimum septimum annum ageret, ex casu facta est gibbosa, idque paulatim, cum propter pudorem parentibus se cecidisse non indicauerit: cumq; chirurgum non aduocasset, gibbus tandem inualuit, vt parentes tunc prius animaduerterent, cum tota incuruaretur filia, alioqui pulcerrima. Conuocatis tunc medicis atq; chirurgis, restitui non potuit, vt ob gibbum, quamuis nubiles annos habens, vitam cælibem deinde transegerit; factaq; paulatim asthmatica diu vixerit cum magna miseria, vsque ad annum 38. ætatis suæ: tunc ex asthmate in pulmoniam lapsa, mortua est. Maximum enim periculum imminet, cum asthma in febre acuta euenit, vel vna cum asthmate iungitur. Etenim a calore febris, modo si suapte natura sit difficilis screatur, multo redditur difficilior siccatione plurima. Præterea cum ea egeat multa inspiratione frigidi aeris, hæc autem ob angustiam fieri nequeat, breui periclitari vim vitalem esse necessarium. Adde quod febris irritatur maxime: minimum vero febri adiuncta lædentur, qui ex aquosa pituita id patiuntur: nam crassescit & exscreatur. tunc vero maxime periclitantur, cum viribus sunt inualidis: cito enim in syncopen aguntur & mortẽ. Proximos igitur morti iudicabimus, cum inæquales admodum sunt pulsus, præsertim si intermittant, idque in iuuene. Hæc ex adiunctis affectibus. Ex pituita frigida ortum malum, superueniens febris sanat; & varices quoq; enatæ id curant. Imbecilles asthmatici non diu viuunt. Id malum quoq; si vertebrarũ luxatarum vitio contingat, si introrsum id fiat, nunquam sanatur: atq; is morbus, vt iam diximus, in peripneumoniam transitum facit: & si diuturnus est, ægrum ad hepatis læsionẽ deducit & hydropem: & quia periodos habet, præter opinionẽ subito sępe interficit. Quamuis in pueris permutatione ætatis sæpe curetur, ob victum calidiorẽ & materiæ frigidæ cõsumtionẽ: quę huius mali caussę exsistebant, cum & crescentibus anhelitus organa

5

6

melius dilatentur. At periculum maximum imminet, cum omnes musculi intercostales, superiores scapulæ & omoplatæ trahuntur, virium imbecillitas, vehemens calor, angustia partium spiritalium conspicitur. Vbi omnes aut plures concurrunt, æger morti proximus est: vbi duæ, non facile seruari potest.

Observatio X.

De Orthopnœa.

1 ORthopnœa adeo graui subinde laborabat M. Hieronymus presbyter Alcmarianus, & vxoris meæ auunculus, vt in ipsa accessione adeo difficilis fieret respiratio, vt etiam in platea, si exacerbatio contingeret, staret toto tempore accessionis parieti innitens, vt ita anhelitum traheret. Posteaquã accessio conquieuisset, melius respirare potuit, & quocunque libuit abire. Attamen cogebatur leuiter incedere, alioqui facile periodus reuertebatur. Hoc autem malo multis annis detinebatur: quem alius Medicus ante nos curabat. Malum aliquando adeo inualescebat, subinde reuertentibus paroxysmis, vt cum parieti alicuius domus, primum obuiam factæ inclinans, erectus stare cogeretur, a pariete sese mouere non posset, etiamsi domus fuisset combusta, donec accessio quieuisset. Multa huic remedia frustra adhibita fuere, cum tempore iuuentutis apud amicos crapulæ vtcumque indulsisset, tum etiam Veneri, concubinam domi alens: quam cum relinquere nollet, malum frequentius recurrebat, anno 1548. sub finem Decembris atrocissimo obrepente paroxysmo, ita vt per duos integros dies & noctes corpore erecto in pedes stare cogeretur, imo sustentari a duobus robustissimis viris: alioqui lassus si sederet, suffocationem incurrebat. 2 Hic cum me antea cum medico alio in consilium adhibuisset, primo die cum hoc malo tam sæuo corriperetur, eundem alium medicum ad se vocauerat: cumque eo tempore ego apud dominum de Schagen ex hydrope periculose decumbentem agerem, ab eo reuersus ægrotum inuisens ita misere paroxysmo diuturno detentum animaduerti, spirationemque tremulam adesse, pulsumque inæqualem ac valde inordinatum, sæpiusque intermittentem ac deficientem, tandem & languidum magisque tardum, ita vt subinde syncopen incurreret. Iam quoque spiritus paruus, tardus & frigidus ex ore prodibat: certum indicium, ægrum non diu superuicturum, pulsu quoque ex tardo in nimis crebrum, & valde languidum permutato: ita vt amicis astantibus mortem præ foribus adesse prædixerim; medico tamen altero spem salutis ægro pollicente, quod is breui sanaretur. Ceterum cum paroxysmus adeo violentus & atrox continuo ad quatuor fere dies permaneret, atq; ipse æger fatigatus, amplius ita erectus a viris sustentari non posset; mortem breui adfuturam pronuntiaui, ex præsagio doctissimi illius Leonelli practici, cuius verba ita habent: Anhelitus per os & nares exiens frigidus, mortale: & in asthmate seu orthopnœa anhelitus tardus & paruus, vel frigidus, vel syncopis, vel si cogitur super pedes stare, quia anhelitum habere non potest, mortale. 3 Hæc cum adesse viderem, vt si quæ agenda essent ægro hinc emigraturo, id consultum iudicabam, cum presbyteris curatio desperata esset: quare extrema inunctione peracta, lecto nunc incumbens cum amplius stare non posset, mox exspirauit: ex cuius augurio non minorem honorem habui, quam si ægrum curassem. Ita quoque Franciscus Guilelmus de Bodegem, cognomento Heerius, vir circiter octoginta annos natus, singulis fere noctibus hoc eodem malo pressus, recta ceruice spiritum trahebat difficillime. Ab hac quidem molestia subinde per me & Cornelium Ericium anno 1559. subleuatus, quamquam per totam noctem prius sellæ insidere cogeretur, sæpe apozemate incidente sumto & pilulis agarico ad ℈ß. tres pilulas conficiendo aliquot dies, miraculi instar orthopnœa cessabat. Attamen in sene, cum tempore paroxysmi vel pituitosum quid vel viscidum, modo etiam cruentum quid exspueret, citius accessio terminabatur: alioqui, si nihil exspueret, protrahebatur. Extra paroxysmum nunquam tale quid cruenti vel viscosi exspuebat. 4 Hic tamen post aliquot menses paroxysmis reuertentibus cogebatur rursus sellæ insidere: & si se ad lectum componeret, mox redibat accessio. Quid multis? post annum vnum, post sonitum campanæ nocte indicantis, incendium in vrbe esse (*scilicet noctis, 10. die April. anno 1560.*) experrectus & territus, in paroxysmum vehementiorem incidit: adeo vt antequam ex lecto euocatus illum adirem, eundem (*quod antea sæpius de morte inopinata in sene prædixeram*) suffocatum ac mortuum repererim. Libenter autem mortuum corpus secuissemus, cum caussam mortis vel tuberculum, vel abscessum in pulmone arbitraremur: sed amici id admittere nolebant.

Scholia.

5 *Caussa orthopnœæ.* QVid sit orthopnœa, iam antea diximus, cum non nisi recta ceruice in ea spiritus ducatur. Caussas easdem habet cum asthmate, licet efficaciores: estque symptoma multo periculosius asthmate. Fernelius adeo lentum humorẽ habere quãdoque putat, vt in grandinem concrescat, atq; hæc rursus in calculos veros, quibus interdum dissectos pulmones confertos deprehendit, alios præduros, alios solidos in casei substantiam concretos, incipientes, alios gypsea duritie, omnes quidẽ propria cysti obductos. *Fernelii historia.* Ita vir quidam Fernelio occurrebat, qui quoties exercitatione incalescebat, concitata tussi calculos e pulmonibus edebat prēduros, eosq; exscreabat hordei modo, modo pisi magnitudine. Bona tamen is valetudine fruebatur, præterquam quod paulo difficilius respirabat, & in medio thorace grauitatis cuiusdam pondus percipiebat. *Lapilli e pulmone expulsi.* Apud Brielenses quidam per quatuor annos ex pulmone tabe laborans, quatuor vel quinq; lapillos ad pisi magnitudinem fere albos induratos calcis instar exspuebat, vt nos vidimus. *Historia Dodonei de orthopnœa.* At vir ille apud Dodonæum, 36. plus minus ætatis annum agens, orthopnœa laborabat, cuius accessio subinde singulis mensibus, quandoq; rarius, & bis aut ter in anno, inuadebat, & per humidã frequentius, quam per siccam

6 siccam aeris constitutionem: cui & difficilis in accessionibus erat respiratio, stabat toto tempore mensæ aut tabulæ alicui manibus innitens: efferebatur, ac profluebat ex ore humor lentus viscidusque: cibum vix, potum ægre admittere potuit: sæpe toto accessionis tempore stans, absque cibo & potu complures horas transigebat, accessione finita libere spirabat, & quocunque libuit abibat: quatuor aut quinque miliaria quandoq; vno die pedes perfecit, sed decumbere non valuit: quotiescunque enim iacere conabatur, mox omnia circa respirationem molesta. Noctu sedendum illi erat in sedili aliquo, nec aliter somnium capere aut conquiescere illi integrum erat. Agarico purgatus, visus est melius habere, sed ad exiguum tempus. Profuitetiam subinde diarrhodon & diaspoliticon.

7 Vbi autem consenuisset, sponte & absque vllis remediis a molesta orthopnœa liberatus hic est: cessantibus multo tempore exarcebationibus, tandem periculum iacendi fecit: quod cum citra incommodum succederet, relicto sedili, in lecto per noctem decubuit. Tenax erat humor, asperæ arteriæ ramulos obstruens, ac meatus intercludens: quo super abundante, morbi accessio cōtigit, quæ tantisper durauit, donec portio eius per os expurgata esset. Sed cur intermissionis tempore iacere, aut in lecto decumbere non fuit integrum? An quia non omnis humor excretus, & decumbendo minus liberi sunt pulmonis meatus, atque coarctari sic contingit, & idcirco quoque a lento humore facilius obstrui? Decumbentibus enim pulmo (vt Gal. 4. de loc. affec.) in se concidit; erecto vero thorace non amplius seipsum grauat, tunc enim omnes asperæ arteriæ propagines dilatari contingit, & interiorem pectoris regionē augeri: vt in commentariis Prorrehticon idē scribit.

8 Idem Dodonæus narrat de mercatore quodā etiam iuuene, correpto simili orthopnœa, in quo nullum remedii genus intentatum relictū est, sanguis sæpe detractus, & frequenter purgatus: bibebat & aquā fontis Leodiensis, sed nullo succedente fructu, tandem calculo in renibus, doloribus ac podogra correptus, ab orthopnœa liber factus, decumbere potuit, cum antea aliquot non paucis annis, in sedili somnum capere debuerat. Ceterū curatur orthopnœa, vt asthma: venæ sectio adhibetur vti in asthmate, si vires admittant: materia deinde digeritur, prout tenax est. Verum licet ea sint adhibenda, quæ humorum crassitudinem ac viscositatem attenuent, incidant & detergant, ea tamen rursus tussim mouent, vt ex 7. de cōp. med. secundū locos & 5. de simpl. med. facult. constat. Bechicis etiā opus erit, sed non iis, quę materiam incrassant, verū opus habent multa humectatione, vt melius expectorent: quale diximus esse melicratū, oxymeli, & ptisanam: & ideo etiam Aetius a multū calidis, tum Galenus, abstinebant, ne calore viscosiores & glutinosi humores difficulter auellerentur, vitādo & refrigerantia & astringentia. Ideo & scillā assam cum melle laudabant, nos syr. de hyssopo, glycyrrh. de prassio, mel. ros. antea laudauimus. Deinde purgationē ex cassia, agarico trochis. & diaphœnico. Postea & clysteres validiores ad aluum eluendam: quales & Donatus commendat, mox & diapenid. diahyssop. diaireon. Extrinsecus cataplasmata, iuxta Paulum, Aetium, ex ficubus, hordeacea farina & loliacea cum resina & melle imponenda: vel vnguentis & vaporibus calidioribus vtendum: quorum copiam inuenies apud Guainerium cap. proprio. is iubet abstinere a fumigiis, quæ arsenicū continent. Non desunt, qui & vstiones & cauteria laudant: quale & ab Aetio describitur *lib. 8. c. 57. de Asthmate*. Si ex tuberculo, eadem fere conueniunt, quæ in cruda, viscida, pituitosa, vt Galenus Antipatro (*4. de loc. affec.*) præscripsit, qui grandines expellebat, quamuis tādem mortuus. Si per consensum, vt a materia venenosa vel vaporibus venenosis, curatio eiusdem est caussæ abscissio: vt si ab vtero, eidem succurratur. Si a caussis externis, vel ab aere corrupto, amoueantur, excitentur: vinum sorbeant vel aquam cinamomi: si ab internis abscessibus, illi quoque curentur: si a ventositate, resoluatur: si ex gibbo, recurratur ad chirurgiam. Reliquum curationis apud alios auctores longo sermone inuenies.

Asthmatis curatio & orthopnœa.

Observatio XI.

De cruenta sputtione sæpius recurrente.

1 Monachus quidam ex Diui Francisci ordine, iuuenis annum trigesimum agens, sputo cruento quotannis fere, tum destillatione, Alcmariæ afficiebatur. Huic statim, cum eum adiissem, venam internam basilicam tundere iussi: Deinde aluo soluta cum cassia, cui pulueris rhabarbari exiguum adiectum esset boli modo. Etiam per os decoctum herbæ acetosæ, plantag. polygoni, portulacæ cum syrup. ex portulaca commode propinaui. Insuper eclegmata sæpius gustabat ex syrupo myrteo, portulaca, bolo armeno vero & terra sigillata, ac zaccharo penidiarum inspersis, capiti quoque ob destillationem, qua frequenter laborabat, quæque tussim incitabat, cucufa imposita ex mastiche, ros. siccis, sandaraca. Quibus remediis hic probe curatus fuit: quemadmodum & alter Alcmarianus, qui in vere potissimum solitus erat sputo cruento laborare, idq; ex plenitudine quadam.

2 Huic vere incipiente statim sanguinem detraximus, mox & aliis commodis remediis exhibitis, optime conualuit, cui & anno sequenti antequam sputum appareret, vere quoque incipiente, cum sanguis detractus esset, in posterum ab hoc malo præseruatus fuit. At valde cuidam tussienti, cum sputum sanguinis redderet, post venam sectam ad vncias quatuor, imperauimus, vt paulatim lambendo hunc linctum deglutiret, quod egregie profuit: ♃ *conseruæ rosa. antiquæ, electuarii diatrag. frig. an. ℥ j. ß boli arm. veri, loti cum aqua rosa. ℥ ij. amygd. ℥ j. excipiantur cum syr. iuiubino & myrteo, & fiat eclegma.* Multis quibus sputum valde copiose reddebatur, neque medicamina iuuabant, drachma vna philonii Persici cum aqua plantag. & portulacæ ante cibum propinata profuit: vti & ius frigidum decoctorum ziziphorum, in quo candens ferrum exstinctum fuerit: omniaq; actu frigide sumenda.

SCHOLIA.

3 ἁιμοπτοἠ. ἁιμόπτυσις. ἁιματέπτυσις.

Sanguinis excretio quæ a Græcis ἁιμοπτοἠ, & ἁιμόπτυσις, & ἁίματος πτύσις, nũcupatur, a Latinis sanguinis exspuitio, seu reiectatio, seu cruenta spuitio dicitur. Dicũtur enim ἁιμοπτοϊκοὶ, ἀναφορικοὶ Græcis, quasi ἄνω φέροντες, sursum ferẽtes, qui ex inferioribus partibus per os sanguinem reiiciunt. Et sic cum ad tussis genera quædã facile sanguinis sputũ accidit, insuper & ad disrupta tubercula, ideo de hoc affectu quidam post tussim agũt: qui quidem affectus ineuitabilẽ sæpe mortem inducit, non quidem subitam, sed diu misere contabescente corpore. Et quod ad hunc affectum attinet, cum multiplex sit, vt de sanguine profluente e narib. diximus, & cum symptoma sit potissimum in exeremẽtis, cum excernatur id, quod nõ debet, & ea parte, qua non debet, ideo & hæc cruenta spuitio, nõ modo inter alias sanguinis expulsiones, verum etiam inter alios præter naturã affectus difficilior exsistit: nam pessimorum longorumq; morborum magna ex parte caussa redditur, Alexandro *teste capit. primo, libro septimo.* Nam

4 *Quis præter naturam affectus sit cruenta spuitio.*

quęlibet sanguinis eruptio toto genere pręter naturam esse censetur, eo excepto sanguinis fluore, qui mulierib. ab vtero defluit, cum videlicet, modum in quãtitate non excesserit: vt 3. de caus. sympt. Galenus testatur. Nulla enim excretio sanguinis a natura est instituta, excepta ea, quæ per menses fit. Quod si 5. Aphoris. 33. solum profluuium e naribus laudatur, intelligit Galenus comparatione aliorum, quæ ex ore fiunt: quoniam ex eo, aut nulla, aut facile euitabilis noxa adest: neq; quãtum in se est (*vt etiam doctissimus Iacchinus medicus annotauit*) noxam facit, sed fere multitudine excretionis. Sed de sanguinis profluuio narium prius dictum est. At hic affectus (de quo nunc loquimur) ex ore quælibet sanguinis excretio est. Sed rursus sanguis ex ore proflués, de multis partibus euenire potest, vnde & Prognosticon quam maxime euariat & curatio: hinc primum oportet distinguere, quæ sit pars quæ afficitur, & qua sanguis profluit. Partes igitur hæ sunt, iuxta Ga-

5 *Partes affecta ex quib. sanguis per os excernitur.*

len. 4. de loc. affect. (*quem & alii Græci tum Arabes ac Latini sectati sunt:*) nam aut e gula, ventriculo, aut spiritualibus partibus, thorace videlicet, pulmone, seu aspera arteria, aut ex faucib. & gurgulione, vel ex ipso proprio ore, seu ex gingiuis expellitur: per narium etenim communes palati meatus in os descendere potest: secundo a faucium venis: tertio a lingua & gingiuis, *vt lib. 14. Obseruat. ostẽdimus:* quarto ex pectore, vel pulmone, venis, arteriis: vel ab arteria ipsa: quinto e stomacho, qui etiam distinguitur, quoniam vel a liene est, vel a iecore, vel a mesenterio. Vidimus nos & ab vtero mensibus repressis sanguinem per os regurgitasse, vt suo loco sumus dicturi. Illud tamen animaduertẽdum, vt inquit Cælius Aurelianus cap. 9. libro secundo. quod differt fluor sanguinis a sputo. quod neque fluor sanguinis sputus dici potest: paruã enim materiæ significationem sputus refert, fluor plurimæ: neque sputus sanguinis fluor, supradicta ratione: Paruam enim mate-

In quo differt fluor a sputo sanguinis.

riam sanguinis ex gingiuis, aut vena, aut faucibus emissam, sputum magis quam fluorem recte nuncupamus. Differt ergo fluor a sanguinis sputo, ratione plurimæ aut exiguæ quãtitatis sanguinis ac partium diuersarum, ex quibus profluit. Hæc omnia exemplis infra dicẽdis clariora euadent: etiam methodus distinguendi affectam partem illustrior fiet.

6

OBSERVATIO XII.

De cruenta sanguinis floridi spuitione ex vena rupta pulmonis per tussim validam.

Theodoricus de Loey, Regius consiliarius, annum 32. agens, cum apud Haghanos sanguinem floridum valida tussi exspueret, (Nieuenius medicus in curatione assistebat) me atque Cornelium Ericium collegam meum ad consultandum de huius sputi origine vocauit. Ex signis tunc pręsentibus vnanimiter conclusum est, hanc sanguinis spuitionem cum valida tussi originem suam habuisse a vena pulmonis dirupta. Ideo ter sanguis per vices exigua quantitate ex cubiti vena interna detractus est, iuxta Galeni decretum 5. methodi medendi. Verum cum non perpetuo, sed subinde talem reiectionem sanguinis pateretur, imperauimus, vt æstum, soles, ignem, puluerem, thermarum æstuationes, sulphuratas aquas, frigora, niues, septentrionum flatus vel Euri calidiores vnice vitaret: mœrorem præcipue, cum gener eiusdem Adrianus Leydius Pensionarius Delphensis tabe laboraret, in cuius ædibus hanc spuitionem contraxerat. Insuper consuluimus, vt declinaret iras, iurgia, contentiones, clamores ac vigilias, minimeq; purpuram & coccum, ex Galeni sententia, intueretur. Acria quoq; omnia & salsa & amara & supra modum acida in cibis damnauimus: licet & concesserimus moderate vuam acerbam, citrea & mala punica medii saporis. pruna & acria cerasa, similiter & thus Syriacum in condimentis, panem quoque similagineum, oryzam, far, panicum, milium, lentem, fabam & amylum: carnem agninam, vitulinam, veruecinam, hœdinam, omniumque intestina, iecora, pulmones, cerebella, perdices, coturnices, phasianos, attagenes, turtures, turdos, merulas, pauones, pullos, alaudas, & his similia, sed in parua quantitate: nam abstinentia hos iuuat in principio, ne abscessus immineat: præterea & cotonea mala, quemadmodum & pyra & sorbas, & mora admisimus: cum & alii mespila & palmulas, & myrti baccas extollant, & ex hortis portulacam, cucurbitam, endiuiam, lactucam, cichorium sine aceto. Lac item decoctum, exemto butyro, quod & macie confectis prodest: quidam & in eo commode candente ferro vtuntur. Dedimus & caseum recentem (*nam sine sale valde efficax habetur*) & oua sorbilia postea, triticeamq; pultem ex eodem lacte: alii ex vino austero dant, vetulum tamen minime prodest: quibus addunt & vinum rubrum in parua quantitate, modo febris absit, postea admixta aqua ferrata & cœlesti. Valde damnauimus & Venerem & crapulam & famem: somnum autem lon-

7

8

9

tem longiorem concessimus, & vt erecta ceruice dormiret, aut in latus incolume, iussimus. Et ita proba victus ratione huic symptomati congrua præscripta, & adhibitis remediis incrassantib. sanguinem & refrigerantibus, *vt syr. de portulaca, myrtino, ex pap. cum aqua plantag. & vngulæ caballinæ, & decoctis & eclegmate, ex syr. de portulaca, diatrag. frig. & bolo armeno vero, prius repurgato ex ℥ j. cassiæ & ℈ j. rhab pul. in bolo*, bene habere cœpit. rotulis quoque paulatim in ore detentis & deglutitis, in hunc modum præscriptis: *℞ amygd. dulc. tritarum prius repurgatarum, amydi an. ℥ j. ß gummi tragac. ℥ ß. gummi Arabici, boli armeni veri. an. ℥ ß. semin. plantag. portul. pap. albi an ℈ j. pulnerizentur, soluantur cum aqua vngulæ caballinæ, equiseti plant. adiecto Zacch. q. s. fiat confectio solida in rotulis ℥ ij. ponderantibus.* Interim a melle & zacchari vsu nimio abstinere iussimus: nam huius vsum frequentem nocere auctores inuenere. Dedimus in maiori copia conser. rosar. Quibus cum vsus aliquandisper fuisset, quæ sanguinem incrassant, infrigidant ac moderate restringunt, & glutinationem quandam habent, optime habuit. At post aliquot dies id victus genus pertæsus, dum & sorbitiones ex hordeato amygdalato rel nqueret, & liberaliore victu præter nostrum institutum vteretur, & minus conuenienti, rediit sputum cruentum, ita vt omnino relictis nostris remediis alium medicum, alioqui doctissimum, ad se vocauerit, qui cũ Nieuenio (*vt nobis postea relatum est*) disputationem coram ægro iniit, & non venam sed arteriam pulmonis ruptam esse proposuit. Quod si ita res habet, inquit Nieuenius, æger proculdubio moriturus est. Ceterum de venis aut arteriis ruptis, licet copiosior sanguis erumpit atque spumosus, calidior ac reliquo sanguini similior, is clarus ac tenuis reiicitur. At nos aliam differentiam in ipsis deprehendimus: ex arteriis dilucidior subito & leui caussa effertur spumosus, antecedente quodam caliginoso vapore: qui licet in parte externa saliendo videatur exire. Id minus in pulmone cernitur: sed ex pulmonis materia vniuersus sanguis spumosus ex omni parte videtur subrubicundus. Sed cum nostra deinde & Nieuenii remedia relinqueret: sola alterius medici opera vsus est. Verum cum & ille postea parum proficeret, sputo sanguinis sæpe redeunte, eundem quoq; reliquit, & tandem spretis omnium optimorũ medicorum præsidiis, suo more vixit, ita vt tandem in tabem inciderit: tunc demum Amstelrodamum profectus, adiit quendam Empiricum valde famosum apud vulgares in lue Gallica curanda. Nobilibus quibusdam ex curatione cuiusdam Grandii, quem a morbo Gallico restituerat, innotuerat: hunc cõsiliariũ iam tabe confectũ hic curandum receperat, qui sibi (proh dolor) male cõsulens, breui admodũ tẽpore in huius Empirici manib. occubuit.

10

11

SCHOLIA.

12 *Methodus distinguendi affectam partem.*

QVoniam a diuersis partib. sanguis reiicitur, diligẽti methodo pars affecta erit distinguẽda, vt egregie nos admonuit Galenus. Ideo operationes læsas primo cõsiderabimus, si quæ sint, quę sensibiliter lædantur, vt motus praui, cuius sint, exempli gratia, respiratio: num concinna sit, & secundum naturam, an contra se habeat, si enim vitiosa sit, aliquod ex instrumentis illi seruientibus laborare est necessarium, arteriam scilicet vel pulmonem, vel thoracem, vel septum. Postea excrementa spectabimus, atque inprimis excernendi modum, num cum tussi, an sine ea fiat. Qui enim cum tussi fit, ex membris spiritui deseruientibus educi videtur: & ratio est, quoniam vias spiritus ingreditur, & eas occupat, vnde irritatur natura ad propellendum, & hoc signum satisfacit quibusdã, vt Rhasi & Auicennæ, sed signũ est inefficax. Etenim, (*vt Gal. 4. de loc. affect. habet*) is, quia faucibus fit, omnino a capite descendit, tussim facit: id etiam nos in praxi sæpe obseruauimus: vnde plurimi tum vulgares, tum medici frustra sunt perterriti. Idem præceptor meus Benedictus Faventinus cap. proprio nos admonebat ex decreto Galeni, cum sanguis aliquando ex cerebro & gurgulionis partibus internis affatim descendat, & subito gutturi irruens (*quod caput est asperæ arteriæ*) tussim moueat, & deinceps tussiendo per os educatur: quo fit vt sanguis is a spiritali instrumento cũ tussi exeat, nullo disrupto in eo vase, ita vt instrumẽta spirationis primogenia affectione nõ lędãtur, sed solo defluxu materiæ a cerebro ad spirationis vias: ideo diligenter nos adhortatur præceptor meus, vt illud diligenter notemus, cum viderit præstantissimos medicos, hanc eruptionẽ periculosissimam fore pronuntiantes, vt exesa vena in organo spirationis vel pulmone, prædicãt inde phtisin ac mortem, cum tamen altero aduentante die æger sanus euadat, medici iudicio errante, ipsoq; in vulgi fabulã concidente. In contrarium & illi labuntur, qui sanguine a pulmone prodeunte, & cum aliquid sanguinis ad nares regurgitatur, sanitatem promittunt, nõ diu post phthisi subsequente ac morte. Atq; is error peior est priori. Quare hoc vnico præcedente signo iam dicto non erimus contenti, considerabimusque affectionem, num per consensum pars aliqua sit affecta, vt caput, & num ex aliquo loco oris, aut gingiuarũ (*vt antea ostendimus*) simplici exspuitione exspuatur. Quod si quid per nares feratur, clarior res erit: caput vero vel calefactum, vel omnino dolens hoc mittere solet, & quamuis subito ex gurgulione in pectus irruere possit, vt nunc diximus, verum ex dicendis patebit, qua via id interstingui valeat, quãuis nonnunquã etiã accidat, vt plurib. ex ordine diebus (*quemadmodum & antea meminimus*) quispiam sanguinẽ exscreet & emungat, idq; citra capitis vel dolorẽ vel grauitatẽ præsentẽ, siue præteritam, neq; aliquo præcedente ictu, propter deuoratã hirudinem, in ea oris parte adhærentẽ, qua ad nares foramẽ tendit. Quare hanc partẽ, & totũ per nares meatũ accurate, & sæpius considerare oportet: præterita quoque semper interrogando: namq; ex his rei ipsius veritatem facile coniicies: eadem ratione ex ventriculo quoq;, epota hirudine, cruor euomitur: verum is siue ex ventriculo, siue ex naribus, siue ex ore feratur, te-

13

14 *Ex hirudine.*

nuis erit, sanieiq; speciem referet, eodem Galeno teste. Ceterum si per consensum in pectus sanguis prolabatur, sicuti intuenti ad solem hirudo affixa faucib. inspicitur, vt & sanguinoletæ fauces & gurgulio, si inde excidat: sed & tussis leuissima erit: solum enim leuis quædã gutturis proritatio est: motus vero excernẽs screatus: cognoscimus aũt, non posse ex tussi adeo leui quippiam expectore educi. Quod si sine tussi, vt screatu, vel vomitu, statim certo scimus, ex pulmone aut pectore non esse, & ita arguere negatiue est validius. Distinguere igitur, num ex faucib. an ex pectore eueniat, coniectura certa nõ est: ideo sæpe medicos inter se certare videas, vt Iacchinus referebat. Verũ idẽ mox addit: Sed ex multis præcedentibus coniicitur, pter operum læsionem, quam diximus, puta ex affectibus capitis, partium oris & pulmonis vel pectoris, neque enim subito ex his fertur sine aperta caussa. Ceterum ex faucibus & gurgulione (*vt libro præcedẽte ostendimus*) screatu effertur: vel ipsis primario affectis, aut per cõsensum a cerebro sanguine ad ipsas partes contingit. Verum si a capite (*vt & Donatus ex Galeno annotauit*) descẽdat, pter id, q screatu, seu tussi interim iniicitur, aderit ipsius palati titillatio, ac frequens exscreatio, irritantur ægri ad tussim, licet non valde tussiãt: præsertim vbi quippiam subito gutturi irruat: aderitque capitis grauitas, aut calor, aut frigiditas, aut dolor. Ex dolore vero sedes affecta dignoscitur, vt circa fauces & guttur: dolor, pruritus, titillatio, si ex partibus capitis aderit & aurium sonitus, faciei rubor, venæ frontis emicant, vertiginesque accedunt, præcessitque nimius capitis ictus, frigiditas vel calor, seu ebrietas, interim consueta per nares sanguinis excretio cohibita. At si absque his cum screatu sanguis educatur, faucesque seu gurgulionẽ sanguinolenta inspexeris, atq; veluti exulcerata, eas partes per se affectas esse non dubitabis: de quibus & antea diximus, de gingiuis sanguifluis, veluti si simplici exspuitione sanguis expellatur, ex ore seu gingiuis profluit, vt recensuimus, nec minus sensus diiudicat. Interim vero accidit, vt a capite per gulam, seu stomachum sanguis in ventrem defluat, vomituq; reiiciatur. Verũ præter id, quod cuncta iam dicta capitis symptomata præcedũt, sanguis hic leuis, æqualis, atq; immixtus erit, nec adeo crassus, & colore nigro, & cũ exscreatione statim se in linguã infert, rotundus, facileq; reiicitur per sputũ. Sed de aliis partibus ad ventriculũ facilis, & certa est agnitio. Nihil enim sine vomitu ex eo ferri potest. Si enim e stomacho eductio fiat, præterquã q vomitione excernitur, non magna erit sanguinis eruptio, graciles etenim sunt stomachi venæ, vt inquit Aetius, & cũ nausea quoque sanguis effertur, ac in deglutiẽdo mordacitas percipitur, maxime si adstringentia aut acria deglutiantur. Si vero ex ventriculo educatur, nauseæ plurimę comitantur & vomitus: & si a cibo sumto eductio cõtingat, sanguis cibis permistus, aliquãdo etiam pituita & bile efferetur, ac si hepate vel splene sanguis in ventrẽ deferatur, & ex eo demũ vomitione expellatur: in alterutro viscere aderit tumor, ac dolor, ipseq; sãguis grumosus, ac niger erit, & magis si a splene, ac si ex pectore, ibi dolor aliquis erit. His ita spiritalia instrumenta (*vt paulo ante diximus*) distinguimus, sed adhuc certi non sumus (*vt recte dicebat Iacchinus*) quænam pars laboret ex his. Quod igitur ad actiones attinet, exigua nota & obscura haberi potest, clarior vero ex excrementis: primum ex modo. Nam tussis minor multo ex aspera arteria; vehemens & diutina, ex pectore, medio modo quę ex pulmone; semper enim e longinquiore spatio motus quoq; diuturnior est si eadem facultas moueat, maior etiam vis; quoniam per angustiores vias pertransire debet, extremas scilicet bronchiorum scissuras. Deinde ex qualitate eorum. Nam spumosus sanguis efficax coniectura est, q ex pulmone proueniat, & est signũ Hipp. *5. Apho. 13.* Ibi vero Galenus ait, non esse signũ pulmonis absolute: Nam sæpe, inquit, eductus est e pulmone, ob externas caussas irrumpentes, bene coloratus & plurimus sanguis: vnde eũ e vase rupto educi est verisimile: sed significat, inquit, esse vlceratã verã pulmonis carnẽ. Et quidẽ in animalib. dissectis apparet, incidẽti eius substantiã, eiusmodi sanguis emanare spumæ similis, id est, bullis exiguis plenus, & albicans ex rubro. *At 4. de loc. affec.* dicit Galenus efficax esse signum: Ceterũ esse efficax signũ est (*vt sentit Iacchinus*) si ex spuma de pulmone arguamus, sed nõ negatiue: quoniam a vasis pulmonis spumeus non educitur. Aliud vero ex colore sumitur, qui tamen obseruari debet, cum in præsenti educitur astante medico. Etenim, qui ex pulmonis vasis, bene coloratus est, inquit, *Galenus 5. aphoris.* quo verbo & spumeum excludit & pectoris: spumeus enim bene coloratus non est, quoniam albicat: qui vero pectoris, bene coloratus non est, quoniam nigricat: At qui in pulmone, egregie sanguinis naturam refert, quoniam est maxime elaboratus, & florentem illam purpuram repræsentat: tali enim sanguine nutritur, *vt 5. de vsu par. habetur.* Præterea sanguinem a pectore latam, necesse est liuidum exspui, & admodum alteratum, quod a longinquis aduenit: etenim & extra vasa fertur, & in bronchiis diu manet, vnde & trumbosus fit, & color mutatur. Ille vero tenuis, & floridus, quod cito educitur, & tali secundum naturam colore est. Attamen iuxta Iacchinum, dubitatur primo, num ex spumeo sanguine efficacissime significemus pulmonis vlcera, quoniam Auicenna dicit, etiam ex pectore talem educi, & ex arteria: vnde multum laborant expositores: sed reuera nisi iungatur aliquando pituitosum sputum, non repræsentat spumam, neque vndique quasi spuma quædam visitur: magis tamen ex calore & colore distinguitur, *vt Galenus quinto meth. & ratio dictat.* Propterea quod e vicinis vasis egreditur. Dubitãt & de thrombis, & fabulantur multa. Etenim non cogulatur, nisi in bronchiis, vt quærendum non sit, quomodo coagulatus subeat poros pulmonis. Ad excernendi etiam modum attinet considerare, num facile vel difficile, sic enim coniicimus ex pectore, vel pulmone: vt si confertim fluat,

15 *Tussis præcipue consideranda in sanguinis sputo.*

16 *Ex faucibus & gurgulione.*

A Capite.

17 *Ex ore sanguinis.*

Ex stomacho.

18 *Ex ventriculo.*

Spiritualia membra affecta quomodo distinguenda.

19

20

21

fluat, ex pulmone potius: contra ex pectore, mox ex doloribus, exiguus in pulmone est, aliquando nullus, vbi caro eius interna afficitur. In pectore dolor adest ob mēbranosam & musculosam substantiam. Sed huc vsq; concludimus, excludentes pectus: sed num ex arteria, vel pulmone? Signum primum erit ex modo excernendi; nam exiguus est, qui ab arteria & leui tussi educitur. Secundo ex doloris situ. Ex spiritalibus itaq; partibus, licet tussi eiiciatur sanguis, inuestigandū tñ erit, num ex thorace, pulmone aut aspera arteria eductio fiat: namq; si thorax affectus erit, neq; multus, neque ruber sanguis erit, sed nigricās ac grumosus, ac minus calens, ceu e longinquo veniens. Dolores insuper circa eum intensiores sunt, cum ad ipsum multi aduenient nerui, quibus facile dolores percipi possunt: musculis præterea ossibusq; thorax abundat, vt inquit Gale. Interim sanguis, qui ex thorace effertur, fœtidū odorem de se prębet, & aliquando pure admistus est. Si vero spumās & subalbidus, floridus, feruēs, confertim, multusq; citra dolorem (*vt Cypriano medico collegæ nostro, qui postea ad tabem deuenit & mortē*) aut eo multo remissiore existente, cum tussi sanguis reiiciatur, pulmonē affectū esse notū est, ex eiusdem Galeni sententia, *tum 4. de loc. affect. tum 5. meth. medendi.* Est namq; pulmo laxus & ab affectione tutus, a 6. duntaxat neruorum cerebri coniugatione duos per q̄ tenues neruos per eius membranā dispersos excipiens, qui haudquaquam per visceris profunditatem extenduntur. At si paucus sit, qui cū tussi sanguis effertur, ægriq; doloris sensum iuxta aliquam arteriæ partem percipiant, sitq; sanguis sic quodammodo pure permistus, aderitq; etiam paucitas sputi, ac tussis nō valida, aspera arteria affecta erit. Hæc prius consideranda, antequam curationem instituamus. Quæ, inquam, omnia clariora euadent exemplis infra dicendis.

22 Si ex spiritalib. partibus. Signa ex thorace.

Ex pulmone.

23

Ex aspera arteriæ.

Observatio XIII.

De sputo sanguinis ex compressione & vena rupta in thorace.

1

Tribus modis, vt iam alias diximus, e vasis sanguis profluit, aut eorum osculo aperto, aut ipsis ruptis, aut erosis. Quod si ex vasorum ruptura fiat, ex multi sanguinis fluxione ac confertim facta deprehendimus; idq; ab externis vel internis caussis: vt si quis ex alto, vel in ludo, vel certamine ceciderit: aut cum alter super alterum cadit, vel ex inanimatis corporib. aliquod graue, vel lapis vel lignum hominem offenderit; item cū ira cum exclamatione pręcessit; citharœdis quoq; ac tragœdis certantibus acuta vehementiq; voce vasa interdum rumpuntur, vbi vehementer clamare conantur, nō præmissa pulmonis lenitione per præcedentes exclamationes, vt testatur Galenus. Et quod ad caussas externas attinet, quarum nunc vnum exemplū adferemus, facile ex iis, quæ præcesserunt, & sermonibus ægri percipiūtur. Sic anno 1566. mense Maio cum currum regeret Leonhardus Nicolaus Delphagius rusticus, equis concitatis, ex curru excussus est, atq; intra murū circa thoracem compressus, vt duæ costæ quasi confractæ ac compressæ fuerint, sputo sanguinis subsequente, eoq; nigricante satisq; grumoso & minus calente, vt quilibet facile conicere posset in thorace venam aliquam ruptam esse, tussi valida etiam superueniente. Chirurgus hanc primo tractabat. Verum cum circa tertium diem dolor ingens thoracē occuparet, & tussis satis valida esset, minusq; sanguinē cum sputo redderet, neq; venę sectio facta esset, neq; vllū medicamentū exhibitum, & iam tertius dies esset, quod aluū non deposuisset, libenter clysterem iniecissem, & in eo statim venam secuissem, cum nunc prius ad illum accitus essem: quamuis id ab initio prius factum oportuerit. Clysterē noluit admittere. Ideo vt dimidium huius potionis statim a meridie, (cum eo tempore vocatus essem) sumeret, mandaui. ℞. *cauliū rubr. saniculæ artemisiæ, vngulæ, caball. garyophyllatæ, an. m. j. capill. Ven. polytrichi, hordei mundat. an. m. ß. sem. 4. frig. maior. seminis nigellæ, an. ℈ ij. folior. senæ ℥ ß. rhabarb. selecti ʒ j. schœnanthi ℈ j. vuar. passul. enucl. ℥ j. liquiritiæ rasæ ℥ ß. bulliant in aqua communi pro ℥ vij. huius fortiss. express. dimidiū capias, in quo dissolue elect. lenit. diacathol. an. ʒ j. mumiæ ℈ j. syrup. ex infus. ros. oxymellis simplicis* (ne sanguis in pectore gromosus fieret) *an ℥ ß. misc.* Fuit autem exhibitum statim a meridie; multaque excrementa putida & male olentia, instar sanguinis concreti, deieci; dolore thoracis nonnihil sedato. Mane tamen (ne febris subsequeretur, & propter sputum cruētum) secta fuit vena ex vena basilica in brachio, e regione costarum dolentium. Si in principio aduocatus fuissem, statim post venæ sectionem, id quod sequitur ded issem, ℞. *mumiæ ℈ j. rhab. torrefacti, boli armen. spodii, terræ sigill. an. ℈ ß. syrup. cydon. ʒ ß aquæ plantag. quer ß. misc.* hanc potionem commendat vnice Guainerius cap. proprio in sputo sanguinis ex casu, offensione vel percussione. Ceterū die subsequenti cum dolor adhuc in pectore hæreret, reliquū potionis sumsit, ʒ ij. *senæ adiectis, & expressioni syrup. capill. ven. ad ℥ j. immixto,* & ter plurima excreuit, & dolor sedatus est, sputo sanguinis cessante. Post inunctionem prius olei ros. & myrtei, postea & olei hypericonis, chamomillæ, costis in fine adhibuit chirurgus oxycroceum: & bene habuit.

2

3

Scholia.

Haud noui (inquit Alexander Trallianus) an alius æque difficilis sit affectus, ac sanguinis exscreatio. Non enim ipsa per se, dum immoderatam vacuationē inducit, vitam adimere consueuit; sed pessimorū longorumq; morborum magna ex parte caussa redditur. Quare incumbendum est, vt vitium hoc prius internoscamus, vnde caussam traxerit, & quo in loco inciderit: atque ita curationem tentemus, neq; eam differamus. Quippe mora & dilatio cum in omnibus morbis nociua sit, tū vero magis in sanguinis eductione plurimum nocet. Scire hic ante omnia conuenit, sanguinis reiectionem tribus de caussis palam excitari, vasorum ruptura (aliqui ρηγ μοχασμον Grece appellant) cuius nunc exemplum posuimus, aut erosione (Græci διάβρωσιν vocant) vel cum

4 Sanguinis reiectio.

ora reserantur (Græci nominant ἀναστόμωσιν) vel cum sanguis raritate sua transcolatur sudoris instar (Græci διαπήδησιν dicunt) vt etiam antea de sanguinis narium profluuio annotatum est. Ruptura itaq; vasorum vel in pectore, vel in pulmone facile cognoscitur, vt nunc exemplo ostendimus, ex aliqua caussa primaria seu externa præcedente, casu, ictu vehemēti, aut si pondus aliquod graue æger sustinuerit: aut etiam a caussa interna, quā nunc hic addemus, ab ingenti frigore, in quo æger versatus fuerit, aut ex plenitudine sanguinis, aut ex flatibus distendentibus. Potest enim (*teste Galen. 4. de loc. affect.*) nulla ex prænarratis manifesta extrinsecus adueniente caussa, vas aliquod, tum in ceteris corporis particulis, tum in pulmone disrumpi, ob sanguinis abundantiam, vel per se, vel vna cum crudo & frigido & flatuoso spiritu venas extendente, cum videlicet vas ipsum extensioni resistit, aut ob frigus a vicinis partibus contractum, aut ob innatam intemperiem, quemadmodum & ipsa aqua frigida, Hippocratis auctoritate venas frangit. *24. Aph. lib. 5.* verum non per se (vt docte etiam annotauit Altomarus) ruptiones facit, sed quia venarum tunicas frigiditate sua duras, & extendi contumaces reddit, & vt rumpantur paratiores efficit. Erit igitur ruptionis caussa, aut externa, vt quiuis vehemēs motus, aut humorum abundantia, seu sanguinis copia, vt diximus: vtrisq; vero cōmune exsistit sanguinis effusio repente. At quæ sanguinis reiectiones exeso vase eueniunt, diabrosin Græci vocant: Primū sane (*inquit idem Trallian.*) inde cognosces, quod exscreationes paucæ fiant: deinde cum vasa magis exeduntur, multæ simul vacuentur: postea vero & quod præcesserit, aut destillatio aut salsorum, & valde acrium esus, aut tristitia immoderata aut inedia. Idem Paul⁹ ait, quod præcedat acriū prauorumq; ciborū vsus, vel inedia. Quod si etiam (*inquit Trallian.*) cum sanguine carnosæ quædā particulæ siue membranosæ permixtę appareāt, sine dubio sanguinis reiectionē particulis, quæ respirationi inseruiunt, exesis fieri existimandum est. Exeso itaq; vase sputa cruēta non confertim, sed paulatim per interualla reiiciuntur. Solent enim, teste Galeno, præcedere sanguinis exspuitionem exigua sputa, atq; acres in pulmonem a capite fluxiones, si ab eo sanguis profluat: temporis vero diuturnitate, multi sanguinis inter tussiendū eruptio fit, *vt 5. meth. & 4. de loc. affect.* & potissimū si nulla præcesserit ex p̄narratis externa caussa: quocirca diligenter considerare oportet, num quippiam spumosum simul educatur: id enim efficacissimū erit indiciū, quod propriū pulmonis parenchyma fuerit exulceratū, haud sec⁹ ac si bronchi pars quædam aut arterię, aut venæ tunica eiiciatur, eędem ipsius pulmonis partes exesæ erunt, quemadmodū *aph. 12. lib. 5. & prædicto 4. lib. de loc. aff.* scripsit Gal. Sin aūt ore vasis adaperto sanguinis exspuitio venerit, primum sane inde notatur (inquit Trall. & Galen. ante illum quoq; meminit, vti etiam Paulus postea) quod nihil eorū, de quib. prius dictū est, pręcesserit, sed potius calidioris humidiorisq; victus, & frequentium balneorum abusus: item ex eo quod æger in calidioribus ędificiis pręter consuetudinem, aut loco calidiore imoratus fuerit. Nam si horum prædictorum aliquod adfuerit, sputūq; sanguinis modicū & paulatim fiat, sanguinis cursum patefacto vasorum ore accidisse cognoscitur. Hac igitur ratione caussam, vnde sanguinis eductio initium traxerit, internoscere potueris: locum vero vnde profluit, iam satis scholio p̄cedente enarrauimus. Quod si plura de caussis & signis desideres, perlege caput proprium præceptoris mei Benedicti Fauentini in magna sua Praxi. Nunc aliud exemplum interponamus, vt ita meli⁹ quid certi de hoc malo minime contemnendo prædicere possimus, antequam curationem vniuscuiusq; absoluamus.

5 *Si ex vasorū ruptura fiat, signa & caussa.*

6

Sanguis ex exeso vase erumpens.

7

Si ex vasorū reseratione fiat signa & caussa.

8

Observatio XIV.

De spuitione cruenta ex acri catarrho, pulmonis vasa, deinde & substantiam erodente, cui in fine etiam bronchia asperæ arteriæ in peluim eiiciebantur.

1 Iuuenis Alcmarianus supra annos triginta natus, cum ex destillatione acri erodente vasa pulmonis, longa spuitione cruenta laborasset, & variis vsus esset medicis, in fine etiam me vocauit, cum bronchia asperæ arteriæ vna cum sputo cruento in peluim reiiceret; aliquando particulas substantiæ pulmonis corruptas. Cui mortem prædixi: nam cum ad eum venissem, vix per octo dies superuixit.

Scholia.

2 Recte dixit Galen. *lib. 4. de loc. affect. cap. 6.* ob auctam erosionem sæpe plurimum sanguinem inter tussiendum fuisse reiectum: atque non pauci sic affecti pulmonis quasdam particulas simul cum sanguine eiecerunt. Quocirca diligenter considerari oportet, an spumosum quippiam educatur: Id enim efficacissimum fuerit indiciū, quod ex pulmone facta sit excretio. Haud secus si branchi pars quædam, aut arteriæ, aut venæ tunica, aut etiam pulmonis ipsius caruncula eiicitur. Quæ cum viderem, mortem prædixi, præter id, quod reiectioni sanguinis vlcera pulmonis superuenire solent ac consueuerunt, vt idem eodem loco dicebat Galenus, quæ etiam plerumq; & per se lethalia sunt. Scribit Dodonæus pictori cuidam, cum valida tussi non ex vase aliquo rupto aut ex pulmonis vlcere; sed ab ipsa pulmonis substantia ac parenchymate sanguinem nigrū adeo spumosum esse reiectum, vt concretus & vndequaque porosus spongiam aut pumicem referre videretur: in quo reperta fuit pulmonis pars nigricans & sphacelo corrupta, in qua magnus & profundus sinus. Et ichthyopolam quoque, tum ceruisiæ coctorem, eundem sanguinem exspuisse narrat, atque pulmonem eodem affectu corruptum fuisse: pictoremq; plus quam mensem superuixisse; ceruisiæ coctorem bis euasisse, sed in tertia exspuitione subito periisse; veluti & ichthyopola, qui & in sanguinis sputo defecit. De huiuscemodi sanguinis sputo sensisse videtur *Hippocrates Aphorismor. 13. libr. 5.* Quicunq; ait, spumo-

Branchos.

3 *Cap. 24. Obseru. med. apud Rembertum Dodonæum.*

spumosum sanguinem exspuunt, iis e pulmone eductio fit. Nam qui ex vase disrupto, aut vlcere profunditur, haud quaquam spumosus apparet. 4 Fatetur Galenus in commentariis se sæpius vidisse sanguinem plurimum bene coloratum exspui, quem ratio, ait, dictat ex aliquo pulmonis vase prodire. Sed hunc spumosum fuisse non addit. Spumosus sanguis, vel, *vt Hippocrates ἀφρῶδες αἷμα*, naturam ac figuram eius retinet, vnde abscessit. Pulmonis substantia laxa, rara & porosa est; talis & sanguis, quē cum tussi profusum scripsimus: cui parenchymatis partem coniūctam & comixtam fuisse apparet. Hæc Dodonæus. At iuuenis noster etiam vlcus in pulmone habebat, etiā brōchos exulceratos, quas cum tussi & pure & subinde sanguine admixto reddebat, & nō diu post superuiuebat. Considerare igitur oportet, ex qua caussa sanguinis fiat reiectatio, & qualiscumq; fuerit affectus, vt eiusdem curationem statim aggrediamur, propter iminens (vt Paulus admonebat) ex immodica euacuatione, periculū: siquidē copiose euacuatus sanguis, quemadmodū in his, qui iugulantur, mortē infert præsentaneā: si affectus remanet, in tabē transire minatur.

Prognostica.

5 Ceterum prognostica signa, primū secundum Galenū, & alios recte ex natura affectus distinguem⁹: erosio enim grauius malū est, quoniam minus glutinationem suscipit: est enim necessarium cauum vlcus esse ac sordidum, quod erosum est; aliqua enim tunc carnosa portio, tum membrosa periit. Namq; sanguinis euacuatio *(Paulo teste)* quæ fit ex scissis vasorum tunicis, nunq̄ commode cadit, facitq; valetudini, etiamsi ex pulmone non fiat; etenim grauissime nocet, vt Celsus dicebat. Simpliciter vero affectus resudationis minus est periculosus: nam astringentibus facile sistitur, Gale. auctore. 5. method. Et huic in salubritate proximus est affectus apertionis: nam vacuato multo humore sistitur: quamuis sæpe multitudine lędere possit, & etiam, quod non conuenienti regione vacuatur a natura. Aggregari enim & vacuari per eas partes commodum non est: tum ob tussim, quę necessario sequitur, tum ob partem, quæ facile afficitur, si mala qualitate aliqua sanguis sit præditus. At diuisio continui ex aliis caussis mediam naturā obtinet: nec enim periculosa est, vt erosio, nec secura adeo, vt apertio, & exsudatio: Simpliciter tamē periculosus admodum est morbus; quoniam Galeno teste, non facile glutinatur vulnus in his partibus, ob perpetuum motum. 6 Quod si vulnus iam inflammationem senserit: vnde & pus contraxerit, tunc multis modis periculum augetur: nam expurgari pus oportet, idque tussi, vnde & continue vulnus dilaceratur motu illo violento: ideo, inquit, exigua spes salutis est. At in cruento vulnere spes est aliqua sanitatis: ex sede quoq; affecta secundo magnitudinem periculi conijcimus. Ex pectore enim minus periculosum profluuium, vt *Galenus affirmauit*: primum quod venarum vulnus, quod paruæ sint, facile coalescit: neque enim impedit sanguinis copia: quod si non sanatur primum, vt dicebat Iacchinus, sed vlcus faciat; at hoc periculum non adfert, vt vlcus pulmonis. Nam & magna quoque pectoris vlcera sanantur, & restituitur caro, vt nos multis exēplis vidimus: Vlcera vero arteriæ ob siccitatem facile sanantur: plurimum enim ex erosione fiunt. At erosio sanatur, vbi putredo facile sistitur. Sistitur vero facile, vbi siccum præualet, ideo *5. method.* eiusmodi partis vlcera sanari ait. Hic autem cum bronchia tussi redderet æger, tabe obiit; vbi vero iam phlegmonem contraxit vulnus, coniectura est ex tempore, primum, ex quo laborauit, mox ex febre, quæ necessario ad phlegmonem sequitur, ob visceris calorem & cordis vicinitatem, prȩsertim si pulmo sit. Demum & quod sanguis paucus, non florens, saniebus admistus effluit, vtpote qui iam putrescere incipiat. 7 Hinc Hippocrates dicebat *Aph. 15. lib. 7.* a sanguinis sputo, puris sputum malum esse: nam purulentum sputum (*vt Galen. in commen. refert*) non omne sputum sanguinis sequitur, sed quod malignum exsistit: tale autem omnino est ex pulmone, ex quo proueniente sanguinis reiectatione, ea quæ intra tres dies nō curatur, phlegmone deinde adueniente, omnino incurabilis affectio erit, potissimum si ex erosione ortū ducat, *eodem Galeno teste 5. method.* Ideo difficilis est iudicanda curatio eorum, quibus a pulmone sanguis profluit, ex Sorano, nō impossibilis omnino: hoc intelligendum esse puto, quod statim curetur nō subsequente phlegmone. Veluti rursus cuilibet patere poterit, sanguinem ex ore & gingiuis profluentē e ceteris minimum periculosum esse, quēadmodum si ex faucibus, interioribusq; partibus processerit, & metus maior est, & cura maior adhibenda, Celso etiā auctore: at si ex thorace sanguis profluat (vt iam dictum est) minoris est periculi, quam ex pulmone, *vt edocti sumus 5. meth. & 4. de loc. affect. ex Gal.* 8 Quo fit (*vt etiam Celsus testabatur*) quod modo minus, modo plus periculi habet sanguinis exspuitio: etenim ex capite veniēs fluor generaliter est curatu facilimus: ex stomacho vel vētre aut faucibus, curabiles fluores approbat vlceratione factos curatione difficiles: ita & grauior atq; difficilior, qui ex pulmone fluit, ob iuge spirationis officium; vt videre quoq; licet apud *Cælium Aurelianum, lib. 2. cap. 12.* Cur vero a 18. anno vsq; in 35. vasa pectoris & pulmonis rumpantur & sanguinem fundant, vide ad longum Benedict. Fauentinum præceptorem meum de signis prog. hæmoptoicæ passionis: qui hanc caussam tum alios aphorismos ad sputi sanguinis reiectationem pertinentes, longo sermone explicat.

OBSERVATIO XV.

De quibusdam ex casu, sputo cruento laborantibus & curatis.

1 SIMON monachus, portæ Egmondanæ Abbatiæ custos, qui a vulgarib. Griseus abbas vocabatur, eo quod Abbatem quasi regere dicebatur, ex curru equis concitatis prolapsus, rota per totū pectus circumducta, animam quasi agere videbatur, sanguinē ex pectore extussiens. Medicus, qui primo accitus erat, venæ sectionem prætermisit: interpositis aliquot diebus, cum & ego accitus

essem, venam libenter aperuissem, sed quia valde debilis erat, neq; venæ sectionem admittere volebat, mumiæ & spermatis ceti, an. ʒß. cum cereuisia butyracea propinaui, pectore inũcto oleo rosaceo & myrteo, puluere myrtillorũ asperso, vti & Amatus fecit in D. Alphonso Alecastrensi, supremo apud Iuliũ Pontificem Maximum oratore grauissimo, qui intra domũ, quæ trans Tiberim habitabat, ex equo calcitrone ceciderat, ex casu in costis versus spinam dolebat: quem locum, etsi nullus in eo appareret tumor, aut liuiditas nigritiesue; ex oleo myrtino, adiectis pulueribus myrtil. & ros. inungi fecit, ac fascia optime fasciari: sequenti vero die, simili modo, quum circa eundem locum doleret, internam eiusdem lateris, vbi erat dolor, aperire fecit venam, & ex ea sanguinis vncias quinq; fluere permisit; a qua sanguinis missione paulatim conualescere cœpit, donec integram consecutus est sanitatem. Sic iuueni Leonhardi Cornelii cereuisiarij filio euenit, qui cum ebrius currũ regeret, pede a temone gliscente, a curru prolapsus est, vtraque rota per ventrem ac pectus circũuoluta; ita vt in domum semimortuus deportaretur. Ad eundem cum nocte accitus essem, in ventre inferiore potissimũ dolebat, & in hypochondrio dextro: sanguinem extussiebat, qui proculdubio ex pectore prodibat. Ilico post casum biliosa vomuit: & ab assumta ptisana, quam præbuerã, & cibum crudum, vt ebrius, & potum quoq; euomuit. Locum dolentem inunximus oleo rosaceo, cum neque liuor exterius, aut quid luxatum appareret. Mumiam & sperma ceti cũ ebibisset, non retinuit. At mane crapula edormita, & experrectus ad se rediit. Venam brachii dextri internam secari fecimus ad vncias quinq; sanguine extracto; & egregie profuit. Venit mihi tunc in mentem ægrotus ille apud Galenum, qui in palæstra graui plaga accepta, fere duas cotylas sanguinis exspuit, qui statim secta vena & adhibitis istis remediis conualuit, & in posterum superuixit. Verũ cum noster hic iuuenis etiam in ventre doleret, cõmode post venæ sectionẽ enema iniicere mãdauimus: aliisque remediis aptis, etiam per os sumtis, hic, vt etiam monachus præcedens, curatus fuit. Quemadmodum & alius rusticus diues, Ysbrandus Paingius dictus, años supra 56. natus, vir robustus: qui cũ in pago Limensi dicto, non procul ab Alcmaria fœnũ in horreũ seu granaria, spicas cum aristis conderet, e scala prærupta cecidit supra pectus, & collisus syncopẽ incurrebat, quẽ omnes moriturũ putabant. Ingenti dolore eum circa pectus afficeretur, & sanguinem exspueret, ad eum accitus: ilico hoc quod sequitur exhibui, *℞. mumiæ, spermatis ceti, an. ʒß. decoct. pectoral. ℥ iij. mellis rosar. oxymell. simplicis, an. ʒß pauco adiecto butyro.* quam potionẽ cum retineret, vena quoque statim secta fuit in brachio: pectusq; inunctum *oleo ros. & myrteo,* & alia commoda remedia adhibita, & hic pristinæ sanitati fuit restitutus: vti & Vincentius monachus apud regulares Alcmarianos portæ custos, qui similiter ex scala in pectus ceciderat, & sputione cruenta afficeretur, post sectam venam, puluere quoque adhibito ex mumia & rhabarbaro, quo Guainerius vtebatur. Elideus præceptor meus Bononiæ sequentem puluerem dabat cum decoctione pullæ nigræ in sanguine coagulato a casu aut percussione, vt vidimus. *℞. mumiæ, rhabarb. selecti, an. ʒ j. rub. tinctor. ℈ j. misc.* sæpe enim obseruatione conspeximus periculosa signa in sanguine conglobato in pectore aut pulmone hærente, cum extrema frigore corriperentur, & venarum pulsus interciperetur, anhelitusq; creber fieret, anima exitialiter deficiente. Nec mirũ hoc alicui videri debet, quod humor naturæ familiarissimus, tam subito effusus speciem veneni gerat. Ideo in sputo sanguinis, siue ex casu, concussione, collapsione aut vulnere, aut etiam alio modo oriatur, quatuor semper timenda sunt: primum, ne nimis superfluat, secundum, ne sui multitudine subito suffocet: tertium, ne in aliqua parte coaguletur: quod maxime obseruandum est, si ex percussione fiat: Quartũ, ne sequatur vlcus propter ipsius sanguinis constrictionẽ & putrefactionem, aut quia vulnus non consolidatũ, fiat vlcus. Sed quia hæc etiam ad chirurgiam pertinẽt, de iis latius suo loco dicemus: quamquam hæc exempla hic potius ponere libuit, cum omnes isti prædicti etiam sputo sanguinis laborarent, & recte curati fuerint.

SCHOLIA.

Cum vero ad profluuium sanguinis factum & ad cruentam exspuitionem accesserimus, & iam certi simus de affectu, quem varium esse diximus, atq; diuersam caussam habere, non vnam & eandem curationem postulat, neq; vnam victus rationem, sed quodãmodo diuersam: Nam aliter curatur sputum cruentum ex disruptione, cuius nunc exempla posuimus, aliter vero ex apertione vel reseratione vasorum: aliam quoq; curationem exigit erosio, de qua vltimo dicemus; cum priores duo affectus communem, quasi victus rationem desiderent, de qua pauca quædam adferemus. Aer itaq; frigidus, & ad siccum parũ vergens confert, calidus & humidus declinandus: qua ratione & austrini flatus vitandi. Æstate ad frigidum inclinet, hyeme vel sinere vel temperatum eligere oportet: calidum enim qualecunq; fuerit, sanguinem fluere facit, *Aphor. 18. lib 5.* Potius in obscuro loco degant ægri, & res atras inspiciant & fusco colore: lædit enim purpuræ aspectus, præsertim splẽdidæ. Somnus moderatus hic locũ habet, præsertim nocturnus, diurnus vero fugiẽdus: caputque cubantis in sublime tẽdat, præsertim, si ex spiritalibus sanguis profluat, neq; conclaue calidum & inclusum exsistat, aut mobile. Motus vero omnis interdicatur: non loquãtur, respirationem cohibeant quantũ possunt, quanto magis tussim? nisi vbi pectus expurgare opus sit. His enim magnopere cõuenit quies, securitas, ac silentiũ, Celso teste. Idem & *Gal. 5. methodi medendi* vult, vt motum ac exercitium, præsertim vbi ex spiritalibus sanguis profluxerit, declinent, atq; vt magnam ac frequentem respirationem vitent, imo sensim respirent, semperq; silentium agant, ac reliquam omnem quietem eligant. Animi affectus immodicos omni-

Victus ratio

cos omnino fugiant, iram pręsertim, pariter & Venerem. Nam omnes animæ vehementes motus nocent, quum & sanguinem & spiritus moueant, quæ conuenit esse immota. Quare (vt paulo ante diximus) somnus iuuat, ideo aliquando est prouocandus: non tamē ita, vt altè diu dormiant, ob sanguinis coagulationem in bronchiis, vnde postea non nisi multa tussi educatur. Alui quoq; excrementa quotidie natura aut arte, clysteribus præsertim lenibus, excernantur. Quod ad cibum potionemq; attinet, eligendi sunt, qui emplasticam vim habeant & refrigerent, eodem Galeno auctore. Atq; si valentior sit ęger, omne fere nutrimentum circumcidendum erit; sin aliter, sorbitionis, quod satis est exhibēdum, potissimum vbi pulmonis vas fuerit diruptum. Sit autem (inquit Alexand. Trallianus) omnis cibus, qui & leuiter adstringat, & mediocrem vim obturandi habeat. Cremor igitur alicæ aut ptisanæ his est idoneus. Longe autem melior, valentiorq; erit sorbitio, si amyli frumentacei, & mali cotonei paulum cremoribus simul incoquas. Hoc namq; & obturabit magis, & leuiter astringere poterit: quod etiam maxime in iis requiremus, qui ob rupturam vasorum exspuunt. Inopia vero ptisanæ, etiam eo vtantur, qui apud Romanos vocatur farris cremor, vel eo, qui ex similagine ipsa valenter decocta factus est. Item micæ panis tepida aqua imbutæ, & ouorum lutea, si quid aliud, his sunt accommoda. At neq; sorbitiones, neq; aliorum ciborum quippiam calidum offerre conuenit, sed omnia potius sint temperata, & ad frigidius declinantia; etiam actu, licet non vehementer (vt & Aetius admonet) neq; nimiam humectationem inferre debeant: pyro quoq; vel alio pomo austero incoctis, vel mali punici granis immixtis. Item placenta suminalis, iuxta Trallianū, non alienus his cibus est; sed & ipsa opitulari potest, si absq; sale & multo oleo confecta fuerit. Ex olerib. assumant ægri maluam, antea citra salē probe elotam; item lactucam decoctam, in poscam aquosam ipsam intingentes, similiter intybū & portulacam & arnoglossum, etiam Paulo hoc ipsum cum Tralliano iubente. Horum inopia post septimum diem etiam gallinas non admodum pingues sumant: quin & perdicum, attagenarumq; pectora comedant, nec non gallorum testiculos. Etenim præterquam quod valenter breui tempore nutriāt, augeantq; vires, adhuc etiam læuigandi obturandiq; facultatem obtinent: Quod, si venter copiosiora excernet, assi quoq; citra salem sumantur: sic namq; comesti ventrem non perturbant, cum id, quod serosum in eis est, inter assandum abiecerint: & præterea etiam suauiores redduntur. Iam anserum non adeo veterum alæ offerantur, nec non ventriculi ouaq; ipsorum, abiectis albuminibus. Etenim cum probe nutriunt, tum obturādi facultatem habent: sed non ægre concoquūtur, vt quidam calumniantur. Vbi sanguis etiam exspui desierit, etiam pedes suum, & pisces saxatiles, aceto inter coquendum adiecto offerantur: ex leguminibus autem halica, & chidron admodum decocta, eaq; ipsa ex longiore interuallo, & quum non vehementer ægri febricitant. Nam vbi febris abest, etiam si lac simul incoctum ipsis dederis, nihil nocebis; præsertim iis, qui etiam per sanitatē lac assumere consueuerunt. Ex fructibus pomaceis exhibeantur, qui modice astringant, vt mala præcipue cotonea decocta, pyra, sorba, mespila, etsi admodū siticulosi fuerint ægri, etiam pepones, & cucumerū medulla, vuaq; pensilis exhiberi debet. A ficubus, bellariis, pistacei, maxime amygdalis & malo punico abstineant: raro autem nuces pini & vuas passas simul assumant, eaq; ipsa post sanguinis reiectionē. Potui autem aqua tepida per totum morbi curriculum exhibeatur, eaq; non calida, sed temperata. Quod si diu tepidæ potioni insistere nequeant, imbecilles se ventriculos habere dicentes, concedendum ipsis etiam paulum omphacomelitis, aut hydrorosati, aut hydromeli ex cotoneis, semel aut bis assumere debent; in aliis horis rursus tepidam, aut poscam aquosam. Hæc *Trallianus de cibo ac potu.* Eadem fere & Paulus habet, quamuis is pro potu, si febre careant, concedit vinum aquosum modicū, alioqui, si febris adest, dat hydromeli Sybariticum. Verum Iacchinus doctissimus, Quod ad victū attinet, non expedit, inquit, hic catalogum ciborum numerare: quod quidam faciunt: cum, dum symptoma vrget, & quousq; cesset, sæpius integrā inediam seruare expediat. Multa ergo frustra inter se disputant de acribus, de aceto, de carnibus, quæ omnia præter propositum sunt. Vel enim nihil dandum est, si vires ferunt, vel sola sorbitione, & ea exigua contenti esse debent. Nec enim augere sanguinem, sed minuere expedit: & morbus maxime vrget ab initio. Extreme ergo tenui victu est vtendū, & sic Galenus facit, quando halicam vel ptisanam propinat. Potu vtemur medicam vim habente. Illa vero diligens ciborum disquisitio iuuabit forte in præseruando, forte etiā in aliis profluuiis. At in hoc est inutilis, præsertim, si ex ruptione fiat. Nam post priuatim de erosione dicemus. Hæc Iacchinus. Interea si malum non statim curetur, victum conuenientem, vt nunc diximus, adhibebimus. Et quod ad alia remedia attinet, cum sanguis ob rupturam vasorum sursum eruperit, vena cubiti iuxta Trallianum omnimodo secari debet, non quidē vna vice, verū duabus aliquando tribusue horis interpositis tentari: præsertim si primaria caussa sanguinis copia fuerit, aut spiritus multi & flatulēti collectio, vel vas aliquod fuerit ruptum ex casu vel offensione. Sic & Galen. cubiti venam internam statim secare præcipiebat *libr. 5. meth.* & post ipsum Paulus & Aetius, bis terue gratia diuertendi. Si venę in cōspectū non veniant, Alexander etiam ex talo commode mittit, cum ad longiores partes diuersio fiat. Hollerius vero viribus integris, internam brachii angusto vulnere mittit modica quantitate, sed bis aut ter vna die, aut duabus detrahi iubet: si plenitudo in caussa est, largius, si suppressis mensibus, vena cruris aperienda: Vnde Rondeletius distinguit a qua caussa fiat. Si ob rupturam venæ, maiorem quantitatem sanguinis vel vnica vice vel iteratis vicibus: Postea danda ea, quæ vim adstringendi habent. Caussa quoque diuertendi, artus omnes

Margin notes: 8 — 9 — 10 — *Potus sanguinem reiicientibus idoneus.* — 11 *Lib. 7. cap. 31. Lib. 7. c. 1.* — 12 *Reiectionis sputi ob rupturam curatio.* — *Venæ sectio.*

[Diuersiones. 13.] fricandi vinciendiq;: imo vincula brachiis & coxis ad articulos, & in eisdem frictio adhibenda. Etiam aliqui cucurbitas hypochondriis affigunt, ilibus atque inguinibus: & sanguisugas pectori affigunt. Sanguine detracto iuxta Trallianum ægrum conquiescere cogemus, compellemusque ne magnam respiratione̅ edat: Vbi vero respirauerit, aquosam poscam ipsi supersorbere præcipiemus, quo, si quis in viscere trombus, id est, cruor concretus latitet, resolutus exspuatur: atq; hoc nihil vetat bis ternis horis facere, vt idem Gal. asserit. Poterimus autem [Posca.] eiusdem *posca ʒ iij. vel iiij. aut saltem ij.* qualibet vice exhibere. Quod autem in bronchiis sanguis cogatur aliquando, manifestum est experientia. Quod etiam coactum apprime lædat, imo accidentia praua efficiat, omnes norunt: & ponitur inter venena: igitur studendum est, vt educatur. Quoniam vero non facile educeretur, si trombus foret ob crassitiem, ideo medicamentum propinamus ex his, quę trombos dissoluunt. [14] Etenim cùm non nisi tussi educi possit, studendum est, vt quam minimus motus fiat. Poscam igitur dilutam & tepidam exhibet: dilutam ne acetum proritet; tepidam vt melius operetur. Patet autem, vt Iacchinus quoque annotauit, quod & sensim dimittenda est, vt in viscus aliquid eius penetret. Auicenna dicit, & quandoque Galenus ponit, quasi semper eodem vtendum sit. Hic vero in vsu aceti contendunt auctores. Sed errant, inquit Iacchinus, ex Auicenna & Auerrhoe, qui poscam legunt acetum cum aqua: ignari esse eam mistionem, quæ potui iucunda sit: vnde experientia monstrat, quod tussim non facit. Est autem necessarius vsus ob accidentia dicta. Mirum vero videbitur, si Auerrhoes non viderit. necesse est medico, vt contrariis simul indicationibus satisfaciat, præeligendo eam, quæ magis vrget, & alteram non negligendo, quod [15] & hic facimus. Cauere enim oportet grumos, & si sunt, dissoluere, neque exspectare, donec eorum euidentes notæ adsint, & symptomata grauia inferant: quando etiam valentioribus vti oporteret, vt coagulo leporis, vel hœdi, quibus vis inest maxime dissoluendi, vt omnes testantur, & acerrimum est viribus. At posca mitissima est, quod maxime sane experimur, dum bibimus. Et scimus eam in externis vulneribus ad glutinationem maxime facere: ita etiam bibita faciet: vnde tantum abest, vt eius vim pertimescat Galen. quin potius etiam ad medicamenta glutinantia propter eius deductione̅ vtatur. Est ergo tunc ea vtendum, cum ia̅ magna parte fluere cessauit. quod cognoscitur, quia rarius fluit, & iam colore non adeo floridus est. Hæc de pulmone. Nam si malum in arteria fit, vel in pectore, nihil obstabit quin tuto vtaris. Non ergo, vt Auicenna ait, quandoq; vtendum est, quo pectus expurgetur, vt Gal. voluit. Hæc Iacchinus. Nos vero ad sanguinem congelatum co̅mode dedimus mumiam & sperma ceti. [16] Donatus etiam post poscę assumtionem co̅mendat pul. sequentem, *℞. rhabar. siue spica ʒ j. vel ℈ iiij. mumiæ gr. v. vel* vij. *rub. tinctor. iiij. vel iij.* dabat cum astringenti vino rub. aut aqua plantaginis, exiguo aceto iniecto. Hoc medicamento non solum concretus sanguis resoluitur, sed foras propellitur atq; expurgatur, ruptumque vas seu reseratum sanatur. Quanquam mumiam & sperma ceti Langius *lib. 2. epist. 31.* his verbis vituperare videtur: [Ioannes Langius.] Si *(inquit)* præcipiti ex abrupto, vel equo, casu vel viole̅ta corporis successione, aut venæ in pectore, vel sub cranio ruptura, aut iugi sanguinis in ventriculu̅ vel pulmonem destillatione, putridi cruoris, grumos in corpore coaceruari co̅ieceris; ne viroso cruoris habitu cor cerebrumque infestetur, operæ pretium erit, hoc pharmaco deiicere grumos, ac per lotium aut aluum expurgare: non, vt vulgus chirurgorum imperitu̅ assolet, carbonibus tiliæ, aut Arabum mummia vel ignoto veteribus spermate ceti, sed subscripto puluisculo, *℞. rad. angelicę ℈ ij. coaguli leporis ℈ ß. succini ʒ ß, farinæ orob. rub. ℈ ij. exacte contusa cribro excernantur, ac de illius pulueris farragine ʒ j. dissoluatur in stillatitio chærefolij, aut gingidij liquoris ʒ iij. ß. & oxymelit. ʒ j. fiat haustus.* [17] Oxymel quippe, vt Galen. expertus est per se absq; adiuncto haustum, sanguinem concretum dissecat, expectorat, vel per lotium prolicit: quem postquam oxymelite incideris, tum commode ex aloe & rhabarb. catapotiis per aluum expurgabis. Quod Paulus quoque Ægineta his verbis suadet. [Lib. 3. ca. 31.] Sanguine inquit, circa ventriculum concrescente, coagulum leporis potandum dabis: aut ex cinere ficus lixiuiu̅, addita aqua chærefolii aut thymum, vel thymbram cum aceto, quos lacte χισῷ aut aloe quoq; euacuabis. Qui autem hoc puluere vti velit, potest; licet nos optimo successu in præcedentibus ægris spermate ceti & mumia vsi sumus; quibus & præceptores mei in Italia vsi sunt. Post hæc procuranda est omni ingenio glutinatio cum emplasticis & astringentibus: quorum prima illa siccant solum sine astrictione, vt multa terræ genera & lapidum, vt Lemnia terra, & bolus armenus, [18] & alia eiusmodi. Astringentia & nota sunt, tum simplicia, vt symphyti rad. decocta ex Tralliano, portulacę succus vel herba ipsa vel rubi fructus, tunica glandis putamini subiecta, polygonii succus, & alia infinita, tum quædam composita. vt troch. de terra sigillata, de spodio, & similia: nam astringentibus etiam emplastica adiu̅gimus, cum sine morsu siccent. Trallianus quoq;, tum Paulus ac Aetius, externis quoq; remediis vtu̅tur; etiam superfusionibus thoraci extrinsecus accommodatis per lanas ex rosaceo, aut melino aut myrteo cum aceto modico, aliisq; vt apud eosdem videre licet.

Observatio XVI.

De vena rupta & tussi in pectore.

[1] Maxime verendus videtur casus, cum ex tussi vena rumpitur in pectore, magis vero & in pulmone: quod maxime euenit, vbi refrigeratæ sunt partes pectoris, & inde tussis: nam hic contrariæ oriuntur indicationes, sistendi sanguinem, & tussis sedandæ. Quod equidem cum contigisset cuidam mercatori Delphensi, Philippo Vergoessio dicto, fratri Prætoris Delphensis, in foro frumentario habitanti, 5. Septem. die, anno 1571. cum nocte præcedente ex frigore contracto tussiret, vena in pectore rupta est, & semiscutella̅ sanguinis

extus-

extussiit. Vnde terrore perculsus, Cornelium Heydium collegam meum ad se vocauit: sed is cum in Hagam-Comitis ad alium ægrum accitus esset, me vocarunt; & statim basilicam venam in brachio dextro aperire iussi, sanguine moderate extracto.

2\. Deinde, vt sequenti condito vteretur, mandaui, cum & ego eodem tempore Hagam-Comitis accedere cogerer, *℞. conser. ros. ℥ j. diatrag. frig. ʒ ij. boli armen. veri ʒ j. cum syrup. ex ros. siccis, fiat conditum*, quo cum vsus esset, & post venę sectionem, cum ex Haga statim a prandio rediissem, melius habuit, sanguinis sputo non amplius apparēte. At sub noctem hora 10. cū vehementius rursus tussiret, sputum sanguinis rediit; ita vt tunc Heydium ex lecto, tunc me quoq; vocarit. Cum etiā catarrho tūc laborare quoque videretur, & vrinam vtcunque tinctam haberet, cum renum calore, & aliquantulum biliosus esset, etiam melancholicus, & calorē quendam sentiret, licet non febricitaret, iuleb sequens ad sanguinem reprimendum & restringendum præscripsimus. *℞. aquæ bursæ pastoris, plantag. portulacæ, an. ℥ iij. aquæ vngulæ caballinæ ℥ ij. lapid. hæmatit. subtilißime pulu. ʒ j. boli armeni veri pul. ʒ ß. syrupi myrtill.* (qui etiam ad tussim facit) *℥ iij. misce, fiat iuleb. capiebat frigide sæpe cochlear vnum atque alterum in nocte*, quo remedio minus sanguinem expuebat.

3\. Pectus vero inunximus linimento subsequenti, *℞. olei myrtill. ℥ j. olei viol. ros. an. ʒ ß. olei amygd. dulc. ʒ ij. ceræ albæ medicum, fiat linimentum. 8. Septembr. diatrag. frig. in tabulis fuso cum aqua ros.* sæpe vtebatur pro tussi. Et quia sputum sanguinis tum vix apparebat, capiebat subinde myrobalanum vnum empeliticum conditum. Et glande sequenti, cum aluum non deponeret, eam irritauimus, *℞. pul. specier. hieræ picræ ʒ ß. trochisc. albandal. ℈ ß. salis & mellis quan. suf. fiat glans.* Renesque ac lumbos inunximus vng. ros. Cum autem ex glande stercora dura deiecisset, decimo die Septembris hanc potionem ebibit, *℞. folior. senæ, myrobal. indor.* (quia valde melancholicus erat, & ante a longo tempore lienosus fuerat) *an. ℥ ij. myrobal. citrinor. rhab. selecti, an. ʒ j. semin. anisi ʒ ß. schœnanthi ℈ ß. infunde in ℥ ix. aquæ fumariæ per noctem, facta prius ebullitione, deinde fortißimæ expreßioni addendo syr. myrt. de epithymo, ana ℥ j. clarificetur, & fiat potio pro ij. dosibus.* vna adhibita, probe ventrem deiecit 13. die Septembr.

4\. Propter catarrhum, ne sputum sanguinis quoque rediret, sæpissime vtebatur conser. ros. ad libitum. 14. Sept. tam ad somnum conciliandum, quam ad tussim ac catarrhi incrassationem, hordeato vtebatur. Verum eodem die rursus in maiori quantitate rediit sanguinis sputū. Quo valde denuo perterritus æger ac multum melancholicus, sibi metuebat de phthisi. Quamobrem imperauimus, vt ex decocto sequenti sæpe sumeret. *℞. rad. consolidæ maioris ℥ j. bursæ pastoris, portulacæ, saniculæ, pyrolæ, polygoni, an. m. j. semin. end. acetos. portulacæ, vrticæ, an. ʒ j. fiat decoctio, vt artis est in aqua comm. pro ℔ j. colaturæ addendo ℥ iiij. syr. myrtil. clarificetur, & fiat iuleb.* Loco sem. vrticæ ego libenter vsus fuissem succo vrticæ, qui pro arcano habetur contra sanguinis sputū, vt collegæ meo referebam ex Amati historia *Cent. 6. curat. 4.* Nam oēs, qui sanguinem ex pectore reiectarunt, & a medicis tāquam deplorati habiti sunt, solo vrticæ succo ebibito conualuerunt: post multa enim machinata remedia, nullum remedium ita contulit, vt sanguis hic cohiberetur, ac succus vrticæ, quem ad quinque vel sex dies ebiberunt. Singulis namque diebus, singulas quatuor vncias ieiuno stomacho bibebāt, imo & ipsam vrticam incoctam iure pulli aut veruecis sæpe comedebāt: ex iis alter prædicti Bucignolæ nepos erat; alter vero Ragusæus, patritius quoq;. Vrticā hoc munus conficere posse, difficile creditu est. Dioscorides tamē de ea ita inquit: Vrticæ folia profluuia narium cum succo sistunt (quod & nos experti sumus) trita imposita; & vltimo vrinæ succus, gargarizatus vuam reprimit. Maluit tamen Ericius semine vti; quāuis idem fatebatur se succo vrticæ fluxum in vulnere restrinxisse. Seniori tamen hac in re nolui ita resistere: quamuis libētius succo vsus fuissem.

6\. Verum, cum ex præscriptis remediis sputū sanguinis nondum ex integro cessaret, & catarrhus ad pectus etiam deflueret cum tussi: vnde vena licet constricta & consolidata de nouo aperiebatur, & sanguinem fundebat; ideo & hanc cucufam vna præscripsimus, *℞. flor. ros. rub. flor. nenuphar. an. p j. semin. coriand. præpar. ʒ j. ß. sandaracæ, masticis, an. ʒ j. santal. rub. citrin. an. ℈ j. puluerisentur omnia craßiuscule, & bōbaci inspergantur, & sindone rubra cooperiantur, & fiat cucufa rotunda intersuta, suturæ coronali applicanda.* 16. Septembr. cum sputum sanguinis nondum cessaret, sequens eclegma præscriptum est, *℞. conseruæ ros. veteris ℥ j. ß. gummi tragacant. albiss. soluti in aqua portulac. ʒ j. boli armen. veri ℈ iiij. trochisc. de spodio, de carabe de terra sigill. an. ʒ j. sem. portul. contusæ ℈ ij. ß. cum syru. myrtil. fiat eclegma.* capiebat cum baculo liquir. ad libitum: subinde & cochlear vnum syr. de portulaca, non qui fit ex succo endiu & sem. portulac. qui valde mucilaginosus est, neque illi tū aliis multis placet, sed qui ex solo succo portulacæ & zacchari clarificato paratus esset. Vicissim hoc syrupo vtens, tum conseru. ros. & portulaca, in cibis etiam viridem masticando ac deglutiendo, tandem sputum sanguinis desiit, & optime habere cœpit. Hic tamen postea melancholicus, & rursus catarrho acri destillante in pectus, tabem incurrebat, ac phtisi obiit sexto Martii, anno 1572.

SCHOLIA.

7\. Sanguinis autem reiectatio, quæ ex apertione osculi alicuius vasis contingit per ea, quæ dilatatum os obturant, curari deberet, *Galeno auctore 7. de compos. medic.* secundum locos. Obturant autem osculum (vt etiam scholio præcedente diximus) dilatatum medicamenta, quæ vim habent adstringendi: eius vero (vt etiam exemplis antea ostendimus) quæ ex vasis ruptura fit, curatio per eiusdem conglutinationem perficitur: atqui conglutinatur ruptum per eadē medicamenta astringentia, & quæcunque ipsis in compositione miscentur citra mordacitatem resiccantia, & glutinosum quiddam habentia, vt & antea dictum est: quæ idcirco, quod ex lenta, crassaque substantia consistunt, meatus obstruunt, & Græci ἐμπλαστικὰ

8. *Quid primo animaduertendum sit pro curatione sputi sanguinis.*

vocant, *vt 5. method. med. & 4. & 5. de simplic. medic. facult. liquet.* Id vero in vtrisque prius animaduertendum (*vt Donatus quoq; admonuit*) numquid caussa ruptionem aut apertionem efficiens desierit, vel adhuc maneat: namque si desierit, primum sistere sanguinem expedit; post vero (*vt inquit Galen. eodem 5. method. med.*) perruptum vas aut reseratum, sanare eo conglutinato vel obstructo. Si autem permaneat efficiens caussa, vtpote abundantia, ea quidem primo vacuanda erit: etenim manente ea, vas etiam plus rumpitur, aut reseratur: hinc sanguis reprimendus, moxque vlcus ipsum vasis, vel eius apertio curanda. Desinente igitur effectrice caussa, primum sistere sanguinem expediet, Galeni decreto, post vlcus sanare: obturato quidem, quod perruptum est; auerso autem atque aliorsum translato, quod per id ferebatur: quando si ideo, quod inter initia, impetu confluat, osculumq; vasis pari modo pateat, citius plane moriatur animans, quod profluuio laborat, quam sanguis cesset effluere. Sistitur porro, qui e vasis profluit sanguis, aut propterea quod amplius non cōfluit, aut quod occlusa diuisio sit, seu conniueat id, quod reseratum est, vel propter vtrumque, vt inquit Galenus *eodem lib. 5. method. medend.* id quod ipse dicit tutissimum.

9. *Quid 2. animaduertendū.*

Hæ quidem sunt communes curandi indicationes cuiusuis cruentæ exspuitionis, ex diuisione seu apertione vasorum cuiuslibet partis: est insuper & aliud commune omnium internarum partium affectarum, vt idem Galenus *4. meth. med.* asserit, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maxime sunt familiaria, siue ea cibi sint, siue medicaméta, fugiantur respuanturque huic contraria.

Si cruenta sputatio fiat refrigeratis instrumentis spiritus curatio.

Interea partes affectæ aliquo modo priuatim curationem variant. Si ex refrigeratis spiritus instrumentis sanguinem reiecerint, his e vestigio sanguinem vena secta extrahere conuenit, vt scholio præcedente diximus, bis eodem die, vt Galenus *5. method.* docuit; alioqui, modo ætas vel vires non prohibeant, paulatim euacuatio facienda, vt etiam Aetius admonet: deinde & ligationes, & frictiones peragédæ. Diximus autem hunc casum, si ex tussi vena rumpatur, partibus pectoris refrigeratis, ob contrarias indicationes curatu difficilem esse. Nā quæ tussim a frigore sedant, necesse est calida sint, vt inspiratio & ea, quæ extrinsecus calida applicantur ad intemperiem tollendam. Quanquam in hoc nostro ægro etiam catarrhus aderat, neque intemperies ita frigida. Calida itaque sanguinem fluere faciunt, vt supra diximus.

Historia Galeni.

Galenus igitur historiam ponit iuuenis, qui tussiens ex refrigeratione pectoris sanguinem exscreauit.

10. Cura vero fuit hæc: primū enim procurauit, vt sanguis sisteretur, quod magis vrgebat, secta vena, & vinculis & frictionibus: mox medicamento soporante, diaspermaton est vsus: secunda itidem detraxit. Sed pectori mox emplastrum ex tapsia apposuit, ad tollendam intemperiem pectoris, sed diu morari non sinebat, ne multum calfaceret. Noui ego medicum quendam alioqui doctum, qui cum ægro suo ceratum calidum pectori applicuisset, & peregre profectus diutius eum reliquisset, pectus adeo exulceratum fuit, vt ad interiora vlcus pertransierit, & æger non diu post obierit, quo factum est, vt deinceps ille medicus omnem auctoritatem amiserit. Alio similiter die Galenus apposuit, licet etiam tunc nō diu morari sinebat: itaque per interualla, & vacabat, symptomati tussis, & spatium naturæ præbebat, vt glutinaret; nec adeo calfaciebat, vt venam aperiret: & semper medicamentum diaspermatum dedit vsq; in quartam diem. Sed dices, qua de caussa? Respondet Iacchinus, vt tussis symptomati occurreret, sensum hebetando, & ita proritationem; & vt sanguinis fluorem sisteret. Deinde ad Tabias misit pro siccanda magis cicatrice, vt firmior esset.

11. *Si ex aliis caussis eadem vasa rumpantur, aut reserentur, curatio.*

Si ex aliis caussis eadem vasa rumpantur aut reserentur, etiam tunc vena incidenda est: ex mente Galeni, Pauli & Aetii ac Tralliani, vt scholio præcedenti diximus: artusque fricandi & vinciendi, atq; posca tepida exhibenda, mox medicamenta emplastica & astringentia.

Documentum Gal.

Illud tamen perpetuo seruari debet ex Galeni decreto *4. meth. med. & 7. de comp. med. secundum locos*, quod congruenti mensura prędictis medicamentis, in his, qui ex pulmone aut thorace, aut aspera arteria sanguinem reiectant, misceantur tum calida, tum tenuium partium exsistentia: quamuis vasorum rupturæ ac reserationi sint infestissima, gratia scil. distributionis ipsorum medicamentorum: etenim astringentia & viscosa, ac tenacia sibi ipsis vias præcludunt: quare opus habent facultate ipsis viam struente ac pręparante. Quapropter omnibus medicamentis, quæ thoracis & pulmonum vlceribus sunt destinata, mel admiscendū erit: est namq; ipsum veluti instrumentum quoddam digestionis eorum in corpus, ac celeris transitus, veluti vehiculum, vt patet eodem *4. lib. meth. med.* Quod si ex acri destillatione, vel ex catarrho vena aperiatur vel reseretur, aliter curandum erit, & catarrhus prius tollédus erit, vt exemplum sequens docebit.

OBSERVATIO XVII.

De sputo sanguinis ex catarrho oborto, potius insipido quam acri.

1. TVssis aliquando ex catarrho descendente a capite in pectus vel pulmonem, sputum sanguinis inducit: quod equidem bifariam contingere potest: vel enim ex tussi fit continui solutio ob partiū distensionem, vel quoniam catarrhus erodens sit, ideo vlcus facit. Si enim insipidus sit catarrhus, sola tussis caussa esse videtur: vti istis dieb. iuueni euenit, vt ex tussi cum catarrho tamen insipido, sanguinis sputo laboraret; & quia plenitudine hic iuuenis aliquo modo laborabat, & satis robustus erat, venā incidere iussi: moderate tamen sanguine extracto in cubito. Ad diuersionē quoque a capite, postq̄ leuiter purgatus esset cū pil. ex aloe & rhab. etiam cucurbitulas scapulis admoueri iussimus cū scarificatione, ét vinculis membris extremis iniectis, & adhibitis frictionib. & capite mastiche & olibano inspersis. Præceptor meus ét cauterium adhibebat capiti, eoq; sic roborato theriacæ ℈ ij. dabat cum succo arnogloss. vel portulacæ. Nos autē ad constrictionem dedimus *lapidis hæmat. curiose læuigati. & in puluerē tenuissimum redacti ℈ ij. cum aqua*

sola

sola tepida, & egregie contulit: hoc enim modo Trallianus dabat in iis, in quibus sanguis copiose (*vt hic*) non euacuabatur, alioqui in his, qui largius sanguinem reiiciebant, cum succo mali punici & granis, vel cum succo polygoni dabat. Hoc enim modo sine theriaca aliisq; pretiosis antidotis multos curauit, lenibus vtens medicamentis, & præsertim lapide hæmatite. Dat autem ex eo ita læuigato, vt sit aereus & vento persimilis, ℈ iij. *& paulo amplius minusve*. Exhibuit etiam iis, qui pus exspuere inceperant: ac mirum est, quomodo vlcus exsiccarit sanaueritq;, vt non amplius pus generaretur, neque æger a tussi infestaretur. Ideo etiam in catarrho acri corrodente vtebatur. Spectauit autem & alium quendam ex his, quibus vas exesum erat, nō modo particulas quasdam ex faucibus, sed etiā asperam arteriam exspuentem: ac mirum quomodo in hoc quoque lapis hic maximam efficaciam indicauerit: nam & hic curatus est, illo ipso nō admodum etiam sperante. Exhibuit autem ægro potui medicamentum frequentius, vt commodius distribueretur. Quare, cum crebro ipsum bibisset, tādem sumere ipsum fastidiuit. Excogitauit autem huiusmodi rationem: redactum in tenuissimum puluerem panniculo lineo imposuit, & diligenter ipsum vndiquaque constrictum, colligatumque in poculo, quod vinum odoratum modicum haberet, suspendere permisit, idque per totam noctem iam inde ab ipso vespero: extraxit autem tenuem aereamque eius partem, vt æger solam vini qualitatem perciperet: ex hoc bibere, quantum mane bibere solebat, ei præcepit. Atq; hoc sane agendo, bibendoq; cōtinue, sanitatem recepit. Hoc autem morbo liberatus, idem præseruationis caussa facere pergebat, bibebatq; donec etiam corpore probe permutato, consueta agendo viribus se constare sentiret. Hæc de lapide Hematite, hactenus a Tralliano visu & vsu comprobata, hic recensere nobis vtile visum fuit: cum & nos hunc lapidem contritum in tenuissimum pollinem cum aqua plantaginis vel bursæ pastoris sæpe transfusum, & deinde colatum, vt aqua rubedinē acquireret, accepimus, immixto syrup. de portulaca vel myrtillo: ac ita ad sanguinis sputum commode exhibuimus.

2.

3.

SCHOLIA.

4. SI itaque insipidus catarrhus sola tussis caussa fuerit, facile cognoscitur, & etiam facilius curari poterit. Si vero salsus vel amarus, & flauum quid exspuitur, de erosione suspicio est. Galen. autem posuit vtriusque affectus curationem, ac primum eius qui ex sola tussi fiebat, vt in illa nobili Romana. Nec enim illa erosione pulmonis reiecerat. Nam hi, vt mox habet, insanabiles sunt, & curam nullam admittunt, nisi vt vita prolongetur. Et errarunt multi in hoc (vti etiam Iacchinus doctissimus annotauit) quia crediderunt historiam illam & curam conuenire erosioni ex catarrho: vnde frustra de multis dubitāt circa eam curam, quomodo apposuerit capiti calido, toties calidum emplastrum. Et ego alias (inquit idem Leonardus Iacchinus) de hoc dubitabam: & respondi, laborare Galenum contra symptoma. Sed reuera optima

Error multorum.

est curatio, quæ tollit caussam, nec lædit: quoniam siccat & calefacit: in capite laborante destillatione, est vtile: vbi si esset arrodens catarrhus, profecto malum esset. Mirum nō considerasse hunc locum Veteres, qui historiam referunt, quasi catarrhi erodentis. Mesue & Rhases nullam historiam æque admirantur, & colunt: cui tamē morbo medeantur prorsus ignorant. Vnde iuuenis ille, qui tuniculam gutturis exspuit, ex catarrho erodente, id passus est: neque in hoc hanc curam posuit, sed longo tempore curatum: nempe ratione, quam postposuit: quoniam succi vitium corrigere oportuit purgatione, & alimentis, idque non potest, nisi longo tempore fieri. Quod historia mulieris sit catarrhi frigidi & humidi, patet: primo: quia cito sanata est: ergo non erosione. Præterea erosionem dicit esse insanabilem. Præterea etiam post agglutinatum vulnus, ad caput tapsia vtitur, vt pateat nō aduersus symptoma pugnasse, sed aduersus caussam. Quod si dicas, cum præcauet catarrhū acrem, & erodentem, adhibet capiti tapsiam: Respondetur, potest esse sine calida capitis intemperie: sed potius cum humida, cū reliquum corpus plenum esset vitiosis humoribus, qui caput petunt. Sed si esset ex capitis intemperie, hoc non fieret. Verum ad catarrhum prius accedamus: atque curationem ex Galeno ita instituemus. Primum itaque, vt in eiusmodi aliis affectib. sanguinem mittere decreuerat, quod id morbus exigeret, tum ad minuendam materiam catarrhi, tum ad reuulsionem, & deriuationem a parte. Sed alia dissuadebant, nempe quatridui inedia: forte vero & gracilis erat, & æstiuo tēpore, & alia aderant contra indicantia: sat nobis est affectum id exigere. Postmodū, qui eam dimiserat aliis reuulsoriis ingeniis vtitur, clystere acri, scil. & vinculis, & fricat calfaciente pharmaco, vtputa sinapi ex aceto. Hæc enim auersio maxima est. Huc vsque auersio: mox ad caussam tussis proximam accedens, raso capite emplastrum ex colūbino stercore imposuit, ex recenti, inquam, in turribus collecto, cui maxima vis inest calfaciendi & siccandi, & attrahendi catarrhum ad extimam cutem. Hoc vsus per horas tres est, ne scil. exureret nimium. Sed caput pro tempore idoneo operimēto contexit, hoc est, quatenus externo aere non læderetur, mox in balneum duxit. Hic vero dignū consideratione est, quomodo in balneum ducat eos, quibus sanguis profluit, cum vniuersum calidum promoueat profluuia *5. aphor.* & priuatim balneum ea augeat *1. ad Glauc. c. de accid. & in historia Metonis 3. 1. Epidem.* ad sanguinis profluuium augendū caput lauat Hipp. Pręterea in fine curę, dicit in balnei abstinentia eum continuisse, vt scil. siccaret. Respondetur: Primum, ꝙ reiecerat exiguum erat; itaque ruptum vas erat exiguum: sed potius timor erat futuri, quam præsentis affectus. Præterea inedia præeuacuata ea, non videbatur timor fluxionis, & ideo restiterat. Vel dicito, non esse eandem rationem laborantis pectoris, & capitis. Calidum enim balneum caput replet, ideo sanguinē e narib. profluentem proritat. At a pectore reuellere videtur: non secus atq; alui profluuia ab intestinis. Hic no-

5.

6.

7.

8\. ta, solum lauat, cum capiti emplastrum apponit. Et Auicenna dicit, propter medicamen, id est, ad tollendam acrimoniam eius, non vngit caput, sed lauat: quoniam vnguenta plus morantur & humectant; & quia quod attractum est, exhalare non sinit, *6. de sanit. tuend.* Vt ergo frictione vti potuit, cur non & balneo? Ceterum hæ responsiones ad logicam quidem disputationem vtiles forent, ad medica vero præcepta inutiles. Neque enim quid respondendum sit; & quomodo dicta auctorum, vt aiunt, saluanda, sed quid vtile præceptum sit, exquirimus. Non igitur Galenus nobis id, vt præceptum statuit, sed visum illi est, vtile esse eo tempore. Caussas autem particulares, quibus motus sit, non refert: non lauat tamen caput, nec vngit pingui, ne humectet. A balneo nutrit sola sorbitione, quod inediam ferre non poterat: postea austerum quid propinat, tum ad tollendam euaporationem ad caput, & vt aluus probe concoqueret, & deiiceret; sed & ad morbum id facit. Vesperi dormituræ theriacen dedit nouam intra menses quatuor, vt somnum induceret: quod tum sistit profluentem sanguinem, & fluxiones siccat, & crassat: vnde non facile influunt ad pectus. Iam his catarrhus finitus videbatur: sed multa erat in pectore materia, quæ expurgari desiderabat, quod ex sonitu deprehendit, & ex respirandi specie, quæ angustiam vasorum monstrabat, sed timuit tussim concitare. Itaque quod ab initio fecerat, seruauit in taciturnitate & quiete pectoris; & iisdē reuulsoriis postridie vsus, vesperi theriacen dedit paulo minus. Tertio die quietem etiam imperauit: sed mane mel coctum exhibuit, vt pectus purgaret: ac paulo largius cibum dedit, & frictione est vsus. Quarto mane dedit theriacam vetustiorem, id est, in ætate vigente: & mel copiosum dedit mane: quoniā non erat ad soporem inducendum, sed pectus purgandum. Rursus quia feruor prioris medicamenti capiti impositi desierat, iterum admouit. Quinto ad purgandum pulmonem conuertit sese, scilic. cum eclegmatis, quæ tussim excitant; & capiti ceratum ex thapsia imposuit: mox conualescentium victu est vsus: sed a lotionibus abstinuit: nempe vt siccaret corpus, nam & dum ægrotaret, solum prima die & quinta lauit. Hic nugatores suspectam habent maxime quatuor mensium theriacā: & quoniam glossare, id est, peruertere iis mos est scriptorum verba, dicunt intelligi ab eo tempore, quo incipit fermētari. Sed hæ nugæ sunt: imo & duorum mensium exhiberi potest. Debebant Galenum legere cur sic dabat, vt in ea vis adhuc opii vigeret. Et nos sic vtimur. Hæc Iacchinus: cuius verba hic inserere commodum nobis visum fuit, cum hanc Galeni historiam egregie declarent: quam si legere libeat, habes eam *5. libr. method. medendi*: & alteram historiam de alio adolescente, cui non ex destillatione, sed ex refrigeratis spiritus instrumentis orta tussis fuerat, cum sanguinem & ipse ad dimidiam heminam reiecisset: cui statim venam Galen. incidit, & postridie bis, vt scholio præcedente dictum est. Habes & eodem lib. de altero adolescente historiam quoque, circiter decem & octo annos nato, qui cum multis diebus ex destillatione laborasset, primum quidem sanguinem floridum cum tussi exspuit, non sane multum: postea etiam tunicæ ipsius partē, quæ tegens intrinsecus arteriam, in fauces & os per ipsum arteriæ caput (larynga vocant) ascendit. Videbatur autem Galeno tum ex crassitudine eius coniectanti, tum ægri sensu ipsius laryngis esse interna tunica. Quin etiam læsa illi ex eo vox est, atq; hic quoq; longiore quidem tempore, sed tamen sanatus est.

9\.

10\.

Vide Gal. historias.

11\.

OBSERVATIO XVIII.

De destillatione acri a capite in pectus cum tussi, ex qua vena pulmonis corrosa fuit cum sanguinis cruenta sputione.

1\. VIr quidam annos circiter quadraginta excedens, cum longa destillatione acri laborasset, neq; satis tempestiue de remediis cogitaret, & tussi valida afficeretur, tandem sanguinem subito exscreauit spumosum, rubrum, humiditati cuidā admixtum: quanquam vltimo paucus, viuidus, nulli rei admixtus exiuerit, quem ex vena pulmonis vel prope pulmonem exsistente, effluxisse existimabam: assidua enim humoris destillatione a capite in pectus vena quoquo modo corrosa ingenti illa tussi aperta fuit, vnde sanguis ille effluxit: tunc n. prius me vocauit, cum iam macilentus & extenuatus ex longo morbo præcedente: sanguinem hic mittere ausi non fuimus, cum ad hecticam tendere videretur Et quamquam destillante acri humore, præsertim ad pulmonem aut pectus, toti corpori consulendum sit, quo sistatur erosio, Galeni auctoritate *5. method. med.* Interea Paulus & Alexander præcipiūt caueri debere sanguinis missionem; præsertim vbi admodū acris fuerit destillatio. Nam magna ex parte corpus eorum, qui ex erosione sanguinem reddūt, gracile ac persiccum est, quale hic erat, cum & diutius male habuisset, ideo sanguinē non detraximus. Si autem ab initio iam prius sanguinem exspuisset, Galeni auctoritate fretus (*eod. 5. lib. method. med.*) vbi validus fuisset æger multique sanguinis, statim a principio sanguinem detraxissem: id quod nec Alexander nec Paulus negarunt. Et si parū sanguinis habere videbuntur, ii ad quendam succum probiorem victus ratione reduci debent, deinde sanguis detrahendus, si res ita suaserit. Verum hic cum sub noctem acciti essemus, vt sequens sumeret mādaui: *syrup. pap. myrtini. an. ℥ ß. boli armeni orientalis ʒ ß. misc.* mane cū sputū salsum sentiret, atq; hic vitiosus succus corrigendus esset, atq; primo alterandus & contemperandus, licet omnino longo tempore opus sit, vt Galenus dicebat, quo succi huiusmodi temperentur, & corrigatur vitium. Cum & tales ægri sanguine decocto ab initio (quod nunc prætermissum erat, cum diutius laborasset) tum reficiendi sint, tum purgandi ac rursus post purgationem reficiendi. Quæ omnia tempus habent: Post exhibitum hunc syrupum, ℞. *syrup. violarum. papauer. myrtin. ana ℥ ß. aqua decoct. hordei ℥ iij. dedimus ℥ j. cassiæ recens extracta cum sero lactis.* Deinde ad sanguinis sputum, *boli armeni veri ℈ ij. cum lacte.* Postea etiam lac ca-

2\.

3\.

lac caprillum dedimus, cum de phthisi metueremus: nam tales maxime lac requirunt, qui maxime insanabiles sunt; præcipue vbi a capite aliquid defluxerit. De quo Alexander in hoc Gal. imitatus. Omnes autem, inquit, lacte vtuntur, molli recentique caseo, præsertim caprillo aut bubulo. Est valde accommodum a balneo aquæ dulcis sumtum. *Gal. 7. meth. med.* vult, vt calens a mammillis ab ægris sugatur: & vt mellis tepidi pauxillum immisceatur, ne in ventriculo cogatur aut concrescat. Verum, licet multis & aptis remediis vsi simus, post semiannum tandem mortuus est ex tabe.

SCHOLIA.

4. SI ex acri destillatione cum tussi, cruenta sputio contingat, medicamentorum copiam, ex cap. de destillatione tum de tussi, requiremus. Illud tamen perpetuo in eorum exhibitione seruandũ, vt quæ magis familiaria ac leuia sint, eligamus, vitemusque acriora, calidiora, ac sicciora: quæ insuper non semel tantum propinabimus, quin imo bis & sæpius vbi oportet: nam longo tempore (vt diximus ex Galeni auctoritate) omnino opus est, vt succi contemperentur, & corrigatur vitium; potissimũ si ex eo in pulmone erosio facta fuerit. Quapropter Galenus eos, qui plane deplorati non sunt, omnes seruari fatetur, per hæc tria, per sanguinis videlicet missionem & purgationem, & ea, quæ caput roborant: non enim in huiusmodi affectib. a paruis auxiliis incipiendum est, veluti Erasistrato visum fuit: nam in morbis, in quibus periculum nõ imminet, a paruis auxiliis incipiendum est: quod si nihil profecerint, aggredienda maiora sunt. At vbi periculum maximum impendet, a maximis quoq; auxiliis exordiendum est: Nam ad vltimos morbos vltima prorsus remedia maxime valere Hippocrates decretum reliquit.

Quando à paruis & quando à magnis auxiliis incipiendũ [illegible] est.

5. Ea de re non immerito statim circa initia venæ sectione (si nihil prohibeat, at hic in nostro ægro prohibebant diuturnitas mali, macies, & vires deiectæ) ac purgatione vtendum, nec minus & capiti confestim prospiciendum, ne ex eo in pulmonem aut pectus aliquid defluat: in quem vsum conducit si ʒß infrascripti pulueris, ex Donati sententia sumatur: ℞. *sem. hyoscyam. & pap. alb. an.* ℈ß. *sem. coriand. præparati* ʒi. *cort. thuris* g ij. *masticis* g 4. *pul. hirundinis præparati* ʒß. *zacchar.* ℥ iij. Tempus autem sumendi est post duas vel tres horas ante somnum a cœna, vel pilulas duas deuorent ex pilulis de cynoglossa Nicolai, loco medicaminis, quod diaspermaton a Galeno prius appellatum diximus, quo is vtebatur. Is quoque tapsiam (vt scholio præcedente retulimus) capiti imponebat: alii sinapismo aut ignito cauterio vtuntur. Sed aduersus Galenum Trallianus sentit, & Galenum redarguit: quanquam Donatus eundem contra Alexandrum Trallianum defendit, non vt temperiem capitis calidam curaret, sed vt humiditatem acrem, quæ a capite defluebat partim exsiccaret, partim etiam ex interioribus foras traheret, & per cutim euacuaret, idque etiam in principio, ne materia defluat ad pulmonem, & tussim excitet, ex quo maius periculum, quam propter reuulsionem & exsiccationem.

Galenus defenditur contra Alexand.

6. Quam rem etiam docte prius Iacchinus scholio præcedente, & ad amussim interpretatus est. Vbi vero hæc pericula non impendent, in calida fluxione post redundantium humorum vacuationem, ea quæ infrigidant, pro eius alteratione capiti admouere hæsitaret nemo, & non calida; cum, si caput ex calida intemperie male habet, talia medicamenta noceant; Vt igitur temperamentum melius reddamus, præstat ipsum rosaceo perungere: atque æstatis tempore præstantius erit, eo quod ex crudo oleo, quod omphacinũ vocant, componitur, vti: quemadmodum idemmet Galen. præcipit *6. de sanit. tuenda*, damnans medicamentum, quod ex thapsia & sinapi componitur, cum ex calida capitis intemperie fluxio fiat; eosque balneari iubet, frequenti balneo potabilis aquæ, quo & calidos vapores, qui in capite sunt, euocemus, & totum capitis temperamentum melius reddamus: nec minus balneum ipsum prædictis, *lib. 5. meth. med.* commendauit. Prædicti quoque sunt (*eodem Gal. teste*) qui maxime lac requirunt, neglectoq; eo omnium sunt insanabiles, præcipue vbi ex capite aliquid in pulmonem defluat.

7. Alexander quoque de lacte imitatur Galenum, *vt obser. præcedente sub finem* diximus. Horum auctorũ loca ipsa perlegere poteritis, cum Galenus & Alexander de sputo sanguinis curando nihil intactum reliquerint. Sit autem lactis quantitas ab ℥ iij. *ad vi. pro diuersa corporum natura*, ætate & consuetudine, ac reliquis; mellis autem vel rosacei mellis, quo & ego vti soleo, quarta pars, aut medietas vnciæ vnius. Hoc modo & Donatus vtitur.

OBSERVATIO XIX.

De quibusdam ex vasorum exesione sputo cruento laborantibus.

1. GOdefridus Petrus Beaumontius cereuisiarius, annos (plus minus) 59. natus, cum aliquando diu asthmate laborasset, tandem tussi valida correptus, etiam febre continua satis, vt de phthisi metus esset, tandem & sputo sanguinis correptus est: quod cum in notabili quantitate cum febre ꝓdiret, multum sibi metuebat etiam de tabe, quanquam prius sputum non purulentum, sed pituitosum vna cum sanguine extussiebat; postea vero subinde nigriusculum, ita vt ex erosione venæ pectoris prodiret, cum pure quasi tandem permixtũ. Tale autem sputum cum febre solet esse semper suspectum: nam febris putredinem & corruptionẽ maiorem arguit: & quamuis maius periculum inducit sputum sanguinis arterialis quam venalis, etiamsi sine febre fluxerit, suspectum habeatur: tamen omne sputum sanguinis, si cum tussi expectore aut pulmone erumpat, cum febre & sine febre, malum semper est: deterius tamen ex pulmone, vt mox alio exemplo docebimus; & magis ex substantia ipsius, cum ducat ad phthisin: quod ex pectore est, sanatur quidem velociter: sin minus, habet malitiam vlceris pulmonis, cum fiat fistulosum frequenter rediens cum sanguinis sputo.

2. Ad hunc in principio accitus cum febricitaret & valde tussiret, & nondum sanguinem exspueret, sed materiam putidam pituitosam, & aliquandiu etiã lenta febre correptus esset, vt longo tempora foras

prodiret: vbi enim magis cœpit febricitare, me vocauit mense Maio, propter febrem; & quia quotannis consuetus erat sanguinem mittere; quamuis paulo macilentior, tamen multi sanguinis. Post acceptum bolum ex cassia, aluo satis soluta, die subsequente vena basilica in brachio secta fuit, & pro tussi ac febre continuo lambebat ex syrupo viol. nam maciem contraxerat, & de tabe metuebamus. Deinde ex hoc decocto tam ob febrem, quam ad vitiosos humores contemperandos bis in die ciathum sumebat. *℞. corticum rad. cichorij, dentis leonis, glycyrrh. rasæ, an. ℥ ß. flor. cord. p j. vngulæ cab. seu beochij, folior. viol. acetosæ, cichor. capill. ven. polytrichi, ana m j. hordei mundati. p j. sem. quat. frigid. maior. an. ℥ j prun. damasc. num. 9. vuar. passul. enucleat. ℥ j vuar. corinthiac. ℥ ß. iuiubarum sebesten. recent. an. num. 5. fiat decoct. in aqua communi pro lib j. coletur, & adiecto rursus zaccharo cando dicto, ad meliorem saporem, denuo ebulliant ad modum iuleb.* Interea quoque pro tussi & calore febrili subinde capiebat ex tabulis diatra. frig. Sub noctem sumebat hordeatum in hunc modum concinnatum. *℞. hordei mandati p. j. amygd. dulc. depilat. ℥ j. ß. semp. pap. alb. ℥ j sem. 4. frig. maior. mund. an. ℥ ß. fiat hordeatum pro ℔. j. zacchαro parum dulcoretur*, vt artis est. Hoc multis diebus sub noctem sumebat: interea leuiter eum purgauimus cum syrup. rosa. pallid. & sero lactis. Et rursus apozema, vt superius, adiectis scabiosa, pulmonaria & hyssopo, vt sputa melius exirent: & cum dormire non posset, tempora inunximus vng. populeo, & oleo pap. & mandragoræ simul mixtis, & vtebatur suo diatragacantho. Et cum ad mensem Iun. peruenissemus, & in lumbis doleret, eos inungi iussimus vnguento rosato. Postea sanguinem extussiebat: primo quidem rubrum, postea pituitæ immixtum, deinde etiam purulentum, vt de corrosione venæ suspicio esset, sputo aliquot diebus perdurante: quamuis his tabulis frequenter vtens tam pro tussi, quam pro sputo cruento, etiam subinde conserua ros. accepta cum exiguo bolo immixto & syrupo myrteo, tandem sputum sanguinis desiit. Tabulæ tales erant: *℞. specier. diatrag. frig. ℈ ij. ß. boli armeni veri prius puluerizati ℈ j. postea ℈ ß. dissolutis in aqua vngulæ caballinæ q. s. zacchar. albiss. ℥ ij. admixtis. fiat confectio in tabul.* Interea si aluum non deponeret, glande tantum irritauimus, absque alia purgatione. Et vbi sputa minus prodibant, hoc syrupo longo sæpe vtebatur, alioqui tabulis suis vel conserua iam dicta, si magis cruentum esset. *℞. glycyrr. rasæ ℥ ij. vngulæ caballinæ, pulmonariæ, folior. viol. hordei mundati, an. m j. semin. quatuor frigid. maior. an. ℥ j. ß. vuar. passul. ab arillis repurg. ℥ j. vuar. corinthiac. ℥ ß. dactyl. pinguium num. iij. iuiubar. sebesten recentium, an. num. 5. fiat omnium decoctio in aqua communi pro ℔. j. col. dulcoretur zacchαro candi, & fiat ad modum syrup. longi, rursus ebulliendo.* Continuabat & suum hordeatum sub noctem. Quibus tandem cum multorum admiratione, cum in fine pro tabido quasi haberetur, fuit curatus. Eodem modo fere Machtilda Alphonsa mulier Delphensis, non tamen febricitans, tertio quoque anno incidebat, licet vetula, in sanguinis sputum ex corrosione venæ pectoris cum catarrho salso: quæ & iisdem fere remediis fuit curata, magis tamen astringentibus, cum ex erosione hæmorrhagia profusior contingeret: tunc enim iis vtendum medicamentis vehementissimis, quo ad vehemens eius impetus frangatur: reliquo vero tempore iis vtebamur, quæ celerrime erosionem lenire poterant, & modice siccarent, & vlcera ad cicatricem ducunt: quare & puluere lapidis hæmatitis (de quo prius dictum est) vtebamur, radice symphyti condita, & bolo armeno & terra Lemnia vera, quam & egregie iuuabant rotulæ sequentes. *℞. boli armeni veri ℈ ij. specier. diatrag. frigidi ℈ j. ß. cum aqua vngulæ caballinæ & portulacæ, adiectis ℥ ij sacchari, fiant rotulæ ponderantes ℥ ij.* & quotidie tres pluresue rotulas capiebat, & fuit curata. Quamuis hæc ipsa cum annos septuaginta attingeret, rursus ex catarrho salso incidit in venæ pulmonis rosionem; ita vt sanguinem rubrum ac purum & spumosum exspueret, postea vero vna cum sanguine etiam purulentam materiam, idque longo tempore, vt tandem etiam tabe consumta, ex eodem malo sæpius recurrente, vitam valde vetula finierit. Eodem modo Daniel Georgius longo tempore asthmaticus, diu in sella sedens, sputum cruentum extussiebat valde nigrum: multis tamen adhibitis remediis, & hic quoq; senex tandem obiit. Cyprianus vero medicus, & collega meus, qui post obitum Cornelii Ericii in eius locum successit, in sputum sanguinis ex erosione venæ pulmonis incidit, & longo tempore laborabat, & aliquando floridum sanguinem & copiosum ac spumosum profundens, cum vsus esset multis ac variis remediis, aliquando vena videbatur consolidata, & cicatricem contraxisse: postea rursus ex tussi vehementiore particulam seu crustam cicatricis, cum in peluim expectoraret, denuo sputum sanguinis violentius subsequebatur, & deuorato subinde diacodio, & aliis medicamentis aptis, paulo constitit sanguinis sputum: verum cum sæpius malum rediret & exasperaretur, materiam quoq; purulentam longo tempore expellens, hic tandem tabe etiam consumtus, nullis remediis ad tabem valentibus illi conferentibus, extremum diem clausit.

SCHOLIA.

QVi vero ex erosione laborant, si quidem iam sanguinem reiicere cœperint erosa vena, prorsus insanabiles esse videntur. Et quamquam prior noster æger curatus fuit, hoc Dei quoque beneficio factum existimamus, cum ab omnibus fere, qui illum inuisebant, pro deplorato haberetur: & quamquam mulier illa vetula bis per me curata fuerit, etiam ter, tamen in extrema senectute, cum malum ad pulmonem serperet, illa quoque licet in extrema senectute, obiit. Et alii duo reliqui ex vena erosa mortem quoq; incurrerunt. Quod autem tales sint insanabiles, ratio dictat: cum sanguis erodens & vitiosus sit, ex prauis saniebus admistis. Eiusmodi autem corpora breui & facile attemperari nequeunt, quoniam temperatio non fit, nisi vacuatione & renutritione. *9. method.* Hæc autem longius tempus exigunt. Quare cum caussa erodens cito tolli non possit, opus omne medici frustra-

frustrabitur: plus enim proficiet ea exulcerando & erodendo, quam tu attemperando. Præterea cum catarrhus a bronchiis ad venas peruenire debeat, siquidem exulceret, & interim inter mediam pulmonis carnem, qua venę circumdantur, exulcerasse verisimile est: sed nec ipsum venæ corpus subito quasi ictu quodam fecit, sed sensim erodit, itaque vlcus esse purulentum necesse est, & inflammatū.

8. Quare, vt impossibile fere erat talia sanare, ita & vlcera ex erosione non poterunt. Præterea resarcire carnem oportet, est enim cauum vlcus: id autem breui fieri non potest. Si qui vero seniores sunt, & sicco corpore, hi in longius tempus perdurant, vt euenit huic vetulæ, & Danieli Georgio Melisſæo. Et, vt apud Arabes legitur, vitam multo tempore protrahere possunt: & quidem multos vidimus, præter hanc vetulam, qui vsque in extremam senectutem vixerint. Ita soror M. Iacobi Musei Dordraceni, cum sputum sanguinis ex vena pulmonis pateretur, ac quasi pro mortua haberetur, nec vllis remediis restringi posset, ita vt frequenter syncopen incurreret, vt ex profusione sanguinis pro deplorata quasi haberetur, cum frustra medicorum quorundam opem experta esset, me tandem vocauit, ac Dordracum accessi 4. Iulii die, anno 1576. quam repperi vires plane habere exhaustas: ideo ad restringendum sanguinem hæc præscripsi: ℞ *rad. symphyti conditi ℥ j. sanguinis draconis, lapidis hæmatitis. an. ℈ j. boli armen. veri ℈ ij. ß. terræ Lemniæ veræ ℈ j. pul. specier. Haly contra phthisin ℈ ij. ß. diatragacan. frig. in tabul. ℥ iij. conser. ros. ℥ ij ß. puluerisanda puluerisentur, vt alcohol. seu in tenuissimum pollinem, & radice pistantur, ac omnia probe simul misceantur cum syr. de portulaca, & syr. myrtil. q. s. & in eclegma coeant, sumat cum sput. liquir. ad libitum, modo sumat particulam vnam rad. symphyti.*

9. Atque hic puluis paretur: ℞ *boli arm. veri ℈ ij. ß. lapidis hæmatitis ℈ j. terræ Lemniæ veræ. ℈ ß. corall. rub. gran. vij. fiat pul. subtilissimus ad modum alcohol, & diuidatur in tres partes, & vna pars exhibita fuit cum vino rubro vel ceruisia.* quibus eo tempore vena fuit consolidata, ita, vt ad tempus quasi videretur curata, ac deinde domum reuersus sum. Verum post mensem vnum atq; alterum redibat sputum sanguinis: sed iis remediis rursus deficiebat sputum, vt postea per semiannum deinde redierit, & tandem tabida & macilenta euasit: consuluimus tunc *vt subinde ℥ j. pul. Haly contra tabem cum lacte sumeret.* modo cum syr. viol. vel iuiubino: & præcepimus vt amygd. dulces recentes conditas sæpe comederet, & vt pro tussi subinde radices althææ zacchara incrustatas sumeret: atque ita cum multis deinde & commodis remediis vteremur, ad vitam solum conseruandam, adhuc tabida per tres annos superuixit, & macie ac marcore tunc consumta obiit. Et ita plurimos vidimus ad extremam fere senectutem peruenisse, quanquam aliquos etiam iam consistentes ætate periisse conspexerimus.

10. *Cruenti sputi ex vasorum exesione curatio.* Quibuscunque tandem partibus ex vase exeso reiectio sanguinis fiat, per renutritionem erosorum curabimus, *Gal. auctore 7. de compos. med. secundum locos.* Renutriuntur autem corrosa (vt ipse inquit) per cibos boni succi, & pharmaca carnem gignentia (sarcotica a Græcis appellata) ea de re (vt testatur Alexander) non amplius medicamentis, aut cibis admodum astringentibus, aut acidis, sed potius eis, qui contemperare & alterare humoris, qui erosionem excitarit, acrimoniam possunt, vti oportet, nisi profusior hęmorrhagia fuerit: nam tunc iis, quæ vehementissime astringūt, vtendum medicamentis est, quoad vehemens eius impetus frangatur, vt auctor est *Galenus quinto method. med.* Quapropter ptisana ægros alere conuenit, aut alica, seu reliquis cibis, quibus nihil adsit, aut salsum, aut acidum, imo nulla alia tenuis qualitas, sed econtra, quæ magis implentem obturantemq; ipsam reddere queant, ex mente Alexandri: velut est amylū frumentaceum.

11. Ex oleribus competunt intybum, cichorium, buglossum, lactuca: procedente vero tempore, vbi vires infirmas habeant, citra salem offerre expedit carnes gallinarum, pullorum, caponum, perdicum, phasianorum, starnarum, turdorum, ac reliquarum montanarum auium: interdum hœdorum, seu castratorum, vt ita dixerim, aut suillorum pedes cum ptisana decoctos assumant, vt summatim dicam, cibis vtantur boni succi, vt antea etiam diximus, qui etiam humoris influentis acrimoniam obtūdere, & crassiorem reddere possint: potissimum vbi ex acri destillatione pulmonis seu thoracis erosio fiat, ab acidis, salsis, potissimum veteri caseo, prę sertim caprillo aut bubulo (vt Alexander inquit) commode vti possint, tanquam vtili exsistente. Pro potu aqua vtantur decocta cum semine coriandrorum præparatorū, pauco cinnamomo, aut glycyrrhizæ radice: vino quoque (vbi assueti fuerint) vti aquoso, aut parum rubeo substringenti conuenit. Reliqua peragenda (quod ad destillationem acrem attinet corrodentem) vt dictum est scholio præcedente.

Observatio XX.

De sanguinis sputo vehementiore & violento, cum copioso pure.

1. Aperus de Diick capitaneus, cum militiam diu sequutus esset, & intemperanter vixisset (vt milites solent) & præter id, quod multum vini sæpe ingurgitasset, sæpe scamno, nequaquam lecto incumbens, longo tempore sic pernoctasset, vt in lecto postea vix dormire posset. Homo procerus & alioqui robustus, circa 42. annos natus, cum sese otio dedisset, militiæ pertæsus, nunc œconomi quasi officio functus (Galli *concierge* vocant) incidit ex tussi vehementiore (cum aliquandiu prius circa thoracē dolorem persensisset) in enormē exspuitionem cruentam, adeo copiosam, vt totā peluim sanguine impleuerit, cum pure admodū male olente, vt vix aliquis in cubiculo apud ipsum permanere posset, vt abscessus in pectore esse conicerem, ad eum in nocte accitus: ita vt quotidie fere peluim plenam cū sanguine, & pure expectoraret. Cui statim lotiuum medicamentū ex decocto hordei cōmunis cum syr. ex infus. ros. cōmuni exhibui ad detersionem puris: & iussi vt hanc ptisanā pro potu biberet: ℞ *hordei mundati p. j. glycyrrhizæ rasæ ℥. ij.*

vuar. passul. enucleat. ℥ j *fiat decoctio in aqua communi pro lib. j & parum zacharo candi dulcoretur, semel ebulliendo* quo vtebatur pro siti: plurimum enim sitiebat, & non sine febre erat. Et quia valde tussi afficiebatur, sæpe capiebat frustum vnum ex diatrag. frig in rhombis seu rotulis concinnato, & ex eclegmate sequenti, vt sputum non solum cruentum & purulentum, sed & pituitosum subinde melius expectoraret: ℞ *syr. de liquir.* ℥ j ß. *syr. capill. ven.* ℥ j *loch sani* ʒ ij. *syr. viol.* ℥ ß *fiat eclegma, & sumat cum bacillo liquir. ad libitum.* Cum autem aluum non probe deponeret & hoc lenitiuum ebibit: ℞. *electuarii lenitiui* ʒ vj. *diacatholici* ʒ ij. *dissolue cum* ℥ iij. *aqua vngulæ caballinæ, syrupi ex infus. ros. capill. ven. an.* ℥ ß. *mis.* & accepit in diluculo. Postea magis febricitauit sub noctem, eratque febris satis continua: & quia robustus erat, tam ob sanguinis sputum, quam ob febrem, venam secuimus in brachio dextra ex basilica vena, sanguine vtcumque extracto, & videbatur paulo melius habere. Decocto sequenti vtebatur: ℞ *hordei mundati m. j vngulæ caballinæ m. ij. glycyrrh. rasæ* ʒ. iij. *vuar. passul. enucleat.* ℥. j. *vuar. corinth.* ℥ ß. *ficuum num. v. fiat decoctio in aqua communi pro* ℔. 1. *col. adde syr. iuiubini. pap. viol. an.* ℥. j. *ad contemperandam acrimoniam, misce.* Et semper bibebat ex sua ptisana loco potus. Et pro tussi vtebatur diatrag frigido in tabulis; & post aliquot dies etiam hoc eclegmate: ℞ *syr. iuiubini.* ℥ ij. *syr. de liquir.* ℥ ij. *syr. capill. ven.* ℥. ß. *zacch. penid.* ʒ. iij. *diatrag. frig.* ʒ ij. *misce, fiat linctus*, sumat cum baculo liquirit. ad libitum: & quia dolebat in pectore, totum thoracem inunxit cum oleo amygdal. dulc. & longo tempore sub noctem (ne ex acrimonia materiæ & ex pure fieret vlcus cauum, & ad pulmonem procederet) vtebatur amygdalato in hunc modum parato: ℞ *amygd. dulc. depilat.* ℥ ij. *sem. quat. frig. maior. an.* ℥ ß. *cum aqua furf. fiat amygdalatum pro* ℔ j. *dulcoretur parum cum zacch. perlato.* Quibus remediis cum videretur euasisse, & melius habere, post mensem subito rursus incidit in sanguinis sputum copiosum floridum, ita vt suspicio esset ex vena pulmonis corrosa euenisse, cum maximo impetu, vt totam peluim impleret. Quare coacti fuimus astringentibus vti, & dedimus bolum armenum verum bis aut ter ad ʒ j cum vino Gallico rubro adstringente, & vtebatur continuo decocto astringente in hunc modum: ℞ *rad. symphyti* ℥ j. *bellidis minoris, pulmonariæ, vngulæ caballinæ, portulacæ, plantag. an. m. j. sem. acetosæ, portulacæ an.* ʒ j. *fiat decoctio in aqua communi. pro lib. j. colaturæ adde syrupi de portulaca, myrtill. an.* ℥ j. ß. *misc.* continuo etiam sumebat *syr. de portulaca*: & portulaca continuo in cibo suo vtebatur, etiam conditis ex conser. ros. veteri, rad. symphyti conditi, adiuncto bolo cum syr. de portulaca: & tandem sputum sanguinis cessauit: hac etiam confectione in tabulis frequenter vtebatur: ℞ *specier. diatrag. frig.* ℈ ij. *boli armeni veri* ℈ j. *dissolutis in aqua vngulæ caballinæ, adiecto zacchar. albiss.* ℥ j. ß. *fiat confectio in tabulis.* Postea cum minus sputum cruentum exiret, & tamen adhuc valde tussiret, subinde tenuo capiebat solum ex diatrag. frig. in tabulis. etiam ex hoc syr. longo bis ter ue reiterato: ℞ *vngulæ caball. m. j. aub....* [illegible] *rad. pulmonariæ, veronicæ an. m. j. vuar. passu. enucleat.* ℥ j *vuar. corint.* ℥ ß. *fiat decoctio in aqua vngulæ cab. pro* ℔. j. *dulcoretur zacharo albiss. & iterum bulliat ad consistentiam syrupi longi* Postea rursus parum sanguinis cruenti reddebat, & ne rediret, semper sub noctem vtebatur hoc hordeato: ℞ *hordei mundati p. j. amygd. dulc. depilat.* ℥. j. ß. *sem. quat. frigid. maior. mundat. an.* ʒ ß. *fiat hordeatum pro* ℥ x. *dulcoretur parum cum zaccharo perlato:* ℞ *conseruæ borag. ros. an.* ʒ. iij. *manus Christi cum perlis* ij ß. *syr. iuiubini, myrtini. ana.* ʒ ij. *misce.* sumat ad libitum, etiam post assumtam confectionem in tabulis ex diatrag frig cum bolo (& quia adhuc sanguinem expectorabat) cochlear vnum atque alterum subinde sumebat ex decocto sequenti: ℞ *rad. consolidæ maioris* ℥ j. *pyrolæ, bulgæ, vngulæ caball. polygoni. an. m. j liquiritiæ rasæ* ʒ ß *fiat decoctio in ceruis. communi pro* ℥. ix. Interea fuit idem decoctum reiteratum, & vtebatur omni die ter aut quater ℥ ß. *conser. ros. veteris*: & pectus inungebat ac locum dolentem oleo amyg. dulc. & myrteo: & sæpissime sumebat particulam vnam rad. consolidæ maioris conditæ. Quibus intra duos menses (morti destinatus & ab omnibus pro deplorato habitus) curatus fuit. Quanquam postea post aliquot dies cum foras exiisset & bene se habuisset, Dordracum profectus est ad celebrandas filii nuptias, & cum rediret, ac curru Yselmondam peruenisset, flumine traiecto, pedestri itinere Delphos venit, defatigatus, & iterum in sanguinis sputum cum magno impetu hæmorrhagiæ incidit: qui tamen, cum de eius vita alii ac ipse desperaret, iisdem remediis supradictis cõualuit. Et quia postea adhuc tussi afficiebatur, post eclegmata conuenientia, vt subinde lacte caprillo vteretur (ne in phthisim incideret) concessi. Atque his probe curatus, etiam nunc sane viuit, dum hæc rursus recolligeremus anno 1590.

SCHOLIA.

Sedandæ tussi, cui sputum sanguinis est admixtum, medici egregie commendant syr. myrtil. quo & nos in hoc ægro frequenter vsi sumus. Valet etiam syrupus de portulaca in sanguinis sputo, ita & loch de portulaca, quo frequenter præceptor meus Elideus Bononiæ vtebatur, cum philonio persico: nam (vt memini) idem Bononiæ ad puerum quendam vndecim annorum vocatus erat, qui sputo cruento laborabat: cui (me & aliis studiosis præsentibus) ex vena hepatis cum sanguisugis extraxit vncias tres sanguinis: & postea eidem præscripsit, vt sæpius hoc electuario vteretur: ℞ *philonei persici* ʒ j. *loch de portulaca* ℥ ß. *dedit etiam diatrag. frigidum cum bolo. quibus remediis idem sanatus fuit. Matthæus Gradius dat* ℈ iij. *philonii persici vna vice.* Hispanus medicus insignis Bononiæ dabat coralli rub. pub. ʒ j. *cum aqua arnoglossi. Gisbertus Horstius præceptor meus Romæ in nosocomio Mariæ Consolationis dabat* ʒ j. *vel* ʒ j. ß. *lapid. hæmatitidis subtiliss. pul. cum succo granat. vel virgæ pastoris. Benedictus Fauentinus præceptor meus dabat stercoris muris pul.* ℈ ij. *cum aqua plantag.* Hæc mirabilem effectum habent consolidandi venam

di venam ruptam, vel quando cum impetu sanguis erumpit. Vbi autem simul vlcus vel abscessus adsunt, vt in hoc nostro ægro præcedente prius erat, opus quoque abstersione, & vt materia ex pectore educeretur: quod etiam exemplum sequens docebit, cum etiam ex sputo cruento materia viscida adesse possit, vel etiam pus, quæ & expurgari & detergeri debent, atque postea rursus cum impetu fluens astringi debebat.

OBSERVATIO XXI.

De muliere sanguinem putridum, nigrum, & viscidum ab erosione venæ thoracis exspuente.

1. MArgareta Anna Suskenia dicta, mulier annos triginta quatuor vix excedens, quæ Alcmariæ in platea Homilia vocata habitabat, anno 1546. in fine Veris in pectoris quandam angustiam ac dolorem collapsa est: & tandem longo tempore sanguinem putidum nigrum aliquando & pituitæ admixtum expectorabat, quæ proculdubio symptomata originem habuere ex vena in pectore corrosa, prius etiam catarrho vtcumque salso & corrodente prægresso, vt ab ipsa postmodum intellexi: verum cum ita misere vitam traxisset sine medico, tandem cum phthisin metueret, me accersiri iubet. Ad hanc cum intrassem, & eandem reperissem ex hoc diuturno malo progresso, valde debilem esse, venam non secui, sed leuiter omnium primo eam purgaui, cum cassia extracta in bolo, & loco venæ sectionis altero die ad materiæ catarrhalis diuersionem concurbitelis scapulis cum scarificatione applicari iussi, sanguine mediocriter extracto. 2. Præterea cum copiosa materia in pectus illapsa esset, & valde tussiret, sputum sanguinis inhibere noluimus, neque eius impetum impedire, & subito restringere: sed potius nobis visum fuit vtile, iis vti, quæ ad expectorationem facerent, & cum sanguis, quæ exspuebatur in pelui reseruatus, crassus esset & niger, viscidus quoque nonnihil cum pituita mixtus, non tantum opus erat mundificatione, verum etiam leui incisione ob pituitam: insuper & quadam leui lenitione, tum abstersione, vt sputum commodius exiret, & simul materia detergeretur, ne vlcus tantum ex ea oriri posset. Quare & hunc syrupum post ventris deiectionem ex cassia propinaui: ℞ *syr. viol. iuiubini. an. ℥ j. syr. de liquiritia, de hyssopo. an. ℥ ß. aquæ fœniculi, hyssopi. scabiosæ. ana. ℥ ij misc. pro ij. dosibus.* & quia satis ex bolo aluum deposuerat, & aluus postea non ita dura resisteret, purgationem aliam non exhibui: sed vt melius sputa exirent & detergerentur, rursus & hunc syrupum ebibit: ℞ *syr. de liquir. ℥ ij. mellis ros. colati pro maiori abstersione, syr. de hyssop. ob pituitam tenaciorem) an ℥ ß. aquæ fœniculi, borag. hyssopi. ana. ℥ ij. misc. pro duabus vicibus.* 3. Vtebatur quoque inunctione vnguenti pectoralis, nostræ descriptionis. Erat autem in quotidiano vsu apud Adrianum Dodonæum pharmacopœum nostrum, quod ita conficitur: ℞ *olei amygd. dul. ℥ iiij. butyri sine sale. ℥ iij. axungiæ gallinæ, olei chamomill. viol. an. ℥ ij. axungiæ anatis, medullæ crurium vituli, vel bouis ℥ j. ceræ albæ. ℥ j ß.* hic cera alba magis conueniebat ob aliquam roborationem & astrictionem quam citrina, vt paulo post dicemus) *muccilag. seminis psyllii, lini, fœnograeci, althææ. an. ℥ j ß. gummi tragacanthi; arab. an. ℥ ij. ß. confice sic: gummi tragac. & arab. ponantur in s. q. aquæ viol. postea colentur per cribrum, & addantur vnguento post concussionem & permixtionem muccilaginum & vsui reseruetur.* 4. Valerius Cordus simili quodam vtitur, cuius hæc est descriptio: ℞ *muccilag. sem. psyllii, tragac. gummi arab. sem. lini. fænug. an. ℥ j. adipis gallinæ, medulla vituli, butyri recentis loti cum aqua viol. ana. ℥ j. ß. olei viol. olei amygd. dul. ana. ℥ j. ceræ albæ. q. s. fiat vnguentum.* mitigat dolores pectoris & tussim, digerit, maturat, facilitat sputum & resoluit pleuritidem. Loco autem vnguenti pectoralis, cum Delphis in vsu non sit, vtimur commode vnguento resumtiuo, quod apud eos ita conficitur: ℞ *axungiæ porcinæ recentis. ℥ ij axungiæ gallinæ, anseris, anatis. an. ℥ j œsypi humid. ℥ ij olei viol. chamomili. anethini. an. ℥ j. ceræ albæ ℥ iij gummi trag. sem. cydon. muccil. sem. lini, althææ. an. ℥ ij sem. fœnugraeci. ℥ ij gummi arab. ℥ ij. fiat vng. secundum artem.* At alii duo pharmacopœi seniores relinquebant gummi arab. & muccilag. cydon. quo & nos communiter vtebamur. In istis vnguentis relaxantibus Rondeletius ponit ceram citrinam, vide plura apud eundem in sua Officina. 5. Sed in hac muliere potius alba addi debuit. Ceterum inuncto pectore postquam & subinde bolo cum diatrag frig. vsa fuisset, sanguinem minus exscreabat: sed ob materiam muccosam quasi purulentam, ideo & hoc eclegma contino, lambendum dedimus: ℞ *diatrag frig. in tabul. zacchari candi ana. ℥. ß. loch de pino ℥ vj. loch sani. ℥ ij. syr. de liquir. q. s. fiat eclegma;* deinde continuo vtebatur tam pro abstersione quam consolidatione conseru. ros. duorum annorum: valet enim egregie, vti & zaccharum ros. quo solo mulierem tabidam Auicenna curauit. Quibus quidem remediis & hæc mulier, cum omnes eam tabe affectam & consumtam iudicarent, etiam victus ratione probe obseruata, quam descripsimus scholio præcedente, cum multorum admiratione curata fuit.

SCHOLIA.

6. QVod si adhuc non est factum vlcus, tunc cum catarrhus descendit, potest hic prouidentia adhiberi, sistendo catarrhum acrem, vt paulo ante diximus, vel eo modo, vt cap. de catarrho scriptum est. Quod si illa in principio fuissent peracta in hac muliere, non ita diu laborasset, & malum eo progressum non fuisset: quamuis nunc cum maiori periculo euaserit. Nam & in catharrho & in erosa vena corpus purgabimus educentibus excrementa acria, siue biliosa sint, siue exusta: vel serum putrefactum, & temperabimus sanguinem, & in hoc purgatio ex sero lactis iuuat: & potius postmodum lactis, & balnea & cetera, de quibus dictum est, quæ temperant acritudinem. Aliquando tamen nec in pectore, nec in pulmone est malum, sed in aspera arteria fit vlcus ex catarrho, quod sane insanabile non est. Cur autem potius hac parte sanetur, caussa est, vt similiter annota-

uit Iacchinus, primum quod medicamenta facile applicantur, tum extrinsecus vlcus siccantia, tum intrinsecus, sensim delapsa: & sunt ea, quæ adduximus ad cruenta sananda, tum emplastica, tum linctus, vt consolidæ maioris radix, & portulaca, & terra lemnia: si sordidum, extergente & siccante est opus. Secundo, quoniam pars natura sicca est, ideo leuiter putredinem suscipit. Situs quoque facit lubricus, vt non facile ibi figantur acres humores. Hinc Galenus recitat multos sanatos libr. 5. meth. med. sed præcipue eos, qui ex febre pestilenti in hoc inciderant mali, quod erant sicca vlcera & scabiei similia, vnde exigua ope sanabantur. Hæc autem est vlceris curatio. Quod vero talia essent vlcera, ex sputo monstrabatur, quo crustulæ educebantur. Maxime vero ad horum sanationem facit, quod sane euenit iis, qui sunt corpore adhuc vegeti, siccare oportet, & curare cura catarrhi acris & erodentis, cum siccantibus & temperantibus sanguinem. Sed hos securitatis gratia, ad Tabias & lactis vsum demittebat Galenus, vt loco citato ad longum videre poteris. Videtur autem collem talem describere, qualis ille est apud Iacchinum in sua patria, S. Iuliani dictus, apricus, non procul a mari, & herbis siccissimis consitus, vnde lac idoneum. Dicit autem Galen. Tabias in imo maxime sinu esse, qui inter Surrentem & Neapolim conspicitur: magis tamen in latere, quod ad Surrentem pertinet. Reliqua vide apud Galenum loco citato. Sic enim Galenus omnes, qui primo die se illi curandos permiserunt, sanauit: qui vero post duos aut tres, non omnes curauit: sed aliquibus eorum insanabile vlcus fuit. Quotquot autem phlegmone sic occupauit, vt iam febricitaret, horum nullus est in totum persanatus. Sed qui postea sic per omnia præsidia rite transierunt, vt siccaretur vlcus, ii tantum saltem lucri fecerunt, vt illud nec vltra progrederetur, nec maius fieret, sed siccatum, ac callo duratum, longiore vita frui hominem sineret. Sed illi, qui vlcus in pulmone habebant, insanabiles eidem videbantur.

7. 8.

OBSERVATIO XXII.

De sanguinis sputo per periodos recurrente.

1. VIR quidam annos quadraginta, vel paulo minus habens, bona constitutione, minime febricitans, conquerebatur, se iam ter sanguinis sputo vere instante laborasse, absque tamen pectoris dolore, cum tussi exigua. Quem rogaui nũquid sanguis e naribus fluere soleret, vel num aliquando hæmorrhoidũ fluxione laborasset. Quod cum didicissem & ab eo intellexissem, cum nunc sputo laboraret, quando me accedebat, ilico sanguinem extrahere iussi ex brachii vena interna, & bene habuit. Venit mihi tunc in mentem similis casus apud Amatum cent. 2. curat. 13. descriptus de Angelo de Prato singularis doctrinæ viro: qui hæmorrhoides solitus erat habere, & copiosum sanguinem emittere: qui sanguis per remedia adhibita ex toto cohibitus fuit. Vnde veris statuto tempore sanguinis reiectatio illi superueniebat, cui 2 post venam internam brachii sectam, cum bene haberet, deinde imperaui, vt singulis sequentibus annis antequam morbus ipsum inuaderet, venis hæmorrhoidalibus dictis hirudines admoueret, sanguinemq; traherent quoad deciderent: qua sane diuersiua euacuatione, homo absq; sanguinis ex pectore reiectione, sanus & incolumis perseuerabat. Idẽ quoq; consului, vt noster æger faceret.

SCHOLIA.

3 *Anastomosis & eius curatio.* ERat hæc anastomosis, quam euenire diximus, vbi fusus sanguis, & ita ruens in venas, & replens tandem minores, ora aperit, vel natura proritata, sicut profluuia mensium euenire solẽt: quibus in mulieribus cessantibus, vt ait Hippocrates, mala euenire solent: ita & hæmorrhoidibus constrictis his euenit, & ita hæc anastomosis simili ratione contingit, quod nos pluries vidimus. Curatio eadem est, qua vtimur in sanguinis profluuiis aliis. Primum igitur reuulsione valida vti licet, non adeo leui, vt in rupta. Sed si a multitudine fusio facta sit, vtemur ad remota valde. Fit autem reuulsio non modo, ne multus nimium vacuetur sanguis, sed & quia per regionem conuenientem non fertur: ideo tametsi vacuatione est opus, at ea tamen non facienda est via, sed alia vtemur. Vtemur etiã aliis reuellentibus, quæ dicta sunt. Dehinc & apertioni medebimur, hoc autem fiet adstringentibus tum ebibitis, tum foris appositis, & sunt ea omnia, de quibus supra mentio facta est. Hic & diapedesis *Diapedesis.* curatur: poterit & æger simili modo purgari, vt de erosione dictum est, interea sanguis magis retinẽdus, glutinantibus & obstruentibus, quam obtundentibus acrimoniam. Solet enim hoc fieri vel ob venæ raritatem, vt diximus, vel ob sanguinis tenuitatem, & ob id laudantur alimenta, quæ emplasticam vim habent, & obstruentem, vt polẽta cum lacte, & omnia, quæ ex lacte & farina parantur.

OBSERVATIO XXIII.

De sanguinis sputo ex ore & gingiuis profluente.

SAnguinem ex ore & gingiuis simplici exsputione diximus posse expelli, quod & sensus diiudicat, cuius exemplum posuimus obser. 17. libr. 14. Ita 1. etiam mulier maniaca, quæ Delphis in aggere nouo habitabat, anno 1565. cum epulidas nigras tumidasque ac plumbeas haberet, ex ore, gingiuis & palato sanguis continuo emanabat. Chirurgus carcinomate affici, & noli me tangere, affirmabat. At nos hæc infrascripta cum adhibuissemus remedia, mulier maniaca & melancholica curata fuit: ℞ *flor. borag. summitatum lupul. cochlear. bekabungæ, nasturtii aquatici, fumariæ, ana. m. j. sem. anisi* ℨ j ß. *rad. fœni. petros. cichorii. ana.* ℨ j. *glycyrrh. rasæ* ℨ ß. *foli. r. senæ* ℨ j. *epithymi.* ℨ ß. *polypod. querc.* ℨ vj. *vuar. passul. enucleat.* ℨ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔. j. *stent infusa per noctem, & colat. adde syr. de epithyme* ℥ ij. *syr. de fumoterræ.* ℥ j *misce pro* iij. *dosibus matutinis*, quibus quotidie ad minus sexies valde melancholica & copiosa excrementa deiecit: ℞ *plantaginis, equiseti, bistortæ, bekabungæ. an. m j flor. ros. rub. cochleariæ. ana. m. ß. coquantur in aqua ferrata pro* ℔. j. ß. *aluminis.* ℨ iij. ß. *semel ebulliant & iterum colentur, addendo mellis ros. colati* ℥ ij. ß. *syr. sceletyrbici nostri.* ℨ. j. *misce.* quo gingiuæ fortiter abluantur, vt sanguis corruptus

ptus egregie defluat. Demum hoc linamento gingiuis sanguifluis inunctis non amplius sanguis effluxit: ℞. *succi bekabungæ* (alii cæpæam vocant) ℥ ij. *succi cochleariæ* (alii telephium esse putant) ℥ j. *succi fumariæ* ℥ ß. *balaust. ros. rub. exsiccatorum & puluerizatorum. an.* ℥ ß. *pul. saliuæ siccæ* ℈ j. *aluminis vsti* ℈ ij. *mellis q. s. fiat linamentum.*

SCHOLIA.

3. Curatio cruenti sputi si ex gingiuis proueniat.

QVanquam hæc ad Scurbutum malum pertinet, de quo suo loco dicemus, si idem malum fiat absque scurbuto, exiguum est: nam vbi ex gingiuis sanguis exit vel spuitio cruenta sequatur, portulacam manducasse (Celso auctore) satis est, vel os ad gingiuas colluemus cum stipticis acerbis & gingiuas roborantibus, vt decocto plantag. ros. gallar. portul. balaust. ex gargarismis, vel ex iis linimenta parata adhibebimus. Si ex ore sanguis fluat, proderit continuisse eo merum vinum, si id parum proficit, acetum, quo & lingua secta, si sanguinem nimium profundat, iuuat, adiecta aqua. Celsus, si impetuose ab ore profluat, cucurbitulam occipitio admouet: si id mulieri euenit, incisis inguinibus admouenda. Conueniunt & collutiones ex astringentibus cum vino rubro. alii sanguinem etiam mittunt ex vena humerali, alioqui in talo in mulieribus si menstrua non ferantur.

A b ore.

4. Si ex faucibus aut gurgulione.

Si vero ex locis circa fauces aut gurgulionem sanguis feratur aut per palatum, gargarissare iisdem oportet, & astringentia fronti & capiti admouere, & ea quæ ex naribus sanguinem fundentibus accommodantur, *Paulo teste*. Et si sanguis ex gutture fluat, sæpe ad rem fecit sola portulaca manducata, prosunt & gargarismata constringentia, de quibus satis dictum est, cum de malis gutturis loqueremur, cum & de sanguisuga gutturi inhærente diximus.

A capite.

Si a capite sanguis feratur, multusque sit, qui defertur, euacuatione opus erit, ex Aetii sententia, vel per nares vel vena secta, deriuando ad propinqua, aut ad longinquas partes diuertendo, frontem quoque acacia & tempora illinemus; & cucurbitam occipitio, ex Cælii Aureliani sententia, apponemus. Et licet nihil periculi adferat, si tamen vires deiicit, cephalica incidenda, & gargarismis astringentibus vtendum, & cibis stipticis & vino rubro. Si autem defluat a capite ad pulmonem, curabimus vt prius dictum est de spuitione cruenta ob destillationem.

OBSERVATIO XXIV.

De vomitu sanguinis.

1.

SAnguinem e iecinore aut liene quandoque per ventriculum vomitione reiici, testatur Galenus libr. 5. cap. 5. A quocunque autem viscere, siue a quacunque parte in ventriculum influat, semper cum molestia, violentia, magna virium prostratione, ac λειποθυμίᾳ euacuatur: frequenter enim in ipsa vomitione, ægri deficiunt, veluti Guilhelmo Iohanni Prætori Alcmariano, auunculo vxoris meæ, contigit, qui cum vina calidissima in secundis nuptiis filii sui largius bibisset anno 1547. ipso D. Augustini festo subito sublatus est, cum ingenti impetu sanguinis, nescio quot heminas infra & supra deiecisset. Nos autem cum Oudtgero Medico seniore Amstelrodamensi ad eum ingressi, venam cauam ex multitudine vini acris rupturam esse existimauimus, cum tantum sanguinis profudisset, vt & integram situlam repleuisset.

2.

Facile quoque deficiunt ægri, præsertim si ex iecinore efferatur: veluti etiam accidit cuidã M. Guilhelmo Brasserio Theologiæ licentiato Delphensi, cui sanguis ab hepate ad ventriculum deferebatur, & ex eo demum vomitu expellebatur. Huic enim dextrum hypochondrium dolebat, & tumor aderat, sanguinemque modo grumosum, modo purum euomebat. Hic bis a me curatus fuit, cum plus quam tres heminas sanguinis, tam supra quam infra deiecisset. Hic autem vino admodum calido & potenti delectabatur, cui valde indulgebat, quamuis per me admonitus, vt ab eiusmodi vinis abstineret. Ceterum his admonitionibus postpositis, apud amicos cum largius iis vteretur, tãdem in idem malum cum tertia vice prolapsus esset, & per superna ac inferna sanguinem adeo copiose profudisset (non aliter quam bos iugulatus sanguinem effundit) & cum magno impetu indesinenter euomuisset, mox e vita sublatus est.

3.

Ioannes Bokellus Delphensis vino repletus cum ex mensa saltasset, incidit in vomitum sanguinis enormem, vt plusquam sex vel plures heminas sanguinis euomeret, adeo vt pro mortuo haberetur: fuit hic tamen per me curatus, quanquam postea ex nimio illo sanguinis vomitu, cumque sanguinem copiose simul per anum excreuisset cum magno impetu, hepar debilitatum fuit, neque bonam victus rationem obseruans post vnum atque alterum mensem cæpit venter intumescere, neque tunc mea opera, nec aptis remediis vtens, tandem ad hydropem deuenit, & medicum quendam Paracelsicum ad se vocauit, qui ei sanitatem pollicebatur, variis & multis præsidiis vtens, iisque vehementissimis, indies in peius vergebat, & venter quotidie in maximam molem increuit, vt iam ascite confirmata laboraret, viribus paulatim absumtis, tandem post sex menses alium medicum adhibuit: cum nec ille aliquid proficeret, me tunc in consilium vocarunt, etiam alio chirurgo præsente, qui vna cum medico altero paracentesim proponebant, qua & salutem ægro promittebant, quam ego tamen admittere nolui, certis rationibus adductus; cum vires iam prostratæ essent, & cum sanguis prius copiose & sine mensura effusus esset, vnde postea ascites, & nunc vires deiectæ, vt æger ex lecto se mouere non posset, quin animo deficeret, validis medicamentis prægressis: & ideo nequaquam paracentesin fieri debere, nec tantam tyrannidem sufferre posse dixi; & si fieret in homine in partibus superioribus iam macie consumto, facie nigra, temporibus collapsis, quod intra 24. horas mortem subiret.

4.

Itaque cum paracentesin, nequaquam admittere vellem, me reliquerunt. Interea tamen abstinent ad tempus a paracentesi: quam postea apud ægrum vrgentes perfecerunt; sed cum vtriusque ignominia, adeo, vt cum aqua profusa altero die æger exspirauerit, ita, vt prædictionem meam veram fuisse, proh

dolor: parentes serius experti fuerunt. Qui vero a vomitione sanguinis in ascitem prolabuntur, ex eadem pereunt. Ab hac autem neminem, etiamsi sanguis ex liene fundatur, Dodonæus quoque seruatum nouit: cum idem referat mulierem quandam post frequentes vomitiones in ascitem incidisse, quæ licet sanitati restituta videbatur, & ab aquoso humore liberata; paulo tamen post, denuo sanguinis vomitione superueniente, exstincta est. Ita & alius quidam vir ex frequenti vomitu sanguinis asciticus factus fuerat: per prominentem vmbilicum laneo filo siue licio transmisso; aquosus humor sensim affluxerat, sed nihilominus nō multo post mortuus est. Quibus vero ex liene sanguis funditur, raro in prima vomitione deficiunt, sed vel recurrente subinde sæpius vomitione, pereunt, veluti cuidam accidit, cum tertia vice, vomitione sanguinis ex liene vtcumque copiosa, laborasset, & hic quoque obiit. Qui cum vino Hispanico libenter vteretur, admonui illum, vt ab eo abstineret, alioqui eum, cum bis atque ter a vomitione curatus esset, ea redeunte, moriturum: quemadmodum eidem, non obtemperanti nostris monitis, contigit. Verum Andreas monachus in abbatia Egmondensi, anno 1550. mense Augusto iuuenis annos viginti tres natus, in vomitum enormē sanguinis cum incidisset, plus quam tres integras matulas sanguine putissimo repletas vomuit. Quod equidem multi mecum & famulus pharmacopœi Alcmarianus viderunt. Cum aluum non redderet, ad diuersionem glande indita aluum deposuit: & quum debilis esset, sanguinis vomitione violenta exsistente, ita vt nulla sanguinis detrahendi (quod nonnulli præcipiunt) occasio relicta esset, diuersiones, veluti brachiorum ac crurum frictiones, adhibuimus, & vnice laborauimus, vt vires conseruarentur & lapsæ repararentur: nam tales (vt iam diximus) creberrime in ipsa vomitione, & citissime deficiunt. Et hunc syrupum ebibit: *℞. syr. ex ros. siccis, de end. an.* ℥ j. *syrup. de cichor. cum rhabar.* ne in grumum sanguinis conuerteretur) *syrup. de portulaca. ana* ℥ ß. *aquæ end. portul. plantag. an.* ℥ ij. *misc. pro* ij. *dosibus.* Cum autem plurimum sitiret, *capiebat ex syr. de ribes, & rob de ribes, & syrup. viol.* Postea vero, cum & sanguinem concretum euomeret, & plurimum augeretur, noluimus subito sanguinem astringere: ideo aquam decoct. hordei communis dedimus cum syrup. ex infus. ros. communi pro abstersorio medicamento. Sed paucis horis interiectis, cum iterum copiose sanguinem euomeret, hanc potionem ebibit: *℞. syrup. ex ros. siccis. syrup. cydon. an.* ℥ j. *mellis ros. colati* ℥ ß. *aquar. plantag. scabiosæ, vngulæ caball. an.* ℥ ij. *misc. pro* ij. *dosibus.* & pro paulatina restrictione ex hoc condito vtebatur: *℞. conser. ros. antiquæ* ʒ j. *conseru. bugloss. capill. vener. an.* ʒ ß. *pul. specier. trions.* ʒ ß. *trochisc. de carabe.* ʒ j. *cum syr. myrteo, ros. ex ros. siccis. q. s. pro condito.* Quibus cum sanguis nondum restringeretur, & rursus integram matulam euomeret, & animo fere deficeret, quasi iam moriturus, vltima inunctione munitus, vt hinc emigraturus, attamen hanc potionem infrascriptā dedit: *℞. mummiæ* ʒ j. *succi equiseti* ℥ j. *aquæ plantag. equiseti. an.* ℥ j. ß. totum frigide cum ebibisset, sanguis restrictus est, neque amplius vomuit: ventriculo quoque exterius inuncto cum oleo myrteo & cydon. aluo deinde ad quatuor dies adstricta remanente. Et cum debilis esset, neque ex lecto moueri posset, medicamentum aluum mouens aut leniens per os dare minime ausus fui, ne vomitus sanguinolentus denuo rediret, quare iniecto clystere, ter quaterque aluum deposuit, in hūc modum parato: *℞. iuris galli decrepiti.* ℔ j. *cassiæ mundatæ* ℥ j. *olei amygd. dulc. viol. ana* ℥ j. ß. *salis* ʒ j. *misce pro clystere.* quo ter quaterue excrementa prius dura, mox mollia deposuit, cum maxima alleuiatione, virtute roborata, vomitu nō amplius subsequente. Ceterum cum parum tussiret, & minus dormiret, ne iterum in vomitum incideret, eclegma sequens ad libitum sumsit: *℞. syrup. myrtini.* ℥ j. ß. (sedat tussim & vomitum compescit) *syrup. papau. syr. iuiubin. ana* ℥ ß. *muccag. cydon. extractæ cum aqua vngulæ cabal.* ʒ ij. *syr. viol. de liquir. ana* ʒ iij. *diatrag. frigid. in tabul. zacch. penid. ana* ʒ ij. ß. *probe mixtis: fiat loch.* Interea in ore subinde tenebat modo zacch. candum, modo diatrag. frig in tabulis, eaque paulatim deglutiebat. Pro somno inducendo tempora illinebat oleo pap. mandrag granis tribus opii adiectis: & eclegma sequens sub noctem sumsit: *℞. succi flor. nenuph. albi depurati, syrup. pap. an.* ℥ j. ß. *misce.* Quibus remediis tussis cessauit: neque vomitus rediit, fuitque miraculi instar curatus. Quamuis post duos annos pancratice viuens, vt mihi postea relatum est, ex catarrho acri ad tabem tandem deuenit, & cum frustra a Gallo medico (nam ad eum illo tempore non accitus fui) sanaretur, phthisi obiit. At vxor Iacobi Schot mercatoris Delfensis, cum febre satis continua laboraret, & dolorē in hypochondrio dextro sentiret, sanguinem tandem euomuit, modo concretum, modo magis purum, & per inferiora sanguinem quoque deiiciebat, mulier valde obesa. Ad hanc vna cum Busennio doctissimo collega meo mense Decembr. anno 1584. accitus, cum satis robusta esset, ilico venam in brachio dextro ad diuersionem, & etiam ad febrem secari vna iussimus, mediocriter sanguine extracto, & satis contulit. Hypochondrio dextro ceratum admouimus ex vnguento santalino, cui pauxillum olei chamomill. ros. & anethini: ob dolorem, admixtum esset; pauca cera alba, & exigua resina adiecta, vt melius adhæreret. Et cum postea ex sanguinis reiectione valde debilis esset, sumebat ex his tabulis bis in die ʒ j. ß. vel ter. *℞. specier. diarod. abb.* ℈ j. ß. *spec. trions.* ℈ j. *spec. diamarg. frig.* ℈ ß. *dissol. in aqua borag. & portul. adiecta zacch. albiss.* ℥ j. ß. fiat confectio in tabulis. Postea & hypochondrio dextro solum ceratum santalinum apponebatur: & hoc condito (redeunte subinde vomitu, & cum per inferiora sanguinem excerneret) vtebatur: *℞. conser. ros. antiquæ.* ℥ j. *diacydon. sine speciebus* ʒ iij. *specier. trionsant.* ℈. ij. *spodii* ℈ j. *margar. subtilissime tritarum* ʒ ß. *syrup. cydon. quan. s. fiat conditum:* vtebatur pullo cocto portulaca adiecta, & nodulo ex rhu obsoniorum iniecto: ius potissimum sumebat, vel eiusdem colaticium. Cum circa sto-

ca stomachum etiam doleret, hanc mixturam capiebat, quæ & hepati conueniebat: ℞ *conseruæ absinthii Romani ℥ j. conser. folior. acetosæ ℥ ß. specier. diarod. abb. specier. trionsan. an. ℈ j. fiat mixtura.* Similiter & hanc postea capiebat: ℞ *conser. fol. acetosæ, cons. absinthii Rom. an. ℥ ß. conser. bor. ros. ana. ℥ ij. specier. diarod. abb. arom. ros. sine musco, specier. trionsan. an. ℈ ß. fiat mixtura.* Et febris eam relinquebat & vomitus desiit, tamē subinde tunc sumebat ex syrupo menthaceo, & quia hæc valde obesa esset, ne in hydropem incideret, ad hepatis roborationem & eiusdem deobstructionem fotu quoq; vsi sumus, in hunc modum parato: ℞ *menthæ, flor. ros. rub. an. m. j. absinthii Romani p. j seminis myrtill. ℥ ij. coquantur in aqua communi & vino rub. pro ℔. j. post colaturam addendo aceti ros. ℥ ij. misce.* sumebat & ad roborationem ventriculi syr. mēthaceum & byzantinum, duo cochlearia bis in die. Et cūm postea adhuc dolore ventriculi afficeretur, & toto ventre, cum lubricam aluum haberet, ad roborationem ventriculi. ℞ *vnguenti stomac. ℥ ß olei cydon. ros. an. ℥ ij.* postea & huic linimento guttas tres olei garyoph. & olei cortic. limonis, ad meliorem odorem adiecimus. Cum circiter mensem decubuisset, cum multorum admiratione sanitati fuit restituta. Ob debilem stomachum ceratum vltimo ex sola mastice vtriusq; nostrum consilio ventriculo impositum fuit.

11

Scholia.

12 *Vomitus sanguinis ab hepate.*

BRassetio ac Ioanni Bokello, ac mulieri vomitus sanguinis & per inferiora eiusdē deiectio, proculdubio ab ipso hepate originem habuere: nam in dextra parte (vbi hepar situm est) aderat dolor & tumor, cum & sanguis ipse grumosus subinde exsisteret, atq; in ventrem seu ventriculū deferretur, cum etiam copiose & cum impetu expelleretur: sanguis enim si e stomacho educatur, præterquam quod vomitione excernitur, nō magna est sanguinis eruptio: graciles etenim sunt stomachi venæ, vt inquit Aetius: & cum nausea quoq; sanguis effertur, ac in deglutiēdo mordacitas percipitur, maxime si astringentia aut acria deglutiantur, vt antea dictum est: & sanguis quoque aliquando cum cibo, modo etiam cum pituita aut bile permistus, effertur. Hoc modo Theod. Forestus frater meus (cuius mentionem quoque fecimus in lib. Obs. de febribus) sanguinem cum cibo & pituita, sed in exigua quantitate, euomebat. hic & melancholia hypochondriaca multis annis laborans, a me curatus fuit. Alius sanguinem ex liene, in ventriculum delatum euomebat, grumosum & magis nigrum, qualis a splene in ventrem fertur. Scribit Dodonæus, se multos cognouisse sanguinem vomitione ex liene reiiciētes, qui pallentes fuere, & in quibus sæpenumero sinistro hypochondrio tumidus splen manifeste (vt in illo qui sanguinem copiose ex liene euomebat) sentiebatur, sed ante vomitionem: nam ex vomitione, exonerato iam splene, subsederat tumor, nec deprehendi poterat. Plerique horum tertia aut quarta vomitione, vel etiam frequentiore (multis inter singulas mensibus, vt plurimū intermediis) perierunt: sic & æger ille, de quo in obs. præcedente dictum est, post tertiam vomitionem: alii post crebras vomitiones in ascitē lapsi, tandem & mortui sunt. Refert aūt idem Dodonæus vnum aut alterum suo consilio post vnicam vomitionē seruatum, & quidem frequēti absinthii quoquo modo vsu, vt in suis Stirpium historiis cap. de absinthio scripsit. Verū Bokellus noster ex copioso vomitu sanguinis asciticus factus: neque paracentesis vllo modo profuit, cum statim post eandem peractam obierit. ita neq; in viro illo, de quo meminit Dodonęus, qui a frequenti vomitu sanguinis ascitem incurrerat, per prominētem vmbilicum laneo filo transmisso, licet aquosus humor sensim effluxisset, quicquam profuit, cum & postea mortuus fuerit. Illius enim lien sanguini concreto similis, substantiæ soliditatē haud retinens, facile in partes soluebatur: quandoq; siquidem, cum venter amplius distēdi nequit, vmbilicus foras irrumpit, & in tumorem attollitur, aquoso distentus ac repletus humore: quod Græci ὑδρόμφαλον appellant. Et tunc quidem per hunc laneo filo transmisso, vel etiam eodem scalpello aperto, humor effluit, nullo subsequente fructu alio, quam quod æger a distentatione ventris pauco tempore liberetur. Prius enim quam vmbilicus erumpat, iam interna viscera corrupta ac putrida sunt: proinde sanitas nec exspectari nec sperari potest, multo minus in nostro Bokello paracētesis auxilio esse potuit, nō solum hepate corrupto, sed viribus ad extremum collapsis: quare etiam statim ab effusione aquę intra 24. horas, vti prædixeramus, obiit. Nā, vt Hippoc. prorhet. lib. 2 Eum qui ab hydrope, siue aqua inter cutem correptus est, & superstes esse valet, bonis visceribus præditum esse oportet. Pręterea, vt omnes medici sentiunt, in talibus (multo minus in iis, qui vires prostratas habēt) vtilis esse potest paracentesis: imo adeo periculosa est, vt mox mortem inferat, vt huic nostro ægro contigit, vti prius prædixeramus: ex quo prognostico nos honorē habuimus, alii vero infamiam. Qui aūt sanguinem ex iecinore reiiciunt, raro euadunt, & ij multo minus, qui vino largiore, eoq; potenti vtūtur, vt iam exemplis constat: a splene quoq; raro liberantur. Ita & Hadrianus Schoonhoueus Delphensis hypodidascalus, cum sanguinem grumosum & nigrum per interualla euomuisset, postea in tabem incidit, a quā euadere non potuit: quem & collega meus Cornelius Heydius curabat. Quicunque sanguinem copiose vomunt, etiam tussiendo, & largiore vini potu, raro curantur. Sic miles quidam, iuuenis annos natus 29. cum integras noctes diesque more militum vino calidiore sese impleuisset, & frequenti coitu supra modum se fatigasset vena in pectore ei rupta est, adeo vt tussi integram concham seu peluim tonsoriam sanguine, quem vomebat, repleuerit, & simul in febrem continuam inciderit ac delirium, ita vt nulla remedia, quantumuis apta adhibita iuuare potuerint: vnde non diu post mors subsequuta est, delirio eidem ad finem adhærente. Ceterum, quod ad curationem attinet: venæ sectionem ad diuersio-

13 *Ex liene.*

Ex stomacho

1

ὑδρόμφαλος

15

16

nem in exigua quantitate, vel etiam repetitam valere diximus: his quidem vena incidenda est (modo vires ferant, vt in muliere fecimus) in cubito statim basilica dicta, si ex hepate in ventrem deferatur. Si a splene, incidenda erit vena, quæ inter paruum & annularem digitum in sinistra manu est: sic namque probe & proprie auxiliaberis. Hepati vero quidam etiam ventosam siccam imponunt ad sanguinis retractionem: sed in corpore plethorico non facile adhibenda: & præstat vincula partibus extremis iniicere. Primo ad inferiora, postea ad superiora, deinde ad styptica & adstringentia veniendum, de quib. satis dictum est: & prout vas magnum ruptum est, eo magis adstrictorii vtendum: etiam topica adstringentia membris ipsis adhibenda, tamen cum cautione, non ante diuersionē. Si ex stomacho sanguis feratur, venæ sectio quoq; ad diuersionem iuuare potest, tum alia iam sępius dicta. Interea considerandum, numquid sanguis in grumum concrescat & pessima accidentia inferat. Etenim non solum in ventriculo, sed etiam in pectoris cauo vel pulmone si cōglobetur, statim periculosa symptomata apparent: extrema frigore corripiuntur, venarum pulsus intercipiuntur, anhelitus creber fit, anima exitialiter deficit, mirumque quod humorum naturæ familiarissimus tam subito effusus speciem veneni gerat: tunc ilico dissoluendus erit sanguis in grumum congelatus, iisdem remediis, quæ scholio obser. 15. huius libri recensuimus.

Sanguinis conglobati symptomata.

Observatio XXV.

De menstrua purgatione vomitu proiecta.

Monacha iuuencula 25. annum agens apud D. Vrsulā Delphis, certis mensium temporib., vomitu menstruum sanguinem per superiora reiiciebat. Ad eam cum accitus essem, virib. deiectis erat, circa lumbos valde dolebat, ac pecten intumuit, adeo vt vrina in totū fuerit suppressa, aderat, & dolor intensissimus in rene sinistro, ita vt astantes de futuro abscessu metuerent. Cum autem per plures dies aluum non deiecisset, & sanguinem euomuisset, ad diuersionē & etiam deriuationem ex rene, clysterem iniicere iubeo. ℞ *iuris pulli decocti, cui pruma, vua passæ & seminis anisi exiguum incocta erant,* ℔. j. *cassiæ mundatæ pro clysteribus.* ℥ j. *olei oliuarum, amyg. dul chamomill. ana* ℥ j. *salis communis* ℥ j. *salis gemmæ* ʒ ß. *vitellum vnius oui. misce pro clysteri.* quo aluus non solum soluta est, sed facta diuersione vomitus pro eo tempore cessauit, & menses ex vtero more solito fluxere: atq; hoc vnico remedio præter spem conualuit. Interea, cum antea singulis mensibus vomitio hęc sanguinolenta redire soleret, ne fieret recidiua, consului, vt nouilunio instante, antequam vomitio contingeret, venam in talo seu saphenam dictam incidere iuberet, sanguine vtcumque extracto. Verum nescio qua ignauia illud ipsum sit prætermissum: ita vt post mensem idem vitium recurreret, adeo vt non solum sanguinem menstruum euomeret, verum etiam cibum nullum continere posset: &, quod peius fuit, vrina in totum fuit rursus suppressa, ac aluus adeo restricta, vt per octo dies nihil excreuerit. Eo autem tempore eram vocatus ad ægrum Leydis decumbentem, atque hæc ipsa aliarum monacharum persuasione (vt opinor) medicum Empiricum & tonsorem ad se vocauit: is diaphœnicon per os exhibet, sed cum aluus eo medicamento non solueretur, sororculæ pharmacopœum accedunt, qui & clysterem prius a me descriptum iniicit, sed eundem per superiora & os reiecit. Transactis deinde duobus diebus me reuersum accersiri iubent: cumq; ad illam ingressus essem, & intellexissem vndecimum diem prægressum, quo aluū non deposuerat, statim balano indito eam frustra irritabā: quare de secundo enemate iniiciendo admonui. Hic mater monacharum ab empirico edocta clysterem admittere noluit, nam si eo vteretur, eam morituram prædixerat. Cui respondi, Nisi illud fiat, vere morietur, cum iam 12. dies esset, quod aluum non deposuisset, neque vlla medicamenta per os, neque cibum retinere posset. Quare fingebā me discessurum, cum apta remedia adhibere non possem. Quib. dictis, mater cœnobii admisit, & enema sequens iniectum est. ℞ *decoct. suprascripta* (in qua bullierint parietariæ, folior. maluæ, florum chamomill. meliloti. an. m. j.) ℔. *1. cassiæ mundatæ pro clysterib.* ℥ j. ß *zacch. rub.* ℥ ß. *olei chamomill. amygd. dul. an.* ℥ j. *olei anethini, oliuarum. an.* ℥ ß. *salis gemmæ* ʒ j. *salis communis* ʒ ß. *vitellum vnius oui, misce pro enemate.* quo probe aluum deposuit, primo stercore duro reiecto, mox excrementis mollioribus subsequentibus: & rursus cessauit vomitus, ac aperti sunt menses: & egregie cum nostro honore conualuit: & ex nostro cōsilio, periodo mensium instante, vena tali cum secta fuisset, postea nunquam hoc fœdo malo laborauit. Et nunc cum libertas religionis accessisset, viro nupta multas proles peperit. & adhuc superstes est, & bene valet dum hæc recolligerem, anno 1591.

Scholia.

Cvm hanc monacham curarem, in mentem mihi venit historia illa Beniuenii de muliere menses vomitione reiiciente. quam lib. De abditis morborum caussis cap. 41. in hunc modū recenset: Vrgebatur mulier acerbissimo capitis dolore, propterea quod menses non prouenirent: verum his demum vomitione propulsis ilico sublatus est dolor. Sed cum id iterum iterumq; ac sæpius factitasset, abhorrens tandem mulier ab huiuscemodi vitio, auxilium nostrum exposcit: qui sola sanguinis missione ex venula, quę sub talo est, & menstrua ipsa ex naturali loco rite profluere coegimus, &, quod sequens est, mulierem ipsam pristinæ sanitati restituimus. Memorat & Dodonæus de quadam virgine in hunc modum: Ab vtero autem suppressis mensibus raro item sanguinis vomitio superuenit. Virgini vero cuidā mihi obseruatum, quæ in ipsa vomitione grauiter laborauit: postea vero idoneis adhibitis remediis, & sanguine ex interiore vena prope talū detracto, cū menstrua purgatio successisset, bene se habuit, quod apho. 34. *sect. 5. Hipp.* docet, Mulieri sanguinem euo-

Historia Beniuenii de muliere vomitione menses proticiente.

5 nem euomenti, menstruis erumpentibus solutio. Idem affirmat Ioã. Langius epist. 40. lib. 1. Interea mulieres & virgines, quibus suppressi menses, minus a sanguinis vomitione periclitantur, quam viri, quib. a iecore aut liene effertur: neque enim viscera harum corrupta sunt, vt exemplis superioribus demonstrauimus, & superueniens menstrua purgatio, ab omni periculo eas vindicat. Attamen vbicunq; viderimus mulierem sputo sanguinis laborare, non tamẽ statim inferemus (vt nuper quidam Empiricus faciebat) ab vtero efferri. quemadmodum contigit Alcmariæ mulieri cuidam, quæ puerpera exsistens, post tres septimanas a partu dolore ingenti in pectore afficiebatur circa latus sinistrum, & sputũ cruentum per tres quatuorve septimanas valida tussi eiiciebat. Medicus qui eam prius tractabat, ex vtero venire dicebat: quamuis ille, cum ea a partu bene purgata esset, originem morbi non intellexerit. Vnde cum semper in peius vergeret, vt eo tempore agerem in Schaga oppido apud Dominum de Schagen ex hydrope decumbentem, me reuersum vocarunt, aderat huic & febris lenta: & cum mulier antea valde crassa & obesa, nunc ob dolorẽ gracilis euasisset, & in partu bene purgata, cum sanguis nigrior esset, conieci ex pectoris vena rupta euenisse, cum & secreto mihi relatum erat, eandem cecidisse, & percussionem a viro passam, quod ob honorem subticuerat.

Errores quorundam medicorum taxantur qui omnem cruentam spuitionẽ in mulieribus ab tero inueniri exsistimãt

7 Cum autem dolor lateris ingens esset, & valde debilis esset puerpera, & sanguinis detractionem abhorreret, & iam tempus mali etiam progressum esset, a venæ sectione abstinuimus: sed fotu sequente vsi fuimus: ℞ *florum meliloti, flor. chamomill. ana p. j. sem malua, lini ana.* ℥ *j. ß. semin. anethi, fœnugræci. an.* ℥ *ß. coquantur in aqua communi, & fiat fotus*, & deinde inungebatur locus dolens infrascripto linimento: ℞ *vnguenti nostri pectoral.* ℥ *j. olei amygd. dulc. chamomill. ana.* ℥ *ß. misc. quo dolor sedatus est*: & deinde optime dormiuit, quod ante plures dies noctesque minime poterat, & cruentum sputum minui cœpit, & melius expectorabat, & respiratio facta est liberior, dedimus etiam statim ℥ j. *cassia in bolo, etiam exhibuimus mummia spermatis ceti. an.* ℈ *j. rubiæ tinct.* ℈ *ß. cum ceruisia.* & post duos dies cessauit sputum cruentum, quamuis cum post vnum atq; alterum diem rursus rediret, cum sputo pituitoso admixto, decoxit flores chamomill. & nepitam in ceruisia communi, in qua nodulus rubiæ tinctorum, *& mummia. ana* ℈ *j. ß. pendebat*, quam bibebat bis in die: quibus egregie curata fuit: paucis postea sumtis expectorantibus, ob pituitam paulo viscidam, quam in fine expectorabat. Et ita cum tribus fere septimanis ab alio medico perperam curaretur, intra paucissimos dies a me sanata est. Tota itaque curatione cruenta spuitionis absoluta, nunc ad huic finitimos affectus accedamus, qui etiam per modum resudationis sanguinis sputi & cruentam spuitionem terminantur: vt est pleuritis & peripneumonia. de quibus deinceps agemus.

Observatio XXVI.

De pleuritide.

1 Cornelius nauium confector, vt fortis & robustus, annos natus fere 36. mali regiminis, q. & subinde potabat, mense Aprili, cum paulo intensius naues reparasset ann. 1546. in pleuritidẽ lapsus est: ad quem 4. die prius accitus fui: costas superiores multum dolebat, dolore quidem pungente & acuto, cum quo multum tussiebat, & sputum sanguineum emittebat, continuo vero febricitabat, & vt paucis referã, omnia patiebatur, quæ in graui comperiuntur pleuritide. Quæ cum animaduertissem, cum eodem die aluum ex se deposuisset, ilico venam basilicam eiusdem lateris, vbi dolor erat, secare feci, sanguinisq; vncias octo extrahere, in homine sanguineo, qui procul dubio putridus, & omni corruptione affectus erat, ac ex phlegmone defluxerat, a qua sanguinis missione dolor nonnihil euanuit, qui tamen sub noctem ex parte redibat: sed fotu sequenti plurimum mitigatus est, loco affecto simul inuncto.

2 ℞ *flor. chamomilla, meliloti, malua, an. m. j. sem. fœnugraci* ℥ *ß. fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ *j. pro fotu, cum spongiis expressis.* vt artis est: ℞ *olei amygd. dul. chamomill. ping. gallina, butyri recentis. an.* ℥ *ß. ceræ citrinæ modicum. fiat vng.* Vnde & dolor ita sedatus est, vt si tussiret, minime, vt antea, dolorẽ persentiret. Interea vtebamur lambitiuo in hũc modum parato: ℞ *syr. iuiubini. viol. an.* ℥ *j. syr. de liquir.* ℥ *ß. diatrag. frig. in tab.* ℥ *iij. misc. fiat eclegma.* Die sequenti eum purgauimus cum ℥ *j. diacatholici, seri lactis* ℥ *iij.* quo quinquies aluum deposuit: & cepit melius habere, & facilius exspuere, *lambitiuo ex syr. iuiub. & glycyrrh. adiecto sacch. penid. vtens*: & ita paucis dieb. hic sanus eualit. Pro potu ptisanã confectã ex hord. mund. passulis & glycyrrh. capiebat.

Scholia.

3 Nullus est morbus adeo decantatus, vt pleuritis. Etenim Hippocrates lib. De acutorum victu, fere huic vni dicauit priores, quando eo vtitur pro exemplo in instituendo libro primo: & rursus libro secundo priuatim curationem exponit ordine. Quod factum etiã Iacchinus putat, eo quod frequentissime euenit, multamque inuehit difficultatem symptomatum. Argenterius medicorum consultationem describens, pro exemplo pleuritidem ponit: in quo totam consultandi rationẽ comprehendit: nobis satis erit pauca hic adferre, cum & Galenus in libro De constitutione artis, inter omnes morbos pleuritidẽ pro exemplo sumit: in quo demonstrat, quonam pacto morbi & pars affecta cognosci & curari possint: quod ideo factum existimo, tum quod frequentissimus sit & insignis hic affectus, tum quod multas differentias, caussas & symptomata obtinet: prabendique rationem difficilem ostendit, & denique plurima postulat præsidia.

De nomine pleuritidis.

4 Nomen vero quamuis a costis deductum, quasi Costalem morbum dicamus, Latini tamen a situ partis dolentis lateralem morbum vocarunt. Vt fere sit nomen, quod per se nullum priuatim affectum significat, sed communem, institutione postmodum fit, vt

particularem quendam morbũ significet, quemadmodum phrenitis a phrenib. & nephritis a renibus, ita & pleuritidis nomen a latere sumtũ, quoniam est in membrana succingente costas, & quia passio est in ea parte, propterea pleuritis a loco appellatur, & vt rẽ breuiter explicemus, nihil aliud est quam inflammatio eiusdem succingẽtis costas membranæ, *vt apud Galen. 5. de loc. affectis & 4. de caussis pul.* videre licet: idem & 2. de crisibus & sexcentis aliis in locis testatur Galenus: quem etiam secuti sunt Paulus & Aetius in propriis capitibus, ad quem lectorem relegamus. Constat igitur in exquisita pleuritide membranam, quæ costis subtenditur affectã esse. Insuper cũ notas habeat cum phlegmone, erit morbus in magnitudine, intemperie ac soluta continuitate: ea ratione ex necessitate symptomata habebit, tumorem præter naturam, ruborem ac dolorem: quorum duo, tumor, videlicet & rubor, nunc sub sermonem non cadunt: relinquitur ergo dolor solus, qui ad costas firmatur pungensque fit. Cuius notas etiam nullo narrante, methodo ex natura affectus & partu affectæ accepta, facile accipere est. Primum enim membrana necessitate quadam dolorem punctorium sentit, & hic dolor membranarum a materia in vno loco collecta, distenditur ad partes vicinas ob membranas, modo ad iugulũ pertingens, modo ad infernas costas, quæ hypochõdria attingũt. Et ita primum signum sumitur a doloris specie: nam dolor affectum significat, species sedẽ. Rursus aliud signum ab accidentibus sumitur, spiratione scilicet: nam ea membrana quod annexa sit spiritalibus organis, ea quoq; organa necessario vna afficit. Fit autem spiratio parua, quod æger cohibet pro dolore multum pectus eleuare, atq; ideo fit frequens: nam frequentia minimum percipit dolorem, multum vero, siue multũ eleuet pectus, seu velociter eleuet. Superuenit & necessario febris ob affectus naturam: nam phlegmone (vt recte etiam annotauit Iacchinus) consistens in vicina cordis parte, præsertim ad aliquam magnitudinem aucta, febrem faciet acutam & vehemẽtum. pulsus quoq; ad febrem sunt velociores, frequentiores, & maiores, & ob partis naturam quæ neruosa est, duriores, & species pulsus est, quæ veluti serrat tactum. Tensio enim arteriis communicatur, vnde species ea duritiei fit, quę tensiua dicitur, non quod vasa ipsa indurerint. De pulsũ tamen *5. de loc. affect. cap. 3.* ait Gal. pulsus paruos facere, & ratio dictat. Hæc ergo est contradictio. Aperte enim de constit. art. dicit pulsant μείζονας καὶ θᾶττον. lib. de caus. pul. ob tensionem, inquit, minor est, quam febri cõueniat. Igitur sic solues. Sed maior est, quam sibi sano conueniret, non sic respiratio, quoniam voluntaria est, & ab animante prohibetur. Tussis quoque seiungi ab affectu non potest, quod aliquid necessario per membranam affluat ab initio, & ita pulmonem afficiat, vnde ad tussim proritetur: sed non semper exscreant: ideo quia dura membrana est, vnde parum effluit, vel quia materia praua est, & contumax solutu: vnde fit vt proritare quidẽ possit, sed nihil sensile educere: & tussis hæc sicca dicetur. Hęc itaq; sunt propria & inseparabilia signa, quoniam ex natura rei necessario consequentia sunt. Cęterum, quamuis tussis ab affectu ipso separari non possit: screatio tamen post tussim inseparabilis quidem minime est, sed magna ex parte fit. Verum si exscreet, colorabitur sputum necessario, licet non semper eodem colore inficiatur, sed pro diuersa natura excrementi in inflãmata parte cõtenti, diuersus exscreationis adsit color, vt in caussarũ dignotione dicemus. Nã cum in inflãmata parte multa simul ac tenuis fuerit humiditas, & ipsa pars rara, plurimum ex ea foras effluit: cum vero contra fluxus paucus crassusq;, & spissum corpus fuerit, minime ad tussim irritat, & nihil spuũt, veluti & cum prouenit copiosissimus, tussiunt plurimum, nec pauca exspuunt, vt patet eodem lib. De constit. art. At cur modo dolor ad clauiculam perueniat & interdum ad hypochondria, inter assidentia morbi lateralis signa refertur: fieri enim poterit admodum parua inflammatio ad medium costarum, vt neutram ad partem efferatur: quandoque vero magna, in qua ad vtramque perueniet (tum propter læsæ particulæ naturam, tum inflammationem, quæ dolorem efficit extensiuum, vt prius dictum est) necessario tamen vnum quodpiam ex prædictis consequetur, vt vel sursum ad clauiculam, vel inferne ad hypochondrium dolor erumpat. Ad idem quoque genus assidentium pertinet, quod æger facilius in latus patiens, quam in alterum decumbat: nam euenit interdum quod minus dolore afficiatur, si in non affectum latus decumbat, interdum vero, si in vtrumq; decumbat, similiter dolor excitatur: licet vnum ipsorum necessario pleuriticos comitetur, *vt eodem lib. de constit. art. med. Galenus fatetur.* Namque cum duplex sit subcingens membrana (vt etiam a Donato citatur) si pars eius exterior circa ossa valentius phlegmone infestetur, facilius in oppositum declinant ægri: opprimuntur enim si super affecta cubant parte. Quod si pars altera, quæ intus est (id quod magna ex parte fieri consueuit) affecta est, in oppositum magis decumbentes dolebunt: suspensa enim est ipsis pars phlegmone vitiata: si in latus affectũ minus. non enim ad ossa cõprimitur, nec pendet, sed ab horum vtroque libera euasit, ac super inoffensa parte altera firmata est. At affectis ambabus subcingentis costas membranæ partibus super latere vtroque similiter decumbunt. Non ab re igitur inter assidentia signa hæc a Galeno connumerantur, quorum natura est, non esse a morbo inseparabilia, sed aliquando simul inuadunt, aliquando superueniunt, nonnunquam autem neq; omnino veniunt, vt patet Comment. *aphor. 12. lib. 1. & libr. De constit. art. med.* quoniam ex his sunt, quæ sæpe morbis accidũt, *vt idem Gal. inquit 3. de morb. vulg.* Ex his eisdem omnib. (vt Altimarus refert ex Galeni mẽte) magnitudo prędicti morbi lateralis desumitur, magnitudo videlicet, seu paruitas in specie sua potissimum: nam si ingens fuerit dolor, isq; pũctorius valde, maxima anhelitus difficultas, valida febris, ac ingens quoque tus-

Pars affecta.

Affectus.

5 *Nota.*

6

Cur pleuritici interim exscreant, quandoque non.

7

Cur dolor ad clauiculam perueniat & interdum ad hypochondria.

Cur facilius in altero laterum decumbat.

8

Signa assidentia.

Ex quibus magnitudo seu paruitas morbi lateralis arguitur.

que tussis, ascenderitque simul dolor ad iugulum, ac ad hypochondrium pertineat, decumbantque laborantes super vtroq; latere difficulter, nihilq; cum tussi exspuant, maximam fore inflammationem indicant: sic, si exigua prædicta fuerint, dolor videlicet, febris, anhelitus, difficultas, ac tussis, cũ qua aliquid exspuant coloratum: ac prompte statim, ad neutramq; partem dolor efferatur, ac non ægre sub vtroq; latere decumbant, exiguam fore pleuritidem manifestabunt: nam species quidem morbi ex propriis accidentibus dignoscitur, magnitudo vero ex eorundem quantitate, Gal. teste 3. de crisi. Hæc omnia exemplis clariora euadent.

Observatio XXVII.

De pleuritide satis acquisita.

1 Vir ille qui cupas conficiebat, annos 32. natos, potui deditus, pleuritide satis exquisita detinebatur: difficulter enim spirabat, tussis aderat, & febris continua, dolor vehemens, in latere dextro vehemẽter pungẽs ad clauiculã ascendẽs, pulsus durus & serræ modo asper. Ad quem tertio prius die accitus cum aluum nõ deponeret, libenter hunc clysterem iniecissem: *℞ maluæ, viol. mercurial. parietariæ. an. m. j. hordei mundati p. ß. prun. damas. num. ix. fiat decoctio & huius accipe ℔ j adde cassiæ, Zacchari rub. an. ℥ j. olei viol. ℥ iiij salis parum, fiat clyster.* Verum cum eum admittere nollet, balano aluum irritauimus: & statim eodẽ die ex vena iecoraria in brachio eiusdẽ lateris dolentis sanguinẽ extrahere fecimus ad vncias septem, & quia incipiebat exspuere sputum rubrũ & cruentum (quod quidem indicium erat sanguinem exuberare) & quia dolor post sanguinis detractionem adhuc vigeret, licet parum mitigatus, hunc fotum præscripsi: *℞ folior. maluar. cum radic. bismaluæ. flor. chamomill. meliloti, viol. an m. j. sem. lini ℥ ß fiat decoct. in aqua communi pro ℔ j. ß.* & decoctum calens in vesicam impositum lateri dolenti

2 admoueatur semel atq; iterum: deinde inungatur vnguento infrascripto: *℞ olei amygd. dulc. viol. chamomil. an. ℥ ß pinqued. gallinæ, caponis. an. ℥ iij. ceræ modicum fiat vnguentum:* atq; hoc modo dolor sedari cœpit. Interea ad sputi facilem exscreationem hunc syrupum bibebat, & eclegmate sequenti vtebatur: *℞ syr. viol. iniubini, de liquiritia an. ℥ j. aquar. scabiosæ, buglossæ an. ℥ iij. misc. pro ij. dosibus: ℞ zacchari penid. diatrag. frig. in tabul. an. ℥ ß. syr. viol. iniubini, de liquiritia. an ℥ j. misce pro eclegmate.* Ad materiæ coctionem vtebatur apozemate *ex decoct. hord. mund. vuar. passul. glycyrrh. ad ℥ ix adiectis syr. viol. capill. ven. iniubini. an. ℥ j. ß. misce.* Quinto die purgationem exhibuimus: nam solutiuum pharmacũ hoc in affectu minime conuenit, nisi vbi materia fluxit, quod die quarto plerumq; factum est, quoniam solutiuũ pharmacum humores mouet: ideo damus in principio lenientia, & etiam in quarto vel in quinto: nos vero sequens dedimus (alii in septimo idem faciunt.) *℞ diacatholici ℥ vj. cassiæ recens ex cannis tracta ℥ ß. dissolue in iij. decoct. pectoral. syrup. capill. ven. ℥ j. misce.* qua quinquies plurima excreuit, & deinde melius habere cepit. Interea ad maiorem sputi quoq; & facilem exscreationem, plus de syrupo liquir. admiscuimus, & fuit curatus per expectorationem, sputo paulatim magis albido & concocto euadente.

Scholia.

Exquisitæ pleuritidis caussæ (*Galen. teste, lib. de consti. artis medicæ, 2. de cris. ac 2. de loc. affect. & 2. de diff. feb. ac plerisq; aliis in locis*) affluens sanguis est aut optimus, mediocremq; crassitudinem habens, aut biliosus aut pituitosus, aut melancholicus, quãuis sæpenumero magis biliosus sit. Quũ enim phlegmonẽ esse dicemus, necessario (*vt etiã Iacchinus annotauit*) nisi vox transmutatur, caussam esse sanguinem dicem⁹, id est, materiã in qua sanguis dominatur, quamuis modo sincerior sit, modo admixtus magis alteri humori, necessario tamen calido & bilioso, vt Gal. scribit: differentia eius a pulmone. quoniã caussi humores nequeunt membranam efficere. Quod si dicas, *Gal. 5. de loc. affect. 2. de const. art* meminit pleuritidis pituitosæ, & melancholica: ergo non est verum, ꝙ semper a sanguine puro, vel bilioso fiat, Respõdetur, vt ipse ait in lib. *De const. art. in medica*, Cum materia illa, nempe vel pituitosa, vel melãcholica, in musculos & venas vicinas infarcta est, tũ ex putredine quam ibi acquirit, tum ex dolore, quam excitat, accerset fluxionẽ sanguinis, vnde afficitur membrana: nõ quod ab initio inflammatio ex eo humore dominante foret. Et hoc innuitur etiam 6. aph. 33. vbi ait Gal. Non valde pleuritide capiuntur pituitosi acidum eructantes, quoniam non est nata extendi his membrana. Sed possumus dicere, musculos & venas vicinas illum humorem continere, vnde erit phlegmone illa diuersa in suis partibus, vt biliosior in membrana, in alia parte poterit pituita, vel atra consistere. Galenus tamen videtur hic sateri posse a quatuor humoribus fieri, id est, ex eorum mistione, dum naturam seruent phlegmones, id est, sanguis superabundet. Neoterici vero in tres caussas distinguunt: & sic pleuritidis primitiuæ caussæ esse possunt, casus, percussio pectoris, atque se denudare post laborem in aere frigido, venti Septentrionales, aquæ frigidæ potus, & similia. Caussæ antecedentes, vt humorum influxus, vel eorum superbundantia, vel retensio superfluitatum consuetarũ exire. Caussæ vero coniunctæ sæpius erunt sanguis & bilis, inflammationem actu producentes, raro pituita, rarissime melancholia, quia quod densius, raro ad hæc membra penetrat. Gignitur vero hic morbus, vt omnes aliæ fluxiones corporis, vel ex interna caussa, cum natura refertas habet venas, & de parte in partem transfluunt. Fluxionibus vero gignendis occasio est, tum externus calor fundens, tum frididus exprimens: vnde & Vere fiunt maxime a calore, Autumno vero exeunte a frigore: vtroque vero tempore scatet corpus, Vere quidem multitugine bonorum aceruata per hyemẽ, Autumno vero prauis aceruatis per æstatem. *Sic 4. de victu*, meminit in angina facta. Plura si de caussis pleuritidis cognoscere velis, lege Benedictum Fauentinum præceptorem meum capite proprio.

3 Exquisita pleuritidis caussa.

4

OBSERVATIO XXVIII.

De iuuene post exercitium ex aquæ frigidæ potu in pleuritidem incidente.

1

IUuenis annos circiter viginti nat⁹, apud Pithueros in Gallia, cum ibidem praxim exercerem, in sphæristerio reticulo ludendo cum impense sese exercitasset, & supra modum concalfactus esset, in grauem pleuritidem incidit. Hic cũ biliosus esset, & macilentus, & sputũ postea vergeret ad flauedinem, cum in principio ad eũ acciti essemus, secta vena media, quæ magis apparebat in brachio eiusdem lateris, sanguine vtcumq; extracto, qui & putridus & postea biliosus erat, clystere emolliente prius iniecto; deinde vena incisa dolor plurimum mitigatus est. Locum affectum interea inungi iussimus, cũ vng. resum. & oleo amyg. dulc. & ad materiæ præparationem exhibuimus decoctum *viol. hordei mundati, vngulæ caballinæ, capill. Ven. vuar. passul. ab arillis repurgatarũ & glycyrr. additis syr. iuiub. viol. & capill. Ven.* Et quia sputũ subflauũ erat, ad eiusdẽ exscreationẽ primum exhibuimus hoc lambitiuũ. ℞ *diatr. frig. in tab. Zacch. penid. an.* ʒ ß. *syr. iuiubini, viol. an.* ʒ j. ß. *postea addendo syr. cap. ven.* materia parata post sextũ diem hanc purgationẽ exhibuimus. ℞ *cassiæ recens extractæ* ʒ vj. *elect. de succo ros.* ʒ ij. *syr. viol. infus. ros. an.* ʒ ß. *cum* ʒ iij. *decoct. suprascriptæ* fiat potio: qua quinquies aluum deposuit. Et quum quotidie magis magisq; expectoraret, postea etiam concocta & alba; & quia hic cito sputum apparebat, hæc pleuritis cõcocta materia, quæ paulatim per sputum educebatur, intra decimum quartum diem finiit. Volũt enim pleuritidem quatuor vel quinq; modis terminari: vel enim resoluitur humor, vel per sputum educitur; alioqui suppuratur aut induratur, aut in alias partes transfertur, vt postea exemplis quoque docebimus. Alii quintum modum addunt, quod vel putrefiat vel corrumpatur.

2

SCHOLIA.

3

CVm iam paulo ante breuius demonstratum sit, quomodo pleuritis dignoscatur, scilicet legitima, de mendosa & spuria postea dicemus. Nunc vero & illud addendum, quomodo eius caussæ distinguãtur: huius distinctio præcipua est ex colore, cum exspuunt, eodem Galeno auctore, cum color naturam humoris significet. Sed & antea coniicere ex victu est, & ambientis statu, & modo doloris, & febris vehementia. Ita hanc biliosam esse pleuritidem cognouimus ex dolore admodum pungente, sed non perinde distendente, pulsu duro, crebro, & febre vehementiore, tertianam imitante, ex creberrima respiratione, ex sputo & vrina ad flauedinem tendente, cum & tales facile delirent quoq; subinde, vt in aliis multis obseruauimus. Ad hæc habitus corporis, ætas, victus præcedens biliosus, iuuantes lædentesq; caussæ & similitudines idem ostendent. Ita quoq; si a sanguine fiat, dolor erit vehemens, distendens, febris simplicior, vehemens tamen, & quæ nullas accessiones habeat, sputũ vero rubrum, & vrinæ rubræ, citaq; maturatio & expurgatio, ruber in corpore color, & venæ tumidæ, habitus corporis bene cõstitutus, carnosus, sanguineus, victusq; præcedens delicatus, valde corpus augens, quiq; sanguinem plurimum procreandi vim habeat, tempus vernum, regio humidior ac calidior, ætas iunior, atque homo succi plenus, cui consuetæ euacuationes retentæ, vt sunt sanguinis narium fluxus, hęmorrhoides aut menses suppressi. Nec non iuuantes, lædentesq; caussæ & similitudines idem docebunt. Si ex pituitoso sanguine, sputum spumans & candidum erit: rarius tamen contingit: si contingat, pituitosam pleuritidẽ sequitur remissior & humidior febris, quæ quotidie exacuitur, color non admodum pungens, sed potius cũ quadam grauitate hominem vrgens, pulsus molliores tardioresq;, sputum spumosum, vt diximus, candidum ac viscidũ, & quod nõ admodũ tarde procedit, & nonnunquam sopor & reliqua huiusmodi symptomata, quæ indicia sunt pituitæ redundantis. At hæ caussæ, quæ pituitam gignunt, iuuant, aut lædunt, & similitudines præbebunt sua indicia. At melancholica omnium rarissime euenit; melancholicam vero testantur, febris remissa, sed maligna, & accidentia praua & magna, vigiliæ ac animi corporisq; malæ actiones. Exspuunt & hi parum & difficile, illudq; vel nigrum vel liuescens, dabunt & in hac pleuritide suas notas, caussæ & similitudines, vt in aliis. Sed hæc postea aliis exemplis clariora euadent. Quoniam vero quidam sunt affectus pleuritidi admodum similes, vt qui multis signis illi communicãt, hinc fit vt notis quibusdã distingui oporteat. Sunt enim dolores pectoris multis modis, *6. aph.* Dolores pectoris quantum differant, perdiscendum: hoc enim tum ad curationem, tum ad præcognitionẽ facit. Primum ergo accidit, vt musculos exteriores dolor occupet, ipsis inflammatis, vnde & spiratio similiter frequens fit & parua, & febris adest, sed distinguũtur tussi, & febris magnitudine (hic enim leuior est) & pulsu, qui hic durus non sentitur. Sępe vero dolor ad extima, & tangenti, & premẽti dolet, & demum suppuratio ad extima præparatur, & inciditur, vel resoluitur. Est & alius affectus, vbi catarrhus cum febre multus est, & flatuosi sæpe dolores circa latera fiunt, & tussis adest. Hi igitur pleuritides, non sunt, & concocto catarrho cessant. Distinguũtur sputi natura, quæ prorsus pituitosa est: distinguuntur & febris magnitudine: nam non est acuta, vt pleuriticis: quamuis hi periclitentur, ne in veram incidant pleuritim. Modum vero Galenus posuit *in lib. de const. artis medend.* quod ex dolore sæpe ad affectas partes materia trahitur, & processu fit phlegmone. Hic tamen lectorem admonere oportet: quod si non aderit inflammatio, sed flatus inclusus in membrana, vel musculis intrinsecis, videbitur, quod sit pleuritis: sicut contigit D. Marco Antonio Genuæ, qui laborauit circa latus dextrũ dolore quodam: quem, cum tractaret Montanus doctissimus medicus, cumq; cõsiderasset ex signis, an vera pleuritis esset, animaduertens, quod neque pulsus neque febris, neq; difficultas anhelitus, neq; tussis ita adessent, qualia solent apparere in vera pleuritide, sed valde remissa,

Signa pleuritidis biliosæ.

Pleuritidis sanguinea.

4

Pituitosæ pleuritidis signa.

Melancholica.

5

Quibus indiciis discernatur pleuritis ab aliis affectibus.

6

A flatu.

Historia Montani de dolore lateris ex flatu.

missa, & quod febris per interualla rediret, dolore augescente, illis quidem signis agnouit, non esse veram pleuritidem. Propterea eidem perpetuo vinum exhibuit, quia solus erat in curatione, & rexit eum, sicut reguntur illi, qui flatu affligũtur; & febris potius erat ephemera ratione doloris: quia illa remittebatur, & euanescebat ad remissionem & euanescentiam doloris. Ideo diligenter signa sunt inuestiganda, neque statim pleuritidem adesse iudicabimus, vt vulgus facit, vbi modo latus dolere videat: neq; etiam dolorem omnem ad vẽtositatem referemus, vti vulgus iudicat, nobisque proponemus aliam quoque historiam Gradi de medico pleuritico, qui suo & aliorum iudicio putabat dolorem ventosum esse, cum vera esset pleuritis, vtensq; calidioribus confectionib⁹, Mediolani existens, breui vitã finiuit. Similis etiã est iecinoris phlegmone, habet enim signa omnia pleuriticis communia: nam & dolor circa spurias costas sentitur, quib. alligatur: & febris acuta adest & tussis, & spiratio vitiatur ob distẽtionẽ diaphragmatis: tussis vero succedit, quoniã exsudat intra diaphragma non nihil humoris, qua parte cõtigit, distinctio est statim, vbi tussis humida adsit. Nam a iecinore humida nõ fit, quia exiguum est, quod traducitur. Praeterea & malus color corporis comitatur, & dolor infra hypochondria descendit, *Gal. 2. de loc. affect.* & Paulo testibus. Neq; in iecinoris inflammatione punctorius aderit dolor, neque pulsus adeo durus, qui & serrae modo tactum secet, velut in morbo laterali: & si affect⁹, qui proprie iecorari⁹ nominatur, cum iecinoris inflammatione aderit, erunt alui sedimenta similia aquae, in qua nup mactata caro fuerit abluta; id quod haud quaquam in pleuritide euenit: ab exigua quoque tussi irritantur, qui hepatis inflammatione laborant, eaq; perpetuo sicca erit. At thorace affecto tussis increscit, & eo tempore omnino apparent, quae tussiendo exspuũtur, *Gal. teste 2. de loc. affectis.* nec non lingua, facies & vniuersi corporis color alteratur, iecore affecto: ac pallidi fiũt, decoremq; amittunt, Paulo & Tralliano testibus: aderitque dolor ad nothas costas in dextro laborantis latere, grauatiuus magis, vt interim aegri iugulum ad infernas partes detrahi sentiant. Sic itaq; loco, pulsu, dolore, colore, & tussi differunt: Loco, quia infra costas in dextra tantũ parte sentitur durities, tumor: pulsu, quia in inflãmatione hepatis vndosus est: dolore, quia non acutus, sed grauis: colore, quia facies male colorata: tussi, q̃a adest sine screatu spirationeq; maiori, contra vero in pleuritide: hisce notis inflammationem iecinoris a pleuritide interstinguere poteris, quemadmodum Galenus a Glaucone philosopho ductus ad Siculum medicum iecinoris inflammatione laborantem, cognouit, quem prius, tanq̃ pleuriticum, curauerunt medici, velut *5. de loc. affect.* scriptum reliquit. Quidam tamen hic, vt Auicẽnistae inflammationem diaphragmatis ad saeuissimã pleuritidẽ referunt: & tales quandoq; sentiũt dolorem in extremitatibus costarũ, & in extremitate ossium pectoris, scilicet vbi finiunt spiritalia: & accidentia illa

7 Historia Gradi de erroое cuiusdã medici.

Quibus indiciis discernatur pleuritis ab hepatis inflammatione.

8

Signa inflammationis diaphragmatis.

quinq; suprascripta, quae pleuritidi semper adesse solent (de quib. antea dictum est) dicunt fore valde saeua & intensa, vt aegrum ad insaniã ac mentis alienationẽ deducant. Membranae (*inquit Holerius*) thoracẽ quoq; distinguẽtes, si inflammantur, par negotiũ vitae faciunt, atq; verus lateris dolor. Saepe etiam in inferioribus costis inflãmatis, diaphragma atque hinc stomachus grauiter laborat, magno periculo. Morbus hic proximo vere (año 1551. ante pascha) plurimos, & eos maxime, qui vel temere vel negligenter curati erant, sustulit. Si vero in septo aut mediastino inflãmatio contingat, (tres enim membranae continẽtur intrinsecus in pectore, vt ὑποζωκότες, id est, subcingentes Latine, inde diaphragma: tertio quę recta per mediũ thoracis ad iugulum feruntur, διαφράττοντες, id est, interspicientes, barbari mediastinum vocant) dolor communicatur anterius vsq; ad ossa pectoris, & vsq; ad collum transit, plerumq; per medium pectoris in lõgitudine: aut dolor sentietur posterius communicans spondilibus pectoris, & accidentia quinq; suprascripta valde intensa sunt, & aegrum magna ex parte ad delirium trahunt, & mentis alienationem. Anno 1567. sub finem anni, tali septi inflammatione laborare videbatur Ioannes Godscalcus dictus, qui insigni viri ferrei, nempe in foro Delphis habitabat: nam per medium pectoris dolebat, aderat febris cõtinua, subinde delirabat, & omnia signa, quae in saeuissima pleuritide apparere solent, illi aderant: insuper & sputũ cruentum expectorabat, pulsus erat serrinus & minime vndosus, & dolor sentiebatur per medium thoracis. Quinto die, cum nihil esset actum, amici me ad illum deduxerunt, sanguinem in cubito copiose detrahere iussimus ex vena basilica: deinde adhibitis iis, quae pleuritidi conueniunt, praeter spem multorum 14. die curatus fuit. Non erat haec peripneumonia, quae a pleuritide distat: nam in peripneumonia, pulsus est vndosus, & genarum malae rubent, ac si fuco delinearentur: neq; dolor punctorius adest, sed grauans tantum ob sensum exiguum, quem pulmo sortitus est tantum in membrana: pulsus quidẽ vndosus est, pulmone humido existente: difficultas spirandi quoq; maior, & anhelitus constrictio, & aer qui exspiratur calidior, qui non euentatur, vel vaporibus calidis resolutis ex pulmonis apostemate. Habet & pleuritis signa quaedam communia cum phrenitide, in permixtione intellectus potissimum, iuxta Auicennam & eius sequaces, pleuritidis diaphragmatis, vel, si mauis, eiusdẽ inflammationis, & in alienatione mẽtis & anhelitus frequentia, in sitis vehementia, ac multitudine rixae, & alteratione coloris faciei ad diuersos colores transmutati, & febris vehementia: ideo hae dispositiones inter se distinguendae. Primum signum id distinguens ex se manifestum euadit: nam mentis alienatio aut intellectus permixto in phrenitide statim ab initio adest, deinde succedunt reliqua signa iã dicta, & in processu vehementiora, vt anhelitus frequẽtia, sitis vehementia, & febris, & alia iam dicta. Contrario modo fit in pleuritide: nam prius

9

Signa inflammationis septi vel mediastini.

10

Quibus modis peripneumonia a pleuritide discernatur.

11 Signa pleuritidem a phrenitide distinguentia.

incipit difficultas anhelitus cum dolore punctorio & tussi. & tandem succedunt deliria: & hoc ipsum quoq; raro est, nisi in ea, quæ est in diaphragmate: imo, vt dicebat Auicenna, hoc ipsum non euenit, nisi morte instante. In phrenitide anhelitus quoq; non æq; difficilis. Propria quoq; signa rubedo & ad phrenitidam cõsequũtur, vt oculorũ superiora eorũdẽ attractio. In phrenitide pulsus rarus est, & eodem modo ob falsas eorundem imaginationes. In pleuritide serrinus: & deliria, quæ in pleuritide contingunt, potius paraphrenitides sunt, quam phrenitides veræ. Hæc de signis distinguentibus pleuritidem ab aliis affectibus. Propria eius signa & inseparabilia iam dicta sunt, & quæ assistentia signa exsistunt. Si autem copiosam tractationem de omnibus signis ad pleuritidem spectantibus desideres, perlegas Montanum, quæ de pleuritide commentatus est supra Rhasem, & Argenterii libellum de ratione consultandi.

12

OBSERVATIO XXIX.

De muliere pleuritica, in qua signa lethalia aderant.

1

SVb finem Iunii anno 1545. nempe in iuuentute mea atq; primo añ o cum praxim cœpissem exercere, accitus sum ad mulierem quandam quinquagesimum annum agentem, in ciuitate Benna, duobus miliaribus ab vrbe Pitueriensi in Gallia, (in qua tunc agebam, & praxim exercebam) dissitam, & pleuritide grauissima correptã, vt ab astantibus ex signis ab iisdem relatis intelligere potueram. Erat iam decimus dies, quo graue hoc malũ mulier incurrerat: nihil, vt prius, exspuens, imo sputum in gutture plenum feruere visum est, atq; multum intus strepitum in pectore edens, viribus collapsis, vt illud exspuere non posset. Cumq; vitę periculum adesse animaduerterem, incepi omnia signa diligentius inquirere: nam cum carpum contingerem, reperi pulsum non iam serrinum, sed vermiculantem adesse, difficultatem anhelitus extremam, & ab ore anhelitum frigidum exeuntem, nares quoq; tum auriculas exsangues præ frigiditate, insuper & sudorem frigidum malidumque emanantem, frontem intensam, & vrinam vltro profluentem. At hęc longe post morbi principia, infirmis iam viribus aluum fusam, ex qua non corporis inquietudo, nõ ipse spiritus alleuiabatur: ita vt & nunc stercora ipsa sponte prodirent. Febris vehemens erat, vires deiectæ, ad interrogata vix respondebat, mente minime constabat: nam materia translata ad cerebrum in hoc morbo sola insania ipsa occidit: magisq; cum sputa in pectore cum murmure detinerentur. Hæc cum animaduertissem, mortem ilico adfuturam prædixi, & quod nocte subsequente cum plenilunio, vndecimo die exsistente a morbi initio, moreretur. Quod cum amici astantes audissent, iisq; prius obiurgatis, quod omissa sanguinis detractione aliis remediis neglectis in principio, cum ex me rogarent, vt pernoctarem, & aliquid præsidii adhiberem, respondi nullam spem esse repositam in arte medica, morte instante, cum tales prognosticis signis sint relinquendi, iuxta *Hippocrat. 1. præsag.* vt calumniam euitemus. Atq; sic equum ascendo. & vna cum famulo domum redeo, sacerdoti, & præcipue Deo, cura relicta: cum eodem hora vndecima noctis e vita decessit. Ex cuius præsagio cum eodẽ tempore iuuenis praxim pri' exercere inceperam, laudem haud exiguam consecutus sum, & vulgo magis innotui.

2

SCHOLIA.

3 *Signa prognostica.*

QVam vtilitatem signa prognostica præstent, alias in Obser. de febribus declarauimus: Et ideo nõ satis est essentiam morbi dignoscere: sed & mores ipsius. Qui enim vult profligare inimicum, oportet prius vt ingeniũ eius ac mores cognoscat, & quomodo is moliatur illi insidias: ita & nos qui contendimus cum morbo, idem facere debemus, vt exemplo quodam docuit Montanus medicus ille doctissimus, de pleuritide, cuius mores varii sunt, ac penes tria consistunt, scil. locum affectum, materiam, cruditatem, & coctionẽ. Et post mores idem considerat motũ morbi, & terminum considerat numquid resoluatur, vel suppuretur, vel in alium morbũ mutetur, vel interficiat: quæ omnia ad signa prognostica faciunt, vt apud eundẽ in lectione de pleuritide supra Rhas. videre licet. Quę vero motum morbi significant, plurimum quoq; faciunt ad temporum cognitionem, quæ & viam prognosticis signis aperiunt, cum & eadem mere signa prognostica sint. Hinc sputum in pleuritide longitudinem & breuitatem morbi significat, iuxta Galen. de crisibus, & iuxta Hippocr. 1. libr. *Aph. 12.* Si sputum statim appareat in pleuritide, morbum breuiat: si postea, producit. Si circa initia appareat, intelligit per principium non instantaneum, & circa latitudinem, nec prout est vnum de quatuor morbi temporibus, sed prout extenditur vsq; ad tertiũ diem: triplici namque modo iam dicto principium ipsum intelligi potest, ex Galeni comment. prædicti, *aph. 12. li. 1. tum. 1. de crisibus.* Quapropter crudissimum esse lateralem morbum idem ait Galenus, in quo nihil exspuitur, quem & incoctam pleuritidem nominant, ita vt celeriter hominem rapiat, vel longo temporis spatio finiatur, vt 5. de loc. affectis etiam liquet. Secundum ordinem (vt etiam Altimarus ex Galeno annotauit) obtinet ille morbus lateralis, in quo sanies tenuis exspuitur: tertiũ in quo crassior: & quartum in quo perfectam habet concoctionem. Quod si apparuerit circa tertium vel quartum diem, non contingit morbum transcendere septimum: in aliis vero similiter necesse est, vt pro concoctionis modo mensura temporis consequatur: quamuis magna ex parte terminum suæ iudicationis habeat, quartum decimum iuxta *Aphoris. 8. lib. 5.* Quicunq; morbo laterali laborantes in quatuordecim diebus non repurgantur, ii ad suppurationem vertuntur. Et iis quidem terminis per exspuitiones pleuritidis est, non numerando ab eo die, quo æger cœpit exspuere, vt Fuschius putabat: tunc enim falsum esset, quod Anaxionis historia 3. Epid. demonstrat, non enim 14. die iudicatus fuisset, sed fere 24. quia 11. cœpit

4

5

cœpit prius exspuere. Vnde & Altimarus dicit magna ex parte 14. diem pleuritidis terminum esse: & si non hunc, saltem omnino 20. vt eodem comment. *Aphor. 12. lib. 1.* patet: idque verificauit etiam in Anaxione, de quo Hippocr. *3. de morb. vulg.* scriptum reliquit, quamuis ad 34. diem extensus fuerit morbus, quoniam ab initio non exspuebat, sed & octauo die tusses siccæ subsequebantur, vt Hippocrates inquit eodem loco. Longitudo præterea & breuitas ex materia quoq; habetur: si ex pituita, longiorem, vti & a melancholia: si a bile vel sanguine, breuiorem: sic etiam ex velocitate motus vel eius tarditate. Si velociter moueat, vt ceteri acuti morbi, cito terminum attingit. Sin tardius, serius: motus velocitas deprehenditur ex eius veloce augmento in symptomatis, quodq; cito appareant coctionis notæ, vt iam diximus ex Hippoc. de sputo cito vel tarde apparente: iam & coctio materiã, vt & paulo ante meminimus, sequitur: & sicuti tempora ex materia seu sputo cognoscuntur, ita quoq; & ab accidentibus innotescunt: cum enim fluxio & dolor fieri incipiat, principium est, & cum nihil exspuitur, vbi symptomata augentur, & sputum melius procedit, augmentum est, dolore ad vigorem progresso, status: vbi remittuntur accidentia, declinatio; si etiam sputũ simul totaliter remoueatur, accidentibus cessantibus. Et ideo sputũ maxime in pleuritide considerandum est, cum ex eo cognoscamus principium, augmentum, statum & declinationem, coctionem, cruditatem, malitiam & malignitatem pleuritidis, & bonitatem ipsius, longitudinem atq; breuitatem. Ideo cum morbus materialis sit, & circa thoracem versetur, excrementa illa, quæ ex pectore educũtur, maxime consideranda sunt. In quibus diligẽter animaduertemus, ea quæ Hippoc. *2. progno.* enumerat: primũ, vt promte, cito screetur: promte inquam, id est, facile, & leuiori tussi & breuiore. Ita enim benignitas humoris significatur, vt qui neq; lentore inhereat, nec crassitie; quibus aliquando ægros præfocari contingit: cito vero, id est, non longe a morbi initio, *vt aphoris. 12. libr. 1.* dictum est. Et ita si sputum statim appareat, & reliquæ conditiones bonæ non desint, non solum salus speranda est, sed & breui fore. Si cito eueniat, ẽ conditionibus & hæc optima est; secunda equidem conditio sumitur ex calore: nam rubra admodum salutaris est *4. Epid. & 47. text.* sincera omnia mala, excepto sanguine: tum quia humor benignus est, & simpliciora symptomata inuehere solet; tum quia cito coctionem admittit. Sed si biliosus humor multus adsit, siquidem sincerus sit, & non permistus, & temperatus aliis, malum significat, vt si liuet, vel nigricat; praui enim natura sunt hi humores, & cum sinceri exscreantur, magnum eorum dominium significatur. Contra vero si sint aliis temperati, præsertim vero niger, qui modis omnibus insalubris est, quia multo flauo peior. Screatio itaq; sine dolore promteq; facta, mitissimum quidem est pleuritidis signum, potissimum vbi permixta appareat cum screatione admodum flaua bilis, Hipp. auctore *2. prog.* At si quod exspuitur concoctum fuerit, adhuc magis mitissima erit, Galeno teste *de constit. art. med.* Nihil vero exspuere (vt etiam paulo aute meminimus) exitiale est, partim quod fluxum declaret a phlegmone deuinctũ, partim quod totus (propterea quoniam intus maneat) corrumpatur. Ex diuerso itẽ exscreationis colore, prout diuersam indicat inflammationis caussam, possimus indicia prognostica assumere: nam perniciosissimus est melancholicus humor præpollens, id quod indicabit sputum nigrum aut liuidum; tum quod & præditus sit ipse moribus pessimis, & maxime erodat, cõcoquaturq; ęgre, nec facile expurgetur, vt constat apud Galen. eodem libro; tum quod plurimæ sit caliditatis index, a quo assatus, genitꝰ est. At æquissimus (iuxta eundem, & citatur ab Altimaro) omnium est sanguis per cruẽtum sputum, ac rubrum iudicatus, vtpote, qui dulcissimus existat, & coucoctu facilimus. Reliqui vero duo humores inter hos medii sunt, quod ad simplicitatem malignitatẽq; attinet. Tertio etiam prognostica signa habentur ex modo substantię; crassa enim & glutinosa omnia, mala. Contra vero, quæ mediocritatem habẽt in crassitie & tenuitate, bona sunt. Sed quibus notis coctionis signa distinguantur, vel in nullas, vel latẽtes, vel obscuras, vel manifestas & pfectas, iam quasi diximus: reliqua vide apud Iacchinum: quamuis cruditas signũ sit neutrum, eo quod merito sui neq; salutem neque mortem significat. Coctiones vero, vt Hippocrat. ait, certam citamq; sanitatem annuntiant. Sed de his vide alios auctores, & Galenum *1. de crisib.* Cęterũ quod ad pulsum attinet, si in pleuritide pulsus fuerit magnopere durus, paruus etiam atque creberrimus, indicum erit lethale, ita vt pleuriticus cum tali pulsu nemo fuerit seruatus, ex Galeni decreto, *4. de præsag. ex puls.* Maximum quoque signum prognosticum ipsius pleuritidis, præbet pulsus serrinitas. Nam si ea remissa sit, mollem & prope maturandam inflammationem indicat; si vero magna, difficilem & admodum crudam: quæ si cum imbecilli facultate coniuncta fuerit, periculum; si cum firma, aut tarde concoquetur, aut ad suppurationem deflectet, aut tabidus eam excipiet marcor, ex Galeni *sententia lib. de puls. ad tyrones. & 4. de caussis pulsuũ.* At hic quæritur numquid vrina aliquid faciat ad temporis cognitionẽ, an sit mala, vel cocta vel incocta. Si fuerit bona cum suis conditionibus & in substantia bene cocta, in residentia, colore ac liquore, quod ad pleuritidem refert, nihil prorsus facit, quum in pessima pleuritide & in inflammatione rebelli, vrina bona exsistere possit, licet æger moriatur. Equidẽ fieri potest, vt totũ corpus bene habeat, & inflammatio pessimę sit naturæ. Interea si vrina malas in se conditiones complectatur, pessimũ signum est. Si enim tenuis & subtilis fuerit, nec habens aliam malitiam, indicat materiam raptam esse ad locum inflammatũ, quemadmodum in pleuritide, cum vrina talis apparere cõtingat, etiam mortẽ notat. Si vero fuerit crassa, indicat aliquod dominium

Quare sputum in pleuritide præcipue sit considerandum.

Signa ex pulsu.

De vrina in pleuritide.

11 humoris maligni. Mala est, quia indicat cacochymiam esse in corpore, quæ sub ratione caussæ antecedentis nocebit, fluet ad locum inflammatum; ideo semper malum dum vrina est mala: tum etiam si sit bona, quoad inflāmationem, bona non exsistit, si ea ipsa inflammatio pessimæ sit naturæ, vt iam dictum est. Ad prognostica etiam pertinet *Aph.23.lib.3.* Hyeme vero morbi laterales, &c. Et *aphor.33.li.6.* Qui acidum eructant, non valde morbo laterali corripiuntur, Item morbo laterali, si pulmonis inflammatio superuenerit, malum est, *ex Aphor. lib.7.* Caussam reddit Galenus in commento: quo etiam loco asserit, quod non admodum consequi solet morbus lateralis ad inflāmationem pulmonis. Quib⁹ autem pulmo costis affigitur vel adnascitur, atque illud quidem rarissimum est, & semel tantum vidi in corpore dissecto, pulmone plūbeis maculis infecto ac corrupto, vtrinque costis affixo: alii tamen id quoque ante me viderunt. Tales plerumque vel ex asthmate, vel ex tabe tandem commoriuntur: pulmo enim (spirandi organum exsistens, vt in præfatione diximus) tunc quidem afficitur, vt nec aerem inspirare, nec libere exspirare possit, corde etiam tam per distensionis motum, quam contractionis, minus officium suum obeunte.

Si pulmo costis ad nascitur, periculosum.

12 Hi quoque si in pleuritidem veram incidant, præter illud quod difficulter curentur, facile in peripneumoniam eamque lethalem dilabuntur, cum pulmo membranę costas succingenti ex parte adnatus vel affixus, facilius in se virus recipit, & minus a se propellere potest, citiusq; inflammatur. Sed & *aph.16. libr. 6.* dicit Hippocrates: A morbo laterali vel pulmonia habito, alui profluuiū adueniens, malum: quod quidem intelligendū est de fluxu non regulato (vt ita dicam) a natura: Nam qui a virtute regulante fit etiam in principio, bonus esse potest, nisi aliud accidēs accesserit virtutem prosternens. Sic & Auicēna fluxum in principio bonum esse existimauit. Quicunq; vero ex morbo laterali suppurantur, si in 14. diebus purgantur, a die, qua fit eruptio, liberantur, si minus, ad tabem transeunt. Refert Auicen. pleuritidem propinquam cordi deteriorem esse, & parti sinistræ, sed maturationi conuenientiorem, at remotiorem a parte sinistra, salubriorem quidē, sed ex parte resolutionis & maturationis magis inobedientem. Pleuriticis quoq; sanguinis fluxus narium eueniens pro optimo signo habetur: non tantum a naribus, sed ab hæmorrhoidibus quoq; & matrice, vt sæpe experientia vidimus in communi praxi, quod equidem *& a Galeno 10. method. capit. 5. laudatur.*

Observatio XXX.

De pleuritide in prægnantibus.

1 Si pleuritis prægnantibus contingit, valde perniciosa est, vt Auicenna pronuntiauit, quemadmodum & decrepitis: Solet enim hominem interimere, vel ex prefocatione, vel ex symptomatum vehementia; ob quam caussam prægnantes præcipue moriuntur: decrepiti vero, ob debilitatem virium in spuendo. Senes vero cum frigidæ sint naturæ, morbos concoquere, etsi diuturnos, non valent: cumq; sanguinis & prægnantes pleuriticæ & decrepiti missione egeant, & tenuissimo victu; hæc neque prægnantes, neq; decrepiti ferre possunt: vnde sæpe in vtrisq; ad mortem comitatur pleuritis. Nos tamē aliquas pregnantes magna cum industria curauimus. Ex quib⁹ mihi occurrit quędam nomine Remula, mulier si quæ altera, pulcerrima, viginti quatuor annorum, Alcmarię decumbēs, añ0 1549. ad quam 18. die Octobris accitus fui.

2 Quę cum sanguinea & boni habitus esset ac robusta, & in nono mense grauida, & partum quasi nūc exspectaret, sæuissima pleuritide correpta, sanguinem exspuebat, & circa mammam læuam in latere, insigni dolore afficiebatur, qui ad clauiculam ascendebat cum tussi valida & continua febre. Ad quam cum intrassem, plurimum hæsitabam de venæ sectione, ob *aph.31. lib.5. Hippoc.* sic dicentis, Mulier vtero gerens sanguine misso ex vena, abortit. Ab altera parte venę sectionem vrgebant febris continua vehemens, & inflāmatio vrgens, dolor insignis, virtus fortis, mulier bene habita & sanguinis missioni consueta, quā & ipsa petebat: itaq; aluo prius per balanum expurgata, venam secari iussimus ad vncias quatuor, ex eodem, in cubito nempe basilicam. Adeo autem profuit, vt dolor magna ex parte sese remiserit; adhibitisq; denuo decoctis pectoralibus & aliis remediis aptis post septimū diem pleuritide curata est, cum optime exspueret per eclegmata præscripta. Septimo die oborta est exterius inflāmatio mammillæ sinistræ cum intensa rubedine: cumq; per externā inflāmationem terminaretur pleuritis, nolui mamæ inflammatę repercutientia adhibere: sed inuncto loco affecto cum oleo viol. & exiguo populeo, inflammatio cessauit, & perfecte conualuit. Deinde post duas septimanas, cum optime valeret, peperit feliciter filium optime sanum & robustum.

3 Ad alteram eodem tempore accitus etiam in vltimo mense imprægnatam accessi, debilem, pituitosam; ob quam caussam sanguinem extrahere non audebam: septimo die abortum patiebatur, & 14. die obiit. Quanquam Pithueriensis mulier cum prope nonum mensem grauida foret valde debilis, venæ sectionem non admittens, adhibitis optimis remediis, etiam fotu ad dolorem sedandum, circa quartum diem melius habere visa est, cum in principio nihil exspueret, nunc quædam concocta exspuens, dolore lateris nonnihil consopito. At sexto die febris aucta est, & in septimo omnia vehemētiora, ita vt vi infantem pepererit, cum in nono mense esset, sed non superuixit infans ad tres dies. A partu vero dolor lateris omnino sese remisit; quamuis sub noctem intensissimus dolor pectus occupauerit cum ingenti angustia & anhelitus difficultate vehementiori, vt suffocatio immineret, ac pro deplorata haberetur. Octauo die delirauit & tandem obmutuit, sacra inunctione, vt sacrifici solent, munita. Nono die delirium increuit. Postea melius habere visa est, ac concocta exspuere, & sub noctem, post symptomata maligna sedata, incidit in somnum

4 in somnum profundum, & per noctem ac diem integre dormiuit. Vndecimo die compos mentis facta est, bene & concocta exspuebat, & melius sperabat. Vnde magna salutis spes emergebat: nã si somnus delirium sedat, teste Hippocra. bonum est. Post vndecimum diem, qui erat quartus dies a partu, purgationes per se magis subsequebantur; plurimaq; crassa & rubra, postea & pituitosa biliosaq; per vterum excreuit, vsq; in 14. diem ab initio pleuritidis: atq; tunc crassam vrinam mingens & pituitosam, conglobatam, inuiscatam, & in partu bene repurgata, sputo albo & concocto apparente, hęc quoq; sanitatẽ cum admiratione multorũ consequuta est. Verũ in alia muliere, quæ Delphis cõmorabatur, duos supra viginti años nata, cum prægnãs in octauo mense esset, in asperrima hyeme (cum multæ aliæ, tum viri pleuritide corripiebantur, añ. 1565.) cõmode quoq; in pleuritide seuissima (quemadmodũ & aliis multis prægnantibus) vena secta fuit in brachio, e directo loci dolentis; aliisque deinde aptis remediis adhibitis ad pleuritidem conferentibus, tum decoctis, eclegmatis, inunctionibus & fotibus conuenientibus præscriptis, etiam & hæc sanitati restituta est.

SCHOLIA.

5 QVod in prægnantibus venam secare possimus, id quidem multis exemplis alias docuimus, *vt lib. 2. obser. 28.* de continua tertiana in prægnante, in cuius scholiis ad longũ ex diuersis auctoribus, nũquid prægnantib. euacuatio & venæ sectio conueniãt, illustrium medicorum sententia, tum rationibus eorundẽ adiectis docuimus. De qua re etiam *obser. 29.* eiusdem libri, & in scholio pertractauimus: *etiam obser. 22. li. 15.* quomodo etiam in angina mulieribus grauidis sanguis demitti possit. Ad loca citata lectorem relegamus, ne opus sit hæc eadem hic repetere. Quamobrem cum de caussis & signis pleuritidis satis egerimus, nunc ad actionem ipsam seu curationem deueniendum est; quæ recte instituì nequeat, nisi certis scopis propositis, in quos omnia referãtur, & nisi certa adhibeamus instrumẽta, quorum beneficio singulos scopos assequi liceat. De scopis ipsis alias diximus, qui ab auctoribus variis modis sumuntur, *vt in lib. 3.* de incerto vrinarum iudicio ostendimus, a quib. denuo indicationes sumantur. De quibus quidẽ loco exempli de pleuritide egregie pertractat Argenterius in libello suo de consultatione: vti etiam facit Montanus de pleuritide in lectionibus suis supra Rhasem. Quibus si lector ipse, tum iuniores sese exercere velint, habebunt latissimum campum, quomodo pleuritidem curabunt. Nos autem breuiter (cum alii hanc curationem longo sermone tractarint) in primis victum cõmodum instituemus. Duo autem apud veteres, iuxta Hippo. erãt cibi genera, ptisana integra, & cremor. Si sine periculo videatur, inter initia ptisana vtemur; alias, si adsit periculum, & morbus magnus est, cremore vtemur: cibus enim maxime tenuis & leuis, pręcipueq; sorbitio, Celso placuit: potissimum sorbitio ex ptisana: nihil vero detur (*vt inquit ille*) quod aut refrigeret corpus, aut fauces asperet: qua ratione acria, acida, salsa, & astringentia vitanda sunt. Ita & Alexander ptisanæ cremorem largiter decoctum, donec id, quod flatuosum est, deposuerit, pro cibo commendat. Nos etiamsi humor ægre ducatur, amygdala purgata leuigataq; ptisanæ incoquimus, quo humor magis eductioni paretur: ac commode vtimur subinde & hordeato: & sic mane, iuxta Alexandr. ptisanæ cremorẽ; vesperi amygdalarum succum offeremus. Si sit ex pituitoso sanguine, paululum mellis adiicit idem Alexander. Quoties vero dandum sit, & quantum in ea, consuetudo seruanda, tam ad ægros & sanos, vt habet *aphor. 18. lib. 1.* inter initia tamen exiguam & tenuem non tanti alimenti seruare oportet. At nostræ regiones tam exactam inediam, vt Itali & Hispani, non ferunt. Et sic in nostris ægris aliquando amygdala expurgata & contusa & emulsa cum aqua exhibemus, vel panatam (vt parant Itali) & si vires imbecilliores fuerint, in gallinarũ iusculo panis micas decoctas pro cibo commode damus. Interea olera vitamus, nisi lingua scabra, siticulosaq; & febris ingens appareãt; tunc etiam Alexander ante maluæ aut intybi decoctũ exhibet. Possunt & pleuriticis mala dulcia cocta exhiberi, apia dicta. Initio igitur aqua hordei & hordei pulticula; principiis liquidior, post etiam crassior: deinceps mixtis amygdalis, tum amygdalogala: post etiam eadem ex pullorum iusculis dissoluta: tenellæ pullorum carnes in fine, vbi vires deficiunt, intrita madida, quæ & infriatas carnes & synterimata appelles licet, vulgo collyria & collaticia iuscula dicta, expressiones quoque, quibus defectis viribus vtimur; alioqui integra satis virtute tenuius nutrimus. De quib' ad longum quoq; videas Benedictum Fauentinum præceptorem meum cap. proprio de curatione pleuritidis. Pro potu vtimur aqua hordei, vel radicem glycyrrhizę seu paucum cinnamomum in ea decoquimus. Quidam (*teste Alexandro*) aquam tepidam propinat; alii aquam mulsam in pleuritide ex pituitoso sanguine. Vbi paulum morbus sese remisit, alimenta pleniora exhibent. A vino tamen abstinendum censeo, nisi viribus admodum imbecillibus: etiam vini aliquid Celsus dat. Præceptor meus Benedictus Fauentinus nõ dabat, nisi extrema iudicatione pleuritidis transacta, quæ 14. die fit, idq; aqua permixtum: quod si pleuriticus nõ fuerit iudicatus 14. die vinum non exhibet; rationem loco citato explicat. Huc etiã pertinet aer, qui temperatus eligendus est, parum tamen ad calidum inclinans: nam frigidum neruosis partibus, eisq; affectis est inimicum, teste Hippocrate *Aph. 18. lib. 5.* dolorem quoque insuppurabilem facit. Somno quoq; potius longiori vtantur quam vigilia. A motu omnino abstineant, iniungendaque quies erit; ideo a coitu abstinendum, cuius habemus exemplum apud Amatum de pleuritico, qui post venæ sectionem & sputi reiectionem sanum se dicebat; quũ is sequenti nocte cum vxore cum rem habuisset, facta recidiua & dolore reuerso intra biduũ in fine sexti diei, obiit: quicumq; enim recidiuam pa-

Marginalia: 6 *Victus ratio*; 7; *Synterimata.*; 8; 9 *Historia Amati.*

tiuntur, etiam ex victu inordinato, tales quoque iuxta Auicennam commoriuntur. Hinc quoque summopere cauendum a stypticis, cum & Rhases 4. Continẽtis narret historiam de quodam medico imperito, qui cum pleuriticum præ manibus haberet, & videret pleuritidem iam perfecte in declinatione esse, ac ægrum iam quasi sanatum, crassiore diæta vtebatur: atq; ægro suo exhibuit, lenticulas cum aceto confectas, vnde ilico cessauit sputum, ob impedimentum illius nutrimenti, ita vt errore medici miser ille nocte subsequente e vita discederet. Sic ego quondam cum haberem pleuriticum præ manibus, & iam quasi curatus esset, me inscio salsamentum piscium ebibit: vnde denuo suborta tussi, dolor lateralis reuersus est, vt astantes illum moriturum existimarent; & nisi ego statim adhibuissem eclegmata dulcia, tum alia remedia expectorantia, æger succubuisset. Veteres, vt paulo ante diximus, pro potu dabant mulsam aquosam, vel aquosum oxymel, vt sputum facile educeretur. Nos commode vtimur aqua hordei mundati, in qua radices glycyrrhizæ, & vuæ passulæ ab arillis repurgatæ, incoctæ fuerint. Sed a frigida aqua abstinendum, quæ sputum incrudescere facit; & subito (*vt vidimus*) suffocati sunt quidam ex hominibus plebeiis, qui cum sitirent, frigidam bibissent. Hæc obiter de vitæ instituto. De medicamẽtis (alio interiecto exemplo) postea dicemus.

Historia Rhasis.

Observatio XXXI.

De pleuritide legitima.

VXor Magistri Henrici cognomento Rabii, annorum 43. mense Iulio, anno 1549. Alcmariæ pleuritide vera corripi cœpit: aderat enim dolor punctorius in latere sinistro ad clauiculam ascendens, supra modum tussiebat, sputum erat rubrum pituita mixtum, difficilem anhelitũ trahebat, continuo febricitabat cum capitis dolore, pulsus durus atq; serrinus erat. Quarto die ad eam primo ingressus, iubeo vt in loco lucido mediocriter elato collocaretur, & vt molli culcitra capite ac thorace subleuato decumberet, cumq; in pedes decideret, lignum aliquod, aliudue corpus pedib. obiiciebam, vt in ea figura persisteret. Deinde cum nostri inediã ita non ferãt, & iam quartum diem attigisset, quod ad vict' rationem attinet, poma assata dulciora concessi, & hordeatum, & amygdalatum, & panatam cereuisiariam vulgarium more paratam, absque vino, quod quoque interdixi, eo quod nostri rustici statim in omnibus pectoralibus morbis ac tussi vino dulci vtuntur, apud nos Romano dicto, existimantes a frigore tales affectus semper oriri: vt istis diebus mihi euenit, cum extra vrbem in pago Diui Eligii dicto, colonum pleuriticũ præ manibus curandum haberem, atq; eidem omnia vina interdixissem: cumque is nostris præsidiis melius haberet, post nostrum discessum stupidi homines etiam præter vinum, aquam vitæ ægroto propinarunt, vnde febre denuo accrescente, & sputo ob calorem retẽto, intra quatuor pluresue horas miserrime exstinctus est. Ita & sartor quidam Delfensis prope nosocomium decumbens ex grauissima pleuritide, cum aquam vitæ ebibisset, etiam grauissimis symptomatis obortus, & ventris proluuie, nono die sua incuria obiit. At in hac nostra ægra, cum in quarto die acciti essemus, & sponte per se aluum deposuisset, ex vena basilica in brachio sinistro sanguine copiose extracto, dolor mirum in modum sedatus est, loco affecto etiam linimento infrascripto inuncto. ℞. *vnguenti nostri pectoralis, dialthea, olei viol. amygd. dul. an.* ʒ *ij. misce: similiter & hoc decocto, vel huius æmulo ter in die vtebatur.* ℞. *foliorum violæ. scabiosæ, maluæ, buglossæ & borag. cum toto, an. m. j. florum papau. syluestris rubros flores habentis p. j.* Volunt autem quidam hos flores proprietate quadam pleuritidem curare; & ita medicos quosdam noui, qui syrupum præparatum habeant, & confectum ex succo papaueris floribus rubris syluestris, & zaccharo partibus æqualibus) quem exhibent cum decocto pectorali, scabiosæ, vngulæ caball. vel cum aquis iisdem destillatis. Refert autem Rondeletius a tota substantia decoctum papau. rub. in aqua scabiosæ vel pimpinellæ conferre, vel cineres priapi tauri cum vino, vel cum aqua hordei in hunc modum. ℞. *flor. pap. rub. m.* ß. *aquæ scabiosæ* ℔ ß. *aquæ pimpinellæ quart. j. concoquantur leniter, adde sacchar. parum, fiat ad formam iuleb. dentur a principio bis vel ter in die.* Vel, *Recipe cineris priapi tauri* ʒ *j. detur, si febris sit remissa, cum vino, alioqui cum aqua hordei.* Memini enim (vt etiam in scriptis Gisberti Horstii medici Romani & nosocomii Mariæ consolationis, cum Romæ agerem, legi) quendam pleuriticum derelictum a medicis & pro deplorato habitum, cum sumsisset pimpinel. ʒ *ij cum tribus* ℥ *aquæ flor. pap. rub. syluestris, & calide cubuisset, sudore euocato,* conualuisse. Sed reuertentes ad nostram decoctionem, adiecimus *capill. Ven. vngulæ caball. an. m.* ß. *glycyrrhiz. rasæ* ℥ ß. *prun. damasc. num. ix. iuiubar. sebesten recent. an. num. v. semin. maluæ* ʒ *j. vuar. passul. ab arill. repurg. hordei mundati, an. p. j. coquantur in sero lactis ad* ℔ *j.* ß. *misce. Interea & eclegmata* sumebat in hunc vel similem modum. ℞. *syrup. viol. iniubini, capill. Vener. de liquiritia, an.* ℥ *j. diatragac. frig. in tab.* ℥ ß. *Zacchari candi, Zacchari penid. an.* ʒ *ij. fiat linctus: postea relicto diatragacanth. etiam adiunximus looch sanum.* Sexto die hoc solutiuum cœpit. ℞. *cassiæ recens extractæ, diacatholici, ana* ℥ ß. *diaprunis lenitiui* ʒ *j cum* ℥ *ij. decoct. suprascriptæ.* fiat haustus: quo quinquies aluum deposuit, & dolor sedatus est, ac melius & magis concocta exspuebat; febre etiam inclinante, ita vt vndecimo die fuerit curata. Quanquam postea leuis dolor in capite remanserit; qui leuissimo remedio cessauit ex decocto simplicium herbarum, videlicet *bettonicæ m. ij. viol. borag. bugloss. scabiosæ* (propter tussim leuem, qua adhuc detinebatur) *hordei mund. p. j. fiebat decoctio in ceruisia communi* (cum apozemata in officina postea abhorruerit) *& post colaturam zaccharo dulcorabatur.* Ex quo decocto bis in die bibens, 14. die ex integro fuit curata.

SCHOLIA.

5 PRoba victus ratione descripta, statim etiam de aliis remediis cogitandum est: maiora vero remedia, quæ adhibentur, vt sæpe diximus, sunt purgatio, & venæ sectio. Sed hic statim celebriores medici inquirunt, num perpetuo insigni vacuatione morbus lateralis curari debeat, quæ aut per ventrem aut venæ sectionem fit: quidam volunt, si leuis sit pleuritis, & sanguis per halitum digeri possit, & extra corpus educi, frustra auxilia fortiora tentanda, vbi in toto corpore non sit abundantia humorum: tales Hippocrates fomentis calidis curat. Sic nos puerum 13. annorum apud Henricum Iunium pædagogum anno 1560. cum post columellæ inflammationem & tonsillarum in morbum lateralem incidisset, curauimus fotu infrascripto, cum debilis esset, & per quatuor dies nihil edulii prius transglutire potuisset: bifariam enim fotus iuuant, teste Galeno, & quia partim rarefaciunt & molliunt, & quia sanguinem in halitum ducunt. Fotus hic erat. *℞ florum chamomillæ, meliloti, an. m.j folior. maluæ, summitatum anethi, an. m. ß. rad. althææ ℥ ß. seminis lini ʒ ij. coquantur in aqua communi*, & fiat fotus cum spongia expressa: quo solo puer a dolore euasit, & a pleuritide curatus fuit: qua curationis ratione ipse quoq; Galenus se quendam ægrotum meminit citra venæ sectionem curasse, cum miti pleuritide laboraret, vt videre licet 6. de morb. vulgaribus.

Nunquid perpetuo insigni vocuatione morbus lateralis curari debeat.

Fotus.

6 Cuius sententiæ & Celsus & Alexander Trallianus exsistunt, quos & Paulus & Aetius sequuntur. Alii volunt hanc curationem esse tentatiuam, vt Barbari quidam; quod rursus alii negant, cum Hippocrates idem faciens minime ignorabat exacte morbum lateralem fuisse, priusquam calida fomenta adhibuisset, id quod de tanto viro haud quaquam asserendum erat. Hæc simul patefaciunt eorum inscitiam in curandis inflammationibus, in quibus momentum omne ex mente Galeni consistit in vacuatione sanguinis, qui in parte ipsa continetur; & extra corpus educunt sanguinem, vt sunt eiusmodi fomenta tenuantia, ac per halitum digerentia. Interea spectandum nunquid indifferenter in omni morbo laterali, nulla præcedente insigni vacuatione, possimus calidis fomentis vti, nondum habita adhuc notitia distincta; quod in toto corpore humorum redundantia non adsit: quibus respondet Alexander, quod iis vti possemus, cum ea ratione maxime copiam manifestabunt, vtpote si fomentis dolor non mitigetur, ab iis abstinebimus vlterius, ne dolor augeatur propter attractionem: idem sentiunt & *Hippocrates & Galen. 2. de rat. vict. in morbis acutis*.

Nunquid in differenter in omni morbo laterali nulla præcedente insigni vacuatione possimus calidis fomentis vti.

7 Et tunc vbi dolorem non dissoluant fomenta, diutius non erit calefaciendum: quoniam in toto corpore humorum redundantiam adesse indicant; & propterea corpus totum insigni aliqua euacuatione præeuacuabimus: si vero dolor his moderatior fiat, cum fiducia adhuc fomentis vtemur, Alexandro etiam iubente; & ideo medici celebriores securissimum esse volunt, & in omni pleuritide fomentum esse adhibendum, tanquam omnino aliquam adferens vtilitatem, vel vt caussa sanitatis, & auxilium corpore non exsistente pleno, vel tanquam signum ad dignotionem (nec minus eo tempore aliquod afferens mediocre leuamen) ex quo nos dispositionem comprehendentes, ad totius corporis vacuationem peruenimus, vt Donatus ait: quemadmodum pro curatione doloris oculorum, *commento aphor 31. lib. 6.* decretum quoque reliquit. Recte itaque dicit Hippo. non absonum esse tentare, an dissolui possit, quasi velit, non semper spem esse, vt iis dissoluatur: quin potius aliquando a fotibus deterius æger habet, & aliis remediis est opus.

8 Curationem igitur doloris lateris a fomento orditur; siue statim inter initia sit ortus, siue postea superuenerit. Tentandum igitur, vt sic curetur pleuritis: scimus enim phlegmonem *ex 13. method.* qua phlegmone est, curari his, quæ resoluunt, & materiam per halitum digerunt: quod est tentandum primum. Sic Galenus, vt iam modo diximus, *6. aphoris. 31. & in lib. de vena sectione*, phlegmonas oculorum fouet, tentando an posset dissoluere. Si sit multa copia & malum increscit horum vsu, ad alia remedia se vertit: scilicet, curatione caussæ antecedentis vtens, a qua phlegmone augescit & fouetur. Quam vtilis sit fotus, id etiam experientia sæpe vidimus, non tantũ in principio, dum vocemur, sed etiam postea. Sic memini me in curatione habuisse Alcmariæ abbatissam satis vetulam Clarissarum graui pleuritide affectam: quæ cum venæ sectione & leui purgatione, cum aliis aptis remediis, curari non posset, extremo dolore lateris permanente, & cum eidem proposuimus fotum esse adhibendum (quem ratione religionis suæ admittere nolebat, cum vestes ex huius ordinis decreto exuere non posset) tandem post duos vel tres dies dolore semper increscente rogaui, nunquid vestes circa locum affectum discindere possemus, vestimentis non exutis, cum & post fotum facile iterum suendo coniungerentur, quod cum annuisset, fotu adhibito, præter aliarum monacharum opinionem, cum morti destinata videretur, a dolore & pleuritide sana euasit.

9 Ceterum exempla fotuum quatuor sunt: primum morsu prorsus caret, & tutissimum (vti etiam Iacchinus doctissimus annotauit) esse videtur, ex aqua calida, nos commode anodyna & emollientia, vt in puero præcedente, adiecimus. Modus vero applicandi ex ventriculo aut bubula vesica, est commodissimus: vel cum spongia, vt nos feliciter vtimur, prius expressa & calide admota: quo etiam ad acutissimas & biliosas valde pleuritides vtendum Galenus ait: quoniam a siccis, & calentibus proritaretur humor ille, qui cõtrariis temperari debet; ideo humescere & mordentes humores morsu carentibus mitigari. Sed & quia tutissimũ est, quod mitissimum: tutius eo in omnibus vteris, inquit Galenus, cum coniecturam de humore, qualis sit, certam facere non poteris, mox ad alia te transferes. Admodum quoque applicandi attinet, vt circumuestiatur linteo, quo calor plus perduret, neque halitus ad laborantis pulmonem feratur vna

Quatuor exempla fotuum.

10

cum aere inspirato. Alia vero fomenta primum cruo, posca, cocto vel hordeo, vt Galenus notat, humori glutinoso & contumaci vtile erit; vt si flatus adsint, & dolor ex phlegmone, cui multum pituitæ sit, quoniam secat, discutit & siccat. Alia vero sicca sunt, id est, sine humore admota, ex milio & sale, quæ ambo siccant; sed hoc differunt, quod sal vim acrem habet, & plus discutit, vnde & humori contumaciori conuenit; cuiusmodi est pituitosus. Milium vero solum siccat, sanguineo magis vtile. Plura de fomentis, quæ scripsi Benedict⁹ Fauentinus, cap. proprio de Pleuritide. videas: tum alios auctores, qui hanc rem copiosius tractarunt. De venæ sectione (quę statim est adhibenda, si dolor non sedetur in principio cum fomentis) & de purgatione, scholio subsequente dicemus.

Observatio XXXII.

De fabro lignario ter in quatuor mensibus pleuritide vera correpto, & curato.

1

AVgusto mense anno 1545. faber lignarius Pitheuriensis, annos natus triginta sex, satis robustus, & mediocris habitudinis, cum in pleuritidem veram incidisset, & per duos dies aluum non deposuisset, me vocauit. Statim communi clysteri iniecto, cum bis ex eo aluum deposuisset, mox secta vena cubiti dextri e directo loci affecti & sanguine vtcumque copioso circiter vncias decem extracto, deinde syrupis pectoralibus ebibitis, & leniente postea medicamento assumto ex *cassia & diacatholic. an. ℥ß. cum sero lactis soluta, paucis localibus remediis adiunctis, tum eclegmatibus aptis ad sputum educendum*, post septimum diem egregie curatus fuit, ac sanus vixit. Post mensem tamen denuo in pleuritidem sæuam & acutã cum grauioribus accidentibus prolapsus est: & quarto die ad eum accitus, rursus cum phlebotomiam adhibere instituissem, amici ægrotantis refragabantur, cum vix mensis præteriisset, quod sanguis illi detractus esset: ratione tamen persuasi a me, venæ sectionem admiserunt. Ita denuo sanguine detracto ex vena basilica eiusdem lateris ad vncias octo, mox rursus conualescere cœpit, & ad consueta munia demum reuersus optime se habuit. Sed, quod miratu dignum videtur, post duos menses iterum in pleuritidem relapsus, denuo sanguine demisso ex cubito lateri dolenti correspondente, ilico & præter spem conualuit: ita, vt hic æger inter quatuor menses ter legitima pleuritide laborauerit, & semper sanguis detractus fuerit ex latere eodem: cuius venæ sectionis beneficio, adiunctis & aliis præsidiis commodis, mox sanitatem recepit. Quo quidem exemplo manifestum euadit, auxilium citius sanguine ex latere eodem demisso, quam ex opposito contingere.

2

Scholia.

3 *Venæ sectio, quando adhibenda, & ex qua vena*

OMnes quidem medici in hoc consentiunt in omni pleuritide, exsistente humorum redũdantia in toto, semper curationẽ exordiendam esse a venæ sectione; quamuis in dubium vocant, ex qua vena id fieri debeat, numquid etiam ex eodem latere vel opposito. Et de hac controuersia non solum Arabes cum Græcis, ac ipsimet Græci auctores inter se, verum etiam iuniores medici, etiam hi, qui Galeni doctrinam profitentur, magnopere digladiantur; ita vt adhuc sub iudice lis esse videatur; & si auctoritatem ac numerum spectes, vix scias, penes quẽ sit victoria; num penes Græcos, Arabes, Barbaros Latinos, veteres aut iuniores victoria consistat. Hinc tot concertationes, tot Apologiæ, tot libelli conscripti de venæ sectione vsque ad iurgia fere & obiectationes. De qua quidem re disceptarunt celeberrimi quique medici nostri temporis, vt Petrus Brissotus vir in vtraq; lingua doctissimus, & Leonardus Fuchsius, & ante illum Matthęus Curtius vir integerrimus, qui quęstionem de hac re non spernendam scripsit; & Manardus Ferrariensis medicus eruditissimus, & Campegius, qui in hoc negotio defensando partem Græcorum non parũ temporis consumserunt, dum venam secandam esse volunt ex eodem latere, contra Arabum partes, qui ex opposito latere sanguinẽ promunt, validissimis rationibus ac auctoritatibus nõ spernẽdis defenderunt: vt Dionysius medicus Lusitanus, Hieremias Thriuerius quondã præceptor meus Louanii: Dominicus a Melgutia medicus Romanus, Andreas Turinus, qui aduersus Curtium scripsit. Neq; hæc noua hæresis est, sed per multos etiã ante annos agitata quæstio: ita vt Auenzoar ille gloriosus medicus *lib. 1. Theysir. tract. 16. cap. 3.* taxet medicos nouos sui temporis, qui secabant venã ex eadem parte ægritudinis. Huius quoq; opinionis sunt & Auicenna, Rhases, Haliabbas, Mesue, Auerrhoes, & omnes Auicennistæ & illi potissimum medicinam barbaram sectantes, & qui in Rhasem commentati sunt atque scripserunt. Hi omnes a latere diuerso sanguinem demunt. Et inter Græcos Archigenes ipse inquit, Si latus inflammatur circa mammam, & ad clauem dolor peruenerit, in opposito cubito venam secabis, & sanguinem detrahes citra animæ defectum; tum peripneumoniam, inquit, non extimesces; pulmo enim, qui rarus & calidus est, lateriq; vicinus, facile virus contrahit: at expedit per interualla extrahere. Eundem & Aetius sequitur. Alii Græci, vt Hippocrat. & Galenus, & post eos Oribasius, ab eodem latere miserunt: & Cornelius Celsus inter Latinos præcipuus *lib. 2. cap. 9.* taxat medicos, qui in dolore pleuritico faciunt diuersionem a longinquis: & Constantinus ille Cassianensis medicus, ex mente Isaac *lib. 3. Viatici cap. 12.* in pleuritide venã, quæ ex directo loci affecti est, secandam docuit: quamquam & is Arabs non deuiauit, ab opinione Græcorum: quamuis alii quoq; nõ desunt, qui nituntur Arabes cum Græcis concordare, vt Nicolaus Monardus Hispalensis medicus. At nos etiam in sequendo præcepta præceptorum nostrorũ, commode semper in principio quoq; ex latere eodem sanguinem misimus, non solum in hoc fabro, sed in aliis fere omnibus. Idem Amatus in multis exemplis peregit; vt in Angelo Ferreto nobili Anconitano, præmisso clystere basilicam eiusdem

4

5

lateris dolentis secare fecit, ad vncias octo sanguinem extrahens, idq; primo die, vt videre poteris, *cent. 1. curat. 59.* & in mercatore Ariminensi ad vncias decem in eodem latere *cent. 3. curat. 68.* Et in puella annos 17. nata iniecto clystere, eodem die bis axillarem venam secuit ad vncias viginti sanguinis, *centuria eadem, curat. 69.* idem iussit fieri in aliq. *centur. 4. cura. 88.* Et in textore ad duas libras, vbi & in scholio se cum Brisotto Gallo, Mathæo Curtio & Fuchsio conuenire testatur, rationemque ibidem addit longo sermone, cur id faciat. Interea neq; illi audiendi sunt, qui docent semper faciendam esse in parte dextra, quod vena azygos magis ad partem illam vergat, quam ad aliam. At Donatus & Argenterius magis quoque inclinant ad illos, qui ex latere eodem sanguinem demendum esse tradunt, quamuis vterque illud tamen non vult perpetuum esse præceptum, quod nunquam in latere opposito fieri deberet: de qua re vide prædictos auctores, & præcipue Donatum. Sic istis diebus etiam memini me secuisse saphenã in iuuencula octodecim annorum, cui cum menses fluerent, & subito adstricti essent, & in pleuritidem collapsa esset, mox aliis remediis hæc ipsa sanitati restituta fuit: nam vbi facta fuit saphena, aperti sunt menses, & melius pleuritide euasit: & quamquam in hoc casu iuuabat, si tamen menses non subito fuerint restricti, sed forte longiore tempore, vix video in tam vehementi malo, quomodo tam longinqua diuersio prodesse possit: licet Holerius eam laudat, sic scribens: Suppressa aliqua per partes inferiores vacuatione, vbi malum inde ortum est, in insigni plenitudine, in materia virulenta, cumq; statim in initio materia in caput rapitur, ac mentê commouet, e venis cruris eiusdem lateris, sanguis demẽdus est; alioqui e basilica eiusdem lateris: & ideo debet fieri (ne hic multa verba profundamus) secundum rectitudinem, quod Hippocrates, & deinde Gale. appellat κατ' ἴξιν: & ita eligit Hippoc. venam internam eiusdem lateris, quod hæc, vt Galenus ait, reuellit, & celerrime, & vacuat a partibus pectoris superioribus. Cum ergo in acutis morbis celerrima auxilia exigamus, hinc eam præeligemus, & ea non apparente mediam. Nam quæ ex opposita vena fit, aut exiguum præstat auxilium, aut non cito sentitur, sed serius. At nos velociter iuuari ægrum volumus in morbis acutis. Sed antequam reliqua explicemus de venæ sectione, aliud exemplum proferamus.

OBSERVATIO XXXIII.

De pleuritide valde periculosa in sene, & de muliere pleuritica, in qua non ante octauam diem fuit secta vena.

IAson Langius Hyperanus, vir insigniter doctus, Scholæ Delfensis Rector, familiaris noster amicus, annum agens 64. anno 1589. mense Octobri in pleuritidem sæuissimam incidit: ad quem prius tertio die accitus sui, nempe 23. die Octobris, cum sputum crudum, viscosum, cruentum, subinde & biliosum exspueret, cum ingenti lateris sinistri dolore, vt morti vicinus videretur, glande vix aluo soluta cum tribus diebus nihil excreuerat, neque vena secta fuerat, & iam tertius dies esset, venam in brachio sinistro, nempe basilicam, secari præcepi, sanguine ad vncias septem, vel paulo plus in sene extracto: interea hoc decocto vtebatur. ℞. *rad. liquiritiæ rasæ* ℥ ß. *hordei mundati p. j. viol. bechii, scabiosæ, capill. Ven. polytrichi, an. m.* ß. *sem. anisi* ℥ j. ß. *vuar. pass. enucleat.* ℥ j. *iuiubar. recent. numer.* vj. *fiat decoctio in aqua communi pro* ℥ ix. *colaturæ addendo syr. capill. Ven.* ℥ j ß *misce:* locus inungebatur linimento sequenti. ℞. *olei amygd. dulc.* ℥ ß. *olei chamæmel. butyri recentis, axungiæ gallinæ, an.* ℥ ij. *misce.* Pro expectoratione hoc eclegmate vtebatur. ℞ *syrup. capill. Ven.* ℥ j *syrup. de liq. viol. an.* ℥ ß. *zacch. penid.* ℥ ij *fiat loch.* 14. Octob. cum aluum non deponeret, glans acuta iniiciebatur: sed nihil effecit: & rursus assumsit hoc lene medicamentum laxans. ℞ *syrup. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ* ℥ j. ß. *elect. lenitiui* ℥ j. ß. *aquæ vngulæ caball. seu bechu* ℥ ij ß. *misce:* sed nihil effatu dignum eduxit: ideo hoc apozemate vtebatur. ℞. *hordei mundati p. j. folior. maluæ, viol. vngulæ caball. capill. Ven. polytrichi, an. m. j flor. cordialium p. j. prun. damascen. numer.* xiij *vuar. passul. ab acinis repurgat.* ℥ j. *iuiubar. recent. numer.* vij. *folior. senæ Alexand. a stipitibus repurgatæ.* ℥ j. *sem. anisi* ℥ j. ß. *polypod. quer.* ℥ ß *fiat decoctio in aqua communi pro* ℥ ix. *fortiss. express. adde syrup. violar. syrup. ex infus. ros. comm. & pallid. an* ℥ j misce, fiat apozema pro tribus dosibus matutinis: cum vnam sumsisset, ter aluum deiecit: dedimus 26. Octob. altero die rursus dosim cœpit. At dolor non mitigabatur. Quare & hoc fotu vtebamur. ℞. *rad. althææ mundat.* ℥ ij. *folior. maluæ, violar. flor. chamæmel. meliloti, an. m. j. seminis maluæ* ℥ ij *semin. lini* ℥ iij. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. ß. *fiat fotus cum spongia, vt artis est:* & rursus cum vng. suprascripto cœpit dolor mitigari; & nono die sputum melius exibat: sumens quoque ex linctu syrupi capill. Ven. & liq. antea quoque ex syrup. iuiubino de liquiritia, adiectis tabulis diatrag. frig. eo quod sputum biliosum erat. Sed 27. Octob. syrup. capill. Ven. de liquirit. Decimoquarto, sputo bene exeunte iam melius habebat, vtens hordeato: & post 14. diem sputo magis exeunte in sene, circa 20. diem, perfecte curatus est a pleuritide sæuissima, cum omnium admiratione, cum pro deplorato habitus fuerat. Interea in dubium vertitur a quibusdam, numquid post quartum diem sanguis demendus sit in pluritide: quam quæstionem mouet Valescus *lib. 3. cap. 8.* de pleuritide: & auctoritate Rhasis & aliorum, ac Auicennæ concludit, cum tunc adsit augmentum & materia incipiat digeri & expelli sputo apparente & melius exeunte, quam prius, venam minime esse secandam, ne impediatur apostematis maturatio. Neq; propterea id fieri iubet, nisi aliorum medicorũ præsentium consensu; idq; admonens vt opinor, vt calumnia declinetur, modo vires admittant. Hippoc. tamen in Anaxione octauo die venam secuit, vt etiam ex commento *Aphor. 12. lib. 1.* apud Galenum con-

stat. Et huius historiam ad longum habemus 3. de morb. vulgaribus, licet etiam tunc medici (referente Galeno in eodem *comment. 3. Epid.*) quasi certa lege vltra quartum diem venam non secabant. Sed quod octauo die prius venam secuerit, aliquæ referuntur rationes a Galeno, vel quod Hippocrates citius nõ esset vocatus, vel quod materia esset cruda: quæ tamen rationes Montano non satisfaciunt, vt ad longum explicat in commento supra Rhas. de pleuritide: sed & hanc rationem meliorem esse putat: non misit in quinto, quia erat dies maioris afflictionis, neq; in septimo potuit; quia hi dies erant maioris afflictionis, cum pleuritides plerumq; habeant accessiones de tertio in tertium: in sexto quoq; non misit, quia tunc delirabat, & habuit sæua accidentia; ideo necessarium fuit in octauo mittere. Reliqua vide apud Montanum.

5 Quod Hippocrates hoc prius in octauo die fecerit, oportet, vt aliquam ex his dictis caussam habeat: Cum enim magnitudine morbi & viribus indicatio mittendi sanguinis sumatur, (*vt 9. methodi habetur*) optimum igitur factu est, id quod nos semper (*inquit Galen.*) facere vidisti, statim non numero dierum, sed vni virium robori in febribus eius generis (Synochos præcipue intelligit, sic & acutas, vt est pleuritis) attentum esse: quippe quod si seruatum est, non solum sexto septimoue, sed etiam sequentibus diebus sanguis est mittendus: & ita si tardius vocati fuerimus ad pleuriticos, etiam post quartum diem, & omissa fuerit venæ sectio, sanguinẽ demittemus, modo vires adsint, ac dolor ac febris vrgeat, & sputum nondum maturuerit: & sic ego aliquando in mulier pleuritica & vidua annos quadraginta nata (quæ in aggere tinctorio Delphis decumbebat) octauo prius die venam secari feci, cui facies pustulis repleta erat, pulsus vtcumq; fortis, idque ex eodem latere; quæ postea aliis quoque adhibitis remediis, & eclegmantibus ad sputum facilitãdum vtens, per modum resolutionis sputũ commode expectorans sana euasit, cum aliis nonnullis, cum anno 1565. mense Ianuario vsq; ad Martium, cum aspera hyems esset, quam plurimi ex pleuritide decumberent.

6 Venit & mihi tunc in mentem Oliuerius pleuriticus apud Amatum, cui in principio tantum vnciæ quatuor sanguinis detractæ fuerant: & postea Amatus ad eundem accitus 10. die, vncias octo detraxit: deinde rursum 13. die vncies sex: qui tandem euasit 27. die, vt apud eundem videre licet *cent. 1. curat. 21.* Hoc tamen exemplar non semper imitari oportet, cum & vires considerandæ sint, quæ non semper toties repetitam venæ sectionem ferunt: sed potius in principio, cum vires adhuc fortes sunt, & exitus sputi non impediatur.

SCHOLIA.

1 *De mensura sanguinis.* QVantum ad sanguinis detractionẽ, postquã Hippocrates, quando sanguis sit detrahendus, & ex qua vena docuisset, mox de quantitate agit, dicens: tantum sanguinis auferendum, vt color permutari cœperit ipsius effluentis. Est autem permutatio hæc, vt si prius albidior colore sit, vt in pituitosiore habitu contingit, rubidior euadat, id est, pleniore purpuræ colore: si vero calido sanguine æger sit & purpureo, loco eius liuidus exeat. Iam enim hoc signum est, detractionem eo peruenisse, vt euacuaret sanguinem circa partem impactum in exilibus venis, qui etiam eo modo alteratus est a calore phlegmones. Nam calor ita colorem alterat exurendo; quod aperte in febricitantibus videmus, & æstate exercitatis euenire: sed contra quam hic; in illis enim sæpius mutatio coloris fit ad melius, propterea quod sanguis in extimis venis manens exuritur, qui vero in visceribus, benignior est, (ita procurante natura in febribus, vt excrementitius ad cutem tendat, contra viscera potiore fruantur) præterea quod exiguus est, & in exiguis venis facile exuritur. Ignari vero medici cum eam mutationem vident, Hippocratis exemplo sistere volunt.

2 At non eadem ratio est, vt etiam doctissimus Iacchinus annotauit. Hic enim plurimum educetur, priusquã eductio ad locum perueniat: itaque bonum erit ibi sistere. At hic vacuare plenitudinẽ volumus, & non solũ, qui in extimis est, sed qui in visceribus: itaq; non statim sistere oportet. Horum autem dictorum Hippocratis Galenus reddit rationem *in 2. de rat. victus, & in libr. de curandi ratione per venæ sectionem.* Non tamen, secundum eundem Galenũ, sanguis semper mittendus in pleuritide ad caloris mutationem, ob infirmas vires, quæ tantam copiam vacuare prohibent, aut ob phlegmones prauitatem. Quibus & Galen. *iisdem locis, & 1. de art. curat. ad Glauconem,* adiungit laborantis temperiem calidam & humidam; nam suapte natura talia corpora difflantur, vti & pueris. Et licet Græci in pueris vsque ad 14. annum a venæ sectione abstinuerint, Arabes (*vt alias diximus libr. 1. scholio, obseruat. 21.*) etiam in pueris eam aliquando non reliquerunt. Sic nos in pueris 9. annorum pleuritide laborantibus venam secuimus, etiam in quodam 13. annum agente.

3 Quidam medicus Bruxellensis felici successu quarto anno venã secuit: Galenus vbique prohibet, vsque ad 14. annum Amatus venam secuit in puero obesulo, sanguineo, quatuor annorum. *Vide cent. 1. curat. 17.* In pueris tamen pinguiusculis (vbi venæ angustiores sunt) quidã sanguisugis vtuntur, decurtata harum cauda, vt vacuationis modus certo finiatur. Ideo & mensura obseruanda: in pueris partius, in adultis copiosior adhibenda: & tantum, vt alias diximus, detrahendum sanguinis, quantum postulat vehementia affectus & copia humoris redundantis; sed non ad syncopen, ne sputum retineatur, aut humor postea regeratur in affectam partem; præstatq; sanguinem, (vt alias diximus) in peluiculis demissis spectare, & eius colorem & consistentiam considerare. Atque hæc sectio fienda præsente medico, vt & colorem spectet, & vires ex pulsu metiatur. De tempore iam paulo ante diximus, & latius *lib. 1. Schol. Obseruat. 12.* Sed hic aliquis dubitare posset, quod aliquando non tantum ob imbecillitatem virium sanguinis missio fieri non debeat, sed etiam ob aliã caussam, vt si natura euacuet satis per hæmorrhoides

rhoides vel sanguinis fluxum e naribus aut menstrua purgatione. Sic ego quondam in nobilissima domicella Terlongia, iuuencula quindecim annorum, quæ ex pleuritide in Campo regio decumbebat, eo scilicet tempore, cum publicæ pleuritides grassarentur, ad quam quarto die prius accitus eram, quo tempore menses aperti erant, & largiter fluebant, a sanguinis missione abstinui: quæ postea (mensibus apertis sanguine satis copiose profluente, sputi expectorationem nõ prohibente) adhibita leui ventris lenitione, & eclegmatibus ad sputum facilitandum & linimentis, absque venæ sectione conualuit. Quod si tamen non satis profluant (vt alias fecimus in quadam famula iuxta Aetium, cum non satis videretur purgari per menses) commode venam in brachio e regione dolentis secamus. Sed hæc de venæ sectione dicta sufficiunt: cum integri libri de eadem re, de pleuritide curanda, conscripti sint. Sed nunc de purgatione etiam quid adiiciamus: & primo a medicis doctissimis quæritur, num ea vtendũ sit? Hippocrates solum ea vtitur, vbi dolor inferna affligit. Galenus huic non repugnat, & fatetur vsui esse, sed non esse tutum propter febrem, propterea quod nõ nouimus semper ægri naturam, vt se habeat, ad purgationes & alia incommoda, quę ibi enarrat: ideo præeligit & hic venę sectionem, quem sequitur Rhases. Hinc quoq; Rondeletius potius clysteriis contentus est, cum viderit aliquos perire ob medicamenta laxantia; cum & Hippocrates alibi dixerit, inflammationes internas laxantibus medicamentis non esse curandas, quia nihil a parte inflammata euacuent, & sanas colliquefaciant, & ideo in solo morbo pituitoso, qui per catarrhũ siue defluxionem fit, laxans medicamentum alibi exhibet Rondeletius. Nos tamen dicimus cum Iacchino, ex communi methodo *4. method. & 13.* in cura phlegmones patere, quod si æger vitioso succo abundet, esse etiam adhibendam purgationem; sed quæ minime angat: cuiusmodi sunt leues purgationes, quarum multa sunt exempla: & multi iis vtuntur; præsertim, si morbus non prorsus constiterit, sed adhuc semper augeatur. Aliquando igitur ea vtemur, aliquando sat erit clysmate vti. Galen. autem præelegit phlebotomiam respectu purgationis acrioris, quæ fit a peplio & helleboro. Hippocrates vero, etsi sub septo transuerso partes doleant, per inferiora ventrem purgare præcepit *2. de rat. vict. & 4.* quam sententiam etiam post Hippocratem sectati sunt Paulus, Aetius, Alexander, quod quidem seruari duobus duntaxat prius consideratis perpetuo potest, modo non sint correpti validissimis febribus: nam iis medicamenta purgatoria dari non debent, donec febris remiserit. Vnde & (*eodem teste Aphor. 24. lib. 1.*) in acutis morbis raro, & in principiis tantum medicamentis purgantibus vtendum. Iam quoque ex Gal. *2. de rat. vict.* ipsius laborantis natura cognita esse debet, vt paulo ante dictum est: si eius naturam cognouerimus, & dolor inferiores partes thoracis infestet, & febris non fuerit vehemens, medicamentum purgans iuxta Hippoc. & Gale. dari poterit. Sed quia sæpissime febris vehemens pleuritidem comitatur, etiam dolore partes inferiores infestante & natura incognita plerumque sit, Galenus ea ratione tutius semper venam secari iubet: quam opinionem ad longum etiam Donatus explicat. Hinc & quidam raro vtendum purgantibus voluere, iisque leuibus in principio, morbo pituitoso per defluxionem, & si materia fluat ab hepate: sed tutius adhuc clysteribus agitur. Sed quia nostra medicamenta multo tutiora sunt quam veterum, lenientium purgatio etiã ab initio non erit metuenda, quæ leniendo purgant, & tussi non aduersantur; qualia nostro æuo sunt *cassia, manna, syrup. ex infus. ros. aut viol. solutiuus, & diaprunum simplex, aliquando, adiecto diacatholico vel electuario leniente*, vt exempla curatorum ostendunt. Sic ventrem lenimus & materiam minoramus, digerimus cũ syrupis & decoctis & purgamus cum leuibus iam dictis. Sed a vehemẽtioribus solutiuis abstinemus, & non vtimur pilulis, vt quidam ineptus medicus (*vt Guainerius refert cap. 12. de pleuritide*) qui nobili pulcerrimæ iuuenculæ pleuritide affectæ dedit ℥j. pilularum fœtidarum cum gr. iiij. diag. quibus in syncopen sæpius prolapsam Guainerius restituere non potuit, ita vt in brachiis eiusdem exspirauerit misera. Sic & quidam alius pleuriticus cum pilulas accepisset, postea curari non potuit. Vomitus hic quoque nullo modo confert, nimis etiam pectus exagitat, & sua commotione malum auget. Ideo & vulgares pessime faciunt, qui in pleuritide semen cataputiæ exhibent. At clysteres emollientes vtiles sunt; & statim iniiciendus emolliens, si tempus patiatur; deinde fiat sectio venæ, vel post. Formulas habes apud Rondeletium & alios. Hæc de euacuatione. De aliis remediis, quæ sputum promoueant, & intus & exterius adhibentur, mox dicemus: quæ inquam dicta, & iam dicenda exemplis multa illustriora erunt.

Num vtendum sit purgatione in pleuritide.

Observatio XXXIV.

De pleuritide miti benigna, quæ facillime fuit resoluta.

Aleida, Petri Opmeri filia, puella 14. annorum plus minus, gracilis & biliosa, ac raræ constitutionis anno 1565. 16. Ianuarii die, cũ ingens gelu esset, & venti boreales flarent, Delphis apud patrẽ habitans, vera pleuritide correpta est. Ad quam secundo die accitus, cum parum coloratum exspueret, atq; omnia signa pleuritidis veræ adessent, sed benignioris, atque dolor latus dextrum contorqueret, cum balano aluum deposuisset, ac bis stercora licet dura excreuisset, post duas deinde horas, cum dolor clauiculam ascenderet, venam basilicam in cubito eiusdem lateris tundere feci, sanguine ad vncias quinque vel paulo plus extracto. Plus vero extrahere ausi non fuimus in puella 14. annorum, tempore valde frigido exsistente, & in gracili corpore. A sanguinis detractione mox dolor mitigatus est: & post inunctionem loci dolentis cum vnguento resumtiuo, & a sanguinis detractione sudauit, & plurimum febris mitigata est: & tunc sub noctem hordeato proci-

bo vsa est. Die vero subsequenti anhelitus liberior & dolor ex toto fere sedatus. Sed quod omiseram, a venæ sectione eodem die hoc iuleb ebibit. ℞. *decoct. pectoral.* ℥ iij. *syr. viol. iuiubini* ℥ ß. *misce.* Tertio die ab initio morbi melius spirabat, vt dictum est, & sputum optime procedebat, licet paucum & sine dolore, cum & materia admodum exigua videretur, & minime rebellis. Sed cum ventrem non bene deiiceret, dimidium huius potionis sumsit: ℞. *foliorum senæ* ℥ vi *bulliant in* ℥ i x. *decoct. pectoralis, & fiat fortis expressio, addendo syr. viol. capill. ven. iuiubini, an.* ℥ ß. *misce.* Cum dimidium huius ebibisset, bis excreuit liquidiora. Interea ad sputum facilitandum hoc lambitiuo continuo vtebatur. ℞. *diatrag. frig. in tabul. syr. viol. iuiubini, an.* ℥ ß. *zacchar. penid.* ℥ ij. *postea & syr. capill. ven. adiectus est.* pauca exspuebat, sed mediocriter sudabat, & cum inunctione insensibiliter materia resoluebatur. Quinto die reliquum decoctionis senæ sumsit, & bis denuo excreuit: sexto die nisi cum glande. In septimo cum sudasset, continuando eclegmata dicta, cum syrup. capil. ven. liberata est, & febris eam reliquit. Prisana pro potu vtebatur, & pro victu, solo hordeato, postea & panata cereuisiaria. Quibus præsidiis, & hæc commode restituta fuit.

Scholia.

QVumuis autem hæc pleuritis mitis esset, hoc tamen tempore a mense Ianuario vsque ad Martium, continuo pleuritides grassabantur, etiam sæuissimæ; nonnullæ quoq; peripneumoniæ, quæ in senioribus magis lethales erant, & multæ pleuritides in peripneumoniam lethalem conuertebantur. Atque hæc omnia videbantur euenire ob aquiloniam constitutionem, cum & per totam hyemem & vltra decem septimanas continuo gelu erat & glacies, & ante natiuitatem Domini gelu atrocissimum vsque ad secundum diem Martii perdurans, quale tempus hybernum neque ipse vix in vita viderim. Quod tunc erant pleuritides & peripneumoniæ, nihil miratu dignum, cum antea ex Hippocrate dixerimus ex *Aphorism. 23. lib. 3.* Hyeme morbos laterales & pulmonis inflammationes fieri: eoque magis, cum venti frigidissimi spirarent, nam & versus orientem & aquilonem flabant, hinc dolores lateris & pectoris increscebant, *iuxta Aphorism. 17. lib. 3.* cum aquiloniæ constitutiones pectoris dolorem augeant, quod & *Aphorism. 5. lib. 3. ostendit.* Plurimi tum temporis suamet negligentia perire, cum non satis tempestiue medicum vocarent, alii vero nimis nasuti sibi ipsi medentes medicamentis calidioribus (cum tamen febre acutissima afficerentur) necem quoque intulerunt. Ceterum (quod ad curationem attinet) de euacuatione iam dictum est, & de maioribus remediis, nempe purgatione & phlebotomia; interea alia præsidia non erunt negligenda, quæ ad facilem exscreationem, & ad thoracis expurgationem valent, quæ etiam diuersa esse debent, prout humor quoq; varius sit, qui pleuritidem intulerit; sic in biliosa confert syrup. viol. iuiubinus & adianthi, etiam in sanguinea: ita & syrup. de glycyrrhiza, de hyssopo, de prassio si ex crassioribus succis originem traxerit. Huc pertinent & decocta pectoralia, & eclegmata, & epiglottida dicta de tussi & catarrho: quorum medicamentorum copiam habes apud Rondeletiū, Hollerium & alios practicos: vti etiam de vnguētis, linimentis, fotibus, & aliis, præsertim apud eos, qui Arabum decreta quoque sequuntur. Et sic in vera pleuritide curanda, quæ per sputum vel resolutionem terminatur, curationem certis quibusdā intentionibus absoluunt, victum commodum describentes, materiam diuertentes, & digerentes, mox euacuantes & sputum facilitantes & materiam vltimo resoluentes: vt apud Gatenariam, tum alios videre licet. Et sic omnibus modis augmentum apostematis inhibent, & secundo quod fluxum est resoluunt. In his tota curatio cōsistit. Si vero per collectionem terminetur, supradictis quatuor intentiones addunt, maturationem, ruptionem, abstersionem, consolidationem. De quibus videas Valescum & Arculanum; & quamuis in numero discordare videantur, in re ipsa satis concordes sunt. Per exempla hæc ipsa manifestiora euadent.

Observatio XXXV.

De pleuritide sanguinea per sputum, deinde & per menses critica expurgatione finita.

Puella succi plena, annum 25. agens, sanguinea, famula apud cereuisiarium cum eodem tempore hyeme quidem asperrima, linteamina extra vrbem lota (vt fieri assolet) abluisset, domum reuersa cum incaluisset, 12. Februarii die horrida febre correpta, postquam inhorruisset, pleuritidem incurrebat, cum febre continua, & dolore sinistri lateris ad iugulum tendente. Primo die nihil exspuebat; secundo vero cruentū quid. Chirurgi opera vsa est: is sanguinem detraxit in brachio lateris oppositi, aluo plus æquo restricta, ita vt pessime habuerit; & per totam noctem subsequentem dolor valde increuit. Lotium ad me mittit, quod rubicundum erat, & quæ acta essent narrantur: lenitiuum præscribo, cum tribus diebus aluū non reddidisset, quamuis libenter prius illam inuisissem. Ex medicamento leniente quinquies aluum cum deposuisset, me vocari iussit: in sequentem diem venæ sectionem in brachio e directo loci affecti distuli, ob medicamētum assumtum. Secta vero vena basilica ad vncias sex, iterum in loco affectui correspondente; qui cum in diuersis vasculis reseruatus, primo niger & corruptus fluxisset, & postea rubicundior, manifeste dolor lateris sedatus est; adhibito quoq; linimento ex vnguento resumtiuo: & bibens prisanam confectam ex hordeo mundato, vuis passulis ab acinis repurgatis, & glycyrrhiza: & continuo sumens ex hoc eclegmate. ℞ *syrup. iuiubini, viol. capill. ven. an.* ℥ j. *conseruæ viol.* ℥ ß. *misce*, ita vt sputa melius procederent. Sub noctem reuersus fatebatur dolorem lateris omnino remissum; sed iam caput dolere, & minus dormire posse: frontem inungo *vngu. popul. & oleo nymphææ.* Præscribo similiter *diatragac. frig. in tabulis.* Et vt continuo

3 tinuo eclegmate superiori vteretur. Quarto die vrina melior & sputa cōcocta exibant, dolore circa imum ventrem apparente, & circa lumbos, ita vt menstruam purgationem exspectaremus, venisq; vteri apertis menses copiose fluxere, dolore lateris amplius non apparente, & sputo mediocriter exeunte. At quinto die dum lectus componeretur, & diutius sellæ sine foco insedisset, rursus horrere cœpit, & in lecto febris eam inuasit. Ad illam reuersus, cum neglectim illam habuissent, calidis pannis vt tegeretur mandaui, & euocato sudore, ac latere rursum parū dolente inuncto cum vng. resumtiuo, dolor mitigatus est, & ex syr. capil. ven. denuo sputum excreuit, & mensibus satis fluentibus in septimo die decretorio, hæc curata fuit, vt eam amplius non inuiserem.

SCHOLIA.

4 Sanguineam pleuritidem minus biliosam lethalem esse prius diximus: quamuis considerādum veniat, quod aliquando vna cum pleuritide purus sanguis exspuitur, venam ruptam significans in pectore. cuius curatio, teste Rondeletio, insanabilis quasi habetur, cum & iuxta Auicennam in phthisin mutetur. Sed & Bertrutius de huius curatione meminit, dū præscribit ea, quæ partim leniter sputū educant & simul conglutinent: de quibus dictum est de sputo cruento. Verum in sanguinea pleuritide, in quā etiā albedo quædam vna cum sputo apparet, liberalius sanguinē mittimus, aluo respondēte, alioqui clystere emolliente præmisso. Deinde cum sanguis non digeratur, sed sua ebullitione facile in bilem transeat, incrassantibus syrupis vtimur, vti & in biliosa pleuritide, sed minus tamen incrassantibus in sanguinea quam biliosa. Ventrem cum cassia lenimus, adiecta pulpa thamarindorum, & in principio vtimur decoctis detergentibus & lenientibus aluum, *ex passulis, prun. dulcibus, iuiub. & sem. 4. frigid. maior. malua & glycyrrh. vngulæ caball. viol. adiecto syr. viol. postea addimus syr. capill. veneris. purgamus cum syrup. ex infus. ros. pallid. & decoct. pectorali immixto, ita & in materia calida vtimur elect. diatrag. frig. diapenid. sine speciebus*, ex quibus etiam eclegmata paramus, adiectis syr. viol. & iuiubino, & si maiorem incrassationem desideramus, etiam adiicimus *syr. pap. adiecto syr. adianthino*, ne nimis incrasset: de quib⁹ videas Rondeletium & alios. Potus, vnguenta & alia hic ita calida esse non oportet vti in pituitosa, & fotus magis humidi conferunt, vt dictum est prius: atq; tale vel simile vnguentum. ℞. *olei viol. amygd. dulc. ana.* ℥ j. ß. *butyri recentis* ℥ j. *misce*. alia tamen magis conueniunt in principio, alia in statu & declinatione: de quibus omnibus vide iam dictos auctores.

In curatione pleuritidis sanguineæ.

5

OBSERVATIO XXXVI.

De pleuritide biliosa.

1 Vir qui ad pontem auenarium Delfis pleuritide biliosa correptus erat, post vini ingurgitationem febre validissima affligebatur, cum ingenti lateris dextri dolore ad superiores costas descendente, sputum subflauum vix sanguine tinctum huic aderat, plurimum angebatur, inquietus erat, & subinde paraphrenitidem incurrebat, capite dolebat, vigilabat, manus tremulas habebat, ideo & venæ sectionem nolebat admittere, quamuis alia vice per venæ sectionem simili pleuritide laborans per me curatus fuisset. Secundo die cum ad eum accitus sum, venter illi satis copiose ex sero lactis soluebatur, decocta pectoralia præscripsi, adiectis syrup. viol. & iuiubino. locum dolentem inunximus vnguento resumtiuo, & ad sputum promouendum zacch. viol. exhibuimus, & diatrag. frig. At in quarto, cum venæ sectionem nollet admittere, & dolor non sedaretur, eundem cum vellem relinquere, tandem sectionem admisit: & vena secta ex brachio e directo loci dolentis, & sanguine copioso effluente, ad vncias fere octo satis nigro, melius habuit: quinto die peius. Sexto delirauit. Sed eidem postea copiose venter fluxit: plurimum & tunc angebatur, vt astantes ægrum moriturum existimarent. Septimo tamen die facta est crisis per icterum, & totus croceus euasit: at post sudores & copiosas deiectiones vrinæ, cum sputa satis commode exirent, decimoquarto die sanus factus est. 2

SCHOLIA.

3 Quod septimo die ictericus & postea totus croceus euaserit, bonum fuit signum: Nam & Hippocrates (vt etiam a Celso citatur libro tertio, capite 23.) pronunciauit post septimum diem febricitanti ægro Regium morbum superuenire, tutum esse, mollibus tantummodo præcordiis subsistentibus. Diocles ex toto, si post febrem oritur, confirmauit etiam prodesse: si post hunc febris, occidere: Hic autem pleuritis, cum materia esset biliosa, citius terminabatur, cum eius terminus iuste sit 14. dies, vt alias dictum est, quamquā in Anaxione ad 34. prius soluta. Quod ad curationem attinet pleuritidis biliosæ, si feces sint induratæ, molli clystere vtimur, *ex decoct. se. maluæ, betæ, viol. hordei ad* ℔ j. *cui adiungimus cassiæ, zacchar. rubr. an.* ℥ j. *olei viol.* ℥ iij. *salis.* ℥ j. *misce*. alioqui si enema abhorreat, ℥ j. cassiæ propinamus, cum decoct. viol. borag. hordei mund. pass. *& iuiubæ & sebesten*, venam secamus, sed non copiose, ob bilem: hic autem, cum sanguis nigrior effueret, *ad* ℥ *viij*. In pleuritide a bile post cachexiam, si ob imbecillitatem vel ætatem sanguis mitti non possit. Rondeletius leuiter purgat cum decocto aliquo vel iam dicto, adiecto syrup. ros. solutiuo. Damus & syrup. viol. cum aqua hordei, melonis aut cucurbitæ. Syrupus ex succo viol. magis lenit: & de cucurbita biliosi sanguinis feruorem exstinguit, Eclegmata quoque inspissantia in principio conueniunt supradicta, vel in hunc modum parata. ℞. *syrup. iuiubini. viol. ana.* ℥ ij. *diatrag. frig.* ℥ iij. *zacchar. penid.* ℥ j. *misce*. Topicis quoque remediis commode vtimur, vt fotu ex decocto clystere, vng. resumt. vel pectorali ex adipibus, adiectis oleis viol. & amygd. dulc. In statu vero quæ magis resoluunt, & in declinatione quoq;, vt ad longum videre licet apud Arcula-

Curatio pleuritidis biliosæ.

4

num & alios auctores. Nunc ad exemplum pituitosæ pleuritidis accedamus.

Observatio XXXVII.

De pleuritide pituitosa.

1 MVlier vtcumque pituitosa, hyeme quoq; asperrima, pituitosam pleuritidẽ experta est, cui dolor lateris sinistri paulo remissior aderat, non ita pungens, vt in præcedente, febris quoq; mitior, quamuis continua & quotidie affligens: pulsus aderat paulo tardior ac mollior, sputum spumosum, viscidum atq; album. Ad quam vocatus primo die, cum aluum non deponeret, clysterem iniiciendũ præscribo, in hunc vel similem modum. ℞ *foliorum malua, beta, parietar. mercurial. summitatum caulium. ana m. j. flor. meliloti. p. j. fiat decoct. pro ℔ j. in qua dissolue cassia.* ℥ *j. Zacchari rub.* ʒ *ß. hierapicra* ʒ *ij. olei communis.* ℥ *iij. salis* ʒ *j. ß. fiat clyster.* mox fecibus eductis, eodem die per chirurgum venam secari iussit ad vncias sex ex vena media, cũ basilica minus appareret in brachio sinistro. 2 Postea & hunc syr. propinaui: ℞ *syr. capill. ven. de liq. an.* ℥ *j. syr. viol. oxymel. simpl. ana* ℥ *ß. cum* ℥ *ix. decoct. pectoral. fiat iuleb. pro iij. dosibus.* purgaui bolo sequenti. ℞ *elect. lenitiui.* ʒ *vj. diacatholici* ʒ *ij. agarici trochis.* ℈ *ß. fiat bolus asperso zacch.* Ad expectorationẽ hoc ecligmate prius vtebatur. ℞ *syr. capill. ven.* ℥ *ij. syr. de liq.* ℥ *j. Zacch. penid.* ℥ *ß. misce.* postea etiam vtebar, *loch. de pino, & loch sano, addito syr. de liquir.* Postea etiam ob materiam viscosam, syr. de hyssopo ad maiorem incisionem. Fotu quoq; vsus sum ad dolorem sedandum (qui potius grauior erat quam pungens) ex decoct. althææ, maluæ, flor. chamęmel. meliloti & fœnugræci. commode vtebar postea & hoc linimento. ℞ *olei amygd. dulc. chamæmelini, anethini, liliacei. an.* ℥ *ß. oxungia gallinæ. anatis, butyri recentis. an.* ℥ *ß. ceræ q. s. fiat vng.* quib⁹ remediis hæc probe conualuit.

Scholia.

3 IN pleuritide curanda, vt iam ostensum est, aliter ꝓcedimus, si ex sanguine bilioso vel aquoso fiat, aliter si a crassiore & viscosiore sanguine vel pituitoso. Ab his duobus humoribus pleuritis frequẽtior fit, rarissime vero a melancholico humore: a quo si fiat (vt etiam dictum est prius) raro aut nunquam curatur, & fere semper in tabem transmutatur, vt cuidam Petro Guilhelmo cuparum fabro Roterodamensi euenit, ex cuius ædibus, cum foris cupas igne torreret (vt moris est) sub tempore ventoso, ingens incendium ortum est anno 1563. 10. Iulii die, vt tertia fere pars vrbis Roterodamensis conflagrata fuerit, vnde coactus Delfos accedere: cui, anno 1566. mense Maio ad aqueam fossam decumbẽti ex pleuritide a melancholia contracta, debili existenti, sanguinem ex vena basilica e directo loci dolentis extrahere feci, sed minus copiose ob debilitatem. Die vero sequenti cum ℥ j. elect. lenitiui in bolo exhibuissem, aluum mediocriter deposuit: & locum dolentem inunximus vng. resumt. & eclegmata ex cons. viol. borag. syrup. viol. & borag. & capill. veneris sumebat, quibus sputa, sed nigra, expectorabat, & statim bene habere cœpit, ita, vt amplius mea opera sese minime indigere diceret. 4 Quamuis nono die rursus oborto insigni dolore me reuocauerit: qui cum nullo modo neque fomentis, neque aliis remediis sedari posset, iterum sanguis tractus est, sed niger & valde corruptus, idq; in mediocri quantitate: a qua venæ sectione iterum melius habuit, & febris multo mitior facta est, & dolor fotu conueniẽti post venæ sectionem sedatus: adhibitis etiã ecligmatibus, ad sputi facilitationem. Sed cum per decimumquartum diem non ex toto per sputũ solueretur pleuritis, nullis deinde remediis iuuãtibus, & cũ melancholicus indies debilior fieret, suppurationem metuebam, & tandem tabem. Et ita circa 20. diem purulenta exspuebat, & paulatim in tabem mutata est pleuritis, & tandem ad hecticam deuenit febrem, & mortem multo antea prædiximus, sub finem suborto vomitu bilioso ex atra bile fluxu ventris subsequente: & postquam sex septimanis decubuisset, viribus consumtis, vitam finiit. Sed inter curandum præcipua quoque ratio habenda est symptomatum: qualia plerumque in pleuritide solent esse: vehemens dolor, sitis molesta, fluxus ventris, vigiliarum instantia, subeth, seu caros, anhelitus difficultas, mentis alienatio, aluus sicca, syncopis, calor ingens, fluxus sanguinis narium, alcola.

5 *Symptomata quæ in pleuritide oboriri solent.*

In principio dolor lateris aliquando fotu tollitur, qui si non iuuat, sæpe venæ sectio prodest. Sic ego memini textoris cuiusdam Alcmariani, cui agnomen Spanckius erat, viri, si quis alius, voracissimi: qui circa annum ætatis suæ trigesimum sextũ, in pleuritidem sæuissimã incidit, cum febri acuta putida, ita vt etiam vermes deiiceret. Cum dolor ingens esset, quarto die prius accitus sum, & sponte aluum deiiciebat, & tonsor, cum plenilunium esset, & luna in Geminis deuolueretur, venam minime secare audebat, nos tamen sanguinem extrahere iussimus in magna copia: a qua sectione venæ dolor sedatus est: & aliis præsidiis vtens commodis, 14. die curatus est: quanquam ad tempus a sectione venæ brachium rigidum permaneret, quod tõsor putabat factum ob lunam brachium respicientem. In morbo vigente, Astrologia locum non habet. Verum post ea rigiditas illa fotu cessauit.

6 *Cucurbitula.*

Quidam etiam hic vtuntur cucurbitula, sed post septimum diem, si eodem modo dolor persistat: Et sic Aetius cucurbitulã lateri affigit: manifestissima enim in pleuriticis (vt ipse refert) vtilitas ex cucurbitulæ appositione apparet. Celsus vero vbi lenior siue vetustior fuerit lateris dolor, ad cucurbitulas confugiendum esse (ante summa cute incisa) præcipit. Verum, ne in errorem incidamus, in cucurbitularum adhibitione, seruanda erit Alexandri sententia: qui dixit cõmodius & tutius esse hac vti curatione, in quibus parua copia est vacuanda, nam per eam, quod in affecta parte continetur, ex alto extrahitur: atque hoc facto mirari licet, quomodo inde etiam dolor, qualiscunque fuerit, licet vehementissimus, conquieuerit, vt neq; fomento neque alio præsidio indiguerit. Sic ego in alio

in alio quodam textore, octauo die prius accitus, non in loco affecto, sed in naribus cucurbitulis, cum scarificatione vsus sum: cui in principio vena secta fuerat per alium medium in brachio opposito, & nũc in debili viro exsistente cucurbitulas admoui, qui & in 11. concocta exspuebat, & in 14. sanguis e naribus fluxit, & curatus fuit. Is quidem sanguinis fluxus criticus cũ esset, nullo modo erat restringendus, nisi admodum excessisset: idem, etsi non sit criticus, sed propter exuberantiam sanguinis confert: imo si non satis excerneretur, venæ sectio vtilis esse posset. Propterea si in die critico fiat, post signa coctionis, vt hic, bonum presagit, nec inhibendus, nisi vires ad extremum deiiceret, tũc restringi potest: & quando fit ex vehementi abullitione, cum exstringentib. & ebullitionem sedantibus inhiberi poterit, ita tamen vt non compingatur materia, & sputum inhibeatur. Si in principio contingat, ex multitudine materiæ a natura regulatæ, & anhelitus inde minoretur, & febris vehemẽtia cesset, vtilis quoque esse potest, vt non sit inhibendus: si contrarium eueniat, & symptomata non alleuientur, contingit plerumq; ægrum mori in quarto. Verum quod ad dolorem lateris attinet, si is, tum tussis, & difficultas anhelitus, cum expurgatur materia, vel cum iam ad maturationem deuenerit, & ad saniem reducta fuerit, perseuerent, vel augeantur, pessimum signum est. Nam in principio minus timorem incutiunt hæc: neque in generatione puris aut sanici, quando dolores & febres magis accidunt, vt Aphorism. Hippocrat. habet. Sed in aliis temporibus declarant materiam esse corrosiuam, & valde prauam ac malignam: & tunc festinandum est ad mitigationem horum symptomatum in caussa calida, cum syr. viol. & aliis, quæ ad tussim valent. & embrochis, & fotibus dictis, cum oleo amygd. dulc. viol. & ping. gallinæ & similibus in frig. addemus aliquid olei lilior. prout caussa exigit, cum anodynis quæ dolorem mitigant. Sitis exstinguitur cum aqua hordei, citrulli, melonis, cucurbitæ, peponis, vt de siti dictum est: Vigiliæ cum syrup. viol. pap. nenuph. & inunctionibus sæpe dictis: cauendo tamen stiptica etiam in paraphrenitide: & sic potius vtemur iis, quæ materiam auertũt: vt sunt frictiones extremorum, & lotiones: de quibus vide Mesuem. Caro seu subeth occurritur odorando acetum, vel tempora & frontem aceto liniendo, clysteres quoque & frictiones fortes, & vincula iniecta, & ventosæ scapulis appositæ prosunt. Si aluus stringatur, lenientibus clysteribus molliendа: aluus si nimium fluat, considerandum nunquid in principio morbi sit: quod duobus modis euenire potest, aut ex multitudine materiæ natura fluxum regulante (vt ita dicam,) neque tunc vt de fluxu sanguinis narium dictum est, restringi debet: nam ex tali fluxu sequitur anhelitus facilitatio & febris delitescentia, & ideo non est malus. Aut est propter multitudinem materiæ, præter hoc quod reguletur a natura: imo est (*dicente Articulano*) sicut regurgitans, & malus est, præsertim cum non sedatur per ipsum difficultas anhelitus, & febris inflammatio: tunc enim forte superuenit mors in quarto vel ante: neque hic est restringendus, nisi modum excedat, sed potius obuiandum erit malæ qualitati humoris, siue occulte siue manifeste impedientis naturam, vt regulare non posset: & natura seu virtus ipsa fouenda vt non cadat. Si vero acciderit fluxus in fine morbi, aut morbo procedente, talis quoq; secundum alterum dictorum modorum, aut criticus expellens id quod noceat, vel separãs id quod bonum est post debitam coctionem: & subsequetur ægri salus ac incolumitas, neq; est restringendus, nisi mensuram excesserit. Vel accidit ex debilitate membrorũ naturaliũ, videlicet contentiuæ & digestiuæ virtutis deiectione atq; prostratione, quem & mors subsequitur. Cui subueniendum roborãdo vtramq; virtutem per interius assumta & exterius admota: ita tamen vt hæc ipsa non inhibeant sputum, & ita conuenit syrupus myrtinus, & topica adstrictoria super ventrẽ. Si in principio contingat, & magnus sit, præscribemus potiones, quæ neq; ventrem irritant, neq; expectorationem impediunt, ex decoct. hordei, ex sem. 4. frig. maior. anisi. cum syr. capill. ven. & myrtini. Et ita quoque in principio, si vires debiles sint, neq; sanguis demissus est, abstinebimus a potionibus, & topicis remediisq; vẽtrem roborabimus. Quod ad syncopen attinet, diligenter considerandum, qua ratione contingat: nam potest euenire, quod rupto apostemate vel abscessu nondum maturo, acuitate materiæ, vel eius multitudine rumpatur, vbi fit collectio, & ad cor materia subito ruat: ac tremorem & syncopen inferat, & æger ilico intra diem moriatur, vt aliquando sectauimus, quemadmodum etiam narrat Guainerius, duabus nobilissimis matronis euenisse, sed hæc ad transmutationem pertinent, de quibus suo loco. Vel contingit ex virtutis debilitate: cui subueniẽdum exhibendo modicũ vini dulcis lymphati, cum aqua hordei vel cum iure restaurante. Si vero fiat raptu humorum aut vaporum ad cor, auersiones imperandę, frictiones, vincula, tum alia superius dictæ & cor roborandum, ac spiritalia membra odorib. bonis reficienda, quæ & propriis capitib⁹ de syncope desumẽda. Si materia ad caput repat seu neruos, adhibendę frictiones in latere contrario, clysteres iniiciẽdi ad auersionem. Si nerui dolere incipiant, vel contrahantur, inungendi sunt oleo chamæm. lilior. vermium terrestriũ, & lana succida inuoluẽdi. Si aleola ex vapore febrili & humore putrido, vel ex pectore membrisque spiritalibus sursum sublatis vaporibus, vel ex pulmone contingat, iisdem vtere, quę capit. De aphthis dicta sunt: valde stiptica interim cauendo, ne iis sputum impediatur, quod multo aphthis deterius esset. Lac in ore detentum, vel gargarissatum, quo nos vtimur, cõuenit, & gargarismi ex decoct. iuiubar. diamor. & similib. quę & aphthis prosunt, neq; sputũ retinent. Hæc satis dicta sint de accidentib. corrigendis in pleuritide. Nunc ad alia eiusdem morbi exempla progrediamur.

Marginal notes:

7 *Sanguis e naribus fluens quando restringendus quando non.*

8 *Dolor lateris tussis & difficultas anhelitus quando perseuerant expurgata materia, pessimum est.*

Siti, vigiliæ & paraphrenitidi quomodo succurrendum.

9 *Caros.*

Aluus astricta.

Aluus nimium fluens.

10

11 *Syncopi quomodo succurrendum.*

Si materia in caput vel neruos irruat, quod faciendum.

Quibus aleolis prospiciendum.

12

Observatio XXXVIII.

De pleuritide in prægnante curata.

Dictum est prius, morbos acutos in prægnantibus esse periculosos: attamen præter prægnantes paulo superius dictas, Maria Theodori, vxor illius Isbrādi Chirurgi loripedis Alcmariani, mihi familiarissimi ac coætanei, in quarto mense prægnans, pleuritide sæua correpta, per me in hunc modū curata fuit. Hęc cum sub finem mensis Septembris, anno 1555. pleuritidem veram incurrisset, antea per duos dies, cum puerum e terra subleuasset, in dorso dolorem patiebatur: maritus dislocationem in lumbis esse suspicabatur, quamquam dolor paulo post euasit, licet ab eo tempore vrinam tinctam meieret sine febre, neque decumberet. At peractis duobus diebus, febre acutissima cum dolore lateris dextri admodum pungente corripi cœpit. Atque omnia illa aderant, quæ in vera & sæua pleuritide adesse solent: difficultas anhelitus, dolor punctorius, tussis valida, & pulsus serrinus. Ad eam ingressus, *oleo amygd. dulc. chamæmel. & anethino* locum affectum inunximus, & sacculum ex floribus chamomillæ & sale tosto apposuimus, cum & ipsa tam maritus ventositatem esse existimarent. Verum cum iis dolor non sedaretur, secta vena basilica eiusdem lateris in cubito, scilicet dextro, ad vncias fere sex, cum niger efflueret, & inter fluendum dolorem mitigari diceret, dolor plurimum sedatus est: ita vt deinde post tres horas in suauem somnum inciderit. Secundo die, cum reuersus essem, dolor lateris ex parte sedatus: parum exspuere cœpit: vnde ego morbi breuitatem exspectabam, *ex Aphorism. 12. lib. 1.* Si sputum statim appareat, morbum breuiat. Quare & ad sputi facilitationem, & febrem, decoctum sequens præscripsi, cum satis per se aluum deponeret. ℞. *violar. borag. bugloss. hordei mundati, an. m. j. scabiosæ m. ß. rad. bugloss. liquir. an.* ℥ j *passul. ab arill. repurgat. p. j. coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *Zaccharo dulcoretur.* Interea & ex hoc eclegmate sumebat. ℞ *syrup. iuiubin.* (erat mulier imbecillis, propria natura biliosa, & raræ texturæ) ℥ j. *syrup. de liquiritia, Zacchari penid. an.* ℥ ß. *misce.* & in ore tenebat, sæpius deglutiendo, ad tussim, Zacchar. candi dictum. At cum post meridiem reuerterer, rursus dolor lateris auctus est, ac febris inualuit: nec aluum deposuit, nisi glande irritata. Fotum pro loco affecto pręscripsimus cum spongia. ℞. *rad. althææ mundat.* ℥ j. ß. *folior. viol. maluæ cum toto, flor. chamomill. meliloti, ana m. j. coquantur in aqua,* & fiat fotus: quo dolor iterum egregie sedatus est, & melius exspuebat. Nutriui eam pomo assato dulci, zaccharo aspero, sub noctem ne fœtus deficeret. Optime habuit ad mediam noctem; sed deinde inquieta, parum dormiuit. Tertio die sputum, quod in paropside reseruatū erat, album & quasi coctū apparebat, & bene exibat. Sed mox agitationem quandam circa pręcordia pectusque & angustiam sentiebat, cum anhelitus difficultate & calore intenso. At vrinam copiosam sed croceam instar ictericorum emisit, pannum lineum valde tingentem, ex hepatis calore & bilis ebullitione (de qua re latius in scholio:) ideo tabulæ præscriptæ sunt. ℞. *specier. diatrag. frig. absq. camphora* ʒ j ß. *specierum trionsan.* ʒ j ß. *dissoluta in aqua cichor.* & vngulæ caball. (tam pro hepatis calore, quam sputi facilitatione) & aqua viol. adiecto zaccharo albiss. q. s. fiat confectio in tabulis. Quarto die melius exspuebat. Mane iterum fotu vtebamur; post meridiem eo abstinentes, cum calor febrilis vehementior esset. At nocte præcedente quartum diem decretorium (licet dolor lateris cessaret, sed dolore magis increscente circa pectus) & circiter horam decimam noctis cum angustia & sputi incrassatione, symptomata adeo increuere, vt astantes illam morituram putarent, atque me inscio sacra inunctione eam more solito munirent, licet antea prædixeram, noctem illam, diem decretorium præcedentem, grauiorem fore. Ceterum post mediam noctem sudor irrupit per pectus primo, deinde per totum corpus, quasi vniuersalis; a quo alleuiabatur, ita vt manc optime dormierit, & melius habuerit. Quinto die plus tussiebat, sputo nonnihil retento ob sæuiora accidentia pręgressa: sed pectore inuncto vnguēto pectorali, & sæpius exhibito syr. de liquir. melius exspuere cœpit & concocta. Verū cum aluus non responderet, balano feces emisit, & decoctum sequens sumsit. ℞ *glycyrrh. rasæ* ℥ ß. *folior. viol. maluæ cum toto, borag. bugloss. hyssopi, ana m. j. sem. anisi* ʒ j ß. *prun. damasc. dulc. num. ix. vuar. passul. ab arill. repurg. p. j. fiat decoct. in sero lactis, & colatura Zaccharo candi dulcoretur.* quo sumto bis excreuit liquida. Sed cum ob serum lactis, vt illa existimabat, nauseam haberet ac vētris tormina, metuebat aborsum: ideo amplius non exhibuimus. Post secessus dictos melius habere cœpit. At a meridie, me inscio, comedit tria vel plura cochlearia lactis cum oryza, pectus inde constringebatur: sed eius vsum inhibētes, sorbitiunculas & poma assata concessimus; & denuo sputa melius exibant. Sexto die copiose minxit vrinam croceam, febre magis inclinante. Diætam auximus ob fœtum, & syru. liq. lambebat, pectore inuncto cum vngu. pectorali; & vrina postea minus tincta videbatur. Septimo melius adhuc habuit, & vix febrem sentiebat & cessauit difficultas anhelitus, mox & lateris ac pectoris dolor. Tunc ad ius veruecis, cum pulli ius abhorreret, deuenimus, optima hypostasi in vrina apparente, etiam minus tincta. Octauo die febris, quasi nulla fuit, vrina minus tincta, valde crassa & subsidens: bene exspuebat, & sponte aluum deponebat, & excremēta naturalia spectabantur. Nono die sanitati perfecte restituta est.

Scholia.

Pleuritis in prægnante, vt ante dictum est, non sine periculo est, quamuis hæc euaserit: cum & Hippocrat. prædixerit mulierem vtero gerentē capi ab aliquo morbo acuto, lethale esse. Caussam huius declarat Galenus in Commento. Sed sanguine emisso (qui tamen, Hippocrate teste, *Aphorism. 31. lib. 5.* facile abortum facit) melius habuit

habuit, cum & secundum eundem, & in quarto mense purgatio, imo magis sine periculo (vt alias ostensum est) missio sanguinis cōferat. Et quanquam hic vrina crocea in tertio icteritiam notabat, non tamen illam, quæ totum corpus inficit colore croceo, sed tantū vrinam ex calore hepatis, non tamen ex inflammatione aut apostemate hepatis, nam nullus tumor durus aderat, & ideo hæc icteritia non fuit ita iudicatoria, cum totum corpus non tingeret, sed potius ex calore hepatis: neque fuit ex tumore aut obstructione, quia subito venerat, cum nec tumor exterius sentiretur, neque grauitas aliqua circa hepatis regionem. Dolor enim lateris, qui aderat, ad mammillam dextram tendebat, deinde ad partes superiores, 7 Vnde quoq; non fuit tanta inflammatio in hepate, aut apostema, sed potius ebullitio caloris, quæ vrinam tingebat, vel si velimus vrinam illam fuisse criticam, id quidem potest esse: nam nos alias diximus in obs. nostris de febri, etiam ictericos ante septimū in febr. euasisse. idem testatur & Amatus centur. 3. cur. 49. Ideo neq; ille Aphorism. 62. libr. 4. superficietenus intelligendus est, quod ante septimum icteritia accidens mala sit. De his vide loca citata. Sed hic aliquis dicet: quomodo vrina flaua, & sputū album? potest pleuritis commixta esse cum calore hepatis & ebullitione bilis in ipso fonte: vnde vrina solum tincta Sed sputū in pectore non flauum erat, cū ibi bilis non multa esset, vt sputum suo colore inficeret. At mulier cum videret lotium ita citrinum, metuebat sibi mortem, cū pater ictero obiisset, & mater pleuritide, & duo fratres ex phthisi. Sed sputo bene exeunte, illam optime sperare iussimus, & ita nono die absque aborsu quoque, de quo etiam metus erat, fuit curata.

Obsrvatio XXXIX.

De pleuritide in peripneumoniam conuersa: & quomodo ea fuerit curata.

1 Puella famulā agens, annos 23. nata, admodum robusta, nigriuscula & bene carnosa, febre cū horrore correpta fuit, quę quidē acuta & continua erat: in latere sinistro cum doleret cū tussi, & vix pauca exspueret, & pulsus duriusculus esset, & primo die dolor neq; vehemēs esset, sed secūdo die magis & punctorius, accitus secundo die cum per se excrementa deposuisset, in cubito sinistro basilicā tundere feci, sanguine ad vnicas octo extracto: quo & dolor, cū vera pleuritide affecta esset, nonnihil sedatus est, & anhelitus paulo liberior factus. Interea & vnguento resumtiuo locus affectus inungebatur, & commoda lambitiua sumebat. Tertio die accidentia dicta magna ex parte fuere sedata, quāuis capitis dolore afficeretur, & minus dormiret. Tempore inūcta fuere vnguento populeo, & oleo nymphaeæ commixto: & hordeatum ad nutritionem exhibitum. Quarto die dolor lateris iterum vehementior, febrisque validior cū maximo æstu totius pectoris. Sed rursus latere inuncto, dolor nonnihil mitigatus est, qui & pectus magis inuasit. Tunc & liquida per se ex- 2 cernebat. Quinto dolore lateris pūctorio cessante, & cum parum exspueret, pituitosum quid ac subflauum in principio vix cruentū: febris postea aucta est, & anhelitus difficultas increbuit, malæ ac oculi rubere incipiebant, & dolor grauans totum pectus occupauit. & sexto die in pectore grauiora omnia sensit, pulsu vndoso, vt pleuritidem in peripneumoniam conuertendam coniicerem, cum & cogeretur in dorso iacere, minusq; in latere materia ad pulmonem reperet, cum & sputum cum murmure quodā ex pectore prodiret. Quinto die lenitiuū medicamentum cum decoct. pectorali exhibitum: quo satis aluum deposuit. Septimo die, vti prædiximus, pleuritis in peripneumoniam commutata est: & cum aluum non redderet, balano imposito excreuit. Octauo die pes- 3 sime habuit, grauissimis accidentib' oppressa: vigilabat, noctem inquietam egit, nonnihil delirabat: pectus inunctū oleo amygd. dulc. & liliacco, eclegmata sumta & decocta pectoralia ebibita. Nono die quanquam sputum vtcunque expelleretur, post meridiem pessime habuit, sacram synaxin sumsit, & pro deplorata habita est. Sub noctē tamen, cum redirem, pulsum altum reperi & valde inęqualem: horrorem quoq; sentiebat in lumbis & circa inguina & imum ventrem: delirabat, plurimum angustia afficiebatur. Ego vero sperabam crisin futuram (vrina concocta apparente prius, nunc perturbata & nigriuscula, qualis plerunque mei tur cum menses exspectantur, sputo quoq; concocto exeunte, quāuis cum maiori molestia) per menstruas purgationes, quod equidem euenit: nam nocte subsequenti aperti sunt menses, & largiter fluxerūt, & paulatim anhelitus difficultate cessante, ac tussi delitescente, & febre euanescente, 14. die, magno cum nostro honore, sanitati restituta est, non solum a pleuritide maligna, sed etiam a pulmonia, mensibus largiter profusis, neq; minus miratu dignum erat, cum etiam sanguine per nares effluente, præter mentem medicorum, quædam lethales peripneumoniæ (teste Aetio) sanatæ fuerint.

Scholia.

4 Pleuritis quandoq; in peripneumoniā transit, modo subito, vt in hac puella contigit, quum scilic. humor facilis est ad motum, & pulmo ad sceptionem aptissimus, modo paulatim id fit, quando scilicet contraria adsunt, vbi vero transit pleuritis in peripneumoniam, ex *Galen. quarto de caussis pulsuum*, dolor cessat lateris. Et licet pulmo sit insensibilis, sentit grauitatem quandam æger circa pectus, & durities & serrinitas pulsus cessat, & fit mollis, & inæqualitas maior euadit, quia materia colligitur in membro magis cordi propinquo: & ideo magis opprimitur virtus, constrictio anhelitus augetur, febris increscit, & accidentia peripneumoniæ succedunt, de quibus etiam latus capit. proprio, D pulmonia dicemus. Et quanquam hæc nostra puella euaserit, plurimos ægros vidimus succumbere, vnde etiam recte dixit Hippoc. *Aphorism. 11. libr. 7.* a morbo laterali inflammatio pulmonis, malum. His enim dictis, inquit Galen. in commento, Hippocrates

Quomodo pleuritis trāsit in peripneumoniam & eius nota.

Peripneumonia ex pleuritide succedens mala.

5

innuere voluit, peripneunomiam vehementiorem & maligniorē morbum esse pleuritide: nam morbo lateris recedente inflammatio pulmonis malum: fit enim transmutatio ad maiorem & periculosiorem morbum, quia pulmo propinquiorem cordi locum obtinet quā pleura, & maiorem colligātiam habet pulmo cum corde, cum magis spirationi deseruiat, & ob hāc caussam pulmo inflammatus magis lædit cor, quam pleura, dicente Galen. 4. *de præsag. ex puls. cap. 2.* Celerrimā cordi & omnium maximam noxam dat pulmo, & maiorem difficultatem spirandi efficit, & maiorem angustiam inducit, teste *Galen. 4. Aphor. comment. 34.* & ita siue pulmonis inflammatio laterali morbo superuenerit, siue laterali morbo abeunte, ipse in pulmonis inflammationem transmutetur, semper malum est: quamuis peripneunomia in pleuritidem minus mala est. Difficulter tamen Galenus admittit peripneunomiam in pleuritidem conuerti, quod priusquam materia a pulmone in costas transeat, æger strangulatione pereat, attamen fieri posse, quamuis difficulter, idem admittit *7. Aphor. 11.* de qua re ad longum videas Benedictum Fauentinum præceptorem meum. Ceterum quomodo peripneumonia curetur, postea dicturi sumus, cum de pulmonia & inflammatione ac peripneumonia agemus: volunt autem quidam eodem modo curari vt pleuritis, nisi quod magis sputum subtiliantia sint exhibenda in pulmonia, & maior sollicitudo in mūdificando sputum: & medicamenta, iuxta Auicennam, quæ exterius admouentur, magis in profundum transeant: de qua re, vide Arculanum & alios auctores, & sic si ad pulmonem pleuritis transeat, peripneumoniæ curationi intendendum. Interea, quod ad ad venæ sectionem attinet, si peripneumonia ex pleuritide accidat, si in principio pleuritidis sanguis sit detractus, & timeatur magna debilitas, tunc venæsectio non erit iteranda, vel si ab alio chronico morbo, vel ab angina aut pleuritide fiat iuxta Rhas. 4. Continentis, & Paulum & Gradum supra Rhasem, & commendant tunc potius clysteres & cucurbitulas cum scarificatione supra pectus, de quibus videas Arculanum, Valescum & alios auctores, quamuis, vt alii sentiunt, si in principio non sit demissus sanguis, & vires adhuc constent, vel in principio non satis extractus sit, in sanguinea extrahi poterit. In hac famula abstinuimus a secunda sectione, debili exsistente, & in affectu frigidiore, & hyberno tempore. Quod ad reliquam curationem peripneumoniæ attinet, postea dicturi sumus. Nunc & pleuritidis exemplum adferamus, quæ ad suppurationem peruenit, & quomodo illa ipsa curata sit.

6 *Si pleuritis in peripneumoniā trāseat curatione peripneumonia perficienda.*

Observatio XL.

De pleuritide conuersa in suppurationem.

1

Scribit Fernelius doctissimus, ex destillatione quenquam in veram pleuritidem posse incidere: quod equidem filię Iodoci Berendrechtii annum 14. agenti euenit, admodum gracili, extra murum habitanti Delfis, cum septimus dies esset, quo laterali morbo correpta esset, antequā ad eam accitus essem, & sputa vix exirent ob debilitatem, sanguinem in puella prius valetudinaria & longa tussi laborante, mittere non ausi fuimus: & cum dolor neque fotu, neque linimentis & aliis commodis remediis non recederet, neq; resolueretur, & in loco fixo maneret, mihi suspicionem præbuit futuræ suppurationis, cum febris ac dolor augerentur, & etiam in aphthas incideret. Quare ad promouendam suppurationem, emplastrum præceptoris mei Benedicti Fauentini ad maturationem faciens, in eius Empirica descriptum, vt loco affecto apponerent, consului, quod ex foliis maluæ cum radic. viol. & radice althææ ac lilior. alb. & enulę ac flor. chamomill. & meliloti constabat, bullitis ac colatis, & adiectis farina fœnugræci, frumenti, & in fine exiguo fermenti. pingued. porci, butyro, & oleo communi ad impinguandum emplastrum & decocto ficuum, vuar. pass. liq. rad. maluæ, althææ, intus vtens, zaccharo adiecto; tum aliis commodis remediis post quatuordecim diem: dein aliquot diebus interiectis, dolor cœpit sedari, & erosa membrana ac perrupta sanies non admodū multa in pectus collecta est: tandem cum aptis remediis saniem expurgantibus ante quadragesimū diem curata est, pure paulatim per bechica medicamenta & eclegmata excreto, vt in tabem non transierit, consului statim ab eruptione, vt ter quaterue in die naturali aquam hederę terrestris (post decocta hordei, *mellis ros. syrup. viol. & infus. ros. communium, & alia eclegmata pectus repurgantia*) ad ℥ iiij. pro vice sumeret, id enim, iuxta præceptorem meum loco citato, disruptum apostema pleuriticum a sanie repurgat, ne ex empyemate in tabem æger incidat.

2

Scholia.

Dictum est prius, si pleuritis in 14. diebus non resoluatur insensibiliter, vel sese mūdificando per sputum, tūc transit in suppurationem, iuxta Aphor. 8. lib 5. Quicunq; morbo laterali laborantes in 14. diebus non repurgantur, ij ad suppurationem vertuntur: materia enim artis beneficio vel naturę si non absoluatur, in pus vertitur, atque erumpens pelliculam intrinsecus costas tegentem in thoracis cauitatem intrat, & aliud genus morbi gignit. vt Galenus tertio, De caus. pulsuum, *capit. 7. & 5. De locis affect. cap. 2. & constit. artis medicæ. & 1. Aphoris. 12.* plenius enarrat: licet rarius materia forte ante collectionē vel melius post collectionis ruptionem, defluens per vesicam vel ventrem exoneretur: quemadmodum etiam enarrat Amatus centur. 3. curat. 64. de quodam mercatore Arimensi, qui pleuritide affectus per lotium saniem quinto die emiserit, & in septimo a pleuritide euaserit: Idem Beniuenius narrat de abditis rerum caussis. cap. 43. de quodam Antonio, in quo cum pleuritis ad maturationem peruenisset, euacuato per vrinam pure, penitus sanatus est. Sed hæc in suppuratione raro contingūt, cum potius per sputum expurgentur. Ideo pleuritici post collectionem membrana dirupta, nisi in 40. diebus (*iuxta Hippocrat. libr. 5.*

3 *Quomodo pleuritis transeat in suppurationem.*

4. *Signa suppurationis futuræ.*

lib 5. Aphor. 8. & Galen. locis iam citatis) per sputum repurgentur, in tabem transeunt. Ideo diligenter signa notanda, quę suppurationem futuram indicant: si enim dolor fixus in loco manet, (vt in hac nostra puella contingebat:) vel etiam incendatur vna cum febre, haud exiguum indicium est futuræ suppurationis: sputum præterea non ita procedit in pleuritide, quæ suppurari debet, aut pauca omnino est, quod excernitur, illudque maxime sanguineum, nequaquam vero malignum: & ita magnæ pleuritides & proprie sanguineæ magis suppurantur, & pituitosæ minus.

Quæ pleuritides magis suppurantur.

Non desunt tamen alii, vt Gradus, qui etiam volunt in frigida sæpe suppurari. Vnde, hæc pleuritis a destillatione orta, licet magis ab humore pituitoso: credo id euenisse ob salsedinem in pituita admixtam, & acrimoniam habente. Vnde corrodebat membranam, & licet materia pauca, citius rupturam fecit: nam circa septimum diem a collectione, ex signis prædictis, suppurationem metuimus: & huius conjecturam fecimus ex *Hippocrat. 2. prognost. tex. 52.* sic dicente: Si dolor perdurat, & nullis auxiliis sedatur, nec etiam naturæ ope per sputum, exspectanda est suppuratio. Intellige, si nihil exitiale appareat, puta nec vires inualidæ, nec alia signa praua: sic enim mors esset exspectanda. Ratio est, quoniam collecta est plurima materia in parte, quæ etiam, cum non posset a natura educi per conuenientes vias, abscessum per faciliores partes molitur, discumpitq; membranam, nisi dicas disrumpi multitudine & acritudine humoris distendentis, & eam erodentis. Nam in ea, quę rite solui debet pleuritide, semper excernitur, & excretio multo amplior fit indies, adeo vt multo plus excernatur quã influat. At in hac, seu nihil excernitur, siue exiguum præ multitudine, necesse est multum colligi, & tandem disrumpi. In hac nostra puella 7. die a collectione, facta est: neque mirum, cum & Iacchinus meminerit se vidisse aliquando in tertia factam præ influxus multitudine, & cum in præcedente morbo vis esset inualida, præfocatus cito periit. At nostra hæc puella licet prius destillatione affecta facilius in tabem transiisset ex suppuratione, tamen ante 40. diem repurgata, aptis præsidiis curata fuit, neque in tabem transiit. Ideo non reseruatur tota materia, quæ ad collectionem deducitur, ad vnam criticam expulsionem, vt quidã putarunt: verum aliquando pars materiæ per tempus sensibiliter resoluitur per sputum, postea alia pars collectionem facit: & vbi iam rumpitur abscessus, paulatim etiam per sputum excernitur, & repurgatur intra 40. dies, & si non perfecte repurgetur, tunc fit tabes. Quum vero iam fit suppuratio, certa adsunt indicia ex rigore, qui necessario omnes internarum partium suppurationes comitatur. Pulsus præterea suppuratorum in his apparere incipiunt, qui prorsus conspicui sunt, dum facta suppuratio est: quam monstrant & dolor qui minuitur, & febris & respiratio, & virtus. Principium autem collectionis habetur ex vehementia doloris & difficultate anhelitus, & constrictione eiusdem ac febris vehementia, & vigiliis, mentis permixtione, & grauitate, quæ in loco sentitur, & adest tunc tussis sine sputo, ob materiæ inobedientiam, & velaminis spissitudinem, & virtutis debilitatem. Eadem fere habent & Hippocrates & Gale. 2. Prognost. & Alexander Trallianus cap. De purulentis. Nam dum pus conficitur, dolores, ac febres accidunt, magis quam iam confecto, ex eiusdem Hippoc. sententia, *Aphor. 47. lib. 2.* Adest & tunc grauitas pectoris, tussis valida & sicca cum dolore, vt in hac puella erat, aliquando etiam cum humiditate, ob quam releuari quoque videntur, vt Paulus refert. Verum licet confecto pure & febres mitiores & dolor fierent, tamen instante tempore disruptionis ipsius vehementius cum horrore iterum febricitant, ac in sermonis proprietate conturbantur, offenduntur q; spiritu (quod huic puellæ 11. die circa noctem fieri astantes narrauerant) adeo vt difficilius quam antea spirent, ex eiusdem Pauli testimonio. Sic & Auicenna inquit: Cum rumpitur apostema, accidit tremor diuersus, & dilatatur pullus cum diuersitate sui, scilicet fit tremor diuersus ab eo, qui communiter in principio paroxysmorum fit: nam qui in principio paroxysmorum euenit, totius corporis communis est: qui vero sequitur rupturam, fit solum circa membra vicina abscessui, ad quæ materia saniosa effunditur: aut fit propter punctionem & acuitatem materiæ, & eo tempore cadit virtus, & debilitatur anhelitus, & multoties accidit febris vehemens, & hoc propter dolorem aut materiæ mordacitatem. Et hæc ruptio fit vt plurimum in pectoris concauitate: vnde sæpe fit empyema, de quo postea: nunc autem aliud exemplum pleuritidis in suppurationem conuersæ adferamus.

5. 6. *Qualia signa adsunt cum fit suppuratio.* *Principium collectionis.* 7. *Signa disruptionis abscessus.*

Observatio XLI.

De pleuritide in suppurationem lethalem conuersa, cum variis symptomatibus.

Pleuritis quæ in suppurationem tendit, quam periculosa sit, iam diximus, & quibus notis deprehendatur, si 14. die non resoluatur, etiam enarrauimus, & signa quoque eruptionis in pus conuersæ enucleauimus, & quod ad tempus eruptionis attinet, illius suppurationis, quæ fit a natura & non arte, plerumque fit septimo die, scilicet, a principio collectionis, vt in puella præcedente euenit. Sed est ex iis, teste Auicenna, & qui eum sequuntur, quæ raro euenit: & addit, quod plurimum vsque ad 20. & 40. & 60. tardetur: quod & neoterici sequuntur. *Idem voluit Hippocrates 2. Prognosticorum textu 57.* cum ita dicat: Aliæ suppurationes fere rumpuntur 20. die & 30. & 40. & ad 60. diem deueniunt. Sed de his latius in scholio. Sic istis diebus, anno 1587. 23. Iulii ad mulierem prægnantem in septimo mense accitus sum, sæuissima pleuritide correptam, annos circiter 30. natam in foro Delphis habitantem, cui cum chirurgus purgationem fortem adhi-

1.

buisset, adeo aluum deposuit enormiter cum torminibus & vomitu, vt aborsus metueretur: ad quam post octauum diem, cum pleuritide sæua correpta esset, accitus, adeo debilem eam inueni, vt ilico illam morituram astantes putarent, & aborsum subsequuturum. 2. Sectio venæ in hac prætermissa erat, neque nunc ob fluxum & debilitatem ea vti nobis tutum videbatur. Dedimus autem amygdalatum, ad fœtus nutritionem & virium refocillationem, & syrupum myrtinum, qui pectori conuenit & sputum non impedit, viribusque paulatim refocillatis, sputum vtcumque exscreabat. Sed dolor lateris neque linimentis, neque aliis anodynis sedari potuit, & cum fluor alui aliquo modo cessasset per amygdalata, semper tamen peius habuit, febre magis increscente, & dolore aucto: ita vt cum post 14. diem pleuritis non resolueretur, de suppuratione metus fuerit, cum vehementius semper febricitaret & siti afficeretur, noctesque insomnes ageret, postea similiter & deliraret, ac in aphthas incideret, & sputum minus exiret, collectionem faciens. Varia remedia, prout accidentia postulabant, præscripta sunt. Pro siti enim & febre bibebat ptisanam vulgarē ex hordeo mund. glycyrrhiza confectam: & pro somno vtebatur hordeato cum semin. 4. frig. maioribus mundatis concinnato, zacchаro perlato addito ad saporem delectabiliorem: & pro febre iulebos accepit ex decoct. hordei mundati, adiecto syrup. de limonibus & iuiubino, & viol. & pro inflammatione gutturis, cum aphthæ metuerentur, lingebat syru. granat. & diamorum cum baculo glycyrrhizæ: & gargarismata apta, ex decoct. viol. bellid. minoris, & hordei communis ad maiorē abstersionem, & vuis pass. & semin. coton. præscripta sunt: quibus & syrup. granat. adiiciebatur, & latus inungebatur vng. resumt. & oleo viol. primo: postea, cum ad collectionem tenderet, adiecimus magis maturantia. 3. Pro sputo, quia valde febricitabat, syrup. iuiubinum, & viol. lingebat frequenter, & cum aluum non redderet, hac leni purgatione, vel potius lenitione, vsi sumus, ne subsequeretur aborsus. *℞. diaprun. lenitiui, seu simplicis, ℥ j. pulpa thamarind. recentis extracta cum aqua maluæ ʒ ij. syrup. ex infus. ros. ℥ ß. aqua cichorii ℥ ij. ß. misce*, quo probe aluum deponebat. Et quia valde dolebat in lumbis, ne fieret aborsus, inunximus vnguento ros. Si aluus paulo durior esset, & nihil excerneret, glande ex hiera, melle & sale irritabatur. Pro dolore lateris, præscripsimus fotum ex rad. althææ mund. foliis maluæ, viol. florum chamomil. meliloti, semine maluæ, & similibus: sed antequam apponeretur, horrore affecta & valde delirans & febricitans, facta est eruptio collectionis in nocte, circa 20. diem a collectione, cum tanto metu, vt omnes illam morituram putarent: nam & in syncopen incidit paulo post, cum materiam plurimam purulentam post eruptionem subito tussiendo exspueret: solet enim materia plurima aliquando, quæ subito a vomica euomitur, facta eruptione subito effundi circa præcordia, & cum virtus tunc debilis est, sæpe inducit mortem per viam suffocationis: & sic aliquando pleuritis ad syncopē permutatur, quod etiam cognoscitur a tremore cordis, seu palpitatione vehementi, a pulsu & a syncope subito adueniente & suffocante. 4. Verum hæc per frictiones a syncope releuata (quod mirum est) non passa est aborsum: sed quia valde debilis erat, cōditum sequens præscripsimus, *℞. conserua boraginis, buglossæ, viol. ana ʒ ij. corticum citri conditi ʒ ij. ß. manus Christi cum perlis ʒ ij. syrup. de succo boraginis ℥ ß. misce.* Interea dolor lateris remissus est, rupto abscessu, & effuso pure inter thoracem ac pulmonem: & quanquam tunc febres quiescere solent, & magna ex parte dolor quoque, licet indesinenter febricitent habituali quadam febre, vti & huic nostræ mulieri euenit, atque indies debilior fieret (licet tunc operam daremus, vt paulatim reliquum puris expurgaretur, ne in tabem incideret) semper debilior facta est, & tandem etiam in octauo mense existens, valida tussi subinde etiam correpta, cum quotidie plurimum puris pessime olentis exspueret, partus conamina accessere, & peperit infantem quidem viuum, sed diem non superuixit. Et sic etiam pure in concauitate pectoris collecto, grauitatis autem sensus remanebat intus in profundo thoracis: simulque aliquando aliquid transfluere apparebat iuxta multiplices reclinationis permutationes, & maxime cum ab vno latere in alterum decumbunt, tunc sane multitudo puris manifestatur, & fluctuationis cuiusdam sonitus sæpe sensibiliter in reclinationibus ipsorum auditur, prout legitur apud Galenum libro quarto, De locis affect. & Aetium libro octauo, capit. 65. Sed hoc notatu dignum, cum suppuratio sit puris in thoracis capacitatem collectio, in cuius illuuie pulmo totus immergitur. 5. Eo autem influxit, vel ex angina, vel ex peripneumonia, vel (quod frequentius contingit) ex pleuritide, de qua nunc loquimur: his enim tussi non expurgatis, abscessus exoritur, e quo tandem rupto, pus sæpe vniuersum in thoracis capacitatem influit: eoque etiam diu postea e sordido vlcere stillat, dum tandem ingens ac pene suffocans copia cumuletur: interdum ex abscessu pus sursum in os irrumpit, exspuiturque, ac tum suppurationis periculo liberat, vt sæpe in quotidiana praxi obseruauimus. Ceterum febre magis incrudescente, & non desinente, & siti accedente, tum sputo nigro & liuido apparente, talia signa (vt postea de suppuratione & empyemate dicemus) lethalia sunt, si febris denuo recalescat. Quæ omnia nostra mulier experiebatur: nam aliquando & pus per tres dies vel plures retinebatur: mox rursus peluim plenam extussiebat cum tanto fœtore, vt perdurare nemo apud illam posset, vnde rursus ex putredine febre increscente, & aphthis deinde oborientib. & purulenta fœtida ad tempus cum exspuisset, viribus consumtis & ad extremam maciem redacta misera, postquam duobus mensibus decubuisset, & quo-

& quotidie purulenta fœtida male olentia expectorasset, etiam ab initio facto prognostico, tandem obiit.

SCHOLIA.

6.

MVltis quidem ingeniis suppuratio rumpi potest tardius vel citius. Sed de ea ruptione hic non loquemur, sed postea: verum de ea, quæ a natura fit vel septimo, vel 20. vel 30. & 40. vel 60. ex Hippocratis mente. Sed harum differentiæ omnium communes habentur ex commento. *Galeni libr. 2. prognost. text. 57.* ob quas spacio temporis euariant inter se ex affecta sede, & item nocuo humore: sedes enim calidior ac mollior, citius suppuratur, frigidior vero durior ac glutinosior, tardius: item ex humoribus, calidior citius, frigidior tardius. Hæ igitur rei ipsius differentiæ sunt. Porro accedunt extrinsecus ea quæ ab ætate ducuntur, natura, tempore, terræ conditione, ac viribus ægri. In omnibus his calidus humor citius, frigidus tardius suppuratur. Hæc igitur vniuersim scire (inquit Galenus) de omnibus suppurationibus bene est: sed mihi (idem ait) videtur operæ precium nunc quoque scire de iis, quæ in thorace ac pulmone fatigent. Eadem fere Auicenna ex loco Galeni desumsit, quæ & Gradus longo sermone explicat. Sed aliquis verum & præfixum tempus eruptionis definire non potest,

7.

quanquam in pleuritide post 14. diem, si non resoluatur, postea sequitur collectio puris, deinde eruptio, temporibus iam dictis, prout materia sit multa, calida, acris, erodens, vel frigida & contumax. Et ideo hæc non sunt quasi absolute intelligenda, sed quod plerunque istis temporibus fiat eruptio, facta cõputatione a die collectionis, quæ tamen tardius vel citius aduenire poterit, secundum occursum caussarum eruptionẽ facientium: & ideo illud principium considerandum, quo tempore collectio fiat, quod facile dignoscetur cum infirmus diuerso modo se habere cœperit, modo magis frigere videatur, modo plus calere, & quod dolores punctionesque intendantur, & quod antea fiebat exscreatio, nunc vero retentio, tum alia iam ante dicta. Ideo auctores cũ videant pleuritidem non terminari 14. die, amplius resolutionem non sperantes sed collectionem & suppurationem, ex signis iam dictis, statim maturationi intendunt, & vbi abscessus maturus est, ad ruptionem deueniũt, & abscessu perrupto ad abstersionem & repurgationem, & vltimo consolidationi & quartæ intentioni animum adhibent.

8. *Maturatio quomodo perficiatur.*

Maturationem complent res temperate calfacientes & communiter humectantes cum viscositate quadam, inhibente tamen fortem resolutionem: & ita puris confectio seu concoctio iuuanda, iuxta Paulum. Nam concoctio vnum quid ex naturalibus operibus exsistit, estque ea, (*iuxta Galenum 5. De simplic. facult. medic. & primo, De different. febrium*) in pus conuersio. Hæc vel intus sumuntur, vel exterius applicantur. Intus iuuant *decoct. rad. bismal. liquir. scabios. hordei mund. passulæ, dactyli, ficus, & cremor ptisanæ, & eclegmata ex mucag. ficuum ping. butyr. recent. & oleo amygd. dulc. zacchare candi & penid. adiecto*: qualia habes apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum & Rondeletium, ac alios descripta. Cibi quoque adhibendi tẽpore maturationis molliores, vt iura ex malua, beta, spinachia, ex oleo amygdal. & butyro cõfecta, ius caulium, aqua hordei crassior: ficus siccæ, passulæ, dactyli, poma dulcia. Exterius valent fotus ex decoct. *malua althæa, fœnugr. semin. lini, emplastra ex viol. mal. farina hordei, fœnugr. butyro, axungia porci, & cataplasmata ex radic. liliorum, ficubus, farina lini, fœnugr. & similibus*: inunctio dialthææ, olei lilior. ex dyachylo, & alia infinita apud auctores iam dictos, cum alios practicos descripta.

9. *Vtrum venæ sectio possit fieri tempore maturationis.*

Sed hic quæritur numquid venæ sectio conueniat tempore maturationis: quam quæstionem longo sermone Gradus explicat, cum dicat nõ esse iterandam phlebotomiam, cum sit intentio ad suppurationem, ne congeletur materia, quod equidem intelligi volunt, virtute iam debilitata, vel propter euacuationes præcedentes, & sectionem venæ vel victum tenuiorem, & accidentia pgressa quæ virtutem deiecerunt. Sed constante virtute, & in corpore robusto, ex quo in principio collectionis accidentia, augeantur, dolor scilicet ac febris, reiterari poterit modica detractio sanguinis ad diuersionem & infrigidationem: hoc enim modo magis, quam alio vllo ingenio mitigabatur dolor, cum & Auicenna dicat phlebotomiã plus conferre dolorib. vincentibus: attamen cum cautione hoc faciendum, prout vires ferunt, & venæ sectio copiosa præcesserit. Sed vbi vires fortes sunt, aliquãdo iuuisse experti sumus statim in principio collectionis, vt in famulo quodam annorũ quadraginta, robusto, stante dolore vehementissimo, & febre valida, vt anhelitum vix ducere posset, exiguo detracto sanguine dolor imminutus est, & melius ad suppurationem deuenit, aliis aptis remediis: idem intelligendum de ventris solutione cum lenitiuis, etiamsi antea præcesserit.

10. *Ruptio quomodo perficiatur.*

Ceterum vbi iam maturatum cognouerimus apostema ex remissione doloris & febris, & grauedine exsistente in loco collectionis, tum omnibus modis rupturam promouebimus, vociferatione, clamore, & forti locutione, motuque in ordinato. Deinde & medicamentis id efficientibus, nempe calidis lenientibus, subtilitãtibus, tam intus sumtis quam extra admotis, vtemur, sed non, nisi præcedente maturatione & signis eiusdem, vt est syrup. de hyssopo, de prassio, in caussa magis frigida, in calida oxymel propinant. Auicenna succo scabiosæ vtitur, vel eiusdem aqua & theriaca, modo non fuerit febris nec debilitas aut extenuatio. Exterius emplastra, apponunt ex supradictis, adiecto fimo columbino, vel ex butyro, adipe antiqua, melle & fermento, fimo columbino, vel rad. althęæ ireos, axungia veteri, sem. lini, fœnugręc. olei lilior. & pauca adiecto fermento & fimo columbino, formulas vide apud auctores iã dictos hoc

tempore, quod ad cibum attinet, dentur sorbitiones cum melle, panis fermentatus, passulæ, ficus, dactyli, aqua mulsa, & oua sorbilia: vomitus valet & sternutamentum. Volunt quidam, si circa 20. diem a collectione hoc modo non rumpatur, ægrum desperatum esse: alioqui si per syncritica medicamenta non rumpatur, volunt phlebotomo vel cauterio aperiri, priusquam corpus contabescat: de quibus videas Rondeletium, & Arculanum. Sed quia difficile est inuenire locum saniei, id nequaquam faciendum, nisi aliquis tumor aut qualitas mutata manifeste exterius appareat, cuius postea exemplum dabimus. Quod ad tertiam intentionem attinet, facta eruptione oportet abstergere, lauare, mundificare, & repurgare. Sed considerandum, num sanies expellatur per pulmonem cum tussi, vel magnam venam ingrediatur, & resudet ad hepar, & expellatur per renes: vel ad locum concauum hepatis transiens ad intestina pus effluat: cum hæc omnia posse euenire, antea dixerimus. Quod si in concauitate pectoris coarceruetur, post eruptionem tandem tabem inferet, vt dictum est, si in 40. diebus non repurgetur. Ideo quæ detergant conferunt, vt aqua zacchari, aqua hordei & mellis, syrup. de liqu. & decocta in asthmate & tussi descripta, & lambitiua ex penidiis, melle rosac. succo enulæ, & pulmone vulpis; tum alia apud præceptorem meum in sua Empirica descripta, & apozemata, & syrup. apud Rondeletium tum alios relata, & exterius adhibita fomenta, quæ resoluant, tum alia topica Si pus ad vias vrinæ decumbat, decocta radic. apii, asparagi, fœniculi, alkekengi, & cicerum iura prosunt, vel cassia dissoluta in eodem decocto. Si ad intestina pus defluxerit, valet ius galli antiqui & decocta hyssopi, caulium, & radic. ireos, & clysteres leniter lauantes & abstergentes. & in fine syrupi aliqui astringentes, quibus intestina exulcerari prohibeantur, vt decocti plantag. ℥ iij. syr. ex ros. siccis ℥ j. ß. Si diutius pus per sputum expurgetur, aliqui theriacam dant: alii ʒ ß. diasulphuris, ex quo si sequatur exsiccatio, corrigunt cum humidis, vt Mesue docuit. Quod ad cibum attinet, eo tempore dandi cibi abstergentes pus, vt ius cicerum, pisorum, caulium galli antiqui, & cibaria zaccharo & melle condiantur. Si ad vias vrinæ transfluat, asparagi, ciceres, pineæ crustatæ zaccharo, aqua mellis, hordei, vel passul. Post repurgationem sequitur consolidatio, cum lacte asinæ, capræ. Sed cautio adhibenda, quod subinde incarnantibus vtendum, mox rursum detergentibus, prout affectus postulet, vel simul mixtis. Lac igitur plurimum casei continens, plus consolidat, e contra plus seri habens, magis detergit & mundificat: cibi tunc conferunt, pedes vituli, partesque viscosæ, & porcellorum, & caseus recens non salitus, farina hordei, orizæ. Prodest & syrupus myrtinus. At si in putredinem pleuritis conuertatur, vel pus ad corruptionem tendat, tunc augentur lethalia signa, abeunt vero, quæ salutem aliquam promittebant, apparetque subinde

11. · *Abstersio & repurgatio.* · 12. · *Si pus ad vias vrinæ decumbat.* · 13. · *Consolidatio.* · *Signa permutationis ad putredinem, corruptionem, cancrum & mortem.*

latus liuidum aut nigricans, aut virescens: nam cum ad mortem tendit, & in corruptionem mutatur, quia pernecat, calorem innatum suffocat, & gangrænam efficit, & sphacelum, syncopam, & defectum. Si in cancrum transit (addit Arculanus) augebitur febris, aut saltem non minuetur, & sequitur dolor quidam fulmineus, id est, exurens cum grauedine, & si idem vlceretur, emitteretur per sputum virus valde fœtens: & vbi terminetur ad putrefactionem, sputum apparebit liuidum & tandem viride ac nigrum, valde fœtens, cum reliquis malis signis, & magno anhelitus fœtore, vt in hac nostra muliere postea euenit, vt ipsamet fœtorem, dum sputum egrederetur, ferre non posset. Sed tales semper fere succumbunt, quamquam nonnulli scribant in hoc casu prodesse oxymel sua acredine corruptionem inhibens. In cancro opus est tantum cura blanditoria, cum tandem moriantur. De pleuritide, quæ induratur, pauci mentionem faciunt, excepto Arculano, cum raro contingat, neque ego vidi: si contingat, caliditas & febris paulatim declinant, ita & anhelitus difficultas, donec in totum auferantur: nam sputum diu retinetur & aboletur remanente grauitate in loco affecto. Tunc procedendum emollientibus intus assumtis & extra admotis, qualia ad scirrhum scribuntur conferre. His alii etiam addunt conuersionem ad phrenitidem, quæ habetur ex vigilia præter consuetudinem capitis caliditate, vigiliis, dolore, & delirio, sputo desinente, vrina tenui, subtili & anhelitus paruitate & frequentia, pulsu raro & intermittente, & alui exsiccatione: ea adhibenda quæ phrenitidi, delirio, & vigiliis conferunt, abstinendo tamen ab iis, quæ sputum retinere possent. Si ad neruos, apparebit aliquis neruorum affectus, stupor, tremor, spasmus, paralysis, dolor pectoris & lateris desinit, & manifesta euacuatio. Curatio petenda ex propriis locis. Ita quoque si permutetur ad membra exteriora, collum, axillas, inguina, quæ per se patent, materia iuuanda est cum attrahentibus, tum reliqua absoluenda, quæ auctores de curatione apostematum exteriorum ponunt: si ad pulmonem, curationem iam ex parte diximus, & latius dicemus, cum peripneumoniam aliis exemplis declarabimus: & si ad tabem, eius curationem instituemus de phthisi. Et ita absoluimus omnem curationem de vera & legitima pleuritide: nunc etiam vnum atque alterum exemplum addemus de pleuritide mendosa.

14. · *Si induretur, quomodo curanda.* · *Si ad phrenitidem conuertatur.* · 15. · *Si ad membra exteriora.*

OBSERVATIO XLII.

De pleuritide mendosa ex flatu.

QVibus modis pleuritis vera discernatur, non solum ab aliis affectibus, verum etiam ab illegitima & mendosa, satis superque diximus scholio obseru. 28. cum & sæpe fiat dolor lateralis a destillatione, qui & prægressam habet caussam & ma-

1.

& manifestam, dum in ceruice vel scapula primũ afflixit, deinde in latus delapsa est destillatio, in quo pressu contractuque exacerbatur, tales sæpe in praxi habuimus: qui dolor non tollitur fomentis, sed potius iis remediis, quæ ad destillationem faciunt: atque horum dolorum nulla febres comes est, nisi aliunde fortasse accersita: quanquam ex diuturna destillatione aliquando vera pleuritis subsequuta sit, vt prius ostensum est obser. 40. huius libri. Fit etiam pleuritis mendosa in musculis externis, vt scholio citato enarrauimus, ipsis inflammatis, cuius etiam exemplum postea adferemus: iam quoque a flatu dolor lateralis & pleuritis mendosa oriri potest, vt Montani exemplo recensuimus in Marco Antonio Genuensi. Sic istis diebus, cum vir quidam ichthyopola intenso dolore lateris laboraret, ceruisia epota, in qua flores chamomillæ incocti erant, prius colata, ex nostro consilio ebibita, in sudorem incidit, oleoque rutaceo & anethino loco affecto inuncto, sine sanguinis detractioue statim miraculi instar curatus fuit. Hac enim via citissime & pueros & senes curauimus sine aliqua purgatione vel sanguinis missione, qui ita restituti sunt; etiam grauidas sola inunctione vel sacculis aut fomentis, sed intus non dando decoctum florum chamomillæ, cum illud menses euocet & facile abortum faceret. Curantur tales sine venæ sectione: nam & Aetius in mendosa pleuritide sanguinem extrahere periculosum esse voluit; eo quod ab humore pituitoso & flatulento eueniat sanguine, & virtutis robore pro ipsius discussione opus sit: quo detracto humor magis crudescit, & dolor intensior fit, qui pro sui ablatione venæ sectionem exposcit: proinde & Amatus scholio curat. 13. centur. 1. vbi agit de textoris telę bombicin puęlla, q̃ pleuritidẽ mendosa laborabat, cui bis sanguis demissus eras, pleuritim mẽdosam ob hoc vera periculosiorẽ esse voluit. Is tamen dolor taneũ ventosus est absque febre, de quo nunc loquimur, quales nos multos habuimus: a flatu enim vagus est, nec diu eadem sede persistit, sed calore & fomentis mitescit, atque etiam sæpius discutitur.

2.

Scholia.

3.

SI dolor lateralis in illegitima pleuritide sit ex frigore, aut ab aliis caussis flatulentis atque euidentibus, tunc vtendum est carminantib. ventositatem. In quibus & hic vel similis sacculus ꝓderit. ℞ *florum chamomill. meliloti, sambuci. ana. p. j. summitatum anethi, vna cum sem.* ℥ *ß. sem. fœniculi, maluæ. ana.* ℨ *ij.* (in materia frigida vel ventosa, addi potest semen rutæ, cumini ℨ j. & erit efficacius) fiat sacculus intersutus, & calefactus super patellam ardente vino irroratam, & parti affectæ applicetur. Valent & alia linimenta, & vnguenta & cataplasmata calfacientia & resoluentia, quorum formulæ ab aliis auctoribus petendæ. Sed hic etiam notatu dignum existimamus, quandoque dolorem lateris phthisicis superuenire, qui tamen non est vera pleuritis, cuius etiã meminit Dodonæus cap. 22. in suis Obseruationibus: Phthisicos, inquit, diuturnitate mali etiam extenuatos, lateris dolore quandoque corripi accidit: qui subinde valde molestus & respirandi libertatem impedit, febrilem tamen non multum intendit calorem. His pulmo membranæ costas subcingenti ita firmiter adglutinatus adhæret, vt sæpenumero non absque violentia auelli queat. Concepto aliquo spiritu frigido, dolor superuenit: tollitur ac curatur calorificis, vt fomento ex floribus chamæmeli, & cumino, quod multis benefecit: sacculo hæc insuere oportet, qui deinde vino candido rigatus, calens dolenti loco imponitur. Venam secare qui temere audent, quantum sanguinis demunt, tantum vitæ detrahunt. Non modo autem istis sanguis perperam detrahitur, verum & aliis, ex crassis viscidisque humoribus, latere dolentibus. Ingeruntenim quandoque sese crassi viscidique pituitosi humores in thoracis spatium, tum & in ipsos pulmones, qui multitudine sua subcingentem membranam distendentes dolorem adferunt, & vias spirituum intercipientes, spirandi difficultatem inducunt. Nam & his sanguinem, præsertim copiosum, detrahere, est mortis caussam ægris præbere, vt Aetius scribit Tetrab. 2. lib. 4. capite vltimo.

4. *De lateris dolore qui phthisicis superuenit.*

Observatio XLIII.

De pleuritide spuria, ab externa membrana costas succingente, tum musculis intercostalibus exterioribus inflammatis.

1.

VIR quidam apud Clarisseas sorores pleuritide non exquisita, sed mendosa & spuria dicta corripiebatur: inflammatio costas succingentem externam membranam & intercostales musculos exteriores infestabat. Exterior pars thoracis dolebat dolore extensiuo & pulsatorio, aderatq; tussis exigua vel nulla, nec respiratio admodum difficilis, quanquam in exspiratione æger maius percipiebat nocumentum, quam in inspiratione: pulsus non admodum durus erat, & supra idem latus affectum decubitus difficilis erat, obtinuo febricitabat. Venam statim huic secui ad vncias fere sex, cum bonæ habitudinis esset fotuque adhibito ex viol. malu. flor. chamomil. flor. ros. rub. & meliloti, oleoque rosaceo, amygd. dulc. chamomill. & anethini, dolor sedatus est, facta resolutione, vt aliis remediis opus non fuerit.

Scholia.

2.

SImilem quoque curationem fere ponit Amatus centur. 3. curat. 67. in qua axillarem venam dolentem locũm respicientem secare fecit, vncias sanguinis octo extrahens: deinde secundo die vltro admouit *fomentum ex ros. maluæ, parietariæ, chamomill. anethi, sem. lini, fœnugræc. decocto, in fine adiectis* ℥ *iiij. olei ros.* mox loco affecto inuncto hoc vnguento. ℞. *axungiæ gallinæ, butyri recentis, ana.* ℥ *j. pul. chamomillæ* ℥ *ß. olei ros. amygd. dulc. ana.* ℥ *ß. ceræ q. s. ad ignem misce.*

& fiat vng. molle, & cucurbitulis loco affecto affixis ex toto intra octo dies inflammatio resoluta fuit. Solet hæc inflammatio ad cutem aliquando deuenire, adeo vt necessum sit tumorem aperire, *vt 5. de locis affect. capit. 3. Galenus refert*, id se semel obseruasse in quodam Lusitano, idem Amatus ait, quem tumorem scalpello incidi fecit: idem & Zoar gloriosus se fecisse narrat in muliere quadam, *vt libr. 1. sui Theisir, cap. 4. tractat. 16. videre licet*. Rondeletius omnia fieri in mendosa pleuritide vult, vt in vera, si dolor vehemens vrgeat, omnibus consentientibus venam secare iubet, nisi ætas & cruditas materiæ obstiterit, vel aliud impediat, apponit ventosas super nates sine scarificatione, si materia omnino frigida sit, vel cum scarificatione, quando est permixtio sanguinis: additque curari pleuritidem iisdem fere remediis vt vera, nisi quod in parte externa fortiora remedia sunt adhibenda, vt emplastra, sacculi, vnguenta, quorum formulas, apud eundem descriptas videre poteritis. In hac pleuritide idem laudat cucurbitulas supra affectam partem positas, prius vero natibus admotas, ante lenito ventre & misso sanguine. Si vero ad partem externam trahatur: & vertatur in saniem, (quod patet ex inundatione, & partis inflammatæ pulsatione,) aperiatur locus, vt in aliis abscessibus: vel vtendum emplastro de meliloto, vel alio digerente, vt materia potius per insensilem transpirationem: quam per manifestam euacuationem educatur. Si musculi pectoris externi circa latera dolent, & adsit inflammatio, curetur vt aliæ inflammationes, & si in abscessum terminentur, curetur, vt alii abscessus in locis externis, visu, & tactu apparentibus. Solent aliquando lateris dolores in peripneumonia apparere, quamuis non sit vera pleuritis. Sic nostra ætate peripneumoniam populariter grassatam aliquando vidimus, *vt in libro nostro 6. Obseru. De febribus epidemicis & peste recensuimus*. Memorat Dodonæus, sua ætate bis quoque sæuisse, & in memoria multorum adhuc esse, semel anno 1557. Octobri: deinde iterum anno 1565. Ianuario mense. Ab initio Iulii mensis anni 1557. sicca præcesserat constitutio, & mediocriter pro temporis ratione calida, præsertim Iulio ac Augusto. Sub finem Septembris tertio ac quarto Kalendas Octobris, superuenit validissimus a Septentrione ventus, admodum frigidus, mox destillationes plurimæ sunt natæ: vnde cito validæ vehementesque tusses, & lateris cum febri, & respirandi difficultate dolores præcesserunt. Lateris dolores non vehementes, non punctorii erant, sed clementes admodum: tertio die vel prius sputum prodiit cruentum: quinto, aut sexto, aut septimo, ad summum octauo mortui omnes sunt latere dolentes, quibus sectio venæ prætermissa, aut tempestiue non facta. At quibus sanguis vel primo vel altero die detractus, euaserunt, quarto aut quinto die sanitati restituti. Quarto vero aut quinto sanguinem detraxisse nihil profuit, morbo iam confirmato. Humores destillantes tenues admodum, & nonnihil acres fuerunt. Eclegmata idcirco vtilissima, quæ inspissandi vim habent, acrimoniam retūdunt, & aspera leniunt: quale est ex ziziphis (iuiubas vulgo vocant) serapium, quod tenues destillationes inspissat, acrimoniam obtundit, aspera obliniendo lenit. Altera peripneumonia dissimilem occasionem habuit. Decembri mense anno 1564. gelu admodum acre exstitit, quod non modo omnia reliqua flumina vbique, sed ipse Scaldis in portu Antverpiæ (quod admodum raro contingit) adstrictus fuit. Decidit per id temporis nix admodum crebra. Post Kalendas Ianuarii anno 1565. frigoris remissio sex aut septem dierum successit, sed exigua admodum, sic vt neque nix, neque glacies dissoluerentur. Per hos dies vapores multi eleuabantur, qui cum interdiu dissolui ac discuti non potuerunt, nec altius ascendere, nocturnis frigoribus densati, inferiorem & quem haurimus aerem inficientes, crassum humidumque eum admodum reddiderunt. Ab huius autē tam crassi aeris, & vaporibus infecti inspiratione, morbi circa pulmones, atque in ipsis etiam pulmonibus exitiales nati sunt: quibus infinita hominum multitudo mox correpta fuit. Nulla autem citius aut grauius affecti, quam qui hora vna aut altera post solis occasum aeri sese exposuerunt. Nā interdiu, præsertim ipso meridie, aut paulo post, aer minus crassus exstitit, nec ita cito aliquem offendit. Multis profuit focus elegans ex quernis lignis, qui hos in sanitate continuit, aere in cubilibus ac cœnaculis resiccato ac puriore reddito. Morbi per hos dies erant tusses, raucedines, respirandi difficultates, & plurimi vna laterum clementes, non punctorii, cum febri dolores, hoc est, peripneumoniæ. Fuit autem hæc peripneumonia non minus quam superior exitialis: necessum quoque erat in hac mox primo aut altero die sanguinē detrahere, quando cessatum est, nulla salutis ac vitæ spes reliqua erat. Sputum in hac processit crassum, sanguini permixtū, nonnullis biliosum, quorum nemo seruatus. Eclegmata desiderabantur, quæ pulmonis meatus expurgarent, & ab infarctu liberarent, non tamen valde calida, vt serapium ex capill. veneris, & quod ex dulci radice paratur: ex hyssopo quoque quandoque profuit. Vtroque autem tempore morbum hunc nō pleuritidem, sed peripneumoniam fuisse, mortuorum quorundam corporum dissectiones ostenderunt. Istis exemplis fit manifestum (vt idem asserit) non semper pulmonis inflammationem citra lateris dolorem accedere. Nam licet parenchyma eius sensu sit destitutum, vt satis in phthisi apparet, non tamen membrana, quæ ipsum ambit, sensus & doloris, si distendatur, est expers: quando enim inflammatio ad vnam aliquam exteriorem pulmonis partem consistit, dolor in latere distenta membrana sentitur: vbi vero interius accenditur, grauitatis sensus quidam circa sternum & dorsi spinam tantummodo percipitur; nisi simul & pelliculam siue membranam, qua dorso sternoque

que

Marginalia: 3. — *De pleuritide non vera eiusq; curatione.* — 4. — *Peripneumonia populariter sæuiens cum lateris dolore.* — 5. — 6. — *Hyems frigidissima.* — 7. — 8.

quæ adhæret, inflammari contingat; tunc enim dolor circa sternum etiam adest, Aetio teste. Hactenus Dodonæus. Ceterum pleuritide nunc absoluta, ad peripneumoniæ maiorem enucleationem accedamus, ab ea incipientes, in qua plurimum pituitæ prædominabatur: tum aliis exemplis adductis, quæ non a pleuritide, sed per se ipsa ortum habeant.

Observatio XLIV.

De peripneumonia, in qua pituita plurimum prædominabatur.

1\. Mulier Hornana, quæ fratrem visendi caussa, Alcmariam accesserat, annos triginta octo vix accedens, asthmate subinde tanquam morbo familiari laborans, satis pituitosa, fluxioni ac catarrho obnoxia, anno 1550. Ianuario mense, in peripneumoniam incidit. Quam magna spiritus difficultas vrgebat; ac oculos tumidos habebat, aderatque præcordiorum pectorisque angustia, simul & grauitas summa, sternum dorsumque contrahens, & febris acuta, sed non admodum vres, tussis valida, sputum crudum, pituitosum, vix aut parum cruentum: ita vt a sanguine pituitoso, pituita plurimum prædominante, hoc malum originem traxisse existimaremus, in muliere asthmatica, pituitosa tempore quoque hyberno. Ad quam vocatus, cum aluum non deponeret, balano sequenti feces communes deposuit. ℞. *pul. specier. hieræ pic.* ʒ j. *mellis* ʒ j. *diacrid. gran. iij. salis exiguum*; fiat suppositorium. Eodem die post aluum solutam statim ex vena basilica in brachio dextro sanguinem extrahere iubeo ad vncias sex: qua detractione angustia pectoris nonnihil sedata, multo melius spirare potuit. Interea hoc decocto bis in die vtebatur. ℞. *radic. fœniculi, maluæ, glycyrrhizæ, ana* ʒ j. *capill. vener. scabiosæ, hordei mundati, hyssopi, vngulæ caball. an. m. j. flor. cord. p. j. seminis anisi* ʒ. j. *vuar. passul. detractis vinaceis p. j. iuiubar. sebesten recent. an numero vij prunor. aliquo modo dulc. num. xiij. coquantur in aqua communi pro* ℔. j. ß. *colatura zacchard dulcoretur, & hunc syrup. lambebat.* ℞. *syrup. viol. capill. ven. an.* ℥. j. *& syrup. de liquir. de hyssopo, an.* ℥. ß. *misce.* pectus inungebat vnguento pectorali, oleo chamæmel. & amygd. dulc. adiectis. Post duos dies, ad expectorationem & maiorem incisionem, vtebatur sequenti eclegmate. ℞. *loch de pino* ℥. j. ß. *loch. sani & experti* ℥. j. *misce.* Quarto die materiam magis coctam hoc modo expurgauimus per vices. ℞. *hordei mundat. vngulæ caball. hyssopi, scabiosæ, capill. vener. an. m. j. flor. cord. p. j. cort. rad. fœniculi, liquir. rasæ an.* ʒ. j. *sem. ansi* ʒ. j. ß. *folior. senæ Alexand.* ʒ. j. *prun. damasc. dulc. num. viij. vuar. passul. mundat. ab arillis p. j. iuiubar. sebesten, ana nu. v. coquantur in aqua communi pro* ℔. j. *zaccharo dulcoretur*: modo bis, modo semel ex hoc decocto capiebat, & quotidie modo bis, modo ter excreuit cum maxima pectoris alleuiatione, febre non increscente. Sed cum aliquo modo cor doleret, cochlear vnũ syr. borag. propinauimus. Lingebat quoque ex electuario ex pulpis prun. damasc. parato cum succo liquiritiæ, & specieb. diatragac. confecto, pro febre & siti. Post tres dies a decocto purgante difficilis spiratio cessare cœpit, sed oborto in muliere satis crassa lateris dolore, quem ex ventositate contractum coniecimus, & fotu decoctionis flor. chamomillæ, meliloti, & semin. lini, fœnugræci, anisi cessauit, & liberius extussiebat, expectorabat concocta vndecimo die: & quia per sputum peripneumonia tendebat ad resolutionem & declinationem, syrup. sequentem lambebat. ℞. *loch. sani & experti* ℥. j. *syrup. capill. ven. de liquir. de hyssopo, an.* ℥. ß. *ita vt tandem 14. die a peripneumonia satis periculosa euaserit*, a febri in totum ac tussi liberata; solum relicta appetitus deiectione, quam ob dulcia medicamenta stomacho refragante euenisse existimabat: sed hoc condito sumto subinde ad magnitudinẽ fabæ maiusculæ, appetitus quoque rediit. ℞. *conseruæ borag.* ℥. j. *diarod. abbat.* ʒ. j. ß. *specier. aromatic. rosa. sine musco* ʒ. j. *corticum citri conditi* ʒ. iij. *conseru. capill. ven.* ℥. ß. *syrup. menthacei & zacch.* parum, ne tussis rediret, fiat conditum. Interea cum sanitatem consequuta esset, ac iam discederet & domum reuerteretur, consului, vt subinde vteretur inula campana condita & saccharo incrustata, ad asthma morbum sibi familiarem.

Scholia.

4\. *Varia peripneumoniæ nomina.*

Cum pleuritis aliquando in peripneumoniã mutetur, vt prius dictum est, deinde quod parum a curatione pleuritidis distet, solent medici statim post pleuritidem de peripneumonia agere, quæ quidem variis nominibus decoratur. Nam alii περιπνευμονίαν seu πνευμονίαν, vel (*vt Celso visum est cap. 7. lib. 4.*) περιπνευμόνικον Græci vocant, Latini vero & peripneumoniam appellant. Et hæc inter eos morbos connumeratur a Galeno 2. *method. meden.* quibus a læsa particula nomen fuit inditum. Estque ea (teste Celso) vehemens & acutus pulmonis morbus, quam & Paulus *lib. 3. cap. 30.* inflammationem pulmonis esse ait, cum febre acuta, vt etiam Galenus confirmat 2. *& 4. de locis affect. & lib. de pulsib. ad Tyrones, & 4. de caussis pulmon. Aetius lib. 4. cap. 66.*

Peripneumonia quid sit.

Non desunt, qui in veram & legitimam & notham distinguunt: vnde & Fernelius raram admodum veram peripneumoniam esse asserit, cum & tenuis & acris multaque destillatio cerebro confertim in pulmones illapsa, interdum ardore præter naturam incenditur, æstum ac febrem inferens: ac plerique eam affectionem peripneumoniæ nomine designant, in qua & tussi & spirandi difficultate & lenta febre sensim conficitur æger, sine vlcere, sine exspuitione cruenta.

5\. *Peripneumonia notha.*

Hæc si peripneumonia dicitur, ab exquisita profecto plurimum, cum caussa, tum symptomatum magnitudine dissidebit. At nos nunc loquimur de vera peripneumonia: Potest enim hæc inflammatio, vt in sequentibus de caussis latius dicetur, nedum

ex sanguine optimo ac laudabili, mediocremque crassitudinem habente initium sumere: verum etiam ex eodem pituitoso, aut bilioso, aut melancholico existente (quamquam quidam hoc vltimum de melancholico vix admittunt, & nonnulli in totum negant:) vt patet apud eundem Galenum 2. *de loc. affect. & comment. aphorism. 36. libr. 6.* vt etiam a Donato Altimaro citatur, cum dicebat pulmonem aptum natura esse, cum raræ ac laxæ substantiæ particeps sit, ad omnes humores percipiendos: non obstante 4. *de caus. puls.* vbi Galenus potius a pituitosiore & crassiore sanguine inflammari vult, cum subtilis biliosusque fluat fere, nec cum viscere vlla ratione coalescere possit. Quibus respondetur, intellexisse quidem promtius hoc fieri ex pituitoso sanguine; non tamen negauit vtrasque partes ab vtrisque inflammari posse, licet in laterali morbo sæpenumero magis biliosum, in peripneumonia vero magis pituitosum sequi consueuit. Pars affecta hic facile cognoscitur pulmonem esse, & compertum affectum præter naturam vitium hoc esse inflammationem, & ideo morbum in quantitate, subsequente immodica spirandi difficultate atque angustia; adeo vt suffocari laborantes videantur, vt sæpe recte sedere cogantur: hoc enim modo sentiunt thoracem magis dilatari: quippe decumbentibus in sese cōcidit, idque magis si inflammatio particeps fuerit erysipelatis. Quocirca, vbi plurimum efflant, iuuari videntur: ac multum aerem frigidum attrahere concupiscunt. Thoraci quoque grauitatis sensus adest & dolor spinam contingēs, ob membranas ambientes: vehementi enim dolore pulmo numquam cruciatur, nisi ob dictas membranas & earum extensionem. adest & acuta febris: incendium vero magis in erysipelate; sed tunc angustiæ & grauitatis sensus minor. Si igitur erysipelas, aut phlegmone erysipelatodes sit, haut difficulter deprehendetur; si vero inter tussiendum sputum expuunt, id (vt in pleuritide dictum est) modo hoc, alias alio colore infectum videbitur, pro ratione diuersi humoris inflammationē caussantis. Proprium item in peripneumonicis signū est (*eodem Galen. teste 1. de loc. affect.*) quod maxillæ rubræ apparent, pulsusque magnus, languidus, mollisque atque inæqualis & vndosus est, interim quoque dicrotus: & cum acute omnes febricitent peripneumonici: nonnihilque comatis habeant, vtrum horum excellat, maxime ratione crebritatis pulsus inuenitur: nam vbi ardentior febris fuerit, pulsus abunde creber erit; si comatosior, minus creber. Et huius caussas requiras apud Galen. 4. *de caussis pulsuum.* Sed & alia symptomata peripneumoniam comitantur, vt anxietas, impotentia, iactatio, lingua flaua, licet temporis progressu nigrescat, *lib. 3. de morb. vulg.* & delirium atq; oculi intumescentes, teste Paulo, & nasus in summa simus, & venæ temporum eleuatæ, iuxta Aetium, & prostratus appetitus. Simili autem via, ex quo humorum ortum duxerit, indagabimus, quā de pleuritide docuimus, licet sæpenumero ex pituitosiori sanguine gignatur, & aliis quoque humoribus fieri poterit, vt prius dictum est: idque potissimum percipiemus ex eiusdem sputi colore diuerso: ex rubro sanguinem, ex flauo & rufo seu pallido biliosum sanguinem, ex spumoso albo atque candido pituitosum, ex liuido & nigro melancholicum sanguinem, *vt 2. de locis affectis, & 2. prognost.* a Galeno scriptum reperitur. At si nihil expuant, ex aliis id coniectabimus, ex maiori vel minori calore, seu incendio in thorace percepto, ex maiori minoriue angustia, respirationis difficultate, ac grauitatis sensu, temperamento, ætate, habituque diuerso, regione, aeris constitutione, anni tempore, ac præcedente victus ratione. At de caussis & signis plura videas apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum in Praxi cap. proprio, & Gradum, tum alios, qui longiore sermone hæc prosequuntur: quæ exemplis subsequentibus adhuc clariora euadent.

Dubium. — 6. — Responsio. — Quæ sit pars affecta, & quis affectus præter naturam. — Signa. — 7. — Proprium signum peripneumonicorum. — 8. — Caussa. — Caussarum signa.

Observatio XLV.

De peripneumonia ex sanguine magis prædominante, cum mediocri pituitæ portione.

MAtrona honesta ac iuuencula, annos plus minus octodecim nata, & nuper nupta, veris principio subito peripneumonia sanguinea correpta fuit: genæ enim plurimum rubebāt, sputum sanguinolentum erat, mixtum cum exigua pituita, febris acuta erat cum inflammatione & venarum omnium extumescentia, cum pulsu vndoso pectorisque grauitate, habitu mediocriter carnoso, victu satis lauto præcedente, ac ætate iuuenili, & tempore verno respondentibus, cum vrina rubra, modo clara, modo crassa, venis apparentibus ac per totum corpus satis repletis, cum tanta anhelitus difficultate, vt suffocari videretur, ita vt facile, cum ad eam subito vocatus essem, intellexerim pneumoniam esse ex sanguine magis prædominante, & cum dolor grauis pectus occuparet, ad mammillam sinistram tum humerum sinistrum tendens, cum aluum intra duos dies non deposuisset, libenter ante venæ sectionē enema molliens iniecissem. Sed cum non admitteret, balano id tentauimus: quo nihil vel vix effatu dignum excreuit. Angustia pectoris magis increscente, precibus amicorum eo perducta est, vt clysterem emollientem admitteret, hoc modo descriptum: ℞. *radic. althææ mundatæ* ℥ j. ß. *maluæ cum toto. viol. parietariæ, mercurialis, an. m j flor. viol. meliloti. chamomillæ, an. p. j. semin. lini, fœnugræc. an.* ℥ ij. *sem. anisi* ℥ j. ß. *sem. 4. frig. maior. an.* ℥ ß. *prun. damasc. num. 15. coquantur in aqua communi, & in* ℔ j. *huius decoct. dissolue cassiæ mundatæ* ℥ j. *diacatholici* ℥ ij. *olei viol. amygd. dulc. an.* ℥ j. *olei anethini* ℥ ß. *salis* ℥ ij. *misce pro clystere:* quo bis aluum deposuit, dolore & difficultate anhelitus parum diminuta. Sed cum post meridiem rediremus, & malo increscente, cum versus mamillam magis sinistram doleret, vena lienari in manu secta,

1. — 2.

cta, cum in brachio minus appareret, ad vncias sex, optime tulit, & anhelitus liberior processit, sputo melius quoque exeunte, pectore inuncto *oleo amygdal. dulc. & amar. viol. & anethino, & lambitiuo sæpius deglutito, ex syrup. viol.* ℥ j. ß. *syrup. capill. vener. de liquir. ana* ℥ ß. & hoc iulebo ebibito ad materiæ præparationem. ℞. *syrup. de liquir. iuiubini, capill. vener. ana* ℥ j. *aquæ vngulæ caball. scabiosæ, ana* ℥ iij. *misce pro* ij. *dosibus.* Quinto vero die ita eam purgauimus. ℞. *cassiæ mundatæ.* ℥ j. *diacatholici* ʒ j. *agarici trochiscati* (quia leuis aderat portio pituitæ) ℈ ß. *zacchuro candi asperso, & granis tribus pulueris cinamomi & hyssopi adiectis*, fiebat bolus; quo ter aluum excreuit. Vbi enim morbus venæ sectione & clysteribus non cedat, solent medici ipsi, præsertim in primis quatuor aut quinq; diebus, purgante medicamento aluum subducere, & hoc paulo amplius, quo & febres obtusiores sint, & dolores leuiores, vt Hippocr. iussit *lib. 3. de morb.* Ad hoc opus eliguntur ea, quæ leniendo purgant, cuius generis sunt nostris temporibus, manna, cassia fistula, diacatholicon, diaprunum non laxatiuum, & medicamentum lenitiuum dictum, in bolo vel cũ decoctis pectoralibus. Oportet autem infernam aluum ex eiusdem Hippocr. mente neque valde suppressam esse, ne febres sint acutæ, neque valde egerere, quo saliua atque sputum sursum educi possit, & æger viribus valeat.

4\. Interea & ad diuersionem vsi sumus frictionibus: eiusmodi diutissimæ non parum conferunt, si bis quotidie fiant in scapulis; proxime ab his in brachiis & pedibus & cruribus, leuiter contra pulmonem, vt testatur Celsus. Interim neque syrupis neque eclegmatibus abstinuimus, vt promte ac celerrime pulmo expurgaretur: quare & sequenti ad expectorationem vsi sumus. ℞. *syrup. violar.* (ob calorem) ℥ j. *syrup. de liquir. capill. vener. an.* ℥ j. *zacchar. candi pul.* ʒ ß. *misce.* Sexto rursus die, cum durioris alui permaneret, vt hoc decocto vteretur, mandaui. ℞. *folior. viol. boragin. ana m.* ij. *radic. liquir.* ʒ ß. *semin. 4 frigid. maior. semin. anisi, ana* ʒ ß. *folior. senæ* ℥ j. *prun. damasc. ad dulcedinem tendentium num.* xv. *hordei mundat. p.* j. *capill. vener. hyssopi, ad magis incidendum, ana m.* ß. *iuiubar. sebesten recent. ana num.* v. *fiat decoct. in sero lactis ad* lb. j. *zaccharo parum dulcoretur.* Ex eo decocto,

5\. cum semel ℥ iiij. cepisset, quatuor secessus in die habuit cum alleuiatione. Quare amplius non sumsit: quotidie melius expectorabat. Interea topicis digerentibus & resoluentibus minime relictis, bis facta pectoris inunctione ex vnguento nostro pectorali, septimo melius habere cœpit, & cum minori molestia extussiebat sputa magis alba, & concocta. Eclegma continuabat syrupo postea a violaceo relicto, addito eius loco syrupo de hyssopo. Octauo die iterum aluum non nisi balano deposuit. Nono die suborto dolore cum quadam inflatione circa inguina, & quadam grauitate circa vterum, pectinem, & lumbos, morbum per menstruas purgationes finiturum exspectauimus; cum neque grauida esset. Et cum per superiora, calidis (quæ febrem

6\. augerent) vti & menses euocantibus non ausi essemus; ideo cum vteri dolor vrgeret, per obstetricem mandauimus, vt digito oleo sequenti intincto collum matricis intus confricaret: atque hoc modo ora venarum matricis aperta sunt, & menstrua copiose fluxere. Oleum verum tale erat. ℞. *olei lilior.* ℥ j. *croci orientalis pul.* ℈ ß. *misce.* Menstruis itaque fluentibus, morbus, eo modo signis coctionis antea in sputo, tum in vrina apparentibus, ad salutem terminabatur, vt decimo quarto die perfecte sanata fuerit. Victus huic idem, qui pleuriticis confert, nisi quod magis attenuatorius esset, iuxta Aetium: a salsis tamen abstinendo, tum ab acribus atque amaris: neque aluum astringentibus, vt Celsus admonebat, vsi sumus; sed leuioribus; dando in principio, vel primis diebus sorbitionem ptisanæ, aut ptisanam ipsam cum melle, vel butyrum recens cum ptisana, vt Paulus facit: in qua recens adeps iuxta Celsum incoqui posset: primis enim diebus, ex Hippocrate tertio, de morbis, sorbitiones dulciores dat. Quarta autem die & quinta,

7\. & sexta non amplius dulces, sed pingues dat: nam ad sursum exscreandum dat, vt ptisanã cum iure galli pinguis vel gallinæ. Nos commode in principio hordeata exhibemus, deinde & sorbitiunculam ex pane, zaccharo & butyro exiguo cum ceruisia leuiter coctam, vel panatam. Sed a succis frigidioribus abstinent, & aliquid hyssopi incoquunt, & panem ex aqua mulsa, subinde cum melle exhibent. Celsus etiã oua sorbilia concedit. Potus erat ptisana parata ex hordeo mundato, liquiritia & passulis, detractis vinaceis. In fine etiam victum auximus, exhibendo colatitium cum emulsione hordei, zaccharo adiecto.

SCHOLIA.

8\. Decimo quarto die in totum morbus solutus fuit, & nono iudicatus, menstrua euacuatione subsequente, qua & terminum suum compleuit. Iudicatur autem hic morbus (*Hippocr. teste 2. & 3. de morbis, & lib. de affectibus.*) breuissimus quidem in diebus septem, aut quatuordecim; longissimus vero in duobus de viginti: Pauci autem hunc morbum effugiunt: verum postquam trigesimum diem transgressus fuerit, non amplius moritur, sed pus spuit, & pectus dolet & tussit: nam ex hoc morbo fiunt etiam pectore suppurati, si non in iudicatoriis diebus pulmo fuerit purgatus. Iisdem modis vero terminatur, vt pleuritis: vel enim per sputum, & eadem signa aderunt, vt in pleuritide, si sputum bene exeat & bene coctum. Sed quod ad breuitatem attinet & longitudinem, solet esse aliquando longior pleuritide, cum a materia crassiore pendeat; citius tamen a bile quam a pituita. Et ideo si post decimum quartum diem non resoluitur per sputum, transit quoque in suppurationem; & tunc aderunt eadem signa, quæ de suppuratione

Signa prognostica.

diximus, & postea dicemus, cum de empyemate agemus: & si non repurgatur, etiam in 40. diebus, ad tabem transit multo facilius quam pleuritis: & ideo si in septem diebus non curatur peripneumonia, plerumque interficit vel suppuratur, vel in tabem transit. Interea aliquando inflammatione in pus commutata, si per vrinarios meatus aut ventrem pus excernatur, omni statim molestia liberantur. Si vero aceruatim in pulmonem irruperit, aut suffocat, aut in tabem permutatur. Terminatur etiam in alios morbos, in pleuritidem (quod rarius fit) & minus malum est; licet tamen non semper illud tutum est: & licet peripneumoniæ ex pleuritide transmutatæ securiores sint his, quæ ab initio fiunt ex se, non obstante tamen, etiamsi superuenerint, sunt malæ, vt patet *11. Aphorism. lib. 7.* a morbo laterali inflammatio pulmonis malum: quia pulmonia, vt ante quoque dictum est, pleuritide periculosior est, quia malum magis vicinum cordi, & maius impedimentum in anhelitu. Siue igitur fit a pleuritide, siue ab angina, vel ab alio morbo, non caret periculo, vti quælibet peripneumonia etiam ab aliis caussis prægressis, vt contusione, casu, vulnere, a valida frigiditate aeris ambientis. Hæc omnia externæ caussæ peripneumoniæ esse possunt. Et sic quoque pulmonis inflammatio, quæ fit per materiam ex angina & pleuritide delatam, periculosior est, & difficilioris curationis, quam quæ ex defluxionibus a cerebro in pulmonem fit: ab acuto enim morbo maior fit læsio. Et sicuti cerebri defluxio (vt præceptor meus Benedictus Fauentinus censebat) gignere valet pulmonis inflammationem, ita pulmonia phrenitim gignere valet, teste quoque Galeno *7. Aphorism. 12.* cum a calido humore fit inflammatio pulmonis, quæ multos vapores transmittit ad caput, cerebrum implet vaporibus, & facit phrenitidem: in quam si permutetur pulmonia, pessimum est, iuxta eundem aphorismum a pulmonis inflammatione phrenitis malum: ratio est, quia mutatio fit in peius. Verum ad parotidas conuersam post aures, vel sub alares abscessus excitasse, hoc innocentiore malo, ac augurio magis tuto accidit. Sed si prolongatur peripneumonia, vt quidam volunt, inducit pedum tumorem & hydropem, ob hepati nocumentum communicatum: quod aliquando & in suppuratis euenit. Si induratur (quod rarissime contingit) vt quidam volunt, paulatim accrescit anhelitus difficultas, & tussis siccior, frequens, calor exiguus, dolor grauis, anhelitus constrictio modo alleuiatur, modo redit. At si in pulmonis fistulis caro paulatim excreuerit, febricula aderit, cum quodam pulso in medio scapularum, & vocis pariter raucitas, cum oris, narium graueolentia, odore piscium: quæ si exulceratur, fœdioris erit odoris, & sine saliua tussis, & cum corporis interdum pruritu: illa tamen peripneumonia non est, quanquam hæc ipsa pulmonia, vel dissoluatur, vel in vomicam transeat, aut paulatim quidem indurescat in carbunculos, vt Benedictus Veronensis ex aliis annotauit. At si aquositas pulmonis fistulas vexat, differt plurimum a materia pituitosa; mouetur enim in diuersa latera, & æger fatetur sonitum sese percipere. Ex huius vapore continuo febricula excitatur, cum difficultate spirandi. At hæc legitima peripneumonia non est, cum & his saliua tenuis aquosa & plurima ex ore prorumpit, & in ceteris hydropem imitatur. At inter reliquas species peripneumonia biliosa, reliquis aliis malignior est, & quando magis ad erysipelas pulmonis accedat: cuius exemplum nunc adiungemus.

9. 10. 11.

Observatio XLVI.

De peripneumonia biliosa.

1. Pulmonia grauissima & biliosa, Procurator in monasterio (cui Sion nomen erat prope Delphos) laborabat, annum quadragesimum agens, vir biliosus, ac satis raræ constitutionis, & plus æquo vino deditus, quemadmodum tales ocio dediti apud amicos præsertim esse solent: saliua huic ruffescebat, & sputum citrinum subtile spumosumque erat, sine grauitatis molestia, oris amaritudo aderat, pulsus celerior, vrina valde tenuis & citrina, dolor acutior pectoris sine grauitate, linguæ asperitas cum nigredine spectabatur, febrisque continna & satis ardens. Hæc enim bilem prædominari notabant. Ad quem decumbentem prius quinto die accitus fui, cui & in manu prius vena secta fuerat per chirurgum, nullo adhibito medico, & a coquo, qui medicum agebat, sed empiricum, electuarium de succo rosarum exhibitum: ex quo præter rationem multa excreuit sine alleuiatione: nam quinto die cum illum accessissem, vigiliæ accrescebant, & sitis valida erat: parum cruentum cum flauedine exspuebat: prius tamen magis flaua & biliosa in pauca quantitate. 2. Pro siti decoctum hordei mundat. & flor. violar. & liquiritiæ præscripsi, & vt sub noctem hordeatum, cum sero lactis concinnatum ei daretur, mandaui, & ad expectorationem sequens eclegma. ℞. *syrup. viol. syrup. iuiubini. ana ℥ j. syrup. de liquir. ℥ ß. loch de succo farfaræ, zacchari, viol. penid. an. ʒ ij. diatrag. frig. ʒ ij. misce, & diatragacan. frigid. in tabulis sæpe capiebat.* Sexto magis expectorabat. Sequens decoctum præscriptum. ℞. *viol. maluæ cum toto, hordei mundati, ana m. j. semin. 4. frigid. maior. ana ʒ j. semin. maluæ ℈ iiij. seminis anisi ʒ j. liquiritiæ rasæ ℥ ß. fiat decoctio in aqua cucurbitæ,* (sed quia non habebat pharmacopœus, in aqua vngulæ caballin.) *prius adiectis iuiubis & sebesten recentibus, scilicet num. vij. pro ℔ j. colaturæ addendo syrup. viol. ℥ ij. & syrup. iuiubini, capill. vener. ana ℥ ß. misce.* pectus inungebat ad refrigerationem oleo *viol. & amygdal. dulc.* pauco adiecto olei de semin. cucurbitæ, vel melonum, modo ad manum esset. Septimo die delirauit, & metus erat de phrenitide: nō dormiebat, astantes illū pro deplorato habebāt. Hic rursus coquus me ignorāre male in die decre-

decretorio electuar. de succo rosarum propinauit: & quamquam tantum ℥ ij. exhibuerat, ter aluum deposuit. Vnde & peius habuit, materia commota, & non omnino educta: nolui tamen aliquod medicamentum adhibere in die decretorio: sed tantum tempora sub noctem, cum vigil permaneret, inungi feci oleo papaueris; & syrupum violar. per se lambendum dedi, & subinde partem vnam diatragacant. frigid. in tabulis.

3\. At in octauo dedi decoctum ex sero lactis ex prunis paratum, viol. malua & hordeo mundato, liquiritia, cum zacchato dulcoratum. Quo potu etiam prius quotidiano vsus fuerat, quo probe etiam aluus soluta fuit, & magis cocta cœpit exspuere, etiam hordeato sub noctem assumto, & prunis suffocatis & coctis in aqua vtebatur ad oris siccitatem. Postea poma assata cibi loco sumsit. Decimo die bene expectorabat, minusque delirabat, paraphrenitide magna ex parte sedata. Interea & hunc linctum sumebat. ℞. *syrup. de liquir. iuiubini, viol. zacch. penid. ana* ℥ ß. *misce.* Vndecimo vero die × 13. concocta magis expectorabat, & in 11. delirium ex toto cessauerat, & mente constabat. Decimoquarto die ab initio morbi plurimum sudauit per totum corpus, bene lotium reddidit ac excrementa, sputo sine molestia quoque exeunte. Nocte sequente bene dormiuit, & magno nostro honore sanitatem consecutus est, neque amplius febricitauit, ac cum optime se habere diceret (nisi quod adhuc quandam caliditatem in pectore sentiret) idcirco, vt colophonem huic curationi imponerem, hoc conditum illi præscriptum est. ℞. *conserua violar. boragin. buglosse, ana* ℥ ß. *zacchar. viol. drachm. iij. pulueris diatragacanti frigid. recenter parati* ʒ j. *syrup. viol. iuiubini, ana* ℥ ß. *misce.* Quibus remediis pristinæ sanitati restitutus est.

Scholia.

4\. *Quæ inflammatio pulmonis peior, & quæ magis salutem promittit.*

HÆc inflammatio pulmonis biliosa erat, proxime accedens ad pulmonis erysipelas, quod & sitis & deliria, tum alia in obseruatione dicta indicabant. In erysipelate magis vruntur; & sæpe in phrenitidem mutatur, vt euenit Ioanni Henrico Statori Alcmariano, qui & perpetuo delirio moriebatur. Non solum hæc, sed & biliosa exitialior habetur; quamquam hic procurator euaserit, cum in 14. egregie sudasset: solet enim hic morbus magna ex parte solui sudoribus, vt iuuenibus fluxu sanguinis narium, larga & frequenti exspuitione; & ita in muliere illa iuuencula quoque (de qua egimus obseruatione XLV. huius libri) menstrua purgatione pulmonia finiit. Ita & puto etiam solui hæmorrhoidibus fluentibus, signis coctionis prius in sputo & vrinis apparentibus, & debite in diebus decretoriis contingentibus. Ex quouis igitur redundante fiat succo id genus morbi (inquit Celsus) plus periculi quam doloris habet. At si screatio flaua non multo permista sanguine inter initia excernatur, salutaris admodum pulmonis inflammatio est; *si 7. die pigrius sit*, minus secura est, eodem Hippocrat. auctore *2. prognost.*

5\. Quæ vero peripneumonia cum virtutis imbecillitate fit, perniciosa est, Galeno teste *3. prorrh. & 10. method. medend.* namque vna salus, tum pleuriticis (vt ipse refert) tũ peripneumonicis, adde etiam synanchicis, ipsum virium robur. Harum etiam partium, vt etiam citatur a Donato) inflammationes, veluti etiam ventriculi, & iecinoris, non modo iis, qui tam imbecillis sunt viribus: sed etiam iis, qui valentiores ipsis sunt, mortiferæ esse solent. Si vero quid per tussim efferatur in peripneumonia, spumosum ac biliosum est, & aliquando cruentum, & floridum vehementer, vt Aetio placuit, quod etiam pessimæ significationis exsistit: & si mortale quidem malum fuerit, vigiliæ amplius aderunt, aut somni breues, stuporem ac delirium inducentes, & imaginatione mentem vicissim perturbante, non sentiunt valde præsentia mala: extremitates frigidæ, vngues liuidi incuruantur: quarta aut ad summum septima die hi moriuntur. Verum si ad salutem permutetur morbus (vt idem fatetur Aetius) sanguinis eruptio ex naribus abundanter sequitur, aut alui exturbatio, multis exeuntibus biliosis, & spumosis humoribus. Verum licet Aetius dicat pulmoniam fluxu sanguinis narium terminari, Galenus 3. de Crisibus contrarium videtur docere, cum dicat: Contingit aliquando propter sanguinem e naribus fluentem phrenitim finiri: non tamen lethargus aut peripneumonia fluxum sanguinis amat. Sed si quis attente dicta Galeni inspiciat, intelliget eũ loqui de peripneumonia, quæ a pituita fit, in qua sanguinis fluxio e naribus non conuenit. Sed in biliosa & sanguinea, prodest, vt in phrenitide; & argumento est Galenum de pituitosa intellexisse, ex eo quod lethargo coniunxit: lethargus enim pituitosa est inflãmatio, in qua sanguis non ita euacuari debet, cum in deterius vergit post fluxum sanguinis pituitosæ inflammationes. Sed in peripneumonia biliosa & sanguinea sæpe fluxu sanguinis finitam vidimus.

6\. *Aetius cum Galeno de sanguinis narium fluxu in peripneumonia conciliatur.*

Præterea cum Aetius scribat pulmoniam terminari alui perturbatione biliosis multis excrementis, id videtur esse contra *Aphorism. 16. lib. 6.* vbi Hippocr. pronuntiauit a morbo laterali vel pulmonia habito, alui profluuium adueniens malum esse. Et licet ita se habentibus id soleat aduenire (Galeno dicente in eodem cõmento) non potente hepate ad se trahere alimentum, neq; conuertere in sanguinem, & quandoq; ventriculo idem alimentum corrumpente: idem tamen Galen in mediocri morbo laterali atq; pulmonia affirmat prodesse posse ratione euacuationis, & magis cum signa coctionis apparuerint inesse passionibus: neq; adest timor, sed morbus est citra periculum. Sed in morbo vehementiori, nullo signo coctionis apparente, neque in sputo, neque in vrina, & cum venerit vi morbi, pessimum signum est: &

7\. *Quando alui profluuium malum sit signum in pleuritide aut pulmonia, quando vero non.*

quando perseuerat, pessimum quoque est, ratione curationis. Nam illa, quæ aluum retinere debent, cum constringant sputum in pectore, retinent quod pessimum est: cum enim dulcibus & eclegmatis opus est, quæ expectorant, aluum magis fluidam faciunt, quæ in his morbis facile vires prosternunt, & minus conueniunt, fluxum irritantes. Quod si alia ex caussa veniat, vt cibo aut potu aliquo, & non vi morbi, tunc eiusmodi profluuium alui non ita malum est: at malignæ peripneumoniæ superueniens, aut pleuritidi sæuæ, lethalis esse solet: vt in muliere illa asthmatica & pituitosa valde crassa, quæ extra portam, qua Schidamum itur, decumbebat, plusquam 50. annos nata, quæ in hyeme anno 1562. pleuritide pituitosa correpta esset, cui & portio bilis & atræ bilis admixta erat, vt ex sputo modo nigriusculo, modo flauo & subalbo, parum sanguinis mixto, constabat, cui vena secta quidem fuit in brachio e directo loci dolentis, & cum sanguis nigriusculus & valde corruptus fluxisset & limosus, pessimum signum erat, & plerumque mortem præsagiens, cum aliis signis malis: quod quidem ego longa experientia in praxi quotidiana animaduerti, præcipue vero in pleuriticis, pulmoniacis, & aliquando in inflammationibus hepatis & lienis, & in phreneticis, si sanguis demissus e vena corruptus, niger, limosus, tenuisque in fundo, & in parte superiori aquosus, corruptus, pituitosus, ac non nihil liuidus cernatur, neque ab aere externo congeletur, sanguine nullas fibras habente, qualis in lue Gallica subinde apparare solet. Talis enim sanguis in diuersa vascula receptus arguit maximam corruptionem, & humorum putrefactionem haud exiguam, & tandem caloris naturalis exstinctionem, & in multis mortem ipsam. Est autem talis sanguis limosus in fundo, qualis est atramenti limositas, & non congelatur aut crassescit sanguis, vndique liuiditatem & nigritiem habens, quæ non spissatur. Eodem tempore & alius pleuriticus extra portam habitans, qua in Hagam Comitis itur, cui similis sanguis e vena dimissus fluxit, & quinto die etiam sanguinis multitudo e naribus erumpebat, morbo nondum concocto, & vrina cruda exsistente (idque in die non decretorio) pessime sputo crudo vix exeunte, septimo die fluxu quoque ventris oborto, morbo crudo permanente, nono die obiit. Ita & alteri mulieri similis sanguis fluxit; etiam in nono obiit: quemadmodum & huic mulieri, (de qua paulo ante diximus extra Schiedamam portam habitanti) contigit: Quinto enim die febris aucta, sputa nigriora, vrina cruda in sexto: septimo vero die lateris dolor in totum euanuit, sed pectoris auctus; atque obtusi sensus, malis rubentibus in peripneumoniam pleuritide conuersa, superueniente fluxu ventris, cum fœtida nigra, quasi partes pulmonis excerneret, viribus deiectis, in vndecimo facto prognostico obiit: Ceterum pulmonia tamen, si ex phlegmate fit, minus pestifera est; verum diuturnior, sicut & ex atra bile: biliosa vero, vt ante meminimus, exitialior habetur, quoniam ocyus ad cordis penetralia pertingat virus: tum remedia foris intusue imperata minus proficiunt, frigiditate ante penetrationem fere euanida: nam hæc, sicuti erysipelatoides phleginon, ex feruenti oritur materia; & ideo inter acutos morbos enumeratur, qui quinto vel septimo die hominem interimit: quemadmodum euenit vxori lanionis Delfensis, quæ cum anno 1598. mense Februar. in biliosam pulmoniam incidisset, & me quinto die prius vocasset, cum nulla remedia admodum anno sa tentasset, & astantes putarent illam peste laborare, cum plurimi hoc tempore morerentur: hæc sexto die, cum prætermissa esset venæ sectio, & vigiliæ tum deliria eam vrgerent, mortua est. At Auicenn. ex mente Hippoc. testatus est; si in pulmonia appareant pustulæ circa mamillas & crura, & rumpantur, bonam esse significationem; materia ad exteriora conuersa. Sed intelligendum, modo minuantur accidentia maligna, & tales vel similes abscessus fiant circa aures vel inguina, modo post signa coctionis cum bonis signis appareant: at delitescentibus carbunculis, febre acuta perseuerante, pessimum pronuntiauit *Hippoc. 2. prog.* Vide egregia & plura de his *2. progn. a tex. 64.* donec perueneris in textum 69. *in commentariis*, quos Benedictus Fauentinus præceptor meus edidit. Sed & hoc his adiungendum, quod aquilonia tempestate pleuritides & pulmoniæ, iuxta *apho. 5. lib. 3* magis oriantur: nam hoc tempore cum hic procurator, de quo diximus in obser. præcedente, decumberet, passim lethales pleuritides & pulmoniæ oriebantur; eiusmodi temporis constitutione per duos fere menses perdurante: quo tempore etiam euocatus Alcmariam ad Mariam sororem mihi carissimam, cum eam a pleuritide & aphthis curassem, in pagis vicinis vulgus referebat nouum morbum grassari, nempe pulmoniam & pleuritidem, ex quibus multi non satis tempestiue medicos consulentes, non nouo, sed veteri morbo, nempe pulmonia vel pleuritide, exstinguebantur. Si igitur a calida caussa pleuritis eueniat, sanguis liberior detrahendus in sanguinea quam biliosa: attamen hæc ipsa neque in biliosa statim in principio negligẽda: valent & clysteres secunda & tertia die lenientes & alterantes, vel in debilibus etiam glandes, si aluum non deponant: atque in hac opus est maiore exstinctione, quam in pleuritide ob mẽbri caliditatem & cordis vicinitatem; non tamen constringentia, ne sputum retineatur: vt est aqua melonis, cucurbitæ, & eclegmata ex muccag. sem. cotoneorum extrac. *cum aqua viol.* ℥ j. & *emulsf. sem. 4. frigid. maior.* ℥ j. & zacchаro candi, penid. cum syrup. violar. q. s. ad formam loch, tenuissimo quoque victu vtendum (qui humectet moderate, refrigeret sine astrictione:) & quo acutior est morbus, eo magis ad tenuitatem debet accedere. Quare sint contenti cremore hordei,

Sanguis demissus, qualis in pleuritide, pulmonia & aliis in flammationibus magna ex parte mortem præsagiat.

Historia mulieris peripneumonicæ in sexto occumbentis.

Calidæ peripneumoniæ curatio.

hordei, aqua bullita cum syr. viol. vel de cucurbita in biliosa. Aluus si constricta sit, solicitanda clementibus: sed solutiuis fortib. non irritanda; nam si fluxus ventris superueniat, mortem significat, & leuiter refrigerantibus & constringētibus sistendus cum iis quæ etiam sputum non impediant, vt de pluritide quoque prius dictum est. Sed in biliosa exterius non applicentur emplastra, quia diu immorantiæ calefaciunt: sed potius vnctiones ex oleo violaceo conueniunt. Arculanus tamen in puro erysipelate ad epithemata confugit, ex aqua viol. cum pauco aceto. In frigida vero & præcipue pituitosa, magis incidentibus opus est; & sanguis in minori copia trahendus; & in senibus si mitior est, & post alios morbos, potius cucurbitulis secūdum alios in emunctoriis inferioribus vtendum, ne sanguis ad partem affectam descendat: nam si pituitosus affectus sit ex morbo præcedente, frigidior redditur; neque concoquere neque expellere, ob virium imbecillitatem, possunt, iniiciendi & clysteres & decoctiones lenientes in principio. Valet decoctum hordei cum syr. capill. ven. aquæ mulsa, hyssopi decoctum cum ficubus, postea & pro cibo ius pulli: & topica debent magis esse attenuantia quam in calida ex oleo amyg. amar. irino. Postea & aliis topicis vtendum; de quib. vide Paulum & Aetium, & quæ Donatus commendat ac alii; & quæ Benedictus Veronensis *cap. 40. lib. 8.* scripsit valere in materia phlegmatica & melancholica.

6

Frigida & pituitosa curatio.

7

Observatio XLVII.

De peripneumonia ex catarrho præcedente.

1

PEtrus Bronckhorstius, in Haga Comitis habitans, diu catarrho laborauit: quem parui faciens, febris acutissima cum horrore eum inuasit, & subito inflammatione pulmonis oborta, sputum cruentum magna cum molestia & anhelitus difficultate ac pectoris grauitate exspuebat. Hugo Nieuenius Haganus medicus cum eidem assisteret, electuarium linitiuū exhibuit ad feces communes expellendas: die sequenti venam secuit, & sanguis valde corruptus fluxit. Tertio die ego accitus sum: decoctum pectorale præscriptum, & eclegmata apta ad sputum facilitandum. Septimo die pessime habuit, & dolor latus occupauit: sed sacculi adhibiti ex milio, statim profuere. Die octauo accessit & alius quidam medicus Amstelrodamus, cum autem in sudore esset, & melius haberet, nihil innouatum, quamuis decoctum agarici, rhab. & coluteæ cum pectoralibus propinandum proposuerat alius ille medicus: sed satis fecit colutea cum pectorali decocto; & secessum habuit. Nemo melius habuit, sed non satis purgatus: nodulum ex agarico, rhab. sene cum suis correctoriis in ceruisia infundendum per noctem, & expressum, libenter alius ille propinasset: sed quia debilis erat, & calor febrilis vehemens, cassia ab Hugone & a me proposita in bolo ad ℥ j. deuorata est; & quinquies multa biliosa & pauca pituitosa excreuit cum alleuiatione. Duodecimo die cum eam rursus expeteret, denuo exhibita; & optime eduxit, & ita profuit, vt a febre liberaretur; & sputa sumtis ecligmatibus magis concocta procedebant, alba neque cruenta: & vrina cocta cernebatur. Decimotertio die & decimoquarto bene sudauit, & ex integro curatus est, cum a multis pro deplorato haberetur. Hinc in principio diæta tenuis erat: & solo hordeato contentus fuit ad septimum diem: deinde ad panatam cereuisiariam & poma deuentum: primo pro potu vtens ptisana, postea inclinante morbo ceruisia tenuiori: & post vndecimum diem victum auximus, & ad ius pulli, deinde ad oua sorbilia venimus; & per totum morbi decursum a vino abstinuimus.

2

Scholia.

CVratur tamē peripneumonia, vt iam dictum est, vt pleuritis, missione sanguinis & alui deiectione & expectoratione, atq; hoc quidem interesse volunt (vt Rondeletius) quod in pleuritide rectitudo seruanda; in peripneumonia ex vtraque parte fluit sanguis. Differt etiam (eodem auctore) quod in peripneumonia prima detractio minorem copiam, secunda maiorem requirat: & si in aliquo morbo, in hoc copiosa facienda est detractio sanguinis, quia affectus magnus est & circa cor positus. Fit tanta defluxio vel attractio sanguinis, tum ob cordis calorem, qui trahit, tum ob venarum frequentiam, tum ob sanguinis tenuis copiam, quæ in cordis sinubus esse solet. Ob partis affectæ dignitatem, & interni affectus magnitudinem, trahendus est sanguis, si fiat a sanguine vel bile naturali; in pituitosa, vt dictum est, minus. Ita & Celsus & Paulus dicunt, statim venam secandam esse, ex quacunque caussa ac quouis modo genita sit peripneumonia; idque in cubiti externa ac ex vtroque brachio, si vires admittant: quamquam Paulus ex aliis morbis si obrepat & diu in statu fuerit, & sanguis in principio dimissus sit, detractionem dissuadeat; ita vt videatur Aetii ac Celsi sententia discordare: minime quidem, cum Paulus non prohibeat, si diuturnus morbus fuerit & inter initia sanguis dimissus, sed quod vires imbecilliores prohibeant; vbi enim valent, id etiam licet. Sic ego quondam feci in peripneumonia, quæ ex se ipsa incepit, in quodam lictore, qui faciem rubram pustulosam ob crassæ ceruisiæ potum habebat, & ex nimia ingurgitatione in eam inciderat, & ex suis combibonibus quendam empiricum ad se vocauerat, & potionem infra supraque multa deturbantem acceperat, cum alium tonsorem ad se vocauerat, prætermissa venæ sectione, nescio quæ medicamenta ebibens, cum res ad restim deuenerat, vndecimo die ad illum accitus sum; viribus mediocriter adhuc constantibus; cum sputum cruentum esset, venam secari iussi: deinde aptis remediis 17. die sanitati restitutus fuit. Quidam vero si quid venæ sectionem prohibuerit, thoraci cucurbitulas admouere iubent, ac lateribus defigunt, quibus tantum sanguinis eliciunt quantum vires ferunt, vt Paulus facit: vel acri clysteri aluū subluūt, melius in principio emollient: quibus si morbus non cedat, leuiorib. purgationibus

3

De vena sectione.

4

Cucurbitula

vtuntur, & ecligmatibus & decoct. ad exspuitionem, adhibitis topicis digerentibus & discutientibus, de quibus satis dictum est, tum de pleuritide, tum paulo ante. Sed aquositas illa, de qua prius mentio facta est, quæ non refertur ad legitimam pulmoniam, quę in pulmone vel thorace collecta est, iis remediis educenda quæ aquositatē educūt, vti est succus ireos ad ℥ ij. cum aqua mellis exhibitus. Si autem in pulmone bothor vel aliæ pustulæ paruæ vel apostemata generentur, vt alia apostemata & vti peripneumonia vel pleuritis sanguinea curatur: interea propter paucitatē materię & paruitatem eiusdem est facilis curationis & citæ terminationis: quanquam vt plurimum eiusmodi apostemata parua, vel tumores suppurētur: & ideo ipso erupto regendus erit æger diligenter cura vlceris, vt prius de pleuritide diximus in suppurationem versa: & acuratissime sunt repurganda, ne aucto vlcere ad malignitatem conuerso in tabem transeant: quod neq; mirum alicui videbitur, cū ex eiusmodi paruis tumoribus in abscessum transmutatis phthisis subinde orta sit; imo ex variolis pulmonem occupantibus tabidos quosdam factos vidimus. Et ideo magis ad honorem medici, tum ægri vtilitatem pertinet, tales morbos plus periculi posse adferre, neque eos parui facere, vt & ipse diligens ac prouidus, quo suis sinistros euentus pręmeditans, omnib. symptomatibus succurrere possit; ne id quod stolidis cōtingit, vbi mala subito irrepunt, dicant se hoc non putasse: est enim homo omnium animalium præstantissimus, quæ sunt infra concauum orbis lunæ, qui semel occumbens denuo non reuiuiscit, nisi in nouissimo die. Ideo omnibus modis operam dabit peritus & pius medicus, ne pleuritis aut pulmonia (de qua nunc agimus) in supperationem tendat; omnibusq; modis resolutioni operam dabit: si tamen suppuretur pulmo (cum facile in vomicam transeat) ilico iuuanda erit, vt cito rumpatur vel aperiatur, vt rupto abscessu citius repurgetur, ne in tabem transeat: quod etiam prius dictum est de pleuritide ad suppurationem tendente & in eam conuersa.

Quomodo aquositas in pulmone vel thorace concervata educenda.

Quomodo bothor in pulmone curetur.

Observatio XLVIII.

De empyemate seu suppuratione.

ADolescens Hornanus, nomine Ioannis Garbrandi insignitus, cum annum 23. ageret, vulnusq; illi anno 1551. 29. die Mensis Maii inflictum in parte pectoris anteriori, eoq; vulnere nō satis repurgato & nimium cito consolidato, puris collectio paulatim facta est in pectoris concauitate, vt aliquot mēsibus quotidie pus, ad extremam maciem redactus, exspueret. Circa 12. diem Septē. materia copiosa in vnum latus magis collapsa, dolorem & angustiam inferebat; duobus medicis tū chirurgo præsentib. falsa opinione deceptis, pleuritidem esse iudicātibus. Sed secta vena & fotu adhibito, tum aliis remediis nihil profecerunt, dolore magis augescente & anhelitus difficultate. quare pro deplorato ægrum habuere, quem & eucharistia & extrema inunctione muniendum esse duxerunt. Cumq; ob purulentiam etiam hectica febre consumeretur, & vigilię vrgerent, semper in lecto erectus manebat; alioqui præ nimia copia puris suffocari videbatur. Decimoquinto Decembris die ipse Hornam accitus, toto pectore nudato iuuenem inspicio; & animaduerti cicatricem ex vulnere inflicto, & vt locum mihi affectū monstraret rogo: & cum tangerem, repperi etiam foris tumorem (qui quatuor aut quinque digitorum crassitudine in eodem loco distabat a vulnere intempestiue curato) intra costas apparentem, vt simul etiam puris fluctuationem persentirem. quare hoc totum malum a vulnere ortum habere dicebam, nulloque modo pleuritidem esse: neque posse curari nisi locus ille tumidus inter costas statim scalpello aperiretur; alioqui pure non effluente, ægrum suffocatum iri, neque ęgrum per tres dies posse superuiuere. Prima vice neque æger neque astantes vel amici hoc genus operationis admittere volebant, medicis præsentibus nimium meticulosis id etiam primo dissuadentibus: sed rationibus explicatis, cum Paulus, Aetius, & ante illos tum Hippocrates, tum Galenus hoc suadeant, antequam pulmo corrodatur, nullum aliud quam hoc superesse remedium, tandem admisere, & idem mecum faciendum censebant. Facta tamen prius inter nos consultatione, num id vstione vel cauterio aut scalpello peragendum, cum prædicti auctores, & præcipue Arculanus, de his omnibus mentionem faciant, quāquam tutius & citius eorundem auctoritate, tum Auicennæ, posse fieri scalpello, oratione satis longa demonstrauerim: ita vt in hanc meam quoque sententiam irent, cum & Benedictus Veronensis *lib. 9. cap. 26.* idem probet. Tumorem itaque scalpello aperiri iussimus, pure per vices albo (quod bonum erat) effluente, ne vires deficerent; præscriptisque decoctis quæ pus intus repurgarent, reliquum curationis, vt tandem vulnus occluderetur, Chirurgo reliquimus; & ita his optimis præsidiis sanitati restitutus fuit: quanquam postea Chirurgus longo tempore, cum vulnus occludere non posset, tanquam in fistulam vlcus propter longam puris fluxionem & ob debilitatem partis mutatū est: nam per semi-annum & vltra pus ex vulnere fluxit antequam consolidaretur, cum diuersi chirurgi frustra consolidationem tentarent. Quare cum denuo me accederet, consului vt victu exsiccante vteretur, & decoctis etiam ad fistulam facientibus, ex agrimonia, pilosella, centaurio minore & capillaribus aliisque remediis aptis ad fistulam; de cuius curatione videas Arculanum & alios auctores: his probe conualuit; cuius quidem curatione haud exiguum adeptus fui honorem, cum ab omnibus pro deplorato haberetur. Deo habendā laus, qui suis gratiam impertit sanandi.

Scholia.

SImilem vero casum ponit Amatus cent. 1. curat. 61. de muliere nobili, empyemate laborante; pro cuius salute cum in consortio doctorū hominū esset, consultū fuit, vt inter tertiā & quartam costā sectio fieret: a qua mulier bene habuit. in qua Arculanum reprehendit, qui præcepit,

quod

quod inter quartam & quintam fieri debeat. Neque hoc nouum genus est curandi: cum Rondeletius cap. altero de purulentis, sub finem, de iuuene quodã a se liberato narret, qui per annum pus in thorace collectum post pleuritidem gestauit, & quasi absumtus erat; qui tamen vstus fuit, & per vuluus pus purgatum: Adhuc, inquiens, superest, & dicitur Salomon: sicuti & multi quorum nomen supprimo. Et hoc de suppuratis vnum theorema addens: Omne pus factum & in quacunq; parte collectum expurgandum esse. Quod per emissarium a natura institutum expurgãdum, siue trahendum & faciendum, vt in abscessib. partium, aperitione facta, vel ruptura, vel phlebotomo. Si sub craneo, trepano; in ventre, punctura. Si in thorace punctura vel vstione: punctura melior est, vel, vt nos fieri iussimus, scalpello. Quod si hæc pati quis noluerit, tanquam deploratus (vt idem ait) prognosticis relinquendus est. Ita & Æmilius quoque medicus insignis Alcmarianus, Alcmariæ ante me praxin exercens, quendam Nicolaum Dellium ex vomica in pectore laborantem & in thorace suppurationem habentem facta incisione curauit. Hanc formam curandi describit Gal. *comment. Aph. 27. lib. 6.* & eam fortuna inuentã esse aliqui putant: nam miles quidam cum de sua salute desperaret, ad bellum accessit, & ab hoste punctim læsus est in thorace: pus fluxit, & liberatus fuit. Ceterum *Purulentos* vocant Latini, quos Græci ἐμπύους, communiter eos, in quorum corpore vniuerso pus est conditum: proprie vero medici solent vocare eos, qui in thorace & pulmonibus pus habent; ex quo tabidi fiunt, nisi cito excernatur. Morbus qui a Græcis ἐμπύημα, a Latinis Suppuratio, seu Purulẽtia dicitur (& propterea qui hoc morbo laborãt, ἐμπυϊκοὶ καὶ ἔμπυοι Grece, Latine vero Suppurati & purulenti appellantur) non vno duntaxat modo in Hippocratis & Galeni doctrina intelligi debet: nam interdum significat omnem transmutationem, quę fit ad pus, in quacunque parte fiat; vt patet *Aphor. 8. 5. & 45. lib. 7. & 2. & 1 Prognosticon*: interdum vero solos eos, qui in thorace ac pulmone vniuersũ pus cõtentum habent (prius tamen prædictis partibus inflammatione affectis) *Purulentos* nominant: vt dicatur suppuratio hoc modo trãsmutatio seu alteratio prædictarum inflammationum ad pus, vt antea quoque dictum est; vti etiam liquet *Aphor. 8. lib. 5. & 2. Progn.* Tertio significat illam quæ proprie dicitur Suppuratio; non siquidem conuersionem inflammationis lateris seu pulmonis ad pus, sed collectionem seu effusionem puris in spatio, thoracis atque pulmonis intermedio post prædictæ suppurationis disruptionem. De ea igitur agemus, non de primo, sed de iis, quæ pus in spatio thoracis inter thoracem & pulmonem habent: etiam per transennam de altera, licet non proprie dicta, suppuratione, aliquo modo faciemus mentionem, quamuis de ea diximus scholio obser. 40. huius libri, cum de pleuritide loqueremur in suppurationem conuersa, quæ tamen non præcipue suppuratio aut purulentia proprie dici possit. At

Marginalia (left): 5 — 6 — *Quot modis dicatur suppuratio.* — 7 — *De qua suppuratione hic tractetur.*

in vere purulentis perpetuo thorax afficitur, præsertim secũdum eius cauitatem, hoc est, inter mediam regionem, quæ inter thoracem atq; pulmonem est: quapropter angustiam sentiunt laborantes loci illius, pure repleta intermedia ea regione: acciditque eis anhelitus difficultas ac tussis; & in imo thoracis grauitas quædam sentitur. Verum si nondum pus in idem spatium effusum sit, sed vniuersum constiterit in parte prius inflammatione affecta, pulmonem, aut subcingentem membranam affectam esse dignosces, ex præcedente peripneumonia, aut pleuritide, quæ haudquaquam adhibitis præsidiis discussæ fuerint. Præter hæc si in pulmone pus contineatur, & in vtraq; parte potius, quam in altera, dextra scilicet & sinistra, pus colligitur, in vtrisq; incidens, veluti quoddã onus persentiscit æger, & æque calidæ ambæ partes sentiuntur, neque ægrius, aut promtius in vno latere, quam in alio cubabit: si vero in altero latere tãtum fuerit suppuratio, in altera quoq; parte thoracis, dextra scilicet aut sinistra, potius quam in vtraque, pus collectum erit: neque in dextra parte exsistens, in sinistram; neque contrario in sinistra, transmeare in dextram potest. Ceterum pars affecta cognoscitur, quia calidior est, quam reliqua, & in eadem quoque duntaxat dolorem seu grauitatem sentiet æger: & in eo incolume latus cubante, veluti onus desuper aliquod illi pendere videtur, vt apud *Hippocratem atque Galenum legitur 2. Progn.* Suppuratio itaque præcipue dicta, quæ nihil aliud est, quã collectio puris inter thoracem & pulmonem, vt prius diximus, morbus est in numero, toto genere præter naturam, ac in excessu, *vt lib. De diff. morborum patet.* At ea suppuratio quæ transmutatio est, seu conuersio inflammationis lateris aut pulmonis ad pus, cum eodem tempore fiat abscessus dictarum partium, morbus possit dici in magnitudine, velut quoduis aliud genus abscessuum ex Gal. *sententia 14. Meth. med.* Vtraque tamen morborum genera in numero scilicet, & magnitudine, sub vno prædicamentorum genere continentur, vtpote sub Quantitate, velut patet *eodem lib. De diff. feb.* Sed vt harum prædictarum suppurationum dignotio clarior fiat, eas separatim distinguere oportet; & quod ad suppurationem attinet, quam abscessum nuncupauimus, de ea satis dictum est scholio obseru. 40. huius libri, cum signa huius suppurationis seu inflammationis, cum in abscessum vertitur, ibidem explicauimus, & principium collectionis & signa disruptionis eiusdem absessus. Si longiorem sermonem de iisdem desideres, lege Donatum cap. proprio de suppuratione, & præcipue Benedictum Fauentinum præceptorem meum *cap. 7. de suppur.* in sua magna Praxi & paragrapho de signis demonstratiuis, qui hanc rem longiore sermone pertractat. At rupto abscessu, ac effuso pure in thoracem, ac pulmonem, tunc signa suppurationis proprie dicta apparent; vehementes febres quiescunt, & magna ex parte dolor quoq;, licet indesinenter, vt prius quoq; dictum est, febricitent, habituali quadam febri: grauitatis

Marginalia (right): *Pars affecta.* — 8 — *Suppuratio prie dicta quid sit.* — *Quis affectus prater naturam.* — 9 — *Suppurationis proprie dicta signa.*

autem sensus remanet intus in profundo thoracis, simulq; transfluere aliquid apparet, iuxta multiplices reclinationis permutationes; & maxime cum ab vno latere in alterum decumbunt: tunc sane multitudo puris manifestatur, & fluctuationis cuiusdā sonitus sæpe sensibiliter auditur, prout legitur apud Galenum *lib. 4. De locis affect. & apud Aetium lib. 8. cap. 65.* totusque thorax iisdem attollitur: & si neque calidus sit ipsorum spiritus, neque exsufflando emittatur, nisi adurens fortasse febris accesserit, vt idem testatur Galenus, potissimum vbi magna quantitas puris collecta sit. Educitur quoque eisdem pus nunc purum, nunc fæculentum, vt inquit Paulus. Ex pulsu item poteris diuersa suppurationis tempora interstinguere (vt etiam a Donato citatur:) nam initio suppurationis statim suppurati pulsum habebant, qualem habere solent in vigore inflammationis; nam hoc tempore initium est suppurationis: erit itaq; pulsus durior quam antea, & vibratus magis; sed minor, quam dudum, non tamē languidior, quin etiam crebrior, ac celer: nonnunquam etiam erit inæqualis & inordinatus: verum omnibus erit hecticus; quoniam perpetuo est illa in motu arteriarū agitatio, donec fiat eruptio; licet cum pus prope maturum sit, æqualior sit pulsus; cum vero eruptio fiat, languidior, latior, tardior & rarior pulsus redditur, *vt lib. de pul. ad tyr. & 4. de caussis puls.* scriptum est. Hippocrates vero eodem 2. lib. Prognost. omnes purulentos dignosci his indiciis fatetur: nam principio febris non dimittet, sed interdiu tenuior, noctu vero vehementior est. Copia sudoris elicitur, ac tussiendi cupiditas adest; quamuis nec quicquam commentatione dignum exspuant. Oculi caui redduntur, genæ rubent, vngues curuantur, digiti vero, potissimum summi, calescunt, atq; in pedibus tumores exsistunt, procedente videlicet tempore; neque cibum appetunt, ac pustulæ circa corpus erumpunt: quorum omnium Galenus eodem loco caussam reddit, vt apud eundem ad longum videre poteris.

10

Quales sint suppuratorū pulsus.

OBSERVATIO XLIX.

De suppuratione ex catarrho prius orta, deinde in tabem lethalem conuersa.

1

CVm suppurationum diuersæ sint differentiæ, ideo & plures quoque caussas habet, vt Galenus 2. Prog. comment. 57. docuit: nam ex inflammatione in pus versa & demum disrupta, siue subcingentis, aut alterius thoracis membranæ, siue pulmonis, fieri potest, vt de pleuritide & peripneumonia in suppurationem conuersa diximus; veluti etiam ex iam dictis liquet; ac etiam Galenus, Paulus & Aetius ac alii auctores testantur. Sed & propter sanguinis eruptionem, vlcere ad cicatricem non perducto oriri poterit, vt idem Paulus asserit. Sed & ab externis caussis alterantibus, vt ictu, contusione, percussione, casu ab alto facto, vel ab obuiatione rei duræ, cum impetu & violentia membra thoracis lædente, fieri potest: & cum quæuis alia dolorem excitant, horum ratione humores toto corpore & potissimum a vicinis membris ad thoracis locum læsum confluunt, teste *Gal. 5. Aphor. comment. 53. & 3.* qui ob membri læsi debilitatem relinquuntur ab opere naturę membri, illicq; inflammationem gignunt in putridum versi: qua inflammatione disrupta a die ruptionis incipit pus sensim aceruari in medio spatio inter thoracem & pulmonem. Et hic modus est, quo suppuratio ab externa caussa gignitur, quæ in thorace & pulmone fatigat: sed ab ea non sumitur indicatio curandi, nisi firmet caussam præcedentem, cuius sunt actus & intentiones modorum curandi. Ex angina quoque (vt antea de angina diximus) cum ab ea ægri liberantur, & ad pulmonem vertitur, si non in septem diebus pereant, sed eos effugerint, suppuratio fit; quemadmodum *Aphor. 10. lib. 5.* ab Hippoc. & Galeno scriptum est. Sed hic meminisse oportet, quod ab angina & a peripneumonia suppuratio in vtrumque fere capacitatis latus influit; a pleuritide in alterutrum duntaxat, in id quippe quod dolore vexatum est. Quandoque etiam per consensum a pulmone dirupta vena (vt sæpe in praxi vidimus,) exspuitur enim sanguis primo, & inde pus, iuxta *Aphor. 15. lib. 7.* a sanguinis sputo, puris sputum; indeque suppuratio fit. Quæcunq; vero prędictarum caussarum suppurationem excitauerit, haud ægre dignosci poterit ex propriis eorundem affectuum signis: vt si pleuritis, aut peripneumonia, aut sanguinis eruptio, aut vulnera, offensiones, seu angina præcesserint. Ex confluxu etiam e capite ad thoracem manante (vt Paulus asserit) ortum ducit quandoque suppuratio; seu (vt inquit Aetius) ex seroso aut pituitoso humore, ex reliquo corpore in vacuum thoracis delapso isticque putrefacto: id quod confirmari videtur ab Hippocrate simul atque Galeno *Apho. 38. lib. 7.* cum dixit Hippocrates: Destillationes in ventrem superiorem suppurantur intra viginti dies: & *lib. 1.* De morbo ab eodem Hippocrate, dum asseruit, suppuratos interdum fieri, cum pituita de capite copiosa & aceruatim in superiorem ventrem fluxerit, quæ ibi putrescit & in pus vertitur: nec minus huius caussæ notitiam habebis, si præcedentem destillationem considerabis, ac eiusdem signa pernotabis. De delapsu pituitosi prępertim & serosi humoris, multi dubitant, cum pus generetur ab inflammatione ex effusione aut collectione puris in thoracem & pulmonem; aut vbi contusa caro fuerit, aut ex humore, qui phlegmonem produxit (*vt 5. de simp. med facult. & 1. de diff. feb.* de generatione puris per inflammationes & phymatoses) tumores omnes superante quidem natura, quemadmodum in humoribus intra vasa putrescentibus, id quod subsidet in vrina, proportione puri correspondet: respondent similes puri reddi, & non in pus verti. Vel erit non immediata, sed mediata caussa suppurationis, destillatio. Sic nouimus mulierem & vxorem cuiusdam ceruisiarii, ex catarrho subito in pectus collapso ibique putrefacto tandem (cum statim non adhiberet apta remedia) ad suppurationem deuenisse, & per aliquot annos quotidie magnam copiam puris

2

3

4

puris in concauo pectoris diu morantis tussiendo expulisse, & tunc varios medicos consuluisse, nihilque confecisse, donec per octo annos pus continuo extussiret, pulmone quoque corrupto & exulcerato; vt ita miseram vitam trahens ex tabe obierit. Hanc autem suppurationem ex catarrho cap. proprio De caussis suppurationis præceptor meus Benedictus Fauentinus fieri dicebat per cõsensum, magis autem senibus asthmaticis tussi & destillationibus obnoxiis, cerebri vitio etiam consentiente.

SCHOLIA.

5 QVidam vero fieri suppuratos volunt, si pituita ex capite destillat ad pulmonem, ex qua temporis progressu exasperatur pulmo, & intus exulceratur a pituita inhærente, ac putrescente, vt visum fuit Hippocrati *lib. De morb. 1.* quos tamen aliqui potius tabidos vocari volunt, quam suppuratos. Ceterum in suppuratis diligenter signa prognostica sunt examinanda, cum aliqui ex suppuratione vel paulatim vel subito pereant ac suffocentur. & quod plurimum suppurati pereunt, & nonnulli eorum supersunt: Potissimum vero hi supersunt (*vt inquit Hippocrates secundo Prognosticorum*) quos febri eodem die dimiserit post eruptionem, ac cibum citius appetunt, & siti liberati sunt, & venter exigua ac consistentia deiicit, & pus album lene, concolorque est, ac vacans pituita, & absque labore ac valida tussi expurgatur: tale enim pus, quoniam optimum est, futuram suppurati indicat valetudinem, & quod valida tussi pus exspuunt, id indicat thoracis facultatem expultricem supra morbum & caussam validam fore, & materiam eidem obedientem, & vias ad propulsionem patentes & paratas; & ij quoque

Signa prognostica.

6 supersunt, quorum spiratio & reliqua accidentia mitigantur. At horum quibus alia adueniunt, alia non, ij partim in multo tempore incolumes euadunt: verum ex iis indiciis omnibus, quæ in iis exsistunt, de ceteris quoque vniuersis coniecturandum: nam qui prioribus indiciis omnibus tentatur, proculdubio celerrime liberatur. Ita optime quidam sic ac celerrime vindicantur, quibus ad hæc proxime accedunt: moriuntur vero ij, quos febris non deserit, aut cum videatur delerere, denuo recalescens, innotescit, & sitiunt, nec cibum appetunt. Aluus humida est, pus viride liuidumque spuunt, vel pituitosum spumosumque: pereunt ergo si hæc adsint. Quod autem pus nigrum ac viride 2. prædict. tex. 63 malum sit, eo quod natiui caloris exstinctionem, & offensæ partis corporis mortificationem significet. Seniores quoque suppurati ob facultatem expultricem debilem non restituuntur. De iis vero suppuratis, ac purulentis, qui ex pulmonia fiunt, eodem 2. Prognost. Hippocrates sic scriptum reliquit: Quod si maiores natu fuerint, potius intereunt: per alias vero suppurationes, minores natu potius moriuntur. Etenim (vt inquit Galenus in commento, & citatur a Donato) purulenti ex pulmonia, quia propter exscreationem sanari debent, viribus propterea egent validioribus; & ob id potius minores natu, quam maiores seruantur. In ceteris vero suppurationibus iu-

7 niores natu antea moriuntur, propter vehementiores dolores ac febres. quæ magis dum suppurationes fiunt, illis accidunt: quo fit, vt propter magnitudinem febrium, ac doloris, morte præoccupentur. De iis vero qui ex morbo laterali suppurantur, talem protulit sententiam Hippocrates, vt prius quoque dictum est, *Aph. 15. lib. 5.* Quod si in quadraginta diebus purgantur, a qua fit eruptio, liberantur; si vero non, ad tabem transeunt. Conuersa autem inflammatione lateris aut pulmonis in suppurationem, rumpitur nonnunquam sursum versus, quando etiam periculosior est, Aetio & Paulo testibus: aliquando vero deorsum, vti antea quoque diximus: si sursum, & non quam citissime pus per sputum reiiciatur, tabidi fiunt, Aetio teste; & Paulus id idem confirmat, nisi eisdem summa adhibeatur diligentia, protinus purulenta illa collectio tabem accersit, pulmone exulcerationem contrahente. Quæ vero suppurationes inferius tendunt, rumpuntur, non adeo periculosæ exsistunt; cum in aluum & intestina (vt antea quoque diximus) aut in vesicam transfundantur per vasa quædam, transmissione ad ea membra facta, *vt disertissime Galen. 6. De locis affect. & comment. Aphoris. 30. libr. 7. do-*

8 *cuit.* At suppurati, quibus propter magnam puris copiam inter thoracem & pulmonem collectam totus thorax in respiratione attollitur, celerrime suffocantur ex Galeni testimonio. 4. *De locis affect.* Tum ob affectum ipsum, vt ipse refert, tum quod vires omnib. suppuratis defessæ (siquidem propter pugnam ex necessitate) imbecilliores redduntur. Quod ad curationem attinet, quomodo illi curentur, quibus suppuratio incipit, diximus prius scholio obser. 41. huius libri, & quomodo puris confectio seu concoctio sit iuuanda, & ita fomentis per spongias natura, ex Paulo, adiuuanda, nempe hydrelæo; etiam farina triticea pura aut pane puro modice cocto cum hydreleo, adeps suillus, vitulinus, gallinaceus, seu anserum cum maluæ seu althææ radice permistus: vel cataplasma ex caricis decoctis in retardantibus suppurationibus, hordeacea farina, althææ radice, columbino stercore, & modica resina therebinthina, ex Paulo & Aetio: & cerata ex butyro, ruta, iride, baccis lauri, & Aetius iubet, adiectis radice maluæ, althææ, & adipe, prædicta farina hordeacea, triticea, oleo communi, amygd. dulc. chamæmel. & cera adiecta. Formulas horum & cataplasmatum & emplastrorum vide apud Rondel. *cap altero De purulentis*, & alia quæ intus dantur hoc tempore & decocta & eclegmata. Quæ au-

Quæ puris generationi opitulentur.

9 tem pure genito competant, *eodem scholio obs. 41.* diximus, quibus modis fiat ruptio: eo tempore danda mulsæ sorbitio, interposito tempore & ptisanæ cremore vtendum cum melle, & in valentioribus, ex Paulo, decocto hyssopi, & thymi cum melle: commendat & salsorum esum, & pilulas de hiera ex colocyntide, a quibus tamen abstinere censeo: potius darem syr. ex hyssopo. mar-

Quæ competant puri genito.

rubio, idque crebrius. Conducit quoque non parum ad abscessus rupturam, super sanum latus decubitus. Pluribus cibis & salsis ac pinguibus & vino austero vtendum, & tussis inducenda ex Hippoc. *lib. De locis in homine*, & exscreationem facere oportet. Extra, iuxta etiam confert cataplasma ex solo stercore caprino præsertim vbi ruptura tardauerit. Verum rupto abscessu adiuuare oportet puris excretionem, quocunque repere cognoscatur, ex decreto eiusdem Aetii: si ad aluum, magis emollietia danda; si ad vesicam, ea quæ vrinam ciunt: si per tussim puris repurgatio fiat, vt loco citato antea diximus. Valet ptisana cũ melle mixta, & iuxta Paulum hyssopi, iridis aut dulcis rad. decoctum in mulsa diluta, & Aetius quoque sentit, & radicis dulcis succus commanducatus. Aetius ea quę vrinam ciunt, cibis commode mista laudat: contra Galenus nimis acria medicamenta vrinam cientia, aduersa scribit puris ex thorace exspuitioni, *lib. 5. de simpl. medic.* sed intelligendum quæ minus calida, & acria sunt, etiam in cibis administrata, nempe humidis, iuxta Aetium prodesse, & cum potionibus & sorbitiunculis. At vbi diuturnior affectus & vires imbecillæ, & calor febrilis moderatior euaserit, neque thorax multum puris contineat, iuxta Alexandrum lac dandum, asininum præcipue, vbi sordidum, ac fœdi odoris pus expurgatione indigens exsistat; post ipsum, equinum; & tertio loco bubulum & caprillum, calculis fluuiatilibus candentibus iniectis coctum. Sed de his plura, cum de vlcere pulmonis ac phthisi agemus. Reliquam victus rationem quæ suppuratis conuenit, apud Paulum & Aetium inuenies, & pręcipue apud eundem Alexandrum Trallianum, qui copiose de hac rescripsit.

Quæ competant medicamenta suppurationi propriè dictæ.

10

OBSERVATIO L.

De suppuratione a sanguinis sputo.

1

DIctum est prius ex Aph. 15. lib. 7. ex sanguinis sputo puris sputum malum. Dicit Galenus in commento, neque omne sputum sanguinis sequens habet sputum purulentum: sed quod malignum exsistit. Tale autem omnino est ex pulmone: tales vix euadunt, cum omnes, vt sæpe in praxi vidimus, ad tabem perueniant & moriantur. Et quanquam Galenus dicat ex pulmone id fieri, nõ negat tamen ex vena thoracis perrupta vel erosa posse euenire, & intus erosa vena vel perrupta, sputo sanguinis postea succedat empyema vel suppuratio, pure in concauitate pectoris coacernato. Nouimus enim quendam annorum circiter 35. ex sputo sanguinis, ex vena pectoris exesa, in tantam suppurationem deuenisse, vt subinde, integram peluim puris fœdi odoris, ac sordidi exspueret: qui tamen nostra industria euasit, præter omnium hominum opinionem, qui eundem salutandi caussa inuisebant. Iubebam vt aerem siccum in calido & frigido temperatum inhabitaret, vel paulo ad calidum vergentem, quem & in quiete diligenter custodiui: cui & imperaui ne motum aut exercitium iniret, sed potius somno temperato vteretur, ac singulis diebus excrementa excerneret natura, vel arte, si per aliquot dies dura maneret, clystere præsertim leni: namque exonerata natura ab eiusmodi excrementis, promptius suppurationi vacat, expurgando. Deinde vt immodicas animi affectiones vitaret, consului; præsertim vero metum & tristitiam. Pro nutritione, cum debilis esset, ptisanæ succum dedi, & mulsam, non vniuersim sed paulatim, & totam ptisanam & cremorem cum iure gallinarum seu pullorum gallinaceorum, phasianorum, aut perdicum, & columbarum, vt vlcus magis detergerent, ventrem humidiorem efficerent, modo thymo, hyssopo aut fœniculo adiecto, brassica subinde aut asparago: & vt carnes eorundem animalium ederet, concessi. Potus erat aqua hordei vel mulsa: aliquando vinum (licet febri habituali laboraret, sed non valida) ad dulcedinem declinans, lymphatum cum aqua hordei, vel admixto zaccharo candi, si dulce non adesset. Iridis radicem, hyssopum cum melle decocta & ficubus, adiecto syr. capill. ven. hyssopi, e marrubio ad magis abstergendum dedi. Nam ad pus fœdi odoris & si sordidum exspuitur, fœnugræci cremorem cum palmulis pinguibus decoctum Aetius propinat, & horum inopia ficus siccas modicas i[illegible]oquebat. Lac asininum etiam vt daretur consului, quod & sordidum ac fœdi odoris pus (vt ex Tralliano antea diximus) egregie expurgat: sed cum deesset, eius loco caprillum dedimus, cum febrilis calor moderatior esset. Atque his & similibus præsidiis curatus fuit.

2

SCHOLIA.

HIc tantum copiam puris (ita vt in aliis suppuratis sæpe vidimus) sæpe extussiebat, vt singulis fere dieb. dimidiam peluim impleret. Imo multos vidi tantum puris eiecisse, vt tota peluis ad puris exspuitionem vix sufficeret. Quod minus quis mirabitur si locum Galeni *5. de locis affectis, de suppuratis aduersus Erasistratum* perlegerit, cum velut non paucos perire, ita & alios complures seruari viderit Galenus: quorum si quis per singulos dies reiecti puris quantitatem collegerit, interdum sex aut octo heminas, interdum quindecim, atque interdum plures totam summam æquare inueniet. At suppuratorum per exspuitiones purgationem eodem loco Galenus explicat: namq; exspirationis tẽpore, inquit, vniuerso thorace vehementer constricto per validã tussim (sine qua fieri nequit,) pus quod inter ipsum, & pulmonem continetur, comprimendo cogit, atque pulmonem ipsum impellit, cõcedente pulmonis membrana, eiusdem puris, ac similiter cuiusuis alterius excrementi penetrationem. etenim thorax vehementer admodum hoc tempore pulmonem omni ex parte comprimit; & demũ cum & maiores sint in earum extremitate asperæ arteriæ partes, quam venæ, & arteriæ leues, ac multo ampliora habeant ora, nec ita concidant, neq; omnifariã concludantur, propterea quod cartilagineæ sint, in asperas ipsius pulmonis arterias recipitur, & nõ in leues, ac venas, & deinceps exspuitur. Hæc satis de curatione suppuratorum: plura de his videapud

3 *Cur tanta copia puris in suppuratis reiiciatur.*

4

de apud Benedictum Veronensem *lib 9. cap. 22. & 23. De remediis quibus veteres medici ad purulenta vsi sunt, sic & cap. 25.* addit curationem quæ manu fieri solet. Inter costas, inquit, scalpello infixo vomica subito aperitur (vt nos fecimus obser. 48. huius libri) idque a medicis laudatur plurimis. Hippocrates inuri docuit, tuto experimento: sed cauendum est, inquit, ne plurimum puris subito effluat, ne anima deficiat; atq; id remedium tempestiuum esse debet, antequam pus pulmonem erodat: sed si latus sinistrum feriendum est, cordis vicinitas cauenda. Si in vtroq; latere vomica fuerit, vtrumq; latus, non tamen eodem die, perforamus: ab eo tamen incipiendum est, quod magis tumet. Idem in pectore medio fieri quidam iubent, & deinde quæ ambustis prosunt, imponenda sunt. Demto pure, vomica eluenda est mulso aut hydromelite, donec perpurgetur. Hæc ab Arculano mutuatus est.

Observatio LI.

De suppuratione seu vomica totius pulmonis.

1 PVlmonem exulcerari nouum non est, sed totam eius substantiam in pus conuerti, & nihil aliud quam pus esse, & sola membrana succingente pulmonem contineri, vt in cauitatem ea minime rupta defluxerit, id rarum esse existimo. Id equidem euenit Domino de Abbenbrouck œconomo tunc exsistenti Regis Hispaniæ ac Angliæ, qui cum longo tempore catarrho acri in pulmonem collapso, tabe consumtus in domo Regia in Haga Comitis decubuisset, variis afflictus symptomatibus, potissimum arthritidis & gonagra, renum calculo, & pulmonis vomica: varia sunt præscripta remedia per duos medicos Haganos: atque iis nihil proficientibus, dum & hectica febre consumeretur, ego tunc Alcmariæ habitans, ad eundem accitus, primo Ianuarii die, anno 1555. perueni. Tunc nihil nisi ossa pelle circumducta restabant: cum nulla medicamenta iuuarent, dudum facto prognostico quod moreretur, vltra mensem apud eum hæsi. Cum alium medicum ablegasset, & alter ipse morbo detentus illum non amplius inuiseret, solus in curatione permansi. Sed paulo ante eius mortem lotium ad quendam medicum transmissum, cum ex hepatis debilitate potius quam abscessu per vnum aut alterum diem sanguinem per aluum reddidisset, quod cum medicus intellexerat; quare iudicabat apostema in hepate latere: ita vt Domina de Abbenbrouck filia Dominæ de Bergen; me tum alios medicos, qui paulo ante me ægrum tractassent, ignauiæ accusauerit, quod apostema illud in hepate minus agnouissemus. 2 Ego vero inquiebam (cum alii non amplius ægrum accederent) Id autem post mortui incisionem minime reperietur, sed tantum malum esse in pulmone, & calculos aliquot nos inuenturos renibus ipsis infarctos: quod & postea incisio demonstrauit. Nam 10. Februarii die mortuus est, agens 38. annum: & cum Domina de Bergen, & vxor Domini de Abbenbrouck filia eiusdem Dominæ de Bergen, mihi cum chirurgo iniunxissent, vt cadauer prius incisum a nobis balsamo (vt moris est) condiretur; corpore dissecto inuenimus pulmonem nihil aliud quam vomicam esse, & renes calculo infarctos: hepar quidem integrum esse, sed flaccidum, nullo abscessu corruptum, ita vt forte ante mortem organum sanguinis ex debilitate sanguinem retinere non potuerit: pulmo enim plane suppuratus & putrefactus, membrana integra exsistente, maculis tamen plumbeis & cæruleis interstincta: quam ipsemet digitis cum attingerem, perrupta membrana tanquam vomica magna, pus instar olei amurcæ erumpebat valde fœtidum & corruptum; adeo vt totus pulmo nihil aliud quam purulentia esset: quæ & mortis caussa censenda erat.

Scholia.

3 *Lib. 5. cap. 1.* HÆc vomica totum pulmonem occupabat: sed vomica illa pulmonis, quem abscessum exiguum pulmonis vocat Fernelius, ab hac plurimum distabat: nam Fernelius ita appellat puris in pulmonis parte aliqua collectionem, quod membranula propriaque cysti arcte adeo concluditur, vix vt quicquam de se tetrum in cor exspiret. Hæc frequens est in tabidis; sed & plerumque sine tabe fit, quum sanguis ex aperta, rupta, aut exesa vena, in paruam quandam pulmonis regionem secedens, illic putrescit, sensimq; mutatur in pus, ac per summa siccescens, sibi cystim efformat. Latens profecto & inprimis abditum vitium, sæpe nec laboranti nec medico notum, quo laborans ipse nec consueta munia intermittit, nec se morbo teneri putat, caussamq; interitus sui nesciens intus gerit sub pectore. Adolescens quidam a paulo vehementiore exercitatione, quum acerba tussi, nullo puncto temporis intermisso torqueretur, vomicam integrã columbini oui magnitudine exscreauit: in qua aperta pus exquisite album & æquale deprehensum est: cruenta exscreatio integrum biduum perstitit, magna febre magnaque corporis perturbatione. At nihilominus seruatus is est, atque sanitati restitutus. *Historia Fernelii de vomica pulmonis.* 4 Non pauci inopinato e viuis horæ quadam ante erepti sunt, in quibus dissectis non alia mortis caussa comparuit, quam repentina vomicæ disruptio in pulmonibus, e qua pus in cordis arcem penetrauerat, ipsius vim exstinguens atque obruens. Quanquam ex his duo (inquit Fernelius) medici essent percelebres, attamen nec febre, nec inappetẽtia, nec alio vllo symptomate, impẽdentem sibi diem vitæ supremum præsenserunt. Id mihi quidem persæpe eius loci memoriã refricauit, quo inquit Hippocrates, quibus suppuratio in corpore abdita non innotescit, ea propter crassitudinem, vel puris vel loci delitescit. Etenim haud raro efficit obuoluẽs membranæ densitas, vt nihil tetrum a pure in cor, vitæ fontẽ, inspiretur. Omnib. tñ sic affectis multo tempore, antequam vomica rumperetur, cruenta exscreatio processit e pulmonibus, eaq; cũ tussi: adfuitq; spiritus grauis ac fœtid⁹, corporis grauitas, pectoris leuis oppressio, & spirit⁹ difficultas; quib. tabes raro comes

Sed hæc quidem signa aliorum quoq; affectuum communia sunt. Hactenus Fernelius. Sed vomica, de qua nos nunc loquimur, non erat in aliqua regione pulmonis, sed in ipso toto pulmone; quæ etiam ad suppurationem pulmonis referri potest: dicitur enim Vomica ab Alexandro Benedicto Veronensi a vomendo, cum virulentum quid vomat: & sub empyemate quoq; cōtinetur, vti aliæ omnes abditæ collectiones in aliorum viscerum partibus, pectore, iecore, liene, ac vulua, vt tradit Æginata; quamuis proprie (vt ante dictum est) suppuratio collectionem in pectore notat. Differebat igitur a vomica ipsius Ferneli duplici modo, cum neq; cystim haberet, neque tam exigua esset, neq; sine tabe: imo hic phthisicus erat, non sine vlcere ipsius pulmonis, cum etiam pus cum pituita quotidie exscrearet, quod quidem vlcus suppurationem totius pulmonis induxit, manente intra pelliculam ipsius pulmonis pure: sed dissecto corpore, pellicula perrupta nil nisi pus effluxit olidum, vt quis in loco, in quo sectio fiebat, vix permanere potuerit. Atq; hæc caussa mortis fuit.

6 *Sicut nec vlcus pulmonis, ita neq; eiusdem suppuratio perfecte curari potest.*

Siue igitur velitis vlcus appellare in pulmone purulentum, vel suppurationem pulmonis, mihi perinde est. Et quāuis in principio, dum nondum quis febri in habitu laboret, qui purulētum vlcus habet, neque sensibilis sit extenuatio, aliquando Galenus tentauerit curationem, tamen non semper perfecit. Est enim difficillima, nec de glutinatione spes est, vt aliqui somniant, qui ægrum eo curatione, quam imaginantur, deducunt, vt vlcus purgetur, & glutinetur, quasi id fieri possit sine tussi, & tussis non dilaceraret partes pulmonis, vt dixit Galenus. Si tamen siccemus id, vnde & putredinem sistamus, tunc facile pseruabimus corpus illud, ne interius labatur. Callosum ergo & siccum quo ad labra vlcus fiet, & velut sicca quædam labra habens, vnde neque sanguis profluet, neque sanies, nisi recrudescat accidente aliquo. Quod si eius prouidentia semper habeatur, poterit sic diu perdurare; perfecte sanari est impossibile: quāuis enim vlcus semper aliquid tenuis saniei transmittat, vt vetusta, & callosa vlcera facere videmus; id tamen exiguum est, neq; tale, vt febrem accendat: & quidem vidi sæpe diu sine febre perdurasse. Tales autem priusquam magna accederet putredo & febris, imo cum vlcus purulentum sit, seu eius sit suspicio, Galenus ad Tabias mittebat omnes, cum a mari non longe absit hic mons, & modice edit⁹ sit, nec ventis nimis sit expositus, & humidis nebulis irroretur, nec e paludibus fluuiisq; proximis id accipere possit: ideo Galenus aerem eligebat siccissimum, quod maximum auxilium adferre putabat, cuiusmodi describit eum, qui ad Tabias erat: nam hic collis Tabiarum etiam hoc commodum habebat (vti & Massetanus collis qui Pisas Lucamque interiacet, & Florentiæ Vesulanus mons) quod consitus esset fruticibus & herbis siccis & odoratis, quæ ad sananda vlcera multam vim habent. Secundum remedium erat lac, vlcus abluens & detergens, ad siccandum prævalidum, ex herbis depastis, quæ sunt rubi, arbuti, lentisci, myrti, abrotani, cysti, hederæ, cytisi; quibus nullæ sunt, quæ æque siccent, & partem adstringant & roborent: ideo ad eiusmodi lac sunt mittendi. Et hoc primum quoque remedium est, quo vtitur Rhases. Galenus præfert asininum, mox caprinū, cuius vsum exposuimus, *4. lib obser. nostrarum De feb. hecticis*: facile nutrit, eo quod natura familiares succos celeriter vincat & trahat, & ob id illo ad extenuatos commode vtimur: & ideo veteres mulierem lactātem his, qui tabe consumerentur, astare voluerunt. Tertium remedium erant medicamenta vehementer siccantia, vt Theriaca, mithridatium; & laudant quidam zaccharum rosæ purpureis confectum rosis: Vetus enim illud siccat, extergit, astringit, & non est calidum: vnde potest aliis dictis admisceri ad contemperandum. Hic tamen multum obfuit has curationes miscere: neque enim omnia in omnibus laudantur; sed & multa prioribus nocerent, quę subsequentes iuuabunt: de quib⁹ etiam diximus de feb. hectica. sunt enim quibus febris iam adest, & extenuatio, sed non confirmata, id est, perfecta, quæ solida inuaserit. Hic enim non modo vlceri attendere oportet, sed & febri hecticę & extenuationi: quamobrem lactis vsus exquisitissimus hic esse debet, de quo satis superq; diximus *4. lib. obser. nostrarum De febrib. hectic.* Sed & lactis vsus abunde est expositus 7. methodi & loco iam citato. Verum cum vlcus pulmonis tabem inducat seu phthisim, atque ea ipsa sit vlcerosa dispositio in pulmone exsistens, de ea nunc exempla quædam adducamus, quæ ad maiorem huius affectus explicationem, tum etiam curationem, plurimum iuuabunt.

Observatio LII.

De vlcere pulmonis & phthisi, ex sanguinis sputo prius male curato.

SCRIBIT Rondeletius magna ex parte phthisim (quæ fit a sanguinis sputo, cum sanguis remanet intra pulmones, & illic putrefactus acquirit acrimoniam, qua erodit substantiam pulmonis, vnde & vlcus eiusdem) euenire ob medicorū imperitiam sanguinis sputū curantium, qui nulla facta diuersione, vel per sanguinis missionem, vel per ligaturas aut cucurbitulas, aut alio modo, statim dant potiones adstringentes, quæ sanguinem defluxum ibi retinent; cum deberent potius aquam mulsam, aut poscam dare, & postea quæ constringant. Quod istis diebus euenit cuidam mulieri, quæ cum ita perperam per empiricum curaretur, in phthisim postea incidit, adeo vt nullo modo curari potuerit, cum tardius ad eandem ingressi essemus. Ideo quoties timemus phthisin a sputo sanguinis, debemus ea vsurpare (vt antea quoque de sputo sanguinis docuimus) post sanguinis detractionem & diuersiones, quæ venam consolidant, vel sanguinem supprimunt, cum facultate dissoluendi sanguinem coagulatum; vel quæ per sputum pulmones expurgant, vel contraria commiscentes, tale medicamen conficientes, quod vtrumque possit tum abstergere, tum venam consolidare:

solidare: cuius exempla antea posuimus, cum de sputo sanguinis egimus. Habes alias formulas huic rei accommodatas apud Rondeletium *ca 12.* De vlcere pulmonis & phthisi: vbi etiam ad vlcus pulmonis curandum tum phthisin egregia habes medicamenta.

SCHOLIA.

3 De nomine.

QVamuis Cornelius Celsus (*vt ostẽdimus scholio obseru. 97. De crurum atrophia libr. 10.*) tabem in tres species distinxerit, in atrophiam, cachexiam & phthisin; nos hic de tertia specie longe omnium periculosissima loquemur, quam Graeci (vt idem Celsus inquit) φθίσιν nominauerunt; quemadmodum Hippocrat. nonnullis in locis, praesertim *Aphor. 16. 7. libri*; licet hanc etiam Graeci, potissimum Athenienses, (vt Galenus in commento refert) φθολῶ appellant; φθύσιν quidam scribentes, per υ, a πτύζω, quod est spuo, deducunt: alii melius (vt Iacchinus censebat) per ι deducunt a φθίω, quod est absumo & corrumpo, quod vniuersus corporis habitus in his corrumpatur. Latini Tabem dixere, & Tabescentes & Tabidos. Quae autem melior etymologia sit, patet. Non enim solum phthisis ad sputa cruenta & purulenta sequitur, sed ad alias caussas, vt febres ardentes, & siccitates quarundam partium, quae multam vim altricem tribuũt vniuerso corpori. significat igitur id nomen, morbum in magnitudine, & ab obeso distinguitur.

4

Adest vero vna & alius affectus, nempe corporis siccitas; & erit similarium sicca intemperies; atque his affectibus phthisis describitur: Est enim siccitas corporis. Sed pressius tum sumi videtur a scriptoribus, vt solum dicatur de ea siccitate, quae vlcus pulmonis consequitur: alias vero Marasmos solos appellauit; vt marasmus genus sit, haec vero species quaedam, licet nomina id significent. Possumus & definire tabem vniuersim, *vt Galen. facit.* quod sit animantis vel etiam viuentis interitus ex siccitate, *lib. de Tabe.* Tale enim quid his contingit, qui sic laborant, quale per naturam seni contingit: quae etiam arefactio, ineuitabilis est, *vt Gale. docet 1. De sanitate tuenda.* Solidae enim partes arescunt; quarum humiditas propria restitui nequit. Est haec siccitas modo sola & simplex tabes, cum actiuae qualitates mediocriter se habent, modo cum alteri qualitati iungitur, idque bifariam: si calori, tunc torrida tabes appellatur; si frigori, ex morbo senium, quoniam sic afficiuntur, vt senes refrigerati, secundum partes omnes, & siccati.

5

Dicitur autem iuxta Iacchinum, secundum partes omnes: nec enim tabes de vna parte dicitur, sed totius est morbus: vnde necesse est, necessario principem partem, scilicet cor, affici. Neq; enim potest vniuersalis aliqua intemperies euenire vniuerso corpori, nisi cor afficiatur, vt saepe ait Galenus. Potest tamen hic morbus primo a corde ipso oriri; vel ab aliis partibus, quae cor in consensum trahunt, ob vicinitatem, vel multam colligantiam, quae partes a Galeno numerantur 10. meth. & 7. vti iecur, mox & venter, tum hoc, tum vicinitate. Iecur autem citius siccatum in consensum, trahit alimenti ratione: reliquae partes, vt septum, renes, vicinitate vel colligantia similiter. A pulmone hoc modo tabes fieri non solet, inquit Gale. quod humida pars sit, nec facile ariditatem sentiat: quamuis id prorsus non neget, cum & vlcus patiatur pulmo; & eius ratione potest facere, quod cordi calorem impartit, & tempore hecticam febrem facit. Ex istis iam dictis habemus morbi naturam, & caussas: nam siccatio haec totius habitus, modo solum affectum cordis sequitur, vt in febre hectica; modo ab aliis partibus siccitas cordi communicatur, vt in sicca ventris & iocinoris intemperie.

6

Febris vero illa hectica alias insequitur vlcus pulmonis, *vt Hippocrates inquit,* A sanguinis sputo, puris sputũ; a puris sputo tabes. Sed num ex aliis quoq; vlceribus pectoris? Profecto ex fistulis pectoris diuturnis non sanatis id fieri vidit & Iacchinus. Sic & nos vidimus in milite in nosocomio Delfensi vulnerato in pulmone saepe per fistulam in pectore multis annis pus regurgitasse, & ad extremam maciẽ deuenisse, & postea in tabem & mortem. Tum alium vulneratum in pulmone (*de quo mentionem fecimus lib. 2. obs. De feb. scholio obs. 37. de febre typhode*) etiam spectauimus, qui deinde vlceratus obiit. Post eius obitum facta sectione, caussam mortis inuenimus mediam partẽ pulmonis consumtam a pure. Et in altero vulnerato in eodem nosocomio qui vltra annum cum dimidio ibidem decubuisset, etiam facta sectione post eius mortem, totam substantiam pulmonis (siue παρέγχυμα) in pus cõuersam & paulatim excretam, membranis pulmonem succingentibus in globum solum relictis, cor denudatum, sine pulmone, (dictu mirum) spectabatur.

7

Quod paulatim ita per vulnus in pectore pus euomere vidimus, non solum ex fistulis pectoris eiusque vlceribus non sanatis & diuturnis; id quoque saepe spectauimus ex fistulis aliarum partium, superueniente his hectica febre, quae viscus ipsum exsiccat. Et 5. Aphor. 15. non alia ratione Hippocrates videtur dicere, quod ex empyemate post quadraginta dies tabes succedat: nisi quia pectus exulceratum est; & cum sordidum & insanabile sit vlcus: quamuis Galenus dicat in eo casu pulmonem quoque exulcerari ex putrescente pure: cum vero multis modis tabes cõtingat (vt longiore sermone diximus lib. 4. obser. nostrarum de febribus hecticis) non de omni, sed de phthisi solum loquimur, id est de ea, quae ad purulenta e pulmone sputa succedit, vel etiam quacunque parte pectoris: Non obstante quod φθίσις seu tabes non vno modo iuxta Galenum dicatur, quum & tabidos nominat omnes, quomodocunq; extrema macie cõfectos, & illos, quibus pulmo vlceratus est, & eos, q̃ prompti ac proni seu apti sunt ad hunc morbum; velut videre licet *comment. 10. & 13. 3. lib. & 8. 4. ac 1. De morbis vulgaribus & sexcentis aliis in locis.*

8

Nos vero per tabidos audiri volumus, nõ eos, qui extreme emaciati sunt quomodocunq;; nec eos, qui parati sunt ad hunc morbum, vtpote angusto & restricto thorace existentes, vt a tergo in morem

alarum promineant operta scoptula, quos proprie Græci πτερυγώδεις, quasi alatos vocant, & quibus a capite ad pulmonem fluxio defertur: (namque hi quoque facile tabescunt, cum caput facile impleatur, spiritusq; organis multas destillationes demittat, *Galeno teste eodem lib. de morb. vulg.*) Verum nos eos duntaxat, quibus pulmo exulceratus est, Tabidos; veluti per tabem intelligi volumus vlcerosam dispositionem in pulmone exsistentem, quam idem Galenus describens commen. præcitati Aphor. 16. lib. 7. totius corporis extenuationem esse dixit, cum febre tenui, seu exigua, consequentem ad insanabilia pulmonis vlcera. Huius itaq; rursus exemplum adferamus: nam satis nunc de nomine egimus.

De qua tabe hic tractetur.

Observatio LIII.

De vera phthisi & vlcere pulmonis.

1 Matrona nobilis, vera & exquisita tabe cum vlcere pulmonis laborabat, vt ex sputo purulento cognoui & totius corporis macie. Videbatur enim complicatus affectus; etenim in toto siccitas aderat, & erat affectus magnitudinis & intemperies solidarum partium, & pulmonis vlcus, & febris hectica. Interea cum hic vlcus esset, cum erosione, & cum erosionē insanabilem esse (quibusdam amicis id indicantes) sciremus; attamen non erat plane dimittenda, cum nondum ad extremam tabem transmigrasset, & tales diu detineri in vita possint, cum nōdum magnitudo vlceris eo peruenisset, vt mortem ilico vel breui futuram significaret, vti illa cum qua valorum frustula exspuuntur; vel etiam arteriarum iam erosa: hoc enim vlcus siccari pro magnitudine nequit. Sic enim putris pulmonis portio Claræ Adriani vxori Augustini Teylingii sororii mei contigit, quę antequam tabe moreretur, per sputum eiiciebat: etiam duobus fratrib. tanquam ex morbo hereditario laborantibus, similiter contigit, qui & bronchia pulmonis & asperæ arteriæ corrosa & putrilagine infecta paulo ante mortem excernebant, quibus & sputum carbonibus iniectum aut etiam per se graue olebat: nam & illud sæpe halitus contagione imprudentes inficit, vt quidam volunt.
2 Hinc & nonnulli sunt, quos imaginātur occultas caussas habere, tanquam hereditaria consequentia ex principiis generationis; propterea & commisceri cum talibus coniugio euitant. Quod igitur filii parentibus similes sint, & vt quo ad externa lineamenta sunt similes, nihil obstat etiam quo ad internas similares partes: quoniam formatiua vis naturalis extensa est per seminis corpus: ideo iuxta seminis partes, potest & partium oriri varietas. Sic & elephantici tales sæpe gignunt; & debili cerebro debiles; sic & articulis. Attamen cum formationem & temperamentum longe distare viderimus a parentibus, quid prohibet etiam longe a periculo morbi distare? At inter initia vitę fere manifestātur iis expositi (vt paulo ante diximus) ex capitis temperamento, & figura: & similiter pectoris, & corporis totius temperamēto & habitu. Quod vero & contagione quadam ij, qui vna versantur, affici soleant, fama est apud omnes, & Galenus fatetur. Caussa etiam promta est (quam & Iacchinus adferebat) quoniam putridum spirant. At putredo illa vaporum si per aerem trahatur, male potest pulmonem afficere. Et sic Iacchinus quoq; nullum vidit contagio periisse. Ceterum
3 istis tribus cum & capilli defluerent alimenti inopia, inualescente febre, & vngues in manibus curuarentur, malæque liuescerent, tetro vapore eo sublato, mors non diu post sequuta est. At matrona nobilis, de qua nunc agimus, longo tempore superuixit, bona victus ratione vtens præcipue. Aerem commendauimus purum, ad siccum vergentem; in calore vero & frigore temperatum, cum nobis locus ille desit, cuius meminit Galenus, Tabiæ scilicet inter Surrentum & Neapolim, 5. method. medendi ab eodem Galen. descriptus. Nos autem vt solē tum frigus vitaret, consuluimus; & austri flatum caliginosumq; aerem, vel pluuium, qua ratione autūnus phthisicis inimicus est: nam & septentrionalis flatus acerrimus obest, si sine pluuia fuerit: siccitas enim iuuat hūc morbum: montana propterea laudātur, e contra paludes ac plana damnantur: & propterea imperaui, vt pluuiis dieb⁹ in conclaui calidiusculo sese contineret, in quo largius respirandum: vtilissime enim iuuat attractus perseueranter spiritus ex Galeno, asseuerante tota medicorum schola. Et quia frictiones ac deambulationes vel gestationes initio morbi valent; ideo si vires ferrēt, iis vt vteretur concedebam.
4 Hinc medici quoq; illustres longas nauigationes & cœli mutationes laudabant: ideo aptissime Alexandriā ex Italia iri Celsus dicebat, potissimum vbi a destillatione Tabidi fiebant. Nunc etiam cymba vehi molli ac delicata iuuat, quali Venetiarum vrbs ætate nostra inclyta (vt nos vidimus cum Venetiis ageremus) inter delicias vtitur. Ad decem enim millia (vt refert Benedictus Veronensis) nauicularum singulis diebus peragrantur innumeros canales, ciuium deliciæ; præter onerarias & traiectionibus distributas: multum enim viriū adiicit hæc nauigatio, & corpora implet. Interea a cibo quietem imperaui, nec nisi post duum horarum interuallum ægra dormiret, & vt somno potius indulgeret, nocturno tamen, eoque moderato. A vigiliis abstinendum & modicis exercitiis, sed potius ambulationibus lenibus vtendum, præsertim vbi febris sese remiserit, vel lenibus frictionibus ante cibum. Iussi quoq; vt ab ira, tristitia, aliisque immodicis animi affectibus, tum a negotiis omnibusque rebus, quæ sollicitare animum possunt, abstineret, & vt omnem cruditatem vitaret, & vt sorbitionibus ex ptisana, alica, amylo vel oriza, lacte adiecto, vteretur; vel vt eiusmodi sorbitiones cum lacte amygd. gallinarum seu pullorum iure, caponum, perdicū, phasianorum conficeret. aut simul cum pedibus vitulorum, hœdorum aut castratorum decoqueret; vel prædictas carnes contusas, aut earum succum sumeret, quem ius consumatum appellant; adiecta ptisana aut eius cremore exiguo.
5 Amygdalas quoq; amaras vt cum ptisana

ptisana decoqueret, imperaui: eo enim vtitur & Aetius: nam & ea eligenda, quæ maxime nutriunt, vt iecora gallinacea, gallorũ testes, perdices, attagenes anniculi, columbacei pulli non altiles, merulæ, tardi, alaudæ, hœdus, ac vitulus, omnia assa potius quam elixa (vt vlcus magis exsiccetur) ex succo arantiarum aut mali granati siue vuæ acerbæ succo laudantur. Aluo vero præcipiti (quæ imbecillis ægris periculosa) conuenit caseus recens, & panis ex vino mali punici acri, aut cydoniorum succo. Alioqui aluo nimis astrictæ, atriplex, beta, asparagus, & quod spinachium a spinoso semine, dicitur, dari potest, ac melopepones, in esca enim cucumis ac cucurbita laudantur. Interea aluus lenis licet conferat, non tamẽ hic immodice cienda erit. Sed & cancros fluuiatiles, crudos, tritos & cum lacte potandos concessi, aut coctos in cibo: nam ius eorum insuper absorbere laudat Aetius. Admittuntur & cuniculi, leporesque iuniores, aut capreoli: oua sorbilia, ius brassicæ & amygdalinum ferculum. Laudantur & saxatiles pisces, & cochleæ in cinere coctæ; testudines item, aut ranarum crura; mire enim recolligentibus vires conueniunt: ex quibus etiam morselli & in formam pignolati parantur in hunc vel similem modum: *℞. carnis testudinis, & cancrorum ana ℥ j. nucleorum pini maceratorum in aquæ ros. vel vngula caball. ℥ j. ß. pul. diatragac. frig. pul. Haly contra tabem ana ℥ j. diaireos simpl. ℥ ß. Zacch. albiss. dissoluti in aqua capill. ven. & ros. perfecte cocti q. s.* fiat ad formam pignolati, remanentibus pineis integris; *vel adde amygd. contus. q. s.* fiat tarta. Plures habes eiusmodi compositiones apud Guainerium de hectica febre, de quibus etiam nos mentionem fecimus, cum de hecticis & tabidis ageremus. Aqua etiam ex cochleis, testudine, cruribus ranarum, ex sublimato vapore collecta efficacissima ad hunc morbum perhibetur. Quidam & psittacum miris laudibus præferunt, incerto tamen auctore. Inter præcipua remedia quæ præcipue a Galeno commendantur (*lib. De marasmo, de cibis boni & mali succi, & 5. & 7. methodi medendi & sexcentis aliis in locis*) & ante ipsum ab Hippocrate Aphor. 64. lib. 5. quem sequuntur vno ore medici omnes, lac optimum in hoc morbo censetur: eo quod omnium fere, quæ mandimus, lac optimum, ac optimi est succi ac multi alimenti, & promte concoquitur ac distribuitur: tale quidem exhibuimus secundum modum quem Galenus docuit *7. methodi medendi*, & nos latiꝰ de huius vsu & modo exhibendi egimus *lib. 4. obseru. de feb. hecticis. scholio obseru 5.* Matrona hæc nobilis iisdem quoque medicamentis vtens in eadem obseru. descriptis, tum lacte, licet hæc ipsa non conualuerit, tamen istis tum supradictæ victus rationi insistens, etiam lac e mammillis cum sugere nollet, statim mulctum & calens sumens, (quod & ab Herodoto, Euryphone & Prodico ac aliis medicis celerioribus commendatur) longo tempore vitam traxit; quamuis paulatim omne corpus consumtum tabefieret, calorq; natiuus exhausto pabulo interiret: & sub finem alui fluxus accederet, qui plerumq; lethalis esse solet: vnde cum multis mensibus decubuisset omnino, in viuis esse desiit.

7

SCHOLIA.

8 QVamquam Hippocrates præter eas species tabis, de quibus diximus, *lib. 2. De morb. & li. De internis affectionibus*, tres alias quoq; posuit, quarum primam a pituita scribit fieri, e capite ad pulmonem fluente, secundam a latere; tertiam a spinali, seu dorsali medulla, quæ maxime corripit recẽtes sponsos, & veneri deditos: sed his posthabitis, tum aliis iam dictis, de tabe illa, quæ vlcerosa pulmonis dispositio est, loquimur: nam & hanc exquisitam tabem esse dicimus, quæ est corporis consumtio, seu colliquatio cum febre lenta, ex pulmonis vlcere; quamuis auctor libri De definitionibus medicis per tabem propriam dictam, nedum pulmonis vlcerationem, verum etiã thoracis, vel faucium subintelligi voluit, quam & tussicula, & debiles comitantur febres atq; in eis corpus conficitur: & licet dicamus, in exquisita vna cum pulmonis vlcere adesse & corporis consumtionem; improprie tamen ac non exquisite, tabes nuncupari posset ea quoq; totius corporis demolitio, seu extenuatio, quæ thoracis, aut faucium, seu asperæ arteriæ vlcera comitatur, præsertim vbi non exactum adeo sermonem occasio requirat; licet re vera, qui hoc modo laborant, tabidi non sint; eandem tamen curationem exigunt: Tabescit siquidem & in his temporis progressu corpus totum, veluti in proprie dictis tabidis; præsertim si in thorace aut aspera arteria exulceratio fiat; propterea quod cor ipsum similiter eisdem siccari oporteat: absq; enim principis membri passione fieri non potest, vt animal in toto afficiatur, vt libro de Marasmo decretum reliquit Gal. quamuis non æqualiter singulæ corporis partes tabescant: verum cor & iecur minus quam partes aliæ attenuantur in tabidis: cor siquidem, quoniam facultate trahendi vehementer pollet, ea propter sanguinem vehementissime attrahit, & non prius quam vltima sit membris omnibus inopia, ipsum alimento caret; iecur vero, quod sanguis totus inde initium habuerit, *vt apud Gal. legitur prædicto lib. De marasmo.* Id vero quod in singulis partibus, & præcipue in corde (vt diximus) per tabem primo deperit, est humor in eisdem insitus, ac per loca media partium similarium dispersus, ex quo membra primum aluntur: verum quousq; in corpore cordis aliquid ipsius seruatur, licet propius verã tabem accedant, tabidi reuera appellandi non sunt. Cum vero ad carnosum genus consumtio pertrãsit aut ad fibrosam, seu membranosam substantiam, omnimoda facta consumtione, ob ebullitionem iam dicti humoris insiti, exquisitus tũc marcor existit, *vt legitur apud Gal. 7. & 10. meth. ac primo De differen. feb.* Nos vero vna cũ Donato, qui adeo exacto sermone de extenuatione nunc loqui nõ intendimus (nam lõgiore sermone de ea diximus *lib. 4. De feb. hecticis*) etsi de ea loquamur, quæ vlcera pulmonis, asperæ arteriæ aut thoracis consequitur, quoniã exsiccatio humoris

Tabes vlcerosa dicta dispositio pulmonis bifariam dici potest.

9

10

duntaxat dispersi per loca media partium similarium, cordis pręcipue ac totius corporis; eiusdem corporis exsiccatio quędam, ac extenuatio fit, adhuc tabem eam esse dicimus; nam licet perpetuo exulceratio procedat, non tamen ex ea confestim carnosarum partium, aut fibrosarũ seu membranosarum consumtio sequitur, sed prius nuper dictus humor consumitur. Ex tussi itaq; ac anhelitus difficultate aliquam prædictarum partium affectam esse conijcere poteris: quæ autem earum sit, percipies ex aliis signis postea dicẽdis, nũquid pulmo sit exulceratus, vel aspera arteria vel thorax. Affectus vero hic cũ exulceratio sit, morbus plane erit in soluta continuitate. Sed antequam de signis agamus, prius quædam de caussis adiungamus, quamuis caussę & morbi natura ex præcedentibus iam fere nota sint. Phthisis itaq; ex variis caussis oritur, ictu vel ex alto lapsu, vulneribusque persanatis, forti ictu, aut percussione: nã eiusmodi caussæ alterant corpus extrinsecus, & excitant pręcedentes; sicuti vulnus in thorace factum in partibus pulmoni vicinis, aggregat in se paulatim materiam, quæ sensim intrans pulmonem, in eo vlcerosam inducit dispositionem: ita & fortis ictus seu percussio, aut casus ab alto supra easdem partes, a quibus soluta vnitas in pulmone fit, & inde dolor, qui rursus attrahit multitudinem superfluitatũ ad pulmonem; quib9 & putredo accedit, & sui putrida acrimonia pulmonem corrodit, & dispositionem vlcerosam inducit; vti & fortis calor, sub radiis solis canicula æstuante cerebri humiditates colliquans, quę in pulmonem defluentes putrescunt, & acrimonia sua pulmonis substãtiam vlcerant. Et ita fere oritur a capite tabes, inde in pulmonem destillat; huicque exulceratio accedit ex Celsi decreto: etenim quę capitis destillationes tussim primo concitant hominibus, & raucedinem, neq; tandem consistunt, tabem generant, *Galen. teste 1. De morbis vulg.* Cuius duæ maxime sunt differẽtię, vt ipse refert: vna ex illis quos caput demittit, fluxibus constat; altera, quæ ab ipsius pulmonis malis proficiscitur; omninoque postquã exspuitur sanguis, potissimũ vase rupto; sæpenumero etiam fluxione impleto viscere hoc; alia de caussa ex partibus aliis non ex capite. Et sicuti ex calore, ita & ex forti frigiditate per viam expressionis superfluitatem, quæ ad pulmonem deuenientes intrantesq; eius substantiam, in eo generãt vlcerosam dispositionem, atq; hæ caussæ externæ phthisis appellari consueuerunt, vt Galenus inquit, 1. De procatarcticis caussis, & lib. De caussa morb. cap. 2. Caussæ vero præcedentes sunt quæcunq; intus corpus alterant, vt catarrhus, qui sub tenuitate penetrãs in pulmonem sui acrimonia mordens, vlcus in eo gignit: & ita fit ex destillationibus acutis, abscessibus peripneumonicis pleuriticisue aut synãche, aut vomicis introrsum erumpentibus, vel ex propinquis pectoris partibus, diaphragmate (vt quidam volunt) nobilissima membrana, vel altera quæ mediũ diuidit pulmonem, Dissepto dicto, & in ipsa quoq; pulmonis substantia hæc pestis oriri potest. Aliqui ad hanc etiam contagium referunt. Vel possunt hęc ipsa vltima, vt pulmonia (tũ reliqua dicta, vt præcedentes caussæ phthisis) cũ putruerit & in saniem versa est, & vlcerata, caussa continens esse ipsius phthisis, vt Benedictus Fauentinus præceptor meus ca. proprio declarabat. Ab aliis igitur partibus quoq; euenire potest hoc malum. Sic & Aetius pulmonis exulcerationem ad sanguinis spuitiones consequi fatetur; cum videlicet sanguinis eruptione suppressa, vlcus non fuerit conglutinatum, neq; cicatrix inducta. Paulus quoq; & ante illum Hippocrates, Ex vomica, inquit, si ex toto non perpurgatur, in phthisim protinus æger rapitur, tabescẽte pulmone. Quo autem modo interstinguendę sint prædictę tabis caussę, facile patere poterit, si quis eas, quę prędecesserunt destillationes, sanguinis reiectationes, suppurationes, vomicas, peripneumonias, & pleuritides ac anginas, ex his quæ in propriis earum affectionum capitibus hactenus retulimus, considerauerit. Nunc ad alia signa progrediamur, primo adferentes exemplum pulmonis vlcerati.

11 Partes affecta. — Quis affectus sit præter naturam — Caussa. — Procatarctica. — 12 — Præcedentes. — 13 — Caussa continentes.

Observatio XL.

De vlcere pulmonis ac tabe, modo cum sanguinis sputo, modo sine eo pus exspuente.

Cyprianus medicus doctissimus, collega meus melancholia diu affectus, longa & diuturna tussi & catarrho, tandem in sputum sanguinis, mox & in tabem & pulmonis vlcerationem incidit, licet longo tempore vitam ptraheret, antequam decumberet: tandem pręsidiis nihil iuuantibus vix 47. añum excedens, vera tabe ac pulmonis vlceratione obiit: nam signa, quæ perpetuo illi aderant, vlcus esse pulmonis & tabem significabant, tum ex frequenti tussi per quam pus exscreabatur interdum & cruentum aliquid; quod & Celsus adanimaduertit. Hac enim incipiente frequens tussis molesta est, qua cruentum aliquid sine sensu doloris extunditur: hoc interdum subsistit etiam, dicente Fernelio, tussique sordidum quiddam editur, deinde purulentum. Tussi perpetuo perdurante dum subinde sputum cruentum esset, subinde purulentum, rursus vero cruentum, denuo vero purulentum, non dubitauimus hunc vlcus in pulmone pati: cumque febris fixa, licet pusilla, semper sui similis eueniret, eo certius signum habuimus huius affectionis, multoque magis, cum prius præcessisset sputum sanguinis, & nunc etiam saniem exspueret: & ideo cum sputum cruentum subsisteret, & tussi sordidum quid ederetur, & febricula leui adorta, cuius nulla fiebat intermissio: quæ tandem etiam hectica facta est, mox a cibo aliarum more inualescente, & sensim vniuerso corpore liquescente, certius adhuc indiciũ huius mali habuimus. Comitatur enim necessario affectum hunc totius corporis extenuatio, ac carnium consumtio, & febris quædam lenta seu exigua, vt patet commentario *Aph. 16. lib. 7.* potissimum vbi pulmo exulceratus fuerit: nam &, iuxta Celsum, febricula leuis, etiam cum quieuit, tamen & repetit. Sed quod modo cruen-

1 — 2

cruentum, modo rursus purulentum exscreabat, id idem & Fernelius refert in hunc modum: Vlcere magis magisque serpente & sordescente pus exscreatur, fitque, quod dixit Hippocr. a sanguinis sputo puris sputum. Hoc quum syncerum est, aquæ iniectum minime alterius ritu innatat, sed (si purum est) in imum descendit subsidetque. Ac nihilominus quoties vel labore, vel tussis impetu, vel excandescentia vlcus puris lentore obductum refricatur, cruenta exscreatio redit. Vti & nostro collegæ eueniebat. Confirmato ac iam inueterascente vitio, putris pulmonis portio tandem exibat (vti & Laurentio Adriano Alcmariano contingebat, de quo antea diximus) & sputum carbonibus iniectum, aut etiam per se, graue olebat; sæpe etiam halitus contagione id imprudentes labefactat. Quod cum in aliis quoque

3. ægris spectauissemus, pulmonis parenchyma iam vlceratum esse cognouimus, quod ex eiusdem pulmonis essentiæ proprietate percepimus, cum ipsius pulmonis caruncula per tussim reiiceretur, haud secus quam bronchii pars quædam tussiendo ab ipso Laurentio Adriano reiiciebatur, vt exulceratio pulmonis secundum asperam arteriam processerat. Hoc enim proprium pulmonis vlcerati indicium erat (*vt ipse Galen. 1. & 6. De locis affect. docuit*) si vocatum ramentum, seu crustula quædam eius particulæ, a qua excernitur, Græcis ephelcis dicta, spiritalium instrumentorum, tussiendo excernatur; proprietas vero essentiæ eiusdem affectæ partis proprium indicium est. Quod de sputo carbonibus iniecto diximus, plurimi hoc modo discernunt purulentum liquorem, vt ex Cælio Aureliano liquet *2. lib. cap. 14.* Phlegmata carbonibus imponentes, quo exusta probentur: nam tetri odoris esse necesse est, omne quod natura fuerit mutatum, velut ex fluxione carnis veniens: item in aquam mittunt ægrotantium sputamina; etenim naturalia facile soluuntur, vitiata vero atque mutata perseuerant, quadam tenuitate coacta, & subsidunt, siquidem sint grauia, & contra naturam ex defluxione carnis venientia.

4. Verum tunc prius confirmatam tabem cognouimus præter carnium consumtionem, quod genæ liuescerent, tetro vapore eo sublato, & inualescēte febre vngues in manibus curuarentur, & exalbidi & pallidi euaderent: & malo iam vincente capilli e capite profluebant, idque alimenti penuria, aluique profluuium superueniebat, quæ pessima signa ab Hippocrate quoque numerantur: iam & præcordia sursum conuellebantur; cum & costarum extrema siccitate (vt Fernelius refert) sursum quandoque conuelluntur, dum tandem corpus omne consumtum contabefiat, calorque natiuus exhausto pabulo intereat. Sitis quoque illum magis tandem conficiebat, & fastidium vrgebat, & id, quod sursum vergebat, ac per sputum reiiciebatur, vehementis ac fœdi odoris erat, quale & Paulus extreme laborantibus adesse scribit; pulsusq; eidem, vt omnib. tabidis, languidus erat, ac paruus, propter imbecillitatem virtutis seu facultatis; non nimium celer, vt pleriq; febricitantes habent, quod non detineantur vrente febre. Aderat & pulsus hecticus, talem enim tabidi pulsum habent, hoc est, vndequaque similem: quoniam & febrem habent hecticā; sic enim a febre, quæ vniuersum corporis habitum occupauit, appellatur pulsus, vt libr. 4. De caussis pulsuum Galenus scriptum reliquit.

SCHOLIA.

5. Signa igitur pulmonis vlcerati, ex hac obseruatione satis cognita sunt. At signa hecticæ febris habenda sunt ex capite proprio, & de marasmo & eius, tum hecticæ, speciebus, vt longo sermone 4. lib obser. De febribus hecticis, in quibus & diuisiones febrium hecticarum posuimus & marasmi, per gradus quosdam, vt horum signa non opus sit denuo repetere. Verum quod ad signa asperæ arteriæ exulceratæ attinet: sicuti enim in vlcere pulmonis carunculam pulmonis per tussim aliquando reiici diximus; haud secus, si bronchii particulam reiiciant secundum asperam arteriam, pulmonem tunc exulceratum existimamus: ita quoque, si arteria quæpiam aut vena in ea exulcerata fuerit, ipsarum quoque portionem aliquam (præsertim vbi frustum vasis haud paruum fuerit) tussiendo exspui oportet. Orto vero in aspera arteria vlcere, præter hoc, quod sputum purulentum apparet, dolorem quoque in loco affecto, laborans sentire consueuit: ipsum vero per ea, quæ screantur, quia exigua sunt, ab vlcere, quod in pulmone natū est, discerni potest; quippe ab vlceribus pulmonis plurimum reiicitur.

Aspera arteria exulceratæ signa.

6. Ita quoque videmus interdum per exulcerationem exscreari ex gutture corpusculum aliquod a ligula (Græci ἐπιγλώττιδα vocant) cum pars ipsa afficitur; id vero non solum hoc indicio deprehenditur, verum etiam ex eo, quod in vlcerato loco doloris sensu laborans infestatur, veluti de aspera arteria dictum iam est. At si nullus in prædictis partibus dolor sentiatur, nec aliquod iam dictorum signorum adsit, verum cum purulento sputo in thoracis parte aliqua manifeste sensus doloris adsit, thoracem affectū esse censeto. At hic medicus non sine cruenta exscreatione tabe resolutus est. Magna autem inter scriptores controuersia est, possit ne quis citra cruentam exscreationem tabe resolui? Nōnulli post solam screationem humoris liquidi & subflaui, leui febricula correpti tabescere cœperunt, ac multo post tempore cruoris exiguum quiddam cū pure reiecerūt: ita & alius quidā flauam bilem exscreauerat, & exili vel minori febre correptus, ac tussi purulentum exspuit, deinde cruentas exscreationes: inualuit subinde febris, ex qua membra tabescebant: demum sanguinem reiecit; vnde tabefactis membris, & deficientib. viribus, mortuus est: vlcus enim, vt tradit Galenus, occultum, irremediabilem morbū reddit.

Signa exulcerati thoracis.

7. Alius quidam sex mensibus sic affectus obiit: quidam vero plurib. vitam miserā traxerunt, donec morerentur. Sed nō paucos animaduertit etiā Fernelius tabe sensim sublatos, in quibus omnino nihil cruoris toto morbi decursu comparuit: & nos tales quoque in praxi quotidiana vidimus phthisi enecatos, solum pus

exspuendo. Volūt quidam hoc fieri vix posse; neque ex catarrho, qui in phthisin labuntur, quin prius aliquid sanguinis exspuant. Vide de his Iacchinum. Potest tamen fieri citra sanguinem, vt in externis vlceribus, quæ citra sanguinem pus habent sæpe. Tunc ergo aliis notis inuestigare oportet, num vlcus adsit, sputum considerando quale sit Etenim cum id ex catarrho accidat, color concocti in pectore catarrhi & pus adeo sæpe inter se similia sunt, vt peritos quoq; fallant colore & consistentia; sicut & fallit vrinę hypostasis, quę saniem referat, aut crudū succum. Primū igitur febris ipsa aderit necessario, hectica in processu, quæ signa euidentia referet, quę de hecticis alias diximus. Deinde sputū considerando, quoniam saniem refert: nam in globum & rotunditatem multam se colligit sputum pituitæ: vnde & talia damnātur in prognosticis: At saniosum dispergitur, vtpote minore visciditate, & crassitie iunctum; vnde & minus albicat ex incluso aere, quantumuis coctum sit, secundo lib. 46. vbi candida, glutinosa ac rotunda sputa appellat: vt vero facilem diuisionem agnoscant, in aquam spuere iubent. Nam materia facile mediū diuidens descendit; quæ vero non descendit, crassa & glutinosa est. Sæpe tamen admiscentur; & impeditur agnitio: tunc ego sputa in aquam calidam fundi iubeo; atque baculo aliquo concutiendo, puris partes dissoluuntur & subsidunt, & pituitæ superius natant & cohærent. Aliud purulenti sputi signum est (*etiam a nobis dictum præcedente obseruatione, quod ex 5. Aphor. 12. etiam describitur*) ex fœtore, qui tum alias, tum maxime sentitur, cum supra carbones proiicitur sputum effumando. Sic fœtorem annotauit in vesicæ vlcere. Nec obstat quod dictum est, optimum esse pus album, & minime fœtens *1. progn. vltimo.* Neque enim sine fœtore est pus, cum sine putrescentia non fiat, & vestigia habeat putridi caloris: sed sicut graueolentia, vt Galenus ibi ait, est putredinis, non coctionis indicium; ita & modice fœtere bonum signum est: ideo non simpliciter pus eiectum vult esse olidum, sed tunc sentiri, cum exuritur. Sic enim maxime odores tetri, & boni quoque sentiri solent. Prę omnibus vero saniem significat colligi facile, & dissipari in aqua: quod pituitę ob viscositatem non potest contingere: nam pus residuum est eius, quod est exustū in phlegmone partis, vt 3. præsag. ex pulmone dicitur, & ita vrinę hypostasis vera, non crudus humor. Illud tamen indicium ex sputo & pure, non semper significat verum, vt quidam annotarūt; cum ex empyemate & aliis vlceribus pectoris & non pulmonis tussi reiici possit. Illa tamen sanies, quæ expectoratur cum vehementi tussi, phthisim veram designat: & quando sputum saniosum sequitur sputū sanguineum proprium signum vlceris corrodentis: sicut e contra quādoq; ad sanguineum sequitur saniosum. Sed vbi cum pure simul crustæ (quas in collega vidimus) vel aliud ex pulmonis substantia exscreatur, tūc minime dubitandū est de vera phthisi. Iam quoq; falsedo arguit vlcus corrosiuum. De differentia vero puris & pituitæ, eadem fere refert

Pus seu sanies, quibus modis differat a pituita.

8.

9.

10.

Gradus, quæ superius attulimus; quem legere poteritis. Et ita signa demonstratiua phthisis satis enucleauimus: quæ etiam triū sunt generum, vt in locis diuersis ex Galeno colligitur; & per ordinem a Benedicto Fauentino præceptore meo in sua Praxi declarātur: quum primum sit indicantium eos, qui inclinati sunt, vt sua natura apte ad phthisin perueniant: secundum autem eorum, qui iam facti sunt phthisici: tertiū vero, a quibus generantur caussis & humoribus ipsi phthisici, vti ad longum ipse explicat; quem consulere poteritis. De quibus quidem signis quoniam satis nūc egimus, ad prognostica signa progrediamur; sequenti tamen exemplo prius interposito.

Observatio LV.

De quibusdam phthisicis longo tempore superuiuentibus & tandem mortuis; & de quibusdam præter spem curatis.

Refert Gradus cum loqueretur cap. proprio De phthisi & vlcere pulmonis, de induratione & exsiccatione vlceris, se mulierem quandam cognouisse Mediolani, quæ tamen non vtebatur medico, nisi regimine communi, sed quasi continuo igni adsistebat, & in locis valde siccis, cū furnatia esset; fuitque phthisica plus 28. annis, ambulabat per domum & laborabat, atque perpetuo clibano aderat, cum panem coqueret; vnde siccitas plurimum indurando & exsiccando vlcus, vitam multis annis prolongauit. At ego etiam mulierem Dordracenam noui, vxorem illius Petri Gualtheri cereuisiarii Delfensis, pro cuius ædibus ciuitas Dordracena pro insigni erat; quæ octo annos phthisica superuixit, continuo quid pituitæ aut purulenti quid exscreans, licet tandem tabida obierit. Sunt & alii, qui ad 15. annos vel plures, eodem Grado teste, vitam protraxerint; sed de iis latius in scholio. Non desunt quoq; Historiæ, quosdam phthisicos esse curatos: sic Arculan. suo tempore egregius medicus, dicit: Vbi phthisis parum impresserit, neque fiat vlcus ambulatiuum, neque pendeat a caussa incorrigibili, sanari potest: sed nō apud negligentem neq; stolidum aut imperitum: vbi vero maxime processerit, vt plurimum cura cassa est & vana, nisi iussu Dei omnipotentis id contigerit; quemadmodum euenisse Mediolani monacho cuidam Franciscano scribitur, qui post annum quartum, quo phthisi correptus fuerat, ex sanguinis sputo, pluries reiterato, tandem peruenit, post multam corporis tabem, ad impotentiam exspuendi cum oregmone: & cum crederetur ipsum esse morti proximum, miraculo quodam euasit impinguatus. Refert etiam Valescus *cap. proprio.* se quendam monachum etiam phthisicum verum curasse cum puluere Haly contra tabem (quo & nos vsi sumus in fratre meo Theodoro Foresto ex tabe & hectica laborante; & etiam curatus fuit, cum pus longo tempore subinde exspueret; cuius historiam, tum aliorum etiam a marasmo curatorum, posuimus *libr. 4. obseru.* nostrarum De febr. hectica) cuius ægritudo per annum durauerat, qui videbatur interdum partem

1.

2.

pulmo-

3. pulmonis cum sputo eiicere: cui & tantus fœtor aderat, vt nullus monachorum, neq; in refectorio neque in mensa auderet illi approximari; ita vt perfecte adessent signa veræ phthisis; qui etiam per me (*inquit Valescus*) & multos alios, fuit iudicatus de proximo moriturus. Sed cum illi esset amicus, curationem diligenter iniit, atq; remedia ibidem descripta cōtinuando, Dei iussu (*inquit ille*) curatus fuit. Auicenna quoque ponit historiam de muliere phthisica, cuius iam parabantur funeralia: & frater eius (*vt etiam citatur a Gradu*) cum eidem superuenisset, eandem curauit cum zaccharo rosaceo.

SCHOLIA.

4. *Vtrum omnis phthisicus hecticus sit, & vtrum sic exsistens, diu viuere possit.*

QVæritur nunquid omnis phthisicus hecticus sit, vti magna ex parte medici celebriores sentiunt. Id tamen quidam contendunt, vt Gradus, non semper verum esse; cum aliqui vixerint x. aut xii. annis, imo pluribus, vt iam diximus: licet Gentilis de xii. annis meminit de iis, quæ vlcus pulmonis habebant cum hectica adiuncta: quod vix fieri nonnulli credunt, inde colligentes vlcerationem pulmonis hecticam non subsequi, nisi vlceratio illa fuerit admodum magna, praua & saniosa. Sed Gradus potius respondendum putat etiam hecticos antequam ad gradum debitum siccitatis perueniant, vsque ad 15. aut 20. annos posse superuiuere, vtentes victu restaurante. Sed vbi hectici ad illam siccitatem peruenerint, quod capilli defluant, & aluus profluat, mors, iuxta Hippocrat. proxima est; quia adeo sunt siccata solida, vt nutrimentum pilis non adsit. Quod aluus vero profluit, id contentricis ventris imbecillitate fit: intestina grauata facile depellunt, vt nec alimentum in corpus distribuatur. Cum igitur vlcus præ magnitudine siccari nequit, tunc magnitudo vlceris mortem significat, licet iam diutius superuixerint, vt cum vasorum frustula ex spuuntur, vel etiam arteriarum iam erosa, tunc moriuntur. Diu autem viuere possunt, antequam eo res deueniat. Ita in rustico quodam vulnerato in pulmone, in pago Scermerio dicto, ad quē accitus, cum etiā tabidum & in vlcus pulmonis malum conuersum signis pręsentibus intelligerē, nec curari posset; nostra tamen industria vita ad semiannum protracta est; ita vt filius, qui patrem vulnerauerat, veniam sollicitaret, ac cū minori mulcta a principe gratiam inierit. Sed vtrū vere phthisici curari possint, multi hæsitant: quamquam id fieri exemplis & auctoritate medicorum illustriū posse, ostendimus. Constat autē (teste quoq; Benedicto Veronensi) innumerabilibus exemplis, phthisicos cura & diligētia a medicis sanatos fuisse, & zacchari rosacei (vt scribit Galenus) auxilio: abdita enim eius remedii caussa est, nec nisi experimento cognita. Attamen non desunt quidam, qui curationem vlceris pulmonis nequaquā admittunt: alii rursus dicunt difficulter curari, *vt liquet 4. De locis affect. tum 5. meth. medendi*: nam & ipse Galenus difficilima sanatu pulmonis vlcera esse fatetur, vt quæ nec citra tussim expurgari possint; & si tussim excites, laceraueris: itaque quasi

5. *Cur pulmonis vlcera sint curatu difficilima.*

per mutuas operas, malum iis in orbem redit: tum etiam quod ea, quæ idonea vlcerib. medicamenta sunt, contingere vlcus, sicuti in vētriculo, non possunt; adeo vt per medium interuallum, fere vim suam amittant; & præterea quod præter id, quod tussiendo lacerantur, respirādo etiam mouentur. Et proinde concludebat eodem *5. meth. med.* quod cum in pulmone ruptum vas est, scire aperte licet (nisi protinus antequam phlegmone excitetur, glutinatum sit) id postea insanabile fore: quod si aliquando curetur, relinquitur tamen in ipso res quædam callosa fistulosaque, quæ tractu temporis a leui occasione expelli solet, *vt 4. De locis affect. liquet*: quamuis si exanthemata quædam in pulmone sint orta propter vlcerum siccitatem, sanari possint; præsertim vbi aspera & scabiosa fuerint, vt idem Galen. testatur *libr. 5. meth. medendi*. quemadmodum & omnino insanabiles sunt, qui ex succi vitiosi erosione vlcus in pulmone habent, cum longo tempore omnino opus sit, vt succi corrigatur vitium. Interea pro notitia specierum phthisis (vt Arculanus medicus insignis dicebat) sciendum est, vlcera membrorum spiritualiū aliquando fieri in pleura; quod & prius ostendimus, cum pleuritici non resoluuntur, sed ad suppurationem vertuntur: nam si illi in quadraginta diebus, vt dictum est, non repurgantur, teste Hippocrate, in tabem transeunt: quamuis idem Arculanus refert se in duobus ægris vidisse vlcus pleuriticum non repurgatum in quatuor annis, nec tamen ad phthisin peruenisse. Quod licet forte contigerit rarum est, imo rarissimum. Verum hic loquitur de pleura, ex qua fit, dum in ea suppuratio contingat, phthisis: modo etiā in musculis intrinsecis pectoris & ossibus eiusdem cum eorum corruptione; aliquando in diaphragmate, aliquando in mediastino, aliquādo in canna pulmonis; quandoq; in pulmone ipso. In quibus omnibus & phthisin & vlcera fieri contendit, quæ etiam ad tabem seu phthisin referuntur. Attamen deteriora, inquit, ceteris paribus, sunt illa, quæ fiunt in pulmone, deinde in diaphragmate, deinde in mediastino, deinde in pleura & partibus ei continuis: ita vt quidam arbitrentur, numquam vlcera pulmonis posse consolidari, eo quod est in continuo motu: quibus Gal. *6. De ingenio sanit.* contradicit, motum non impedire consolidationem, cum vlcera pectoris & diaphragmatis, quæ sunt in cōtinuo motu, possint consolidari. Sed materiam limitando dicit, quod vlcera munda siue pura superficialia in pulmone consolidantur; putrida vero corrosiua, apostemosa, valde sordida aut virulenta, & huiusmodi, non possunt consolidari. Cui sententiæ Mesue consentit: hinc & Conciliator (quem & Gradus sequitur) voluit vlcus factum ex vulnere, vt ex ruptura, præsertim in canna pulmonis vel in partibus vicinis cannæ, posse consolidari; licet Auicenna testetur se tempore iuuētutis quendam curasse, in quo caro pulmonis plurima dissoluta esset. Quamquam tales (vti etiā mulier illa, quæ licet 22. annis vixit, tandē tamen tabe obiit) vt patet ex *5. de locis affect.* omnes fere tandem exstincti sint.

6. 7. *Quidam volūt quædam vlcera pulmonis posse consolidari.* 8.

Quod si de confirmatis dicatur cõualuisse, id potius monstrosum esse quidam voluere. Sed tãtum solutione facta in venis & arteriis, Auerthoes id fieri posse credit; & assentit quidem posse fieri, eo quod filii Auenzoaris simile illi narrarunt, & retulerunt; scilic. quod in pluribus hominibus idem viderunt. Interea etiã credimus quosdam esse curatos, cum ex pure thoracis tabem paterentur, & pus longo tempore exspuerint, cum medici etiam illos veros phthisicos esse putarent. Sunt etenim aliquando eo progressi ægrotantes, vt euidentissima signa extremæ maciei & tabis præ se ferrent, & tamen præter medicorum illustrium opinionem sanati sint: ita vt in iudicio quandoq; expertissimi medici sępe aberrent, quod & doctissimus Iacchinus medicus de se ipso fatetur ingenue, id sibi euenisse in filio egregio equitis, Cæsaris nobilis, qui præter spem est sanatus.

9.
Cur non omnino curationi resistant thoracis vlcera.

At quæ in thorace vlcera fiunt, non omnino, veluti iam dicta, curationi resistunt, etiam si diuturna fuerint, vt eodem *4. de loc. affect. liquet.* Etenim, quæ ex pectore educũtur, triplex compendium, præ iis, quæ ex pulmone euacuantur, habent: nam & vasa ipsa multo sunt minora, & sanies in spatiũ interius effluit, & in summa magis carnosum est pectus, quam pulmo, vt patet eodem *5. meth. medendi.* Sic etiam refert Arculanus, Vlcera pectoris & immunda siue impura consolidãtur multis de caussis: Primo, quia pectus est carnosum. Secundo, quia est cum paruo motu. Tertio non habet substantiam mollẽ, pronam in corrosionem & putredinem. Quarto non habet carnem spongiosam, in qua sanies retineatur; imo quod ab vlcere pectoris resudat, aut per aliam viam expellitur, super diaphragmate colligitur, si non exspuatur; postea paulatim expellitur secundum plurimũ. Quinto non est multum subiectum catarrhis. Sexto, nõ nutritur sanguine calidissimo, multę cholerę admixto, impediente cõsolidationem. Septimo non habet venas magnas & amplas sicut pulmo.

10.
Cur pulmo vlceratus raro curetur.

Octauo, non ita cordi inseruit sicut pulmo. Caussas vero declarauimus antea cur pulmo difficulter curetur: addit Arculan. præter id, quod medicaměta exterius admota pulmonem non attingunt, & intus sumta si transglutiantur, multum transmittantur, & vis earum diminuitur, antequam ad pulmonem veniãt, etsi in ore vel lambendo sumantur, parũ de ipsis ad pulmonem penetrat: ita & calida febrem augent; frigida sputum impediunt, & tardius penetrãt. si sicca, idem præstant & nocent hecticæ febri; humida vlceri obsunt. Si vlcus ad membranã transeat, dolorem auget, & rursus dolor impedit consolidationẽ, humores attrahendo: quare raro & ob motum & alias caussas superius ex Gal. citatas, vlcera pulmonis consolidantur, nisi fuerint munda, & superficialia, & nõ valde antiqua: quæ tamen exigunt medicum prudentem & diligentem. Profundiora vero, ad substantiam pulmonis penetrantia, difficilime curantur; & si ad cartilagines perueniant, curationem non recipiunt. At crustosa superficialia & paucæ saniei facilius rectificantur; & si non perfecte liberentur, longissimo tempore durant, antequam ęgrum ad interitum deducant; ita vt tale vlcus, iuxta Auic. tempus prolonget ipsius phthisis circiter 23. annos. Ceterum vlcera, quæ in asperę arterię interiore sunt tunica, & potissimum quæ summæ eius parti, quam λάρυγγα vocãt, sunt vicina, aut etiam ipsa; hęc & curationem recipiũt, & nos non paucos (vt Galenus præcitato loco inquit) eorum, qui ita sunt afflicti, sanauimus: quorundam autem eorum historiam ibidem conscripsit, potissimum vbi interna eiusdem asperæ arteriæ tunica exulcerata fuerit: namq; ea sanatu est facilima, ac omnis, qui in ea ortus fuerit affectus, facile sedatur, nisi forte aliquando a putredine aliqua magna ipsius portio corrosa cartilaginem nudam penitus destituerit. Verum si ipsius cartilagines exulceratæ sint, aut insanabiles, aut sanatu difficilimæ erunt: namque cartilaginum affectus (*vt Galen. testis est, lib. 7. De vsu partium*) omnino insanabiles sunt, aut sanatu quam difficilimi.

11.
Vlcera asperæ arteriæ modo sanabilia, modo incurabilia.

12.

Qua de re priusquam malum ad cartilaginẽ peruaserit, asperæ arteriæ vlceratio protinus etiam vt sanetur, laborandum erit.

Vlcera diaphragmatis.

Vlcera vero diaphragmatis in parte carnosa (inquit Arculanus) rectificantur, nisi vtrimque penetret; sed in parte neruosa, si sint aliqualiter profunda; raro vel nunquam curam recipiunt.

Vlcera mediastini & pleuræ.

Vlcera vero mediastini facilius rectificãtur, quam vlcera diaphragmatis; & adhuc facilius vlcera pleuræ & musculorum intercostalium, & costarum, etiam si sint corruptæ; sed opus est sectione aut cauterio in parte extrinseca, vt perueniatur ad costam corruptam. Sed de his prius dictum est, quomodo sectione aliqui curati sint, antequam phthisin veram incurrerent. Sed hæc iam dicta etiam ad signa prognostica pertinent, sicuti illa quæ etiam sequentur.

OBSERVATIO LVI.

De sacrificulo vlcere pulmonis lethali laborante, & ex pilulis mercurialibus sumtis subito vitam finiente.

1.

SAcrificulus quidam apud nos Alcmariæ, cui a puero facies combusta erat, facie admodũ pallida & macilentus, & ꝓpria natura debilis; ex continuo catarrho salso in vlcus pulmonis incidit: ad quem, cum diu decubuisset, accitus sum; & pus olidum exspuebat, cũ totius corporis extenuatione, imo vt iam crustulas spiritalium membrorum, nempe pulmonis, exspueret. Quæ cũ vidissem, & sorori prædixissem, fratrẽ non posse ab hoc morbo sanari; illa cum hæc audiuisset, me statim ablegauit, atq; in mandatis dedit, ne amplius redirem. Postea tamen minus prudens soror tonsorem empiricum quendam ad fratrem vocauit, qui se discipulum Paracelsi iactabat, atq; sacrificulum lue Gallica infectum dicebat, ob faciem deturpatam (vt existimo) quam ex combustione ignis cum puer esset, vt paulo ante diximus, contraxerat; atque iactabundus, vt hoc solet hominũ genus, ilico ægrotantem se curaturum pollicebatur.

2.

Cũ enim videret sacrificulum pallidum esse, & quod pili e capite fluerent (quod tamen inopia alimẽti ex tabe lethali contingebat; de qua re latius in scholio) pilarellam (ita enim vocãt defluuium capillorum ex lue

2. ex lue Gallica) esse existimabat, certũ morbi Gallici indicium, homo insulsus ac ineptus medicus, quamuis medicinam sibi falso arrogabat, ignorãs quod malo vincente in tabe confirmata capilli de capite defluunt, cui & alui profluuium succedit, auctore diuinissimo nostro Hippocrate, vt mox latius dicturi sumus. Verũ quid de prędictionibus Hippocr. dicam, cũ eiusmodi Theophrastiani oẽs prædictiones contemnant, ac suo malo, (signis omnibus aliis posthabitis & neglectis) omnẽ morbum etiam quantumuis lethalem se posse curare apud miseram plebem iactant, vti hic Empiricus sibi persuaserat, & constanter ægro promiserat: hinc depromta vna pilula mercuriali, ex sua chymica officina, ex argẽto viuo parata, quam omnib. aliis ægrotantibus indifferenter præbebat, adeo illam extollens, vt illa sola, omnibus aliis præsidiis relictis, sufficeret ad quosuis morbos curandos. Quam cum suo ægrotanti obtrusisset, aluus supra ac deorsum adeo perturbata est, vt iam pro mortuo æger haberetur, ac extrema inunctione munitus ad superos remeare crederetur. Sed postquam paululum quasi reuiuiscere cœpisset, vt colophonẽ curationi adderet, post octo dies iterũ bis misero sacrificulo extrema macie cõfecto pilul. obtrudit: quam cũ deglutiisset, enormi subsequente & vomitu & euacuatione, eodem die exspirauit.

SCHOLIA.

3. OMittamus istos Paracelsistas, qui egregias prædictiones Hippocr. rident: quas si hic Cacurgus intellexisset, nõ ita hallucinatus fuisset in cognoscendo morbũ hunc fuisse lethalem, & ideo minime curandum, sed prognosticis relinquendum, vel saltem iis præsidiis protrahendum, qui vires tantum restaurarent; quas ad extremum debiles, ipse suis pilulis facile exstinxit, & mortem maturius attulit. Cũ enim hic duo præcipua mala adessent, vt sputum graue olens, iuxta Hipp. *aph. 11 lib. 5.* deinde capilli defluentes, indicium certius, ex decreto *aph. 12. lib. 5.* facile perceptu erat, huius tabidi mortem fuisse in ianua (vt dicebat præceptor meus Bened. Fauent. c. proprio. De phthisi & vlcere pulmonis.) Quod si hoc intellexisset insignis ille Paracelsista, tertium indiciũ non opus fuisset suis pilulis concitare, cum & alui profluuium accedat, & tanquam tertium indicium mortis esse soleat; etsi illa duo supradicta in diuturno vlcere pulmonis & confirmato, & in homine plane extenuato vera tabe, ad significationem necis phthisici suffecissent: vbi autem citra hæc alui profluuiũ comitatur vel contigerit, ocyssimæ mortis indiciũ exsistit; quoniam alui profluuium (vt idem præceptor meus aiebat) comitatur dolor, & assiduus labor subsidendi, timorem ingerit defectionis animi.

Signa lethalia.

4. Quę multo vehementiora hic fuere ex perturbatione illarum pilularum, syncopa vera accedente, cui ilico mors subsequuta est: & ideo recte dixit Galen. in commento *14. aph. lib. 5.* a tabe habito profluuium alui superueniẽs, lethale: multoq; magis morti propinqui sunt, si tria hæc in vnum conueniunt, videl. male olẽtia sputa. & alui profluuium, & capillorum de capite casus. Tabe itaque laboranti si sputum, quod extussiunt, graue oleat iniectum carbonibus, & capilli a capite defluunt, lethale: & iis alui profluuio superueniente, moriuntur, vt *aph. 11. 12 & 14. lib. 5 patet.* Verum idem Hippoc de tabidis scriptum reliquit *16. aph. lib. 7.* a puris sputo phthisis & fluxus; cum vero sputum retinetur, moriuntur: modum siquidem ostendens in hisce verbis, (vt Gal. in commento refert) illorum qui ex tabe moriuntur: eo vsque enim extenuati viuunt, donec per ea quæ exspuunt, possunt pulmonem expurgare: cum vero intus manent, obserantur quidem viæ spiritus. patientes vero strangulantur. Morituris vix anhelitus auditur, & qui non suffocantur, inter colloquia moriuntur; quib. vngues incuruantur, cum cibi tædio, difficultate anhelitus nulla prope saliua, vẽtris profluuio, & pedum tumore, subito moriũtur.

5. Et quãuis in principio aliquando tuti videantur, postea tamen moriuntur, vt patet exemplo apud Gal. cum sic dicat: Phthisicum curare ausus sum vel curiosius: odoramenta primũ, quale spicatum vnguentum est, & alia pariter exsiccantia naribus indita sunt diu noctuq;. Ac in potu Mithridaticam aut Theriacã & Athanasiam antidotum obtulimus: ægro vitam per annum prorogauimus; sed tandem phthisicus interiit. Vide etiam exemplum apud eundem de Antipatro medico Romano, qui annos quinquaginta excesserat. prius ephemera laborans, ob tuberculum in pulmone per sex menses tãdem difficilima suppuratione oborta resolutus statim obiit Ita & nos phthisicam mulierem Brielensem quandam habuimus præ manibus, quæ cum per interualla pus exspueret, & subinde tanquam calcem induratam in calculos, licet diu superuixit, tamen postea & hæc tabe obiit. Quanquam & inter exempla monstrificam pulmonis naturã Gal. refert, quod ægrotus quidam tussiens viscosam primum materiam exscreabat; deinde per aliquot dies in duritiem coacta, in calculos durescebat, qui grandinis modo eiiciebantur Hunc Gal. velut asthmaticum curauit, qui de cetero erui duntaxat magnitudine ac rarenter eiecit.

6. Ceterum Hippocr. lib. 2. Prædictionũ, hæc de tabidis quoque scripta reliquit: Oportet enim eum, qui probe liberari volet, facile sputum per tussim reiicere: & id esse album & æquale, & eiusdem coloris, ac ab inflammatione alienũ: quod vero a capite defluit, ad nares conuerti, febrem autẽ non inuadere, vt ne a cœnis prohibeatur, neque sitiat: venter autem egerat quotidie, & id quod egerit sit durũ: copia pro ratione ciborum ingestorũ. Hominem vero quam minime tenuem esse oportet: pectus autem laudare conuenit quadrangulum & hirsutum; & os ipsius paruum sit, & robuste carnosum: quicunq; enim hæc omnia habuerit, maxime superstes erit; qui vero nihil horum habet, interitui proximus est.

7. Ideo considerandũ num naturæ ad tabem pronę sint: tales autem sunt (vt paulo antea diximus) quorum humeri eleuati, & pectoris partes deprimũtur: ita vt a qualibet occasione pectus egeat dilatatione, ipsum in motu illo alioqui violentiam patitur, ob oppugnantiam, quam inducit

Qui proni sunt ad tabem.

pectus per sui depressionem: quo fit, vt cogente violentia, aut in pectore aut in pulmone vena aliqua disrupta, facile sanguine exspuere faciat, inde pus, & postea tabes, vt ex Gal. *1. Epi. comm. 18.* colligitur: ita & asthmaticos plurimos noui ad tabem deuenisse, & multos cognoui eo non progressos, subito tamen exstinctos etiam in platea: vti contigit M. Adriano Vventio Consil. & Hugoni Grotio, vtrisq; in platea subito exstinctis: quos sæpe admonueram hoc illis euenturũ, si tempori sibi non prospicerent. Ceterum in tabem quoq; maxime incidunt iuuenes, auctore Hipp. *aph. 29. lib. 3.* in eã tamen & potissimum (*vt Gal. in comm. inquit*) quæ ad sputum sanguinis consequitur. Illud vero non ob ætatis imbecillitatem, sed ob incontinentiam, seu intemperatum victum. Hoc idem cõfirmauit Hipp. *aph. 9. lib. 5.* cum dixit: Tabes fiunt præcipue ætatibus a 18. vsq; ad 34. an & Celsus morbũ hunc ętate firmissima maxime oriri censuit, id est, ab an. 12. ad an. 35. ob id quoq; iuuenes tabem incurrũt, disrupto pulmonis vase; quoniam in vita & eius functionibus male morigerati exsistunt, ita vt male regantur. Interea tamen licet maiores natu difficilius quam iuuenes in tabem concidant, ob siccitatem tunicæ vasorum, eorum disruptioni obsistentem, difficilius quoq; restituũtur, ob inopiam humidi glutinosi, quo solita sunt membra solida & densa disrupta consolidari; vt elicitur ex Gal. *5. meth. med. & 3. & 4.* eiusdem. Minores natu iuuenibus, difficilius tabescunt, facilius vero suo habitui naturali restituuntur. Difficilius inquam, ob humidum in iis abundans, tunicæ vasorum cedens: facilius autem restituuntur, ob abundans humidũ glutinabile in iis vigẽs, ob vicinitatem quam obtinent ad prima semina, vt colligi potest ab Hipp. *in lib. de genitura, & Gal. in lib. 2. de semine.* Infantes itaq; ac adolescentes ad pubertatem vsque facile phthisi liberantur. Mulieres quoq; ac viri robustiores, senesque durioris substantię haud difficulter sanantur. Diutius perdurat phthisicus, qui materiam bene maturando exspuit, Gal. auctore. Verum non omnes, inquit, quibus trium mensium spatio exulcerantur, pulmones sanari possunt; quoniam altius insedit vitiũ. Acuti humores erodentes, vlcera magis exasperant; pari modo vlcus irremediabile, si in ore marina salsugo adfuerit. Quicunq, tabe molestantur, si eorum febri paruę, biliosa febris acuta superuenerit, malum: tũ quoniam ex ardescente febrili calore (vt præceptor meus Bened. Fauent. dicebat) & sicco eius, vehementer tabidus exsiccabitur: ita vt alimenti inopia phthisicus pereat. Et qui tabidi facti sunt cum lenta febre, & si iis accidat quartana febris, vt aliquando contigit cuidam matronę nobili, deterrimum est: tum quoniam ex abundanti sicco ab humore melancholico prodeunte, tabidus ocyus perimetur, vt eidem matronæ euenit; vel eius siccitas augebitur, & tabes in longum prorogabitur: tum quoniam tabido acquiritur intemperantia frigida & sicca, cum qua vita hominis diu stare nequit. Quicumque vero tabe corripiuntur, si iis pituitosa febris acciderit, minori cũ periculo est: quoniam ob pituitæ frigiditatem in iis remittitur calor habitualis factus, & in eisdem siccum humido infringitur: periculum tamẽ est ob pituitę humiditatem, ne a debili calore phthisici in putredinem vertantur, sub qua vires corporis perimũtur. Atq; hęc ipsa satis de signis Prognosticis esse puto.

Asthmatici subito in platea mortui.

8.

9.

OBSERVATIO LVII.

De pleuritico suppurato, qui cum non repurgaretur, in phthisin incidit, qua etiam postea obiit.

PRætor in portu Delfensi pleuritide correptus, cum in principio neglectim haberetur, neque tempori remedia adhiberet, cum tandem medico adhibito, frustra remedia adhiberentur, neq; pleuritis resolui posset, facta est suppuratio: & cum illa non repurgaretur inter 40. dies, ad tabem deuenit. Tunc & secundus medicus eum tractabat, vlcere tamen pulmonis semper in peius vergente, ac febre habituali magis accrescẽte, autumno iam magis appropinquante. Inter anni tempora autumnus grauissimus est, auctore Hipp. commoriuntur enim ægri, quum plurimum decidentibus arborum foliis: eo tempore plerique etiam phthisi corripiuntur: & autumnus tabidis malus, iuxta 10. *aph. lib. 3.* tam pulmoni vlcerato, vt ait Gal in Commento, quam omnib. aliis quomodocunq; tabefactis. Ad hunc quoq; sub finem accitus fui: cumque viderem in homine extreme extenuato, & viribus iam dudum lapsis, atras viridesq; exscreationes, & quæ colore fuscarentur, ꝓculdubio mortiferæ erant, cum & carbonibus iniectæ grauiter olerent, & cum capillorum præterea & barba ac superciliorum defluuio, mortale pronuntiaui apud amicos astantes; eoq; magis cum & ventris fluxus accederet Et ita facto prognostico, tantum illa esse adhibenda dixi, quæ vires restaurarent, vt sunt martii panes, pignolata, hordeata, amygdalata, & iura restaurantia, & confectiones ex carnibus cancrorũ, cõsummata & colatitia, de quib. satis superque diximus *in nostris lib. obs. de hectic. & marasmo affectu:* & cum ita discederem, paulo post hic obiit.

1.

2.

SCHOLIA.

HVic malo inter initia ꝓtinus occurrere necesse est, ex Celsi decreto: neq; enim (vt ipse inquit) facile is morbus cum inueterauerit, euincitur. Ceterum quomodo suppurati tam ex pleuritide quã ex peripneumonia curẽtur, iam prius dictum est; & cum de sputo sanguinis verba fecimus, cruentorum adhuc vulnerum, tum pulmonis, tum aliorum instrumentorum respirationi deseruientiũ, curãdi modum docuimus, & quomodo pleuritici curentur, si ad suppurationem cõuertantur. In eis igitur, qui pus iam exscreant, & in via sunt vt tabidi fiant, aggredi curationẽ oportet. Nam spes est siccato debitis remediis vlcere, prius tñ repurgato, cessare febrem, & ita consumtionẽ, vt multis euenisse Gal. testatur Sed eos qui iam ad tabem peruenerũt, stultũ est aggredi. Et cum neq; in illis integram sanitatem restituere possimus, neq; id polliceri, sed solum vitam ꝓtrahere, sistendo caussas siccationis, ideo semper continua ꝑcautione vti oportebit, vt in his, qui dubia sanitate fruuntur, & perpetua egent medici opera. Quib. aũt modis vlcera

3.

cera in eisdẽ partibus orta curentur, iam ex parte diximus: & q̃uis ea, q̃ in pulmone hæserũt, vel difficiliora ad curandum sint, vel eorum curatio perfici omnino nequeat, ꝑpter iam dictas caussas; ne tñ tanq̃ deplorati destituantur. Quomodo hi tractandi erunt, ac reliqui, qui in aliis partib. iam dictis ab vlcere sunt oblesi, curandi sint docebimus; id tñ prius cõmonefacientes, ꝙ etsi nonnullæ traditæ sint pulmonis, thoracis, seu asperæ arteriæ vlcerum caussæ, de ipsis haudquaq̃ sermo faciendus erit, cũ in præcedentib. singularũ caussarum curationẽ et exemplis quibusdã ostenderimus. Quare si qua earum adhuc permanserit, ex iam dictis curationẽ petas: nunc aũt de tabe duntaxat quędam addemus, quatenus vlcera pulmonis, thoracis, seu asperæ arteriæ consequitur; deq; ipsis vlcerib. agemus. De victus rõe satis superq; diximus *obs. 35. prac.* hoc semper cõmemorãtes, ꝙ generalis curatio vlceris sit exsiccatio, iuxta Gal. *4. met. med. c. 5.* siquidẽ vlceris, qua vlcus est, sanatio, mediocris siccatio est, *2. art. cur. ad Glauc. c. 2.* Ad q̃ intentionem exsiccationis perueniemus, teste *Gal. 3. & 4. meth. med.* exactis duab. cõmunib. intentionibus, mundificatione videl. & abstersione; ad eas n. sequitur exsiccatio vlceris Post exsiccationem vlcus propensius fit, vt consolidetur & in cicatricem vertatur. Itaq; initio abstergendum siue repurgandũ atq; resiccandũ: vbi iam satis detersum est, atq; iam nihil saniosum repurgatur, glutinare oportet. Sed dũ hæc fiunt, extenuatio corporis restauranda est. Vtũtur ergo quidã mulsa initio ex aquę potabilis ℔. j *mel lis* ℥ j. ß. per oĩa, vbi detergendũ, melle crudo quidam vtendum volunt; vbi glutinandum, mel. cocto. Aliqui hic q̃stionem mouent, mulsum nõ conuenire hecticæ febri: sed diluta nõ nocet, cum abstergat vlcus, & marcori nec febri obsit. Hanc q̃st. longius ꝓsequitur Altimarus, quem perlegere poteritis; ẽt de lacte exhibendo, cum pauco zacch. & mel. ros. vt minus in ventriculo cogatur; maxime caprillum Initio dat ℥ *iij. vel iiij.* procedẽte tempore quantitatem augemus, de lacte dictũ est prius, etiam *lib. 4. obs. nostrarum. De febr. hect.* Lac dandum est vacuo ventriculo, & mundato ventre. Quamobrem non sunt imitandi illi, q lac prescribunt nõ purgato ventre, cum sua natura lac facile acescat, maxime in ventriculo. Ergo si opus est, vẽtriculus purgetur decocto galli antiqui, addita aliqua parte hordei mundati, vel integri iã semicocti: vel detur manna cum decocto galli, & ideo si aluus resistat, possumus tunc quidẽ vti leui purgatione, cũ materia adhuc fluit, vt manna cum iure pulli, vel cassia, cum sem. anisi, vel decocto galli antiqui, in hunc modũ parato. ℞. *passul. mun. p. j. prun. iuiubar. an. num. 9. sebesten. 5. medulla sem. carthami* ℥ *ß. coquatur in aqua com. q. s. vtatur illo iusculo mane*, & si satis non leniat, *adde manna* ℥ *i.* potest quidem capere, modo venter non sit supra modum laxus & solutus: nam vbi corpus consumtum est, tunc omnino omittenda sunt medicamẽta purgantia, qui exsiccant corpus, & ad tabẽ perducunt: his n. fluxus cõtrarius est, ideo iis tantũ vtendum, si duriore sint aluo, quæ solum leniunt, & vires nõ deiiciunt. His igitur qui sunt parati ad hunc morbũ, & qui incipiunt laborare, summũ est remedium, hordeatum mundatum dare, cum zac. ros. post tres horas post cœnam in introitu lecti. Nã qui obnoxii sunt huic morbo, calido sunt hepate, vel ventriculo vel corde, a quib. eleuantur fumi acres ad cerebrum, qui commixti pituitæ, penetrationem addunt, & ad pulmones demittunt. Hordeatum mũdatum obtundit acrimoniam vaporum, & eos incrassat, & ꝓhibet ne aliquid sursum ascẽdat: nec minus pulmones absterget, & corpus vniuersum humectat. Vel vtatur conserua ros. antiqua a cibo, maxime post cœnã, aut aliqua alia conserua, q̃ consimilem effectum ꝓstet. Tota enim cura medici esse debet, vt paulo ante diximus. in præcauendo, ne morbus fiat, vel si factus sit, ne crescat, nec citissime augeatur. Nam illos ꝑfecte curare, difficilimum esse diximus. Pro curatione vlcerum vtimur lacte asinino, vt prius diximus, ꝙ quidem absterget vlcus, & corpus tabidum reficit: sed si fieri poterit, citissime mulsum accipiatur. Alteratur facilime lac & corrumpitur. Lac etiam ꝑparare oportet: nam interdum maior est intentio abstergendi, interdũ consolidandi, alias refrigerandi. Cum refrigerare volumus, capram vel asinam nutrimus herbis refrigerantib. vt salice, foliis vitis, lactucæ: si aũt abstergere, damus eis hord. integrum: si magis nutrire volumus, damus hordei farinam, vel tritic. si plus consolidare sit intentio, nutriatur oryza, & halica, & carnibus viscosis, & nutriatur capra foliis quercinis, pyrorum, rubi, & similibus, sic etiam magis constringet. Ouinum quoq; & vaccinũ, quia crassiora, magis nutriunt & consolidant, vt Auic. testatur. Statim mulctum vel tepidum dandum eo modo, quo dictum est, neq; superdormiant, vel alium cibum sumant, donec sit concoctum: quod cognoscetur: si stomachus nihil eructet. Imo quidam ita lac cõmendant, vt solo eo quasi vtendum sit, etiã cũ pane siligineo, modo febris vehemens, & putrida non ꝓhibeat, & torrida; tunc prisanam ꝓbent, & febre remissa denuo ad lac redeunt. Alii ad detersionem imponunt parum mellis vel zacchari, ad consolidationem boli arm. momentum. Sed vinum nunq̃ cum eo miscendum, more Anglorum, qui vinum cum lacte coquunt, & serum huius febricitantibus omnib. dant. Lac vero cum amylo vel tragac. magis glutinat. Aliqui & oxygala vtuntur, si valde sitiant & febricitent, ad caloris exstinctionem. Cũ tussis valde subinde molestiam adferat, in ore semper detineat diatrag. vel diapenidiatum, vel saccharum candi: & noctu zacchar. ros. tabulatũ, quo non est aliud præstantius in hoc morbo. Alii vero in principio post mulsam dilutam exhibitam, fœnugræci decocto, loti subinde, abiecta priori aqua vtũtur, in qua octaua pars vel zacchari in calidiore conditione, vel alioquin mellis dissoluitur, & vbi magis detergendum est, conficiunt eclegmata ex *succo marrubii & caulium, cum melle*: vel *man. j. marrubii* decoquunt *in* ℔. *6. aquæ ad dimidium*, colaturæ addendo ℔. j. *mellis plus minusve*; idque totum decoquunt ad crassitudinem. Similiter e *butyro, melle, & terebinthina duobus horum aut tribus mistis*, eclegmata conficiunt: nam varianda remedia eiusdem

generis ne fiat satietas; diuersi vero generis sumẽda, cũ mutantur indicationes Sed vt summatim rẽ cõplectamur medicari pulmonis vlcerib. oportet (vt Aet refert) eo apparatu, quo facile sursum efferantur humores; cura simul adhibita, ne alii congregẽtur. Excogitata aũt a medicis, pinde sunt, vbi expurgandum ex pectore & pulmone pus est fortissima, vt inquit Gal 5. *met.* (quæq; maxime dissicãt) pharmaca: in qué vsum summopere cõducit, pter iam dicta, aqua mulsa per se, & cũ amylo, aut iride, & rad. dul. in ea decoctis, vel hyss. marrubio, aut tostum hord. nõ decorticatum, si in ea coquatur, ita & syr. ex glyc. ex adiantho, hyss. aliaq; ecligmata, e pulmone vulpis & pino, tum alia de tussi & asthmate dicta, & pcipue de suppuratione. Atque dum hæc fiunt, hordeatis cum sacch. aut melle lacte amyg vino albo tenui & subdulci, aliisque rebus q̃ vires refouent, vtendum. Iam purgato vlcere instauratis virib. alimentis partim mediæ materiæ, partim resiccantibus & glutinantib. vtendũ est. Cõsolidant hæc, caseus recens, lac vstulatum, testæ cancrorũ fictili vase crematæ; ita n. glutinando seruãtur, bol. arm. terra sigil. carabe, gum. arab. corall. rosæ: dantur ex vitellis ouorum, & alia quędam ex lacte vstulato, & pter tussim conficimus ex iisdem elegmata, adiecto aliquo syr. ad tussim, quale est iuiub. vel myrtinũ, vt de sputo sanguinis dictum est Iam quoq; p vlceris exsiccatione, quæ quidem eorum cõmunis finis est, valida non exsistente febri, veteres tabidis per interualla Mithridatis antidotum aut Theriacã exhibeant; φ & posteriores quoq; fecerunt, Aet. nimirum & Paulus, nec non & Ambrosiam & Athanasiã: quib. omnibus, pro forti pulmonis exsiccatione, vsus fuit Gal. *vt patet 4. de loc. aff.* qua via tabidi id saltem lucrifaciebant, vt vlcus nõ vltra pgrederetur, nec maius fieret: sed siccatum, ac ceu callo duratum longiori vita eos frui sinebat, si omnia præsidia rite fuissent administrata. Extrinsecus quoq; p initia, vbi conquieuerit malum, Paul. & Aet. applicant cataplasmata ex althææ foliis & sem lini, tritis in tenuissimum pollinem, cũ decoct. fœnugr. & althææ vel maluæ, oleo ac melle permista. Et post temporis intercapedinẽ ad cerata transeunt, ex butyr. oleo laurin. ac cera. & tẽpore repurgationis ex Aetio, ex terebinth. oleo cyprino, butyro, medulla ceruina, & adipe taurino, iridisque farina, & œsypo, æqualib. omnibus partibus cõmistis: loco aũt cyprini olei, si desit, irino vel violaceo vtendũ. Tempore aũt quo cicatrix obducitur, ol. myrtinum aut ros. extrinsecus thoraci inungendũ, adiectis acacia, alumine, malicorio, & aliis apud Aet. descriptis: etsi tussis molesta grauiter affligat, thymus tritus. & hyssopum, cum succo rad. dulc. ac melle cocto excepta, formataq; sub lingua tenenda dentur, vt iidem auctores sentiunt. Verum tum medicamentum hoc, tũ & quodvis aliud humidum, φ ad eiusmodi curanda vlcera faceret, ægro supino cubanti exhiberi dẽt: & iubent id in ore cõtinere, paulatimq; permittere in asperã arteriam defluere, ex Gal. decreto 4. & 5. *met. med.* Qua rõe nõ solum pulmonis vlcera, sed & thoracis, asperæ arteriæ ac gutturis curari debẽt: influit n. sic sensim, ac paulatim de medicamento aliquid subtiliter & manifeste in ipsam asperam arteriam, & per eam ad pulmonem ac pectus. Alioqui veteres, desperatos vrebant aut relegabant ad mare seu Tabias. Attamen in tabidis non est vtendum cauterio ex his quę actu, neq; ex his quę potentia inurẽdi vim habent, nec capiti vllum adhibẽdum, nisi malum a fluxu acrium humorum ex capite factum sit: his tantum, ex Gal. doctrina *5. meth. med.* capiti admouendum, præsertim qua parte sagittalis sutura coronali committitur; aut occipitio, inter primam & secundam vertebram, quo loco tutius fiet, nõ exiguo commodo, reliquis vero nequaquã vtemur, cum extenuationi eorũ nullo modo prosint, imo maxime absint: & ideo ab eis abstinendum.

9. Cautorium.

10. *Curatio tabidorum cum exsiccantibus.*

Topica.

11.

Observatio LVIII.

De monacha phthisica, pro deplorata habita, & quomodo euaserit: & de altero monacho quoq; euadente.

Monacha quædam phthisica pro deplorata a medicis relicta, vt Romæ nobis relatũ est, cũ ibidem agerem, sequenti remedio intra 2. menses sanitati restituta dicebatur: Pullum exenteratũ capiebat, ac in ventre ℥ iij. sacchari rosati ponebat, ac demũ aqua lento igne in olla cooperta coquebat: illoq; decocto supra cineres per totam noctẽ ollã relinquebat: mane vero ex pullo contuso cum suo iure manens in lecto sumebat, superdormiẽs, quo q̃dẽ remedio sana euasit. Alius monachus, cui ossa præ macie crepitabant, vt postea lecto decumbere coactus fuerit p singulos dies: is quoq; a medicis p deplorato habitus, duo oua recentia igne aduerso assabat in foco calido tantum, vt albumina vix coalescerẽt, albuminib. reiectis, vitella in scutella ponẽs: addebat puluer. sulphuris viui ad fabæ quantitatem maiusculæ, saccharo cando asperso eadem mensura, & salis momẽto: quę simul mixta cum vitellis ouorum capiebat hora vna ante cibos alios; & desuper bibebat vini optimi dulcis cyathum vnum: modo sumebat aquã roris solis vna cum vitellis ouorum: interim & pro tussi vtebatur syr. de liq. viol. diatrag. frig. ecligmatis modo; interim & aliis confectionib. destillationem inhibentib. Idem destillabat limaces teneros ante ortum solis in vinetis collectos; cuius & cochlear cũ duobus vitellis ouorum subinde capiebat: ita vt macie consumtus, pinguis paucis mensibus euaserit, & præter spem quoque sanus factus sit.

1.

Scholia.

Scribunt veteres medici, sulphur linctis pdesse tussientib. purulenta, hinc & huic monachæ profuit cum vitellis ouorum. Easdem purulentias pulmonis pectorisq;, & ab eo graueolẽtiã halitus, butyrum efficacissime iuuat, cum pari modo mellis Attici decoctum, donec rufescat, & matutinis horis insumtum ad linguę mensurã: quidã & laricis resinã, vt ante dictum est addunt. Sed hic pulueris descript. Haly contra tabẽ, valde commendatur, quo & monachus ille, de quo dictũ est prius, a Tarantano curatus fuit: ℞. pap. albi ℥ x. gummi arab. amygd. trag. an. ℥ iij. sem. portulacæ, semin. althææ mal. an. ℥ v. sem. cucum. melon. sem. cucurb. citrulli, sem. cydon. mun. an. ℥ vij. spodii. succi liq. an. ℥ iij. peni ad pond. omnium, fiat pul. Felicissime ego & diuerso modo

2.

Puluis Haly contra tabem valens vlceri pulmonis & tussi.

hoc puluere in multis vsus sum, modo cum vitello oui, modo cum syr. pap. vel iuiub. inde ét conficio morsellas & cõfectiones in tabulis, qui puluis complet omnes intentiones: ꝓhibet n. descensum pituitæ ad pulmones, incrassando, ob sem. pap. albi admixtũ in magna quantitate: & quatenus innuatur a gum. arab. & tragac. lenit pectus, & materiam humectat, vt facilius per tussim extrahatur, exsiccatur aũt pulmo a spodio. Fieret autem puluis hic præstantior iuxta Rondel. ℞. *sem. pap. albi* ℥ j. ß. *gum. trag. & arab. farinæ orobi an.* ℥ j. ß. *sem. althææ, portul. cucum. melonum, citrulli, bombacis an.* ℥ iij. ß. *cin. cancr. fluuiat. corall. alb. vsti, succi glycyr. an.* ℥ j ß. *zacch. ros. tab. ad pondus omnium, fiat puluis: dentur* ℥ ij. *cum syr. de pap. vel iuiubino.* Hic puluis est efficacior altero, quia semen bombacis recipit, ac alia, quæ magis humectant, vt semẽ citrulli, cucumeris. In minori quantitate recipit pro spodio (ꝗ conficitur ex ossib. equi vel alterius animalis) cineres cãcrorum, qui multum laudantur, in cancro & in morsu canis rabidi; & in hoc affectu; ob exsiccationem & similitudinem, ꝙ habet eorum caro cũ pulmonibus: ob id eius decoctũ multum laudatur. Coralli & cineres cancrorũ abluantur leuiter cum aqua hordei, post adustionẽ. Nec oportet accipere astaces fluuiorum (vulgo *escriuices*) qui habẽt similitudinem cum cancris: cancri tamen non sunt (vt dicebat Rondelet. vt ex Arist. constat, qui inquit solos cãcros carere cauda, inter ea quæ tenui testa integuntur. Sed adhuc astaces ꝑstaret capere, quã leporem marinum, vt facit Syluius in suis Succedaneis: Est n. prorsus venenum, & sua natura pulmonem lædit. Ob id, qui obnoxii sunt huic morbo, loliginem non edant, quia lepus marinus istis cõmiscetur, ita vt vix ab ea discerni possit, nisi tetro suo odore. Sed pro cãcris fluuiatilibus, qui passim reperiuntur in Italia, capiemus cancros marinos, vel stagni, qui eandẽ habent facultatem, quãuis imbecilliorem, vt docuit Diosc. *c. 10. lib. 2.* Neq; reiiciantur ob salsedinem: nam ea adustione deponitur. Cum aũt in cibo vel iusculis apponuntur vel assumuntur, debent prius ablui aqua hordei, & caro & iusculum assumenda sunt. Valent etiam contra venenum leporis marini potum. Non me latet (inquit idem Rondelet.) in exemplarib. Grecis ꝓ *cãcro marino*, legi *leporẽ marinũ*; sed corruptus est codex, vt patet ex Diosc. *c. de cancris li. 2.* & ex Plinio: & pro *lepore* legendum *cancrum*. Vtimur quoq; vt iam diximus, non sola aqua cochlearum terrestrium, sed & decocto eorundem, & testudinum nemoralium. Vide de testudinum nemoralium & cancrorum condimentis ap. auctores & apud Benedict. præceptorem meum in sua Empirica, de vlcerib. pulmonis & sputo saniei: quibus ego felicissime aliquando vsus sum, vt de hecticis febribus diximus. In sua vero magna Praxi ad phthisin peruenerat, sed vita defunctus, non potuit vltra procedere, cum Bononiæ in celeberrimo gymnasio in Italia per 50 an. & amplius, publice docendo floruit: cuius & ego auditor fui, cũ Bononiæ agerem. Is & plura edidit cõmentaria, & in Aph. Hipp. & in prædictiones, quib. clarissimũ

Puluis Rondeletij.

3.

Spodium.

Syluii error.

4.

Benedicti Faventini laus.

tanti operis testimoniũ nobis reliquit: ac velut ideam cũ ipsa ratione medendi: cuius & iucunda familiaritate vsi sumus: quẽ nos apud Deũ nũc multo celebriorẽ esse speramus, cum & ꝓfatio eius in Empirica pietatem hominis erga Deũ verũ declaret. Verum quantum ad curationem attinet ipsius phthisis seu vlceris pulmonis, quãuis nunc satis de ea dixerimus, si hæc nobis nondũ satisfaciant, poteritis illos adiungere, qui in Rhas. scripserunt, & potissimum ꝗ longo sermone narrantur ab Arculano, vel breuius a Gatenaria: Primo victũ pręscribunt conuenientẽ, qui & caussę phthisis resistat: & hinc primo abscindunt caussam, ꝗ ægrũ ad phthisin deducere possit, curando catarrhum, vel ét anginã, pleuritidem, pulmoniam, sputum sanguinis, empyema, vel similia, si in caussa fuerint. Sed horũ curationem iam diximus. Interea ista curando, ét habent rationẽ phthisis, sed rationem caussæ aliquando habentes, ét ventrẽ soluunt, & aliquando sectionem venę adhibent, vt videre licet apud Arculan. Sed vlcere iam facto, nullo modo conueniunt, neque phlebotomia; nisi noua fiat exspuitio sanguinis, aut venæ alicuius recẽs apertio metuatur, & vires ferãt, sed iis deiectis & extenuatis, neq; solutiua neq; venæ sectio cõueniunt. At vbi vlcus est pulmonis, duas pręcipuas intentiones ponunt, nempe abstersionem seu mundificationẽ; & consolidationem; quib. & tertiam adiungunt, correctionem accidentium. Vlcus in pulmone abstergunt cum syr. facilitantibus sputũ, vt est syr. de liquiritia, hyssopo, marrubio, cum decoctis pectoralibus, ecligmatibus, potionibus. Deinde consolidant, quamuis magis studium esse volunt, in abstergendo, cum postea natura ex seipsa sæpius incarnet & consolidet; ideo præcipue vtuntur zaccharo ros. Interea pro consolidatione vtuntur pulueribus iam supradictis, ex terra sigillata, bolo, & aliis apud Mesuem tum Arculan. & alios descriptis, cum lacte, aqua pluuiali vel chalybeata cum syr. e miua coroneorum, & succo myrti, & similibus: cautionem tamen adhibent, quod, si ex eiusmodi astringentibus sputum retineatur, exhibent cum syr. de hyssopo, de liq. vel cum decoct. pectorali & similibus. His & alii adiungunt adhuc intentionem exsiccandi & resoluendi cum iis, quæ lambuntur & suffumigantur: de quibus vide Arculanum capite de tussi. Huius etiã fumigii mentionem facit Rondel. Hic tamen canonem obseruari volunt, ét cum de tussi loquerentur; ꝙ nõ sint administranda, nisi cum febre careant, vel exigua sit materia. Quare cum cautione istis vtendum, & videndum nunquid sputum retineãt. Habes formulas descriptas ad vlcera pulmonis apud Rond. *De medicam. internis fol. 141.* & ad alios affectus. Volunt tñ quidã, ne iis vtamur in vlcere pulmonis, & vbi multa est materia saniosa in pectore, vti Gradus admonebat *c. de tussi.* ideo & Arculan. cum ea suspecta sint, nolebat vti nisi leuiorib. ex gummi cedri cum melle, adiecto exiguo galbano; & licet ét ad hanc intentionem Galen. vtebatur theriaca; eadem, vt suffitus, illi suspecta erant ob hecticam. Sed Galenum Theriaca vsum fuisse credendum,

5.

Curatio eorum qui Arabum decreta sequuntur.

6.

7.

febre nõ admodum valida existente. Vltimo addunt correctionem accidentium, & præcipua duo ponunt, nempe fluxum vẽtris, & extenuationem: quibus alii addunt tussim validam, sputum sanguinis, constipationem ventris, fastidium, febrem putridam, vt Arculan. facit; nonnulli & sitim addunt, fluxui ventris occurrunt cum pul. descripto apud Rhas. c. proprio, *qui fit ex pul. gum. arab. spodii, boli armen. sem. myrtini, an. p. æqual. vel* ℨ j. contritis in farinæ modum: ex *syr. myrtino vel pap.* saluberrime datur drachmæ põdere. In phthisi igitur rationem accidentium habere oportet. Sic pater meus carissimus Iordanus Forest. vir nobilissimus, p. m. cum senex annum 65. fere attingens, ex tabe moreretur, licet toto morbi decursu nihil cruoris exspueret, circa finem vitæ guttur quasi inflatũ erat, per abscessum, vt videbatur; sed eo iterum delitescente, in alui profluuium incidit, cui statim occurrebamus, cum iure restaurante, ex capone & perdice, adiectis pyris, & pomis cotoneis & semine berberis, adiecta pauca aqua ros. & sumach. (& his similibus) vt magis constringeret, & exiguo vino cotoneorum, vt illum simul restaurare possemus: etiam ventrem inunximus vnguentis restringentibus: nã fluxus ventris, vt recte admonebat Rondeletius, magis iuuatur ad extra astringentib. ventrem, vel remediis infusis per sedem: quæ si per os sumantur, faciunt anhelitus difficultatem, & tussim excitant; vel sputum retinent. conserua tamen ros. cum terra sigillata vera, vel bolo cum syr. myrtino, minus nocet. Sed cum talis fluxus plerumq; lethalis sit, præcipue in fine, vt diximus, parum in patre meo carissimo iuuerunt, ita vt vir senex admodum pius, anno 1559. vlt. Febr. die in Domino quieuerit, postquam benedictione vltimo habita nos filios suos tum filias Deo commendauisset Abrahami modo. Extenuationi vero occurritur restaurantibus, de quib. iam satis dictum est, quale illud est, quod habet *aliquid carnis testudinis mundatæ, & cancrorum fluuiatilium in aqua hordeacea decoctorum, nucum pinearum, pistaciorum, amygdal. dulc. passul. mundat. seminis cucumeris satiui & melopeponis purgati: singula separatim conterito, penid.* addito & sacchari perpurgati albissimi q. s. ex aqua cochlearum destillata ad vnitatem redigito. Quidam adiiciunt superstitiosius, vt putant aliqui, *gemmarum quarundam farinam, porphyrite marmore tritam, vel aurum*: sed diligenter videndum ne aliqua fraude officinarum lapides illegitimi pro veris & pretiosis immisceantur. Sed de nutrientibus & roborantibus antea dictum est, & auctorum libri his scatent. Tussi autem subuenimus, vt cap. proprio de tussi dictum est, ita & sputo sanguinis: de quo prius satis egimus. Si igitur in vlcere pulmonis denuo sputum sanguinolentum appareat, vel superueniat, vel præcedat, ad caput de sanguinis sputo recurrito. Constipationi ventris, quæ tamen non est adeo timenda in hoc malo, facilime occurrimus cum enemate leniente infrigidante & humectante, vti ex *lacte, zaccharo, vitello oui, & oleo viol.* &, si necesse est, cassia adiecta, vel melle viol. idem præstat *lac sumtum cum multo zaccharo, & iure gallinarum cum zaccharo*. Fastidio autem & deiectioni appetitus obuiant exhibitione cotoneorum & miua, & emplastris ex cotoneis & vino ac aceto rosisque, momento galliæ muscatæ adiecto (modo non sint mulieres, quæ morbo vterino laborant) ventriculo appositis: ego vtor solo cerato ex mastiche ad ventriculum roborandum. Febri subuenitur aqua hordei & prisana hordeacea. Si inualescat febris putrida, constante virtute, digeratur humor febrem faciens, & euacuetur secundum exigentiam, sed leuibus ob extenuationẽ. Et si adsit hectica sine putrida febre, succurratur balneo, eo modo quo de febribus hecticis ad longum docuimus. Vigiliis subuenimus emulsione *papauer. & syrup. eiusdem*, qui optimus est in hoc morbo, modo non retineatur materia intra pulmones & crassitiem: nam tunc vbi sputum retineretur, ab eo abstinendum, & potius linimentis soporiferis circa tempora vtemur: vel *syrup. viol. cum aqua hordei* dabimus, si sputum retineatur, & relaxantibus vnguentis pectus inungemus, & eclegmatibus sputum expectorantibus iam superius dictis. Nunquam adeo attentum esse oportet ad id, quod magis vrget, vt omnino negligatur morbus aut aliud symptoma minus. Siti occurremus cum iis, quæ de siti diximus in febr. & pilulis sub lingua *ex muccagine cotoneorum, psyllii, semin. 4. frigid. maior. mund. & succo glycyrrhizæ, & diatrag. frig* quæ omnia etiam ad phthisin & tussim ac exsiccationem faciunt. Si vlcera sint in aspera arteria, vel, vt alii scribunt, in canna pulmonis, curantur vt vlcera pulmonis cum medicamentis abstergentibus & consolidantibus, quæ potius vt eclegma lambendo diu in ore detinenda, & paulatim deglutienda, vt in asperam arteriam descendant sine tussi, vt *diatrag. cum pauco melle vel syrup.* conuenientibus ad consolidationem, *diatrag. cum bolo vel terra sigil. cum syr. myrtino*, ita & in vlcere pectoris procedendum, vt de pulmonis vlcere dictum est, si nec ita sanetur, sed in fistulam transeat (quales nos multos annos superuixisse vidimus) nulla alia est via in curatione, vt antea dictum est, nisi aperiatur exterius, vbi tumor est, vel cauterio vel scalpello aut phlebotomo, vt antea dictum est; & egresso pure & repurgato vlcere, consolidetur. Quod si aliquid costæ sit corruptũ, pars eius corrupta medicinis vel cauterio actuali euellenda, postea rursus repurganda, & consolidanda. Nouimus tamen in multis post apertionem, exterius vlcus non potuisse consolidari, & perpetuo virus e pectore euomuisse & diu ita vitam protraxisse: imo noui quosdam ita fistulas in pectore habentes, alioqui bene valere (*vt in quodam Cornelio Ioannis apud Delfenses puerorum magistro*) præterquam quod fistula tale virus modo plus, modo minus euomat vsque ad vitæ finem sine incommodo viuentes, quanquam misere vitam trahunt ob virus & pus, quod ita perpetuo euomitur & effluit. Et ita absoluimus omnia thoracis ac pulmonis vitia ac morbos, tum partium vicinarum, quibus hunc librum finiendum esse duximus, & ad cordis mala accedendum.

8. 9. 10. 11.

Vlcera asperæ arteriæ seu canna pulmonis.

Vlcera pectoris.

LIBER

LIBER DECIMVSSEPTIMVS, De cordis ac quibusdam mammillarum affectibus.

OBSERVATIO I.

De cordis palpitatione, variisq; exemplis eiusdem, & de quodam vulnerato vehementissimam palpitationem cordis incurrente.

1. Alpitationem cordis (quæ nihil aliud est quam immoderata cõcussio, vehementi diastole ac systole molesta) veteres vel in sanguinis exsuperantiam retulerunt, vel in humorem copiosiorem in pericardio infixum, vt Fernelius censebat; & secundum eundem etiã retorrida bilis aliquando eandem peperit, quæ alias sponte vacuari consueuerat, in arterias effusa. De hac meminit Fernelius, duos a valida pilæ exercitatione repentina morte sublatos, cum in illis deprehenderit bilem in tophi nigri speciem concreuisse. In ceteris vero caussam animaduertimus bilem esse perassatã, interdum in præcordiis, sæpius in liene congestam. Quamobrẽ in hoc symptoma plurimum propensi sunt, qui hypochõdriaca melancholia laborant, vt sæpe animaduertimus: atq; his dieb. iuuenem quendã nobilem Mansardum nomine, valde ingeniosum, doctũ, sed melancholicum, præ manib. habuimus, qui frequenter palpitationẽ cordis incurrebat, idq; sæpissime ex tristitia.

2. Vehemẽter exasperatur hoc malum immodica exercitatione, æstu, balneis, venere, crapula, excandescentia, meraciore vino. Is enim si præcipue vinum Rhenanũ (quia subtile, vt arbitror) sumeret, magis hoc malo tentabatur; & præcipue ex metu & tristitia: & quamuis sæpe per me curatus fuerit, ex leui caussa in melancholico hoc malum redibat, aptis autẽ hic remediis eo tẽpore a me curatus fuit; quanquã idem postea hinc discedens, vt audio, non sine melancholia viuat, etiam hoc tẽpore anno 1590. cum hæc rursus colligerem. Frequẽtissime cõtingit a flatuosis, fumosis, malignis, crassis vaporib. atq; spiritib. in pericardio magna ex parte, aliquando etiam in sinibus cordis conclusis qui aut in corde generantur, aut aliunde inferuntur, nimirũ ex hypochondriis, in hypochondriaca melancholia (vt nunc diximus) & in iis quibus lien bilis atræ copia turgescit. In his etiã circa lienem & pancreas cõspicua & molesta percipitur arteriæ palpitatio: ex eoq; loco per arterias, quibus multis lien perfusus est, teter aterq; vapor promte in cor vicinum subit, cuius vi & malignitate irritatum, vehementiori pulsatione nititur ꝙ noxium est excutere; haud secus atq; cerebrũ in epilepsia. Iam etiã hoc malum oritur subinde ab vtero, ventre aliisq; corporis partib. male dispositis: ex partibus enim prædictis facile multi fæculẽti fuliginosiq; vapores per arterias in cor subeunt. Sæpe quoque fit ab aquoso putridoq; humore, vrinæ simili, a quo malus odor quoq; efflorescit, qui maiori copia pericardio concluditur, quã vt cor libere se dilatare possit.

3. Et licet ab ira, exercitio, tum supradictis sæpe irritetur, animi & corporis quiete remittitur: contingit equidem cor a prædictis caussis irritari, tuncq; nititur (vt iam diximus) id quod noxium est valida pulsatione expellere. Potest idem malũ nasci ex tumore aliquo aquoso, sanguineo vel carnoso in pericardio enato, vel a tuberculo, abscessu, vermibus, cor vellicantibus, subita euacuatione, impraegnatione, vt postea exemplũ ponemus, inflãmatione, item ab aqua tunicæ inclusa, & humore putri ac male olẽte, lapillis, venenosa qualitate in illa tunica hærentib. aliqui addunt & a veneno, quod tamã negat Iacchinus: Ego, inquiens, omnes naturas venenorum legens, syncopas quædam facere audiui, cordis palpitationem non audiui. Ab halitu tamen & vapore flatuoso educto ex vitioso humore fieri volũt ob eandem caussam & ictericis & spleneticis, melancholicis fere omnibus, & cachexia laborantib. puellis & similib. & qui in aquam intercutẽ incidunt. Sed & interpres Hollerii etiã a venenosa qualitate & spirituoso halitu tum aliis omnib. iam dictis oriri asserit, siue ab externis, siue ab internis, siue in ventriculis cordis, siue in substãtia, siue in pericardio, siue in arteriis caussa subsistat, siue accidat extrinsecus, vt vtero, liene, hepate, ventriculo.

4. Quæ omnia iam supradicta ab Hollerio obseruata sunt. Sic archidiaconi, hoc malo interemti, corpore dissecto abscessus in substantia cordis inuentus: in alterius pericardio, aqua: in Britone quodã inflammatio cordis: in alio abscessus in vena arteriosa: in multis pericardium flatu distentum, qui tandem in aquam solet concrescere, nisi cordis calore dissoluatur. In muliere quę quatuor mensium spatio incredibili vrinę cruciatu laborauerat, duo calculi reperti in corde cum multis abscessibus, integris renibus & vesica. Sed notatu dignissima historia Præsidis primarii Rhotomagensis, nomine Remon, qui ab ineunte ætate ad annum quinquagesimum quintũ, quo obiit, cordis palpitatione corripi solebat, præsertim a somno meridiano, & vbi arctius tibias constrictas habebat. Sensus quidam tremulus erat ad carotidas: huic pulsus vel nullus, vel paruus, & sine ordine. Soluebatur paroxysmis edito crepitu, ruptu, clystere, dolore in mediis clauiculis excitato, deinde in frõte, vel tussi satis violenta sponte mota. Relictis tibiarum vinculis, & somno melius habebat. Eadem symptomata in muliere nobili apparuerunt. Vtrisque hepar calidius, ventriculus frigidior. Hinc multa fuliginosa excrementa, spirituosusque vapor & crassus, in arteriis interceptus, continebatur, qui in cor exhalans, incutiebat tremorem vel palpitationem, donec motu, attritu, aut calore (quod ad id non sufficeret facultas vitalis) dissolueretur, aut alicunde exitum haberet.

5. Eodẽ modo & ob eandem caussam paulo ante & ictericis, spleneticis & melancholicis fere omnibus & cachexia affectis euenire diximus: eodem modo & Galenus, ex balneo & vitiosis lignis accensis mulierem solitam animo deficere & palpitatione cordis laborare, scripsit: alteram ab vteri affectibus idem pati: cuidam, si vel per horam lauaretur, idem accidere, nisi prius panis aliquid assumsisset: hominem,

dum exsolueretur, & cor fortiter palpitaret, repẽte interiisse. Sed omnibus neq; eadem caussa, neque eadem pars affecta: modo enim in ore stomachi, modo in corde fit principium defectionis animi. Palpitatio quoque non semper caussam habet in corde, sed pars affecta est, cum qua mutuum habet consensum, vt pericardium, & arteriæ, præsertim maiores & viciniores, inde vterus & similia. Caussa autem modo per se morbum efficit, vt tuberculum, lapillus, aqua, inflammatio, de quib. paulo ante dictũ est; modo aliquid commouet, quod morbum efficiat, vt balneum & ligna succensa in muliere, cuius meminit Galenus, & hepar ac ventriculus in præside Rhotomagensi, quam caussam Hippocrates manifestam appellat aphorismo adducto, sicut priorem non manifestam, a qua periculum mortis repentinæ imminet, non ab altera, licet tandem quoque interficiat. Ob idque vitam præses ad 55. annum produxit, cum ceteri eodem morbo, sed caussa dissimili, breui perierint. Verũ hæc euenisse compertum est: sed quod nunc referam rarissimum & minus a multis visum, quod iuueni cuidam accidit robusto, vigesimum octauum annum agenti. Hic in pago Schaga dicto, an. 1549. mense Iunio vulneratus fuit in dorso sub scapula sinistra, vulnere thoracem transeunte; qui mox febre valida continua acuta correptus est, & in cordis palpitationem adeo vehementem & violentam incidit, vt etiam extra domum, in qua æger decumbebat, a transeuntibus (potissimum, si fenestræ occlusæ aures admouerent) palpitatio cordis exaudiretur: vt in vita similem casum neque audierim neque viderim, neq; a præceptoribus meis obseruatum compererim: quamquam Fernelius, medicus, si quis alius, clarissimus & doctissimus, scribit huius tantam vim esse, vt sæpe sit animaduersa thoracis vicinas costas effregisse; sæpe & eas, quæ supra mammam sunt, de propria sede depulisse; sæpe etiam arteriã foras dilatasse in aneurisma, contracti pugni magnitudine, in quo & tactu & visu conspicua erat pulsatio. Ita quidem affecto corde arteriæ omnes vehementius pulsant ac interdum dilatantur, præcipue vero, quæ supra iugulum sunt. Ad hunc iuuenem cum ingressus essem, hanc grauem palpitationem animaduerti ortum habere ex sanguine intus remanente, vel ibidem concreto: quanquam chirurgus (vt ii homines solent) omissa venæ sectione potiones vulnerarias & sanguinem dissoluentes exhibuerat: cum tamen venæ sectio in recenti vulnere facto (nisi in ventre consistat) statim fieri debeat, & expediat quoque ex ipso vulnere statim sanguinem plus minusve effluere: quippe phlegmone sic minus tentabitur, tum vlcus ipsum, tum quæ circumposita ei loca sunt: & ideo etiam statim venæ sectionem adhibere oportet. Male igitur tonsores nostri, vel qui chirurgi esse volunt, in vulneribus magnis interiora penetrantibus ab initio sanguinis missionem omittunt, statimque tanquam ad sacram anchoram confugiunt ad suas potiones vulnerarias consuetas, easque subinde admodum calidas propinant, quibus amethodi perpetuo vtentes febrem ac phlegmonem inducunt, mortis caussam inferentes. Siue igitur multus sanguis defluxerit ad cor (nam & a multo sanguine obstructionem faciente palpitatio oriri potest) semper & ratione febris & potissimum palpitationis conueniebat venæ sectio, idque in iuuene robusto, licet vulnerato, in quo sanguis non satis ex vulnere fluxerat: cum & vulneris quoque ratione venæ sectio ineunda erat, vt 4. methodi medendi Galenus ex Hippocratis decreto docuit. Iam quoque multoties Galenus subito palpitationem cordis sine alio accidente, aut vulnere euenientem detractione sanguinis curauit: imo omnes palpitatione correptos (*vt 5. de locis affectis habetur*) venæ sectione sanauit: & quendam quotannis verno tempore incidentem in palpitationem eodem modo præseruauit, cum tales, si ab ea abstineant, magna ex parte subito quandoque intereant. Memini non ita pridem rusticum quendam vulneratum in pago Scermerio dicto etiam in palpitationem fere similem incidisse, & ob sectionẽ venæ prætermissam subito interiisse. Quare venam sinistri brachii tundere feci, sanguine satis pro viribus extracto; & ilico a detractione sanguinis, inscio chirurgo, melissam viridem & boraginem accepi, contritas inquam herbas, ne ab astantibus cognoscerentur, easque supra tegulam mundam ignitam posui, aqua rosacea & aceti momento irroratas: quas cum cordis regioni admouissem, miraculi seu incantamenti modo, ilico cessauit cordis palpitatio, omnibus admirantibus, qui præsentes erant; adeo vt vix aliquis vulneratus in eodem pago (cum tunc Almariæ in patria praxin exercerem) si postea decumberet vel male haberet, me non vna cum chirurgo in curatione admiserint, & tempestiue, ad quosuis vulneratos vocauerint. Hoc autem arcano, nulli nisi viro Pythagorico reuelando, aliquando vti videram præceptorem meum Elideum Forliuiensem, vel Paduanum, in praxi versatissimum; in nosocomio Bononiæ vulgo appellato Vitæ. Verum is solo melyssophyllo vtebatur; nos boraginem hoc tempore adiecimus. Ceterum licet palpitatio curata foret, nec amplius rediret: attamen ratione febris tum vulneris, cum postea aluum non satis deponeret, sequens leniens medicamentum propinaui: *℞. diacatholici ℥ vj. electuar. de succo ros. ℥ j. ß. dissolue cum ℥ iij. decoctionis infrascriptæ: ℞. vngulæ caballinæ viridis, consolidæ vtriusque & maioris, & bellidis, scabiosæ, buglæ, saniculæ, capill. veneris. agrimon. viol. ana m. j. radic. fœniculi, bugloss. glycyrrhizæ rasæ, ana ℥ j. cicerum rub. ℥ ij. fiat decoctio in sero lactis pro ℔ j. ß. zacchuro colat. dulcoretur. sumsit autem in diluculo lenitiua iam dicta cum ℥ iij. huius decoctionis*: altero die post venam sectam optime aluum excreuit, febre cessante nec palpitatione cordis redeunte. Interea pro vulnere reliquo decocto bis in die vtebatur ℥ j inter ebulliendum rubia tinctorum adiecta, & pro tussi, quæ tunc leuis aderat, modo ex syr. sequentibus, modo ex diatrag. in tabulis exiguum quid sumebat:

℞. syr.

℞ syr. viol. glycyr. an. ℥ ij. borag. ℥ j. postremo & his herbis in ceruisia decoctis & colatura facta bis in die pro vulnere repurgando & consolidando vtebatur: ℞. caulium rub. saniculæ, buglæ, vngulæ caballinæ, artemisiæ rubescentis, melissæ an. m. j. incisa in ceruisia communi coquantur: quibus remediis vulnere intus repurgato, opera deinde chirurgi, breui vulnus sanatum est, ac nutu Dei æger conualuit.

SCHOLIA.

12 HIc quidam antequã ad cordis affectus descendant, cordis naturam describunt, eiusq; structurã & situm, ac cordis & cerebri opera. de quib. quia nos in præfatione nõnihil diximus, deinde etiam, quia Galenus, De vsu partium abunde de iis egit, & post eum alii auctores, vt Arculanus & Iacchinus, tum alii plures, eos perlegere poteritis, & Benedictum Veronensem. Sed quia hic breuiter de cordis affectibus agere institutũ est; Cordis igitur mala hæc plerumq; sunt, palpitatio cordis frequens, animi defectus, cardiacus morbus, habitudinis corruptio, sicut est hectica dispositio, de qua satis dictum est in libris nostris, De febribus hecticis & marasmo. At vlcuscula non patitur membri nobilitas, nedum vulnera aut abscessus: protinus enim, teste Paulo Ægineta, subducuntur spiritus, & extrema sudore profluunt, & frigore corripiuntur exitiali: imo auctore Plinio quouis modo læsum mortem adfert. Mulier tamen quædam Clara nomine & genere, apud Beniuenium cap. 35. cordis dolore interdum vexabatur, quem medici a malo ipsius cordis habitu fieri arbitrabãtur. Sed cum pluribus iam annis connubio iuncta non conciperet, & sterilitatis caussam quæreret, ac tollere conaretur multis præsidiis, ita demum dolor ille cordis increscere cœpit, vt perpetuus fieret. Ex quo sæpius etiam mulier ipsa deficiens, recreari vix poterat, donec, eo iam magis magisque inualescente, e medio sublata est. Ceterum mortuæ corpore inciso, & frustulum nigrioris carnis in sinistro cordis ventriculo supra arteriam, quod mespili formam haberet: & vulua a medio infra versus imam eius partem iunctis oris obcalluisse reperta est, quare vt tuberculum illud mortis, ita hoc sterilitatis caussam fuisse cognouimus. Callũ quoq; cuidam in arteria magna, loco cordi proximo, natum obseruauit Dodonæus medicus mihi familiaris. Multis hic annis cordis palpitationi obnoxius crebro fuerat; sex vero ante mortem mensibus in sinistro carpo pulsum tam exiguum habuit, vt nullus frequenter apparuerit, ac sæpe sentiri non potuerit. Fuit quoque, palpitante corde, difficile admodum huic potum admittere, ita vt vix vnciam simul bibere potuerit. In pectoris huius spatio sublutei coloris humor collectus quoq; fuerat. At vulnus cor penetrans statim lethale est: vti meo tempore euenit in iuuene illo, fratre cuiusdam chorauli Alcmariani, qui a quodam Veneo dicto vulneratus in pectore iuxta mãmillam sinistram, protinus sanguine effluente mortuus est. Galenus hoc ipsum confirmauit, necesse esse hominem mori, idque præcipue si sinistræ partis cordis ventriculus vel venter fuerit vulneratus. Si vero non ad ventrem vsque pertingat, sed in cordis substantia consistat vulnus, ex ita affectis aliqui nõ solum ea die, qua vulnerati fuerunt, sed sequenti quoq; nocte viuere potuerunt, qui oborta deinde inflammatione exstincti sunt: vt vir ille in Scermerio pago, de quo diximus obser. præcedente, etiam mortuus est. Sed ii quam diu vixerũt, mentis compotes inuenti sunt: vnde euidens sibi testimonium sumit Galenus: & eiusdẽ cordis substantia secta, negat rationalem animæ vim in corde consistere. Mirabile tamen quid refert Beniuenius, de abditis rerum caus. cap. 42. De cordis parte patefacta: Inciso inquit, abscessu, qui supra septimam vertebram innatum longo temporis interuallo sinum fecerat, intimamque membranam sua sanie prorsus eroserat, minima ipsius cordis pars oculis cernentium patefacta est. Verum cum hominem summa & diligentia & solicitudine curaremus, in pristinam redactus est sanitatem. Hic tamen cor læsum non videbatur, licet aliqua pars ipsius oculis cerneretur: nam sicuti cor vulnera non sustinet, ita nec eius membranæ inuolucrum, cuius aquosus humor effluit: eo quoq; abundante macies subsequuta fuit in simia secta apud Galenum, vt de Marasmo diximus in 4. lib. febrium hecticarum scholio obseru. 10. quæ cum ad extremam maciem deuenisset, vitam cum morte mutauit, cum & palpitatio cordis ex eadem aquositate abundante fieri possit. Refert tamen idem Beniuenius ictũ in cordis tunica conualuisse in quodam iuuene a fratre læso, in quo signa lethalia aderant; quem idem ad sanitatem perduxit, cum eius cordis tunica tantum leuiter fuisset ex vulnere perstricta. Huius videas historiam eodem lib. cap. 65. Verum hæc ad vulnera pertinent. Sed nunc de cordis palpitatione agamus, prætermissis iis vitiis, quibus, vt Ægineta refert, etiã cor afficitur, nempe ex phlegmone, erysipelate, ceteris vehementissimis distemperantiis, acutissimis febribus, de quibus in libris nostris obseru. de febrib. egimus: cum multi ex animi mœrore, terrore & subita ingenti & insperata lætitia animo defecerint, & exstincti fuerint. ideo vtile est ex quibusdam notis qualitates cordis prius dignoscere; de quibus Gal. in primis consulito in libello, qui titulo Artis Paruæ circumfertur, & de calidi, frigidi, humidi & sicci cordis signis; quæ ad longum etiam a Ben. Alex. Veronensi, lib. 10. cap. 3. referuntur. Sed illud valde admirãdum, quod Beniuenius refert de quodam Iacobo latrone, qui e patibulo, quo suspensus fuerat veluti iam mortuus, cum tamẽ adhuc viueret, depositus atque curatus conualuit. Verum vt erat homo ingenio malo prauoque, ad eadem statim scelera reuolutus, quib. antea extremum promeruerat supplicium, iterum capitur atque suspenditur. Quare hominis admirati (inquit Beniuenius) nequitiam, mortui cadauer incidendum curauimus: & inuentum est cor eius ob eximiam caliditatem vndique pilis refertum. Hoc idem inuentum est in corde Aristomenis Græci, qui solus perhibetur integras acies pugnando infugam vertisse. Est ergo non tantum scelesti ingenii signum

Margin notes:

13

Historia tuberculi supra cordis arteriam.

Cordis ventre vulnerato statim mors sequitur.

14 *Historia Beniuenii, De cordis parte patefacta.*

15 *Eiusdem historia de leui cordis tunicæ læsione.*

16 *De latrone cor pilis refertum habente.*

sed quandoque etiam raræ fortitudinis. Ita & alius quidam Iacobus apud Amatum *cent. 6. curat. 65.* pilos in lingua genitos habebat, satis longos. Sed & Ferrariæ idem vidit alium consectum, cor pilis circumseptum habuisse, eumque insignem quoque latronem & grassatorem. Verum quod ad palpitationem cordis attinet, cuius iam caussas fere omnes retulimus, hanc Galenus a frigidis tantum caussis euenire putat; & ideo, vti veteres medici quoque, calefacientibus ac extenuantibus remediis, tum attenuante victu curabant. At Arabes, & iuniores medici quidam, etiam qui Galeni doctrinam profitentur, ex calida posse oriri contendũt. Vtrinque inter se digladiantur. Sic alii priorem partem defendunt ex frigore solo oriri; vt longo sermone videre licet apud Altimarum, & etiam Iacchinum, & alios non paucos. Alii & ab intemperie calida fieri contendunt, vt Rondeletius, qui & contra intemperiem calidam, si ab ipsa oriatur, diamarg. frig. & diatrag. frigidum præscribit. Holerius quoque ab vtraque intemperie posse fieri, vt & omnes, qui Arabum decreta sequuntur, autumat. Medici quoque etiam illustriores quidam confundunt palpitationem cum tremore. Diximus autem obseruatione *99. libr. 10.* (& scholio eiusdem, cum de tremore manuum loqueremur) tremorem a palpitatione & iectigatione (etiam scholio obseru. 100. cum de palpitatione & iectigatione in musculis ageremus) multum differre; cum tremor (vt etiam Galenus scriptum reliquit libro De palpitatione, tremore, rigore & conuulsione (Græcis τρόμος dictus, sit motus inuoluntarius sursum & deorsum motarum partium ab inuicem, vt patet apud Galenum præcitato loco; vt a palpitatione discrepet, quoniam non idem est sursum ferri & eleuari, neque deorsum ferri & deprimi: cum palpitatio sit partium eleuatio quædam præter naturam atque depressio, eodem Galeno auctore loco citato. Et ita tremor cum alio priorem locum mutat; eleuata vero & depressa in palpitatione seruant antiquam sedem, vtrisque tamen commune, quod moueantur non sponte, sed inuoluntarie & præter naturam: sed proprium palpitationi, maiorem & minorem locum, nõ relicto primo, occupare: proprium vero tremoris, primum locum relinquere. Tremoris motus quoque mixtus est & compositus, qualis est arteriarum pulsus, & præsertim pulsus formicantis non absimilis. Nam tanquam in hoc pulsu arteriæ motus in minima spatii intercapedine agitur, sic in tremore animalis, particula quæcunque ab imbecilla virtute mouetur; vicissitudo autem motus non ab vna proficiscitur natura, sicut in arteriis, sed ex pugna virtutis & ponderis corporis: & quãuis omnino huius symptomatis generatio cum conatu sit mouendi: est tamen cum virtutis infirmitate. Neque idem locus in trementibus ac palpitantibus afficitur: nam tremor inualidæ virtutis actio est; in ipsa vero palpitatione, facultas haudquaquam læditur, sed instrumenta seu partes ipsæ quæcunque præter naturam dilatari possunt & rursus subsidere, vt in cute sæpe incidit & subiectis musculis, postremo ventriculo, vesica, vtero, intestinis, iocinore, liene, septo transuerso ac arteriis & corde, de quo nunc loquimur, quod afficitur per se vel ex locis vicinis, vt iam diximus. Tremor autem est impotentis symptoma, cum imbecillitas sit virtutis motiuæ corporis; neque vna caussæ species, quæ tremorem efficiat, reperitur, veluti papitationum, vt quidam volunt: quarum ortus est a nebuloso, crasso, vaporosoque spiritu. Neque remediorum vnum genus tremoribus & palpitationibus, vt lib. citato apud Galen. constat de palpit. trem. quo item loco ac *lib. 2. de caus. symptom. & de morbis vulg.* diuersas tremoris caussas conscriptas discere poteris. Ideo errant, qui palpitationem cum tremore cordis etiam cõfundunt, licet nonnulli de iisdem vno capite tractẽt: & quidam etiam volunt, tremorem ex leui caussa fieri, palpitationem vero ex grauiori. Differt quoque palpitatio cordis a pulsu, cum palpitatio nihil aliud sit, quam ipsius eleuatio & depressio, vt diximus, præter naturam, vel ipsiusmet cordis dilatatio præter naturam. At in pulsu est secundum naturam diastole & systole. Palpitatio itaque est symptoma deprauati motus pulsatilis cordis præter naturam, sequens morbum consimilem, nempe malam & inæqualem temperaturam cordis essentialem, vel ipsi aliunde communicatam. Altimarus vero ait sequi intemperiem frigidam cordis; alii & calidam, & ex lib. De palp. dicit etiam ad vnitatis quodammodo solutionem cõsequi, cum vel tumor præter naturam in eadem ambiente cor tunica, dura siquidem, fieri posset, aut humorẽ in se cõtinente, qualem pustulæ, quas Græci hydatidas vocãt, emittere solent. Facile autẽ cognoscitur ex ægri relatione: namque cor ipsum præter pulsum palpitare sentiunt, quem proprium motum cordis appellamus: insuper & medici ipsi manu adhibita supra thoracem, loco quo cor ipsum situm est, tum tangendo sentiunt, qui adeo grauis fuit in nostro vulnerato, vt etiam exaudiretur, vt dictum est. Adest quoque spiratio exigua & rara, & pulsus inæqualis, ex eo, quod cor affectum est per se vel per consensum, vt iam satis in obseru. præcedente declarauimus.

Vtrum palpitatio cordis veniat a sola intemperie & a calida, medici inter se non satis conueniunt.

17

Tremor quid sit.

Palpitatio quid.

18 *Tremoris & palpitationis conuenientia & differentia.*

Modus generationis tremoris.

19

Quarum partium sit affectio palpitatio.

20 *Quib. differat palpitatio a pulsu.*

Quis præter naturam affectus, & quem cordis morbũ sectetur. Signa.

OBSERVATIO II.

De palpitatione cordis ex sanguinis multitudine.

IVVENIS quidam tempore veris, integra valetudine vtens (licet antea, vt ab astantibus intelligere potui, multis alimentis multum sanguinẽ gignentibus vsus esset, etiam copioso vino, & carne multa) cum subito in cordis palpitationem incidisset, atque ad eum acciti essemus, statim mihi in mentem venit illud Galeni dictum, *libro 5. De loc. affect. capite 1.* quod palpitatio cordis, pluribus integra valetudine degentibus, tum adolescentibus, tum adultis, subito sine alio manifesto accidente euenire visa est, atque omnes eos sanguinis detractio iuuit. Atque hoc accidente plane liberati sunt, qui post missionem sanguinis tenui victu, medicamentisque similibus vsi sunt: quos vero rursus huiusmodi accidens infestauit, eadem

I

via curati sunt. Ceterum noui quendam (inquit idem Galen. eodem loco) quotannis, verno tempore huiusmodi palpitationis accidēte vexatum: qui cum per tres annos a sanguinis detractione se adiutum intelligeret, anno quarto, antea quam accidens ipsum inuaderet, sanguinem misit: idq; plurib. deinceps annis faciendo, illa quæ post sanguinis missionem facere oportuit, diligenter obseruauit. At nihilominus hic quoq; ante senectutem morte præuentus est: sicuti & reliqui omnes, quorum alii quidē per acutas febres, alii vero cum sani degerent, affatim syncopo intercepti, interierunt: quamuis vnus vel duo, citra syncopam, alia quadam mortis specie perierint. At vero sic affectorum magna pars, ætatem agebat quinquaginta quidem annis inferiorem, sed quæ quadraginta annos excederet. Hæc Galenus: cuius verba diligenter animaduertens, statim in iuuene carnoso, (virtute ac ætate, seu alio quopiam non inhibente) venam internam dextri cubiti secari iussi, cum totius corporis plenitudo adesset, quæ si non adfuisset, in sinistro misissem: & quia hic sanguis in bene valente satis multus esset & crassus, sua copia obstructionem faciens coarctatoriam, victum attenuantem & medicamenta deinceps attenuantia & cordialia præscripsi; & mandaui vt in aere mediocriter calido & sicco degeret, grauisque odoris experte, quinimo vt suauiter oleret arte id pararet. Omnia odorata cordi familiaria sunt. Somnū vero moderatum amisi, iubens tamen vt vigilias immodicas vitaret, & maxime immodicos animi affectus, præcipue mœstitiam & metum atq; etiam lætitiam immodicam, motumq; vehemētiorem & Venerem præcipue: & si leui exercitio vti vellet, illud quidem temperatum concessi; & vt aluum leuem seruaret arte vel clysteribus aut balanis, & vt cibos eligeret immodicę humiditatis ac flatus expertes, sed boni nutrimenti facilisq; concoctionis: vt sunt carnes pullorum gallinaceorū, starnarum, gallinarum, phasianorum, perdicum, merularum, turdorum, cuniculorū paruorum, ac aliarū auium paruarū montanarum, vitulorum, leporum; eiusq; vteretur præcepi modo assis, modo elixis, hyssopo, serpillo, satureia, & præcipue melissa, borag. bugloss. pimpinella, & similibus adiectis, & in carnium iure garyophyllis vel macere aut cinamomo & exiguo croco iniectis, quæ cor refocillant: & ad recreandum vires vino exiguo vteretur tenui & dulci mediæ ætatis, cum aqua boraginis, melissæ diluto, vel subinde iniectis floribus boraginis, buglossæ, vel ipsa pimpinella, si virides haberi possint. Deinde exhibui *syr. de pomis, de epithymo, de corticibus citri ex infus. ros. cum decocto melissæ.* Leniente medicamento deinde vtebar, sumendo ℥ j. ß. *vel ij syrup. infus. ros. pallid.* cum foliis senæ cum ℥ iij. aquæ melissæ. A purgationibus fortib. oportet abstinere. Adhibui quoque medicamenta attenuatoria, vt diambram, diamos. *dulc. & amar. subinde & diacynamomum.* Postremo etiam theriacam dedi *ad* ℈ ij. ß superbibendo parum aquæ melissæ. Exterius etiam epithema hoc vel simile cordi apponebam: ℞ *aquæ melissæ, florum citrangulorum, modo haberi possit, vel eius loco aquæ borag. an. lib.* ß. *aquæ ros.* ℥ *ij. maceris, garyoph. cynamomi, ligni aloes, corticum citri an.* ℨ ß. *seminis ocymi* ℈ *j. croci gran. v. adoriferi* ℨ *iij. ambræ, mosci an. grana ij.* (modo non sit mulier vterino malo laborans, tali etiam vtimur, maxime in viris) fiat epithema cordiale. Quibus remediis vel his similibus non solum hic iuuenis, sed alii multi conualuere.

2

SCHOLIA.

Signa demonstratiua palpitationis per se nota sunt: at caussarum & specierū quibusdam notis indigent. ita hic a sanguinis quidem copia, crassioris scilicet, nō adeo calidi (alioqui febrē intulisset,) hoc malum originem habebat, eratq; similis casus a Galeno iam descript⁹. Vbi enim sanguis valde calidus est, æger maiorem æstum sentit, respirationem vitiatam ac magnam & velocē. Sed hic erat potius crassus, vtpote sæpius eueniens & in sanis, non præcipiti periculo, ita vt curam suscipere possit: nam altera, quæ fit ex sanguine admodum calido, periculosior est. At præter hæc, quod a sanguine obstruente contingeret, monstrabat anni tempus (quemadmodū & apud Galenum, eo quod vere euenit, cum funduntur humores, & per corpus mouentur. Sed & copiam animaduertimus in venis, quæ potius crudiorem sanguinem significabat, etiam ex ætate, temperamēto, victus ratione, colore corporis, symptomatis somni, inappetentiæ, & aliorum, de quibus in lib. De plenitudine agitur. Si vero a melancholia, vel ab humore melancholico, aderunt & symptomata melancholica, tristitia, solicitudo, metus & alia, quæ de melancholia diximus. A frigore vero & humoribus frigidis & pituitosis, caussæ præcesserunt, quæ calorem innatum exstinguere solent, vt aer frigidus, & alia, quæ etiam per accidens calorem innatum exstinguunt, vt euacuationes excedentes, cibi frigidi: aderunt & pulsus tardi, rari, praui, & anhelitus similis etiā extra paroxysmum; frigoris sensatio. & alia signa adsunt, quæ frigidos, crudos, pituitososq; humores abundare notant. Qui autem etiam a bile fieri volunt, caussæ præcedentes exsiccantes calfacientesque & ægritudines biliosæ id demonstrabunt, pulsus, anhelitus magni, veloces, frequentes & duri, inflammatio, sitis, & reliqua, vt anni tempus, habitudo biliosa, æstas, qui & fame sitique & exercitio læduntur, vti pituitosi ab iisdem iuuantur. Aliquando ex aquositate in pericardio contingit: neq; enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem cumulari aliquando (vt Galenus dicebat lib. 5. De locis affect. cap. 1.) in ambiente cor tunica, vt ipsum ne attollatur, impedire possit. Quippe in animalibus affectis vidimus plerumq; plurimum humoris, vrinæ speciem referētis, in eo, qui ipsum inuoluit, panniculo contineri. Etenim simia quędam, quum emaciari indies videretur, eam tamen necessariis nostris negotiis impediti, secare in tēpore non potuimus; post mortem vero, reliquis corporis partibus omnibus illæsis, inuentus est in ambiente cor tunica tumor præter naturam, hu-

Margin: 3, 1, 4, 5, *Signa a copia sanguinis crassioris, vel calidi.* *Signa ab humore melancholico.* 6 *Signa frigoris & pituitosi humoris.* *Signa aquositatis in pericardio.* 7 *Simia.*

morem in se continens, qualẽ pustulæ, quas Græci hydatydas vocant, emittere solent. Atq; in gallo quoq; vidimus cordis tunicam, huiusmodi tumore, & quidem duro, affectam, perinde ac si plures crassæ membranæ inuolutæ altera alteri fuissent: verum in eo nihil humoris cõtinebatur. Vnde verisimilis coniectura elicitur, homines etiam similibus posse affectibus infestari. Quod autem de simia dixit Galenus, id quoque de aliis aquositatem habentibus in pericardio intelligi potest, nempe hominibus, quoniã & sine manifesta caussa emacientur & tabidi fiunt. Sed cur id eueniat, Galenus non dicit. At caussa emaciationis est, quoniam succedit hectica febris: nam ex cordis angustia febricula fixa necessario oritur: nam supercalfieri est necessarium, si non libere attrahit aerem. Alii & hoc signum addunt ex ægrorum relatione, quod ipsis videatur quasi cor aquæ innatet, & inde comprimatur, & deterius pulset. Gignitur vero & aceruatur auctis caussis naturalibus, vt scilicet densa admodum tunica sit, multaq; humiditas circa viscus, vt in mulierib. plus aggregari accidit, & animalibus humidis, sicut patet ex dissectione. Si vero consumitur humiditas exsistens in capsula cordis seu pericardio, corpus exsiccatur, vt Arculanus vult, & arefit indies absq; febre: vbi enim fit a caliditate superflua, id per inflammationem in corde perceptam notatur, modo nõ fuerit fixa: si autem fixa per inflammationem sanatã ante fixionem, pulsus anhelitus sunt magni, veloces, frequentes etiam extra paroxysmum, ac caussæ præcesserunt calfacientes, vt febris, motus fortis & similia. A flatu vero fieri indicant repentina accessio, asthma, motus tremulus in genis aut palpitatio in genis oculorum, vel in aliqua parte, aut dolores repentini, qui statim cessant sponte sua: oculi etiam quodammodo obtenebrantur, sonitus aut sibilus aurium his solet accidere: excitatur enim leuissima corporis motione, & tãdẽ asthmatici fiunt. Si ab obstructione, per diuersitatẽ pulsus magni, parui, tardi, velocis dignoscitur. Ita & a debilitate non facit pulsum fortem, estque cum priuatione signorum repletionis. Si ex malo situ aut compressione, cor suffocari & cõstringi videbitur: ita & solutio continui per proprias caussas noscitur, vel apostemate præcedente vel abscessu aut vulnere, quod & dissectio immediate demonstrabit. Si per communitatem totius, vt in febribus, id febres indicabunt: nam iis decrescentibus discedet. Si per consensum aliorum membrorum, vt a ventriculo fiat, id nausea, bilis vomitus, & similia facile aperient, & circa stomachum dolor. Ita & de aliis membris censendum. Et si a crisi, signa critica aderunt. A vermibus, punctiones id quoque indicabunt. At signa, quæ præsagiunt futuram palpitationem, habentur ex caussis occurrentibus, & malum cordi imprimentibus, atque cordis temperamenti excessu, & aliis caussis disponentibus. Prognostica quoq; nunc fere patent ex prædictis in obseruat. præcedente: nam licet quidam videantur ab hoc symptomate liberati per venæ sectionem, victumque extenuantem,

8

A flatu.

9

Ab obstructione.

A debilitate.

A solutione continui.

A communitate totius, vel aliorum membrorum.

Signa præsagientia.

Prognostica.

ac medicamentorum ope, nihilominus permulti, (*vt ex Gal. ostendimus*) post annũ vel plures mẽses eodem malo rursus correpti, ante senectutem morte præuenti sunt: alii per acutas febres, alii sani degentes, syncope correpti & exstincti sunt; periculum enim repentinæ mortis impẽdet, si diutius superflueq; affligat, crebroq; repetat. Hoc malum quoq; familiare est syncope correptis: quã ægritudinem & antecedere, & in quã etiam mutari solet. Et iis quoq; quib. lien tumidum est atro fæculentoq; sanguine, & qui hypochondriaca melancholia laborant, meticulosi mœstiq; quoq; hoc malo familiariter perturbari solent. Et licet adolescentibus tum adultis euenire possit, magis tamẽ accidit iis, qui ætatẽ agunt quinquaginta quidẽ annis inferiorem, sed quę 40. annos excedat. Si quoq; in pericardio multam generet materiam, vel humiditatem cõsumat, vel apostema adsit, subitas mortes infert. At ea, quæ ex flatu vel vaporibus fit, aut per consensum, minus periculosa est: sed quæuis confirmata periculo non vacat, & quouis modo fiat, circa initia curatio non est negligenda: nam aucta vel perdurans in syncopen (*vt diximus*) permutatur. Sed hæc, quæ de signis diximus, clariora exemplis sequentibus euadent.

10

Observatio III.

De palpitatione cordis a frigore & materia pituitosa.

Diximus frequentius a caussa frigida & pituitosa, iuxta Galenum, palpitationem fieri, vt ex eiusdem curatione liquet, cũ medicamẽta potius attenuantia & dissecantia quã frigida præscribat: ita istis diebus mulier valde pallida, si aliquo frigore tentaretur, in palpitationem cordis incidebat; caputq; huic graue erat, frigebat, crudisq; humoribus frigidis abundabat, eratq; hyems valde pluuiosa & nebulosa, cum ad illã accitus essem, & cordis palpitatione afficiebatur, qua & antea quoque correpta fuerat, vt ipsamet narrabat, præcipue si frigore aliquo modo obrueretur. Pulsus huic valde tardus erat: cui & hoc epithema statim præscripsi: ℞ *aquar. bugloss. melissæ an. lib. ß. vini maluatici ℥ iij. pul. specier. electuarii de gemmis, caryophyllor. an. ℨ j ß. pul. diambræ.* (cum fateretur morbo vterino nunquã se obnoxiam fuisse) *℈ ij. ß. sem. citri, behen albi & rubri, ossis de corde cerui an. ℈ j. croci ℈. ß. fiat epithema*; quod calide cordi cũ panno rubro scarlato applicabatur. Cum parum frigeret, iubebam etiam tum manus, tum pedes panno calido calfieri; quo paroxysmus ad tempus cessauit. Verum, ne rediret, materiam pituitosam, adiectis etiam cordialibus, hoc modo vel simili digerendam esse, proposui: ℞. *syr. de bugloss. mellis ros. colati. syr. de byzantiis ana ℥ j. aquæ melissæ betonicæ, hyssopi an. ℥ ij misce fiat syr. pro ij. dosibus, vtatur cum syr. ℨ ij pro vice elect. diamosci dulc. in tabulis.* Syrupum adhuc semel cepit, deinde illam purgaui hoc modo: ℞. *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ ℥ j. ß. diaphœnici ℨ j. aquæ melissæ, borag. & rorismarini ana ℥ j. misce; fiat potio:* quibus optime aluũ depoluit: postea dedi *theriacæ optimæ ℈ ij. conseruæ florum borag. ℨ ij.* capiebat postridie mane sex horis ante pastum, &

melius

melius habere cœpit: quamuis post mensem iterũ eo malo apprehenderetur, sed nõ ita fortiter. Iussi vt singulis mensibus caperet has pilulas: ℞ *pilul. de hiera simplici, pilul. alephang. agarici trochiscati an.* ℈ j. *cum syr. conseruat. citri, fiant pilulæ vij. mane sumendæ.* Interea quoque præcepi, vt ex hoc condito omni mane sumeret: ℞ *corticum citri zacch. conditi, conseruæ summitatum melissæ, conseruæ borag. an.* ℥ j. *conseru. flor. anthos* ℥ ß *spec. lætificantiũ Gal. pul. diambræ, diamosci dul. an.* ʒ j. *seminis citri, ossis de corde cerui ana.* ℈ j. *myrobal. vnum empeliticum conditum. fragment. omnium lapid. pretios.* ℈ j. *cum syr. conser. corticis citri q. s.* fiat electuarium moderate liquidum. De quo sumebat mane & vesperi tribus horis ante pastum, ad magnitudinem paruæ castaneæ: quo deglutito, vt parum vini maluatici minime diluti biberet, consului. Interea etiam si vellet, & si magis delectaretur solido electario, vt modo hoc, modo præcedẽte vteretur, mandaui: ℞ *specier. elect. de gemmis, specier. lætific. Galed. diambræ an.* ʒ j. *dissolut. in aqua meliss. adiect. zacch. albiss.* ℥ *vj.* fingaturq; electuarium solidum in tessellatum figuram; fiatque singulæ ponderis ʒ *iij*; & sumatur vna mane, altera vesperi, duabus aut tribus horis ante pastum; mox cochlear vnum vini maluatici superdeglutiebat. Quibus hæc optime se habuit: interim ei præcepi, vt optimo victu attenuante (de quo superius dictum est) vteretur, ne recidiuam incurreret.

3

SCHOLIA.

4 HVic autem mulieri, cum in hyeme essemus, venam non secuimus. Attamen instante vere, cum morb. hic magnus esset, venæ sectio, vt fieret, imperauimus, saltẽ ratione partis affectæ, etsi intemperatum ad frigidum in hoc affectu sit cor, tamen quia princeps viscus est, & cum ipsa venæ sectio secundum Galenum saltem reuulsionis gratia cõferat, prohibens ne ad ipsum excrementa confluant, tum quod imbecillum sit, tum etiam ne propter hunc præter naturam palpitationis motum excrementa quoque trahat, ideo vt fieret venæ sectio iussimus, ex sinistri cubiti vena lienari dicta, eo quod plenitudo totius corporis non adesset: interea tamen iubebam (vt etiam aliquando in principio facere cõsueuimus) ne multa sanguinis copia per venæ sectionem vacuaretur; cum & alias, si opus fuerit, potius iterandum esse ducimus: nam quanto maiorem in numerum particulares auxeris detractiones, tanto reuulsionem efficaciorem effeceris, vt a Galeno decretum est lib. De curat. per venæ sectionem. At in valde debilibus, frigidis & exsanguibus, vt valde senibus, a venæ sectione aliquando abstinuimus. Ita frater meus carissimus, Nannius Forestus, supremi Senatus Consiliarius, cum anno 1589. palpitatione cordis in hyeme afficeretur, iisdem fere remediis supradictis, sine venę sectione, cum annum 62 superauerat, vti mulier præcedens, curatus fuit; vir exsanguis, debilis & melancholicus, ita vt a venæ sectione, cũ facile in syncopen incideret, eo tempore abstinuerimus. Sed huic mulieri tantum semel, instante vere, vt sanguinem, non tamen multum, detraheret, cõsului. Facile enim tales deficiunt, si plus æquo detrahatur: imo & pituitosos & melancholicos vidimus, si eis tres aut quatuor vnciæ auferebantur, præsertim si paulo debiliores essent, animo deficere. Sic cũ Mansardo nobili melancholico (de quo in 1. obs. huius libri mentio facta est) in vere palpitationi cordis sępius obnoxio vix parũ sanguinis detraheretur, ilico animo deficiebat, vt statim vena occlusa in palpitationẽ cordis & syncopẽ satis frigidã incurrerit; a qua frictionib. & aqua in faciem conspersa, magna cũ difficultate ad se redierit, etiã vertiginosus. In quibus, tum palpitantibus, maxima huius ratio habenda est, vt pulsum tangẽdo, si is minuatur (vti nos hic fecimus) venam occludi iubeamus. Si itaque cum frigida intemperie, frigidorum quoq; humorum sit abundantia, antequã ad valde attenuantia medicamenta perueniamus, a venæ sectione, ea quæ iam dictos succos concoquendi præparandique vim habent, tribuenda sunt; & deinde purgandum: & sic in pituitoso conueniet *mel. ros. oxymel simpl. compositum, aut scillinum, cum syr. e cort. citri. aut de hyssopo, & decocto sampsuchi, pulegii, origani, melissæ, additis syr. cordialibus, de bugloss. de borag. capill. ven. & similibus:* deinde purgandi *cum myrobal. empel. vel infus. agarici. aliquo cardiali addito*; abstinendo a colocynthide, quia cor lædit; aut hoc modo: ℞ *agerici trochis. in vino albo infusi* ʒ j. *exprimatur fortiter, & cum decoct. pass. & flor. cord. in aqua borag. decoct. fiat potio; addendo manna* ℥ j. vel ℥ j. ß. & si non sufficit, adde decoctioni summitatum thymi & seminis carthami contusi an. ʒ ß. A purgatione vero, vt vsus postulat, medicamentis calfacientibus & attenuantibus, vt xyloaloe, diacalamentho, dianiso, tum aliis supradictis, vtitor. Etiam electaria vel opiatæ ex diamarg. calid. de gemmis & de hyacintho, confect. alkermes, conser. rad. bugloss. borag. & florum roris. bugloss. & helenii, conueniunt: quæ etiam valent in humore melancholico. De quo postea etiam exemplum dabimus.

5

Vena sectio ad reuulsionem tantum quomodo instituenda.

6

Si pituitosus redundarit humor, quo modo is præparandus, & deinde purgandus sit.

OBSERVATIO IV.

De palpitatione cordis a materia calida biliosa

1 PALPITATIONEM quoque fieri a materia calida & biliosa, non solum Rondeletius & Holerius admittunt; verum & Fernelius, & multi alii, de eadem exempla posuere: nos autem vnum tantum adiiciemus. Iuuenis quidam biliosus, cum circa caniculam lusu pilæ incaluisset, in syncopen quasi incidit cum cordis palpitatione, qua & postea ex leui incandescentia aut animi motu vehementiore corripiebatur. Hic autem consultandi caussa me accessit: erat admodum raræ constitutionis, qui ægre sanguinis detractionem ferebat: nam cum illi vena aliquando secta esset, animo deficiebat; quare sanguinem detrahere nolui. Nam recte Rondeletium dixisse arbitror: Sunt qui (inquit) in omni palpitatione laudant missionem sanguinis; qui laudandi non sunt, si fiat iis, quibus nõ competat phlebotomia, sed tantum euacuatio. Cum igitur a bilis copia

huius mali origo fieret, cõsultius mihi videbatur, primo syrupis vti, & refrigerantibus & alterantibus; deinde leuibus medicamentis; cum cor fortia laxantia nõ sustineat. Quare vt hunc syrupum vel similem per triduum biberet, mandaui: ℞. *syrup. de succo acetosæ, de acetos. citri, de ribes ana ℥ j ß. aquæ cichorii, borag. bugloss. ana ℥ iij. misc. & ieiunus per triduum in diluculo bibat.* Postea hoc infuso rhabar. illum leuiter purgaui: ℞ *rhab. selecti ℥ j ß. spicæ ℈ ß. infunde per noctem facta prius leui ebul. in aqua cichorii ℥ v. mane huius fortiss. express. accipe ℥ iij. addendo syrup. ex infus. ros. pall. d. ℥ j pulpæ thamarind. cum aqua borag. extracta ℥ v. misce, fiat potio*, detur in diluculo; qua satis bene excreuit. Vacuato corpore cõsului, vt quotidie matutinis horis vteretur electuar. sequẽti iij. horis ante pastum, ad paruę castaneæ magnitudinem: ℞. *conseruæ ros. vnius anni, conseruæ viol. conseruæ rad. bugloss. ana ℥. ß. conseruæ summitatum melissæ ℥ ij. pul. specier. diarod. abb. trionsant. diamarg. frig. ana ℥ ij. ossis de corde cerui, sem. citri ana ℈ j marg. frig. lapid. pretios. commun. ana ℈ j ß. coralli rub. ℈ ß. cum syrup. de acetos. citri; fiat elect. molle.* Sed & hoc epithema vel huius æmulum similiter præscripsi: ℞. *aquæ ros. ℔. ß. aquæ borag. buglossæ ana ℥ ij. aquæ melissæ ℥ iij. coralli vtriusque, omnium santal. specier. diamarg. frig. ana ℥ j. caphuræ gran. ij. croci ℈ j. aceti vini optimi exiguum*; fiat epithema cordi mane & vesperi ante pastum tepide admouendũ. Consului quoque, vt sacculum pyramidali figura de serico panno raro, cui & pulueres sequentes insuantur, cordi apponeret: ℞ *florum ros. rub. exsiccat. florum bugloss. borag. etiam siccorum, flor. viol. siccorum ana ℥. j. folior. melissæ exsiccat. ℥ ß. omnium santal. ana ℥. j. ß. coral. rub. ossis de cord. cerui pul. ana ℥ ß. beben albi & rub. ana ℥ j. misce, & fiat pul. qui sacculo, vt dictum est, insuatur. Irrigetur cum aqua ros. & buglossæ.* & regioni cordis applicetur. Talia, vt etiam epithemata in materia frigida obseruatione præcedente descripta, aliquando adhiberi possunt, vrgente palpitatione cordis, exstrinsecus, corpore etiam nondum vacuato.

2

3

SCHOLIA.

4 *Materiæ frigidæ cordiales.*

MAteriæ, quæ cordi conueniant, præcipue in palpitatione & in syncope, aliæ frigidæ sunt, calidæ caussæ conuenientes; aliæ calidæ in frigida, quæ & medicamenta cordialia appellantur. Ex frigidis vero, *violæ, nymphæa, rosæ, santali, caphura, acetum, omphacium, berberis, cerasa, pruna acidula, acetosa, succus malorum granatorum, citri, limonum, citrangulorum, pomorum odoriferorum, persica, carabe, coriand. præpara. cydonia, pyra, lac acetosum. diarod. abb. sine specieb. diamarg. frig. trionsantal. condita ex his, conseruæ & syrup. Ambigua, aurum, argentum, margarita, coralli, os de corde cerui, vnicornis, fragmenta hyacinthi, smaragd. blattæ, byzantia, spodium, doronicum, melissa, borag. buglossa.* Sed horum quædam ad calida referri possunt, Hollerio teste. Ex his trochisci comparantur; fiunt epithemata, poma odorifera, stragula & vestes suaui odore imbuuntur, potionesque & elect. solida, quæ & palpitationi & cordi conueniunt.

Materiæ calidæ.

At calida, *vt ambra, storax, calamintha, muscus, lignum aloes, caryoph. cinnam. cortex citri, & citrangulorum, crocus, nux muscata, macis, sem. maior. basilici, vinum aromat. odoriferum, enula, fœniculum, petrosel. galanga, Zedoaria, amomum, cardamomum, cubebæ, rosmarinus, mentha, polium, calendula, theriaca, mithridatium, elect. lætific. Gal. & Rhas. diambra, diamarg. calidum, diarod. cum specieb. alipta moscata, gallia moscata, pliris sacroticon, capus, perdix & volatilia.* Similes vero cordiales medicinæ descriptæ sunt ab Auicenna, cuius catalogus recẽsetur ab Arculano; & harum rationes adduntur, & qua ratione ita dicãtur, vel quod sint temperatę aliquę ex iis, vel quod confortent virtute secunda, vt stipticitate vel odore, vt rosæ & muscus; & a proprietate occulta, adiuta a qualitate manifesta, vt spica, crocus, per aromaticitatem (vt medici loquuntur, & caliditatem, & temperamẽtum & stipticitatem, vel per proprietatem occultam adiuta vt hyacinthus, & similes. Vtræque cordiales sunt temperatæ medicinæ, aliæ theriacales vel bezoarticæ dictæ. De quibus ad longum videas Arculanum supra *Rhas. cap. 73. De passionibus cordis.*

5

OBSERVATIO V.

De monacho melancholico sæpe ex inani metu palpitationem cordis incurrente.

1

MONACHUS quidam ex ordine Carthusianorum, & is, quem Procuratorem vocabant, natura melancholicus, & etiam ordinis ratione (cum & solitarii fere omnes tales melancholici euadant) ex inani metu subinde palpitationem incurrebat. Hic enim cum tempore pestis peregre proficisceretur, domum forte ex improuiso accedens, in qua nonnulli peste exstincti essent, adeo horrore corripiebatur, vt statim me accederet, seque ex metu peste infectum conquerebatur, qua tamen minime laborabat; & vt hanc imaginationem quamuis falsam ab eo depellerem, remedia quædam apta, tum euacuationem leuem per pharmaca ad præcautionem facientia præscripsi: quibus licet bene habere coeperit; inanis tamen ille metus per multa tempora, etiam menses illi adhæsit, vt si solummodo de peste cogitaret, melancholia etiam laborans, statim horrere concutiebatur, & palpitationem cordis etiam grauem postea incurrebat & tandem totus melancholicus euasit: ita, vt si vel stramina pro foribus aeri exposita ad euentilationem cerneret, aliquem ibi mortuum esse ex peste sibi persuadebat, & imaginabatur, neque ædes transire audebat; & nunquam a longe tantum stramina per plateam dispersa videret, quin mox palpitatione cordis corriperetur. Cum itaque succus melancholicus huius palpitationis caussa esset, vt humor concoqueretur, pro huius mali curatione præscripsi syr. sequentes: ℞. *syr. de pomis, de corticibus citri, de succo borag. an. ℥ j. ß. decoctionis melissæ, borag. lupulorum ℥ ix. misc. pro iij. dosibus matutinis.* Cocto humore præparato purgauimus cum decocto senæ & syrup. de epithymo. Postea etiam sanguinem in moderata quantitate, cum in Aprili hoc symptomate afficeretur, & in vere essemus, extraxi-

2 &

extraximus ex vena basilica cubiti sinistri: & postea eadem adhibuimus remedia, quę ad melancholiam hypochondriacam valere scripsimus. Eodem modo & curationem instituimus in nobili quodam iuuene Mansardo, diu melancholico & palpitatione cordis affecto, de quo prius diximus. Post syr. exhibitos ex succo borag. bugloss. de pomis, de epithymo, & betonica cum decoct. melissæ, cardui benedicti, borag. bugloss. & summitatum lupul. eundem purgauimus hoc modo: *℞ syrup. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ ℥ j. ß. aquæ melissæ ℥ ij. ß. elect. lenitiui ℥ ij. misce:* reiterauimus sæpe syr. supradictos, & e corticibus citri, cum decoctis cordialibus; & iterum illum purgauimus in hunc vel similem modum: *℞. syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ ℥ j. confectionis hamech ℥ iij. aquæ melissæ ℥ j. ß misce.* qua potione quinquies vel sexies aluum deiecit. Dedimus *condita ex conser. borag. buglossæ, melissæ, betonicæ, adiectis diamarg. calid. diambræ, diamosci, cum syrup. de limonibus, e corticibus citri: & ad sacculos cordiales, & elect.* solida superius dicta commode deuenimus: quib' subinde palpitatio cordis cessabat, licet sæpius recidiuam pateretur, ob diuturnam, & longam melancholiam confirmatam. Aliis quoq; simili malo affectis consuluimus, vt aliquando pilulas caperent de lapide lazuli ad ℥ j. in paulo robustioribus: deinde vt ad attenuantia medicamenta superius descripta deuenirent, cordialibus medicamentis semper adiectis.

SCHOLIA.

4 SI autem palpitatio cordis fiat ab humore melancholico, eodem fere modo curatur, vt melãcholia hypochondriaca, adiectis semper iis cordialibus tum attenuantibus, quæ etiam ad pituitam valere diximus, interim humorem melãcholicum prius concoquendo & expurgando. Si fiat a flatibus, cuius signa antea posuimus, prima vẽtriculi concoctio perfecta procurari debet, & flatus qui in ventriculo & intestinis sunt collecti, discutiendi: idque duabus intentionibus perficietur, & materiam illam pituitosam expurgando & aqueam, ex qua flatus gignuntur, pilulis aromaticis, de hiera & syrup. materiam concoquentibus cum syrup. dictis in decoctis, adiiciendo aliquid anisi: & rursus euacuãdo cum pilulis fortioribus, vt sine quibus, vel aggregatiuis. In crastinum danda theriaca antiqua vel confect. arom. ros. vt caussa illa efficiens corrigatur, nempe calor diminutus. Huc referenda omnia illa remedia, quæ dicentur capite, De inflatione ventriculi. Si sit ex melancholia flatuosa, etiam illa adhibenda, quæ de hypochondriaca melãcholia diximus, additis semper flatus discutientibus. in maiori quantitate: & si fiat ab obstructione, addenda deobstruentia. Fere eadem ratio erit curandi hunc affectum ab obstructione, cum illo qui fit a pituita: sed istis decoctionibus addenda erunt, anisi, fœniculi & alia flatus discutientia, vt galanga, garyph. macis. 5 Nam magna ex parte morbus hic ex generantibus flatus accidit, illis hominibus qui patiuntur obstructiones hepatis & lienis, vt licet videre in

Curatio a flatu.

Ab obstructione.

puellis patientibus cachexiam, vt antea meminiꝰ, & male coloratis. Detur etiam theriaca, cum aqua buglossæ & melissæ. Post purgationem conueniunt & electuaria vel condita superius descripta, & epithemata etiam in melancholicis, & alia topica, vt olea, nempe costinum, nardinum, quibus & pulueres addendi, vt ligni aloes, cinamomi, maceris, croci momentum, & ceræ, vt in vnguentum coeant, pauco addito vino odorifero. Quibus regio cordis inungenda statim post epithemata; eodẽ modo & sacculi supradicti ex cordialibus compositi. Rondeletius optimum medicamentum parat & alimentum ex corde porci (in quo inditi sint garyophylli) in veru assato, vel super prunas prius cocto in aqua, vt caro tenerior fiat, alioqui dura est, quia fibrosa: vt *℞. cordis porci n. ij. cordis cerui vel bouis, nu. iij. garyophyl galangæ maioris & minoris sem. basiliconis ana ℥ iij macis ℥ iij. florum bugloss. borag. ana p. j. florum anthos p. iij. temperentur in vino maluatico per noctem, & distillentur omnia in alembico.* aqua vsui seruetur: *℞. aquæ prædictæ ℥ iiij. Zacch. parum, fiat iuleb.* Aqua illa valet in omni passione cordis, a materia frigida, flatuosa, vel a vaporib', & in melancholica passione: sed in materia non frigida adde aquæ ros. partes æquales, & vtatur cum aqua buglossæ vel boraginis. Dosis huius aquæ est ℥ ß. superbibendo vini hypocratici ℥ ij. Sacculi ad fotus cordis, qui etiam ab eodem magis laudantur quam emplastra vel epithemata, fiunt hoc modo: *℞ garyophyl. ros. flor. anthos ana ℥ ij. cortic. citri sicci, macis, ligni aloes, santali albi, & rubri & muscati, lint. seminis ocymi ana ℥ j spicæ celticæ & lauendulæ, foliorũ mali auri ana ℥ ß. contundantur, & fiat puluis, & ex eo sacculus intersutus, vt artis est,* pro corde paretur: irroretur cum vino albo, & aqua buglossę vel melissæ; applicetur calfactus. Est & hoc optimum: *℞ florum cordial. ana p. j. caryophyl. maioris, id est anthophylli ℥ j. decoquantur leuiter in aqua buglossæ & melissæ. in ℔. j. decoctionis, adde vini albi vel clari ℔. iij caryoph. ℥ ij. cardam. ℥ ß. sacch. q. s. fiat syrup. aromaticetur cum ℥ j. cinamomi.* 7 Si a serosis humoribus auctis fiat palpitatio, danda est opera, vt euacuentur, qui in venis continentur. Nam id, quod collectum est in pericardio, si nil amplius in illud resudarit e venis, calore cordis absumetur. Serosi autem humores, iuxta eundem Rondeletium, euacuantur vsu seri caprini, vel asinini, vel succo ros. decocto, brassicæ marinæ, seminis carthami foliis, senæ, & aliis medicamentis capit. De hydrope & cachex. In hoc tantum differt, quod hæc remedia sunt imbecilliora & magis cordialia, & ea, quæ minus cordi aduersantur, vsurpantur: *℞ rad. graminis, rusci, asparagi an. ℥ iij. rubiæ maioris ℥ j. galã. & cyperi an. ℥ ß. herb. capillar. fumar. cich. end. an. m. j. sem. anisi, apii, petrosel. an. ℥ vj. medullæ sem. carthami. polypodii querc. senæ orient. ana ℥ ij ciceris rub. p. j. sem hederæ, rad. iridis an. ℥ j. fol. brassicæ marinæ 3. part. m. j flor. anthos, buglo. an. p. j. fiat decoctio in sero caprino ad lib. j cui adde succi ros. & syr. ros. lax. an. ℥ iij. Zach. solidi ℥ vj. fiat syr. media decoct. capiat ℥ vj.* pro dosi. alternis dieb. vel

Topica.

6 Aqua mirabilis ad cordis palpitationem.

7 A serosis humoribus curatio.

quotidie, prout magis vel minus operabitur. Si paretur tempore calido, paretur sine sero, quia facile acescit, & syrup. corrumpit. Præter illa remedia, describenda cap. de cachexia, sunt adhibendi sacculi supra pectus, qui vim habent siccandi: *℞. cort. citri, santal. omnium, galangæ, cyperi ana. ʒ ij. pul. de gemmis, & diamarg. frig. ana ʒ j. caphuræ ℈ j ß. bombace excipiantur, & fiat sacculus interbastatus*, qui irroretur vino & aqua melissæ. Idem etiam potest apponi, si a caussa flatulēta fiat affectus, addendo tantum anisum vel cyminum, vel aliud flatus discutiens. Opiatæ etiam cor magis respicere debent, quam quę in supracitatis capitibus describentur: vt *℞. cort. citri conditi cum Zacch. ℥ ß. conser. anthos ℥ j. conser. stœchad. & florum cichorii an. ʒ iij. confect. aromatici ros. ℥ j. pul. diagalang. & diamarg. calidi, vel de gemmis an. ʒ j. cum syrup. conseruationis corticis citri*, fiat opiata. Hic aduertere oportet, quod neq; conseruas violarum, neque buglos. vel borag. addimus, quia nimis humectant; & hic potius siccandū quam humectandum. Caphura in hoc morbo magnā vim habet, etiam in collo suspensa, a quacunq; caussa proueniat. Optima victus ratio in hoc morbo est maxime necessaria, quæ magis exsiccans sit. Rhases autem etiam, si ex aqua in pericardio fiat, siccis & calidis curat, sed non quibusuis, sed aromaticis, vt trochiscato muscato, quem in potu exhibet, & diamoschum pretiosum ad syncopen valens & ad tristitiam cordis & tremorem. Sed horum vsus vtilis quidem priusquam marasmus inuadat, nam tunc alia ratione hic affectus curandus. Refert Amatus pulcerrimam historiam cuiusdam monachæ Florentinæ, palpitatione cordis ab humore aquoso laborantis, & curatæ, cui & assueti menses fluebant. Sanguinem detraxit ad librā semissem, & syr. propinauit ex succo melissæ, *Zacch. puri ℥ j. syr. de pomis Saboris, de mentha an. ʒ vj. decoct. senæ, cum additione pomorum camusiorum optime redolentium, vt Antuuerpiæ inueniuntur, vel eorum vice Apianorum in Italia repertorum ℥ v. cum albumine oui, clarificetur & ℈ j. ligni aloes opt. aromatisetur.* per aliquot dies continuauit. Victus ratio huic erat exsiccatoria, attenuatoria, sed optimi succi. Potus vinum meracius. Materiam per octo, dies pręparatam expurgauit pharmaco ex *Rhab. & agar. concinnato*: & si aluum sponte non redderet, clystere vel balano soluebat: & post duos dies a purgatione cucurbitulam vnam magnam cū multa flamma ignitam regioni cordis affigi fecit, & cuti, post parua vulnuscula incisa, sale respersit sub finem, ex quibus humor multus ad aliquot dies exsudauit: interim epithematis cordialibus sæpe admotis in hunc modum descriptis: *℞. aquar. florum arantii, melissæ ana lib. ß. specier. diamoscei, diambra ana ℈ ij. croci optimi grana iij. vini maluatici ℥ ij. gall'æ muscatæ Mes. ℈ j. caryophyl. corticum citri, ana ʒ ß florum arantiorum, pseudodiptami ana ʒ j.* omnia in olla noua, vt decet tractentur, & ad ignem admota, in iisdem pannus ruber de cocco vel charmusino infectus imergatur, & paululum expressus sic calidus cordi admoueatur, & sępe innouetur. Vsa est & conseruis ventriculum & cor corroborantibus: etiam hoc sacculo cordi admoto, quem semper deferebat: *℞ specier. diamoscei dul. ʒ ij. diambræ ʒ j. florum arant. meliss. buglossi an. m. j. xyloaloes ʒ ß. cinnam. opt. & veri, caryophyl. an. ʒ iij. corticum citri ʒ ij.* omnia in puluerem redacta, sacculo insuantur, fiat sacculus serico interceptus. Quibus remediis hæc intra mensem ex toto sanata est.

8

9

Centu. 3. cura. 43. De monacha curata a palpitatione cordis ab humore aquoso in pericardio contento.

10

Observatio VIII.

De palpitatione cordis ab vtere orta.

MVLIER macilenta, procera, nigriuscula, atrabiliaria, quæ Delphis in intersignio Portus Delfici habitabat, vteri suffocatione subinde detinebatur, cum magna cordis palpitatione. Empiricus puluerē (vt nos postea conspeximus) contra luem Gallicam ex argento viuo mixtū & cinabari, carbonibus ignitis inspergebat, fumigio facto ad nares. Quo malum ita auxit, vt etiam mulierculas medicastras in consilium adhiberet, quę & puluerem succini nigri (nostri *sueerie ameren* vocant) propinarunt, ita vt circa ventriculum ita angeretur, vt se veneno intoxicatam clamaret, palpitatione cordis plurimum aucta, vna cum vteri præfocatione, vt pro mortua ab astantibus haberetur. Ac tunc prius me vocarunt. Frictionibus partium infernarum per me statim adhibitis, & vinculis circa femora iniectis, ad diuersionem globulum infrascriptum odorandum naribus obieci: *℞. assæ fœtidæ ℈ ij. castorei pinguis ℈ j. cum panno lineo; fiat globulus. [illegible] quoque [illegible]feris subiectis*, vmbilico emplastrum apposui. *℞. emplastri contra matricem ℥ ß. ducatur supra alutam rotundam, paulo ampliorem dalero, & in circuitu galbano obducatur.* Quibus remediis ad se redire cœpit. Sed & tunc pro palpitatione cordis, vsus sum iis, quæ vapores dissiparent; & licet aliquid aromaticitatis haberent, interim & amara essent, cum vterus vix aromata ferat, si dulcia sint. Repurgato corpore & vtero cum pilulis masticinis & de hiera, dedi decoctum florum chamomillæ in cereuisia decoctorum. Ructibus autē emissis plurimum iuuabatur. Exhibui quoq; conseruam florum rorismarini, puluere zedoariæ exiguo adiecto; postea etiam theriacam circiter ʒ j. cū aqua melissæ. Quibus bene se habuit. Rursus etiam purgaui cum infuso sequenti: *℞ folior. senæ ℈ ij. ß. rhab. ʒ ß. agarici trochisc. ℈ j. seminis anisi, fœniculi, carui an. ʒ ß. cinamomi ℈ j. infunde per noctem; facta prius leui ebullitione in ℥ v. decoct. communis cum flor. cordialibus; & mane fortissimæ expressioni adde syrup. de artemisia, syrup. absinthii ana ℥ ß. misce &* quinquies aluū deposuit, quia debilis & facilis solutionis optime tunc habuit, vt per multos dies malum non fuerit reuersum: ita vt amplius illam non inuiserē. Postea vero, cum iterū sentiret cor palpitare ac tremere, mulier ignaua nec sui rationem habens, ex muliercularū consilio decoctum fœni putridi, granorum myrtillorum, & aliarum herbarum fœtentium in vrina valde olida, subtus

1

2

3

vaporem excipiebat: vnde iterum ad illam ingressus, olidum illum vaporem & fœtidum sentiens, rogaui, quæ circa illam acta essent: quæ vix eloqui potuit; respondit se ex iam dictis rebus fœtentib' sedentem in sella perforata, subtus vaporem illum excipere. Stultam autem mulierculam increpans, quæ sibi necem ex insperato intulisset, ea omnia amoueri iubeo; rursusque præsidiis supradictis adhibitis, a paroxysmo ac vteri suffocatione tum cordis palpitatione liberata est. Mox illam refecimus cordialibus medicamentis, & iterum ceruisia ebibita, in qua flores chamomillę incocti essent, ructibus emissis recte deinde habuit. Interim cum malum hoc ab vtero originem habuisset, & nunc in hyeme exsisteremus, consului, vt instante vere vena malleoli pertusa sanguinem, moderate tamen, extraheret, ne idem malum incurreret.

SCHOLIA.

4 *Curatio si in febribus fiat*

SI palpitatio cordis per consensum fiat, considerandum nunquid per communitatem totius fiat, vt in febribus, curatur tunc febrium curatione, & roboratione cordis, & resistendo malitię intemperiei, impressæ, vel a febre aut caussis eiusdē, quæ secundum plurimū est calida, & indiget frigidis cordialibus intra assumtis & extra admotis: licet aliquando sit frigida, sicuti in syncopali humorosa; cuius exemplum posuimus *lib. 3. obseruat. 29.* De febre syncopali humorali, de muliere syncopen & palpitationem cordis incurrente. Si autem fiat per crisin, eius finem attendere oportet; tamen cor tuendo secundum quod expediat. Curatio vero a membris particularibus, duabus intentionibus perficitur, habendo rationem membri communicantis; euacuando materiam, & diuertendo eandem vel vapores, & remouēdo malam intemperiem in ipso membro exsistentem, vel alterius cuiuscunq; nocumenti, roborando, vt sit minera laudabilium humorum. Secunda intentio debetur cordi, ipsum confortando, & resistendo nocumento impresso, & imprimendo in ipsum, secundum quod est expediens. Refert Rhases carnem accipitris a proprietate valere ad cordis palpitationem, ex historia viri cuiusdam ex Syriæ. Si igitur a ventriculo, vtero, liene, vel hepate, aut aliis membris fuit, horum nocumenta prius curanda: & roborētur membra, ne transmittant, & ne cor recipiat. Sic de ventriculo, & aliis propriis locis dicetur: ita quoq; (vt quidam volunt) si fiat a peste, aer alteretur, & curetur, vt de peste scripsimus. Et si a venenis assumtis, curetur eductione eiusdem per vomitum aut pharmacū, exhibeantur antidota propria & bezoartica, & insistatur cordis roborationi. Si a vermibus, interficiantur sem. zedoarię, & educantur, vt capit. proprio De vermibus dicetur. Si ab aliis caussis primitiuis, remoueantur, & cor roboretur. Si a rarefactione pororum & sudore diaphoretico, balneo, aut exercitio vehementi, fiant inunctiones refrigerantes, cordiales & modice astringentes, vt vng. rosˢ. adiectis rosˢ. santalis puluerisatis ad maiorem constrictionem, inuncta spina, dorso, pectore, pulsa, & hypochondriis. Cum cautione tamen, etiam zacch. rosaceo exhibito. A solutione cōtinui vel cordis apostemate nō curatur, nisi in principio inflāmationis, cum sang. detractione, euacuatione, & diuersione. Si a dolore cordis, per remotionē caussarum doloris curatur: ita si & a sensibilitate fiat, danda aromatica frigida, prohibendo omnes caussas potētes lędere cor, & ipsum cor roborando, & iis, quæ sensum remittunt. Sic etiam a debilitate remouendo caussas debilitatis, & cor quoque roborando. Sic matrona nobilis de Loo, vxor Pensionarii Delfensis, cum diuturno fluxu menstruorum laborasset, cordis tremorem passa est; sed restaurantibus medicamentis, & iure restaurante & cordialibus recreata & constringētibus; etiam cucurbitula sicca mammis apposita, iuxta *aphor. 50. lib. 5.* ad tempus restringebantur: quamuis hæc per annum eo malo laborans, viribus prostratis, hecticam tandem & marasmum incurrens, frustra medicorum excellentium ope vtens, vitam finiit mense Octobri, anno 1562. Ecōtra si fiat ex vapore sanguinis corrupti, vt menstruorum aut hæmorrhoidū retentione, prouocentur, & vena ex talo incidatur. Domina de Merode, soror Dominæ de Someroyck, cum astaret sorori morienti, ex tristitia me præsente in animi deliquium incidit, & vteri suffocationem, ac cordis palpitationem, & vnius brachii tremorem; vt astantes, tum ipsa, apoplexiam metuerent: statim dedi exiguum theriacæ optimæ, cum oxymelite scyllino; & hunc puluerem cum ceruisia: ℞. *rad. gentianæ, seminis ostrutii ana* ℈ *j. semen dauci* ℈ ß. *misce*: coque assumto, miraculi instar ad se redíit. Fuerat tñ antea iisdem symptomatibus obnoxia, vt referebat Domina de Cornes, vxor Domini de Asperen, quam Dominam de Asperen, alias cum prægnans esset, a dysenteria & vrinæ retentione curauimus. Frequenter etiam & hæc prægnans, & alias cum grauida non foret, cordis palpitatione vehementiori afficiebatur, ita vt in apoplexiam, vertiginem vel epilepsiam incidere metueret. Maritus cum apud Dominum Principem Auraicum ageret, consultādi caussa pro hoc malo me accessit. Conditum sequens per me descriptum vxori misit, quo omni mane vtebatur ad magnitudinem castaneæ; cuius vsu, vt postea idem ille Dominus de Asperen mihi retulit, ab illa palpitatione cordis in totum liberata fuit: ℞. *conseruæ borag. buglossæ, conseruæ foliorum melissæ,* (nam hęc vltima sępe ad cordis palpitationem sola nobis sufficit) *ana* ℥ *j. corticum citri condit.* ℥. *vij. myrobal. empelit. conditorum* ℥ *iij. spec. lætificantis Galeni* ℥ *j. manus Christi cum perlis* ℥ ß. *syrup. conseruationis corticum citri, syrup. de limonibus ana* ℥ *ij. misce*, fiat electuarium molle. Quod prægnantes aliquando palpitationem cordis incurrant & syncopen, forte fit a vaporibus ex vtero delatis; cum eo tempore ob fœtum menses retineantur. Sic memini matrem meam carissimam, Margaretam Nanniam, ex familia Baierorum, cum prægnans esset, facile syncope tentatam fuisse, si modo altius sederet; sed sale ori imposito

Margin notes:

A Crisi. Curatio si per consensum aliarū partium.

5

A peste, veneno. A vermibus. A caussis primitiuis. A rarefactione meatuum, & sudore diaphoretico, balneo & exercitio.

6 *A solutione continui, apostemate. A dolore cordis. A sensibilitate.*

A debilitate.

7 *Historia aliquot mulierum nobilium cordis palpitatione ex diuersis caussis laborantium curatarum.*

8

ad se redibat, quo mulieres nostrę passim vtuntur, magno iuuaměto, forte ideo quod sal dissipat vapores tetros ex vtero eleuatos. Et ita omnem curationem palpitationis cordis absoluimus, iuxta veteres & neotericos medicos: quanquam aliqui, vt ante diximus, palpitationem nō velint fieri ex caussa calida, vt Altimarus quoque sentit, licet alii ex verbis Galeni, *Aphorism. 65. lib. 4.* velint ex maximo incendio vitalis facultatis, quæ in corde consistit, palpitationem oriri posse; vbi Galenus ponderans verbum καρδιωγμὸν ab Hippocr. positum, ipsum bifariam intelligi posse indicat; vno modo, vt idem significet, quod καρδιαλγία: secundo modo, vt nonnullis visum est, motum quendam, cordis palpitationi similem per καρδιωγμὸν intelligunt, hoc est, crebrum & velocem cordis motum, & præcipue similem palpitationi. de hoc quoq; malo agit Paul. *lib. 3. c. 34.* Sed de forti cordis palpitatione vult Altimarus Paulum loqui, nihil aliud intelligens, quam crebrum & velocem cordis motum, similem palpitationi exsistentem, & non de vera palpitatione. Et sic idem, atq; alii nonnulli, hunc morbum cardiacum, & cardialgiam, & cardiogmon, ad oris větriculi morbum referunt, de quo postea. Quamuis & hic morbus cardiacus etiam a doctissimis medicis cōfunditur cum cordis palpitatione; vt ab Alexandro Benedicto Veronensi fit, *qui lib. 10. cap. 5.* De cardiaco morbo modo refert ad palpitationě cordis, cum ita scribat: Cardiacus morbus, etsi sine dolore, tamen periculosissimus est; præternaturalis est: supra modum enim cor palpitat, contremiscere exinde sentitur, tum difflatur spiritus, ac in totum subducitur, & paulo post asserit fieri ex caussa calida modo frigida: vocatque cardiacam calidam, modo frigidam: quibus adiungit cardiacam diaphoreticam, quę in febri cum sudore iungitur; de qua de febribus diximus. Vocat & aliam capit. sequěti cardiacam stomachicam ob vicinitatě oris stomachi euenientem: quam paulo ante ad Cardialgiam retulimus: de ea nos exemplum posuimus *lib. 7. De symptomatis feb. obser. 12.* Nunc ad syncopen progrediamur, quę subinde palpitationem cordis sequitur, vel aliam ob caussam fit: de qua licet longiore sermone egimus *lib. 7.* iam citato, de symptomatis febrium, & multa exempla ac varia in medium adduximus, & licet ea tyronibus medicis sufficere videantur, tamen pauca hic adferemus, ad maiorem huius mali enucleationem.

Cardiacus morbus iuxta Alexand. Benenedictū Veronensem

10

Observatio VII.

De syncope ab vtero orta, ventriculo etiam simul patiente.

1 MVLIER admodum prolifica, ita vt 23. proles ab vno marito suscepisset, cui anno ætatis suæ quinquagesimo, etiam menses non deficiebant, illis subito restrictis, post aliquot dies in stomachi dolorem incidit, valde nauseabunda, & precordiis simul dolentibus subito syncopen passa est. Frictionibus & ligaturis partium infernarum, a paroxysmo leuata, loqui cœpit. Verum cum hæc syncopis mox a cibo assumto illam apprehendisset, & ad vomitum procliuis videretur, hordei decoctum tepide cum zaccharo & exiguo butyro adiuncto adhibui. Quo postquā plurima pituitosa vomuisset, post horam vnam aluus quoque per se soluta fuit, atq; ab omni dolore subleuata. Quamquam inter auctores quidam quęstionem moueņt, num in syncopi vomitus cōpetat, tandemque concludant competere quidem, his conditionibus, si æger ad vomitum facilis sit, vel materia syncopen efficiens in motu sit, & nauseam & subuersionem (vti hic fiebat) incitet: quo & dolor ille circa ventriculum & præcordia cessauit; quamuis altero die, sed leuior, rediret absque syncope. At exhibita ℨj. pilul. hieræ simplicis Galeni, cum huic matronæ aluus facile moueretur, quinquies & pituitosa & pauca biliosa deposuit, ita vt dolor amplius non redierit: quamuis & huic postea semel menses fluxere; idque naturali modo. Ab eo tamen tempore defecere, nec amplius visi sunt, defectu naturæ, illa ipsa deinde valida ac sana permanente.

2

Scholia.

DE syncope acturi, si omnia denuo excutere vellemus, quæ de hac ipsa diximus *in lib. 7.* De symptomatis febrium, magis hic occurreret campus disputandi, quam in alio quocumq; affectu. Primum propter caussarum varietatem, quas in pauca capita non facile esset reducere; & tamen est necessarium, siquidem summa caussa quærenda est apud Aristotelem. Remotæ enim proprie naturam rei non aperiunt, neque ab illis indicatio curandi sumitur, cum sępe recessērint, vt in ea quæ ex ira, vel æstu balnei fit. Præterea neque exacte declararunt scriptores (teste Iacchino) quid per eam vocem intelligant, & qualis sit ægri status, & quo modo differant ea nomina ἔκλυσις λειποθυμία, λειποψυχία, συγκοπή. Nam si hæc confundamus, magnam ambiguitatem faciunt. ἔκλυσιν, Latini nominant Exsolutionem: non desunt qui velint neq; ipsam λειποθυμίαν, ab eo affectu quam Græci ἔκλυσιν nominant, Latini, Exsolutionem, dissentire, auctoritate quadam freti ipsius Galeni, lib. 1. De arte curat. ad Glauconem; etsi eo loco aliorum medicorum auctoritate loquatur: nam quod inter se discrepent, ab Hippoc. decretum est aph. 8. li. 7. cum dixit, ἀπὸ φύματος ἔσω ῥήξεως ἔκλυσις, ἔμετος, καὶ λιποψυχίη γίνεται. Similiter a Paulo cap. 34. li. 3. qui inter syncopes indicia cum exsolutionem, tum animi defectum connumerauit: λειποθυμία vero nomen compositū est a verbo Græco λείπω, quod Latine sanat Linquo seu Deficio; & θυμὸς, Latine animus, Deliquium, seu Defectionem animi significat: qua ratione quidam putarunt aliud esse λειποθυμίαν, a λειποψυχία: cum λειποθυμία animi defectum, λειποψυχία autě non animi, sed animę defectionem significet: compositum etenim nomen est a verbo λείπω & ψυχὴ, quæ non animus, sed anima Latine dicitur. Verum quamuis nominum significata inspicienti dissentire videantur, reperitur tamen Hippocratem interdum vno, quandoq; altero vsum fuisse, volentem in re idem intelligere, *vt patet 23. aphorism. lib. 1. & 8. lib. 7. quod & Galenus*

3

ἔκλυσις.

4

λειποθυμία.

λειποψυχία

5

lenus primo, De art. curat. ad Glauc. & 12. meth. medendi. Nam in primo præcitato loco, verbo Leipothymia vtitur, & lib. 12. meth. λειποψυχίας, idẽ per vtramq; intelligens: ideo prædicta nomina haud quaquam dissentiunt, sed inuicem confunduntur, ex Hippocr. & Galeni sententia: nam eadem pars, quæ afficitur in vtrisque; idem symptoma ac easdem dispositiones seu caussas consequũtur; & ita quicquid de vno dicitur, de reliquo dictũ putato. Nam nihil aliud per ea significare volumus, quam animi defectum; per animum intelligentes, animam ipsam animosam, quæ ex Galeni decreto sedem in corde habet. Cum itaq; deficit animositas, tenor ac promtitudo hæc animæ, ex quacunq; caussa ortum habet λειποθυμία aut λειποψυχία appellatur. At quod Græcis συγκοπὴ nominatur, a verbo συγκόπτω, Latine Ferio, verbero, seu concido, deriuatum est, ita vt etiam animi concisionem, latine significare possit, licet Latini proprio nomine careant, etiam syncopen appellant, licet cum aliis dictis affectibus magna ex parte communicet, & quasi similis sit animi deliquio, ab eo tamen discrepat.

Syncope quid significet.

6.

Nam (vt Galenus inquit) defectus animi præcedere consueuit syncopen ipsam; vt patet eodem *primo, De art. curat. ad Glauconem: & lib. 12. meth. medendi* inter lipopsychiam & syncopen differentiam tradit, cum maiorem caussam syncope requirat, quam lipopsychia, etsi eadem possit vtriusque esse; tamen prout maior, aut minor exsistit, vnam vel alteram affectionem efficit. Idem refert Aetius, *lib. 5. cap. 96.* Nam animi deliquium (*vt ipse inquit*) de repente incidit, sensu & motu hominem priuans; & omnino non sudant: syncope vero & vigilantes & dormientes inuadit, & omnino cum sudoribus, qui συγκοπτικοὶ appellari solent. Cum igitur ex eadem caussa proueniant, & non alia ratione curentur, ideo etiam cum de syncope verba faciemus, quamuis maius sit malum, patebit quoq; & defectus animi curatio.

Quibus syncope a lipothymia seu lipopsychia differat.

Syncope igitur nihil aliud est, quam præceps virium lapsus, & animalium, quoniam sensu & motu priuatur homo, cũ syncope afficitur; ac primo omnium vitalium, cum & cor ipsum læditur, vel per se, vel per consensum: nam pars affecta est ipsum cor; id, quod patet ex præcipiti omnium virium lapsu, ex imbecillitate paruitateque pulsus, ab extremorum frigiditate. Est autem symptoma pertinens ad actionem læsam omnium facultatum; omnium tamen primo vitalium; est enim syncope præceps virium lapsus, malumq; morti finitimum, cum sit solutionis initium ipsius naturæ: lipothymia autem præcedens syncopen, significat animi quidem defectionem, absq; sudore tamen, frigescentibus tantum extremis corporis partibus; suntq; tunc spiritus dissoluti, vel aliqua ratione vitiati, facultate vitali non omnino dissoluta exsistente. At in syncope lapsus grauior est, quod etiam Galen. significauit per vocem ὀξὺ.

Syncope quid.

Pars affecta.

7

Nos enim multos vidimus, dum longo tempore (*nam sunt iam 46 anni*) praxin exercuimus, qui nihil a mortuis differre videbantur, quamuis postea reuiuiscunt: nam pulsus sunt modo insensiles, vel exigui, vt plurimũ, languidi, inæquales, *vt 4. De caus. pul. 12.* sæpe intermittentes, quod mortis aliquando signũ exsistit: debilis quoque respiratio, aliquando & frigida. Vbi vero acutissima est, & morti proxima, motus deficit, sæpe & sensus, vel valde obtusus fit. Abit & omnis flos faciei, tum in figura vult⁹, tum in colore, quem statum describit *Galen. 10. meth.* in illo iuuene, quem sciuerat syncopen incidere, qui prorsus sine pulsu erat: vix sentiebat impellentem: refrigeratus totus non loquebatur. Sed vt rem melius complectamur, lapsus hic magis minusque suscipit. Quamuis enim quilibet subito fiat: at multa est differentia, maioris & minoris, quod experientia sæpe visitur. Nam alii hæc accidentia omnia habent; & inter hos, alii mitiora, alii vehementiora, alii quædam horũ tantum, quæ symptomata a prioribus plurimum grauitate vincuntur. Igitur syncopen auctores grandem affectum esse significare voluerunt, terribilem, & qui mortis speciem multum referat; & ideo leuiores affectus vel dissolutiones, vel animi deliquia dixere Græci suis vocibus. Nam & gradu ab his differt syncope.

8

Quod non aduertentes quidam, vt Auerroes, arbitrati sunt vacuatione Galenũ ducere ægros ad syncopen: quod nunquam dixit ipse vel Hippocrates: sed μέχρι λειποθυμίας: & sic rationes Auerr. contra Galenum inefficaces sunt.

Auerroes deceptus contra Galenum temere inuehitur.

Interea (vt diximus) cor laborat aliquando per se, cum videlicet nullus alius affectus antecessit, nullumque signum præcessit alicuius alterius partis affectæ. Id autem accidit aut propter magnam eius intemperiem, tunc autem subito non perit animal: aut propter vitiosum venenosumque aliquem humorem. Subinde quoq; fit propter inflammationem tumoremque ab aliquo alio humore excitatum; tunc plerunq; subitanea comitatur mors. Alias laborat pro consensum, quem habet cum ore ventriculi, diciturque tunc syncope stomachica, & tunc vomitus, nausea, aut dolor eiusdem partis, seu morsus quidam præcessit: sic quoq; affectis primo reliquis partibus, vt vtero, vel aliis, corde vero consentiente, dicendum erit. Ex quibus etiam facile constat, ad quos cordis affectus consequatur syncope, nẽpe cordis intemperiem vel cum vitioso seu venenoso humore, vel erysipelas, vel inflammationem, aut quempiam præter naturam tumorẽ, si per se fiat, vt patet *lib. 5.* De locis affect. & simplex intemperies minus nocet: sed ea, quæ ad instrumentales partes pertinet, subito enecat, ad similares min⁹: instrumentales subito id præstant, prius tamen præcedentibus quandoq; signis quibusdam, quorum vnum meminit Hippoc. *Aphorism. 41. lib. 2. sic dicens:* Qui sæpe & multum exsoluuntur, sine caussa manifesta, ij repente moriuntur.

Observatio VIII.

De syncope, ab immodico mensium profluuio oborta.

Cum syncope sit præceps virium lapsus (vt diximus) idq; ex insigni spiritus euacuatione, alteratione, interceptione; euacuatur spiritus,

1

quia subtilior factus est, quia corpus rarius est in acri vehementiq; calore. In vehemēti animi motu, cum iis, quæ excernuntur immodice, doloris grauitate, morbi magnitudine, fame, abscessus eruptione, & maxime in parte principe, aut quæ arteriis plena est: neruo aut neruosa parte, affectis longo labore, ore ventriculi insigniter affecto. Iam etiam virium lapsus, qui ad solidorum corporum digestam substantiam succedit caussam habere potest longissimos præcedentes morbos, extenuato ægro ex atrophia, id est, nutrimenti defectu: præterea ex febribus acutis, quæ corpus liquant, excitari contingit. Sic Galenus magnum caussarum chaos ponit *1. ad Glauc.* & ita fieri quotidiana experientia monstrat. Nam ad im̃odicas omnes excretiones succedit (vt a caussis manifestis ordiamur) seu sanguis euacuetur, seu quiuis alius humor; tametsi aliquando noxia materia sit, vt de his quibus aqua extrahitur per paracētesin. Sic nos aliquando vidim⁹ in iuuene quodam Delfensi, cui Ioañes Bokelli nomen erat, qui cum ex nimio vomitu sanguinis, incidisset in syncopen, per nos tñ recreatus, post aliquot menses, idem in hydropem ascitem incidit: de cuius curatione cum desperarem, multis deinde aliis adhibitis medicis & empiricis, semper peius habuit, ita vt habita consultatio fuerit, nunquid paracentesis fieri posset: quam minime admittere volebam, ob certas rationes, cũ eo debilitatis deuenisset, vt illam ferre non posset. altero vero medico tum chirurgo eam suadentibus, a curatione excludor, ob veritatem quam prætulerim. Post duos itaq; menses facta paracentesi, & aqua copiose effluxa, mox syncope æger hic magno cum prædictorũ ignominia exstinctus est año 1579. Ian. mense. qui præ macie niger erat, plane exsanguis, & viribus deiectis, antequam in hydropem incidisset: quam curationē homo extreme debilis & macilentus, spiritibus iam dissipatis, ferre non potuit. Ita quoq; contingere potest in iis, qui vtũtur in empyemate, *6. aphor. 27.* etsi abscessus rumpatur: vt Bellarmarto, & vxori Boethi accidit. Qui autem in syncopen inciderunt ex dolore, eorum exempla posuimus *obser. 1. & 3. & 4. lib. 7.* & qui ob calorem febrilem animo defecerunt, *obseru. 7.* & qui ex fluxu, vomitu enormi syncopen incurrere, *obser. 8. & 9.* ex sudore nimio in febricitante, *& obser. 10.* ex sanguinis detract. *& 13.* de muliere, quę in syncopen incidit ob exsiccationem in febre hectica, *libr. 7.* iam citato. quibus exemplis euacuationum facile caussę syncopis & deliquii animi innotescent, ac eorundem curationes. Sic etiam ab hæmorrhoidibus, tum mensibus nimium fluentibus contingunt syncopes & animi deliquia; cui⁹ nunc vnum exemplum proferemus. Sic mulier quædam Alcmariana, cui nomen Cornelia Cannia erat, anno 1547. mense Octobri, cum filia eiusdem in carcerem detrusa esset, & ibidem detineretur; hoc per nuntium ad eam delato, statim passa est aborsum, cum grauida foret; & subsequutum profluuium adeo immoderatum, vt in syncopen grauissimam lapsa fuerit, cum loquelæ ablatione & sudore frigido, astantes eam pro mortua habentes, vltima inunctione tanquam hinc statim emigraturam munierunt. Interea & ego ad illam accitus sum: & factis frictionibus in partibus superioribus, nempe brachiis, & vinculis iniectis ad diuersionem, ad se rediit, ab orco quasi in lucem reuocata: & cum iam loqui cœpisset, submisse tamen, vt vix intelligi posset, confectionē manus Christi sumsit, & ex hac mixtura sequenti, ad fluxus inhibitionem & virium restaurationem: *℞ conser. rosa. veteris ℥ j. manus Christi perlat. ℨ iij. fragmentorum ℨ ß. puluer. sem. myrtill. ros. rub. an. ℈ ij. conser. bugloss. ℨ ij. cũ syr. cotoneorũ. fiat mixtura. superbibebat ℥ iij. vel v. vini Gallici rubri & styptici.* & linimento subsequenti ventrem & lumbos inungebat: *℞ olei myrtini, ros. mastichini, cotoneorum an. ℥ ß. misce.* quibus præsidiis virtute roborata fluxus cessare cœpit, simul & hoc electuario solido vtens. *℞. sem. plantag. exsic. sem. sanguinariæ, trochis. de carabe an. ℨ ß. pul. frag. lapid. pretios. gr. x. species. diarod. abb. trionf. an. ℈ j. dissol. in aqua plantag. adiecto Zacchato albiss. q. s. vt artis est, fiat confectio in tabul. dos. ℨ iij. superbibendo cochlear vnum vini rub. styptici a syncope liberata, & fluxu plane constricto,* perfecte curata est, vt eandem amplius non inuiserem.

SCHOLIA.

Sicuti quosdam ex insperata lætitia scimus mortuos, vt etiam apud Valerium legitur, sanguine & spiritu subito ad exteriora retractis: sic etiam ex tristitia, sanguine & spiritu cor opprimente, syncope fieri potest, vti ex omnibus animi vehementib. affectibus. Et sicuti fit ab euacuatione nimia, vt nũc diximus, ita fieri potest a multitudine ventrem grauante, seu sola multitudo sit, vel etiã materiei prauitas: vt in eo qui bilē æruginosam euomuit; & omnino ex prauę substantiæ cibis, vt fungis, fiunt, vti aliquando contigisse nobis relatum fuit nobili cuidã, & ex venenis sumtis fere omnibus. Fiunt quoq;, vt iam diximus atq; exemplis ostendimus in lib. 7. obs. nostrarum, ex doloribus vehementibus, non in intestinis solum, & ileo, sed & circa alias partes valde sensitiuas, vt in vulneribus quoq; circa capita musculorum. Præcedunt & comitiales morbos, & apoplexias: vteri quoq; strangulatus comitantur. Accidunt & in paroxysmorum initiis, vt etiam exemplis ostendimus in lib. nostris, de febribus: & in statu quibusdam, etiam inclinãte febre, & in febrib⁹ acutis malignis, citra manifestam caussam: vt quibusdam adhuc sanis statim irruunt, & prægnãtibus, vt sæpe conspeximus. Comitantur quoq; crises laboriosas, præcipue prauas, quæ ad necem finiuntur, vel periculum inducunt. Accidit & ventris inflammationibus, ileo affectis, *vt obser. 3. & 4. lib. 7.* retulimus, & validis intemperaturis stomachi, cordis etiam; & post longas palpitationes, vt iuueni nobili Mansardo contingit, & fratri meo Nañio, consiliario, a me curato; de quibus & antea dictum est. Ex im̃odico æstu vel frigore, etiam eueniunt iter agētibus, ex vigiliis, inedia, exercitiis fortibus: vt qui fugati sunt in bello, cum currerent, quod his nostris temporib. (proh dolor) nunc per viginti annos

Ex gaudio quidam mortui.

Caussa varia.

annos bello grassante sæpe visum est. Eædem porro genere caussæ faciunt, si leues sint, leues affectus; si vero graues, grauiores, vt modo lipothymiam, modo syncopen facere dicantur. Omnes autem hæ caussæ non primo agunt, sed necesse est (vt Iacchinus supra Rhasen dicebat) aliquo vno genere vel pluribus comprehédi, quibus primo cõuenit id efficere: eruntq; illę primæ, & summæ caussæ, quas quærere opus est. Videntur igitur vires concidere, vel quia grauantur nimium, & opprimitur vel suffocatur calor innatus, vel quia eius vehiculum, spiritus scilicet, absumuntur & pereunt: vel quia inepti fiunt ad actiones propter alterationem; quæ alteratio, aut est in qualitate euidenti, quia calfacti nimium sunt, vel siccati, vel refrigerati, aut in occulta, quoniam venenosa qualitate inficiũtur: vel aliter vitiosus est sanguis, e quo generari debent: vt si ex praui succi cibis sit genitus, vel in corpore corruptus, quod contingit in humorum corruptela. Igitur ad præfocationem pertinet, quæ in principio peroxysmorum euenit, ob id, quod calor omnis & sanguis in viscera confluunt: quod si crudi sint & frigidi, vt non citò, sed sero incalescant, præfocatio talis fieri potest, vt prorsus opprimat, si leuior, syncopé faciet. De hoc vide Gal. *3. de crisib.* Similiter accidit hoc, vbi magna phlegmone interna fuerit, vt in lipyriis dictis, vt dicit Galen. de inflam. iocinoris vel stomachi 1. ad Glauc. Ad hoc etiam genus pertinent, quæ per principum partium obstructiones fiunt: nam calor innatus, vbi ventilatio prohibita sit, suffocatur & perit. Sic apoplexiam comitatur, & comitialem prauum, id est, qui ad apoplexiam tendit, & illi est proximus: opprimitur enim copia obstruẽte calor innatus. Huius generis est, qui ex humoribus frigidis os ventris grauãtibus euenit: infrigidatum enim & molestatum ab his, molestiam quoq; communicat. Omnis autem molestia communicata cordi, potest syncopen facere, ipsum debilitando. Venter autem communicat adeo (dixit Auicenna) ob vicinitatem, etiam ob sensus acritudinem, vnde valde molestias sentit. Alia caussa est, spiritus resolutio; de qua obseruat. præcedente ex parte egimus: resoluitur enim nimium tenuitate cum raritate corporis. Et hinc fit syncope, in quibusdam febribus, digesto a calore febrili spiritu; præsertim si sit æstas, & æstuosus vt quibusdam exemplis in libris nostris, de febribus ostendimus. Resoluitur & nimio motu, primum corporis, vt in exercitiis, etiam in Venere nimia, vt in syncopen quosdam compertum est hac ratione incidisse; præsertim quibus molle corpus est & rarum. Vnde delirantes sæpe incidunt in id malum. Resoluitur & ex animi affectibus, qui motus quidam sunt, sed ex ira non proueniunt, nisi præfocatio accidat ex conferto motu, vel ex bile mota os ventris mordeatur. Resoluitur, vbi paucus est spiritus in lætitia expansus: in consternatione vero metus intro latus, & frigidus factus opprimitur; ideo ad primum genus pertinet. Non mouetur igitur ad externa, sed intro cogitur, & suffocatur, vel ab affectionibus animi vehementioribus, vt ingenti tristitia, anxietate, mœrore, dolore, cura, & similibus, vnde sæpe syncope & interitus, vt Galenus docet de symptomatum caussis. Vel fit a corpore, vt respiratione prohibita, multitudine & crassitie crudorum humorum exiguos meatus obstruentium; vnde syncope: aut si non obstruant neque onerent, λειποψυχία oritur, vt Galen. docet *12. method.* Huc referri possunt tumor aliquis præter naturam in corde vel pericardio, vt in dissecto, cuius ex Galeno meminit Philotheus, tunica inclusa in ventriculo cordis, plena humore putri male olente; tum alia, quę aliquando obstruunt. Resoluitur quoq; ex doloribus, dum natura multo motu mouetur, vt opem ferat, vndiq; sanguinem & spiritũ perpetuo mouens impetu: sic ex morsu ventris. Resoluitur quoque in vacuationibus (vt iam diximus) immoderatis omnibus, quia vna vtile quoq; excernitur, siue sit vacuatio per naturam, seu per artem. Quod si sit per naturam, vt in crisi, si laboriosa sit multum, resoluit commotione multa, & agitatione spiritus. Sic in sudoribus, alui profluuiis, sanguinis fluoribus, etiam in partu, euenit. Sic & motu e corde affatim & repente aliquando foras dissipatur spiritus, & euanescit, eodem modo, quo intro cogitur; vel ab affectu animi vehementiore, vt in gaudio, voluptate, ira, vigiliis, risu: vel caussa in corpore contenta (vt iam diximus) nempe insigni euacuatione, purgatione per medicamenta, quod sæpe vidimus a Paracelsicis fieri, qui antimonio, turbith minerali, tum ex iis alii colocynthide, ventrẽ inaniunt, non purgant, syncopen sępe & mortem inducentes, vel concurrentium ad aliquã partem dolore affectam vehementi, aut erosam, vt os ventriculi valde sensile, suppuratione, aut ruptione apostematis vel tuberculi, siue introrsum facta, vt in ventriculum, siue extrorsum, vt in aqua in hydropicis educenda, vt paulo ante diximus: simul enim exhauritur spiritus, & vna cum ruptione euanescit, vt *aph. 27. lib. 6. & 8. lib. 7.* in partibus quoq; exsolutionem fieri, vt vacuatione sanguinis, ita & puris, *2. Epid.* Sic & Hollerius testatur se vidisse syncope mortuos in huiusmodi ruptione e liene. Dissipatur etiam spiritus (vt modo diximus) pluribus motibus, tenuitate, raritate corporum ipsos continẽtium, tenui humore & calido, sudore nimio. Alia vero & tertia caussa erat, spiritus alteratio: vnde vel ineptus fit ad opera naturæ, vel etiam inimicus; vt qui venenosam qualitatem acquisiuit, ex ebibito veneno, vel ex mala aeris infectione. Ad hoc genus pertinet euaporatio facta ex odoribus malis, vt cadauerum & aliarum putredinum, vt eorum, qui in foueis tritici præfocantur: sic & euaporatio a matrice sublata: praua enim putredo in ea gignitur, & per multitudinem arteriarum multũ cordi communicat. Ita & alterantur spiritus, tum ex vitiosis abundantibus succis, tum ex ambientis malitia, qui alias alia de caussa in hunc est mutatus, vtpote ex metallis, caminis, aut barathris, aut ex leguminibus & eorundem putredine, olerum vel animalium, aut si halitum ex stagnis, vel pa-

7 8 9 *[Ga]lae 2. de [sy]mp. caus.* 10 11

ludibus, vel fluminibus recipiat, & ex venenatis facultatibus, aut animalium, quæ virus reiectant, venenis. 12 Cum itaque vires sint in spiritu calori natiuo iuncto, & temperamento solidarum partium calore insito & humore primogenio siue radicali constante; ergo in tam præcipiti virium lapsu, vel spiritus vitalis, vel temperamentum, vel vtrumque collabitur. Spiritus autem vitalis cum sit in corde, duplicemque motum habeat, vel intro, foras: vel foris intro (vt iam ostendimus.) deficit, vel non generatur, vel corrumpitur a proprio receptaculo, propter intemperiem fortem cordis, vt scribit *Gal. 1. lib. 5.* de locis affectis: vel defectu alimenti, vel alteratur, vel non mouetur, vel dissipatur, vt iam ostendimus. Cunctæ igitur caussæ, aut cordis spiritus vel solidum eius corpus offendunt: quæcunque enim caussa syncopen excitat, aut prædictorum corporum solidorum, aut spirituum essentiam corrumpit, vel saltem eorum temperiem mutat, quemadmodũ apud Gal. legitur *12. meth. med.* namque in his duabus substantiis virium essentia consistit: quæ insuper sic custodiendæ sunt, vt tum qualitate, tum quantitate (quoad fieri licet) naturaliter se habeant. Iam vero quomodo alterentur spiritus, ex vitiosis succis, vel ambientis vitio vel veneno; & quomodo corrumpantur, iam etiam diximus, ex ingenti dolore, crebris motibus, vigiliis, & defectu alimenti. 13 At quibus caussis digeratur solidorũ corporum substantia, id quoq; ex parte dictũ est, ob longissimos præcedentes morbos ægro extenuato, ob atrophiam & defectum nutrimenti, ex feb. acutis corpus colliquantibus, cuius exempla etiam posuimus *in lib. de febrib.* Alterantur autem intemperie mutata, immodica vẽtris inanitione: de quibus omnibus vide Gal. *de causs. syncop. lib. 1. ad Glauc.* & Martinum Acakiam, qui in eundem librum commentaria egregia scripsit. Morbi enim tam diuturni quam acuti temperamentum partium solidarum destruunt. Et hæc plusquam satis dicta sint de caussis syncopis.

Observatio IX.

De syncope ex nimio sanguinis fluxu e naribus: & de alia post medicamentum purgans oborta.

1 PVella cum vehementer sanguinem funderet e naribus, nec vllo modo restringi posset, ad eam cũ intrassem & syncope corriperetur; crura, iuxta doctrinã Galeni 1. ad Glauconem, pluribus & valentibus ligaturis stringere iussi; iecori, cum e nare dextra cruor emanaret, ventosam magnam affixi; quibus præsidiis a syncope liberata, etiam sanguis, qui affatim profluebat, restrictus est. At iuueni valetudinario, cui medicamentum vehementissimum ab empirico propinatum erat, ex nimio alui profluuio & fluxu concitatiore syncopen patienti, supra lectum posito, faciem aqua irrorabam, vel potius conspergebam, vt ita excitaretur. Brachia tum crura vinciebam, manibus etiam pluribus & vehementibus vinculis iniectis: talia enim ad se humores reuocant. Interea & frictionibus partium supernarum vtebar, & exiguũ theriacæ recentis propinaui: hæc enim (vt Rondeletius vir doctissimus asserit) valde confert syncopi obortæ post medicamentum nimis purgans: 2 quod si non adsit recens, antiquã exhibet, addendo opii gra. ij cum vino: sed cum recentẽ haberemus, annum vix excedentem, dedimus ℈ ij. cum vino. Interim oleo quoque sequenti ventriculum tum ventrem inunximus. *℞. olei cotoneor. myrtil. an. ℥ j. olei absinthii ℥ ij. aceti parum. Alteri dedi ℥. j. terræ sigillatæ veræ, & micam panis vino intinctam*, cum viderem ex nimia purgatione signa animi deliquii futura, ex faciei pallore, ac pulsus varietate & deficientia: nam signis pręsagientibus syncopen, vel eam præcedentibus (de quibus latius scholio sequenti,) apparentibus, statim animum intendere oportet ad remotionem caussæ syncopis futuræ, ne ea ipsa confirmetur.

Scholia.

3 *Signa præsagientiã syncopen.* INter signa vero (de quibus nunc agendum, cũ omnes caussas enucleauerimus) syncopen præsagientia, non erunt omittenda eã, quæ deliquium præcedunt; nam hæc ad præcautionem valde vtilia censentur, priusquã quis graui syncope prehendatur. Hæc quidem cognoscuntur ab excessu temperamenti ipsius cordis, & a strictura viarum ipsius cordis & pectoris, & raritate totius: corpora etenim calida, rara, facilime resoluuntur, & sicca, & qui subtiles humores habent, latosq; poros, & acuti sunt sensus; tales enim facile syncopẽ incurrunt: macilenta quoque corpora & extenuata, & sudoribus, & euacuationibus resoluta, & ex infantibus & senibus, qui difficulter famem ferunt, tam ægri quam sani, & maxime in æstate, potissimum macilenti, extenuati, aut longo morbo consumti, cum id malum peculiare existat pueris senibusq; micropsychisq; omnibus, & conualescentibus, & fame laborantibus, & firmioribus quoque, nimio sudore profusis. 4 *Deliquium præcedentia.* Deliquium quod a repentina caussa non oritur, languidos prius arteriarum pulsus reddit, facies pallescere videtur, palpebræ resoluuntur, extrema frigescunt, frigido sudore rorescit cutis, tremulũ redditur cor, ac languet ceruix, oculorum debilis adest motus, & liuor, imaginationesq; non consuetæ, visui obiiciuntur, ex motu spirituũ inordinato: tum ex vaporibus ad ipsos eleuatis, impotentia loquendi accidit. *Signa præsentis syncopis.* Signa ipsius syncopis præsentis, ex se nota sunt, tum ex illis, quæ diximus, ex facie homini mortuo simili, pallida, cineritia, cum sanguis intro ruat, frigent extrema & sudor frigidus erumpit, anxietas suboritur & animi perturbatio, & tandem animus deficit, ita vt corpus resolutum sentiendi mouendiq; vi destituatur, in tantum, vt stans cadat: pedes, nec non manus, plicabiles manent. Hoc etiã mihi semel in lecto contigit, cum nocte lotium in lecto existẽs redderẽ, & genibus incumberem, subito lapsus in syncopen, matula manibus cadente, lotio profuso & corpus vxoris meæ attingẽte, atq; ita ipsa experrecta, me syncope affectum sine loquela arripit, vnde excitatus reuiuiscere cœpi. 5 Bene dixit omnium nostrorum parens omnipotens, hominem solum existere non

non esse bonum: si enim Eua mea & nomine & re ipsa, mihi non adfuisset, syncope ita exstinctus fuissem. Spectra quoque noua, malo inuadente, visui offeruntur; impotentia sequitur ad loquendum, & pene respirandi facultas intercipitur, palpebræ concidunt, pulsus fit rarus, obscurus & quasi abolitus, nec non formicans. Signa vero caussarum, & quæ caussa syncopen inferat, & quo modo affligat, sæpius in promtu cuiq; sunt. Nam si caussæ vacuantes præcesserint, scimus ad inanitionis genus pertinere, seu profluuia, seu dolores, vel animi affectus, vel lætitia, vel metus, vel inedia, vel vigiliæ, vel ambientis æstus. Si immanifestæ sint & non prægressæ, statim suspicio incidit, esse succorum tenuitatem, & corporis raritatem: ideo naturam corporis contemplaberis: hoc enim tibi statim aperiet; vt si gracilis sit, calida & sicca præter modum temperies: quanquam nec sic syncopen faceret, nisi aliqua dissoluens caussa iungeretur, vt febris, vel ambientis æstus nimius. Sed erunt hæ tales, quæ in alio corpore id non facerēt; ideo in eas occasiones referuntur, ex habitu scilicet corporis. At si quis adeo prætenues succos & spiritus habeat, vt ocyssime exhalent, adeoque imbecillem habeat per vniuersam corporis molem retentricem facultatem, expultricem autem immoderatius concitatam, vt propterea in syncopen incidat in eiusmodi affectibus; mortifera illa species in facie celeriter apparet, nasus videlicet acutus, oculi caui, astricta tempora, & reliqua quæ deinceps ab Hippoc. *1. prognost.* sunt conscripta: quamuis aluus non multum excreuerit, neq; vigilauerint, aut tristes fuerint, aut fame affecti ægri ipsi: ex his namque minus malum est, quamuis absque his emaciati fuerint, eodem Hipp. auctore, & Galeno cum 1. prognost. tum 12. meth. medend. quem sectati sunt Aetius *cap. 98. lib. 5.* & Paul. *cap. 37. lib 2.* Si vero ex grauatione, pulsus monstrant: habent enim proprias inæqualitates: sed si iam premitur multum æger, & pulsus, affectus ratione, fiunt inæquales, conijcies copiam, & copiæ qualitatem, scilicet cruditatem & frigiditatem humorum: præterea & multa stomachi nausea præcessit, & cibi fastidium; & color corporis, vt ait Galenus, id monstrat. Si itaq; ex magna humorum crudorum copia ex cruditatibus vel alia quapiam occasione congesta syncope excitetur, vna cum oris ventris (quod stomachum vocant) offensione, his namque & præcordia inflata, & totum corpus ampliori mole, quam pro naturæ modo cernitur: tum color aliis ad albidius, quam pro naturali habitu, & aqua intercute laborantium magis simile, est mutatus; nonnullis etiam ad nigrius, aut liuidius, quos medici plumbei coloris appellant. Omnes vero pulsus minores sunt, quam pro caloris ratione, si febricitauerint: præterea obscuri, omninoq; inæquales sæpe ea inæqualitate, quam systematicen Græci vocant; semper vero ea, quæ in vno est ictu, vt legitur apud Galen. *12. method. medend.* & Aetium *cap. 96. lib. 3.* ac Paulum *cap. 36. lib. 2.* Eos vero, quibus ex flaua bile, quæ os ventriculi infestet, syncope incidit, cum ex reliquis, tum etiam ex assidua oris ventriculi mordicatione, anxietate vellicatione ac dolore cognosces. Si itaque ex vitio stomachi, nauseæ antecedunt, ac varii oculos colores subeunt: ex cerebro, vulua & iecore vitia aut offensiones antecedunt; & aderunt horum propria signa: ita ex tineis seu vermibus eadem aderunt, quæ de vermibus dicentur: præter dolores & crebras punctiones, etiam dentibus strident, importuneq; clamant, & ii per superna vel inferna quandoque emittuntur. Quod si ab apostemate, signa eius quoque aderunt: si ex obstructione principum partium, hi vero subito concidunt, vt ait Hippocrates, & in accessione signa habere non potes: sed si releuantur, ex pulsibus hoc dignosces, vt Galenus in medico illo sensit. Si ex alteratione spirituum, si ab externa caussa, ex cometa nota erit: si ex euidenti aeris qualitate, similiter: sed si ab occulta, si ab aere, communis erit multis. Prognostica autem hæc sunt, inquit Paulus, vt etiam Iacchinus annotauit: Si affectus vehemens, si magna syncope, omnino peribit, nec est remedio locus: neque decipiaris, quia aliquando ex conatu naturæ rursus reuerti videntur; statim enim leui motu facto concidunt. Significabit prauitatem, quod licet leuati sint, pulsu carent, vel exiguum & obscurum habent; præterea neq; color viuidus redit, neq; sani facies: frigent quoque vehementer. Quæ vero significant prope aduentare (præter illa signa, quæ superius diximus) pulsus sunt, vt Galen. docet in lib. de venæ sect. cum ad obscuritatem & inæqualitatem tendit. Præterea antecedunt crebra animi deliquia vehementes illas syncopas, dum e lecto assurgunt, dum caput attollunt; sensus quoque hebetantur. Mortis etiam signum est, si calor non reuocatur. Ex speciebus vero, quæ per consensum salubriores esse videntur, vt omnis per consensum affectus generatim. Verum si syncope valida, medicinæ locus non est, vt idem inquit Paulus *cap. 34. lib. 3.* vt etiam Altimarus annotauit. At si vires adhuc tantillum constant, aliquando ad sanitatem recursus est, vt ipse refert: Ceterum vbi cor proprio affectu laborauerit in syncope, valido exsistente animæ robore, ex quibusuis animi affectibus, ipsa excitetur, numquam æger succumbet, Galeno teste *5. de loc. affectis.* Si vero propter eius intemperiem syncope eueniat, perniciosior erit, quam ex cerebri intemperie; quemadmodum hæc periculosior est, quam si iecur primum affectum fuerit, vt testatur Paulus *cap. 38. libr. 2. & Aetius, cap. 94. lib 5.* quamuis non ita subito syncopes necare possint, quæ ex cordis intemperie oriuntur, quam illæ, quæ instrumentales eius morbos sectantur, vt patet eodem *lib. 5. de loc. affect.* Pestifera autem est syncope illa, quæ extenuato spiritu ac sanguine originem trahit; potissimum vbi imbecillitas adsit retentricis facultatis totius corporis, ac expultrix immoderatius concitata fuerit. Prorsus autem exitiosa syncope erit, si corpore succis crudis referto generetur; aut ex redundante flaua bile os ventriculi infestante: siue ex extenuatis succis, vbi

5

Signa caussarum.

6

Si ex succorum tenuitate & corporis raritate fiat, signa.

7

Signa cruditatis & frigiditatis humorum.

Si syncopes caussa fuerit cruditatis humorum maxima copia, signa.

8

Signa syncopis orta ex flaua bile os ventriculi infestante.

Si vitio stomachi & aliarum partium.

A vermibus

9

Ab apostemate.

Ab obstructione.

Ab alteratione spirituum signa.

Signa prognostica.

10

11

iecur vel ventriculũ phlegmone obsederit, quemadmodum scriptum reliquit Gal eodem *12. meth. med.* Verum si citra phlegmonẽ stomachicæ syncopes fiant, ventriculi ore affecto primo ac consentiente corde, curationem magna ex parte admittunt: nam minus periculosæ sunt; quam si exsiccatæ fuerint ex aliquo trium principiorũ; quẽadmodum colligi potest ex Gale. *verbis præcitatis, lib. 2. meth. med.* Arabes vero confirmatam syncopen ex caussa confirmata incurabilẽ constituunt, quæ ad vltimam malitiam (vt illi referunt) deuenit, in qua facies viridis apparet, calore innato exstincto, vna cum colli connexione, virtute motiua iam debilitata, vt caput eleuare non possint ad inspirãdum aerem, ita vt constricto pectore mors subsequatur. Sed ab vtero licet frequẽs sit, vt plurimum salua ?& ab aliis membris, modo caussa ad extremum fixa non adsit. Omnis vero, quæ frequens est, & vehemens, damnatur, quoniam ocyssime interimit. Longo quoque morbo consumtis frequenter animus deficit, ac lethalis est is morb⁹, & apoplexiam quandoq; denuntiat. Ex febribus, (*vt etiam in libris de febribus egimus*) maxime acutis, periculosa animi defectio, sicut ex carbunculis vel phlegmonibus pestiferis, sub principib. membris, vt in peste Delfica sępe obseruauimus, de qua egimus *lib. 6.* nostrarum obseruationum. Pueri quoq; & imbecilles, pręparci animi, ex animi mœrore vel leui deficiunt: & iis euenit, qui in maioribus musculis, vel genu præcipue, vulnerati sunt, & qui ex caussa tacita interna oritur, hominẽ frequenter rapit, magisque si certo ordine ac sæpius redit. Cor præterea, quo magis angustum est, eo magis ab ea peste tutum est. Animæ quoque defectionis conclamatæ indicium faciunt, vana sternutatoria naribus indita; pulsus formicans, exiguam præsagit spem. Quibusdam tamẽ senibus pulsus penitus conciderat, quo exinde reuocato, diu postea vixere. In vndis submersi post octo & quadraginta horas recreati reuixere. Fœminæ aliquando in vuluæ cruciatu elatæ in sepulcris ad vitam rediere: quo pro alterius mortui sepultura detectę locum mutauere, atq; ita miserrime mortuæ inuentæ sunt. Septuaginta propterea & duas horas antequam humentur decreuere: paria quoq; interualla debent iis, qui animo deliquere sine manifesta caussa.

Qui non statim sepeliendi.

Observatio X.

De syncope ex nimio sudore.

QVidam cum cursitando valde laborasset, sudore largiter e corpore emanante, animo delinquebat: cui neque frictiones adhibui, nec vinum propinaui, cum talia magis sudores moueant, cum potius sint meatus cutis obstruendi, vt sudor sistatur. Faciem irrorari iussi aqua rosarum etiam frigida, & apertis fenestris, vt aer intraret. Sicuti olim valde febricitans ex nimio sudore nobilis quidam syncopen incurrebat. Imperaui, vt leuiter operiretur & euentaretur, atque vt per cubiculum herbæ frigidæ spargerentur, vt folia salicis & vitis: quibus præsidiis & hic quoque ad se rediit, aqua quoque frigida in faciem conspersa. Huius & aliud videas exemplum a nobis positum *lib. 7. obs. 9.*

Scholia.

CVm caussæ sint diuersæ, propterea non vnus modus curationis cuiusuis syncopis est, sed singulæ earũ propriã curam desiderant, vt ad longum docuit Galen. 1. ad Glauc. pro diuersitate caussarum, ex quibus excitantur. In vno tamen omnes communicant: quod si deprehensus syncope cubans est, omnis sollicitudo medentis ad symptoma vertitur: si necdum premitur, vtriusq; curam habebit, vt & symptoma non incidat, & vt morbus paulatim discutiatur secundum Galen. *lib. 12. meth. med.* Nec minus & in alio quoq; conueniunt, quod siue per essentiam fuerit orta syncope, siue per consensum affecto corde, semper ipsi prospiciendum erit, cum & principalissimum viscus sit, saltem quo ad vitam: & propterea robur eius perpetuo seruandum erit; nec syncope aliqua gigni potest (vt prius diximus) nisi & ipsum cor afficiatur. Hanc etiam ob caussam alii curationem in tria capita distinguunt: vel enim imminet accessio syncopis, vel actu incidit, vel releuatus est ab accessione, sed non perfecte, vt facile relabatur: & in his omnibus quoque diuersam curam exigit. Nam si imminet, solum affectum summouebimus, a quo incipit: & ita hic incipiendo de resolutione, si sit ex euacuatione nimia, sistemus, cum primum aduentare ex signis iam superius dictis sentiamus. Si ex calore, educemus ægrum; hoc sæpe fit in febricitantibus, cubiculi ratione nimis calidi, cuius exemplum posuimus *libr. 2. obseru. 30.* de domino de Lockhorst: ita vbi ex distemperantia calida contigerit membrorum principalium, contrariis occurrimus remediis. Si ex odore malo, hunc tollemus bonis, & in vniuersum aerem alterabimus. Si corpus quia rarum est, & tenuibus succis resoluitur, non sinemus, quin ante accessionem cibemus, vt possit sufficere, idq; cibis, qui non facile dissoluantur; qui enim ob prætenues succos syncope opprimuntur, accedente quoque corporis raritudine, diuersa ratione curantur, quã illi, qui ob crudorum humorum copiam laborãt. Huius curationẽ quoq; explicauimus *lib. 2. obs. 41.* de febre syncopali continua a bilioso humore, & *lib. 2. obseruat. 19.* de febre syncopali intermittente, a bilioso humore orta. & *obser. 5. libr. 7.* de febre continua cum syncope ex acri & tenui humore, ventriculum vellicante, vbi & in scholio huius curationem, tum ex Galeno & Aetio exposuimus. His frigidus aer astringensq; conuenit ex rosis, aut myrti foliis seu vitium pampinis, in domo substratis, corpusque rarefactum densandum. Vngendi quoq;, si opus est, vnguentis astringentibus, rosaceo, omphacino; & refrigerantia præcordiis & stomacho apponenda, cataplasmata ex ros. palmulis, hypocistide: & cibi dandi, qui non admodum promte effluant, vt est sorbitio ex alica, fructus austeri, vt cydonia pyra, mala punica (de his vide Galenum, Paulum & Aetium) & vitellum ouorum *12. method.* & testes gallinaceorum, qui lacte sunt aliti. Et si syncope sit ex

In quibus communicãt omnes syncopes pro earũ curatione.

flaua bile, quæ os ventriculi infestet, contrario modo curanda, quam illa, quę ex crudorum copia fiat. Aer frigidus adhibendus, vt in obseru. citatis ostendimus; somno liberaliori indulgendũ; cibis frigidis & potu frigido vtendum, ptisanæ cremore, pane nõ multo sed modico, ex vino aquoso frigida diluto: bilisq;, quæ ventriculum lancinat, calida aqua vel exiguo aceto adiecto, aut syr. acetoso simplici, vomitu leuiter expurganda, vel aluus cienda thamarindis, vel manna, aut rhab. cum cautione, si opus est, cum exquisitas euacuationes nõ ferant, vt in obser. citatis latius docuimus. Ventriculum roborabimus syr. grana. acidorum, ex acetos. citri, oxyzacchar. quidam hic post purgationem exhibent decoctum absinthii. Sed videndũ, si vna febris adest, ne nimium calefaciat. Si ex animi affectibus, hos & contrariis mitigabimus, nimium lætos tristi nuntio, dolore animi afflictos, consolatoriis, & amicorum præsentia. Timor, qui syncopen facit, quod insperato eueniat & casu, præuisionem habere non potest, vt forte nec animi affectus. In summa, quibus ex resolutione syncope imminet, scopi sunt caussas tollere, & dissolutionem, quæ facta est, resarcire cibis; quod facile fieri adhuc poterit, quia vires infirmæ hactenus non adeo sunt. Si ex ingenti dolore, curanda caussa doloris erit. Huius syncopis posuimus exemplum libro 7. obseruatione 4. de muliere ex ilei dolore syncopen grauissimam incurrente: ideo si ex dolore affectus, summouendus, si id facile possit, si periculum instet syncopes, etiam neglecta tantisper caussa, Symptoma respicientes, solum stupefacientibus vtemur; cum cautione tamen: hoc enim est proprie aduersus symptoma pugnare, non aduersus caussam symptomatis. Hæc *lib. 12. method.* Fugimus hic præsens periculum resolutionis, quam per se facit dolor ob commotionem in spiritu, per accidens vero vigilia, quam inducit; quæ & ipsa motus quidam est. His omnibus obuiam hæc eunt: nam & dolore leuant, & somnum conciliant. Quod si dolor a caussa calida sit, vt bile mordente, nihil oberit etiam affectui, vt eodem lib. Galen. testatur: nam temperat sua frigiditate bilis acrimoniam. Sed cum dolores diuersi sint, & diuersam caussam habeant, ea semper erit tollenda quoque, vt latius docuimus scholio *obser. 4. lib. 7.* Si sit ex fame, sæpe paulatim nutriemus, & leuibus cibis: contingit hoc in obsidionibus aliquãdo, quod nostro tempore in his bellis (quibus proh dolor) affligimur, contigit in obsidione Harlemẽsi & Leydana. Restituimus vero, quod antea resolutum est, tum alimento, tum aeris temperie, tum alterando hunc prout oportet, tum etiam gratos odores adhibendo. Nam & aere spiritus alitur. Hanc enim prouidentiam exigunt (vt etiam Iacchinus docte expressit) qui mox a syncope releuati, in periculo tamen sunt, ne leui momento recidant. Nam & in his caussas summouere oportet, dissoluentes, & resarcire quod est amissum, tum cibo, tũ aere, qui inspiratur. Sed maiore negotio instare oportet, quod maior est motus; & exquisitiore diligentia, quod vires imbecilliores. Primum igitur si ex vacuatione resolutæ sunt vires, cum primum releuatur: si cessauit (quod in multis euenit) vt sanguinis fluore & ventris, tunc nihil circa hoc erit negotii: sin perstent, tentandum est propriis ingeniis succurrere; primum auersionibus, non per vacuationes, quia non ferunt; sed frictionibus (vt paulo ante docuimus) contrariarum partium, & vinculis. Iuuat & ad auertendum, cucurbitulas affigere contrariis, quę recta respondeant, vt in sanguine e naribus, hypochondriis eas applicare; in eo, qui per vterũ fertur, mammillis; si ex hæmorrhoidibus, non dicunt, credo, ratione bona, quod hypochondriis: nam ad superna traducere oportet, & in principia, vnde est fluxionis origo. Sed quomodo sistere oporteat, priuatim diximus, & aliis quoq; exemplis ostendimus *lib. 7. obs. nostrarum de symptomatis febrium.* Sed vt subita & promta remedia habeamus, si sit e naribus, astringentia & frigida fronti & temporibus admouenda, & per nares traiicienda; & facies frigida sæpe spargenda: & si adstringens sit, melius erit, vt ex myrti floribus, vel ligustri, vel rosar. etiam syluestrium, quæ sunt cani rubi. Medicamentum quoque Galeni *5. method.* optimum est ad sanguinem sistendum, ex aloe, thure, albo oui, & pilis leporis. Ita & in sanguinis missione (huius quoq; exemplum posuimus *obseruat. 10. lib. 7.* De animi deliquio ex sanguinis missione in febre acuta eueniẽte) ægros præseruamus a deliquio, si supinis mittitur sanguis, ac naribus odorata subdita fuerint, rosacea, vino & aceto permixtis: vino quoque granato madens panis, si deuoratur, salutaris est. Si sit ventris profluuium, ea quæ capite proprie scribuntur, nempe adstringentia, adhibenda, & fluxus cohibendus: si vero ex sudore & digestione multa insensili (quæ euenit in febribus, his qui tenuissimum sanguinem habent, & continenter spiritum, & raro admodum habitu sunt) tunc similiter profluuium sistere oportet, idque adstringentibus, & vna frigidis, aerem alterando, tum aqua inspersa, & sæpius aere flabellis innouato, & admisto aceto, & aqua rosacea: etiam proderit stratum sternere germinibus frigidis adstringẽtibus, vt & cubiculum irrorare iisdem. Similiter & vnguentis eius corporis habitus densandus, quæ astringant. Vomitionibus exhausti, vino aqua frigida permixto recreandi: verum febris & capitis ratio habenda est. Si animæ defectus ex vomica aperta, aut hydrope soluta oriatur, quæ spiritus recreant, protinus danda sunt. Tales omnes & sudore resolutos non oportet mouere, sed iacentes in omni quiete retinere. Iuuat vero & his sæpe extremis refrigerantia adhibere, & pectori frigida epithemata, & vnguenta, maxime ad cordis regionem in iis, qui sudore diaphoretico resoluũtur: frigus enim densat & sistit, & crassiora reddit, quæ tenuia sunt. Quomodo vero resarciatur, quod resolutum est, patet, quoniam prima materia spiritus generandi est sanguis bonus; ideo vt hic restituatur procurandum est. Qualis debeat esse cibus, Galenus exponit, id est, qui non promte diffluat,

Si vires resolutæ ex vacuatione.

[...]i a dolore [...]uratio.

[...]x fame.

5

6

7

8

9

hoc est, a quo sanguis ille adeo tenuis, & difflabilis non generetur; & dat exemplum de alica, quæ fit ex zea, cibarium ex farre. Et cibi adstringentes, vt fructus & panis. Contra ea, quæ tardas habent excretiones, sero quoque nutriunt. At hic veloci nutritione opus est. Respondetur, Non est hic tanta necessitas, quando releuatus est, sed datur spatium concoquendi interim, vnde hoc est interim mederi affectui, qui est succorum tenuitas: sic enim crassior redditur massa sanguinea, vt optime dixit idem Iacchinus. Aliud est, cum syncope accessit. Cum vero iam validior redditur, etiam validioribus vtetur. De vini potu Galenus dicit, his vinum aquosum dari: ipse vero paulo ante eodem libro vniuersim in omni syncope vult dari flauũ, & quod celerrime nutriat. At hoc exiguum nutrimentum præbet (ἥκιστα τρέφει) & non ita celerrime ducitur, vt tenue flauum. Auicenna his dari vult vinum nigrum, crassum, austerum: ratio esse potest, ob quam Galenus quoque his austera poma dedit, vt languidas partes firmaret, & adstringeret corpora. Paulus in hac cura vinum aquosum accipit. Respondeo, aliud est in accessione, vbi solum contra symptoma pugnamus: aliud extra, vbi etiam caussam respicimus. Loquebatur prius Galenus in omni accessione, hic vero extra eam. Quoniam vero communiter in his affectibus celeri nutritione est opus, ideo & aqua carnis vtimur, quam quidem grauissimam conficimus, capos non saginatos capientes, & irrorantes, dum assantur, aqua rosata, & aceto rosa. vel succo granatorum: postea exprimimus. Si etiã febris absit, loco aceti vinum flauũ admiscemus. Quantitas ℥ ij. cum modico vino. Huius generis est vitellus oui. Vino austero crasso vtitur Galen. in fluxu sanguinis e naribus: quoniam tenuior calore & fusione potest affectui nocere: in ceteris calidum & tenue præeligit. Hic quoq; extra syncopen intelligit: nam in ea est alia ratio. Si enim vinum dandum, tenue & calidum dandum. Sed num actu frigidum? Gal. in hoc respicit consuetudinem & aeris temperiem, & corporis naturam calidam vel frigidam: & sic calidum vel frigidum propinat: vbi nota quod veteribus mos fuit temperare vinum calida: vt Horat. Quis aquam temperet ignibus, &c. Britannicus in calida venenum hausit. Nota etiam ex Galeno conditiones, quæ faciunt abstinere vino, scilicet feb. ardens, cruda, quia concoquendis succis iuuabit, *11. meth.* lædet aliter calore, fusione, etsi adsit apostema, quoniam auget illud: sic si delirium instet, vel capitis dolor grauis: Auicenna addit, & si resolutio ex inedia non fit; lædit enim merum iuuenes, ob id, quod neruos lædit, vnde spasmus, vel delirium: eius loco aqua carnis semper & in syncope, & extra vel simul admista. Si ex morsu ventris, vbi affectum curaueris, iisdem vtitur. Debet enim interim caussa tolli. Concludendo igitur, in euacuatione nimia reficiendus æger, vino diluto, theriaca recenti, irrogatione aquæ frigidæ in ipsa accessione, extra & ante, ventriculi linimento, frictione partium superiorum: & excretio, vt in ceteris, retinenda.

Observatio XI.

De quibusdam a difficili syncope releuatis & curatis.

QVoniam syncope extraordinarium malũ est, ac sæpe præsentissimum, omissa sæpe morbi origine, deficiẽtes excitandi sunt protinus remediis, & spiritus reuocandi ad extrema, modo aqua frigida, modo rosacea, aceto mixta, vel, vt alii volunt, aqua rosacea moscata, si ad manum sit, alioqui sola aqua frigida in faciem sparsa, de qua latius in scholio. Odoratus ad nares, frictionesq; adhibendæ, prout ratio dictat, & pro varietate caussarum. Sic mulier nobis vicina, ex violento partu, & fœtu mortuo dum vi pareret, sanguine etiam per inferiora copiose profuso, in syncopen validã incidit, vt omnes illam morti vicinã iudicarent. Ad hanc subito ingressus, cum nihil capere posset, factis frictionibus digitorum, vinum pro odoratu naribus obiiciens, & digito instincto in aquam frigidam, cum nihil ad manum esset, & in faciem conspersa ea aqua, & temporibus confricatis cum vino & aqua rosacea, quæ tunc adferebatur, oculos aperuit: mox cum videretur aliquid posse sumere, dedi cum cochleari exiguo parum aquæ cinamomi, qua fuit excitata, & ad se præter omnem opinionem rediit, vino atq; odoribus gratis, cum nodulo caryophil. Postea etiam aqua carnis & vino refocillata, optimis aliis præsidiis adhibitis, nõ amplius redeunte syncope fuit probe curata. Cuidam, qui ex fame in obsidione, spiritibus resolutis, in syncopen inciderat, aquam frigidam non inspersi in faciem; sed vino & odoribus bonis naribus admotis quieti permittebam, panisque frusta, tum cum ad se nonnihil rediisset, vino diluto immersa exhibui, quod cũ adhuc ex syncope nõdum perfecte releuatus, comederet nõ posset pulli ius sorbendum exhibui, & aliarum recentium carnium cum vino. Et hic quoque deinde leuibus cibis, tum vino vtens, diluto etiam cum pane, firmam sanitatem consequutus est. At sororcula apud Clarissæas, quæ adhuc viuit, cum mammillam cancrosam chirurgus funditus excideret, me & Cornelio Heydio collega meo præsentibus, tam ex fluxu sanguinis, quam ex ingenti dolore animo defecit: sed odoribus vini, & temporibus ac fronte cum aqua rosac. & aceto dilutis, irrigatis leniter cum leui frictione, tandem excitata, & emplastro restringente mammillæ apposito, optimis deinde aliis præsidiis adhibitis, & alimentis bonis ac lenibus refocillata, etiam ad sanitatem peruenit, carcinomate quoque egregie curato, eadem adhuc viuente anno 1591. mense Octobri, dum hæc in ordinem redigeremus.

Scholia.

AD syncopis accessionis & irruentis curationem deueniẽdo, statim præsidia optima, quæ ægros reuocent & excitent adferre oportet, ratione id dictante, ne statim succumbant. Hi ergo bifariam se habent: vel enim adeo oppressi sunt, vt nihil possint capere, vel vt possint; qualis erat æger ille iuuenis apud Gal. lib. 10. meth. medendi,

Quomodo excitandi.

dendi, cuius historiã legere poteritis: primo modo erat Boethi vxor. Hic vero primum generalia quædam proponant medici, & vt Iacchinus doctissimus annotauit in omni scilicet accessione: & sunt excitatio (est enim velut torpor quidam facultatum) prohibitio resolutionis, & quanto citius fieri potest restauratio. Galenus ita eos tractat: primum frigida faciem spargit, & est remedium mulieribus vsitatissimũ, quo passim in quaque syncope vtuntur, & illud experientia videmus excitare. Non desunt tamen aliqui, qui volunt, vt in syncope si ex caussa frigida aut imodico alui fluore, non fiat, quem frigida intus comprimens augeret, & in fame quoque ab ea abstineri volunt. Sed in aliis, vt demittatur in faciẽ iubent, vt sopiti spiritus excitẽtur, & si qui adhuc in partibus externis remanserint, resolui prohibeant: & hanc præcipue imperant, in iis, qui ab æstu, aut febris incendio, aut alia caussa calida oriantur. Sed

4

expositores hoc præsidium cum legerent apud Auicennam, non excitandi gratia fieri credidere, sed densandi, ne scilicet exhalent spiritus, sed detineantur: facies enim ea est, ad quã multi concurrunt. Sed prior ratio sanior est, quoniam maxime sensilis pars, & neruosa, ideo subito illo occursu maxime commouetur, & spiritus ad eam vertuntur, siquidem omnino his destitutum cor non sit, aliter peribit. Assiduare igitur vult Iacchinus, donec excitetur. Secundum remedium est, eos nomine compellare ad aures, donec excitentur. Nam ex sono feriente vis sensitiua aurium excitatur, & reuocat spirituum mensuram, & caloris. Subdit Galenus & nares apprehendere similiter ad excitandum, in cura vxoris Boethi. Alii & os & nares, vt comprimantur iubent, vt inspiratus aer interiora petens, & paulo mox egredi volens, calefactus ad cor redeat, ipsumque calfaciat, spiritusq; reficiat & excitet: id forte in caussa frigida magis conducit. Addit Galenus & odorata naribus admouenda: quæ ea sint, non scribit. Hæc vero tum ad vim euigilandum, tum ad spiritus restaurandos faciunt: quæ tamen hoc casu eligi debent, quæ grata illi esse solent, vt vim animæ alliciant, nec refugiat. Vinum ergo maluaticum, aut

5

aliter maxime odorum conuenit. Auget vero vim eius, si tostum panem assumas calidum, ac perfundas; quod si fortiorem odorem velis, etiam acetum acerrimum rosacea temperatum, & garyophyllis, & santalis similiter offeres, & in faciem irrorabis: quod si camphoræ grana iiij. addas, vehemens erit odor & gratus. Sic & aerem totum cubiculi odoratum reddes ex rosacea, & garyophyllis. Componuntur quoq; poma ex speciebus epith. cor. cum ladano, sed reuocatis deseruiunt magis. Hic alii in caussa frigida spiritus instaurant aluntque, qui non solum naribus ægrotantis admouent, vt olfaciant, sed etiam inflando naribus immittunt odoramenta in tenuissimum puluerem redacta: algalia, moschus, styrax calamita, ladanum, & id genus alia permulta boni odoris, ad hanc rem sunt idonea. In caussa calida odoret santala, præsertim citrina, rosas, caphuram. Interea cautio habenda, si a præfocatione vteri fiat, vel mulieres (vt ex interrogatione astantium discere licet, si non loquantur) ei sint obnoxiæ, a iucũdis illis odorib⁹ abstinendum, quin grauiter olentia naribus quidem iniucunda, ac vulgo suauiter olentia admouenda. Quidam altis vociferationibus & clamoribus spiritus circa cor sopitos exci-

6

tant. Prodest quoq; ad excitationem artus confricare & ventrẽ: artus quidem vt calor rursus ad externa redeat, qui ob paucitatem in cor erat retractus, idque si ad brachia fiat, vino calente odoro, optimum erit. Sic & in historia Boethi Galen. facit. Ventrẽ vero odoratis cõfricat, vt erat quondam nardinum vnguentum: ego potius nostro spicaceo vterer: nam iuuare sæpius vidimus ventris affectus. Hoc fit, vt ventrem roboret, qui sępe lædi solet in syncopes affectu ex confluxu bilis, & sine ea affligi cordis consensu: præterea cum valido sit sensu, eius contrectatio ad euigilandum facit. Sed quid iubet, vt vomat? an quasi humor in ventrem confluxerit? At hoc accidentarium est, neque enim ex ventris morsu, vel dolore statuimus syncopen euenisse. An similiter vt excitet, nauseam excitando? Nam nec vomitiua dat Galenus, hoc casu, sed proritat solum: similiter ad excitandum postrema sunt, quæ sternutationẽ mouent, vt zinziber & piper: illa vehementiora sunt.

Vomitus.

Sed quibus modis curetur syncope ex bile flaua, iam prius quoq; diximus: sed quando ea tentantur, vinum etiam flauũ tenue, vel aquosa & antiqua vina propinat Gal. alii & panem in vino granato madẽtem dant. Et ita prohibere ne amplius

7

resoluantur, fiet remouẽdo caussam (vt etiam de febricitantibus diximus) etiam externã, si adsit, vt calor aeris, & alterando: præterea & auersiones ac vacuationes faciẽdo ad contraria, quamuis sisti soleãt, sudore excepto, imo hic augeri ex debili contentrice naturali corporum, vel etiam raritate. In sudore igitur vtemur his, quę ad præuisionem dicta sunt. Cum vero a syncope releuatus est æger, caussam, si adsit, respicere oportet. Habes exemplum apud Iacchin. de dolore, si caussa exsistat, a quo æger leuari debet, alioqui recidet. Caussa tollitur aut mitigantibus, aut lenientibus, aut stupefacientibus, cum cautione, *vt 5. simpl. 18 & 12. meth. 8. & 5. meth.* reliqua vide apud Iacchinum, & quæ nos de dolore diximus *lib. 7. obser. De febr.* Auicenna, si sit materia dolorem faciẽs ipsam vacuat, caussam tollendo, vomitu, clysteri vel sectione venę, cum a syncope est releuatus æger. Verum id videtur fieri nõ posse: nam virtus necessario est debilis, ideo vacuatio nocet: si ita debilis manet, tentãda non est, sed cum a symptomate reficitur: at non nisi sedato dolore, semꝑ enim dissoluetur spiritus. Quod si dicas, quomodo debilis stante sanguinis copia in venis? a sanguine enim vires. Respondetur, non esse necessarium, sed primo a spiritus copia (non enim semper vires augentur) vt in lib. de plenitud. Vnde & Gal. cum de synocha loquitur, quã fieri ait in bono habitu, & multi sanguinis, cum sanguinem vult mittere, addit, si vires ferant: stat enim cum sanguinis copia,

Quãdo a syncope releuatus est æger, quid faciendum.

spiritum multum vacuatum, vel alteratum, vnde vires labant. Si stupefaciendum, vtuntur philonio, vel pilul. de cynoglossa, vel theriaca noua sex mensium, modo robusta sint corpora natura & colore. dant theriacam fere ad ℥j. pueris vero ciceris forma, Sed Philonis antidotum fortius est, cum restinguat, sistat, somnum faciat. De aliis caussis, vt vacuatione immodica, certum est, quod retineri debeat, si sequatur: sed de his suo loco & cap. De dysenteria, cum & quasdam sponte deficere diximus. Sudores quoq; prosequuti sumus. Si animi affect⁹, vti paulo ante admonuimus, cõtrariis sedandus, aut monitoriis præceptis vtendum: vbi vero timor, ne eueniat ad caussam maxime respiciendum, eam tollendo: tollitur vero propriis remediis, qui in his affectibus enumerantur. Sic etiam Auic. dimittit, & dolor si est similiter sedandus, primum tentando caussam remouere, aut ꝑ paregorica, alioqui stupefacientibus. Si ex febris vehementia, ad ipsam refrigerandam accedemus, vt de febribus diximus. In resolutione itaque spirituum, alimenti optimi succi; facile & cito nutrientia, humectantia. Diogenes Laert. scribit, Democritum multos años effluentem spiritum retinuisse medulla panis albi intincta vino optimo, vt Cretico, & conspersa puluere menthę, appositaq; stomacho & naribus. Ita quoq; si ex crebris & inordinatis motibus fiat, quies iniungenda, ex respirato prohibito, respiratio procuranda, ex animi affectibus statim ab eo affectu reuocandi.

8

9

Si vero ex aliqua trium principiorum intemperie fuerit excitata, per cõtrariam intemperiem (moderate tamen vindicatam) syncope curabitur. Si ob inflammationis magnitudinem, aut vehementis febris malignitatẽ, syncopes generentur propriis curationibus, inflammationis scilicet, aut febris, curãdæ sunt, tempore quo syncope deprehensi cubantes non sint: quouis enim modo fiat ob defectus spirituum post labores, vel morbos, vel medicamentum, nutriendus erit æger alimentis optimi succi, cito nutrientibus, & humectantibus, de quib. vide auctores. Ad caussarum genus pertinẽt ea, quæ calorem suffocant, vt si copia solum in viscera irruat, aliquando & ea frigida sit: aliquando non quod copia sit, sed quia exilis est calor, vt æger lib. 10. meth. Caussæ vero sunt, quod vel ex victu in visceribus aceruata est, vt iis, qui crapula vtũtur, & in otio degunt vitam: sæpe vere & intempestiue exercitantur, vt humores fundantur crudi, & viscera petunt: sæpe ex recentis vacuationibus. Caussas copiæ videre licet lib. proprio De plenitudine. Ad hoc genus pertinent obstructiones factæ in membris principalibus: sic quidã in iocinore tales obstructiones habebat, & crebro exsoluebatur, quem & Iacchinus curauit. Fit ex confluxu etiam confertim facto, vt in timore, & febriũ principiis: vel ob prauitatem, vel caloris inopiam in resolutis, vel apostema. Ex apostematibus autem magnis, vt 4. Aphoris. 48.

Si ex suffocatione caloris syncope fiat, quomodo curetur.

10

Eædem intentiones in eiusmodi generis curatione, caussam remouere, nempe multitudinẽ, & euigilare & calorem exstinctũ restituere. Primum autem & secundum scopum explent, quæ euigilare faciunt: retrahunt enim ad externa humores, qui in viscera ferebantur, & qui manent. Id faciemus per eadem ingenia: aqua tamen non inspergimus, vt monet Auicenna, sicut in superiori, sed extra vehementius fricabimus (nam sæpe crudorum copia in eo est) & ventrem odoratis inungemus, & nares, vt oleo iasmino, belzuino, styracino, sunt enim hæc acriora. Hic quoque sternutamenta magis iuuant. Sic & cordi calida epithemata adhibemus, vt melissæ, cardui benedicti, & sampsuchi aquam, cum vino aromatico & speciebus diambræ, & calide actu apponimus. Tertia intentio calorem exstinctum excitat & restituit. Quod si sponte sua fiat, vt in febribus, laborandum non est, sed febris curãda remediis propriis. Si non fiat, sed adhuc langueat, vt in timore, & caussa tollenda est, & cibo & potu calido sanandus æger. Sic si sit oppressus calor ex debilitate: quanquam pręstabit antea id fecisse, vt 10. meth. med. Gal. ait. Si vero ex inflammatione, vel febris malignitate, Galenus abstinere iubet prorsus, & euigilantibus vti: nam si dederis (inquit) necabis, quanquam exitialis affectus non debeat a medico tractari.

11

Si vero ex crudorum copia, hic varius esse videtur, illorum artus plurimum fricat, calfacit ac ligat. Ceterum a vino & cibis temperare iubet, atq; etiam a balneis, si febris adsit, & vt contenti sint mulsę potu, in qua thymum, origanum, pulegium, vel hyssopum concoctum sit. Confert autem & acetum mulsum. Mulsa varie apparatur: vide Acakiam in commento supra *Gal. ad Glauc.* Abstinet igitur cibo & vino Galenus, potat incidentib. medicamentis. At *lib. 12.* vinum & cibum dat, quo periculum in pręsens euitet. Si tamen vehementer non febricitent, aquosum vinũ statim exhibet, & in eo panem dilutum, modo in aliquo viscere non adsit phlegmone. Vide de his ad longum Altimarum, quæ ipse tum ex Galeno, Aetio, Paulo, ad syncopen ex crudorum humorum copia refert.

Cautio.

Dubitatur & de inflamatione: nam perpetuo accidentibus vires præseruantibus vtendum est, & dandus cibus.

12

Respondetur, cum dicit abstinendum, in copia recte dicit, indicans caussæ medelam, non symptomatis. Itaq; distinguendum est, prout in accessione est vel extra. Signum quod hoc velit, quoniam subdit dandum oxymel, & mulsum cum herbis illis incoctis. Et sunt remedia, quæ ad hunc affectum Galenus affert, quæ caussam respiciunt (vt recte dicebat Iacchinus) & ita vtilia sunt quando a syncope est excitatus. At in accessione cibi aliquid offert, si potest, & vini, 12. method. Contra, affectus eget detractione. Imo errãt, inquit, grauiter, qui his, qui ex dolore, & morbi magnitudine deliquium patiuntur, cibum offerũt, sed potius detrahendum est. *2. de vict. 48.* Respondet ipse, Concedo, sed id facimus, vt periculum euitemus: & hoc añorauit Auicenna, cum ait: & non cogas sumere cibum, nisi vinum, quoniam a syncope cogimur: & recitat curam affectus, itidem vt Galenus, & Galeni verba, quod multi ab ignaris medicis pereunt, dum

dum robur addere viribus volunt, & præfocant.
13 Patet autem quod vinum calida mistum dari debet, nisi æstus impediat. Quæ autem sit integra affectus crudorum curatio, in lib. De feb. diximus, *libr. 3. obseru. 26. De feb. syncopali humorali.* vbi & egregium exemplum habes de muliere egregie curata. Et lib. 7. obser. 6. de muliere pituitosa febricitante, in syncopen incidente, ex collectione humorum pituitosorum in stomacho. Si vero absit febris, horum curatio dum adhuc modũ non creat magnum, *ad 4. lib sanitat. spectat:* si syncopen affert, ad hunc locum: contra si accidentia vires deiiciant, dandus est cibus, 1. Aphoris. 8. Respondetur, tantum vt remedio sit, non vt sanguinem & copiam augeat: & vbi euitauerimus periculum, ad abstinentiã reuertimur. Cõtra cur non vbi inflãmatio? An duplex est periculum a cibo, & ratione inflãmationis, & ratione principii febris præfocantis? Vnde si oneretur virtus, prorsus præfocabitur: hic vero non nisi cruditas: nam si esset motus principii, prorsus nõ daremus, etiam in hoc, sed euenit his syncope, etiam sine retractione, quæ fit in principio. Contra cur his syncope affectis tribuis, non illis? quomodo viuificabis vires? Respondit Galen. *12. meth. cap. 13.* quod si destituuntur alimento, quoniã crudi succi non nutriunt priusquam concoquantur: ideo noui aliquid damus in præsens. At in illis nõ est alimenti inopia, sed copia. Sat est ergo reuocare ad extimum spiritum, & calorem: habent viscera quo alantur.
14 Præterea nisi detur aliquid, stomachus languet, & in afflicto alias corpore, & debili virtute, facile syncopen accerset, hoc prioribus non accidit. Nam & in cruditatib. maxime a ventriculo offenso, & ita imbecillo facto eius ore, syncopas euenire innuit Gal. 12. meth 8. Quærendum etiam est, num quod vulgo suadetur, faciẽdum, vt in timore, postquã animi affectus ablatus est, vacuationem aliquam moliamur? Respondetur, visum est, ne fiat, sæpe magna euenire mala, vt in quartanario vidit Iacchinus, subita spirandi difficultate, & palpitatione, & syncope mortuo. Sed quid potest facere timor, vt hæc exigat? An ex confluxu illo aliqua obstructio in vasis, vel phlegmone, vel abscessus aliquis fieri potest, quamuis multę copię nota non appareat, est faciendum. De caussis vero quomodo obuiam eundum, ne rursus in syncopen decidant, ex propriis capitibus habendum, quomodo tollantur.

Observatio XII.

De syncope ex vtero.

1 Puella nubilis, octodecim años nata, cum vteri suffocationi sæpius obnoxia esset, in grauissimam syncopen incidit; huic enim crura potius quam brachia, iuxta Galenum 1. ad Glauconem, deligauimus, atq; præfricauimus, & quia sursum reuulsus retractusq; in latus vterus esset, cucurbitulas femoribus apposuimus, & naribus obiecimus grauissimos odores, ex castoreo, ex assa fœtida, vtero vero suaues: atque circa vterum olea relaxantia & calfacientia adhibuimus, quibus præsidiis mox restituta fuit, & a syncope releuata. Vterum repurgauimus cum pilulis mastichinis. Sed hæc postea viro copulata, ex nostro consilio, amplius hoc malo, admodum prolifica, non corripiebatur.

Scholia.

2 *Animi deliquium ab vtero.* Animo destituuntur mulieres (vt de caussis diximus) quibus vel sursum, vel ad latus retrahitur vterus, & quibus large menses fluunt. In priore affectu crura deliganda sunt, ac perfricanda, vt humoris copia, quæ hos affectus parit, foras euocetur. Cõmunitatem enim vterus, per venas, per quas possit is humor deriuari, cum cruribus habet, hac ratione inguinibus & coxis admouendæ cucurbitulæ sunt, quibus potenter trahendi facultas inest. Naribus quoque obiicienda sunt, quæ grauiter olent, vtero vero quæ suauem spirant odorẽ. Natura enim ad id, quod obiicitur, si iucundum familiareque est, mouetur, sin triste alienumque, auersatur: a tetro odore naribus obiecto, inferius depellitur in locum suũ, ad suauem vero inferius admotum sese conuertit. At in largo vteri profluuio, *vt obseru. 8. huius libri diximus:* brachia liganda, & vinculis constringẽda, & mammis cucurbitulæ affigendæ sunt. Ita & in alicuius partis sympathia, topica, vnctiones, cordis roboratio, partis affectæ curatio, ex stomachi quidem imbecillitate, imponenda, iuxta Galenum, quæ roborandi vim obtinent, emplastra ex palmulis confecta, vino, polentis, croco & aloe, & mastiche, oleo absynthino, mastichino, nardino inungendus.
3 *Si ex stomacho.* Æstuante stomacho aliquid refrigerans admiscendum, vt cucurbitam, lactucam, portulacam, & vuę acerbę succum. His vero, qui alicuius frigoris sensu afficiuntur, diatrionpipereon exhibendum, aut absinthium in potu. Si vitiosi humores os ventris mordeant, aqua calida epota vel hydrelæo vomitus imperandus. Si non facile vomant, prius partes stomacho adiacentes, & manus & pedes calfaciendi sunt. Quod si nec sic vomãt, immissis in os pennis vel digitis, stomachus irritandus est: si nec sic, rursus oleum calidum adhibendum, quod non solum vomitum prouocat, sed ventrem quoq; emollit. Postea absynthii coma, aqua mulsa incocta, in potu danda, deinde vinum, modisq; omnibus roborandæ partes sunt, tum medicamentis forinsecus impositis, tum absinthii potu. At non per initia sed repurgato ventre, quando succos continet, non adstringendus, sed calfaciendus, vt prius dictum est. Si pituita in ore collecta, mulsam dabimus, in qua vel hyssopum vel id genus aliud maduerit, & acetũ mulsum & piper, & postea diatrionpiperon: plurimumq; stomachum fouebimus oleo, in quo absinthium decoctum sit: victumq; attenuantem adhibebimus. Plura vide *1. ad Glauc. De arte curat. apud Galen.* cum ibidem ad omnes caussas præsidia vtilia ad syncopen ad longum referat.

Observatio XIII.

De syncope a veneno assumto.

1 Mvlier quæ pisces in foro Delfis vendebat, ex animi desperatione misera, vt seipsam interficeret ℥ ij. auripigmenti in ceruisia sumsit, quæ

post grauissima symptomata, vt ventris torsiones, conuulsiones, tandem in syncopen incidit: sed frictionib. a mulierculis adhibitis a syncope quidem releuata, pessime angebatur. Hoc tempore cum in Haga Comitis essem, accersit' est pharmacopœus, qui oleo oliuarũ propinato vomitũ prouocabat, & mox theriacam potandam dabat, quã me in simili casu recte vsum fuisse viderat. At me reuersum meridie ex Haga vocant, quæ tunc pro deplorata habebatur, tam ob continuũ spasmum, quam ventris torsiones, supernas quoque atque infernas deiectiones: sitibunda æstu se præfocari clamabat: ideo decoctum sequens propinaui. ℞. *folior. maluæ, viol. hordei mundati. an. m j. sem. maluæ, cotoneor. an. ℨß. seminis lini ℨß coquantur in aqua communi pro libr. j. colaturæ adde syr. viol. ℥ iij.* quo iulebo & ventrem deiiciebat & vomebat, syncope non amplius reuertente. Dedimus etiam lac calidum. Illud enim, iuxta Aetium, *lib. 13. cap. 40.* si assiduo vomitu reiectent, valet his, qui calcẽ, sandaracham & auripigmentum potarunt: nam hæc dolorem ventris, & intestinorum, cum vehementi morsu, inducunt. Iuuantur etiam, eodem Aetio auctore, succi maluæ potu, aut seminis lini, aut oryzæ, aut halicæ, pinguibus iusculis potatis & aqua mulsa. Ceterum symptomatis dictis cessantibus, decocto iam dicto, pro corroboratione & siti cõtinuo sumebat ex diatrag. frig. & subinde syr. violar. omnia enim lenientia hic valde commendantur, vt oleum amygd. dulciũ expressum, quo non solum in hac, sed in aliis (vt de venenis dicturi sumus, si Deus me superstitem fecerit) commodissime sæpe vsi sumus: propinando quoque indesinenter butyrum cum ceruisia, huic negotio admodum conueniens. Quibus quidem præsidiis hæc mulier euasit, quanquam postea post annum vnum atque alterum ad cachexiam deuenerit, & postea obierit.

SCHOLIA.

HOc genus syncopis a veneno vel ab aere infecto, vt in odoribus, seu cibis, vt esu fungorũ, ex praua hortorum putredine, pertinet ad caput de alteratione spirituum: siue prauitatem in corpore acquisierint, & qualitatem venenosam, vt cum corrumpuntur succi aliqui, vt de hystericis quoq; Galenus habet 6. De locis affectis: vel etiam venenum potatum sit, vel morsu relictum: fere enim omnibus superuenit hoc symptoma. Fit etiam maxime in frigiditate, vnde ad frigidũ distemperantur, vt in vsu stupidorum euenit. Nam a calore potius resolutio multa esse videtur: ab aliis qualitatibus longi potius morbi fient, quam syncope, quod tardæ sint actiones. Cum igitur de natura caussæ certus fueris (quod hic facile est) quod quidem ad eius sumotionem attinet, dum actu est implicitus æger ad frigidum affectum, calidis vteris, aere, epithematis, odoribus, frictionibus, fouendo ventrem, & omnibus modis hos excitando: mox vino maluatico, & aqua carnis, & ouis restitues. Si vero venenosa qualitas sit (siquidem ab vtero) eisdem modis reuocanda erit, pessis, suffitu, odore tetro ad nares, infernorum frictionibus, cucurbitulis ad coxas & pubem, vinculis, vt scholio præcedente, docuimus. Cum vero resipuerint, caussa spectanda, & ei obuiandum. Si materia venenosa, vt in vomitu æruginoso (*de quo etiam mentionem fecimus in lib. de feb.*) ea quæ abluunt propinanda: etsi adfueris antequam incidat, quæ temperent exhibẽda, vt aqua & oleum dulce, vel amygdalinum, mulsa, lac potare debét. A vomitu, terra sigillata exhibẽda, & theriaca: naribus odores, cordi epithemata. Si vero iam inciderit in syncopen, exigua spes est, si sit valida: tentandum tamen iisdem, facto prognostico, ne remediis vacui videamur, ob artis honorem. Si extrinsecus accesserit ex odoribus malis, communibus auxiliis vtemur, excitando, & odoribus gratis instando, & cibo & alteratione tẽperando. Nam & præfocatos ex fumo carbonum nos restituimus, qui robustiores erant, etiam nautas in nauibus conclusos, ceruisia ebulliente; quosdam subito extractos e naui reuocauimus: quamuis & hoc modo subito exstincti sint quidã in naui permanentes. Si ebibita venena, proprias habet notas & curationes, de quibus suo loco. Rondeletius in syncope ab hausto veneno, statim vomitum prouocat, eoque prouocato dat theriacam, aut mithridatium, & postea si sentitur ardor & acrimonia ventriculi, vel punctura, exhibet lac, butyrum vel pul. cord. ex refrigerantibus & acrimoniam obtundentibus, *vt ℞ diamarg. frig. ℨ j. trochisc. de camphora, cõfect. de hyacinth. an. ℈ ß. aquæ rof. nymphææ, bugloss. an. ℥ j. syr. de acetos. citri. vel de limonibus. ℥ j. misce, fiat potus, detur pars media & altera post aliquot horas.* Si autem venenum frigidum sit, vel affectus frigidos inducat, fiat sic. ℞ *confect. de hyacint. ℈ ij. pul. de gẽmis ℨ j. aquarũ meliss. beton. buglos. heleny. an. ℥ ij. syr. de buglos. ℥ j. dentur ij. vicib.* Si deprehendatur quale fuerit venenum, dentur propria antidota. alioqui zedoaria in omni veneno valet, vti & tormentilla ad omnem syncopen. Quib. modis excitentur a syncope in paroxysmis febrium, de febribus diximus.

OBSERVATIO XIV.

De paralysi fatus vniuersali, animi deliquio leui, & asthmate.

IAcobus Iunius quæstor Domini de Wasanaer, apud Haganos, senex annum sexagesimũ octauum iam attingens, alioqui vir minime melancholicus, hilaris & facetus, subito incidit in paralysin quasi vniuersalem, cruribus tum brachiis ac manibus resolutis, loquela etiam nonnihil impedita, valde debilis, vt animi deliquium quasi incurreret, cũ asthmate subinde ac pectoris angustia. Ad quem primo accitus est Antonius Schinckelius medicus Haganus, qui aqua lauendulæ tempora & membra paralytica irrorari & confricari iussit, & vt eidem syrupus infrascriptus aliquando exhiberetur. ℞ *syrupi e stœchade. de betonica, rosacei solutiui. ana ℥ j. olei vitrioli guttas nouem, misce.* Hæc præscripta fuere 16. Augusti. Altero die me vocarunt: cumque eundem reperissem in hoc statu, & debilem, neque aluum deponeret, visum mihi fuit vt glans statim iniiceretur, ac diuer-

ad diuersionem & alui subductionem, quod cum medico præsenti quoq; vtile videretur, hæc glans iniecta fuit. *℞. pulueris specierum hieræpicræ, trochiscorum albandal. an. ℈ j. salis parum, mellis q. s. fiat glans seu suppositorium*, quo bis terue aluum deposuit, atq; hæc glans, cum facilis solutionis esset, secundo vel tertio quoque die reiterata fuit, vt *20. August. 27. & 31. & 6. & 14. Septembris.*

2 Deinde reliqua subsequentia medicamenta, vna præscripsimus: statim quoq; a ventris solutione, cum prima glande, inunctionem sequentem. *℞ olei samsuchini, olei costini ana. ℥ ß. misce.* inungatur mane & vesperi tota spina dorsi, a nucha incipiendo, vsque ad os sacrum. Interea cum paulo melius medicamenta ferre posset, has pilulas vna præscripsimus. *℞. pilul. cochiar. ʒ ß. pilul. aurear. ℈ ß fiant pilulæ vij* (maiores deuorare difficile poterat.) *& deaurentur.* Habuit inde vij. sedes, cum admodum facilis solutionis esset, vt paulo ante diximus. Postea 20. Augusti etiam & hoc solutiuum exhibitum fuit. *Recipe syrup. ex infus. ros. cum foliis senæ ℥ j ß agarici trochis. specierum benedicti laxat. ana ℈ ß. aquæ saluiæ ℥ j ß misce,* qua potione vltra sex habuit secessus: tunc etiam imperauimus, vt crura & membra paralytica hoc linimento inungeret, saltem bis in die. *℞. olei sampsuchini olei costini. ana. ℥ ß. aquæ vitæ ʒ j. misce. 21.* Augusti hoc apozema præscriptum est.

3 *℞. corticum radic. cichorii. pæoniæ, ana ℥ j. florum stœchados, rorismarini. ana. p. j. herbæ paralysis, betonicæ, maioranæ, saluiæ, origani, foliorum lauri. ana. m. j. prun. damasc. num. xiij. vuar. passul. ab arillis repurg. ℥ j semin. carthami parum contusi ℥ ß. folior. senæ a stipitibus repurgatorum ʒ vj. polypodii quercini ℥ j seminis anisi ʒ j. ß. coquantur in aqua communi, pro ℔ j. colaturæ addendo syrup. de beton. ex suc. betonicæ confecti: oxymelitis simplic. ana ʒ j ß. misc. pro quatuor dosibus.* deinde & hoc quod sequitur. *Recipe conseruæ florum betonicæ. saluiæ, borag. rorismarini. ana ℥ ß. nucis muscatæ conditæ ʒ iij. confectionis mithridaticæ ʒ j. oxymelitis simplicis, syrup. de succo betonicæ. ana. ℥ ß misce.* fiat conditum: ex quo capiebat bis aut ter in die, ad magnitudinem castaneæ. 23. Augusti sequens etiam conditum præscriptum. *℞. conseruæ boraginis ℥ j. conseruæ betonicæ, saluiæ, ana. ʒ ß. manus Christi cum perlis, propter leue deliquium animi, ʒ ij. misce.* erat autem valde exiguum illud deliquium, vti & asthma, quo subinde afficiebatur, vt prius dictum est, cum pectoris angustia; pro quo accidente lingebat aliquando syrupos sequentes. *℞ syrup. capill. ven. ℥ iiij. syrup. de hyssopo. ℥ j. misce.* pectus inungebat cum oleo amygd. dulc. Quibus remediis dicta symptomata cessabant. Sed rursus ad paralysin, quę omnium grauissima erat, 24. Augusti decoctum infrascriptum in officina fieri iussimus.

4 *℞. corticum radicum cichorii, dentis leonis* (cum breuiter febricitaret) *ana. ℥ j. ß. florum cordialium p. j. cichorii. boraginis, betonicæ, capil. ven. polytric. herbæ paralysis, ana. m. j. sem. 4. frigido. maiorum. ana. ʒ j. passul. ab aril. repurgat. ℥ j. coquantur in aqua communi pro ℥ ix. colaturæ adde syr. capil. ven.* (ob tussim, licet leuem, quæ aderat) *syr. de beton. ana ℥ j. misce, fiat apozema, pro iij dosibus.* Postea & hoc decoctum sumsit, cum adhuc febricitare videretur. *℞. corticum rad. cichorii, dentis leonis, ana. ℥ j flor. cordial. p. j. herbæ paralysis, betonicæ, cardui benedicti, chamæd. an. m. j. sem. 4. frig. maior. an. ʒ j. seminis carthami parum contusi ℥ ß. vuar. passul. ab arillis repurg. ℥ j. fiat decoctio in aqua communi, pro ℔. j. colaturæ adde syr. rosacei solutiui. ʒ ij. misce: fiat apozema pro 4. dosib. matutinis,* semper ad minus ex eo bis in die excreuit.

5 Et cum aliquando dormire non posset, hoc hordeato sub noctem aliquando vsi sumus. *℞. hordei mundati. ℥ j. amygd. dulc. depilat. ℥ j ß sem. quat. frigid. maior. mund. ana ℈ j. seminis lactucæ. ʒ ß. fiat hordeatum pro ℥ viij. dulcoretur Zacch. perlato, vt artis est.* hoc hordeato tantum bis aut ter vsus est, cum paralysis magis calidiora requireret, & sicciora & attenuantia, vt est diambra, diamoscus, confectio mithridatica (qua prius vsus erat) & theriaca. Quamobrem cum iam bene dormiret, & febricula eum non amplius apprehēderet, & supradicta symptomata cessassent, ad paralysin omnino curandam magis attenti fuimus. Et sic 28. Augusti pilulas suprascriptas iterum exhibuimus: & 30. Augusti, vt magis sudaret, accepit mane ℈ ij. theriacæ optimæ, cum pauco vino Rhenano, & egregie sudauit, alioqui rursus exhibuissemus ad ʒ j. Deinde continuando inūctiones suprascriptas, manus iam ad caput mouere poterat, & simul sustentatus a famulo per cubiculum leuiter inambulabat. Septimo Septembris ad paralysin & maius robur membris paralyticis inducendum, hoc quoque apozema præscriptum est. *℞. rad. pæoniæ. ℥ ß flor. rorismarini stœchados an p. j. saluiæ. betonicæ, maioranæ, herbæ paralysis, folior. lauri, cardui benedicti. an. m. j. vuar. pass. ab arill. repurg. ℥ j. sem. coriand. præparati ʒ ß cubebar. ℈ j. coquantur in aqua communi pro ℥ ix. stent. infusa supra herbas, mane colaturæ adde cinamomi selecti ʒ j. pro aromatizatione, addendo syr. e stœchade, de betonica. an. ℥ j. misce, fiat apozema ad modum clareti, pro iij. dosibus.*

6 Hoc apozemate bis terue reiterato, & conditis supradictis, & istis omnibus remediis cum vsus esset, continuando inunctionem quoque iam dictam, ad membra paralytica destinatam, non solum loquela, sed omnia membra paralytica intra mensem suo robori restituta sunt, adeo vt hic senex miraculo quodam perfecte sanatus, non solum recte incedat, & omnia membra moueat, sed quouis modo, quo velit, ambulet & proficiscatur, nullo vestigio paralyseos relicto, & nunc anno 1592. 2. Iunii, cum hæc rescriberem atque colligerem, optime ac pancratice valet. Hic autem inter curandum fuit obsequentissimus, & stricte quæ ad victum tum potum probe extenuātem & exsiccantem conueniebant, & vt sitim toleraret, imperauimus; quod hic maxime vtile est. Hæc inquam omnia quam diligentissime obseruauit, ne latum quidem digitum ab amborum nostrorum præscripto discedens; quæ equidem maxime ad cu-

rationem iuuerunt, & cum venter per se satis solubilis esset, & leuibus quoq; pharmacis adiutus, topica remedia & continuæ inunctiones membris paralyticis eo magis robur addiderunt.

SCHOLIA.

7 QVantum ad animi deliquium attinebat, valde leue erat, & vix effatu dignum, a quo facile euasit remediis ad asthma valentibus, vt syrupo de hyssopo & similibus, vt filius Procuratoris Regii apud interpretē Hollerii, de quo ante dictum est, qui asthmaticis remediis quoq; curatus fuit: quibus & hic asthma, quod similiter leue erat, facile discussum est. At paralysis omnino vniuersalis multo vehementior erat, quanquam & hæc magna cum nostra laude in sene curata a nobis sit. Ceterum licet *libr. 10. Obseruationum nostrarum*, aliunde diximus de paralysi, tamen, cum & hic senex nobis familiarissimus, aliiq; viri non minus graues quam docti, me instigauerint, vt hunc casum hic insererem, quiq; hūc virum ita laborantem, & viderunt & norunt, voluerunt vt hac curatione eximia librum meum quoq; condecorarem.

8 Quod nullo modo omittendum duxi, cum in vita nunquam expertus fuerim curationem feliciorem hac ipsa, licet 47. annis nunc medicinam fecerim. Imo idipsum libenter egimus, idque in laudem medicinæ, & potissimum omnipotentis Dei, cui non solum hæc, sed omnia alia nostra debemus. Hoc enim casu, licet difficilimo, mecum & alii omnes medici docentur, ne statim animum abiiciant in morbis difficilibus curandis, qui & continuam ac indefessam diligentiam & maiorem, quam ceteri morbi, qui minus contumaces sunt, requirunt. Quod etiam infrascriptus casus, non minus admirabilis & rarus quam iam dictus, indicabit.

OBSERVATIO XV.

De prægnante, quæ peperit infantem sine osse coagulato a cubito vsque ad humerum, qui infans egregie curatus fuit.

1 ALeida de Renes, matrona nobilis, vxor Ioannis de Oestrum, viri nobilitate clari & quondam vrbis ac arcis Wordenæ præfecti, anno 1587. Delfis habitans in ædibus Adriani Ioannis Ichthyopolæ in platea Frandrica, dicta. Quæ quidem prægnans mane ancillis suis absentibus audiens ploratum infantium, subito ex lecto surgens, per scalas admodum præcipites inferius descendens, inopinato cecidit supra latus dextrum, & dextrum cubitum versus humerum, & circumuoluta etiam in caput prolapsa est, non sine contusione eiusdem cum vulnere. At paulo post restituta sanitati 8. menses cum dimidio in Haga Comitis tunc agens in domo Præpositure, anñ. 1588. 13. Iulii die peperit puellum, cum brachio dextro a cubito vsque ad humerum non tantum resoluto, sed omnino osse non coagulato, vt brachium instar lori in omnem partem flexile flaccidumq; concideret, ita vt in brachio a cubito vsq; ad humerum os abesse videretur. Ad infantem ego accitus vna cum magistro Ioanne Quattellario & Iacobo Timanno Capitone dicto, chirurgis. Ex communi consilio adhibuimus medicamentum

2 defensiuum & conglutinans (*vt in ossium fracturis communiter fieri solet*) ex bolo armeno, farina volatili, puluere myrtillorum, oleo rosaceo, & albumine oui concinatum, mox superimpositis ferulis, primo ligneis (*quas infans ferre non poterat*) deinde chartaceis, ex charta paulo duriore & crassiore, (*quas nos magis laudauimus*) insuper superinductis debite fasciis a cubito vsque in humerum, vt ita os paulatim coagulari posset. Quibus remediis præter omnium hominum opinionē hic infans (*cui Bruyninc de Oestrum nomen erat*) miraculose intra tres septimanas sanitati restitutus est, non solum osse coagulato & paulatim indurato, tum brachio etiam valido existente, verum etiam belle puellus nutritus, si quis alius, inter multos infantes & robustissimus & pulcerrimus euasit, adeo, vt ad libitū etiam quo velit brachium moueat in omnem partem, non sine admiratione eorum, qui puerum viderunt & nouerunt.

SCHOLIA.

3 CAsus hic apud omnes Haghanos celebris ac notus, certe dignus est, vt tyronibus medicis & chirurgis, nec non & aliis omnibus innotescat. vt sciant quid medicina & chirurgia præstare possint, etiam in illis morbis, qui in vtero materno originem habent, modo opitulante Deo ab artis exercitatis recte & debite tractentur. Hic autem omnes puerum nūquam ad sanitatem posse peruenire censebant. Attamen Deus opt. max. suam benignitatem in puello restituendo demonstrare voluit, qui semper laudandus in mirabilibus suis, & qui medicinam cœlitus ad nos demissam ad sanandos ægros eum colentibus, liberaliter concessit. Sed mirabitur hic aliquis, vnde puer in vtero tale vitium contraxerit? Cui facile respondebimus (*cum aliam caussam ignoremus*) non aliter quam ex metu vel imaginatione, vt in prægnantibus subito metu perculsis, ex improuiso diuersa stigmata pueris in vtero materno existentib. imprimuntur, vel alia vitia in vtero contrahunt. tantum valet imaginatio subito impressa, vt longiore sermone dicturi sumus, *libr. 28. nostrarum Obseruationum, de mulierum morbis*, si Deus me superstitem fecerit.

4 Placuit igitur hunc casum hic interserere, quamuis proprie ad illa loca, vbi de prægnantibus & purpuris agemus pertineat, ad quæ etiam transferri poterit, cum ex professo de iisdem impressionibus tūc agemus, Ita huic puellæ ex casu matris in vtero existenti tale vitium in brachio inflictum fuit, vs os a cubito ad humerum vsq; non recte nec debite coagulatum fuerit. Sed rursus alius inferet: Cur non etiam in capite puello aliquid vitii relictum est? an hoc ex metu primo & subitaneo per imaginationem factum, cum mater prius caderet in latus dextrum supra cubitum, postea circumuoluta in caput, ita vt primus metus & subitaneus, vel prima imaginatio vehementior fuerit secunda, cum in caput prolaberetur: Nam & alia stigmata quam plurima ex momentaneo metu vel subita imaginatione contingunt pueris in vtero matris existentibus, quæ

bus, quæ & natis in diuersis partibus corporis per totam vitam permanent: quanquam hic puellus a tam insigni malo recte curatus fuerit. Deinde cũ puerpera, scilicet mater ipsa, recte habens & bene valens puellum optime lactauerit, & cõmoda victus ratione vsa fuerit, cibisque boni succi & optimi nutrimenti, iisq; quę & lac augmentare solent, vnde quoque magno cum successu, etiam adhibitis remediis ad hoc aptis, puellus citius sanitatem consequutus fuit, cum & domi quoq; nutrix adesset, vt infans modo lac matris, modo nutricis sugens, debite nutriretur, & ita robustior euaserit, & attracto nutrimento ad os ipsum, admodum breui intra tres septimanas (vt diximus) debite & recte coagulatum fuerit. At omnib. morbis & symptomatibus cordis paulo ante absolutis, nunc ad nonnulla mammarum vitia progrediemur, quæ post pectoris & cordis mala etiam ab aliis auctoribus explicari solent.

OBSERVATIO XVI.

De lactis defectu.

CVm thoracis affectus ac cordis absoluerim, etiam mammillarum aggredi cõsentaneum est, quę cum thoraci incumbant, & cor attingãt, (*Galeno teste De vsu partium lib. 7.*) de his quoque agemus, non tamen de omnibus, cũ nonnulli mammillarũ affectus ad libros potius pertineant de tumoribus præter naturam. Mammæ itaque & ipsæ pectori impositæ, cordi præsidio sunt, ipsum subiectum contingentes pariter & calore fouentes, glandulosa substantia, in quo loco in mulieribus copiosum benigni alimenti superfluum colligi potest, lac videlicet, cuius caussa exstiterũt. Propterea & mammarum ac vteri maximus consensus est: ita vt neque lactatio, neque menstrua purgatio simul esse possint. Quomodo autem generetur ex optimo sanguine, ex Galeno, loco iam citato, quis intelligit. Dealbatũ quidem natura, licet ex sanguine, ne videretur crudele (*inquit Rondeletius*) pueros sanguine nutriri. Reliqua de his vide apud Galen. loco citato, & Rondeletium. Nos autem hic primo de lactis defectu agemus. Cum igitur lac in mammis ex sanguine generetur (*idem enim est cum sanguine, colore tantum differens*) & cum sanguis sit lactis materia, mulieres, quæ lac habere volunt, multo sanguine præditas esse oportet, & vt sanguis ad mammas fluat, curandum. Quare duæ erunt caussæ potissimum penuriæ lactis, aut quia paucus est sanguis, aut quia ad mammarum venas non peruenit: sed de caussis latius in scholio. Ceterum matrona proba Iodoca Teylingia Augustini Teylingii vxor, socrus mea, quæ viginti proles ex vno marito exceperat, ne lac deficeret, semper solita erat vti lacte decocto cum hordeo excorticato in partes contrito, vulgares appellant, *gort*, alii *grutten:* quo cibo perpetuo vtens, miraculi instar lac ad mammillas euocabat. Solent enim mulieres Alcmarianæ hoc solo præsidio vti. Refert Amatus centuria 4. curat. 92. de muliere puerum lactante, cui deficiebat lac, non propter mammillarum aut corporis totius siccam intemperiem, neque ob sanguinem altera qualitatum infectum, calida, frigida, humida, sicca, neque ob puerum imbecillem lac sugere e mammis non valentem: sed quia sanguis bonus, sed paucus, in corpore esset, ideo iubebat vt cibariis optimis & sanguinem gignentibus vteretur. Sic & nos istis diebus talem quoq; nacti, consuluimus, *vt ouis recentibus, testiculis gallorum, carnibus gallinaceorum, ficedularum, turdorum, perdicis, phasiani, attagenis, tum assis tum etiam iurulentis, adiecta oryza,* vteretur: carnibus quoque vitulinis veruecis, & ferculo Hispanico (Græci λαλκόφαγον appellant) quod per se sufficit. Dedimus *& martios panes, amygdalas Zaccharo incrustatas, vuam passam, & varia bellaria, vinumque optimum & odoriferum.* quibus lac ad mammas attractum fuit. Anconitanæ mulieres hippocampum pisciculum flexuosum, in puluerem redactum, & vino exceptum, ad lac prouocandum bibunt, & optime votis respondet.

SCHOLIA.

Lactis defectum appellamus, vel quod exiguum admodũ exsistat, vel omnino deficiat. Facile etiã hic percipitur, mammillas affectas esse. A partu enim cum natus est infans, mammis rursum totum alimentum affluit. Quo fit, vt lac menstruo germanũ esse inquiat Hippocrates, & q̃ eodẽ tempore menstrua belle procedere nequeãt, & fœmina lactare, vt Galen. asserit. Proinde quibus menses mediocriter feruntur, iis lac in mammillis non colligitur: quibus vero hoc large suppetit, iis plane menses supprimuntur. Hoc itaque tempore, ac reliquo toto, quo mulier lactauerit, si lac deficiat, mammillas affectas esse non ab re fatemur, siue per essentiam, siue per consensum affectæ sint. Earum vero affectus symptoma est in genere retentorum immodice. Caussas duas potissimum esse diximus penuriam lactis: aut quia paucus est sanguis, aut quia ad mammarum venas non peruenit. Si multus sit sanguis in corpore, & ad mammas non perueniat, hoc fit vel propter venarum angustiam, (*vt Rondeletius dicebat*) aut obstructionem, aut propter sanguinis crassitiem. Defectus sanguinis est, aut propter totius corporis atrophiam, quam mulier ob picam, aut alimentorum fastidium contraxit tempore imprægnationis, vel quia post partum tanta sanguinis copia fluxit, vt retractus sit ad partem inferiorem, aut quia venæ plus iusto inanitæ sunt. At quoniam lactis materia sanguis est (*vt dictum est prius*) in venis contentus, quantitate ac qualitate contemperatus, tum ab aliis partibus trãsmissus, tum etiam a mammis ipsis attractus. vt 5. De simplic. medic. facult. est videre, propterea non ab re ipsum sanguinem contemplari eodem loco præcipit Galen. (*& citatur ab Altimaro*) quo promte inueniatur caussa paucitatis, aut omnino defectus lactis. Namque inuenies, quod aut paucior est, quam conueniat, aut deterior, vt ipse inquit: paucior autem esse poterit, vel quod in toto corpore exiguus affuerit sanguis, vel quod licet exiguus in toto non fuerit, parcior a mammillis attrahitur: id autem interstinguere poteris ex to-

Quid intelligendum per lactis defectum.

Quæ pars afficitur.

Quis affectus præter naturam sit defectus lactis.

Caussa.

Qua via inuestigandus sit defectus lactis.

6 *Signa si ex sanguinis defectu proueniat.*

tius corporis temperamento, ac habitu, sicciore exsistente. Ex immodicis item sanguinis aut aliorum humorum, euacuationibus præcedentibus, vehementibus exercitiis, laboribus, vigiliis, fame, mœrore vel solicitudine, aut arida æstuanteq; febre, vel id genus aliis, quæcunque plus quam expediat, corpus desiccauerint ac calefecerint. Hæc enim sunt, quæ inter alia lac lædunt, ipsumq; prouenire prohibent, vt legitur apud Galenum eodem lib. 5. De simplic. med. facul. nedum sanguinem ipsum minorem reddentia, sed partim etiam qualitatem ipsius vitiantia: quamuis & immodice refrigerantia huiusmodi quoque naturæ sint. Si vero hæc non adsint, inspexeris autem aridas, macilētas ac graciles mammillas ipsas, ob ꝓpriam earum imbecillitatem, ac aridam intemperiē prouenire lactis defectum coniicere poteris, vtpote, quæ non valeant tantum, quantum indigent pro lactis generatione, sanguinis copiam attrahere. At si propterea quod sanguis deterior seu vitiosus fuerit, vtpote biliosus aut pituitosus, vel melancholicus exsistens, lac ipsum deficiat, id tum ex lactis colore, tum substantia, & sapore potissimum interstinguere poteris, præsertim si non omnino defecerit: non tamen posthabita cognitione temperamenti habitusque totius corporis & ætatis.

Si vitiosus sanguis caussa fuerit signa.

7 Namque si biliosus fuerit, præter eius tenuitatem ac flauum colorem, amari quodammodo saporis lac erit, aderitque temperamentum biliosum, habitus gracilis, ac ætas florens. Si vero pituitosus sanguis, crassioris substantiæ, albi aut pallidi coloris, acidi saporis, odorisque lac exsistit, lactantisq; intemperies, habitus, ac ætas pituitosi quoque erūt, quemadmodū si vehementioris fuerit spissitudinis, ac paucitatis: obscuriorisque, ac quodammodo nigri coloris lac ipsum & reliqua, quæ diximus, melancholica fuerint, melancholicum quoque sanguinem adesse significabunt. Hæc tamen affectio quamuis infantibus magis quam mulieribus grauis sit, teste Aetio, *cap. 33. lib. 16.* non propterea despicienda erit, cum absque aliquo eiusdem mulieris præter naturam affectu, etiam gigni non possit: quapropter vbi imminuitur lac, aut omnino exstinguitur, vel corrumpitur, aut spissatur, vel attenuatur: præstat quidem alterius nutricis lac præbere, quemadmodum Aetius præcipit, *lib. 4. cap. 6.* Sin autem id non permittat res aliqua instans, victu nutrix curanda est, vt ne in morbum incidat infans (*vt ipse inquit*) ac ipsa sibi quoque meliorem vindicet sanitatem. Neoterici, vt Valescus, hæc signis prognosticis adiiciunt ex Rhas. 4. Almanz. Lac illud melius est, cuius gutta vna supra vnguem stillata neque multum subtile sit, nec valde crassum aut congelatum: bonum habens odorem & dulcedinem conuenientem optimum est: at salsum, male olens, nullo modo infanti conuenit. At mulieri in vtero habenti lac ex mammillis multum fluens, debilem fœtum (*ex 5. aphor. 52.*) notat. Si mammas duras habeat, fœtum sanum designat: si mulier quæ neque prægnans est, neque conceperit, lac habeat, huic menstrua defecere. *5. aphor. 38.*

Prognostica.

8

Observatio XVII.

De muliere satis extenuata & graciles mammas habente, ex defectu lactis laborante.

1 Matrona quædam proba cum peperisset & defectu lactis laboraret, neque libenter infantem alteri nutrici commisisset, ad eandē cum consilii caussa intrassem, atque animaduertissem eam māmas satis graciles habere, & quod ipsa esset vtcūq; extenuata, huic alimēta optima calida mediocriter & humida, quæ plurimum nutrirent, & multum sanguinem generarent, præscripsi, cum & ipse Gal. in lactis defectu ex sanguinis paucitate victum humectantem & calfacientem velit esse scribat, 5. De simpl. medic. facul. & cum medicamenta, ait, quę non desiccant & modice calfaciūt, lacti generando vtilia sint: quorum copiam habes apud eundem, & Paulum & Aetium, *lib. 16. cap. 33.* Ideo & alimentum augere duxi, & melioris succi cibos dare, panem optimum scilicet, oua recentia sorbilia, iuscula, carnium succos, & vinum optimum, cum satis diues esset, & pullos gallinaceos, & ex fructib. vuas passas, pistachia, amygdalasque dulces: Iussi quoque vt mammas confricarent, & aqua tepida cum spongiis fouerent: hoc enim modo venæ, quæ ibi sunt, dilatantur: tum vberum frictione moderata ac fomentis per spongias, Aetio teste, sanguis etiam ad mammas trahitur. Animi affectus immodicos, præsertim mœstitiam vt vitaret, imperaui, & vt bene dormiret ac aleretur: caseum quoque recentem concessi, & præcipue lac cum oriza & hordeo mūdato. Radices quoque pastinacæ domesticæ in iure pulli ac veruecis commode sumebat. Quibus quidem cibis medicamentosis non solum habitior euasit, verum etiam infantem alere potuit, vt non opus fuerit aliena nutrice.

2

Scholia.

In defectu lactis, caussæ ipsæ diligēter prius perscrutandę, deinde amoliendę. Si enim deminuatur lac ob exercitium, dimittendum, & nutrix in quiete & tranquillitate seruanda: si ob aliquem fluxum vel ventris, vel menstruorum, vel hæmorrhoidum, is prius restringendus erit. Ideo si menses nimis fluant, retinendi sunt. Si itaque ob totius corporis atrophiam, ob famem, vel quia post partum sanguinis copia fluxit, & venæ plus iusto inanitæ sunt, nutriendæ erunt optimis alimentis calidis & humidis & euchymis, vt iam diximus. Si propter crassitiem sanguis non fluat, leuiter incidentibus & attenuantibus, neque multum exsiccantibus, est vtendum, & illa sint potius alimenta medicamentosa, aut condimenta alimentis permixta, vt herba fœniculi, apii, petros. vel radices aut anethi virid. Illa sunt iusculis admiscenda, & recentia esse debent, ne siccitate sua potius lac exstinguant, quam generent. Zinziber magis tamen conditum, vel siccum, non tamen exsangue, & cinamomum in pauca quantitate in condimentis sunt vtilia. Vinum quoque tenue, album, vel fuluum conuenit. Neque illis vsus est interdicendus cœparum coctarum, vel in iusculis vel sub cineribus

3 *Curatio pro varietate caussarum.*

neribus. Valent & fotus mammarum cum rebus humectantibus, decocto maluæ, altheæ tam rad. quam foliorum, post frictiones, vt venæ dilatentur. Sed minime audiendi practici illi, vt admonuit Rondeletius, qui pul. ex sem. fœniculi & aliis calfacientibus & attenuantibus & resiccantibus componunt, vt corallo, qui nec sanguinem generat, cum nõ concoquatur, nec in sanguinem vertatur ob siccitatem & duritiem; neq; propter eius qualitatem, cum sit frigidus & siccus, potest iuuare concoctionem, neq; sanguinis generationem. Herba fœniculi ob suam humiditatem minus siccat, & ad sanguinis distributionem multum valet, & proinde ad lactis generationẽ; semen, cum siccum sit, desiccat: sed recens, vt eruca recens, auget; sicca minuit. At res calidæ & humidæ, multum sanguinis generant, vt lac animalium in cibis sumtum, dulcia, & alia id genus. Si autem sanguis non fluat ob angustiam venarum, optimum erit aqua tepida mammas fouere, vel sinapismum debilem, aut dropacem supra pectus ponere, vt sanguinem ad partem trahant. Sed diutius nõ oportet supra mammas sinere, ne id quod attrahunt, digerant, aut inflammationem in ea parte procreent. Hoc modo fiet, iuxta Rondeletium. ℞ *ficuum maceratarum in aqua ℔ j. pistentur diligenter, postea adde sem. synapi tenuissime triti ℥ j. misce.* ponatur supra mammas, vel dissoluatur, & pix misceatur multo oleo: & post aliquam frictionem applicetur supra mammas, vel potius in circuitu mammarum, sub clauiculis & sub alis; nam per illas regiones venæ ad mammas perueniunt. Frequenter sugere mammas, vel exprimere, lac effluere facit. Cucurbitularum appositio cum pauco igne, paulo infra clauiculas, ad sanguinis attractionem prodest.

Observatio XVIII.

De defectu lactis ex lacte vitiato.

Laudatissimum lac est, moderatum (*inquit Paulus libr. 1. capit. 3.*) spissitudine, copia, colore, odore & gustu. Cõmendatur & quod in vnguem pollicis instillatum, eo inclinato ad lucem, neque subito, neque tarde videtur defluere. Iam vero in hunc modum probari potest: infuso lacti in vas vitreum, coaguli exiguum admiscetur, digitisque agitatur. In quo postquam concreuerit, inspicietur, num casei portio minor fuerit quam serum; hoc enim lac inutile est. Contrarium huic concoctu contumax: probatissimum, quod vtraque habet mediocria. Sic nos ad nutricem acciti, vt lac probaremus, biliosum, quod & deficiebat & corruptum erat tenue, flauum & aliquo modo amarum: vt illud corrigeremus, dedimus prius syrup. ex succo intybi, & ex succo infus. ros. communium, vt ita ad purgationem magis præpararetur humor biliosus. Deinde purgans medicamentum elegimus, quod humectaret, & minime exsiccaret; & sequens dedimus. ℞ *syrup. ros. pallid. sæpius infus. ℥ j. cassiæ recens extractæ, mannæ selectæ, an. ʒ ß. aquæ casei ℥ ij. ß. misce, fiat potio breuis sorbitionibus, in quibus lactuca & hordeum excorticatum incocta erant, alu imus*: & vt nutrix laboribus abstineret, iussimus, a vigiliis quoque, tum fame ac mœrore: & ad lac etiam augendum, fœniculi radicem in ptisana decoctum præbuimus.

Scholia.

Si ex deteriore sanguine bilioso lactis defectus contingat, bilis erit contemperanda, & leuiter purganda cum syrup. ex pluribus infus. ros. & similibus: vbi enim acrius tenuiusq; lac euaserit, iuxta Paulum, multis quidem tunc laboribus nutricem leuare, sorbitionibus autem & carnibus suillis, sæpeque & vini dulcis potu reficere conuenit: omne vero lac vitiosum, siue crassum siue acre fuerit & fœtidum, puerũ, qui prius suxerit, eadẽ qualitate inficit. Lac autem acre numquam ieiuno exhiberi debet. Fœtorem eius vinum odoratum & cibi dulces (*eodem Paulo auctore*) emendare possunt. At pari ratione nigra bilis, si ea caussa vitiosi sanguinis fuerit, ac defectus lactis, expurganda erit medicamẽto, quod talem vim habeat, nec tamen exsiccet; veluti est diacatholicum seu syrup. Domini Augustini, si cum manna aut cassia fistula ea permisceas. Verum si pituitosus fuerit sanguis, medicamenta requirit, Galeno teste, excalfacientia, aut primo aut secundo ordine, nõ tamen desiccantia; & inter ea potiora sunt medicamenta nutritoria, vt fœniculum & anethum, virentia tamen & humida; radix & semen fœniculi ptisanæ incocta, iuxta Paulum. Et ideo si lac crassius fuerit, pituita vomitu elicietur, epoto oxymelite: laboribus cibum præcedentibus eadem extenuabitur: & in cibo conducunt hyssopus, origanum. Ad lac quoque generandum valet, pastinacæ radix; ita & lini semen cum melle linctum, iuxta Aetium. Sic & radices siseris, caryotæ coctæ cum iure pulli, & comesta, lac præstant.

Observatio XIX.

De lactis redundantia.

Redundantia lactis laborant mulieres primis diebus post partum, quia multis sanguis mittitur (inquit Rondeletius) & non absumitur; aut quia non sugitur. Quando enim plus alimenti ad mammas defertur, adeo lac redundat, vt ex eius ampliore plenitudine mulier grauetur ac doleat, ita vt copiam eius ferre nequeat: præsertim cum e mammis non effluat, & propterea intus detinetur. Contingit autem sæpius puerperis, non raro autem reliquis lactantibus, vt in scholio latius dicturi sumus. Sic nutrix quædam ad nos venit adeo lacte abundans, vt mammæ dolerent, lacte intus retento. Huic statim occurrendum esse putaui, ne in inflammationem mammillarum incideret, vel casei instar lac coagularetur, seu in grumos verteretur: facile enim, si & lac vitiatum fueris, mammarum vasa exulcerat, scabiem, panos, & papularum eruptiones quoque inducit, vt Aetius annotauit, & nos quoque sæpe in praxi quotidiana vidimus. Quapropter vt lac minueremus, paucissimos cibos minusque alentes vt caperet, consuluimus, exiguum quoque potum & ceruisiam tenuem; ita & crassiorem & vinum inhibuimus: partium vero infernarum ex-

ercitia concessimus, & quia sanguine abundabat, & vires ferebant, venam mediam in brachio secari iussimus. Sic quidam, si in toto corpore sanguis abundat, fieri iubent, vel internam venam secant: postea & tali venam incidunt, modo vires ferant: imo circa initia, si quid non impedierit, poplitis vel tali venam secant, copiosumque sanguinem ex ea vacuant, per eam enim fieri inflammationem prohibent. Et si altera mammillarum magis oblæsa sit, e directo venam secant, potissimum autem id seruari iubent in puerperis, vbi mẽses retineantur, totisque viribus præter venæ sectionem, eos prouocare conatur: nam quibus menses mediocriter feruntur, vt prius dictum est ex Galeni sententia, iis lac in mammillis, multum præsertim, non colligitur. At si non retenti sunt, mediam vel internam secant. Post venæ mediæ sectionẽ spongia purã, molli posca egelida imbutã, expressamq; super mammas, fasciis accommodauimus, atque linteum aceto imbutum imposuimus, & assidue iuxta Aetium humectauimus, ita vt non sit subsequuta inflammatio: & corpus etiam purgauimus medicamento non admodum calfaciente, in hũc modum. ℞ *syr. ex infus. ros. pallid. cum agarico* ℥ *j.ß. aquæ agrimoniæ* ℥ *iij. misce*, & victu attenuante vtens, ac incidente, & copiam sanguinis minuente, a dolore mammarum ex lactis plenitudine sanata fuit.

2

Scholia.

3 *Causse.*

LAc autem vt plurimum colligitur, oppletis sanguine communibus venis, quæ a mammis pertingunt ad vteros. Id etiam contingit mulieribus vtero gerentibus, interdum ob cõceptus imbecillitatem, interdum vero cum neque grauida est, neque peperit, sed ei menstrua defecerunt, Hippocr. auctore *Aphoris. 39. & 52. lib. 5.* de quibus modo noster sermo non est, cum de his verba facimus, quibus a partu, aut reliquo lactationis tempore, adeo creuerit in mãmillis, vt propterea mulieres grauentur, ac doleant, ita vt metus sit, ne vbera inflammatione corripiantur. At in mulieribus, quæ primis diebus post partum hac redundantia laborãt, Rondeletius suadet, vt potius ante partum aliqua repellentia apponantur supra mammas, ne tantam sanguinis copiam recipiant. Nam postquam lac multum receptum est, nõ potest repelli, sed per mammas euacuari debet, aut suctu aut alia ratione. Attamẽ Soranus vbi mammæ assidue doleant, scribit non debere a mulieribus neque infantibus exsugi, nam suctione plus materiæ attrahi asserit: id quod Paulus confirmauit *capit. 35. libr. 3.* Altimarus ex Aetii sententia, *capit. 34. libr. 16.* ab adultis ac peritis mulieribus mammas puerperarũ leuiter exsugi posse scribit: præsertim vbi non immodice doleant, seu inflammatæ sint: effertur namq; foras leni hac exsuctione, quod in mammillis lac continetur, neque plus materiæ ad eas trahitur, & propterea inflammationem fieri per eam prohibetur, potius quam irritetur. Prohibetur quoque lactis exsuperantia, deorsum trahẽdo, & appositione cucurbitularum in emunctoriis & pessariis, si sufficienter non fluat sanguis: deinde linimẽto in circuitu mammarum & sub alis imposito, *vt boli arm.* ℥ *ij. spongiæ bedeg. rad. bistortæ, ana* ℥ *ß. cum oleo ros. & pauco aceto reducantur ad formam linimenti*: illinantur prædictæ partes. Supra mammas cataplasmata digerentia ex hord. far. cum oxymelite, vel ex herbis digerentibus cum quadam adstrictione apponenda, vt mentha, absint. & al. is: ℞ *menthæ siccæ, m. ij. absinth. m. j fiat decoct. tundantur, & per cribrum excipiantur: quibus adde farinæ fabarum vel orobi vel lupinor. ana.* ℥ *iij. cum decoct. & pauco oleo lilior. fiat catap.* Supra papillam vtile erit. *rad. chelidon. maioris decoctam & contortam apponere*, si hæc non iuuent, *cerusam, litharg. cadmiam in vnguenta reducere*, commodum erit, & alia adhibere, quæ citra calfactionem digerunt, & medicamentis pituitam purgantibus corpus vacuare, & tenui victu attenuante & incidente vtendo, copiam sanguinis absumere. Aetius palmulam, cum pane ac posca tritam apponit: deinde eas moderate vincendo constringit, vel ouo toto cum rosaceo inducit, vel lentes aqua marina incoquit, & cum decocto mammas abluit, lentesque contusas imponit. Quod si lac omnino restinguere volueris, alumen & psyllium cum aceto & coriandri succo ac rosaceo adhibeto, ex eiusdem Aetii testimonio. Hæc tamen in puerperis, quæ vltro lactis exsiccationem postulant, vt *sequenti Obser.* dicemus, cum cautione adhibenda existimo: nam sæpe vidimus, qui multa repellentia mulierum mammis post partum apposuere, pessima symptomata induxisse: ꝑsertim si asthmate vel ex pectore laborent, vt euenit Barthildæ Verlaniæ, vxori Bartholomæi Teylingii sororii mei: cui cum appositum esset ex alicuius medici alioqui doctissimi consilio, emplastrum supra mammas post partũ exsiccãtiuum, facta est deinde magna obstructio in membris spiritalibus, etiam oborta tussi cum catarrho ad pectus destillante, vt per sex deinde annos continuo pessime habuerit, perpetuo catarrho ac tussi obnoxia, vt tandem tabida quasi euaserit, & ad finem vitæ perpetuo valetudinaria vixerit, licet nostra industria, Deo auxilium præbente, longius vitam protraxerit.

Curatio.

4

5

6

Observatio XX.

De lactis exsiccatione in puerperis nobilibus.

1

NOn desunt delicatæ & nobiles puerperæ, quæ proles suas minime nutrire velint (*quod tamen præstantius esset*) ita vt a partu statim lac in mammis exsiccari iubeant, vtque mammæ solidiores maneant sine lactatione: ideo quædam obstetrices mammas oblinunt melle, hoc enim modo Gheertrudi Bronckhorstiæ cognatæ nostræ lac exsiccatum fuit. Noui & alias, linteum aceto inculcatum, in quo prius ebullierat crocus hortulanus, commode applicuisse: nonnullas & folia viridia nucum apposuisse. Sunt & qui prohibent lactis generationem in mammillis, cum vnguento populeo, aut panno lineo, succo menthæ inculcato & apposito: aut cataplasmate inducto, ex radic. caulium, farina fabarum & lentium, cum

cum croco & sale, & nuce cupressi. Matronæ Venetæ, quæ crescere mammas non patiuntur a partu inhibent lactis prouentum (*teste Alexand. Benedicto Veronensi, lib. 11. cap. 16.* emplastro ex melle, croco, terebinthina confecto, mammis imposito. Atque eo tempore iuscula non sumunt, neque vinum album bibunt, neque tenue. Sed & aqua marina fotu prodest. Obstetrices Delfenses lac exsiccant in puerperis panno lineo, oleo raparum intincto, vndiq; mammillis imposito: aliumque pannum lineum melle intinctũ vel illinitum primo panno superimponunt: interim sub parte inferiore incipiendo mammillas debite constringunt, vt minus propendeant, illud in Iudoca Teylingia cognata nostra experti sumus.

SCHOLIA.

MVlieribus nobilibus ac ditioribus, quæ a partu lac omnino restinguere petunt, præstat minus repellentibus ac reprimentibus vti, sed tutius iis medicamentis, quæ ipsum siccant atque digerunt, adhibitis, tamen prius per vincula, cucurbitulas, frictiones, seu venæ tali sectionem, modo vires ferant, prout postulabit vsus. Tale habes medicamentum per Altimarum expertum, miraculo quodam id præstans, sine metu futuræ inflammationis. Habet autem *fœniculi, apii, oreoselini, maluarum & althææ cum rad. an. p. j. foliorũ lauri, florum chamameli. an. m. ß.* quibus in aqua arte decoctis, ac in largiori vase proiectis, tectis desuper panno lineo mammillis, eas fouere præcepit: deinde eodem decocto mammas abluit, ac post ablutionem, rosaceo omphacino illinit, quo tempore, vt leuiter quoque exsugantur, permittit, vt reliquum quod in mammis continetur lac fusum ac liquatum promtius foris effluat, nec materia aliqua ad eas trahatur. Resinæ therebinthinæ deinceps quantitatem, quæ satis sit, assumens, vino albo & odorifero, ac aqua ros. sæpius abluere iubet; cui duo aut tria oua tota, ac croci ℈ j. adiicere permittit, & in emplastri formam seu cerati, cera addita, redigit: quod super lineo linteo, eoque crasso extensum (proforato tamen in duabus partibus, ex quibus mammillarum papillæ extra prominere possint) imponit, ac fasciis circumligat moderateque constringit. Singula autem dicta iterari facit bis saltem in die, videlicet mane & vesperi, ante cibum: ita vt prius mammæ foueantur, abluantur deinceps & illinantur, exsuganturque leniter, & demum emplastum dictum imponatur: & fasciis moderate constringantur, ac ligentur. Elidæus Paduanus medicus & præceptor meus Bononię, lac exsiccabat inunctione olei ros. & menthæ, etiam mammis emplastrum de mentha imponens.

OBSERVATIO XXI.

De lacte in grumos conuerso.

A Partu aliquando, teste Paulo, lac in mãmillis casei modo coagulatur; vel in grumos concrescit: quanquã hic affectus neq; idem sit, vt aliqui sentiunt, neq; eandem caussam generationis habeat, cum lac in grumos concrescat ex sola caussa frigida, sed tantum coaguletur in speciem casei caussa calida, vt ad longum videre poteris ex mente Galeni, Pauli & Aetii apud Altimarum: & ambo affectus pertinent ad morbum in numero seu magnitudine, & facile ab inuicem distinguuntur, grumescens quidam a frigida intemperie, & lac coactum casei modo, a calida. Vterque autem affectus statim curandus est, ne inflammationem pariat aut vlcerationem mammarũ, præsertim, si etiam vitiatum lac fuerit. Ita Maria Ioannis, vxor Iacobi Teylingii, sororii mei, cum post partum lacte in mãmilla dextra abundaret, & inter sugẽdum mammillã nimis nudasset tempore admodũ frigido, mammilla indurata est, & dolorem incurrebat. Cum itaq; suspicionem haberem lac in grumum esse commutatum, præcepi vt mammillam inungeret oleo liliaceo amygd. dul. & butyro recenti simul mixtis, addita adipe gallinacea: quo remedio dolor imminutus est, & durities mitigata, ita vt denuo effluente lacte infantem lactare potuerit.

SCHOLIA.

AMbo, nempe coagulatio in caseum vel grumos, modo fiunt ex lactis copia, modo ex lactis crassitie: vel potest lac concrescere in mãmis, post vsum medicamentorum refrigerantiũ, vel nimis calefacientium, aut post contusionem aliquã. Hæc facile innotescunt, vt iam diximus ex ægræ sermonibus & temperie: lac enim, teste Gal. non aliter quã sanguis extra vasa exsistens, in grumum conuertitur frigefactus. Et quia ex variis caussis fiunt, curatio etiam varianda. Si enim ex crassitie lactis eueniat, extenuante victu vtẽdum. Si ex redundantia lactis, & nondum in grumum conuersi, a peritis mulierculis, vt prius dictum est, leniter exsugendum, atque sensim menthæ & fœnigræci succo illinendæ, & alia peragenda, quæ de lactis exuberantia diximus. Si ab immodico calore caseatum sit, victus ratione ad frigidum inclinante instituta, eisdem fere medicamentis, præsertim circa initia, vtendum erit, quæ *scholio Obseru. 17. De lactis exundantia* diximus, ex Paulo & Aetio; priuatim autem Aetius furfures in aceto coctos, cum decocto rutæ mammis imponit, vel mentham cum polenta, aut iuglandes cum ruta ac melle: vel cuminum cum polenta, & crocum cum lacte, aut apium viride, vel folia solani seu halicacabi, cũ brassicæ foliis, pauca myrrha ac croco adiectis, & exiguo aceto: iuuant & epithemata ex fœnig. sem. lini & althææ decocto, cum oleo viol. & exiguo aceto. Si in grumos sit conuersum lac, victu extenuante vtendum, ad calidum inclinante, lentium decocto, & aqua marina fouendæ, aut oleo calido dulci: inungẽdæ cum oleo amyg. dulc. aneth. amygd. & polline farinaceo. cum sem. lini apposito, coagulum leporis potum, vel pauco aceto, butyro mixtum cum oleis dictis illinendæ. Alii cataplasmatibus & vng. incidentibus & detergentibus lac dissoluunt: vt, *℞ succi apii quart ij. oxymel. ℥ ij. farinæ cicerum rub. & oryzæ. an. q. s. adincorporandum*, fiat cataplasma. Si his medicamentis non dissoluatur, vel glandulæ indurẽtur, & suppurentur, tunc suppurantibus iuuanda est natura,

Curatio.

Curatio caseati lactis.

4 *Lactis in grumos conuersi curatio.*

vt rad. althææ. lilior. alb. an. quart. j. ficuum paru. xx. decoq. in aqua donec mollescant: quibus adde axungiæ porcinæ non salitæ, aut butyri recentis quart. ß. coquantur, & cocta contundantur, & fiat cataplasma, adde olei communis parum. Quando materia est suppurata, aperitur locus, & curatur postea vt vlcus sordidum, de quo postea. Est & aliud quoddam vitium in ipsis mammillis, Græce τριχία. Latinis Pilare malum dictum: cuius & meminit Aristoteles *libr. 7. cap. 2.* de quo & Benedictus Veronensis medicus etiam mentionem facit *lib. 11. cap. 12.* Plinius & pilos in mammis e partu innasci tradit: eos mastos herba (*inquit*) sanat indita. Gisbertus Horstius medicus nosocomii Mariæ consolationis Romæ, cum ibi essem, hoc malum fieri dicebat, cum puerpera pilum hauserit, tumque dolor magnus mouetur in mammis, nec sedatur donec pressus exeat, vel sponte, vel cum lacte exsugatur, vtebantur in nosocomio vng. ex lithar. aceto, & oleo, sed præstantius est, vt exsugatur.

Observatio XXII.

De dextræ mammillæ inflammatione.

Pverperæ bene purgatæ in partu inflammatio oborta est, post tres septimanas in mãmilla dextra: in febrẽ tertianam quoq; incidit hæc ipsa. Ad quã acciti, cum mãmilla rubicũda esset, cumque aluum non deiiceret, lenitiuum exhibuimus: deinde altero die, cum minus febricitaret, internam gibberi venam secuimus, moderate sanguine extracto. Quod si in principio menses non satis fluxissent, & retenti fuissent, ex tali vena id fieri iussissem. Mammam quoque statim inunximus vng. popul. & ros. simul mixtis. Sed cum inflammatio non sedaretur, rosacco vsi sumus, etiam succo solani cum aceto, postea etiam adiecto decocto chamæmeli & sem. lini. Cum autem transacto inflammationis principio nondum cessaret malum spongiis in hoc decocto madefactis, & etiam cum linteis lineis impositis, id mitigare in hunc modum studuimus. ℞ *folior. maluæ, viol. an. m. j. flor. chamomill. meliloti. ana. m. ß. rad. althææ ℥ j. se althææ, lini, fœnugræc. an. ʒ ij. summitatum anethi m. ß. bulliant in aqua communi q. s. adde olei ros. chamæmel. an. ℥ ij. aceti ℥ j. misce.* postea ex farina hordei, lini, fœnugræci cum pane trito in oleo sesamino & aqua decoctis, adiectis duobus vitellis oui & croci exiguo, fiat emplastrum, quod mammis apponatur. Et cum rursus purgata esset cum infus. rhabar. febris cessauit, & topicis dictis ab inflammatione etiam liberata fuit, neque ad suppurationem malum deuenit.

Scholia.

Mammæ, vt ceteræ partes corporis, sæpe inflammationem incurrunt, non solum confluẽte ad eas sanguine, verũ etiã ob lactis copiam vel coagulationem casei instar. De quibus dictum est prius, & propriis signis facile internoscũtur. Quæ a sanguine fit, omni tempore euenire potest: reliqua non nisi puerperis & vtero gerentibus, vel quibus menses detenti sunt præter naturam. Ex quacunque caussa fiat, non est spernenda eius curatio: nam cum latior & adenosa carum substantia sit, nec multum obtineant innatum calidum, metus est, ne in scirrhosum tumorem & demum in cancrosum vergat, aut ea suppurata, ac ad abscessum progrediente exedens vlcus consequatur. Iuuat autem hic in principio, modo vires ferant, venæ sectio, vt iam diximus: etiam purgatio, quæ leniendo purgat, vt manna, cassia. elect. lenit, diacatholicon. Post hæc ad topica confugiendum, quæ reprimunt & repellunt: non tamen valida, vt madefacti linei ex aceto, vini albi & aqua gelida mammis impositi, & sæpe reiterati. In incremento, farina hordei cum oleo rosaceo, repellentia cum digerentib. permiscendo, vt farinam hordei cum succo semperuiui, oleo chamomil. & pul. ros. postea in statu addendo magis digerentia, vt oleum aneth. chamomil. acetum, cum decoct. rad. alth. & seminis lini, & emplast. ex sem. lini, fœnugræci & rad. althææ: & in declinatione etiam de muccilaginibus. Quibus si non discutiatur, & ad suppurationem veniat, tunc erit iuuanda suppuratio, vt exemplo sequenti docebitur.

Observatio XXIII.

De inflammatione seu apostemate mammillæ sinistræ in suppurationem conuerso.

Mvlier intra mœnia Delfis, ad fossam aquẽ dictam, decumbens, cum inflammationem mammillæ sinistræ pateretur, quæ neque resolui posset discutientibus, & ad suppurationẽ tenderet, illico suppurationem adiuuãdã esse duximus, idq; medicamentis temperate calidis & humidis emplasticam vim habentibus, quæ & maturationi & suppurationi, iuxta Gal. 5. De simplic. medic. facult. opitulantur. Ideo post fotum emollientem ex rad. althææ & foliis maluæ, rad. lilior. & foliis viol. ac flor. meliloti, etiam sequens cataplasma mammillæ imposuimus. ℞ *folior. maluæ an. m. ij. rad. althææ ℥ iij. rad. lilior. albor. ℥ ij. coctis & contusis, adiecta farina tritici, ac hordei, fabar. an. ℥ j. butyri recentis ℥ ij. ping. gallinæ, caponis, porci castrati. an. ℥ j ß. olei liliacei q. s. fiat cataplasma.* quo sine incisione ruptus est abscessus, alioqui inflammatione in pus permutata ad disruptionẽ ferro vel acriorib. medicamentis deuenissem. Quemadmodum istis diebus in nostra vicina, filia Ioan. Montfortii Machtilda nomine, præcepimus, vt scapello aperiretur: quam empirica mulier tractãs, cum ingenti dolore & febre magis afficeretur, etiam postea ex pure corrupto, noluit adhibere, nisi postremo coacta eã admisit, & scalpello per chirurgum aperta pure effluente, nocte subsequente egregie dormiuit, cum multis antea diebus dormire non potuisset. Et ita huic, tum alteri mulieri supradictæ, repurgato vlcere, chirurgica ope ad consolidationem tãdem abscessus deductus est. Libet hic apponere quoddam arcanũ, licet superstitiosum, ad inflammationẽ mammillarum, vt si quis occiderit manu dextra 25. ranas, manumque mammillæ postea applicuerit, idq; in principio, curabitur inflammatio sine suppuratione. Aliud quod nõ est minus superstitiosum, si quis

quis manu tenendo talpã occiderit, tam diu comprimendo donec moriatur, is si manum leuiter ad mamam apposuerit initio; & hic inflamationem curabit absq; suppuratione. Talẽ fuisse in Hagha Comitis virum cõstat, nomine Corneliũ, cognomento Cannium, mercatorem vestium holosericarum, vt nobis retulit matrona alioqui honesta. Nunc quid verum sit, penes matronam sit fides.

SCHOLIA.

3 *Apostema calidum.*

APostema calidum, premissis vniuersalibus remediis, in principio sanat aqua solatri, cum aceto & oleo rosl. cõcussa & apposita. Apponatur emplastrũ ex far. fab. foliis solani, oleo ros. aceto & melle paratũ, coctum cum succo caulium. Discutit & resoluit materiam paratã & dolorem sedat. Alioqui si non resoluatur. ℞ *far. fabar. fœnug. sem. lini. medullæ panis, farinæ hordei. an.* ℥ *ij. croci* ℥ *j.* ß *rad. bismaluæ cocta & contusæ* ℥ *ij. vitellor. ouor. num. viij. olei viol. chamom. an. q. s. fiat emplastrum.* Valet in augmento & statu. Vbi maturum est, aperiatur: mundificetur cum melle & succo apii & vitello oui; vt linamentum imponatur, & curetur vt aliud vlcus.

Apostema frigidum.

Si sit frigidum, non conferunt repercutientia sola in principio, nisi misceãtur cum resoluentibus & corpore prius purgato. Chirurgus quidã magna cum experientia in apostemate pituitoso vtebatur emplastro ex rad. lapathii acuti, maluæ, rad. fœnic. in lacte decoctis: quidam in principio adhibent fotum ex vino albo, aqua & aceto spongia tepida admota; postea & emplastro, iuxta Auicen. ex foliis apii bullitis cum vino, atq; contusis.

4

Si maturandum, fiat emplast. ex caricis pinguib⁹, rad. lilior. & cum farina fœnugræci & lini, & axungia porcina: illud enim maturat & dolorem mitigat. Maturum aperiatur, vt dictum est. Amatus aperit candẽte ferro, vt in vxore Eduardi, *cent. 1. curat. 47.* Sed is admonet, quod raro mammilla affecta ad sanitatem reducatur, nisi altera sana a lacte exsiccetur. Exsiccabitur autẽ lac, si modo infanti mulier lac sugendum non dederit. Idem si lineis pannis frigida madefactis, mammillam frigefecerit, vel super eam pulticulã ex fabis & aceto paratam imposuerit. Nec enim timeas de lactis exsiccatione; quia bene habente mammilla, vel facillime lac reuocabis; præcipue infantis attractione suctuue. Visæ enim sunt mulieres, quibus menses ob ætatem grandiorem suppressi erant; & tamen illis lac copiosissimum ad mamillas deuenit, solo puerorum suctu; quos postea lactarunt, & ad annum & plus, atq; ita ac si eos pepererãt, tractarũt. Ex iis autem mulierib. ab Amato vna Ferrariensis, ætatis quinq; supra quinquaginta annorum visa est: altera vero nobilis apud Lusitanos Santaranensis, nata años prope sexaginta. Lac aliquando in mammillis virorum admodũ calidorum & carnosorum, in exigua quantitate visum est; sed rarissime, vt quidam medici referunt.

OBSERVATIO XXIV.

De scirrho mammarum, & duritie.

SCirrhus mammarum fit post inflammationes, aut concretiones lactis, aut diuturniorem vsum repellentium, quæ materiam congelarunt; aut post fortiter detergentia, quæ id quod tenue est, euacuarunt; & quod est crassarum partium, crassius reddiderunt. Si autem glandulæ indurentur, strumæ, siue chœrades a Galeno dicuntur, cum adenes induratas ait χοιράδας esse. Curatur autem scirrhus eadem ratione, vt in aliis partib⁹, nempe partim emollientibus, repellẽtibus & digerentibus: vbi enim inflammatio ad duritiem vergeat, ea quæ molliendi vim habent, adhibere conuenit: in quem vsum laudauit Aetius, *cap. 38. lib. 16.* semen lini aut fœnugræci, cum aceto mulso coctum & impositum, aut sesamum illotum modice tostum, cum melle tritum, & calidum appositum: vel stercus caninum album, terebinthina exceptum superimpositum. Ceterum si ex coagulato lacte inflammatio fuerit excitata, eisdem circa initia vtendum medicamentis erit, quæ paulo ante de coagulato lacte conferre diximus. Verum si neque eis inflammatio cedat, ad ea, quæ modo commemorauimus, medicamenta progrediendum erit. Et si ad duritiem tendat, ea ipsa quoque adhibenda, quę modo retulimus.

2

Sic mulieri, cui mamma ad duritiem peruenit, ceratum ex muccagine foliorum liliorum alborum & bismaluæ, cui oleum liliaceum incoctum erat, cera modica addita, sparadrapi instar liquata, per pannum lineum rarum seu detritũ nonnihil tractum, mammæ apponere iussimus. Est egregiũ medicamentum, ad omnem duritiem, etiam conferens puerperis, si puerum ablactare velint; ad lactis quoque resolutionem: nam appositum non solum mammam induratam emollit, verũ etiam lac intra 24. horas resoluit, & in apostema vt transeat, præcauet; etsi videantur suppurari, estq; leniens atq; emolliens medicamentum & leue maturatiuum. Vtor quoque ad mammarum duritiem cerato de muccilaginibus.

3

At Barthildæ Verlaniæ, de qua alias diximus, puerperę existenti, mammillarum apostemate correptę, cum ad suppurationem veniret, & abscessus per chirurgum scalpello apertus esset, cum pus postea non bene exiret, dum repurgantibus medicamẽtis vteretur, duritie quoq; oborta in mammilla exulcerata, pus minus effluebat, oborto quoq; dolore. Chirurg⁹ cum pultem ex farina siliginis cum vngu. populeo mammis imposuisset, dolor magis increuit, duritie etiam aucta, neq; pure debite effluente. Ad quam accitus, febrem metuens, amota pulte hoc emplastrũ admoueri iussi. ℞. *rad. althea* ℥ *ij. radic. enulæ campanæ* ℥ ß *folior. maluæ, viol. flor. melilot. ana m. j. coctis in aqua ad mollitiem, & contusis adde farinæ hordei, & olei amygd. dulc.* quod satis est ad emplastri formam; eoque mammillæ prius oleo amygd. dulc. bene inunctæ apposito, durities cessauit, ac dolor & pus, quod antea crassum erat ac retentũ, commode effluere cepit; ita vt breui facta vlceris mundificatione, ope chirurgi deinde probe curata fuerit.

SCHOLIA.

4 *Ad duritiẽ mammillarum.*

TRiticum ad mollitiem coctum & contusum cum sabulo, quod ex cotib. in lintribus, dum ferra acuuntur, defluit, immixtum & appositum,

iuuat ad duritiem mammarum: & dialthæa cum vnguento Agrippæ, & ros. oleo simul mixta & inuncta. Et quod habet *farinæ hordei, fabar. an. m. j. farinæ fœnugræc. lini, ana. ℥ ß. vel m. ß. olei ros. ℥ iij. croci ℈ j. misce.* & mammis duris imponantur. Nodi vero ac glandulæ foliis persici mali recentibus & ruta vna contritis sanantur, vt quidam referunt: tragac. gummi arab. vitella ouorum simul mixta cum oleo viol. imponantur. At in muliere mammillas vlceratas habente cum duritie, cum pus retineretur, emplastrum emolliens & simul maturans apposuimus: & pure effluente, rupto abscessu eandem, vt vlcus, curari imperauimus. Ad vlcera mammillarū corrodentia scribit Tharantanus eadem valere, quæ ad linguam & os vlcerata conueniunt & ad aphthas, ponit lotionem ex mente Auicennæ ex decocto vini nigri styptici, sumach tinctorum, nucis cupressi, cassiæ ligneæ, gallarum & agrimoniæ. Bayrus ad vlcera mamillarum componit cataplasma ex foliis hederæ, & cum decocto vlcera foueri iubet. Refert & canabem syluestrem tusam cum axungia tumores & durities mammillarum curare, saniem expurgare, & dolorem auferre, mamis impositam. Ad fistulas mammillarum ex Valesco valet quotidie bis cum decocto agrimoniæ, aluminis & myrrhæ lauare, & vnguentum cum tenta imponere. *Recipe succi agrimoniæ ℥ j. aloes, myrrhæ, sarcocollæ, aluminis de pluma, ana ʒ j. cum melle incorporetur vnguenti instar.* Vlcus sigillatur puluere sequenti. ℞. *aloes hepat. myrrhæ. sarcocollæ, thuris, farinæ volatilis, sanguin. draconis, terræ sigillatæ, aluminis rochæ combusti, corall. rub. myrob. citrinorum, balaust. an. ℈ j. fiat pul. subtilissimus.*

5 *Ad vlcera mammillarum corrodentia.*

Ad fistulas mammillarum.

Ad vlcera mammillæ sigillanda.

OBSERVATIO XXV.

De mammarum incremento.

1 MVlieri nobili, cum imprægnata esset, consilium petenti, ne mammillæ supra modum crescerent, præcepi vt panno duplicato in medio perforato, per quod transit papilla, tepide balnearet hoc liquore. ℞. *aquæ portulacæ ℥ iij. aceti ℥ ß. misce.* Hoc modo ante me Ioannes Tiengius medicus Amstelrodamensis, idem ponebat supra mammillam eo die, quo mulier cognouerit se imprægnatam esse, vsq; quo sentiat infantem. Alii aquam pomorum arboris quercus in alembico distillant, & panno lineo inculcato apponunt, ne mammæ augmententur; quod etiam a partu fieri iubent, ne lacte repleantur. Idem præstare volunt aquam tegulæ ignitæ & sæpius exstinctæ.

SCHOLIA.

MAmmæ non solum increscunt prægnantibus vel puerperis ex abūdantia lactis; verum etiam puellis, postquam ad eam magnitudinem fere peruenerint, ad quam natæ sunt peruenire: vel quia incipiūt pinguescere, ob redundantiam alimēti, vel quia multus sanguis ad eas partes profluit, ante mensium eruptionem. Aliis quoque increscunt mammæ, quia aluntur flatulentis alimentis, vt castaneis, rapis: quod mulieribus monticolis accidit, vt refert Rondeletius; quæ mamas admodum indecoras & magnas habent. Quare si quis velit earum incrementum prohibere, sanguinis attractionem impediat, & partes illas densas reddat, vt non facile sanguinem influentem recipiant. Commendatur succus cicutæ, (*prohibet enim incrementum*) aqua myrti, peculi rosar. & aqua destillationis pinearum, cum pauco aceto, & alumine positæ super mammas, intinctis pannis. Vt mammæ paruæ & duræ maneant, nouem diebus mane & vesperi cum succo cicutæ fomententur; & herba trita superligetur. Galenus spongiam ex aceto madentem superimponi iubet. Erigit mammillas pannus lineus madefactus in decocto gallitrici, mamis superpositus. Vastiores minuit, iuxta Paulum, cuminum tritum ex aqua impositum; & spongia aceto madens superimposita, & fasciis alligata. Plura vide apud Valescum, Gordonium, & Benedictum Veronensem, *cap. 17. lib. 11.* At extenuatæ mammæ non ita facile augmentantur, facilius est enim exsiccare, quam siccum humectare, teste Galen. *7. method.* Frictionibus in principio augmentantur, contrectationibus, & emplastro de pice, & omnibus iis, quæ sanguinem augent, & illis, quæ ad atrophiam antea valere scripsimus. Vide *Bert. Bononiensem de ingrassatione & extenuatione mammillarum.* Verum hic minime prætereundum, quod papillæ mammillarum puerperis intus lateant absconditæ, vt pueros lactare non possint; quod pauperculis molestum est, multoq; magis si puellæ exsistentes papillas frictione in totum aboleuerint. Quibus autem latent, phialam vitream (*vt Amatus iubet cent. 5. curat. 31. in muliere Veneta nobili*) oris non admodum latam circumferentiam habentem, feruenti aqua impleri iubemus, ac illico ab ea aquam totam deponi: cuius phialæ sic calentis os ad papillā admouemus (mirum in modum attrahit) qua attractione papillæ formatæ manent. Quamuis huius phialæ attractio prius dolore pariat: quem facile postea contemnunt mulierculæ, cum tantum iuuamentum se inde consecutas videant.

2 *Caussa cur mammæ increscant.*

Quæ incrementū mammarum minuant.

3 *Vt virginibus mammæ duræ & paruæ maneant.*

Mammæ extenuatæ non facile augmentantur.

4 *De papillis absconditis & latentibus.*

OBSERVATIO XXVI.

De mammarum cancro.

1 QVamquam hic affectus ad chirurgiam pertineat, pauca hic adferemus. Cū enim tumor durus sit cancer, qui sensim incipit, scirrho similis, nisi quod dolorem parit: scirrhus vero sine dolore est. Licet graue sit malum, solet aliquando diu protrahi antequam vlceretur: vti euenit Catharinæ Bokelli Delfensi mulieri, septuagenariæ, quæ per sex annos cancrum non vlceratum in mamma sinistra habuit; postea etiam vlceratum: quo cum integro anno correpta esset vetula, mense Augusto, anno 1560. me prius in consilium adhibuit, cum hactenus nullis præsidiis vsa esset, re iam deplorata, ita vt neque opera manuali, nempe abscissione, curari posset in tam senili corpore; neque enim eradicari poterat sine periculo mortis; cum neque Bertapalia vnquam viderit cancrum curatum, etiam incipientem, (quāuis multa de eius curatione medici scribant & nunc quidā temerarii multa promittant) absq; incisio-

incisione. Sed vidi, inquit, cancrum instar ciceris in muliere pulcerrima; & rogatu amicorũ, totali incisione & ruptorio radicitus exstirpaui: & partim mihi male successit; & iterum reuersus fui ad curationem, cum euacuationibus debitis præcedentibus, & bono regimine & localibus remediis, quæ meo iudicio putabã conuenire. Sed qui aliter se intromittit curationi, vitam ægrotãtium ad mortẽ deducit. Et narrat quomodo vetula post illum in curationem admissa saluiam pistã & dentibus masticatam apposuerit, & pręter spem sanata fuerit; vt sic ipse habuerit laborem, & altera honorem. Et quamquã Galenus fateatur *2 ad Glauc.* se recentes cancros curasse: confirmatos tamen nequaquam; ideo prognostico habito, hanc nostram septuagenariam curari non posse prædixi. Idem & mecum sensit Henricus Vergerius medicus Haganus doctissimus, qui vna mecũ ad consilium accitus fuit. Post purgationẽ materiæ melancholicę (quamquam incipienti sanguinis missione & purgatione & topicis remediis, iuxta Rõdeletium aliquando curari possit, vel abscissione si fieri potest) sectionem venæ hic in vetula adhibere noluimus: sed purgationem potius, sed leuiorem, in vetula: deinde & hoc medicamento topico communi consensu vsi sumus, ad palliationẽ vt vocant. ℞ *succi solani repurgati seu despumati,* & diu in mortario plumbeo, pistilloq; plumbeo contriti ad leuem spissitudinẽ ℥ viij ℞ *tutiæ vulgaris decies lotæ in aqua solani* ℥ j *plumbi vsti & similiter loti, vt supra* ℥ j. *olei ros.* ℥ ß. *succi solani, vt supra repurgati q. s. in mortario plũbeo ac pistillo plumbeo ad linimenti formam ducantur.* Sic Galen. lib. 2. ad Glauc. solani succum imponit; hoc enim medicamentum est eiusmodi affectibus vtilissimum. Quod si ægrotus, inquit, tam liquidum medicamentum imponi nolit, pręsertim cum domo exire, solitaq; opera exercere cogitur, medicamẽtum ex pompholyge imponendum, quo ad vlceratos cancros me vsi (inquit Galen.) vidisti. Et ita neoterici quoq; vtuntur vng. albo de tutia, de plumbo de pompholyge. Ceterum longiore tempore hęc vetula sic tractata, nec vlcere admodum procedente, superuixit, donec annosa obierit. Memini istis diebus nobilem virginẽ nomine de Meer, quæ cancrum non vlceratum in mam̃a non haberet: cui consului, vt nullo modo vteretur iis, quę cancrum ad vlcerationem deducerent, cum iam satis longo tempore eodem malo laborasset, licet satis confirmato: sed vt venæ sectione vteretur, cũ vires satis constarent, & non adeo vetula esset, & purgationibus insisteret, & iis topicis vteretur, quæ ad palliationem cancri facerent. Sed nostro consilio minime auscultans, ad empiricam mulierem lapsa, & mammillæ vstione vsa est; & magna facta eschara locus apertus fuit: vnde vlcus magis serpens, totam mammillam occupauit vsque ad alas: & tandem totũ brachium inflatum fuit, & magna miseria & dolore exhausta, cum cruciatu ingenti, misere vitam protraxit, donec moreretur. Eodem fere modo Margareta Cornelii in insigni Rosæ Delfis, mulier crassa & satis vetula, cum cancrum occultum in mammilla haberet, ac consuluissem, ne eum medicamentis irritaret, vel aperiret, ad empiricam mulierem conuersa, ad cancrum confirmatum exedentem & vlceratum deuenit, cum tanto fœtore, vt quis apud eam vix consistere posset: etiam ad alas & brachium inflatum deueniens, misere tandem obiit. Palliatione ad tempus in ea vsi sumus, post venæ sectionem & purgationem, cum denuo nostro consilio vteretur, his medicamentis ad tempus pro palliatione chirurgus vtebatur. ℞. *gummi tragacanthi dissoluti in aqua solatri* ℥ j. *vitellorum ouorum* (propter dolorem & erosionem) *num. ij. camphoræ* ʒ ß. *ducantur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, adiecto oleo ros. q. s. pro vnguento:* desuper ponebatur *vnguent. diapompholygos,* postea *vngu. priori vng. ros.* & *simul oleum ouorum, ad* ℥ ß. aliquando *succi solatri cum oleo ouorum.* etiam postea adiecto oleo cheirino, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo. Aliquando ex oleo ouorum solo cum cera, in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo agitatis. Sed etiam febri continua lenta paulatim cum magno fœtore & miseria vitam tandem clausit, anno 1589.

SCHOLIA.

Carcinosi tumores in omnibus consueuerunt fieri corporis partibus; sed præcipue in mammillis mulierum, quando potissimum naturali sua purgatione priuantur, vt testatur Galenus *lib. 2. art. curat. ad Glauc. cap. 10. & lib. 14. method. medend.* maxime vero in monachis religiosis & melãcholicis, vti in hac vltima domicella de Meer dicta in Campo regio quondam canonica. Vidimus innumeras religiosas apud Clarissas Delfenses hoc malo laborasse, & etiam obiisse; & vnam quæ adhuc viuit, quæ abscisso cãcro restituta fuit, nostro cõsilio, de quo alias diximus. Huius etiam exemplum quoq; habes apud Amatum, *cent. 3. curat. 32.* Quorum originem etiam ad dignoscendi rationem ante Galenum diuinus Hippocrates prosequitur *lib. 2. de morbis mulierum.* Zoar vero in cruribus potissimum cancros nasci *libr. 2. sui Theysir, cap. 27. contendit.* In cruribus ego tantum mulierem affectam vidi; & Amatus vnum tantum se vidisse commemorat in crure cancrum patientem. Vidi & rusticum, qui in mento & circa labia cancrum habebat: quem Gilhelmus de Dalen chirurgus, me præsente, excidit & curauit. Vidimus & mulierem in nosocomio non solum cancrum circa mentum & nasum, sed per totam faciem habuisse, ex lue Gallica prius ortũ: & nunc totam faciem exederat ita, vt monstrum potius, quam mulier videretur; quæ longo tẽpore vitam misere protraxit, donec cũ horribili dolore moreretur. In locis quoq; adenosis, maxime vero in collo, axillis & inguinibus, euenisse visum est. In corporis quoq; partibus penitioribus sæpe innascuntur, palato, sede, & vtero muliebri, vt sæpe vidimus (pcipue in duab⁹ mulieribus Delfensibus, ex qua vna obiit & altera misere vitã traxit, donec moreretur) quod & Gal. *testatur lib. 6. Aphor. 38.* quos & cancros occultos appellat, non solum eos

qui absconditi sunt, & non apparent, sed & eos qui apparent, & sine vlceratione fiunt.

8 *Quare cancri in mammis fœminarum potissimum contingant.* Præcipue tamen contingunt in fœminarum mammis, quæ quia fungosę & inanes, ideo materiã promte excipiunt: sed in eas, tum e capite, tum ex vtero facilis est decursus. Huius obscura sunt rudimenta, ac plerũq; tumor exoriens ciceris magnitudine, cum dolore & calore, quasi ferientis candentis acus (ita hisce quoq; diebus Hazæ Cæsareę vulgo dictæ in mamma originẽ habuit) interdum etiam dolore multo: hinc fabę, deinde iuglandis & oui magnitudinẽ æquat (ita & in eadem Haza seu Hester vetula muliere iam dicta admodũ biliosa & melãcholica excrescebat) dum tandem in ampliorem molẽ attollatur & increscat. Vidimus sæpe totam mãmam occupasse in tribus religiosis seu monachis, vsq; ad axillas, q̃ omnes tandem misere vitam finierunt. Quũ iam illius materia aut vetustate, aut errore viuendi, aut medicamentis incalescit, dolor calorq; citra inflammationẽ vehementer exercet: pars conspicue liuescit, aut nigricat, venæ in ambitu crasso nigroq; sanguine turgent. *Signa.*

9 *Caussa.* Huius continens caussa est bilis atra, sanguisue feruidus ac retorridus: sæpe ex suppressis menstruis, aut hæmorrhoidib⁹, nonnunq̃ ex quartana febri cumulat⁹. Quo pigrior & ignauior humor est, hoc mitiorẽ cancrum infert: grauiorem vero, quo is calidior acriorq; fuerit. Sic cancer latẽs citra vlcus, secũdum Gal. ab humore melancholico miti oritur: at exulcerat⁹ ab acriori & contumaciore fit, vt Galen. *de atra bile & variis locis docuit.* Ille non nisi irritatus excandescit, diu citra perniciẽ consistit, vt in vetula illa septuagenaria. Hic vero coerceri vix potest, q̃ breui exesa cute se detegat, fiatq; cancer exulcerat⁹, vt postea eidem septuagenariæ tum domicellæ supradictæ euenit. Sed domicellæ propter irritationẽ, in qua & corruptę carnis speciem tumor exhibebat, cum fœtore & sordida illuuie, horrido aspectu (vt quiuis cancer exulceratus) labris præduris & inuersis. Ex quo & sanies tenuis, nigra aut fulua manabat: vapor enim cordi exspiratur cerebroq; grauis, febris assidua (vt Fernelius doctissime annotauit) eaq; lenta inest; frequẽs animi defectio, quũ præsertim cancer mammis inhæret: exesis sæpe venis sanguis profunditur (vt in domicella prædicta & monacha apud Clarisseas) & nisi malignitate ocyus interimat, longe lateque prorepit. Curatio clarior euadet exemplo subsequenti.

Observatio XXVII.

De cancro mammillæ per modum Consultationis.

1 Malum hoc, quo vxor tua laborat, vir doctissime, cancer est, toti mammillæ inhærens, vt eam quoq; apprehendisse videatur: qui licet nondum serpat procedendo, est tamen occultus & latens, quamuis sit tumor inæqualis liuescens & aspectu teter. Incepit autẽ per se (licet alias scirrho succedere soleat) quantum ex tua carissima vxore intelligere potui: licet primo exiguum locũ tenuerit: nunc tantã in molẽ excreuit, vt totam mammillam occupauerit instar cancri animalis fluuiatilis (vnde nomen habet) cum in isto pedes ex vtraq; parte sint corporis, ita in hoc malo venę oppletæ, & in ambitu tensę, pedes huius animalis repræsentare videntur: vel quia adeo pertinaciter hærent loco, quem apprehendunt, vt cancer animal. Puto hoc malũ ab atra bile originẽ traxisse, etiam a mensib. suppressis: nã pręter id, quod mẽses suo tempore non debite fluxere, etiã vxor tua sterilis est, cum numquã proles susceperit: supra modũ etiam melancholica esse videtur. Et quamquam hoc malum per sui initia, priusquã in membro figitur, curari potest: tamen vbi in molẽ satis insignem attollitur, insanabile efficitur, nemoq; illud sine manus opere curabit. Idipsum autẽ accidit propter sui crassitiem: nã nec repelli nec discuti potest, nec totius corporis purgationi cedit: sed tanta eius vitii malignitas est, vt mitiora plane contemnat remedia: vehementioribus vero irritetur, excandescatq; atq; efferetur. Præterea cum ipsa iã lõgo tempore vsa sit optimis remediis per insignes medicos adhibitis; & sanguinis missione & purgatione, & parum medici iuuarint, vix sperandum est, quod curari possit medicamentis: neque etiam abscissione, cum iam mul ũ locum occupauerit: quoniã si cum paruus esset, neq; altas radices egisset ac abscindi posset, sectionẽ admittere noluit; certe nũc minus sectio est admittenda, cum nullum iuuamentum adferre potest. Sola igitur palliatione vtendũ: atq; tribus scopis, primo humorẽ atrabilarẽ prohibendo, cũ victu conuenienti & concoctu facili & sanguinem bonum generante, vtendo carnibus gallinæ, caponis, hœdi, ouorum luteis, cremore hordei borag. buglos. malua, beta, atriplice, sero lactis, & piscib. saxatilibus; abstinendo a carnibus bubulis, salsis, fumo induratis, ceruinis, leporinis, caseo, & ab omnibus cibis melancholicis & flatulẽtis. Secundo humorem genitum, & per totum corpus dispersum vacuabimus, prius eundem præparando *cum syr. de fumoterra de pomis, de epith. de acetos. de buglos.* deinde euacuabimus, semper a lenioribus incipiendo, *vt cum epithymo in sero lactis, syr. ex insus. ros. pallid. cum foliis senæ,* postea *cũ elect. lenit. confect. hamech. diacath.* Idque sensim & per interualla. Et si medicis præsentibus visum est, menses euocabimus; etiam secta vena in talo. Tertio humorẽ, qui in particulam aff ctam procubuit, digeremus, & particulam firmabimus, ne quid humo ũ redundantię ad eam confluat. Regerendi vel repellendi quod influxit, tempus accommodum est in principio, tam in ipso purgationis tempore, quam ante. Vbi vero totum corpus exquisite purgauerimus, tunc digeremus. Vti poteris vng. de tutia seu pompholyge: & mihi videretur commodum, laminam illam plumbeã, quam diu gestauit, relinquere; quia virus e mammilla exhalat, ita vt breui vlcerabitur & aperietur: nam cancer hic magnus est satis, & videtur materia in eo satis collecta esse & putrefacta: satius itaq; erit materiæ exitum dare, & non retinere per laminam, aut materiam illam putrefactam ibidem relinquere: cuius habemus egregium exemplum apud Rondeletium: nam experiẽtia (inquit ille) didicimus, materiam illam

2

3

4

illam grauissimos dolores inferre, qui post apertionem mitigantur. Adde, quod ex dissectione nouimus, thoracē repleri sero sanguineo, nimio vsu repellentium: quod superiori añō 1553. mercatori cuidā euenit in Montagnac. ciuitate Galliæ Narbonensis; qui priusquam moreretur, laborauit magna anhelandi difficultate: nihil aut parum exspuebat: tandem vita discessit, & in thorace repertæ sunt seri amphoræ quatuor. Quod accidisse puto propter laminam illam plumbeam, quam semper gestabat, & medicamenta fortiter refrigerantia, & repellentia, quibus vsus est, etiam post suppurationem. Argumento est sanguinem resudasse in pectus, quia tumor maximus erat, qui detumuit & longe minor factus est post vsum illorum remediorum: & cum prius laboraret difficultate anhelandi, ab eo tempore difficulter anhelauit, donec e vita decesserit. Serum illud erat sanguineū, id est, videbatur sanguis paucus in sero dissolutus, nec tale esse, quale reperitur in peritonęo & pericardio. Ideo chirurgus vel medicus, qui vxori medetur, admonendus erit, vt a valde repellentibus & refrigerantibus abstineat. Audio medicum apponere aquam cardui benedicti; illa quidem non ita refrigerat & repellit. Non desunt Neoterici, qui ad palliationē apponant herbam Roberti, scabiosam, chærefolium, caprifolium, tapsum barbatum, puluerem stercoris humani, cum anetho. Nonnulli procedunt cum appositione carnium gallinarum; propter quod vulgares Lupum appellabant, eo quod cancer in die gallinam vnam comedebat; quam si non comederet, ægrum comedisset. Sed caro talis facile putrescit, & putredinem, qua cancer vlceratus facile afficitur, auget; ita vt eiusmodi remedia muliercularum, quæ & carnem crudam collo apponere iubent in dolore capitis, fœtorem inducendo, plus noxæ quam commodi adferant. Hæc sunt, vir humanissime, quę ad palliationem huius mali, quo vxor tua laborat, valere putamus: quę in commune hoc tempore consulere voluimus. Vale. *Raptim Delfis, 26. Julii, anno 1585.*

SCHOLIA.

HÆc mulier Amstelrodami habitabat; verum non diu post, cancer hic exulcerat⁹ fuit, cum tanto fœtore, vt vix quis adesse potuerit, totam mammillam occupans, ad axillas vsq; ; ita vt post duos deinde annos misere quoque vitam trahens (*vt postea mihi relatum fuit*) tandem obierit. At caussa cancri vlcerati eadem est cum superiori, ex humore atrabilari, sed acriore, vt diximus; & ideo exulcerat. Signa quoq; in hoc solummodo differunt, quod in cancro vlcerato, præter dolorem, duritiem tumoremque, vlcera erosa ac inæqualia conspiciuntur, plurima ex parte sordida, labris prætumidis, aspectu horrenda, & concreta humorum colluuie ingrata. Iisdem scopis & remediis curatur, venæ sectione, purgatione humoris atri acrioris; & in mulieribus, si menses desunt, tali venæ incisione; vel menses euocentur. In viris hæmorrhoides proritandæ, si modo eas pati consueuerint. Locum laborantem firmabimus cum supradictis topicis. Insigniter etiam leniunt, & solantur plurimū in ipsis exacerbationibus, & cruciatus tempore, malua aut althæa in mulso subacta liquefactaue, & rosaceo paululo lænigata, instar cataplasmatis illita. Quod ad abscissionem attinet, modo paruus sit & altas radices non gerat, hæc ad chirurgiam pertinent: de quibus suo loco: hoc tantum nunc admonito, quādo abscinditur, oportet sectionem incipere a parte sterno proximiore, procedendo ad superiorem partem, propterea quod venæ maiores vltimo loco sint abscindendæ. Nam copia sanguinis vtriusq; (*scilicet venarum & arteriarum*) ægrum seu ægram & assistentes perterret, & ægri seu ægræ vires deiicit: ideo oportet hoc modo incidere. Deinde cauteriis vel potius caustico medicamento constringente (*vt nos in lithotomo Guilhelmo de Dalen vidimus*) sanguinem sistere. Neque statim compescendus est sanguis, propterea quod vtcumque infectus, est euacuandus. At Rodolphus lithotomus, cum nostro consilio mammillam cancrosam in Ghertrude Nicolai exscinderet, quæ frustra causticis remediis curabatur, ita vt denuo cancro mamilla multo maior intumesceret vlcerato, cum acu filo perducto, vt manu vna mammam eleuare posset, cum nouacula dextre abscindebat, venasque sanguinem effundentes filo alter minister constringebat; & radicitus cancro cum tota mamma abscisso, mox restrictorium medicamentum applicabat; postquam crassiorem sanguinem ex ipsis venis expressisset, deinde aliorum vlcerum modo curabat. Hæc autem mulier habitabat Delfis in Elephante; quæ recte per abscissionem fuit curata: vti & altera mulier e Viana, me præsente; & tertia satis vetula. Hæc peritis chirurgis committenda. Cuius modum abscindendi apud alios auctores, qui de tumoribus præter naturam scripserūt, tum apud chirurgiæ scriptores inuenies, ita vt nō opus sit hæc omnia hic commemorare: quamuis ille modus exscindendi, quo Rodulphus supradictus vtebatur, præ ceteris mihi placebat.

OBSERVATIO XXVIII.

De fissuris papillarum.

PApillæ aliquando finduntur vel vlcerantur, vt puerperę & nutrices pueros præ ingenti dolore sugere non permittant aut ferre possint. Sic Ataliæ vxoris Hugonis Iacobi pharmacopolæ, papillarum fissuras habentis, oleo liliaceo, in quo pul. tutiæ immixtus esset papillæ inunctæ sunt, insperso deinde puluere tutię exiguo, & superimposito folio violaceo viridi, ne camisia adhæreret: quibus præsidiis sana facta est. Vxori Ioañis Foresti fratris mei, in puerperio axungia canina inuncta sola profuit: & añō sequenti etiam pomatum albū. Sed & in alia vsus sum feliciter vnguento ex pul. tutiæ lotæ in aqua *ros. & vngu. ros. simul mixtis.* Vxor Adriani pharmacopœi nostri, *gummi tragacantho dissoluto in aqua ros. adiecto exiguo tornesol*, vt magis rubeat, *ad spissitudinem mellis soluto*, inungebatur, & statim sanata est. Retinuit hoc remedium in officina semper paratum; quo etiam ad lichenes, vulgo Haarworm / vtebatur,

Haarwor.

magna cum experientia, vti & nos sæpius experti sumus. Commendatur præterea oleum de spermate ceti, si eo papillæ vlceratæ & fissæ inungantur. Bickerus quidam solo zaccharo papillis insperso vxorem suam curauit, superimposita argẽtea capsula ad papillæ formam eleuata, ne camisiæ adhæreret: Zaccharum enim vim abstergendi & mundificandi habet: ideo vlcera leuia ac vulnera minuta, nequaquã effectu digna curat: post abstersionem natura ipsamet postea eadem consolidante. Ita & vulnera in manu cultello leuiter incisa solo zaccharo insperso idem curabat: sed huius rationem ignorabat. quam eidem aperui, propter abstersionem hoc fieri. Sibi satisfactum dicebat.

SCHOLIA.

AMatus ad papillarum dolores & fissuras hoc vnguentum commendat cent. 6. curat. 38. ℞ *vng. populei, vng. de plumbo, an.* ℥ *j. opii thebaici gr. v. misce* fac vnguentum, & eo inunge mamillarum papillas: quas cum mulier lac dare voluerit puero, vino diluto lauet: & postea iteret; est sane remediũ hoc certum & indubitatum. Aliud Petri Spinolæ quondam pharmacopœi nostri, nunc Dordraci agentis, quod in officina paratum erat, ad fissuras papillarum (& ideo a mulieribus vulgo vocatum Tepel salf.) valet etiam ad vlcera inueterata, tum crurum vlcera, & ad noli me tangere. ℞. *lapidis calaminaris præparati* (scilicet in vrina pueri non polluti, igniti, & ter quaterq; exstincti, & in pollinem seu puluerem subtilissimũ redacti) ℥ iij. *terræ sigillatæ* ℥ j *olibani cerussæ, terebinthinæ, ceræ, ana* ℥ j. *masticis, aluminis vsti, olei rosa. lini, an.* ℥ ß *seui ouilli* ℥ ij. *axungiæ porcinæ recentis seu insulsæ* ℥ ß. *vini Rhenensis* ℥ ß. *fiat vngu.* vt artis est, vel ad formam emplastri; & super pannum lineũ ducatur, & papillis applicetur. Illa quoq; valent, quæ *obseru.* 5. *lib.* 14. scripsimus vtilia esse ad fissuras labiorum. Sed illud hic minime prætereundum puto, quod labra infantium ex papillarum duritie & calore, subinde scindantur & fissuras incurrant: quas facile cum lana succo plantaginis minoris, butyro & adipe gallinaceo recenti inuoluta, & rimis indita percurabimus. Absolutis mammillarum vitiis, quidam hic annectunt, ea, quæ vitia alarum, & grauem odorem abolent. Ideo vnum exemplum addemus.

OBSERVATIO XXIX.

De fœtore alarum.

IVuenis quidam biliosus, cum alas & axillas fœtentes haberet, vt puellis fere ob odorem fœtidum exosus esset, huic consului, vt bile prius euacuata & contemperata, cypero cum oleo illineret axillas. Ad alarum enim vitia valent, & grauem odorem totius corporis abolent. Si vitio sanguinis est, Benedictus Veronensis lib. 11. ca. 18. illum demere, inquit, prius necesse est, ac corpus perpurgare. Si bilis in vitio fuerit, eam perpurgabis: in vtraq; caussa humores tẽperabis. Graueolentiam abolet iris, scholimonq; per se, nam per vrinam effluit id vitium. Rosæ quoq; succus per se, oleumq; myrteum, seminis fœnugræci decoctum graueolentiam alarum emendat; nitrum quoque ex aqua quotidiano fotu, virus earum tollit, & alumen; nam & sudores sedant. Æginera has mixturas commendauit, *aluminis liquidi p. j. myrrhæ p. j vino diluta illinuntur.*

SCHOLIA.

CAussæ huius mali possunt esse procatarcticæ, vt motus excedens, & labor, tempore calido, tarda vestiũ mutatio, & coitus superfluus: Antecedentes sunt multitudo humorũ corruptorum in corpore. Gordonius etiã ab humore melancholico fieri putat, & corruptione propriæ substantiæ. Caussas coniũctas ad vapores refert ab humorib. corruptis elatos. Axillę in iuuenib. magis fœtent, quã in senibus, licet materia corrupta senes quoq; abundent; deficit tamẽ calor mouens: nam & iuuenes peioris sunt regiminis; & calor est fortis. Crassiores quoq; quia facile sudant, plurimũ fœtent. Sed cur febricitantium corpora in febribus putridis, in quibus mali sunt humores putridi, ita non fœtent? an quia calor febrilis vehemẽs & fortis cõsumit illã putrefactionẽ, cum & fœtor cum febrili calore expellatur? neq; corruptio diu manet, sed incipit imediate cũ febre, & cum eadem cesset. Quod coitus superfluus fœtorẽ excitet, fit eo, quod materię ad exteriora moueatur & exeat ad cutẽ vapor putridus. Præterea sciendum, quod coarctatio & non euentatio vaporũ venientium ad axillas, inguina & pedes, iuuant multũ ad inferendum fœtorẽ: nam illi conuersi in sudorẽ, non euentãtur. Is vero sudor corrumpitur, & facit fœtorẽ. Hinc pedes frequẽter propter sudorẽ retentum & inclusum neq; euaporatũ, emittunt fœtorem. Plurimis hoc vitium familiare est, quib. conuenit, vt caligas sępe mutent, & soccos lineos sępe induant & mutent, pręcipue æstate; hoc enim tẽpore magis obnoxii sunt: pedesq; frequenter lauentur aqua decoct. nucũ & foliorũ cypress. & aliarum rerũ atq; herbarũ aromaticarũ. Signis hic non opus est, cũ satis innotescant (*siue in axillis siue in pedibus, siue in toto corpore*) per suas caussas & effectus: cum & is, qui apud eos versetur facile odorẽ olidũ & fœtentẽ percipiat. Hanc quidẽ putredinẽ ex *prog. 1. com. 16.* Galenus non abhorret; cum & eandẽ laudet: tñ odor vehementis fœtoris, notat putrefactionem, & non maturationem. Idem dicit Gal. *3. prog. com. 22. Axillarum fœtor & totius corporis per longũ tempus durans, sine manifesta caussa, leprã præsagit*, iuxta Gordonium, & Gerardũ Cremonensem super Viaticũ. Curantur fœtores humoribus prius pparatis & expurgatis, vel venæ sectione, si opus est. Deinde confert vti balneis, decoct. herbarũ odoriferarum, vt sysimbrii, melissæ, lauan. rad. ireos, & similiũ. Et in exitu balnei axillæ, tũ totũ corpus, lauari poterunt hoc decocto. ℞ *anisi, cumini, ros. rub an.* ℥ ij. *cyperi, spicæ nar. schœnan. an.* ℥ ij *rad. ireos siccæ pul.* ℥ j *fiat decoct. in q.* ℔ *aqu.* Poterit & camisia in eodẽ decocto lauari, & demũ exsiccata indui, iisdem, tum vestibus sępe mutatis. Reliqua vide apud Bened. Veron. loco citato, & apud Paulũ. Nũc tempestiuũ est, vt hoc finito libro, ad ventriculi affect⁹ transeamus.

Finis Libri decimi septimi.

Liber

(Marginalia: 2 — 5 — 4 — 1 — 2 *Caussa.* — *Cur corpora febricitantium putrida febre non ita fœtent.* — 3 — *Quibus pedes fœtens.* — *Signa.* — 4 *Prognostica.* — *Curatio.*)

LIBER DECIMVSOCTAVVS, DE STOMACHI ET VENTRICULI AFFECTIBUS.

OBSERVATIO I.

De oris ventriculi inflammatione.



1 QVibus os ventriculi inflammatur, in maximum dolorem, ob eius exactiorem sensum, incidunt: quibus & vrina rubra est: sitiunt, & febre continua affliguntur: vt cuidam euenit. Huic statim clysterem emollientem & detergentem, cum aluum non redderet, iniiciendum esse consuluimus: & vt aluo soluta sanguis statim ex vena interna, plenitudine apparente, mitteretur: cautione tamen adhibita, ne plus sanguinis euacuaretur, quam opus esset: solet enim hunc affectum syncope & virium imbecillitas, ob vehementem dolorem, sæpe subsequi. Et ideo in sanguinis missione hic summa cautio adhibenda est. Nam præcipuus scopus est in eo remedii genere, virium robur. Mox a venæ sectione, ad dolorem sedandum, hoc vel simile cataplasma applicandum esse duximus: ℞ *farina hordei* ℥ *vj. florum chamomillæ, meliloti, ros. rub. ana p.* ß. *sem. coriand. santal. omnium ana* ℥ *ij. spicæ* ℥ ß. *olei ros.* ℥ *iij. olei chamomillini, cotoneorum ana* ℥ ß. *misce*, fiat cataplasma. 2 Interea mandauimus, vt subinde syrupos caperet, eosque prius adstringentes, quales sunt syrup. cotoneor. de agresta, ex rosis siccis, in progressu vero hos vel similes: ℞ *syrup. viol. nymphææ, portulacæ, end. ana* ℥ *j. aquæ ros. cichorii, end. ana* ℥ *iij.* ß. *aquæ menthæ* ℥ ß. *misce.* Cathartica per os sumta hic minus conueniunt; quia ad affectam partem trahunt. Sed post doloris sedationem, sola cassia cum pauco rhab. satis est: qua etiam hic, tum in aliis, commode vsi sumus: etiam confectionibus cordialibus, circa initia hoc modo vel simili, conseruæ rosar. & aliorum adstringentium dosim augentes, & violarum magis minuentes: *vt,* ℞ *conseruæ viol. buglossæ ana* ℥ *j. conseru. rosæ.* ℥ ß. *corticum citri conditi* ℥ *iij. pul. diamargariti frigidi* ʒ *j. diarod. abb.* ʒ ß. *coralli rub.* ℈ *j. manus Christi perlatæ* ℥ *iij. cum syrup. cotoneorum*, fiat conditum. Pro siti quoque egregie profuit rob de ribes, & conser. foliorum acetosæ, & cerasa amarella dicta, & lactuca condita; quibus & in feb. continuis ad sitim feliciter vtimur, vt in libris nostris De febribus cernere licet. In fine etiam tabulis trionsant. commode vtebatur. His & similibus remediis hic conualuit: & alii similiter sanitatem consequentur. Deo iuuante. Interea hic magna diligentia opus est, cum malum sit periculosum, & minime contemnendum.

SCHOLIA.

3 SImilibus quoque affectibus os ventriculi, vt œsophagus (*de quibus diximus libr. 15. scholio obser. 31. 32.*) tentatur, vt doctissimus Fernelius dicebat: quos & iisdem licet notis deprehendere. Præterea vero & mentis alienatio accedit, ob eos neruos, quos e sexta coniugatione suscipit. Mulierem vidi (inquit) grauidam, cui tuberculo duro eoque ingenti ita os ventriculi obturabatur, vt quicquid indebatur, attracto ventriculi ore, mox remearet atque redderetur. Sic astantium omnium indicio nihil cibi potusve bimestri vel conatu maximo ea vorauit. Tandem morbo, desipientia febreque confecta decessit, edito partu, quem vitæ superstitem reliquit. Affectus enim ventriculi (vt interpres Hollerii summatim enumerat) in œsophago, stomacho, siue orificio, fundo, tunicis, pyloro infiniti prope reperiuntur; tanto periculosiore, quanto coctio & distributio, cibi magis necessaria vniuerso corpori. 4 Quales sunt intemperies omnis generis, tumores præter naturam, obstructiones, defluxiones, excrementa illic collecta vel nata, vel aliunde immissa, cibus intempestiuus, nimius, biliosus, deiecta appetentia, nausea, vomitus, humores in tunicis infarcti, aut in fundo fluitantes, inflammatio, inflatio, dolor, exulceratio a caussa interna, vt humore acri, pharmaco, cibo, osse acuto, præcedente abscessu, erosio: fames canina, immoderata sitis; & similes, quorum signa, caussas, remedia explicare maioris est operis. Multa ex Galeno colligi possunt 3. *& 6. De morb. & sympt. 5. De loc. affect. de sanit. tuenda. 7. Methodi.* Signa ex Arte parua desumuntur. 8. κατὰ τόπους describit stomachicos, cõtra Andromachum, qui stomachicas confectiones sine discrimine scripserat prodesse stomachicis. Quod & vulgo hodie etiam empirici faciunt. Nos de singulis exempla quædam adferemus, certa & vera methodo curationem instituentes.

OBSERVATIO II.

De ventriculi imbecillitate, ex intemperie frigida & humida; cui postea etiam materia pituitosa accessit.

1 IVuenis, annos circiter viginti natus admodum studiosus, & doctus, Gulielmus Cripius Haganus, cum longo tempore valetudinarius fuisset, in ventriculi imbecillitatem lapsus est, ex intemperie frigida & humida: quam sitis nulla vel exigua, acidique ructus, & saliuæ copia comitabantur: & humiditatem aliquando vomitus subsequebatur, sine vllo magno dolore, post horam vnam a sumto cibo: ita vt tandem ventriculus ex nuda primum intemperie adeo imbecillis facile humores pituitosos receperit, qui eo confluxerunt: ita vt non tantum nuda intemperies morbum constituat, sed & humor pituitosus: ideo & vomitus pituitæ sine dolore, & etiam sub finem vomitus cibus, qui reiiciebatur, subacidum quid sapiebat: ad frigidum enim ventriculum, iuxta Galenum, proprie acidus ructus refertur. Aderat similiter inflatio quædam & ventriculi durities, ob flatulentos humores & frigidos, in fundo ventriculi magis hærentes. 2 Quibus autem remediis hic sanitatem consequeretur, me consuluit. Huic igitur præscripsi cibos faciles bonique succi, vtque auibus montanis, cuniculis, assisque potius quam elixis vteretur. Concessi vinum medicatum ex absinthio; & cereuisiam absinthi-

tem, cappares, diacydonium, cum speciebus. Et vbi ad vomitum procliuis esset, vt exiguum decoct. hordei, cum raphano, pauco adiecto oxymelite, debite biberet: & vt pro præparatione, decocta menthæ, absinthii vtriusque sumeret; adiecto syr. menthaceo, cotoneorum, & absinthii. Et vt subinde cum pilulis leuioribus expurgaretur; vt alephanginis, ex hiera simplici, vel mastichinis. Deinde, vt vteretur elect. *arom. ros. diatrion pipereon, diacalamentho. Et, vt stomachum inungeret oleo nardino, mastichino, maceris, pauca adiecta cera: & emplastrum ex mastiche stomacho apponeret; & vt subinde vinum generosum sumeret.* Quibus remediis hic optime habuit: vt alius iuuenis licentiatus iuris studiosus (nam studiosi magna ex parte stomachum imbecillem habent, quæ imbecillitas plerumque iis adhæret, vt vmbra corpori: ad quam plerumque consequuntur ciborum cruditas, ructus acidus, nauseæ, vomitus, fastidium) qui præter imbecillitatem ex diuturnitate mali natam, multam pituitam in ventriculo humido & frigido collectam habebat: cui & oxymel sæpe lambendum dedi, & mel rosa. modo cum decocto absinthii: tandem & pilulas mastichinas ad ʒ j. postea triplicata purgatione per hieram picram Galeni, assiduo potu vini absinthii, & subinde assumto syr. menthaceo, & aromatico ros. & stomacho exterius roborato cum cerato stomachico Gale. & mastiche, adiecto exiguo croco & cinnamomo, ac rad. cyperi, & oleo absinth. tandem hic, tum alii plurimi, vt frater meus Theodorus Forestus, sanitatem adeptus est. Et alii quoque haud pauci conualescentes, imbecillitate stomachi laborantes, prius aliquando hiera purgati.

3

SCHOLIA.

4

IMbecillitas stomachi seu ventriculi, fit multis de caussis, non solum studiosis, vt istis duobus euenit; verum & conualescentibus, & aliquando sanis. Conualescentibus vero frequens est: magis etiam ab imperfecta crisi; in quo reuocanda sententia Hippocratis: Si a morbo cibum assumens quis non corroboratur, largiori alimento corpus vti significatur. Quod si non assumenti cibum hoc accidat, scire oportet, quod indiget euacuatione. Conualescentes a morbo aliquando multum appetunt, ob extenuationem membrorum, non solum ab inanitione spiritus & humoris, balneo, profluuio (*quod & interpres Hollerii recte animaduertit, & nos in praxi quotidiana sæpius vidimus*) sudoribus quoque & insensibili perspiratione, colliquatione, & similibus; sed etiam a ieiunio, inopia alimenti, calore languescente, vt flamma quæ in elychnio insita, ab oleo & aere fomitem & pabulum sumit. Aliquando vero appetentiam habent deiectam, ob vitiosos humores relictos. Vtrique sæpe, nisi accurate tractentur, in recidiuam incidūt. Priores quidem, quia cum extenuata membra multum appetant, non tamen sumta conficere potest imbecillus calor. Nota est enim historia multorum, qui a longa inedia sese repleuerant, adeo, vt inde suffocati fuerint: vti nos cognouimus nostro tempore, tam in obsidione Harlemensi, quam Leydana præcipue contigisse; quando obsidione liberati ciues victu pleniore se replentes mortem quam plurimi incurrerūt. Posteriores vero, quia reliquias morbi tandem natura stimulata aggredi cogitur. Quanto enim plus nutriuntur, tanto magis læduntur: donec accrescente malo, morbus repetit. Hi igitur curantur vacuatione, vt docet Gal. *De sang. miss. contra Erasistratum, & historia 6. Epide. Illis vero remedio sunt, rerum non naturalium commoderatio, labor, cibus, potus, somnus, Venus, omnia mediocria: deinde longo tempore substantiæ reparatio per alimenta pauca, bene nutrientia, facilia coctu, sæpius exhibita.* Nam pauca non sufficiunt, nimia non coquuntur. In conualescentibus ergo, quibus reddita est appetentia, imbecillitas ventriculi non potest tātum concoquere vel conficere, quantum appetit. Modica itaque quantitate, sed breuibus interuallis, cibi boni succi & qui facile coquantur, reficiēdi sunt. In aliis, quibus appetentia non redditur, reliquiæ morbi in caussa sunt: quę optime vel rhabar. vel hiera picra, ex decocto cicerum aut absinthii, repurgantur. Sed de conualescētibus satis diximus, & exempla posuimus de febricitantibus: at nūc loquimur potissimum de sanis; in quibus imbecillitas est vel a sola temperie. Ventriculus enim varios morbos patitur, & symptomata varia, quæ a diuersis morbis nascuntur. Morbi autem sunt, intemperies calida frigida, humida & sicca; sine materia, vel cum materia; eaque pituitosa, biliosa, vel melācholica. Quare, si quis velit symptomatis occurrere, morbos agnoscat oportet; quod ex dolore, functione læsa, & alui recrementis dignoscetur. Difficilius vero dignoscuntur, quam curantur. Intemperaturæ sine materia raro fiunt: quod si fiant, diu sine ea esse non possunt, vti ostendimus in istis duobus iuuenibus. Nam omnis intemperies ventriculi nata est coctionem impedire. Quod si frigida intemperies vel sicca præsens sit, cruditatem faciunt, a qua multa pituita asseruatur in ventriculo. Si calida vel cibos vrit vel corrumpit, vel aliam cruditatem facit. At frigidæ indicia sunt frigoris sensus in parte infirma, nulla sitis, saliuatio, aliquando multi ructus acidi: quos & sequitur appetentia & coctionis tarditas. Cui valent vina generosa & antiqua, præassumta duabus aut tribus horis ante pastum, vinum Hippocraticum dictum, vel cui addita sint piperis grana aliquot, conser. aro. ros. diagal. diacinamomum, rosata nouella, plirisarcot. diamos. diambra, diatrionpipereon, diospoliticum: quæ & calfaciunt, & ventriculo grata sunt. In tabulis vel opiatis, conser. anthos. stœchad. & superbibant aquam menthæ. abs. hyssopi, cum vino generoso, syr. de mentha, de absinth. hic conferunt, propter caliditatem & adstrictionē, quæ grata est huic parti & necessaria. Calidæ signa sunt, æstus in medio corpore, sitis assidua, lingua arida, iactatio corporis, a cibo nidorosi ructus; licet sitis magis siccitatem notet. Valent *refrig. opiata, ex conseru. viol. ros. flor. cichor. trionsan. diamar. frig. diatragacant. frigi. & c.*

5

6

Intemperies sola diu existere non potest.

7

Frigida signa eiusque curatio.

8

Calida signa, & curatio.

& lactuca condita, & carnes cucurbitæ conditæ, quæ refrigerant, ventriculo & palato gratissima sunt: abluantur aqua frigida; & per duas horas ante pastum dentur; superbibendo parum aquæ: & fiat hæc vel similis opiata: ℞ *cons. ros.* ℥ j. *cons. flor. cich. nenuph. ana* ℥ ß. *pul. trions.* ℨ ij *diatr. frig.* ℨ j. ß. *diamar. frig.* ℈ j *conser. viol.* ℥ ij. *cum syr. end. simpl.* fiat opiata vel conditum. Humida vero intemperies fluctuationem & sitis inappetentiam, & coctionis tarditatem facit. Curatur facilius sicca intemperie; quia partes humidæ facilius vim medicamentorum suscipiunt quam siccæ: siccæ enim propterea quod partes conciderunt & densiores factæ sunt, non facile (*vt dicebat Rondeletius*) cedunt medicamentis. Adde, quod medicamenta humida, non multum agunt, neque multum resistunt. Curabitur igitur humida intemperies, inedia, aut victu tenuiore aut exsiccante: abstineat a multo potu vini diluti; & potius generoso meraciori vtatur; vel posca, vel oxymelite, hydromelite parum coctis, & multum dilutis, vt magis detergant & minus nutriant. Abstineant a iusculis: vtantur carnibus & piscibus salsis, pane biscocto, cum multo sale. Rondeletius commendat cineres viperarum: valet pul. galangæ, cinamomi, piperis, & cineres hirundinum, conserua acori, saluiæ, anthos, & vinum antiquum, cum aqua absinthii, ceratum masticis, & alia, vt apud Rondeletiũ videre licet. In sicca intemperie tarda etiam fit concoctio, adest linguæ siccitas, corporis extenuatio, saliuæ paucitas, sitisque vehementissima. Intemperies sicca omnium difficilime curatur, vt omnes alii morbi: quæ enim consummata est, insanabilis exsistit: sed quæ sanari potest, curatur vsu lactis, quia humectat & nutrit; & balneo: & statim a balneo, oleo dulci inungendum; & in lectulo a balneo, vbi quieuerit, lac propinandum; de quibus diximus *lib. 4. De feb. hecticis*: de quibus etiam vide ad longum Iacchinum doctissimum, *supra Rhas. cap. 43.* De affectibus stomachi, a quibus vitiatur concoctio. Habes ibidem egregia ad omnem intemperiem conferentia, tam sine materia quam cum materia; quę etiam ad caussam, signa, & curationem spectant, de imbecillitate stomachi, & ibi historiam egregiam ponit, se eiusmodi affectam curasse ex nimia circa ventrem diligentia in parco victu, & sæpe longa abstinentia, medicamentis ad roborandum ventrem datis: ac profecto eo deuenerat, vt mortuum deambulare credidisses. Sed & ex vacuatione talis euaserat, quod senex iam & gracilis iuuenculam duxerat: hoc autem maxime corpus siccat, curatus autem est iisdem præsidiis, quæ Galenus ponit; id est victu humectante. His valent vinum dilutum non antiquum; iuscula pinguia ex capis, gallinis, carnibus vituli lactantis, hœdi, adiecto vino exiguo, ad faciliorem distributionem, & concoctionem: cremor ptisanæ, cum oleo amygd. dul. lactu[ca], violis, borag. in iusculis decoctis, inunctiones ex oleo viol. amyg. dul. adiecta axung. gallinæ, pro linimentis, lactucæ conditæ, cucurbitæ carnes conditæ, conser. viol. & similia, vel si olea dicta nimis relaxant, adde parum olei ros. cotoneorum; & tempore inunctionis guttas vini ad penetrationem. Si compositæ fuerint, signa vtriusque posita coniungenda. Verum si intemperies fuerit cum materia, copiam vitiosorum humorum nausea, vomitus, grauitas ventriculi, & ructus potissimum a cibo ostendunt. Ideo videndum quomodo adesse materiam distinguamus. Primum ergo materiam frigidam adesse flatus monstrãt, qui etiam sine cibi assumtione sentiuntur. Secundo percepta grauitas quædam & angor, præsertim si os ventris opprimant valde sensile. Tertio grauitas capitis, & dormitatio: præsertim si cruda pituita sit; a qua etiam appetentia tollitur, *vt Galen. lib. De plenitud.* ad finem testatur: *& 5. de vsu partium ad principium*, quod scilicet opprimant & granent. Contra acida, quæ tenuis est, appetentiam facit, vt de canino appetitu dicemus: quod si nauseet vel vomat, erit apertum. Pituita quoque nullam prorsus ventriculi erosionem excitabit, nisi salsa fuerit: hinc & acidi ructus, nulla sitis, tensioque ventriculi adsunt. Quod si flaua bilis, & nausea & vomitus accidunt, & tristitia & morsus; & iracundi fiunt; aperitur eius qualitas per vomitum, caput vero dolet: vel somnos turbatos efficit & breues; & sapor amarus sentitur, præsertim si plusculum ieiunauerunt. Hippoc. *2. De victu.* Et sic si atra bilis abundet, tristitia metusque, ructus & exscreationes fœtidæ, pisciśque olentis, somnus cum accessione imaginationum alienarum, contractioque & dolor poplitum & surarum. Sed num in ipso gignantur, aut aliunde influant, apparet primo *De loc. 4. & 2. de temperamentis ad fin.* Distingues considerando temperamentum principum partiũ, si tale sit biliosum; &, si vt in ventre, ita & in intestinis continetur: quod ex deiectione deprehendes, considera a quibus partibus potest venter recipere. Demum excrementi qualitas consideranda est, si euomat: nam porracea in ventre; in iocinore vero flaua vel pallida gignitur. Erit etiam pulcra tentatio, nam si a sola intemperie, si cibos dederis, qui resistant, non vitiabuntur: si ex humoribus, quoniam illis admiscentur, vitiabuntur. Sed illarum partium notas & affectus perpendes. Hæc quidem exemplis clariora euadent.

Humida. — 8 — *Sicca.* — 10 — 11 *Copia humorum.* — *Signa frigidæ materiæ.* — *Pituita cruda.* — *Acida* — 12 *Flaua bilis.* — *Atra bilis.* — *Num in ipso ventriculo gignantur aut aliunde influant humores.*

Observatio III.

De imbecillitate ventriculi ex laxitate & mollitie, in quo pituita postea coaceruata fuit.

SCribit Rondeletius, ventriculi aliquando imbecillitatem fieri ex partis mollitie & nimia laxitate, citra intemperiem aliam, vel citra materiam; vt ipse colligit ex Galeni verbis 1. ad Glauconem: vbi ait, syncopen fieri ab imbecillitate ventriculi: quam solis curat adstringentibus appositis supra ventriculum, quam affectionem fieri autumat Rondeletius post multas comessationes, quæ ventriculum multum distenderunt; aut quia ventriculus suapte natura est magis laxus, aut maior quam oporteat: & quia vsus est æger nimis relaxantibus. Omnes istæ caussæ distentionem ventriculi faciunt; quæ facit vt minus bene cibos am-

1

plectatur: quod si non facit, non bene concoquit. Apponenda igitur medicamenta primis qualitatibus temperata & adstringentia. Quod si minus prosint, sunt augenda frigida adstringẽtia, quia magis adstringunt quam calida, & ad intra repellendo calorem excitare possunt. Post cibum assumenda, quæ per partem superiorem ventriculum possunt constringere, vt sunt pul. adstringentes, ex ros. cinamomo, cort. cyperi, corallo & aliis. Sed quia ventriculi infrigidatio magis periculosa est, calida etiam adiungenda, vt galanga. Sic nuper puella laxitate ventriculi laborabat: cui a cibo præscripsi cotonea mala, pyra cocta, vel condita, & extrinsecus cum oleo myrteo, cotoneor. & absinthii, ventriculum inungebam. Verum cum eiusmodi ventriculus laxus imbecillis non diu sine coaceruatione materiæ persistere posset, vti huic puellæ euenit, pituita coaceruata est in ventriculo, vt intemperies materialis accesserit, quæ non aliunde pendebat: quæ plerumque frigida & humida est: nam generatio humorum plerumque attinet pituitæ, lib. De atra bile, *& 2. De facult. naturalibus.* fit enim ex cibis, qui ob frigiditatem & humiditatem, caloris ventris frustrantur actionem: præsertim si natura venter sit debilis. Erat autem hæc pituita in spatio ventris, non autem infixa tunicis inhærens; eratque pituita aliquantulum crassa. Ideo oxymel simplex, postea & scyllinum dedi, deinde vt vomitu leuiter pituitam expelleret, consului vt acciperet mulsæ potum cum oxymelite, eo quod pituita minus contumax esset, alioqui deuenissem ad decoctum raphani. Postea exhibui syrupos magis incidentes, & exsiccantes, & roborantes, *syr. acetos. compos. & syr. de byzantiis:* & purgaui cum *pilulis mastichinis, & alephanginis & stomachicis ana ℈ j. cum syr. menthaceo; fiebant pilulæ vij.* Deinde vsus sum iisdem remediis, quę diximus conferre ad intemperiem frigidam & humidam: nempe calida & sicca, vt sunt aromata omnia, intro assumta & extra; ceratum ex mastiche & speciebus aromaticis. Adhibui quoque sacculos, & fomenta ex absinthio, mentha, schœnantho, rhad. cyperi, & caryophyllis composita; cauendo hypochondria: vsus sum & diatrionpipereo, ex mente Galeni: quia hæc puella subinde extensionem ventriculi percipiebat, ex flatu. Talibus enim flatus gigni solent, & succedere: vnde duplici ratione concoctio vitiatur, tam ex intemperie, quam ex mala cibi comprehensione. Huc enim facit historia illius, qui post horas quatuor cibum euomebat, ob flatus: vt etiam eueniebat fratri meo Theodoro Foresto. Ideo diacyminum exhibui subinde, carnibus assis & aromatibus conditis vtebar, vino generoso aliquando, prout sumtus ferre posset; alioqui ceruisiam absinthitem concessi. Vtimur & oleo anisi. Quidam pro arcano habent (vt Matthæus de Gradi refert cap. de dolore & apostemate stomachi) ad consumendum ventositatem ℥ j. *aquæ vitæ.* Sed considerandum nunquid adsit caliditas hepatis vel renum: tum enim valde suspecta est. Noui ego studiosum quendam Louanii, cum ibi adhuc studerem, qui omni mane pro humido & frigido ac debelli stomacho vtebatur aqua vitæ, licet admodum pauca; ita vt tandem maximam ventriculi siccitatem incurrerit, & vena hepatis calorem: vt vix tandem corrigi potuerit.

2

3

4

SCHOLIA.

PRimum vero in sanãda intemperie, quam humor aliquis in ventriculo collectus fouet (quæ etiã frequentissima est, vt diximus) videbimus an ex ipsa ventris intemperie & frequenti cruditate sit aceruatus: ita vt venter ipsi sibi malum foueat. Hanc autem materiam plerumque frigidam & humidam esse constat. Sit ergo primum pituita in ventre; si crassior, in spatio ventris; altera inhæret tunicæ affixa, viscidorum modo. Sint & tenuiore irrigatæ & madidæ ventris tunicæ, vnde & intemperatæ sunt. Hæc ergo omnia simul iungi possunt. Ideo a prima caussa ordienda curatio; hoc est, a vacuandis humoribus, qui in spatio ventris continentur, qui si contumaces fuerint, Galenus adhibet, oxymel aut scylliticum: & si æger nauseabundus ad vomitum, per vomitum educit, cum mulsa & oxymelite, vt nunc diximus, aut cum decocto raphani. Id bis facere vtile est, si tunicis humores infixi, cum hiera expurgata; cuius hæc magna est vtilitas: vt & aloes, licet bilem purgat; etiam pituitam, ob species admistas in hiera. Quod si bilis sit in caussa (prius dictum est quisnam bilis modus in ventre gignatur) statim expellenda erit; quia facilis suapte natura est, vt expellatur. Est enim venenosa, syncopen faciens, & per consensum conuulsiones. Expelletur vero vomitu quod potest: quod si quid inhæsit, per hieram; exhibendo, non vt prius solam, vel ex vino, vel aliquo decocto extenuante, scilicet ex aqua. Ventriculi itaque intemperies calida, frigida, humida, sicca, cum materia, eodem, quo supra, modo curatur; nisi quod frequentius vtimur pilulis, vel pulueribus laxantibus humores redundantes; qui magna ex parte sunt, bilis pituita, & aliquando melancholiæ, sed raro. Euacuantur autem vomitu, si nihil prohibeat, vt affectus thoracis, aut corporis constitutio. A cibo facilior est vomitus: ante cibum plus materiæ euacuatur. Si bilis vacuanda, post iuscula multa, vel post potationem liberaliorem prouocandus est vomitus. Nam bilis, vt oleum his supernatat, & ob id facilius euacuatur. Adde quod acrimonia eius temperatur mixtione harum potionum. Datur *syrup. viol. cum aqua tepida, vel iusculum pingue sine sale, aut decoctum betæ, cum oleo viol. vel communi, vel amygd.* Si autem pituita euacuanda sit, mane ante cibum euacuetur: quia pituita semper est in maiori quantitate, quam bilis; & in fundo ventriculi magis hæret: ob id vomenda ante cibum, vel si lenta sit & nimis hæreat, syrup. acetos. simpl. dilutus aqua vel decoct. betarum vel parum agarici, vel asari, propinandum erit; prius relaxata regione ventriculi, oleo liliorum, vel amygd. inuncto, aut immisso digito, aut penna oleo intincta. Quod si fiat post corporis agitationem, vel frictio-

5

De pituita.

6 *De bile.*

Curatio in intemperiei cum materia.

7 *Vomitus biliosus.*

Vomitus pituita.

frictionem super ventriculum in gyrum, facilius & plus voment. Pituita pilul. de aro. aut de hiera cum agar. euacuanda, sine aliquibus adstringentibus. Bilis autē rhab. infuso, syr. rof. & aliis mitioribus

8

purgantibus bilem. Lenissima medicamenta ob duas rationes sunt vsurpanda; tum quia materia e longinquo non est vacuanda; tum quia ventriculus non est vexandus fortioribus:

Clysteres.

clysteres ad id multum faciunt: sed acres esse oportet. Humorē autem cognoscere ex supradictis, & ex oris sapore; amarus bilem puram notat: salsus bilem & pituitam permixtam; acidus pituitam & atram bilem: insipidus pituitam aqueam, vel dulcem; id melius deprehenditur ex vomitu.

Ad atram bilem.

Atra bilis commodissime euacuabitur decocto polypod. vel senæ, vel epithymo decocto in iure galli antiqui, vel pulli, vel decocto mercurialis. Syrupi ad concoctionem vel alterationem sufficiunt: ad bilem *end. simpl. vel absinthii cum aqua end. vel cum syr. de cichor. sine rhab. aut cum rhab. vel cum syr. ex infus. rós.* si volumus euacuare bilemque detergere. Syr. ad pituitam valent, *hydromel, cremor hordei, cum melle, aut oxymelite.* Incidentes magis sunt syrup. *acetosi compositi, & de byzantiis,* qui leuiter incidunt, attenuant & detergunt.

9

Si materia aliunde influit quid agendum.

At si materia aliunde influit, tunc intētio esse debet toti prospicere, vel parti, si pars sit. Si tamen vrget, vt syncopen morsu adferat, relicta prima caussa, hunc affectum tollemus, donec affectus mitigetur; interim caussa non neglecta. Ita in copia crudorum humorum *12. meth.* horret purgationes: sed eas curat frictionibus & inedia: & optimum erit semper reuellere humores ad contraria, & deriuare fluxiones ad alias partes, vt ad infernam aluum clysmatis; ad vrinam, post extenuantium vsum. Caussam non negligemus, vt in pituita inediam imperando, potum exiguum, cibos siccos, calidos, & reliqua quæ pituitæ generādæ sunt contraria, alioqui si parati sunt humores, postea leuiter purgabimus cum hiera, quæ a longinquis aut remotis non attrahat. A sanguine melancholico si oriatur, & si is sanguis in toto abundat, Galenus sanguinē mittit, cum nec facile corrigi possit, nec absumi præ crassitię. Si fluxio biliosa, purgabitur similiter in stomacho, primo vomitu, mox absinthii decocto, vel hiera. Quoniam vero venter est qui recipit, non debent præter suas horas hi a cibo abstinere, cum præsertim non so-

10

leant famescere. Vnde præceptum illud Auicennæ (*vt recte dixit Iacchinus doctissimus*) suspectum est, quod ad cibum fames exspectanda sit. In cibo vero oportet præcedere leniens aliquod semper, mox sequi quæ roborant adstringendo: & vinum adstringens sit, album, tenue, vt per vrinas bilem expurget. Patet autem quod vniuersa victus ratio esse debet, quæ biliosa excrementa non generet, id est, frigida & humida, in cibis, balneo, somno, quiete: quę omnia vno aphorismo comprehendit Hipp. *6. Epid.* In calida natura, refrigeratio, aquæ potio, quies. Sic vero & temperabitur bilis, & quæ circa iecur est, per intestina repurgabitur. Num vero purgantibus instandum sit, dubitatur: credunt alii quod non, nisi lenientibus, vt natura bilem traducere assuescat per loca consueta; dum corporis malus habitus corrigatur. Quod si influxus bilis in ventrem sit naturalis, vt ex portione pori fellei ad ventrem tendente: quem errore naturæ in quibusdam maiorem esse contingit, quam oporteat; malum est incurabile.

11

Pituitæ a capite in ventrem descendenti quomodo prouidendum.

At si pituita a capite descendat (& est casus, qui crebro euenit, Florentiæ præsertim, vt asserebat Iacchinus; magis tamen apud nos Batauos & Hollandos; ratione regionis) ipsi prouidere oportet, postquam venter melius habuerit: etenim humoribus in ventriculum collapsis & expurgatis, post derelictam malam membri intemperiem, ipsum roborando, ne facile recipiat, ipsi capiti quoque tanquam membro mandāti prouidere oportet, postquam venter melius habuerit.

Capiti frigido & humido quomodo prouidendū.

12

Propria vero capitis prouidentia erit per contrariam intemperiem. Quoniam vero multa pituitosa excrementa generat, erit exempli gratia, intemperies eius frigida & humida. caput igitur calefaciemus & siccabimus. Sic enim & alimentum bene concoquet; vnde nec ex alimento pituitam generabit, & quæ ab inferiore susceperit excrementa, expurgabit per insensiles transpiratus, & etiam per sensiles vias: neque etiam prompte suscipiet ea, iam firmatum. At qualis prouidentia capiti frigido & humido debeatur, dictum est de morbis cap. Capita vero eorū sunt, vt si adest multitudo pituitæ, vacuetur, si est communis toti, per totius prouidentiam: si partis solum per notas vias, per quas caput purgatur; per nares inquam, & os, & insensilem transpirationem, & per ea quæ calore & siccitate siccant, cum noctu assumunt. Si vero melancholicus est humor, si totius vitio, dictum est supra quomodo prospiciendum: sin partis, vt lienis, quoniam male affectus, humorem melancholicum expurgabimus, eodem modo, vt dictum est; & victum instituemus, quo maxime eius succi generatio euitetur: & lienis affectum curabimus.

OBSERVATIO IV.

De Cardialgia, seu oris ventriculi dolore, cum quodam morsu, cui bilis vomitus subsequebatur.

1

FRater meus charissimus Nannius Forestus, si aliquo vehementi exercitio vteretur fatigatus, vel ieiuniū paulo diutius toleraret, & præsertim cum curru veheretur, iuuenis biliosus, in cardialgiam aliquando incidebat, seu oris ventriculi dolorem, cum morsu & erosione bilis, vomitu erodente subsequente, ita vt syncope facile apprehenderetur, cum os ventriculi valde sensile haberet. Huic panem ex vino albo tenui frigidoque ac diluto vt caperet consulebam; tum succum mali punici acidi: cui & lactucam cum aceto concedebam, pullosque gallinaceos, & perdices, cum omphacio & succo limonum. Sic Hippocrates libr. 2. vulg. mulieri cui os ventriculi dolebat, & nihil remittebat dolor, polentæ pollinem in mali punici succo inspersum, semel in die in cibo tribuens, ipsam curauit: & non remouebat, vt ipse inquit. Et quia ad vomitum pronus esset frater ex natura, confestim vbi bilis roderet, syrupo ace-

toso vel oxyzacch. cum aqua sumta facile vomebat: alioqui vbi syncopen metueret, micam panis mediocriter torrefactam maceratam in vino austero tenui & albo, & demum fortiter expressam sumebat: huius vini singulis tribus horis vt caperet ℥ iij. iubebam, idque frigide; donec pulsus robustior fieret. Propterea iussi, cum facile afficeretur cardialgia, ex ieiunio, vt non tarde sed citius cibum caperet, & vt ieiunium vitaret. Et quia ex natura melancholicus esset, & facile ex mœrore flaua bilis in ventriculum conflueret, & vehementi exercitatione, & præsertim motione currus idem pateretur, præcepi vt mœrorem & vehementiorem exercitationem & vectationes in curru vitaret; & vt continuo apud se pyxidem conferret consului, in qua rosæ rubræ & myrtilli ac santali pulueres cum aqua ros. & vino odorifero aspersi, inclusi essent; vel spõgia hoc odoramẽto (quo Celsus vtitur, liquido immersa & pyxidi inclusa, *ex rosa. & vino aut aqua ros. & myrtill. ana ℥ iij. vini odoriferi ℥ ij. santalorum ℥ ij.* & fiat odoramentum: vel huius æmulum medicamentum vt conficeretur vtile duxi.

SCHOLIA.

Καρδιαλγία, vt Altimarus ostendit, perpetuo affectus est oris ventriculi, eiusq; infestum symptoma a succis mordẽtib. eueniẽs: καρδιωγμὸς vero interim, non oris ventriculi, sed eius visceris, quod in thorace continetur, est affectus. Cardiacus quoque perpetuo oris ventriculi morbus, sed cum febre, eaque acuta; qua etiam ratione differt a cardialgia. Et ideo cardiacus morbus cũ in acuta febri & maxime æstuosa fit, perpetuo periculũ minatur: confirmat id eius caussa, cum a rodentibus ac venenosis succis fiat, seu ab alicuius visceris inflammatione: adeo vt quidam os ventriculi valde sensile habentes statim ex eo intereant, teste Alexandro, nec minus periculosus est a lumbricis ascendentibus ad ipsum os ventriculi, quibus nonnihil roduntur, & statim intereunt. Frequentius iuuenibus euenit in augmento ægritudinis circa sextum diem; & quam maxime eo tempore, quo æstas calidior incanduerit. Cardialgia etiam in febribus mala iudicanda: de qua *septimo lib. De feb.* diximus. Quantum ad curationem spectat, cum prædicti affectus ratione maioris minorisque differant, [illegible] communis ratio tum victus, tum medicamentorum instituenda; aer frigidus eligendus, & domus depressior, nec alta, nec valde lucida, fenestris patentibus, vt perflatus accedat, leuique veste contegantur ægri, in cardiaco præsertim morbo. Pauimentum foliis vitis & ros. consternatur. Vigiliæ vitandæ; somnus moderatus competit; & quies motusq; omnis interdicendus, aluus natura vel arte sit lenis, valent pyra, persica, vua, & quæ moderate refrigerant. Sed de his diximus De febribus. Potus sit aqua hordei. Aetius ptisanæ succum aut alicæ per clysterem infundit, reliqua vide apud Aetium & Altimarum; de vomitu leui iam dictum est. Si vomere non possunt, lenia medicamenta adhibenda, thamarindi, infusum rhab. vel syr. ex infus. rosa. & topica ventriculo adhibenda, vt inula, cotonea, cum pane vel plantagine, vel polenta cum palmis. Exsudantibus sudor inhibendus cum oleo myrteõ vel melino, myrto insperso. Extremæ corporis partes refrigeratæ concalfaciendæ, cum multa frictione ipsarum partium, linteisque calidis adhibitis. Quod si ex visceribus quoddam inflammatum, vnde cardialgia aut cardiacus morbus, eadem inflammatio curanda erit. Si ex ascendentibus lumbricis, eà tribuenda quæ ipsos interficiunt, & ex corpore expellunt; amaris expellas, iuxta Gal. *14. meth. medendi.* Hoc autem vitium, vt etiam sequens, ad os seu ventriculi ostium pertinet, in quo ciborum fit appetentia. Atq; hæc prima ventriculi pars est: vti secunda (quam eiusdem ventriculi spatium seu cauitatẽ appellamus) in qua eorundem ciborum fit concoctio: de qua parte etiam postea suo loco.

OBSERVATIO V.

De appetentia canina.

Monacha apud Delphenses, cum longo tempore cibum deuoratum euomeret, & in fine acida quædam & aquea, rursumq; appetentia incitata iterum cibum assumtum cum rursus euomeret (*quod vitium canibus solet accidere;*) facile intelleximus eandem canina appetentia laborare; atque hanc caussam internam esse ex sapore eorundem, quæ euomebantur, etiam ex ægræ relatu cognouimus, tum ex ructibus præcedentib. vomitum, tum ex acido sapore oris, dum acida euomerentur. Cum autem hæc multis medicamentis vsa fuisset, nec per alios medicos curari posset, cum valde debilis esset, vt has pilulas leues quidem sumeret præcepi, cum ad eam accitus essem mense Martio, anno 1563. *℞ pilul. de hiera simplici Galen. ℈ j. rhab. optimi pulu. ℈ ß. cum syr. ex infus. ros. fiant pilulæ 5. valde exiguæ.* Quas cum in diluculo deglutiisset, bis aluum deposuit, quas cum iterum atque semel cepisset, stomacho corroborato, vomitus desiit. Vomebat autem hæc primo non solum aquea, verum postea & acida, vt diximus: sed in fine vomitus sentiebat aliquid amarulenti, quod & gulam vellicabat: ideo *rhabar. ℈ ß. pilulis de hiera* addebam, iisque deuoratis malum, quod irremediabile videbatur, atque diu durasset, miraculi instar, cessauit. Ita & quendam alium iuuenem, hoc eodem malo, solis pilulis de hiera, liberaui.

SCHOLIA.

Quatuor sunt accidentia ordine quodam sese consequentia, quæ ventriculi appetentiam præcedunt, cum secundum naturam quis appetit. Primum namque omnium totius corporis inanitio, seu vacuatio est: secundum, naturalis euacuatarum partium: tertium, ventriculi suctus: quartum ipsius suctus sensus: hinc sequitur iam dicta ventriculi animalis appetentia. Si hæc præter naturam vitiosa redditur, modum in quantitate excedens, dicitur tunc canina appetentia, *1. De caussi. symptomat. & comment. aphoris. 21. libro 2.* a canibus sic appellata, apud Alexand. Trall. *lib. 7. capit. 5.* Ægri vomunt pituitam, & cibum, cum assu-

Margin notes: 2; 3; 4 Curatio.; 5; 1; 2; 3; *Appetentia canina.*

assumunt, quem retinere nequeũt; & post vomitum alium appetunt: estq; vehemens & insedabilis ciborum appetentia: in qua afficitur os ventriculi, *vt 1. De causs. sympt. & 5. De loc. affect.* Affectio vero symptoma est in genere noxæ functionum animalium, atq; ipsius sensus tactus: ipsa quidem functio est deprauata, non diminuta nec ablata. Ægri enim plus cibos appetunt, & cum appetitum cohibere nequeant (*teste Aetio lib. 9. cap. 21.*) in ingerendis cibis modum excedunt: deinde multitudine eorum aggrauati, & absumtos citra nocumentum ferre non potentes, ad vomitũ diuertunt: deinde rursum cibo se explentes, iterum ad vomitum reuertuntur, quemadmodum canes.

Pars affecta. *Affectus.* *Signa.* 4 *Caussa.*

Volũt autem hunc morbum fieri, vel propter intemperiem solam frigidam, vel ob pituitã acidam vel ob melancholiã, vel ob totius corporis dissolutionẽ magnam. Trallianus etiã a caliditate fieri scribit. Iam quoq; a caussis procatarcticis incitatur, vt a nimia aeris infrigidatione; quod accidit iis, qui per montes frigidos & niuosos iter faciũt. Ita & bulimon fieri volũt, de quo postea. Sic & ex potu aquę frigid[illegible] refrigerato ore ventriculi, Ob id scripsit Hippo. aquam & aerẽ facere voracitatem; sed magis aquã, q̃ & voracem appellat. Fit & cũ æger nutritur alimẽtis exigui nutrimẽti, vt si vescatur olerib. fructib. acidis, asparagis, radicibus, leguminib. aut aliis alimẽtis imbecilliorib.

5

Fit etiam ob longũ vsum alimẽtorũ detergentiũ, vt ficuum vel gari; quod se Rondeletius in se ipso expertum scribit: qui cum me vellẽ (inquit) cogere ad vsum piscium, vtererq; frequentissime garo parato ex lycoctoniis (*vulgus Gallice* Anchoys *vocat*) & oxylęo, ficus etiam Massiliẽses fere omnibus horis comederẽ, ita fuit pituita illa vẽtriculi & intestinorum detersa, vt mihi superuenerit appetentia canina, deinde bulimos; qui me adhuc hodie infestat. Hęc Rondeletius.

Caussarum cognitio.

At caussę procatarcticæ huius affectus deprehenduntur ex relatu ægrotantis, & his, quę præcesserunt. At si ex frigida intemperie, egestiones multæ ex ipsorum ventribus procedẽt, crudis exsistentib[9] nimirum cibis, aut semicoctis. Si vero adfuerint acidi quoq; succi, aderunt simul cum his acidi ructus: nec mirum si frigida intemperies, frigidiq; vitiosi succi in ore ventriculi redũdantes propter frigus, alimenti & non potus desiderium excitant. Ex imbecillitate retentricis facultatis in toto corpore, si contingat ob caliditatem, contraria magis iis (*teste Tralliano*) qui ob frigiditatem immodica appetunt, euenire videntur.

6

Neq; enim siti carent, neq; acidum humorem vomunt: vnde & his magis aluus astricta est, quam citata. At iis qui ob retentricis in vniuerso corpore facultatis infirmitatem laborãt, cibi minime cocti, copiosi, & subinde alterationẽ non experti excernuntur. Quare etiam tales continuis illorum corruptionibus laborant. Plura de his vide apud Gal. *4. & 6. De loc. affe. & 4. de sympt. caussis.*

Prognostica.

Hi autem facile, iuxta Paulum lib. 2. cap. 51. dilabuntur in cœliacum affectum, aut dysenteriam, & aquam intercutem, si ad consuetudinem vomendi peruenerint; cum & alios ingerant cibos cum priores nondum sint concocti. Et si diu perduret, in boulimon permutatur; interdum in soporem & interdum ad mortem. At canina appetentia, quæ ex immodica dissipatione ortum ducit, si priusquam ad summum peruenerit, cognoueris (*teste Gal. 6. De loc. affect.*) non difficulter curabitur.

7 *Curatio ex frigida intemperie vel succis frigidis.*

Si itaq; ex frigida intemperie vel succis frigidis oriatur, aer eligatur ad calidum & siccum vergens. Vitentur vigiliæ immodicæ & somnus alliciatur; exercitium moderatum confert, alui excrementis prius arte vel natura depositis. Declinandus timor & mœstitia. Vini potus his, non cibi multitudo, remedium est: flauum quidem vel rubeum adstringens id vinum sit, & merum: edulia pinguia, oleosa, ex Galen. & Alexand. & phasianorum femora, & carnes suillæ. Multos equidem Galenus sanauit, qui indesinenter famescebant, vinum abundanter exhibens, flauum, vel rubeum adstringens: & primum offerre pinguia oportet. Potus ante cibum multus calidus, ex Aetio, cerebella, pultesq, cum melle & oleo, sorbitionesque appetitum destruentes. Ex fructibus, pistachia, nuces pineæ, colymbades, & oliuæ ex melle; allium, porrum, & herbæ dissecantes, thymus, satureia: ex medicamentis oxymel simpl. scill. mel ros. Vomitus ex iusculis pinguibus, cum decocto raphani.

8

Si impacti humores pituitosi, hiera danda. Sufficit aliquando leuis euacuatio, & reiterata: quia multos humores non continet ventriculus, ob frequentem vomitum. Deinde electuaria propinanda, quæ calefaciant & roborent ventriculum, ex cinamomo, arom. ros. diagalanga. Et exterius inuncto ventriculi ore, oleo nard. absinth. mastich. & vino maluatico partem fouebis, tum aliis de imbecillitate ventriculi dictis. Si sit ab intemperie sola frigida, alterabimus calfaciendo, & leuiter constringendo medicamentis & fascia. Si fiat ex immodica corporis dissipatione, abstinendum a continenti calido ac vini potu, & ab omnibus, quæ tum extrinsecus, tum intrinsecus calefacere possunt, ex Aetii mente. Aer frigidus eligatur, quies iniungatur, somnusque mediocris, & vigiliæ immodicæ vitentur. Alii volunt, si propter resolutionem magnam totius corporis fiat; aut quia vsi sunt alimentis detergentibus & euacuantibus immodice, optimis alimentis illos ali oportere; vitellis ouorum, succo carnis optimo, & generoso vino, pane intincto in maluatico vino, vel Hippocratico, vel muscatellino.

9

Hæc alimenta differunt ab iis, quæ ad bulimon præparantur, quod in bulimo dantur (vt sequẽti exemplo dicetur) multum alentia & multum satiantia: atque ob id eligimus pinguia; quæ sunt fugienda in appetentia canina, quod vomitum proritẽt, vt & oleaginosa omnia, & magis liquida, quæ suapte natura facilime vomuntur. Istis tantum alimentis vtimur cum volumus ab initio augere vomitus. Si propter alimẽta, aut medicamenta plus iusto detergentia hæc affectio acciderit, viscosa sunt danda, vt cremor alicæ, ptisanæ, decoctum pedis veruecis, aut aliorum animalium. Alexander iis, qui ex caliditate

appetitu canino laborant, vinum non dat; sed cibos, qui ægre cõficiũtur. Calida his inimica sunt, quæ ex pipere parantur. Quibus enim ex imodico calore dissipatio fit, clysteribus lenibus vtendum: animi immodici affectus declinandi, & potissimum ira: cibiq; stabiles & ægre corruptibiles dandi, aquę potus vel sem. coriand. præpar. decoctum. Cutemq; condensabimus oleo ros. omphacino & myrteo astringēte. Valent lauacra frigida, si nihil prohibeat. A balneis calidis abstinendū. Vnguenta restringentia & refrigerantia prosunt. Curationem retētricis facultatis infirma ex frigiditate, Alexander absoluit cibis & medicamentis calfacientibus, brassica vino percocta, cinara, pulte ex aliça, cum vino, olyra, zea, perdice, atagena, carne leporina; inter bellaria, vuis passis: vnctionibus, epithematibus ex ladano, myrrha, aloe & similibus. Dat theriacam; & balneis calidis vtitur, & quæ mediocrem habent adstrictionem. Exercitia comendat, gestationes, nauigationes, & longas peregrinationes. Ad facultatem retentricem imbellem ex calore, oua dura exhibet: inter olera lactucam, intybum. Ex auibus gallinam cohortalem non admodum coctam. Anserum alas & pectora, & phasianorum. Ex piscibus, dura carne pditos, orphum, glaucum, cuculum & sepias. Ex testaceis, astaces, buccina, pectines, cochleas. Ex leguminibus, phaseolum, fabam, oryzam. Ex fructibus pomaceis, mala dulcia, citria, vuam dura carne præditam: peponum carnem, cucumerum medullā, sycomora, duracina & persica. Balneas aquæ dulcis commendat, naturales refugit. Aliqui his addunt curationem a melancholia: in qua lienis ratio habeatur: & purgetur humor melancholicus, & stomachus roboretur exterius. Vide de his ad longum Alex. Benedictum Veronensem *lib. 11. cap. 22. De curationibus varijs inexplebilis auiditatis.*

10

11

OBSERVATIO VI.

De grandi fame, quæ Bulimos Græce dicitur.

1 IVuenis quidam Brabantinus, cum iter longum per frigora & niues faceret, vel externum frigus aliquod pateretur, ilico ore vētriculi affecto, bulimon incurrebat, & ab eo statim syncope afficiebatur. Quod cum illi in itinere ter contigisset, ita vt vix a syncope a sodalibus, qui illi in via aderant, leuari potuerit, hũc casum famulo meo hoc tempore in Brabātia existenti narrauit: & is reuersus ad me, cum & Diestēsis esset, ac huic iuueni familiaris, eius nomine me consuluit. Præcepi vt iuueni rescriberet, vt omnium primo cum syncopen incurreret, ex mēte Galeni, tum Alexandri Tralliani, extremæ partes constringerentur, continerentur, & pungerentur vndiquaque; & astantes aures perfricarent, & capillos attraherent, atque odoramentis ex aceto vel pane vino intincto ægrum reficerent. Hoc enim pleriq; idiotæ sciunt: vtuntur autem ad vitalem facultatem, quæ digeritur, recreandam recolligendamque. Ex iis autem quæ odoratū mouet, est panis potissimum in vino imbutus: ægroque reuerso ad se, & defectione animi finita idem panis cũ vino imbutus ante omnia dari debet. Reliquo tempore celerius nutrire, & quicquid ægre mutatur confici usque ipsi exhiberi oportet: necnon quod confirmare potest. Ab eiusmodi namque, inquit Trallianus, iuuantur, & temporis processu ad bonam temperiem reducuntur. Generatur enim hoc malũ, ex Galeno & Aetio, ex stomachi frigiditate ac viriũ imbecillitate: quæ semper fere ab externo frigore ortum ducit, vt hic. Hinc, teste Galeno, aucta oris ventriculi frigiditate immodice, propter eius exactum sensum, ac rationē viciniæ, eam ipsi cordi impertitur, ipsumq; valde refrigerat. Non abs re igitur caussa existit, vt animi deliquiũ accidat. Imo propterea Galenus hanc affectionem dixit nihil aliud esse, quam animi defectum. Et cum hęc fames ingens ab externo frigore oritur, propterea peregrinationes (*vt inquit Aetius*) & itinera longa maxime per niuem facta (*vt hic*) affectionem hanc inducũt. Propterea & huius curationis ratio exigit, ne iuuenis iste neglectim habeatur, cum & quidam in locis desertis, aut in balneo in hoc malum collapsi ex instanti perierint, auxilii facultate destituti. Quapropter auxilia cōfestim pro eius curatione adhibenda. Namque assiduæ etiam bulimiæ & exsoluunt, & in animi deliquia inducunt ægros; quibus ægre auxilium reperitur, ex eiusdem Aetii auctoritate. Et quia affectio hæc nempe frigiditas adiuncta est siccitati, *vt Gal. asserit 5. De simpl. med facult.* ideo calidis tum humidis cibis, tum medicamentis vtemur. Itaq; ægrum reuocabimus (*vt etiam Galen. docet 8. De compos. medica.*) odoramentis aceti aut pulegii, etiam recenti pane odorato si ad manus sit. Vltro etiam panem cum vino maceratum offeremus, & oua sorbilia & carnem suillam. Valde commēdat Rondeletius lucanicas Bononienses, quę cum integro pipere parantur: multum enim alunt & ventriculum calfaciunt. Bulimon enim eodem modo curari scribit, quo appetētia canina: in hoc tantum differens, quod alimenta oporteat esse duriora, & tardiora ad concoctionem, vt alimentum inde factum diutius duret. In his oportet cauere lōgiorem cibi dilationem ac inediam, & singulis horis simplicissimum modicumque cibum offerre. Hæc sunt quæ iuueni huic valde vtilia esse putamus.

2

3

SCHOLIA.

4 VEntriculi ostium indigentia simul ac refrigeratione & imbecillitate virium laborans, incurrit symptoma, quod a βούλιμος, a Latinis ingēs fames, vehemens esuritio dicitur (*teste Galen. lib. 1. de sympt. causs.*) βοῦ etenim Gręca dictio, adiecta vocibus, vim habet augendi significationes earum. Os ventriculi hic afficitur, *vt 1. De caus. sympt. constat:* & eius affectus est symptoma ex genere noxę functionum propriæ ipsius appetentiæ deprauatæ. Differt autem a canina appetētia, quæ vniuersalior est: Bulimos magis specialis atq; particularis & deliquium accedens habet. Etiam caussa differt: nam a frigore perpetuo fere accidit bulimos; canina appetentia ex nonnullis aliis caussis, vt di-

Pars affecta & affectus.

vt diximus. Signa per se nota sunt, cum adest fames & deliquium sequitur. Modum generationis & caussam iam diximus, & etiam curationem. Quibus adiunges, ea quę & *Galen.* & *Aetius* de hac affectione scripserunt. Volunt tamen aliqui & in febribus hanc affectionem oriri, vt Aetio & Paulo visum est: licet ea raro accidat. Inspiciendum tunc quo accessionis tempore contingat: nam si in remissione seu declinatione febrilium exacerbationum accidat, intrepide eis cibi sunt offerendi, quos diximus. Si vero in principio eueniat, aut in vigore apparuerit, conabimur eos primo reuocare, potissimum pane calido, vaporem adhuc emittente, vel polenta, aqua seu posca madefacta. Frictio quoq; tunc temporis extremarũ partium adhibeatur, & cataplasmata ex palmis, cotoneis, in vino diluto decoctis, ventriculo applicentur. Atq; hæc vsq; ad remissionem facere oportet, vt oportune cibum offeramus. Quod si ex his nihilo melius habeant, audendum est per ciborum ingestionem auxilium offerre, vnam atq; alteram in vino madefactam buccellam panis tribuendo; vt exinde refocillati, vsque ad remissionis tempus perueniant: in quo tum corporis curatio, tum sufficiens cibus ordinetur. Nam neq; Galenus ipse veritus est in principio, incremento, ac summo vigore exacerbationum febriliũ, potissimũ calidis siccisq; corporibus, quibus etiam stomachus fuerit imbecillus, cibum offerre, non vni duntaxat aut alteri, sed pluribus, vbi vsus postularet; pręsertim panem ex vino diluto: vt liquido cõstat apud eundem *lib. 10. Meth. med.* Si vero a frigidis in ore ventriculi & siccis succis redundantibus hęc affectio fiat, iidem prius concoquendi, pręparandi ac expurgandi sunt. Propterea, si bulimos fiat ab humore acido, euacuationem tentare oporteret: sed cum maiore cautela id faciendum quam in appetentia canina. Nam hi, vt dictum est, facilime in animi affectionem incidunt, post euacuationem. Sunt autem statim (*vt iam dictum est*) reficiendi vino & rebus odoratis. Inunctiones & omnia alia præscripta cap. De appetentia canina hic conueniunt. Id quoq; considerandũ, numquid a vermibus contingat: cuius habemus egregiã historiam apud Alexand. Trallianum, sic scribentem: Noui mulierem quandam, quę cum multa & immoderata assumeret, omniaq; concoqueret, & nunquã satiari se diceret, rosionem vero in stomacho experiretur, & capite doleret, medicamentum purgans accepit: erat autẽ hiera. Facta igitur euacuatione vermem proiecit, qui longitudine duodecim cubitos, & plures habere putaretur. Atq; tunc im̃oderata & furiosa appetentia conquieuit. Innotuit igitur non bulimũ, sed bestiam fuisse, quæ ad cibum sumendum compelleret, omniaq; consumeret.

Curatio si in febribus accidat. 5 6 *A frigidis siccis succis quomodo curetur.* *Historia mulieris vermem proiicientis.*

Observatio VII.

De Citta siue Pica & Malacia.

1 Puella años nata 15. filia illius Theodori Cornelii mercatoris frumentarii Delphensis ditissimi, habitantis in foro frumentario. Hæc quidem facie admodũ pallida, statura exigua, cittam seu malaciam patiebatur: frumentum enim & triticum crudum & cretam in maxima copia comedebat: vti & Maria Petri Sasboti filia, prægnans, in maxima copia cretam vorabat. Est enim hoc symptoma & puellis & prægnantibus familiare aliquando, vt in scholio latius dicturi sumus. 2 Sed quod ad hanc puellam attinebat, cum deprauata appetentia ex caussarũ remotione tollatur, nempe prauorum succorum purgatione, ad eam curandam, ex communi consilio Henrici Vergerii medici Haghani doctissimi, qui vna mecum ad curationem accitus erat, post syrupum de absinthio sępius propinatum hoc sequenti infuso vsi sumus: ℞ *pul. folliculorum sena ℥ ij. infunde per noctem in aqua betonicæ* (cum & capite doleret) *aquæ fumariæ, absinthii, boraginis ana ℥ j. mane post expressionem adde pul. specier. hieræ picræ simplicis ℨ ß. syr. borag. viol.* (qui & vomitum incitat) *ana ℥ ß. misce sumebat mane hora vj. in diluculo:* & post tres horas soluta est aluus: bis aluum deposuit, & semel egregie vomuit. Deinde stomacho exterius corroborato, oleo cotoneorum, nardino, & mastichino, & cerato stomachico superimposito, hæc sanata est.

Scholia.

3 Affectio quędam est, Græcis κίττα & μαλακία, a Latinis Pica: quæ secundum quosdam a pica auicula nomen recipit; vel a picæ auis varietate (*vt Paulus ait lib. 1. cap. 1.*) vel quod eadem subinde hoc malo corripiatur: secundum alios ab hederæ similitudine, quæ κιττὸς Græcis vocatur, nam sicuti illa variis plantis (prout occurrit) se implicare solet; ita mulieres ex pica laborantes, varia edulia appetunt, atque ea contraria, quæ tum voluptatem tum insuauitatem gustandi exhibent, Aetio teste *lib. 6. cap. 10.* Malacia vero dicitur, quasi mollities. Pica enim corrupta est appetentia, quæ vtero gerentibus frequens est, & potissimum accidere consueuit tertio a conceptu mense: nam tunc fœtus (*teste Paulo lib. 1. cap. 1.*) omne quod ratione alimenti ad ipsum fertur, tamquam imbecillior, nequit consumere: vnde fit, vt quum varia ex eo recrementa in stomacho grauidæ redundent, varia & naturæ aliena appetat: exempli gratia, carbones exstinctos, cretam, cimoliam, aliaque complura, vt etiam terram, carnem crudam. 4 Nouimus & nos aliquas mulieres grauidas crudas anguillas deuorasse: & nuper istis diebus Delphis pellem ouillam crudam vna cum lana, aliã comedisse percepimus: alteram vero Alcmariæ picem naualem cochlearibus excepisse, atque deglutiisse. Hæc non solum mulieres, sed & pueros & viros nonnũquam infestat. Tanta enim vis malacię est (*inquit Fernel.*) vt vir quidam nobilis edendæ calcis viuæ desiderio iam diu pressus, illam tandẽ pugni magnitudine vorauerit recreatus, nulla ventriculi, nulla viscerum offensione. Vidimus & infantes & pueros aliquos adultiores, carbones, cineres & arenam & cretam deuorasse. & calcem a lapidib' excussam. Contingit & puellis cachexia laborantibus, ob mensium retentionẽ, aut seminis; a vitiatis & corruptis humoribus

κίττα μαλακία. Pica vnde dicta. Vide Gal. li. 1. De caussis sympt. & Aetium lib. 9. cap. 23.

Pars affecta in ventriculo collectis. Atq; ex his iam dictis facile patet, & quæ sit pars affecta & qualis affectus. Conflctatur enim ventriculi ostiũ, *vt 1. De causs. sympt. & 5. De locis affect. constat.* Estque symptoma ac noxa eiusdem appetentiæ, quæ deprauata est; in qualitate tamen, & non in quantitate, velut canina appetentia, excedens, *vt 1. De causs. sympt.* habetur. Aberrat facultas appetendi, cum non cibos, quin imo prauas appetat qualitates, vt acida, acerba, acria, cimoliam terrã, testas, & iam dicta. Ita puella nata annos *12. apud Amatum cent. 3. cur. 86.* facile pallida & gracili, indiscrete lapillos, terram, calculos, cretam, gossypium, lanam & varia similia comedebat; & ita eisdem delectabatur, vt inter suendum eius puluinaris, super quo mulieres suere solent, gossypium suaui appetentia comederet, tametsi a matre & assistentibus increpabatur. Nec enim prędicta tantum comedebat, sed absurdissimos alios cibos: quę & ab eodem curata fuit, vt ibidem videre licet. Apparent etiam taliter affectis assiduæ exspuitiones, oris ventris morsus, ac anxietates. Insequitur autem prauam eiusdem oris ventriculi intemperiẽ, cum eius tunicæ prauo aliquo excremento fuerint imbutæ: quo fit vt mulierculis vitioso humore repletis, euenire soleat affectio hæc; maxime cum vterum ferunt. Pro varietate autem, peregrina edulia appetunt, & propterea alio signo non indigent pro eorum dignotione: quamquã etiam per vomitum iidem manifestari consueuerunt. Contingit autem & puellis cachexia laborantibus, *vt diximus*, & a vitiatis humoribus in ventriculo collectis; vt hominibus aliquando accidit melancholia laborantibus, aut diuersis humoribus. Nam fere euenit, *vt Rondeletius existimat*, vt ventriculus appetat similia alimenta humoribus in se contentis: vt si atra bilis non vsta in ventriculum effusa sit, acida appetunt: sin vsta sit & incinerata, carbones, cineres & alia alimenta sicca appetunt & assumunt, & illis delectantur: qui salsos humores, salsa: qui alios, alia: ita vt ex eorum appetentia humorẽ coniiciamus collectum. At Iacchinus hos sic affectos remediũ quærere putat ex assumtis: remedia vero quæri per contraria. Hinc alii, qui viscidis abundant, acida appetunt: qui frigidis, multum acria: qui calidis, acerba: qui indicibilis qualitatis, etiam indicibilis qualitatis cibos. An & hinc mõstruosæ libidines in iis, qui semen retinent? Sed cur fieri dicas, vt in retentis mensibus conceptionis tempore hoc eueniat, non grandioribus, cum sponte detinentur? vtrumq; tamen per naturam. Respondet, semper si intra tempus purgationum naturale detineantur, noxam faciunt hanc; non si extra. Natura enim alio ea excrementa sensim deducere assuescit: & eiusmodi excrementa in senioribus non adeo multa gignuntur. Solet autem hæc affectio contingere, iuxta Aetium, vtero gerentibus, fere circa quadragesimum diem a conceptu; & sæpe vsque ad quartum mensem durat; vel compluribus (*teste Galeno*) vsque ad secũdum & tertium mensem; in quarto vero quiescunt, partim quod vomitione vitiati humores expurgantur, partim quod concoquuntur, vtpote exiguum cibi tum sumente muliere, ob fastidium; partim etiam quod multitudo vacuatione sit diminuta, quippe primis duobus mensibus fœtus paucum ad se sanguinem attrahit, eo quod parum adhuc auctus sit: vbi vero iam creuit, tunc plurimo indiget alimento: atq; tunc non id, quod optimum est e venis allicit, verum etiam, quia maiorem alimenti copiam requirit, aliquid vitiosi simul attrahit: & ita fit vt vniuersum corpus plenum esse desinat, & minori humorum vitio crucietur. Idem tamen affectus cum viros inuadat, vt diximus, ob humorem vitiatum ad os ventris delapsum, nequaquam etiam despiciendus est. Victus autem hic instituendus pro varietate vitiosi & praui redundantis humoris. Sed hoc cunctis commune est, vt cibis vtantur moderatis, & qui non facile corrũpantur. Sic panis succo cotoneorum aut malorum punicorũ maceratus confert; & cichorium. Ex auibus neq; pingues neque virosę, pedes maxime ac rostra, & ventriculi porcorum: & erinacei marini recentes cibi sint quantitate moderati, & si cibos auersentur, obsoniorum varietate ac iucunditate illectentur. Abstineãt tamen a dulcibus obsoniis; verum iis, qui terram appetunt, nihil ita prodest, veluti amylum recens. Cunctis ante cibum confert oliuas albas, muria conditas cum pane molli exhibere, aut quinq; vel septem amygdalas amaras: post cibum autem vuę passę, mala punica ac pyra præbẽda. Potus sit moderatus, ne alimenta ventriculo innatent; ac vinũ fuluum, odoratum, antiquum & subastringẽs bibant. Si vinum auersentur, aquam ex ciñamomo decoctam potabunt, nostri vero, qui vinum non bibunt, cereuisiam; non tamen recẽtem, sed defęcatam. Quod ad medicamenta attinẽt, quidã hic dant magis digerentia quam fortiter laxantia. Si vero stomachus ab acri, acidoue, aut salso humore mordetur, ad excitandum vomitum tepidam aquam bibere poterunt; vt humor affligens reuomatur, alioqui si difficilis sit vomitus, aliq. d aceti seu syr. acetosi addendum volunt. Si crassius fuerit quod euomunt, & ob difficultatem difficulter excernitur, raphani etiã decoctũ cum aceto mulso exhibebimus. Nam omni studio conãdum vt infestus humor citra molestiam per vomitum educatur; præsertim ipsis vtero gerẽtibus, quibus nec medicamentum purgans dandum, iuxta *Aphor. 1. lib. 4.* cum in primis mensibus hic affectus oriatur. Sed viris si accidat, neq; per vomitum sedari possit, purgans medicamentum dandum, prius tamen syr. quibusdam adhibitis, pro ratione redundantiæ praui succi, *vt oxyzach. acetos. vel oxymel, vel scillinum*; deinde *hiera picra purgandus, vel agar. & rhab.* alii vomitum a cibo frequentem iuuare aiunt: & medicamenta laudant, quæ ad anorexiam commendant; *vt cass. thamar. diacath. & triph. persicam; syr. ros. laxat. de fumoter. compos. & serum lactis cum infus. myrobal. vel fol. senæ*, quæ frequenter exhiberi volunt, nempe quatuor vel quinque vicibus, *vt Rondeletius iubet.* Deinde ventriculi intemperiem corrigunt, si qua sit contraria

Marginal notes: *Pars affecta.* 5 *Quis affectus.* *Signa.* 6 *Caussa.* 7 *Dubium.* *Prognostica.* 8 *Curatio.* *Victus ratio.* 9 *Medicamẽtorum ratio.* 10

traria ex recrementis; idque topicis remediis, prius de intemperie ventriculi dictis, cum de imbecillitate eiusdem ageremus. Aetius, euacuato humore vitioso, *lib. 9. cap. 23.* exhibet mali punici dulcis succum, mentha sicca inspersa, & portulacæ cremorem, & ipsam quoq; in cibo; & alia quæ apud ipsum inuenies: & forinsecus topica languido stomacho imponit, œnanthe, balaustium, ros. & citinum cum vino cataplasmatis modo, aut absynthium cum palmarum carne vino incoctum: vel cotonea cum posca & rosaceo, vel nardino cerato excepta: tum alia quæ ipse commendat.

Topica.

Observatio VIII.

De Anorexia seu inappetentia, vel cibi fastidio.

1

IOannes Theodorus Harperus, consularis vir apud Delphenses, cum inappetentia laboraret, ad incitandum appetitum vna cum Henrico Vergerio medico Haghano, sequẽtia præscripsimus: *℞. syrupi de limonibus, de acetos. citri ana ℥ ij. syr. acetosi simplicis, syrup. ros. ex multis infus. vel muchari ros. ana ℥ j syr. menthacei ℥ j. ß.* Capiebat omni mane duo cochlearia pauco vino Rhenensi addito. Egregie profuit. Verum post discessum alterius medici, cum medicamẽta abhorreret, macerabam per noctem absinthii Romani comam & dentis leonis radicem vnam atq; alteram paululum contusam, in vino Rhenensi: mane vinum expressum propinabam. Et, dictu mirũ, vir septuagenarius, vermem mortuum, postea & viuum, deiecit, & appetitus miraculi instar rediit.

Scholia.

2

SI suctionis sensus in ore ventriculi pereat (*teste Galen. 1. De caussis symptom.*) vel suctio non fiat, aut corpus ipsum non inaniatur, affectio excitatur a Græcis communiter dicta ἀνορεξία, & a Galeno: modo ἀσιτία, vt patet comment. *aph. 17. lib. 4. ab Hippoc. autem præcitato aph. 3. lib. 6.* ἀποσιτίη nuncupatur. *& aph. 61. lib. 5.* ἄση, cibi fastidiũ ab Hippoc. & Galeno appellatur: a Latinis modo cibi fastidium, interdũ inappetentia dicitur; quanquam inter ἀσίτους & ἀποσίτους, hæc differentia tradatur a Galeno *1. De morb. vulg.* vt etiam Donatus annotauit, quod illi appetentia carentes cibum non sumunt; alii oblatos fastidiunt: quæ quidem affectio contraria exsistit caninæ appetentiæ. Namq; in illa modice appetunt: in hac nullo modo, ac nihil appetunt. Appetentia nedum oblæsa, sed abolita, pertinet ad symptoma in genere noxiæ functionis animalis, & proprie ablatæ. Estq; pars affecta, os ventriculi, nempe læsum, & huius curatio etiam deseruit ad exiguam & imbecillam inappetentiam. Dictarum affectionum seu inappetẽtiæ, iuxta Alexan. *cap. 7. lib. 7.* aut intemperies quędam aut humores in stomacho contenti caussæ sunt. Sic & Paulus *lib. 3. cap. 37.* duas fastidii caussas ponit; aut vitiosam stomachi intemperiem, aut humorum redundantiam. Fit autem a caussis cõtrariis his, a quibus fames excitatur; scilicet propter plenitudinem ventriculi, vel quod inanitionem nullam sentiat os ventriculi. Non sentit autem, si plenus sit ventriculus recrementis dulcibus: illa enim satietatem faciunt, vt acida appetitum. Pituita etiam insipida, vel sanguis in ventriculo collectus faciunt satietatem. Biliosa recrementa, non quod ventriculum replent, sed quod eum supra modũ calfaciunt, appetentiam deiiciunt: calor enim solida corpora laxando dissoluit, atq; ad attractionis functionem reddit imbecilliora. Nam, vt frigus appetitum auget, sic caliditas eundem destruit; quemadmodũ & medicamenta calida, dulcia, pinguia, & vina generosa, vt Hippo. scripsit: Torexis famem sedat. Vinum autem quia calfacit, & subito nutrit, famem auferre dicitur. Quare qui cœnam aut prandium a potu vini incoant, hi parum aut nihil comedunt. Bibones quoque raro appetitum habent. Pinguia vero, quia ventriculum relaxant, & quodammodo resupinant, appetitum deiiciunt. Deiicitur & post morbos acutos; in quorum principio multũ alimenti assumsere: id quod Hippocr. scripsit *aph. 32. lib. 2. Omnes fere, qui male se habent, circa initia cupide comedentes, nec quicquam proficiunt, ad postremum nihil appetunt: qui vero circa initia cibum fastidiunt, postea bene appetentes, hi in melius euadunt.* Post chronicos etiam morbos fit, quod ex his facultatum naturalium vis sit deiecta: in morbis præterea, in quibus non est facta insignis euacuatio per ventrem: item in omnibus internis inflammationibus, ob calorem ventriculi: in fluxibus præterea ventris, vel propter imbecillitatem, vel quia recrementa defluunt in ventriculum; vt quando pituita a cerebro in ventriculum descendit, & excrementa sunt spumosa. Deiicitur & appetentia ob relictum exercitiũ, aut quia nulla aut pauca fit resolutio; vt in multis obesis; in his qui consueuerunt frequenter coire, & non amplius coeunt. Aliqui cibos non appetũt, quia priusquã esuriant, iuscula aut alia alimenta assumunt: quod sæpe ægrotantibus contingit, ob mulsercularum importunam diligẽtiam. Vidimus in morbis quibusdam adeo increuisse inappetẽtiam, vt nihil vel modicum sumserint. Sic religiosam quandã apud diuam Barbaram Delphis, años 65. natam, anno 1562. ictero morbo correptam (*cui & fluxus ventris perpetuo aderat*) instar saponis nigra deiicientẽ, cui & vrina veneta, nigra, passea, copiose profluebat, corpore squalido & exsiccato, post sex septimanas plane exhaustam decubuisse, nihilq; bibisse aut edulii sumsisse, præter grana quędã malorũ granatorũ, illa in ore detinendo & exiguum succũ sugendo. Ad quam Pater illius conuentus me deduxit, non sanãdi, sed miraculi caussa, quod iam diu vixerat sine potu ac cibo: quamuis altero die quo ad illam me deduxerat Pater, hæc obierit. Sed & illud quod nunc referam, magis admiratu dignum esse existimo; Puella erat annos 27. nata cum dimidio, quam anno 1566. xj. die Maii vna cum chirurgo inuisimus, ad partem orientalem ipsius vrbis Delphensis decumbentem. Hæc autem ab anno 16. ætatis suæ perpetuo lecto decubuerat, atque iam vndecim annis nihil aliud sumserat, quam casei momentum vulgari lingua

In cibi fastidio seu inappetentia qua pars afficiatur, & quis affectus.

Caussa.

3

4

5

6 Puella historia mirabilis xj. annis lecto decumbentis.

Stollixe caes

Stolckii dicti, muliere adsistente nobis narrante; nihil enim liquidi aut potus deglutierat, licet mediocriter mingeret: verum singulis octo diebus tantum semel aluũ deponebat. Insuper cœca nata erat, quãuis mediocri valetudine frueretur ad annum decimũ sextum ætatis suæ. Ab eo autem tempore, terrore correpta, in hanc malam corporis dispositionem lapsa fuit, ita vt vndecim deinde annis subsequentibus, numquam lectum egressa, etiam nũc lecto decumbat; ac semper in deterius malum progressum fuerit: adeo vt año ætatis suæ vigesimo, venter in tumorem haud exiguum attolleretur: atq; omnes eam eo tempore (*vt assistens muliercula narrabat*) pro hydropica haberent. Sed paulo post detumuit venter, præter rationem, & subortus est rugitus in ventre vehementior, ac murmur quoddam, tamquam ranæ viuæ crocitantes in ventre latitassent, cum motu quodam ingenti ac vehementi sublatione, mox depressione, tum ventris tum thoracis, instar fluctuum maris sese cõmouentium: qui motus adeo validus erat, vt etiam nos manum ventri admouentes, eundem cohibere minime potuerim⁹; ita vt is motus manum nostram attolleret. Rogaui puellam numquid dolorem sentiret? imo maximum, respondit. Insuper aiebat (*quod valde admiratu dignum erat, etiam muliercula adstante idem annuente*) quod motus ille ad plenilunium augeretur; & simul cum affluxu maris, in maiorem eleuationem totus venter tum pectus mirum in modum attolleretur; & maris fluxu recedente simul motus ille decresceret & minueretur. Hic autem motus septem años durauerat. Mirum quod puella tota vitiosa, superuixerit. Rogabam quoq; nũquid menses tempore consueto fluxissent. Sed pudica, ac mente cõstãs rubore quodam suffusa, non respondebat; muliercula tamen assistente annuente, singulis decem septimanis certa quasi periodo profluere: sed admodum corruptas purgationes esse referebat. Cum autem animaduerterem portentosum morbum esse, minimeque naturalem, licet astantes caussam referrent in terrorem, a quo male habere prius cœperat: ideo habita huius puellæ genitura (*qua nata dicebatur anno 1538. 25. Octobris die, circa quartam fere horam, post meridiem*) iuxta astrologorum decreta perscrutari volui numquid ab astris aliqua caussa probabili coniectura haberi posset. Erant autem tunc in medio cœli stellæ nebulosæ, quæ sunt cum oculo sagittarii; & in occasu nebulosa, quæ est in aculeo scorpionis; luna in octaua & Sol in septima, in loco opposito vitę. Hæc cœcitatem decernebat, iuxta Ptolemæum. Sol quoq; cum cauda Draconis & Saturnus in sexta, & Luna in octaua, & Mars dominus ascendentis, decumbens cum Venere, portentosam & valde vitiosam genituram declarabant. Solus Iupiter in tertia domo in quadrato Saturni vix vitam sustentabat. Ita vt hęc misera videatur & breuis vitæ, ac valde vitiosa; licet ad hoc vsq; tempus vixerit tamen morbosa. Sed hęc extra metam medicinæ, cum ad Astrologiam pertineant. Coniecturalib. enim signis ac caussis non ita insistendum, vt iis, quæ ad medicinam faciunt. Hoc tamen pro miraculo aut magis pro ostento habetur, quod tam diu sine potu vixerit, solo modico caseo vtẽs. Ideo a curatione destitimus, cum & illa omnia remedia tum medicos ipsos respueret. Multa certe apud nos latent: vt etiam de illa triennali inedia puellæ Spirensis; de qua meminit Ioannes Langius medicus doctissimus *2. epist. suarum Miscell. epist. 27.* Quæ quidem caussæ adeo obscuræ sunt, ac soli Deo cognitæ, licet ex terrore (*vt huic puellæ contingit*) pessimos posse oriri morbos sciamus: vti etiam ex ictu bombardæ, vt alias narrauimus: militem enim cognouimus, qui ingenti eius fragore, cum bombardas admodũ magnas emitteret, in perpetuam maniam inciderit. Narrat etiam Benedict. Veronensis, medicus insignis, 46. dieb. continuis, quendam Venetiis ieiunium habuisse, habitudine membrorum frigida, crasso phlegmate intus & incocto, meatibusq; corporis adstrictis. Pudet etiam (inquit) referre de virgine sacerdotali, quæ ætate nostra inediam pluribus mensibus sustinebat. Illa quoq; in miraculum patribus Romæ venerat, vnde experimentum, pluribus custodientibus dedit, *Columba* nomen. Sed ad caussas anorexiæ reuertamur, quas iam paulo ante enarrauimus: quæ ipsæ etiam exemplis subsequentibus facile innotescent, vt & quibus modis eas ipsas distinguamus; & sic etiam melius curemus.

7

8

9

Observatio IX.

De Anorexia ex humore bilioso, cum ventriculi intemperie calida.

Appetentię amissio quamuis contingat, si corpus non inaniatur, vel ob calidam ventriculi intemperiem, vel a sanguine immoderato misso, aut si venter intestinaq; immodice fluxerint: plerumque tamen appetentia prosternitur, humorum aut biliosorum, cum intemperie ventriculi calida; aut pituitosorum cum intemperie frigida, in ventriculo contentorum vitio. Sic iuuenis valde macilentus, ob biliosos humores cibum auersabatur; cui & sitis tum nausea aderant, & præcipue ventriculi morsus. Quem hoc modo curauimus: cum enim mordaces humores biliosi ventriculum lancinarent, & hic nauseabundus & in vomitum satis procliuis esset: statim ieiuno ventriculo ℥ vj. *aquæ tepidæ* propinauimus, ℥. j. ß. *syr. acetos. simplicis adiecta*: digitos in os & fauces demittendo vomitus commode eliciebatur. Alii qui hic, *vt Paulus & Alexander*, priusquã aquam tepidam cum aceto vel syr. acetoso exhibeant, tepide ægro alimenta humectantia, veluti ptisanæ cremorem vel ouorum lutea dant, deinde exiguo tempore interposito, vomitum prouocant: nam is sine noxa iis est vtilissimus, *teste Alexandro Tralliano*. Alioqui, si difficilius æger vomuerit, melius est materiam ad ventrem prouocare, copiosiore temperatoque alimento prius humectatam, vt idem Alexander refert. Sic alteri, qui difficile vomebat, aquam hordei, pauco zaccharo immixto, cum syrupo viol. modo aquam hordei solam cum syr.

syr. viol. ex infus. rof. & de succo cichorii, aliquot vicibus dedimus: quæ etiam huic, post vomitum, ad contemperandos humores & alterandos, exhibuimus. Deinde pro leui purgatione propinauimus *syr. ex infus. rof. pallid.* ℥ j. cum ℥ ij. *seri lactis*: qua potione breui, bene excreuit biliosa: alioqui exhibuissem rhabar. infus. vel mannam, aut cassiam, cum decoct. thamarindorum. Bilioso humore euacuato, calidi ventriculi intemperiem in hũc modum alteraui: ℞ *syrup. de succo acetos. citri, & granatorum acidorum ana* ℥ j. *dentur* ℥ ij. *ante pastum, his & confert syrup. de persicis.* Et pro alteratione & roboratione miua cotoneorum, & cotoneum ipsum zacchato conditum, & syr. citri acidus, cum aqua hordei. Imperaui quoque, vt persicam in principio pastus assumeret: hæc enim maxime appetentiam incitat, si a caussa calida prostrata sit; vti hic erat. Serapium vero de persicis hunc in modum fit, quo vti possumus in tali casu: ℞. *succi persicorum, quæ nondum plenam maturitatem sunt assecuta* ℔ iiij. *decoquantur vsque ad dimidii consumtionem: permittantur subsidere fæces: deinde adiiciantur succi malorum punicorum* ℥ vj. *Zacchari q. s. simul perfecte coquantur, depurentur, adiectisque santalis citrinis q. s. suauiore odore reddatur.* Datur ex hoc syrupo ℥ ij. mane & vesperi, duabus horis ante pastum. Si persica desunt, pro illis substitui potest succus pomorum acidorum redolentium, minime dulcium. Interea hoc condito vsi sumus: ℞ *conseruæ acetosæ, rof. ana* ℥ j. ß. *corticis citri conditi* ℥ ß. *diacydonii sine speciebus* ℥ j. *pul. specier. trions.* ℨ j. *corall. rub.* ℈ j. *cum syr. ex malis punicis, vel persicorum, si adsit*; fiat conditum molle. Capiebat ad magnitudinem castaneæ, mane & vesperi, horis duabus ante pastum. Modo etiam capiebat rob de ribes, & rob granorum Veenlandię, apud nos egregie incitans appetitum, ex caussa calida deiectum, & ad stomachum calidum & sitim exstinguendam valens: quo in multis felicissime vsus sum. Exterius vero fotum adhibuimus: ℞ *rof. rub. m. j. folior. acetosæ & intybi satiui latioris ana m. j. absinthii sicci & communis Romani ana p. j. semin. coriand. præpar.* ℨ ij. *sumach, baccar. oxyacanthæ ana* ℨ j. ß. *specier. diarod. abb.* ℈ j. *decoquantur in s. q. aqua; adiectis succi cotoneorum* ℥ iij. *aceti rof. parum*; fiat fotus, cum spongia immersa & expressa. Eaque calente ventriculi regio foueatur mane & vesperi ante pastum: deinde vngu. infrascripto vngatur: ℞ *olei cydon. rof. myrtei ana* ℥ j. *olei absinthii* ℥ ß. *corall. rub coriand. præp. santal. citrin. & rub. ana* ℨ j. *flor. rof. rub. puluerif.* ℈ ij. *troch. de caphura* ℈ ij. *aceti parum, ceræ q. s. fiat vngu.* deinde apposui ceratum santalinum. Victu quoque refrigerante vtens, & moderato somno, & quiete, & cibis refrigerantibus (*Paulus autem dat panem posca imbutum, etiam in potu*) vt lactuca & cichoreo, ex aceto: ex volucribus montanas sumendo pedesque suillos, tum alia (*quæ etiam ab Aetio commendantur*) hic recte deinde valuit.

SCHOLIA.

3 Signa vero, quæ calidam intemperiem notant, iam antea diximus: adest enim sitis, oleosusq; ructus; *Paulo auctore.* Quibus si & biliosi humores accesserint; etiam ventriculi rosiones, nausea, & sitis, subinde & febris hos sequitur. In intemperie frigida, contraria superius adesse diximus: illi enim non sitiunt & acida eructant, si simul adsint crassi viscosique succi, ij neque rosionem ventriculi, neque sitim experiuntur: & si in sinu humores exsistunt, nausea & vomitu premuntur. Si infarcti tunicis inhærescunt, nausea solum, non vomitu afficiuntur. Immodica autem corporis plenitudo, præsertim humorum crudorum inanitionem prohibens, si inappetentiæ caussa fuerit, quemadmodum vrsis, & quibusdam latentibus aliis animalibus euenit, quæ per multum tempus a cibo abstinent, maxime hyberno tempore, haud difficulter dignosci poterit. Similiter etiam si propter quampiam aliam caussam, vtpote cutis densitatem, aut otiosam vitam impedita fuerit inanitio, & per consequens excitata inappetentia. At si calidi fuerint vitiosi succi, totum corpus occupantes, præter alia signa, rigor aderit, & febris cum cibi fastidio, seu inappetentia; quæ haud negligenda erit, cum sit ad vitam necessaria ipsa appetentia, *Gal. teste aph. 3. lib 6.* Quamuis si iuxta principiũ morborũ accesserit, aut iuxta vigorem, cum vires adhuc sustinere possent, nihil molestiarum infert. *Aet. auct. cap. 20. lib. 9.* modico tunc alimento ægri opus habent. Si vero in declinatione totius morbi appetitus perditio accedat, aut in diuturna imbecillitate, aut viribus debilitatis, aut ex immodica euacuatione, periculo nõ vacat, ex eiusdem auctoris sententia. Augetur etiã affectio hæc ab ætate: incommode enim pueri hoc malo afficiuntur, vtpote qui voraces natura sunt, & assiduo fomite opus habent. Quare magnus præter naturam excessus significatur, si pueri perditione appetitus fuerint affecti. Quomodo autem curetur calida intemperies, iam diximus: nempe victu refrigerante: eligendo aerem frigidum, & singulis diebus excrementa alui educendo, natura vel arte, nempe clysteriis, vitando anxietates & reliquas animi perturbationes. Quidam hic commendant cibum refrigerantem; etiam oua sorbilia, testes gallorum; & ex volucribus non graueolentes. Alii conantur & appetitum reuocare per odoramenta, ex posca aut vino diluto, aut malorum cotoneorum, seu odoratorum pyrorum decocto, vel aquæ rosa. ℥ iiij. *aceti vini albi* ℥ j. *santalorum omnium* ℨ ij. misceantur; & fiat odoramentum. Extrinsecus quoque, vt iam ostendimus, stomachum fouemus, coroboramus, & intemperiem calidam alteramus, vt *oleo rof. omphacio, cydoniorum, adiect. succo lactuca, cichorii. portul. vel solani* ℥ j. *santalor. & corall. rub.* ℈ j. *cum pauco aceto & cera exigua*; fiat vnguentum: vel cydonium posca decoctum & contusum stomacho apponito. Eo tempore valet & frictio corporis atq; pedum, manuumq; palpatio & contrectatio moderata; *teste Aet.* & sacelli, de quibus

Margin notes: 4, 5 (left column); 6 Signa.; 7; Prognostica.; 8 Curatio in intemperie calida.

sæpius dictum est. Si adsint etiam humores biliosi, curatio iam satis constat exemplo superiori. Quomodo autem curetur intemperies frigida, etiam cum humore pituitoso, sequens exemplum ostendet.

OBSERVATIO X.

De inappetentia ex pituitoso humore, cum intemperie frigida ventriculi.

1

PVella pituitosa, mali habitus, ventriculo frigido cum afficeretur, pituita etiam collecta fuit in stomacho, vnde ructus acidi, & ventriculi inflatio subsequebantur: nulla siti premebatur, feruẽtia amabat, pituitam crudam sæpe euomebat, quæ appetentiã adeo læserunt, vt dulcia omnia & vnctuosa & insipida, & omnem cibum tandem abominaretur. Ad quam curandam admissus, tentabam, nunquid pituita vomitu educi indeque auelli posset. Siue enim is humor in ventriculi tunicas sit impactus, siue secundum internam spatii latitudinem in eo contineatur, experiundam, an vomitu educi ac euelli possit. Et quia videbatur, non admodum difficulter vomere, dedi aquam tepidam, cũ oxymelite; digitorumq; immissione cibum tum pituitam simul euomuit: quæ tamen erat tenax (*quamquam aliquando contingit, vt biliosa & pituitosa quædam euomantur, quæ perditi appetitus in quibusdam sunt caussa; atque ita ab hac accessione liberantur:*) Cum hic igitur humor pituitosus esset, quiq; vomitu non perfecte eductus erat, nobis vtile visum fuit, vt is incideretur, atque extenuaretur in hunc modum, cum crassus & viscidus esset: ℞ *oxymel. simplicis, scyllini, mellis rosa. colati ana ℥ j. aqua absinthii, menthæ fœniculi ana ℥ ij. misce pro ij. dosibus.*

2

Fuitq; hoc repetitum bis terue, donec materia probe cocta videretur; quam tunc ita purgauimus: ℞ *elect. hiera piera Galen. ʒ ß. dissolue cum ℥ iij. iuris cicerum rubr. & detur in diluculo:* quo medicamento aluum satis bene deposuit. Alias ob amaritudinem damus pilulas de hiera; & ita postea, cum hæc ipsa nondum satis purgata esset, post tres aut quatuor dies subsequentes pilulas deuorauit: ℞ *pilul. alephan. de hiera simplici ana ʒ ß cum aqua absinthii: fiant pilulæ v. postea etiam ex ʒ j. pilularum dictarum confecimus pilulas vj.* e quibus tres per horam ante cœnam semel aut bis singulis septimanis sumsit. Vltimo tam medicamẽtis assumtis quam admotis ventriculum roborauimus: sumebat enim singulis diebus duabus horis ante pastum mane & vesperi duo argentea cochlearia syr. absinthii, per se, vel cum liquore stillatitio chamæmeli. Dedimus quoq; *diacalaminthen, vel diatrionpip. ad ʒ j. modo tabulas arom. ros. sine musco, duabus horis ante pastum ʒ ij.* Sic alteri viro eodem malo laboranti, post vniuersalia remedia commode exhibui ʒ j. *theriacæ.* At nostra puella etiam hoc condito vtebatur: ℞ *conseru. absinthii ℥ j. corticum citri Zacch. conditi ʒ j. ß. specier. arom. rosa. sine musco, specier. diacinnamom. ana ʒ j. cum syrup. conseruationis citri, fiat conditum molle:* capiat omni mane ad magnitudinem paruæ castaneæ, duabus horis ante pastum: & superbibebat parum vini meri. Exterius vero ventriculum inunximus vnguento sequenti:

3

℞ *olei nardini, mastichini ana ʒ ß. olei absinthii ʒ ij. menthæ siccæ, ligni aloes, cariophyl. pulueris. ana ℈ j. olei maceris ʒ j. ceræ q.s. fiat vnguentum.* Vsi sumus & ante inunctionem fotu ex decocto absinthii, menthæ, calaminthæ, sisymbrii: cui specier. arom. ros. ʒ ij. vel iij. in fine post colaturam iniectæ erant, in vino mero decoctis: in quo calente spongia, aut lana succida madefacta & expressa, ventriculus mane & vesperi ante pastum fouebatur. Deinde inuncto ventriculo, vltimo hoc emplastrum apponebatur: ℞ *emplastri stomachici, emplastri mastichis, ana ʒ j. ß. coralli rub. ʒ j. ß. absinthii sicci ʒ j. galangæ ʒ ij.* subigantur cum oleo nardino & menthaceo, & fingatur emplastrum vel ceratum (adiecta cera si opus est, ad maiorem soliditatem & cohærentiam) ad scuti formam, quod ventriculo post fotus vel inunctionem applicetur: Auferebatur autem, cum cibũ ægrotus sumeret, hoc est, *prandii & cœnæ tempore,* ne sua stypticitate cibum in ventriculi fundũ descendere prohiberet. Præterea præcepimus, vt pastus initio pane asso cum vino macerato, adiecto pauco zaccharo, vteretur: in pastus vero fine puluere sequenti, aut huius æmulo: ℞ *coriandri præparati ʒ j ß. diacydonites cum speciebus ʒ j ß. anisi, cinnamomi select. ana ʒ j. pellicul. ventriculorum gallinarum præparat. ℈ iij. ß. Zacchar. albiss. ad pondus omnium;* fiat puluis: quo in fine pastus vtebatur. Hoc enim modo non solum hæc puella, sed alii plurimi appetitum deperditum ex intemperie frigida cum humore pituitoso receperunt.

SCHOLIA.

4 *Quæ in calida intemperie & humoribus calidis conueniunt.*

HÆc affectio curatur contrariam caussam inducendo; si enim ex intemperie calida, *vt iam præcedente scholio diximus,* oriatur, curatur eã tollendo & alterando cum frigidis. Si adsit humor simul vitiosus, nempe biliosus, vomitu tum deiectione vacuandus, *vt iam diximus,* quibus etiam conuenit *decoct. tamarind. prun. acid. & sebesten cum syrup. rosa. vel rhabar.* In crastinum medicamenti duabus horis ante pastum, quidam propinant aquam frigidissimam, modo ventriculi imbecillitas, aut aliud non prohibeat. Cibi condiãtur multis acidis, *omphacio, succo arantiorum: oliuæ, cappares, fœnicul. marinus & condita & salita* conueniunt; & pisces salsi non pingues ex aceto. Clysteres iniiciantur, quibus recrementa intestinorum abluantur.

Ex caussa calida.

Et, *vt breuiter dicamus,* in quibuscumque deiicitur appetitus ob caussam aliquã ventriculũ calefacientem, vt medicamẽta & alia, refrigeratione curantur; ita quoq; si ob satietatem comedere nequeunt, ieiunent: quibus vero ob plenitudinem ventriculi appetitus tollitur, totius corporis euacuatione curandi: quibus ob derelictum exercitium, aut Venerem, exerceant se, & coeant modice. Si frictiones solitæ non fiant, iterum procurentur. Qui ob recrementa in ventriculo collecta hoc morbo tentantur, sunt euacuandi vomitu aut de-

Ob satietatẽ, ob plenitudinem ventriculi, ob exercitium derelictum, aut Venerem.

5

Si ex frigida intemperie fiat, curatio.

aut deiectione. Si vero ob frigidam intemperiem, cibos fastidiunt, contrariis etiam medendi sunt tum cibis tum medicamentis. Ab Alexandro commendantur ius columbæ, vuæ passæ; pro potu vinum vetus; decoctum rutæ, anisi, fœnic. aut cinamomi, aut piperis ex aqua, diatrionpiperon, diaspoliticum ex *Gal. 6. de sanit. tuenda*, & theriaca *iuxta Alex.* & succi absinthii potio & syr. medicamenta ex zinzibere & pipere confecta: *de quibus videas Donatum.* Extrinsecus stomachus corroborandus fotu, saccello, vng. & ceratis, *vt iam antea ostensum est.* Si vna adest pituita, curetur *vt iam in obseruatione præcedenti dictum est:* quibus valet syrup. acetos. incidendo & detergendo pituitam & vomitum prouocando. Valet oxymel. & cappares cum oxymelite, & oliuæ ex muria, vel oxymel. conditæ; vel oxymel Iulianum *iuxta Paulum & Alexand.* Prosunt & pilulæ ante cibum sabellinæ, de hiera & compos. ex hiera picra, *6. de sanitat. tuenda*. Etiam illa, quæ postea corroborant tam intus assumta quam extra admota, *vt iam exemplo præcedente ostensum est.*

Ex humore pituitoso.

6

Si ex imbecillitate virium fiat, curatio.

Si vero ex virium imbecillitate appetitus perditio contingat, considerare oportet, qualis intemperies vires resoluat; & per contraria eam ipsam corrigere. Ita quoque si post euacuationem aut morbum fiat, reficiendi. Si in febre vel post febrem appetentia auferatur, vel diminuatur, recurre ad exempla, *quæ in libris nostris de febribus* retulimus. At si propterea quod suctio non sentitur, cibi fastidium accidat, cerebro aut neruis ab eodem ipsi stomacho distributis, prospiciendum erit; & cognita eiusdem caussa, eam prius auferre necesse est. Si autem propterea quod totũ corpus plenum exsistat, eiusdẽ corporis inanitione non peracta inappetẽtia fiat, idem vacuandum est, diuersimode tamen, pro varietate redundantis succi: quo casu etiam valentiores exercitationes conferunt, iis etiam quæ cutem rarefaciunt, vtpote balneis ac frictionibus vti oportet, vbi ex cutis densitate eadem inanitio fiat. Ceterum si ob alicuius visceris inflammationem aut obturationem appetentia deperdatur, illius etiam haberi curam conuenit, *vt inquit Aetius.* At si ex vlcere in stomacho aut ventriculo exsistente ortũ ducat inappetentia, ab omnibus acribus & cibis, & potionibus abstinere oportet; ac vti medicamentis quæ leniũt: puta sorbitionibus absq; oleo, tũ iis, quæ ex amylo, lemnia terra, & lacte, vel quæ melle paucissimo conficiũtur, vt quæ purgẽt citra rosionem, *ex Pauli mente.* Extra vero ex palmulis, & cydoniorum carne, & polenta, epithema facies: & ceratum ex melino vel rosaceo cũ ammoniaco & thure. Reliqua vide *de cibi fastidio. apud Aleland. Trall. lib. 7. cap. 7.* Oportet autem in omnibus habere rationem caussæ: Ita rusticus quidam post continuum fluxum sanguinis narium tandẽ in stomachi dolorem & imbecillitatem incidit, & hepatis obstructionem (*quod color citrinus totius corporis indicabat*) quasi iam ad dispositionem cachecticam tendens, appetitu omnino deiecto. Hic ad me, cum Alemariæ adhuc habitarem, consultandi caussa accessit, cum variis & multis remediis medicorum imperitorum ac Empiricorum vsus esset. Cui licet ob purgationes adhibitas venter satis flueret, noluimus tamen constringentia adhibere; cum obstructio adesse videretur in visceribus, & fecibus adhuc apparentibus corruptis, cum hepatis oppilatione, quæ appetitum deiiciebat. Ideo apozema sequens præscripsi: ℞ *corticum rad. petros. fœniculi, apii, cichorii ana* ℥ ß. *absinthii Romani, dentis leonis cum rad. cichorii, menthæ rubræ, flor. ros. rub ana m. j flor. cord. p. j. sem. coriand. præparati* ℥ j *folior. senæ a stipitibus repurgatorum* ℥ vj. *sem. anisi* ℥ iij. *myrobal. citrinor. Indorum (ob fluxum vt paulo mitior procederet euacuatio) ana* ℥ iij. *vuarum cum arill.* ℥ j *fiat omnium decoct. in tribus part. aquæ communis, & vna parte vini Rhenensis odoriferi* Et ratione artis decoquantur in duplici vase ad ℔ j. ß. stent deinde per noctem infusa: & confricatis manibus fiat colatura cum forti express. addendo *syr. de cichor. Nicoli, cum rhab. syr. de mentha, de absinthio ana* ℥ j. *cum albumine oui*; depuretur decoctum, ac secundum artem clarificetur, & in eo pendeat nodulus infrascriptus: ℞ *rhabar. selecti incisi* ℥ ß. *agar. troch. specier. arom. rosdescrip. Gabrielis, specier. diarod. abb. ana* ℈ j. ß. *spicæ, schœnanthi, zinzib. ana grana iij.* fiat nodulus filo constrictus, exprimendus dum potio sumatur: quotidie vero in diluculo ex eo decocto sumens cyathum vnum tribus horis ante pastum, modo ter quaterue quotidie aluum excernebat; etiam fœtida excrementa deiiciens. Atq; ita profuit, vt aliis remediis aut medicamentis opus nõ fuerit, imbecillitate ventriculi cessante, atque hepatis obstructione ablata. Simul totius corporis citrinitas, tũ etiam cachexia ita cessarunt, vt ilico conualuerit.

Si suctio non fiat.

Si a corpore pleno.

Ex cutis densitate.

Ex visceris inflammatione vel ab vlcere stomachi, curatio.

7

Rusticus fastidio cibi laborans post alios morbos.

8

Observatio XI.

De siti immensa.

1

Vir quidam biliosus immensa siti laborans, cum maximam caliditatem & siccitatem oris ventriculi pateretur; huic aquam solam exhibuimus cum pauco vino; nam aquam ferre non potuit: sicuti alius, qui optime illam tulit sine vino. Alteri autem, cum nec vinum ferre posset cum aqua, aquam cum aceto multum dilutam commode dedimus, & syr. viol. cucurbitæ, aliaque refrigerantia & humectantia illis dedimus, qui ab esu rerum salsarum admodum sitibundi euaserant. Multi sunt ventriculo imbecilliore, qui neque aquæ potum, synocho vel febre ardente laborantes, ferre possent, etiam sani exsistentes. Vide de his exempla a nobis relata *lib. 1. de febrib. scholio obseruat. 13. de synoch. non putrida.* Quibusdam enim frigidissima potio altius cordi insedit: cuius exemplum quoque habes apud Beniuenium *de abditis rerum caussis*, de quodam Blasio suo familiari, qui cũ ardẽtissimo Sole lusu pilæ incaluisset, & in cellula vinaria subterranea frigidissimum vinum ob sitim bibisset, ilico defecit: quẽ tamen non sine graui noxa restituit. *Noui etiam,* inquit Galenus, *qui exhausta siti cruciabatur cum viperam deuorasset (forte fuit dipsas) & messores, qui forte fortuna vinum biberant, in quo quadam*

2

fere fuerat exstincta: & eum qui ex veteri vino fuerat inebriatus: item & eum, qui sitim tolerare decreuerat: denique eos, qui in naui deficiente aqua, marinam aquam bibere ausi sunt, quod siti immoderatiore, quam reliqui cruciarentur; etenim soluta aluo, ac torminibus vehementer cruciati, celerius quam reliqui interierunt. Noui etiam quendam ardente febre laborantem, qui increscente etiamdum morbo, aquam frigidam liberaliter bibens, satiari non potuit, donec moreretur. Itaq; circa ventriculi appetentiam huiusmodi euenire possunt errata. Hæc Galen. Scribit *Amatus cent. 2. curat. 62.* de tribus, qui ob potum frigidæ aquæ mortui sunt.

SCHOLIA.

3 *Quæ pars affecta in siti.* IN siti immoderata vel vehementi perpetuo, *iuxta Galen. De caus. symptom. & 6. De loc. affect.* os ventriculi affectum est, quamquam non semper primario, sed quandoque per consensum, vel iocinore, & maxime sima eius parte, vel pulmone, vel mesenterii venis seu ieiuno inflammatis: *ex loco citato Galen. & apud Alexand. capit. 8. libr. 7.* *Quis affectus.* Est itaq; ingens sitis symptoma in genere noxæ functionum, atque ipsius appetentiæ deprauatæ. Nec pro eius symptomatis notitia alia conscribenda sunt indicia, cum res ipsa ex laborantium relatione patefiat. Quod ad sitim inexplebilem attinet, quidam siticulosi fiunt consuetudine continuata, ita vt nonnulli continuo bibant & continuo vrinam mittant, inter potores ingenti palma. Græcia etiammum potores maximos effert, ebrios vero damnat. *Græci potores.* Neque Germani, vt Itali aut Hispani, ebrietatem pro vitio habent. Apud Græcos tamen, matronas vinum bibisse iniuria est: inter nuptias in Creta solis viris datur vinum, inter mulieres lagenæ aquæ circumferuntur. Eam commendationem bibendi L. Piso vrbis Romæ curator a Tiberio factus tulit, quod biduo duabusque noctibus, perpotationem continuauerat apud ipsum iam Principem, Tricongii rara gloria, inquit Plinius: quando & hæc ars suis legibus constabat, non labasse sermone, nec leuatum vomitione, & similia diligenti legum scito, contra bibendi fallacias: namque bibendi consuetudo auiditatem auget. *Ceruisia.* 4 Scitumq; est Scytharum legati, quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos. Inuentumque est mira vitiorum solertia, vt aqua quoque per Hispanias, Galliasq;, ac vltimam Britanniam, Germaniamq; cum frugibus suam ebrietatem faceret. Delphica vrbs (in qua iam 34. annos medicinam feci, dum hæc secundo colligerem anno 1592.) ea gloria clara est, ob ceruisiam; quæ ad alias vrbes defertur. Sed Cretense vinum (*inquit Alexander Benedictus Veronensis*) Moromaticū dictum, gratiam ceruisiis ademit; magno enim pretio ebrietas apud exteras nationes emitur, 30. aureis dolium venundatur. Veteres in ea bibendi gloria varia quærebant sitis incitamenta, pumicis farinam, aut cicutam, vt metu mortis bibere cogerētur. Hoc in vno instituto Machometus, alioqui salacissimus legum conditor, nō damnandus est, quia vinum gentibus lege sustulerat, vt ebrietatis portentosam libidinem, iucundumque in homine nefas adimeret: iis halitus fœtidi non sunt, nec aliam quærunt ebrietatem, vnde iurgia & vulnera oriantur; nec mortifera loquuntur, nō obliuio fit, faciei pallor, non furiales somni, non tremulæ manus effundentes plena vasa, fiunt: interemtis non putrida iocinora inueniuntur: vnde frequens morborum iniuria habetur. De hac siti loquuti sumus *scholio obser. 29. De capitis dolore ab ebrietate lib. 10.* de qua siti nūc nō loquimur, quę ex mala consuetudine fit, sed de ea, quæ ab aliquo vitio in corpore latitante, aut aliunde orto fiat. 5 Sitiunt itaq; ob oris ventriculi calidā vel siccā, vel vtramq; intemperiē, vel ob humores vitiosos in ore ventriculi putrescentes, biliosos atq; salsos: & nō tantū ob ventriculi os, sed etiā ob calorē iecoris, pulmonis, & ieiuni intestini, tā a caussis internis quā externis calfacientibus & siccantibus: & fit ab humido deficiente, aut calido superante. *Caussa.* A dipsaco serpente morsi, inexplebili siti ardent, etiam in diabete: & ij qui veteri vino indulgent: sic seruus apud Galenū ex veteri vino inexplebili siti laborans, insomniculosus factus, febre ardente oborta cū mentis alienatione, interiit. Contra alter in ardenti febre & accrescente morbo, multa frigida epota, & in ventre subinde ebulliente, sitim validissimam passus est, ita vt inexplebili demum aquæ potu interiret. Sitiunt & vulnerati sanguinis defectu. Alii quoque ex cibis & potionibus calidis venenatis, ex piscium salsamentis, garo, carne salita: etiam in phlegmatica febre; magis vero ex salsa pituita, in hydropismis. 6 *Signa.* Signa generis per se nota sunt; sed caussarū indigent distinctione. Dignosces autem, cum per cōsensum ab aliqua prædictarū partiū inflammatione os ventriculi fuerit affectum, ex propriis signis inflammationum earundem partium. *Signa caussarum.* At si primario oblæsum sit, nullum tale apparebit indicium inflammationis prædictarum partium. Si ex intemperie calida & sicca, ex iis, quæ superius diximus, facile dignosces: etiamsi ex humoribus biliosis vel salsis contigerit: salsi enim & biliosi ventrem mordent, *vt diximus.* Si quoque ex humoris inopia excitetur, facile ex infirmi loquela, tum ex iis, quæ præcesserunt, percipies (*ita quoq; de diabete*) & tam caussis internis quam externis. Nam ex caliditate & siccitate copulatis, siti premuntur in feb. ardentibus, & adurentibus omnibus, ac ęstate, graui æstu. Plurima *in lib. de feb. nostris* habes exempla. Caussæ etiam externæ a vino veteri, tum aliis calfacientibus & exsiccantibus, ab ægris vel astantibus cognoscentur. At si ex contrariis caussis sitis nulla est, hoc fit, quia sentiendi facultas demortua est in ventriculo; idq; in febribus ardentibus & maximis exitium denuntiat. 7 *Signa prognostica.* Est cum, præsente iusta caussa sitis, non sitiant; tantū qui febricitant: tum quia, *vt modo dicebatur*, exstincta est sentiendi facultas ventriculi; tum quia a capite humiditas defluit, atq; inde irrigatis partibus, vnde sitis incendi solet, non sitiunt. Verum ingentis sitis, de qua modo loquimur, nō parui facienda curatio est, cū si nimiū inualescat, ex ea ægri perire possint: quemadmodum Gal. nōnullos vidit immodice sitientes

8
Curatio.

perire ex diuersis caussis, ac modis quoque diuersis; *vt patet apud eundem libro 1. De causs. symptom.* Quomodo sitis curetur, passim in libris nostris *De febribus* aliquando diximus, & præcipue *lib. 7. obseru. 24.* de siti valida in feb. biliosa, præcipue in scholio, non solum quomodo sitis curetur in febricitantibus, verum etiam quomodo illi curentur, qui ex siccitate sitiunt, & qualia illis vtilia sint: deinde qui ex copia caloris sitim experiuntur, vel ex siccitate & caliditate sitiunt, vel ex humore bilioso, vel pituita salsa, aut ex partium inflammatione. Sed quod ad præsens negotium attinet, caussæ ipsius sitis considerandæ. Nam fit vt aliquis sitiat post cibum, vti solet contingere iis, qui carnes salsas vel aliud quippiam salsi ingesserunt: sin ante cibum aliquis sitiat, oportet alterum duorum esse, aut humorem biliosum vel salsum in ventriculo collectum, aut siccitatem ob insignem aliquam euacuationem vrinæ, aut sudoris, aut aliam a medicamento factam. Si propter siccitatem pulmonum aut tracheæ arteriæ proueniat, tunc fit vel a febre calida & ardente, vel ab aere inspirato nimium exsiccante. Curatur itaque sitis, si sine materia sit, potu humido, vt aqua sola, vel pauco vino permixta, aut aceto etiam multum diluta, aut syr. viol. de cucurb. & aliis humectantibus & refrigerantibus. Idem faciendum, si ab esu rerum salsarum fiat. Sin ob exsiccationem tracheæ arteriæ & pulmonum fiat, magis inspiratione aeris frigidi, quam potu recreantur: ob id oportet fenestras aperire, per quas aura lenis ingrediatur, ad aeris cubiculi refrigerationem & agitationem. Inspergere oportet folia salicis, lactucæ & aliorum frigidorum & humidorum, maceratorum prius in aqua & aceto. Si a salsis humoribus, vel biliosis, euacuatione illius humoris, & alteratione opus est, quæ fiet frigidis & humectantibus. *Si igitur humor* (inquit Alexand. Trall.) *in ventriculo habetur biliosus aliquod refrigerans & humectans adhibeto: quemadmodum etiam, si pituitosus fuerit, & id quod redundat, facitque sitim, salsum, ea quæ eiusmodi humorem repurgent, & abstergant, offerto. Ego sane* (inquit idem) *noui eiusmodi sitim a salsa pituita ortam, per salsos cibos finitam fuisse, vt salsamenta & capparem. Quare non semper refrigerantib. humectantibusque vtendum est: sed vbi caussam accurrate distinxeris atque internoueris, tunc tandem congrua adhibenda curatio est.* Proinde iis qui ex siccitate, humectantia; illis autem qui ob caliditatem, refrigerantia; aliis vero, qui ob salsam pituitam detergentia conueniunt. Ita quoque si post largam aliquam euacuationem fiat, cremore hordei, vino bene diluto insperso, aut iusculo pulli sine sale sedabitur, in quo decocta sint semina frigida maiora & herbæ humidæ. Si ob linguæ & palati siccitatem, abluant sæpe os aqua frigida, additis duabus vel pluribus guttis aceti vel vini albi. Ad mitigationem sitis in febribus, cum timemus nimium potum, vel ob hydropis periculum, vel ob fluxum ventris, imperamus vt teneant in ore vel pruna, vel cerasa sicca macerata in aqua frigida, & frequenter mutent; aut frustum pomi, aut ex mucilag. cydon. & psyllii vel gummi Arab. extract. cum aqua viol. remedia paramus; potius quã cum aqua rosar. cum illa exsiccet: sed propter odorem gratũ nõnihil eius apponi potest; nisi dolor capitis adsit. Radix glycyr. recenter e terra euulsa masticata, sitim sedat. Vide apud Alexand. catapotia *ad sitim arcendam*; & *ad febricitantes, quibus parum bibere conducit:* item *ad insolatus & profectiones, vbi sitis vrget dulc. radiculæ ℥ vj. semin. cucumer. satiui ℥ iij. trag. ℥ ij. leuigata in vnum misceto, & albuminibus ouorum adiectis subigito, fingitoque catapotia, sub lingua continenda.* Si plura desideres de feb. vide *lib. 7. obseru. 24.* & quæ Donatus ex Galeno, Aetio, & Paulo collegit. Si ex defectu potus contigerit, abundanter tribuatur viribus consentientibus. Si ex diabetica dispositione, ea curetur. Si ex caloris copia ob edulia calida, vel merum vinum, medela erit frigidę potus, ex Gal. 6. *De morbis vulgar.* & Aetio *lib. 5. cap. 11.* Si stomachus æstuat, succus rad. dulc. vel radix ex aqua, & thyrsi lactucæ conditæ. Si ex inflammatione iecoris vel aliorum viscerum illa prius curetur: ita quoq; si ex pulmonia fiat. Si a veneno, illud prius curetur: deinde adhibeantur quæ sitim sedant. Et ita quoque si aliorum membrorum communicatione fiat, blandienda sensim est, donec morbi curentur. Et quæ ex œsophago & gula arefacta euenit, somno (*vt Hippo. scribit*) sedatur. Prosunt & gargarismata, hordeacea, & cibi frigidi assumti. Hæc de siti. Si plura desideres, vide Alexan. Benedictum Veronensem med. *lib. 11. cap. 25.*

9

10

Sitis quomodo arceatur.

11

Observatio XII.

De Singultu.

1

Os ventriculi aliquando conuulsione afficitur; quæ a Græcis λυγμὸς, ab Hippocrate aliquando λύγξ dicitur, a Latinis *Singultus*: & est *quidam motus vehemens ac violentus stomachi, quo rem infestantem expellere conatur, ex Gal. 3. De caussis symptoma. & comment. aph. 39. lib. 6.* Fortior & vehementior est ipso vomitu: Nam quæ vomitu expelluntur, in capacitate stomachi continentur: In singultu vero villis stomachi impactus est humor. Atque hoc modo differt hic motus a vomitu. Afficitur hic os ventriculi, *vt 3. & 5. de loc. affect.* constat, eo quod sit exactioris sensus: quanquam, *iuxta Galen. comment. aph. 3. lib. 7.* non solum os ventriculi, sed totus ventriculus ipse & pars ea, quæ proprie stomachus appellatur (*gulam nominant*) affici potest; licet non adeo exacti sit sensus. Continetur autem sub communi genere motuum illegitimorum seu deprauatorum, *2. De caussis symptomatum*: & sic est symptoma in genere noxæ functionum naturalium ipsius stomachi deprauatarum; duarum nempe, tam expultricis interdum quam retentricis; primo expultricis motus non legitimus; secundo loco retentricis; *de qua vide Galenum & Donatum.* Bifariam autem generatur, vel ex repletione, vel ex inanitione: aliquando & febricitantibus oboritur, *vt exemplo ostendimus lib. 5. De febri. obseru. 15.* vbi etiam in scholio agitur de singultu, qui erat ex repletione. & *lib. 7. obseru. 31. de singultu cum feb. acuta.* Ad-

Singultus quid a vomitu differat.

2
Caussæ.

demus & hic vnum exemplum: Pastor ille in pago Rysvvickio, homo crassissimus, statura oblonga, per antiphrasin *Nicolaus paruus* dictus; vir si quis alius ventricosus & gulæ deditus, post febrem satis continuam & fluxum ventris ac vomitum, incidit in singultum. Huic, cum ab omnibus pro deplorato haberetur, decoxi *semina anethi, carui, & portulacæ, & papau. albi in ceruisia tenuiore.* Ex quo decocto tantum cyathum vnum bibens, miraculi instar, præter omnium opinionem, a singultu hic curatus est. Quanquam idem valde ingluuiei deditus & inordinate viuens, quo ad potum & cibum, alioqui homo satis senex, post annum in hydropem incidit, ex qua etiam obiit. Sed illi, qui singultum in tertiana habebat perdurantem 3. diebus ac noctibus, Ioh. Tiengius decoxit *m. j. semin. anethi ligati in globulo, in duabus pintis ceruisiæ*, quam æger bibebat calide. Prius tamen illum purgauerat cum *cassia & diacatholico, cum decoct. end. cichor. viol. fum. borag. bugloss. hordei mundati, semin. 4. frig. maior. prun. & sena, ob febrem, in sero lactis*; & post decoctum anethi sumtum stomacho applicabat sacculos in aqua calfacta positos, & expressos ventriculo applicabat: *℞ florum chamomill. meliloti, anethi ana m. j. orig. calaminth. rutæ, ana m. ß. incidantur, & fiant duo sacculi*; quibus remediis cessauit singultus. Oportet autem in singultu curando (*vt in scholio latius*) caussam prius animaduertere. Sic ille, qui singultum habebat ex ventositate, sequenti remedio euasit: *℞ philonii ℈ j. diagalangæ ℈ ij. detur cum vino.* Alteri & hoc sequens profuit: *℞ theriacæ optimæ ʒ j. pul. diptami ʒ ß. exhibitum fuit cum vino exiguo.* Quemadmodum alteri cuidam Antvverpiano, qui per continuos 10. dies ac noctes singultum habebat, frequenter exhibitum est cochlear vnum calide ex sequenti decocto: *℞. rad. inulæ recentis ʒ ß. coquatur in aqua fontis ad ℔. j. dulcoretur Zacchara.* Deinde sub noctem vna vice accepit ʒ ß. *philonii Romani*: & statim cessauit singultus: quamquam & stomachus inunctus est *oleo mastich. cotoneor. & tereb. & absinthii*; corpore tamen prius repurgato *cum electu. de dactylis & succo ros.* Noui vetulam octuagenariam, matrem vxoris illius Ortelii a regina Angliæ missi ad comitia Batauorum: quæ per semi-annum subinde singultiebat; remediis nihil iuuantibus, nisi deuorato *loch sano*, quo se tantum iuuari asserebat. Quæ vetula postea relicto singultu, etiam nunc cum hæc adderem, viuebat; quamquam post duos annos lecto perpetuo incumbens, viribus exhaustis vitam finiuit.

3

4

SCHOLIA.

5

Singultus caussæ inanitio & repletio. Qui ab inanitione, fere lethalis est. Sequitur insignes euacuationes, vt sanguis e vulnere, e locis muliebribus, aut aliũde: sequitur dysenterias, dyarrhœam, & cetera eiusmodi: ardores quoque & graues inflammationes viscerum. De quo priusquam præsagium instituas, vide num sit a repletione: minus enim periculosus est, sæpeque cum multa per ventrem euacuantur, singultus a repletione est; quia pars materiæ, quæ a reliquo corpore confluit in vẽtrem, tunicis ventriculi imbibitur: quod etiam huic nostro ægro, viro ingluuiei dedito, eueniebat; licet multa per vomitum & fluxum expelleret; & quum adhibita essent partim ventositates expellentia, partim quæ biliosam materiam reprimerent, *vt sem. portul. pap.* hic curatus fuit. In febre licet periculosus est singultus, nisi sit criticus, & signa coctionis manifesto appareant: sic enim sæpe indicat crisin vomitione futurã. Ita hic singultus primo ante vomitum, postea etiam post vomitũ, nihil mali intulit. Cũ tamen vomitus, qui remedium esse debet, singultum gignit, ab inflãmatione cerebri vel stomachi metuendum. Et hic vomitus malus cẽsetur, vt singultũ gignat; quemadmodum a sanguinis fluxu singultum malum ait Hippocrates, sed Galenus recte addit, *vt plurimum.* Quod & Hollerius vidit in nobili quodam quinquagenario, vel seniore, e familia *D. d'Antragues*, cuius ille erat œconomus. Effusa enim incredibili sãguinis copia, euasit a cõuulsione, deliquiis animi, singultu, adhibita cucurbitula: & sanus superuixit. In histericis vero ab vtero non ita periculosus est singultus. Ab inflammatione vteri deterior: a musculis & ossibus temporũ lethalis. In inflammatione hepatis sæpe etiam lethalis, *vt experientia bis aut ter vidimus.* Curatur multis modis, pro varietate caussarum. Si a frigiditate, calfacientibus, *teste Galeno & Aetio*; tum cibis, tum medicamentis. Ruta in potu cum vino, apium, cuminum, calamintha, pulegium, dictamnum, nardus celtica, quodlibet per se aut mixtum aquæ mulsæ decoctæ: vel etiam seseli & daucus, & castoreum *ex Galeno, Aetio & Paulo*: etiam sumendo *diacalaminth. vel arom. rosa. vel diacinam ʒ j. cum pauco vino.* Ventriculus quoq; fouendus oleo rutaceo, vel in quo cuminum aut absinth. decocta sint: vel exterius inungendo cum oleo nardino, costino, masttichino: & sacculi ex vtraq; *mentha, abs. calamintha, pulegio ana p. j. macere, cariophyllis, ligno aloes, mastice ana ʒ j. vino albo aspersi & appositi.* Si etiam ex frigidi humoris copia, & viscosorum, tenuantibus & incidentibus vtendum, *oxymelit. scillino iuxta Trall. Aetium & Paulum*; & ita si pituita viscida sit infarcta in tunicis, quæ illam incidãt, detergeant, euacuent, propinanda, etiam per vomitum, *cum acetoso syrup. simpl. & oxymelit. simplici & scyllino*; & si non vomant satis, pilulæ de hiera exhibendæ: & si ægre vomant, per inferna, ex hiera & agarico, vel per clysteres (quod tutius est) purgabimus. Si diuturnus est morbus, concoquẽdus *melle ros. oxymel. syr. de byzantiis, de stœchade*, si sine feb. fuerit: fugienda quæ abstringunt, vt *syrup. menth. absinth.* nisi facta iam euacuatione humoris tunc enim conueniunt ad corroborationem ventriculi; alioqui materiam infarctam magis impingunt. Concocto humore, rursus euacuandum cum *pilul. cochiis, de hiera. deiectis iiij gra. castorei.* Post illã euacuationem *syr. de absinth.* cõuenit cum *aqua mentha, & diagal. & diacyminum*, & exterius fotus iam dicti calfacientes, discutientes flatus, ex oleo

Prognostica.

6

Curatio.

7

Ex frigidorũ humorum copia.

ex oleo abs. aneth. rutaceo: & post fotum vel inunctionem fascia diligenter venter comprimendus. Egregie iuuat aeris retentio ex Galeno, ita & sternutatio curat singultum ex plenitudine, *teste Aetio,* cuius exemplum posuimus *De feb. lib. 5. obs. 15.* & in scholio rationem attulimus. Erysimachus medicus in conuiuio Platonis Aristophanem singultientem docet tria remedia singultus: Continere spiritum *(de quo lege Gal. de difficult. spirandi 3.)* colluere fauces frigida *(contracto ad interiora calore, vel obtuso sensu)* irritare sternutamentum in vehementi, nec aliis auxiliis cedente. *Id* (inquit) *si bis aut semel feceris, etiamsi frequentissimus est, tolletur.* Respondit Aristophanes *non prius cessasse singultum, quam sternutamento represserit.* Galenus in aph. distinguit, *si singultus fiat a conclusis humiditatibus: eos enim, qui ex inanitione fiunt, qui sunt rariores, non sanat sternutatio: concusso enim capite & ventre, tum reliquo corpore, maxime neruoso, excutitur materia, quæ singultum facit. Sicuti eadem calfacta succussione, tenuataque, partim vacuata & discussa, partim translata in partes ignobiles singultum finit; vt scribitur quarto De rat. vict. in acutis.* Sunt quædam vulgaria; vt experimentum, quod interpres Hollerii probari vidit, *compresso vtrinque ad latera medico digito dextro, rei tristis narratio aut insolita timor, alio videlicet seducta virtute animali, quæ respirationem facit.* Cuidam nullis remediis cedebat singultus, nisi *vino Hippocratico albo:* cui refrigeratum fuisse ventriculum par est. Si singultus fiat a caliditate, refrigerantibus curatur. Si autem vna adsint humores biliosi, acres, corrupti, rodentes, vel corruptis cibis biliosis, si contingat, id ex præcedente victus ratione dignoscitur, & ex ructibus, vomitione, sapore, colore flauo, & calore. Quare non minus erit prouocanda vomitio, quam in pituitosis humoribus. Sed his detergentia magis danda sunt, quam incidentia. Humor enim est nimis tenuis, & sua tenuitate ventriculum penetrando, & acrimonia pungendo, singultum facit. Galenus & Aetius vomitum medelam esse satis putant. Syr. end. simpl. vel compos. dari potest ad humoris concoctionem, & vomitus prouocationem. Sed quando ad vomitionem datur, cum aqua tepida vel aqua decoct. hordei in magna quantitate & tepidus est propinandus: post cuius assumtionem debet corpus moueri, & ventriculi regio saltem confricari. Quod si non vomant, Rondeletius exhibet *cyathum vnum decoct. glycyr. vel passul. cum syru. dictus, aut cum multo Zacchario, aut hydromel bene dilutum.* Quod si opus est leui purgatione, adhuc detur infusum *rhab. cum decoct. passul. vel hordei vel glycyr. vel cum syr. rosl. laxatiu.* Valent & clysteres, a quacunque caussa fiat singultus, ad humoris deriuationem. Trallianus vbi recrementa rodentia & corrupta fuerint, vtitur contemperantibus & abstergētibus: vinum his circumcidit, & omnia acria decocta: vtitur aqua temperata & pane ea imbuta, ptisana, copiosa, pisciculo qui aceti paululum habeat. & pullis columbarum. Abstinet a purgationibus. His valet intybi succus potatus, cucumeris semen excorticatum tritumque bibitum, & lactucæ semen & portulacę succus, vel ipsa portulaca in cibo sumta, & myxarum decoctum in potu. Lac asininum, caprillum; syr. viol. nymphææ, pap. Sic & a serosis humoribus medicatisq; & mordentibus vomitu præcedente: quibus si mordacitas non alteretur, abstergatur, discutiatur iis, quę sensus stupefactionem inducunt; opus erit, ex decreto Galeni & Aetii, ℥ j *philonii vel theriacæ recentis;* sed cum cautione. Exterius valent *oleum rosaceum, coton. pap. nymphea.* Si ab alimentis vel medicamentis acribus factus fuerit singultus, citra magnam plenitudinem, præsens remedium est, *oleum amygd. dulc. recens, vel oliuarum, vel butyrum assumere, vel ptisanæ cremorem, vel multum aquæ frigidæ bibere,* modo ventriculum non habeat imbecillem. Exstinguit enim medicamenti acrimoniam, & sensum minuit. Ligaturæ fere in omnibus caussis fieri possunt, quia inducendo dolorem singultū sedant. Verum si ob ipsius ventriculi aut alterius visceris inflammationem singultus fiat, ex eiusdem inflammationis curatione sedabitur: ita nos in quodam rustico inflammatione hepatis laborante & postea singultiente fecimus: qui prius secta vena & aliis remediis adhibitis ad inflammationem hepatis, & frigida ventriculo adhibendo, curatus fuit. Ita quoque si ex abscessu vel vlcere ventriculi contingat, eius curatio petenda ex propriis locis. Recte dixit Trallianus, *Si ob euacuationem aut febrem singultus accedat, non dubie etiam firmiter perseuerans, tunc ob siccitatem immodicam affectus oritur; & talis merito quidem periculosus est. Quare in eiusmodi humectantibus & refrigerantibus auxiliis, præsertim temperata aqua creberrima, vnctione, & omnibus quæ euacuatis adhibentur, vtendum. Noui autem quendam* (inquit idem Trallianus) *ex iis, qui ob hanc intemperiem singultiunt, frigida sorbitione conseruatum.* At in inflammatione, ea, quæ actu frigida sunt, vitari debent: magis etiam continue tepida vtendum, paulatim eam sorbendo: extremas autem manus calidissimas frequentius madefacere oportet: & pedes deligare, continereque non est alienum. Eadem cauenda, quæ de ventriculi ac hepatis inflammatione dicentur. In inanitione etiamsi desperata res est, iuuandus tamen æger distillatis, colaticiis, iusculis & expressionibus, cibis humectantibus, inunctione dorsi & ventriculi, ex oleo viol. hydrelæo quoque. Ita etiam si ex euacuatione ortus fuerit singultus, curabitur per alimenti conuentionis assumtionem, & per ea, quæ defectum explent, *Aetio teste:* & si perseuerauerit adhuc immodicus sanguinis fluor aut alui profluuium, iisdem prospiciendum erit. Inanitioni etiam conducit oleum amygd. dulc. potum per se, aut cum aqua tepida pariter; & ptisanæ crem or per se, vel cum contusa pullorum carne. At ęgrotanti, quem hisce diebus inuisimus, singultus ab ileo ortus, malum portendebat, *ex aph. 10. lib. 7.* & magis, *iuxta Aetium,* singultus in altiore sopore, aut animi deliquio, aut tetanis obortus, mortem non longe

Margin notes: 8 — 9 — *Curatio singultus a caliditate ortí & ab humoribus biliosis.* — 10 — 11 — *Ab alimentis vel medicamentis acribus.* — *Ab inflammatione ventriculi vel alterius visceris curatio.* — 12 — *Si ob febrem fiat.* — 13 — *Ex inanitione curatio.*

14 *Singultuosæ febres.*

abesse præsagit. In herniosis senibus sæpe fiunt singultuosæ febres: in quibus singultus non curatur, nisi reposito intestino. At si reponas vi, paulo post moriuntur. Anno 1547. (*vt refert interpres Hollerii*) iuxta ædem S. Stephani de saxis, puella assidue singultiebat: nihil deglutiebat, dolore facto in œsophago. Antea pulmonibus bubulis largiter vsa fuerat. Huic grauitas in stomacho, nausea, vomitus. Frustulum tamen pulmonis, quem ederat, in œsophago restiterat. Cucurbitulis & idoneis remediis tandem reiectum frustulum: sicq; liberata est. Refert quædam remedia Trallianus contra singultum physica: sed quia superstitiosa, ea relinquemus.

OBSERVATIO XIII.

De Nausea, ex lacte concreto in stomacho, cum pessimis accidentibus.

1

MVlier 25. añum agens, Amstelrodamo Alcmariam venerat, mense Maio, anno 1550. recreandi se caussa, vna cũ marito, & vt cum amicis se oblectaret. Quæ cum copiose florem lactis seu crema deuorasset, ac vinum rubrum stypticum superbibisset, lac in ventriculo concretum, pessima symptomata intoxicati similia produxit: inprimis nausea sine vomitione afficiebatur, cum ingenti ventriculi dolore; adeo vt syncope subsequeretur & anhelitus præfocatio; ita vt astantes illam morituram putarent, Ad hanc accitus (*quæ tunc ad fossam nouam in ædibus Laurentij Gualtherij cognati nostri decumbebat*) statim decoxi *florum chamomillæ m. j. sem. anisi, fœniculi ana ℥ j. in aqua communi: & huius colaturæ capiebam ℥ iiij. cui addebam aceti vini modicum, & Zacchari nonnihil*; ac totum tepide propinaui. Quo remedio lac concretum dissolutum est, atque illa ipsa in vomitum prorumpens lac concretum vna cum vino euomuit; & accidentia iam dicta magna ex parte sedata sunt. Glande etiam imposita ex *melle ℥ j. pulu. hieræ picræ ℈ ij. diacryd. gran. ij. salis parum, ad diuersionem*: aluum quoque excreuit. Insuper his tabulis vtens statim conualuit: *Recipe pul. calamenthi ℈ ij. specier. diacymini ℈ j. marg. perfor. & non perfor. subtiliss. tritar. ana gran. iij. dissolutis in decoct. aquæ flor. chamomill. & meliss. adiecto Zacch. q. s. fiat confectio in tabulis.* Venit nobis tunc in mẽtem id, quod Gilbertus Anglicus *lib. 7. De venenis cap. de sanguine & lacte concreto in stomacho*, scribit, quod sentiatur frigus corporis & præfocatio anhelitus, vti huic mulieri contingebat. Is abstinere iubet a salitis, quia faciunt caseitatem. Dat acetum cum aqua in potu, *cum succo calamenthi ℥ v.* Quia statim resoluit lac, & prohibet lac a conglutinatione. Sed quia flores chamomillæ erant ad manum, commode iis vsi sumus, cum ad nauseam faciant, & præcipue ad dolorem stomachi. Sed eo non vtitur Villanouanus in grauidis; in quibus aborsum mouet, *vt ille refert*. Sed hæc grauida non erat. Aliquid calamenthi in tabulis probe miscuimus.

2

SCHOLIA.

3 *Nausea.*

QVod ad lac concretum attinet, ad venena pertinet. Quod autem nauseam incitarit, quæ nihil aliud est, quam appetitus vomendi sine effectu, signum erat iam lac concretum, vna cum vino, in ventriculi tunicis fuisse infarctum, vel intra tunicas collectum. Verum cum vomitio succederet, nausea cessauit. Quæ etiam fieri solet, vel ob obiectum nobis parum gratum; vel ob alimẽta putrida & male olentia, quę assumere ventriculus refugit; vel ob recrementa pauca tunicis ventriculi adhęrẽtia, aut intra tunicas collecta. Quare si nausea a viscidis humoribus adhærentibus fiat, oxymel dandum, vel syr. acetosus. Si a bile detergentia sola sufficiunt, *vt decoctum hordei, cum Zaccharo, vel cum syr. end. simpl. vel addendo parum succi ros. diluti aqua tepida; vel magnam copiam decoctionis pulli, cum multo Zaccharo assumere, & postea digito in os immisso vomitum prouocare.* Bilis facile euacuatur, & detergetur: pituita magis contumax est. Quare decoctum raphani cum syr. acetoso dandum, vel cum decoct. rad. & oleo vel butyro rancidis, vt vomant facilius: sed magna quantitas est propinanda; vel vinum vel ius multum assumendum est, vt eorum copia ventriculus stimuletur ad vomitionem. Deinde pilulæ dandæ *de hiera, cum agar. formandæ cum oxymel.* dandæ vero mane sunt, & detur decoctum asari pro vomitu, ante vsum pilularum: deinde ventriculum corroborare oportet. Alii sub vno capite tractant de *supinitate*, Græce ὑπτιασμὸς, de *stomachi subuersione*, quæ a Græcis vocatur ἀνατροπὴ, & *nausea*, Græcis ναυτία dicta, quam alii ναυτιῶντων appellant, & de *vomitu*. Differunt tamen hæ voces, licet ad deprauatum motum ventriculi pertinent, prout diuersimode offensus ventriculus ipse a diuersis caussis fuerit. ὑπτιασμὸς τοῦ στομάχου, Latine *supinitas stomachi* appellatur: qui effectus contingit quandoq; iuxta intemperiẽ quamcunque ipsius stomachi, citra tamen vitiatos humores: fit etiam propter humiditatem multam quidem, non tamen malignæ qualitatis, *vt constat ex Galeno 8. De composit. medicamen. secundum locos: Irriguus enim stomachus* (vt ipse inquit) *per largam humectationem, similiter vt ligamenta neruorum lassatur.* Ἀνατροπὴ a Græcis, a Latinis *Subuersio* dicta, indifferenter duo significare poterit, ex Galeno. Nam quandoque *appetitus perditionem* sic appellare possumus; interdum vero *nauseosas affectiones* ab accepto cibo fientes: contingit etenim quandoque hoc vnum solum symptoma accepto cibo; vt si paulo fortiori motu moueantur, statim vomunt; vti fratri meo Theodoro Foresto contigit. Appellant etiam aliqui tales *stomachicos*. At si anorexian, hoc est, *perditionem appetitus*, significat, antea eius curationem conscripsimus. Si accedat sumto cibo, paulo fortiori motu, & statim vomant, tunc curabitur vt nausea, & vomitus, cum parum a nausea discrepet; quãdo a modice vitiata humiditate exoritur. Verum si ob oris ventriculi solum fiat imbecillitatem, curabitur vt supinitas. Supinitas autem facilime curabilis est, quia aut astringentibus solis, aut quæ siccare humiditatem possunt, ac constringere laxatum corpus, tollitur. Græcis vero

Caussa.

Curatio.

4

ὑπτιασμὸς στομάχου, *supinitas stomachi.*

ἀνατροπή, *Subuersio.*

5

ἔμετος

ἔμετος vomitus, ναυτία, ναυτίασις nausea.

Nausea cum vomitu conuenientia & differentia.

ἔμετος, a Latinis *vomitus* dicitur. At hic vna cum nausea (quam Græci *ναυτίαν* seu *ναυτίασιν* appellãt) magnam cognationem habet, ac vnus affectus reliquum præcedit. Nam nausea vomitionem præcedit; licet non perpetuo ad nauseã vomitus consequatur, cum nonnulli nausearint, nec tamẽ vomuerint, *Galen. teste. 2. De causs. symptom. & Paulo cap. 1. lib. 2.* Nonnulli vero turbantur; sed nihil euomunt, humore ipsis tunicis imbuto: quæ nausea deprauatus est quidam expultricis facultatis ventriculi motus; quo vẽter ipse ea, quę eius corpus contristãt, quam citissime per stomachum euacuare appetit. Vel breuius, irritus quidam est conatus ad vomendum, & inanis quędam vomẽdi irritatio, quæ interdum ad vomitum impellit, interdum & citra vomitionem fit; *vt ex Galeno declaratum est.* At vomitus, paruus quoq; est eiusdem facultatis expultricis ventriculi motus, quo ea, quæ in eius capacitate, seu latiori spatio exsistunt, ac ipsum contristant, & in se fluitant, reiiciat quam citissime per stomachum, *eodem Galeno auctore, lib. 2. De causs. sympt.* In vtrisque afficitur (*vt ibidem liquet, & 5. De loc. affectis*) os ventriculi: vel est affectus totius ventriculi, cum ventriculus per se & quandoq; per consensum afficiatur. Est autem vtriusq; symptoma modo expultricis facultatis, præter naturam, modo naturalis, *vt ex Galeno constat, & longiore sermone ab Altimaro explicatur cap. proprio.* At nausea cognoscitur, quando ipsa in illa inani vomendi irritatione lancinat tantum ventriculum ipsum, & nullum humorem educit, *Aetio teste.* Distinguitur etiam a subuersione; quoniam ea non nisi cibo assumto; hæc autem sine cibo assumto fit, *iuxta Paulum. libr. 2. cap. 54.* Quamuis Galenus aliam præter hanc afferat diuersitatis caussam, quoniam ea aut propter solam ventris debilitatẽ, aut cum vitiatæ alicuius, modicæ tamen, humiditatis complexu fit: hæc vero ex multa, & etiam valde vitiata, citra quoque cibum afficitur. Vomitus autem signa frustra quispiam conscribere tentauerit. Verum a nausea ipse differt, quia per vomitum perpetuo aliquid excernitur; per nauseam nequaquam, *vt iam diximus:* quamuis eam vomitiones interdum consequantur, *vt diximus*; interdum vero non. Et, vt summatim complectamur, nauseæ & vomitus caussæ duæ sunt præcipuæ; nempe copia, vel humorum vitium seu prauitas: copia nempe ventriculum grauando; prauitate morsum inferendo. Vide plura de his *apud Galen. 2. & 3. De causs. sympt. & 8. De composit. medicam. secundum locos, & apud Alexand. cap. 13 lib. 7. & reliqua apud Altimarum.* Quæ caussæ facile innotescent exemplis sequentib. de vomitu, quales sint succi, qui eam moueant. Ita biliosi vel serosi in ore ventriculi in nausea absorpti sunt; viscosi vero ori ventriculi infixi, *vt Trallianus docet.* Ex quibus modis nausea curetur iam diximus. Vide *eundem lib. 7. cap. 13. De nausea & vomitu.* Copiosos euacuabimus; prauos & vitiosos contemperabimus, & malignitatem ipsorum imbecilliorem reddemus; præsertim vbi biliosi & melancholici fuerint: pituitosos extenuabimus, & crassos & viscosos; crudos vero in solo ventriculo redundantes & non ex toto influentes, medicamentis non sollicitabimus, sed victu curabimus, & humores in ipso contentos immutabimus. At si ex toto corpore influant in ventriculum, medicamẽtis maiorib⁹ vtemur, modo per sanguinis extractionem, si abundet; modo per purgationem, si magna prauitas humoris exsistat. Si in nausea nihil efferatur, humores iam imbibiti sunt ventriculo: qui vomitu, vt diximus, expellendi, &c.

6 *Nausea.*

Vomitus quid.

Pars affecta

Affectus præter naturam.

7 *Nauseæ signa.*

Nausea & vomitus caussa.

Curatio nauseæ.

8

Observatio XIV.

De Vomitu, & Nausea præcedente vomitum.

Frigidos succos puella ex esu fructuum horariorum in vẽtriculo longo tempore collectos habebat: vnde in ore ventriculi frigus sentiens, immodice cibum appetebat, minimeque siticulosa erat; & sæpe sentiebat in ore acidam qualitatem, ita vt cibi quoque in ventre acescerent. Aderat & huic aliquo tempore pondus quoddam, & tensio quædam circa ventriculum; ita vt subinde cibum ferre non posset ventriculus, & nausea afficeretur. Ad vomitũ excitabatur, & cibum subinde euomebat, vti nobis narrabat. Ita vt hæc pallida, & cachexia quasi affecta, si cibũ copiosius sumsisset, nausea & vomitu corriperetur. Nullam medelam adhibens, tandem & sine cibis tensionem & pondus sentiebat: ita vt coniiceremus etiam copiam humorum adesse, nempe succorum frigidorum; quod postea etiam cognouimus, ex vomitu nauseam subsequente, cum humores pituitosos crebro intenseque, nulloque insigni spatio interposito, euomeret; ita vt & stomachum primario affectum esse perceperimus, & redundantes humores in eo esse genitos. Deinde, quia vomitus statim post nauseam oboriebatur, & citra vehementiam vomebat, intelleximus quoque humorem noxium in lato ventriculi spatio esse, cum & in stomacho fluctuaret. Ideo cognita iam caussa, succum pituitosum ac frigidum esse, præcepimus vt in aere calido versaretur: & quia iam in hyeme eramus, vt in cubiculo semper focum luculentum haberet, imperauimus: vt etiam somnus, quies ac inedia moderata essent: nam per moderatam inediam, *iuxta Trallianum*, non solum pituita alteratur, & extenuatur, verum etiam in sanguinem benignum probumque conuertitur; vt eiusmodi quoque humor per inopiam alimenti nutrire possit, præsertim vbi dulcis fuerit: sed hic parum acida appetitum edendi magis inferebat. Interea tamen, si vires inediam moderatam ferre nõ possent, carnes concessi potius assas, vt gallinarum; pullorum gallinaceorum. Columbarum iuuenum, phasianorum, perdicum (cum satis diues esset) turturum, turdorum, merularum, leporum, adiectis quibusdam odoratis, garyophyllis, cinnamomo. Pro potu concessi, vinum ruffum, aliquãdo subadstringens & vetustius. Vinum namque adeo calefacit ventriculum, vt in qualitatis eius calorem non intendat, licet eiusdem substantiam augeat. Ceruisiam absinthitem si aliquando bibere vellet,

1

2

3

concedebam: & vt in fine mensæ exiguum diacydonii cum speciebus sumeret; nihil deinde superbibens aut edens. Excrementa quoque subducebam alui, natura vel arte, fere quotidie: & imperabam vt omnes immodicos animi affectus vitaret. Quantum ad medicamenta attinet, si difficulter vomeret, dabam cochlear vnum atque alterum oxymelitis simplicis, modo scyllini. Sed quia facile vomebat, sufficiebat oxymel simplex. Interea decocto vsi sumus in hunc modum calfaciente & nonnihil incidente, & pituitam concoquente: ℞ *calaminthæ, menthæ, hyssopi, serpilli, pulegii ana m. j. absinthii m. ß. rad. fœniculi, cappar. ana ʒ ß. seminis fœniculi ʒ j ß. sem. anisi ʒ j. fiat decoctio in aqua communi pro ℔. j. coletur & aromatisetur cum ʒ j ß. cinamomi electi, & ʒ j. arom. ros. sine musco, addendo oxymelitis simpl. ℥ j. ß. syr. menthacei ℥ j. & clarificetur.* Deinde purgaui ventriculum *cum pilulis ex aloe lota, & hieræpicræ ana ʒ ß. componendo ex iis pilulas septem*; quas mane deglutiuit. Postea dedi subinde *syr. menthaceum & absinthii, & species diacinnamomi, diarod. abb. & arom. rosati in rotulis confectas; singulis ʒ iij. ponderantibus:* ex quibus vnum quotidie sumebat, parum vini absinthii superbibendo. Interea ceratum ex mastiche, olei nardini aliquot guttis additis, ventriculo imposuimus; prius inuncto oleo nardino, menthaceo, & maceris, aliquot guttis olei caryophyl. adiectis.

3 *4*

Vomitus pituitosus in altera muliere curatus.

Quibus hæc probe curata fuit: quemadmodum altera mulier Alcmariana, annum 26. agens, quæ in insigni felis, in platea vulgo *Dronkenordia* dicta habitabat. Laborauerat autem per vij. continuos dies vomitu pituitoso, vix aliqua interposita mora, cum ingenti stomachi dolore ac torsione. Ad quam ingressus, mense octobri anno 1547. inprimis sequens decoctum propinaui: ℞ *decoctionis hordei communis chalibeata ℔. j. ß. syr. de mentha, mellis ros. colati ana ℥ j ß. miuæ cotoneorum ℥ j misce.* Primo die, cum cyathum vnum sumsisset, euomuit. Secundo die, cum valde debilis esset, & continuo euomeret, sine febre, rursus dedi cyathum vnum, & retinuit: & ex reliquo sumebat bis in die. Deinde ad maiorem constrictionem, cum semper magis debilitaretur, præscripsi conditum sequens & vng. ℞ *conseruæ ros. veteris, conseruæ rorismarini ana ℥ ß. corticum citri conditi ʒ iij. spec. diacymini, arom. ros. sine musco ana ʒ ß specier. diarod. abb. ℈ j. diacydonij cum speciebus ℥ ß. syr. menthacei q. s. fiat conditum:* capiat sæpius: ℞. *corticum granat. sem. myrtillor. sumach, cinamomi electi, mastich. corall. rub. ana ℈ j. flor. ros. rub. trochis. de carabe ana ℈ ß. olei mastichini, nardini, absinthi. menthacei ana ℥ ß. ceræ q. s. fiat vng.* Quibus remediis & hæc curata fuit.

5

SCHOLIA.

6

Signa caussarum tam nauseæ quā vomitus diligenter distinguenda.

IN nausea, vti & in vomitu, diligenter caussæ per signa sua distinguendæ sunt, antequam ad curationem accedamus: nam hæc cognitu necessaria sunt, & viro indigent exercitatæ considerationis. Sicuti enim in succo frigido nullo modo ęgros siticulosos esse, aut ardorem in ore ventriculi sentire & aciditatem contingit: ita in salsa sitis augebitur, minueturque appetentia, ac fortasse abolebitur; præter id, quod similem quoque sentiet in ore qualitatem. Si biliosi fuerint, oris amaritudo, sitis atque ardor simul cum morsu in ore ventriculi & inappetentia aderit, & assumti cibi in amaram seu nidorosam qualitatem vertentur. Quod si vomitus ad has caussas consequatur, facilius per vomitionem redundans succus dignoscetur, tum visu a medico, tum gustu a laborante. Ita & vitiosi cibi deuorati vel corrupti in vomitu, quoque facile percipientur. Et si fuerint saniosi, vel serosi ac tenues humores, non solum ante cibos, sed & post acceptum cibum vomitum inducunt, *vt Aëtius refert 10. cap. lib. 9.* Iam quoq; considerandum num in ventrem fluxerint: si enim a toto corpore, plethoricum erit, & ex signis plethoræ habebitur: & si vitiosis humoribus sit repletum, ex colore & eruptionib. papularum circa cutem cognoscetur; atq; ex vrina, *teste Aëtio.* Si autem ab aliqua parte, vt capite, splene, seu hepate, humor ad ventriculum transmissus fuerit, æger ipse primum affecti membri læsionem sentiet, vel calorem, vel frigus, vel grauitatem, vel duritiem in tactu. Neq; nausea intensa neque crebra excitabitur, & vomitus leuior, & insigni aliquo spatio interpositus, habitusque totius corporis considerandus: tum qua victus ratione sit vsus, vtrū frequenti cruditati aut satietati inciderit, idq; in vita otiosa, ac præcipue præter consuetudinem, an contra, nunquid & membrum certo temporum circuitu vexari solitum nunc non vexetur, vel aliqua excretio iis retenta sit; alioqui si crebro intenseq; nullo interposito spatio, vt in puella nostra, contingat, certum erit ventrem per se & primario affectum esse, & redundantes humores in ipso genitos.

7 *8*

Si nausea laborant & nihil notatu dignum vomant, humores noxii ventriculo infixi sunt; alioqui fluctantes facile vomunt. Et ita humores mordaces si valde molestent, calidi vel frigidi singultum inferunt; sed non adeo mordaces, nauseam. At a vomitu singultus & oculorum robur, malum, *ex Hippoc. aph. 3. lib. 7.* quemadmodum etiam a tuberculi introrsum ruptione vomitiones malæ, *aph. 8. lib. 7.* & ab ileo malus est vomitus; quando ilei exitiales sunt, vt sæpe vidimus in herniosis, maxime vero senibus, *aphor. 10.* qui, cum nulli clysteres iuuarent, vomitu continuo exspirabant. Nausea autem (*vt quidam volunt*) signum crisimum exsistit: interdum vero signum malum, vt in febribus pestilentibus: & quando in conualescentibus multiplicatur, indicat recidiuam. Quod nauseæ in pestilentialibus febribus sint perniciosæ, ratio est; quod qualitatem venenosam arguant. Nausea sæpe decernit vomitum; & vomitus superueniens nauseæ, eiusdem curatio sæpe exsistit, si materiam adiunctam habet. At vomitio vtilissima est, si pituitæ ac bili permixta quā maxime fuerit; si non multa nec crassa sit. Syncerior enim deterior est, siue fuerit porracea, aut liuida, aut nigra; quicunque ex his fuerit color, malum esse censendum est, *teste Hippocrat. 2. Prognost.* Vidimus tamen, inquit Alexander Trallianus,

Signa prognostica.

9

nus, mulierem, inter exempla, mensis vnius interuallo singulis diebus: miram porraceæ cholerae quantitatem euomentem, & conualuisse. Accidit quoque (*teste Arculano*) febricitanti spasmus aut epilepsia; & euomuit æger humorem floris æris similem, & euasit: vt puellæ istis diebus (*cum hæc scriberem*) euenit, quæ in epilepsia eiusmodi humorem euomuit Delphis, & sanata fuit. Hippoc. bis in mense vomitum in corporibus sanis probauit. Aliis tamen sufficit bis in anno, Vere & Autumno. Nam cum æqualiter fiat, ægrum præseruat a plurimis morbis, & renum & pedum vitiis: diuertit enim ab inferioribus malis, & a superioribus malum eradicat: vtilisque est omnibus morbis, qui a materia in ventriculo fouentur: & prodest, *auctore Auicenna*, ægritudinibus ventriculi materialibus, absq; tamen apostemate aut vlcere. Ideo si rarus est, conuenit: assiduus vero ventriculum vitiat & debilitat, imbecillitate abducta: & veluti cloacam proluuiei vniuersi corporis facit.

10 Quidam volũt bonum esse in apostematibus hepatis & proprie concauitatis ipsius, ac splenis, modo sit proportionatus materiæ apostema facienti, frequenter tunc bonus exsistit; vti & in febribus in die critica (*vt multis exemplis ostendimus in libris nostris De febribus*) modo non sint febres pestilentiales: in iisdem enim niger & male olens, subitam pernitiem denuntiat. Exitiale quoq; admodum est, si quis vomit omnes colores: & vomitio liuida graueque olens ocyssimam mortem indicat: vti & omnis subputris & fœtidus odor in omni vomitione malus est, *eodem Hippoc. auctore*. Contingit tamen aliquãdo (*vt scholio obser. 15. lib. 5. De febr. exemplo probauimus*) eos curari qui nigram & atram bilẽ euomuerunt. Niger vt fex sanguinis, malus; nisi in apostemate lienis, aut in fine veris contingat, *vt Gradus annotauit*. At excrementitius vomitus, cum anhelitus fœditate, intestinorum abscessum denuntiat: in colicis & iliacis pestifer est; quanquam vetula (cuius historiam posuimus *libr. 7. De feb. obser. 4.*) iliaca per octo dies recrementa reiiciens, per me curata fuit. Quod autem interdũ vomitus valetudinis caussa recte fiat, experimentis credens Celsus approbauit, Commonet tamen, ne quis, qui valere, & senescere volet, hoc quotidianum habeat: *vt liquet lib. 1. cap. 3.*

11 Vomitus quoq; sæpe singultum clamosum curauit. Et is qui sine febre est, malus tunc esse non potest, quando robur naturę sequitur: etiamsi e cerebro vel toto corpore humor in ventriculum effluxerit, vel a iocinore, a liene, aut mesenterio, modo eo tempore neque tumor in hepate, neque in liene sentiatur. Et sic quoque spontaneus vomitus seu arte paratus, *iuxta Hippocrat. aphor. 2. lib. 1.* Si talia euomuntur, qualia oportet, & bene ferunt, sicuti alia quæuis euacuatio vtilis est. Sed assiduus ventriculo nocet, pectori, visui, dentibus, & antiquis capitis doloribus, pręter eum, qui fit per ventriculi consensum. Qui cum vermibus est, in feb. pestilentibus, malus, ob putredinem: potissimum si mortui euomantur, cum & omnis vomitus in pestilentibus febribus (*vt de peste diximus*) malignus habeatur. Aliquando in aliis febribus vermes reiecti nihil mali attulerunt, vt exemplis in febribus declarauimus.

Observatio XV.

De Vomitu, ob ventriculum non potentem cibum continere.

1 Vomitio aliquando fit, quando ventriculus cibum non potest continere. Non continet, vel quia alimenta sunt plura, quam continere possit, vt ebriis accidit: vel quia alimenta nimis sunt pinguia, & leuia, aut ordine suo non assumuntur; vt si quis assumat (*vt Rondeletius asserebat*) magnam quantitatem incisorum, qualia sunt *pastillorum caro*, aut quæ vulgo *pastez en pot* Gallice dicuntur; vel si liquida multa ingerantur, post astringẽtia multa & dura, vel quia ventriculus plenus flatibus, alimentum suspensum in superiore parte continet; aut quia multa dulcia supra alia sunt assumta, vt *pepones, ficus, cerasa, & omnia alia dulcia*, vel quæ parantur cum multo oleo, lacte vel butyro: vel si cum suspicione alimenta aliqua assumta fuerint: vel vbi ex immodica humiditate ventriculi, etiam citra vitiatos humores, fiat, sola quantitate & copia affligente & veluti irriguum os ventris seu ventriculi reddente: adeo vt totum ventrem ob eandem multam humiditatem exsolutum ac laxum habeant laborantes: vti iuuenis quidam, ad me veniens consultandi caussa, laborabat; qui omnem cibum facile euomebat, præcipue si butyrum & pingui a sumeret, quibus videbatur delectari.

2 Huic autem omnia paulo ante dicta inhibuimus, & quia videbatur humida tantum intemperies, & aliqualiter frigida, facile illum nos posse curare diximus, modo optimam victus rationẽ obseruaret. Quare eidem astringentia edulia & potus quoque astringentes, & quæ moderate calfacerent cum quadam astrictione, commendauimus, vt cuniculos paruos assos, & pullos gallinaceos, & columbas iuuenes. Si elixis quandoque necesse esset vti, vt adiiceret quædam odorata, *vt garyophyllos, cinnamomum, exiguo omphacio addito aut vino odorato.* Sicuti enim graueolentia omnia stomachum subuertunt; ita odorata eundem corroborant. Quod si carne veruecina, vel aliis elixis vteretur, id faceret quidem, cotoneis vel mali punici granis incoctis. Et si vino vteretur, concessi rubrum & astringens Omnia enim his, quæ ori grata sunt, & actu frigida vel calida, erunt adhibenda; & minime tepida, quæ vomitum prouocant; vti & omnia pinguia vitari debent. A cibis cotonea mala vel pyra assata, absque tamen zacccharo, commendabam.

3 Medicamenta vero calefacientia, & quæ stomachum roborarent exhibui, & diacotoneum cum speciebus, & aromat. rof. superbibendo exiguum vini absinthit. & exterius ventriculo adhibui linimenta & vnguenta; quæ statim transeunt, & citius operantur quam emplastra, quæ tardius vim suam exserunt: quale hoc est vng. *Recipe olei mastichini nardini,*

absinthii ana ℥ ß. *menthæ siccæ, cinnamomi, maceris galangæ, flor. rof. rub. ana* ℈ j. ß. *masticis* ℥ j *ceræ modicum*, fiat vnguentum, vt artis est. Etiam apponebam crustam panis vino & aceto irroratam, asperso puluere *caryophyll. maceris, cinnamomi, calami odorati, ligni aloes*, modo puluerem inspergendo, modo irrorando. Adeo vt his remediis hic iuuenis, tum alii plurimi (*quibus vomitus tandem cessauit, & ventriculus roboratus est*) cupitam sanitatem consequuti sint.

SCHOLIA.

4 *Differentiæ vomitus spontanei.*

Vomitus non vno modo, sed diuerso ac vario curatur, *vt antea diximus*, cum plures eius existant differentiæ: Nam alius Spontaneus est: atque is rursus vel Criticus est, & laudabilis quidem, ex quo speratur salus morbi, *vt quibusdam exemplis ostendimus in libris nostris De febribus*: Nam criticus plerumq; terminus exsistit multorum morborum, potissimum febrium acutarum, apostematum hepatis, quæ sunt in concauo ipsius, & similium: neque hic retinendus, *quemadmodum sæpe dictum est in obseru. nostris De febribus*: & ideo sinemus naturam operari, si ex coctione præcedente & virtutis tolerantia videatur fore sufficiens; neque enim cibo nec alio remedio impediemus; imo si fuerit diminutus, aliquando iuuandus, cum leuibus tamen medicamentis. Si vero excedat & omnino virtutem deiiciat, ita vt mors subsequeretur, constringendus erit. Symptomaticus autem vomitus etiam ad spontaneum pertinet, qui etiam accidit magna ex parte in accessione febrium: vnde modo Naturalis est, modo Violentus. Et quanquam aliquis laudabilis esse possit, omnis tamen est præter naturam, vt nos docuimus de vomitu, qui in febre fit: sicuti enim fluxus symptomaticus vires deiicit, *vt scholio obser. 13. lib. 2. diximus*, & raro aliquid boni adfert; ita & vomitus symptomaticus: quanquam aliquando iuuare possit, modo non excedat; & si excesserit, restringi quoque poterit, vti aliæ excretiones symptomaticæ, *de quibus in febribus diximus*. Atque ex iis exemplis facile disces num sint constringendæ nec ne: & quando symptomaticæ excretiones sint bonæ vel malæ, *vt scholio obseru. 26. lib. 2.* numquid etiam sint impediendæ nec ne, inuenies. Alius vomitus est Naturalis, quo natura alleuiatur: alius Quietus, *qui accidit stomachicis & facile vomentibus*: alius vero Violentus, acutus & æstuosus, *vt in cholera*, qui & præter naturam est. Alius est Artificialis, qui præcauet ægritudines futuras, vel præsentes curat. In quo quædam sunt obseruanda ante vomitum, & in vomitu ipso, & post vomitum. Ante vomitum tum inprimis cauendum, ne vomitus iis prouocetur, qui sunt inepti ad vomendum, vel quibus minus vomitus confert, vti prægnantibus: si enim fortia vomitiua ceperint, facile abortum patiuntur. Difficulter quoque vomunt, qui stricti sunt pectoris, & villos latitudinales tunicæ extrinsecæ stomachi debiles habent. Parati vero ad vomitum sunt, habitudinis mediocris, lati pectoris, stricti colli, neque apti ad sanguinis sputum; stomachi robusti, scilicet fundi, & debiles secundum os ipsius; & si sint assueti. Ideo Auicenna, præter iam dicta, quatuor proponit obseruanda ante vomitum: Primum, *vt insueti ad vomendum assuefiant, leuibus vomitibus; ne subito fiat transitus ad inconsueta, quæ corpus plurimum immutant*. Secundum, *vt ante vomitum præcedat ventris lenitio, fæcibus communibus sponte eductis, vel arte, balano, aut clysmate aut pharmaco leniente*. Tertium, *vt ante vomitum cibetur cibis diuersarum virium, mixtis ex incidentibus, detergentibus, viscosis, dulcibus, acidis, sed maxime pinguibus, & his, quæ diuerso modo parantur tam frixis, assis, quam elixis*. Quod si metus sit vomitum futurum diminutum, ex difficultate euomentis, vel ex humorum ineptitudine, misceantur cum iisdem cibis aliqua vomitum irritantia seu vigorantia: vti est *eruca, raphanus, ficus, aridæ, pingues, cæpe, porrum cum aqua hordei & melle; melones, cucumeres, vinum dulce, de quo copiose bibat, & cibi non bene masticentur. Quamuis præstantius erit præmittere cibos bonos, si timeas vomitum non subsecuturum*. Quartum est, *vt stomachus & extrema sint satis calfacta & collum, pectus: & tempus anni sit calidum, vel hora meridiei, nisi magnus adsit æstus; tunc magis eligatur tertia hora pomeridiana*. In actu vero vomendi, cum tepida sumserit hora vomitus, vel paulo ante ipsum, motu inordinato sese moueat, vt cibus in stomacho agitetur: oculi fascia circumligentur, ne lædantur, venterque leuiter vsque ad vmbilicum stringatur: & cum vomere incipiat, digitis in os immissis aut penna anseris oleo intincta fauces irritabit, & iteratis vicibus vomitum excitabit, donec stomachus a cibis & superfluitate exoneretur. Situs commodior est, vt sedeat capite inclinato & pectore, quo vomitus facilior procedat. Quod si accidentia difficilia superueniant, danda erit aqua calida; aut enim euomet, aut venter soluetur, & sedabuntur symptomata. Prodest & clyster leniens. Finito iam vomitu, quiescat, & facies lauetur aqua ros. cui parum aceti sit admixtum: vel abluat os cum vino & aqua mixta; & cibum ac potum tardet, saltem per duas horas si possit. Dentur deinde cibi boni odoris, & suauis saporis, paucæ quantitatis & optimi nutrimenti, ac paucarum superfluitatum, facilis digestionis & citæ penetrationis: & dormiat, neque bibat aquam frigidam, aut alium quemuis potum frigidum. Si excedat, succurratur & inhibeatur. Arte igitur cum fiat vomitus, is vtilis est in morbis longis, vt in quartana, morbis articularibus, ischiadicis, hydropicis, stomachicis, quibus pituita aut bilis abundat, etiam atra, quæ omnibus modis perniciosa est. Morbis comitialibus prodest, & melancholicis, & calculosis: cephalæam & renum ac vesicæ vlcera sanat, ictericos ex oppilatione, epilepsiam ex stomachi vitio, vt in pueris sæpe conspeximus: curat & cutis fœditatem: asthmaticos, cardiacos, & paralyticos leuat. Singultus lassitudinem corporis remouet, *vt Arist. refert in suis Problematibus*.

Leuis

Criticus vomitus est retinendus, nisi virtutem deiiciat.

5 *Vomitus symptomaticus.*

6 *Vomitus naturalis. Quietus. Violentus. Vomitus artificialis, & qualia in ipso obseruanda.*

Qui facile vomunt.

Ante vomitum quæ obseruanda. 7

8 *Tempore vomitus quid obseruandum.*

9 *Post vomitum quæ sint obseruanda.*

Quibus vtilis est vomitus.

10. Leuis vomitus desiderium cibi facit, & a nauseis conciliat stomachum: torpori, somno graui & agrypnocomati viridis vomitus auxiliatur: vel ex humoribus mixtus, & epilepticis ex stomachi vitio, & conuulsis. A superioribus partibus auertit materiam, sensus omnes iuuat, & aciem inprimis oculorum exacuit: & ab inferiorib. materiam inanit, si modicus est. At immodicus vomitus vehemensque surditatem & tinnitum, sibilumque affert, & oculorum obscuritates; ac epilepticis obest, si vitio capitis contigerit, & capite dolentibus, nisi ex crapula vel stomachi cruditatibus fuerit. Acetosus vomitus dentes offendit, quos pariter denigrat. Iecori etiam & pulmoni nocet: nam & ex pectore venarum tunicas non sine periculo rumpit: stomachum demum affligit, & vires dissoluit. Si humores itaque superflui reiiciuntur, nulla egent curatione; tales vomitiones iuuandæ, donec corpus sufficienter a recrementis fuerit mundatum. Regio enim illa est aptissima ad reiicienda excrementa, quæ sunt collecta in superiore ventriculi regione. Ob id nauigatio illa in mari, & vectio, quæ vomitum excitant, sæpe curant dolores ventriculi diuturnos & contumaces. Neque etiam retinendi sunt vomitus in illis morbis supradictis, neque in his, qui fiunt a plenitudine ventris; neque in colico, nephritico, aut arthritico, doloribus. Biliosus quoque vomitus non protinus cohibendus est, nec morborum initio symptomaticus, a natura non temere illatus; sicuti in febrium accessione (*vt paulo ante diximus*) nullo pacto inhibendus; materiam enim minuit & subinde radicitus euellit. At symptomaticus, impetu coactæ naturæ expulsus cohibendus omnino est, si superfluus præsertim fuerit, alioqui periculosus erit: is quoque qui æqualis est in corpore sano, siue spontaneus seu arte paratus, non cohibendus, cum a multis morbis hominem liberet, vt paulo ante dictum est. Criticus item, maxime iudicatiuus, cum laudabilibus signis præcedentib. non est restringendus, modo non excedat & virtutem deiiciat. Interea, licet symptomaticus (*vt in libris de febribus ostendimus*) sit malus per viam signi (quia arguit materiæ multitudinem vel malignitatem eiusdem) tamen sæpe fit bonus per viam caussæ, cum euacuatur materia, quæ morbi caussa exsistit. Cibum tamẽ euomentibus crebro siue inconcoctum siue corruptum, ne perseuerando debilitetur stomachus, & praua contrahat vitia, remediis occurrendum est. Et licet humores superflui nulla egeant curatione, & statim non sint constringendi; tamen ne consuetudine vitium oriatur, & ne frequenti conatu rheumatismis facile repleatur venter, compescendus est. Ideo Auicen. & illi qui illum sequuntur, vomitum cibalem vel humoralem superfluum, & nõ æqualiter factum, constringere iubent. Sedis qui diuertit ab inflammationibus inferioribus, internis vel etiam a superioribus, vt in doloribus capitis, aurium, &c. non est inhibendus, modo non affecta sint collũ, aut partes thoracis. Vomitus itaque omnes optimorum alimentorum, qui fiunt post alias vomitiones ob debilitatem retentionis, vel irritationem expultricis, compescendi sunt: vt si sanguis per vomitum reddatur. Neoterici duplicem differentiam vomitus quoque faciunt, illum distinguentes in cibalem, & in humoralem; sub cibali cõprehendẽtes *vomitum cuiuscunque rei in corpore*, sub humorali, *cuiuscunque rei corporeæ*. Cibalem ita curant; eius caussam primo remouendo, siue ab aere, cibo, potu, aliisue rebus non naturalibus, orta sit, eam remouent & nocumentum impressum, contrariis; & malam temperiem corrigunt assumtis medicamentis tam intus quam extra appositis: & stomachum roborant adhibitis leuiter constringentibus, prohibentque humores ne in stomachum confluant, diuersionibus: etiam euacuatione, si humores videantur fluxuri in ventriculum: manus quoque ligant supra cubitos & pedes supra genua: quamquam inferiora membra constricta melius vomitũ diuertunt & compescunt. Corrigunt accidentia, vt si syncope superueniat: & victum præscribunt supradictum, exiguum, bonum, & coctu facilem, & delectabilis saporis, quæq; cito penetrent & proprietate roborent ventriculũ, & resistant intemperiei impressæ. Si fiat a percussione supra stomachum, vel a membro; vt cerebro stomacho communicanti, (tunc enim vomere solent,) curetur percussio, vulnus; venæ sectione, & amoueatur nocumentum eidem impressum: inhibeantur humores, ne fluant in ventriculum, & membri ratio habeatur læsi, & communicantis, & ventriculi. Si a medicamentis venenosis, vomitu & secessu educantur: & dentur antidota propria: stomachus ac membra nobilia roborentur. Si hic vomitus cibalis fuerit per communitatem, siue a cerebro, hepate, liene, vel a toto; habeatur ratio totius: si a toto, caueant interim fortia solutiua, & ea quæ ventriculum debilitant. Vel habeatur ratio illius membri læsi, siue fuerit hepar, lien siue cerebrum, inhibendo ne humores confluant, diuertendo, euacuando si opus est, & roborando membrũ communicans & mandans. Eodem modo si fit per essentiam, auferendo caussam, nempe intemperiem nudam, si quæ fit, solummodo alterando contrariis: si cum materia, & adsint humores, curabuntur, vt de pituita dictum est, & de bile, *vt exemplo sequenti docebimus*. De his vide Arculan. aliosque auctores, qui supra Rhasem scripserunt.

Immodicus vehemens. *In quibus non est inhibendus vomitus.* 11. *Qui vomitus compescendi.* 12. *Quomodo vomitus cibalis curetur.* 13. *A percussione aut vulnere.* *A veneno.* *A toto vel alia parte.* *Per essentiam.*

Observatio XVI.

De vomitu bilioso.

1. IVuenis quidam biliosus, frequenter in æstate circa caniculam, bilis vomitum experiebatur, cui os amarum erat: habebat autem & sitim vehementiorem, & ventriculi morsum ructusque nidorosos. Ad quem acciti, cum circa ventrem grauaretur, & os stomachi morderet, noluimus vomitum cohibere, sed potius *epoto leui vomitorio, quod ex aqua tepidæ ℥ vj. constaret, addito syrup. acetos. simplici ad ℥ j. ß.* illum curare proposuimus, tepide a cibo sumto. Ex quo cum mediocriter vomuisset, absque dolore multa biliosa) *bilis enim a iocinore in ventriculum transmittebatur, cum ipsa*

in ventriculo nequaquam oriatur; verum a iocinore vel a vesica bilis in eundem transmittebatur) os ablui iussi cum aqua & aceto. Deinde dedi syr. alterantes, in hunc modum: ℞. *syr. de ribes, syr. acetos. simplicis, syr. de end. ana* ℥ j. ß. *aquæ acetosæ, cichorii, end. an.* ℥ iij. *misceantur*, & bibat ieiunus per triduum. ℞. *trionsant. in tab.* ℥ ß. *vtatur cum syr.* Purgaui cum decocto thamarind. in sero lactis. Sed quia euomebat, dedi bolum sequentem: *elect. lenitiui* ℥ ß. *pulpa thamarind.* ℥ ij. *pulu. rhabarb.* ℈ j. *fiat bolus.* quo ter excreuit biliosa. Interea cum bilis ex hepate in ventriculum confluebat, ceratum sequens hepati apponere iussi: ℞. *cerati santalini* ℥ j. ß. *olei nymphææ, ros. ana* ℥ ß. *lauentur aqua frig. vel rosa. addendo spicæ nardi pult.* ℈ j. ducatur leuiter supra pannum lineum, & hepati apponatur. Ad ventriculum roborandum & vomitum compescẽdum dedimus subinde syrup. ex succo mali punici & mentha, & stomachum inunximus vng. sequenti: ℞. *olei myrtei, cotoneorum, masttichini ana* ℥ ß. *hypocistid. acaciæ an.* ℥ ß. *boli armeni, corall. rub. pult. an.* ℈ j. aceti parum, & ceræ q. s. fiat vng. & sumto ante cibum in prima mensa diacydonite sine speciebus, & iis, quæ moderate restringerent, hic tandem curatus fuit.

2.

SCHOLIA.

3. *Vomitus biliosus quomodo curetur.*

QVomodo vomitus biliosus curetur, vide Alexand Benedictum Veronensem *lib. 14. capit. 28. De vomitu bilioso.* habes ibidem plurimas compositiones, quæ intus exhibentur, & exterius applicantur, tam fotus quam vnguẽta, cerata & emplastra. Hic vomitus non est cohibendus, nisi excedat: cũ & immodicus tamen consuetudine nocentior fiat, magis quam si vires prosternat, leuium vomitorio duntaxat opus est: quod & Alex. Trallianus *lib. 7. cap. 13. De nausea & vomitu* dicebat. Si enim fuerit serosus tenuisque & non nimium ventriculo impactus, haud curiosum esse oportet ac sollicitum: verum satis est etiam solo vomitu ex liberaliore tepidæ potu vti, vel cremore ptisanę ventrem recrementis liberare. Si aliquo modo sit infixa, & purgatione opus est, syr. ex infus. ros pallid. vti possimus. Sed si nimiũ sit tenue excrementũ quod reiicitur, & acre, a calidis abstinebimus; & potius roborabimus & astringemus, vt est *antidotum simplex ex malis cotoneis, vel ex succo solo eiusdem, cum zacchar. aut melle.* Id multum roborat & acria recrementa contemperat: ideo & infirmo & calido stomacho, humori in bilem commutanti accommodatum est, Prægnantibus si vomitus biliosus fiat, vti alius, periculosus est ne abortum irritet: his vomitum sedant pampinorum vitis cimæ, vel clauicularum succus in potu, sed & mali citrii succus, vuæ acerbæ. Quæ assumuntur, sicuti & cibi, nullam graueolentiam habeant, sed ægro grata sint. At quę vomitum ex phlegmate muccoso curant, sunt attenuantia, vt *syrup. acetosus, additis speciebus calidis aromaticis,* si ex crasso viscoso humore, *syrup. acetos. compositus valet.* exemplum huius, quomodo curetur, dictum est *obseruat. 14. præcedente.* Vbi enim acida & dulcis pituita affixa videatur, extenuantibus, *iuxta Trallianum,* medicamentis vtendum est: *oxymelite, raphani rad. & capari* præparandus est humor, & purgandus. Et si in ventriculi cauitate innatet, valet etiam, si inhæreat, vomitus vt adiuuetur (*nam non oportet statim constringere*) decoctum *raphani, semin. aneth. atripl. adiecto oxymell. simplici vel scyllino.* Dissecta pituita etiam euacuanda cum pilul. hieræ picræ: etiam clysteres ad diuertendum valent Deinde stomachus roborandus, hoc vel simili vnguento exterius. ℞. *olei absinth. nardini, mastich. coton. ana* ℥ ß. *corall. rub. menthæ sicca, caryophyll. ana* ʒ j *spicæ nardi* ℈ j *flor. rosa. rub.* ℈ j. ß. *ceræ q. s.* Detur tunc a purgatione syr. absinth de mentha. Vide alias compos. apud Alexandrum Veronensem *cap. 29. lib. 14. De vomitu phlegmatico.* Verum his qui cibum frequenter euomunt (*cuius rei exemplum quoque posuimus, obseru. 15. præcedente*) non solum cataplasmata ori stomachi, sed etiam iugulo imponenda sunt, ex mentha & mastiche. A cibo, quæ adstringant assumenda sunt: cibus, potus, parcius assumendus At ex ciborum acrimonia post vomitum, quę refrigerant & adstringant in esca danda sunt, & quæ styptica sunt & acetosa. At si stomachi exundatio ex cibo nimium diluto fuerit, aut nimo potu, a vomitu stomachus ex calefacientibus ac exsiccantib. iuuatur; & paulo post cibis siccioribus, quibus aromata admisceri debent. Et panis crustam tostam Cretico vino infusam, superiniecto mastiche, garyophylloque, conferre haud dubiũ est. At si spiritus in vno ventre inclusus, cibum attollens, rarefit, cucurbit. maiuscula vmbilico imposita mire facit, ante cibum impacta; ac subinde rutaceo oleo galangæ puluere & cymini inspersο. Alii vero, vbi vomitio fit ob flatus cibum suspendentes, dant medicamenta ante cibũ qualia postea scribemus conferre ad ventriculi inflationem: & inungunt iis, quę flatus discutiunt. Cõmendant clysteres; quos in omni vomitione vtiles esse volunt, modo pauca quantitas iniiciatur neq; fortiter laxantia aut olentia apponantur. Horum formulas habes apud Rond. *c. proprio. De vomitu.*

4.

Vomitus pituitosus; quomodo curetur.

5. *De his qui cibum frequenter euomunt.*

OBSERVATIO XVII.

De vomitu melancholico.

1.

QVamuis atræ bilis vomitus sit periculosus, tamen, *vt antea ostendimus*, aliqui ab eo sunt curati. Talis minime est restringendus: nam materia melancholica cum retinetur, præcipue adusta, infert symptomata grauissima. Ita melancholicus quidam, qui circa lienẽ subinde dolebat, per certa quædam interualla humorem melancholicum, sæpe etiam atrum, vomebat. Huic igitur consului, cum remedia contra hoc fœdum malum & molestum a me peteret, cũ in autumni principio essemus, & etiam videretur aliquo modo laborare sanguine melancholico (*licet quadragesimum annum ageret, vir tamen niger & hirsutus ac venas satis amplas habens*) vt paulo ante vomitũ qui fere certis periodis illũ infestabat, post leniẽs medicamentum sumtum, altero die sanguinem in brachio sinistro ex vena lienari sibi detrahere iuberet. Mox atram bilem expurgauimus, *cũ decocto senæ, myrob. indor. fumariæ & flor. bugloss. boraginis.*

Deinde

Deinde splenem tum ventriculum roborauimus. Ita vt facile is tandem curatus fuerit. Et vt magis deinde vomitus constringeretur, mandaui, *vt syr. menthaceum cum aqua melissa, adiecto exiguo vino mali punici, sumeret.*

S C H O L I A.

2. Hic vomitus, nisi immodicus fuerit, non est inhibendus, præmissis vniuersalibus remediis: si superfluat, vti alius excedens, est constringendus. Solet plerumq; hic vomitus contingere, si melancholia fecalis multiplicetur, & non descendat ad intestina, sed copiosius transfluat ad stomachum, illum grauando, vel morsu irritãdo. Maxime atra bilis vomitum infert: qui equidem vomitus vbi excesserit, nihil præstantius est inprimis, quã humorem illum inferius clysteri ad intestina retrahere, non tamen acri: & stante repletione sanguinis melancholici, venam incidere. Et ideo etiam quia hic in liene dolebat, basilicam sinistram secare fecimus. Et propterea aliquis mirabitur, cur aliquando venæ sectio in vomitu conueniat? imo etiam Græci, præter Arabes, id suadent. Ita Alexand. Trallianus *c.13 De nausea & vomitu, lib.7.* inquit: *Sin autem ex toto corpore ventriculo influant, tum medicamentis vtendum maioribus. Interdum enim & sanguinis missio requiritur, si is superare videatur: & purgatio, si magna humoris prauitas exsistit. Quod si ambo videantur abundare, tum venam secare, tum purgare oportet. Si igitur adsit repletio totius, & adsit omnium humorum æqualitas, aut sanguis dominetur, fiat venæ sectio ex vena communi: alioqui si ex hepate originem habeat, ex basilica dextra; vti a liene ex sinistra: vel ex saphena si a retento sanguine mẽstruo, vel ab hæmorrhoidib.* Huius exemplum posuimus de moniali iuuencula 25. annũ agente, singulis periodis menstruam purgationem per vomitum reiiciẽte, a me curata, *lib. 16. obs. 25.* Refert quoque, fere incredibilem historiam de moniali quadam Matth. de Gradi. Papiæ commoranti; quæ tribus annis delicatissimum, quantũuis cibum semper euomebat, cum humorũ aquosorum haud exigua portione: quæ deinde exæstuans maximo dolore afficiebatur, vt furiosa & phrenetica impetuose admodum sese moueret: aliquãdo & in syncopẽ collapsa per semi horã pro mortua habebatur; ita vt nullæ diuersiones iuuarent nisi post quatuor aut quinque horas: deinde per se alleuiabatur. Huic frequens sanguinis missio facta est ex vena communi dextri brachii, ita, vt singulis trib. diebus per duos mẽses semper extractæ fuerint ad minus semper septem vnciæ sanguinis pro vice, cum etiã viueret septendecim diebus absq; cibo & potu, sumẽdo tantum modicum vini Vernacini singula die. Postea de octo in octo dies demissus est sanguis, &, quod magis admiratu dignum erat, bona habitudine læta ac iucunda videbatur, cum tñ nihil cibi retineret.

Vtrum venæ sectio aliquando in vomitu conueniat.

3.

Historia mirabilis Matthæi de Gradi.

4. Fuit tamen hæc phlebotomia curata, præter spem medicorum omnium excellẽtium, qui eam viderunt. Vnde Gradus infert, hunc vomitum a toto originẽ habuisse, ab humore in os ventriculi delato: & hinc quoq; sanguinis detractionem iuuisse credebat. Recte Auer. 7. Collectaneorum suorum dixit, *c. De curatione cancri, quod sicut in natura fiunt monstra; ita & in medicina monstruositates apparent:* de quibus multa refert Rabbi Moyses *part. 24. suorum aphorismor.* In vomitu igitur sæpenumero sanguinis missio non improbatur: nam si corpus morbidum est, ac venæ sanguine turgeant, plurimum fracta vena ex stomacho reiicitur, vel duarũ librarum interdum pondere (*vt nos lib. 15. retulimus & exemplis approbauimus*) tum a iecoraria vena incipiendum est; quæ acuto scalpello secanda est, (*teste Alexand. Veronensi medico*) ne latiore vulnere spiritus vitalis subducatur. At fœminæ sanguinem euomentes, profluentib. mensibus, protinus liberantur, *auctore Hippocr.* Vtriq; sexui sanguinem euomenti, narium aut hæmorrhoidum profluuiũ subuenit; si parcius, tunc phlebotomia prodest.

Monstra medicina.

5. Sæpe etiam in vomitu melancholico, vt hic in sinistro brachio vena vulnerata, auxilium attulit, ex liene facta fluxione in ventriculum, vt a iecore ex basilica dextra: propterea si sit vomitus humoralis, periodicus, tunc plerũq; vel a toto vel a parte per consensum stomachus afficitur, humorẽ ad se fluentem recipiens: & curandus est eo modo, quo dictum est. Sed antequam stomachus in vomitum effundatur, ea primum diligenter obseruanda sunt, vt materia in diuersum trahatur, *vt iam diximus*; & vt membrum recipiens validius fiat, & membrum, a quo materia fluit corrigatur. Ante accessionem dandi syr. refrigerantes acetosi & parum styptici, si materia fuerit calida ac mordens. Tum die integro deiectio ventris, ex thamarindis prunisq; nostratibus fieri potest; vel venter clysteri molliri. Et stomacho ac iecori deinde imponenda emplastra ex *santalis, ros. rub. myrti baccis, ciper. mastich. spodio. & similib. cum oleo ros. & cera compositis, consperso aceto acerrimo.*

Si vomitus periodice moueatur quomodo curandus.

6. In phlegmatico melancholico humore, qui periodice effunditur, valent *balani Indici seu myrob. epithymum, agaricus cum sale Indo*; finita accessione, & lieni imponendum emplastrum *de meliloto, myrto, ac ladano ex vino meraco vel aceto.* In phlegmatico quoq; humor deiiciendus, ac alio ꝑpellendus, & stomachus cõfortandus est; ac cerebrũ, si inde emanat humor, firmandũ est. Si vomitus a pharmaco excitetur, pharmacum inprimis educẽdum est, & venenositas detergenda, vel vomitu, vel per aluum deiiciẽdum: nimiũ enim stomachi tunicas lancinat, aut mordet: huic curatio omnis necessaria est, quæ supra de bilioso humore posita est. Quod si vomitus venerit ab apostemate, vel vlcere, aut dolore vẽtriculi, tũc curatio petenda ex propriis capitibus, de quibus mox agemus. Si contingat a ventriculi raritate, vniatur & roboretur stomachus; cauendo a solutiuis & iis, quæ vomitum incitant: & a vomitiuis & valde resoluentibus. Et intus sumãtur, quæ stypticam viscositatem habent, *vt coteneum, pellicula interna stomachi, & vinum moderate stypticum,* tum alia viscosa, de victu dicta, & ab auctoribus latius explicata.

De vomitu quem pharmacum excitauit.

A ventriculi raritate.

7. Si sit ex oppilatione pylori, si naturalis, nõ recipit curationem: alia caussa remouenda: & ideo si ab humore crasso & viscoso, vti magna ex parte euenit, curetur abstergentibus, incidenti-

Ex oppilatione pylori.

bus, & exhibitione hieræ picræ, in forma elect. *de quibus iam antea dictum est.* At nunc pauca de vomitu sanguineo adiiciamus, quamuis de eo prius loquuti sumus *lib.16. De cruenta sputione.*

Observatio XVIII.

De sanguinis vomitu.

1.

Vir ille, qui ex ventriculo sanguinem recẽtem naturalem per vomitum reiiciebat; eum vt compescerem a me postulauit. Quod efficere studui, primo sanguinis missione, etiam diuersione per ligaturas & cucurbitulas in cruribus, postea sequens exhibuimus: *℞. trochis. de carabe, de terra sigillata ana ʒ ß. aquæ bursæ pastoris, portulacæ, plantag. an. ℥ j. misce.* quæ ilico iuuerunt. At alter iuuenis, cui exhibitum fuit medicamentum acre per empiricum, sanguinem, laxatis venis seu venarum orificiis, vomuit. Huic commode consuluimus, vt lactis heminam cum vini dimidia aut tertia parte, idq; paulatim & continuo haustum sumeret Hoc enim virus medicamenti mitigat, eluit & pariter conglutinat, *Alexandro Veronensi medico teste, lib.13. cap.10.* Valet & syrupus ex mali punici succo: aliqui acerolum præferunt, niue refrigeratum, vt torpescere membrum faciat, & punctiones obtundat. Acetosus namq; conglobatum, si quis intus relictus fuerit, sanguinem discutit.

Ad vomitum sanguinis ex pharmaco.

Scholia.

2. *Caussa.*

E Vomitur nonnunquam sanguis ventriculi venis a copia sanguinis cum impetu ruẽtis apertis (*idq; maxime, si venarum ora imbecilla fuerint*) etiam a vitioso acriq; sanguine erosis. Assumto quoque veneno plurimi vomitionibus periere. Quidam catharctico epoto vomitorio sanguinẽ euomuerunt, antequam morerentur. Innascuntur etiam interdum in stomacho carũculę hæmorrhoidibus similes; ex quibus per interualla sanguis vtiliter profluit: raro tamen id euenit: vti etiam ab impacta gulæ sanguisuga: vel fit iis, qui aquã palustrem vna cum bestiola incaute biberũt: & interdum sanguis ex capite, e iecore, liene, in stomachũ profluit & transfertur, vel in fœminis mensib. suppressis aut hæmorrhoidibus, aut sanguinis missione vel venere intermissa, *vt viduis & religiosis etiam pluribus contigit:* vel ab ictu hæmorrhoidis serpentis: a plurib. corporis partibus, & a stomacho sanguis profluit, *vt latius ad longum libr.16. De sanguinis sputione docuimus, & præcipue obs.24. eiusdem libri; vt non opus sit ea hic repetere, aut diutius huic curationi insistere.* Quod ad præsens attinet, satis est, quod is sanguis, qui ex ventriculi venis vomitur, concretus non est, nec inde magna sanguinis eruptio potest contingere; quod graciles vẽtriculi venæ sint. Aliquando qui vomitur sanguis, a remotis corporis partibus in vẽtriculum defertur: vt si cui membrum quodpiam excisum fuerit, natura non minus sanguinis quam antea generante, sanguis quo membrum illud ali debuit, ad vẽtriculum defertur. A toto, adest plenitudo. A iecore aut liene, tũc adest in dextro aut sinistro latere tumor. A mensibus suppressis vel hæmorrhoidibus, aut hæmorrhagia, ex astantibus dignoscitur, & euacuatione solita suppressa. Et qui ex aliis partibus defertur ad ventriculum, qui euomitur, concretus esse solet, vel facile concrescit. Sanguinis itaq; vomitus, nisi fuerit periodicus, cum corporis robore, periculum præsagit: cui nisi protinus subueniatur, animi deliquium affert Ex venæ scissura diu emanãs, vlcera minatur, & abscessus, ob eam caussam (*vt Gal. demonstrat*) medico opus est solerti & ingenioso, magnæque experientiæ. Si itaq; sanguinis vomitus ob membrum aliquod excisum fuerit, aut ab vniuerso corpore in ventriculum deferatur, incidatur dextri cubiti vena media: si ab hepate, dextri interior cubiti incidenda: a liene, eadem incidatur vena, sed in sinistro cubito: si a mẽsium suppressione, a saphæna pedis dextri: si vero ab hæmorrhoidum consueto fluxu retento, ischiadica vena in parte sinistri pedis minimo digito vicina, *vt quidam volunt:* si ab hæmorrhagia e naribus solito fluore suppresso, ex exteriori cubiti vena sanguis mittatur eiusdem lateris cum nare, vnde sanguis fluere solebat In hoc pathemate, quacunque a caussa ortum sit (*quoniam vires eo laborantis imbecillæ plerumq; esse solent*) modica venæ, dũ inciditur, diductio fiat, ne maior q̃ par sit, spirituum resolutio fiat Parce præterea detrahatur sanguis, idq; repetitis vicibus, si opus est. Ante venæ sectionem, si aluus resistat, sequens enema aluo infundatur, vel si sua sponte (*vt conuenit*) excrementa non deiecerit: *℞. cassiæ extractæ, zach. rub. an. ℥ j. olei viol. ℥ iij. salis parum, cum decocto quatuor remollitiuorum prun. & hordei:* fiat enema, quod ante pastum iniiciatur: deinde fiat venæ sectio, *vt dictum est.* Deinde tam intrinsecus, quam extrinsecus adstringentia adhibeantur: qualis hic pulu. est. *℞. lapid. hæmatit. ʒ j. baccar. myrti ℈ ij. acaciæ, boli arm. veri. corall. rub. ana ℈ ij. fiat pul. subtilissimus, ad modum alcahol;* & sumatur ʒ j cum aqua plantag. adiecto exiguo aceto; idque mane ventriculo vacuo, & vesperi, si opus est, adiecta ℥ j. *syr. ex ros. siccis,* vel *℞. conser. ros. veteris, conser. rad. symphyti maioris ana ℥ j. boli arm. loti in aqua ros. ʒ j. lapidis hæmat. pulu. ℈ j. corall. rub. ℈ j ß. cum syr. cydon. fiat elect. molle:* capiat ad magnitudinem paruæ castaneæ trib. horis ante pastum. Valet rob. ceras. syluest. acid. vel oxyacanthæ, & syr. ex cotoneis, & de agresta; si duo cochlearia sumantur. Extrinsecus crura fricentur valide; iisque vincula dolorifica iniiciantur, ipsisque cucurbitulæ sine scarificatu affigantur. Si ab hepate sanguis deferatur, supra hepar cucurbitula defigatur, si a liene, supra lienem; si a matrice, supra matricem. Sumto cibo, si ægrotus ipsum retinere nequeat, cucurbitula ventriculi regioni affigatur. Si neque restringatur sanguis, deinde fotu sequenti vel simili vtendum: *℞. balaust. psidiæ, gallarum, rhois obsoniorum, baccarum myrthi, ros. rub. ana q. s. decoquantur in aqua plantag. & aceto,* in quo decocto calẽte spongia madefacta & expressa, ventriculi regio foueatur; deinde & hoc vnguento sequenti inuncta: *℞. olei myrtei, cotonei, mastic. ana ℥ ß. hypocystid. boli arm. corall. rub. acaciæ, baccar. myrti ana ℈ ij. aceti parum. ceræ modicum,* fiat vng. quo ventriculi regio mane & vesperi post fotum inungatur. Reliqua vide *lib.16. obs.24. & 25. & alios auctores.*

3. *Signa.*

Periculum ex sanguinis vomitu.

4. *Curatio.*

5.

6.

Ob-

OBSERVATIO XIX.

De vomitu atra bilis; vna cum vermibus & scarabeis.

1. CVM Balduinum Kerckvverium Brielensem mense Octobri, anno 1567. duplici tertiana correptum, curassem, deducor ad puellam annum 22. attingétem, quæ vomitu continuo longo quidem tempore laborauerat, & bilem tanquam picem valde atram vna cum vermibus deiiciebat, quos tunc spectauimus ad palmam fere in longitudine, coloris cineritii: & paululum ante meum accessum nouem numero euomuerat, omnes fere mortuos. Atram vero bilem picis instar, quam spectabam, prima fronte sanguinem concretum esse putabam, qui ab vtero in stomachum transmissus esset: sed cũ statuto tempore menses prodirent, atram bilem esse intellexi. Verum, cum esset bonæ constitutionis, neque febricitaret, & circa stomachum doleret, nonnihil appetu quoque deficiente, hoc ipsum ex humoribus corruptis fieri existimabam; Vnde & vermes generabantur; eo quod fructibus autumnalibus valde crudis antea vsa esset. Aluum non probe deiiciebat, nisi duobus diebus tantum semel; & stercora quidem dura feculenta satis naturalia & minime nigra. At vomitus admodum frequens erat. Medicus assistens dederat pilulas ex aloe: verum parum profecit. At apozemate

2. sequente per me descripto, vomitus, qui prius creber erat, nonnihil cessauit; postquam plurima nigra recrementa per inferna deiecisset: vnde & melius habere videbatur: ℞. *absinthii communis, centaurii minoris, agrimoniæ, portulacæ ana manip. j. semin. anisi, portulacæ ana* ʒ j. *foliorum senæ* ℥ ß. *rhabarb. selecti* ʒ j. ß. *schœnanthi* ℈ j. *glycyrr. rasæ* ℥ ß. *passul. enucleat.* ℥ vj. fiat decoctio pro ℥ viij. colatura zaccharo parum dulcoretur. Dimidiũ cum sumsisset, bene excreuit: primo feces, mox atram bilem copiose: ac vomitus & ventriculi dolor nonnihil cessarunt. Die intermisso, reliquum sumsit. Interim ad appetitum incitandum capiebat duo cochlearia subinde ex syr. sequentibus: ℞. *syrup. de limonibus. syrup. absinthii, de scolopend. syrup. capill. Veneris* (quia parum tussiebat) *ana* ʒ ij. & statim sumebat ʒ ij. ex tabulis hoc modo descriptis: ℞. *specierum diarod. abb.* ℈ ij. *specierum diatrag. frig.* ℈ j. *semin. zedoariæ puluerisat. rad. tormentill. puluerisat. ana* ℈ ß. *dissol. in aqua portulacæ & agrimoniæ, adiecto zaccharo optimo qu. s. fiat confectio in tabul.* Et istis remediis vtcunque habuit. Verum anno 1568. 10. Iulii die, rursus ad Cornelium Philippum Consulem vrbis illius ex febre continua acuta decumbentem euocatus, puellam denuo inuisi: quæ licet vtcunque nunc se haberet, tamen paulo ante scarabeos vomitu reiecerat (*res portentosa & incredibilis, nisi ipse conspexissem*) quos mater nobis o-

3. stendit, præsente Petro chirurgo Brielensi, & viro consulari, amico nostro haud vulgari. Referebat & mater viuum scarabeum reiecisse, qui per duos dies superuixerat: referebatur autem ad incantationem hoc malum.

SCHOLIA.

3. VERMES vomitione reiici, haud insolens est, nobisque non raro visum. Testatur & idem Amatus Lusitanus *curat. 5. 6. ac 10. cent. 1.* Generari autem posse in ventriculo, *vt Amatus existimat,* difficile fuerit affirmare; verisimilius est ad ventriculum peruenire. Vide Beniuenium *de crassiore pituita expulsa,* & cum ea etiam verme, longitudinis digitorum quatuor, satis pleno, capite rubro, leui, rotundoq; , pisi magnitudinem excedente: cetero corpore lanugine quadã cõtecto, cauda furcata ad similitudinẽ nouæ lunę; pedibus quatuor, duobus in dexteriorẽ, totidem in sinisteriorẽ partem coaptatis. Admiratus Beniuenius vermis formam, medicis eruditioribus ostendit. Nullum inuenit, qui monstrum simile se vidisse vnquam fateretur. Aderat tñ senior quidam, sed medicę artis imperitus; qui testatus est similem se vidisse vermem, vomitu quoq; propulsum, ab Alexan. quodam cœnobita: qui statim, vt ille aiebat, proiecto eo, mortuus est. Vocitabat autem hoc monstrum cordis vermem. At contra æger ille Beniuenii circa cor & ventriculum dolens, cum medicamento vomitionẽ fieri iussisset, vt primũ vermem ipsum euomuit, ad pristinam reuersus est sanitatem. At vermes reiectos sæpe vidimus: sed scarabeos, nisi hoc tempore, nunquam: quamquam alii quoque videntur vidisse, cum & Gordonius medicus suo tempore illustris, scribat part. 5. cap. 20. *De vermib. vermes, serpentes, scarabeos generari ex putredine in corpore humano; sicuti extra in mũdo vermes & muscæ ac similia generentur.* Sed & Iulianus (*teste eod. Beniuenio*) medicam artem professus, dum grauiter ægrotaret; & aduenienti medico dolorem, quo circa ventriculum miserabiliter cruciabatur, exponeret, tangente illo (vt fit) ac manibus locum pertractante, erupit in vomitum: quo & ipse frustum carnis ad paruæ pilæ magnitudinem, in quo vermis, non secus ac bruchus in siliqua recludebatur, reiectans, ad pristinam statim reuersus est valetudinem Ego quoq; Delphis puellam moniałẽ in curatione habui, quæ cum diris doloribus. per integrum annum afficeretur, se tandẽ præ angustia circa ventriculum mori exclamabat, & nisi in vomitum prorumpere posset, se moriturã vociferabatur. Quare medicamentum vomitoriũ cum adhibuissem, frustum magnũ carneũ albo colore, albuminis oui instar, magno conatu reiecit, ita cõgelatum ac induratũ, vt cultello acutissimo vix diuidi posset, & ab omni dolore statim liberata, deinde sana vixit. Carnis quoq; frustulum, cũ de pectoris morbis ageremus, tussi reiectũ a muliere, ex Beniuenio scripsimus, & q. etiam nos in aduocato vidimus, de quo alias diximus. Sed, quod æque

5. admiratu dignum, refert Bened. Veron. *lib. 13. c. 22. de generib. vomitus,* quẽdam lapidem, nucis iuglandis magnitudine, euomuisse. Refert quoq; Nicolus *c. proprio, de vomitu,* inter reliqua admiratu digna, lapidẽ oui magnitudine vomitu reiectũ esse. Ceterũ qui eiusmodi vomunt, nõ oportet vomitum inhibere, cum omnia talia præter naturam sint. Et sic, qui hæc vel atram bilem vel vermes vo-

Historia Beniuenii.

4. Scarabeos in corpore generari posse scribit vt vermes Gordonius.

Bruchus in siliqua carnea reclusus vomitu reiectus.

Lapis vomitu reiectus.

mitu reiiciunt; vt hæc puella faciebat, non oportet inhibere, sed eius caussam tollere, & talia quoq; medicamenta præscribere, quæ vermes necant, & expellunt: de quibus latius suo loco dicemus, *cap. proprio De vermib.* Iisque expulsis ventriculum quoque roborare oportet. Hæc de vomitu. Si de iis plura desideres, quæ vomitum excedentem & reprimunt & constringunt, vide Aetium, tum alios auctores, iam superius citatos, & qui supra Rhasem scripsere.

OBSERVATIO XX.

De stomachi dolore.

1\. Ichthyopola Delphensis, qui in Flandrica platea commorabatur, ingenti stomachi dolore afficiebatur, cum insigni clamore, vt sese quietum tenere non posset, ob nimiam angustiam, qua affligebatur. Ad hunc accitus, cum decoctum florum chamomillæ in ceruisia communi præbuissem, emissis ructibus & in sudorem solutus, incantamenti instar omnis dolor euanuit: vt nullis aliis præsidiis opus fuerit vti.

SCHOLIA.

2\. Omnium inter sæuissima symptomata habentur stomachi dolores; deinde inflammationes, inflationes, abscessusque molliores, ac vlcerationes. Sed nunc de stomachi prius dolore agemus, qui interdum impatibilis est, & mortem sæpe accelerat. In eius ostio sæuior sentitur, quem & cardiacum quidam vocauere dolorem, alii cardialgiam vocarunt, de qua prius dictum est; quæ refertur ad intemperiem calidam, cũ materia biliosa. At stomachi dolor interdum & morbus longus est; in quo affectu breuioris sunt vitæ. Dolorẽ ipsum aut inflatio sequitur, aut ardor modo inflammationis, intercisiones torsionesq;, vel rosiones sequuntur, q̃ tormenta stomachi alii appellauere. Est aũt stomachi dolor, tristis & peruersa sensatio, ab aliqua lędente caussa. Et dolor omnis, aut stomachũ distendit, aut degrauat, aut pungit, vel mordet erodit ve: aut in imo afficit vẽtre, aut medio, vel ipso ostio. Dolor quoq; cõtinuatur, & interimit: aut periodicus est; qui interdum confecto cibo sedatur; interdũ hominem exinanito ventre vexat. Aliquando assumto cibo torsiones solent quiescere: modo ingens dolor est, cum cibus tantum conficitur. Alius vero dolor vomitu bilioso sedatur aut acetoso, qui in terra ebullienti similis est; alioqui cõtinua pœna est. Aliquib. quotidiano pituitæ vomitu, mane præsertim, quiescit dolor. Acutũ stomachi dolorem quædã consequuntur: frigidus sudor, cordis palpitatio, pulsus frequens, ac formicans, ac animi defectus. Dolor ventriculi, sensus est nociuus eiusdẽ, & symptoma tactus lęsi. Quæ pars sit affecta, iam satis constat: vel in ore ipsius ventriculi, vel in ventriculo, aut parte eiusdem, nẽpe in concauitate, vel tunicis ipsis. Atque hoc symptoma pendet a morbo intemperaturæ materiali vel immateriali: a materia quidem humorali, vel ventosa, vel a solutione continui. Hic dolor ratione suæ essentiæ distinguitur, grauans, extendens, perforans, pũgens, mordicans; quamuis plures haberi possint, *vt ex Montano c. de dolore capitis diximus.* Sed dolores stomachi cõmuniter, iuxta Neotericos, ad quatuor referuntur; ad grauantem, extendentem, pungẽtem, corrodentem. Vel alia diuisio ex parte loci, partiũ stomachi læsarum. In toto, vel in parte, vt iam paulo ante diximus, vt in orificio vel fundo. Rursus quilibet ex his, intensus, remissus, mediocris, cõtinuus, periodicus, & sine periodis. Et qui interpolatus est, ab euẽtu ipsius doloris varius quoq; esse potest, dum cibus in stomacho est, vel descẽdit; vel stomacho vacuo, aut inanito, vel intenditur, cibo iam digesto, vel cũ digeritur. Sedatur etiã (*vt iam paulo ante diximus*) vomitu, ructu (vt huic nostro ægro eueniebat) aut vẽtositatib. superius vel inferius emissis, vel sensibili expulsione humiditatis aquosę; vti contigit patri Io Matth. de Gradi. Et nos hoc tempore puellam in curatione habuimus, cui idẽ eueniebat. Iam quoq; dolores alii noui, recentes, breues, diuturni: quidam ad alios morbos succedentes, vel per se incipientes, vel simul concomitantes cũ aliis symptomatis, vt fluxu ventris, spasmo, vel stomachi singultu. Hæc enim omnia ad morbi cognitionem, prædictionem, & curationem faciunt, vt exempla subsequentia ostendent.

Doloris stomachi differentia. — 3. — Affectus præter naturam. — [Pars] affecta. — Varii stomachi dolores. — 4.

OBSERVATIO XXI.

De ingenti stomachi dolore in potatore.

1\. Albertus chirurgus Delphius, si quis alius potator egregius, anno 1565. sub Martii finem, cum plurimos dies noctesque vario potu ventriculum impleuisset, modo vinum rubrum bibens impurum, modo ceruisiam crassissimam, eamque valde feculentam & recentem, cum puluere zinziberis & zaccharo; domum rediens, post mediam noctem excitatus intolerabilem dolorem in stomacho patiebatur, vt se veneno infectum clamaret: dolor enim adeo grauis erat, vt se in lecto continere non posset; cum totius corporis concussione, vt astantes hominem iam iam moriturum existimarent; ac pro deplorato habentes, extrema inunctione per sacrificulum peracta, ita illum in dolore relinquerẽt: donec mane ad eum accitus, deprehendi crura totumque corpus adeo tremore concuti, cum totius lecti commotione. At vix mihi interroganti locum affectum ostendere potuit: tandem ostendit se circa mucronatam cartilaginem adeo dolore torqueri, tanquam pugione perforaretur: astantes autem narrabant, post potum insignem & diuersum, hoc malum originem suscepisse. Vrina quam tunc inspiciebam, minime tincta erat, sed admodum cruda: non sitiebat, nisi exiguum potus flagitando, cuius si vel guttam in ventriculum demitteret, mox in gutture & in stomacho se suffocari clamabat; lingua minime arida existente, neque potu descendente. Aderat inanis vomitus, vel nausea, eum ad vomitum frustra incitans.

2\. Sequens igitur vomitiuum præscribo: *℞. hordei mundati p. j. flor. chamomillæ (ob dolorem) p. ß. seminis anethi ʒ j. ß. bulliant in aqua communi; & huius colaturæ accipe ℥ iij. addendo syrup. ex infus. ros. communi, oxymelitis simplicis, syrup. de cich. Nicoli, cum rhabarb. ana ℥ ß. misce.* sumebat tepide; & euomuit ceruisiam satis copiosam

piosam & pauca biliosa. Dolore tamen æque permanente, vocatur & secundus medicus, Cornelius Ericius, collega meus. Pulsus erat contractus; & ne copia ceruisiæ & vini suffocaretur, sequens medicamentum vna præscripsimus: ℞. *folior. senæ* ℥ *vj. agar. fœmin. albi leuis* ℥ *ij. cinnamomi* ℈ *j. semin. anisi* ℥ ß. *bulliant in* ℥ *ix. decoct. communis; & fortiss. expreßioni addendo* ℥ *ij. syrup. ex infus. ros. commun. misce pro ij. dosibus.* Vnam cum statim sumsisset, medietatem potionis euomuit, interim bis copiose excreuit multa biliosa, fœtida & aquosa, in maxima copia; & simul plurima euomuit. Ab huius medicamenti operatione mox incidit in somnum, deinde & sudorem: & bene se habuit. Interea ad ventriculi roborationem capiebat subinde ʒ *ij. vel iij. spec. diarod. abb. in tabulis.* Altero die cum rediremus; nullo dolore torquebatur: vti & nocte subsequẽte: vt se iam sanatum diceret: ideo reliquum potionis nõ dedimus, nisi tertio die alteram dosin: & aluum commode reddidit, & perfecte sanus factus est, quamuis in primis ab astantibus pro mortuo habitus.

SCHOLIA.

INfinitæ sunt caussæ doloris stomachi & inter procatarcticas præcipue cibus potusque inordinate sumtus; vti in hoc chirurgo: nam oriri potest ex cibo, vt *porro, cæpe, allioq; & his similib.* vento quoque septentrionali; vel si post labores sudoresque nudum fuerit corpus frigori expositum: nam & dolor ex gelida pota subito quandoque interimit, aut in colicum commutatur. Potionatis vero veneno, intolerabilior dolor habetur; & ex medicamentis valde adurentibus, vel soluentibus, vel ex percussione, casu, offensione. Sic caussæ mediatæ doloris duplices esse possunt; vel Primitiuæ, *de quibus nunc diximus*; vel Corporeæ: vel Immediatæ, *vt intemperies calida, frigida, sicca:* humida, sine materia, dolorem nõ facit; vel est cum materia, aut acuta intus mordente, aut corrodente, & mordente intus humore, vel adurente, vel vtroque modo, vt in calida inflammatione, ex humoribus simplicibus, aut compositis, quale est acetosum salsum crassumq; phlegma, vel viscosum, vitreumq; omnium teterrimum. At melancholicus item humor acetosus dolorem excitat periculosum. Sed inter omnes cruciatus, qui inter tunicas insedit humor vitiatus, sæuiores pœnas excitat; vel oris stomachi præsertim. Ita & continui solutio, spiritus interclusus. Quod ad caussas corporeas attinet, duplices quoque habentur: vel per communitatem seu cõsensum, vel per essentiam: per consensum, vt a toto, quemadmodum in febribus; de quibus satis dictum est *in libris nostris de febribus.* aut crisi, aut a membro particulari, vt cerebro sibi communicãte, aut absolute, aut mittendo materiam catarrhalem; ita a neruis, splene, atram bilem in ventriculum euomente vel mittente; a bile, vt in hepate seu fellis vesica: ab intestinis, vt vermibus, ventositate & vaporibus ex fecibus malignis eleuatis in ventriculum: sic a renibus, vt in dolore calculi. Ab vtero, vt mensium retentione, hæmorrhoidum. Per essentiam vero, sunt humores iam dicti in ventriculi fundo aut tunicis inhærẽtes. Ad caussas remotas referri possunt nocumenta concoctionis, & quæcunque intemperiem ventriculi labefactant. Hę caussæ perquirendæ certis signis, vt exemplis docebimus, antequam curationem instituamus.

OBSERVATIO XXII.

De dolore ventriculi intolerabili, cum hypochondriorum suspensione.

GErtrudis Bartholdi, cognata nostra, mulier si quæ altera pulcerrima, 30. ann. cum compleuisset, an. 1546. mense Iunio in intolerabilem dolorem stomachi incidit, cum hypochondriorum suspensione. Lotium huic extreme crudum & album erat, instar puræ aquę. Cum variis medicamentis curari non posset, dolorq; magis intenderetur, & difficulter aluus solueretur, post absinthii decoctum, cum liquida pharmaca plane & semper abhorreret, summo diluculo huic adhibui stomatici laxatiui calidi in tabulis confecti ʒ. *vj. vnica dosi*, cum difficilis solutionis esset: quo medicamento octies aluum deposuit: & multa putrida & pituitosa excreuit. Et quia operabatur nõ sine torminibus & angustia, pro ablutione pharmaci dedi cyathum vnum iusculi pulli: a quo postea cum vnum secessum adhuc habuisset, dormiuit per totam noctem subsequentem, vsque in maximam lucem diei subsequentis, cum antea præ dolore per quatuor aut quinque dies aut noctes non dormiuisset. A somno autem surgens, ab omni dolore liberata sana omnino euasit. Ceterũ, quod ad stomaticum laxatiuum attinet, quod in officina a pharmacopœo paratum habebatur; hæc erat eiusdem descriptio: ℞. *sacchari optimi* ℔ *j. cinnamomi, zinziberis ana* ʒ *ij. caryophyll. galangæ ana* ʒ *j. nucis muscatæ, spicæ, ligni aloes, cardamomi, macis ana* ʒ ß. Si vero laxatiuum facere volueris (quo nos hic vsi sumus) addatur ℥ *j. scammoneæ præparatæ.* coquantur cum sufficienti quantitate aquæ saccharatæ; & fiat confectio in tabulis. Attamen hic cautio adhibenda, quod ea non liceat vti in magna dosi: nisi in corporibus robustis, expertis & notis. Ideo cum hæc mulier (vt alias sæpe experti eramus) difficilis solutionis esset, & fortis admodum, dosin auximus *ad* ʒ *vj.* alioqui vix ʒ *iij aut iiij* dedissemus. Est autem medicamentum forte, ob scammoneam, & vehementis operationis; in hoc tamen casu conferens, ad pituitosos & crudos humores in ventriculo collectos habentes, vtile quoq; iliosis, colicis doloribus a materia pituitosa vel ventositatibus crudis, nequaquam vero in morbis calidis; vt eo tempore medicus quidam, sed Empiricus in omnibus fere morbis, etiam calidis & febricitantibus, male dabat; & nunquam fere laxans pharmacum propinabat, quin aliquid & huius laxatiui stomatici admisceretur. Præceptor meus Bononiæ, Elideus, medicus egregius, hoc sequenti in simili casu vtebatur: ℞. *electuarii de dactylis* ℥ ß. *philonii Romani* ℈ *ij. cum aqua chamomillæ*, fiebat potio breuis. In summo dolore dabat aliquando ʒ *j. philonii*, prout particularia suadebant. Vide & hoc sequens: nam com-

mode ab ipso quoque adhibitum aliquando fuit: ℞. elect. de dactylis ℥ vj. philonii Romani ℨj. cum ℥ iij. aquæ florum chamomill. At mulieri Brabantinæ, Alcmariæ, 60. duorum annorum, simili dolore correptæ cum tabulæ post purgationem ex elect. de dactylis ad ventositatem & pituitam stomacho infarctam & suspensionem hypochondriorum exhibitæ essent, & non iuuarent neque linimenta apta neque ventosæ siccæ applicatæ ventriculo (seu potius inter vmbilicum & stomachum) solo hoc fotu tandem dolor sedatus est: qui ita habebat: ℞. rad. althaæ ℥ ß. flor. rof. rub. flor. chamomill. summitatum absinthii ana m. j. coquantur in aqua chamomill. & aqua communi q. suf. pro ℔. j. ß. in fine addendo vini Rhenensis optimi, aquæ rof. & aceti ana parum, & fiat fotus. quo omnis dolor cessauit. Adeo illud medicamentum approbauit, ac diuinum appellabat, vt memoriæ inscriberem, vt alios simili malo laborantes a dolore curarem. Ita quoque Margareta Cornelii Ioannis illius viri consularis filia, mense Nouembri, anno 1571. cum in dolorem stomachi intolerabilem incidisset, post purgationem vniuersalem adhibitam, hoc sequenti fotu ab omni dolore incantamenti instar fuit liberata: ℞. absinth. communis & Roman. flor. chamomill. rof. rub. menthæ, omnium exsiccat. ana m. j. sem. sumach, myrtill. ana ℨ ß. flor. meliloti p. j. coquantur in aqua communi pro ℔. j. ß. colat. adde spec. diarod. abb. ℈ ij. ß. specier. arom. rof. ℈ j. aquæ rof. ℥ ij. aceti rof. ℥ j. ß. iterum semel ebulliant: & fiat fotus pro ventriculo.

4

SCHOLIA.

5\. FRIGIDAM vero caussam flatibus quidam haud imperite iungunt: nam vehementes dolores, tensione eorum excitātur. Materia vero flatuum pituita est. Ita in duab. istis mulieribus aderat pituitosus humor crudus, flatuosus, hypochōdrium non minus quam ventriculum extendens. Est quoq; pituita hæc crassior; vnde turbidus vapor, multusque eleuetur, idque a tepido calore. Sic 12. Meth. meden. Galenus cap. 8. ait: *grauissimos a retentis flatibus dolores fieri: retinentur obstructione vel densitate loci, in quo cohibētur, vt transpirare nequeant: alias si soli humores sint crassi & viscidi, non fit dolor vehemens. Gignuntur vero flatus, cum calefiunt humores crassi & glutinosi: sic enim in flatus crassumq; vaporem vertuntur. Neq; enim necesse est exhalationem semper illam siccam esse & terrestrem, quam in meteorologicis materiam flatus dixit Aristoteles: sed sat est spirituosam & tenuem esse substantiam, præ ea, ex qua gignebatur. Agens vero est calor: locus autem (vt quidam volunt) in quo flatus includuntur, ventriculi tunica sunt. Nam si in medio spacio aceruetur, facile vacuatur, ex ea vero parte difficilime, & longo tempore, ac non nisi vehementer extenuatus, & dissolutus: quod cum non nisi calidis fiat, metus est, ne rursus plus, eorum vsu, flatus eleuetur, quam tollatur. Facit ad difficultatem curæ, quod non sicuti in acri humore, tuto sopientibus vti possumus, quæ & dolori prosunt, & caussæ humorem sua frigiditate temperant: at hic caussam augent, cum rebellem discussioni crassum spiritum faciunt, & tunicas densant, per quas debebat excerni.* Hæc fere Galenus de flatuoso dolore loco iam dicto. At 14. Meth. c. 7. fieri flatus ait, *vel cum calor debilis est, vel cum humidum crudum, crassum & glutinosum humorem contineat. Vnde excrementum quod natura excerni insensili transpiratu consueuerat, iam non transpirat: præsertim si densa sit pars, in qua continetur.* Quin subdit, *Calor quoque auctior hoc facere potest; dum tamen tantus non sit, vt digerere possit.* Idem etiam 5. Aphorism. vltimo: *Fit flatus vel imbecillitate caloris, vel ex crassitie humoris, vt hic fiebat.* Ex quo patet, non esse temere admittendum, quod quidam sine discrimine dicunt, tepida esse, quæ flatus gignunt. Nam a valido calore ibi fieri aliquando ait, materiæ ratione; & frigidis curat. Præterea id asserit libr. 12. *cum multo melius curari colicos*, ait, *sine calidis fomentis: quoniam ab illis sæpe augetur dolor, aucta doloris caussa, ex 6. De loc. affect.* Dolores a flatibus fiunt, vel cū frigidus crassusque humor aceruatus est in corpore crasso, & denso genitus, qui egredi nequeat, vel a flatuoso spiritu: has inquit caussas esse probabiles. Retinetur crassitie, & densitate corporum: & humores tum alterare, tum tendere partem possunt, vt spiritus tendere. Quod vero imaginantur quidam, calorem plurimum extraneum facere flatus, cum naturalem minuit, fabulam esse putat Iacchinus, vir doctissimus. Quicunque enim calor vigeat, flatus tollit; nisi, vt diximus, qualitatis materiæ ratione etiam multos flatus faciat. Vnde neque in febribus vrentibus fiunt, neque in auriginosis, *iuxta Aphorismum.* Quod si in prauis febribus appareat inflatus venter, id venit, quoniam non sunt calore vehementes, & cum multa cruditate humorum. Materia vero aggregatur tum ciborum ratione, qui crassi natura sint & viscidi; tum ex multitudine & crebra cruditate: & in summa ex omnibus caussis, quæ pituitam gignere possunt. Quæ vero calorem debilitant, vel spiritus resoluendo, vel per se refrigerando, vt frigidæ potus, aut frigida vina, dolorem facere possunt, vt fieri frequenter videmus. Imo post frigidæ potum doloribus ventris quidam perierunt; quibus scilicet id viscus natura erat imbecillum, & aderant materiæ, e quibus flatus gigni poterant, in ipso ventris corpore aggregatæ. Sic dolor ab externo frigore excitatur; præcipue si extrema patiuntur: quę sunt partes neruosæ & frigidæ, & exsangues; a quibus facile frigus peruenit ad ventrem. Auget etiam frigus dolores: quoniam densat tunicas adeo, vt nō transpiret quod in eis continetur: hinc magis dolor excitatur, cum flatus exitum non inuenit. Et quia vna cum pituita flatus aderat, tensio sentiebatur, vt disrumpi putarent tunicas ventriculi: & etiam nos tensionem sensu seu tactu percepimus, quæ etiam super abdominis musculos sentiebatur. Sed de ventriculi inflatione postea latius. Sed hic etiam aderat simul, ob materiam frigidā, grauitas ventris, sine siti atque ardore: & sentiebatur in stomacho quædam frigiditas. Nunc aliud exemplum adferamus.

Pituita præsertim crassior est materia flatuum.

6\. 7. 8.

OB-

Observatio XXIII.

De dolore stomachi, ex pituitoso humore ac tensione.

1. Puella admodum pituitosa, tempore hiemali, paupercula, cibo crudo vtens, lacte, & aliis cibis pituitosis, incidit in dolorem ventriculi vehementiorem, cui aderat distentio quædam. Simul sentiebat magnam ventriculi grauitatem; propter quam spirandi difficultas accidebat, ventriculo distento septum trãsuersum comprimente. Non sitiebat, neque aderat ardor aut calor: cibis quoque ad infimas partes ventris descendentibus leuabatur nonnihil; & flatibus siue ructib. emissis, vel per aluum exclusis, & calidis iuuabatur: ita vt facile intellexerim, ex pituita flatulenta, hunc dolorem originem cœpisse, qui & summo studio statim anodynis placandus erat, ob os ventriculi exacto sensu tactus præditum. Ideo statim hunc fotum præscripsi: ℞. *flor. chamameli, meliloti ana m. j. absinthii, flor. rof. rub. summitatum anethi ana man. ß. seminis lini, fœnugræci ana ʒ ß. seminis anisi, carui, fœniculi ana ʒ ij. coquantur in aqua communi q. s. pro ℔. ij.* in qua calida madefiat spongia: quæ deinde expressa ventriculo admoueatur; eaque foueatur: & deinde oleo subsequenti inungatur: ℞. *olei chamamel. anethini. lilior. ana ʒ ß. his commistis fiat inunctio.*

2. Quibus aliquo modo sedabatur dolor, grauitate adhuc permanente. Ideo & has pilulas deglutiendas præbuimus: ℞. *pilul. de hiera simpl. masticbinarum, trochisc. agarici ana ℈ j. cum aqua absinthii; fiant pilulæ xiij.* tempore matutino dentur. Quibus optime aluum deponebat. Verum cum adhuc materia tenacius ventriculi tunicis inhæreret, & dolor in totum non cessaret, licet nunc non ita vehemens esset; post decoctum *absinthii, florum chamomillæ, semin. fœniculi & anisi in aqua decoct. addito oxymell. simpl. & compos.* hanc purgationem exhibui, cum satis robusta esset: ℞. *diaphœnici ʒ ß. aqua florum chamomilla ʒ iij. misce.* & sexies multa pituitosa excreuit, etiam ventositatibus emissis. Et dolor ita mitigatus est, vt vix de eo amplius conquereretur.

3. Tunc ventriculum roborauimus intus sumtis tabulis sequentibus, seu rotulis: ℞. *specierum aromat. rof. sine musco; specierum diacimini ana ʒ j. dissolutis in aqua absinthii, & florum chamomilla, adiectis ʒ iij. sacchari albissim. fiant rotulæ ponderantes ʒ ij. vel ʒ ß. & capiat ante pastum iij. horis vnam.* Præterea iussi, vt hunc pulverem in officina pararet: ℞. *coriandri præparati ʒ iij. anisi, cinnamomi selecti, fœniculi, cari ana ʒ ij. maceris ℈ j. sacchari ad pondus omnium, fiat puluis, cuius detur ʒ j. vel plus in fine pastus:* & præcepi vt eo sumto nihil biberet, neque amplius ederet. Extrinsecus vnguento sequenti ventriculum commode inunximus: ℞. *olei absinthii ʒ ß. olei nardini, masticbini, cotoneor. ana ʒ ij. garyophyl. menthæ siccæ, cardamomi, coralli rub. mastichis, flor. rof. rub. ana ℈ j. ceræ exiguum, fiat vnguent.* quo ventriculi regio inungatur mane & vesperi ante pastum: & postea applicetur ceratum Galeni stomachicum, ad scuti formam. Quibus præsidiis ab omni dolore liberata fuit.

Scholia.

4. Signa doloris stomachi diligenter perscrutanda, antequam ad curationẽ accedamus. *Signa.* Si fiat ex nuda intemperie, iam diximus signa, cum de imbecillitate stomachi ageremus. Et si cum materia, etiam ex parte signa declarauimus: quibus hæc adiungere poterimus. Si igitur a caussa materiali frigida, *A caussa frigida materiali.* grauitas ventris aderit, vt iam diximus, sine siti ardoreque; & in stomacho frigus sentitur, calidis iuuatur: quibus si ætas, temperamentum, anni tempus & constitutio, victusque ratio præterita respondeant, plurimum ad caussę inuestigationẽ facient. Ex pituita salsa, *Ex pituita salsa.* in ore salsitudo molesta est, nõ sine siti valida. Ex phlegmate acetoso vel melancholico humore (*vt sæpe iam dictum est*) *Acida & melancholica.* rosiones aderunt stomachi sine æstuatione: aut vomitus acres acetosi melancholiã demonstrant: quibus dolor sedatur, & lien tumet, tum difficilis malaque concoctio in ventre fieri solet, quod & ex phlegmate contingit. A caussa calida materiali, *A caussa calida materiali.* quæ hominem supra modum inquietat, punctiones, intercisiones, morsus sitisq; ac oris siccitas, vel amaritudo, stomachi ardor æstuãs, & febris interdum sentitur, ac pulsus, vt initio febris, coarctatus; tum vomitus: aluus biliosa est. At stomachi instabiles rosiones a iecore materiã effundi, indicium sunt: inde pulsus ad interiora remittitur, ac extrema frigescunt, animusq; linquit.

5. *Quæ præterea.* (inquit Galenus) *ægrum iuuare solent, humoris naturam denuntiant:* dolor a materia calida (*vt tradit Hippocr.*) hordeacea pulte sedatur. Ita in frigida, castoreo cum aceto scillite. Si doloris origo ex imo ventre oritur, *In imo ventre.* nihilominus cibi desiderium aderit, illæso stomachi ostio: verum singultus ac erosiones molestæ erunt. At humoris crassitudo, *A crasso humore.* quo crassior est, eo maiorem affert dolorem atq; tormentum, cum ventris grauitate; vnde pulsus inæqualior fit, & vomentib. ægris pulsus ad temperamentum redit. Periodicos dolores patiuntur *Periodici dolores.* cum plurimum melancholici, & qui præcordiorũ dolores sustinent. Ex vento, adest flatus crepitusq; ventris frequens ac singultus: tum nec in eodem loco figitur dolor: qui tamen veluti clauus infixus hæret. Et cutim extendit: tum admotę cucurbitulæ prosunt. In iis tormentis extrema si frigefiant, *Prognostica.* *vt Hippocr. scribit,* malum augurium faciunt, si perseuerant instanter: si vero insuperabiles pustulæ ortæ fuerint nigræ, ac protinus exulcerentur, lethales sunt: lethalis est & grauior somnus, sique ꝑterea dexter pes vesicã extulerit, exitialis habetur: magisque si æger dulcia adamauerit. Vterum gestantib peculiare malũ est. Dolor quoq; qui ex homine fuerit inter tunicas cohibito, ęgrius curatur. Dolor stomachi a cã externa vel primitiua, minus malus; cũ facile remoueri possit, excepto illo, q̃ a medicamẽto venenoso aut corrodente vel veneno fiat, vel gladii ꝑcussione: tales difficulter tollũtur, vbi ẽt illi magis mali, qui ex cã corporea oriuntur: minusq; malus ex vna caussa, q̃ ex multis simul cõplicatis. ẽtsi ex mordicatione febris ephemera, vel alia subsequatur perdurãs aut continua. At dolores stomachi ex apostemate vel vlcere vix

vel nunquam curantur, nisi nacti fuerint diligentem & expertum medicum. Omnis dolor rodens, acutus, aut diu perseuerans, deducit ad syncopen, imo ad mortem, *teste Gal.5. De loc.affect. cap.6.* cum ex eo narrat subsequutum spasmũ aut epilepsiam. Ita hisce diebus puer cum ieiunus esset, ac radicem angelicæ syluestris comedisset, ingenti dolore stomachi correptus, mox epilepticus concidit, corpore toto, ac manibus simul cõuulsis ad quinque horas: qui tandem difficulter a me curatus fuit. Erat puer quinque annorum, alioqui valde agilis. Prægnantes facile stomachi dolore quoque apprehenduntur, ob menses restrictos; & facile tunc animo linquunt, vt matri meæ carissimę Margaretæ Nanniæ, ex Baiarorum familia, contingere solebat: sed salis momento in os indito, mox reuiuiscebat; *vt antea quoq; dictum est lib.17. nostrarum obseruat.*

7.

Observatio XXIV.

De dolore stomachi a rebus calidis assumtis.

1.

MErcator ille, qui in foro Delphensi habitabat, pro cuius ædibus Rex intersigniũ erat, tormina in ventre & circa vtraque hypochondria cum pateretur, ebibit plusquam dimidiam pintam vini Romani vulgo dicti, cum ʒ ij. *pulueris granorum paradisi*: nã hic aromatarius erat, sed eo vino ebibito incidit in ventriculi dolorem, tum ventris crudelissimum & atrocissimum: ita vt prę angustia & rumpi & suffocari videretur: neque euomere neque secessum habere potuit. Vociferabatur, se ignem in stomacho habere. Ad hũc eodem die accitus 20. April. die, anno 1563. ac eadem hora, qua mori putaretur, statim dedi ℥ iiij. *vel plures decoct. hordei, in qua* ʒ j *seminis anethi incocta erat, adiecta* ℥ j. *syr. ex infus. ros.* Eaque potione tepide sumta, vinum euomuit, & liberius anhelitum trahere potuit: & a vomitu paulo melius habere cœpit; & incidit in somnum. Post somnum, quamuis minus doleret, circa præcordia grauitas quædam remanebat cum dolore; & cum aluum non redderet, paulo plus quam dimidium potionis sequentis propinaui: ℞ *fol. senæ* ʒ vj. *semin. anisi* ʒ ß. *rhab. selecti* ℈ iiij *schœnanthi* ℈ ß. *ebulliant in* ℥ ix. *decoct. communis, & fortiss. express. adde oxyzach. simpl.* ℥ j. *syrup. ex infus. ros.* ℥ ß. *misce pro duab. dosibus*: vna assumta quinquies aluũ deposuit, & a dicto symptomate in totum liberatus est; ita vt alteram dosim non sumserit. Potus huic erat ptisana hordeacea, eo quod febrem timerem. Sed ea non superueniente, optime deinde habuit.

2.

Scholia.

3.

CArdamomum (quod vulgo *granum paradisi* dicitur) vltra tertium gradum calidum & siccum est, vel saltem in tertio gradu. Habet enim vim valde excalfactoriam. Dioscor. *potum ex aqua ad comitiales, ischiadicos, tusses, neruorum resolutiones, rupta, vulsa, tormina, latas ventris tineas valere,* scribit; *& ex vino potum renibus, difficultati vrinæ, a scorpione ictis, auxilio esse.* Verum hic aromatarius cum in substantia sumsisset, præter iustam dosim, plurimum obfuit, & pene hominem necauit: quamuis eidem alias (*vt narrabat*) ad similem dolorem in minori quantitate sumtum profuerat: nunc autem plurimum, & ad internecionem fere læsit. Ceterum dolor stomachi cum ex variis caussis fiat (*vt diximus*) vario modo quoque curatur. Si enim ob intemperiem calidam, vel frigidam doleat, eodem modo curatur intemperies rebus contrariis & alterantibus. Sic & dolor ex vento frigido, aut aqua gelida epota, contrariis remediis sanatur. Stomachus enim pane calido sæpe fouendus est, aut laseris assere calefacto, aut cupressino, aut piceo: alii feruente cinere vtuntur in sacculo. In potu vero betonicæ farina cum vino efficaciter sumitur, si sine febri fuerit; alioqui cum calida aqua datur. At hic ob cardamomum sumtum, aqua hordei, & eius cremor conueniebat: iuuabat & vomitus, quia calore & copia ventriculum extendebat: ita & tormenta ac rosiones ex malo catharctico, vomitionibus iuuantur, clysteribusque; ita & ex cibis pariter acutis fieri debet, pinguiaque cum insipidis dari iubent. Ex malo medicamento, venenato, erodente, æger vomere debet, atque pro veneni ratione remedia communia ac particularia ex libris venenatorum quærenda sunt: sicuti & veneficiorum auxilia ex iisdem libris haberi debent. Vbi dolor vehementissimus est, & suspicio sit de aliqua materia venenosa aut medicamẽto venenoso assumto, theriacam recentem dare potest. Si ex quauis caussa primitiua vel extrinseca venerit, ea ipsa tollenda. Et si ex intemperie nuda, siue calida, siue frigida, curetur, vt de imbecillitate vẽtriculi prius dictum est. Si dolor sit a materia frigida, huius curationis exemplum posuimus. Hic in cibis, potionibus, styptica vitanda tradit Galenus, ante stomachi exinanitionem, si pituita nimium redundet. Nam crassæ, duræ, siccæ terrestris sunt materiæ, (*adstipulante Zoar*) quæ dolorem stomachi inferunt. Iis exiguus cibus ac potus offerendus, facilis concoctionis, bonique alimenti, aluusque vtiliter exinanitur. Sed prius necessarius, modo in ieiuno, modo post cibum vomitus, vtilis exercitatio, gestatio, nauigatio, frictioque. Nihil edendum, aut bibendum nisi calidum, vitatis tantum iis, quæ pituitam contrahere consueuerunt. Sed in iis considerandum est, an stomachi duntaxat caussa fiat, an alterius membri ꝓpinquitate fuerit? Primum igitur materia digerenda; ac exinde purganda; vltimo stomachus omnino recreandus est. De vomitu vero, leuibus concitandus est, aqua tepida, cum *acetoso syrup. simplici*, aut composito: si id fieri minime potest, aluus commode mollienda est; nam aluum trahere violenter, periculosum est, quandoquidem materiam vndequaque contrahit. Aquosa pituita *hydromelite ac syrup. acetos. simplici compositoue* apte præparatur, vel *menthæ syrupo*: at viscosum phlegma *oxymelite compos. vel scillitico*; vel si ex iecore fluxerit materia, vel venis. At quanquam dolori ventriculi a caussa frigida calidis medicamentis succurratur; tamen si hepar calidum est, verendum, ne dum vni mederis, alteri noceas; & calidis medicamentis ventriculum iuuans, hepatis caliditatem augeas. Mitigetur itaque

Curatio doloris stomachi.

4.
Dolor ex vento frigido aut aqua gelida epota.

Doloris stomachi ex catharctico remedium

5.

Curatio doloris stomach. a materia frigida.

6.

itaq; dolor anodynis supra descriptis: cauendum tamen ne hepatis regio fomentis illis vel vnguentis tangatur. Mitigato dolore, pilulæ exhibendæ *ex hiera, adiecto rhabar.* Si a cerebro vero, *stœchadis syr.* digeratur. Digesta materia aquosa, deiiciatur cum aloe lota. At quod in tunicis ventris impactū est, hiera quoque perpurgatur: vel si valde viscosum hieris maiorib. Deinde stomachum, vt prius, tam sumtis quam admotis roborabimus; vt speciebus arom. rosſ. & similib. & cerata stomachica, emplastra, linimenta apponemus; & inungemus: vel sacculos iam sæpe dictos adhibebimus: quorum copiam vide apud auctores & præcipue apud Arculanum, vel Benedictum Veronensem, qui ea magis Latina in vsum suum transtulit.

7.

Curatio a bile.

Si a bile dolor stomachi, rosionibus æstuat: solent autem qui tentātur stomachici, interpositis quibusdam diebus, hunc humorem euomere. Sed qui perseuerat dolor perniciosus est, & interdum hominem necat. Iis recte aluus ducitur, potiones absinthii dantur: & si calida sit materia, in continuato dolore potiones ex violaceo & rosaceo, syr nymphææ & papauerinus, ex albo semine, ac calyce. Si autem bilis ventriculo innatet, vomitu euacuanda. aquæ tepidæ ℥ vj. *syr. acetati* ℥ j. ß. misce, & post cibum bibantur. digito inde aliquanto in os post & fauces immisso, aut penna vomitus eliciatur. Si vero ægrotus suapte natura non facile vomat, euacuetur sumta potione sequenti: *℞. syr. rosſ. laxatiui* ℥ j. ß. *rhabar. pulueriſati* ℥ j. *cum aqua cichorii & absinthii*; fiat potio, quæ hora quarta matutina sumatur. Si vero bilis ab hepate in ventriculum per interualla transmitti videatur, hoc electuario vtere: *℞. diacydonii sine spec.* ℥ j. *conseru. rosſ. acetosæ ana* ℥ ß. *pul. elect. trium santal. diarod. abb. ana* ℈ ij. ß. *cum syrup. ex rosſ. siccis, fiat electuar. molle: capiat* ℥ ß. *tribus horis ante pastum.* Extrinsecus malua iuuat *ex oleo rosſ. vel viol. addita santalorum farina, & inungatur oleo myrteo, & cotoneorum.* Experimento valet ventris gallinacei interior membrana arefacta in farinam, ob eam caussam, tunditur & datur. Quibus præsidiis si non cedat dolor, soporifera non sine metu danda sunt.

8.

9.

Doloris curatio ex atra bile.

Si dolor sit ex atra bile, iis necessaria gestatio, nauigatio, si longus morbus est, ac diebus interpositis accedat: & si fieri possit, ex nausea vomitus. Vitanda cruditas est, sumendi cibi faciles & stomacho non alieni, vinumque austerum bibendum, interea humor digerendus cum siliquis senæ, polypodio, & aliis melancholiam digerentibus; & venter repurgandus pilulis ex hiera & indis. Deinde roborandus stomachus: et si ex liene veniat, eius ratio quoque habenda, *vt prius dictum est.* Reliqua vide apud auctores.

ANIMADVERSIO.

10.

IN Scholio obseruat. huius, Lector benigne, diximus Cardamomum a vulgaribus quondam granum paradysi vocatum fuisse. Sciendum tamen, quod granum paradisi sit semen diuersum a cardamomo vero, quamuis pro cardamomo maiori quis accipere posset, cum videantur eiusdem fere esse virtutis. Ceterum granum paradisi, vulgari nostra lingua *Greyn* appellatum, ab Arabibus vero Mellegetta, aut Millegitta dictum, a semine crebro, pharmacopœis tum medicis satis notum, & in officinis etiam nūc ab Aromatariis frequenter venditur, & nostri quoque hoc semine in puluerem redacto aliquando cibos suos cōdiunt: ita vt non opus sit eius loco cardamomum sumere, cum & frequentissimum sit, & hodie magna copia ad nos aduehatur. Verum quod ad cardamomum attinet, quatuor eius species nunc in officina habentur, maius, (inquam, minus, medium, ac minimum. At minus pro vero habetur ac sumitur. Quamobrem cum mentio fit in aliquibus confectionibus aromaticis de cardamomo, intelligunt cardamomum minus. Et ideo cū simpliciter cardamomum scribunt auctores, cardamomum minus, vt vsuale, accipiunt. Plura de his si desideres, vide Matthiam Lobel, in aduersariis fruticū, subfruticum, cremiorum & arborum, *pag. 445.* & in obseruationibus stirpium, *pag. 616.* & commentar. Andr. Matthioli *in libr. 1. Diosc. cap. 5.* de cardamomo eiusque consideratione.

OBSERVATIO XXV.

De dolore ventriculi & pylori, per modum consultationis.

1.

REgnerus insignis Iurisperitus & Aduocatus, quondam Pensionarius Amstelrodamensis, consilium a me petiit, de dolore ventriculi fundum occupante, paulo supra vmbilicum, diuturno & per interualla recurrente. Cui hæc scripsi: *Vt a dolore illo paulo supra vmbilicum, vir doctissime, liberari possis, quamuis medicorum illustriū multis remediis vsus fueris, radicem huius mali omnium primo inuestigare oportet. Dolor his ex ventriculi fundo, ob repletionem & obstructionem, nascens, vno tamen tempore subinde magis affligens, quamuis raro omnino a dolore videaris plane liberatus; oriri quoque videtur etiam ab exortu intestinorum, quem ex pyloro intestinum recipit. Quidam tamen hunc non prius vocare intestinum dignantur, quam in orbes anfractusque circumuoluatur: atque ideo alii simpliciter productionem, alii cum appendice duodenum digitorum, Græci* ἔκφυσιν δωδεκαδάκτυλον *appellant. Cum autem hic dolor sæpe sua interualla habeat, longiusque protrahatur, locum affectum & caussam diligentius indagare oportet: antequam curationem moliamur. Locus affectus, iuxta circumscriptionem doloris, videtur esse in locis iam dictis. Est in iis locis quædam obstructio seu* ἔμφραξις, *quæ etiam ob imbecillitatem locorum dictorum facile redit; cum loci dicti iam longo tempore affecti facile recipiunt, non tantum nouum humorem, verum etiam sua imbecillitate eundem, nempe pituitosum, gignunt vel fouent: qui cum crassior exsistit, diutius ibidem moratur, ac difficilius soluitur: vnde malum diutius quoque protrahitur; cuius caussa etiam concoctio impeditur, quæ fit in ventriculi fundo: & sic ventriculus crudum humorem quoque dimittit ad pylorum. Atque huius consequio, videlicet ex illa materia pituitosa, etiam ventositates crassiores & tenaciores, loca affecta extendunt, vsque ad vmbilicum fere, & maiorem dolorem inferunt. Verisimile est ac concludimus, quod sit pituita inhærens fundo ventriculi, deinde*

2.

quoque adhærens & pyloro & intestino jam dicto. Nam superuacanea quidem pituita in cerebro, in ventriculo, & in intestinis gigni consueuit: sed in cerebro tenuis & aquosa: in his vero crassa atque lenta: hæc enim peculiare est ventriculi & intestinorum excrementum, non fex alui; quippe quæ cibi excrementum est commune: etenim cum illorum substantia frigida sit atque membranosa, crassum certe ac viscosum de se excrementum proferet; quale est pituita lenta. Hæc igitur secundum naturam gignitur concrescitq; in intestinis: e quibus cernitur alias sponte fecibus circumiecta descendere, alias purgatione vel clystere manifeste deduci, alias dysenteriæ vi corradi. Quum autem parcius ea vacuatur sensim aucta caloris vi, in vasis tandem crassescit, vt prorsus obstruens intestina quasi infarciat, fiatque latentium difficiliumque morborum caussa. Talem pituitam crassam ego in fundo stomachi, tum intestini iam dicto collectam & adnatam esse existimo, magis tamen vno tempore, quam alio: ex qua etiam flatus gignuntur: vnde etiam tensio sentitur. Sed cum fouentem caussam magis habeat ob pituitam inclusam crassamq́; ideo hæc ipsa remediis aptis detergenda & purganda erit: deinde loca ipsa affecta roboranda quoque erunt, ne eadem gignant vel foueant, recipiant, colligantve. In curatione itaque (vt in omni stomachi oppilatione) damnamus astringentia, & quicquid crassum humorem generat; sed potius attenuantia, aperientia, simul detergentia & incidentia, ob pituitam crassam. Erit itaque vtile oxymel simplex, etiam compositum & scyllinum, & pilulæ ex hiera. Quare cum hunc virum inuiseremus in Haga Comitis agentem, & apozemata incidentia & detergentia, & simul pituitam expurgantia præscripsissemus, melius habere cœpit. Egregie profuit post pituitam crassam purgatam, vinum absinthites, & ceruisia absinthites; etiam stomacho exterius postea corroborato.

3. 4.

SCHOLIA.

5. Dolore vrgente, quoad possumus, cibo & potu abstinebimus; quoniam concoctio bona esse nequit. Postea dabimus cibos tenues, & qui vim extenuandi habeant: eritque exiguo potu cōtentus æger, & meraciore; vitabitque frigus in toto corpore, sed extremis præsertim: & cum materia adhuc absit vna cum dolore & flatu, propter obstructionem; licet fomenta (*de quibus paulo ante diximus*) dolorem sedent & insensibiliter vacuent, nequaquam iis vtemur in hoc casu; quoniam affectum magis proritant, vbi adsit talis oppilatio & materia infixa est, vomitu non educemus, cum illud adeo crassum sit, vt educi nō possit, nisi prius extenuatum fuerit, & viæ apertæ. Transitum vero inter lienem & stomachum, si ibi adsit oppilatio, iis parare debemus: de qua agemus, cum de ictericis atris loquemur; & de iis, quæ ad lienis tumores faciant. Bilis autem atra repurganda, ac ne eadem regeneretur, victus rationem emendabimus Si via quoq; inter stomachum ac bilis folliculum, ex morbi regii curatione, præclusa fuerit, remedia perquiremus, sicuti ad intestina, vbi præclusus transitus est, ab iliacis & colicis doloribus. Ita & iis vtemur, quæ vias inter iecur & stomachum, vel mesentericarum poros aperiunt; humores incidendo, si crassi sint, & detergendo & repurgando. Durescit & interdum stomachus sine abscessus vitio: vnde ægre in coquendo rugas contrahit, maleque digerit. Ex frigore oritur, aut materia frigida in tunicularum meatibus combibita, atq; in altera earum infixa. Verum interior magis officit, apostemati quam simillima duro: in eo tactus durus est, difficulterque inclinatur æger: nam in poris tenuibus malum insitum est: tum demum styptica dissoluentibus vtendum: & in duritia sine abscessu has potiones vtiliter damus, *ex mentha, calamintha, & absinthio, & catapotia, ex hiera cum agarico*: & emplastrum vtiliter imponimus *ex mastiche, croco, meliloto, spica, bdellio, cera, & oleo lilino, vel oleo ex violis luteis.* At de dolore ex abscessu calido, vel frigido, & ob stomachi vomicam, postea latius.

De oppilatione stomachi.

6.

De dolore ex stomachi duritie.

OBSERVATIO XXVI.

De dolore stomachi ex casu oborto.

1. QVidam sacerdos (*cui nomen erat Gerardus Bakerus*) Alemariæ in via regia dicta habitans, cum anno 1546 e scala cecidisset, cubiti radium fregit: quem chirurgus tractabat. Huic autē post octo dies superuenit stomachi dolor vehementior, & totum pectus occupans. Lotium huic crudum erat: non febricitabat. Ideo hunc syrupū propinaui: *℞. oxymelitis simplicis ℥ j.ß. aquæ hyssopi, fœniculi, scabiosæ ana ℥ j. misce*: & cum aluum non deponeret; ita eundem purgaui: *℞. Diacatholici ʒ vj. cassiæ recens extractæ ʒ ij. mummiæ ℈ j.ß. dissol. cum ℥ ij. decoct. pectoral. addendo syr. capill. Vener. ℥ j. misce.* & sexies aluum deposuit, & dolor magna ex parte cessauit. Et sequenti die, cum adhuc aluum deponeret, cyathum vnum iuris pulli dedi. Cū adhuc exiguus dolor in stomacho permaneret cum appetitus deiectione, hoc vnguen. inuncto dolor cessauit: & ventriculo corroborato appetitus rediit: *℞. olei mastichini ℥ j. olei absinthii, menthacei an. ʒ ij. flor. ros. rub. puluerisatorum, corticum granat. coralli rubei, cinnamomi, masticis ana ℈ j. ceræ exiguum*; fiat vnguentum. Quibus præsidiis a dolore fuit in totum liberatus.

SCHOLIA.

2. HIc dolor licet post octo dies a casu prius ægrum affligebat, non est dubitandum, quin aliquo modo cadens a scala stomachum læserit. Et si nos in principio fuissemus acciti, ea de caussa sanguinem detraxissemus: sed quia lotium nūc crudum erat, & aluus resistebat, hæc purgatio satis ad rem fecit. Quomodocunque stomachus lædatur siue casu, siue offensione, siue percussione, vel ictu; periculosum est: Nam refert Alexander Benedictus Veronensis, lib. 11. cap. 9. *ex ictu, propter membri nobilitatem, permultos protinus fuisse mortuos. Nouimus* inquit Beniuenius libro suo de abditis caussis morborum, capit. 115.) *fullonem quendam nomine Petrum, qui vnico pugno stomacho cuiusdam iuuenis violentius impetito, hominem interemit.* Ceterum in eiusmodi casu inedia æger continendus est, ac protinus sanguis demendus est ex iecoraria vena, modo vires ferant: in cibo ptisana vel alica danda est,

De dolore stomachi ex lapidis vel alterius ictu.

est, sine vino: aluus singulis diebus mollienda est, ac materia extrema auertenda est. Alii suadent leniter adstringentia dari in cibo & potu. Et quandoq; ex eo ictu sanguis erumpit; prodest rhabarbarum cum vino styptico vel rubrica lemnia; emplastro imposito ex farina hordeacea, scilicet ℥ iij. ladani ℥ ß. ros. ℥ iij. aloes ℥ vj. *cum succo plantaginis, & oleo irino.* Si sanguis conglobatus sit, curetur vt iam alias dictum est. Interea quoque sciendum, quod stomachus interdum aut vulneratur, aut compungitur, aut mordaci humore exulceratur, vel scinditur; sed incaute acicula acuta deuorata, vel acu vel vitro, quandoque perforatur, & vento (*vt prius diximus*) aliquando intus incluso, magno extenditur cruciatu. Vidimus (*inquit Alexander, Benedictus Veronensis lib. 11. cap. 7.*) mulieres duas, quæ acus pariter crinales, vitri frusta, capillosque pusculos (*vt nos quoque vidimus*) vomitu reiecerunt: quarum altera, *vt refert idem Benedictus,* exanimata interiit, altera tres ingentes caudæ caninæ arefactos nodos euomuit, qua ratione, aut quomodo prius ea hauserint veneficia, in dubio est. Sic nos quoq; vidimus pannum, clauos, ferramenta, & nescio quæ non vomitu reiecta. Sic etiã Beniuenius De abditis morborum caussis scribit cap. 20. *mulierem quandam, aneam acum deuorasse; qua nulla inde noxa percepta, integrum annum ita vt erat sana permansit. Quo peracto cœpit dolor satis acutus mulierem ipsam circa ventriculum vrgere. Cum remedia a diuersis medicis nihil proficerent, & sic annis iam decem tali dolore, miseram vitam traheret, ecce acus illa terebrato ventriculo, e paruo demissa foramine prosiliit.* Quam acum Beniuenius vidit, & mulierem curauit, quæ paucis post diebus, vnitate vulneris facta, in pristinam sanitatem restituta est. Accidit & huic quod Ioannes Langius epistol. 40. *libr. 2.* refert: *Ingynæcio, ait, Ducis Iuliacensis, virgo dum sese exornaret, perterrita ingemiscens, acus quinque, quas in ore mordicus tenebat, deglutiuit, & per vrinam illæsa easdem reddidit.* Idem Benedictus Veronensis refert de virgine Veneta *libr. 2. capit. 9.* & caussam huius reddit *lib. 5. cap. 13.* in suis Anatomicis libris. Ego quoque vidi mulierem Delphensem, in insigni calcaris, ad quam accitus sum cum altero medico: quæ cum in gutture doleret, Chirurgus incaute stylo immisso (vulgo *probam* vocant) ferreo, e manibus elapso in ventriculum, sepe dolore tenebatur; & paulatim macie consumta, cum prœsidia hic nihil iuuare possent, tandẽ obiit. Vti & iuuenis quoque Harlamensis, qui cũ squillas (vulgari nomine *garnaren* dictas) cum circa Oceanum mare cũ puellis luderet, deglutiisset viuas, oborto dolore in ventriculo hic quoque mortuus est. Ceterum illis qui ex veneficio acus & alia enormia reiiciũt, tum crines, quidam genistæ flores recentes aut arefactos, in potu dedere, vt concitatis vomitionibus, omnia ex faucibus erumpant. Nos quoq; vidimus puellam Delphis in ventriculo dolentem, per inferiora modo excrementa picis instar nigra vti saponem excreuisse, & lapillos & ossium frusta etiam per vomitum: quæ longo tempore laborans & macilentior facta, tandem etiam interiit. Ea vulnera aut alteram tunicarum duntaxat lædunt, aut ambas lacerãt. Latiora stomachi vulnera, quæ pro Hippocratis sententia exitialia sunt, singultus & bilis vomitus insequitur, sanguisque per aluum interdum; & si quid cibi vel potionis assumtum est, ex patefacto vulnere redditur: venarum subinde pulsus elanguescunt, sudores tenues oriuntur, per quos extremæ partes exitialiter frigescũt. Signa tunicæ interioris læsæ sunt, dolor vehemẽs, assumto acetoso aliquo, vel acuto vel salso; tum vomitus, aut excrementa sanguinea: tumet deinde venter, ac dolet, non sine febre. At si circa os stomachi punctura fuerit aut vulnus, vbi malum granatum est, in anteriori parte, ad decimum tertium spondylion vehemens dolor infigitur, vel magis aliquo acuto assumto, tum anhelitus difficilior redditur, animus linquit, sudore extremorum pergelido. At si vna ventris pars percussa fuerit, minus periculi facit: tum supra vmbilicum dolor habetur, & aluus sanguinea reddit. At in medio si offenditur venter, inter vtrumque augurium est. Leues stomachi ictus, Galeni verbis, sanari possunt: *Æger primum temperato conclaui, non in plano, sine vento fumoque collocandus est; animo securus, sine multo sermone, sed tacitus quiescat, vel supinus dormiat.* Cibus liquidus damnatur, quippe plurimus, ac difficilis concoctionis: laudatur stypticus, aridiusculæ substantiæ, non multi alimenti: & ad septimum vsque diem a vini potione abstineat. Exactis septem diebus, stypticum nigrum exstincti sæpius chalybis aqua dilutum, prodest: quo nec nimium a siti vindicari debet, ante septimum: ex eadem aqua, cum syr. rosato, aut rhodozacchаro vetere, vel cum syrup. myrtino interdum bibat, & parcius: tum & vinum mali punici, saporis medii, modice bibat. Aluus, iniecta glande oneranda est, aut clystere mollienda. Eo membro vulnerato, sanguinis protinus missio necessaria est, aut ventris lenis deiecto, *ex aloe lota, ac rhabar. torrefacto, aut myrob. citrinis.* Vomitus hic damnatur. Aut si humore mordaciori contigerit malum, eundem matutinis potionibus præparabis, ac deinde cathartico perpurgabis: deinde iis quæ leuiter vulnera agglutinant, dabis: nec differendum est; mora enim difficiliora redduntur vulnera. Profundiora stipticis sanantur, *balaust. plantag. ros. & similibus.* Agglutinantia styptica sunt, *terra Lemnia, bolus Armen. thus, mastix, tragac. aut emplastica extrinsecus imposita.* Sed quia hæc ad chirurgiam pertinent, ex iis petenda quæ & vulnera ventriculo extrinsecus inflata sanant.

Quibus casibus intus stomachus vulneretur.

Prognostica & signa partis ventriculi læsæ.

Curatio.

Agglutinantia styptica.

Observatio XXVII.

De Stomachi dolore, a parte dorsi posteriore ad anteriorem transeunte.

IVuenis quidam Delphensis, Ioannes Vanderanus dictus, intensissimo dolore dorsi afficiebatur, e regione ipsius stomachi, tanquam pugione perforaretur, cum ingenti clamore. Dolor autem a parte posteriori incipiens in dorso, ad partem anteriorem stomachi transibat, cum ma-

xima difficultate anhelitus; ita vt ex punctione vehementiore tum dolore suffocari videretur. Ad hunc in nocte accitus sum: cum sine febre esset, cum pulsu æquali, licet parum veloci, & vtcunque magno, minime tamen duro; & vrina tenuis, cruda, parumque subspicea spectaretur, nequaquam tincta, *decoct. flor. chamomill. ℥ iij. & syr. ex infus. rosa. ℥ j.* exhibuimus. Et quia tempus valde frigidum erat, inunximus tam partem posteriorem, quam anteriorem oleo anethino & chamæmelino. Mane cum rediissem, licet melius dormierat, dolor tamen nondum erat sedatus. Ideo hanc potionem sequentem propinaui: *℞ folior senæ ℥ iij. seminis anisi ʒ ß. bulliant in ℥ v. decoct. pectoral. & fortiss. express. adde electuarii lenit. syrup. ex infus. ros. ana ℥ ß.* misce. qua ter quaterve ventrem deiecit: ac post excrementa deiecta, & ructibus emissis, ilico hic dolor sedatus est.

2

SCHOLIA.

3

DOlor stomachi non semper in parte anteriore hæret, sed etiam e regione ventriculi dorsum fatigat; vt sæpe vsu venit, cum dorso incumbat: quemadmodũ etiam euenisse Mariæ Comitissæ illustri filiæ Domini Principis cõstat, cum de tali dolore & inappetentia apud me conquereretur. Valde etiam quidam, si dolor sit in parte anteriore, dorsum quoque inungunt, vel cataplasmata applicant: quod & nos frequenter cum magna vtilitate fecimus. At alii cuidam, qui simili dolore afficiebatur, vomitorium medicamentum dedimus; & egregie contulit. Refert Amatus *Centuria 1. curat. 73. de ingenti ventriculi dolore: Venerabilis Abbas,* inquit, *cum grauissimo ventriculi dolore infestaretur, vt alta voce exclamaret; post multa adhibita remedia, vomitorium ex helleboro illi propinauimus: quo alba quadam ouorum albo similia euomuit; & sanus ilico factus est,* veluti nobilis quidam Neapolitanus, qui cum simili dolore premeretur, post ebibitam integram libram aquæ florum Naraziorum tepidam, similia euomuit & sanus factus fuit.

4

OBSERVATIO XXVIII.

De ventriculi dolore ab assumto veneno.

1

IN pago quodam non procul a ciuitate Pithuriensi, in qua vrbe tunc praxin exercebam, iuuenis exsistens, cum ex Italia, ex Iacobi Syluii medici regii commendatione anno 1545. Pithueros accessissem: eo tempore tres comederant ex vno pastillo, & veneno infecti sunt, atque omnes dolore intensissimo circa stomachum corripiebantur. Vnus autem ex iis lotium ad me misit, quod cum spectassem, tenuis substantiæ erat & viridis coloris, suspicionem veneni præbens. Nam vrina viridis, *teste Auicenna lib. 1. fen. 1. summa 2. doct. 3. c. De significatione vrinæ viridis,* spasmum in pueris significat, aut venenum in potu sumtum: & si fuerit in ea hypostasis, spes erit vitæ; alioqui metum incutit. Cum is, qui vrinam adferebat, rem gestam narraret, magis suspicionem augebat. Præscribo itaque vomitorium medicamentum; & vt simul pinguia deuoraret, quibus, vt postea intelleximus, statim ab omni dolore euasit, & curatus fuit. Alter vero, antequam cõsilium peteret, subito interiit. Tertius autem cum intellexerat priorem per me sanatum, tardius tamen & ille lotium ad me transmisit, in re tam seria ludens. Huic quoque vomitorium præscriptum est, ex decocto raphani & oxymelite, vel simili; & sumta theriaca, & hic conualuit. Est enim theriaca commune remedium contra venenum sumtum: proprium antidotum præscribere non poteram, cum non scirem, cuius generis venenum esset. Quibus remediis consopito stomachi dolore, vterque curatus est.

2

SCHOLIA.

3 *Historia mirabilis de veneno assumto.*

VEniebat eo tempore mihi in mentem historia illa, quæ anno 1538. mense Iulio Bononiæ contigerat, de tribus fratribus nobilib. & valde diuitibus, in vnis ædibus cohabitantibus, & duob. vxorem & liberos habentibus. Quorũ fratrum natu minimus, nescio quo odio aut simultate, vel hereditatis desiderio impulsus, duos fratres, tum vxores ac liberos veneno perdere decreuit; & fere totam familiam perdidit, arsenico in vini cadum iniecto; ex quo bibebant ignari. Postquam longo tempore ex eo vino bibissent, ceperunt tandem veneni symptomata in ventriculo ac ventre & venis persentiscere. Quando & amicorum quidam ab iisdem cõuiuio excepti depromto ex eodem cado seu vase vinum liberalius bibissent, statim & illi vbi domum redeunt, dolorem & puncturam in ventriculo sentiebant: atque mordacitatem quandam, & corrosionem, & inexstinguibilem sitim tandem senserunt: nam hæc plerumque sunt symptomata arsenici: est enim calidum & siccum, *vt refert Auicenna cap. proprio.* Horũ vnus suborta veneni suspicione, statim epoto oleo euomuit, & liberatus est: adiit tamen ad propinquos, eos de veneficio insimulans. Hi se excusant, atq; similiter iam dies aliquot se affligi queruntur. Excussis exploratisque omnibus, denique in cado vinario arsenicum inueniunt, quod in fundo crustas effecerat. Comperta re statim medici accersuntur. Cum iam malum in venas grassari cæpisset, & putredinem vna cum febre creauisset, Dominus Matthæus Curtius, medicorum in Italia tunc facile primus, consuluit ad reprimendam putredinem, intentionem exsiccandi habendam. Ergo *bolum Armen. cum Zacchara rosato* exhibuit: item *syrup. de corticibus citri, acetosum, limones, arantiorum & granatorum succum,* & id genus acidorum per se edere, tum cibis miscere iussit. Quod si inter initia, dum adhuc in ventriculo venenum hæreret, fuisset vocatus, humectantia & lubricantia conducere dicebat, ad expellendum vel vomitu vel alui deiectione: periere ex isto veneno tres. Hispanus tamen medicus, qui adhuc meo tempore viuebat, cum Bononiæ agerem, quẽ & sæpe in praxi comitabar, cum consilia haberentur, humectatiua & infrigidatiua intentione vtendum esse suadebat; & iis dabat, quibus in hoc casu succurrebat, pharmacum *ex agar. trochis. ℥ j. ß. rhabarb. tantundem, diacassiæ ℥ vj. elect. de succo rosar. ℈ iiij. zucchari ℥ j.* Hæc

4

5

Hæc iuueni robusto viro exhibita bene eduxerũt, & eundem febre probe liberarunt. Agaricum tamen in aqua nenupharis infudit, & eam expressam miscuit. Ad tormina quæ in intestinis manserant, clysteribus lubrificantibus est vsus. De veneno pulcerrimus est locus apud Galen. *de loc. affect. lib. 6. cap. 5.* vbi inter reliqua, ita inquit de veneno per os sumto: *Quum enim homo suapte natura probis humoribus abundans, ac sanorum more educatus, derepente moritur* (vt lethali assumto veneno fieri solet) *deinde corpus aut liuens, aut nigricans, aut varium esse, aut diffluens conspicitur, aut præ marcore fœdum molestumque reddit odorem; tunc venenum sumsisse aiunt.* Memini ego puerum apud Delphenses, cum pultem ex arsenico, qua glyres interficiuntur, incaute sumsisset, solo vomitorio ex oleo & iusculo pulli venenum euomendo statim curatum fuisse. Solent in Italia in principio hausti veneni assidue lac bibere, cum oleo amygd. dulc. Et hoc quidem iam sæpe expertum est Auicennæ *De cura icteritiæ in fine* decerptum. Ego solo oleo amygd. dulc. epoto cum ceruisia butyracea in multis vsus sum, quos curaui, *de quibus suo loco dicemus cum de venenis agemus.* Narrat Amatus *cent. 2. curat. 65.* de puero, qui epoto arsenico post annum prius abierit. At ego noui qui multo annos superuixere, sed in magna miseria, cruribus resolutis, vt vix incedere possent; & mulierem post duos annos tandem vita orbatam. Ita & religiosa quædam Delphis veneno infecta, longo tempore, sed misere, superuixit.

Observatio XXIX.

De ventriculi dolore ex obstructione hepatis, & vteri inflatione.

Elisabetha Guilelmi, 36. annos nata, vxor Ioannis Stopii, Alcmariæ anno 1551. dolore intolerabili ventriculi afficiebatur, & circu hypochondrion dolebat, partim ab hepatis obstructione, partim ab veteri inflatione: qui dolor admodum vehemens ab imo ventre vsq; ad stomachum ascendebat; quæ eiusmodi doloribus alias obnoxia ex ventositate; quibus valde angebatur. Ad illam ingressus, libenter enema iniecissem: sed cum nullo modo admitteret, decocto sequenti bis in die vtebatur, cum aluus resisteret: ℞ *scabiosæ fœniculi cum toto, viol. capill. Ven. melissæ, florum chamomillæ, meliloti ana m. j. cassuthæ, agrimoniæ* (ob hepatis oppilationem) *ana m. ß. rad glycyrr. ℥ ß. semin. anisi, carui, ameos ana ʒ j. semin. fœniculi ℥ ß. flor. cord. p. j. follicul. senæ ʒ j. epithymi ʒ iij. polypod. quer. ℥ ß. prun. damas. num. xv. vuar. ab arill. repurg. ʒ j. hordei mundati p. j. iuiubar. sebesten. ana num. v. coquantur in sero lactis, pro ℔. j. ß. Zacchoro dulcoretur colatura:* in qua pendeat globulus sequens, exprimendus tum potio sumeretur: ℞ *rhabar. selecti ʒ j.* (erat enim ipsa magna ex parte biliosa, quamuis nunc etiam pituita precipue erat collecta) *agarici trochis. ʒ ß. spicæ, schœnanthi ana gran. vj. fiat nodulus.* aluus vtcumque eo decocto soluebatur, dolor tamen non sedabatur. Locum igitur dolentem inunximus vnguento sequenti; prius fomento infrascripto vtentes: ℞ *vnguenti nostri pectoral. dialthææ, olei chamæmelini, anethini ana ℥ ß. misce.* ℞ *rad. althææ ℥ ß. folior. maluæ flor. chamomillæ. meliloti ana m. j ß. artemisiæ, absinthii, cassuthæ ana m. j sem. lini fœnugr. maluæ, anisi ana ʒ j. sem. fœniculi ʒ j. coquantur in aqua pro ℔. j ß. pro fotu in fine decoct. addendo vini Rhenensis optimi parum, & aceti ℥ j. ß.* Quo & hypochondrium dextrum & ventriculus, & imum ventris circa vterum fouebantur, cum spongia calide immersa & expressa. Et aliquo modo dolor remissus est. Verum cum rursus aluum non deponeret, hoc modo illam purgauimus: ℞ *diacatholici ℥ ß diaphœnici ʒ ij. agarici trochis. ʒ ß. pul. Zinzib. gra. ij. dissolue cũ ℥ iij. decoct. suprascriptæ.* In aurora cum sumsisset, egregie aluum deposuit, multa pituitosa deiecit: & emissis multis ventositatibus, dolor sedatus est. Die subsequente tamen rediit, & cum balano rursus aluum deposuisset, rursus sequenti fomẽto vsi sumus: ℞ *flor. meliloti, chamomill. ana m ij. artemisiæ m. j. absinthii p. j. rad. althææ ℥ ij. sem fœnugr. ʒ j. ß. sem. anisi, fœniculi, malu. ana ʒ j. aceti ℥ ij. coquantur in aqua communi pro fotu:* etiam hoc deinde emplastro infra vmbilicum imposito versus dextram partem, vbi tunc dolor erat: ℞ *flor. meliloti, chamomill. summitatum anethi cum flor. ana m j. ß sem. maluæ ʒ ij semin. fœniculi ʒ j. ß. rad. althææ ℥ iij. coctis in aqua ad mollitudinem & contusis adde farinæ semin. lini. fœnugræci ana ℥ ß. olei lilior. amygd. dul. ana ʒ j. ß. olei anethini, chamomill. scorpionis ana ℥ ß. misce.* Ventriculus tunc minus dolebat: sed magis dolor erat circa imum ventrem, versus dextram partem; sed inferius, vt locum hepatis non attingeret. Interim pro corroboratione stomachi cum oleo absinthii ventriculi regionem inunximus. Vrina huic minime inflammata erat: ideo obstructio illa, quæ in hepate erat, potius erat ex humoribus frigidis quam calidis: & quia dolor ad vreteres tenderet, versus inguina, etiam ad regionem renum, ideo commode aliquid olei scorpionis adiecimus: & egregie profuit; & liberata ab illa obstructione, quæ locos dictos affligebat, plurimum lotii profundebat: & tandem cataplasmate seu emplastro apposito, dolor iterum cessauit. Interea his tabulis vtebatur: ℞ *specier. diacimini, trionsant.* (vt hepar minus calfieret) *ana ℈ ij. diambræ* (ob vterum) *specier. arom. rosi.* (ob stomachum) *ana ℈ ß. dissolutis in aqua artemisiæ & absinthii, adiect. Zacch. albiss. q. s. fiat confectio in rotulis, ponderantibus ʒ iij.* sumebat ante pastum per ij. horas, dolore non amplius redeunte. Eodem fere tempore alia mulier, illius quoq; vicina, iisdem malis cum affligeretur, iisdem fere præsidiis, vel parum immutatis, & hæc similiter conualuit.

Scholia.

Dolor ventriculi si ex vitio aliorum membrorum fiat, siue ex vtero, iecore, liene, patet ex iã dictis, quod illis mẽbris prospicere oporteat: & in qua minera mali seu materia lateat, & ad ventriculũ transferatur, primo tollẽda est: & quia hic erat materia frigida atque flatuosa, & eductu difficilior, cum dolor quidem remitteretur, sed

postea rursus rediret, repetenda erat purgatio. Interea & ventriculi quoque ratio habenda erat, eundem roborando oleo absinthii exterius inuncto, ne vapores flatuosos reciperet. Ideo & diaciminum & arom. rosconueniebat. Quare cum talis morbus aliquando per interualla huic mulieri reuerteretur, de præseruatione consului, vt optimam victus rationem institueret, vt minus pituitæ gigneretur, neque ventositas accederet ex iis quæ fomitem præbeant: quare imperaui vt omnia frigida & crassa vitaret, olera, carnes vetulas, duras, & molles nimium, fructusq; frigidos, legumina, & vt somnos longiores fugeret & vigilias superfluas, quæque viscera grauant: vt & extrema membra ac ventrem potius calida conseruaret quam frigida, præcipue pedes; & iis vteretur, quæ flatus discuterent, & pituitam attenuarent modice, non tamen valde calfacientibus, ob hepatis caliditatem. Et ita nunc fere omnes dolores stomachi absoluimus: quibus distinctis remedia sunt petenda ab affectibus supra enumeratis. Quod si dolor fiat a nimio sensu, vt qui facile in animi defectionem incidunt, non erit præter rationem imperare vsum theriacæ recentis, factis quibusdã prius euacuationibus per clysteres & pilulas conuenientes. Ceterum si dolor fiat ab inflammatione, apostemate, abscessu, vel vomica, aut vlcere stomachi, de iis nunc per ordinem dicemus: cum seorsim de iisdem tractandum sit.

Dolor a nimio sensu quomodo curetur.

OBSERVATIO XXX.

De ventriculi phlegmone seu inflammatione.

CVm stomachus, veluti ceteræ corporis partes, inflammatione tentari possit, modo in ore vẽtriculi, *vt in 1. obs. huius libri diximus*, modo in alia quauis ventriculi parte: id ex dolore simul cũ positu dignosci potest, quæ pars affecta sit: similiter & ex proprii eiusdem partis muneris oblæsione: appetentiæ, siquidẽ in ore ventriculi: cõctionis autẽ, si in eius cauitate excitetur. Sic iuuenis occurrit qui nobis proponebatur curãdus: qui cum continuo febricitaret, ac lotiũ valde rubrũ haberet, dolorq; immensus ac assiduus in vẽtriculo adesset, qui nullis medicamentis admotis mitigari poterat, tumorẽ manifeste conspiciens, & æstum tactu percipiens, cum & manifesta grauitas ei aderat, simul & febris continua, vt diximus (*quæ omnia inflammationis ventriculi signa sunt*) inflammationem adesse percepi. Quare tenui & exquisito victu præscripto, *vt Galen. monet lib. 13. method.* ptisanæ cremore contenti, a carnibus, vino & aliis cibis calidis abstinuimus, potuque aquæ hordei mundati & glycyr. vtentes, malisq; acidis, aeremq; temperatum seu parum ad frigidum vergentem, elegimus, & somnum moderatum aut paulo breuiorem admisimus: nam si longior fiat, quam oportet, potius inflammatio augeretur, detẽto insimul in tali somno intus non solum præter naturã calido innato, sed alieno, & eo qui præter naturam est: ad quorum detentionem non immerito inflammatio ipsa (*vt diximus*) augeretur. Similiter quietem iniunximus; & vt motum omnem vitaret præcepimus. Nam prima sunt in curatione ipsa (*teste Celso 5. cap. lib. 4.*) quies & abstinentia: ideo & immodici animi affectus non parum nocent, & propterea vitandi sunt. Et hac quoq; de caussa mandauimus vt parum loqueretur. Quod ad medicamenta attinet, confestim, cũ nihil prohiberet, ex vena interna cubiti dextri sanguinem vtcunque detrahere iussimus. Deinde *oleo rosaceo, cotoneorum, puluere rosa. siccarum adiecto, vel huius æmulo, cum pauca cera*, ventriculum inunximus. Purgationem eo tempore non dedimus, cum in principio essemus: sed frictionibus & ligaturis ad diuersionem commode vtebamur: & si aluum nõ redderet, vt lenibus clysteribus ea tantum leniretur, cõsuluimus: mox & fotu ex *floribus rosar. rubear. absinthii Romani. & portulacæ decocto parato* vt vteretur præcepi: & vt per os exhiberetur id quod sequitur: ℞ *syr. de end. ex succo acetosæ, syr. de ribes ana* ℥ *j. aquæ plantag. ros. acetosæ ana* ℥ *iij. vini granat. acetosorum* ℥ *j. misce pro iuleb.* tam ob sitim quam febrem, Postea, cum materia magis fluxa esset, ne aliqua sumeret quæ intus materiam constringere possent. Quare & hunc syr. vel similẽ cepit: ℞ *syr. viol. ex infus. rosar. rub syr. de acetos. citri ana* ℥ *j. aquæ end. cichor. borag. ana* ℥ *j ß. aquæ absinthii fœniculi ana* ℥ *ß. misce pro ij. dosibus.* Et tunc prius pro leui purgatione cassia accepta, quã antea dare tutum non erat. Oleis supra scriptis, *o ei chamomill. & absinthii parum* addidimus. Fotum quoq; adhibuimus, *ex floribus chamomillæ, meliloti, rosa. absinthii, viol. maluæ, rad. althææ, & semin. sumach. decoctis in aqua rosa. & chamomillæ, addito in fine pauco aceto.* & dolore sedato, inflammatio cessauit, tum febris ipsa, apostematis resolutione facta. Tunc quoque præscriptum, ad ventriculi roborationem *diarod. abb. in tabulis.* & perfecte conualuit. Venit tunc mihi in mentem historia illa Amati de mercatore, quem Anconę curauit, qui in ore ventriculi inflammationẽ patiebatur, qui sæuissimus alioqui morbus sæpe est: a quo qui euadunt Iouis filii, & albæ cornicis dicendi sunt. Leni itaq; clystere fecibus eductis internam venam dextri brachii pertundere iussit, sanguine ad vncias decem extracto; & loco dolenti sequentia apposuit: ℞ *olei cydon. myrtill. ana* ℥ *ß. pul. myrob. citrin.* ʒ *j. boli Armen.* ʒ *ß. eoque tepide locus affectus inungebatur.* At cum his parum proficeret, & dolor ingens, cum anxietatibus & nausea perseueraret, ex eodem vulnere brachii iterum sanguinis missio ad vncias octo repetita fuit: & emplastrum hoc admotum: ℞ *farinæ hordei* ℥ *j. ros. rub. siccar. santal. rub. ana* ℥ *ß. pul. sumachiorum, hypocystid. ana* ʒ *ij. olei rosa. omphacini, succi omphacii, id est, agrestæ* ℥ *ß. cum succo end. & ros q. s. fiat emplastrum:* quod sic frigidum, ob intensam caliditatem, dolenti loco admouebat, & sæpe innouabat: quo vir ille melius habere cœpit: neque dolor ita intense eundem vexabat. Porro vt aluus singulis diebus responderet, admodum sollicitus erat, præcipue lenibus clysteribus, vt hoc sequenti: ℞ *iuris pulli, vel decocti maluar.* ℥ *xv. olei ros. viol. ana* ℥ *ij. vitelli oui numer. ij. Zacch.* ℥ *j. ß. cass. extracta* ℥ *j salis communi-*

munis ℥ j. *misce; fiat clyster.* Elapsis vero quinque diebus, locus, vt antea, male affectus, fomento ex ros. & chamomilla parato fouebatur: ac postea hoc aliud emplastrum apponebatur: ℞ *acanthi, id est, brancæ versinæ, rosa. rub. rad. maluauisci ana p. j. in aqua fiat decoctio; & abiecta aqua in mortario marmoreo, omnia optime pistentur: quibus adde farina hordei, chamomillæ, seminis leni, fœnug. ana* ℥ ß. *santal. rub. alb. ana* ℥ ij. *cum oleo ros. & chamamelino & pauca capi pinguedine fiat. emplastrum: & loco dolenti tepidum admotum fuit.* Tertio die, post admotionem emplastri, ruptus & phlegmon: & æger per vomitum saniei parum reiecit, veluti per egestiones: se tunc sic multo melius habere sensit. Sequentibus diebus aquam mellis ad vlcus lauandum bibebat, cui quandoque thuris mannam, Galeni consilio miscebat: quibus intra 20. dies sanitatem obtinuit. Cibus huic ptisana erat, ad octo præcipue priores dies; cuius vice adamygdalatum, multa destillatitia rosacea paratum, quandoq; veniebat: postea vero ius pulli gallinacei ille largiebatur, aut ex eo paratam panatellam, vel eius carnibus continuatum contusum. Potus vero aqua hordei per se, aut mixtum illi granatorum vinum erat. Sed & aer circumdans, frigidus quoque erat. Hæc amatus *cent. 3. curat. 93.* At iuuenis, de quo prius dictum, per modum resolutionis curatus, ruptionem non fuit expertus.

6

SCHOLIA.

7

Ventriculus secundum suas tunicas, siue internam siue externam, potest pati tumores præter naturã, & præcipue phlegmonẽ: quam quidam volunt fieri ex calidis succis, vt ex sanguine, vel ex bile, vel ex vtroque humore permixto; idque in ore ventriculi vel in alia quauis eius parte: quam ex dolore simul cum positu dignosci volunt (*vt paulo ante diximus*) & ex propriis eiusdem partis muneris oblæsione: appetentiæ siquidem in ore ventriculi; concoctionis in eius cauitate. At quod ipsa morbus compositus sit in magnitudine primo, & secundo intemperie, & tertio in soluta continuitate, patet apud Galenum, *lib. De diff. morb. tum 3. De temper. lib. De inæquali intemperie, ac reliquis plerisque locis.* Quapropter non ab re eam insequuntur, tumor præter naturam, grauitatis, ac multi caloris sensus & dolor circa partem affectam. Accedunt adhæc sitis valida, & febris ardens. Tumor autem & calor etiam tactu a medico iudicari queunt. Nausea quoque consequetur, propterea quod inflammationis caussa in ventriculi tunicis contineatur. Verum vbi biliosus magis redundet succus, ita vt inflammatio erysipelatis naturam referat, vehemẽs erit ardor, sitis immoderatior, ac ardentissima febris, sed minor tumor ac grauitas. Ex quibus etiam signis interstinguis poterit diuersa caussa eiusdem inflammationis; præcedente victu ratione, ætate, temperamento, anni tempore ac reliquis non prætermissis. Est omnium horum tumorum eadem generatio, scilicet ex superuacuæ materiæ affluxu, siue ab initio inutilis sit, siue vtilis sui natura, sed parti molesta. Influit autem generatim

Partis affectæ dignotio.

Quis affectus præter naturam sit inflammatio.

Eiusdem inflammationes signa.

Caussa.

8

per venas, per quas nutritur. Quod si sanguis sit, primum maiores tenduntur, mox minores, donec resudat in ipsam carnem humor, eamq; spongiæ ritu madidam reddit, ac spatia, quæ fibras interiacent, & in quibus arteriæ non mouentur, replent: vnde durus repletione tumor fit, & tensio: & renititur comprimenti; & dolor adest. Calor vero tum ex natura humoris gignitur; tum quia collectum in arcto loco impactum, non transpirat: vnde necessario putrescit. Putredo vero calorem gignit: qui in ea parte sit, quæ vel ob vicinitatem, vel ob præstantiam cordi calorem communicare potest, febrem facit, aut ephemeram aut putridam; prout maior vel minor est communicantia. Vnde *10. Method. 6.* febres ex phlegmone aliquo modo dici possunt putridæ, si caussam respicias, licet reuera sint ephemeræ natura: quando solus calor communicatur cordi, non autem putridus vapor, vide *1. De feb. diff. 5. & De venæ sectione ad initium.* Sed nunc sicut ex sanguine plus iusto influente, phlegmone in eo gignitur: ita & ex aliis humoribus tumores alii fieri possint. Videtur enim quod simili ratione fiat generatio, iuxta Iacchinum doctissimum, eodem scilicet influxu, *ex 13. method. 1. & De venæ sectione.* Quod si res ita habet, cur ergo auctores phlegmones solius meminere? Respondet Iacchinus: Atqui erysipelatis stomachi alibi fecerunt mentionem, *vt 10. Method. & 4. De vict. 2.* Quod vero scirrhosi tumores fiant, nos, inquit Iacchinus, vidimus in dissectis: vt Florentiæ in muliere e domo Puccina. Respondetur primo, *sub phlegmones voce comprehendi etiam erysipelata, vbi non est exacte loquendum.* Alii vero tumores raro accidunt, quoniam in mẽbranas duras non facile confluere potest crassus & viscibus humor; præsertim in internam. Aliquando in externa constitere: & memini (*inquit idem Iacchinus*) me ad tactum scirrhosos tumores sensisse; duros inquam, sine dolore. Hi ergo si accidant, ex communi ratione curandi scirrhos, curantur; addita solum curatione a parte: quam in vno exemplo phlegmones monstrare sat erit: & iure; quoniam maxime periculosa est, & curatio multum artificii exigit. Sed hic videndum, etiam ventriculum posse in tumorem eleuari ex solo vẽto: cuius habemus exemplum apud Beniuenium *De abditis caussis capit. 40. Annum 16. agenti Petri Guicciardini filio ita ceruix ventriculi sine vllo doloris sensu eleuabatur, vt magnitudinem cydonii pomi æquaret: nec manifesta caussa ostendebatur, cum omni nocumento careret. Quare rem admodum diligenter vestigare cœpi; admiratus quænam abdita huius mali caussa esse possent. Sed quum nullum prorsus præter ventum inuenirem, a quo, ventriculi capite paulatim eleuato, ita eiusmodi fieret tumor, vt & ossa talem situm adepta, nec vltra ad pristinum statum reuersa, figuram illam illis impressam tanquam naturalem custodirent: ferrea demum lamina, quæ ex cingulo quoque surgebat ferreo, stomachum comprimi iubeo; quo paulatim ad sedem suam retrocedere cogeretur: quod factum est. Nam haud multo post hoc vno tantum præsidio ita repressus est*

Vnde tumor, tensio & dolor ac calor.

Vnde febris.

9

Quomodo tumores in stomacho etiam ex aliis humoribus vti ex sanguine fieri possint.

Scirrhosi tumores post dissectionem in stomacho inuenti.

Duri tumores in parte externa aliquando constitere.

10

Eleuatio stomachi.

tumor ille. vt ad pristinam ac naturalem formam ipsius ventriculi ceruix penitus reuersa sit. Hæc Beniuenius. In iliaco dolore, cum excrementa per os redduntur, ventriculus quoque in tumorem quandoq; attollitur (*vt nos vidimus*) partim quidem ex flatibus, sed magna ex parte ab excrementis eo perlatis. Quandocunque autem tale aliquid contingit, non modo spes vitæ superest; sed mors fere imminet. At stomachum indurescere diximus paulo antea. *scholio obs. 25. huius libri*, eiusque curationem, sed breuem, adiecimus: sed durities illa non est omnino sine dolore. At erysipelas licet æque aut magis periculosum, quam scirrhosus tumor ventriculi, præcepta tamen curatiua habet simplicissima; scilicet solis frigidis intus, & extra admotis. Sed nos de phlegmone prius agamus, id est, tumore facto a mediocri sanguine & vtili. Hic ergo in partem influit ex maioribus venis, quæ eo confluunt: confluxus vero caussa est, vel ex ipsa parte attrahente, vel ex quapiam alia transmittente (*iuuat enim modo fusissimas Galeni demonstrationes 13. Method. in Epitomen cogere*) Quæ transmittunt, robustiores necessario sunt, vel natura, vel ex accidente aliquo suscipientibus comparatæ. Transmittunt autem, quia ipsa se grauari sentiunt, vnde vi vtuntur noxiorum, seu onerosorũ expultrice. Quæ vero grauant, aut quantitate molesta sunt, aut qualitate vitiosa & noxia: vt calida, frigida, acria. Ex altera parte, quæ attrahunt, confluxum caussant: attrahunt vero calore partis, aut dolore. Opus vero caloris Asclepiades nolebat *attractionem* dicere, *vt Galen. scribit*: ipse vero vult attractionem dici; cum ille influere humores, non autem attrahi in partem calefactã diceret. Et quidem non facile decernitur (*dicente Iacchino*) quis horum rectius sentiat. Asclepiades calore, vt puto, considerauit fundi & liquari circumstantiũ partium succos: aperiri partis meatus ac laxari. His facilis fit confluxus, vt cõtra frigidis arcetur. Nec Galenus aut ratione, aut experimento monstrabit, quod calore attractio fiat. Nam quod in magno mundo a sole sursum feratur vapor, attractio non est: siquidem per se mouetur sursum, ex forma quam a generatione acquisiuit. Ratio vero, solum rarefactionem & heterogeneorum solutionem a calore fieri inuenit. Secundo *De diff. feb. 11.* loquitur disiunctiue, quod calor vel attrahit vel recipi facit. Adde, pro Asclepiade, quod calor, cum intemperiem efficit, dolorem efficit. Ad dolorem non propriam attractionem reducit Galenus, sed ad transmissionem, *vt statim dicemus*: Dolor enim, inquit, confluxum excitat: quoniam natura dum caussam contristantem expellere tentat, si quidem primo impetu non prospere succedat; maiore impetu nixa, sanguinis aliquid, & spiritus eo trudit. Sic ad dolores plagarum, tumorem insequi cernimus. Hoc ergo non est dolorem attrahere, sed doloris occasionem esse, vt humores in partes transmittantur. Quod si *2. De diff. feb. & alibi centies* attrahere dolorem inquit; non proprie de attractione loquitur, sed cum ea similitudinem habet, quatenus pars dolens ipsa dolore repletur. Ideo rectius loquitur *3. Method.* cum inquit: *Dolor est fluxionis caussa*: non dicit, *fluxionem trahit*. Et rursus *6. De vsu partium*, attractionem triplicem ponit; vacuo, calore, familiari qualitate: doloris vero non meminit: sed hoc, quia non erat ad propositum, cum de attractione cordis ex arteriis loqueretur. Considera ex eo loco expertum attractionis caloris: vt flamma ex ellychnio oleum attrahit, & hoc caloris vi ex lucerna, vnde eam exhauriri videmus. An non videas magis num sicci ratione attrahat, an calidi? sicca enim humidum attrahere vehementer videmus; vt spongiam, linum: hinc ergo ellychnium. Sed tunc aliam caussam attractionis dare oportebit: nempe quæ a siccitate fit. Præterea si hæc esset attractio, tunc siccum, id est, igneum, humidum sibi contrarium attraheret: contraria vero se refugiunt. Sed hæc alias. Signa phlegmones ventriculi, si ex ipsa naturã haberi debent, partim affectus natura sapient, partim affectæ partis. Atqui affectus signa hæc sunt: dolor primum, qui ex solutione continui fit, facta ex materia replente, & tendente sensitiuas partes: mox tensio, seu renixus partis, quæ repletione accidit. Cum enim durum vniuersum sit, quod tactui, non cedit, *5. De simplic.* alia dura erunt concretione, alia repletione; cuiusmodi est phlegmone. Quod vero materia, a qua fit, sit sanguis, necessario calor aderit parti; & non solum ex natura materiæ, sed etiam ob putredinem, quæ ex necessitate sequitur. Semper enim humida & calida corpora cum in calido loco manent, non perflata citissime putrescunt. At non perflantur, quod omnes meatus, per quos transpiratio fit, sunt adstricti, vel obstructi. Vnde & probe Thessalici phlegmonem adstrictam passionem dicebant. Rubor vero ex natura humoris accidit. Hæc indicant omnem phlegmonem, quæ sub sensum venit: sed si interna sit, non omnia hæc sentiuntur; quædam tamen. Primum ergo dolor sedem affectam demonstrat, si præsertim non extimas partes attingat, quod tactu distinguitur. Vnde internas partes afficere monstratur: quæ & ex vehementia eius coniectura fit. Mox sensus tactus aut visus tumoris circumscriptionem sentit: sed hoc non semper euenit, vt cum remotas partes obsederit. Ideo, quod dicit, & apostema manifestum fuerit, id est, tumor apertus; efficax quidem nota est, sed quæ non semper sentiatur. Fit tertio coniectura ex febre, quæ necessario adiungitur. Est autem necessitas generationis ex putredine, *vt in lib. De venæsect. habetur, & 1. De diff. feb. 5.* Quæ cum necessario putridum calorem excitet in parte; si quidem pars illa, vel quia vicina est, vel quia nobilis, multis vasis abundans; vel ob multitudinem materiæ collectæ calidæ; communicabit cordi calorem suum igneum: vnde vniuersum corpus incalescet præter naturam; & ita fiet morbus febrilis. Quod si non modo calorem, sed & putridum vaporem insuper impertiri possit, iam non febris modo, sed putrida fiet, Cum igitur venter vicinum positum habeat, arteriæ;

11 12 13 14 15 16

Erysipelas stomachi.

Phlegmone ventriculi ex sanguine mediocri & vtili confluente.

Hac doctrina multis partibus erit communis.

Phlegmones internæ signa.

teriæ, & iecinori, facile febrem faciet. & eam putridam, & continuam: cuiusmodi sunt omnes febres, (*vt ostendimus in libris nostris de febrib.*) quæ ex viscerum tumoribus & inflammationibus fiunt. Hæc Rhases. Sed super eundem scribens Iacchinus (*cuius verbis hactenus vsi sumus*) coniecturam, inquit, *solum affectus facies, nisi & alterum addatur; calor loci perceptus, & ab ægro & astantibus; cum palma ventrem attingunt.* Adde & sitim, quæ necessario euenit; nam cetera symptomata, quæ Galenus numerat, insequuntur, præcipue os ventris afflictum: ideo adaugent coniecturam affecti loci, sed non affectus. Siue enim conuulsio seu delirium sequatur, siue cibi horror: omnia, inquam, ad ventris morsus sequi dicuntur: sicuti & animi deliquia. Ob has caussas Auicenna vaga quędam signa addit, vt certificet coniecturam; Si (inquit) dolor remediis non soluitur, & durat, significat apostema. Sed signum est inefficax, nisi intelligatur continuitas caloris; hoc enim aliquid facit ad agnitionem cum reliquis. Similiter & vitia pulsus & anhelitus, communia aliis caussis esse videntur, non propria phlegmones. Hæc de signis phlegmonem indicantibus. De prognosticis postea.

17

Observatio XXXI.

De ventriculi phlegmone, seu inflammatione lethali.

11

GRauiter & continuo febricitabat Harko quidam Alcmarianus, admodum senex, qui iuxta Sacellum Sancti Spiritus, ex phlegmone ventriculi decumbebat, & ex continuo singultu, qui procul dubio etiam ex inflammatione ortum habebat. Ad hunc cum circa quartum diem prius accitus essem, vix remediis adhibitis, facto etiam prognostico, eodem die obiit. Neque admiratũ dignum, cum morbus hic semper periculosus sit; nam & de morbi magnitudine quid attinet dicere, cum & per se lædat plurimas & necessarias actiones, vt nutritionem: & dolorem prosternentem vires inferat: habetque id præcipuũ, vt principes partes in consensum maxime trahat. Sed de his latius in scholio.

Scholia.

2 *Signa prognostica.*

VBi stomachus inflammationem sustinuerit, magna opus est diligentia, *teste Alexandro Tralliano lib. 7. cap. 14.* quoniam maximum morbum & necessitatem corpori affert. Quod si imbecilles fuerint vires, iis, qui ea laborant (*vti huic seni erant*) mortifera vt plurimum esse solet. Quamuis non solum ii, sed etiam qui valentiores ipsis sunt, ab ea interimi consueuerunt. Nam quibus vel iecur, vel ventriculum phlegmone obsidet, veluti pleuriticis, peripneumonicis ac synanchicis, vna salus est, videlicet ipsum virium robur, ex *Galeni decreto 10. meth. med.* Curatio quanquam ex communi phlegmones curatione pendeat, vt augmentum inhibeamus, & factam phlegmonẽ curemus: ea tamen oportet ad ventriculi phlegmonem accommodare. Præscribemus itaq; victum refrigerantem (*vt iam diximus*) & tenuissimum; & si naturam erysipelatis magis referat, magis refrigerantibus vtendum, *vt lactuca, cichorea, vel endiuia, vulgo scariola dicta, in aqua hordei decoctis, & ptisana, postea in iure pullorum gallinaceorum decoctis:* abstinentes a vino & carnibus, vt dictum est. Venam quoq; statim secabimus, præcedente clystere emolliente, si aluus strictior: pariterque ad diuersionem frictionibus, ligaturis, cucurbitulisque ac reliquis diuersionibus vtemur circa initia: abstinẽtes a medicamento purgãte, ne materiam ad locũ affectum & inflammationem trahamus: *ex Gal. decreto.* Huius habemus historiam apud *Grad. supra 9. Almansoris, cap. proprio,* de puella iuuene robusta, quæ cum die 3. ab initio apostematis medicamẽtum solutiuum, contra opinionem alterius medici, cepisset, 5. die obiit. Vomitum hic perpetuo etiam euitãdum volunt, cum ventriculum dilaceret: alii tamen tempore maturationis conuenire existimãt, vt rumpatur: præstat tamen ab omni vomitu abstinere. Quod purgatio non conueniat in principio, cõstat ex *Gal. 13. meth. medendi.* Post hæc ad ea, quæ extrinsecus applicantur confugiendum, & mixta curatio debet esse, ex astringentibus & laxantibus: quamuis circa initia semper adstringentia intendi debeant, iuxta eundem Alexandrum: & si eis duntaxat vtaris eo tempore, non peccabis, *ex Galeni auctoritate 13. method. medendi.* Valet itaque *oleum omphacinum, rosaceum, cydoniorum, vel de absinthio,* si valida non fuerit inflammatio, aut feruor: vel ex *rosac. & absinth p. j flor. chamomel. radic. ac foliis althææ p. media in aqua pluuiali decoctum facit, & pauco aceto aut vino albo fiant epithemata vel vnguent. vt iam ostendimus exemplo paulo superius dicto.* Et vbi iam laxantibus magis indigeas, vtpote incremento aut vigore, adde prædictis laxantia, & augeas, vt *chamæmelum, althæam, semen lini, meliloti & fœnugræci & adipem anserinum, oleum chamæmel. anethinum, liliaceum, & mastichinum, ac vtriusque amygdal.* iis omnibus aut quibusdam simul permixtis, varia medicamenta compones, vti vsus postulabit, & epithemata, cataplasmata, & vnguenta. De quibus vide Aetium & alios auctores. Vbi moderata fuit inflammatio, etiam ceratum *Galen. 4. method.* sufficiet: & vbi stomachus magis corroborari postulet, aloen augere conuenit, admiscereque cum eo succum absinthii, aut œnanthem, aut succum capreolorum vitis. Ceterum vbi phlegmone prorsus inclinauerit, & aluus non deiiciatur; tunc poteris exhibere *mannam, thamarindos, syr. ex infus. ros. viol.* Vbi vehemens sentiatur ardor, vel cassiam, cum cichorii aut hordei decocto. Et quamuis *Galen. 13. method.* & filiculam & corticem nigri veratri approbat: iis hoc tempore præstat abstinere. Si quid vero scirrhosum relictum est, vti phlegmone est, ita vt emollientia requirat, etiam corroborantia ac astringentia cum eis permisceri debent, ex Traliani decreto: quorum medicamentorum magnam copiam reperies apud eundem, & Aetium & Paulum. Si itaque durus tumor appareat: siue quia ab initio vera phlegmone non erat: vel

Curatio

Refrigerantia.

3 *Venæ sectio & diuersio.*

A purgatione in principio abstinendum.

Error cuiusdam medici notatur.

Vomitus nõ conuenit.

Topica.

4

5 *Quo tempore purgatio præberi possit.*

erratum est in remediis, resoluendo fortius quam expediat; tunc malagmatis est vtendum: quale ex meliloto fit. Cuius generis est & illud a Rhase, vltimo loco descriptum. Egregie valent, cum & vim abstringentem adiunctum habeant. Oportet vt illa medicamenta, quæ ventriculo vel iocinori apponuntur, habeant aliquid adstrictionis, *vt Galenus monet in historia ex Theagene Philosophi Cynici*. Est namq; ventriculi (*vt paulo ante diximus*) sicuti iocinoris, maximus, & toti animali cōmunis vsus. Stomachum enim, prouidentissimus artifex, Deus in medio totius corporis posuit, tanquam ciborum receptaculum, aut promtuarium quoddam, vt ab eo cetera membra nutrimentum sibi ipsis exposcerent, captarentue. Ideo semper roborandum est. At erysipelatis intentio magis est refrigerandi, vt phlegmones vacuandi, *13. meth. & 14.* hinc fit, vt eius curatio sit refrigeratio; quali vtitur 10. methodi *5. & 9. meth. 5.* Modice tamen fiat, id est, quantum exposcit affectus, ne forte in affectum frigidum transmigret: sic enim scirrhi gignuntur.

Observatio XXXII.

De apostemate frigido ventriculi ac diuturno, in abscessum & pus transmutato.

Puella paupercula 18. annos nata, in platea diui Petri dicta, Alcmariæ habitans, per integrum annum circa stomachum intolerabili dolore cruciabatur: quæ cum medicis non vteretur ob paupertatem, forte fortuna me transeuntem vicini ad puellam introduxerunt. Magnum tunc tumorem circa mucronaram cartilaginem conspeximus, valde eleuatum & duriorem, tactui resistentem. Quem locum cum leniter attingerem, ferre non poterat. Crura autem tum reliqua mēbra stomacho non coquente, macie consumta videbantur, nutritione minus accedente. Pręnimio dolore misera exclamabat, se apostema ac abscessum in stomacho habere: quod & signa præsentia indicabant. Astantes mulierculæ nescio quæ non adhibuerant ad dolorem tollendum; prius existimantes, hūc dolorem tanquam ventosum se posse auferre tegula calefacta apposita; modo etiam tabula lignea, vt vulgares facere solent: eaq; externa caussa vel simili, sua caliditate materiam ad stomachum conuertunt; eaque attracta, cum non possit debite a natura regulari, porositates concauitatesq; medias stomachi subintrat, ac vnitatē soluit, ac apostema per se aliquando inducit; talis error plerumque ab astantibus imperitis inducitur: etiam subinde a medicis indoctis, dum ventosam magnam ventriculo, corpore impuro existente, apponūt; vel pannos calidos, aut frictiones fortes ventriculo adhibent; idq; in principio existimantes omnem dolorem ex vētositate oriri. Cum hæc itaq; integro anno dolore confecta ad extremam maciem deuenisset, facile ex signis præsentib. intelleximus, ibi abscessum diuturnum frigidumq; adesse, cum nulla siti præmeretur, quāquam subinde leuiter febricitare videbatur. Et quum iam longo tempore aluum nō deposuisset, & libenter clysterē emollientē prius iniecissem, quem nullo modo admittere volebat, mandaui ob dolorem, vt talis fotus fieret, prius epoto decocto sequenti, parato ex foliis senæ, foliis caulium rubrorum, scabiosæ (*quæ omnia apostemat. interiora resoluit vel maturat, vel rumpit; quod non solum in hac puella, sed etiam in alio abscessu interno siue pectoris seu alterius cuiuscunq; expertus sum.*) ficubus adiectis & vuis passis absque arillis, dentis leonis (*ob febriculam*) foliis maluæ, & rad. althææ, decoctis in sero lactis: qua bis in die, cum paupercula esset, vtebatur ad aluum emolliēdam. Quæ licet in principio minus conuenissent, vt scholio præcedente dictum est: tamen hic, cū in declinatione diu malū exstitisset, & maturatione opus esset, commode hoc decocto vsi sumus: tum fotu *ex decoct. folior maluæ, rad. althææ flor. chamomill. menthæ, & absinthii vtriusque* tam ad dolorem sedandum, quam ad maturationem; reliquiis cōtusis, & butyro recēti mixtis, cataplasmatis modo stomacho appositis. Et præter spem intus ruptū est apostema; & abscessus ille annuus, vomicæ instar: & euomuit saniē sanguinolentam: & per inferiora satis copiose saniem excreuit, tumore detumescēte, & dolore omnino consopito. Quare statim ad detersionem puris, vsi sumus decoctione hordei nō excorticati, *pauco melle rosato adiecto, ad detergendum vlcus*: & egregie hæc ipsa conualuit, cum admiratione multorum. Quidam vulgares eo tempore, qui tunc aderant, huic puellæ dedissēt oleū oliuarū pro vomitorio, etiam post abscessum disruptum, ad leniendū vlcus, vt illi adserebant: quibus restiti, neq; admittebam; *auctoritate Galeni edoctus*; qui nos *lib. 5. meth. med.* ita admonuit: *Ceterum (inquit) qui e ventriculo eluere pus volunt, non sine periculo vomitum prouocant: sicuti si aliter infixam illi pituitā per oxymeli & radiculam detergerent.* Tutius itaq; est deiectione vti, cum vomenti periculum sit, ne & quod vlceratum sit, dilaceret, & succum quempiam inutilem ex vicinis attrahat. Absq; mora itaq; cōtinuo decies in hora capiebat cochlear vnum atque alterum, vel paulo plura ex decocto hordei, cum pauco melle ros. cum subitanea eiusmodi vlcera indigeant mundificatione, ne profundantur, aut tunicas stomachi penetrent. Hoc enim modo hāc miseram pauperculam puellam, vlcere absterso, sanitati pristinæ restituimus, diuina gratia nobis assistente.

Scholia.

Apostemata & abscessus, iuxta iuniores, qui Auicennam sequuntur, & supra Rhasem scripsere, fiunt, vel per modum congestionis paulatim; vel per viam defluxus, ab omnibus humoribus: vel ex vno, vel duobus simul mixtis, & calidū quidem ex sanguine vel bile; frigidum ex pituita vel humore melancholico; cui nonnulli addunt apostema ventosum, si & ventositas simul adsit: Si igitur calidus est abscessus, aut ex cholera vel sanguine oritur, aut vtroque humore, æqualiter, aut inæqualiter. In bilioso abscessu, dolor tactu vel vti clauus infixus, inest feruentissimus, cum ardenti febre, naturalique circuitu, siti auidissima, cibi tædio, vomitu quandoque bilioso, cum furore

Abscessus calidus. Bilios. us.

furore phrenetico; vrina citrina vel flaua conspicitur. Ex sanguineo vero abscessu vêtris superior pars magis tumescit, ac extenditur, cum maiori pulsu, ac grauitate; vrina purpurea cernitur, venarumque pulsus maiores sentiuntur, tumor ipse mollior efficitur: si virium vetus fuerit, corpus macie conficitur, caui oculi fiunt, vrina subsistit, aluus liquida redditur; & assumto cibo stomachus male afficitur. Abscessus frigidus, nempe humore congesto, mala concoctione, nimio otio, humoreq; eodem confluente fit. Ex pituita abscessum grauitas sine siti indicat absque ardore stomachi: tum nulla febris adest vehemens, vel periodica tantum, os saliua abundat, vêter ac facies pallent, turgent sine duritie; nullum cibi desiderium est, pulsus mollis, vrina crassior, alba, corpus graue redditur, ac torpore quodam afficitur, qualis lethargicis euenire solet, læsa ex aliqua parte memoria. Ex melancholia apostema durum est, in quo dolor non perpetuus est; sicuti neq; cibi appetitus: venter in eo quandoq; sponte fluit: sed semper corpus macie conficitur, ructusque acidos edunt, ægri insomniculosi: vrina tenuis, ad glaucū vergens, pulsusq; tenuis est, ex abdita febri: iis anhelitus grauis est, ac animus tristis, ac semper mœrens. Ostium ventriculi, præsertim in abscessu calido, sæuissimo dolore afficitur: animus enim vel primo die protinus linquit, non aliter quam præcordiorum abscessu: vnde neruorum distentiones, mentis animiq; furor oboritur: multi namq; & attoniti fiunt, ex cerebri & cordis haud dubia communicatione cum ore stomachi, in quibusdā nimia inediæ sensilitate adeo obsuere, vt similiter caderent, spasmatis membris omnibus. Maxime mentis alienatio comitatur si sit apostema calidum: si frigidum, caros, stupor. Si sit in fundo stomachi, dolor est minor, & excrescit, non immediate post cibum, sed per horam post eius assumtionem: tumor quoq; & dolor prope vmbilicum, per duos digitos aut tres, aliquando declinans magis versus dextrum, modo sinistrum: magisq; læditur concoctio quam appetitus: & in fundo magna ex parte subsequitur maior lubricitas ventris. Si in parte anteriore, magis subiacet sensui, & dolor in parte anteriori sentitur; & non tolerat æger compressionem. Si in posteriori, e contra dolor in posteriori parte sentitur. Si sit in omnibus partibus, accidentia omnibus partibus sunt communia. Si in tunica interna, symptomata valde intenduntur: dolet supra modum, appetitus deficitur: syncopis, tremor ob cordis consensum sequuntur: & vomitus, si in superiori parte, vel secessus si in fundo: vt licet in contrarium euenire posset, dolor augetur, quasi immediate sumto cibo, & in descensu; & dolor circa spatulas, ob œsophagum seu gulam extēsam per deorsum. Si externa tunica, accidentia magis remissa, neque fit dolor maior sensibiliter post assumtum cibum; nisi esset multæ quantitatis. Tumor & durities exterius magis percipiuntur; neque aliquid sensibile per vomitum aut secessum educitur de apostematis materia; neque ita læditur virtus appetitiua aut coctrix: modo habent ventrem mollem, modo duriorem, deficiente virtute retentiua, aliquando expulsiua. His addunt signa temporum apostematis & resolutionis, maturationis, ruptionis & indurationis: de quibus de pleuritide dictum est. Reliqua vide apud Arculanum, tum reliquos.

Sanguineus. *Frigidus.* *5 Pituitosus.* *Melancholicus.* *Signa oris ventriculi læsi in abscessu.* *Os stomachi quib. partib. consentiat.* *6 In fundo stomachi.* *In parte anteriore seu posteriore.* *In tunica interna.* *In tunica externa.*

Prognostica signa ex superius dictis etiam patent, quod confirmatum ventriculi apostema, vt plurimum interficiat, calidum tamen velocius quam frigidum. Et si ad maturationem & exituram tendat, sæpe desperationi propinquior quam spei est. In cancroso nulla spes relicta. Pituitosum magis quam biliosum sanatur. Et in tunica externa minus malum quam in interna: exterius medicamenta imposita magis iuuant: & in tunica interna magna ex parte calida sunt per viam defluxus; frigida per congestionem. In fundo minus mala quam in ore, imo pessima. Ratio in promtu est: fundum minus sentit, & fortius est in resoluendo, ob caliditatem. Hæc quoque mala censenda, si frigus membrorum extremorum accedat; imo lethale, *iuxta Hippocratem*, si frictionibus & pannis calidis non remoueatur. Biliosum quoque deterius sanguineo: & melancholicum pituitoso. Interna quoq; si ad saniem perueniant, vix vel nunquam curantur, ob membrum nobile: quamuis hæc puella curata fuerit, est ex raris contingentibus. Ita & Gradus in toto tempore suæ praxeos, tantum bis terue curatos vidit. Quomodo calidus abscessus seu apostema curetur, iam ex parte dictum est. Cœlo primum frigido & humido æger contineri debet, vbi sine animi perturbatione, sine lectione, balneo, sine frictione stomachi degere oportet. Nec somnus longior conuenit. Valet & cibus facilis coctionis: ac paulatim frigidæ ac humectę naturę, tum actu, tum potentia offerendus est. Vinum obest & carnes, & omnia tragemata ex saccharo & melle. Valet *syrup. viol. ros. thamarindi & pus hordeacea, cum succo punici: & syr. ex succo nymphaæ*: victusque iam dictus vsque ad septimum: deinde atriplex, cucurbita in cibo danda. Supputato abscessu, refrigerantia & adstringentia paulatim remitti debent. Aluus lenienda clysteri tantum mollienti. Et si ex sanguinis vitio sit, valet *syr. ros. oxyzacch.* In bilioso, viol. nymph. pap. & protinus vena secanda, *vt diximus*. Sed a catharcticis abstinendum. Parti affectæ frigida prius imponenda, leuiter astringentia; increscente malo partim dissoluentia, partim astringentia: vbi constiterit morbus, dissoluentia & laxantia augenda: ita tamen, vt non careant restringentibus, ob partis nobilitatem. Inclinante malo, ad maturātia, & dissoluentia veniendum. In fine demum, si non resoluatur abscessus, sed suppuretur, maturantia ac emollientia conueniunt; adiecto tamen leui constringente, & ventriculum roborante, vt succo absinthii. Prorumpente demum pure, vlcerum curationes sequuntur. Quorum copiam præsidiorū inuenies apud Alexand. Benedictum Veronensem: quæ magna ex parte ab Arculano

7 Prognostica. *8 Curatio abscessus calidi.*

9

excepit. At in abscessu frigido, si initio discutientibus non curantur, (*sicuti priores abscessus*) materia enim crassa est, ac parum obsequẽs; diaphoretica plurimum valere volunt, hoc est, resoluentia. Quidam ea admiscere ausi sunt: quod alii minime censent, nisi commixta quoq; cum calida materia foret. In phlegmatico igitur conuenit in principio oleum ros. & absinthii æquis portionibus, imposito emplastro ex *far. fœnug. lini, hordei, lupinorum, meliloti ana ℥ j. absinthii, schœnanti ana ℥ ij. ros. rub. myrti, aloes ana ℥ iij.* tusa & cribrata rosaceo excipiantur, adiecto adipe gallinaceo, anserino, & succo plantag. sanguinalisq;. Alii sacculis vtuntur duobus, aut spongiis decocto perfusis, & expressis inter duas tabulas, *ex decoct. ros. cauliculorũ myrti, menthæ, absinthii. santal. schœnanthi, nardique paribus portionibus, exiguo vino austero decoctis, & percolato succo.* Interea rhodomel in potu iuuat, cum plantag. & absinthii aqua.

Apostematis seu abscessus frigidi curatio & pituitosi.

Increscente abscessu inungemus *oleo ros. chamæmel. anethino, nardino ana ℥ ß. ceræ quod satis est, adiecto spicæ, maceris, schœnanthi exiguo, & superimposito emplastro ex farina lupinor. fœnugr. ana ℥ ij. ros. meliloti, chamomill. anethi, apii ana ℥ ß. cum brassicæ succo, & oleo chamæmeli.*

10

In statu, vtuntur oleo nardino cum spica, schœnantho, cyperio & aceto, & emplastro ex melilot. chamomill. radic. alth. ammoniaco, adipe anserino & gallinaceo, & similibus: & si ad collectiones veniat, radice liliorum cocta & imposita, & quicquid collectiones aperiat, si suppuretur. Sed vnum inprimis animaduertendum est: si venter intempestiue fluat, tum emollientia plurimum obsunt: sed astringentia imponenda sunt, donec subsistat aluus, ex palmulis emplastro frigido, aut calido pro abscessus qualitate cum succo vuæ acerbæ aut absinthii, aut si opus sit, materia mixta vtrumque commiscebimus.

Abscessus melancholicus.

In abscessu melancholico, inter initia *rosaceum, lilinum, lutearumq; violarum, aut narcissinum cum aceto commixta valent,* inuncto stomacho, & subinde hoc emplastro imposito: *℞. farinæ fœnugræci, sem. lini, althææ ana ℥ ij. melilot. rosac. aneth. myrti ana ℥ ß. ex iisdem oleis cum adipe gallinaceo, ac anatino misceantur.* Cum increscit tumor, inungimus violaceo oleo ex luteis viol. lilin. adipe anatino, anserino, addito croco. In statu, *ex adipe anatin. anserin. gallinaceo, ceruin. vitulin. an. ℥ j. styracis liquid. bdell. myrr. spic. mastic. cyperi. cartham. sem. interioris an. ℥ ß. amygd. amar. ℥ j. gummi in vino dissoluantur:* deinde tusas amygdalas coniicito, & reliquas species; adipes postremo infunde: id emollit, discutit & confortat. Si phlegmone indurescat, valet emplastrũ de meliloto; & Nilei malagma, quo veteres vtebantur, qui gloria sua fraudandi non sunt.

OBSERVATIO XXXIII.

De ventriculi vlcere.

1

PVella 15. annorum, per biennium fere cum de dolore ventriculi cõquereretur, año 3. tumorem manifeste viderunt parentes in eo loco: neq; tunc quicquã consilii aut remedii tẽtatum. Hinc ruptionem animaduerterunt: excreuitque puella materiam biliosam, pituitosam ac saniosam per aluum. Ex his apostema apparuit. Hæc cum Bononiæ in Italia decũberet, tunc prius vocatus est Elideus, medicus hospitalis Bononiensis Vitę dictę, præceptor meus. Is indicatione sumta ab ætate, virtute, temperamento, loco male affecto (*quoniam locus vehementer sensibilis exsistit*) continuiq; solutione; iudicauit necessarium exsiccantibus abstergentibusq; vtendũ esse, ac magna opus fore diligentia, tum quia locus est principalibus membris subministrans; tũ quia toti corpori nutrimẽtum preparans. Quare loco potus & digestionis, prescripsit aquę mellis vsum.

2

Cibum vero facilimę coctionis, exiguę quãtitatis, ex hordei cremore, nonnũquam ex panata, exiguo cinamomo adiecto: & aliquando vinum in pauca quantitate admisit. Pulsus huic erat creber, debilis, paruam habens inæqualitatem vt fit in affectibus vẽtriculi: vrinę albæ, crassę, nõ coctæ. Stomachum inunxit oleo mastichino, cum lana succida applicando. Tertia die vidit eam lienteria laborare: & quemadmodũ *Gal. 6. par. aph. 1.* caussam eius fore dicebat, vel imbecillitatẽ virtutis retentiuæ, vel vlcerationem vẽtriculi & intestinorum; sed præceptori certo persuasum fuit, hanc prouenire ab exulceratione stomachi, ob loci dolorem, ruptionem & saniosam materiam; non ab ipsius virtutis debilitate. Ideo adhibuit fomentũ exsiccatiuũ & constrictiuum; nẽpe *ex absinth. mont. flor. ros. malicorii gallis, balaust. myrtill. mastich. olib.* exhibendo præterea miuam cotoneorum, cum quibusdam adstringentibus. Hinc tandem excrementa melius cocta visa sunt, & sanata est.

SCHOLIA.

3

Exulcerationum stomachi differant.

EXulceratur sæpe stomachus, leuiter tacta tunicarum superficie; modo grauius ambabus tunicis erosis, vel perforatis lethaliter. Exulceratio alia recẽs est, alia inueterata, ex acutis humorib. in stomacho congenitis, aut capitis acutis destillationibus, aut abscessuũ adaperto pure (*vt in hac puella, tum præcedente*) aut pustulis in eo ortis, ex quibus pestifer exit liquor. Ex vulneribus quoq; præsanatis, aut perperam, vel per incuriã relictis. Venena item philtraue potionatis exulcerant, & stomachum & intestina omnia, sicuti & catharctica ab imperitis oblata; veluti scammonium & euphorbium. Refert Benedictus Veronensis obiter exemplum vnum cuiusdam religiosi; vicinum quendam in podagræ dolore auxilio præsentissimo curaturum se promiserat; audierat enim hic bonus homo, pilulas, quæ ab euphorbio in officinis nomen habent, huic morbo sæpe profuisse: ex solo igitur euphorbio confici pilulas a speciario non minus quam ipse erat imprudenti, iussit: assumtis catapotiis, dysenteria eo die æger correptus fuit perniciosa; atque altero sepultus.

Libr. 12. cap. 17.

4

Signa.

Exulcerato stomacho febris adest subinde, lingua aret, sitisq; viget, animus quoque subducitur, si vlcera ingentia fuerint, & in ostio præsertim stomachi. A cibo salso præsertim quoque frigido, aut calido, vel acuto, veluti sinapi, aceto assumto, summus dolor. Purulentiæ præterea vel cruen-

vel cruentę vomitiones, immixtis tunicarum crustis indicio sunt. Oris item graueolentia ex crudis veluti piscibus, vel adustis ossibus, & ventris lienteria adest molesta. At exulcerationis varietas, magnam differētiam habet: in primis oris stomachi summum dolorem ac accidentia sequūtur terribilia; difficultas anhelitus, sudores extremorum frigidi, ac animæ demum defectus: cibus quoque deuoranti cum os stomachi pertingit, maximum dolorem infert; delapsus exinde, quiescere statim permittit ægrum. At quæ in imo ventre sunt vlcera, minus lædūt: sed male digerit æger. Verum si vlcus in œsophago insederit, inter scapulas (*vt narratum est*) dolor figitur, ac in deuorando cibo excruciatur æger; minus tamen, quam si in ostio fuerit. Intestinorū gracilium, ac stomachi vlcera cum in eodem fere sint confinio, doloris loco fere non discernuntur: tempore tamen cruciatus, differunt, gracilium enim intestinorum tormenta sæuius sentiuntur, ac inter excrementa tunicarum ramenta conspiciuntur; sicuti inter vomitiones vlcerum crustæ cernuntur ex stomachi vlceribus: qui acri cibo assumto, protinus lęditur, quo intestina tenuia non lædūtur. Quibus stomachus supra modum exulceratur, nunquam sanantur: & si vetus vitium est, lienteriam inducit, aut ex acutis humoribus vel corruptionibus, dysenteriam minatur: iis plerumque os graue olet, vti apud Dodonæum *cap. 25.* de honesta matrona constat, annos (plus minus) 40. nata, quæ ex ore fœtentem spiritum multis emiserat annis; quæ longo tempore morbo cōfecta e vita decessit: & ventriculus exterius ab omni parte superficietenus inuentus est exulceratus, & quæ ipsum contingebant vniuersa, non tamen alia, quam qua ventriculo contigua erant, parte. Exulcerato stomacho (*vt Paulus scribit*) in omnibus quidem eduliis obsoniisque acria vitanda sunt; atque eadem pariter in potionibus. Sed mitigatoria vtique laudantur, quales pultes sunt sine oleo, ex amylo, hordeaceaque farina, ac terra Samia Lemniaque rubrica, ex lacte aut melle. Et quoq; sine medicamento mordaci purgandus est æger. Nostri recentiores, pręter aeris temperamentum, animi securitatem laudant, ac temperatum somnum. Ac inter cibaria quicquid actu vel potentia leuiter exsiccat, qualis panis similagineus est, sine sale, sineq; multo fermento, ac ptisana, alica, far ac amylum, lens excorticata, oryza, & faba fracta. Auiculæ quoque prosunt, *vt galeritæ, perdices, atagenes, phasiani, turtures, turdique; inter quadrupedes, lepores iuniores, capreoli, hœdi, vitulique, vernecesq; iuuenes:* laudauere & intestinorum hœdi ac vituli ex aceto condituram, ac eorundem extrema pariter cōdita, tum oua sorbilia in aceto cocta, aut caseum recentem: vel ipsum lac, cum abstergere volumus, cum ferro ignito aut lapidib. ignitis vlcera sanat, vinum rubrum subacre, nullarum virium, ex aqua in qua chalybs ignitus multoties extinctus fuerit; vel ipsa eadem aqua cum syr. ros. valet & in ipsis cibariis posita. Initio enim abstergenda sunt vlcera, tum cibo tum potione: tum styptica damnantur. Tum cum vlcera persananda sunt, styptica dam⁹: prodest panis cum mastiche, aut balaustiis confectus; & caro ipsa veru assata, ex cydoniorum succo, aut mali punici vino, vel cum omphacio vuæ. Sorba quoq; immatura arida in puluerem redacta dantur in eduliis. Ex potionibus, quę mordacem humorem compescūt, singulis propinamus. Interea vomitiones & catharctica vitam⁹. Si purgandus, sufficit cassia. Quibusdam valentibus adhuc, prosunt venæ sectio, vel vrinam ciere. Si eueniat ex destillationibus, iis succurrendum, *vt dictum est*. Abstergūt zaccharum cum aqua; vel mel, vel mulsa, cum passulis. Si vlcera sint in gula aut ore stomachi, adglutinantia admiscemus; vt antequam in ventrē descendant, hæreant, quale gummi arabicum est aut tragac. at si in imo fuerint pura, vno haustu assumi debet. Rupto vero apostemate, lac caprinum mane in potu valet, si recens ac tepens fuerit; ante cœnam vero duorum horarū interuallo hordeaceā cum zaccharo roseaceo aut melle damus. Quæ in omnibus fere vlcerum generibus calidis ac æstate offerimus: hyeme vero ac materia frigida, rhodomelite vtimur salubriter percolato; aut hyssopi decocto cum melle. In phlegmate vero salso, aqua brassicæ opus est, aut oliuarum muria: modus est a quatuor ad sex vncias. Mundis & abstersis vlceribus, quæ vulnera consolidant damus, pastillos ex succino. Quæ ad œsophagi vlcera valent, prius dictum est: de qua vide apud Arculanum, & Alexandrum Veronensem, qui eadem habet. Balnea ferrata & aluminata laudantur. Vlceribus vetustis, ex quibus corrupti humores fluūt, oliuę & rutæ folia, ac agrimoniæ in nigro vino cocta ad duas partes, percolato decocto, mane & vesperi detur ad ℥ vj. vlcera enim omnia interiora sanat. At si stomachus erosionibus perforetur, iis præsidiis vtemur, quæ in sanguinis vomitu diximus. Si fluxus acciderit vētris, valent trochisci ex spodio: quo tempore adstringentibus opus est. In vehemēti vlcerum tormento, philoniū ocyssimo præsidio iuuat; exsiccando plurimum refragatur vlceribus, ac absumendo humores fluentes. Alii athanasiæ compositionem prætulere: & ad vlcera & ad fluxum Paulus dat cydonium malum cum pulte.

Vlceris signa in ore ventriculi.

5 *In imo ventre.*

In œsophago.

Differentiæ vlcerum intestinorum gracilii & stomachi.

Prognostica.

6 *Curationes vlcerum stomachi.*

7 *Vomitiones & catharctica vlceribus stomachi vitanda.*

8 *Balnea.*

OBSERVATIO XXXIV.

De stomacho natura angustiore.

1 Vidi, inquit Gal. *lib. 2. artis paruæ*, ventriculum cuiusdam ita paruum, rotundum, ac propensum in ilia, vt propria circumscriptio perspicue appareret spectanti & attrectanti. Ita & apud nos puella quædam Delphica perpetuo male habebat in stomacho: nam a natura angustior factus erat. Quem his notis deprehēdimus: nam plurimo cibo distentus stomachus lædebatur: sed exhibito exiguo cibo, idque frequenter, minus offendebatur, & commodius tunc cibum cōcoquebat. Hoc autem innatum vitium, iuxta Galenum, immedicabile iudicauimus: & ideo eandem incuratam reliquimus. Tandem in mandatis dedimus, vt parum & frequenter cibum concoctu facilem sumeret, vt minus dolore afficeretur.

SCHOLIA.

2 *Innata stomachi vitia*

SVnt autem & naturalia vitia incorrigibilia: vt si stomachus natura angustior factus fuerit: cuius notas nunc posuimus. At si venter natura laxior est, cibus intus importune innatat; nec in coquendo quod satis sit, corrumpitur stomachus: ita enim a natura materia diminuta, aut nimia efficit: plurimum tamen cibi sustinet magnitudo stomachi. Ii instrumentarii morbi sunt. Parem offensionem habet stomachi rotunditas; in quo cibus grauior sentitur, qui ad ima haustus protinus delabitur. Ventris quoque positus notatur: nam si ad extrema vergat, aut nimium diaphragma supprimat, damnatur: quoniam ille concoctioni, hic respirationi aduersetur. Inter instrumentarias quoq; affectiones annumeratur staminis leuior contextus; vnde & naturalis calor infirmior redditur: textura tamen alioqui crassior quam par sit, ad concoquendum incongrua est: rugas enim eo modo difficulter contrahit: tenuitas ipsa, aut ex humilitate laxante, aut siccitate consumente generatur, aut calore continuante absumitur; vt in morbis longis accidere solet: ex frigido quoq; (*etsi raro contingat*) extenuatur venter. Est & aliud stomachi organicum vitium, nimia quædam stomachi asperitas, aut aliquibus læuitas importuna, qua cibus ad intestina citius quam opus sit, labitur. In illa venter asper est, veluti in bubus, denticulatus callus est in ore; & in ventre, vbi crenes maxime conspicuæ sunt: in homine multo minoris ad os stomachi, vt scobina fabri, leuior asperitas, sicuti pyloron versus in medio in modũ rubri ad conficiẽdos cibos extans callus cernitur: nec in omnibus pares crenes (*vt vidimus*) apparent; *teste etiam Alexandro Veronense*. Nostri recentiores non ad cõcoquendum cibum, sed ad retinendum facere putant; vnde nimia asperitate, qua diutius cibus retineatur, siue nimia læuitate, qua cito profluit, corpora facile cõsumi tradidere. Asperitas pinguibus, molliuibusq; cibis, altera stypticis leuatur. In positu aliud quoq; vitium est naturale, qui tumor ventris dicitur: extrinsecus enim prominet, proulimatesis vocatur, hoc est, prominens positio: sanari id malum minime potest; difficulter enim cibos cõcoquunt: sacculo occurrimus pluma anserina pleno, aut pelle vulturina. Differt ab inflatione ventris seu ventriculi, de qua prius dictum est, & post ea latius dicetur.

Morbi instrumẽtales.

3 *Asperitas stomachi, vel nimia leuitas.*

Proulimatesis.

OBSERVATIO XXXV.

De ventriculi cruditate.

1

PVella annos 24. nata, textoris filia, nobis vicina, alioqui pulcerrima, facie supra modũ pallida, vẽtriculi cruditate longo tempore laborabat; cibum nõ concoquebat, neq; recte permutabat: Lotium in ea valde crudum, albũ, inconcoctum, sine hypostasi spectabatur: ructus perpetuo emittebat, & subinde acidos: siti nulla premebatur. Hæc cum adessent, facile intellexi, hãc cruditatem procedere ex ventriculi frigiditate, & simplici intemperie frigida, etiam humida admixta: nam facile cibus in stomacho crudus innatabat; quem subinde euomebat, tamen rarius, frigiditate magis superante. Vsa fuerat longo tempore cibis crudis; &, vt ab aliis intellexerã, vict⁹ rationem non obseruabat. Hanc autem, ne in maiorem cruditatem incideret, admonui, vt neq; in multitudine, neq; in qualitate eorum, quæ in cibo accipiuntur, neq; in acceptionis oportunitate, neque in ordine delinqueret: & vt quæcunq; concoquere valeret, ea tantum ingereret; & non quæ appetitus expostularet. Propterea recte dicebat Aetius, *ne quis in cruditatem incidat, cautione in omnibus prædictis est vtendum, vt neq; in multitudine eorum, neq; in qualitate, neq; in ordine sumendi delinquant; & ea tantum ingerant quæ concoquere possunt.* Mensuræ itaq; vt maxime omnium curam haberet imperaui, & appetentiam refrenaret, neq; plus quam vires tolerarent, acciperet. Iuxta quoque tempus accipiendi cibi, neq; impetuose, neque aceruatim, neq; solidis partibus, aut absq; comanducatione eos ingereret; neq; etiam potus cibum interpellaret, id enim vnionem ciborũ impedit, singulosq; ventri innatare facit; *vt idem Aetius refert.* Iussi præterea, vt & ordinem præposterum caueret, ne scilicet mala cotonea aut punica, aut aliquid aliud tale inprimis ingereret, deinde vero olera assumeret, aut alia quæ aluum emollirent: nam & intempestiuam assumtionẽ euitare oportet; ne antequam hesternus cibus probe descenderet, pranderet, aut etiam præter consuetam horam. Cũ enim nulla exercitatione sese exerceret, peius habebat, nam sedentaria erat, & sartrix. Tales enim semper desides, hoc malo magis afficiuntur, quam aliæ puellę, quæ ambulando vel aliter se exercent. Concoctu difficilia quantum posset vt vitaret, etiam admonui, vt sunt *carnes natura dura, salsa, fumo indurata, bubula, aut ætate seniores.* Et ideo abstinere iussi quantum posset a pinguibus, salitis ac vetustis, & ab oleribus frigidis, quæq; flatus pariunt, a cibis corruptis, fœtidis, ac graueolentibus, ac fructibus dulcibus flatusq; generãtibus, & immaturis, bellariisque quæ difficulter concoquuntur, & cibis peregrinis & inconsuetis, placentis. Deinde vt post assumtum cibum, motus inæquales ac conturbantes vitaret, consului, & æstum nimium, ac refrigerationem: hęc enim concoctioni ciborũ resistunt. Sed vt præcipue hypochondria ac pedes moderate calidos custodiret: manuq; inter dormiendũ os vẽtriculi apprehenderet: id a Gal. magis laudatur, *5. de med. simpl. fac. cap. 5.* quam calor ille, qui a fomẽtis paratur. Somnus & quies his conferũt, & erectior decubitus: & ea quæ capiti subiiciuntur sublimius insternantur, & reclinatio ipsa in sinistrum latus fiat. Frequentes agitationes etiã si vigiliis infestantur, cibos perturbant, intestinaq; inflata reddunt. Sed cum hic intemperies frigida esset & humida, tum aer quam cibus, & alia magis ad caliditatem & siccitatem vergant: & sic potius assis quam elixis & valde humidis vteretur, iussimus. Et cũ intemperies simplex facile tollatur, amotis caussis, vt de imbecillitate diximus, ideo hanc frigiditatem calidis curare nitendum esse duximus: & cum vna hu-

2

5

4

vna humiditas adiuncta esset, etiam siccantibus; ideo & aromata concessimus, & carnes assas cum aromate conditas. Et exhibuimus diatrion pipereon & diacalamenthum cum vino, vel, quia non satis dives, cum cerevisia, in qua decocta erant *hyssopus, mentha, absinthium, & calaminthe.*

5 Sic alteri puellæ eodem malo laboranti, magis diviti, sequens claretum commode dedimus: ℞ *cinamomi electi ℥ ß. zinz. ℥ j. maceris ℥ ß. nucis muscatæ ℈ j. garyophyl. piperis longi, granor. paradisi ana ℈ ß. cum vini Rhenani vel alterius odorati lib. j fiat claretum, addito Zacch. ad ℥ vj.* Puellæ vero priori, cum non ita dives esset, etiam dedimus decoctum absinthii in cerevisia coctum: & ventriculum commode inunximus oleo nardino, mastichino, & absinthii; addita cera exigua; apposito cerato ex mastiche, speciebus aromaticis quibusdam adiectis, & oleo nardino. In eius modi male coloratis & non concoquentibus cibum, hoc puluere commode vtimur: ℞ *anisi ℥ j. seminis fœniculi, cinamomi, cardamomi, zinz. ana ℥ j ß. specie. croci, basiliconis, carui, semin. apii,* 6 *petros. ana ℥ ß. limaturæ ferri præparati, ad pondus omnium addito Zacchsro, fiat pulvis: detur ante prandium ℥ ß.* Appetitum excitat, cibum concoquit, stomachum calefacit; ventositates dissoluit, frigidos grassosque humores ad intestina pellit, colorem plumbeum corrigit, bonumque reddit; ac sanguinem purificat. Hic pulvis quoque sæpe expertus dicitur ad male coloratos: ℞ *limaturæ ferri præparati ℥ vj. cinamomi ℥ j. spec. diarod. abb. succini ana ℥ j. zacchari ℥ v. fiat pulvis.* His quoque valet decoctum azari & alia diuretica, cum in talibus sanguis aquosus fiat ob improbam concoctionem. Etiam his sequens decoloratis convalescentibus prodest. ℞ *specier. diarod. abb. carabe. cinamomi ana ℥ j. sem. anisi ℥ j. galangæ ℥ j. limaturæ chalybis præparati ℥ vj. zacch. ℔ ß. misce.*

SCHOLIA.

7 COmplura sunt, quæ concoctricem facultatem lædant: sicut enim concoctio alteratio est, qua stomachus sibi cibos assimulat; ita cruditas, seu mala concoctio est, vbi a scopo illo degenerat. Hoc autem fit trifariam, inquit Galenus: vel quia nihil immutantur cibi; & hanc quidem proprie *cruditatem* dicunt: vel quia non mutantur perfecte; & hæc *bradypepsia* nominatur, quando etiam semicrudi manent: vel quia in alienam qualitatem mutatur; quæ *dyspepsia* dicitur. Hæc vero duplex est: vel enim in acidam qualitatem vertuntur, (*vt iam sæpe diximus, etiam de stomachi imbecillitate;*) vel in nidorosam. De his vide Galen. & præcipue de alteratione seu concoctione (*quæ nihil aliud est, quam ciborum inconvenientem animali qualitatem alteratio*) *libr. de diff. symptom.* Ceterum accidit quandoque frustratio; quæ quidem alterationis, seu concoctionis symptoma est, *eodem Galen. teste 3. de causs. symptomatum.* Verũ quum frustratur, propterea quod nulla omnino alteratio fiat, id symptoma præcipue a Græcis ἀπεψία, a Latinis *cruditas* nominatur (*modo quo manium functionibus immobilitas, & insensibilitas dicitur;*) significantibus his vocibus actionis amissionem ac privationem. Quandoque vitiosa alteratio fit, quæ iterum a Græcis ἀπεψία, a Latinis quoque *cruditas* appellatur: significatur tamen non sicut prius privatio, sed depravatio duntaxat ipsius alterationis. Atque hæc rursus depravatio duplex esse potest, vel quod tarde & non convenientem mutationem cibus suscipiat, vel quod corrumpatur omnino ita vt naturę gratiam prorsus recipere nequeat. Priorem quidem Græci βραδυπεψίαν, Latini *tardam concoctionem* nominare solent: secunda vero nomen proprium non invenit; *vt patet eodem 3. de caussis sympt.* Sed quamvis diximus ἀπεψίαν nominari posse tam privationem concoctionis, quam etiam eius depravationem: tamen æquivoce quæ vitiosa facta est, cũ ea quæ omnino non fit, sic nominatur. Propterea clarioris doctrinæ gratia privationem alterationis ἀπεψίαν: eius vero vitiũ δυσπεψίαν sicuti tarditatem seu imbecillam alteratione͂ βραδυπεψίαν nominabimus. Omnes tamen vniversali vocabulo poterimus iuxta Latinorum vocare *cruditates*: cũ in qualibet earum concoctio ipsa frustretur; & ex eisdem fere caussis oriantur; maioris duntaxat & minoris rationibus dissidentibus. 6 Ventriculus hic secundum eius spatium seu cavitatem oblæsus est; cum & ipsum coctionis instrumentũ sit a natura fabricatum, quomodocunque concoctio vitiata fuerit, modo vitia eiusdem a quopiam externo errore non proveniant. Fieri namque poterit cruditas aliqua (*vt dicemus*) absque hoc, quod ventriculus afficiatur, *vt apud eundem Galenum l. quest. 1. & 5. de loc. aff. tum 3. de caussis sympt.* Erunt itaq; facultate ipsa oblæsa prædicta symptomata in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis videlicet. Verum in vno symptomate, vt puta in βραδυπεψία, ipsa actio erit diminuta; in ἀπεψία, ablata, & in δυσπεψία depravata. Duo autẽ priora symptomata facile dignoscuntur: nam ciborum assumptorum qualitas, sive ructare velint, sive vomere, plene servatur: licet in βραδυπεψία acidi quandoque ructus fiant; interim ventriculus habituoso impletur spiritu. Verũ depravatam concoctionem victus iniucundus proveniens, manifeste indicabit; qui modo vnum, modo alterum vitiosum saporem præsefert. Etsi per alvum corrupti cibi deiiciantur, necessario aderit deiectionũ graveolentia. Exempla infrascripta hæc melius indicabunt.

Cruditas trifariam fit.

8

ἀπεψία, δυσπεψία, βραδυπεψία

Quæ pars in cruditate afficitur.

Quis affectus præter naturam.

OBSERVATIO XXXVI.

De duobus ægris ægre cibum concoquentibus.

1 STomachus (*vt iam diximus*) aliquando ægre cibum conficit & immutat, aut serius, quã naturale sit, cõcoquit. Vt nuper accidit in iuvene quodam, qui consilii caussa ad nos accedebat & conquerebatur de gravitate & præcordiorum inflatione, & quod diutius indigestus cibus in stomacho detineretur, nobis notam vehementioris imbecillitatis ostendens: decem enim horis quandoque incoctus permanebat; idque vitio humoris calidi: nã stomachus morderi, ac erodi, in nauseã

effundi videbatur, vento intus murmurāte: ructu quoq; ad os ex imo ventre, prorumpente, fumido & grauiter olēte: caputq; huic graue erat: & quiescere nesciebat: siti vrgebatur, volę vt eq; feruebāt, cum cibi tædio. Huic long somnū vellem esse diximus, & vt in quiete maneret, sine exercitatione, & vt in latere sinistro dormiret. Id enim mire ex Aristotele conuenit: & rursus in vētrem redormire, plurimū ad coctionem facere, quidam volunt. Attamē qui in dextro latere somnū ineunt, aluo magis consulunt. Sed ambulationes somnū antecedere debēt, quoad cibus ad imū vētrem resideat. Et quia videbatur hic materia aliqua biliosa erodens, & quod nauseam pateretur, vbi cibus inconcoctus permaneret, nec alio auxilio iuuaretur, aqua hord. tepida cum syr. viol. expellendam esse proposuimus: quod si difficulter vomeret, ob nauseam: infusum rhab. vel syr. ex infus. ros. pallid. cum rhab. vt sumeret præcepi: & vētre exonerato, vt stomachum roboraret, vino mali punici, medii saporis sumto; ac vt eduliis acetosis acidulisq; iuuaretur, vinoque austero nullarum virium epoto, & aqua ante infracto. Propter capitis dolorem etiam fronti adhibui oleum ros. exiguo aceto infusum. Ac stomachum inunximus *oleo ros. myrt. emplastro imposito ex malo coton. buccis myrt. santaliq; farin. & spod. pulu. inspersis, oleo ros. vnctis & cera q. s. vel abs q; malo coton.* Quibus præsidiis hic iuuenis bene habuit. Quēadmodū, & alter, qui ex humore frigido acidū ructū emittebat: ac sapor in ore acidulus erat. Huic, cum pituita etiam ventriculum grauaret, decoct. absint. sumto, cum oxym. cumq; ad vomitum procliuior esset, decoc. raphan. exhibui, cum oxym. tepide. Rursus post ment. calam. melissæ, absint. decoctū, purgaui cū pil. infrascriptis: *℞. pil. de hier. Gal. pil. stomatic. ana ℈ j. pil. de agaric. rhab. electis. ana ℈ ß. cum sy. de ment. fiant pil. vij. dentur mane.* Postea capiebat aromatic. rosa & subinde vtebatur vino generoso, & diatrion pi. & stomachum inungebat ol. nar. & spic. Atq; iis tum alii, his vel similib. remediis, a mala cōcoctione & imbecillitate stomachi a caussa frigida, cōualuere.

2

3

SCHOLIA.

4 *Caussæ.*

Caussa autem eorum symptomatum *(etiā dictorum schol. præcedente)* communis, alteratricis facultatis frustratio est. Prima vero eiusdē frustrationis caussarum genera duo sunt, *vt Gal. lib. 3. de caus. symp. inquit:* Alterum ex facultate ipsa læsa: alterū ab externo quopiā errore proueniens. Virtutis autē læsio adhuc bifariam esse potest: aut culpa propriæ substantiæ, ex aliqua primarū qualitatum intēperie: vtpote cum præter naturam calefacta, infrigidata, humectata, aut exsiccata fuerit. Vel læditur virtus ipsa ab aliquo instrumentali morbo, *vt erysipelate, phlegmone, œdemate, scirrho, abscessu, & aliis eiusmodi:* quorum omnium occasione, venter facultate eius concoctrice oblæsa male cōcoquit. Verū in eiusmodi ventriculi temperamēti vitiis propria eius substantia labefactata, concoctio læditur: in ceteris morbis, qui tantū sunt instrumentales, duntaxat impedita. Qui vero ex intemperie simul, & instrumētali morbo compositi affectus sunt, vtroque modo sunt noxii, *ex sententia eiusdem Galeni præcitato loco.* Ex tota itaque internis caussis affectus ventriculi male concoquit; *vt docte etiam annotauit Altimarus, cap. proprio de cruditate.* Verum ipso minime affecto, a nonnullis etiam caussis cōcoctio impediri potest; vt propter cibi ac potionis immodicam copiam, vel propter eorum qualitatē alienam, aut sumtionem intempestiuam: intelligo acceptionem ciborum, antequam prior cibus probe subiret, ac etiam præter consuetam horam, similiter propter incongruum ordinem, vel somnum exiguum, & immodicas vigilias, exercitationesq; mox a cibo factas: aut vitiosum excrementum. Quanquam si ex eo concoctionem frustari contingat *(etiam ventriculo minime affecto)* inter internas caussas connumerari debet. At si ex immodica cibi ac potionis copia, vel praua eorundem qualitate, seu intempestiuitate, vel incongruo ordine aut exiguo somno, haud ægre a laborante ipso seu astante percipi poterit. Interim vero vbi corruptela assumtorum sequatur, ex ipsa corruptionis differentia alimentorum qualitas præsumta argui poterit: nam si in fumosam qualitatem corruptela vergat, argumentum est ex calidioribus magisque biliosis cibis prouenire: si vero ad acidam, ex iis qui frigidiores natura sunt, magisque pituitosi. At si in ventriculo cibi non suapte natura in fumum transmutentur, & quispiam fumosum ructum emittat, efficientem huius caussam, calidam ipsius ventriculi intemperiem esse, coniiciendum erit. Si vero saporem acidum referūt, eam frigidam esse necesse est: quamuis similiter in excrementis fiat, cum in ipso ventriculo continentur. Nam acidas qualitates quidem creant, quæ pituitosa sunt & frigida: fumosas vero quæ calida & biliosa, *vt liquet eodem 3. de causs. sympt.* Vt vero distinguas, vtrum intemperies aliqua duntaxat calida vel frigida, an vitiosus quispiam humor vētrem infestet, dare oportet cibos, qui suapte natura, modo incorruptionis, quam maxime aduersentur, *ex Galeni auctoritate 1. de loc. affect.* vt panem illis, qui in fumum transmutare cibum consueuerunt; mel autem iis, qui acidum a cibo saporem percipiunt. Deinde considerare excrementa, tum ea, quæ euomuntur, tum quæ per aluum deiiciuntur; num humor aliquis cum illis quidem biliosus ac calidus, cum iis autem pituitosus ac frigidus excernatur: an nullo vacuato humore, ipsa exiguam quandam mutationem habeant. Nam si sine humore, perquam exigua in ipsis facta mutatione, deiici videbis, intemperie duntaxat ventriculum laborare percipies. Si vero humor quoque deiiciatur, qui cibum corrumpere possit, videbis cibos huiusmodi humore submersos, & ab ipsius ventriculi actione manifestius alteratos. Verum vbi in tunicis ventriculi impactum contineatur excrementum, id quod ex inani nausea, sine vomitu, quæ irritat duntaxat & nullum humorem euacuat, dignosces; si calidum fuerit, præter nauseam, sitis vehemens aderit *(vt iam sæpe dictum est)* & interdum febris; si frigidum, maior ciborum

Caussæ internæ.

5

Signa caussarum ab errore commisso.

6 *Ex corruptela assumtorum.*

Si ob calidā aut frigidā intemperiem ventriculi fiat cruditas signa.

7

ciborum cupiditas excitabitur, nec siti, nec febri affligentur. Intemperie calida aut frigida breui eo perducitur ventriculus: in humiditate & siccitate non ita actionem amittit, nisi prolixo temporis spatio; *eodem Galeno teste 3. de sympt. caussis.* Signa siccæ intemperiei & humidæ, vti & frigidæ & calidæ, diximus de imbecillitate ventriculi. Humidā itaq; intemperiem, præter ea, quæ ibidē diximus, hydrops plerumq; præcedit: vti & siccā, seniū vel marasmus: *eodem Galeno auctore.* Si vero ab instrumentalibus quibusdam morbis prædicta symptomata oriantur, ex eorundem instrumentalium morborum propriis indiciis cognoscentur: de quibus satis in præcedentibus quoque diximus. Sed quæ ex iam dictis symptomatis magis parata sint hæc incitare, videndum est. Sciendum est autem, quod promtius βραδυπεψία oritur exiguo somno, ex cibis qui difficulter corrumpuntur, & si vltra, quam vires tolerant, sumantur; *iuxta Galenum & Aetium capit. 24. libr. 9.* Quemadmodum vbi citra corruptelam concoctionis omnino priuatio fit; ita vt quales accepti sunt cibi, tales permaneant, iuxta omnem eorum qualitatē, quæ proprie ἀπεψία dicitur, scire licet prorsus superatum esse ventriculum aut ob immodicam ciborum multitudinē, aut ob virtutis imbecillitatē, aut a valido frigore, aut ob vehementem in siti caloris refrigerationem; *vt apud eosdem liquet.* Adeo enim in tali statu venter non concoquit, vt etiam concoquere prorsus non tentet. Circa mediocres etiam, & consuetos cibos, si nihil in totum effecerit ventriculus, maximam eiusdem esse intemperiem prodit. Ceterum si cum corruptione cruditas oboritur, quæ proprie δυσπεψία dicitur, ex calida vel frigida intemperie, præsertimque ex calida excitatur, cum nullum esculentum calefactum durare imputre possit, *vt constat apud eundem Galenum.* Similiter oritur ex recrementis calidis aut frigidis, aut vitiosis ciborum qualitatibus iuxta ventrem consistentibus: aliquando etiam ex inordinata sumtione ciborum, aut potuum, aut intempestiuitate fit, *vt apud eundem Aetium patet.* Ex quibus itaque caussis, quodlibet prædictorum symptomatum oriri paratum sit, ex his liquido constat. Nunc ad prognostica accedamus. Cruditas assidua maxime vitanda, cum ex ea vitiosi humores, morbique gignantur, siue ex boni, siue ex mali succi cibis fuerit orta: quanquam ea deterior sit, quam vitiosi succi cibaria effecerunt: *vt liquet apud Galen. libr. de cibis boni ac mali succi.* Æque mala quoque est in amara bile redundantibus cruditas; citissime enim febrem accendit: quodcunque tamē prædictorum symptomatum ex cibis oritur, ex facili corrigetur. Mala quoq; intemperies stomachi, postquam est inueterata & antiqua & confirmata, curationem non recipit. Quod autem ex vltimo virtutis collapsu in lienteriam, aut tympaniam hydropem finiatur, testis est Galenus, *eodem 3. de caussis symptomatum.* Omnes quoque magnæ ventriculi intemperies, veluti & aliarum partium, virtutem deiiciunt; *vti ibidem patet, & comment. apho. 20. 2. lib.* Et propterea cum

8 *De sicca & humida intemperie.*

Signa morborum instrumentalium.

Caussæ bradyspepsiæ.

Caussa propria apepsiæ.

9

Caussa dyspepsiæ.

Prognostica.

10

circa mediocres, & consuetos cibos nihil in totum effecerit, maximam ostendit ventris intemperiem. Pessima in amara bili; in qua cibi in nidorulentam & fumosam qualitatem corrumpuntur: quando ea, quæ in acidam vertit, vt raro talibus naturis contingit, minus nocet, *Galeno auctore 8. meth. med.* Nidorosa ac fumosa cruditas tunc minus noxia est eisdem, si aluus lubrica fuerit: sin astringitur, grauis est; si quidem ex adstrictione ei vitiosæ naturæ, in febres promte incidunt; præsertim si ad solita conuertuntur opera, *eodem Galeno teste.* Omnium etiam prædictorum trium symptomatum pessimum est ἀπεψία, si vitio facultatis fiat: sicut βραδυπεψία minus affert periculi. Ex assiduis cruditatibus colicæ & iliacæ passiones contingunt. Ex corrupta digestione seu concoctione, *hydrops, carcinoma, herpeta, noma, erysipelas, vitiligo, lepra, scabies & similia, vt quidam volunt*, oriri solent. Sic ex corrupto succo sanguis cum ceteris humoribus corrumpitur. Et sanguis corruptus, omnium pessimus est. Quod ad curationem attinet, qualis victus omnibus communis sit, *obseru. 34 præcedente diximus.* Diuersa tamen ratio victus pro caussarum diuersitate, vti & medicamentorum, præscribenda est. Quæ autem conueniunt frigidæ, calidæ & siccæ & humidæ intemperiei, ea petenda ex iis, quæ imbecillitatem ventriculi curare possunt: & si sit cum humorum abundantia, ex iis quoque, quæ ibidem diximus, tum etiam de nausea & vomitu, quomodo tales sint curandi, facile intelliges. De imbecillitate itaque ventriculi, tum etiam quæ dicta sunt de nausea, vomitu, quæ alterant, purgant, ac roborāt & corrigunt intemperiem, & quæ excrementis corrigendis satisfaciunt, conscripta inuenies. At si ex aliquo instrumentali morbo prædicta excitentur symptomata, nemini dubium est, quod in eorum curatione, & ipsa quoque delentur: aliam enim inflammatio, aliam erysipelas, aliam abscessus, & schirrhus requirit: *de quibus omnibus in præcedentibus dictum est.* Verum vbi ex alimentorum multitudine, quæ concoqui nequit, aut eorum vitiosa qualitate cruditas fiat, confestim procurandum erit, vomitu, aut purgatione per infernas partes, ipsos expurgari. Eiciendus etenim est cibus, si coacuit intus, aut computruit, *ex Celsi auctoritate, lib. 4. cap. 5.* modo suapte natura vomant: nam cogere eum, qui vomere non potest, absurdum est *ex Galen. 1. de loc. affect.* Si facile vomant, vt promtius id fiat, dandæ illis sunt aquæ tepidæ multæ, pauco aceto aut syr. acetoso permixto, seu oxymelite: at si vomere haudquaquam valeant, præsertim vbi multum aut corruptum nutrimentum notabiliter ad inferiora ventris sit motum, adiuuandum est, vt citius descendat, aut glande subdita, aut leui per inferius infusione, per clysteres videlicet, *vt 8. meth. med. a Galen. scriptum est.* Veluti etiam, si crudum, aut diminute concoctum in superiori ventriculi parte alimentum adhuc consistat, modo concoqui possit, aliquid diatrionpiperion dabis, simplicissimo quidem modo, quo ab eodem *Gal. 4. de sanit. tuend.* scriptum

11

Curatio.

12

13

est, vel si id haberi nequit, tantundem piperis longi aut albi, si hoc adsit, aut nigri exhibere conuenit. Similiter extrinsecus adhibitis concoctio iuuanda erit, vt si expansa manu (*vt paulo ante admonuimus*) os ventris apprehendatur, aut puerulus carnosus admoueatur: vt Aetius refert. Vide de his *Gal. 5. de simpl. & 7. meth* vbi scribit, *& humanum corpus illi impositum iuuisse.* Alii in quiete paruos catellos ventri imposuere. Sed puellus ne sit humecta cute; sudore profuso, refrigerant potius quam calfaciunt, inquit Gal. Valent & calida exterius adhibita: quorum syluam inuenies in præcedentibus, & apud *Gal. 8. meth.* conscriptã. Quod si non modo ex alimentorum praua qualitate, sed intempestiuitate, aut inordinata eorum sumtione, seu exiguo somno, cum corruptela cruditas generetur, non alia ratione curari debet, quam si ex prædicta alimentorum vitiosa qualitate, aut multitudine fuisset excitata. Illud tamen particulatim attendendum erit, quod quibus ob flauæ bilis copiam in ventriculo cõtentam, vel calidam admodum eiusdem intemperiẽ δυσπεψία, seu cruditas cum corruptela accidit, cibos corruptu difficiles, difficilesque concoctu offerre conuenit. Nam quæ concoctu difficilia sunt, non facile alterantur, ac corrumpuntur. Sed si in multum calorem inciderint concoquuntur magis, quam si moderato occurrerint, ex Gal. *decreto 1. de aliment. facult.* quod etiam confirmauit Celsus eodem *cap. 5. lib. 4.* Hæc libuit hic addere ex Altimaro. Sed exempla subsequentium, variam esse curationem pro caussa adhibendam, ostendent.

Observatio XXXVII.

De quodam ex cibo corrupto in stomacho exsistente, laborante digestionis corruptione.

QVidam hoc tempore cum circa stomachum male haberet, & cum excrementa, aut ventris crepitus flatusq; supra modum & præter naturam olerent, corruptam digestionem seu concoctionem animaduerti. Hic enim præcipue ex edulиis, quibus delectabatur, nempe piscibus, ructus acidos emittebat: quod signum erat frigidæ intemperiei ipsius ventriculi. Deinde cum ex liene (*nam subinde in hypochondrio leuem obstructionem seu dolorem sentiebat*) melancholicus humor ad ventrem effunderetur, cibum magis corrumpebat; quod non solum ructus acidi, sed ea, quæ cum cibo euomerentur, subinde aciditatem habebant. Quamobrem huic, cũ nauseabundus esset, per vomitum prius cibum corruptum, deinde per vẽtrem educere decreui. Post cibum assumtũ dedi *decoctionis betæ, atriplicis, ficuum ℥ iiij. syr. acetosi simplicis ℥ j. oxymelitis ℥ ß.* prius inuncto ventriculo vt paulo laxior esset, *cum oleo amygd. dulc.* vt melius euomeret: facile enim vomebat. Postea dedi *decoctum betonicæ, menthæ, absinthii, hyssopi, adiecto syr. acetoso simpl. & composito:* & commode eum purgaui cum *pilulis de hiera cum agarico, & pilulis aromaticis, masticbinis ana ℈ j. cum syrup. menthaceo;* conficiendo pilulas septem. Lienem inungebam cum oleo de capparibus. Et ventriculum quoque corroborabam cum speciebus diagalangæ, & aromatico rosato; exterius inungendo cum oleo menthaceo, absinthii, & macerisi adiecta pauca cera: super imposito deinde emplastro seu cerato mastichino.

Scholia.

DIximus digestionis corruptionem fieri, cum in stomacho cibus boni succi corrumpitur, aut aduritur, aut acore, vel tetro sapore vitiatur, quẽ exinde natura refugit. Cibi vero qualitatem acidam faciunt pisces, caroque gelu coacta: vti & qualitatem fumosam, mel, raphanus, allia, nasturtium, sinapi, & similia; & oua fricta facile in fumum mutantur. Sæpe vero in conualescentib., materia acetat & recidiuam minatur, reliquis putrescentibus: quod in acutis febribus male pronuntiat ex caloris defectu; at in longis morbis diuturnitatem morbi præsagit. Contingit aliquãdo, imo sæpius, & ventriculi debilitatem & malam concoctionem siue ciborum corruptionem relinqui in conualescentibus, morbo acuto seu longo superato; aliquando quidem tantam, vt neque assumat alimentum, aut assumtum non elaboret; estque indicium reliquias morbi relictas in caussa esse, quod suctionis sensum nõ percipiat: alias autem quoq; accidit, vt suctionis sensum percipiat quidem, quæ a membris extenuatis ipsius corporis fit, eaque ratione alimentum expetit; elaborare tamen assumtum non potest, ob debilitatem relictam. At in sanis hæc eadem contingunt ob nudam intemperiem, vt diximus, vel cum materia: sicuti enim acescunt ructus ex caussa frigida, *vt diximus*; ita & fumosæ superfluitates sine cibi vitio, ex calore malum oriri significant. Ægineta ex calida habitudine frigidam cum omphacii succo dari suadet, aut cytoniorum malorum decoctum. Sed de his, vti etiam de bile, si cibos corrumpat, illa ipsa aut vomitu deiicienda, aut leuiter per aluum expurganda, denuo roborato ventriculo, vt iam sæpius dictum est: quibus adiungere poteris ea, quæ nos de imbecillitate ventriculi prius diximus, & quæ ad longum referuntur apud Benedictum Veronensem *libr. 13. cap. 1. & 2. 3. de imbecillitate stomachi eiusq; notis & curationibus*, & quæ idem de ægre concoquentibus & vitiata concoctione agit in eodem libro. Interea diligenter cauendum, ne frigidissima etiam in bile aut ex temperie calida stomacho affecto applicentur; cuius vide exemplum apud Beniuenium *de abditis morborum caussis cap. 15.* de quodam, cui ex incuria medici emplastrum frigidissimum stomacho appositum fuit, morte subsequente; & *cap. 15.* de quodam interemto ex frigidissimo aquæ potu: de quibus alias diximus, tum aliis quoque & *lib. 1. obs. nostrarum de febr. scholio obs. 13.*

Observatio XXXVIII.

De stomachi resolutione.

VIs aliquando in stomacho attrahendi vel ex toto corrumpitur vel læditur: aut enim (*vt Gal. docet*) nil attrahit, aut ægre aut parum trahit. ita vt ex toto auferatur aut diminuatur, aut omnino corrũpatur. Id vitiũ aliqui resolutionem vocauere, quod œsophago (*vt alias diximus*) plurimũ euenit:

euenit: morituri enim aut omnino defecti viribus, nihil deuorant, aut difficulter assumunt. Idē & in perniciosis febribus vel ipsa instante crisi, extraria & præternaturali frigiditate vel humida addita resoluente, aut calidā & sicca rarefaciente, vt in acutis contingit febribus, in quibus sine alio faucium vel gutturis vitio neque cibus neque potus aut œsophago canalicula apprehendi potest. Mirum est, (*inquit Benedictus Veronensis*) nec tamen ab re, quod cibum nonnunquam cathelctica vi dicta ita resoluta, capiunt; potum autem nequeunt. Hoc quidem malo, ex imbecillitate stomachi laboranti cuidam spica & nuce muscata, adiecta exigua mastiche, cum pauco vino rubro sumtis, recte occurrebamus: nam calidis & siccis vis attrahendi conseruatur; caryophyllo, cinamomo, cymino & iis similibus iuuatur: sicuti in ardēti febre succo, cucumeris aut cucurbitæ decocto. Refert Beniuenius se nobilem quendam, Iohannem nomine, Neapolitanum (*cap. 66.*) hoc vitio diu affectum, cum a medicis aliis curari non posset, curasse (*cum ex calidiore habitu ventriculi vitium contractum certis indiciis intellexisset*) iis, quæ aridum ac iam tabe consumtum corpus desiderat. Primo die solas lactucas ex aceto & oleo commāducare præcepit; veruecinam carnem potius quā auem exhibendo, & vinum frigidum & austerum: ac genere victus frigido ac frigidioribus medicamentis vtens; intra duos menses ægrum restituit.

2

Scholia.

3 *Stomahici.*

PEssimum vitium est resolutio stomachi a Latinis dicta, cum cibi non tenax est; quo corpus (*vt Celsus tradit*) non alitur, sed tabe consumitur. Sed qui hoc vitio, seu imbecillitate ventriculi laborant, stomachici quoque appellantur: quamuis & illos quoque qui nec cibum continent nec desiderant, aliqui & dissolutos inualidos vocauere: vel textura ratione affecti, imbecilliterque attrahentes, vel parum appetentes, stomachi inualidi etiam dicuntur. Quamuis etiam vulgus eos quoque stomachicos vocat, qui appetentiam perdiderunt; vel quibus post cibum ventris os grauatur; & quibus nausea cōtingit, & ad vomitum impelluntur, cibique corrupti sunt, & nidorosi vel vitiati, & eos quibus ructus molestiam parit, vel cibi vix descendunt. Quorum tamen curationes (*vt iam ostendimus*) pro varietate caussarum tum affectus perficiuntur. De imbecillitate stomachi vide Benedictum Veronensem *lib. 13. cap 3.* habes ibidem diuersas curationes, tam ex frigida & humida caussa: & quæ studiosis victus ratio conueniat; cum fere omnes, vti religiosi & togatorum fere magna pars, stomacho sint infirmiores, cum plurimum sine corporis exercitatione viuant. At de resolutione agit *cap. 9. & 10.* vbi quædam selectiora remedia breuiter quidem enumerat. Si retentrix vis sit læsa, vel quia stomachus nihil retinet, aut parum comprehendit, nec cōcoctionem aut digestionem oportunam exspectat; aut si pertinacius quam opus sit retinet, vel digesto etiam cibo, retinet tamen interdum, sed tremulo, vt dictum est, modo, vel spasmoso, siue singultu. Sic in lienteria cibus non continetur. Summa, retentrix corroboratur stypticis frigidis. At vis expultrix læsa vel ex toto sublata, inertem in ventre cibum derelinquit; sicut in ileo morbo: aut debilitatur & lassescit; ita vt serius irritata cibum expellat. vel partem duntaxat, aut modum exsuperat irritata virtus, aut corrumpitur, vnde ructus, vomitus, fluxus. Expellendi vi concitata, cibum nō diu patitur concoctum, & prauum humorem expellit, & cibum indigestum emittit. Nimio enim frigore vel humore laxatur, combibito inter tunicarū stamina, vt dictum est. In caussa est & membri læuitas, humoris mordacitas, leuitas grauitasve, vlcus, abscessus, aut flauæ bilis inopia, vel si pyloron nihil recipiat, & arida sine putu & styptica. Expultricem corrumpi rarum est; riusq; euenit, vt ex toto cibus expellatur, præterquā in vomitu symptomatico: at si expulsiua infirmior, digestionem corrumpit; vehementior vero, vt in lienteria, inconcoctionem affert: remedia de lienteria dicemus. Sed si nihil expellat, ob frigiditatem, laxantia quædam vmbilico imponunt, ex succo cyclaminis, cucumeris erratici, colocynth. cum felle vaccino, & aliis. Ex caliditate & siccitate, ex herbæ mercurialis succo, & in ebuli rad. cum oleo viol. & cucurbitino, & similibus, diacrydio adiectis. In cōmuni expultrix potentia ex calido & sicco læditur: frigidis & humidis succurritur. Interea sciendum, quod non omnibus eodem modo cibus in ventre moram trahit; quidam, quoties assumunt in die, toties ventrem exonerant; alii semel, alii sæpius, quidam alternis diebus; nōnulli quarto aut octauo quoque die In stomacho plurimum a sex horis ad 12. vsque, aut quintam vsque decimam moram trahit, pro stomachi, ac aeris qualitate, & modo, proq; corporis exercitatione. Caussæ variæ ex cerebri affectu, læsa animali potentia, aut studiorum occupationibus, aut retētrice vi validiore, vel imbecillitate expultricis, aut ventris exterioris musculorum infirmitate, vel si bilis in imum ventrem nō effusa fuerit: plurimum facit ea, de qua dictum est, leniens, aut nimia crenarum asperitas: obest & spiritus intus inclusus, abscessus, vermes intestinorum, ac varia membrorum oppilatio. Huc spectant styptica commanducata ante cibum, retardantia digestionem. Quæ autem duriorem aluum emolliunt, iuuant ad expulsionem, *vt caro pinguis pulli, ouium sorbile, adiecto zacchar o emollit: ius pingue, lac recens, ius gallinacei veteris, aut gallinæ, ventrem cathartici modo turbat: pruna, cerasa, mora, fici recentes, aridæ prapingues, & caricæ, vua matura alba, & passulæ.* ex oleribus beta, atriplex, spinachiū, blitum, mercurialis, brassica semicocta, vel efficacius, si nudis pedib. æstate pauimento aqua aspersa ambulauerit; duram enim aluum emollit, nec alio auxilio quandoque leuatur; lupulus quoque iuuat. Frequentius in prandio bibere aluum liquidam reddit, pruna Damascena matura, & dulcia Hispanica leniunt vētrem: ex prunis compositio simplex & cassia, & syr. viol. butyrum vero recens, aut adeps gallinaceus aut anserinus, cum psyllii

4

De potentia retentrice læsa.

De expultrice.

5

6 *De mora cibi in ventre.*

7 *Ventrem mouentia.*

decocto lentore, vel althææ, illinitur ventri; asperitatem enim stomachi emolliunt. At si bilis flaua intercelusa fuerit, aperientibus opus est, *vt postea de ictericis dicetur*. In intestini oppilatione, quæ iliacis prosunt damnis. In summa, calida & humida in communi expultricem vim corroborant; sicuti per interualla acuta & amara salsaque excitant in prima mensa, propterea cœparum & sinapis vsus, piperque longum quandoque assumtum prodest. Cibus vero ex stomacho citius defluit, ex nimia neruorum cerebri ad ventrem pertinentium debilitate; sed rarius: frequentius vero retentrice infirma, aut nimium valida expultrice, & humida quandoque stomachi habitudine immateriali, vel cum humore salso, acuto vel acetoso aut lubrico, aut vlcere innato, ab exiguo naturali calore prope exstincto, cibus protinus, *Gal. teste* profluit. Hic victus ratio priori morbo dissimilis esse debet. Prodest animi securitas & quies: cubiculo calido ac sicco, temperantiæ proximo, vti debet, somnoque longiore; a cœna vero statim procumbẽdum est, in sinistrum fere semper latus: ante cibum fricari supremas partes conuenit. Panis ex similagine conficiendus est; parumque fermentari debet; exiguo sale addito vel nullo: mastichis pollinem ingerito, ac coriandrum præparatum. Pro plebe sorba arida tunsa misceri iuuat. In obsoniis auiculæ, turtures, phasiani, perdices, turdi, lepores & similia, assa præsertim. Vinum rubrum adstringens bibendum, aqua ferrata temperatum. In prima mensa, quæ leuiter adstringunt offerimus frigidiuscula, si calida caussa fuerit; aut contra si frigida; stomach⁹ oleo lẽtiscino, mastichino illinẽdus.

8 — *Expultricem vim corroborantia.*

Quibus cibus citius quam oporteat e stomacho defluat.

9 — *Curatio.*

Observatio XXXIX.

De ventriculi inflatione, cum ingenti dolore.

INflatur aliquando venter, crasso intus incluso vento, ex damnatis cibis; qualia sunt *legumina omnia, & dulcia, vua recens, ficus, poma, mustum, allium, cæpe, eruca, brassica, bulbi, lac, omnisque caseus*; aut si cibus, qui faciliter concoquitur, secunda apponatur mensa, aut Venus crudo stomacho frequens: vel summatim, si infirmus fuerit calor cum crassis & crudis humoribus, vel melancholicis, vt in hypochondriaco affectu. Sic pictor quidam Alcmarianus, familiaris noster, cum in autumno flatulentis cibis vteretur, & subinde mustum bibisset, annos 28. natus, stomachum quoque debilem habens, incidit in ventriculi dolorem intolerabilem, cum eiusdem inflatione etiam exterius apparente; quæ & tactu sentiebatur. Ad hunc accitus, cum medicamentosas potiones omnes, quæ in officina pharmacopæi parantur, respueret, nec vllas admitteret, imperaui vt chamomillam communem & Romanam concisam, adiecto momento seminis anisi & cari, decoqueret in ceruisia communi: quam cum bibisset, flatum per superna & ventris crepitum emisit, & ilico leuamen sensit, præcipue ventositatibus vna cum ructibus superius emissis. Sed cum dolor nonnihil adhuc perseueraret, certis tandem rationibus persuasus, pillulas *vij. ex ℥ j. pilul. hiera simplicis Galeni*, deuorauit. Quibus ter aluum deposuit; & ventriculo mox inuncto oleo chamæmelino, anethino, rutaceo simul mixtis, tum ora atque inflatio ventriculi cessarunt. Interea tamen iubebam vt ad magnitudinem fabæ maiusculæ omni mane ex hac mixtura sumeret: *℞ pul. seminis dauci, petros. an. ℨ j. sem. anisi ℈ ij ß. conserua buglossi ℥ j. conser. florum roris mar. ℥ ß. specier. diagalangæ ℨ j. syr. de corticibus citri parum; fiat mixtura. Etiam sumebat diagalangam in tabulis, duabus horis ante cibum ℨ ij. vel iij.* Quibus præsidiis hic sanitati probe restitutus fuit. Huic tamen lactis vsum interdixi, quo maxime delectabatur; minime enim iis conuenit, *teste Hippocrate*, quibus præcordia plurimum prætenduntur; magis si sonant intestina, ex multa intus materia.

R

X

2

Scholia.

ACcidit quandoque (*vt etiam Donatus recensuit*) ipsi ventriculo, vt instrumento coctionis, retentrice, seu complectente ipsius facultate imbecilla existente, affectus quidam, quia Græcis, præsertim a Paulo *cap. 38. lib. 3. & a Galeno 3. de causs. sympt.* πνευμάτωσις τῆς γαστρὸς dicitur; quamuis quandoq; ab eodem Gal. (*vt patet 14. meth. meden.*) ἐμφύσημα nuncupetur; a Latinis autem *inflatio ventriculi* appellatur: qui affectus nihil aliud est, quam eiusdem ventriculi distensio & dolor, ex flatuoso spiritu: Flatuosus enim spiritus in eo gignitur, aut per os excernitur, & sic ructum creat; aut per sedem. In ea autem venter seu ventriculus vt coctionis officina afficitur. At affectus a *Gal. 14. method. med.* inter morbos reponitur in quantitate seu magnitudine. Differt tamen ab œdemate, quoniam œdema prementibus nobis cedit, digitique admodum alte in ipsum descendunt: inflatio vero digitis pressa, vestigium non retinet, ac sonitum veluti tympanum reddit, ex eodem *Gal. 14. meth.* Grauitas quandoque & distensio non solum circa ventrem ipsum, sed iuxta totum pectus: aliquãdo vero retro, iuxta collum, ac deorsum, & ad ipsa vertibula irruit; sæpe autem vtrinq; occupatos tenet: aliquando & tumorem circa os ventris efficit; ructusq; inanes fiunt, modice alleuantes; & inhibitio flatuum, qui per aluum excerni consueuerunt. Quibusdam eorum dolores accidunt, ac appetitus perditiones, ac capitis dolor, *vt patet ex Aetio, Archigenis auctoritate, cap. 27. lib. 9.* Si vero ante perfectam restitutionem cibum accipiant, amplius membra ipsa inflantur, & cum dolore distenduntur: leuantur autẽ alimento inferne subeunte, & flatibus siue per ructus, siue per intestina exclusis, *vnde Aetius inquit.* Vbi vero flatuosus spiritus per intestina mouetur, multiformes edit sonitus; quorũ nõ omnes nomina sunt sortiti: verũ prudenti viro ex diuersis sonitus differentiis, quale quãtumq; excremẽtum sit, ac quo maxime loco voluatur, patere potest; *vt eod. 3. de causs. symp. ap. Gal. legitur.* Quomodo spiritus flatuosus vel flatus ipse generetur, iam ex parte diximus scholio *obser. 22. huius lib.* Breuiter, cum inflatio ventriculi fiat a multis flatibus, qui solent fieri a debili calore tanquã a caussa efficiẽte; ab alimentis flatulentis & humidis, vel a pituitosis succis;

3

πνευμάτωσις.

ἐμφύσημα.

Quæ pars affecta.

Affectus quis præter naturam.

4 — *Signa.*

5 — *Flatuosi spiritus vel flatus generatio.*

succis: alii volunt fieri spiritum flatuosum a mediocri calore: vel (*vt alii volunt*) ex humoribus, vel cibis languida caliditate in vapores dissolutis, in ventriculo generatur, *iuxta Paulum in Aetium*: nam refrigeratio, (*inquit Paulus*) hoc nomine, quod extenuare & dissoluere non sit idonea, nullos flatus procreat. Vehemens caliditas cum non tantum extenuet, sed etiam discutiat, flatus generationem impedit: minor vero caliditas, diffundit quidem & transmutat alimentum, verum minus quam opus sit: vnde flatus excitatur. Verum si ex flatuosis cibis inflatio oriatur, ex exiguo, & breuis temporis spiritu flatuoso orto, qui vno vel altero ructu vacuatur, comprehendi poterit. At si ex eisdem cibis natura si quidem non flatuosis, sed in vapores per mediocrem caliditatem resolutis inflatio fiat, ab assumtione eorundem, paulo post tempore, inflatio generabitur: & proinde ex laborantium, seu astantium sermone id promte percipies. Verum si neque assumtio ciborum præcesserit natura flatuosorum: pituitosos humores in ventriculo contentos ac inhalitum solutos, inflationis caussam existimabis. Nam si ex atræ bilis in eundem vētriculum effusione flatus quidem generetur, quam affectionem hypochondriacam, ac flatuosam nominant, præter reliqua peculiariter metus & mœstitia aderunt: quemadmodum de melancholia cap. proprio diximus. Sed exempla infrascripta hæc melius docebunt.

Caussa. 5

6 *Caussarum diuersarum notitia.*

Observatio XL.

De ventriculi inflatione, cum dolore, ex succis pituitosis.

II

Ventriculi dolor (*vt alias diximus*) a flatibus in ipso generatis plerumque fit, aut ex pituitosis humoribus in eo contentis, aut ex cibis in vapores ab imbecillo calore resolutis. Atque hæc ipsa ventositats raro sine vētriculi dolore est. Hoc malum in me ipso expertus sum anno 1556. mense Iunio, cum imbecillo stomacho laborarem, tormina ventriculi vna cum ventositate sentiens, ingentem stomachi dolorem passus sum. Cum itaque cibos flatulentos non sumsissem, ex pituitosis excrementis dolorem & flatum ortum coniiciebam. Ergo vt huic symptomati occurrerem, omnium primo caussam auferre decreui; nempe medicamentis pituitam deiicientibus, leuiter laxantibus: intemperiemque auferendo, vt & calor naturalis diminutus augeretur. Ideo optimū duxi pilulas sequentes sumere, quæ vtrumque faciunt, scilicet leuiter purgant & calorem ventriculo suppeditant: *℞. pilul. communium, seu pestilentialium, aut Ruffi. ℈ ij. pilul. de hiera. ℈ j. cum aqua fœniculi: fiant pilulæ 5.* Quas mane hora nona deuoraui: & cum tardæ operationis essent, mane sequenti quatuor prius secessus habui, valde copiosos & pituitosos & corruptos, cum emissione vētositatum: quibus tormina, dolor atque rugitus & flatus magna ex parte cessarunt. Sumsi quoque decoctum *florum chamomill. seu cumini & anisi in ceruisia communi*: quibus ventositates expulsæ sunt, & a dolore fui liberatus. Alioqui si non cessasset, omnino post pilulas illas leues, *ex hiera vel aromaticas (quasdem præstant)* pituitam coquendo accepissem: & vna ventriculum roborassem cum *syr. de mentha, de conseruatione ex corticibus citri, cum decocto menthæ, hyssopi, betonicæ, absinthii florum anthos, & similibus.* Deinde rursus reiteratis pilulis, demum accepissem attenuātia calida, flatusque discutientia, vt *decoctum cymini vel seseli, cum mentha vel hyssopo in vino decoctis.* Quibus etiam in rusticis felicissime vsus sum. Sic anno 1565. hortulanum curaui, cui ventriculus ex ventositate prominebat, ita vt fere abscessum metuerem. Cui cum medicamenta flatus discutientia propinassem, adiectis quibusdam amaris & detergentibus præsidiis, idem per vomitum & secessum post multos ructus, vermes plurimos reiecit, ventriculo mox subsidente. His hortulanus iste, dum maximo ventriculi dolore & distensione torqueretur, egregie conualuit.

3

Scholia.

Hic affectus minime contemnendus est: nam inflatio ventriculi, vbi diu perseuerauerit, metus erit, ne in hydropem siccam præcipue terminetur: & si multiplicetur ventriculi inflatio in conualescentibus, recidiuam significabit. Nāque qui a morbis immodice se satiant, flatuosi, ac toto corporis habitu turgidi redduntur, *vt 3. de causs. sympt. Gal. nos docuit.* Quod vero, qui morbo regio laborant, non multum ventosi sunt, ab Hippoc. 72. 5. *lib.* scriptum est. Indicatio vero curationis (*vt & Altimarus ex 14. method. medendi annotauit*) inflationum omnium communis est, vt quod præter naturam est vacuetur, in quocunque id contineatur loco. Propria vero indicatio post hāc communem est, vt tenuissimis & calidis potestate medicamentis id perficiatur: vt aere calido, somno longiore, qui ex toto affectus leuat, *teste Paulo*, & mirifice coctionem iuuat, *vt habetur 12. meth. med.* Et primo exercitatio leuis, deinde maior adhibenda, maximeque ea, quæ superiores partes moueat, quod genus (*vt Celsus refert, cap. 5. lib. 4.*) in omnibus stomachi vitiis aptissimum est. Frictiones item extremarum corporis partium, si adhibeantur, conferunt. Aluus omnino sit leuis, & vbi adstricta, statum clyster infundendus, *vt Aetius iubet.* Interponenda quoque abstinentia, *iuxta Celsum*: præcipue vero, *teste Aetio*, vbi ex dissolutis in vaporem cibis orta fuerit inflatio. At si eā ferre nō possint, cibi exhibendi sunt calidi, attenuantes, minimeque inflantes, boni succi & coctu faciles, quantitate exigui. Diuidantur autem ex mente eiusdem Aetii, ita vt in prandio tertiam, in cœna vero reliquas duas accipiant partes. Fructuum vero ac olerum humidorū esum semper habeant suspectum. Potus cibum non interpellet. Per omnem tamen cibum vinum meracius exhibeatur, at non multum. Nam multum potum, tanquam infestissimum hostem, deuitent, *vt Aetius admonet*: & si non ita diu ante cibum sumserit, aut cibus fuerit natura flatuosus præassumtus, primum vomere præcipe, cum iis, quę iam sępe cōmemorauimus:

4 *Signa prognostica.*

Curatio.

5

Medicamentorum ratio.

Curatio a flatulentis cibis. 6

post vero vomitum, eos fouere oportet, ex oleo, quod tenuium sit partium, quodq; rutam habeat incoctam, aut aliquod calidorum seminũ, vt cumini, apii, petrosel. *ex Gal. 14. meth.* Interea prosunt calida & sicca fomenta, ex milio & furfure; præsertim si dolor sit mediocris: vel ex sem. lini, ordeacea, & loliacea farina, cumino & sem. anethi, aut apii, aut fœniculi, oleo rutaceo, aut hydromelite, cataplasma cõficiatur, modo adiecto oleo laurino vel cẽtaurii coma, aut eryngii semine, vel lauri baccis, & melanthio. Cucurbitulæ cum multa flamma admotæ, bonæ magnitudinis, vmbilicum vndique comprehendentes, egregie iuuãt incantamenti instar, *teste Paulo & Galeno, 14. meth. med. & 12.* Glandes etiam supponendæ, *ex sem. rutæ, cumino & melle confectæ, sale addito.* Et clysteres *ex decoct. folior. rutæ, flor. chamæmeli, puleg. calaminthæ, furfure, adiectis seminibus fœniculi, dauci, & cumini; & caricis: & in ℔ 1. adiiciendo olei anethini, chamæmel. rutacei an. ℥ j. diaphœnici, diacatholici, benedict. laxat. an ℥ ß. sale addito, fiat clyster.*

Curatio a pituitosis humoribus in halitum solutis. 7

His addere poteris quæ apud Celsum, Aetium, Paulum scripta sunt: *vt est castorei quoque ʒ. j cum aceto scyllino,* iuxta Aetium sumta. At si ex pituitosis humoribus in halitum solutis contigerit stomachi inflatio, succi prius digesti euacuentur. Euacuabuntur autẽ vomitu, si ægri in illum proni sunt; sin minus & per inferiorẽ ventrem, per clysteres paulo acriores, *teste Galeno*: vel per purgans aliquod. Galenus & hic vbi dolor vrget, ex spiritu flatuoso genito ex prædictis humoribus ante purgationem cucurbitulam adhibet, cum multa flamma copiosa: deinde humorem euacuat, *vt videre licet 12. meth. med.* Humore iam repurgato, eadẽ topica, quæ iam dicta sunt, & ab aliis auctoribus descripta, conueniũt, vt emplastrum de baccis lauri, supra totum vẽtrem & supra stomachum, emplastr. stomachicum Galeni: & intus exhibenda potio absinthii, hyssopi aut rutæ. Paulus dat ouillũ talum vstum: confert & diacinamomum, diacyminum, dianisum, diaxyloaloes, diacalamentha aut diatrion pipereon, cum exiguo vino diluto. Nunc aliud exemplum addamus.

OBSERVATIO XLI.

De stomachi & hypochondriorum inflatione ex humore melancholico.

1 ANno 1588. mense Februario Serenissimus Elector & Episcopus Coloniensis, qui hoc tempore in castello Honselredickio dicto agebat, incidit in ventriculi inflationem ac hypochondriorum, non sine magno dolore; ita vt me accersiri iuberet. Sentiebat etiam tensionem quandam in hypochondrio sinistro, ex lienis inflatione & obstructione, vt melancholiam: quam procul dubio ex variis suis aduersitatibus contraxerat. Hypochondria ac ventrem cum tangerem, valde distenta erant; iniecto clystere carminante ventositatem, prima vice parum profecit; tandem cum & dolor vrgeret, & totum fere ventrem occuparet; & vrina aliquantulum tincta esset (credo ob dolorem) eumque ructus subinde experiretur, sed difficulter exeuntes: & nihil per ventrem neque flatum emitteret, clysterem partim emollientem (eo quod aluus durior esset) partim dolorem sedantem, & partim ventositatem expellentem, in hunc modum præscripsi: 2 cum & circa lumbos se dolere diceret, etiam calculo sæpius obnoxius: ℞ *rad. althææ mundatæ ℥ j. folior. brancæ vrsinæ, parietariæ, maluæ, mercurialis, florum chamomill. meliloti. summitatum anethi an. m. j. seminis anisi, fœniculi, cari an. ʒ j. ß ruta m. ß. sem. lini ʒ. ij. coquantur in aqua communi pro ℔ 1. cola. adde cassiæ pro clysteribus ℥. j. diacatholici ℥ ß. benedictæ laxat. ℥ ij. olei chamæmel. anethini an. ℥ j. olei rutacei, amyg. dulc. an. ℥ ß. vitellum vnius oui, salis ʒ j ß. misc. fiat clyster;* eoque diutius detento, ter aluum excreuit flatibusque quoque multis tam per superna quam inferna emissis. Ventriculum postea etiam repurgauimus, cum sequenti potione (prius etiam carminante potione ebibita) quæ ita habebat: ℞ *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ ℥ j. ß. diaphœnici ʒ ij. aquæ decoct. flor. chamomill ℥. iij. misce,* stomachum inunximus deinde cum oleo rutaceo, mastichino, & maceris. 3 Postea & hoc vng. ℞. *olei mastichini. coton. maceris an. ʒ iij. cerati stomatici Gal. ʒ ij. olei garyophyll. gutt. iij. ceræ q. s. fiat vnguentum.* Interea & hac confectione vtebatur: ℞ *specier. aromatici ros. diacalaminthæ, diarod. abb. diacumini an. ʒ ß. dissolut. in aqua absinth. adiect. ℥ sacc. albiss. ℥ iiij. fiat confectio in rotulis ponderantibus ʒ. iij. vel ʒ ß.* Egregie hæc iuuabant. Alioqui addidissem aliquot guttas olei anisi, in dicta confectione; quibus vti soleo: etiam oleo ipso cum modico vino per os sumto, commode vtor ad vẽtositates expellendas, etiam in colico dolore. Hypochondrium sinistrum inungebam linimento sequenti: ℞ *olei de capparibus. olei rutacei an. ℥ ß. olei amygd. amar. emplastri de melimoto &* (quia leuis durities aderat) *emplastri de muccil. an. ʒ ij. olei garyophyll.* (ob meliorem odorem) *guttas tres, ammoniaci dissoluti in aceto ʒ ij. ceræ q. s. fiat vnguentum.* Interea quoque imperaui, vt Excellentia sua abstineret a multo potu, & a multis iusculis, leguminibus, & oleribus, minusque dulcibus: quia talia flatus gignunt. His autem malum cessauit: alioqui diatrion pipereon dedissem aut theriacam.

SCHOLIA.

HÆc ventriculi inflatio, ob melancholicum humorem in ventriculum infusum, pertinebat ad hypochondriacam affectionem, quam alias flatuosam appellauimus: quod etiam ex signis cognouimus, cum mœstitia adiuncta esset. 4 Ceterum cum de huius curatione prius dixerimus: hic nihil addendum: nisi quod materiam melancholicam flatulentam digerere debeamus *cum oxymelite & decoct. ceterach, scolopend. rad. capp. thamaris. & anisi, etiam menthæ, melissophylli, chamæpit. thymi, &* similibus. Quidam hic laudant pro purgatione *hieram Ruffi, cum exiguo mastiche.* Deinde etiam in tumore melãcholico fotum cõmendant, *per spongias, ex aceto, cumino & ammi trito,* potiusq; fomentis vtuntur quam vnguentis.

ne cera meatus obstruat; ideo irinum & rutaceum oleum quidam & nardinum cum castoreo vẽtriculo admouent.

OBSERVATIO XLII.

De ructu ventriculi cum aliis symptomatis.

CVm inflatur aut distenditur stomachus, vapores malos & indigestos, Galeno ita tradente, per os eructat, & acidum interdũ aut graueolentem ructum emittit, quibus emissis aliquando grauis dolor statim consopitur. Quod vxori cuiusdam calcearii Delphis euenit. Hæc equidem non solum circa lumbos & renem dextrum vehementer dolebat grauida duorum mensium, verum etiam dolor ille totum vẽtriculum & os eius occupabat, & tanta vehementia stomachum & diaphragma cõprimebat, vt præ angustia vix anhelitum trahere posset, & spiritum e pectore educere. Existimabat autem se pleuritide laborare: cuius caussa me vocabat, vt certo sciret, quo morbo laboraret, & simul a dolore subleuari posset. Cum autem hæc me præsente plurimos ructus emitteret, quibus nonnihil videbatur subleuari, mox tamen dolore redeunte: ideo cum potionẽ sequentem ebibisset, ac multos ructus tum ventositates per superna, flatusque & vẽtris crepitus demisisset, atque locum dolentem linimento infrascripto vnxissemus, panno calido deinde admoto, miraculi instar omnia symptomata dicta cessarunt: non obstante, quod metus esset de abortu, ob nimium dolorem & angustiam: ℞ *sem. anisi, fœniculi, anethi an.* ℥ j. ß. *glycyrrh. ras.* ℥ ß. *vuar. passul. enucleat.* ℥. ß. *maluæ*, ob dolorem renum, *m.* ß. *bulliant in aqua communi q. s. & huius express. accipe* ℥ iij. *addendo sy. ex infus. ros. commu. sy. de cichor. Nicoli an* ℥ ß. misce: ℞ *olei liliacei, anethini, ping. gallinæ an.* ℥. ß. misce, pannis calidis admotis, præter omnium opinionem absque purgatione aut aliis remediis, tantum ructibus & ventositatibus emissis, cum nocte sequẽti sudasset, & deinde bene dormiuisset, sanitati restituta fuit.

SCHOLIA.

SOlus homo inter animantia, *ut tradit Aristoteles*, flatum ructumque emittit; quod ex stomachi humiditate contingit: ventres enim aliorum animalium aridiores sunt. Verum, *vt Plinius refert inter morum exempla*, Pomponius consularis, poeta, nunquam ructauit. Id vitium ex crassioribus fumidisque vaporibus vi quadam erumpit, ab imo (*vt aiũt*) stomacho: at enormiter quadam gloria potoribus per ora euoluitur. Censura igitur dignos quidam putarunt, qui ex crapula eructant. At ructus cum plurimum fiat ex indigestione stomachi, aut ex frigore, aut vẽto: mulieribus sæpissime vuluæ vitio, sæpe cum ventus includitur, nec efflari per se potest, quę ructus commouent, damus: qualia sunt anisum, origanum, cyminum & similia. Verum si multa subest pituita, prius perpurganda esset: alioquin in continuatos verteretur ructus. Sed hic non opus fuit purgatione, cum tantum ventositates hãc mulierem torquerent. Verum, & antea dictum est, exiguo suo calore inflatur stomachus: copiosiore in ructus prorumpit, cibisq; pariter inflantibus, vt de inflatione ventriculi diximus. Sunt & alia quæ effectiue excitant ructum: sicut rhaphanus, & sinapis: quædam materialiter in ventum & fumidum vaporem conuertuntur: vt ouorum lutea, si friguntur, ac ipsum lac: omniaq; cruda magis quam cocta inflant: & stomachi caliditas lac arescere facit. At de ructu acido atque fumoso, & quibus signis, si adsit materia frigida, pituitosa vel melancholica, distinguantur, iam antea dictum est. In materia melancholica adest grauitas, lienque subinde dolet & intumescit; & venter cum cibi indigestione, acidoque ructu. A bile ex oris amaritudine sitique; graueolentesque ructus in pestilentia fiunt, ex corrupto quoque cibo, potu pestifero, vt ex lepore marino, aut interioribus vlceribus aut abscessibus, aut infantibus ex tineis. Æruginis dirus sapor, compunctionibus, ardoribusq; indicatur. Cœnosi ructus, qui cibum nonmutatũ referunt post horas septem, imbecillitatem concoctionis reddunt. Acidus sapor perdurans hydropen minatur. A vento nullum sapor indicium facit; vel si ex frigore aut frigidis natationibus. Omnium primo, quod ad curationem attinet caussis primitiuis & antecedentibus occurrẽdum est: deinde iis quæ inflationem stomachi discutiunt. Si ex crasso succo, *vt antea dictum*, oxymelite leuatur: deinde hiera; postea & diatrion pipereo, ex aqua vel vino; in ructu quoque vaporoso & fumido absinthium & hiera picra. Reliqua ad ructus dissoluendos *vide apud Arculanum, & caput proprium Valesci lib. 4. cap. 11. de eructatione*: vbi ad longum caussæ, signa, prognosis & curatio explicãtur. Non tamen semper acidus ructus ex caussa frigida oritur: sæpe etiam ex calida, *vt apud Trallianum videre licet*. Et vide apud eundem quomodo tales curentur.

Curatio.

OBSERVATIO XLIII.

De muliere cholera morbo correpta.

CHolera morbus est acutissimus, sine febre fere, quæ vel vno die, vel altero, vel certe paucis diebus hominem rapit: substantia corporis effusa, partim assiduis vomitionibus, partim iisdem deiectionibus: nisi medicum peritum ac sugacem inueneri t. Sic mulier quædam Alcmariana, vxor cuiusdam fabri ferrarii, prope Sancti Spiritus sacellum commorantis, mense Iulio, æstate vigente anno 1548. cholera morbo corripi cœpit: cumque & vomitionibus & deiectionibus multa aquosa liquida corrupta & euomeret & simul deiiceret, cum tanto impetu, vt humoribus multis spiritibusque vacuatis vires conciderent: vnde suborto sudore frigido ac tremore cordis, in syncopen lapsa est: adeo vt astantes illam pro deplorata habentes, curationem sacerdotibus reliquissent, cumque munita esset extrema inunctione, tandem de remediis cogitarunt, atque me ad ægram deduxerunt; mox per me odoriferis naribus adhibitis, atque digitorum frictionibus factis, ad se paulullum rediit. Sed quia adhuc valde nauseabunda apparebat, vomitum illico noluimus constringere, ob materiæ venenositatem

2 Quare adhibito *cyatho vno decoctionis hordei communis, pauco zaccharo adiecto*, pro medicamento abstersorio & lotorio. A quo cum rursus semel vomuisset, & secessum habuisset, mox hunc syrupum propinauimus; ℞ *sy. coton.* ℥ ij *sy. de ribes* ℥ j. *sy. de cichor. Nicoli cum rhab. sy. menthacei an* ℥ ß. misce. Cepit autem circiter cohlearia duo; Postea solum syr. *de ribes*, *menthaceum & cotoneorum* dedimus, *& zaccharum ros. perlatum*. Postremo capiebat aliquãdo pro roboratione & maiori cõstrictione, *diacotoneum sine speciebus*. Ventre ac stomacho iuncto *oleo mastichino, & cotoneorum*, symptomata cessarunt: ita vt istis tantum remediis, pro mortua habita, sanitati fuerit restituta; cui & exiguũ panis biscocti in vino rubro sty pticomacerati, pauco cinnamomo asperso dedimus, aliquando & succum granatorum expressum: & sana euasit.

SCHOLIA.

3 RHases, & qui eum sequuntur, statim post syncopen, de cholera morbo agunt: eo quod sæpe syncope tales afficiantur, ob nimiam euacuationem, & ob ventriculi consensum: & alii vero de hoc malo, cum plerumque ventris perturbationem, & simul fluxum habeat, scribunt, cum de affectibus intestinorum agunt: verum cum etiam ad venticulum referatur, de eo quoque malo in hoc libro tractandum esse æstimamus. Multi hic de nomine contendunt, & a caussa nomen accepisse putant, a Gnidiis medicis: quamuis non ex propria sententia, *vt Galen fatetur 2. method. med.* cum χολὴν, id est, bilẽ caussam esse arbitrati sunt, vti & Corn. Celsus *lib. 4. cap. 11.* sentire videtur; cum tamen non solum a bile, sed cibi prauitate & corruptione humorum, fieri soleat. Trallianus potius a materia, quæ cum per ventrem adfertur, ex intestinis videtur excerni, fieri putat: Intestina vero choladas, veteres appellabant, vt etiam Homerus testatur his verbis, κέχυντο χαμαὶ χολάδες, quod est, *Fusa erant humi intestina*. Cum totus

De nomine.

4 igitur ventriculus ab aliquo, quod morsu ponderеve contristet, vexatur, idque statim eiicere cupiat, superno infernoque ore ad excernendum vtens, affectus quidam hic gignitur, qui a Græcis χολέρα, *3. de caus. sympt.* a Latinis similiter *cholera* dicitur: quamuis Barbari hunc affectum *choleri-cam passionem* vocant. Est hæc affectio nihil aliud, iuxta eundem Trallianum, quam immoderata perturbatio, quæ per aluum & vomitum, propter stomachi submersionem, ac eiusdem offensionem prouenit. Paulus describit quoque *cap. 39. lib. 3.* eam esse immodicam ventriculi perturbationem, supra infraque erumpentem. Et quanquam Celsus hæsitet, num intestina vel stomachus lædantur, cum vtrisq; commune vitium esse posse putat: iuxta tamen Gal. loco citato, secundum totum hic ventriculus afficitur, *vt etiam docet Altimarus*. Et ita quoque symptoma est in genere noxæ facultatum naturalium, & proprie expultricis deprauatæ; quæ proprie cholera dicitur.

Quid sit cholera.

Quæ pars affecta.

5 Nam quandoque citra eiusdem facultatis noxam fit, licet perpetuo aliquem præter naturam affectum consequatur, veluti supra de vomitu dictum est; quanquam eam non proprie choleram nominant, vt si fiat propter ciborum qualitatem, *Alex. Trall. auctore*. Hippocrates *4. de rat. vict. in morb. acutis* & Gal. *in commento*, duplicis choleræ meminerunt, & aridæ & humidæ. In vtraque perturbatio est ventriculi immodica infra supraque. Differunt caussa & symptomate: arida enim fit ex spiritu flatuoso acri, qui siue egeratur, siue retineatur, lancinat, & mordicat partes ventris neruosas, venter inflatur, strepitus fit, dolor in lateribus, & lumbis, aluus nihil deiicit, sed adstringitur. Eiusdem curationem *vide loco citato apud Hippoc.* Alia est humida, quæ gignitur ab alimentis eorumque prauitate, vel a medicamentis, & plerumque a vitiosorum humorum copia, vel a bile admodum corrupta, aut a pituita salsa corrupta: de qua nunc agimus. At Neoterici quidam distinguunt species secundum humores, qui deiiciuntur ac vomitu expelluntur: & sic quædam est aquosa, ex phlegmatis genere: altera biliosa, vt choleræ prassinæ, æruginosæ & similium; vel melancholica corrupta, adustionem participans diuersarum naturarum & colorum. Alii aliter distinguunt: vel quod per se incipiat, aut alios morbos subsequatur, modo critica, vincente natura; modo symptomatica. Alia rursus in corpore debilis ventriculi, vel aliis virtutibus debilibus; alia in corpore forti: quædam acuta, habens accidentia grauissima, medico metum incutientia. Alia vero non ita acuta. Quæ quidem differentiæ petuntur ab ipsis symptomatibus: quemadmodum & aliæ a tempore, quod ea ipsa fit in principio, in augmento sui motus, vel in statu, aut declinatione. Penes materiam, vel quod fit in venticulo, vel in partibus vicinis aggregata, vel transfluxa: modo nocens quantitate, aut multitudine aut indigestione, alteratione, putrefactione, mordicatione, cum præsentia ciborum acrium, mordicantium aut alterius humoris: vel ex defluxu a toto vel a membro particulari ad ventriculum & intestina. Atque hæc ipsa modo a caussa primitiua sola, modo iuncta tum materia circa stomachum. Sed hæc ipsa ex caussis tum exemplis subsequentibus manifestiora euadent.

Quis præter naturam affectus sit cholera.

Differen

6

7

OBSERVATIO XLIIII.

De cholera ex medicamento assumto.

CVm excitetur cholera (*teste Paulo & Trallia-no*) non ex vna caussa duntaxat, sed etiam ex multis: ideo caussæ illæ prius perscrutandæ, antequam curationem instituamus. Et quamuis fiat ex magna alimẽtorũ prauitate, vt ab iis pręcipue, quę succũ crudum, flatuosum vel acrem procreãt, quæq; ægre concoquuntur ac tarde permeant, vt intestina suilla, sanguine infarcta, cæpis, pipere, pinguedine, quib. nihil difficilius coquitur: qualia etiam sunt suilla caro, bubula, caprina, animalium ventres, & caseus, & quæcunq; facile putrescentem succum, vel humiditatem acrimonię cõiunctam habent. Verum præter alimenta & vitiosos humores, *vt latius in scholio subsequente dicemus*, etiam medicamenta hunc affectum excitãt,

quæ

quæ sua natura vomitum cient, & perturbationem tam per superna quam inferna concitant, vel excrementa ad ventriculum trahunt, vt veratrum. Sic mulierem noui, quæ cum diu circa præcordia male habuisset, empiricus eius cognatus ℥ ij. *rad. ellebori albi in taliolas incisi* acceperat, & vino per noctes infuderat tres. Vinum expressum cum mulier bibisset, in vomitum enormem atq; choleram incidit, ac animi defectum, & anhelitus præfocationem. Ad quam accitus, poculo inspecto ex quo potionem sumserat, inueni radices ellebori albi in vino infusas. Statim adhibeo decoctum hordei communis in aqua pura, adiecta pauco zaccharo, idque tepide, vt melius euomeret: & pro veneni abstersione, mox propinabam ℥ ij. *florum nenuph. albi puluerisatorum* (hoc enim proprium eius est remedium, teste Guainerio) cum ceruisia, propter calorem; cum venenum, seu veratrum, cum vino sumsisset. Quamquam Guainerius dat cum vino, vti & theriacam seu gentianam cum vino. Mox roborato ventriculo exterius cum stypticis emplastris, & rob. de ribes per os, tum syr. cotoneorum exhibito, postquam satis euomuisset & ventrem deiecisset, hæc tandem curata fuit.

2

SCHOLIA.

3 *Medicamẽta quomodo choleram inducant.*

MEdicamenta acria subinde choleram morbum procreant. Sic Galenus *commento aph. 1. lib. 5.* dicit ex elleboro albo instar choleræ perturbationem fieri, & vomitum, & tandem, propter ipsam euacuationem, supra modũ ipsis purgatis conuulsionem aduenire: sicuti & choleram patientibus, contractiones frequenter adueniũt, & sæpius ac maxime eorum qui sunt in suris musculorum. Et tunc conuulsio fit per compatiendi ad os ventriculi societatem. Sub veratro, nempe albo, reliqua pharmaca violenta subintelligenda sunt, *quæ ex euphorbio, colocynthide, & scammonio, ex esula seu lathyride constant:* ex quibus non tantum cholera seu perturbatio ventris, sed & conuulsio tandem euenit, si huic malo non statim occurratur. Ideo recte dixit Rondeletius. *Excitant hunc affectum medicamenta, quæ sua natura cient vomitum, aut ad ventriculum trahunt excrementa, vt veratrum, colocynthis, scammoneum.* Variæ igitur caussæ ipsius choleræ sunt, vt dicere cœperamus. Ideo recte dicebat Alexander Trallianus, lib. 7. cap. 16. de cholera. *At non solum de vna fit caussa, sed etiam multis; nempe ob cibum copiosiorem assumtum, & quia concoqui non potuerit, corruptum: item ob prauorum humorum, aut ciborum, aut potionum, præsertim stomachum offendentium, qualitatem; qualis est pepon, & pingues dulcesque & oleosi cibi. Gignitur etiam ex copia bilis, naturam sursum aut infra ad excernendum irritantis; necnon ob nonnulla frigida applicata, vt epithemata quædam, aut frigidarum aquarum vsum, si eas bibant, aut in eis diu natauerint.* Corrumpuntur alimenta seu cibi facile, si acres fuerint: nam acrimonia sua fluxiones irritant, & orificia vasorum ventris mordicant, & vomitum atque deiectionem inferunt. Corrumpuntur etiam alimenta; vel quia ad id apta erant: vel quia in maiori quantitate assumta fuerunt, & non potuerunt concoqui sed corrupta sunt: vel quia eo ordine non sunt assumta, quo debebant; vt cucurbita putrefacit facile, si aliis cibis misceantur, sic & pepones & melopepones. Alimenta præterea facilime corrumpuntur in corporibus intemperatis, quæ in temperatis coquantur facile, vt dulcia, aut quæ excitandæ cholerę apta sunt peculiariter, vt pepones, mala armeniaca, chrysomela (*abricots* Galli vocant, *iuxta Rondeletium*) nuces amygdalæ; acria, vt cæpe, allium. Corrumpuntur etiam bona alimenta, quamuis ordine recto, & quantitate iusta fuerint assumta, ob intemperiem ventriculi calidam, & ob prauos humores in eo contentos, & maxime bilem. Rursus frequenti crapula corrumpuntur humores, & ex intemperatæ qualitatis materia; etiam ex aqua, *vt paulo ante ex Tralliano diximus*, quod Galenus docuit. Ex qua pituita aut flaua bilis aut atra generatur continuato victu; qui etsi protinus morbos non adferunt, tamen coaceruatis intus ex longo vsu humoribus, vitia contrahuntur inextricabilia; imo aliquando tales morbos inferunt, qui in octauũ quandoque protrahantur annum. Ceterum alii omnes istas caussas iam dictas referunt ad duas generales caussas; ad materiam, quæ lædit suo acumine aut multitudine; alteram ad laborem virtutis in expellendo. Interim & remotas caussas diuidunt rursus in internas aut externas: externas eas vocant, quæ nauseatiuam satietatem (*vt vocant*) & ad corruptionem cibi quouis modo iuuent, vt est aer extreme frigidus coctionem impediens vel debilitans, quantitas cibi nimia, motusq; inordinatus post cibum, vigiliæ excedentes, animique affectus maxime tristes, resoluentes & coctionem debilitantes; coitus statim a cibo, cibique omnes malę qualitatis, acuti, pungentes, corruptibiles, & ad putredinẽ parati, vt carnes mortuorum, & quæcunq; facile in venenosam qualitatem vertuntur, vt persicæ iam dictæ, indebita præparatio eorundem ciborũ, vel eorũdem præpostera assumtio, *vt iam diximus.* Internæ sunt, quæ per essentiam lædunt, aut per communitatem: per essentiam vero, quælibet intemperies simplex vel composita, sine materia, immediate faciens ad indigestionem & materiæ corruptionem. Cum materia, vt humores in stomacho lædentes. Ad quas caussas etiam referri poterunt apostemata, abscessus, solutiones continui; etiam vulnera in stomacho existentia, quæ ad caussam etiam per essentiam pertinent. Per communitatem vero a toto vel membris particularibus, vt hepate, splene, cerebro, aliisq; materias malas ad ventriculum seu intestina transmittentibus.

4 *Caussa cholera.*

Alimenta & cibi quomodo facile corrumpantur.

5

Quomodo humores corrumpantur.

6

Caussa externa.

7 *Caussæ internæ.*

OBSERVATIO XLV.

De cholera ex cibo diuerso & corrumpente assumto, orta.

1

IVuenis quidam biliosus, vigente æstate, cum in vna mensa diuersis cibis vsus esset, cœpis, atque peponibus, & raphanis, atque pinguibus

dulcibusq; edulijs, incidit in choleram. Ad quem accitus cum prius cibum corruptum euomeret & simul per inferiora deiiceret, cum ventriculi maxima angustia & grauedine; atq; intell'exissem ex eius sermonibus, quę in prandio sumsisset, & quod largiore satis potu vsus esset, atq; tum malum adhuc in principio esset, noluimus statim vomitum & alui fluorem cohibere. Nam si quis in principio, aut coaceruatim ea quæ afferuntur cohibere aggreditur, is maioris mali facile auctor est, *teste Aetio cap. 12. lib. 9.* Inutilia enim cum sint (*vt ipse inquit*) euacuatione opus habent. Ideo auctores, si hoc malum ex corruptis in ventriculo cibis, siue propter copiam, siue prauam qualitatem, eueniat; aqua tepida exhibita ægrum vomere iubent.

2

Nos autem dedimus aquam decoct. hordei non excorticati, pauco zacch. admixto. Quo satis vomebat, & aluum deiiciebat. Alexander Trallianus mulsa vtitur, quæ aluum & vomitum sine noxa irritat, eodem auctore. Cum autem euomuisset, astantes plurimum adhuc metuebant ægro. Attamen in hoc morbo prudentis medici est, terrentia statim nō reformidare; quando nulli morbo minori momento succurritur: ac protinus æger, vbi ista cœperunt, aqua tepida vel mulsa vomere cogendus est. Nisi enim quid impedimenti fuerit, celerrime rursus ad naturalem statum reuertuntur: potissimum si corruptio ob copiam ciborum fuerit oborta: quanquam & huiusmodi affectum proprie choleram non esse velint. Hic tamen etiam postea per vomitum & aluum quædam mucosa, pituitosa, nidorosa, inter quæ inconcocta quædam & semicruda videbantur, euomuit; ita vt hic affectus ad choleram referri possit.

3

Tunc enim mihi venit in mentem similis fere casus apud Amatum *centur. 2. curat. 31. de Caspare de Robertis, genere nobili, qui cum vigente æstate in cœna radiculis (quibus delectabatur) vesceretur, in choleram lapsus est: qui de ventriculi grauedine, ac in eo erosionibus perceptis quoque conquerebatur. Cui & aquam tepidam bibendam dedit: qua etiam multa mucosa, pituitosa, nidorosa & semicruda euomuit. Repetita vero eadem tepida aqua, nihil præter aquam ipsam euomuit, aut deorsum egessit. Quare tunc ventriculum roborans cerato quodam ventriculo admoto, & intus miuam cydoniorum cum speciebus sumens, & panem biscoctum in vino generoso & astrictionis participe irroratum dabat: a iuribus abstinens & rebus duris concoctuq; difficilibus.* Et ita nostrum quoque ægrum curauimus. Vomitu & secessu postea desinente, a somno paulatim cibo refecimus; & vt cruditatem auerteret imperauimus: tostumq; panem cum vino mali punici commode dedimus; & ventriculum exterius roborauimus, pullosq; gallinaceos cum acore seu omphacio, piscesq; saxatiles cum exiguo & suaui aromate præbuimus: & mox sanus factus est.

SCHOLIA.

4

CVm igitur ex varijs caussis cholera exoriatur, diligenter signa perscrutari oportet, tam ea quæ hunc affectum præsagiunt atq; demonstrāt, quam quæ caussas ipsas distinguunt, & quæ mere prognostica sunt. Nam ijs cognitis de curatione cogitandum, quæ ad vnamquamque huiusmodi caussam accommodetur. Præsagientia signa habentur ex vitæ instituto præcedente, tum victus ratione, quę corruptionem ciborū, & humorum nimiam repletionem inferre solent, per motum quoq; inordinatum post cibum assumtum: & ex assumtione corruptibilium rerum; *de quibus in caussis abunde dictum est*: potissimum si naturalis stomachi debilitas adiuncta fuerit, vel innata, vel accidentalis, ob caussas dissoluentes diminuentesq; virtutem. Sic coitus superfluus ventriculum debilitat, quemādmodum & febres morbiq; diuturni; quibus si accedat nauseatiua satietas (*vt vocant*) cum accidentibus prædictis, immediate futuram choleram prædicere poterimus, si adfuerit punctio doloruę circa ventriculum & intestina. Ita & æstate atque autumno cum mali humores generantur; eo quod fructꝰ crudiores comeduntur, si supradicta adfuerint, choleram præsagiemus.

Signa præsagientia.

5

Signa demonstratiua.

At signa demonstratiua & præsentis indicia, sunt (*teste Aetio lib. 9. cap. 12.*) vomitus biliosus & nidorosus, & acidus, ad plures horas continue perseuerans; & venter inferne eadem excernit, sequiturque sitis exsugatio, impeditur pulsus, musculorumq; manuum ac pedum, maxime vero surarum, contractio & tensio; & (*vt refert Celsus*) non solum bilis supra infraque erumpit, sed primum aquæ similis, deinde vt in ea recens caro lota esse videatur, interdum alba, nonnunquam nigra vel varia. Ex his quasi tempora eiusdem cognoscimus ex Arculano. Incipit enim primo cum lenitate, deinde statim augetur, cum dolore, & punctione in ventriculo & in intestinis; & quæ sunt minus maligna primo expelluntur, vt cibi corrupti; deinde humores aquosi & biliosi & citrini, subflaui, tandem & virides (*vt in nobilissima domicella Hentera. filia Domini Præsidis Hollandiæ, conspeximus, quam etiam curauimus*) postremo nigri. Et in processu perueniunt ad spasmum seu conuulsionem & singultum; & postremo ad casum pulsus, sudorē frigidum, syncopen & mortem; & hoc vsq; ad quartum vel septimum diem.

6

Est enim ęgritudo peracuta; cuius terminus ad salutem aut mortem a 4. ad 7. At symptomata d'a mala, vt est extremorum frigus, & circa faciem frigidi sudores, & facies terribilis, & pulsus ad prauitatem & inæqualitatem tendentes; & quæ ad hæc succedit syncope, aliquando vero & conuulsiones: illa quidem ob vacuationem & oris ventris laborem; hæc vero vel similiter ex ore ventris, cui cerebrum & neruosæ partes consentiunt (& erit conuulsio per consensum) vel ex siccitate, quæ pessima esset & lethalis. Sed hic notandum (*vt Iacchinus doctissimus quoque admonet*) quod hic casus non fit, nisi ex calido & bilioso succo, cum corruptione aliqua, id est, mala qualitate acquisita. Vult tamen Rhases vt forti animo simus, & remedijs instemus, neque desperemus statim de salute. Attamen prædictione te a culpa seruabis immunem: vt exemplum sequens te docebit:

Conuel-

7. *Signa caussarum seu speciarum.*

Conuelluntur enim aut sui mordacitate, aut expultrice concitata, vel resoluta retentrice. Verum antequam ad signa prognostica veniamus, prius omnes caussæ distinguendæ. At facile omnes intersting poterunt: nempe ob alimentorũ assumtorum copiam, aut eorundem (ac etiam potionũ) prauam qualitatem, quæ omnia ex laborantis, seu astantium loquela percipies; veluti etiam si præcesserit vsus frigidarum aquarum, aut frigidorum medicamentorum ab extra adhibitorum. Verum vbi ex copia bilis, seu aliorum prauorum succorũ redundantia, cholera fuerit excitata, ex ꝓpriis eorundem humorum signis, ac sępius iam dictis, eos discernes. Sicuti igitur biliosam choleram significabunt initio, ea quę de siti, dolore, punctione, vigiliis & bilis vomitu diximus; ita pituitæ vitreæ præsentiam, in ventre pondus, frigus, & sensuum grauitas, indicabunt: vti & phlegmatica salsa, ex salsedine, sicuti bilis ex amaritudine, vt iam frequenter dictum est, percipietur.

Observatio XLVI.

De cholera lethali ex bilis copia.

1. PVella iuuencula, biliosa, sitibunda, quamuis certis interuallis natura sese vomitu ac secessuplioso exoneraret, tamen ob impetũ humoris biliosi erumpentis, salubri humore simul cum bilioso foras expulso, male subinde habebat Huiusmodi homines a Græcis χολερικοὶ, ἢ χολερῶντες dicuntur, Plinio vero *biliosi*. Ceterum hæc puella, cum æstas esset, & victu calidiore vsa esset, & alliis & cępis, bilem adeo copiose nunc infra, nunc supra deiiciens, & rosionem & caliditatem circa ventriculum percipiens, cum præcordiorum dolore intensissimo, extreme decubuit. Ad quam prius tertio die accitus, cum ea vidissem, quæ per aluum & vomitum efferebantur, omnia biliosa esse, ægramque vehementer sitire, & linguã scabram habere, non sine febre ardente, choleram ex bile prauissimam esse intellexi, viribus iam omnino collapsis: cumque tribus istis præcedentibus diebus ac noctib. bilem porraceam euomuisset, illam in periculo esse pronũtiaui; & cum medicamenta parum proficerent, atque nunc etiam crura manusque contraheret, sitis accendebatur magis, & anima deficiebat: adhibui ea, quæ animam refocillarent. Sed omnibus illis signis malis concurrentibus, mortem prædixi; Nec mirum, cum tales subito moriantur, verum nõ prius, quam nares acuantur, & tempora extenuentur, & oculi caui fiant, faciesque decorem amittat, & extrema frigore & sudore corripiantur. Quæ cum animaduerterem, & simul ex toto corpore subito ad stomachum & intestina humores confluere, leues quidem superna petentes, & graues ac corruptos ad intestina, cum continuo impetu defluentes, viresque prosternentes; cumque iam sine somno esset, & anima frequenter deficeret, & facies quadam formidine perculsa cerneretur, & nares acutæ essent, & extrema sudore & frigore corriperentur, & singultus inquietaret, pulsu modo ablato, modo redeunte, mortem de proximo futuram prædiximus, materia virulenta ad intima præcordia confugiente: ita vt in quarto die hæc obierit.

2.

Scholia.

3. *Signa Prognostica.*

REcte dixit Alexander Trallianus lib. 7. cap. 16. *choleram acutissimum affectum esse, syncopen insignem, immodicamq; virium resolutionẽ inducentem, atq; id omnibus in confesso esse. Idcirco accurate internosci, & celerrime curari, merito postulat. Etenim dilatio in omnibus acutis morbis nociua est: in hoc autem affectu etiam exigua, ac leuis curandi mora, haud simplicem offensam, sed etiam absolutam subinde tabem, quæ phthisis dicitur, conciliat.* Hæc Trallianus. Non mirum igitur, quod in hac puella, cum ad tertium vsque diem, ne de remediis quidem cogitasset, subito ita vires conciderint, vt talem faciem incurrerit, ab Hippocrate descriptam, qualis tabidis contingit, ac paucis diebus, vt quarto die, viribus exhaustis interierit. Idque Celsus confirmauit: quippe cum hic affectus toto genere periculosus sit. Vbi enim signa prædicta adsunt, vt subita extenuatio, præsertim faciei, & frigus & pulsus mutatio, & syncope ac cõuulsiones in debili corpore; magis lethalia habentur; si etiam in fine dolor perseueret, & punctio, cum virtutis debilitate, arguunt corporis consumtionem. Attamen non semper desperandum est, iuxta eundem Celsum, cum idem dicat, *Neq; tamen vlli morbo minori momento succurritur:* modo (*vt nos quoq; addamus*) tempori medicamenta apta adhibeantur. Cholericæ vero istæ affectiones magis in æstate fiunt; & febres intermittentes, & quibus errores accidunt, & quandoq; malignæ fiunt, & ad morbos acutos perueniunt, *vt 7. de morb. vulg. Hipp. scriptum reliquit*, Autumno etiam frequenter contingit, ob esum fructuum, vt diximus; raro vero in hyeme. At si ex procatarctica caussa, id est, quæ recenter impressit, vt ciborũ ratione eueniat; quomodocunque erratum sit, facilior affectus videtur, quam si ex totius malo. Quæ vero magnitudinẽ affectus monstrant, & morem, hęc magis aperient, præsertim ad vires comparando. Cum enim affectus toto genere periculosus sit; grauius periculũ euadit, vbi ea comparuerint. Sunt autẽ, quæ superueniũt, & morem significant, ex superflua motione symptomata, vt extenuatio subita, tum alia supra dicta. Vrinæ quandoq; copia. Pueros & adolescentes voraces, plurimũ infestat: viris cum euenit periculosior est, si lacertosi pręsertim fuerint. Assuetis id malum minus periculosum est, ex quo aquã euomunt. Qui eam frequenter incurrunt, facilius eam tolerant, materia non exsistente tam copiosa aut maligna: qui vero raro, difficulter sanantur, ex caussis contrariis; & ideo infantes citius curantur. Et quamquam hæc puella alias hoc malo bis aut ter affecta, facilius curabatur; attamen nunc exsistente materia maligna, cum febre satis ardente, antea stomacho imbecilli existente, & nunc viribus deiectis, quarto obiit. Quæ vero originem habuerit ex cibi corruptela, aut alia caussa primitiua, modo non sit caussa venenosa, & quæ ex materia pituitosa & aquosa fit (cum hæc facilius corrigantur) etiamsi accidentia in principio

4.

5.

6. terrorem incutiant, minus periculosa habetur. Ex opposito, mala est, quæ in corpore forti, non consueto aut hyeme fiat, & ex multiplici corruptione, non tantum in ventriculo, sed in venis totius & membris in processu virtute deficiente cum ceteris malis symptomatis iam dictis. At, vbi restringitur cholera, sæpe declinat materia subito ad vias vrinæ, & accidit vrinæ ardor; & malum (*vti diximus*) subito leuatur. Est hæc passio cholerica dicta vt plurimum salubris, si debite tractetur, sed non apud tardos, & negligentes (*vt Arculanus recte dicebat*) neque apud imperitos: celeritate enim indiget. Nam mora, vti in hac puella, se ipsam negligente, mortem intulit. Quod facile in principio curetur, infrascripta exempla docebunt.

OBSERVATIO XLVII.

De cholera cum sæuissimis symptomatis & recte curata.

1. MARIA Gerardi, vxor illius Magistri Remi Astrii, Mathematici insignis ac Philosophi Alcmariani, mihi admodum familiaris, mense Septembri, anno 1551. in acutissimam choleram lapsa est, vna cum syncope vehementiore: pituitam prius multam & aquosam; deinde & bilem prassinam æruginosamque, simul euomebat & per inferna deiiciebat. Statim accitus, & ad eam ingressus, frictiones adhibui, & ligaturā brachiorum; mox a syncope releuata, hoc sequens medicamentum propinaui. ℞. *decocti hordei non excorticati* ℥ *iij. syr. ex infus. ros. rub. magis apertarum* ℥ *j. miste.* quo facile vomuit, & secessum habuit: noluimus enim in principio ea, quæ efferebantur, cohibere: Quin imo, cum adhuc nauseabunda esset, hæc tepide propinauimus: & euomuit. Nam sola aqua tepida cum syr. acet. simplicis, satis officiū suum in tali casu præstitit. Interea etiam dedi hunc syrupū. ℞. *aqua decoct. hordei mund.* ℥ *iij. syr. de ribes, syrup. cydoniorum, an.* ℥ *ß. syr. ex infus. ros.* ℥ *ß. misce.* syrup. iste vltimus non erat paratus ex rosis pallidis seu prouincialibus dictis, qui magis laxat, sed ex ros. rubeis parum apertis per infusionem, cum & aliquo modo detergat, & lauet ventriculum & intestina.

2. Materia itaque maiori ex parte vacuata (*quod in horis 24. plerumq; fit*) leuiter huiuscemodi cohibitionem incipere licebit. Ideo imperaui huic nostræ ægrotanti, vt tempore satis ebiberet aquam coctam cum syrup. de acetos. citri, ex cotoneis & syrup. ex ros. siccis, æquis inter se portionibus cū aqua cocta mistis. Et vt frequenter vteretur ad maiorem roborationem ventriculi & constrictionem, iubebam ex condito sequenti, vel eius æmulo: ℞. *conserua ros. antiq. conserua acetosæ, rob de ribes, ana* ℥ *ß. diacydonii sine speciebus* ℥ *vj. semin. acetosæ, semin. citri puluerisator. an.* ℈ *j. manus Christi cum perlis* ℥ *ij. specier. trionsant.* ℈ *ij. cum syrup. cons. myrobalan. empeliticarum & syrup. menthaceo,* fiat conditum mediocriter molle: de quo sumebat instar dimidiæ castaneæ, per horam ante pastum, mane & vesperi; etiam extrinsecus hoc vnguento ventriculo roborato, ac temperate calide inuncto, mane & vesperi ante pastum, ℞. *olei myrtei, cotoneorum, ana* ℥ *ß. olei mastichini* ℥ *ij. corall. rub. ros. rub. hypocystid. acacia, ana* ℈ *j. santali citrini* ℈ *ß. ceræ exiguum, fiat vnguentum.* Et quia prius facile in syncopen incidebat, frustum manus Christi subinde

3. dedimus, supersorbendo cochlear vnum succi granatorum acidorum. Sed cum leui frictione, vt dictum est, cessaret syncope, reliquam curationem cum supradictis perfecimus: alioqui si accidentia terrentia non cessassent, dedissem vinum tenue, odoratum, cum aqua frigida fractum. Sic anno 1588. Iuuenis quidam in febre continua biliosa cum supra modum bilem euomeret, & infra deiiceret, & in syncopen incidisset, cum sudore frigido, parum vini Rhenani dedimus cum aqua fractum: quibus syncope cessauit, & ad se rediit, cum astantes illum moriturum existimarent, cum nocte subito ad iuuenem vocatus essem. Cum itaq; in muliere hac humorum excretio quieuisset, cibis probi succi vtebamur, parum restringentibus; adiiciendo ad vētriculi roborationem, columbaceum pullum perdicesque, & gallinaceos, cum acore, vt omphacio: vel pisces saxatiles cum aromate suaui. Et ita probe restituta fuit sanitati, cum vera cholera laborasset, sine febre.

SCHOLIA.

4. *Curatio.* PRo morbi diuersis temporibus, proq; casuum & caussarum diuersitate; hic varia curatione opus est. Et licet in communi, æger collocandus sit conclaui obscuro & temperato, variisque odoribus grato, citro, malis cydoniis, aliisque similibus pomis: tamen in iis ægris oblectamenta quærenda sunt; quandoquidem aliis panis odor fastidio est: ita & aliquos noui, qui odorem pomorum cydoniorum respuebant. Inprimis animi securitas, ac somnus omnino magnam curationis partem possident: quæ cantu sonoq; quæritur, secundum aliquos. Attamen ægri ita male habētes, strepitum illum sæpe ferre non possunt. Et nō solum hic leuiter adstringentia, etiam in cibis ipsis permisceri debent, aut parum ante assumi; sed etiam post eos, cum simul ingruat vomitus, & alui fluor, quamq̄ & ea moderata esse debēt, nec a principio. Nā in principio (*vt iam diximus ex Aetio*) quæ efferuntur, cohibenda non sunt: nam inutilia (*vt idem refert*) euacuatione opus habent. Sic quidam

5. *Primus status.* huius mali tres status faciunt: Primus est, cū corrupti in ventre cibi molestiam inferunt, & notæ corruptionis adsunt, sed adhuc natura ad excernendum non impellitur: tunc enim leuiter irritare vim vētris oportet, priusquam per se irritata vehemens sponte eueniat: hinc enim nullo modo incommodum eueniet. Signa erunt huius status, cum nauseam patitur, sentit morsus & rugitus, & angorem circa ventrē. Sic, si cibos venenosæ qualitatis sumsit, vel purgantes cibos, vomitus tunc a mulsa fiet, vel aqua hordei tepidis, idque donec venter bis vacuetur: a quibus fouendus est venter absinthino oleo vel mastichino calido, vt vomitu relaxatus roboretur. Si vomitū recuset, vnguentum conficiemus, addita cera, corallis, mastiche, aloe, & similibus. Quod si æstuat & æstas sit, oleo cotoneorum (melinum appellatur) vtemur.

Mox

6. Mox vbi quieuerit, cibum dabimus, assum magis: sed mollem, ex his quibus assueuit, eligendo. Sępe vero & ventrem proritare itidem expediet. Hinc etiam alia cōmoda, quod caussa ipsa, hoc est, humores mitigantur. Quod si corruptio flatus excitauerit, quod sæpe fieri solet, aliquid quod discutiat flatus propinabimus; & extrinsecus pulueres aromaticos vnguentis admiscebimus. Hollerius huius caussa exhibet cochleare medium seminis cumini, aquæ in coctum. Ceterum si sponte natura cœpit excernere vtrimq; (*& est secundus status*) considerabimus num talis corruptio totum inuaserit, an ventrem solum, & primas venas, quæ inter ventrem & iecur sunt. Nam si ad has partes solas attinet, sufficient ea, quæ diximus, vno excepto, quod calida aqua potabimus. Hic enim intentio non est vomitum proritandi, sed abluendi excrementa, iis, quæ infixa & inhærentia pritant, & temperare ea faciunt, ne mordeant. Ita nos in iuuene priore dedimus, vti etiam in muliere, quæ medicamentum ex veratro sumsisset, aquam decoctionis hordei communis cum zacch.

Secundus status.

Tertius status.

Tertius status est, cum in toto corruptela viget; itaq; quamuis a ventre incipiat, prosequetur expultricis impetus. Hic vero considerare oportet, quod motus hic symptomaticus est, non prorsus naturalis, vt sunt excretiones, quæ per naturam fiunt. Vt igitur illas semp sinere oportet, quia modum non excedent (*est enim leuu proritatio*) ita hic distinguere oportet. Quatenus enim praua sunt, & a natura excreta, sinenda sunt: quatenus modū excedūt, sistenda. Initio igitur eadē calidæ potione vtemur, in easdem intentiones, vt pritatio sedetur; ita enim moderatior vacuatio. Sed si malū ingrauescat, cogitandum de remedio est, priusquā symptomata adoriantur. Intentio igitur erit fluxionem sedare, quod duos scopos habet, vt & omnes affectus, qui e fluxione fit: Primus alio humores auertere: secundus roborare partes, quę recipiunt. Primum ab auersione incipiemus, quam modis supra expositis iam sępe faciemus, vinciendi scilic. extremos artus: nam & frictiones per manus adhibitæ quietæ, & mites. Præterea extremorum deligaturæ eisdem conducunt: & si quidem aluus vrget, plures brachiis & iuncturis, quibus illa cum manibus committuntur, cum frictiones, tum vincula iniicienda sunt. Sin autem vomitus magis vrgeat, tum femora tū talos constringere, paulatim ipsa dissoluendo, rursus deligare oportet (*vt patet quoque ex Tralliano*) quo materiā semper in contrarium reuellamus. Nam & eo dolore natura ab opere expellendi auertitur, & ad eā partem humorum copia attrahitur: etiam cucurbitulas admouendo. Mox & roborātibus vtendum extrinsecus. Hic tamē naturam caussarū animaduertere oportet: Nā si æstuat venter, & sitit multum, & biliosa sunt, quæ euomit æger, applicare oportet & actu & potestate frigida: cauendo tamen excessum frigoris. Exempli gratia, *succum intybi, vel oxalydū, vel portulacæ, vel semperuiui, vel cotyledonis, ex hordei farina: sic ex granatis totis expressum succum.* Vel *panis his succis immersus, vel & linteus sæpe renouatus cum incaluerit, vel cotonea mala aut pyra, vino austero, vel aceto incocta, & tusa in linteo extenso apposita. Vel rubi & rosarum & vitis germina & rosæ ipsa contusæ & emplastri forma applicantur.* Quod si non adeo magnus calor appareat, cum hac materia aliquod aromaticum admiscebimus, vt inter herbas *mentham siccam, sisymbrium, mastichem, cyperi radicem tusam, rosas siccas.* Sic & panis assus aceto infusus, & mentha, rosis & œnanthe conspersus. Vbi vero signa caloris & æstus non adsint, vt quod materia frigidior corrupta sit, calidiora in eandem intentionem afferre oportebit; quale est *Gal. emplastrum, 1. ad Glauc. ex cotoneis palmulis vino coctis, aloe, mastiche, croco & farina hordei.*

7.

Frictiones & vincula.

8.

9. Possumus & superiorum aliquo vtentes, vt cotoneis ex vino aromat. rosl. puluerem inspergere: hæc extrinsecus: quorum copiam inuenies apud Alexand. Trallianum & Rondeletium & alios. Intro vero sumantur in eundem vsum ea, quæ a ratione cibi aliena non sunt, sed grata: vt scil. quantum fieri potest, retineantur. Si igitur æstuat, lactucam & intybum, cum aceto mandenda dabimus, aut limones, aut citri carnes, aut cotonea. Sic & Trallianus ob copiam bilis, caussam efficientem obseruans, per contraria semper curandum esse dicit, per ea, quæ refrigerant & humectant, tū cibos, potus, & epithemata, quæ eiusdem sint facultatis. Proinde ptisanæ cremor refrigeratus his est idoneus: item lactuca eodem modo refrigerata, paulo aceti adiecto. Nos quoq; thyrsis lactucæ conditis commode vtimur, similiter & is commendat intybum; & panem ex aqua sumtum. Inter testacea conferunt, pectines & buccina lota sæpius; astacum bis coctum, & pisces duriores. Ex fructibus, qui non admodū maturi sunt, & adstrictionem mediocrem habent, præsertim mala, pyra, mala punica, & vua pensilis. Ex bellariis huc cōducunt vuæ passæ, & castaneæ. Poterimus & panē ex acerbæ vuæ succo, vel punicorū dare, & aquam frigidam; sed id parum, quæ non vniuersa, *iuxta Trallianum*, sed paulatim & in cibi sumendi medio tempore bibatur. Sic & corna, mespila gustēt, & ex cerasis austera, quæ morella dicuntur: conferunt & grati odores astringentes naribus obiecti. In censu vero medicamentorum astringentium, erit acacia, hypocystis, in vino dissolutus; & terra Lemnia, & bolus armenus: miua quoque simplex dicta & syr. e myrto. Quod si affectus his nō sedatur, & timor est syncopes, somnū inducere expedit: eo enim sedantur prorsus fluxiones hæ, idque potius exterius oleis frontē & tempora inungendo. Vel dandum diacodion. hinc duplex commodum: nam sedatur pritatio expultricis vis, & humorum modus sistitur. At si nihil horum continere queat, cucurbitulam magnam ventri admouemus, & est maximum præsidium ad vomitum sistendum. Nam valide retrahendo eiusmodi cucurbitulæ vomitū prohibent. Præterea si diutius adhærent, etiam concoctionē iuuant, & vētrem, ne amplius profluat, cohibent, *eodem Alex. teste*, Interea aluo adhuc egerente (*vt inquit Aetius*) amylum cum decoctione capitum papauerum, per

10.

Cucurbitula.

clysterem infundatur; simul etenim cohibet & refrigerat, somnumq; inducit, vt ipse refert. Nihil enim his præstantius est quam somnus & quies. Si vero iam symptomata eueniant, illis succurrere oportet quam primum, vt antequam æger in syncopen incidat, vinũ exhibere, vel aquam carnis, in hunc vsum paratam; quod etiam vbi syncope accesserit, faciendum, præter alia remedia, quæ vniuersim ad syncopas fieri diximus, excitantia. Si conuellitur ex inanitione, morandum nõ est, sed prædicto periculo extremæ partes aqua & oleo dulci tepido fouendæ; similiter maxillarum musculi, per spongias. Post hæc si malo profligato vigiliæ vexant, moderatus somnus conciliandus: si inappetentia, ventrem roborantibus, & cibis gratis excitabimus. Ex his iam dictis constat, quomodo curatio in genere, ratione caussarũ & symptomatum, & temporum, sit varianda. Quæ particularibus exemplis supradictis, & iam adhuc dicendis multo clariora euadent.

Observatio XLVIII.

De duabus mulieribus cholera sæuissima laborantibus, & curatis.

1. CAtharina Ioannis Harpadi cõsulis Delphensis filia, nuper nupta, & circa tertium mensem prægnans anno 1558. 23. Iunii incidit in choleram grauissimam, ita vt abortus metueretur. Ad quam nocte accitus, ilico dedi decoctum hordei communis, cum pauco zaccharo: a quo rursus cum satis vomuisset ac aluum reddidisset, cumq; extreme debilis esset; vt sæpius deinde ex condito sequenti vteretur, præcepimus: *℞. corticum citri conditi ℥ ß. medullæ citri conditæ ℥ ij. conseruæ summitatum absinthii Romani: conser. ros. ana ℥ iij. specier. diarod. abb. & arom. ros. sine musco, ana ℈ j. cum syrup. menthaceo & cotoneorum, fiat conditum.* Ventriculum inunximus oleis sequentibus; & cum lana stomachum fouebamus cum iisdem oleis. *℞. olei cotoneor. ℥ ij. olei nardini, absinthii, ana ℥ ß. misce.* Præterea ne aborsus fieret, totum ventrem inferiorem inungi iussimus cum vnguento Comitissæ. Et ne vapores maligni sursum reperent, cum paulo melius habere visa est, capiebat a cibo grana septem vel plura seminis coriandri præparati, simplici tunica zaccharo incrustati. 2. Altero die, cum reditem, cholera cum sedata esset, conquerebatur de calore circa renes, quibus inunctis cum vnguent. infrigidantis Gal. cumq; astantes illam pro deplorata haberent, non solum a cholera curata fuit, verum & ab aborsu præseruata. Vti etiam Petronella, vxor Sasboti Bokeli, cereuisiatii Delphensis, quæ tamen non erat grauida. Hæc enim anno 1560. 19. Martii die, cum in choleram noctu vehementiorem incidisset, cum torminibus ventris, doloreq; intolerabili, & maximo cruciatu & angustia, ita vt suræ ac crurum musculi valde conuellerentur, frigidumque exsudaret, ita vt me ex lecto tunc vocauerit; cum animaduerterem simul flatus adesse, statim exhibui cimini parum puluerisati cum ceruisia, dum in officina decoctũ hordei communis parabatur; cuius decoctionis dedi ℥ iij. *addendo pro maiori diuersione syrup. ex infus. ros.* ℥ j. *mellis ros. colati ℥ ß. misce.* & deinde totum ventrem inunximus cum oleo anethino & chamæmelino simul mixtis, ob dolorem, quibus præsidiis statim miraculi instar fuit curata: vt aliis remediis vti opus non fuerit.

Scholia.

3. HVic morbo medemur, *vt paulo ante diximus*, si syncope aut aliud symptoma tale non impediat, ablata caussa. Quoniam primum vnamquamque caussam abscindere oportet, postea ad intemperiem venire. Sed quomodo sit auferenda caussa, & per quam regionem, docet Hippocrates: *Quo natura repit, &c.* In hoc affectu cum fiat excretio per vomitum & secessum, ante omnia erit prospiciendum, an æger vomat facile vel difficile; num sine conuulsione & syncope: nam ipsis primum esset occurrẽdum, vt grauioribus & magis vrgentib. Et quamuis prima mulier facile vomebat, noluimus vomitum nec secessum irritare, sed contenti fuimus ablutione cum decocto hordei & zaccharo. Et ideo materia illa abstersa, ventriculum roborauimus, & ad constrictionem leuem deuenimus, ne fieret aborsus. In altera vero muliere, quamuis erant statim in principio accidentia mala; nempe conuulsio, noluimus statim constringere, & ideo abstergentibus vsi sumus, cũ facile vomeret, & secessus satis haberet, syrup. ex infus. ros. dedimus cum melle ros. in hordei decocto: & quia aderat flatus, dedimus etiam cuminum: & cessante fluxu ac vomitu etiam cessauit conuulsio, alioqui etiam ad conuulsionem præsidia adhibuissemus. 4. Quod si vomitus fuisset in his difficilis, parum adiuuissemus, cum leuioribus tamen, vt mulsa. Sed si bilis in ventriculo fuisset, vel alimenta adfuissent in bilis naturã corrupta (*quod per nidorosos ructus intellexissemus*) abstinuissemus a melle rosato, vel calidioribus, & ab iis, quæ bilem augent, & intemperiem. Aqua tepida contenti fuissemus, non tamen in parua quantitate (*sic enim vertitur in bilem*) sed copiosa; tum ne bilescat (*vt ait Hippocr.*) tum vt ventriculi partes omnes abluat, & citius reiiciatur. Æger autem sinendus est vomere, donec vitiosus humor totus, aut maiori ex parte reiectus fuerit: nec antea medicamẽtis adstringentibus est vtendum: quoniam materia, quæ agitata est, & quasi sursum elata, retineri non potest, nec etiam debet, ne humoris corrupti vacuatio impediatur. Siue igitur corruptio ob copiam ciborum fuerit oborta, siue alimenta fuerint corrupta, siue humores corrupti, conuenit aliquando in principio iuuare excretionem, tam per vomitum, quam aliquando per sedem; leuioribus tamen purgantibus medicamentis, prout diuersus humor requirat. Ita viribus integris recte faciunt, qui modice detergentia exhibent, vt quicquid reliquum est humoris, euacuetur: vt in materia calida dant aquam hordei, cum pauco zaccharo; in frigida, cum pauco cinamomo. 5. Si adhuc humor supersit, in calido capiunt *myrob. citr.* ℥ ij. fiat decoctio in aqua hordei; & in ℥ iij. colaturæ sacchari parum dissoluunt, in frigida, *pilul. de hier. vel arom.* sed ab iis abstinerem: ad vomitum magis conte-

conferunt, quam ad choleram morbum, qui fere totum humorem, & plusquam sat est, euacuat: nã hæc excretio, quamuis vtilis sit; si modum excesserit, periculo non vacat, cum prostratis viribus mortem afferre possit. Vbi igitur vitiosus humor, in principio aditus leuiter, totus vel ex parte sit reiectus: tunc ventriculus est corroborandus, ne attractis a partibus vicinis excrementis, vt a liene, iecore, ac intestinis, ea quæ præter naturam est vacuatio, continuetur. Ideo ventriculus potius admotis, quam sumtis est roborandus: quoniam admota melius corroborant & sistunt, citra ventriculi nauseam, vel subuersionem. Quæ vero sumuntur, siue medicamenta, siue alimenta fuerint, reiiciuntur, propter agitationem. Propterea æger quiescat; & interim, quod admotum est, non erit otiosum. Somnus, si fieri potest, conciliandus, vt qui & concoctionem maxime iuuat, & excretionem retineat. Admota perpetuo debent esse adstringentia: sed calida in frigida, & frigida in caussa calida. Quæ vero admouentur, vel sunt emplastra, vel sacculi, vel fotus oleorum, vel decocta herbarum, vel succi earundem, & fruct. & pulu. Formulas vide apud auctores, & præcipue apud Rondeletium, tam in caussa calida, quam frigida, & apud Hollerium.

6.

Observatio XLIX.

De cholera cum syncope & conuulsione.

1.

CHoleram cum syncope & conuulsione, omnium sæuissimam esse diximus: quæ cum Ioann. Boethum, ceruisiarium, in foro frumentario Delphis habitantem inuasisset, adeo grauis fuit, vt ex continuo vomitu ac secessu in syncopen inciderit, deinde in conuulsionẽ manuum, pedum, & præcipue surarum, & ꝓpemodum in omnium musculorum contractionem: & non solum musculi pectoris (*vt vidimus*) motu conuulsiuo afficiebantur, sed & gutturis, dorsi, tum ventris contrahebantur, vt simile in praxi nunquam viderim, cũ tanto dolore & animi defectione, vt hominem ilico moriturum dixisses. Ad hunc 23. Martii die anno 1563. in nocte vocatus, ilico hoc medicamẽtum detersorium dedi, vino prius narib. obiecto & factis frictionib. extremorũ, vt a syncope releuaretur nonnihil. *℞. decoct. hordei commun. ℥ iij. syrup. ex infus. ros. rub. comm. ℥ j. misce.* eoque assumto euomuit plurima biliosa; & secessus plurimos habuit. Cum autem lipothymia non cessaret, imo syncope oboriretur, ad vinum confugiebam, tenue, odoratum, cum aqua frigida fractum; quod paulatim sorbendum dedimus, nempe cum molli panis sumtum. Modo dedimus panem feruentem, vino punico infusum: quod cum vomitu reiiceret, rursum dedimus. Interea ob deliquia animi refecimus eum tostæ carnis succo expresso, cũ vino punici, malique cydonii. Præterea ad impetum ipsius choleræ, ac vomitum inhibendum, tum pro siti enormi ac syncope, vt continuo ex hac mixtura sumeret, mandauimus. *℞. rob. de ribes ℥ j. rob. cerasorum, syrup. cotoneorum, an. ℥ ß. manus Christi cum perlis ʒ vj. misce.* Ad contractiones vero continuas in omnibus fere locis linimento infrascripto iussi inungi. *℞. olei irini, vermium terrest. an. ℥ j. castorei puluer. ʒ ij. misce.* & per totam noctem loca conuulsione affecta continuo eo linimento parum calfacto inungebantur; ita vt maximo quasi miraculo mox hæc omnia mala symptomata cessarint. Postquam autem malum nonnihil inclinasset, nutriuimus illum lacte amygdalato, cum aqua furfuris confecto, modico zaccharo perlato, ad mediocrem dulcedinem, adiecto. Deinde & cibis optimi succi eum quoque restaurauimus; nempe pullis gallinaceis, columbis, perdice, cum acore: pyra tum mala cydonia, modo cocta, modo assata præbuimus. Postea, cum ex toto quasi omnia accidẽtia prædicta cessassent, post duos tresue dies adeo venter restrictus est, vt nihil excrementorum deiiceret: qua de caussa, vt omni mane cochlear vnum syrup. ex infus. ros. sumeret præcepimus; ita vt postea semel in die naturaliter excreuerit, calore & siti post morbum relictis etiam cessantibus. Doluit tamen subinde in ventre inferiore versus pubem, vt ægre lotium redderet: at pube sæpius inuncta cum oleo chamæmelino, idque calide, copiose deinde lotium reddidit, & sanus factus est.

2.

Scholia.

CVrationẽ pleriq;, *vt dictum est antea*, duobus fere modis absoluunt; vel caussam remouendo, vel symptomatibus occurrendo. In remouendo caussam, rationem habent materiæ fluentis, num ea digna sit euacuatione: eamque diuertunt, in contrariam partem trahendo: hinc & quidam balneo vtuntur, vt materia ad partes externas trahatur; sed melius ligaturis tum vinculis, vt iam dictum est, tum frictionibus. Habent etiam rationem materiæ fluxę, vt moderate, quo natura vergat, eam vacuent per vomitum aut secessum: alioqui, si superfluat, & vires deiiciat, restringunt, & roborant ventriculum, & vitæ institutum præscribunt. Sic alii caussam remouent, diuertunt, humores incrassant, viasque & ductus constringunt: de quibus satis iam dictum est. De quibus videas *Gradum, Gatenariam, Arculanum, & alios, qui Rhasem aut Auicennam sequuntur.* Symptomatibus occurrunt, qualia hæc fere sunt, *sitis, syncope, singultus, conuulsio, vigilia.* Sitim restinguimus aqua hordei, cum succo granatorum, vel iulebo rosac. succo granato. & syrupo eiusdem, tum illis, quæ ad sitim valere scripsimus in libro nostris de febribus. Syncopen curamus eo modo, quo antea de syncope diximus, *lib. 17.* & quorum exempla etiam posuimus *libr. 7. de febr. symptomat.* & ita syncopi intendimus, aspersione aquæ frigidæ in faciem; vino subtili odorifero, non tamen multum vinoso, aquæ permixto, paulatim absorpto, iure carnis, & similibus: interea si extrema frigescant, pannis calidis fouemus. Et viribus deiectis consulimus vino austero prius naribus admoto, vel assumto succo carniũ, vino granatorum admixto, prælo expresso, buccella panis vino imbuta, naribus admota, vel deglutita, modo possit. Singultui proprie ex inanitione, subuenitur frigidis, stomachum roborantib. vacua-

5. *Sitim restinguentia.*

Ad syncopen &

Ad singultum.

6.

tionem inhibentibus, vino & miua cotoneorum; exterius, emplastris ex cotoneo, vel fotu ex aqua chalybeata, in qua rosæ & santali & similia incocta fuerint, cibisq; facile digestiuis, frigidis & roborantibus. Reliqua de singultu cap. proprio petenda. Contractioni manuum, pedum & suræ, *iuxta Paulum*, oleum calefactum musculis pãno imponendum, vel cerota liquida addito castoreo. Si ex inanitione, oleo tepido dulci & aqua, partes fouendæ extremę, & musculi maxillarum, per spongias, si contrahantur; alii hyeme inungunt oleo nardino, liliaceo; æstate violaceo & ros. Quidam ex inanitione partes fouent lacte tepido cũ pannis admoto; at nos commode in muliere vsi sumus oleo irino, & vermium terrestrium. Vigiliis occurrunt soporiferis, vt diacodio, & aliis: de quibus vide auctores.

Contractioni resistentia.

Ad vigilias.

OBSERVATIO L.

De cholera mutata in cœliacum morbum, seu cœliacam affectionem.

1. PRætor Rheniburchius, Delphis decubuerat in foro, in Mechliniæ hospitio, ex cholera sæuissima, ad desperationem fere: a qua licet nostra industria euaserit, postea tñ, hyeme exsistente, cũ intemperiem frigidam ventriculi haberet; vnde pituita multa congesta, ꝓcedente cruditate, & in ventriculi cauitate coaceruata, quæ indies intemperiem magis fouebat, in cœliacam tandem affectionem incidit. Ad quem accedens ann. 1559. die 2. Ian. huic optimam victus rationem proposui, obseruandam, qualem nobis describit Trallianus ex Philumeni medici antiquissimi decreto, cũ & cœliaci ita curentur, nempe cibis non nimium aluum reprimentibus, sed qui adstringentes facile concoqui, & in totum corpus distribui possunt; qualis est panis bene elaboratus, probe coctus, vinoq; adstringenti instinctus; nec non lenticulæ & oryzæ sorbitiones: pisces vero dura carne præditi: & ex auibus, quæ non sunt pingues, præter palustres. Ita & panis cum malis cotoneis & myrtis coctus, exhibitus. Vitella quoq; ouorum assa & aceto instincta, & lac scissile ꝓpinatum, carnes leporinæ, aut ferinæ, ac alia, quæ in fluidis affectibus prosunt.

2. Quod ad medicamenta attinet, cum liquida incocta excerneret, modo pituitosa, modo biliosa, & quasi fluida & cruenta, sine acrimonia tamen: licet huic ventriculus frigidus esset, hepar tamen illi calidum erat; quod & venæ apparentes indicabãt, & constitutio ipsa parum macilenta. Prima vice vt ventriculus ab eiusmodi humoribus liquidis lauaretur, hanc potionem sumsit. ℞. *decoct. hordei non excorticati ℥ iij. syr. ex rosis siccis & cotoneorum, (ad maiorem repressionem & roborationem) an. ℥ ß. misce, detur vnica vice.* Deinde sumebat ad placitum ex hoc condito. ℞. *conser. ros. antiquæ ℥ j. miua cotoneorum ℥ ß. corticum citri conditi & medullæ citri condita (ob sitim, quam experiebatur) an. ℥ ij. myroball. empelit. conditor. & citrinor. ana ℥ j. ß. specier. diarrhod. abb. ℥ ß. specier. arom. ros. sine musco ʒ ß. cum syr. cotoneorum: fiat conditum.* Interea semper ante cibum sumebat ℥ ß. *diacydonii sine speciebus*: & sub noctem amygdal. cum aqua oryzæ cõfectum, vt melius dormiret, & minus liquida excerneret.

3. Interea & ad maiorem restrictionem & stomachi roborationem, vtebatur etiam sequenti mixtura. ℞. *conser. ros. antiquæ ℥ j. trochisc. de spodio, cum semin. acetos. ʒ ij. trochisc. de carabe ʒ j. rob de ribes, syr. de agresta, syrup. menthacei, ana ℥ ß. misce.* Verum antequam hæc sumeret, cum circa ventrem nõnihil doleret, & tormina experiretur, hoc enema iniectum est. ℞. *decoct. hordei comm. torrefacti ℔. j. olei ros. omphacini, sacchar. rub. an. ℥ j. vitellum vnius oui: fiat clyster.* vix tepide iniiciebatur, ac clystere iniecto materia in melius commutata est. Tunc vtebamur mixtura supradicta; & linimento sequenti ventriculum inungi curauimus. ℞. *olei mastichini, cydonior. myrtini, ana ℥ ß. pul. ros. rub. menthæ siccæ. maceratis ana ʒ ß. ceræ modicum: fiat linimentum.* Atque hæc valde profuere. Nam hic morbus, curatione statim adhibita, *teste Alexandro Tralliano*, facile tollitur, postea difficilius; vbi enim inueterauerit, tarde remouetur.

4. Similem fere casum habes apud Amatum Lusitanum de cœliaco morbo & καχεξία & atrophia *centur. 3. curat. 87.* in quo loco plurima remedia reperies; quãquam æger ille longiore tempore hoc malo laborauerit; At noster æger statim adhibitis remediis citius conualuit, spatio vndecim dierum. Verum curato vtcunq; cœliaco morbo ac fluxu, dolorem & caliditatem circa renes passus est. Sed facile hoc symptoma repressum cerato infrigidante Galeni lumbis imposito. Verum non diu post pustulæ quoq; obortæ illi sunt circa palatum & linguam; quæ breui tamen hoc collutorio cessarunt. ℞. *decoct. hordei comm. aquæ plantag. ana ℔ j. semin. cydon. ʒ j. ebulliant leuiter, & colentur, colaturæ addendo diamori ℥ j. ß. mellis ros. colat. ℥ ß. misce.*

5. Sed cum tempus hybernum esset, cum frequenter cogeretur aluum deponere, ex frigore & ventositate dolorem cum torminibus circa hypochondrium sinistrum expertus est; qui tamen mox ablatus, inunctione olei de cappar. anethini, chamæmel. simul commixtis. Sed a cœliaco morbo breui curatus, post aliquot dies idem tussim incurrebat: syrup. pectoral. tum ecligmata, ne incideret rursum in morbum cœliacum, præscribere non fuimus ausi: sed lacte amygdal. vtentes, cum aqua farfaræ & zacch. parato, vt continuo masticaret glycyrrhizam viridem recentem, a cortice exteriori repurgatam, iussimus. Quibus remediis etiam a tussi liberatus est: & quamquam is diceret se habere contra tussim infallibile remedium, nempe pomum excauatum, melle rosaceo repletum, & parte superiori prius abscissa, & eadem cooperta, supra prunas assum, & sub noctem deuoratum, quo seipsum frequenter a tussi curauerat, nunc tamen eo non vtendum suasimus, ne rursus affectionem cœliacam incurreret: & satis amygdalatum sub nocte sumtum ad rem fecit, tam tussi quam cœliaco malo conueniens.

SCHOLIA.

6. COEliaca affectio licet vna cũ lienteria, diarrhœa, dysenteria, ad immoderatas alui fluxiones pertineat, tamẽ cum etiam ad ventriculi affectio-

affectiones, secundum quosdam, referatur, de ea hic dicendum esse putauimus. Quamuis hæc ipsa a lienteria differat, tamen cum eadem sæpe confunditur; & quidam sub vno capite de iisdem tractant, cum iisdem fere remediis curentur. Græcis vero κοιλιακὴ, a Latinis cœliaca seu ventralis affectio dicitur, ab ea quæ afficitur parte nomen assumens, *ex Aetii mente cap. 37. lib. 9.* Velox quidem est exitus eorum, quæ per os assumũtur; verum non omnino crudorum & incoctorum. Nam in ea affectione solum leuia, & humecta excrementa egeruntur, ventre pro imbecillitate ea digerere nequeunte, vt ipse inquit: quapropter nec concoquuntur omnino, nec digeruntur alimenta, sed humentia, imperfecteq; cocta redduntur: neque ita celeriter ea, quæ assumta sunt, in cœliacis, egeruntur; quemadmodum in lientericis. Dicitur itaque morbus hic cœliacus, ἀπὸ τῆς κοιλίας nomine, ventrem siue stomachum significante, in quo potissimum fit: non tamen mclatet, τὴν κοιλίαν apud Hippocratem quandoq; ventriculum, quandoq; vero aluum significare; vnde etiam Amatus testatur, non tam ventriculi passionem, quam gracilium intestinorum esse; & Dn. Fernelius doctissimus inter symptomata intestinorum, non autem ventriculi solum enumerat, cum dicat: *Ex imperfecta chyli malaq; distributione fieri, quam mesenterii, lienis aut iecoris obstructio, vel trahentis facultatis imbecillitas, vel alimentorum maximeq; fructuum fugacium, & potus immoderata copia peperit: hæc enim distribui tota nequit, sed maxima ex parte in abdomine subsistit.* Ab his caussis multa congeritur illuuies, quæ sensim in tenuioribus intestinis aucta, vel in ventriculo, vel in mesenterio, vel circum viscera tempore corrumpitur. Quumque sua copia grauis esse cœperit, vel sponte infra interdumque supra prorumpit, vel a natura lacessita propellitur; nonnunquam leuissimo clysteris medicamentiue irritamento exit. Et quamquam hic, vti & in lienteria, amborum, nempe ventriculi tum intestinorum, sit affectus, *vt etiam docuit Donatus, ex Galen. 6. de loc. affect. & aphor. 12. 4. lib.* & ambo sint symptomata in genere noxæ functionum naturalium, retentricis videlicet; in cœliaca tamen diminuta, (*in qua cibos non complectitur vsque ad consummatam concoctionem*) in lienteria vero abolita est. Qua ratione etiam differunt & inter se communicant. Iam etiam, *vt 6. de loc. affect. patet*, lienteria seu leuitas intestinorum subito euenire non potest: propterea cœliaca præcedere eam solet; vbi ventriculus frigidior fuerit: leuia autem & humecta excrementa egeruntur, ventre præ imbecillitate ea digerere nequeunte: & non cibi crudi, & incocti inferne prodeunt in cœliaca affectione, *vt Aetio visum est.* Sequitur autem cœliacos assidua egestio, aliquando fœtida, cum animi deliquii sensu, cibumq; auersantur, ac decolores & vehementer graciles fiunt, *vt etiam Paulus testatur.* Languida cum fit, & imbecilla ventriculi facultas in cœliacis, nec concoquuntur, nec digeruntur alimenta, sed cruda, humentia imperfectaq; reddũtur, aluo continentur fluida: quamquam quæ assumta sunt (*vt paulo antea diximus*) non ita celeriter, velut in intestinorum leuitate, egerantur. Fernelius hæc addit: *Pulsus frequens & celer exsistit, tanquam febris affligeret, & deiectus leuiuscula animi defectiones obrepunt. Ante eruptionem abdomen distenditur, venterq; prominet: hisque succedens spontanea perturbatio, quæ cœliaca affectio est.* Ita & Alexander Trallianus. *Cœliacus affectus ex ventris ipsius cruditate generatur, dum ipse præ imbecillitate cibum concoquere, & corpori suppeditare nequit. Quare liquidæ, & non bene concoctæ, varii coloris, nec non cruentæ feces, veluti ex vase distillante per aluum excernuntur. Nihil igitur mirum est, quod sanguis non probe concoctus in ventrem recidat, retentrice facultate amissa, aut vitiata: vnde longo tempore frequens ventris resolutio, cum assidua deiectione perdurat: corpus extenuatur, vigiliis consumtum: cruditas rosioq; & tormina ventrem affligunt, & cibi fastidium comitatur.* Hactenus Alexand. Sed hic sciendum, Cornelium Celsum longe aliter hunc morbum descripsisse, quam nos hactenus fecerimus: cuius & meminit Alexander Benedictus Veronensis, *lib. 20. cap. 7. de cœliaco morbo*, inquit: *Celsus lib. 4. cap. 12. morbum hunc pylori, id est, portonarii proprium esse ait, in quo venter induratur, & torminibus premitur, aluusque adeo nihil reddit, vt ne spiritus quidem infra, sed nec supra erumpere possit.* Cuius etiam meminit Beniuenius *cap. 106. in libello suo de abditis morborum caussis*, cum Paulum patrem suum clystere ex solo lacte in vẽtrem iniecto, ac multis subinde strigmentis depositis, ab hoc malo curauerit. Sed hic lector admonendus est, locum illum apud Amatum sub finem scholii *curat. 87. centur. 3.* mendosum esse; cum dicat, patrem Beniuenii obiisse, quum tamen idem Beniuenius patrem suum ab illo morbo referat a se curatum esse. Ceterum non loquimur de illo cœliaco morbo, sed de eo, qui ad ventriculum pertinet, & subinde ad vtrumque nempe ventriculum & intestina, in quo humida & incocta egeruntur. Quæ affectio aliquando cito curatur, & non diu durat. Nam, *vt scribit Fernel.* aliquando vacuato humore superfluo, profluuium hoc sponte cõquiescit: interdum postero aut tertio die. Attamen, secundum alios, non statim per se desinit, imo diutius durat, & vix remediis cedit: & propterea, si diutius duret ac protrahatur malum, ad magnam omnino desperationem progreditur, ægris ad conuenientem diætam pigrescentib. Et si affectus autumno incipiens ad hyemem vsq; se extendat, difficilius omnino curatur, ex Aetii sententia, præcitato loco. Cum vero inseparabilia symptomata sunt celeris exitus ciborũ, (*qui ad diminutam concoctionem consequetur, propter iniustum complectendi tempus*) deiectionis humiditas, & digestio in corpus diminuta, *vt constat ex Galeno, lib. de diff. symptomatum*: si eadem cœliaca prorogabitur, necessario atrophia consequetur, propter diminutam in corpus alimentorum digestionem: quod exemplo sequenti ostendemus. Ideo, *vt ex Tralliano prius diximus*, morbus hic, curatione initio adhibita, facile tollitur, postea difficilius. Vbi autem inueterauerit, tarde remouetur.

Cœliaca affectio vnde dicta.

7.

Caussæ.

8.

Pars affecta.

Affectus.

Cœliaca signa.

9.

Lib. 8. c. 8. de cœliacis ex Thilumeno caussa & signa.

10. Qualis cœliacus morbus apud Cornelium Celsum.

11. Prognost.

Observatio LI.

De cœliaca affectione cum Atrophia.

1. VIr sexagenarius, cum in hyeme paulo diutius cœliaca affectione detineretur, macilentior factus, in consilium cum me vocasset, quibus modis curari posset, animaduerti eūdem etiam atrophia affectum, ob diminutam in corpus alimentorum digestionem. Hic autem liquida subalbida, male cocta, humentia, sed non fœtida, longo tempore deiecerat, vnde & cœliacam affectionē esse cognouimus, ex intemperie frigida ventriculi. Totum corpus album erat, quasi cachexia affectum, cum atrophia, ita vt non nutriretur. Huic autem, cum etiam pituitam in stomacho coaceruasset, consului vt prius cochlearia duo oxymelitis acciperet, ad detersionem: cumq; nauseabundus esset, eo assumto leuiter euomuit, alioqui dedissem decoctum raphani cum oxymelite. Mox ad pituitam magis digerendam & præparandam imperaui, vt decoctum absinthii & mēthæ sumeret, cum syr. ex absynthio, mentha, melle ros. Postea ad leuem purgationem dedi potionem sequētem. *℞. myrobal. chebul. ℥ iij flor. ros. rub. p. j. absinthii Rom. manip. j bulliant in aqua communi, & facta express. in ℥ iij. dissolue syrup. ex infus. ros. pallid. ℥ j. agarici trochisc. ℥ ß. fiat potio.* Interea dum hæc operabentur, exterius iussimus ventriculum oleis refocillari, nardino videlicet, mastichino, absynthino, & menthæ, succida lana exceptis. Mox & scutum apponi iussimus, ex sola mastiche, aliquot guttis olei absynthini adiectis, pistillo calido supra alutam ad scuti formam redacta. Post diem vnum aut alterum similiter imperaui, vt ℨ j. theriacæ optimę acciperet; mane, cum pauco vino astringente.

2. Iussi quoque, vt subinde acciperet diacydon cum speciebus, præcipue ante cibum, & vesceretur cibis boni succi, pullis columbinis domesticis, ficedulis, phasianis, turture & cuniculis paruis, & contusum acciperet, & succum ex carnibus prædictis; adiecto aliquo puluisculo ex cinnamomo, caryophyllis, & exiguo croco: & vt etiam in fine Martio pane & pino zaccharato vteretur. Et vinum concessimus rubrum: etiam cynaram cum suo iure, & in fine vt vteretur iis, quæ leuiter vrinam cierent. Quibus remediis & hic tandem bene se habuit.

Scholia.

3. COEliaca affectio, & lienteria, fere iisdem remediis curantur; quamuis seorsim Trallianus de cœliacorū curatione, ex Philumeno scripserit. Is in potu dat *radicis quinque folii decoctum, & rubi radicis similiter, nec non salicis arboris*; hæc in calida intemperie magis conferunt, *vti & syrup. myrt. de ribes, ex succo cichorii; cotoneorum, oxyzacchar. cum decocto acetosæ.* sed & leuis purgatio *ex myrobal. citrinis, thamarindis, vel syrup. ex infus. ros. pallidar. cum rhabarb.* Idque in principio, quando vires nō sunt deiectæ. Deinde astringentia adhibenda, *vt semen plantag.* Valet egregie, iuxta Aetium, & Paulum, gallinarum ventriculus desiccatus ac tritus, & potui inspersus, nec non apii, fœniculi, anisi decoctum, & eodem tempore, quæ vrinam ciunt: sed eorum quantitas minor esse debet, nec eorum vsus largus commendatur; sed & vomitus, si in ventriculo humores collecti, modo ad vomitum proni sint; alioqui minus prouitandus. Deinde topica adstringentia adhibenda, & cerata, & sacculi, vt de vomitu bilioso diximus. Si simplex sit intemperies sine humore, prædicta conueniunt, excepta purgatione. Si ex frigida intemperie, curationem pręcedente obseruatione iam diximus. Cum autem eodem medicationis ductu vtendum sit in leuitate intestinorum ac in lienteria, quod ad cœliacos & dysentericos (*vt Aetius refert*) propterea quæ auctores scribunt, de vnius curatione, etiam alterius subintelligenda erunt. Quamobrem complura remedia ponemus de curatione lienteriæ, cum de Alui profluuiis quoque agemus. Hæc de cœliaco affectu, qui etiam ad stomachum pertinebat, dicta satis esse puto. Si plura & veterum remedia desideres, illa ipsa tū reliqua videas apud Trallianum, *lib. 8. cap. 8.* de cœliacis, quæ ex Philumeno excerpsit. Et ita stomachi ac ventriculi malis absolutis, huic libro finem imponentes, ad iecoris mala transeamus.

Finis Libri XVIII.

LIBER DECIMVS-NONVS.

DE HEPATIS MALIS AC Affectibus.

Observatio I.

De calido imbecilloq; hepate.

1. VIR quidam, qui ex iecore calido & imbecillo laborabat, cum pauper esset, ad nosocomiū Delphense deferebatur; ad quē acciti sumus. Huic cibi nullum desideriū aderat; siti infestabatur, vrinā fuluā lōgo tempore (*vt narrabat*) minxerat, & bilosa subinde euomuerat; fereq; cum pulsum attingerē febriebat. Vnde tandem iecore contabescente, humores eidem colliquebantur; mox & ipsius visceris carnes: bilemq; crassam, grauiter olētem, valideq; coloratam, per aluum deiiciebat, & febris tunc adaucta fuit. Quæ, inquam, omnia ad calidi distemperamenti notas referuntur, & ad habitudinem iecoris corruptam, eiusque magnam imbecillitatem, morbo iam magis confirmato. Nam quoque simile quid loturę recentis carnis deiiciebat: vnde & tabe conficiebatur. Venit mihi tūc in mentem Pauli dictum: *Si iecur (inquit) cōtabescit, vniuersum tabe conficitur corpus: febri exæstuat, cibi tædio elanguescit, bilem euomit. Si cum stomacho incolumi humida ac liquida retrimenta sunt: ægre decoquente iocinore vires eius infirmas esse diiudicari necesse est. Si vero loturæ recentis carnis simile est, quod effunditur, commutatricem vim ad sanguinis generandi munus inualidam esse haud dubiū est.* Cū itaq; huic hepar calidū esset, ideo

2. calida vitāda ꝓposuimus; qualia sunt loca æstuosa, ignis, multaq; vestimēta, & vestes pellib. subsutæ. Sed illa vltima minus imperauimus, cum additiores

tiores pertineant. Concessi refrigerantia: vt ex herbis, *oxalida*, *lactucam*, *portulacam*, *intybum*, ex fructibus *cerasa non dulcia*: a prunis abstinuimus, cum aluum satis fluidam haberet. Animi perturbationes, iram, furorem, mœrorem, exercitia interdiximus; vigilias, edulia actu calida, viscosa, crassæ materiæ (*qua maxime nocent, cum illi optime iecori consulant, qui poros aperiunt*:) qua etiam de caussa, lactaria, mellaria & aromata omnia damnauimus. Et inter obsonia bubulam, carnemq; hircinam, & ouillam, agninam, arietinam; & inter pisces quicquid sine squama est, quales sunt anguillæ, murænę, ac congri: oua etiam dura tosta & omnia pinguia, vinumq; dulce & mustum: famem quoque, cum ea corpus inflammet: & inter cibaria cucumeres; & aquosa omnia & putredini obnoxia. Iecinora inter cibos laudauimus, vt sunt pulli gallinacei, auiculæ: & perdices, atagenes, phasianosq; commendauimus: sed quia pauper erat, contenti fuimus cuniculis, & similibus, atq; alaudis, & turture. Et quia ex calida intemperie hic affectus hepaticus erat, aerem quoque elegimus ad frigidum vergentem: & somnũ moderatum atq; nocturnum, & quietem imperauimus. Et cum in vniuersum cibi mediocriter refrigerantes & minime obstruentes, teste Paulo, sint eligendi, quiq; probe distribuuntur, & robur temperiemq; inducunt, & vim abstergendi viscera, aperiendiq; efficaciam habent; aliqui hic commendant ptisanam, & eius cremorem, seridem & cichoriũ, modo crudum, modo coctum cum coriandro assumtum: etiam succus ipsius epotus, calidis & frigidis iecinoris vitiis opitulatur. Interea multa iura & pinguia detestanda. Saxatiles pisces concessimus, & cotonea, & malorum punicorum grana, ante cibum, cum pane; & pyra astringentia, & vuas passas, *ex Galeno*. A vino abstinuimus, ob febrem: tamen dilutum aliquando & ὀλιγοφόρον, ex Paulo (*si adsit magna stomachi imbecillitas*) datur. Sed quia hic erat pauper, ceruisiam chalybeatam, ob fluxum dedimus: modo etiam ob febrem aquam hordei, cum succo punicorum: aliquando & eam, in qua cichorium aut seris incocta erant; adiectis coriandri seminibus præparatis. Potiones vero, quod ad medicamenta attinet, vtiles duximus refrigerantes, detergentes, leuiter aperientes, & adstringentes; vt decoctum seridis, cum syr. de end. ex ros. siccis, adiectis santalis & diatrionsan. & pro leui expurgatione rhabar. modo in infus. modo in substantia, cum decocto end. scariolæ, cichor. & syr. de portul. de limonibus acetos. citri, de granatis, oxyzacch. etiam acetosam, lactucam, portulacam in iure carnium decoximus. Cũ autem male hepar inunxisset, ex empirici consilio, oleo laurino & aliis calidis remediis, cumque etiam dolorem aliquem in regione hepatis sentiret; eo relicto statim nos inunximus cum vng. santalino, & epithema imposuimus, vel huius æmulum, ex aqua plantag. solatri, acetosæ, endiu. cum aceto & santalis. Postea cum & fluxus adesset, constringentibus vsi sumus, vt ros. siccis, eiusque syrup. & de portul. valet etiam syrup. de agresta cum supradictis parum aperientibus & refrigerantibus. Hepar quoq; inunximus vng. ros. & santalino simul mixtis. Quibus hic postea bene habere cœpit. Verum, proh dolor, magistris nosocomii non admittentib. amplius vlteriorem curationem, cum viderent magnos sumtus, & quod non statim perfecte curaretur, ab omnibus remediis cessatũ est: ita vt postea hepate contabescente hic æger quoq; contabuerit. Et tandem fere per annum aut plures menses in nosocomio manens sine remediis, mortuus est. Neq; mirum, cũ huius affectionis, curatio haud quaquam despiciẽda sit: quoniam nonnulli, propter curandi inscitiam (*vt Gal. inquit 4. de artic.* perierunt. Nã & hic in principio perperam ab empiricis fuit tractatus. Quomodo autem in caussa fuere medici, vt ægri morerentur, ibidem declarauit Gal. Hic autem ex calida intemperie, iecinoris imbecillitas fiebat: quæ rite curari debet: nam temporis spatio colliquationes ex ea fiunt, primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis; quinimo totum corpus absumitur, *vt ex Gal. & Paulo liquet*. Iecore enim, quod membrum naturalium regimen possidet, cuncta animalia viuunt. Propterea de eius affectibus sollicitus admodum medicus esse debet: Sanitas enim magna ex parte (*vt Hippocr. docet*) ex iecoris bona valetudine constat. Quod si negligitur, facile periclitatur homo. Atque ita hic æger, cum prius in manus empiricorum incidisset, postea curari non potuit.

SCHOLIA.

QVod iecur sit principale membrum, quodque eius sit officium, satis abunde diximus *in præfatione huius libri, & in libr. nostris de incerto vrinarum iudicio*: cum hoc viscus vniuerso corpori (*vt sanguificationis organum*) alimentum præbeat. Ideo multis vitiis excruciatur, simplicis aut compositæ primum habitudinis distemperamento: vel naturali simplici, vel pariter composito. Hinc intemperies tum simplex, tum ex humorum vitio, substantiæ corruptela, obstructio, scirrhus, inflammatio, abscessus, vlcus. Hepatici vero seu iecinorosi, non vt veteribus, qui hepatis inflammatione laborãt, dicuntur: sed cum citra manifestum aliquem illius affectum imbecillitas sola acciderit ex intemperie. Hos enim ꝓprie iecinorosos seu hepaticos medici nominare consueuerũt: quando videlicet citra aliq́ manifestum in viscere malum, in propriis actionibus debilitatur, *vt liquet ex Gal. 5. de loc. affect. & 8. de compos. medic. secundum locos & 3. de causs. symptom.* quem & sectati sunt Paul. *lib. 3. cap. 46.* & Aetius *lib. 10. cap. 1.* & Alexand. *libr. 8. cap. 3.* Iecur hic læsum est, vt ex lotura carnium cruentarum liquet apud eosdem auctores locis iam dictis. Estq; symptoma in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis scilicet: ac magis speciatim sanguificæ ipsius iecinoris, quæ nõ ablata est, sed diminuta ac imbecilla. Atq; eius imbecillitatis caussa quæuis intemperies esse poterit, vel calida, cuius signa iam ex parte diximus *in obseru. præcedente*: vel frigida, de qua obseruatione sequenti dicemus. Ceterum quod ad calidam

Marginalia: 3. — 4. — 5. — 6. — *Hepatici, qui ita appellentur, & iecinorosi.* — 7. *Pars affecta & affectus.*

Caussa. intemperiem attinet, ea ipsa fit ex cibis & potionibus calidis, & eorum conditurís; & postea augetur ex præsentia biliosi humoris irrigantis carnem & venarum tunicas. *Signa calidæ intemperiei.* Signa habentur calidæ intemperiei ex obs. prædicta, etiam ex colore totius corporis valde citrino, & bili attestante: nam & oculorum alba quandoq; pallescũt: estq; vrina pallida, flaua, & mordax, si ieiunarint, & ictericorũ similis, bile tincta. 8. Habitus illorũ gracilis est: sitis adest ob stomachi consensum; & corporis tactus calidus. Et si plurimum excesserint colliquationes iam dictæ biliosæ, crassæ, fœtidæ, genitæ ex sanguinis adustione, tum in iecinore cõtenti, tum in mesenterio, *vt 5. de loc. affect. 9.* mox caro colliquatur ex multo calore. Adest cruenta egestio, & colliquationes, vt in febr. pestilentib. & inappetentia febris, & fumorũ vitiosorum vomitus, (*8. de comp. med. secund. loc. & 5. de loc. aff.*) vel æruginosus, & similes deiectiones: lingua scabra, corpus siccum, & gracile, iecore colliquescente; & incruenta sanies, contabescente. Et temporis spatio ex ipsa substantia tandem particulæ longe fœtidissimæ decernuntur, *teste Alexand. c. 3. lib. 8.* Sed & ex temperamento ægri, ætate, anni tempore, & prægresso victu, reliqua innotescent: nam temperamento calidi sunt, & tenues habitu, pilosque densos habent, curis dediti, & animo iracundi. *Prognostica.* Prognostica etiam diximus in fine obseru. licet periculum ex affectus magnitudine iudicatur. Magnitudo vero affectus cognoscitur, primo ex magnitudine symptomatum: secundo ex diuturnitate, tertio ex eo, quod remediis rite adhibitis non cedit. 9. Transit autem in hydropem, aut in febrem tabidam, quando cum calore viscus etiam siccius euadit. *Curatio.* Curatio vero calidæ intemperiei facile constat ex obseruat. dicta, cui adiungere posses exemplum puellæ Lucensis curatæ a Iacchino. In ea primum erat intemperies calida; cuius ratione hepatica dicebatur. Erat extenuatio, qua in tabem tendere videbatur. Aderat & siccitas solidorum, quæ incrementum corporis tardabat. Cui tametsi succurri non poterat; attamen prohibere eius augmentum opus erat, vnde minus incrementum corporis impediretur: erat enim in media adolescentia. Necesse itaque erat, vt in complicito affectu, ad id, quod caussa erat, maxime spectaret: nam sine eius sanatione, neque alterum sanari poterat, id erat intemperies calida & sicca: in cuius sanatione, ex longitudine affectus verisimile erat aceruata esse excrementa biliosa, & id omnia testabantur. Ideo cœpit primum vacuationem moliri medicamento, quod minime excalfaceret: cuiusmodi fuit aqua Villica, quam septies propinauit, ea ratione, qua docuit aquas propinari solere. 10. A purgatione ad alterationem transiuit, succis herbæ cichorii vtens, *ex Gal. 8. comp. med. secund. locos*; quos succos cum modico zacchar. per 10. dies illi dedit, quousque caloris signa remittebantur. Optima victus ratione vtebatur, refrigerante, oxalide, lactuca, portulaca, intybo, & ex fructibus, prunis, cerasis: euitando salsa, dulcia & pinguia. Exterius etiam cataplasma imposuit, ex farina hordei, & succis supradictis: vel epithemate eiusdẽ generis vsus est, ac illinitione ex cerato santalino dicto, aut cerato simplici Gal. Demum ad extenuationem curandam, accessit ad lactis potionem, cuius vsum antea docuimus. Atque his adeo profecit, vt non modo carne repleretur, sed colorem supra, quam credi potest, mutaret ad melius. Reliquum curationis vide apud Gal. Paul. Aet. & Alexan. locis citatis. Nunc exemplum frigidæ intemperiei proferamus.

OBSERVATIO II.

De frigida hepatis intemperie, cum eiusdem imbecillitate.

VIr quidam post longam & largam sanguinis fluxionem e naribus, totum habitum refrigeratum habebat: 1. vnde & iecur multũ pituitæ contraxerat; corpus tactu frigidũ & subtumidũ erat: facies etiam ei albida euaserat, & intumescens. Et cum pauper esset, aquæ frigidæ potu intempestiuo vsus fuerat, tum cibis frigidioribus: quæ omnia temperiem frigidam indicabant, & eam auxerant: vrinæ tenues & albę procedebant. Cruda quoque per aluum deiiciebat, post longam excrementorum retentionem: verum nõ valde olida, at debito liquidiora. Sed non adeo ac priori erant assiduę excretiones, neque ita multæ: durabat tamen hic affectus diutius: Deinde per aliquod dies venter maiori copia ꝓfluebat. In fine minus graueolentia excernebat, speciem putrefacti sanguinis non colliquati habentia: & quod excernebat, veluti sanguis niger apparebat; quamuis tamen diligenter consideranti non niger erat sanguis, neq; grumus, sed velut limus quidam sanguinis crassi, prope ad atram bilẽ accedens. Id vero, quod ad ipsum iecur prius ferebatur, pituitosum & crudum ac semicoctum efficiebat. 2. Neque facies ita in eo collabebatur, quamuis febris subinde languida apparebat; temperamento ipsius corporis ad frigidius inclinante; victu nimirum frigidiore præcedente, ac vita otiosa. Hæc cum animaduerterem, vt in aere calido tum cubili sublimi versaretur consului, & omni victus genere calidiusculo cibisq; coctu facilibus & boni nutrimenti vteretur. Paulus & Alexander panem cum vino assum sumere laudant: & idem Alexander ex olerib. brassicam, bis terue coctam, cum iure gallinarum, sternorũ, aut turdorum: & auiculas ipsas paruas, & anserũ ventriculos; in quarum carnium iure serpillum, satureia, hyssopum, fœniculum, samsucus, oreoselinum & similia incocta sint, laudat. Possunt & iura cinamomo & caryophyllis condiri. 3. Interea assas carnes comedendas proposuimus, si dictas fastidiret. Verum cum & hic pauper esset, simplicem victum eumque calfacientem instituimus, & medicamentosum: ita vt apio, nasturtio, mentha, saluia, semine apii, petros. anisi, & similibus in cibis vteretur, mandauimus: & zincibere, croco, galanga maiore, & inter herbas etiam melissa & absynthio, & multa brassica cum cymino, & quæ calida sunt & tenuium partium. Quæ obstruunt frigida sunt. Vix enim reperies insignem frigiditatem hepatis, sine aliqua obstructione. Ob id

quæ

quæ tenuinum sunt partium, conueniunt, quia aperiunt, & ab obstructionibus liberant. Ideo & ciceris rubei ac atri ius dedi, etiam passulas, quę efficaciter iecur iuuant: idq; in prima & secūda mensa. Quidam & hic cochleas in cibo cum aromate, & vinum generosum dant, sed optimum est tenue ac parum dilutum. Sed quia hic pauper erat, ceruisiam absinthiten concessi. Et quia hæc intemperies etiam pituitam admixtā habebat, ex caussa frigida, ideo dedi decoctum sequens, loco iulebi. ℞. *decoctionis absinthii, agrimoniæ, centaurii minoris, cassutæ, end.* ℔ j. *syrup. de eupatorio, absinthii, ana* ℥ j. ß. *syrup. de end. oxymellis compos. ana* ℥ ß. *misce pro quatuor dosibus.* Deinde dedi hanc purgationem. ℞. *folior. senæ* ℥ vj. *agarici femin. albi* ℥ j. ß. *zinzib. albi* ℈ ß. *sem. anisi, fœniculi, ana* ℥ j. *infunde per noctem in decoct. absinthii, marrubii, centaurii, capill. vener. schœnanthi* ℥ ix. *& facta express. huius accipe* ℥ vj. *addendo syrup. de eupator.* ℥ ij. *misce. fiat potio pro* ij. *dosibus matutinis.* Verum postea cum excrementa satis aquosa redderet, abstinuimus a purgantibus: sed de obstruentibus vtebamur, & quæ materiam per vrinas deducerent; hoc vel simili modo. ℞. *rad. fœniculi, petroselini: asparagi, ana* ℥ j. *capill. vener. polytrichi, marrubii, absinthii, centaurii, ana man.* j. *schœnanthi, rad. cyperi, ana* ℥ ij. *semin. anisi, apii, cymini, ana* ℥ ij. *fiat decoct. in aqua communi & vino tenui. In fine post colaturam adde syrup. de byzanthiis* ℥ iij. *fiat potio pro* iij. *dosibus.* Postea ad maiorem roborationem adiecimus *ros. rub. & spicam & absynthium*, & exhibuimus *dialaccam, diacurcuma, dianisum, aromaticum ros. rosat. noueli.* & condita in hūc modum vel similem descripta. ℞. *conseru. flor. rorismar.* ℥ j. *conseru. absinthii vtriusq;, an.* ℥ ij. *corticum citri conditi* ℥ ß. *iecoris lupi exsiccati* ℥ j. *specier. diarod. abb. diagal. ana* ℥ ß. *trochisc. de absinthio* ℥ j. *vuar. passul. contusarum, ab arillis repurg.* ℥ ß. *semin. anisi* ℥ ß. *cum syrup. de eupat. fiat mixtura seu conditum.* Exterius vsi sumus hoc vel simili fotu. ℞. *folior. agrim. marrubii, absinthii, ana m.* j. *florum chamom. p.* j. *spicæ nardi, schœnanth. ana* ℥ ij. *rorismarini m.* ß. *cum vino & aqua coctis partibus æqualibus, fiat fotus hypochondrii dextri.* Deinde inungatur hoc vnguen. ℞. *olei nardini, absinthii, mastichini, an.* ℥ ß. *olei ros.* ℥ ij *spicanardi Celticæ, caryophyl. schœnanthi, an.* ℥ ß. *succi eupatorii* ℥ ß. *aceti & ceræ parum: fiat vnguent.* vel loco aceti adde parum vini cum inunctio fit. Atque his remediis optime se habuit.

4.

5.

SCOLIA.

6. *Caussa frigidæ intemperiei coru.*

FRigida hæc intemperies fit plerumque vsu rerum frigidarum, vt intempestiua aquæ frigidæ potione (*vt huic viro contigit*) aut nimio rerum frigidarum vsu, intus vel extra: post longam & largam sanguinis fluxionem, tam per vterū, quam per hæmorrhoides, quemadmodum & huic pauperi euenit, sanguine supra modum e naribus effluxo. Ita & cuidam consuli Geertrudebergensi, dum hæc transcriberem, accidit: qui non solum in iecoris imbecillitatem ex frigida caussa incidit, verum etiam in totius corporis malum habitum & cachexiam. Quæ quidē sanguinis fluxio totum habitum refrigerat & potissimum iecur. Signa vero intemperiei frigidæ hepatis iam ex parte diximus Obser. iam dicta, quæ calidæ contraria sunt. Pendent autem omnia ex mala concoctione sanguinis, *vt tactus corporis frigidus, & corporis albedo totius, & œdemata, & pituitosæ febres, & tumida sæpe facies, præsertim oculi & crura, vrinæ tenues, albæ: excrementa per aluum cruda, valde liquida, aquosa, & non olida, ventrisque profluuium certis temporibus.* Et huius frigidæ intemperiei curatio non minoris facienda est, quam calidæ: nam tractu temporis corruptio etiam in viscere sanguine, febris superuenire solet; quæ tamen ab imperitis medicis vsque adeo negligitur, vt laborantem interdū nequaquam febricitare putent: quinimo si vltro ea intemperies frigida augeatur, permutabitur ad aquam intercutem, *quemadmodum Galen. docuit 5. de loc. affect.* Et quouis modo antiqua debilitas hepatis, difficilime emendatur, temporeque aut in malum corporis habitus, vnde debilitas totius corporis fit, aut in hydropem vertitur, potissimum si a frigida intemperie ortum habeat. Frequenter quoque contingit in hac iecoris imbecillitate (*vt longa experientia vidimus*) sanguinem vltro e naribus profundi: aliquando id fit per vterum, interdum vero per hæmorrhoides, nonnūquam etiam per vrinarios meatus, vt aliquando quoque spectauimus. Ideo & hepatici ex frigida caussa diligenter etiam curandi sunt. Curatur autem hęc intemperies frigida iisdem fere remediis, secundum aliquos, quibus ventriculus ipse imbecillus ex intemperie frigida: quin & breui persistere non potest, quin habeat adiunctam humiditatem. Sępius vero & humores obstruentes adsunt, geniti ob vitiatam concoctionem: vnde remediis obstructioni dicatis egebit. Transit autem hęc in hydropem, vt diximus: quamobrem vbi corpus expurgaueris per agarici potionē, hieram, diaphœnicū, victus rationem ad calidū inclinantē institues, & siccantem, si multa humiditas iam sit iuncta: cibos exhibebis actu & potestate calidos & potiones, tū natura, tū conditura. Mox & medicamenta propinabis magna, ex his quæ sæpius diximus, theriacem mane ad ℥ j. & dialaccam & diacurcumā. Extrinsecus vero adhibebis vnguenta ex nardino oleo & specieb. diamosci. Demum aromata omnia, quomodocunque corpori applicata, hanc sanant intemperiem: præcipue vero, quæ & astrictione participant, vt macer, nux muscata, caryophyllum. Expedit & his ob excrementorum copiam continue offerri, quæ vrinas mouent (*de quibus dictum est in obseru. præcedente*) atque in exercitatione, regionis mutatione, negotiosa vita, curam omnem reliquam constituere. Probatur maxime cypheos compositio ab Andromacho descripta. Reliqua vide apud Galen. Paulum & Aetium & Donatum. Præter olea, cerata, vnguenta, extrinsecus admota, valent & intra confectiones aromaticæ, *vt arom. ros. diagal. caryoph. cum conseruis, ad modum opiata: superbibendo parum vini diluti aqua absynthii, vel marrubii, vel betonicæ.* Hæc intemperiem castigare poterunt, & imbecillitatem,

Signa frigidæ intemperiei.

7. *Prognostica.*

8. *Curatio.*

9.

Ad humidam intemperiem.

quæ ab intemperie frigida sit. Eadem etiam humidam intemperiem castigant. Hæc autem his notis cognoscitur. Sitim nullam adfert, linguæ adest humiditas, vultus totumq; corpus nõ ita collabitur, sed tumidum atq; pituitosum apparet, tũ excrementa, deiectionesque aquosiores. Hic tamen augenda est dosis resiccantium, *vt si antispo. aliquod opiatæ addatur, ex spongia bedegaris, vel cornucerui, vel intestinis gallinæ & lupi, vel ex corall. aut ebore.* Victusque ratio magis exsiccans hic esse debet: tum ea danda, quæ ad hydropem (*in quam facile mutatur*) valent. Si sicca sit intemperies (*licet rarius eueniat*) recrementa sicciora erunt, corpusq; siccius & tenuius: sitis aderit; & deiectiones alui paucæ & crassiores apparebunt. Hæc aũt difficile curatur: nam difficile est rem siccam humectare; tum quia quæ agunt, debilia sunt; & quæ patiũtur, multum resistunt: partes quoq; exsiccatæ concidunt densioresq; redduntur: & medicamenta non possunt penetrare, ob imbecillitatem facultatum naturalium, & maxime concoctionis in substantia membrorum solidorum: ideo & in marasmum, vitium irremediabile, incurrunt. Ne igitur radices agat, cibis humectantibus curabitur, *lacte, butyro, vitellis ouorum, vino, succo carnium, ptisana, lacte amyg. balneis & inunctionib.* Atq; tales regẽdi, vt de hectica, marasmo & tabe diximus. Ad quæ loca lectorem relegamus. Ceterum simplex intemperies diu sola non consistit, quin breui post tempore humoris vitium accersat: sic calida bilem, & frigida pituitam. Ideo & horum humorum respectus habendus, *vt iam sæpe ostensum est.*

10.

Ad siccam intemperiem.

OBSERVATIO III.

De hepatico seu iocinoroso, ab empirico quodam pro pleuritico perperam iudicato.

1. IOannes Petri, cognomento Rex, qui Alcmariæ in Aggeris via prope pontem habitabat, cum duobus fere mensibus ex hepatis calida satis intemperie cum obstructione quadam tum inflammatione, attamen non vehementi, tendente ad apostema, cum dolore eiusdem ac imbecillitate, laborasset, ad eum prius vocatus sum sub finem mensis Iun. anno 1553. in lecto decumbentem, & antea a quodam empirico ꝓ pleuritico habitum, & longo tempore male curatum, sanguine quidem demisso, at aliis perperam medicamentis adhibitis. Ad eum ingressus, reperi eundem ad extremam debilitatem deuenisse, ac ab astantibus amicis tunc pro deplorato habitum: qui me tunc prius accersiri, tum vxor, iusserunt. Ad quem diligenter respiciens, inueni hominem ex continuo dolore vigiliisque adeo debilitatum, viribusque consumtum, vt ossa tantum restare viderentur. Aderat enim dolor in hypochondrio dextro, qui aliquando ad diaphragma, aliquando ad ventriculum extendebatur. Et quantum ex signis præsentibus colligere potui, hominem non pleuriticum, sed iocinorosum iudicaui, non sine inflammatione, vna cum obstructione & hepatis caliditate & imbecillitate ad apostema quasi tendente.

2. Aderant enim vigiliæ; & successit ventriculi debilitas, postea etiam aliqualis lienis durities; totumque corpus macilentum euadebat: hoc est, q̃ paulo antea ex Ægineta diximus. *Si iecur contabescit, vniuersum tabe conficitur corpus: febri exæstuat æger, cibi tædio languescit:* quæ inquam omnia huic aderant, quamuis febris lenta erat, quasi hectica consumens totum corpus. Pro variis accidentibus varia conscripsimus. Pro vigiliis tempora hoc linimento inungi iussimus. *℞. vnguent. popul. olei mandrag. papau. an. ℥ ß. opii thebaici ℈ j. croci gr. iij. ceræ q. s. fiat linimentum.* Interim pro hepatis obstructione, inflammatione, & pro vigiliis, bis in die ex sequenti decocto bibebat. *℞. cichorii cum rad. dentis leonis, cum rad. acetosæ, end. fumariæ, lactucæ nouellæ, viol. ana m. j. agrimoniæ, capill. ven. anethi viridis, ana m. ß. sem. quat. frig. maior. ana ʒ j. semin. anethi, portulacæ, ana ʒ ß. glycyrr. ras. ʒ iij. fiat decoctio in aqua commun. pro ℔ j. ß. colaturæ, adde syr. de cichor. Nicoli cum rhab. syr. de end. ana ℥ j. syr. viol. papau. borag. an. ℥ ß. arom. cum ℥ ß. spec. diarod. abb. & gr. v. trochisc. de rhabar. fiat clareti instar pro iulab.* Et cum cyathum vnum bibisset, capiebat *ʒ ij. specier. trionsant. & diarod. abb. confecti cum aqua end. adiecto zacch. vt artis est in tabulis.*

3. Pro dolore vtebatur hoc fotu, tam in regione hepatis quam diaphragmatis & ventris. *℞. folior. maluæ.* (quia circa hepar & loca dicta erat quædam durities & tensio) *m. j. folior. viol. man. ß. flor. ros. rub. florum anethi seu summitatum eius, summitatum absinthii, florum meliloti, chamomil. ana p. j. fiat decoct. in aqua commun. pro ℔ j. ß. in fine addendo aceti optimi & vini Rhenensis, ana ℥ ij. specier. trionsan. ʒ. j. ß. misce, pro fotu.* Mox inungebatur vnguent. sequente. *℞. vnguent. alabast. olei ros. coton. an. ℥ ß. misce.* Post fotum & inunctionem dolor sedatus est, potissimum in diaphragmate & ventriculo, & in hypochõdrio dextro: ita vt postea melius dormire potuerit. Postea ad maiorem hepatis & ventriculi roborationem. Ex condito sequenti vtebatur. *℞. conseruæ capill. vener. ℥ ß. succi intybi seu seridis ℥ ß. conseru. nenupharis* (ad maiorem alterationem & refrigerationem hepatis) *conseruæ bugloss. ana ℥ ß. conseru. ros. flor. cichorii, ana ℥ ij. corticum citri conditi ℥ ß. zacchar. ros. perlati ℥ v. spec. diarod. abb. trionsan. ana ℥ ß. cum syrup. de succo cichor. & ros. fiat conditum.* Postea etiam eodem vsus est, adiecta *conserua. viol. ℥ ß. & specier. aromat. ros. ℈ j. cum syrup. menthacco.* Et ventriculus inungebatur oleo mastic. cotoneor. & myrteo.

4. Dedimus prius ʒ j. rhab. in substantia: nam alia purgatione vti noluimus, cum hic satis per se aluum fluentem (*vt hepatici solent*) haberet, & sæpe biliosa male olentia deiiceret. Post aliquod tempus manifeste sentire potuimus duritiem quandam in hepate, inflatione pedum non diu subsequente: ideo & de apostemate & scirrho metus erat. Sed loco dolente inuncto, haud exiguum leuamen subsequutum est, vt plurimum adhuc de eius salute sperauerimus. Linimentum tale erat. *℞. emplastri de meliloto ℥ ß. olei cotoneor. amygdal. amar. ana ʒ iij. vnguenti santalini* (ob intemperiem calidam hepatis & imbecillitatem) *ʒ ij. gummi ammoniaci in aceto soluti ʒ j ß. misce. fiat lenimentum.* Vtebatur & his tabulis, cum maximo commodo.

℞. be-

℞. hepatis lupi incisi & contriti ℨ j. ß. specier. diarod. abb. specier. diatr. frigid. ana ℨ ß. pul. rhab. optimi, ammoniaci in aceto dissoluti ana gr. iiij. dissoluaptur hæc in decoct. cuscutæ, capill. vener. cum aqua fœniculi, bugloss. scabiosæ, lupul. adiiciendo zacch. q. s. fiat confectio in rotulis, ponderantibus ℨ iij. miraculose contulit; etiam

5. in iisdem illis aquis hepate lupi bullito & expresso. Veteres dabant ℨ j. *hepatis lupi in puluere, cum vino dulci*, sine febre; alioqui cum *succo seridis*, vel cum *aqua calida*: nos commode cum aquis dictis propinauimus. Nam & Galenus iecur lupinum medicamento ex eupatorio indidit, *vt 11. de med. simpl.* quanquam & eo solo vtitur *8. & 6. de compos. medic. secundum locos.* Sua proprietate efficax est medicamentum, ex Asclepiade. At cum hoc electuario, tum linimento, aliquo tempore vteretur, dolor omnis in hypochondrio dextro cessauit, & durities simul euanuit. Quamuis paulo post conquestus est de lienis duritie & obstructione: quæ tamen symptomata sola inunctione olei de capparibus mox cessarunt. Sed in conualescentia pedes cum inflati manerent, decocto sequenti adhuc vtebatur: *℞. agrimoniæ, ceterach, scolopend. ana m. j. decoqueb. in aqua & vino Rhenensi, & colatura expressa zacchar o dulcorata*, vtebatur bis

6. atq; ter in die, maximo suo commodo. Similiter & condito sequenti, omni mane ad castaneæ magnitudinem: *℞. conseru. flor. rorismarini ℥ ij. conserua buglossæ ℥ ß. rad. sax. frag. conditæ ℥ ß. corticum arantior. condit. & citri ana ℨ ij. ß. trochisc. de cappar. ℨ ß. specier. dialaccæ ℈ ij. specier. diarod. abb. ℈ j. ß cum syr. de cichor. & oxymel. simplic. q. s. fiat conditum.* Pedes inflatos fomentarii imperauimus, qui œdematosi videbantur, cum aqua marina. Qui ablutione, lotione ac fotu subsiderunt: ita vt pristinam valetudinem peruenerit. Interim pro colophone totius curationis etiam his tabulis vtebamur: *℞. specier. diarod. abbat. trochisc. de capparibus ana ℈ ß. specier. dialaccæ ℈ ß. dissolutis in aqua agrimoniæ, cichorii & fumariæ ac fœniculi, adiecto zacch. q. s. fiat confectio in tabul. dos. ℨ ij.* quibus vtens, quotidie secessum habuit. Et iecore imbecillo restaurato cœpit indies magis magisque conualescere, etiam carne accrescente: ita, vt dictis remediis, post diuturnas afflictiones, pro deplorato habitus, magna cum nostra industria, *laude Diuina & Dei ope*, cum multorum admiratione sanatus fuerit.

SCHOLIA.

7. CVm hunc ægrum præ manibus haberem, venit mihi in mentem historia illa Siculi medici decumbentis, qui se ipsum iecinorosum, tum alii medici perperam pleuriticũ iudicabant, apud Galen. lib. 5. de loc. affect. cap. 7. cum Galen. vna cum Glaucone post alium medicum ad illum ingressus, inflammatione iecoris laborare, eundem iudicabat. Similis quoque historia etiam narratur a Beniuenio, de abditis causs. morborum cap. 75. de Antonio Brunellesco, a priore medico iudicato pleuritico, cum malum in iecinore esset, cum inflammatione, ab eodem Beniuenio recte curato. In quo vehemens dolor a latere dextro in iugulum humerumq; transmitteretur: & bilem quoque euomebat æger, quem & singultus pene strangulabat. Verum cum huiuscemodi vitii notæ eadem fere sint, quę & lateris abscessum indicant,

Medicus iecinorosus a se ipso tum aliis perperam pleuriticus iudicatus.

8. medicus cui primum cura demandata fuerat, eum curabat vt pleuriticũ (*vt noster empiricus*;) Sed cum iecoris vitio laboraret, aliter eũdem curauit Beniuenius; quemadmodũ & nos hũc ægrum restituimus. Oportet igitur medicũ non solum morbum cognoscere, sed & locum etiã in quo sit, diligẽtius perscrutari, vt huic commoda medicamenta apponantur, & vt tales non vti pleuritici, sed iecinorosi recte curentur, adhibitis iis quæ ad hepaticos vel etiam inflammationem iecoris (*si adsit*) conueniant, in quibus etiam canones auctorum obseruãdi, de quibus docte & egregie scripsit Arculanus. Ceterũ quia frequens affectus etiam huius visceris est obstructio, ob multas caus. vt postea dicemus, ideo huius exemplũ vnũ nunc adferemus.

OBSERVATIO IV.

De obstructione hepatis, ex flatibus crassis.

1. SCribit Galenus lib. 5. De locis affectis, non solum a crassis humoribus iecinoris obstructionem fieri, verum etiam halituoso quoque spiritu ibi concluso, cui non pateat exitus. Quod & Aet. confirmauit libr. 10. cap. 2. cum dicat, iecinoris oppilationes fieri a flatibus nebulosis & concoctu difficilibus. Et sic secundum Galen. & Aetium dignoscitur hæc obstructio, cum vaporosi & crassi flatus multitudo coaceruatur, quæ exitum non habet: quoniam non grauitatis solum, sed etiam distensionis sensum sentiunt laborantes. Sic istis diebus vir in platea Flandrica habitans, insignem dolorem vna cum tensione patiebatur in hypochondrio dextro, cum tempore vẽtoso iter fecis-

2. set, & flatulentis cibis vsus esset. Cum nulla febris adesset, huic dedi decoctum florum chamomillæ, seminis anisi & fœnic. cum vino tenui: & ne materia coaceruaretur, exhibui ℨ ß. *diaphœnici, cum ℨ iij. decoct. cicerum rub.* Exterius inunxi locum dolentem cum *oleo nardino, amygdal. amar. & chamamelino: & dedi diacuminum.* Vtebatur victu extenuante & carminante. Etiam fotu ex floribus chamomillæ, meliloti, summitatum anethi, cumini & anisi, & absinthii, cum recens esset affectio ad tollendam obstructionem vtens, facile curabatur. Hoc est quod Hollerius dicebat: Oppilatur hepar a crassis flatibus sed facile discutiuntur: non ita facile a crassis viscidisque humoribus, vt postea suo loco dicemus.

SCHOLIA.

3. INter alios instrumentales affectus, quibus crebro iecur laborare contigit, potissimum is est, qui a Gręcis ἔμφραξις, a Latinis Obturatio, oppilatio seu obstructio dicitur. Est autem ea, læsio seu amissio prædictarum iecinoris cauitatum, ex infarctu alicuius substantiæ; humoris scilicet seu flatuosi spiritus, vt ex Galen. 5. de loc. affectis & aliis multis locis colligitur: idque in extremis vasorum partibus, non autem in propria eius substantia (*vt Arabes quidam senserunt*) quæ παρέγχυμα dicitur, quod ipsum ad longum Donatus ostendit.

ἔμφραξις oppilatio, obturatio, obstructio hepatis.

Pars affecta.

S

Affectus. Atque hic affectus, morbus exsistit non in intemperie, sed instrumentalis est morbus, in via seu cauitate. Obstructio autem admodum familiaris est iecori, nullumq; viscus hoc æque vitio tentatur, eo quod vena e portis per iecoris substantiam in ramos tenuissimos dissipata obliteretur: & quod huc alii rami non minus tenues e caua vena conueniant, per quos omne debet alimentum traduci & exportari. 4. Et ita secundum alios obstructio fit in venis capillaribus hepatis, per caua & gibba disseminatis a vena porta, vel caua, ob earum angustiam & flatus, vel etiam crassi & lenti humoris copiam, vt pituitæ in frigidiore temperamento. Biliosis etiam temperaturis praua victus ratione vtentibus, sæpe crudus humor in ventriculo & primis venis colligitur, qui calore attractus ipsius hepatis obstructionem parit. *Caussa.* Caussæ sunt frequẽtissimæ: victus ratio ex crassis & viscidis, exercitium a cibo, crassiora alimenta in prima mensa assumta, succedentibus calidis & tenuium partium. Nã ex his crudus humor intra venas rapitur, sicuti plerunque fit a medicamentorum aperientium vsu, ventriculo crudis humoribus referto. Et sic humor crassus, lentus aut multus, qui interdum e cerebro procumbit in ventriculum, & deinde præterfluit, sensim in tenues iecoris venas cum alimento penetrat, easque obstruit. Fere tamen ex alimentis crassis, viscosis multisque fit obstructio, quum aut balneis, aut motu vehementiore mox a cibo in tenues venas vel rapiuntur, vel impellũtur: nonnunquam & bilis flaua in iecore præter naturam diutius coercita, nec tempestiue expurgata, mire crassescit, grauesque & admodum periculosas iecoris obstructiones inducit, vt quæ interdum etiam in cysti lapidescat, vt aliquãdo post incisionem mortuorum deprehendimus. 5. *Signa ex halitu spirituoso.* Duæ tamen præcipue caussæ referuntur ex *Galeno, Aetio & Tralliano*, crassi & viscosi humores, vel spiritus halituosi in venis hepatis conclusi: & huius vltimi exemplum iam diximus, & quib. notis dignoscatur, scilicet non solum grauitate, sed etiam tensione. Nam grauitas & distensio, cum obtuso dolore, dextro insident hypochondrio, quod tum præcipue manifestum est, cũ quis mox a cibo exercitationem subit. Ea tamen sine tumore, & sine febre est. *Ex crassis & viscidis humoribus.* Talia etiam possent apparere ex humoribus crassis. Græci enim, (*Galenum, inquam, Paulum, Aetium, ac Alexan.*) de obstructione tractantes, quæ per se sola citra alium complicatum morbum iecur exerceat (de qua nunc loquimur) duarum tantum prædictæ obstructionis caussarũ meminerunt, spiritus videlicet flatuosi ac crassorum viscosorumque humorum. Hæc cum multiplex non fuerit, etiam sine febre excitari consueuit. At reliquæ, quæ mox a principio cum febre inuadunt, a calidorum humorum multitudine ac putredine ortę, non difficile cognoscuntur ex dolore vehementiore, tum febre: nec alium requirunt curationis modum, quam reliquæ, nisi quod non adeo calidiora attenuantia exigunt. 6. Qua de re nõ ex propria obstructionis natura febris consequitur: sed cum ea multiplex fuerit, propterea bene dicebat Aetius, eam quandoque sine febre esse, quandoq; cum febre. In recenti namq; ac exigua, & non multa exsistente iecinoris obstructione, febris non excitatur: in diuturna vero ac multa, non mirum, si ea consequatur, magnitudinis tamen & diuturnitatis ratione. Quin imo idem Galen. 8. *meth. med.* dicebat, obstructionis magnitudinem discerni ex magnitudine febris, vt quæ ex maiore obstructione, maior, ex minore, minor fiat. 7. *Prognostica.* Verum cum oppilatio omnis inueterata, non tãtum in hepate, sed in omni membro, putrefactionem operatur, ac febrem accendit, vt Aet. inquit: breui etenim tempore putrefactio cõsequitur ad obstructionem ex vitiosis humoribus, in frigidis intemperaturis, propterea obstructiones celerrime curare oportet. In calidis vero non cito, sed temporis progressu accedit, (*vt liquet ex Gal. 8. de compos. medicam. secund. locos.*) & consequenter ad putredinem febris. Si ex vitiosis humoribus contingant, eodẽ Gal. auctore, nec minus & aqua intercus cõsequi poterit: viscosis enim frigidis ac crassis humoribus diu in iecinoris vasis cõsistentibus, ex iis vasa ipsa primo infrigidantur, & demum iecinoris propria substãtia, ad cuius infrigidationem perpetuo sequitur aqua intercus, vt cõstat *5. de loc. affect.* Quod vero totius etiã corporis extenuatio, ex eius diuturnitate necessario consequatur, propter alimenti penuriam, quam Græci dicunt, cuilibet patere poterit, nec alia indiget ratione seu auctoritate. 8. Et sic quoq; obstructio ex calore hepatis, sæpe icteri caussa exsistit, ac febris lẽtæ & inflammationis, atrophię etiam in pituitosis, cachexiæ & hydropis, vt dictũ est, & colici doloris, vt Arculanus & Gordonius testantur. Soluitur aliquando in concaua parte, exsistente vẽtris fluxu: & est aliquando aluus liquida, & subinde sanguinolenta, si caua pars laborat. Ita, si gibbosa, adest anhelitus difficultas, vrina vix redditur, aquosa est, tument dextra præcordia, & iecore tumido supprimuntur: aluus nihil reddit, aut tantũ aridũ: & si vrina crassa redditur, soluitur aliquando malum. *Curatio.* At curatio generale quippiam habet, partim ex natura caussæ proximæ, id est, humoris obstruentis, quem etiam licet morbum nominare, partim etiã ex caussa remotiore, id est, abundantia humorum in corpore. Obstructio autem tolli nequit, nisi eius prima caussa tollatur: imo si quis ad obstructiones tollendas accedat, non vacuata copia humoris in venis, potius augebit obstructionem, 11. meth. 10. & 8. Quod erit apertum, si consideremus, quid exigat prima ratione obstructio. Est autem eius indicatio apertio, quæ fit per ea, quæ contrario modo humores afficiunt: si lenti sunt, incidantur, si crassi, extenuentur, & vna euacuetur, quod præter naturam continetur in vasis. 9. Sed quæ hoc efficiunt, vt plurimum sunt potestate calida, & fundentia sanguinẽ: quare metus est ne augeant obstructiones, siquidem copia humoris adsit in venis. Itaque præceptum est, ante medicamenta, quæ obstructione liberãt, abundantiam minuere, idque vel vena secta, si sanguis abundet, vel humoribus ad calidum vergentibus, ac copia

ac copia sua quoque molestantibus potissimum vbi eadem obstructio adhuc fiat, ex interna cubiti vena, *vt 11. meth. med.* etiam in inueterata, si febrem accendat, Paulo teste, etiamsi sanguis melancholicus vel crassus caussam dederit, modo vires ferant, alioqui si humores alii & crassi in caussa sint, purgatio adhibenda. Quomodo autem purgatio sit facienda, id figura seu formatio, tum etiam situs eiusdem visceris, indicabit, per quæ scilicet loca eam facere oporteat. Nam quæ in simis iecoris sunt excrementa, ad intestinum: quæ vero in gibbis, per vrinas euacuabimus, Galen. auctore lib. de const. art. med. quanquam etiam eadem iecinoris gibba, si multo vitioso succo sint referta, per deiectiones & pharmaca deiectoria (καθυπαγετικα Græci vocant) expurgari debeant: si vero mediocri succo referta sint, per vrinarios meatus, ex Gal. 7. *meth. med.* Aliqui hic, si pituita abundat, per vomitum vel aluum educunt. Vitiosis succis mediocriter concoctis ac eductis, ad detergendas obstructiones accedemus, *vt 8. & 11. meth.* In calidis infuso *rhab. vtemur, cum decocto intubi*, si crassi sint humores, adiiciemus pro purgatione *infusum agarici*, vel vtemur *pilul. ex agar. & rhab. vel ag greg.* si valde crassi sint humores. Deinde vtemur aperientibus, quæ ad intemperiem frigidam valere scribunt auctores, si ex succo frigido fiat: si autem calidi adsint succi, vtemur iis, quæ ad calidã intemperiem valent, vti & exempla infrascripta docebunt.

Observatio V.

De hepatis obstructione, ex pituita crassa.

Puella pituitosa, cui facies discolorata erat, ac membra fere omnia pallore squalebant, genæ tumescebant, & labia quasi e mortua tum pallida spectabantur, ac pedes tumentes habebat, vrina clara, alba mingebatur: grauitas quoq; tum distensio cum obtuso dolore dextro insidebat hypochondrio, & potissimum perceptibilis mox a cibo si sese moueret aut exerceret, quæ omnia certissimum signum, in iecore obstructionem esse, ostentabant. Hanc vero suspicionem augebant caussæ præcedentes: nam victu crasso & humido longo tempore vsa fuerat: nulla tamen febri corripiebatur, neque adhuc in hypochondrio dextro tumorem experiebatur. Spiritum impedite trahebat, præsertim si scalas ascenderet, vel alta peteret. Pedes cum vesperi magis tumerent, signum hoc erat quod partes distantes priuatæ erant alimento conuenienti, cuius quoque caussa facies pallebat. Pulsus huic mollior erat, ac languidior: nulla sitis aderat, & os saliua madebat, quæ inquam omnia ex pituita glutinosa obstructionem arguebant. Curationem vero a victus ratione, nempe extenuantibus, instituimus, vsque aerem frigidiorem, paludosum vitaret, ventosum, & austrinum siccumque eligeret, & cibos calidiores attenuantes gustaret, *asparagum, capparem, fœniculum, carnes pullorum, gallinarum, turdorum, merularum, perdicum, ac aliarum auium paruarum montanarum, assatarum, vel coctarum cum hyssopo, oreoselino, satureia, pulegio, apio, sampsucho & similibus.* Inhibuimus cuncta cibaria glutinosa & crassæ materiæ, veluti carnem bubulam, vaccinam, agninam, hircinam, & inter pisces molliores: pestiferam etenim materiam præstant, vt murænæ, anguillæ, congri. Perniciosissima habentur, *lac, caseus, pedes quadrupedum, & viscera, damnata materiæ existimantur, præterea oryza, far, & omnia dulciaria & lactaria*, & lac quo crassius est eo nocentius, a quo serum exiguum excernitur: nam quod plurimum casei cõtinet, hepaticis, calculosis & lumborum vitiis nocet: sic & palmarum pinguium natura oppilat, si ex toto non maturæ sint, ita & siligo cum lacte in pultem parata eadẽ vitia producit. Imperauimus quoque vt sereno cœlo ac calidiore habitaret, corpusque exercitatione aliquantisper vegetaret ante cibum: nam exercitium conturbans a cibo sumto, noxium admodum est: eaque ratione quies tunc imperanda. Iussimus interea, vt ante cibum vigilaret: nimio enim somno torpescunt sensus, & ideo somnus sit nocte non turbatus, paululumque sublimius, caput, connexæque corporis partes componantur tempore somni. Panem optime fermentatum laudauimus, qui si sale, cymino, fœniculo, aniso, vel similibus subactus esset, magis commendatur. Vtiliter quidam & addi volunt pro plebe, lupinorum farinam aut erui. Interea cibum offerri voluimus qui facile concoqui posset, in parua quantitate, & vt vnice caueret, ne plus, quam vires tolerarent alimenti sumeret, & ne ante quam hesternus cibus concoctus esset, alium gustaret, aut horam consuetam præuerteret. Concessimus & vinum tenue, cum & huic menses deficerent, aut minus fluerent. Propterea etiam huic consuluimus, cum vires adhuc fortes essent, vt paulum sanguinis ex saphæna mitteretur: & egregie profuit. Licet enim sanguinis missio aliquando approbetur in obstructione hepatis, pro ventilatione in pituitosis ex basilica vena, tamen in hæmorrhoidibus & mensibus suppressis prodest venas crucis potius incidere, vt apud auctores videre licet. Quæ venæ sectione cum menses fluerent, interea ea elegimus quæ materiam inciderent, aperirent & detergerent, & simul ad euacuationem facerent: quale est sequens decoctum. ℞. *rad. fœnic. petros. asparagi, apii, graminis, ana.* ℥j. *origani, rorismarini, artemisiæ*, (vt magis fluerent menses) *chamæd. ana. m. j. centaurei, cassutæ, agrimoniæ, chamæpit. lupuli salictarii, fumariæ. ana. m. ß. sem. fœniculi, dauci, pistinacæ. ana.* ʒj. *vuar. passul. ab arill. repug.* ℥j. *glycyr. rasæ* ʒiij. *folior. senæ* ℥j. *agarici fœmin.* ʒj. ß. *rhab. selecti* (valde enim hepati prodest) ʒj. *schœnanthi, cyperi, calami aromat. zinz. albi. ana.* ʒß. *coquantur in aqua communi, pro* ℔. j. *colatura addendo syr. de byzantiis, oxymell. simpl. de duabus rad. syr. de artemisia, de eupathorio. de quinque rad. an.* ℥ß. *mis. pro iij. aut iiij. dosibus.* Deinde dedi *pilulas de hiera, & aromaticas, ex* ʒj. *septem ante cibum.* Postea & has pilulas, prius assumtis syr. aliquibus incidentib. *vt oxymell. diureticos.* ℞. *agar. trochis.* ℈ij. *rhab. optimi* ℈j. *diag. gran. j. vel ij. cum oxymell. fiant pilulæ* v. *vel* vij. Mox dedi decoctum *radic. filicis, cum oxymelite*, radix

enim hæc, sicut & semen securidacæ, ab antiquis plurimum probatur: nam & Gal. succum eiusdem radicis in compos. solebat ponere. Sed & conditum sequens præscriptum: ♃. *conser. capill. vener. flor. betoniæ, ana* ℥ ß. *trochisc. de eupat. de rhab. ana* ℥ ß. *specier. diarod. abb. trionsant. ana* ℥ j. *syr. de byzantiis, de eupatorio q. s. fiat conditum, detur ad magnitudinem nucis auellanæ, superbibendo vinum dilutum cum aqua cassuta & artemisiæ.* Hypochōdrium dextrum hoc vel simili vng. inunximus: ♃. *olei nardini, amygd. amar. ana* ℥ j. ß. *succi apii* ℥ ß. *coquatur ad succi consumtionem, addendo spicænardi & Celtica, schœnanthi, asari ana* ℨ j. *sem. apii, petros. ana* ℨ ß. *cyperi, ros. ana* ℈ ß. *cera q. s. fiat vnguentum.* Quibus remediis hæc puella melius habuit.

SCHOLIA.

6. QVi venas habent astrictiores, vt frigidi temperie, plus obnoxii sunt obstructionib. tam ob venarum angustiam, quā ob copiam pituitæ lentę & crassę. Sunt enim illa duo, caussę obstructionum potissimæ; nempe meatuum angustia, & humorum crassities, vel lentor, vel sanguinis copia. Quibus modis cognoscatur, iam dictum est, & quomodo etiam curetur, nempe optima victus ratione, eaq; attenuante & vsu medicamentorum incidentium, & subtiliantium materiam crassam, cōcoquentium, & demum purgantium; deinde vtendo medicamentis tollentibus obstructionem; liberatis obstructionibus, intemperiem emendando, & viscus roborando. Sunt qui hic 7. laudant vsum cæparum ex oxymell. vel aceto, vt Rondeletius facit: iuscula in quibus rad. apii vel petros. aut fœniculi incoctæ sint, ex syr. oxymell. vel aliquod diureticum: deinde laudant purgationem ex ℨ ß. *diaphœn. cum aqua apii vel graminis*, deinde inter aperientia trochis. de eupat. diarod. dialac. de rhab. de absinth. de curcuma probantur: longiore tempore his vtendum. Quædam tamen ex his nimis calida & ingrata, & acria: quorū vsu mulier nobilis apud Rondelet. in vlcus renum incidit ex vsu cōpositionis de vino, excerptæ e Praxi de Taranta. Igitur eiusmodi calida frequenter non danda. Obstructio hæc a natiuitate ob viarum paruitatem, curam non admittit, quāuis bono regimine præseruari possit a multis morbis, qui hunc affectum subsequi solent.

OBSERVATIO VI.

De hepatis obstructione, ex caussa calida, cum hepatis caliditate.

1. VIr quidam Delphis dolorem hypochondrii dextri sentiebat, vna cum ventris stipticitate: vrinam subtilem & rubrā habebat, & plurimum sitiebat, & pruritus ei in toto corpore aderat; vtcunq; macilentus erat, & citrini coloris, cum pulsu veloci, & febre, licet exigua. Quem cum inuiserem, intellexi, illi a calida caussa obstructionem in iecore adesse: ideo venam basilicam in brachio dextro secari iussi, sanguine moderate extracto. Mox hunc syrup. propinaui: ♃. *syr. acetosi simplicis* ℥ iij. *aqua decoct. endiuiæ, cichorii, hepaticæ, lactucæ, capill. vener. polytrichi, dentis leonis* ℥ ix. *fiat syrup. pro iij. dosibus.* Postea eundem hoc modo feliciter purgaui: ♃. *rhabar. selecti* ℨ j. ß. *infunde per noctem in aqua end. cichorii, fumariæ q. s. adde expressioni electuar. de succo ros.* ℨ ij. *syrup. ex infus. ros.* ℥ j. *misce*, & quinquies egregie aluū deposuit. Deinde dedi trions. vel diarthod. abb. in tabul. modo vnum, modo alterum: & inuncta regione hepatis cum vnguento santalino, optima victus ratione adhibita, breuiter & hic fuit restitutus.

SCHOLIA.

2. SI sit obstructio ex calida caussa, vel succi crassi ad calidum tendant, conuenit syr. ex succo cichorii aut endiuiæ, quam scariolam vocant, oxyzacch. acetosus simplex. & ex rad. cum aceto vel e fumaria. Purgatio commoda ex *infuso rhab. cassia vel manna, cum aqua cichorii vel intubi.* Deinde *pastilli ex diarod. abb. triasant. vel succus fumariæ desiccatus, & in pastillos redactus*: hic autem dolorem omnem soluit, etiam si febricitent. Reliqua vide apud Aetium, Paulum, & neotericos: qui addunt, accidentibus esse occurrendum, siue atrophia subsequatur, siue febris, siue cachexia vel hydrops; idque ex propriis suis locis. De quibus & Arculanum & Gatenariam & reliquos consulito.

OBSERVATIO VII.

De hepatis inflammatione.

1. ELICO, prætor in oppido Schaga decumbens, crapulæ satis deditus, inflammatione iecoris correptus est. Huic autem febris continua aderat, & dolor valde grauis in hypochondrio dextro, cum tussicula quadā inani. Cum enim hepar multo sanguine abundet atq; illo nutriatur, multasq; & magnas venas habeat, per quas magnum sanguinis fluxum vel potius refluxum ad se patitur, ob id hoc viscus aptum est ad suscipiendas eiusmodi inflammationes: & magis in hoc corpore, vino ac poculis dedito. Præterea cum inflammatio hepatis tumorem, dolorem, febremq; necessario secum adferat, ex eo & respirandi difficultas oriebatur, tussicula inanis, vt dictum est, tum dolor ad clauiculam ascendebat; ita vt is pleuritidem falso esse putaret. Quod aūt eiusmodi dolorē sentiunt ad iugulū vsq;, id ob membranæ costas succingentis tensionem fieri volunt, quæ tenditur ob septi transuersi tensionem; & septum transuersum tenditur ob pondus hepatis deorsum trahēs. Sed hoc non nisi in magna phlegmone fieri volunt. At huic febris satis acuta aderat; & lingua arida rubensque, qualis in principio hic cernitur; postea 2. autem nigrescebat (*vt fieri assolet*) & aspera fiebat. Habebat vero sitim inexhaustam, nauseam, & cibi fastidium, & singultum: quæ, inquam, omnia inflammationem hepatis indicabant, lotium quoq; rubrum spectabatur. Ad hunc igitur accitus mense Iunio, anno 1548. venam basilicam ilico tundere feci, ad vncias octo, vel paulo plus, sanguine effluente, cum eodem die secessum habuisset. Sed sequenti die cum non satis aluus responderet, lenitiuum sequens vt exhiberetur mandaui: ♃. *cassia recens extracta* ℥ j. *rhab. pulu.* ℈ j. *fiat bolus*: ex quo quatuor sedes vtcunque biliosas habuit; ita vt ex hac leui purgatione & sāguinis detractione febris mitior

minor euaserit, dolore parũ diminuto, sed adhuc vtcunque permanente. Inunximus regionem hepatis vnguento santalino, & pannum lineum eodem vnguento inunctum apposuimus, sine calfactione. Interea & hoc decocto vtebatur. ℞. *endiuiæ, cichorii cum toto, dentis leonis cum toto, acetosæ, viol. lactucæ nouellæ. an. m. j fumariæ, agrimoniæ, capill. vener. boragin. bugloss. ana manip. ß. chamæpityos, chamæd.* (cum esset etiam quędam obstructio, tum cholera paulo crassior, quam leui purg per aluum excreuerat) *ana man. ß. rad. graminis, petros. ana ℥ ß. sem. 4. frigid. maior & minor. an. ℨ j. sem. anisi ℨ ß. thamarind. ℥ j. prun. damasc. num. xiij. vuar. pass. ab arill. repurg. ℥ j. liquir. ras. ℨ ij. hordei mund. p. j. fiat decoct. in aqua communi pro ℔ j. ß. colaturæ addendo syrup. de cichor. Nicoli cum rhabarb. ℥ j. ß. syrup. viol. de limonibus, de endiu. ex infus. ros. commun. ana ℥ ß. misce.* Quo iulebo, seu apozemate, cum vsus esset, febris valde diminuta est, & quotidie aluum deponebat. Morbo autem magis inclinante, pro dolore vsus est sequenti epithemate, bis aut ter in die, atque ita dolor omnis euanuit, neq; ad apostema deuenit, de quo metuebat, sed sanus cum nostra laude, ab astantibus pro deplorato habitus, euasit: ℞. *endiuiæ viridis, cichorii. an. m. j flor. chamomillæ, meliloti, flor. ros. rub. an. m. ß. summitatum absinthii p. j. coquantur in aqua communi pro ℔ j. ß. in fine addendo aquæ absinthii, end. ana ℥ j. aceti optimi ℥ ij. specier. trionsant. ℨ j. ß.* Iterum ebulliant, & fiat epithema pro hepatis regione. Eo peracto inungatur linimento infrascripto. ℞. *olei amygd. amar. chamomil. an. ℥ ß. olei ros. vnguenti santalini, ana ℨ ij. misce.* Quod ad victum attinet, tenuissimum adhibuimus, in principio nil nisi cremorem ptisanæ, lactucam, tum poma cocta administrando. Ptisana a Galeno maxime laudatur in cibo *13. meth. medendi.* Abstinendum a dulcibus, quibus tum iecur tum lien intumescunt. Postea in fine ptisanam in gallinaceorum pullorum iure concessimus, intybo & cichorio incoctis. Auctores enim hic a valde refrigerantibus ac astringentibus abstinent: de quibus consule Alexand. Trall. & Galenum, tum alios auctores.

3.

SCHOLIA.

4. Caussæ.

HAud raro iecur inflammatione laborat, ob sanguinis fluxum & refluxũ, vt diximus, quæ haud aliter in ipso quam in ceteris nostri corporis partib. gigni consueuit, nec etiã ab alia caussa. Nam communis omnium phlegmonarum generatio (*teste Galeno 10. 13. 14. meth. medend. & in libr. de tum. præter naturam, & de inæquali intemperie, ac aliis plerisque locis*) ex sanguinis influxu est copiosioris, quam pars postulet: nam & caro hepatis, quam quidam Græce parenchyma vocant, in quã sanguis ex refertis vasis halitus specie exsudat, inflammationem gignit, *auctore Gal. 14. method. med.* Omnes igitur caussæ tam internæ quam externæ, quod ad generationem inflãmationis, tum caussas, attinet, resumere oportet ex his, quæ de ventriculi inflammatione diximus. Addendæ & his caussæ externæ ex lib. 11. Galen. method. cum de cataplasmatis agit in pleno corpore: vt si quis etiam dolori sedando cucurbitulam affigeret, aut calida emplastra admoueret in pleno corpore, facile inflammationem adferre posset: quanquam inflammationes in fluxu fiunt repletis venulis, & carne eius irrigata, & repletis spatiis. Signa iam ex parte in Obseruatione præcedente diximus, quæ ad dignotionem partis affectæ plurimum faciant: iecur enim ipsum inflammatione affici deprehenditur, ex dolore cum positu, quoniam in dextro latere ad nothas costas dolor a laborantibus sentitur. & cum magnam trahant spirationem, vehementius excruciat, sentiuntque in eadem dextra præcordiorum parte grauitatem, & interdum iugulum ad infernas partes detrahi, (nam id non omnibus commune est, sed iis tantũ, quibus iecur costis alligatur) atq; sic dolor, ad succingẽtem costas membranam peruenit. Quoniam vero de dolore mentio fit, distinguit Gal. *6. aph. 5. de situ phlegmones.* Nam quæ est in profundo carnis, dolorem grauantem faciet, id est, sentiet quasi pondus quoddam deorsum trahens viscus, & diaphragma: at dolor magnus non erit, nam pars, quæ proprie afficitur, sensum non habet. At si membrana patiatur, erit dolor acutus. Addit, & si venas afficiat, dolor pungens & tensiuus fiet. Alibi tamen scripsit Galen. (*vt 2. de loc. affect. 2. & inde sæpe*) venarum tunicas, & arteriarum non sentire, *16. de vsu part. Prorsus carent, inquit, sensu siue inusseris, siue secueris.* Respondeo, vti & Iacchinus facit, locus est mendosus, *16. de vsu*, lege: Fiunt insensiles venæ & arteriæ, seu nerui incidantur, siue vinculis excipiantur. Et quidem si venas subiens inflammatio dolorem acutum facit, non poterit euitari talis dolor, in quauis parte cõsistat: vbiq; enim venæ adsunt. Et tamen Auic huiusmodi meminit distinctionis factæ a Gal. 6. aph 5. statuens, quod si venas affligat, dolor erit acutus. Oportet igitur & alia signa habere, quæ & ratio ex natura rei sibi inuenit, & experientia ex sensatis confirmat. Primum est, febris acuta, vt quidam sentiunt: alii & ardentem febrem adesse volunt, vt Rondeletius. Idem fatetur Aetius, quod febris adest acuta, inæqualis, quę plerunque ad vesperam, & noctem exacerbatur. Quod vero febrem ad iocinoris inflammationem comitari necesse sit, a Galeno decretum est, *2. de loc. affect.* Verum quod ea acuta sit, nequaquam fassus est, nisi præcitato *5. lib. de loc. affect.* vbi de erysipelate verba faciens, scriptum reliquit ardentes febres, ac vehementissima symptomata euenire, cũ ipsum in iocinore, vẽtriculo aut pulmone fuerit ortum, vel inflammatio erysipelatis particeps fuerit. Quinimo lib. prorrh. *2* phlegmone in iocinore, vel ventre orta, ꝙ non continuo ac perpetuo maligna, nec acuta consequatur febris, decretum reliquit. Nam inflammationum magnitudinem (vt etiam sentit Donatus ab Altomari) perpetuo febris ex proportione sequitur. Et propterea nisi valenter iecur inflammari contingat, licet febris excitetur, quoniam princeps viscus est, tamen ea acuta nõ erit, nisi eadẽ inflãmatio magna sit. Pro cui⁹ magnitudinis ꝓportione ipsa quoq; & maior erit, & vehementius excitabitur: de qua

Signa. 5.

6.

Quod non semper iocinoris inflammationem comitetur febris acuta.

7.

forte Aetius intelligere voluit, cum dixit *lib. 10. c. 3.* quod accessionis tempore quidam dilirio apprehenduntur, ac acre lotium excernunt, & febris adest acuta, inæqualis. Sic quoque Alexandri Tralliani verba intelligéda, cum dixit exiguam hepatis inflammationem, nō statim febrem inducere, scil. vehementem & acutam febrem: aliter falsum esset. Nam orta inflammatione in eo, cum princeps membrum sit, vniuerso corpori impetit, & tensionem & calorem immodicum, qui febris est, *eodem Gal. teste. 4. de caus. puls.* & propterea necessario (*vt ipse 2. de loc. aff. scriptum reliquit*) ipsam iecoris inflammationem febris comitatur. Secundum signum est, & grauitas in dextris præcordiis, deorsum trahi videantur cum æger assurgit, qui etiam aliquando ad iugulum (*vt paulo ante diximus*) vsq; protenditur, eo quod membrana, quæ suspenditur diaphragmati & deorsum trahitur, ortum habet ex ea quæ costis subtenditur: sed hoc non nisi in magna fit phlegmone. Iam quoque magis interuallis tussis exigua, arida, & qua nihil exspuunt, molestare ægros solet, atq; spiratio parua & crebra, *quemadmodum 2. & 5. de loc. affect. a Galeno scriptum est.* Adest, *inquit Iacchinus*, & tussis sicca, vel quia ex gibbis partibus aliquid in thoracem effluit, vel quia calor molestus pulmonem afficit, vel demum, quia respiratio libera non est: vnde natura noxam e respiratoriis organis pellere volens, tussim excitat. Fit & respirandi difficultas, tum ob tumorem, tum *vt Rondeletius vult.* ob febrem, quæ maiorem refrigerandi necessitatem habet. Addit & ipse tussiculam inanem. Dolor vero fit grauis, quia non sentit, nisi in parte gibba: tunc ob ligamentum, quo cum diaphragmate iungitur, ligaturq; dolor punctorius sequitur, & cruenta excretio, in iis qui abundant sanguine. Sic ego præ manibus semel habui mulierem laborantem inflammatione iecoris, cum dolore aggrauante in hypochondrio dextro, quæ simul per aluum sanguinem excernebat, valde plethorica: & quæ fuit sanguis detractione, tum aliis aptis remediis, tū topicis hepati tempestiue admotis, probe curata. Sed num per tussim, quę plerunque arida est sanguinem relectant? id ego vix vidi, quod sciam. Alia vero quædam signa ab eodem Galen. *5. de loc. affect.* tum ab Aetio, *cap. 5. libr. 10.* & Paulo *c. 46. lib. 3.* referuntur; vtpote de lingua sicca & adusta, & de eiusdem colore rubro & nigro, de bilis flauæ vel syncera bilis, tum eius quæ vitellis ouorum assimilatur, vomitu, quæ postea æruginis aliquando colorem referre conspicitur: item de aluo adstricta, nisi vna cū visceris imbecillitate inflammationem excitari contingat, *vt liquet eodem 5. de loc. affect. Gal. & locis ex Aetio & Paulo citatis.* Sed hæc partim communia sunt symptomata, multis acutis morbis succedentia, partim non necessario adueniunt: ita & color corporis subuertitur in arquati morbi speciem permutatus, & singultus quoque consequuntur. Sunt autem hæc supradicta euenientia seu in gibbis, seu in simis: cōmunia enim sunt vtrique parti; quanquam vehementior sitis, nausea, biliosarum sanierum vomitus, finis accidat magis, contra respirationis vitiū, & in respirando dolor, plus gibbas partes insequatur, magisque tussis excitetur atque dolor vsq; ad dextræ partis iugulum, adeo vt detrahi videatur, cum gibba pars est affecta, *vt a Galeno 5. de loc. aff. scriptum est.* Licet idem testatur in neutra prædictarum partium exquisite distinctam inflammationem posse consistere, nam omnium eius partium carnes inter sese continuantur. Si tamen ingens in parte gibba consistat inflammatio, vel solo tactu dignosci potest. At simarum partium inflammatio per alia, potius symptomata quam per tactum inuestiganda, *vt liquet 5. de loc. aff.* Nam in simis fit magis fastidium, nausea, vomitus biliosus, sitisque vehementior. Et licet tumor circa partes gibbas hepatis, ex sanguine ortus, eiusque aggregatio facile tactu dignosci possit, si sit magnus, & præsertim in gracilibus, quibus abdomen non est crassum, præcipue post secundam vel tertiam diem, cum ex febris vehementia siccantur, (*teste Gal. 5. de loc. aff. c. 6.*) tamen alias non sentitur, quod triplex ordo musculorum hepatis substantiæ superponitur. Sæpe vero imponit talis tumor medico, tanquam sit in iecinore affectus, cum tamen sit in musculis abdominis: quē casum recitat Gal. Stesiano cuidam euenisse, & nos aliquando vidimus deceptos medicos: & Hippocrates multos ait, ex eo quod ignorant, lucrum facere, quod credunt se curasse phlegmonas iecinoris, cum tamen sint musculorum. Ideo distinguendæ prædictæ affectiones. Etenim iecinore inflammato tumor secundum lineamenta rotundus, figura videlicet ipsius hepatis æqualis succumbit, *vt Aetius fatetur*, qui etiam ad corporis decubitū simul conformatur. Maior enim apparet corpore ad sinistrum latus reclinato, minor autem, rursus ad dextrum reuoluto, nimirum hepate sub nothas cedente costas, neque visus, neque tactus similiter succumbente. Amplius autem (*vt idem inquit Aetius*) in hepatis inflammatione, incumbens cuticula naturali modo se habere cōspicitur: musculis autem inflammatis cutis circumtenditur, vt si quis digitis apprehensam attrahere velit, ea minime se quatur. Proprissime aut tactus discernet, num in alto num vero in superficie inflammatio ipsa cōsistat: rectorum aūt musculorum tumores præter naturam oblongi, atq; per totum ventrem extensi videntur, vmbilicū (veluti hæc quoq; musculorum coniugatio) comprehendentes: quapropter haud obscura est eorum dignotio, vtpote quos & positus, & figura declarat, accedente ad hęc, quod ipsi a nullo exteriori musculo conteguntur. *Galen. auctore præcitato lib. 5. de loc. aff.* Hæc autem obliquis quoq; musculis, qui a thorace ostēdūt, sunt communia, vt ipse inquit. Sed multo difficilior est notitia musculorum, qui iis subiecti sunt: difficilima vero transuersorum. Cum ergo iecur inter hos musculos sub peritonæo positū sit, cum trib. contegatur musculis, fieri nō potest, vt tactus aliquam ipsius notitiā præstet, nisi vel magna in ipso oriatur inflammatio, vel incumbentes ei musculi extenduntur; *vt liquet ex Galen. eodem loco.* & ideo in

Marginal notes:

8.

9.

Si inflammatio in gibbo aut simis iecoris partibus sit orta, quibus signis comprehendatur.

10.

Sæpe affectus imponit medico tanquam esset in iecore, cum tamen sit in musculis abdominis.

11.

Quibus notis distinguantur iecoris inflammatio, ab ea quæ musculorum abdominis.

12.

Nomeadis inflammatio a pleuritis distinguatur pleuritis

Gibba tantū parte, si sit magna, solo tactu percipi potest, vt paulo ante dictum est. Distinguitur quoque non facile a pleuriti: quamobrem mirum non est, si medicus ille deceptus est 5. de loc. 7. Sæpius vero locus dolens distinctionem facit, & tussis humida, si eueniat, pleuritim monstrat, quæ sedem febris comitatur: idem de siti & nausea. Demum si ea, quæ vomitu excernuntur biliosa fuerint, vel æruginosa; & si iis excrementa hepatica succedunt clarissimum de hepatis inflammatione est argumentū. Neq; in inflammatione iecinoris adest dolor punctorius; neq; pulsus adeo durus, qui & serræ modo tactum secet, velut in morbo laterali. Tussis in iecinoris inflammatione perpetuo est sicca. At exempla infrascripta hæc melius docebunt.

Observatio VIII.

De hepatis inflammatione admodum calida, in parte gibbosa.

1.

Vir quidam istis diebus ex calida inflammatione hepatis laborabat; idque in parte gibbosa: quod ex istis signis percipiebam: in dextro hypochondrio quidem dolebat, qui dolor etiam tactu percipiebatur, signum satis magnæ inflammationis; at si in sinistrum latus decumberet, magis dolebat, ita vt neque in dorso diu iacere posset: & inter spirandū dolor magis accrescebat, & ad dextræ partis iugulum ascendebat, tumore quoq; exiguo ad figuram lunarem apparente; hoc enim soli iecinori proprium est, vt tumoris cumulū vniuersum habeat circumscriptum, vt diximus. Tussim præterea siccā patiebatur; aderat & sitis, ac febris continua, ita vt neq; probe dormiret. Quo malo cum vltra duodecim dies conflictatus esset, metuimus, ne in abscessum aut duritiem, vel hydropem malum terminaretur; nam vix aut difficulter posse resolutione terminare dubitabam: & quia principium videbatur transactum, magis de abscessu metuebam; atq; suspensum me tenebat, nūquid hic venæ sectio adhuc esset adhibēda: & quia ventrē minime laxum habebat, sed durum, nunquid purgatio hic conuenire posset; cum potius si gibba pars hepatis laboret, lenibus vrinam cientibus auxiliemur, sed non prius quam cōcocta sit materia; in caua autem eius parte, nisi procedente tempore, & non ante quartum, vt aliqui volunt, solutiua valida exhibenda sunt cum vsq; ad illum diem humores in fluxu sunt, qui pharmaco solutiuo excitati ad magis fluendum excitarentur. Si cauum itaq; eiusdem visceris afficiatur inflammatione, procedente tempore per ventrem eos vacuare licebit, ex eiusdem Gal. sententia, lib. 13. method. quem sectatus est Paulus: licet eandem purgationem per aluum, cum iecur phlegmone laborare incipit, tanquam valde nociuam, cum maximam excitaret phlegmonem, eodem loco prohibuerit; quæ tamen vacuatio, cum videlicet phlegmone iam concoquitur vel inclinauerit, partim per clysteres fieri poterit, partim per ea medicamenta, quę per os sumuntur, vt eisdem auctoribus visum est; quos clysteres primum quidem ex aqua mulsa cum sale fieri præcipiunt, postea vero, in remissione videl. hyssopum vel origanū vel minus centaurium, vt cnicum seu colocynthidem imponi iubent. Sed tutius nos hoc vel simili clysteri vtimur.

2.

℞. *folior. maluæ, althaæ, betæ, viol. an. m j. mercurialis, centaurii minor. an. m. ß. prun. n. xiij. coquantur in aqua com. pro ℔ j. addendo olei amygd. dulc. viol. cham. an. ℥ j. mellis rof. ℥ ß. cass. mund. ℥ j. diacath. ℥ ß. salis pa u. fiat* clyster. Vbi vero per clysteres phlegmone non curetur, Gal. audacter dat, 13. meth. med. in cibis vrticam, mercurialē, epithymum, filiculam seu polypodium, & reliqua, quæ scribit modice aluū deiicere. Verum in remissionib. tum iis ipsis audacius, quam antea vtendum; tum verò, q̄ iis sunt valentiora, partim in ptisana coctis, partim tussis ac in mollissimum puluerē redactis; quę vel ex ptisana, vel ex aqua exhibeantur. Idem quoq; Gal. filiculæ aliquid in ptisana, ac nigri veratri corticē aliquando incoxit, ac præbuit. Atqui nostris temporibus mitiora ac tutiora medicamenta comperiuntur, quibus vti poterimus; vt manna, cassia, fistula, syr. ex plur. infus. ros. purpurearum tum persicarum, ac etiam rhabarb. Hic vero cum aluum siccam haberet, etiam in gibbo exsistente inflammatione, vētrem omnium primo emollire oportebat, cum iam principium transiisset: & ideo etiam iuxta Auic. præstat hic ante omnia, vt venter competenter teneatur laxus; qui sic dicit: *Caueas dimittendo naturam restrictam, in hoc enim est nocumentum maximum, & in ipso est horror: & non dimittas eam resolutam superflue, & cadat virtus, & gliscat natura: imo superest tibi, vt soluas strictam cum qualitate, & constringas solutam cum æqualitate.* Bonum est ergo, licet inflammatio seu apostema sit in gibbo, vt venter teneatur laxus, cum suppositoriis aut clysteribus lenibus, aut cum diapruno, scilicet simplici, cassia, fistula vel diacatholico. Cum igitur aluus hic adstricta esset, libenter hunc clysterem vel similem iniecissem. ℞. *maluæ, bismaluæ, folior. viol. an. m j. cucum. cucurb. an. m. j. prun. sebesten an. nu. xx. quat. sem. frig. maior. an. ℥ ij. sem. anisi ℥ ij. flor. chamomill. viol. an. pil. j. fiat decoctio in ℔ j. in aqua dissolue mell. viol. zacchar. cassia, ana ℥ j. olei viol. ℥ ij.* misce, clyster hic mollis est, leuiter detergens & refrigerans, sensimque aliquid excrementorum euacuans: quem tertio quoque die Rondeletius, si aluus durior est, iniici iubet. Et quamquam præcipue conueniat, si inflammatio sit in caua aut splene; valet tamen etiamsi sit in parte gibbosa, vbi venter strictus est: Verum cum clysterem non admitteret hic æger, dedi hanc potionem. ℞. *syr. ex infus. ros. pallid. cum rhab. ℥ j. cassiæ fistulæ recens tractæ, diacath. ana ℥ ij. aqua cichorii ℥ iij.* misce: fiat potio: qua satis aluum deposuit, & materiam biliosam excreuit. Altero die, quanquam venę sectio in principio neglecta fuerat; tamen, considerando sanguinis abundantiam, & vires adhuc constare, sanguinem detrahere mihi vtile visum fuit; licet omnes auctores & inter eos Auicenn. venæ sectionem hic tantum in principio commendent. Et quamuis principiū iam transactum erat, ita vt aliquis timere posset de saniatione, vt ita dicam cum Auicenna: tamen venæ sectio etiam conuenit

3.

4.

5.

egregie in dolore intenso, si sanguis abundet, & vires adhuc constent, eodem Auicenna auctore. Memini ex scriptis M. Ioan. Tyengii, quod ille in muliere 40. annorum, cum tribus mensibus apostemate hepatis laborasset, cõmode venam basilicam in dextro brachio misit; quamquã & illa tussi sicca laboraret: tamen aliquid sputi sanguinolenti (licet in gibba hepatis inflammatio & apostema esset) vna cum tussi emittebat; quemadmodum & filius illius Berosi doctoris magnifici, ann. 12. natus, apud Amatũ, qui etiam in gibba parte hepatis inflammationem patiebatur, vna cum tussi & sanguinis screatu: cui licet in principio ad vncias 5. vena cubiti secta fuisset, tamen postea cum in iocinere doleret, cum inflammatione gibbæ partis, post clysterem iniectum, denuo sanguinẽ ex vena, quæ inter digitum annularem & minimum repit, vncias quinque sanguinis cum maxima vtilitate detrahere mandauit: cuius totam vide historiam, quomodo is puer curatus fuerit, *cent. 4. cur. 1.* Postquam igitur venam in hoc nostro ægro secari fecissem, exhibui decoctum sequens, admodum iuleb. ℞. *end. cichorii, lactuca, acetosa, ana man. j. rad. cichorii, fœniculi, ana* ℥ ß. *semin. 4. frig. maior. ana* ʒ j. *cassutha* ʒ iij. *spicanardi, schœnanthi, ana* ʒ j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *colatur. adde oxyzacchara simplicis* ℥ iij. *misce pro 4. dosibus.* Postea addidi magis aperientia & diuretica: *vt syrup. de byzantiis, acetos. compositum,* & aliquando hunc syrupum: ℞. *aqua endiu. absinthii, fœniculi, ana* ℥ j. *syrup. de end. de byzantiis, oxyzacchar. ana* ℥ ß. misce, fiat syr. Oportet autem in declinatione (*vt latius in scholio dicemus*) etiam diuretica hic adhibere, *vt syrup. de end. compos. capill. vener. & de byzantiis, cum decoct. semin. 4. frigid. maior. cum radic. graminis, apii, & petros. ac similibus.* Interea purgaui etiam illum, ante diuretica, cum infus. rhabar. adiecta schœnantho. Et quia principium pertransierat, quo ad topica, licet ab initio magis repellentia profuissent, vt inunctio olei ros. lentiscini aut melini; nos potius nunc oleo ros. adiecimus primum oleum amygd. amar. & absinthii, deinde etiam cotoneorum & mastichinum, aceto albo parum immixto: etiam hoc epithemate, vel simili vtentes. ℞. *ros. rub. cichorii, end. an. p. j. flor. chamom. meliloti, absinthii, anethi, ana p. ß.* bulliant in aqua pluuiali: demum adde *succi cichorii* ℥ iij. *aceti albi* ℥ ij. *misce*: fiat epithema. Postea & hoc fotu seu epithemate, aut simili, vsi sumus. ℞. *florum chamomill. meliloti, ana man. j. extremitatum absinthii, florum ros. agrimonia seu eupatorii, centaurii minoris, ana m. ß. fœnugrac. sem. lini, spica, schœnanthi, ana* ʒ ij. fiat decoctio in aqua pluuiali, pro ℔ ij. adiiciendo *aceti optimi* ℥ ij. *pro fotu.* Facta fomentatione, cum pannis calidis locus exsiccatus his oleis inungebatur. ℞. *olei chamomill.* ℥ j. *olei amygdalar. dulc. & absinthii, ana* ʒ ij. misce, & inunctione peracta apponebatur ceratum, ex duabus partibus emplastri, de meliloto, & vna parte cerati seu vngu. santalini. Atque hoc modo accidentia postea cœperunt diminui, & anhelitus facilitati; & dolor minuebatur, somno ac appetitu redeuntibus, ac febre cessante. Interea tamen post purgationem, ad hepatis roborationem, & caloris alterationem, subinde sumebat rotulam vnam specier. diarod. abbat. in tabulis. Et ita liberatus fuit ab inflammatione, per modum resolutionis, absque suppuratione.

6.

7.

SCHOLIA.

Quoniam de signis iam egimus, restant adhuc signa prognostica: quę & acutorũ affectuum hic generalia sunt: vnica enim salus est, virium robur, *vt 10. meth. med. habetur.* Hinc noster hic æger, cum adhuc virib. valeret, ab hoc morbo, licet primo ingressu difficilis videbatur, sanatus est. Ideo viribus imbecilli, vt senes & graciles & biliosi, aut peribunt, aut in tabem transibunt, vt nos sæpe vidimus in multis; *vti constat 3. epid. 2. 5. & 1.* præsertim si ex erysipelate laborant, *vt 5. de loc. 6. constat.* At sciendum, quod signa quoq; erysipelatis sunt maioris & minoris ratione differentia; non modo enim acuta febris inde eueniet, sed prorsus ardens; & sitis, & reliqua de lingua, quæ æstum insequuntur, longe grauiora, vnde & erysipelas periculum magis quam inflammatio decernit; vti & in libris nostris de febribus ostẽdimus. Pessimum quoq; hic, vt & in inflammatione, signum est, extrema refrigerari, cum medium corpus vritur; & cum pedes subinde nudant, cum sint frigidi. Sunt & aliæ quædam notæ quę generatim in acutis ponuntur, *1. prog.* Vomitus vero niger, pessimus, vt & porraceus: magnam enim adustionem significãt. Morti vero proximis intumescit vẽter; rupto abscessu: & sudant sudore frigido circa collum, & faciem; & linquuntur animo, vt Bellamarto apud Iacchinum contigit. Generatim vero morbus periculum grande minatur. Spem facit sanguis de naribus large fluens, præsertim tempestiue, id est, post coctiones & sudores *3. de crisib. 3.* Coctiones vero in vrinis cognoscũtur, *vt ibidem habetur.* Hippocrates de hoc morbo *aph. 12. lib. 7.* ita suum prognosticum facit. In hepatis inflammatione singultus malum. Quod nos obseruauimus in rustico quodam, qui cum valde singultiret, & senex esset, mox moriebatur. Interea tamen non semper singultus iocinoris inflammationem comitatur, sed quando ea in magnitudinem attollitur ac feruescit: in quo feruore stomachus ad cõpassionem trahitur, nonnunquam propter neruorum communicationem. Quare, *vt Galen. comment. eiusdem aph. dicebat,* tunc solũ compassio fit stomacho cum hepate, quãdo inflammatio & maxima & pessima fuerit: nonnunquam etiam bile multum calida & multa, in huius visceris inflammationibus genita, ac confluente ad intestinorum principiũ: qua superfluitante, atq; ad ventriculum recurrẽte, contingit os eius morderi, atq; ideo singultire. Quidã autem arbitrantur magnitudinem inflammationis ventriculum premere, ac singultum facere, nõ habente exitum spiritu. Verum ex quacũq; caussa singultus fiat propter hepatis inflammationem, semper malum est; quoniam eam maximam atq; pessimam esse significat, *Galeni auctoritate, præcitato aph. & comment. aph. 58. 5. lib.* Si vero iocinoris inflammationem vehemens atque acuta febris comi-

8. *Signa prognostica.*

9.

Singultus in hepatis inflammatione malum.

10.

comitetur, malum quoq; est: nam valenter idem viscus inflammatum esse ostendit. Quemadmodũ si eadem febris exigua & non acuta fuerit, minus malum portendit, quia exiguã quoq; inflammationem significat: propterea q inflammationum magnitudinem perpetuo febris ex proportione consequitur, *Gal. teste 2. prorrh.* At eadem febris acutissima, vehementissimaq; si fuerit, ac vehementissima siti laborantes excruciet, pessimum erit indicium, quoniam inflammationem erysipelatis participem, aut ipsummet erysipelas in iecinore ortum significabit, quæ febres magna ex parte (*vt liquet 5. de loc. affect.*) in tabem transmutantur. Idemmet *Gal. 10. meth. med.* de iecinoris inflammatione scriptum reliquit, quod si in abunde calido & sicco corpore generetur, potissimum, si notatu digna fuerit, omnino æger morietur. Et quamquam sanguis e naribus fluens (*vt paulo ante diximus*) post signa coctionis bonum sit; & coctiones in vrinis, tum alia signa critica sint salutaria: vidimus tamen nos aliquando, quibus labia ante coctionem exulcerabantur, periisse, & etiam post coctionem similiter mortem incurrisse. Ideo si in abscessum vertatur, lethale est, cũ ad carnem vsq; hepatis corruptio pertingat, vt postea exemplo declarabimus: vt etiam si pus simile appareat fæci olei, vel vt amurca fluxerit, ex incocta putredine proprie illius substantiæ, *vt exemplo ostendimus in lib. nostris de febribus.* At si pus intra tunicas contineatur, nihil patiente substantia hepatis, vacuato pure liberantur omnes. Neq; enim necessarium est hepate suppurato hominem interire, nisi magnum sit vitium. Vnde dicit Hipp. *2. de morbis*, Pulmone suppurato, vel hepate, si album & purũ pus effluat, fibris etiam cruentis intermistis, ægrum cõualescere; si vitello oui simile, & subuiride pus, crassum ac subfœtidum, mori. Nam pus album alteratricis robur ostendit, & victoriam naturæ. At phlegmon quoq; seu apostema periculosius est in cauo, quam in gibbo: vomitum enim excitat periculosum; & sitim, & colicos dolores, & nauseam mouet. Alii gibbi vomicam magis exitialem putant, ex loci nobilitate ac actionis dignitate, quoniam vis concoquendi ac distinguendi dispensandiq; in ea parte a natura sita est: nam & principalibus membris annectitur: vnde eorum communicatione cauo præfertur. Sed iecoris duritia omnibus affectibus deterior habetur, si malũ præsertim vetus est. Quicumq; fuerit abscessus, qui in vomicam transit, fere nunquam sanatur. In quauis quoque iecinoris inflammatione, si crudo etiam num morbo, & virib. infirmis, alui oritur profluuium, malum. Inimica etiam corporis liquatio, præcipue si vel raucitas, vel multa simul tussis accedunt. Mortiferum est spumantem sanguinem exscreari, vel sputum statim subputridum, vel syncere biliosum esse. Sanguis tamen vomitione redditus salutem interdum denunciat: id semel vidimus in muliere annos paulo plus quam 40. nata: quæ etiam per inferius sanguinem excreuit, & fuit nostra industria curata. Ita & purulenta deiectio quibusdam salutem attulit. Verum si huic morbo ventris fluxus superuenerit, nisi fuerit iudicialis, lethalis est. Si iecoris abscessus ad lienem transitum fecerit, non improbatur, quod e diuerso perniciosum est; nam vomica iecoris nunquam ferme sanatur. Ita & singultus, sequens (*vt paulo ante admonuimus*) apostema hepatis, vt plurimum mortem prænuntiat. Et apostema hepatis si prolongetur, perducit ad hydropem, vt multis exemplis conspeximus. Ita si inueterato apostemate sequatur ventris solutio, lethale quoque malum est. Neque aliquis euadit ab apostemate duro & confirmato: multoque minus si carcinoma adfuerit. Nam velocius interficit, queadmodum & exitura notabilis propinqua magis desperationi exsistit, quam spei. Quanquam alia apostemata hepatis, vt plurimum sanantur, si recte regantur, potissimum si neque in principio curationis error committatur. Quæ vero apostemata sunt dura, melancholica, diuturna, indurata, desperata habentur: quanquam secundum aliquos, ab initio curari possunt. Omne enim apostema hepatis, quod non curatur ab initio, caussa hydropis exsistit. Ita omne apostema generat oppilationem: oppilatio indigestionẽ: indigestio aquositatem: aquositas hydropem, *teste Gordonio: quemadmodum & citatur a Grado.* Vbi maxime coniuncta est debilitas expulsiua hepatis, & in eo, q ad saniem conuertitur, *dicente Auicenna*, non speres salutem, cum hepar sit fons virtutum naturalium; ad quarum perditionem sequitur mors. Post apostemata dura & ad saniem conuersa, difficilius curantur biliosa, ob sæuitatem accidentium: deinde pituitosa, postea sanguinea: licet pituitosa habeant remissiora accidentia, quam sanguinea: sunt tamẽ deteriora, ob diuturnitatem & materiæ inobedientiam. Sed hæc postea exemplis clariora euadẽt. Nunc quædam addamus, quæ ad generalem curationem inflammationis hepatis pertineant. Exquisitissimo omnium primo victu hic opus est; æq; ac si ventriculus sic laboret (*Galeno teste*) quoniam munus eius visceris tot animali est commune, acciditq; omnib. animalis partibus maximum incommodum, vbi non probe cõcoctum alimentum sit, siue non in sanguinẽ rite fuerit conuersum, *vt ab eodem Gal. 13. meth. med. decretum est*: qui alimentum ibidem tenue & non mordax elegit; & abstinet ob angustiam venarum in iecinore, ab astringentibus, quæ constipant: & glutinosis cibis, qui obstruunt. Prisanam, & eius cremorem, commendat: alii & in iure gallinaceorum pullorum coctam, si vires imbecilles sint, & phasianorum, & sternarum, iuuenum columbarum, perdicum, turdorum, merularum: tunc gustet, vel contusum earum carnium, intubo vel cichorio, lactuca, incoctis: præcipue si inflammatio feruens sit, seu erysipalatis particeps. Ab astringẽtib. cauebimus; vt succo granatorũ & alica. Quod cum vniuersaliter in omni phlegmone iecinoris sit verum, maxime tamen verum est, vbi cauæ partes laborant: quoniam integris viribus adhuc eo alimenta perueniunt, siue astringant, siue obstruant: sed & meatus, *teste Alexandro*, quibus

11. 12. 13. 14. 15. Curatio. Victus ratio.

expurgatur bilis in ieiunum, obstruunt, contrahuntq; tumores,&ad discutiendos difficiles ipsos reddunt. Adde quod semper fames elui debent, quę in venas effluunt in apostemate, ob id malum punicum & Alexander & Galenus vitans. Sic & vinum pro potu summopere vitandum, vt quod omni feruenti inflammationi in totum sit aduersum, *eodem Alex. auctore*, sed pro potu aqua hordei vtendum, aut aqua, in qua prius cichorium aut intubum fuerit decoctum, vel etiam parum radic. glycyrrhizæ. Confert item, vbi eiusdē visceris gibba fuerint inflammata, pro cibo ptisanam, aut eius cremorem, cum apii decocto exhibere, quoniam modice vrinam mouet; & semina citrulli, peponis & magni cucumeris: Hæc enim & per vrinas vacuant. Reliqua vero, quæ ad victus rationem pertinent, si ad caput de ventriculi inflammatione confugias, scripta reperies. Interea præcipue somnus in principio accessionum vitandus; quoniā fluxiones auget; quæ eo tempore maxime ad intra feruntur. Vt & cibare eo tempore maxime lædit, *11. meth. vltimo*. Quod ad reliquam generalem curationem attinet, curatio ipsa resumet eosdē scopos, atque in ventriculo: nempe vt inhibeatur generatio phlegmones, & sanetur, quod ipsius est factum. Inhibemus vacuando & auertendo fluxionem, si ex ea caussa oriatur; & astringendo & roborando partem ne recipiat. Fiet autem vacuatio & auersio, ex vena basilica dextra, vt rectitudo seruetur. Sic enim natura optime agit, *vt experientia monstrat in lib. epid. & testatur Galen. lib. de vena sect. & 3. de crisib.* quod vero reuellat & vacuet, *etiam docet Galenus 11. cap. lib. 13. method.* Quod si neque interna cubiti vena se ostendat, etiam media vel humeralis secanda, *13. method. quod & sequuntur Aetius, Paulus & Alexander.* Rondeletius quoque inquit: Curantur inflammationes hepatis & lienis larga sanguinis missione, e directo partis affectæ. Iuxta eundem cucurbitulæ quoque sunt in vtraque affectione coxis affigendæ, ad diuersionem. Modum vero vacuationis, tum ex redundantiæ modo, cum ex ætate, tempore anni, natura, regione, consuetudine, & ante hæc ipsa laborantis virtute, inuenies: *vt eidem Galen. visum est*, quoniam, si id ferre queunt, semel quantum satis est, detrahendum; si vero non, per vires partium, *teste Aetio*. Hæc autem venæ incisio oportune in prima & secunda die contingit: si vero dolores vrgeant, & adsint vires, etiam septima die venæ incisionem facimus; vt ipse inquit, & nos etiam nunc exemplis docuimus, si malum adhuc magis protractum fuerit, modo vires ferant. De purgatione satis dictum est in Obseru. præcedente: quæ licet in principio nō ita conueniat, tamen quarto die facienda. Etiam aliquando in principio, si aluus adstricta est; cum lenientibus tamen medicamētis. Quod ad topica attinet, statim post venę sectionem in principio ad ea confugiēdum est, quibus vacuari possit, id quod in phlegmone obsessa parte continetur. Hæc namq; communis est indicatio curationis omniū phlegmonarum, (vt sæpe diximus:) nam priusquam totum corpus a recrementis liberum fecerimus, cauendum est, ne ea applicemus, *vt Alexander inquit*. Pessime igitur faciunt, qui in corpore repleto ante venæ sectionem ea applicant. Si enim hepati apponantur aliqua frigida, ante venæ sectionem: metuenda est maior conculcatio humorum, quo postea malum minus resoluetur. Et ita in topicorum adhibitione duo perpetuo obseruanda sunt, quorum primum est, ne frigida admoueas, etiamsi inter initia adhibeantur; alias magis noxæ, quam vtilitatis caussę erunt. Auctores volunt apponi eadem astringentia quæ ventri; tum fotus ex tepentibus, *vt Galenus scribit*. Contra *10. lib. cap. 7.* vtitur etiam in phlegmone, contra rationem nostram supra, vbi diximus verificari de erysipelate dictū *libri 10.* Respondeo, verum est, quod diximus, securum vsum non esse, nisi in erysipelatis: at in phlegmonis non tuto fieri, sed cura coacta, præponendo minus malum; vt frigida potatur, ob periculum, ne æger incidit in marasmum. At *lib. 9. c. 5.* prohibet in phlegmone, suadet in erysipelate. In phlegmone itaque actu frigida non sunt applicanda. Secundum est, quod eadem medicamenta nunquam absolui debent ab his, quæ mediocriter astringendi vim habent, indicatione sumta a parte affecta, propterea quod iecur animalibus altricis facultatis principium sit, & venosum ab hoc oriatur genus, vt ideo eius robur seruandum sit. Quo fit, vt etiam eo tempore, quo quicquam amplius non influit, nec illud quod in laborante particula continetur repelli possit: adhuc mixtæ facultatis esse debeant medicamenta, *vt ex eodem Galen. liquet præcitato libr. 13. method.* Nam coeuntibus vna contrariis indicationibus, compositum quoque esse medicamentum oportet: illo etiam tempore clysteres, iidemque leues, iniici debent; maxime si non sponte egerat aluus. Aetius in primis illinit regionem hepatis extrinsecus oleo rosa aut œnanthino, aut myrteo: procedente tempore, eodem oleo, seu cydoniorum cum mastichino aut chamæmel. & sumta a situ visceris indicatione, parum aceti aut vini albi admisto. Eodem tempore adhibet cataplasmata, vti & Paulus facit, ex farina hordei, fœnugræc. cum palmulis, cotoneo, meliloti flor. absinth. & chamæmelino aceto adiecto, vel in mulsa decoctis. Et si vehementior sit ardor, mala cotonea & rosaceū oleum aut cydon. vna cum foliis plantag cichorii, intubi addunt; & fotus parant: de quib. eosdem auctores consule, & Rondelet. qui multas formulas habēt. Cum autem iam remittitur morbus, ad ea, quæ dissoluunt, mistę tamen materiæ cum adstringentibus, deueniemus; qualia sunt, quæ supra descripsimus: cerata quoque & cataplasmata ad ventriculum. Illud quoq; perpetuo animaduertendum, quod quantum inflammatio a principio suo recedit, in tantum relaxantia, seu digerentia vires præsidiorum adstringentiū vincere debent; licet semper (*vt diximus*) ea mixtæ facultatis esse necessum sit. Procedente vero tempore, si in gibba visceris parte phlegmone cōsistat, vbi phlegmone iā concoquitur, non solum eis, quæ modice vrinas mouent

Margin notes: 16. — *Curatio generalis.* — 17. — *Vena sectio.* — 18. — *Purgatio.* — *Topica.* — 19. — *Quæ animaduertenda sint circa topica medicamenta.* — 20. — 21.

uent (*vt diximus etiam antea*) sed etiam valentioribus vti licebit; asaro, inquam, nardo Celtica, phu, hoc est, valeriana, petros. smyrnio & meo *ex Gal. auctoritate*: insuper oxymel dandum, *ex Paulo*; vel cum decoctis herbarum dictarum, syr. de byzantiis, de tribus rad. de eupat. Si in cauo, tempore præcedente, potius purgabimus, eodem modo, quo antea docuimus. Verum vbi neq; eisdem inflammatio cōquieuerit, seu ad suppurationem permutetur, adiuuare naturam oportet, vt quam celerrime puris generatio fiat. Cum autem perfecta suppuratio fuerit, abscessus quoq; rupturam adiuuare oportet, & post eius eruptionem, per eandem viam, per quam puris transmutatio contingat, iuuanda quoq; natura erit, siue per sedem aut vrinā, aut etiam os, transmissio fiat: quibus vero medicamentis eadem perficere oporteat, copiosissime ab Aetio, *cap. 4. lib. 10.* scriptum est, ac etiam a Paulo præcitato loco. Si vero in scirrhi naturā prædicta inflammatio vergat, eius curationē postea docebimus. Quod si fluxionis ad ipsum iecur caussa ex ipsomet oriatur, adeo, vt propterea ad ipsum multū cōfluat sanguinis, ac phlegmone generetur, ne amplius phlegmone increscat, auferri hæc quoq; caussa debet primo. Hoc autem bifariam esse poterit, aut propter aliquem calorē præter naturam in ipso iecinore existentem (& huc transferri possunt quę de calida intemperie ante dicta sunt) aut propter eiusdem dolorem (quibus autē dolor aufertur, postea latius dicturi sumus, cum de dolore hepatis agemus.) Quæ vero ex his caussis phlegmonem excitat, eam prius pro eius curatione auferre tentabis, *vt eodē 13. meth. med. a Gal. scriptum est*: & deinceps ad prædicta topica medicamenta te conuertas. Quæ, *inquam*, omnia multo adhuc clariora exemplis infra dicendis patebunt.

22.

23.

OBSERVATIO IX.

De iecinorū inflammatione, cum obstructione, & febre continua, licet lenta, tendente ad apostema, in quo metus erat etiam de suppuratione.

1. IOannes Georgii, faber, monoculus, vir triginta octo annorum, potor ceruisiarius, si quis alius, egregius, Alcmariæ, in platea Lutconteropia sic vocata, habitabat: qui, cū apud amicos largiter bibisset, anno 1547. mense Maio, in hepatis inflammationem incidit, simul cum obstructione, tendente ad apostema; ita vt foris manifeste appareret tumor secundum lineamenta rotundus; vt ex hoc signo facile de iecinore inflammato, non autem de musculis externis, iudicare potuerim. Cui & aderat dolor vtcumque vehemens, cum grauitate quadam & febre continua, licet lenta, & non valde acuta, ex materia biliosa & pituitosa, cum pauco sanguine admixto, vt mihi apparebat. Ideo glande ex hiera picra, sale & melle, diagridii granis aliquot cuspidi impositis, aluum ad excretionem irritauimus, cum durior esset: mox sanguinem ex vena basilica dextri brachii ad vncias tantum sex extraximus, cum febris continua lenta esset, ex materia crassiore, pituitosa & biliosa: & quamuis plethora similiter laboraret, & victu pleniore prius vsus esset, tamen ad vncias tantum sex detraximus, cum temperamentum eius naturale ad bilem potius, quam ad alios humores inclinaret. Deinde imperaui, vt sequenti potione vteretur vsque in quartum diem, bis in die. ℞. *corticum radic. fœniculi, glycyrrh. ana* ℥ ß. *endiu. cichoreæ cum rad. ana manip. j. cassutæ, scabiosæ, dentis leonis, chamæpit. buglossæ, ana man. ß. flor. cord. flor. rosf. rub. ana p. j. semin. anisi, semin. 4. frigid. maior. ana* ʒ j. *hordei mundati man. j. prun. damasc. quart. j. fiat decoct. in aqua commun. pro* ℔ *j. ß. colat. addendo syrup. de endiu. de cichor. cum rhabarb. syrup. de bizantiis, ana* ℥ j. *misce*. Interea extrinsecus locum dolentem inunximus *oleo ros. cotoneor. chamomill. & anethino simul mixtis*. Quarto vero die hoc præscriptum est medicamentum. ℞. *diaphœnici* (videbatur enim adesse materia pituitosa vna cum flatu) ʒ *iij. elect. de succo ros.* ʒ *ij. diaprun. lenitiui seu simplicis* ʒ *ij. ß. dissolue cum* ℥ *iij. aqua end. addendo syrup. capill. vener.* ℥ *j. misce.* qua potione septies exonerauit aluum, cum maxima alleuiatione. Interim quotidie ter quaterue sequēti vtebatur fotu, cum panno laneo in liquore infrascripto intincto, & expresso, idque moderate calide: ℞. *flor. chamomill. meliloti, flor. ros. rub.* (rosas addebam ad roborationem visceris: nam tunc mihi in mentem venit illius Historiæ Galeni *13. meth. cap. 9.* de Attalo medico Sorani discipulo, qui perperam hepatis phlegmonem curabat: & similiter de apostemate ventoso, quod Gal. phlebotomia curabat, & humido pharmaco, ex chamæmelo, ruta & semine agni) *ana p. j. semin. anisi, fœnugræci, lini, ana* ʒ *j. ß. santalor. rub.* ʒ *j.* coquantur in aqua simplici q. s. & colaturæ expresse adde *aceti optimi* ℥ *j. aquæ end.* ℥ *ß.* iterum bulliant leui & vnica ebullitione; & fiat epithema pro hepate. Quo solo miraculi instar inflammatio, tumor ac inflatio, & omnis dolor euanuere; ita vt neque apostema subsequutum sit aut abscessus. Atque iis tantum remediis dictis sanitatem pristinam æger hic noster consequutus est: quemadmodum & nauta ille, qui in nosocomio Delphēsi longo tempore prius ex inflammatione decubuerat, quæ inflammatio ad duritiem conuersa erat, ita vt apostema in scirrhum mutaretur (post venæ sectionem & alia remedia apta, etiam topica multa, & fotus, & epithemata) cerato ex emplastro de meliloto, de mucculag. & vnguento seu cerato santalino, partibus æqualibus mixtis, adiecta pauca mastiche, ros. & oleo chamomill & liliaceo, etiam a duritie satis diuturna curatus fuit, vt in scirrhū non transierit, magna cum nostra laude, & a dolore & inflammatione, etiam tumore diuturniore, ac duritie, egregie curatus fuit.

2.

3.

SCHOLIA.

4. *Apostematum hepatis discrimina.*

APostemata hepatis, iuxta eos, qui Arabum decreta sequuntur, easdem distinctiones, differentias ac species fere habent cum ventriculi apostemate; quamuis & ea, quæ in hepate fiunt, distinguuntur penes locum, vt nunc diximus, in quo fiunt, vel in gibbo, vel in cauo, vel in partibus suspensoriis, vel in membrana hepar cingente, vel in venis eius, vel substantia. Deeo,

quod cauum vel gibbum occupat satis diximus. In membranis autem magis dolent, & febrem ardentiorem experiuntur. In hepatis carne pulsus mollior, febris ex putredine diuersa, magis putrida, & dolor magis grauans: quibus modis differat a pleuritide, & a musculis abdominis, dictum est:

Differentia inter apostema hepatis & abdominis.

nam tumor in apostemate myrach seu abdominis leui compressione sentitur; hepatis vero, cum in profundo sit, magna compressione. In musculis visui subiiciuntur: in hepate minime, nisi in gibbo vt hic in macilente figura lunari, in musculis oblonga, nec illi ita siti aut febre excruciantur.

5. *Differentia apostematis hepatis & venarum mesaraicarum.*

Differt quoq; apostema hepatis ab apostemate venarum mesaraicarum, quamuis in signis plurimum conueniant, scilicet febre, grauitate, dolore & similibus. Est tamen apostema venarum mesaraicarum cum minori febre, minori grauitate: & ipsum sequitur fluxus chylosus vt plurimum, & magis extenuatio quam cachexia aut hydrops, quæ hepatis apostema sequuntur; neq; tactui subiacet, vti hepatis apostema. Alia quoque distinctio est penes materiam ipsam; nam est vel sanguineum apostema, vel biliosum, erodensq; vel pituitosum aut melancholicum, vel vẽtosum, modo per viam paulatinæ congestionis, modo per viam defluxus. *Vide Gradum & Arculanum ac alios.* Quibus & hæc diuisio accedere potest, modo magnum, modo paruum, modum mediocre. Et quod ad distinctiones temporum attinet, aliud est in principio, aliud in augmẽto, statu aut declinatione; aliud recens, aliud diuturnum; benignum, malignũ, corrodens, corrumpens. Quibus additur & differentia terminationis, vt per viam vrinæ, sudoris, fluxus sanguinis narium, cũ sensibili expulsione: idque in gibbo frequenter; in cauo per fluxum ventris, vomitium. Vel resoluitur, vel maturatur, ac abscedit, & in pus vertitur: vel in scirrhum aut duritiem transit; aut corrumpitur: qualia quoq; de aliis inflammationib. & apostematibus dicta sunt prius, cum de ventriculo ageremus.

6. *Calidi apostematis & abscessus signa.*

In apostemate calido vel abscessu, oculi sanguine vel flaua bile suffusi, lingua rubra, & increscente morbo nigra, facies decolor, & aluus vario colore turbata: animus deficit, singultum & frigus in membris exterioribus: vrina purpurea, subrubra, spissa, cũ liuore, æger valde sitit, *iuxta Hippoc.* & in calido abscessu aut duro, dolor ad iugulum ascendit, & annexas scapulis costas; præcordia contrahit: æger supinus, aut in dextro latere tantum, quiescit: in sinistro magis dolet: febris importuna ac sitis; vrina lucida, modo crassa.

Frigidi.

In frigido grauitas sub hypochondriis dextris, arida tussis, non sine febri ac siti, sed leuiore, facieiq; pallore.

Phlegmatici.

At in phlegmatico, color plumbeus corporis, facies ac genæ inflatæ, pulsus mollior; febricula leuis, sine siti, vrina crassa, alba; cibi tædium, nausea: quib. si vitæ ratio & alia cõsentiant, certius est iudicium.

Melancholici.

Si a melancholia, maior durities, põdus a cibo; vrina tenuis, diluta; pulsus tenuis, nullum cibum desiderium, color fuscus totius corporis.

Biliosi.

Ex bile si fiat, ea, quæ de erysipelate diximus, huc transferenda: inflammatio ingens est, tabe membra conficiuntur; vigiliæ, excedens sitis, ardor, lingua arida citrina, febris continua, & de tertio die magis exasperans, pulsus durior.

7. *Sanguinei.*

Ex sanguine, dolor minor, quam in bilioso, linguæ color rubens, postea denigrescens: vrina conturbata, rubra, superius liuescens: venæ extuberãt; pulsus plenus, magnus, velox, frequẽs; potiusque vndosus quam serrinus: maior tumor, minor grauitas, dolor magis extendens, quã pungens; febris conclusa, continua.

Ventosi.

Ventosum dignoscitur ex dolore extensiuo absq; grauedine, cum pauca aut nulla febre.

Signa temporum apostematis hepatis & maturationis & indurationis.

Signa vero temporum apostematis hepatis, vti indurationis, resolutionis, permutationis, & maturationis, habentur ex iis, quæ de pleuritide a nobis tum aliis auctoribus dicta sunt. In principio accidentia sunt remissa. Postea intenduntur: deinde remittuntur cum resoluitur. Et si dolor nõ diminuitur ex remediis aptis, tunc ad saniem conuertuntur, & magna ex parte lethale habetur, vt de vlcere hepatis dicemus. Hoc satis est hic admonuisse, si increscit phlegmon ac sentitur suppurare, dolor increscit, hypochondria magis protenduntur, frigore enormiter corripitur æger: cui in sinistrum latus recumbere grauissimum est, aperto pure, per vesicam subito putris materia prorumpit, vel membrana disrupta in concauum ventris labitur, vt de vlcere latius dicendum. Si induretur, grauitas sine febre manet, & extenuatur corpus, & vrina minuitur.

8. *Signa præsagientia.*

De prognosticis signis dictum est prius: præsagientia habentur ex corporibus habentibus venas strictas, qualia sunt corpora pinguia, parata incurrere obstructiones, intemperaturas, dolores, & hepatis apostemata: & quicunque vtuntur cibariis crassis, viscidis, potu vini potentis, & a cibo inordinato motu, huic malo obnoxii sunt.

Caussæ.

Ex quibus iam dictis etiã facile caussæ omnes patent apostematum hepatis per essentiam; vt sunt, mala intemperies calida, humores ad se attrahens; frigida, debilitans coctionem & vim expulsiuam; oppilatio, retinens & figens humores in hepate; dolores, materiã trahentes ad locum. Vel fit per cõsensum, vesica fellea obstructa, & felle ad hepar regurgitante: vel humore melancholico ex splene ad hepar transeunte, vel ab aliis membris ex vtero mensibus restrictis; ita & fit a renibus, vel ventriculo, chylo nõ bene præparato, vt sanguis ex eo fieret: aut ab hæmorrhoidibus restrictis.

9. *Externæ.*

Sed præter has aliæ etiam sunt caussæ externæ; vt percussio, casus super hepar, ventosa corpore pleno hepati, vt sæpe contingit, a medicis imperitis admota in hepatis dolore, quæ attrahit materiam apostema inferẽtem, etiam in plethoricis ad sanguinis e naribus fluẽtis restrictionem: fieri etiã potest ex calidis emplastris vel epithematibus, hepati corpore plene impositis; vel quoq; ex nimis frigidis vnguentis atq; fotibus, constrictione materiã impingentibus.

Primitiuæ.

Suntq; & hæc caussæ primitiuæ, vt torsio, percussio, obuiatio, & strictio fortis ac continua zonę.

Internæ.

Vel sunt internæ, vt oppilationes, inhibita materia euẽtatio, vel compositio aut paruitas hepatis.

Antecedentes.

Ad internas etiam pertinẽt antecedentes, multus sanguis calidus, bilis, vsusq; calidiorũ ciborum, intemperies cali-

calida cum febre, bilisq; retentio in vesica fellea; tum alia multa: cibi styptici, viscosi, frigidi, exercitium a cibo, venus, phibitio euacuationum cōsuetarū: ita & caussę ventositatis & debilitatis patent ex iis, quae de ventriculo diximus. Cōiunctae caussae apud Arabes sunt ipsi humores: de quibus omnibus consule Valesc. & alios practicos, Arculanum & Gradum: qui & varias curandi intentiones ponunt, exque iis alii septem, *vt Gatenaria*: nēpe, vitae institutum, quodq; augmentum apostematis inhibeat, *diuersionem, repercussionem, digestionem, euacuationem, resolutionem, remotionem malae intemperiei*. Alii in tres partes tantum curationē partiuntur: in eam, quae caussam antecedentem respiciat ac tollat; deinde in eam, quae cōiunctam respiciat: denique in illam, quae vtriq; communis sit. *De quibus vide Arculan.* Primam absoluit euacuando per venę sectionem, & per euacuationem ventris, in biliosо pituitoso, melancholico: quamuis alii praeponunt syrupos digerentes, deinde purgāt, prout humores in caussa fuerint; etiam postea vrinam cient, pro ratione materiae; vt apud eosdē videre poteris: diuertunt frictionibus, ligaturis, cucurbitulis. Quod ad secūdam intentionem attinet, vtūtur repercussiuis in principio: de quibus etiam canones addūt, *vt Valescus quoq; facit: vt apud eundem, tum Arculanum legere poteris.* In augmento, vsque ad medium status, iisdem repercussiuis addunt resolutiua: & in fine resoluentia, modo apostema resolui possit; alioqui, si maturetur, eam iuuant, *vti Arculan. facit.* Tertiam intentionem, vtrique communem, perficiunt curatione accidentium, & regimine sex rerum non naturalium, aliter tamen procedendo in apostemate sanguineo, aliter in biliosо aut pituitoso, aut melancholico. Sed ne hic longiores simus, eosdem auctores consulito, tam de iis, quae intus, quam extra adhibeantur, pro ratione humoris abundantis, & inflammationem aut apostema inferentis.

10. Coniuncta.

Curatio.

11.

Observatio X.

De hepatis apostemate in abscessum commutato, mox in vlcus malignum, deinde in esthiomenon ac gangrenam, ac tandem in mortem.

1. Famulus ceruisiarii cuiusdam, Delphis misere vltra annum lecto incubuerat, in aedibus, quibus tria candelabra pro insigni erāt, vir annos triginta sex natus. Hic per integrum annū dolore hypochondrii dextri conficiebatur, atq; in autumno febrem habuit non obseruantem typum, lentam tamen; qualis in corruptela substantiae iecoris fieri assolet Durauit deinde haec febris, typū non retinens aut obseruans, per totam hyemem sequentem, quae neq; hominem in vere reliquit, & perdurauit deinde ad aestatem vsque. Fuerat autem hic vsus plurimis & diuersis medicis, vti in morbis chronicis hic maxime fieri solet: ideoq; ei plurima, eaq; varia, a multis & variis descripta fuere. Cum autem per annum, quasi tabe consumtus foret, maximos dolores perpessus, ac tunc faciem ictericis similem haberet, qualis contingere fere solet omnibus iecinorosis; tandem collegam meum Cornelium Ericium, alioqui medicum doctissimum, accersiuit, sed non diu: eoque repudiato, cum opem non sentiret, variorum medicorum empiricorum opera vsus est; ita vt tandem ad extremam atrophiam deuenerit. Cumque ita per annum tabidus miseram vitam traxisset, sub aestatem anni 1561. cum forte fortuna ad alium aegrum inuisendum, qui in iisdem aedibus, in quibus & hic famulus decumbebat, accitus essem, me quoq; consuluit. Sed homine inspecto admirari coepi, cum in vita virum magis consumtum macilentioremq; nunquam vidissem, cui tantum pellis rugosa vna cum ossib. restabat, vniuersa carne consumta, non aliter quam pictores *Diuum Hieronymum* macilentum & exsanguem depingunt. Iecore enim ita contabescente totum corpus tabe absumtum conspiciebatur. Deinde huic quidem viro non solum facies erat citrina, sed vniuersum corpus flauum euaserat, etiam albedine oculorum in citrinum colorem plane conuersa; quod & iecinorosis & ictericis euenire solet. Aderat & huic tussis sicca, admodum molesta, hominem omnino conficiens. Hypochondrium deinde dextrum apparebat durum & valde subtumidum, & omnibus conspicuum, musculis abdominis plane extenuatis & consumtis. Vrina vero tenuis erat, sed supra modum tincta ac ignea, vt vinū rubrum ac diaphanum videretur. Sed & oris siccitas eum molestabat, praesente febre hectica, ac pulsu vix apparente, & magis sub noctē intensa. Id quidem recte docuit Gal. *lib. 1. aphor. 12. in commento*, suppuratos tali febre laborare; cum sic scribat: Et morbo quidem laterali & phrenitidi magna ex parte per tertium diem accessiones fiunt: suppurationibus autem, quae ventri eueniunt, aut hepati & tabi, cotidie & magis ad noctem: qui vero ex liene laborant, & omnino ex atra bile, per quartum. Ceterum huic aegro modo aluus adstricta erat, modo admodum liquida, & plurima biliosa liquationis instar egerebat: postea iterum fuit arida & sicca admodum aluo. Praeterea aderat & cibi fastidium, sitisque inexhausta; ita vt aquam frigidam ac gelidam magna in copia praeter consilium medicorum hauserit. Ad hunc, postquam vltra annum laborasset, ingressus, cum ab initio huic sanguinis detractio esset praetermissa, idque male in hepatis inflammatione, & apostemate; nunc id nullo modo licuit, in homine iam tabe & hectica febre consumto, ipsoque humido radicali etiam absumto. Ego vero apostema in hepate confirmatum atque incurabile pronuntiaui: & non diu post, meam opinionem confirmauit, cadauer sectum post mortem. Nam tumor admodum durus paucis diebus e regione hepatis ita in immensum excreuit, vt omnibus appareret: non sine dolore: quod signum erat abscessus futuri: nam si simplex scirrhus fuisset, minus doluisset. Quare praedicto prognostico eum pro deplorato habuimus, cum apostema hepatis confirmatum non curetur. At postea cum idem tumor laxior fieri inciperet, febre magis increscente, suppurationem exspectauimus: ideo per chirurgum, qui

2.

3.

4.

tunc etiam aderat, ea apponi iussimus, quæ suppurationem iuuarent: nempe hoc cataplasma. ℞ *rad. althææ. mundatæ* ℥ ij. *farinæ hordei* ℥ ij. *farinæ fœnugræci, sem. lini, pinguedinis anseris, porci, an.* ℥ j. *cyperi, schœnanthi pul. an.* ℥ iij. *ammon. in aceto dissoluti* ℥ j. *olei lilior. mastichin. an* ℥ j. fiat cataplasma.

5. Postea cum apostema maturum apparebat, & materia satis deducta erat ad saniem, remittebantur quidem prædicta accidentia, grauitas tamen maior remanebat, cũ materia in vno loco magis congregata videretur, & tactu lenitas & mollities sentiretur, duritie, quæ prius sentiebatur, in totum ablata. Statim autem cognouimus ex dolore redeunte, ruptionem appropinquare, punctione & febre rursus increscente, & grauitate maiore. Cum tamen per se non rumperetur abscessus, vt chirurgus ruptionem iuuaret imperauimus, & vt emplastris suprascriptis, tũ aliis maturatiuis, quibus ad tempus vsus erat, immisceret fimum columbinum, fermentum, cæpas & narcissi radicem & similia; vtq; æger sese supra latus velociter moueret. Aliqui auctores, vt Gradus, vt facilius rumpatur, clysterem iniiciunt (*vt Gradus iubet*) satis attractiuum: & frictiones adhibent versus partem anteriorem: quamquam illi (*vt Serapio iubet*) melius & tutius per viam vrinæ, cum iis,

6. quæ vrinam ciunt, materiam deducant. Quod etiam commodius est hoc in loco, vt nos fecimus, cum apostema in gibbo magis videretur: in cauo tamen secessus magis vtiles: de cuius partis abscessu etiam dubitabam, totumq; hepar infectum esse; ideo per aluum etiam materiam deduximus. Verum cum eiusmodi ingens apostema nõ rumperetur, chirurgum præsentem incitauimus, vt ad incisionem procederet; sed in corpore debili & exhausto id tentare noluit, vel non audebat: existimabat enim, quod tandem per medicamenta apposita rumperetur. Verum cum illud non succederet, & escharam quasi induxisset, denuo me in consilium adhibuit. Ego autem cum ex signis præsentibus animaduerterem, quod pus totum cauitatem ventris occuparet, potissimum e regione hepatis, vbi tumor ingens laxior apparebat (*nã motio puris & fluctuatio quadam exaudiebatur*) vlcus iam factum in hepate, malignum, putridum & corrosiuum iudicabam, quod hominem subito e vita tolleret, nisi vstio (*vt veteres medici facere solebant*) vel incisio aut apertio statim fieret scalpello vel phlebotomo aliquo: quæ licet etiam in homine deplorato & viribus exhausto periculosa

7. haberetur, tamen tentandum fore, ne æger statim ex putredine puris intus collecti exspiraret. Ideo & secundus chirurgus aduocatur, qui incisionem statim agendam censuit; quod & mihi vtile videbatur: præhabito tamen prognostico, quod cura coacta & periculosa foret; attamen tentanda, ne vlcus in peius procederet: interim si fieret, atque æger animo delinqueret, atque sic vitam finiret, id in manu nostra non esse; cum vires exhaustæ essent: interea potius anceps, quam nullum remedium adhibendum. Ceterum ægro ipso, tum amicis astantibus consentientibus, chirurgus dextre suo officio functus est, prima vice post adhibitam incisionem sanie virulenta & sanguinolenta absque pure exeunte. At cum vulneri impositum esset linamentum, quod secunda visitatione amouebatur, materia viscosa, purulenta, fœtida, copiosa emanauit, cum tanto fœtore, vt totam domum eo impleret, ita vt vix quisquam nostrum

8. in cubiculo apud ægrum persistere posset. Cum vero materia viscosa foret, vt eo minus exire posset, denuo coactus est incisionẽ ampliorẽ facere, quod etiam dexterrime peregit, neq; interiora læsit: exiuit tunc materia admodum fœtida, & purulenta, amurcæ similis; vnde coniecimus omnia interiora corrupta, & hepar similiter, & ægrũ non euasurum amicis prædiximus. Illud enim procul dubio mortẽ prænuntiabat, iuxta *aph. 47. lib. 7.* in hunc modum diuino illo Hippocr. inter medicos facile principe, prædicente: Quorum hepar suppuratum aduritur, si pus purum fluxerit & album, euadunt, in tunica enim hoc pus continetur: si vero qualis amurca fluat, pereunt. Similem vero casum aliquãdo & ipse habui, cui & typhodes febris aderat, qui etiam ex eodem abscessu mortuus est, amurca post incisionem etiam effluente; cuius historiam habes *lib. 2. obseruationum nostrarum, obs. 37. de febre typhode.* Verum in nostro hoc ægro, de quo nunc agimus, tertio statim die ab incisione caro exterius facta est liuida, ac in gangrænã mor-

9. tificata. Solet autem gangræna fieri ob magnitudinem inflammationis, quæ vitæ, sensus & motus partis exstinctio ac mortificatio est; quæ tamen nõdum integra est, sed iam futura. Quum vero aliqua pars ita languens, vita & sensu carere cœperit, tum (*φάκελος vt de sphacelismo ipsius cerebri alias diximus*) Græcis, Latinis Sideratio is morbus dicitur, vt Galeno visum est, in libello de tumoribus præter naturam. Qui distinguere videtur, quod sideratio sit solidorum corporum corruptio, ita vt ossibus quoq; insit (*vt & hic in ossibus costarum, corpore iam demortuo ac inciso apparuit, vt mox ostendemus,*) gangræna, etiam corporum solidorum, sed ossa non corripiens. Ceterum non solum caro externa circa labia incisionis liuida & mortua erat, sed & interior: quod cognouimus ex ingenti putredine & fœtore, qui ex loco inciso exhalabat, dum vulnus reficeretur, non aliter quam ex homine cadaueroso & demor-

10. tuo. Præterea dum chirurgus paulatim pus propelleret, & ad exteriora labia vulneris deduceret, tanta cauitas apparebat promtuarii instar, vt & interna tandem etiam corrupta spectarentur. Interea nos per interiora exhibuimus ea, quæ vlcus detergerent, & mundificarent: quamquam nihil proficeremus, ægro indies debiliore euadente, vt tandem nihil per os sumere potuerit. Et vt paucis rem absoluamus, septimo die ab incisione peracta hic mortuus est. Eoq; demortuo, cadauer, amicis id consentientibus, a chirurgo incisum, probis viris tum me præsentibus. Est in tota ventris capacitate reperta maxima copia puris valde fœtens, vt præsẽtes in cubiculo, in quo incisio fiebat, perdurare vix potuerint. Occupabat autẽ pus tã partẽ

fini-

sinistram quam dextram sub toto abdomine, vsq; ad imum ventrem; & repertũ est omentum a pure virulento consumtum: peritonæum quoq; diruptum & putidum cõspiciebatur: similiter & intestina nigredine & plumbeo colore infecta spectabantur. Hepar autem durum videbatur, ingentis magnitudinis; albicans autem circa stomachum, sed in gibba sui parte, prope costas spurias, nigrũ, exustum ac plumbeum in esthiomenon transmutatum: erat enim hepar circa illam partem, potius *esthiomenatum (vt ita dicam)* quam vlceratum; & in parte gibbosa paululũ deflectente a costis, gangræna infectum. Et vix pus in hepate conspiciebatur, potius vero in concauitate ventris, quod ab hepate dirupta membrana eo fluxerat. Præcipua autem hepatis corruptio erat in parte dextra, versus costas spurias, & circa musculos intercostales, qui etiam similiter nigredinem cõtraxerant. Costæ quoq; spuriæ tanquam igne combustæ ex esthiomeno, nigritiem & exsiccationem contraxerant, ita vt carbonis instar nigrę adustę frangerentur. Vlceratio vero ad musculos abdominis processerat, magis in parte dextra, qui musculi similiter tandem nigredine & gangræna infecti erant.

11.

12. In parte vero hepatis esthiomenata, potius virus & sanies spectabantur, quam verum pus. Mirum fuit, quod hic tam diu vixerit. Post eius obitum 11. Iulii, anno 1561. facta apertione cadaueris, hæc spectauimus. Ceterum, vt tunc nobis quoq; referebatur, antequam in illam tabidam & siccam dispositionem tum dolorem dextri hypochondrii incidisset, multis etiam antea annis fuerat valetudinarius. Verisimile est hunc prius inflammatione hepatis laborasse, demum duritiem subsequutam; postea apostema; deinde abscessum, tum vlcus, ita vt ex gibba eius parte esthiomenata tum gangrenata, sanies ad partes circumstantes fluxerit, & partes adiacentes, vt costas ipsas esthiomeno infecerit. Et quia ingens fuit abscessus, etiã in parte concaua, facta diruptione pus etiam defluxit in capacitatem vẽtris, intestina, tũ omentum ipsum ac peritonæum inficiens. Diaphragma tamẽ nullo modo læsum spectabatur: quare & mente cõstitit

13. per totum morbi decursum, nisi paucis horis ante quã moreretur, cum falso imaginaretur se ceruisiam coquere: solẽt enim morituri, vt longa obseruatione animaduertimus, plerumq; ea imaginari, atq; facere, & illas actiones obire, quas in vita maxime exercuerũt. Ita hic cereuisiarii famulus, omnia quæ in hoc opere, nempe coquendi ceruisiam, obire solẽt, agebat, aliosq; famulos iubebat, & vrgebat, vt munia sua quoq; præstarent. Morituri enim, quæ ad actionem ꝓpriam spectant, plerriq; peragunt, præcipue morte appropinquante: quemadmodum etiam contigit cuidam sartori Alcmariano, nobis familiari *(de quo egimus in libris nostris de Obser. febrium)* qui moribundus tanquam acu vestes sueret, artem suam sartoriam, gestibus, mox exspirans, exprimebat.

SCHOLIA.

14. SOlet aliquando inflammationem, si in principio negligatur, vel perperam curetur, abscessus incurabilis hepatis subsequi; & hunc etiam vlcus magna ex parte lethale; cum & apostema hepatis confirmatum ad suppurationem vergat. Primum igitur sanguis vertitur in putridam saniem, deinde sanies caloris beneficio in pus abit; atque ea ipsa puris collectio abscessus dicitur: erumpẽte deinde pure vlcus manet cauum ac sordidum, si statim non repurgetur. Hac mutationis serie multa vitia ex vno eodemque fonte dimanant: quæ vt variis sunt nominibus insignita, ita & varias curandi leges habent. Inflammationis seu apostematis notas iam diximus. Abscessus vero (qui & vomica dici potest) & putrida sanies in pus conuertitur: dolores & febres, teste Hippocr. tum cetera symptomata inualescunt; rigores sæpe nullo ordine, vt diximus, nullaque ratione inuadunt: quos sequitur caloris exacerbatio. Confecto iam pure, omnia quidem remittuntur, ipseque ardor deferuescit; vires tamen relinquuntur multo imbecilliores, pulsusque frequens, paruus ac languidus, crebraque animi defectio. Quum rupto abscessu puris illuuies prorumpit, eius tetro vapore cor obruitur, qui sæpe graui ortã animi defectione ægrum de medio tollit; ex hoc enim vix quisquam seruari potest. At quum exiguus est abscessus, si vires satis constent, pus nonnunquam vomitione prorumpit, aut per aluum, vt per vrinas profunditur. Sed & interdum fissa vel exesa iecoris substantia *(vt nunc hîc vidimus)* id excidit in abdominis cauitatem. Huius quoque rei narrat Gradus historiam, cui fides vix adhibẽda, ita scribens: Si dolor non minuitur ex aliqua re, tunc apostemata hepatis conuertuntur ad saniem *(hic saniem intelligit pus)* & fiet tunc prognosticon; ꝙ eiusmodi apostema sit mortale: quia facta sanie & vlcere in apostemate hepatis, non est regularis curatio. *Tamen vidi ego (inquit) in vno scholari Alemano, post vlcus hepatis & eductionem multa quantitatis carnositatis hepatis: de qua fecimus experientiam multoties, quia concessione facta de eadem substantia in aqua calida cum virgula agitando, remanebat vera carnositas hepatis, tum venulis dispersis per eam. Et tamen in processu liberatus est, & eius color in melius mutatus, ita vt curatus fuerit præter spem meam, & socii alterius medici. Sed tales euacuationes sunt monstra in natura, quæ aliquoties fiunt in hominibus, vt dicit Auerrhoes, vt alias retuli in simili casu.* Hæc Gradus supra Rhas. *cap. proprio de dolore hepatis.* Verum vlcus ex abscessu cõtractum, quoniam alimento continenter alluitur, perpetuo colluuie multa sordescit, neque vnquam potest sanescere, vt recte dicebat Fernelius *vir ille doctissimus.* Ideo quoque plurimum dubito de illa Gradi historia, quamquam fide dignus suo tempore professor & insignis practicus, se id vidisse commemorat. Iecoris tamen solida substantia, spermatica cum sit, non magis quam pulmonis reparari potest. Vidimus nos in nosocomio Delphensi vulneratum militem, qui vltra annum cum dimidio ibidem decubuerat, longo tempore superuixisse, at post mortem corpore inciso totam substantiã pulmonis prius per vulnus fuisse excretam.

15. *Nota abscessus.*

16. *Historia Gradi de carnositate hepatis cum pure emissa.*

17. *Vlcus hepatis cur difficulter aut nullo modo sanetur.*

ut sine pulmone iam spectaretur, flabello cordis in totum ablato; cuius etiam mentionem fecimus *lib. 2 obser. nostrarum de febr. scholio obs. 37. de febr.* Typhode, *sub finem.* Vbi igitur vlcus hepatis est, tunc vitiosa est sanguinis confectio; corpus non alitur, sed fere tabescit; putrida, saniosa, & interdũ cruenta est alui deiectio, ac sępe quasi ex cadauere facta colliquatio. Vrina quoq; sanie perfusa, aut si ea in abdominis spatiũ penetret, hydrops omniũ grauissimus oritur, qui & inguinum pubisq; grauitate & manifesto tumore se prodit; si quidẽ vires tam diu persistant, quod vix certe vnquam vlla obseruatio notauit. Ideo etiam huic nostro ægro hydrops non est subsequutus, quanquam etiam pus in spatium abdominis fluxerat: sed potius atrophia totius corporis est concomitata. Ideoque ob esthiomenum vlcus tum putridum partis gibbosæ, tum totius hepatis substantiæ, iecur (vt ego puto) nec vllum sanguinem bonum nec nutritioni vtilem, generare potuit; multoq; minus potuit ipsum distribuere in venas: vnde enormis illa macies totius corporis; quum numquam in vita (*vt paulo ante diximus*) macilentiorem conspexerim. Ceterum quibus modis suppuratio iuuanda, & demum quomodo maturum apostema sit rumpendum, id satis declaratum est: sed rupta vomica, putis subsequitur repurgatio, & ipsius vlceris curatio. Si vomitu, vel per aluum reiiciatur, aqua mellis calide danda, si ad vesicam & renes tendat, aqua mellis cum emulsione lactis seminum comm. frigidorum, vbi adfuerit caliditas & exasperatio, propinanda. Sin calor remissior fuerit, radices asparagi, apii, in aqua mellis coctæ adiungendæ, valet & aqua hordei non excortic. cum sem. mal. & zacch & aqua lactis caprini, cum zaccharo consolidamus cum thure, mastiche, bolo armen. & similibus, cum aqua mellis, zacchar. aut endiu. plantag. & similium. De quibus videas tam veteres quam iuniores.

Vlceris hepatis nota & præsagia. 18. 19. *Vlceris curatio.*

OBSERVATIO XI.

De hepatis substantia tota purulenta & corrupta post mortem inuenta.

E.

FAmula quædam, Barbara dicta, Delphis apud Petronellnm Brasseriam habitans, cum longo tempore non sine febre decubuisset, per me tandem vtcumq; restituta fuit sanitati, ita vt aliquot mẽsibus foras prodiret. Verum postea facta recidiua, rursus aliquot mensibus decubuit; neq; tunc vlla medicamenta adhibuit, nisi cum iam macie exhausta iaceret, cum febre lenta, sitique continua & fluxu colliquante. Atq; cum tunc ad illam accitus essem, tumor circa stomachum apparuit rotundus, ita vt ibidem apostema esse videretur: atq; instante iam quasi morte, & remediis aptis adhibitis, etiam extra appositis, nihil iuuantibus, & cum ex tactu pus sentiretur, constabat intus latere abscessum iam maturum Chirurgus accitus incisionem in moribunda tentare non fuit ausus. At die vno atque altero subsequente, famula obiit die 4. Ianuar. anno 1592. & facta post mortem incisione inuẽtus est lobus hepatis supra stomachum ascendisse, totius hepatis membrana illæsa, quæ hepar continebat: sed ea incisa, tota substantia hepatis corrupta & purulenta, vomicæ instar, vndique effluxit in capacitatem ventris, cum tãto putore, vt quis diu apud cadauer iam sectum permanere non posset. Quæ quidem hepatis vomica caussam mortis præbuit.

SCHOLIA.

CVm hic lobus hepatis supra stomachũ ascendisset, & tumorem exterius rotundum effecisset, medicus aliquis, quantumuis doctus, ex loco affecto indicasset ex rotũditate supra ventriculum existente, apostema in ipso ventriculo extitisse, nullo apparente tumore in hypochondrio dextro. Attamen hepate toto suppurato, propter magnitudinem abscessus, lobus ventriculum cõprehendens eo ascenderat, quamuis non in ventriculo, sed in hepate abscessus repertus est, vt sectio post mortem indicauit. Ideo diligenter hæc consideranda, ne in simili casu quis fallatur, non obstante quod inflammatio seu apostema hepatis eodem fere modo curatur, vt ventriculi: nam vnumquodq; apostema eorundem, tum abscessus, propria quædam remedia sibiq; familiaria habet: de quibus satis nunc dictum est. Et facile quoque distinguitur iis notis, de quibus superius diximus: ita & inflammatio, seu apostema ventriculi. De quibus egimus *lib. 18. de ventriculi affect.*

2.

OBSERVATIO XII.

De hepatis insigni dolore, ex materia crassa, ventosa, intra membranam hepatis & eius substantiam collecta, vt metus quoq; de apostemate est.

1.

GErardus Nannius, Alcmarianus, ceruisiarum baiulus (*nam cum tenuis fortunæ esset, victus quærendi gratia dolia ceruisiaria deportabat, alioqui de nobili stemmate Zuylenorum oriundus*) mense Augusto, anno 1546. in insignem hepatis dolorem ex materia flatulenta lapsus est; ita vt de apostemate metus foret; quamquam se pleuritide existimabat affectum. Ad quem ingressus, statim ob insignem dolorem sanguinem ex vena basilica in cubito dextro detrahere iussi, sanguine circiter vncias octo educto, cum aluum per se satis mollem haberet. Die vero sequenti, cum dolor ex integro non cessaret, ventosas cum scarificatione natibus admoui, ad diuersionem. Deinde cum semel hoc epithemate locum dolentem fouisset, miraculi instar omnis dolor euanuit, qui ex inflatione erat: ita vt non opus fuerit purgatione. Et præter spem statim conualuit. Fotus seu epithema tale erat. ℞. *flor. melil. flor. ros. rub. folior. absinthii, viol. an. m. j. sem. anisi, fœnugraci, lini, an. ℥ iij. cocta in aqua communi* (quia pauper erat) *ex his parabatur fotus*, loco dolente etiam inũcto. ℞. *olei ros. olei amyg. amar. olei de spica, absinthii, an. ℥ ij. misce.* Interea tamen hoc decocto vtens, sanus factus est. ℞. *fumariæ, agrimoniæ, cassutæ, cichorii cum toto, borag. bugloss. scabiosæ, fœniculi cum toto, ana m. j. rad. liquir. ℥ ß. flor. chamomill. p. j. sem. fœniculi ℥ iij. cicerum rub. ℥ j. iuiubar. sebesten, an. num. v. hordei mund. p. j. fiat decoctio in aqua*

2.

aqua communi, pro ℔ j. ß. *dulcoretur zacch. bis in die ex eo sumebat.* At alteri mulieri dolenti ex hepate, cum apostemate frigidiore, præcedentibus vniuersalibus remediis, quarto die sacculus hic admotus, prius coctus in vino & expressus, ilico dolorem sedauit. ℞. *absinth. chamæd. an. m. ij. flor. chamom. man. iij flor. ros. m. j. schœnanthi m. ß. semin. lini, anisi, carui, an.* ℥ *ij. santali albi & rubri, an.* ʒ *j. ß.* fiat sacculus. Nocte rursus dolore ascendente, eidem lateri iterum appositus sacculus & idem dolor sedatus est: at cum haberet maiorem dolorem anhelitus quam prius, & exspueret materiam crudã, locus inunctus est dialthea, & pro oppilatione hepatis desciptum, quod sequitur. ℞. *pul. trionf.* ℥ *j. ß. dialacca* ʒ *j. pul. diacapp.* ʒ *ß. zacch. ad duplum pondus.* fiat tragea, de qua sumens quotidie, & bis in die inungens cum dialthæa, septimo die fuit curata, cum sudore magno, & quasi continuo.

3.

SCHOLIA.

4. Tunicam tantum velantem iecur, præcipue dolere quidam autumant: cum oppilatione tumet membrũ, spiritu intus incluso, aut abscessu duro, cum obcalluerit, aut phlegmone, ex lapsu ex alto, vel incussu hepar dolet, vt prius diximus. At extensiuus dolor, vt hic, a vẽtositate fit, vel vapore, vel humore multum flatuoso. Inflatur autem iecur ex cibis, qui in secũda digestione flatum parant, ventositate in hepate retenta, vel ex crassis humoribus genita Et dolor fortis est, vel ab apostemate; tunc adest febris: vel si fiat a ventositate, tunc sine febre est: nam febris si accedat, ventositatem sæpe resoluit. Ventositati proprium est, augeri & minui, mutari & interpolare: nec adest grauitas, sed potius tensio, & in gibbo extenditur ad pectus & dorsum: in cauo ad ventrem & intestina: & mutabilis est dolor, nec color corporis aut faciei, vt in apostemate, mutatur. Hic autem in victus genere quicquid frigidum, ventosum est, damnatur: paludes ob eam caussam vitãdæ ac niuosa loca. Quæcunq; ad inflationes ventriculi conferunt, hic transponenda. Valent diacyminum, diagalanga, pilulæ aromaticæ dictæ. Milium ex fotu iuuat. Si vna cum ventositate adsint vapores, vel humores crassi, materia minoranda, digerenda, eradicanda, diuertenda clysteribus & aliis generibus diuersionum: viæ aperiendæ, vt ventositates exeant, & resoluendæ simul hepar roborando: & accidentia corrigenda, & vitæ regimen imperandum. De quibus vide Arculanum, qui huius doloris ventosi curationem proprio capite persecutus est.

Caussa inflationis.

Signa.

5. *Curatio.*

OBSERVATIO XIII.

De scirrho hepatis.

1. Vir quidam Delphensis tumorem scirrhosum diuturnum patiebatur in gibba parte hepatis, qui & tactu deprehendebatur, cum gracile & adipis expers esset abdomen; idq; facilius erecto, vel in dextrum latus inclinato ægro, quam decũbente supino: tum quippe nõ nisi pressu animaduerti poterat. Situ quoq; & figura iecoris circumscribebatur: cui etiam ægro facilis decubitus dexter, sinister verò grauis erat, cum moles quædam velut suffocans in ventriculum & præcordia incumberet. Hic autem tumor ex contumaci & inueterata obstructione paulatim originem ceperat. Ab ea quidem Fernelius semper fieri vult, raro, vel potius nunquam, ex inflammatione originem trahere, quod in viscere natura calido & humido omnis inflammatio in perniciosum abscessum desinat. Fit tamen aliquando ab inflãmatione, vt alii volunt, imo sæpius, vt doctissimus quoque Iacchinus recenset: quemadmodum & nos præter hunc virum in aliis, & in nosocomio Delphensi præcipue, obseruauimus: vidimus quoque mulierem ex hydrope mortuam, post mortem a me incisam totum hepar scirrhi modo induratũ habuisse: *de qua obseruatione sequenti agemus.* Recte quidem & auctores post inflammationem hepatis de scirrho agunt: quãquam etiam & ab initio statim gigni posse, absq; præcedente phlegmone, cõtendunt: vel paulatim collecto in viscere excremento crasso dum nutritur, vel a liene eo trãsmisso: quod sane vtrumque fieri videmus quotidie. Sed & Galenus in lib. de morbi temporib. ait sensim & latenter incipere: post multum tempus sentiri, vti & in hoc ægro cõtigit. Ideo hic scirrhus, vt Fernelius ostendebat, a simplici tumore distat, quod non nisi longo dierũ numero, simplex vero tumor etiam breui procreetur. Humorem dicit auctorem esse obstructionis, qui primum tenues iecoris venas implens & infarciens, auctusq;, in omnem visceris substantiam redundat, & eam perinde atque venas obstruit: quod si rursum multo plenior cumuletur, iecur in amplam molẽ distendit: tumq; viscus turgidũ ac tumẽs apparet. Tempore humor siccescit, & vi caloris tenui parte dissipata, reliquus totus obdurescit: cuius permistione iecoris substantia labefactatur, verusq; tandem scirrhus emergit. Secundum eundem, modo fit ab humore pituitoso, vt huic nostro ægro, modo a bilioso. Illum caussæ antecesserunt, quæ crassum pituitosumq; succum coaceruant, hunc vero, quæ biliosum: in illo dominantis pituitæ refrigeratiq; iecoris, in hoc bilis exsuperantis, concalfactiq; iecoris, signa illucẽt: hic vero ictero succedit, & lentam febrem comitem habet: ille nequaquam: hic vnus in eum hydropem præcipitat, qui ascites appellatur: ille citra vllũ incommodi genus diu perstitit, aut dũtaxat cachexiam leucophegmatiamue infert. Cum igitur hic scirrhus ab humore pituitoso, & refrigerato hepate, originem haberet (*nam & hic victu crasso pituitoso vsus erat, & subinde aquam biberat, cum pauper esset,*) vt hunc recte curaremus, victum talem instituimus, quo in obstructionibus liberandis vtimur. Ideo cibos faciles concoctu adhibuimus, & qui incisoriam vim & repurgantem complecterentur, crassa, viscosa edulia, & omnia dulcia, hepati nocentissima vitauimus. Materiam crassam pituitosam minorauimus hoc medicamento. ℞. *syrup. ex infus. ros. cum agar.* ℥ *j. ß. diaphœnici* ʒ *ij. aquæ fœniculi, cassuta, an.* ℥ *j. aquæ cichorii* ℥ *ß.* misce, detur in diluculo, ter quaterque excreuit aluum. Deinde ad humoris crassi & viscidi præparationem, sequenti deco-

2.

3.

4.

cto, vel huic simili, vsi sumus. *℞. rad. graminis, petros. asparagi, fœniculi, macerat. in aceto, an. ℥ j. rad. althaæ ℥ ß. marrubii, ceterach, cassutæ, capill. vener. agrimoniæ, scolopend. ana m. j. semin. anisi, fœniculi, an. ℥ j. ß. folior. senæ ℥ vij. agarici fœmin. albi leuis ℥ j. zinzib. albi ℈ j. vuar. passul ℥ j. ficuum ping. num. v. fiat decoct. in aqua commun. pro ℔ j. ß. colaturæ, adde syrup. de byzantiis, acetosi compos. de eupator. ana ℥ j. misce.* Deinde purgaui hoc pharmaco sequenti. *℞. agarici fœmin. albi leuis ℥ j. rhabarb. select. ℥ ß. zinzib. albi ℈ ß. schœnanthi, spicæ, ana gran. v. infunde per noctem, facta prius leui ebull. in ℥ v. decoct. suprascriptæ. mane fortiss. expreßioni adde diaphœnici ℥ ß. syrup. de eupator. ℥ j. misce.* detur in diluculo, quo aluum optime excreuit. Interea inunximus hepar oleis amygdal. dulc. lilior. chamomill. & mastichino simul mixtis. Sed quia non febricitauit; sanguinem non detraxi, vt Amatus fecit in Marci librarii Veneti sororio, qui scirrhum iecoris habebat, vna cum febre. Vide totam eius historiam *centur. 3. curat. 48.* Post purgationem & olea dicta, hoc linimento regionem hepatis inunximus. *℞. emplastri de melilot. de muccil. cerati nostri de ammoniaco, an. ℥ ß. vnguenti santal. ℥ iij. pul. ros. absinthii, ana ℥ j. ß. olei absinthii ℥ j. ß. fiat linimentum, aceto immixto, ad ignem.* Catapotia etiam confecimus ex ammoniaco, puluer. hieræ picræ; vel quæ hoc modo fiunt. *℞. agarici ℥ j. myrrhæ, styrac. ana ℥ ß. spicæ celticæ, schœnanthi, cinamomi, ana ℈ ß. excipiantur terebinthina: & fiant pilulæ v. ex ℥ ß. vel ℥ j. dentur mane in exitu lecti.* Rursus dabam decocta magis incidentia & vrinam cientia; *adiect. radic. irid. bismaluæ & semin. alkekengi, etiam passul. & dactylis.* Alii deinde dant pilulas de sagapeno, vel fœtidas. Dedi autem pilulam vnam ex ammoniaco: & postea fotus conuenientes, in hunc vel similem modum. *℞. rad. alth. ℥ ij. rad. irid. sambuci, an. ℥ j. flor. cham. meliloti, sambuci, an. pug. j. absinthii, man. j. spicæ vtriusq; & azari, ana ℥ iij. fiat decoct.* in aqua intestinorum, pauco adiecto vino, quia pauper erat. Deinde redibam ad vnctiones, cataplasmata, ex ammoniaco, bdellio, & aliis conuenientibus. Quibus remediis æger hic bene habuit: quamuis ex hoc rumore scirrhoso in totum sanus non euaserit. Cum & Galenus fateatur *2. ad Glauc. cap. 5.* se scirrhum diuturnum nunquam sanasse, nec alium vidisse qui id potuerit: qua de caussa nonnulli consulunt, vt ad balneas eant, quibus vniuersa Italia ornatur. Vidi tamen Elideum Paduanum, medicum Bononiensem, præceptorem meum, medicum nosocomii Vitæ dicti, curasse scirrhum hepatis, nunc temporis a Baptista medico haud vulgari tamquam incurabilem iudicatum, exhibendo intermissis diebus modo rhabarb. potionem, modo pilulas de ammoniaco: interea etiam faciendo vnctiones, & cataplasmata loco affecto apponendo, ex ammoniaco, bdellio, & similibus, & exhibens hepar lupinum. Quibus remediis ille æger sanatus fuit. Post vniuersalia, tali electuario ad oppilationem hepatis commode vtebatur. *℞. rhab. selecti ℥ j. ß. hepatis lupi præpar. diarrhod. abb. an. ℥ j. cum oxym. q. s. fiat electuarium.* At vnice his prosunt ea, quæ partim aluum subducunt, partim vrinas mouent. Quibus egregie facit confectio ex amygd. & cnico; de qua *Galen. 5. de sanit. tuenda* meminit. Oportet autem cnicum contundere, & sic componere. Iacchinus, medicus doctissimus, scribit se feliciter vsum extrinsecus mollientibus, & intrinsecus potione salsæ aquæ: habet enim vim extergentem & extenuantē plurimam. Itaq; alteri scopo satisfacit curandi scirrhi, nempe vacuationi. Vsus etiam sum *(inquit)* potione ammoniaci, hoc modo: ammoniacum cum rutæ dimidio in pilulas confirmatum propinabam, pondere drachmæ vnius vel scrupulorum quatuor. Habet enim vim emolliendi, & leuiter extergendi & exsiccandi. Iuuat vero & trochis. de rhab. vsus & alia medicamenta aperientia egregie, & vrinas cientia, de quibus dictū est, cum de obstructione ageremus. Vide eundem cap. de obstruct. hepatis. Ad vrinas priuatim, inquit, sum vsus potione dictamni & asari. Extrinsecus adhibebimus ea medicamenta, quę ad ventriculi scirrhos valent: qualia sunt illa, quæ ex bdellio, ammoniaco parantur ex meliloto & œsypo. Hęc enim in cerati formam redacta apponuntur: habent vtramq; intentionē, molliendi nimirum & siccandi: quod quamuis serius faciant, quam quę solum siccant & acria sunt, id tamen tutius faciunt; ideo præeligenda.

SCHOLIA.

HÆc duo viscera, iecur & lien, sunt opportunissima ad scirrhum, vt Gal. docet. *13. method. cap. 15. & 16.* in quo Attalum Thessalum, medicum, Sorani discipulum reprehendit, quū Theagenem Cynicum philosophum interficeret, cum solis relaxantibus topicis vteretur. Quod minime faciendum est semper: In hepate quidem, cum limoso sanguine nutriatur; in splene, quod humorem recipiat crassum; & in renibus, quia sanguine spisso nutriuntur. Alibi tamen dicit Galenus splenem subtiliori sanguine nutriri, quo hepar nutriri solet. Vide Amatum, qui hoc dubium soluit *scholio centur. 3. curat. 48.* Duplex quoq; scirrhi est differentia, *vt 2. de arte curatiua ad Glaucon.* quarum vna exquisitus dicitur scirrhus, tumor sensu priuatus, durusque; altera, non exquisitus. Qui omnino non insensibilis est, *vt patet etiam 14. method. medend.* Estque hic affectus morbus in quantitate; secundo intemperies, quoniam frigidus affectus; & tertio, in soluta continuitate. Quantum ad partem læsam, hepar hic affectum est; quod ex tumore duro quidem existente, cum exiguo aut nullo dolore, & interdum sensu priuato cognoscitur, quandoque non omnino insensili. Duplex eius generatio: vel ab initio ex influxu humoris, sed rarius; vel, quod frequentius, si sensim aceruatur in venis; vel facta permutatione ex erysipelate aut phlegmone, ob multam & intempestiuam refrigerationem, quod frequentius euenire, ait Galen. *2. ad Glauc. cap. 5. nempe ex humore crasso, frigido, pituitoso, vel atrabilario, aut ex his simul mixtis,* vt liquet *14. method.* Si ex nigra bile, color totius corporis ad nigrius declinabit; si ex crassa lentaque pituita, ad albidius, vel plumbi colorem,

Marginalia: 5. 6. 7. 8. 9. *Scirrhi differentia duplex.* *Affectus.* 10. *Pars affecta.* *Caussa.* *Signa.*

11. lorem. Scirrhi vero exquisiti, in iecinore sine sensu persistentes, omnino insanabiles sunt, vt in ceteris partibus, teste *Galen. 14. method. & 2. de arte cur. ad Glauc.* quamquam neque is, qui difficulter sentitur facile curationem admittat, eodem auctore, quamuis ab initio sæpius ipsum curauerit, sed ad plures dies extentum, neque ipse sanare potuit, neq; alium vidit qui posset. Nam omnibus iis, qui ita affecti sunt, ex necessitate subsequitur aqua intercus. Pereunt autem quam plurimi in tempore longo: quidam etiam breui, qui ventris profluuio laborant. Curatio perficitur vicissim, teste Gal. 2. ad Glauc. nunc humidis mollientibus, nunc siccantibus. Si nimium calfaciamus & exsiccemus, indissolubiles, & ideo insanabiles, & similes lapidibus, reddimus: si nimium emolliamus vel humectemus, hepar dissoluemus, ideo emollientib. adiungenda, quæ digeredi vim habeant, & parum

12. constringant, ne vis hepatis labatur. Vide de his & Galenum & Aetium. corpore prius euacuato & humoribus crassis vel atrabilariis, tum iis vtemur, quæ per vrinam deducunt materiam, de quibus vide Rondeletium. Exterius iis vtemur quæ constant ex absinthii coma, mastiche, nardino ac lentiscino vng. adiiciendo thymiama, & bdellium, medullam anseris, & alia topica, tam apud *Galen.* quam *Aetium & Paulum descripta.* Vide & formulas ad hunc effectum aptas cap. proprio apud Rondeletium & Altimarum.

OBSERVATIO XIV.

De hepatis scirrho in hydropem lethalem mutato.

1. MVlier Alcmariæ grauida, etiam hydrope laborans, paupercula, tumore scirrhoso hepatis præcedente ad me venit consultandi caussa, cũ diu hoc malo laborasset: quare curationem irritam fore iudicabam: quamuis ad solamẽ quædam remedia paratu facilia, sed frustra, præscripserim, quæ tamen cum pariendi tempus adesset, feliciter peperit prolem: at decimoquarto die a partu obiit. Ventre autem matris post partum non detumescente, licet a partu vtcumq; purgetur, tamen illam morituram prædiximus: & ita 14. die a partu e vita migrauit. Mortuæ autem corpus incidendum curauimus, eo quod obstetrix certo affirmabat secundum adhuc partum, ob vẽtris molem, in vtero hęrere, cum ego eandem ex scirrho hepatis, quem hydrops subsequutus esset, mortem incurrisse pronuntiabã: quod & incisio mox indicaret. Incisione itaq; peracta, præsente obstetrice, tum aliis nõnullis, integra cupa, qua mulieres pannum lauant, aquæ citrinæ e ventre fluxit, plus quam viginti heminas effluxisse coniectabam. Omentum

2. vero erat plane absumtum, & glandulæ mesenterii induratæ: hepar vero non solum in scirrhum mutatum, sed in lapideam quasi duritiem cõuersum: nam sparsim in ipsa substantia hepatis fabæ instar lapilli concreuerant. Vterus bene se habebat; vnde diuino quodam miraculo, & Dei prouidentia, fœtus in vtero ad maturitatem iusto tempore pariendi est seruatus; neque secundus partus inuentus, vt obstetrix existimabat, adeo anatomiæ ignara, vt tentãdi caussa vesicam pro vtero eidem ostenderemus, vt vterum, quamuis loquax satis, a vesica distinguere nõ potuerit: quæ hactenus diu artem obstetricandi, proh dolor, exercuerat: & in ea etiam consenuerat.

SCHOLIA.

3. IEcur autem, vel vnam aliquam eius partem indurari frequentius accidit, imo aliquando lapillis durioribus quasi concrescere cernitur. Meminit enim Dodonæus, medicus doctissimus, se nonnullorum, qui ab ictero in ascitem delapsi erant, iecinora vidisse adeo dura & lapillis vndique plena, vt nouacula perscindi non potuerint. Simile narrat & Andreas Vesalius, in epistola de China, ad Ioachimum Roelants, de quodam Bello armato Senensi, cuius iecur prorsus candicans, superficie constabat non læui, sed admodũ inæquali, & lenibus tuberculis exasperata, anterior vero eius pars & vniuersa sinistra, ad modum lapidis indurata. Refert quoq; Antonius Beniuenius, quod in muliere nobili, quæ ex dolore circa iecinoris partes diu afflicta erat, & tandẽ mortua, post corporis incisionẽ inuenti fuerint in iecinoris membranulę parte decliuiore congesti lapilli, figura & colore diuersi, alii enim rotundi, alii angulares, quadrati alii, prout positura & casus effecerat, maculis etiam rubeis, cœruleis, albisque distincti. Hi

4. sua grauitate, ex tunica sacculum longitudine palmi, latitudine vero duorum digitorum effecerãt. Hanc autem nos mortis caussam (*inquit*) arbitrati, disputare de obscuris vanum & inutile iudicauimus. At in vesica fellis, vt alias diximus, & etiã *c. 94. ab eodem Beniuenio*, dictum est, subinde lapides reperiri contingit: verum laxiorem reddi membranam iecinoris, atque in ea calculos dependere, ex rarissimis est. Sed quod in hac nostra muliere inuenimus glandulas mesenterii induratas & pancreas similiter, id quoq; adeo rarum non est. Scribit enim Rondeletius *cap. 35. de hepatis scirrho sub finem.* Id annotatione dignum est, quod ex frequẽti corporũ dissectione obseruaui, omnes hydropicos, vel scyrrhosos, glandulas mesenterii induratas habere, & pancreas similiter. Quare non erit inutile (*vt idem admonet*) totum ventrem oleis tingere, vel vnguentis, totumq; ventrem fouere.

OBSERVATIO XV.

De Ictero.

1. IAcobus quidam Alcmarianus, annum 27. agens, crapulæ deditus vtcumque, alioqui biliosus, anno 1548. sub finem mensis Februarii, nulla præcedente febre, neque aliquo morbo, totus palluit & auriginosus factus est. Quod simplici ictero hic laboraret, qui ex obstructione meatuum ad bilis cystim pertinentium fiebat, facile percepimus: nam repente hominem adoriebatur, sine febre, ac sine magna corporis, ac virium iactura, cum & deiectiones huic albidæ essent, eo quod bilis illapsa in intestina, cohiberetur: vnde & vrinæ admodum crassæ, atque adeo rubicundæ vt prope nigrescerent, inerat & dextro hypochondrio grauitatis sensus, sine conspicuo tumore. Hæc cum animaduerterem, e vena

basilica secta in manu dextra (*cum in brachio non esset consuetus, nec facile admitteret*) moderate extracto sanguine, non tamen multo, cum sanguis frænum bilis exsistat, mandaui, vt diebus sequentibus bis in die ex hoc decocto sumeret: *℞. corticum radic. cichorii, fœniculi, petrosel. ana ℥ j. rad. brusci, asparagi ana ℥ ß. cassutæ, agrimoniæ, marrubii, ana m. ij. betonicæ, melissæ ana man. j. sem. anisi, carui, fœniculi, ameos ana ʒ j. semin. quatuor frig. maior. ana ʒ ß. cicerum rub. ℥ ß. schœnanthi ʒ ß. coquantur in ℔. iij. aquæ ad ℔. j. ß. colaturæ, adde syr. de byzantiis ℥ j. ß. mellis rosː colati* (erat enim obstructio ex humoribus viscosis crassis, cum cholera vitellina crassa admixta) *syr. de cichor. cum rhab. ana ℥ j. misce. & fiat apozema.* Ceterum cum icterus fiat ex obstructione, ob vesicæ felleæ oppilationem, ideoque in eo duo potissimum requirantur remedia, vt venæ sectio & purgatio vehementior; post præparationem & humorum extenuationem, sequentẽ purgationem exhibuimus: *℞. rhabarb. select. ʒ j. spicæ, schœnanthi, ana gr. iij. infunde per horas 12. in aqua lupuli, fœniculi ana ℥ ij. fortiter exprimantur. Adde electuarii de succo ros. ʒ iij. ß. diaprun. lenitiui ʒ j. ß. agarici trochiscati in puluerem redacti ℈ ß. syrup. de cichor. Nicoli ℥ ß. misce*, fiat potio: quæ exhibita fuit in aurora; & habuit sex sedes, cum magno leuamine. Verum cum adhuc doleret ex grauitate in hypochondrio dextro, versus stomachum; fotu sequenti adhibito dolor euanuit: *℞. flor. chamomill. meliloti, summitatum absinthii, maluæ, cum toto an. m. j. sem. anisi, fœnugr. sem. lini ana ℥ iij. coquantur in aqua communi, & fiat fotus.* Sedato dolore, & per purgationem egregie aluo soluta, ablata caussa, mox ab ictero liber euasit. Vide Amatum, de Perotii a Monte Sancto filio, annos 10. nato, qui tres vncias syr. ros. solutiui tantum sumsit, cum aqua cichorii; & ab icteritia liberatus fuit.

2. *Centur. 4. curatio 7.*

SCHOLIA.

SI excrementa in hepate non rite vel omnino non separentur, symptomata quædam inducunt; ita vt per totum corpus cum sanguine diffuso bilis flaua, non omnino, vel non rite, segregetur ac expurgetur: qui quidem affectus, proprie Icterus dicitur, licet etiã varia sortiatur nomina. Dicitur autem ἴκτερος a Græcis, teste Galeno, lib. de diff. febr. & 3. de caussis, quem affectum Latini quandoq; Icterum, quandoq; Auriginosum nominant, a calore auri, quem bilis per totum corpus diffusa repræsentat. Verum cur Græci affectũ hunc ἴκτερον nuncupent, *Aet. declarat cap. 17. libr. 10.* Est enim ἴκτερος, inquit ille, a similitudine ad animalculũ, quod ἴκτις id est, viuerra appellatur. Est autem viuerra animalculum illud, quo cuniculos excludunt venatores, vulgo apud nos *een Vret* dicitur, quod licet corruptum sit, aliquo modo ad Latinum nomẽ Viuerræ accedit. Alii volunt illud animalculum esse mustelam syluestrem, quæ auricolores oculos habet. Celsus aũt hunc affectum etiam Arquatum vocat, ab arcu cœlesti, eo q̃ eius colorẽ imitetur: ita & ab auro Auriginẽ quoq; vocarũt. Idem quoq; interdum & morbum Regium appellat, *vt liquet c. 24. lib. 3.* Hinc cecinit Serenus:

3. *Icteri varia nomina.* 4.

Regius est vero signatus nomine morbus:
Molliter hic quoniam celsa curetur in aula.

Hoc idem Celsus testatur, eumq; regium vocari morbum, quia lasciuiis, cantu, delitiis, mulsa, vita soluta, curis, in aula curetur. Vulgus medicorum Icteritiam nuncupat. Alii & Icterum dictum volunt ab aue Galbulo dicta Latine, quod aureo sit colore hæc auis. Insequitur vero hoc accidẽs semper caussam præter naturam proximam, hoc est, fusionem bilis per cutis exiguos poros: quæ cum incipit, apparet maxime in illis partibus corporis, quæ sunt vehementer albæ, vt oculi: mox in vniuerso detegitur. Huiusmodi rursus fusionis caussa interna aliqua prior est, seu proprie caussa sit effundens, seu velut occasio. Quæ autem sint eiusmodi effusionis caussæ, *ex Gal. habetur. 5. de loc. affect. 7. cum breuiter, tam ex Galen. 3. de caussis sympt. & 5. de loc. affect. & ex Aetio & Paulo*, cõstet ex triplici caussa prouenire, vel vitio particulæ, quæ excrementum ipsum expurgat, vel ratione viarum, per quas expurgat, vel vitio ipsiusmet excremẽti, & ideo in morbo regio nõ perpetuo idem locus affectus est, neque iecur semper afficitur, vt a Galeno demonstratur. *5. de loc. affect.* nã modo iecur afficitur, modo vesica bilis, modo vniuersum corpus. Ita in hoc nostro ægro potius vesica bilis afficiebatur: quod cognouimus ex istis signis, quia citra febrem hic morbus regius hominem occuparat, cum dextræ præcordiorum partis grauitate, & excrementis albis exeuntibus, & vrinis biliosissimis, & affatim excretis: quæ omnia vesicæ bilis vitio talem morbum regium fieri indicabant. Verum & illud bifariam fieri potest, vel ob eius imbecillitatem, propterea quod biliosum humorem, sicuti consueuit, in se ex hepate non attrahit, & ob id impurum sanguinem relinquit: vel etiã contingit eandem nimis repleri, vt propter repletionis multitudinem idem excrementum expelli ad intestina nequeat, excretrice simul facultate exsistente imbecilla. Poterit & secundo morbus regius fieri vitio viarũ ex ipsa vesica ortarum, vtpote cum ipsæ obstructæ fuerint viæ, p̃ quas ex iecinore ad ipsam vesicam biliosum excrementum trahitur, vel eæ, per quas ab eadem vesica ad intestina propellitur: quippe omnibus prædictis modis non expurgatur a bile sanguis, & in totum corpus diffunditur, ac morbus arquatus efficitur. Ex viarum vitio fit, cum propter earum obstructionem fieri contingit. Ex imbecillitate vero separatricis facultatis, si eadem vesica bilis in attrahendo, seu excernendo prædictum succum, propter aliquam intemperiem fuerit debilis. Namq; fellis folliculũ, cum inter naturalia instrumenta connumeretur, vnicũ habet, veluti reliqua, imbecillitatis principium, a partis intemperie ortum, vt *eodem 5. de loc. affect. in fine* Galeno visum est. Atqui intersttingues, si ob meatuũ ipsius obstructionem fiat morbus regius, vt in hoc nostro ægro euenit: namq; vna cum albis excrementis, grauitatis cuiusdam sensus dextrũ hypochondrium vrgebit, citra febrim. At si propter eius imbecillitatem fiat, talia excrementa circa grauitatem deiiciuntur. Vtriusque tamen statim

Bilis fusionis caussa. 5. *Quot partes afficiantur seu affici possint in morbo regio.* 6. *Signa vesicæ bilis affectæ.* 7.

statim vrinæ biliosissimæ affatim excernuntur, *vt inquit Paulus*. Et ita hic post venæ sectionem humores vias illas obstruentes, edulis, potionibus ac pharmacis attenuauimus, & obturationes deoppilauimus, ex præcepto Gal. 5. de loc. aff. & præcipue purgauimus, iuxta Aetiũ auctoritate Ruffi, non in principio, sed prius materia attenuata, & vasis reseratis, alioqui illi medici, qui bilẽ expurgant antequam sit extenuata, nec vasis reseratis, maximi mali auctores sunt. Quæ autẽ attenuent, & vias aperiãt, & ictericis vtilia sint, de iis vide Aetium & Paulum. Ceterum, si ab hepate, vel a toto, malum oriatur, id exemplis infrascriptis patebit, cum & eorundem affectuum diuersa etiam curatio iuxta caussas varias sit instituenda: vt exemplo nunc de ictero, ex calore iecoris vna cum febre orto, docebimus, & postea de iis, qui ex alia caussa oriuntur sumus acturi.

OBSERVATIO XVI.

De ictero ex calore hepatis, ac eiusdem visceris, leui inflammatione vna cum febre duplici tertiana.

CVm in Zuyrlandiam, pagum vltra Mosam situm, ita dictum, ad quandam mulierem accitus essem, anno 1568. cui febricitanti vna die per empiricum perperam sanguinis detractio tum purgatio adhibita fuerant: plusquam vigesies hæc ipsa aluum deposuit, ita vt viribus prostratis animam agere videretur: quæ tamen a me curata fuit. Verum in iisdem ædibus laborabat eiusdem maritus non diu post duplici tertiana, corpore etiam flauo tincto colore: ad quem prius decimo die huius mali accitus fui, qui primum octauo die venã sibi secari fecerat, & suomet consilio seipsum foliis senæ purgauerat: cumque semper peius haberet, decimo die me prius vocauit. Aderat tunc dolor quidem in hypochõdrio dextro, sed vix effatu dignus: quamuis in eodem loco sentiebatur calor intensus. Antequam in febrem inciderat, etiam quãdam grauitatem in eodem loco senserat: & ex parte etiam pallidus aut flauus euaserat, quãquam nũc multo magis: ita vt prius obstructione hepatis laborauerit: nam ex ea etiam solet morbus regius originẽ ducere: & tunc sine febre permanent ægri (*vt Galen. testatur lib. 9. de compos. med.*) nec non & grauitas quædam in eadem dextra parte præcordiorum adest: præsertim inter vehementer respirãdum, & ea signa adsunt, quæ de obstructione hepatis prius scripta sunt: quamuis non solum ex obstructione iecoris, sed & scirrho eiusdẽ, morbus regius fieri potest, signis scirrhi tunc præcedentibus, vel præsentibus. Obstructio itaq; hepate, facile etiam calor accessit, bile per loca consueta non expurgata: nam ex sola calida intemperie eiusdem visceris, cum multa copia bilis progignatur, quæ multitudine expurgari nequit, eadem per totum corpus diffusa, propter eiusdem excrementi copiam, icterus excitatur, vt a fellis folliculo vix recipi possit: tunc plerunq; absque febre in dextro hypochondrio feruor circa iecoris locum percipitur: alui excrementa bile perfusa videntur, vrinæ crassæ, croceæ, profunduntur, segnities, spirandique difficultas concurrit, tum potissimum perceptibilis cum mouetur, nam si icteritia ex copia bilis fiat, ab intẽperie calida iecoris facta, meatusque ad folliculum fellis pertinẽtes aperti sunt, alui excrementa tunc biliosa erunt, eo quod portio bilis profundatur in aluum, & tunc vix febricitat æger. Sed non diu post successit febris duplex tertiana, satis valida, ita vt & iecinoris inflãmatio post obstructionem & caliditatem hepatis subsequuta fuerit: cum & ipse regius morbus interdum ex inflammatione iecinoris oriatur, ꝓpter quam sanguis omnino a bile expurgari nequit, imo vna cum sanguine bilis per totum corpus defertur: & hinc morbus regius generatur, propterea quod & eiusdem bilis copia ob eãdem caussam in eodem viscere gignitur, & cõstipatio quædam fit, seu angustia locorum, per quos ipsa bilis ex venis transfertur ad canales vesicæ bilem recipientes, vt Galenus inquit *comment. aphor. 64. libr. 4.* Cuius quidem morbi regii indicia sunt, præcordiorum dextra parte dolor, biliosæ deiectiones, & febris, vt inquit Paulus. Namq; ii omnino febricitant, Galeno teste *9. de compos. medic. secundum locos.* Similiter & hic vrinæ flaua bile vehementer coloratæ videbuntur. Quæ quidem signa cum nunc in hoc ægro adessent, & iam per decem diem febricitasset, & sanguinem octauo prius die emisisset, ab vlteriori sectione venæ abstinendum duximus, quamuis & hic etiam in parte dextra capitis nonnihil doleret, quod ex inflãmatione & calore hepatis bile sursum allata (*licet toto corpore flauo exsistente, non per modum crisis, vt aliquando etiam fieri solet, vt suo loco dicemus*) fiebat. Vnde cum intemperies calida adesset & febris, etiam intemperiem illam sanare instituimus victu & medicamentis, quæ caussam huius mali, tum inflammationem, tum intemperiem calidam, tum febrem respicerent. Et quia bilis abundantia aderat, tam ex intemperie & caussis dictis, quam ex febre duplici tertiana (quæ omnia bilem abundare contestabantur,) ideo non solum bilis erat purganda, sed & ipsa intemperies alteranda. Quare ad exstinguendum calorem, tum febrem ipsam, hoc iuleb præscripsimus. ℞. *syrup. de endiuia, de limonib. de cichorea cum rhabar. ana ℥ j. aquæ end. acetosæ, fumaria. ana ℥ iij.* fiat iuleb pro tribus dosibus. Deinde ita eundem purgaui. ℞. *electuar. de succo ros. ʒ ij. electuarii lenitiui, diaphœnici an. ʒ j. ß. rhab. selectiss. ℈ ß. spicæ gran. v. syr. de cich. cum rhab. ℥ ß. aquæ cichorii ℥ iij.* fiat haustus, quo multa biliosa deiecit, etiam choleram vitellinam. Deinde & diarod. abb. in tabulis exhibuimus: & hepar inunximus *vnguento ros. & santalino simul mixtis.* Et quia non dormiebat, ob febrem, & circa partem dextram capitis dolebat, ea parte tempora inunximus, etiam frontem sub noctem, *cum vng. populeo, cui parum olei nymphææ & pap. immixtum esset.* Postea 14. die egregie sudauit, & a febre liberatus est, & icteritia eundem reliquit.

SCHOLIA.

ICteri caussas nunc ex parte indicauimus: sed qua arte coniecturi simus q̃ caussa affligat, nunc

exemplo ostendimus de iecinore: nam si leuis suspicio huius mali adsit in iecinore, a quo obstructio, inflammatio, vel scirrhus eueniat, caussam ipsius facile inueniemus. Si adsit obstructio, albicãt canum instar excrementa, vrina est flaua, victusque præcedens aptus fuit gignendis obstructionibus. Auget & notitia structuræ corporis: quoniam scimus angustas habere venas, & facile his capi solere. Si vero obstructio absit, considerabimus num caussa aliqua bilem abundare fecerit, nempe iecinoris intemperies, vel aliæ externæ. Sic enim caussa nota erit, bilis abundãtia, si acutus & biliosus morbus præcessit, caussa patet, scilicet natura excernẽs: si enim ex copia bilis fiat, ab intemperie iecoris facta, meatusq; ad folliculũ fellis pertinentes aperti sunt, alui excrementa tunc quidem biliosa erũt, eo quod portio bilis profundatur in aluum, & vix febricitat æger. Quod si nullũ horum adsit, concludimus debilitatem fellis vesicæ esse.

6.

Num vero peccet vesica attractione, vel pulsione, coniicitur hoc modo, quoniã si pulsione peccat, diu detinetur, & cœrulea euadit: ob id etiã Iacchinus sæpe vidit in vesica fellis lapillos eius coloris, quod & nos ipsi sępe vidimus; exuritur enim tempore retenta. Num vero pulsio repletione nimia impediatur, vel debilitate, inde ostenditur, quod quæ a repletione est, multa simul deiicitur, & malum statim cessat: at vbi debilitas est, diu durat, & forte nõ cessat: sicut & vbi attractiua debilitatur. Sic quoque, vt docte annotauit Fernelius, cystim fellis occupant obstructio, calculus, repletio, inanitio. Obstructio aut eius est ductus, quo bilis e iecore prolicitur, aut eius quo e cysti in intestina eructatur. In vtraque aluus durior est, pigriorque, fæces albicant, vrinæ flauæ, crassæque adeo sunt vt sæpe nigrescant: bilis cum sanguine in summum corpus effusæ ictero cutem deturpat. In priore tamẽ cystis prorsus exhausta est, in posteriori illa bilis copia distenditur, variisque exsuperantiæ symptomatis premitur.

Qui morbi in cysti fellis.

7.

Calculus in cysti fellis plerunque concrescit niger, sed tamen leuis, & qui aquæ immersus innatat, neque ita vt ille qui a renibus aut vesica euellitur, subsidet in imo. Origo illi est a flaua bile, quæ proprio cõceptaculo diutius coercita, nec tempestiue vacuata, nec nouæ bilis influxu renouata, mirum in modum obdurescit. Id autem inprimis accidit, quum vterque cystis ductus obstruitur. Huius quidem neque manifestæ sunt notæ, neque grauia symptomata, quibus certo ac facile detegi potest. At suspectus iis esse debet, quibus grauis & diuturnus fuit icterus. Decrepitus quidam senex, in iram mire propẽsus, post decessum sine felle ac sine cysti inuentus est: in cuius sede calculus ingens concreuerat. Quin etiã post diuturnum icterum oborto alui profluuio, huius naturæ innumeros calculos instar pisi aut hordei, in plerisque exturbari (*inquit Fernelius*) deprehendimus. Nos quoque vesicam felleam in corpore inciso post mortem, lapillis plurimis virescentib. subflauis, & nigris, ad flauedinem & viriditatem tendentibus, repletam conspeximus. Sic non desunt alii qui testati sunt, in folliculo fellis inter resectiones calculum innatum fuisse eiusdem cum felle coloris, quod in boue frequẽtissimum fuisse asserunt, *vt Benedictus medicus Veronensis testatur.* Ita & Iohannes Langius *epistola 57. libr. 2.* inquit: Nec tantum in renibus & vesica, sed in fellis folliculo bilis quoque, hepatis adustione, in lapidem concrescit: in quo, dissecto Frederici Ducis Saxoniæ, Cæsaris Romani Electoris, corpore, tres iustæ molis lapides reperti traduntur.

Lapilli in folliculo fellis reperti.

8.

Neoburgi ad Danubium cum virgo Vestalis continuis sub hypochondrio dextro torminibus affligeretur, & medici nec caussam tam diuturni doloris reddere, nec opem ferre possent, defunctæ corpus Illustrissimus Princeps Ottenrichus Comes Palatinus dissecare iussit: In quo cetera viscera præter hepar illæsa fuere: de quo folliculus fellis pondere lapidis inclusi pendulus, in substratum intestinũ procubuerat, quod mirum inoffenso fellis vtero, motu attriuerat. In muliere Diamantes vocata, (*vt refert Beniuenius*) vnus, in tunica fellis, atri coloris, & magnitudine castaneæ aridę inuentus est: & alii in panniculo, quo contegitur hepar: vnde etiam veluti in folliculo dependuli sacculum effecerant. Solent autem isti aliquando luteo colore pallere, nausea & cibi fastidio laborare, & diutina aduersa valetudine frui.

9.

Bilis porro in propria cysti nonnunquam tantopere exsuperat, vt hanc in ingentem distẽdat magnitudinem, ac tunc sane infesta est grauitatis pondere, pressu ac suffocatione, ructu, ardore, siti, iracundia, & si quando forte computrescat, febribus intermittentibus. Hinc igitur grauissima mala prodeunt, nec certe leuiora, quum affatim ea prorumpit. Cystis enim quum prorsus exinaniuit, omnemque bilem suam foras eructat, aut biliosas vomitiones, aut cholerã morbum, aut diarrhœam, aut dysenteriam, aut alia his finitima symptomata concitat. Non pauci e viuis erepti sunt, in quib. non alia interitus caussa comparuit, quam quod folliculus bile omnino esset exhaustus. Sed icterus qui ex obstructione meatuum ad bilis cystim pertinentium fit, repente (*vt diximus*) hominem adoritur, sine febre & magna corporis aut virium iactura. At ob iecoris inflammationem, totum quoque corpus biliosis excrementis perfunditur, propter magnum sanguinis incendium: vrinæ & alui excrementa flaua bile colorata sunt, febris concurrit vehemens, varie faciei color mutatur, sitiunt ægri, & in iecoris regione sensum grauitatis percipiunt: quemadmodum euenit Machtildæ Adriani, Delfis in duplici Cruce habitãti, acutissima feb. ictero cum inflammatione iecoris ad necem vsque laboranti, satis vetulæ, ad quam post tres septimanas prius ingressus eam, Deo iuuante, cum magna laude curaui. Fit etiam icterus per crisin in iudicationibus febrium biliosarum, vt exemplis ostendimus in lib. nostris de febribus: etiã fit ex venenata qualitate sanguinem corrumpẽte, sed de his postea suo loco, nunc aliud exemplum proferamus.

OBSERVATIO XVII.

De muliere ileo malo correpta, & in icterum incidente, & curata.

1. POtest aliquando icteritia fieri per communitatem ab intestinis, dum ipsa intestina sunt oppilata, vt in colico dolore & ileo, in quo casu bilis in intestinis retenta ascendit ad stomachum per reuolutiones intestinorum, & fit ardor in ventriculo & corruptio digestionis, vertigo, & similia: vti nuper euenit mulieri ex ilei dolore in icterum incidenti: quæ cum ingenti dolore torqueretur, & simul ictero affecta esset, clystere iniecto, statim melius habuit. Deinde adhibitis remediis deoppilantibus & ventositatem carminantibus, quæ etiam ad icterum facerent, admodum breui per nos fuit curata.

SCHOLIA.

2. ARculanus medicus insignis, cum varias caussas icteritiæ recenseret, tandem adiungit icteritiam fieri per communitatẽ ab intestinis, quando obstruitur extremitas meatus cystis fellis ad ieiunum intestinum, propter phlegmata, quæ sunt in ipsis intestinis obturantia orificium dicti meatus, vel dum ipsa intestina sunt oppilata, vt in colico dolore, & ileo. Et licet secundum eundem, in duplici meatu possit fieri oppilatio, ex qua icterus oriatur, nempe in illo, per quem folliculus fellis attrahit bilem ad hepar, aut in illo, per quem expellit ad fundum stomachi vel ad intestina: tamen cholera etiam crassa, replens intestina, potest esse caussa, cur cholera exsistens in cysti non veniat ad intestina, quãuis meatus sit apertus: & in hoc casu aliquando cholera retenta in intestinis, ascendit ad stomachum, & fit ardor & nausea in stomacho, & symptomata iam prædicta, & in his casibus non habens descensum per intestina, reuertitur ad hepar, & postea spargitur cum sanguine per totum corpus, & est caussa icteritiæ. 3. Hoc autem fit valde raro & non nisi sopita expulsiua, vel destructa, & sopito aut destructo intestinorum sensu, vel etiam destructa operatione villorum latitudinaliũ ipsorum intestinorum, quod aliquando accidit propter nimiam ipsorum extensionem: vnde colica est caussa icteritiæ, & antecedit eam, & aliquando icteritia antecedit colicam, quando propter oppilationem, aut aliam caussam colera retenta non venit ad intestina, ad stimulandum expulsiuam, & lauandum intestina. Et pendent ambæ, scilicet icteritia & colica, ab eadẽ caussa communi, vt puta ab oppilatione pori fellei, venientis ad intestina. Habetis & alia plurima apud eundẽ Arculanum, de caussis & signis icteritiæ; quẽ perlegere poteritis. Est tamen dubitatio de eo, quod dicimus, icteritiam fieri cum doloribus circa ventrem: quod etiam fatetur Auicenn. cum dicit, colicam cum ea iungi. Et nos sæpe vidimus in praxi ad colicum dolorem succedere icteritiam, & subsequi colicam ad icteritiam. Et ratio dictat, id fieri posse, quoniam caussa obstruens potest etiam dolores ventosos facere, si in aliam partem transmutatur. At Hippoc. *5. aph. vlt. aphor. ait:* Qui icterico morbo tenentur, non valde flatuosi fiunt. Exponit Gal. quoniam bilis materia non est generationi flatuum apta. Gignentur ergo solum flatus a calore debili. At aliter aphorismum exponit Iacchinus, & magis ad veritatem, quæ obseruatur experientia, quod verum est ex parte materiæ biliosæ flatus non fieri, sed non ex parte pituitosæ, quæ obstruit. Si ergo icteritia solũ fit sine alio affectu obstructionis, tunc flatus non fiet: si cum obstructione, tum solũ, cum est a grassis & viscidis & frigidis humoribus, quod sæpe contingit. Dubitatur secundo, pro curiosis verborum Gale. Nam si vis expultrix alienorum, vesicæ tribuitur, ergo & sensus quo percipiat, quod quãtitate vel qualitate est onerosum: ergo & neruis participat. At contrariũ huius dicitur *3. de facult. c. 2.* quod nullis neruis participat. Falsum vero hoc est, & contrarium his quę *5. de vsu part. 9.* dicuntur. Vetus interpres prorsus *affectus* legit: sed caussam non reddit, cur dicatur. Vnde manifestum est, quod neruis participat. Sic ergo legatur litera: nec tamen id similiter se habet in vesica iocinoris, hoc est, non sentimus ipsam grauari quanto vel quali bilis. Vnde manifestum, quod exiguis admodum neruis participat, i. quod habet exiguũ sensum: ergo exiguos neruos, quod etiam de vsu partium fatetur Galenus.

Quomodo colica potest esse caussa icteritiæ & rursus icteritia caussa colici doloris.

4. Dubium.

Solutio.

OBSERVATIO XVIII.

De febre acuta, post septimum diem cum icteritia cessante.

1. MVlier quædam Alcmariana, vidua, sæpius icteritiæ obnoxia fuerat. Hæc cum acute febricitaret & tertianam cõtinuam haberet, post septimum diem tota palluit, & icterica euasit, & a febre, bile per crisin ad partes exteriores elata, liberata est. Quæ deinde cum nullam sentiret grauitatem, tensionem aut dolorem, in hypochondrio dextro, manumq; huic loco admouens, cum perciperem neq; tumorem, neq; duritiem aliquã subsistere, atq; viderem alui excrementa esse naturalia, incolume iecur, iudicaui bilem effusam per totum corpus, cutemq; colore aureo defœdatam per modum crisis: ideo & a febre per illam expulsionem liberatam fuisse. Quæ etiam mox, sudore euocato per cutem, paucis remediis ab ictero conualuit.

SCHOLIA.

2. REcte scribunt medici, icterum quoq; per crisin posse fieri: quod quidem vitium febriente ægro, repente ac cumulatim superueniens, febrem si finierit crisin testatur, materia ex alto foras prorumpente, prouente nimirum ad cutem bilioso humore, ratione bonæ indicationis, *vt ex Paulo & Galeno liquet*, qui morbus regius, & excrementi vitio quoque generationem habet: eo siquidem crassiore existente potius quam multo, nam si tenuis eadem fuisset bilis, vtiq; & in eadem crisi foras propulsata fuisset. Id quoque confirmabunt alui excrementa, & vrinæ, quoniam vtraq; secundum naturam se habebunt, & ob eã caussam nullum visceris affectum declarabunt. Fit itaq; ex effusione bilis, quæ per iudicationem fit in febribus, *vt etiam aliquib. exemplis ostendimus in lib. nostris de febrib.* de quibus Hippocr. meminit *4. aph. 62. & 64.* Malum, *inquit*, est ante diem 7. icterum euenire in febribus: at die 7. & his, qui deinceps, bo-

Signa morbi regii ex crisi.

num est. Subiungit, nisi dextrum illum obdurauerit, hoc est, nisi morbus eueniat occasione affectus, qui omnes communi ratione morbum regium faciunt, eo quod obstruunt, *vt Galenus ait*, meatus fellis: sunt autẽ hi, vt diximus, vel illi meatus, quibus ex iecinore ipsa vesica attrahit bilem, vel quibus ex vesica truditur bilis ad intestina. Per duritiem ergo Hippocrates intellexit omnem affectum tumoris, seu phlegmone sit, seu scirrhus. Sæpe autem icterus fit ob aliquem affectum iecinoris, obstructionem nempe, inflammationem, vel scirrhum, *vt scribit Galenus*, quorum affectuum, cum nullus adfuerit, alteram caussam adesse constat, naturam videlicet, morbos curantem, nempe quæ ex crisi fit. Significat ergo hac sententia Hippocrates, tunc laudari debere regium morbum, cum sola naturę pulsione fit: & hęc est crisis, quam dicit etiam nõ semper laudabilem esse, sed solum a die septima. Cuius caussam Galen. scribit. Quoniam, *inquit*, ante septimam diem non potest bilis efferri per viam crisis in cutem: itaque necessario accidet ob aliquem iecinoris affectum, *inquit Galenus*, qui tres sunt; obstructio, inflammatio, scirrhus. Hæc quoq; ad signa prognostica pertinent: nam symptoma in qualitate mutata, insigne non est. 12. meth. Nihil ergo lethale significat, nec curam exigit, nisi ob fœditatem, a qua prouenit. Curam exigunt, vt inflãmatio venosi generis, vt scirrhus, vt obstructio, vt vesicæ infirmitas. Interea tamen, si pulsione naturæ fiat, *distinguunt Hippocr. & Gal. signo iam dicto*, quod ante septimam non laudatur, sed post septimam, non necessario, quia tũc etiam ex affectu iecinoris potest prouenire, qui etiam vltra septimam persistere posset, & mox bilis operationem operari. Intelligitur hic bona crisis, tẽpestiue & legitime facta: alias crisis erit symptomatica dicta, quæ ante septimam euenire potest: quare erit malũ, vel quia malam crisin significabit ante coctionem, vel malum iecinoris, aut vesicæ bilis affectum. Anceps tamen huius terminus videtur, cũm & ante septimum salutaris aliquando fuerit, *vt nos ex Hippocr. de Epidemiis ostendimus, lib. 3. de febr. Scholio Obser. 10.* Sic etiam apud Hollerium *c. 37. de morbo regio*, anno 1545. quidam sexto factus ictericus, commota aluo biliosa deiecit, vrinis nigris & multo felle tinctis: febris expers iam ambulabat, quasi omnino liberatus, 14. recidua, 17. obiit. Aliis duobus idem accidit. Quidam admodum robustus, ante septimum ictericus factus, ægerrime, & cum recidiua, euasit. Anno 1549. mense Aprilis & Maio (quo fere tempore Lutetiæ febres tertianæ exoriuntur) multis aureæ vrinæ, & morbus regius primis diebus. Cuidam nobili ita affecto detractus sanguis ter ad octo fere vascula iteratis vicibus. Sanguis totus & spuma & consistentia flauus. Visus est conualuisse 17. recidiua, alui profluuium, bilis crassa & meracior, singultus leuis. 21. obiit. Laborauerat aliquando lue venerea. Multos quoque in Epidemiis ante septimam euasisse legimus: In Coacis salutarem esse icterum 7. 9. 11. 14. Si indureretur, ambiguum. Galenus de rat. vict. in morb. acutis, in biliosa febre ante septimum ictero cum rigore vel horrore solui voluit: si vero absque rigore, ἔξω τῶν καιρῶν, lethale. Vbi criticum icterum, sine tumore, aut inflammatione hepatis, & excretionem consequentem, horroris vel rigoris nomine intellexisse videtur. Plura de his vide apud Altimarum, *cap. proprio de ictero*: & Amatum supra historiam illam, *centur. 3. curat. 40.* in quibus locis ad longum hæc res tractatur. Quod ad reliqua signa prognostica attinet, etiam & hæc adiungere possemus: Morbo regio laborantibus (*secundum Hippocr. aphor. 42. libr. 6.*) si fiat hepar durum, malum: nam & icteritia, quæ a lapide, & quæ a scirrho, incurabilis: quidam ferũt & carnem & verrucam in meatibus increuisse: Sed & Celsus, auctoritate Dioclis, testatur, quod si morbus regius post febrem oriatur, ex toto proderit, si post hunc febris, occidet. Icteritia si fuerit diuturna, periculũ hydropis minatur, potissimum si vrina etiam diu fuerit aquosa: tunc equidem obstructio magna a visceris frigiditate prouenit. At malum quoque est, prostratum appetitum esse, & ægrum vigiliis molestari, delirioque affici, sermonemque cum labore formare. Hæmorrhoides vero in hoc morbo fluere bonum. Periculis quoque obnoxius est homo, si icteritia confirmata laboret, & non curetur, neque materia expellatur: subito enim tandem cor aliaue aliqua nobilis pars opprimitur. Vrinæ innatans, quid simile orobi grano, malum, & vrina alba, parum tincta, *vide de his Arculan. & Auicen.* sed crocea & tincta magis, salutem denuntiat. Turgidus venter in regio morbo malus, & valde tumescens lethalis magna ex parte, & secundum Gradum infectio crocea per transennam commissuræ capitis anterioris, lethalis, hepate inflammato. Icteritia etiam sine febre, iuxta Valesc. in senibus pinguibus, raro aut numquam curatur, vt ipse sæpe expertus, materia crassa viscosa existente. Citrina magna ex parte velocius curatur nigra, & citius generatur ac terminatur. Citrinæ frequentis crisis sunt signa & ægritudinum hepatis, nigræ splenis, sed de nigra latius suo loco, quibus si hæmorrhoides fluxerint, præcipue in nigra bonum. Sed e splene nigra magis diuturna quam quæ a iecore: licet & hæc a iecore quandoque fieri posset: *de quibus vide Arculanum*, & etiam de viridi, cum triplicem icteritiam faciat: quanquam lien nunquam progignat icterum flauum. Quantum vero ad curationis rationem spectat, si icterici fiant ratione bonæ indicationis (*de quibus nunc agemus*) facile hi curantur (*Galeno teste 9. de compos. medic. secundum locos, & Aetio cap. 18. libr. 10.*) ex aquarum potabilium balneis, ac olei discussorii affrictione, & omnibus cutem rarefacientibus, quale est anethinum oleum & chamæmelinum, irinum & amaracinum. Similiter, (*vt inquit Aetius*) rosmarinus herba, oleo incocta, ipsum plurimum discussorium facit. Cum his præterea victus adhibendus est humidior, qui humorum crassitudinẽ moderate attenuare possit. *vt eidem Galeno visum est 5. de loc. affect. & Aetio præcitato loco.* Quanquam idem Galenus eodem loco

Marginal notes: 5. — 4. *Signa prognostica.* — 5. — 6. — 7. — 8. *Curatio morbi regii si crisis ratione fiat.*

loco præceperit taliter laborantibus, vt aqua, suapte natura calida, & cui discutiendi vis esset, vterentur: ex his namque quidam bonam valetudinem consequutus fuit, *vt ipse inquit.* Interea crisis choleræ ad cutem non est impedienda, sed potius adiuuanda aspectu rerum citrinarum (*vt Arculanus iubet*) & induendo vestes citrinas, & cum eductione per poros cutis, cum frictione, balneo, & sudorem euocantibus.

OBSERVATIO XIX.

De ictero absq; febre, sola purgatione & nodulo in ceruisia dependente & expresso, & ceruisia ebibita, curato.

1 NOBILIS matrona Kerckvveruia, non febricitans, & bene valens, toto corpore croceo facto 17. Sept. die, anno 1587. consilii caussa me adiit, cum subito ictero correpta esset, & excrementa alba & duriora essent. His duobus remediis miraculi instar statim conualuit: ℞ *syr. ex infus. ros. pallidar. cum foliis senæ ℥ j ß. diacatholici ʒ. ij. aqua agrimoniæ ℥ ij.* misce. detur in diluculo. Aluum egregie deposuit. Mox quotidie ceruisiam bibens, expresso nodulo infrascripto, in ceruisia dependente, conualuit: ℞ *marrubii exsiccati m. j. rhab. optimi incisi ℈ iij. schœnanthi incisi gran. v. croci orientalis gra. iij. spec. diarhod. abb. ℈ j.* fiat nodulus filo astrictus. Ita Margareta Teylingia, cognata nostra, ex solo decocto foliorum buxii in sero lactis, sine aliis remediis ab ictero curata fuit.

SCHOLIA.

2 SCRIBIT Diosc. succum marrubii e foliis contusis expressum, & sole coactum, cum vino & melle illitum, oculorũ claritatem adiuuare, naribus regium morbum expurgare. Memini anno 1559. mulierem nobilem vetulam de Auizaet, in Hagha Comitis ex ictero laborantem, ex oppilatione cystis fellis, admodũ diuturno, multis remediis adhibitis & purgationib. & attenuantibus, & decoctis, p medicos doctissimos, nõ potuisse curari; cui continuũ vsum syrupi & succo solo marrubii cõfecti, cũ zaccharo, admodum cõmendassem: quo cũ die vsa esset, ab omni flauedine icteri, qua per duos annos & vltra afflictata esset, curata fuit: ita, vt illum syr. pro curando ictero semper in summo honore habuerim. Sic quoque exsiccata herba in nodulo egregie ꝓfuit. Laudatur & apud Aetium cremor absinthii, & succi cichorii cyathi bini aut terni per se aut cũ vino poti, & verbenacæ rectæ aut oxalidis decoctum. Sanguinem hic non detraximus; mulier. n pituitosa erat, & catarrhis sępissime obnoxia. Sed hic videndum, ob auctorũ verba admodum varia, num venæ sectione in hoc malo sit vtendum? *In lib. de purgantium vi, sic scribit Galen.* Si, *inquit,* morbo regio laborantib. sanguinẽ miseris, extremam in perniciem ages. Hoc etiam argumento vtitur *in lib. de atra bile, ad monstrandum medicamenta proprium humorem trahere.* Alias, *inquit,* idem esset ac venam secare. Cur ergo nullus in his venam secare est ausus? Contra hanc sententiam est cõmunis schola. Nam Aetius, *Duo, maxima,* inquit, *sunt remedia, venæ sectio & purgatio. Sed venæ sectio, si sanguis abundet, adhibetur.* Sic etiam Auicenna. Respondetur, Icteritia secundũ se sanguinem mitti non poscit, id est, si nulla eius caussa adsit, sed solus affectus mutati coloris, & caussa q̃ est morbus, scilicet bilis fusio. Hic. n. bilis redundantia est: ergo purgatione opus est: hac iuueris; venę sectione nihil iuueris. Contra vacuantur omnes humores: *& 8. meth.* secat venam in vitiosi succi abundantia. Respondeo, hæc est sequestrata a sanguine: secundo hæc fixa est, nõ mobilis per venæ sectionẽ: quare vacuabis sanguinẽ depuratum. At vbi adsit caussa antecedens, a qua cõtinens foueatur, tunc distinguendũ est. Nã si ex copia eius in venis, corpus cacochymũ erit. Stultum ergo fuerit venã secare, ꝙ ad eam copiam attinet. Si vero copia hæc habet adhuc caussam, vt intẽperiem, nõ secabis; at si fit a phlegmone, eius gratia. Si vero copia sit, quia nõ expurgatur, tunc distinguas, ꝙ non expurgatur ob imbecillitatem; quare tunc sanguinem frustra mittes; aut non expurgatur obstructione; quę si a crassis & lentis, & sanguis abũdet, secato venam: si a scirrho, vel lapidibus, nõ secabis. Viso in quibus sanguis mittẽdus, nũnc reliquã curationem explere oportet. Hæc vero primo vertitur ad caussam, *vt Auic. recte inquit:* postea ad iam factum morbum. Si ergo caussa fuit naturæ impetus (*vt fuit in obs. 17. præcedente*) in crisi, nihil nobis erit negotii circa caussam, sed solũ circa affectum derelictum: quæ erit generalis cura. Si vero ex bilis abundãtia, vel ex intemperie, purgare bile corpus oportet, & intẽperiem sanare. Purgatio ex diaprun. sol. de succo rosarum. Intemperiem sanare supra docuimus, victu & medicamentis. Si sit ex calida intemperie, sine materia, tantum alterabimus, vt recte apud Arculanum & Gradum inuenies; alioqui si vna adsit materia, digeremus, euacuabimus, & malam intemperiem remouebimus. Formulas medicamẽtorum videas apud eosdem. Si ex immodico calore partium solidarum fiat, vtemur cibis humidis, *auctore Paulo,* & mediocriter refrigerantibus, ptisana scilicet, intybo, seri, cichorio, piscibusq;, & vino tenui aquoso, frictione, exercitio moderato, balneis, ex aqua potabili tepida. Sed prius distinguere oportet, num ex vniuerso corpore bilis procreata sit; tunc. n. neq; dolor aderit, neq; grauitas circa ilia, nec febris. Idq; tamen bifariam esse potest, vel propter solidarum partium calorẽ immodicum; vel ratione alimenti, ꝙ ipsis distribuitur. Ex vtraq; tamen caussa ꝓpter excremẽti multitudinem icterus oritur; quoniam cum expurgari nequit, vna cum sanguine per totum corpus defertur. Vna autem ab altera caussa distinguetur, interrogatione facta eorũ, quæ præcesserunt. Nam si multo tempore calidiorib. cibis ac potib. vsus fuerit æger, ciborum vitio tribuenda erit occasio. Vbi vero hæc non præcesserint, ex calida vniuersi corporis intemperie morbum regium excitari, audacter censeo. Eadem ratione, si ex alimento partibus distributo fiet. Fieri autem etiam potest ex veneno, vel aliqua caussa externa, citra febrem, sanguine in bilem exagitato, ꝓpter corruptionẽ aliq̃ peregrinã, ortam ex noxii medicamenti portione, aut venenatarum bestiarum

[Marginal notes: 3 *De venæ sectione.* — 4 — *De purgatione.* — 5 *Ex bilis abundantia & intemperie.* — *Ex immodico calore partium solidarũ curatio.* — 6 *Signa vniuersi corporis vitiosi fiat.* — *Signa ex aliqua caussa externa vel veneno.*]

morsu, *Aetio & Paulo testibus*, q; & exemplo probat *Gal. 5. de loc. aff.* cuiusdã imperialis serui, qui viperarum venationi deputatus erat; cum a vipera morsus erat, huic vniuersi corporis color fuit mutatus, adeo vt porri colorẽ referret: ex quib. caussis istar, interrogatione astantium & ægri facile cognoscitur. Si igitur ex veneno sit, propria curatio veneni exigitur Gal. Theriacen propinauit Morsui venenosorũ emendatur, trahendo venenũ exterius, vt culo gallinæ viuentis, & aliis, & emplastris, vt Arcul. iubet. Et partes tueantur *frigidis & stypticis, aqua ros. aceto & succis infrigidantibus propriis, debita adhibita strictura; & dentur bezoartica propria: & caliditas ac siccitas superflua impressa per* venena remoueantur. Si intus venenũ sit assumptum, adhibeatur vomitus, & secessus; & detur proprium remedium, si cognoscatur; frangaturq; eorum acuitas propriis præsidiis; & membra nobilia tueantur, & exstinguatur membrorum & humorum superflua caliditas. Idem iudiciũ esto de aliis caussis primitiuis; & remoueantur caussæ corporeæ, tũ febres, si adfuerint. Si caussa obstructio sit, ea remouenda: quare a venæ sectione humores parabimus, vt scribitur in lib. de vi purgantiũ, & 1. de natura humana. Hoc autẽ fit amouendo qualitatem, qua obstruunt, lentorem scilicet, & crassitiem; q́ fit dissecantibus & extenuantibus. Signum autem egregium, q́ soluta obstructio sit, est feces tingi, vrinam vero reddi melioris coloris: quod aliquando fieri sensim videbitis; confestim aliquando, vt in hac nostra Kerckvveruia euenit, in matrona de Auizaet valde sensim. Quę autem sint deobstruentia, supra abunde diximus: acida, acria, amara, quibus vtemur in cibis & potionibus quoad possumus; interim & acribus, vti clysmatis: postea conducent ea, quæ crassam bilem & pituitam purgant: in quibus diaphœnicon maius esse censetur, & elect. de succo ros. pilulæ aur. cum turbith & aggregatiuæ. in fine & rhab. infusio. Rusticis Iacchinus *succum cyclamini radicis* propinat *ad ʒ ij. cum vino albo*, post horas duas in stupham ducit, quæ & cutis tincturam per sudores purgat; qui etiam crocei visuntur in strigili. Si vero ex imbecillitate vesicę felleę sit caussa, primum corpus purgabimus, sæpe enim, vbi nõ adeo crassa est, sola purgatione & meatuũ apertione tollitur. Mox victus ratione conuenienti, & potione, q́ intemperiem sanat, curabimus: similiter & extrinsecus admotis. Cum n. iecinori sit annexa vesica fellea, vix fieri põt vt imbecilla fiat, q̃n iecur vna patiatur: quare cura eius erit cura iecinoris. Post hæc ad iã factum malũ descendemus, hoc est, bilẽ ipsam per summã cutẽ fusam vacuabimus. Id vero fit omnib. quæ ipsam in vaporẽ soluunt, extenuando, & aperiendo poros, per quos debet expurgari. Optime itaq; hic conducunt, quæ cutẽ rarefaciunt & sudorẽ cient, vt balnea dulcis aquæ, & frictiones, ex chamæmelo, & eius potio (*ante balneum*) ex vino vel aqua mulsa. Vide balneũ conueniens apud Rondeletiũ, & errhina purgantia bilẽ, si in oculis & facie perseueret affectus. Aetius anagallidis succo vtitur, nos et betæ, vel cyclamini, aut melanthio cum aceto.

Curatio ex veneno.

7

Curatio obstructionis.

Nota.

8

Ex imbecillitate cystis fellis.

9

Acetũ vero acerrimum, si naribus attrahat æger in solio desidens, contineatq; et pressis naribus paulisper, mirifice conducit, Paulo auctore. Addã adhuc exemplũ de ictero ex obstructione iecinoris.

OBSERVATIO XX.

De ictero cum obstructione iecinoris.

BARTHILDA Verlania, mulier me hercle proba, vxor Bartholomæi Teylingii, sororii mei, anno 1551. mense Aprili, in iecore dolebat, sine febre, potissimũ in hypochõdrio dextro, qui dolor totum diaphragma occupabat, & ad ventriculũ vsq; perueniebat: ideo ad vomitũ procliuis erat; sed nulla aut pauca euomebat: aluus retinebatur, albedine oculorũ bile suffusa: & deinde tota crocea euasit. Lotiũ tanquam croco in eo infuso spectabatur. Dolor etiam ventriculum cum ructibus & ventositatibus infestabat. Ex signis supradictis, cum ad tactum doleret, imo sine tactu, in hypochondrio dextro, dolore satis vehemẽti, cum grauitate, obstructionem in hepate esse cognoui; ex qua etiam icteritia orta est. Et quia aluus strictior erat, & ructus in ventriculo aderant: ilico clysterem iniiciendum proponebam: sed illa abhorrente, ex glande satis acuta (*ex hiera, melle, sale, & diagridio*) subdita, difficulter, & tantum semel, aluum deposuit. Cum morosa esset, & omnia medicamẽta respueret, post aluum solutam glande, licet libentius potionem purgatoriam dedissem, ad subleuandum tamẽ dolorem, hoc fotu coacti fuimus vti, cum & vna cum obstructione flatus admixti videbantur: ℞ *florum chamomill. meliloti, summitatum anethi an. m. j. sem. anethi ʒ ij. sem. fœniculi ʒ ij. sem. anisi. fœnug. ana ʒ iij. coquantur in aqua communi, pro fotu.* & bibebat hanc potionem: ℞ *flor. anethi, chamomill. scabiosæ ana m. j. sem. anethi ʒ j. ß. sem. fœniculi, anisi an. ʒ j. coquantur in ceruisia communi.* Ructus emittebat quidem ea potione; sed dolor non mitigabatur: quamuis & locus dolens oleo chamæmel. anethino simul mixtis inungeretur. Quo neque dolor cessabat, nisi fotu postea. Et tunc admisit medicamenta, & primo præscripsi hunc bolum: ℞ *cass. recens tracta, diacathol. an. ʒ ß. pul. cinamomi elect. ℈ ß. pul. arom. ros. sine musco. gra. iij. pul. sem. dauci gra. ij. fiat bolus; quo bis aluum deposuit.* Hypochondria oblinebat sequenti vngu. ℞ *dialthææ ʒ j. olei lilior. absinthii an. ʒ ij. misce. & bibebat decocti artemisiæ ʒ iiij. ʒ j. ß. cymini parum pulu. incocti*, ad ructus emittendos & ventositates. Verum dolor nondum ex toto mitigatus est; sed magis increbuit: ideo vsi sumus vesica fomẽtis impleta, & adhibita loco affecto, & sacculo ex iisdẽ reb. imposito, *& emplastris ex rad. althææ, flor. meliloti, chamom. absinth. decoctis adiectis, muccag. lini fœnugræc. & oleo lilior. supraindûctis,* omnibus istis nihil iuuantibus. Quare purgationem quoq; adhibuimus: ℞ *diacathol. ʒ ß. elect. de succo ros. hiera picra simplicis diaphœn. an. ʒ j. trochis. de rhab. ℈ j. ß. agar. trochis. ℈ ß. aqua fœniculi, bugloss. absinthii ana ʒ j. misce.* sumsit in aurora; & copiose eduxit pituitam. Et tribus magnis ventosis sub stomacho & hypochondrio dextro appositis, dolor incantamenti instar sedabatur. Remanente adhuc grauitate in hypo-

hypochondrio dextro, sed leui; & dolore iterum, sed non tam graui, subinde redeunte; ad obstructionem tollendam & icterum, hoc decocto vtetur: 4 ℞ *marrubii viridis, cichorii cum toto, dentis leonis cum toto, agrimoniæ, fœniculi, cassutæ, hyssopi, capill. Ven. fumariæ ana m. j. absinthii vtriusque, borag. ana p. j. quinque rad. aperitiu. ana ℥ ß. rad. liquir. ʒ. iij. semin. fœniculi ʒ ij sem. 4. frig. maior. ana ʒ ß. vuar. pass. ab arill. repurg. p. j. fiat decoct. in aqua communi, pro ℔. ij. addendo syr. de quinque rad. ℥ j ß syr. acetosi compos. syr. de cichorea cum rhab. ana ℥ j. misce.* in eodem decocto hic globulus pendebat, filo adstricto, quem exprimebat dum potionẽ mane hora vj. & meridie hora quarta biberet: ℞ *rhab. selecti ʒ j. ß. agarici trochis. ʒ ß. spicæ schœnanthi ana gran. v. croci oriental. Zinzib. alb. ana gran. iij crassius contusa in nodulo ligentur.* Et deinde iterum accepit superiorem purgationem in aurora: quæ cũ iterum copiose eduxisset pituitam & bilem vitellinam, ab omni dolore liberata est: & corpore exterius magis bile perfuso recte habuit. Interea post medicamenti operationem sumsit ius pulli ad reliquias abstergendas, & excreuit denuo biliosa. Pro roboratione iecoris sumebat ex tabulis diarrhod. abb. & tandem ab obstructione hepatis, tum ictero, Dei ope, sanata est; cum astantes ob insignem dolorem, quo prius detinebatur, illam pro deplorata habuissent.

Scholia.

5 VIDEBATVR hic obstructio esse in concaua hepatis parte, cum ictero; cum ad vomitum procliuis esset, licet non vomeret, tamen dolor ad ventriculum ascendebat, neque febricitabat, vt filius illius Berosii doctoris apud Amatum *centur. 4. curat. 83.* annos natus quinque, cui & iecur dolebat, & in eius oculorum albo icteritia percipiebatur; cuius lotium eius coloris erat, ac si multũ croci in aqua iniectum esset, non nisi ad nigredinem vergens; & stercus album conspiciebatur: cũ quibus ventriculus infestus erat, & ad vomitum procliuis; ita vt puer ea, quæ comedebat, sæpe euomeret: si ea tamen retinebat, in putidos ructus, caliditatem extraneam arguentes, incurrebat. Cũ quibus omnibus puer hic aliquantulum febricitabat, quæ omnia iecinoris concauas partes obstructas

6 esse declarabãt. Ideo pro victu ptisanam cum sem. melonis paratam dedit, aut amygd. cremorem, iusculũ pulli; & pro potu hordei decoctum. Et hunc syr. exhibuit stomacho ieiuno: ℞ *syr. de end. lupul. ana ℥ ß. aq. end. cichor. lupul. an. ℥ j misce.* & iecinori hoc emplastrum apposuit: ℞ *far. hord. rос. rub. an. p. j. ß. absinthii, lupinorum, chamomil. an. p. j. schœnanthi ʒ ij. croci ʒ j, olei ros. chamomill. an. ℥ j ß. cum decoct. chamomill. & ros. fiat emplastrum,* quo breui optime valuit; adeo vt sexto die epoto pharmaco ex rhabar. cum manna, sanitatem integram obtinuerit, stomacho quoque inuncto linimento infrascripto: ℞ *olei coton ℥ j. ros. ℥ ß. ceræ parum. ad ignem fiat vnguentum.* At nostra ægra validiora requirebat remedia, cum simul pituita cum bile vitellina eam magis affligeret sine febre.

Observatio XXI.

De ictero ex oppilatione meatus cystis seu pori fellei, tendentis ad intestina, vnde ingens colicus dolor sequutus, cum fecum induratione.

MVlier Alcmariana, quæ in platea Diuæ Annæ habitabat, annos viginti septem nata, cum peperisset, optime in partu habuit. At puerpera exsistẽs, post mensem a partu, cum forte non ex integro purgata foret, nimiũ cito sese aeri ventoso cõmisit: vnde icteritia oborta, ex obstructione meatus vesicæ fellis, tendentis ad intestina: mox subsequutus dolor ingens colicus, etiã circa hypochondriũ dextrum, versus partẽ inferiorem ventris; qui dolor postea ad ventriculum ascendebat, cum tanta angustia & vehementia, vt ab astãtibus pro deplorata haberetur. Postquam muliercculæ varia adhibuissent remedia & purgationes, quibus omnibus nullo modo aluus mouebatur, tandem coactæ fuerũt me vocare. Ingressus ad illam mense Septembri, anno 1549. animaduertens huius insignis obstructionis & doloris caussam esse materiam biliosam, & pituitosam ac flatulentam, omnium primo eam tollere decreui, nempe enemate infrascripto; cum illa quoque fateretur, se ante partum icteritia laborasse; at nunc multo grauius, cum fecum induratione: & quod in partu minus purgata fuisset: vnde malum ita auctum. Tale erat enema: ℞ *parietariæ, maluæ cum toto, mercurialis, artemisiæ, centaureæ minoris folio. viol. ana m. j. melissæ florum chamomill. meliloti ana p. j. semin. lini, fœnugræc. anisi, carui, ameos, petrosel. communis & macedonici ana ʒ j. coquantur in aqua communi, pro ℔. j. adde cassiæ pro clysteribus, electuarii, hieræ picræ an. ℥ ß. benedictæ laxat. ʒ iij ß. olei amyg. dulc. chamomill. ana ℥ j. olei scorpionis* (cum & lotium non bene redderet) *℥ ß. salis communis ʒ j. ß misce.* Bis excreuit: primo squibalas duras, ac excrementa alba; secũdo vero paulo liquidiora, cum exigua alleuiatione. Deinde vt hoc decocto vteretur mandaui: ℞ *melissæ, iuæ muscatæ, chamæpityos, cichor. end. marrubii ana m j. menthæ rubeæ* (ob dolorem stomachi) *m. ß. flor. chamomill. flor. cord. an. p. j. flor. ros. rub.* (ad hepatis & stomachi roborationem) *p. ß. cort. rad. fœniculi, apii, petros. an. ʒ j. liq. rasæ ʒ ß. sem. anisi, corian. præparati, agni casti, carui an. ʒ j. calami arom. incisi ʒ j. ß. cicerum rub. cassutæ an. p. j. hordei communis p. j. fiat decoct. in aqua communi pro ℔. j. ß. stent per noctem supra herbas, colaturæ adde syr. de artemis. de scolopend, de cichor. cum rhab. ana ℥ j syrup. de byzantiis ℥ ß. mis.* bis in die ex eo sumebat. Sed cum rursus dolor vrgeret, hoc fotu vsi sumus: ℞ *flor. chamomill. meliloti, absinthii, menthæ ana m. j. florum ros. rub. p. ß. semin. anisi fœnugr. lini ana ʒ ij. fiat decoct.* in aqua communi pro fotu, fiat fotus cum spõgiis, vt artis est. At cum dolor nec eo sedaretur a decocto suprascripto hanc purgationem exhibuimus (licet post fotum locus dolens inungebatur cum oleo chamæm. aneth. ros. simul mixti:) ℞ *elect. de succo ros. ʒ ß. rhabar. selecti pulueris. ℈ j spicæ incisæ & subtiliter pulueris. gra. iij. diag. gr. ij. cum aqua fœniculi, lupuli, melissæ an. ℥ j. fiat potio.* quæ satis fortis in puerpera: sed viti-

bus bene constantibus, & cum iam per mensem a partu progressa esset, optime tulit. Oportet enim in ictero ab oppilatione meatuum, forti vti purgatione. Quam equidem cum mane in diluculo sumsisset, septies aluum deposuit: & tunc vrinam valde tinctã reddidit; quæ & postea magis incrassata est, & crocea euasit, vsque ad nigredinem. Et ideo rursus adhibito fomento, non tantum dolor sedatus est; sed ægra ab icteritia liberata, & pristinę sanitati (*quamuis ab astantibus pro deplorata habita*) restituta est. Sed quod iam mente fere exciderat; a purgatione cepit cyathum iuris pulli, pro medicamẽti abstersione. Aliqui solo decocto rad. chelidoniæ curati dicuntur. Quo & feliciter vsus sum in muliere, in parte Orientali Delphis diuturno ictero affecta.

SCHOLIA.

4 PRo curatione huius mali, illud dictum Rhasis 7. Continentis circa principium, cap. de icteritia, diligenter considerandũ puto, quod ipse ab alio medico magni nominis audierat, hoc ipso affectu nullũ deteriorem esse, si eius curatio dimitteretur, vel in ea leuis error committeretur, cũ vidisset multos hac ratione exstinctos. Et ita nõ fuit mirum, ꝙ hæc mulier, neglectis optimorum medicorum remediis, perperã muliercularum pharmacis nescio quibus vtens, in summum discrimen peruenerit. Et ideo vulgus in remediis ictericorũ facile fallitur, cum non vna sit caussa huius mali, vt diximus, sed varia: quæ inprimis animaduertenda atque tollenda; & demum affectum amouere oportet. Vbi enim diu durat icterus, facile in peius vergit: cuius exemplum habes apud Amatum, *cet. 1. curat. 83.* de morbo regio, ictero dicto, ob crurum vlcera quædam occlusa eueniente, & postea in dysenteriam cruentam permutato, deinde in mortem, ob hepatis debilitatem. Et sicuti in puerperis hoc malum graue est, ita & in grauidis magis:

5 quib. si forte eueniat, vt aliquando euenire solet, a fortibus purgationibus & aperitiuis abstinendum est. Rondeletius his præscribit victum optimum, & hoc medicamẽtum carpis & pedum plantis admouet; quo sanitatem pollicetur: ℞ *foliorum visci quercini m. ij. chelidoniæ marrubii ana m. ß. contundantur in mortario, addito pauco vino; & applicentur.*

Rondeletii experimentũ in mulierib. grauidis icteritia laborantibus.

Ego tamen in Illustri Domina de Schagen, anno 1548. cum in vltimo mense partus icteritia citrina laboraret, ac iam fere tempus pariendi instaret, (quod etiam ad facilitandum partum faciebat, & ad icteritiam) hoc sequenti vino Hippocratis dicto, seu clareto, cum non febricitaret, commode vsus sum: ℞ *marrubii, pulegii, capill. Ven. verbenæ, artemisiæ an. p. j. calami arom. incisi* ʒ j. ß. *croci orientalis* ℈ j *cinamomi selecti* ℥ ß. *cum Zacchara & vino Rhenensi albo.* fiat claretum secundum artem, pro pinta vna. Et sumebat mane ex eo cyathũ vnum, & meridie hora quarta alterum. Eo cum vix vsa esset per quinq; aut sex dies, feliciter peperit, & ab icteritia in totum liberata est. Verum quia omnia aperitiua, vti & hęc erant, mẽses euocare possent, & partum immaturum ad exitum promouere, vt sequeretur aborsus; ideo hæc nullo modo competerent, nisi circa finem, cum partus instat, vt felicius procedat, vti hic euenit.

Historia mulieris grauidæ ab icteritia curata.

OBSERVATIO XXII.

De ictero nigro.

1 VIR quidam in via molitoria Delphis habitãs, cum per duodecim fere annos quartana laborasset (*quod multis portentosum esse videri potest*) totus niger euasit. Deinde cum nigro ictero etiam longo tempore tum quartana affligeretur, neque ab eo, neq; a quartana liberari posset (*quem quatuor annos, cum iam octo annis quartana laborasset, a pleuritide curaueram, quartana deinde post 14. diem a pleuritide curata redeunte*, consului, vt bona victus ratione vteretur, neq; amplius medicamentis se ipsum conficeret. Verũ postea contra nostrum consilium, cum vxorem ad me misisset, cui interdixerã ne empiricis fidem haberet, forte fortuna inciderat in Ægyptium quendam medicum (vt nostri vocant) qui illi pollicebatur ex vna potione sanitatem: qua cum esset vitæ pertæsus, die sequenti a potione exhibita obiit.

SCHOLIA.

2 QVAMVIS icterus niger ad lienem pertineat, hic tamẽ etiam de eodem malo aliquid commentabimur. Cum enim amara bilis seu citrina, auctore Gal. 3. de causs. sympt. a vesica iecinori incũbente expurgetur; ita nigra bilis seu melancholicum excrementum a liene expurgatur, eod. Gal. teste, *loco citato, & 2. de natur. facul. & 4. de vsu partium.* Tertium vero in venarum concoctione excrementum expurgans renes, nempe per lotium. At nunc loquimur de nigra bile; quæ si non separetur, succedit symptoma a Paulo *c. 49. lib. 3.* μέλας ἴκτερος hoc est, niger icter', seu ater morb. regius appellatus. Qui nihil aliud est (*vt ex eo auctore colligitur*) ꝙ delatio quædam sanguinis impuri, non expurgata ab eo nigra bile, in vniuersum corpus; vel proprii instrumẽti expurgantis imbecillitate, vel iis per quas expurgatur quomodocunq; obstructis, vel ratione ipsiusmet excrementi, cũ immodica fuerit eius quantitas. Lienis actionẽ, tum eius vsum vniuerso corpori cõmodum, habes & *2. de nat. fac. 4. de vsu partium. & 9. de compos. med. secund. loc. & 6. de loc. aff.* In ictero nigro totum corpus nigricat, & vlcerum cicatrices nigræ, *2. de fac. natur.* suntq; nigriores quam ab hepate. *5. de lo. aff.* & apud Paul. Lienem affectum esse notat dolor sub sinistro hypochondrio, teste Aetio *c. 7. lib. 10.* aut adest distẽsio, aut grauitas, seu tumor. Estq; hic affectus symptoma in genere affectus corporis, & in eorum numero, quæ visibilia dicuntur, ac totius corporis, *lib. de diff. febr. & 3. de sympt. caus.* Hoc vitio affectos sequitur tristitia præter rationem, & mordacitas eorum, quæ circa ventrem sunt, difficultasq; spirãdi: cibos auersantur & nigra lotia excernunt: aliquando autem & per quædam interualla corpora ipsorum tepescunt: stercora vero chalcanti colorem referunt; & aluus resiccatur, vt liquet ex Aetio, *c. 17. lib. 10.* Inter omnia signa præcipuum exsistit, ater vniuersi corporis color. Si sit ex obstructione meatus, adest grauitas & distensio; vel etiam dolor lienem exercebit. Si sit ex atra-

Quid sit icterus niger frequẽter morbus regius.

3 *Signa lienem affici.*

6 *Quis affectus præter naturam sit icterus niger. Signa eiusdẽ.*

Signa caussarum.

4

attrahendi potentiæ imbecillitate, cunctæ intemperantiæ caussæ esse poterunt, cum simplices tum compositæ. Fusissime distinguuntur caussæ ab Aetio *c.14.lib.10.* ab his, q̃ eduntur, bibuntur, & ex eis, quæ forinsecus cuticulæ iuxta sinistrũ hypochondrium accedunt: vbi etiam declarat num conferant vel lædant calida seu frigida. Frigida intemperies ab omnibus frigidis læditur, & calida iuuat: contra fit in calida intemperie. Si ex inflammatione splenis vel scirrho ater morb. regius excitetur, ex propriis signis indicatur, vt libro sequenti docebimus. Si fiat ex eiusdem excremẽti vitio, ex victu prægresso melancholico dignoscetur, siue ex signis frigidi ac sicci hepatis. Quãdoq; etiã vtroq; viscere laborante regius morbus euenire poterit, vt sequenti exemplo ostendemus, nigriore quam pro consuetudine veri morbi regii, subsequente colore, ita vt putaretur flaua bilis fuligini esse permixta, vt Gal. inquit, *6. de loc. aff.* aderuntq; indicia indifferẽter affecti tum hepatis tum lienis. Quod vero omnino grauius afficiãtur ii, in quibus atræ bilis humor vna cum sanguine ad cutem est delatus, quam in pallida, ab Aetio scriptum est *c.17.lib. 10.* Idem ater morbus regius, si diu perseuerauerit, nec obsequatur medicamentis adhibitis ac cedat, malũ est. Nam consentiente iecinore, aqua intercus succedet, vt liquet ex eodem Aetio. Vrina vero, si suam seruauerit naturalem dispositionem in atro morbo regio, salubre erit indicium: exiguam namq; indicabit lienis affectionem, nec adhuc eidem iecur consentire. Icteritiæ nigræ euentus rarior est quam citrinæ, & magis prolõgatur, & difficilius curatur. Si sit ex intemperie, ea corrigenda iuxta Aetium. Et si sit viarum obstructio, & copia nigræ bilis cum sanguine, vena interna cubiti sinistri, liene affecto secetur; non tamen copiose, sed per vices potius, si opus sit. Si vero nigra bilis redundet per vniuersum corpus sine sanguine, vel aliquid sectionem venæ impediat, purgatione exhaurienda est, eodẽ humore prius concocto ac pręparato cũ medicamento atram bilẽ expurgante; vt cum syr. de succo fumariæ, de pomis, cum oxymelite, aqua lupul. &c. & cum purgatione folio. senæ, myrob. indor. epithymo, confec. hamech. Deinde extenuãtibus, sed validiorib. q̃ in hepate, vtendum, *cum aceto mulsi. cort. cappar. rad. thamarisc. scolopẽdrio.* Si sit ex inflammatione, seu scirrho lienis, curetur, vt suo loco dicemus. Si fiat vitio alimentorum seu potuum vim habentium succum melancholicum gignẽdi, adhibeatur victus ratio contraria, *vt cap. de melancholia scriptum est.*

Prognostica.

5

Curatio.

Observatio XXIII.

De icteritia nigra, ex vtroq; viscere obstructo.

1

BARTHILDA Verlania, de qua ante dictum est, anno 1554. cum per integrũ annum quartana laborasset, & in accessu febrili, consilio pharmacopœi, accepisset destillatũ agrimoniæ cũ aceto, (quo quidam vtuntur ad quartanam) ingens dolor postea obortus: & rursus laborare cœpit icteritia ad nigredinem & viriditatẽ inclinante, tam ex lienis quã iecoris obstructione; sed hypochondrio dextro magis dolente. Cui hæc præscripta sunt: ℞ *marrubii, agrimoniæ, cassutæ, ceterach, fumariæ, ana m. j. cort. rad. fœnic. cichorii an.* ℥ *j. cort. rad. thamarisci, cappar. an.* ℥ *ij. end. capill. ven. absinthii Romani an. m.* ß. *sem. anisi* ℥ *ij. follicul. senæ* ℥ *j* ß. *prun. damasc. nu. xv. epithymi, polypod. quer. an.* ℥ *iij. fiat decoctio in aqua communi, pro* ℔ *j. colaturæ addendo syr. de cichor. cum rhab. de end. de epithymo an.* ℥ *j. misce,* ex eo bis in die sumebat, quando non febricitaret: & quia eramus in æstate & fine mensis Iunii, a quartana, (*quod dictu mirum est*) hoc apozemate fuit liberata; remanente tamen ictero nigro & dolore. Sed cum idem fere decoctum sumsisset absque sena, decoctis in aqua floribus chamomillæ, adiectis iisdem syr. cœpit aliquantulum a dolore leuari. Sed hoc fotu deinde adhibito, cũ dolor in hypochondrio dextro grauius rediret, ab eodem liberata est: ℞ *rad. althææ* ℥ ß. *flor. chamom. meliloti ana m. j. absinthii Rom. folior. viol. maluæ flor. ros. rub. ana q. j. santali citrini & rub. ligni aloes ana* ℥ *j. sem. lini, fœnug. an.* ℥ *ij.* ß *sem. maluæ* ℥ *j. coquantur in aq. chamomill. end. an. q. s. & in fine adde vini Rhenensis* ℥ *iij. aceti optimi* ℥ *j.* ß. *misce. fiat fotus:* quo dolor cessauit. Sed cum aluum non bene deponeret, rursus decoctum præscriptum est, vt prima vice; etiam nodulo iniecto *ex rhab. select. agarici trochisc. an.* ℥ *j.* ß. *& spica* ℈ *j. adiectis syr. de scolopend. de Byzantiis, oxyzacch. compos. ana* ℥ ß. *syr. de cichor. Nicolai, cum rhab.* ℥ *j* ß *misce. & aromatizetur cum* ℥ *ij. cinamomi selecti, & specier. diar. hod. abb.* ℥ ß. Deinde ex iisdem fere herbis præscripto longo decocto, tandem curata fuit.

2

Scholia.

3

AB vtroque viscere etiam atrum posse euenire icterum, diximus. Et quia hęc matrona quartana laborauerat, tam ex liene, vel potius vitio totius euenisse potuit hic icterus, quam etiam vitio hepatis, cum & in hypochõdrio dextro magis doleret. Cum autem morb. regius ater ex intemperie iecoris aliquãdo euenire possit, sine liene affecto, tunc corpus minus atro colore tingitur: nã si a solo liene, totius corporis admodũ niger erit color. Verũ hic & liẽn afficiebatur, ob quartanam pręcedentem. At vbi vtrisq; simul viscerib. laborantib. contingit, hanc icteritiam nonnulli viridẽ appellare solent, cum ad viriditatem color inclinet subinde, iuxta Auicennam, tũ Arculanũ, qui eundem sequitur: & vocatur icteritia viridis, ex participatione icteritiæ citrinæ & nigræ: vti etiã istis dieb. vidimus in puella, quæ tanto pallore cõspiciebatur, vt viridis appareret. Verum vbi icteritia nigra vna cum citrina iungitur: & ab vtroq; viscere tum bile flaua ac atra fit, si adsit repletio totius, vel secundũ hepar, vel secundum lienem, vena secanda erit vtriusque cubiti interna, vel in manu, vt alii volunt, modo de vna, modo de alia, alternis diebus; & pro ratione redũdantiæ alterius bilis, ac magnitudine affectus alterius visceris, maior ex vno quã ex altero cubito quãtitas sanguinis exhauriatur: quanquam semper eadem venæ sectio moderata esse debet. Sed in hac matrona, quia diu laborauerat quartana, cui in principio vena secta fuerat, venam nunc non secuimus: neque huic puellæ la-

Icteritia viridis, vel mixta ex vtroq; humore, & vtroq; viscere.

4 *Curatio.*

ranti viridi ictero, in cubito aut manu venā secuimus, sed potius in talo, cū menses restricti essent: cui etiam dedimus a venæ sectione infusum rhab. cum decocto senæ. Deinde, ex mente Hollerii, cū eiusmodi virginibus talis fœdus color oboriatur, dabimus purgationem, *ex hiera picra ℥ j. ß. cū aqua alkekengi, cassuta, end. & oxymelite; vel hierā picram cum rhab. & agar. trochis.* Vide eundem. Verū sicuti hic victus ratio communis esse debet vtriq; visceri conducens: ita & purgatio vtrumq; succum aspiciens dari debet, *eisdē succis prius præparatis syr. de succo fumariæ, cichorii, oxym. cum aqua borag. lupul. end. & cassuta:* Deinde purgādum cum infuso rhab. senæ, epith. vel diacath. & diasenæ. A purgatione vtriq; visceri cōsulendum, magis autem aut minus vni, vel alteri, prout vnus visceris affectus, vel alter magis vrgebit: nunquam tamē altero neglecto. Quod etiam de emplastris, linimentis, vnguentis, fotibus, intelligendum est, tam roborantibus intus vel extra admotis, vtrique visceri conuenientibus, simul mixtis, modo vni, modo alteri magis cōuenientibus. Absoluto itaq; ictero, nunc progrediamur ad alia symptomata, nempe cachexiam & hydropem, licet vtrique visceri quandoq; communia, sed præcipue hepati, cum sine hepate affecto non contingant; quamuis ab aliis membris etiam incipere possint, sed non absque hepatis consensu, cum hepar sanguificationis organum, (*vt iam sæpe dictum est*) exsistat.

Observatio XXIV.

De cachexia.

Vir quidam Alcmarianus, annos quadraginta excedens, in autumno post febrem erraticam crura habebat valde inflata; quæ quidem inflatio a pedib. incipiebat & tibiis: mox & femora, deinde & totum quasi corpus, tum faciem ipsam, & palpebras ac labia & gingiuas, occupauit; quæ omnia ad albedinem declinabant: ita vt totius corporis moles augeretur, & simul ad colorem album declinaret; & tandem testes quoque inflarentur. Hunc vero præ manibus habebat empiricus: qui cū curare eum non posset, tandem aliqui ex amicis me ad ægrum deduxerunt. Cum vero animaduerterem huius corpus non aliter inflatum esse quam pastam fermentatam (*quemadmodum Serapio medicus ille antiquus dicebat*) in qua digiti impressi manebant; hunc cachexia correptum esse intellexi. Cui, cum nauta esset, & non diues, iussi vt continua potione absinthii in ceruisia communi decocti vteretur, egregie. n. prodest: & vt hæc simplicia, *nempe hyssopum saluiam. absinthium, iuam arthriticam, agrimoniam, cassutam, marrubium, ceterach, & rad. ebuli, ireos in vino decoqueret, & vt aluum purgaret cum ℥ ß. diaphœnici: mox dialacca, diacurcumo, & theriaca* vteretur, sed & hoc decocto prius præscripto. *℞ cort. rad. apii, ireos, ebuli an. ℥ j. rad. bryoniæ ℥ j. rad. enulæ ℥ ij. ß. hyssop. capil. ven. cuscutæ, agrimoniæ, absinthii vtriusq; an. m. j. follic. senæ ℥ j. ß. agarici fœm. albi & leuis, rad. esulæ an. ℥ ß. Zin. albi, cinamomi selecti, schœnanthi an. ℈. ß. rhab. selecti ℥ j. spicæ gra. v prun. damas. (q a durioris alui) nu. xv. vuar. pass ab arill. repurg. ℥ j. liquir. rasæ ℥. ß. sem. anisi ℥ iij. sem. carthami ℥ j. ß. sem. genistæ ℈. ij. fiat omnium decoct. in sero lactis, pro ℔. j. ß. col. zacch.* dulcoretur. Ex quo modo semel, modo bis in die sumens cyathum vnum, quotidie quinquies aluum deponebat. Et mox cum theriacam, & alia iam dicta sumsisset, præter spem conualuit.

Scholia.

Cum vniuersus corporis habitus, quasi in aquositatem diffunditur, affectus quidam oritur a Græcis καχεξία, a Latinis malus corporis habitus dictus, principium hydropicarū passionum, teste Paulo *c. 47 lib 3.* exsistens. Vniuersa corporis miscella laxior fit ac emollescit, vt Aetius refert *c. 19. lib. 10.* Vnde non vna duntaxat pars, sed totius corporis habitus oblæsus, nempe illæ partes, quæ oculis primæ subiiciuntur, & musculi & quæ ossa ambiunt, & cutis. Corpora inflantur, quæ premēti digito cedunt; tument facies, genæ, pedum manuumq; digiti. Cuius rei caussam in quæstionibus Arist. percontatus est, dicens fieri ex naturalis caloris imbecillitate aut alimento impuro, quod facile corrumpatur: vnde a membris abominabile reiicitur, neq; ob eam caussam vnitur, sed tanq̄ virosum respuitur, & ad inferiora repellitur. Addūt alii & humoris grauitate id effici, aut quod motibus pedes magis defatigentur, & à caloris fonte remotiores sint. Faciem namq; & genas, quod rarioris materiæ sint, ob id facil' inflari; & humoris glutinosi materiā nō facile ab exiguo calore consumi. Scrotum interdū & inguina tument, vt huic viro: vrina vix demittitur, ac sudor ferme nullus apparet; venter deinde inflatur, & vlcera, si quę innascuntur vix coalescunt; lente & grauiter ambulant. Vniuersum etenim corpus (*vt refert Aetius*) virore albicans redditur, ac inualidum; ita vt crura interdum vacillent: & in principio quidem concoctiones impediuntur, manēte etiamdum appetitu; postea vero & fastidium accedit; & respiratio ipsis fit rara ac debilis, quæ motibus & actionibus condensatur: aluus etiā inæqualia recrementa excernit. Aliqui, vt Donatus, hunc affectum præter naturam propter intemperātiam frigidam & humidam, ad morbum referūt; vel ad symptoma, respectu coloris totius habitus. Et ita secūdum alios est morb. frigidus materialis ac humidus, ex iecoris infirma digestione, sanguinē aquosum generāte, qui mēbris legitime agglutinari nō potest: vnde membra præter naturam intumescunt, ac præmollia efficiuntur. Quę quidē totius corporis immodica refrigeratio ac mollities, ex nulla alia re, q̄ ex sanguificationis defectu ꝓuenire poterit: quæ vbi immodice amplius augeatur, generādi hydropis caussa erit, vt dicemus de hydrope. Et propterea Paulus principium aquę inter cutem appellauit hanc affectionem: & Arabum princeps Auicenna, dispositionem antecedentem hydropisin: quo fit, vt neq; generari idem malus corporis habitus possit, nisi & iecur ipsum siue primario, siue per consensum fuerit affectum, ac imbecillū redditū, propter frigidā eius temperaturam: ob quam sanguinem optimum generare nequit, ac pro nutrimento vniuerso corpori eum suppeditare; sed ipsum

6 psum frigidiorem, serosiorem, &(*vt ita dixerim*) magis pituitosum generat ac distribuit. Et propterea (*vt inquit Aetius*) vt plurimũ hęc affectio ex longo morbo cõgregatur, aut ex viscere quopiam in scirrhum indurato consequitur: maxime hepate & splene: neq; raro in dysenteria diuturna, & affectionibus cœliacis contingit, item ob consuetam aliquam cohibitã excretionem. Sæpenumero euenit ex immodica sanguinis profusione, in viris pſertim per hęmorrhoides, aut in mulieribus per menstruas purgationes: quemadmodum & aqua intercus generari consueuit. Et (vt in vniuersum dicam) quęcunque caussæ iecur ipsum, ac vniuersum habitum infrigidare valent, siue internę, siue externæ fuerint, huiusmodi affectionem generare poterunt: quas dignoscere haud difficile erit, tum ex re ipso, tum etiam ex laborantium seu astantium loquela. Quæ inquam, omnia exemplis clariora euadent.

Observatio XXV.

De cachexia ex mensibus retentis: & de altera, ex nimia mensium profusione.

1 Anno 1546. mense Aprili, cum ex Gallia in patriam rediissem, Cornelia Ioannis, cognata mea, ac filia auunculi mei, cũ cachexia aliquandiu laborasset, & de hydrope metus esset, & cum toto corpore pallida esset, ac mollitiem contraxisset, ob menses retentos, vix respirare potens inter ambulandum: cum me in consilium adhibuisset, hunc syrupum omnium primo exhibui: ℞. *oxym. squillitici ℥ j ß aquæ melissæ ℥ iij misce. capiebat vnica vice.* Deinde eandem purgaui hoc modo: ℞. *diacatholici ℥ j benedictæ laxa. ʒ ij cum ℥ iij. decoct. absinthij, matricariæ, artemisiæ, fumariæ, summitatum lupul. end. cichorii, addendo mellis rof. colati ℥ j. misce, fiat potio,* qua quinquies aluũ depoſuit. Mox vena saphena dicta in talo aperta, mediocriter sãguine effluente: & ebibito decocto *artemisiæ, flor. chamomill. sabinæ, in vino Rhenensi, adiecto zaccha. & pauco cinamomo,* ad modum clareti, mensibus apertis: & sumendo dialaccam & diacurcumam in tabulis, curata fuit: etiam cachexia in totum euanescẽte: adeo vt nõ diu post viro nupserit, ac mater deinde multarum prolium effecta fuerit. At vxor magistri Theodorici, prope templum nouũ Delphis habitans, contraria caussa in cachexiam, mox & in hydropem leucophlegmatiam incidit, cum per tres fere annos insigni mensium profluuio fere continuo laborasset, quanquam per nos subinde restringerentur bonis præsidiis ac diuersis: sæpius tamen proluuie illa redeunte, ad extremam debilitatem deuenit, & hepate valde refrigerato & debilitato cachexiam incurrit, tãdemq; & hydropẽ, ita, vt postremo pro deplorata haberetur, pedibus supra modum intumescentib. etiam facie valde inflata, vt postea neque incedere posset. Variis per me adhibitis remediis attenuantibus & vrinam cientibus, & ad hydropem facientibus, etiã post vniuersalia remedia, & quæ aquam ducerent & ad renes diuerterent materiam aquosam, subinde exhibui dialaccam & diacurcumam: quo factũ est tandem, vt multam materiã, aquosam per lotium continuo effuderit. Ad pedes supra modum tumidos & magna mole inflatos, ac œdematosos, vt hoc balneo vteretur mandaui: ℞ *foliorum sambuci, sampsuchi, seu maioranæ, florum chamomillæ Romanæ, florum rorismarini, vna cum floribus, saluiæ, foliorum lauri ana qu. s. cumini parum contusi, salis communis ana p. iij. fiat omnium decoctio in aqua & aceto acerrimo.* Mane balneo sic parato, in cupa mediocris magnitudinis vimen intertextum instar cancellorum supra vas vel cupam ponebatur: & pedes nudi supra eandem cupam vel vimen intertextum positi. Et vestibus vndique circumcinctis, fumum hoc modo ex vase euaporante recipiebat: & sic poris apertis sudor ꝓuocabatur. Et postea in eadem aqua pedes balneabantur. Quod quidem omni mane, stomacho ieiuno pluribus diebus fiebat. Deinde postea, cum pedes, crura & femora detumescerent, in eodem balneo immissis & demum exsiccatis fasciis circumducebantur: quod cum continuaretur per aliquot dies, crura œdematosa miraculi instar detumuere: & paulatim non solum a cachexia, sed & leucophlegmatia, remediis ad hydropem aptis, & hæc probe curata fuit, & nunc etiam recte valet, quæ ab omnibus pro deplorata habebatur. Viuit & hoc tempore, anno 1594.

Scholia.

4 *Signa prognostica.* Qvi autem ex nimia profusione mensium cachexiam incurrũt, facile in hydropem incidũt, vt in hac vltima muliere (*quãquam euaserit*) cõtingit. Si enim cachexia a stomacho & intestinis ortum habere videatur, tympanitem imminere demonstrat: si a felle, & a liene aut renib. ascitem portendit: si a venis demum ac aliis membris inique nutriẽtib. corpore tumorib. inæquali, hyposarcam denuntiat affectus initium. Capiuntur quoq; hac affectione maxime senes (*teste Aetio*) qui et maxime liberantur: imo & pueri, qui facile pereunt, ꝓpter vitalis firmitatis debilitatem, & quod succi facile ob raritatem cutis in eis transpirãt. At q in vigore sunt, raro in hoc malum incidunt, & facile se extricant. Cum myrach & venter inflatur, in ascitim terminari volũt quidam; & vbi testiculi inflãtur: alioqui vbi totum corpus in molem accrescit, in hyposarcam. Ideo non negligenda erit huius affectus curatio, *vt dicebat Aetius*: nam si diutius protelabitur, in aquam intercutem transit. Quidam aiunt, quod facile curetur malus corporis habit⁹, nisi pẽdeat a caussa incorrigibili, vt a pulmonis apostemate, aut aqua retẽta in eo, vel ab hepatis aut ventriculi apostemate, & similib. quib. & nos addere possemus, nisi & ab alicuius visceris scirrho confirmato originẽ traxerit. Curatio cachexię eadem est cum hydropis curatione, vt Valescus adfirmat: quare & ægrũ retinet in summa abstinentia. Ita si consueuit comedere in prandio vncias sex panis, tres tantum exhibet: & si consueuit bibere quatuor metretas vini, duas tantum propinat: iubetq; ægrum a mensa cum fame & siti surgere. Sed hic caussa spectanda, num vires prolapsæ ex profusione: tũc ægrum

aliquãdo ob imbecillitatẽ nutrire debemus: cum cibis tamen & nonnihil attenuantibus. In genere, aer eligendus ad calidum & siccum vergens: in frigido. n. & humecto cœlo habitãdum non est. Eadẽ de caussa frigidę humidæq; tempestates obesse creduntur, somnus moderatus sit ac nocturnus, lõgus autẽ atq; diurnus omnino vitetur.

6

Moderatis deambulationibus, gestationibus, vociferationib. & frictionib. siccis per linteola ex lino crudo vtendum. Post quæ & exercitamẽta moderata cõducunt, eodẽ Aetio teste. Mœror quoq; & otiũ vitanda sunt: neq; a cibo statim ambulãdum, nisi lẽte ac suauiter. Venus damnatur. Iuuat exinanito corpore subirasci interdum. Marinę præterea natationes iuuant, nitrosę, sulphuratę ac aluminosę, vt Ægineta aliiq; scripserunt. Conuenit & thermarũ vsus: sed caueant a balneis egressi statim frigidam suspectam haurire. Nec non arena litorum maris præcipue tenuis, & solibus candens, in medicina est siccandis corporib. coopertis cachecticorum, hydropicorũ, aut rheumatismos sentientium. Sed velare caput a solibus necesse est; egressi pariter ab arena, frigidam non bibant, neq; cum cibum capiunt.

Victus ratio.

7

Aluus humecta sit, natura vel arte, cum clysterib. ac glandib. Dannãtur cibi potusq; difficilis concoctionis, qui oppilant quique praui sunt alimenti. Cibi igitur eis offerantur simplices, & qui facile cõcoqui possunt, optimumq; sanguinẽ gignere. Inter obsonia perdices, auiculæ: inter quas alaudæ, luscinię & similes iis laudantur: sicuti turtures, phasiani, colũbacei syluestres, & palumbes pulli; quibus cinamomũ, garyophyllum apte inserimus, aut crocum: exiguo addito masticis. Inter hortensia, pro plebe, porrum, sinapi, allium prodest cõ manducatum: & quicquid summatim attenuat, aperit & deglutinat, ex caussa frigida: in iis omnibus temperamentum quærendum est. Inter tragemata id vtile esse prædicãt: *℞ pistaciorũ ʒ ß. passul. vua. anisi mund. ʒ j ß. maceris ʒ j. ß. cinamomi ʒ ij. zacch ℔ ß.* Vinum autem conuenit eis *album, tenue, & odorum*, vt liquet ex Aetio. Aquę potus omnino vitandus erit. In vniuersum, victus sit tenuis & siccus, vt inquit Paulus. Verum diæta vniuersa virib. reparandis sit apta: per quam (*vt refert Aetius*) spes est, eos qui huic malo sunt impliciti, ad restitutionem in integrum peruenturos.

8 Vena sectio.

Quod ad reliqua præsidia attinet, varia perhibẽda prout caussa sit varia. Si consuetæ excretiones sint retentę, ex iis si oriatur affectio, sunt prouocandæ & irritandæ, iuxta Aetiũ: qui venam incidit in cubito, si nihil sit quod id fieri prohibeat: paulatim, partitis vicib. per triduũ sanguinem detrahendo, eod. Aetio & Paulo testibus. Nos potius in nostra prima muliere in talo venam secuimus, cum affectus ex mensibus astrictis originem haberet.

Purgatio.

At si venæ incisio impediatur, aut vitiosorum copia laborant ægrotantes, ipsos purgare oportet (*relicta vena sectione, quæ eisdem noxia est*) non semel duntaxat, sed sæpius ac paulatim, vbi vsus postulabit, prius præparatis & attenuatis humoribus per decocta & syr. conuenientes: cum syr. byzantino, cũ aqua agrimoniæ & seris, si caussa adsit feruẽs, alioqui syr. de eupat. cum aqua apii & petros. deinde si materia sit caussa, cum hiera piera, cum rhab. myrob. agarico, prout materia exigat.

9 Medicamentorum ratio.

Non desunt q & hic vomitũ laudant, ex syr. acetoso infuso cum ra. phano. Sed vehemẽtiora cathartica vitanda ne stomachum lædant. Demum aperientibus & vrinam cientibus, & nonnunquam vehementib. clysterib. opus est. Valde hic cõmendant (*vt Paulus*) absinthii decoctũ. Si a caussa calida vitiũ oriatur, calida frigidis pmiscenda, cum iis, quæ aperiunt & iecoris vires confortant: ob eam caussam species diarrhod. cũ nouitia rosacea ac dialacca, pro commisti humoris cõiectura, temperabis: & cũ zacch. tragemata conficies, cum eupatorii aqua, seris erraticæ portione, mane & vesperi dabis. Ex frigida caussa diaspermon, cũ dialacca mane & sero, cum apii aqua & eupatorii. Eadẽ aliquando huius cura est, quæ imbecilli hepatis, eademq; cũ affectu, quem præcedit, & quẽ sequitur: vt si cachexia sequatur scirrhum, & vergat in hydropem, tunc victus satis sit exsiccans & attenuans.

10

Exsiccandum quippe ob humiditatem incipientem, aut serum, qđ est factum ab intemperie & imbecillitate hepatis; attenuans autẽ, vt semper huius affectus caussa oppugnetur, ne scilicet materia crassa scirrhum faciens gignãtur. Eadem est ratio medicamentorum. Sed tum habitus vertitur in aquam, magis digerentibus, q̃ humidis emollientibus, magisq; farinis siccis, quam fotibus & oleis, vel decoctionibus, vtemur. Si cachexia fuerit ab immodica sanguinis euacuatione, corpus reficiendũ humidis: partes refrigeratæ calfaciendæ, & habitus corporis siccandiuis. Cuius exemplum postea adhuc vnum adiungemus. Quod si fiat ex sanguinis retẽtione, hæmorrhoidas aperimus, corpus leuiter laxamus: ad quas omnes caussas his pilulis cum magna experientia vtitur Rondeletius: *℞ pul. dialacca vel diacur. ʒ j. rhabarb. ʒ ij. diarrhod. abb. diagal. ana ℈ j. cum syrup. de absinth. fiant pilulæ paruæ. capiat quarto quoquo die pilul. 4. mane.*

11

Quod si affectus hic sit cum intemperie calida, aut fluxu immodico, fiat, vt sequitur, pro febre sic: *℞ trochis. de rhab. ʒ ij. rhab. ʒ j. agar. ʒ ß. pul. diarrho. ℈ j. cum syr. capill. ven. fiant pilulæ; capiat sex bis in hebdomada mane: superbibendo aqua end. cich. an. ℥ j.* Si febricitant, magis conueniunt syr. quam pilulæ. Sed qui tam diu vsi sunt syrupis, his minus molestæ. Syrup. cõuenientes sunt de byzantiis, de eupat. capill. ven. end. compos. vel de cich. cum rhab. vel end. addendo rhab. idem præstabit. Si cum fluxu immodico sit affectus, pilulæ sic fiant: *℞ myrobal. citrin. cheb. indo. an. ʒ j. confricentur cum succo ros. rhab. electi ʒ ij. diarrhod ab. & trions. an. ʒ ß. cum syr. capill. ven. fiant pilulæ. capiat duas mane in exitu lecti.* Post harum vsum fere in omni caussa conuenit opiata sequens: *℞ ciner. pellis ventriculi & intestinorum gallinæ an. ʒ ij. cineris cancrorũ marinorum, lotorum ante & post vstionem, ℥ j. conser. flor. cichor. capil. ven. an. ℥ j. pul. arom. ros. diagal. ana ʒ iij cum syr. capill. ven. fiat opiata* (quando intemperies calida seu febris adest, diarrho. & pul. trionſ. loco aliorum ponatur) *capiat singulis matutinis.*

12

Quod si aqua euacuata

cuata sit, superbibat parum vini diluti aqua graminis & asparagi. Si adsit caliditas, aqua cichor. & end. Si refrigeratio, aqua absinth. & menthæ. Si fluxus, aqua capill. ven. & absinthii. Linimenta supra hypochondria, sunt, quæ ex roborantibus iecur conficiuntur: ℞ *olei de absinth. nardini ana* ℥ *j. olei cydon.* ℥ ß. *spicæ vtriusque ana* ℥ ß *cyperi, santali rub. & albi ana* ℈ *j. coralli rub. vsti* ℈ *j* ß. *ceræ q. s. fiat vng.* Vtatur optima victus ratione, & exercitio, nisi fluxus immodicus sit. Tunc enim frictiones fiunt in contrariam partem.

OBSERVATIO XXVI.

De cachexia ex immodico fluxu sanguinis narium.

1 PATER quidam seu cœnobiarcha, Thomas dictus, apud Alcmarianos, cui frequenter sanguis e narib. fluxerat, hepate refrigerato in cachexiam incidit: cui facies tum crura inflata videbantur, cum vrina cruda & hepatis obstructione. Hæc infrascripta commode administrata fuere: quibus etiam præsidiis curatus fuit: ℞ *capil. ven. marrubii, agrimoniæ, cassutæ, scolopendrii, absinth. vtriusque, menthæ rubeæ ana m. j. sem. anisi* ℥ *j.* ß. *coquatur in aqua communi & vino Rhenensi aa* ℔ *j.* ß. *dulcoretur zacchar. & arom. cum* ℥ *iij. cinamomi*; & fiat ad modum clareti. Bis in die eo vtebatur. Postea & huic decocto hæc adiuncta sunt; ℞ *rad. apii, petros. fœniculi, cichorii ana* ℥ ß *follicul. senæ* ℥ *j. epithymi, polypod. an.* ℥ *j.* in quo decocto hic nodul⁹ immergatur & exprimatur, dum ex eo sumeret: ℞. *rhabarb. selecti* ℥ *j. spicæ* ℈ ß. *fiat nodulus.* Ex eo decocto cum bis sumeret in die, aluus moderate

2 soluebatur, facie indies detumescẽte, & oppilatione hepatis paulatim cessante, & digestione vigorata. Interea sumebat quotidie ex tabul. arom. ros. pauco diarrhod. adiecto, superbibebat aquam absinthii. Pedes modo fouebat & lauabat aqua marina, modo etiam hoc fotu: ℞. *florum meliloti, chamomillæ, folior. lauri, matricariæ, artemis. caulium rub. hederæ terrestris, furfuris, salis communis an. m. j.* fiat decoctio in aqua communi. Atque ita paulatim cessiuit pedum & crurum inflatio; & paucis diebus sanitatem recuperauit.

SCHOLIA.

3 CVm hic ex sanguinis e narib. profluuio mal⁹ corporis habitus ortus esset, vinũ album tenue concessi: cum & hic victus virib. reparãdis aptus sit. Sed & hoc hic meminisse oportet, ꝙ perpetuo hepati succurrendum erit, a quacunq; caussa oriatur: ipsumq; semper roborare oportet, cum sanguificationis instrumẽtum sit ac sanguinis officina. Vberius autem sequenti c. de aqua inter cutem idonea medicamenta pro ratione mali habitus, reperies: ꝑpterea plura exempla (*quamuis varia & in prægnantib. habuimus, tũ aliis ex mola vteri in cachexiam incidentibus, quas curauimus*) nõ addemus: cum & supradicta hic satis esse possint pro tyronib. ideo ad hydropicos progrediamur.

OBSERVATIO XXVII.

De Hydrope.

1 COLONVS quidam, dum in Gallia praxin exercerẽ, hydrope diu laborans, cum nihil opis a medicis aliis sentiret, me consilii caussa accessit. Cui imperaui, cum non febricitaret, vt continuo allium comederet, quo factum est, vt multum aquositatis per vrinam profuderit, atque ex insperato eo remedio sanus euasit. Sed & alia mulier hydropica, cui venter & crura in maximam molẽ excreuerant, cum deplorata haberetur, ex alterius vetulæ consilio capiebat allii capita viridia, & cõtundebat, succumque per pannum cum iure veruecis aut pulli vel caponis (*si alius ad manum non esset*) colabat; & potabat. Et breui venter tum crura detumuere. Et præter opinionem curata est: nõ solũ illa, sed alii plurimi. Hinc & hœdos, cuniculos, capreolos, lepores elixos, cum allii, porri & cę-

2 parum decocto, more rusticorum, Gordonius in hydrope curando commendat Noui & alios hoc solutiuo subinde exhibito, multum aquæ per interualla per aluum reddidisse, & sanos factos esse: ℞ *folior. senæ* ℥ ß. *seminis anisi* ℥ *j foliorum mezereon* ℥ *j.* ß. *rad. ireos viridis parum contusæ* ℥ *iij.* ß. *soldanellæ* ℥ ß *infunde per noctem in* ℥ *ix. seri lactis, facta prius ebull. mane huius fortis expressionis accipe* ℥ *vj. mellis ros. colati, syr. de eupatorio ana* ℥ *j. misc. pro ij dosibus* Memini mulierculam etiam ab Heydio collega meo hoc modo curatam: ℞. *folior. senæ Alexand.* ℥. ß. *ireos viridis parum contusæ* ℥ *iij.* ß. *mezereonis* ℥ *j.* ß. *soldanellæ* ℥ ß. *infunde per noctem in* ℥ *ix. decoct. communis*: facta prius ebull. mane forti express. *adde* ℥ *ij mellis ros. fiat potio pro ij dosibus.* Ego etiam cum video vrinam supra modum esse tinctam, loco mezereonis pono ℥ *j* ß. *rhabar. optimi, addẽdo spicæ* ℈. *j. fiat infusio in sero lactis.* quo sæpe cũ magna felicitate vsus sum in nosocomio Delphensi. Elideus preceptor meus hoc modo vtebatur: ℞. *rhab. electi pulver.* ℥ *j pul. soldanellæ* ℥ *ij.* dabat vnica vice, cum decocto aut aqua conuenienti. Cum autem rusticus ille ex allii vsu curatus

3 esset, venit mihi in mentem alterius rustici apud Beniuenium, cui consultum erat, vt nihil biberet, eoq; per annum ad eum reuerso, ac dicente se nihil per annum bibisse, atque sic curatum, iussit vt paulatim vino assuesceret, sed mero potius quam lymphato, & eo ipso austero ac tenuissimo. Qui cum discederet, & curiosa potione vsus, ad pristinumque reuersus statum, quam mecum familiaritatem primum cõtraxit, eam (*inquit Beniuenius*) adhuc in hanc vsque diem officiosissime seruat & colit. Idem quid mirabile narrat de puero ab omni medicorum consilio destituto, qui cũ aquam quãtum potuit hausisset, soluta vmbilici vnitate, tanto impetu aqua fluere cœpit, vt supra ventrem cubitos tres ascenderet. Quo sane vitam finiisset, nisi circumassistẽtes opposita manu aquam fluere non permisissent. Hinc medico accersito, & aqua paulatim educta, ac curioso victu, & ceteris, quæ ad rem facerent iniunctis, breui tempore in pristinam redactus est sanitatem.

SCHOLIA.

4 QVONIAM non raro gignitur affectus a sanguificandi facultate vitiata, ex Galeni sentẽtia: vario modo Græci hunc affectum vocãt, modo ὑδρώπιον, interim ὕδρωπα, sępius vero ὕδερον

Aqua intercutem vnde nomē sumserit.

nuncupāte: Latini autem aquam intercutem, seu hydropicum morbum, vt liquet apud Celsum, *c. 21. lib. 3.* A symptomate nomen sumit: siquidem aquosus humor hāc passionem necessario comitatur, Cælio Aureliano teste *cap. 21. lib. 3. ac Plinio 2. lib. c. 12.* Hic semper iecur afficitur, *vt 5. de loc. 6.* siue primario, siue per cōsensum afficiatur: *vt etiā 2. Prog. decretū est:* & ab Alex *c. 1. lib. 9. & a Paulo c. 48. lib. 3.* confirmatum. Verum cum non vnus sit hydropis modus, ideo primum distinctio habēda est, eaque *ex Gal. 4. de victu*; in qua omnes conueniunt; quarum vna *Ascites* dicitur, quasi vtricularis a Græcis ἀσκίτης sic dicta est, quod ἀσκὸς hoc est vtris modo in peritonæo humor continetur. Altera *Tympanias* vel *Tympanites*; τυμπανίτης quidem a Tympano sic appellata, quoniam in tali affectione imus venter percussus talem sonum edit, qualem tympanum, Galeno teste, comment. aph. 11. 4. lib. quo loco Hipp. ξηρὸν ὕδρωπα nuncupauit. Tertia species ἀνασάρκα, aut ὑποσάρκα, aut κατασάρκα, aut λευκοφλεγματία, aut σαρκίτης, aut ὑποσαρκίδιον appellatur. Et tertia differētia sic appellata est, quoniā per carnē, vel sub carne, vel iuxta carnem: seu secundum carnem, vel supra carnem, seu infra carnem humor continetur: aut propter ipsam λευκοφλεγματίαν nominant, vt quæ pituita liuida cōstet, vel sui quidem ratione semper alba, sed quæ propter mixtionem quorūdam aliorum humorum verum mutet colorem, vt liquet apud Galen. comment. *aphor. 29. 7. lib.* Quæ nomina a similitudine dicūtur externorum. In priori quasi vter aqua plenus cernitur: in secundo genere vēter tympani instar inflatur: in tertio genere speciem carnosæ molis totius referunt: vt cum quis ventricolus, & toto corpore crassus euadit. Proprie vero hydrops, iuxta Iacchinum, dicitur ascites: ceteræ vero species per huius similitudinem. De Tympania *4. aph. 11.* quod ex similitudine. Ibi de tribus speciebus litigant moderni, vt saluent Hippoc. qui duas species ponit. Non est ille locus Hipp. & a Galeno, vt insufficiens, reprehenditur. O miserum laborem! Et ita quidam duas species hydropis, hoc est, aquosi humoris collectionis, esse volunt (*vt Dodonæus supra cap. 13. de Rustico apud Beniuenium per annum nihil bibente*) hyposarcam & asciten: cū in tympanite scilicet flatus colligātur. Communi vero modo tres species iam dictæ hydropis ponūtur. Cuius rationem etiam vide apud Donatum ab Altomari. Communis autem omniū (vt inquit Celsus) caussa est humoris nimia abundantia: ob quam neulcera quidē in his ęgris facile sanescunt, vt patet etiam apud Hipp. & Gal. *aph. 8. 6. lib.* Et communis generatio cuiusuis aquæ intercutem est, vbi sanguificationis officiū intercidat, nempe refrigerato iecinore, & ex consequenti venis omnibus, ex *5. de loc. affect. cap. 7. & 2 progn.* In hyposarca per naturalis caloris debilitatem & impotētiam, pituitosior, hoc est, crudior ac frigidior sanguis gignitur, qui per venas in corpus distributus, ipsum tumidū reddit, & albido pituitæque emortuo colore pallens apparere efficit. In ascite vero intra peritonæum præcipue humor colligitur, venterq; distenditur; ibi enim vitium sanguificandi adest, id est, diminuta concoctio vel vitiata. Diminuta quidem, vbi aqua, vel pituitosus sanguis generatur: & sunt duæ species iā dictæ. Deprauata vero, vbi in flatus vertitur, & sic in alienam qualitatem. Hyposarca rusticum laborasse verisimile est apud Beniuenium, vt etiam Dodonæus existimat, & crudis frigidisq; humoribus, per potus abstinentiam a natura concoctis, & in sanguinem cōuersis, tum & vitam eum sustinuisse, tum & sanitatem recepisse. Puer autem potuit ascite laborasse, nō tamen ex refrigeratione, sed ex calida nimiū & sicca iecinoris intemperie, (vt idem Dodonæus putat) qua tā grauiter quandoque iecur afficitur, vt probum sanguinem non conficiat; velut in hydrope, quę acutos morbos subsequitur, teste Gal. *lib. 4. de loc. aff. c. 1.* Aduersus huiuscemodi hydropem aquæ potio remedio esse potuit, iecinore videlicet refrigerato & humectato, si modo recens nata fuerit: Nam diuturnę hydropes incurabiles habētur, diuturnitate mali iecinore aut liene corrupto ac vitiato. Succedit autē nō raro acutis morbis ascites, & frequenter etiam ictero. Contingit autē non raro in hoc ascite, diffusis per vniuersum biliosis humoribus, calorem subinde tantū excitari, vt, quacūq; corporis parte scalpta cute, leuiterq; vulnerata, mox calidus, niger, & quasi adustus sanguis effluat. Ceterum hydropis per aquę potionē curatæ exstat & exemplū *lib. 2. epist. Ioan. Langii epist. 12.* Vxor, *inquit*, barbitōsoris in Nouo foro, Palatinorū in Noricis oppido, plus sibiipsi quam marito aut medicis morigera, cuius venter hydrope in immensum turgebat: hæc aquā de fonte scaturiente magnopere sitiebat. Progressa itaq; marito inscio extra vrbem ad fontem, in quo cum aquæ scaturigine simul arena ebulliebat: de qua, quantum manu caua apprehendere potuerat, ter aut quater deuorauit. Domum lęta reuersa, rem omnē nobis recensuit: & intra biduum per fluxum ventris plurimum pituitę excreuit; apertis quoq; sua spōte in ano mariscis: vnde confertim sanguis niger effluebat: ab hydrope conualuit. At noster Colonus qui alliū comedebat, nō solū per vrinam reddebat aquosam materiam, sed etiam per aluum, hoc est, quod *Diosc. scribit lib. 2. cap. 145. de allio.* Aluum, inquit, turbat, vrinas detrahit, & hydropicis vtile est.

Iecur semper afficitur, siue primario, siue per consensum.

Quot sint differentiæ: & cur sic appellata.

Communis caussa generationis omnium trium differētiarū.

OBSERVATIO XXVIII.

De hydropico paupere.

PAVPER quidam cum continuo aquam frigidam biberet, iecur affatim refrigerari cœpit: & hydropem tandem incurrit. Nam multa frigida intemperanter hausta mēbra refrigerant, subito a balneo, aut venere, vel lassitudine; vnde iecoris substantiam subito affectu lædunt. Huic autem, cum pauper esset, tale attenuans decoctum præscripsi, quod simul stomachum ex aquæ lōgo potu refrigeratum calfaceret atque roboraret: & simul aquam educeret, ac hepar refrigeratum corrigeret: ℞. *rad. ireos, ebuli, petros. apii, brusci, enulæ campanæ an. ℥ j. hyssopi, centaurii, absinthii, fol. sambuci, satureiæ, ceterach. cassutæ ana. m. j. medianorum corticum*

corticum sambuci, gratiolæ, betonicæ an. m. ß. rad. rubeæ tinctorum, calami arom. ireos an. ℨ *ij. sem. fœniculi, dauci ana* ℨ *j sem. carthami contusi* ℨ *ß folio. sennæ Alexan.* ℨ *j. ß. polypod. quercini* ℨ *ß. florum genistæ m. ß. sem. iuniperi* ℨ *j. soldanellæ m. ß. vuar. passul.* ℨ *j. glycyrrh. rasæ* ℨ *iiij. Zinzib. cinamomi an.* ℨ *j. coquantur in aqua communi, pro* ℔ *j ß. colaturæ, adde syr. de byzantiis, de eupatorio, de calaminthæ ana* ℨ *j misce,* fiat apozema. Quibus satis aluum reddebat, ita vt venter eo detumesceret. Deinde purgaui eum, modo cum ℨ ß. *diacarthami solutiui in tabulis*: modo exhibendo ℨ ß. *vel paulo plus cum* ℨ *iij. decocti suprascripti.* Cui & has pilulas dedi: ℞. *pilul. de mezereo* ℈ *ij. pilul. aggregat. de rhabarb. ana* ℈ *ß. cum succo rad. ireos: fiant pilulæ vij.* Deinde capiebat diacurcuma, & dialacca, cum diacinamomo in tabulis. Ventrem inunximus hoc vnguento: ℞. *vng. Agrippæ* ℨ *ij. succi ebuli vel sambuci* ℨ *j. bulliant ad succi consumtionem: fiat linimentum.* Quibus paulatim detumuit venter; & cum non diu laborasset, ab hydrope sanatus est.

2

SCHOLIA.

3 *Aquæ inter cutẽ caussæ.*

QVæuis specierum aquæ inter cutem, iecinoris refrigerationẽ cõsequitur, vti antea diximus. Etenim citra eiusdem refrigerationem, impossibile est aliquem in hydropem incidere, *Gale. & Aetio testibus.* Id autem iecori accidit per se aut per cõsensum. Immutatur ex refrigeratione splenis, intestinorũ, ventriculi, mesenterii, septi trãsuersi, renum: nam & ipsum iecur scirrho afficitur: vel ipsum spleni indurato seu refrigerato coafficitur: aut ieiuno, seu reliquis intestinis iuxta ipsum, aut mesenterio aut pulmone, aut renib. seu septo transuerso simili ratione primario affectis: nam & renes propter eorum obstructionem, alias quoq; ob eorundem imbecillitatem, serosam sanguinis substantiam non secernunt. Sic etiam ex nõnullis caussis aliis iecur ipsum refrigerãtibus, aqua intercus oriri poterit: vtpote ex immodica hæmorrhoidum pfusione, aut ex eisdem diuturno tempore suppressis: similiter ex menstruę purgationis omnimoda cessatione aut immodica vacuatione: aut ex immodico muliebri profluuio, vt liquet ex *Gal. 2. de nat. fac. & 5. de loc. aff.* Si enim calor natiuus strãgulatur, ob spirituum vna cum sanguine iacturam factam, pariter ex intẽpestiua ac immodica aquę frigidę potione (vt huic nostro ęgro euenit) iecur affatim refrigerari potest, ac statim aqua inter cutem induci: quanquam sic affecti (vt *Gal. eodem 5. de loc. aff.* asserit) ob refrigeratum os ventriculi, vehementi ciborum desiderio teneantur, secus quam ceteri hydropici. Id magis fit, si aquam frigidam quis ingurgitet post æstũ aut exercitationem. Multi autem & a podagra & a coxendicum dolore vexati, aquam inter cutem incurrerunt; frequentissime etiam eos, qui cibum non sentiunt, & malo corporis habitu præditi sunt, itemque ab arquato infestatos, hydrops corripit. Item quosdam eorum, qui nõ nisi recta ceruice spirãt, aut cœliaca affectione laborant, ac dysenteria, in aquam inter cutem deduci nouimus, (*vt inquit Aeti.* ;) Hæc enim mala si diutius persistant, spiritus deinde naturalis, insitusque calor nimium dissipantur. Sępe etiam febribus longis superuenit, *vt refert Paulus*, nam his qui longis febribus consumuntur, etiam insitus calor atq; spiritus nimium dissoluũtur, sanguificationisq; officina intercidit. Sic & omnia illa, quę sanguificationis virtutem infringere possunt, efficiunt ne iecur chymum in sanguinẽ trãsmutare possit: atq; ita hydropẽ efficere possunt. Interdũ & hydrops morbos acutos sequitur, ex Hip. sententia, *2. prog.* cũ ex eis sanguificationis opus intercidit, adeo vt iecur cibũ in sanguinem transmutare nequeat. Ascites tamen non tantum ex partium nimia refrigeratione, vt anasarca, ortum habet: sed frequenter quoq; fit ob solutionem cõtinuitatis alicuius visceris, aut vasculi quo humores contineri solẽt. Eaq; ratione caussæ omnes, quę iecur vehemẽter excitant, vt ardentes febres, potentium vinorum immodicus vsus, alimenta quoq; multũ calentia, hydropẽ sæpe excitãt: eo quod viscera, & frequẽtius quidẽ iecur, ex occursu siccitatis nimiæ quasi exarescant atque rumpantur, nec non dehiscant, vt in terra ex nimia siccitate fieri solet: vnde humores in abdomen facile per fissuram illabũtur in ascite, quasi exsudando atq; destillãdo. Ex tumore duro iecoris, lienis, aut alterius partis quoq; fit frequenter: contingit enim viscera sic quoq; frequenter findi, propter nimiam eorum siccitatem atq; humoris inopiam: vnde tempore etiam ipsa membrana ambiens frangitur. sicq; sensim serosa excrementa in abdominis capacitatem decidũt. Vide plura de his apud Fernelium, qui eos hallucinare putat, qui per angustos cęcosq; poros serosum humorem trãsferri in capacitatem abdominis putant: sed is potius per fissuram fieri vult. Iacchinus tamẽ aliter sentit: Cum enim sanguis, inquit, exiguã mutationẽ suscipit, maiore sui parte in aquosam substantiam vertitur, ac circa primas venas, & cauam manens, vtpote tenuis & serosus, resudat in peritonæum. Quod autem maneat, caussa est, quoniam a membris & ab vlterioribus venis non trahitur: quod vero non trahitur, caussa est vitium eius. Remanent etiam eo sanguine plenæ venæ mesenterii omnes, quibus erat aliqua vis sanguifica; vnde ab iis defluit roris vice aliquid in cauitatem. Vaporis quoq; humidi copia, vbi in peritonæum tunicam inciderit, densatur atque in ipsum defluit. Talis est ascitis generatio. Fatemur tamen & aliquando in ipsius abdominis substãtia aliquid aggregari, inter musculos scilicet & cutẽ. Necessario enim contactu aquæ humescunt. Hæc Iacchinus. Amatus vero sentit contra Arabes, *vt apud ipsum lõgiore sermone videre licet, cẽtur. 1. cur. 30.* quod ascites aquosus hydrops fit inter peritonæum & omentum, id est, inter siphac & zirbum, vt incisione sæpius probatur: & non inter mirac & siphac: non autem abdomine, sed peritonæo discisso, aqua effluit, quæ inter illud & omentum vel intestina cõtinetur. Si plura de caussis hydropis scire desideres, lege interpretem Holerii Caussa igitur ascitis est, multa refrigeratio visceris, & consequenter venarũ omniũ. Ideo vero aliquãdo

5

6

7 primario iecur patitur, aliquādo ſecundario. Voco autem ſecūdarium, cum ab alio alterius membri affectu habet originē. Ita in noſtro hoc ægro, iecur non primario, ſed ſecundario patiebatur; nam immediate ex cauſſa procatarctica frigidum euaſerat: nempe ex plurimo aquæ potu: ita & ex opiatorum vſu, vel alius frigidis, fieri poteſt: ſic & ex his, quæ per accidens refrigerant, vt ſanguinis profluuio, (vt etiam Galen. *9. meth. cap. 10. & 5. de loc. aff. 6.* oſtendit,) ſiue e naribus fluat, ſiue ex vtero, ſiue ex hæmorrhoidibus. Ad omnes enim hos affectus hydrops aſcites plerumque ſuccedit. Vna enim cum ſanguine calor deficit. Fit etiā ex propriis frigidis morbis, ſcirrho, obſtructione, & ex multitudine aſſumti cibi, calorē innatum exſtinguentis. Sed per conſenſum aliarum partium, vel ſecūdario affectu fit, cum ſcilicet partes illæ refrigeratæ vna iecur afficiunt, vt paulo ante recenſuimus, *2. progn. 1.* vt quia venis vel arteriis multis & magnis communicant: vt lien, cum intumeſcit: & vterus ſi ſcirrhum patitur vel molam, vt nos ſæpe vidimus: nam etiam aliquādo aquoſa illa materia non ſolum in ventrem, ſed etiam in vterum profunditur, vt patet de illa muliere apud Fernelium, cui inſtante menſtrua purgatione humor ſub abdomine congeſtus, per vterum ſponte ita profundebatur, vt omnis moles abdominis biduo ſubſideret: alius dein humor ſenſim proximo mēſe ſuccreſcere incipiebat, qui ſtato quoque tempore totus efflueret.

8 Vel alia ratione aqua vel frigidis humoribus repletur aut contractu, aut ſi vēter, aut ſeptum, aut inteſtina afficiantur, vt paulo ante quoque recenſuimus. Iam quoque fit a vicinitate, vt a renibus, vel pulmone. A pulmone non raro. Iacchinus vidit in his fieri, qui aſthmate laborabant: vt & nos alias vidimus: vnde & refrigeratas eas partes pituita habent. Tandem omnes in ſenecta in hydropem migrāt, hac de cauſſa. A renibus vero non ſolum fit communicantia noxæ per ſe, ſed ex accidenti, ſi aquoſitatem nō purgēt; vnde multa remanet in venis; fitq; ſanguis aquoſus, & excolatur ſerum. Illud in aluum. Sæpe vero & multa horum iunguntur. Fitque aſcites, vt Fernelius etiam refert, ex iecoris aut lienis vulnere exiguo, quod non alte penetrauit (hoc enim repente hominē interimit) ſed ſummam duntaxat extimamque faciem attigit. Oritur & ex vlcere, quod fere ab illorum ſuppurante phlegmone atque vacuata relinquitur.

Tympanites ſeu tympanias vnde generetur.

Tympanias vero ſi ſyncerus ſit, videtur a ventre & inteſtinis oriri, Sic enim teſtatur Hippocr. *4. aphor. 11.* Si dolores diu circa vmbilicum & lumbos torqueant, qui neque medicamento cedant, id eſt, quib. tamen diligens curatio ſit adhibita, tranſit in tympaniam. Significatur enim, inquit Gale. habitu contracta intēperies; vnde & imbecillitas partium, quæ ad ventrem attinet. Sic & *3. de ſympt. cauſſis 1.* Si, inquit, cruditates in ventre fiunt, ob facultatis imbecillitatem, ad morbum, qui tympanias dicitur, deueniet. Vult ergo affectum ventri aſcribi.

9 Quomodo ergo vniuerſaliter dictum eſt in omni hydrope iecur affici, & ſanguificationis vitio prouenire? Reſpondet Iacchinus: Proprie ſanguificandi vitia ſunt aliæ duæ ſpecies. Non enim in venis hi flatus vertuntur, ſed quia ſemper adeſt etiam admiſtus humor aquoſus; ideo dicitur neceſſario iecur & ſanguificatio lædi. Contra *4. de pulſ. dignotione 30.* Eſt aliquando tympania & aſcitis ſyncera, in qua non cauatur digitis cutis. Reſpōdet idem Iacchinus: Sincerum dicitur, quando notæ admiſſionis euidentes non ſunt. Sic medicus ſinceros tumores dicere ſolet. Quod ſi ab initio læſio a vētre incipit, tandem & in iecur perueniret, per conſenſū partium: & quia chylus male confectus, male etiam iecur afficiet, & malam coctionem in eo ſortietur. Huius ergo præcipua materia flatus eſt (*vt & Fernelius ſentit*) ex imbecilli cōcoctione & cruditate genitus: qui cum multus in ventriculo aut inteſtinis, velut in colico dolore, coercetur, nec exitum naturalem reperit: impetu viam ſibi inueniens, per cœcos tenueſque ductus inter abdominis membranas magnis cruciatibus ſeſe infert: ac demum vario impulſus, in ipſum abdominis ſpatiū penetrat aut deuoluitur.

10 Rarus certe hic hydrops, iuxta eundem Fernelium, ſicque ſincerus flatus ſub abdomine citra humoris permiſtionē vnquam eſt animaduerſus.

Hypoſarca generatio.

Hypoſarca vero fit, cū crudus & ſemicoctus ſanguis plurimus in corpus diſtribuitur; ita vt copia crudorum venæ omnes abundent; & vniuerſum corpus mole augetur: atque adeo habitus vitiatur, vt dignoſci nequeat. Hic rurſus iecur patitur, ſed non adeo fruſtrata eſt cōcoctio; ſed quia vna affectæ ſunt venæ, ideo vlteriores venæ non poſſunt hanc cruditatē emendare: quare nec membra ſi attrahāt in poros, aſſimulabunt: vnde remanet alimētum diſtributum & diſperſum in omnes cauitates: hinc tumor. Hæc *3. de ſympt. cauſſis 1.* Hanc a phlegmatica cachexia ſeiungit ſola magnitudo, vt recte Fernelius ait, ꝙ tumidiorem habeat corporis vitiatam molem. Vna & eadem tamen vtriuſq; cauſſa, immodica nimirum iecoris atque venarum refrigeratio; quæ aut primaria eſt, aut ex cordis, lienis, ventriculi, meſenterii, aliarumq; partium cōcoctioni ſeruientium vitio contracta: & inſiti caloris ac ſpiritus nimia diſſipatio, vt in principio ſatis dictum eſt. Ex cauſſis euidentibus, quæq; viſcera refrigerant, natiuumque calorem obtundunt, eſt aquæ frigidæ & vitioſæ immodicus potus, lactucarum fructuumque eſus intempeſtiuus & ſanguinis e naribus, vtero aut hæmorrhoide profluuium, vel cōſuetarum excretionum ſuppreſſio. Quæ omnia exemplis infra dicendis illuſtriora euadent. Et ita plus quām ſatis de cauſſis dictum eſt. Quibus adiungere poteris ea, quæ Arculanus & neoterici de cauſſis addunt.

Observatio XXIX.

De hydrope, in duobus prius quartana laborantibus, vno curato, altero ſuccumbente.

Annvam quartanā iuuenis cum expertus eſſet, & magnum lienem cōtraxiſſet, in hydropem tandem incidit; ad quem accitus, variis remediis vſus ſum, inprimis hoc decocto: ℞ *rad. filicis, ebuli, ireos an. ℥ j. rad. petroſ. fœniculi, apii, cappar.*

par. thamariſci an. ℥ ß. (quidam & his addunt *rad. cyclaminis* ℥ ß. cum egregie faciat ad lienem induratum) *fumariæ, cichorii, ſummitatum lupulorum, caſſutæ, agrimoniæ, foliorum ſambuci* (egregie aquã ducit, vt ſæpe experti ſumus) *capill. ven. thymi, ceterach. an. m. j. epithymi m.* ß. *medianorum corticum ſambuci m* ß. *ſoldanellæ* ʒ iij. *ſem. carthami cõtuſi* ℥ ß. *folior. ſenæ Alexand.* ʒ j. ß *polypod. querc.* ℥ ß *flor. borag. geniſtæ an. p. j. ſem. aniſi fœniculi, carui, agni caſti, an.* ʒ j. ß. *paſſul. enucleat.* ℥ j *fiat omnium decoct. in aqua communi pro* ℔. j. *colaturæ adde ſyr. de byzan. de eupat. ſyr. acetoſi compoſ. an.* ℥. j. *clarificetur cum* ℥ iij. *cinamomi ſelecti*; & fiat apozema ad modum clareti, pro quatuor doſibus matutinis. Die vno atque altero intermiſſo purgaui eundem in hunc vel ſimilem modum: ℞ *confectionis hamech.* ℥ iij. *diaphœnici, diacatholici ana.* ʒ j. *diacarthami in tabul.* ʒ j. ß. *aquæ agrimoniæ* ℥ iij *ſyr. de eupatorio* ℥. ß. *miſce.* fiat hauſtus. Detur in diluculo. Interea ſæpe capiat diacurcuma aut dialacca in tabulis.

2

Lieni appoſuimus prius emplaſtrum de meliloto, deinde hoc vel ſimili fotu vtebamur: ℞ *rad. althææ* (ob duritiem) ℥ j. *rad. azari, cyclaminis an.* ℥ ß. *rad. filicis, thamariſci, cappar. an* ʒ iij. *centaurii minor. ceterach. abſinthii, mercurialis, menthaſtri an. m. j. flor. chamomill. meliloti an p. j. ſem. rutæ, carui an.* ʒ ij. *ſeminis fœnugr. lini an.* ℥ ß. *coquantur in vino & aceto q. ſ.* & cum ſpongia fomentetur lienis locus; & inungatur cum oleo de capparibus, medul. vituli, adiecto ammoniaco diſſoluto in aceto. Poſtea venit mihi in mentem ſimilis fere caſus apud Amatum, *curat. 30. cent. 1.* deſcriptus de hydrope aquoſa, in vxore illius de Landenara; quæ cum viribus conſtaret, & recte ſe ad oblata adhuc haberet (*vt noſter æger*) dedit ad expulſionem *ſucci ireos* ℥ ij. *mellis roſ. colati* ℥ j. ieiuno ſtomacho; cum quo aquam illam quotidie parum emittebat. Poſtea vero octo interpoſitis diebus, catapotia ex nitro Alexand. *cum trochiſ. alhandal mixta propinauit*; nempe *pilul. de nitro Alexandr.* ℈ ij. *trochiſ. alhandal* ℈ j. *fiebant pilulæ 5.* Cum quibus multum illius egerebat aquæ.

3

Quibus ſæpe interiecto temporis ſpatio inter vnam & alteram propinationem vſus fuit. Nam ſenſim & paulatim vacuandus humor iſte eſt: qui vero vna vice tantum humorem iſtum deponere tentant, per purgantia medicamenta, multa mala ægrotanti adferunt: quia eius vires deiiciunt, & iecur & interiora refrigerant. Per vices igitur & nos medicamentis purgantibus vtebamur, modo decocto dicto adiiciẽdo ſubinde *rad. turbith. gummoſi* ʒ ij. *zinz. pro ſuo correctorio* ℈ ij. modo etiam ſucco illo ireos. Interea roborabamus vtrumque viſcus, & iecur & lienem; modo diacurc. modo dialacca; adiectis trochiſ. de capparibus. Et poſtea inunximus quoq; lienem cum hoc vel ſimili vnguento: ℞ *vng. Agrippæ, arthanitæ maioris an.* ℥ j. *ammoniaci, opoponacis in aceto diſſolutorum an.* ℥ ß. *olei cucumeris aſinini* ℥ ß. fiat vnguentum molle: quo tamen in tumore ſplenis ab exordio mali nequaquam vtendum eſt; ſed vbi iam materia mali vna cum viſcere emollita fuerit. Ideo prius hoc vel ſimili vtebamur: ℞ *vngu. arthanitæ maioris* ℥ j. ß. *gummi ammonia. in aceto diſſoluti* ℥ ß. *olei cappar. lilior. alb. q. ſ. fiat vnguentum.* Sic & Amatus in illa muliere interpellatim purgantibus medicamentis vtebatur; nonnunquam lenioribus, aliquando vero vim inferentibus.

4

Singulis tamen hebdomadis aluum etiam faciebat. Et quod mirum in modum profecit, hoc conditum fuit, quod habet *rad. ireos per tyrocneſtim traiectæ* ℥ ß. *zinz.* ℈ ß. *mellis q. ſ. ad ſpiſſitudinem miſce.* quo ſæpe vtebatur: & optime abſque anxietate & dolore aquoſitatem illam deponebat. Non minus adiumenti attulit mel. roſ. confectum ex floribus perſicæ arboris, quod ſua natura hanc deponit aquam: & id Auicen. Ienelabin de perſis, in cura phlegmaticæ, & aliis locis appellabat. Iis enim huc vſque citatis medicamentis, & nonnullis iecori appoſitis, ſex menſium ſpatio hæc ſanitati fuit reſtituta. Exterius tamen aluus vnguento ſplenetico dicto liniebatur: quo nos loco illius vnguẽti quod ex cyclamino ſiue arthanita inſcribitur, vtimur, quod multum in aſcite valet, *vt ex Meſue comprehenditur*: quo & nos commode in noſtro ægro etiam ventrem obliniuimus; adiecto quoque vng. Agrippæ.

5

At mulier illa apud Amatum, vt deinde recenſet, interdum medicamenta purgantia non ſumebat, diacurcumam cum vino ebibebat, nonnunquam vero dialaccam: quibus & noſter ſubinde vtens tandem conualuit. Laudantur & hic pilulæ de ſagapeno, ſerapino, & ſoldanella, braſſica marina dicta, & decoctum rad. ſambuci & ebuli: quibus & nos vtebamur, *adiecta rad. turbith in exigua quantitate.* Guilielmus Placentinus, ſua ætate medicus doctus, teſtatur ſe paucis iis ad ſanitatem reduxiſſe Azum quendam Parmenſem, hydrope affectum, quæ habent *turbith* ʒ j. *zinz. zacchari, an.* ℈ ij *ſcammoneæ electæ pondere duorum granorum hordei, cum vino; miſce. fiat conditum.* Hoc autem in hebdomada illi ſemel deuorãdum dabat, ſtomacho ieiuno: quo & quater & quinquies egerebat. Sed omni die ante cœnam diacurcuma, quantitate nucis, cum optimo vino generoſo illi bibendum dabat quibus curatus ad ſanitatem reductus fuit.

6

Regimen porro mulieri apud Amatum (*vti & noſtro iuueni qui non diu hydrope laborauerat; ideo etiam melius curatus*) in vniuerſum ad ſiccitatem declinabat: erat vero victus ratio, caro auicularum in dumetis vigentium; non minus vituli & gallinaceorum veruecisue. A potu vero noſtris monitis abſtinuit, nec alio in tempore quicquam in potu ſumebat, niſi prandii & cœnæ hora, & tunc quidem parum vini albi, potentis & generoſi, polyphori dicti. Sed & noſtro iuueni conceſſi ceruiſiam abſinthitem ſubinde. Ab oleribus vero in totum abſtinuit; veluti fugacibus fructibus, quos horarios medici appellamus. Amygdalas tamen & ſole ſiccatas vuas, præcipue Corinthiacas, lubentiſſime concedebamus: & aſſa edulia, minime vero aqua cocta. Ceterum Hippocrates *in lib. de Internis affectionibus*, ſimilem huic prædicto morbum, a vitiato ſplene euenientem, deſcribit; *vt apud ipſum eſt legere folio Frobeniano 271.* At alius iuuenis,

annorum 25. vel circiter, cum aliquandiu quartana laborasset, ac præter nostrum consilium medicamentum, nescio quod calidissimum, alterius medici cõsilio, quod inhibuissem, bibisset, in ipsa accessione subito hydrope correptus est, ac variis deinde medicamẽtis vtens, & Paracelsicorũ ei sanitatẽ pollicẽtiũ curari nõ potuit: & circiter duos annos fere hydrope laborans, tandẽ exstinctus est.

SCHOLIA.

14 *Quis affectus præter naturam sit aqua inter cutem.*

FAcile autem liquet ex iis, quæ diximus, quamlibet aquæ inter cutem differentiam seu speciem, morbum esse in quantitate seu magnitudine. Namq; ex genere præter naturam tumorum exsistunt, vt constat *lib. De tum. præter naturam, circa finem:* id quod confirmauit idem Gal. de ascite *lib. 14. meth. med.* Nec obstat, quod idem Galen. *lib. de diff. sympt.* inter ea symptomata, quæ incidunt in sanguinis generatione frustrata, hydropis vitia connumerauerit. Nam vel symptoma vniuersaliter dictum voluit intelligere; vel per vitia aquæ intercutis, eius caussam immediatam intellexit, quæ quidem symptoma est incidens in sanguinis generatione (*vt ipse inquit*) non peracta, vel non rite peracta. Sed quod ad signa attinet, cum caussas iam satis enucleauerimus; scire oportet, alia esse signa præsagientia, alia communia hydropen demonstrantia, alia caussarum, tum caussas ipsas & species distinguentia: alia vero mera prognostica. Inter hydropen præsagientia futuram, est ipsa cachexia; quæ & sæpe hydropis initium exsistit. Et quædam ex his sunt magis remota, ex progressu caussarum protacarcticarum seu primitiuarum, quæ vel hepar debilitant, obstruũt, indurant, vel abscessum inducunt tam in hepate, quam liene, aut aliis membris particularibus iam dictis. Tales caussæ continuatæ hydropen inferunt, vt & icteritia diuturna, cibique crassi obstruẽtes. Alia sunt magis proxima, vt si color corporis permutetur ad albedinem, citrinitatem; faciesque ac palpebræ inflentur, tum pedes ac testiculi, & inflatio abdominis appareat. At aquæ inter cutem signa communia sunt, spirandi difficultas, tumor, grauitas, & vitiatus color, ex virore albicans; cibi fastidium, pedum tumefactio, propter distantiam a corde; sitisque vehementior, propter humores salsos & putrefactos. Plurimi quoque ex hydropicis aliquando febriunt, Aetio teste. Quærit Arculanus, *cur manus non tumeant in hydrope sicut pedes?* Respondendum, *Manus cordi propinquiores, & facilioris motus sunt quam pedes: vapores humidiores (cum fere inflatio pedum commune sit accidens omnibus speciebus) sua grauitate deorsum mouentur ac pelluntur; vnde pedes magis inflantur.* Si pendeat a caussa calida, adest sitis, maior inflammatio, citrinitas, vel rubedo; oris amaritudo, vomitus citrinus, aut viridis; vrina tincta, pauca (*vt fere est in omnibus speciebus*) viridis aut subnigra; febris adest pulsusque velocior; & caussæ præcedentes calidæ, egregie ad dignotionem faciunt, vt & hepatis tum totius calida temperies. A frigida caussa omnia contraria: facies discolorata, color liuidus, febris abest, vel est exigua; sitis minor, pulsus tardior, nisi magna spiritualium membrorum compressio id inhibeat. Si hepar per se afficiatur, adest tussis, tumor pedum; vẽter nihil vel parum egerit, adestq; angustia, & ventris tumor: & adsunt signa propria affecti hepatis, vt oppilationis, scirrhi, apostematis; quæ ex locis propriis suprascriptis petenda. Ita quoque si fiat ex solutione continui, ex caussis prægressis, casu, percussione, offensione in regione hepatis, vlcere, abscessu, & similibus. Si per consensum e toto, vt si febres adsint vel præcesserint, ardentes quidem, fit liquefactio in excrementis. Si ab euacuatione notabili mẽsium, hæmorrhoid. sanguinis profluuio e naribus, ex ægri sermonibus & astantium patebit, & ex caussis prægressis, vel a cœliaca affectione vel dysenteria. Si ab aliis membris particularibus, omnia dignoscere & haud ægre interstinguere licebit ex prædictarum partium affectarum ac prædictorum affectuum dignotione, per enarrata in propriis locis ac capitibus signa. Vt si ab iliis, lumbis, stomacho, intestinis, ex ventris fluxibilitate, siue stomachus fuerit læsus seu mesenterium. In stomacho fit fluxus cibalis; vel liẽtericus in intestinis, præcipue si adsit oppilatio in mesaraicis, chylosus, & aliquando sanguinolentus. Ex parte etiam doloris ventris, stomachi, vel intestinorum, qui non remouetur cum fluxu. A renibus, ex lumborum dolore, grauitate, frigid. calid, aquositate regurgitante ad intestina; ex abscessibus vel vlceribus eiusdem. Ita & si fit a splene, ex propriis signis & calore fusco; ex proprio capite de obstruct. & scirrho lienis. Ita si caussæ primitiuæ prægressæ, vt ex potu frigido, tum aliis, ab assistentibus & ægro dignosces. Quantum ad signa species distinguentia, facile quoque percipientur. Nam quæ affectus demõstrant, satis ad sensum patet. Tympania enim percussa sonum edit: gracilia remanent extrema, nec tument, & iacenti corpus distentum manet, etiam resupino. At in ascite fluctuationem aquæ æger sentit; & hoc ipsum intuitu percipimus, quoniam tumorem in latus iacentis perpetuo sequi videmus: adde, quod recto stanti, ad ima ventris plurima moles fit & tensio, aquæ descensu: at iacenti venter sentitur mollior; & tument breui crura. In hyposarca moles vniuersa transmutatur; ac propriam formam amittunt, albentq; toti. Sed dum vniuscuiusq; speciei exempla plura adferemus, hæc omnia lucidiora euadent; & antequam signa mere prognostica explicemus, aliud hic exemplum prius adferemus.

Præsagientia hydropen. *Signa demõstratiua & communia.* *Singa caussarum.* *A calida. A frigida.* 7 *Ab hepate primario affecto.* *A toto.* *Ab aliis membris particularibus.* 8 *Signa species distinguentia.*

OBSERVATIO XXX.

De hydrope a muliere empirica & mendica excitato, qui postea curari non potuit.

QVidam extra vrbem in Castro habitans, cum tertiana febre intermittente laboraret, neq; remediis oportunis vti vellet, cũ tamen facile pellatur, & non diu duret, muliercula mendica cum præ foribus stipem peteret, nescio quibus herbis sanitatem eidem pollicebatur: qui cum annuisset, nescio quibus herbis, iisque permultis, tam frigidis quam calidis (*maxime vero vrtica*) concisis & decoctis, portionem ex iisdem paratã obtrusit, & intra

intra diem subito venter inflatus est, febre quidẽ illum relinquẽte, sed in atrocius malum incidente; ita vt ascitem incurrerit. Collectio autem huius humoris aquosi plurima exsistit inter membranam peritonæum appellatam & intestina, vt vere vtris modo membrana ipsa repleta esse videatur. Spatium etenim, quod inter peritonæum & partes ei subiacentes est, aquoso humore impletur, *Gal. teste 5. de loc. affect.* aliquando vero, vbi peius habent ægri, vsq; ad femora tumor producitur, *vt Aetius asserit*, quod huic postea etiam euenit. Quod ascites esset, his notis deprehendi: primum *quod multum vrina in illo generabatur & reddebatur; sed paulo post supprimebatur, & in venis remanebat, & grauitatem & pondus faciebat.* Cum vero corpus moueretur, sentiebatur aqua fluens veluti per canalem. Si enim abdomen impelleremus, aut ipsemet corpus in alterutrum latus prouolueret, fluctuantis humoris sonus obaudiebatur: fluctuationes enim si excitentur in ascite, fit ex humore, qui veluti in vtre quodam cõtentus circumuoluitur. Vrina admodum pauca erat, eaque fere crassa & rubicunda, cum præsertim morbo initium iecur dedisset, vt hic factum videbatur, febre subito consopita, & hepate refrigerato tandem atque læso. Erat autem huic aluus tumida, eleuata, vt rumpi videretur: quam quum manu percutiebam, aqua, vt in vtre collecta, sonabat: vt merito morbus iste ascites ab ἀσκῷ, id est, *vtre*, denominationem duxerit. Verum licet hic morbus etiam febricitantibus contingere possit, id potius hic a medicamento perperam administrato euenit, iecore tandem & ipso oblæso, sanguificationis officio intercidente. Ad hunc, cum Alcmariæ hoc tempore habitarem, sæpe euocatus sum, & cum medicamẽtis aptis vti nollet, venter ad summam molem excreuit; vt postea necessitate coactus, ea admiserit hydragoga medicamenta, quibus venter detumesceret. Verum rursus ab iis in totum abstinendo, luna potissimum accrescẽte mirum in modum malum accreuit per plures mẽses. Sed inter reliqua pharmaca nullum magis iuuabat, quam sequens medicamentum, quod vna cum altero medico Harlemensi apud eundem agentes præscripsimus: ℞ *succi ireos* ℥ ß. *aquæ casei* ℥ ij. ß. *mellis crudi* ℥ ij. (*aliquando* ℥ j. ß.) fiat horum leuis ebullitio, & coletur; cui colaturæ adde, & in ea dissolue *spicænardi* ℈ ß. *cinnamomi* ℈ j. *diagridii gra. iij. misce.* detur in aurora. Ex eo semper habebat ad minus octo sedes valde aquosas. Verum postea hic plane omnia remedia contemsit, vir sui cerebri; ita vt lecto omnino decumbere per multos menses coactus fuerit, vt in eius natibus ac cruribus vlcera suborta fuerint, quæ in hydropicis difficulter curantur, a quibus magna copia aquæ effluebat per lectum, etiam solaria transeundo. Tandem, postquam per octo menses lecto misere decubuisset, & miseram vitam absq; medicamentis traxisset, vltimum diem obiit.

2

3

4

SCHOLIA.

Inferiora tum pedes huic inflabantur, at superiora arescebant, *vt in ascite fieri assolet, cum & femora tum pedes inflentur, & aliquando in scrotum descendat humor:*) in fine tamen aliquando contingit, morte instante, manus quoq; inflari, quod pessimum signum esse volunt, debilitatem cordi communicatam esse; vnde cor non potest defendere manus ab inflatione. Sed quod ad signa prognostica attinet, caussarum prius distinctio ponenda est, & præcipue obseruanda, cum ex iis grauitas morbi coniiciatur. Hinc communis opinio habetur. Quam & Donatus sequitur, quod *tympanites periculosus sit, minus eo ascites: sarcites quoq; aliquando curabilis fit, per ea quæ cuti adhibentur humorem detrahentia ac resiccantia pharmaca, vt Aetius inquit.* Iacchinus aliter sentire videtur, cum ita scribit: *Soluenda autem nobis* (inquit) *quæstio est, quam iuniores mouent, quæ harum affectionum sit deterior. Alii enim, vt Auerrh. 3. Colliget. tympaniam dicunt:* ratio, *quia non est hæc sine calore, nec potest sine calore flatus discuti: vnde duplex incommodum in cura sequitur, & augmentum scilicet flatuũ, & augmentum dyscrasiæ calidæ. Videte quantum proficiat ars sine experientia. Nec enim distinguit veram ratiocinationem a falsa. Miror Brachatos hos medicos primum non esse experientiæ innixos ad problema soluendum, mox rationibus certasse: sed nimis addicti erant scriptoribus, ita vt nihil ab artis operibus vtilitatis assumerent. Ego vero* (Inquit Iacchinus) *a iuuenta perpetuo euentus omnes ægrorum obseruaui: vidique ceteris paribus de ætate & robore, hydropas, qui anasarca dicuntur, facilius curari: quod si contendere ratione oporteat; quia caussa minus est rebellis: nam proxime hi ad sanguificationem accedunt, nec vires adeo imbecillas habent. At in ceteris membra alimento destituuntur, & omnia imbecilliora. Adde quod sæpius hic casus euenit ex mala victus ratione, vt crapula, cum dimisso exercitio, aere humido, & crassis cibis: & sic videmus pueris aliquando contingere. At hæc facilius sanatur, vt veritas & Galenus testantur. Alii curatu faciliorem dicunt: significatur enim robur naturæ, cum ad omnes partes diffunditur id, quod noxium est. Quod si tympaniam compares asciti, facilius curam hæc recipit. Ratio dictat, quoniam a minori defectu fit, 4. aph. 11. quia humida substantia sine calore aliquo in flatus non vertitur: quare & vires minus imbecillæ factæ sunt. Sed & alia est caussa, quoniam, vt diximus, malum a ventre ortum habet: & sic non est tanta læsio principis partis. Aetius tympaniam periculosiorem facit; sed nullam caussam affert, nisi quod incisio adhibetur iuuans. Ad Auerrhois vero rationem dico, veram fuisse, si ex intemperie calida fieret. At non sequitur, Ex maiori calido fit; ergo simpliciter ex calido. Sed in veritate, si de prauitate morbi recte diiudicare debeamus, a fortitudine caussæ incoandum. Stat ergo, Tympaniam a scirrho ventris factam vel mesenterii, multo deteriorem esse ascite a frigore iocinoris facto, ob caussæ naturam, & fixionem. Ideo qui comparat cetera omnia, comparare debet paria, de caussa, de ætate, & aliis, quæ possunt vim morbi & periculum augere. Altera quæstio est: quoniam posuimus ascitem a caussa frig. hepatis semper fieri, ex Galeno; ideo quærendum venit, num & a caussa calida, vt posuit A-*

Signa prognostica.

Quæ specierum sit pessima.

5

Medici Brachati taxãtur.

6

7

Vtrum ascites fiat a caussa calida.

uicenna, quem sectantur iuniores omnes, ponentes hydropem a caussa calida. Similis sententia fuit Auerrh. 3. Coll. Sed & verisimile est, hos vidisse multos calidis morbis laborantes, qui hydropici forent; vt cum intemperie iecur laboret nimium calida, vel phlegmone. Et quidem nos vidimus hydropicos, quibus aderant signa caloris in iocinore. Cōfirmatur hoc, quia sæpe suffusi flauo calore apparent, & vrina colorata valde colore rubro, vel flauo. Quare stabit cum calida iocinoris intemperie hydrops. Quod si ratione contra hos contendere velis, quoniam generatio aquæ vel flatus est a calore diminuto, & ita necessario ex frigiditate, respectu naturalis temperiei, respondebūt, increuisse extraneum calorem & morbosum; imminutum vero naturalem, cuius vis est concoquere: & ita refrigeratum iecur esse calido innato; sed calidum calore extraneo. Quod vero hoc sit, patet, quoniam ad acutas febres sequitur; non alia ratione, quam quia exstinguitur calor concoquens. Hæc quæstio necessaria est, quoniam nosse oportet, num opus sit semper procedere cum calfacientibus in hydrope: an aliquando sit refrigerandum. Profecto ego non video quomodo possit a calida intemperie gigni aqua. Scimus enim quod omnis immoderata intemperies deiicit opus & facultatem 3. de sympt. caus. 1. & ita omnis vitiat coctionem: Sed diuersimode, vt Galenus ibi ait. Nam frigida frigidos semper affectus parit: calida calidos: quod est assare & in bilem vertere, & siccare. quamuis ergo calor natiuus sit debilis, aget tamen iecur calore quem habet, in cibos: & hic est calor acris, & mordax & exurens. Ergo plurima bilis gignetur dum ea viget intemperies: sed cessante ea, & restincto calore præter naturam cum etiam imminutus sit calor qui secundum naturam, erit iecur frigidum: & ita frigiditas eius ad calidos morbos potest succedere per resolutionē. Ad ea vero experimenta quæ adducebantur, dico primo, non esse inconueniens de hydrope tympanite, quod fiat ex calido circa viscera vehementiore: dum in ventre, vt intestinis copia adsit pituitæ: quod aliquando euenire potest, vbi homo calidi iecinoris vsus fuerit victu apto pituitæ generandæ. Scimus enim quod ratione materiæ fit a vegeto calido flatus, 14. method. cap. de priapismo. Reliquis vero morbis calidis succedet quidem ascites aliquando, sed non comitabitur. Potest etiam contingere, vt in calido iocinore scirrhus eueniat; vt lienis vitio, vel exustione alimenti & sanguinis, vnde refrigerentur mesaraicæ venæ, & simæ iecinoris, & obstruantur venæ illæ: vnde alimentum crudum & aquosum permaneat, & exsudet in ventrem. Sed semper a frigido fiet, vt patet. Quod vero additur de vrina, nihil est: ipsi enim exiguum mingunt; & vrina diu detinetur, vnde ruffescit. Gal. tamen 2. Prognost. 2. hydropen ponit factum ex inflammatione lactium & ieiuni. Sed vult fieri tympaniam, quia crudum alimentum deiicitur per intestina, & a calore loci in flatus vertitur: & manet in ventre, ob excretricis imbecillitatem. Sed & de ea, quæ ex iocinoris inflammatione fit, cap. 3. loquitur. Fieri vero ait, quoniam alimentum, & potio detinetur in lactibus: indeque resudat. Quod vero in iecur permeat, torretur: unde biliosum fit, ex inflammatione. Quod vero insuper addunt, a sicca intemperie & humida fieri, falsum est. Nam ex his non vitiatur concoctio, id est, alteratio alimenti, nisi vbi iunguntur frigido vel calido: quod ego supra ex Galeno monstraui: sed alias noxas inferent. Hactenus Iacchinus. Non desunt tamen præter illos, qui Auicennam sequuntur, iuniores, vt Rondeletius, aliiq; viri doctiores, qui hydropē a caussa calida fieri volunt. Et sic etiam in vtramq; partem disputari quoq; posse, quænam species sit deterior. Memini enim, cū Louanii in scholis de hac re fieret disputatio, quod ego cōtra Licentiatum, qui gradum Licentiæ accepturus erat, sustinerem hyposarcam omniū specierū pessimā esse, cum plura membra in eo lęderentur; quam positionem tunc contra præsidem Leonardū Hieremias doctissim᷒ defendebat, cumque acutus esset in disputando, ita vt Leonardus paulo calidior in disputando euadens, diceret, *Ego Galenum legi antequam esses natus*; cui subridens Hieremias, vt erat facetus, inquiebat, *Plura quidem legisti, sed pauca animaduertisti:* Ceterum aliter disputatur in scholis, aliter in praxi re ipsa demonstratur. At omissa hac altercatione, demum ad Prognostica reuertamur. Omnes autem inueterati hydropes, & qui habitū corrumpunt, sunt periculosi; *vt etiam Aetius fatetur.* Iam quoq; experientia edocti sumus, aliquas caussas esse prorsus insolubiles, vt scirrhum, si in viscere eo sit; si vero in liene, ægre solubilem. Alii a tumore duro iecoris vel etiā lienis, insanabile male esse volunt: sed & quando iam aquam intercutē facit, prorsus insolubile, siue in liene, siue in vtero, siue in lactibus sit; diu enim durasse & confirmatum esse oportet. Sæpe vero hoc malum, vt nunc diximus, per se incipit; sæpe alteri vetusto morbo, maximeque quartanæ, superuenit. Inter initia tamen non difficilima curatio est, *vt exemplo vnius obs. 28. praeceden. ostendimus.* At si malum inueterauerit, nō sine magna molestia discutitur, *Celso auctore*, faciliusque in seruis (*si nondum radices egerit*) quam in liberis tollitur: quia cum desideret famem, sitim, & mille alia tædia, longamque patientiam; promtius his succurritur, qui facile coguntur, quam quib. inutilis libertas est. Sed ne hi quidem, qui sub alio sunt, si ex toto sibi temperare non possunt, ad salutem perducuntur, *vt idem refert Cornel.* Difficile vero soluitur habitualis frigida intemperies: attamen non est impossibilis. Facilime curantur, qui ex obstructione, vel ex victus ratione oriuntur: vt ex cibi multitudine: post hos illi, qui a suppressis menstruis. Curam etiā recipiūt illi q. ex profluuio sanguinis: sed quia raro fit sine scirrhis, ideo rari euadunt. Omnis item aqua inter cutem, si ex acuto morbo exsistit, mala est, *vt liquet ap. Hippocrat. 2. Prognost.* non enim sedat febrem, sed dolorem admodum infert, ac mortem, vt ipse inquit. Huic quoque affectioni non minus fœminæ, quam viri fiunt obnoxii: pueri vero vt plurimum ab hydrope sarcite apprehenduntur, quæ quandoque curabilis fit. Sed quæret hic aliquis, *quod ad ætatem attinet, quinam melius euadant? an iuuenes, quorum naturæ morbus est aduersus: an senes, quib. est affinis?* At experientia monstrat pueros aliquos euadere; seniorum vero nullum. An eodem proposito generæ caussæ morbificę, magis perici-

10

Nota.

11

12

Quæstio

periclitantur pueri, quam senes? quia magnitudinem caussæ commonstrat. Hæc enim est caussa 2. *aph. 34.* Sed licet senes de vita non periclitentur, rarius tamen morbo liberantur, ob vires defectas: quoniam branchi in valde senibus non maturantur. Non admodum formidabilis est aqua illa, quę nullo antecedente morbo ceperit; deinde quæ lõgo: omnium periculosissima, *ut iam diximus*, quæ ex acuto nascitur; & quæ a scirrho confirmato, nõ curatur; sic etiam vix a resiccato nimis hepate: ab hydatidibus maxime. Phthisici quoque magna ex parte, eo quod iecori malum communicetur, hydropem incurrunt: eluuies enim saniosa atque virulenta viam inueniens, in iecoris substãtiam diffusa aliquando obhæret, eiusque substantiam corrumpit. Quod vero aqua inter cutem laborantib. viscera in corpore facta difficulter sanentur, idem Hippoc. scriptum reliquit *aph. 8. lib. 6. & aph. 14. eiusdem*: quod fit propter nimiam humorum abundantiam: *Hydrope correpto* (inquit) *si aqua e venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus*: quemadmodum malum esse, si eisdem tussis superuenerit, decretum est ab eo *aph. 35. 6.* vel quod desperati, *ut liquet aph. 47. 7.* Signum tamen pessimum est, vbi vacuata vel spõte vel arte materia, malum redit: caussa enim pertinax est. Ergo quod scribitur *aph. 14. lib. 6. Hydrope correpto, si aqua e venis fluxerit in ventrem, morbum soluit*; non est perpetuum. Multis enim sponte vel arte commoto vẽtre, & aquosis multis inde purgatis, non superfuit salus: quomodo sectis mors cõtigit, siue aqua fuerit in vẽtre, siue in thorace. Hoc in thorace annotauit Hipp. *lib. de morb.* quod & experientia confirmat. Sed licet aqua sponte vel arte expurgetur, si viscera corrupta vel syderata sint, celerius moriũtur. Multos obseruauit Hollerius, & etiam nos, qui ex alui profluuio melius habuerunt: sed paulo post, manente caussa, morbus rediens interitum attulit. Aliquando etiam in nimia effusione humoris vna spiritus effunditur, quod Hipp. monet in his, qui secantur & vruntur. Ob id oportet integris viribus esse: & priusquam viscera corrumpantur, remediis vti purgantibus, deinde & aliis. Sed hæc ad curationem spectant, de quibus dicemus, cum de sectione latius loquemur.

Observatio XXXI.

De Leucophlegmatia, cum alui profluuio vehementi curata.

SCribit Hippocrates, si quis Leucophlegmatia detineatur, & fortis ventris fluxio superuenerit, a morbo liberatur: *ut patet aph. 29. lib. 7.* Nãque (vt Gal. inquit) *ex forti, seu diuturno alui profluuio, soluitur albæ pituitæ superabundantia.* Hoc modo noui Alcmarianam mulierem, ad quam curandam accitus fui, hydrope aquosa seu Leucophlegmatia laborantem: quæ, cum in alui profluuium vehemens incidisset, mox ab hydrope & totius corporis mole inflata, miraculi instar, omnibus admirantibus liberata est.

Scholia.

AVicenna contrarium de hydrope in generali dixisse videtur, quod fluxus ventris in hydrope sit lethalis. Sed hoc ita distinguunt: in ascite lethalem esse, in qua virtus fere debilis est. Et sic Auicennam intelligendum esse volunt. Alioqui in hyposarca, cum virtutis constantia & robore, aliisque bonis signis, etiamsi a natura fluxus factus fuerit regulariter, & non symptomatice, vtilis est. Hinc & Rhases 7. *Continentis*, tum Auicenna ipse, potius laudant in ascite siccitatem quam ventris leuitatem. Attamen in hydrope anhelandi difficultas perniciem minatur: vt & si cita pariter aluus superuenerit, qua nec venter obiter resideat. Hydropicis aliquando nauigatio profuit: Nam Ioanni Blancke negotiatori Parisiensi, apud Hollerium, in Angliam profecto, hyeme tumor cum miraculo quodam subsedit: euanuitque morbus, nec rediit. An *quod integro, aut non ita læso viscere aqua partim calore natiuo excitato, partim aere marino resoluta fuerit?* Cuidam per sudores sponte exsiccatos, & quasi distillantem aquam, curatio: Alteri mors, cum multo alui profluuio tumor subsedisset, redeunte morbo. Cuidam ad viuum resectis vnguibus pedum, & frictionibus paulatim humor illac defluxit: & conualuit. Oribasius tussim signum esse mortis pronuntiauit, *ad aphor. 35. lib. 6.* Verum hoc distinctione quoque eget. *Si videlicet id fiat adaucto morbo, & aqua ratione, quæ tam pulmonum arterias asperas occupet, vnde tussis: nam si aliunde, non ita mala.* Sic quoque, iuxta Gordonium, *a fluxu ventris si non sequatur alleuiatio hydropicis, malum.* Et iuxta eundem: *vrina bicolor in hydrope lethalis; sicut cum est ruffa inferius: & liuens superius: aut rubra superius, & nigra inferius.* Ita egestio hydropicorum tanquam sanguis coagulatus, mortem propinquam decernit: ita & anhelitus constrictio, cum solutione ventris, & vlcere oris, gingiuarum, & totius corporis: vti euenit Domino de Schagen paulo ãte eius mortem. Ita & religiosæ morti proximæ vlcera multa in corpore apparuere. Ita in ascite seu hyposarca carbunculi quasi pestiferi superuenientes, aut anthraces, mortem vicinam prænuntiant. Omnis hydrops sequens peripneumoniam, lethalis.

3 *Historia quædam hydropicorum ab Hollerio obseruata.*

Observatio XXXII.

De quibusdam ab hydrope curatis.

PVer 12. annorum, ex hydrope decumbens Bononiæ in nosocomio Vitæ dicto, a præceptore meo Elideo ita curatus fuit: ℞ *pul. soldanellæ* ʒ. *ij aquæ cuscutæ agrimoniæ an.* ℥ j. quod illi exhibuit: & quamuis parua dosis profuit in puero. Deinde ℞ *syr. byzantini, de quinque rad. ana* ℥ ß. *aquar. cuscutæ, eupatorii, cichor. an.* ʒ *vj. misce.* Deinde iterum moderate purgatus est cum rhabar. & soldanella, cum aqua agrimon. Rursus *syrup. præparante* vsus. Mox soldanellam puer denuo cœpit: & conualuit. Alter Mediolani decumbens, curatus est hoc modo: ℞ *cass. rec. tract.* ℥ j *trochis. de viol. sine scammon.* ℈ *ij. pul. soldanellæ* ʒ j *misce, cum sacch. fiat bolus*: ℞ *rad. petros. fœniculi, dauci an.* ℥ j. ß *sem. fœnic. anisi, dauci an.* ℥ ß. *cassiæ ligneæ, cinamomi electi an.* ʒ j *centaur. minor. pulegii, calaminthæ an. m.* ß. *rad. cucu. syluest.* ℥ ß. *in vino macerata per noctẽ &*

ita expressæ addatur liquor aliis, rad. azari ℥ ß. *granor. iuniperi gran.* iij. *bulliant simul omnia in s q. vini albi odoriferi, ad consumtionem medietatis.* Deinde fiat horum omnium colatura; cui adde *syr. de byzant. de quinque rad. an.* ℥ j. ß. *exhibebatur omni die* ℥ vj. *vel* iiij. Continuatum septem diebus; sed in homine fortiori. Prius tamen potest addi *rad. cucum.* ℥ j. Deinde si necesse sit, dosis augēda. Potest & macerari in aceto. Vide Dios. Deinde capiebat *soldanellæ* ℥ iij. *cum aqua vel succo conuenienti.* Intermedio tempore sumebat ℥ j. *diacur. ante cœnam & prandium.* Sed & hoc puluere vtebatur in cibis exsiccantibus: ℞ *pul. seminis anisi, fœnic. an.* ℥ ß. *pul. ireos, sulphuris viui & exstincti multoties in aqua agrim. an.* ℈ j. ß. Abstinebat a potu quantum posset. Quibus curabatur. Vbi non succederet, fortius exhibebatur: addendo supradictæ decoct. *soldanellæ* ℥ ij *sauinæ m.* ß. *cantharidum gran.* j. ℞ *syr. byzant. de eupatorio an.* ℥ j. *aquæ agrim. cassutæ, absinthii, fœniculi an.* ℥ j. *misce.* ℞ *trochis. de eupat. de rhab. an.* ℈ ij. *cum syr. de mentha, fiant pil. detur vna, & suporbibat ex syr.* Si non cedat morbus, ætate ferente reiteretur decoctum & purgans conueniens: & intermedio tempore detur diacurc. Et post tres dies huius pul ℥ j ℞ *cētaurii minor.* ℥ iij. *sem. fœniculi, anisi, carui an.* ℈ j. *misce.* Si videbitur necessarium, decocto adde secundum, imo etiam tertium, granum cantharidum. Et si fiat corrosio ex dictis, iniiciatur talis clyster: ℞ *lactis recentis* ℥ vj. *axungiæ hircinæ* ℥ j. *axungiæ porcinæ olei communis & dulc. an.* ℥ iij *cerussæ* ℥ ij. *sang. drac.* ℥ j ß. *aquæ consolidæ maio.* ℥ ij. *misce. fiat clyster.* Hoc modo iam præscripto vnum curatum scribitur, iisdem sæpe repetitis. Cum cautione tamen cantharides imponātur: nam in eodem nosocomio Bononiæ vidi in muliere plus obfuisse, quamuis in paupere & fortiore etiam hæc profuere: ℞ *cass. rec. extracta* ℥ j. *trochis. de viol. sine scammon. soldanellæ an.* ℈ ij. *pul. liquir.* ℈ j. *fiat bolus cum zacch.* ℞ *rad. fœniculi, dauci, petros. an.* ℥ j ß. *sem. fœnic. anisi, dauci, an.* ℥ ß. *pulegii, calamenthi, sabinæ an. m.* j *rad. azari* ℥ ij. *gran. iuniperi* ℈ ij. *cantharid. gran.* ij. *fiat decoct. in vino secundum artem. capiebat omni mane* ℥ vj. Deinde istis pilulis: ℞ *pilul. mastic. aggregat. an.* ℈ j. *elaterii optimi* ℈ ß. *cum syr. de eupat. fiant pilulæ* 5. quiescebat deinde per quatuor, quinque, aut sex dies; quibus vtebatur pul. sem. anisi in cibo, aliisque supra repetitis. Et his æger sanitati restitutus fuit. At ego potius cantharidibus minime vtor; propterea quod ab iis viderim corrosiones; quanquam non dubitem in valde robustis prodesse. Hæc quidem vehementissima non nisi cum cautione, in robustis, & cognita natura, per vices adhibenda.

SCHOLIA.

CVm autem ex prædictis constet omnem hydropis curationem difficilem esse, & plurimo artis auxilio opus habere: tamen iuxta Aetium, inter initia non ita difficilis habetur: *Celso quoque auctore.* Curationis vero prima & principalissima pars ratio victus existit, non solum in aqua inter cutem, verum etiam in omnibus affectibus, & potissimum periculosis; *Alexandro teste.* Et ideo in omni hydrope imprimis studebimus, iuxta omnes auctores, roborare virtutem hepatis digestiuam, ac ipsius ventriculi; vitando cibos nocentes. Et ideo in omni hydrope omnes virtutes ac membra principalia, præcipue hepar & ventriculum, roborabimus cibis rebusque odoriferis, moderate stypticis: & mandabimus vt moderate cibis euchymis & leuis digestionis vtantur, mixtis aromatibus roborantibus, idque semel in die. Quæ omnes hydrope laborantes egregie iuuant. Sed hoc meminisse oportet, *si quis hydrope simul & febre corripiatur, quod tunc post dimissionem febris, vel tempore minoris afflictionis cibi exhibendi erunt; atque tunc etiam remedia commoda administranda.* Eaque de re communem omnibus speciebus aquæ inter cutem victus rationem instituemus: & quasi vniuersalem prius aggrediemur; deinceps cuiusque particularem curationem. Ideo loci salubritas imprimis quærenda est: montana loca, marina (*sic quidam hydropicus inflatus ventre, manibus pedibusque & facie, a medicis destitutus, & tanquam desperatus, adiit littus marinum, & nauicula per aliquot miliaria ascendit in altum maris: & prouocato vomitu: & post vomitum exercitio vtens, sanitati restitutus est*) aprica ac sicca regio inhabitanda. Propterea aer eligatur ad calidum & siccum vergens; moderata autem sit, & probe temperata ipsa domus, secundum anni tempus, *vt inquit Aetius.* Lectus non valde mollis sit, iis præsertim, qui anasarca laborant. Substernantur etiam arundinum folia, & herbæ resiccantes; velut est *vitex, pulegium, calamintha & similia*: tegumenta etiam ipsa, quibus teguntur, apparentur duriora: mirum est enim quantum huiusmodi per somnum resiccent; vt constat iam quosdam frumenti aceruis obuolutos & absconditos, a somno surrexisse firmos ac resiccatos, *vt liquet ex eodem Aetio.* Somnus eisdem competit moderatus, aut paulo breuior consueto: namque vigiliæ moderatæ non minus conferunt; digerunt etenim; *vt liquet ex Galeno 12. methoa. med.* Motus insuper, si quid aliud (*vt Tralianus refert*) hydropicis conducit; præcipue qui fit per mare, equum & lecticam. Iis autem, qui viribus constant, etiam ambulatio est vtilissima. Pariter frictiones hydropicis adhiberi debent: namque exteriores corporis meatus rarefaciūt, humores extenuant, ac discutiunt, *eodem Alexand. teste*, Celsus quoque *multum inambulandum, currendumque aliquando esse*, præcipit; quanquam idem inter initia quietem, sitim ac inediam pro affectus curatione probauerit. Addidit etiam, *quod superiores maxime partes sæpe perfricandæ sunt, vt spiritum ipsum contineat*: euocandus est sudor, non exercitatione tantummodo, sed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, similibusque aliis: maxime vtiles naturales & siccæ sudationes sunt, quales super Baias habemus in myrtetis, *vt ipse refert*; modo autem vulgo sudatorium Tritulus forte (*vt Donatus putat*) appellatur. Ac clibano vti volunt; non eo tamen modo, quo Cydone quædam e plebe mulier cu-

Victus ratio communis singulis aquæ inter cutem speciebus.

Ex vomitu in mari sab hydrope quidam curatus.

Sudatorium Trituli.

Exemplum [illegible]

fiercula cachecticum filium seu hydropicum temerario ausu demto pane (*vt scribit Benedictus Veronensis medicus doctissimus lib. 15. cap. 25. de curatione in communi, & de fictis sudationibus*) subiectaque tabula in furnum coniecerat, inuitum ac reclamantem, vicinis ad eam medelam opem ferentibus: nam in caput puerum intulerant: qui vapore occluso spiritu protinus suffocatus est. Remedium conferre indicio matri fuit, quod protinus conticuisset. Stabat ante furnum læta, sudoris desiderio: paulo post puerum percunctari cœpit, *nunquid calor prodesse videretur?* Cum ille nihil responderet, suadentibus vicinis, vt puerum quiescere pateretur, ad dicacitatem rediit; paulo post cum puerum extraxisset, exanimatum vidit, furni remedium, suamq; & vicinarum temeritatem exsecrando. At nos tuto has siccas sudationes excitamus in lectulo humili, clibani modo, lateritiis lapidibus modice accensis & vino albo exstinctis, pannisq; inuolutis, ne forte lintea succenderentur; atque ita ordine ab humeris ad pedum plantas eos lapides circumponimus, leuiter candentes, exserto ac immuni a vapore capite: tecto tamen sindone: tum sudores ter aut quater, interdum miro modo euocamus. Pares sudationes idem Veronensis vtiles tradit, in specu, in Mylo insula, sæpe salutares: vbi vapor tantum quæritur, sicuti super Baias inueniri tradit Celsus: *vti paulo superius diximus.* Iuxta Aponi fontes, ac in pluribus Italiæ locis, & in Bononiensi agro ac Statiliensi, pares sudationes faciles constitui possunt, rapto in corpora vapore, quoniam balnea, & humores omnes damnauere. Verum neque sudor euocandus, aut corpus valde exercitandum, nisi prius corpore perpurgato. Cibus autem debet esse ex media materia, sed tamen generis durioris (*vt refert Celsus*) tamen concoctu facilis & sufficienter coactus. Alexander laudat panem furnarium probe fermentatum, qui semina flatibus discutiendis apta contineat, *vt anisi, aut cumini, aut fœniculi, cuius etiam copia vitari debet.* Et sit optimus clibanites: qui salem ammium, & fœniculum habeat admixtum, *iuxta Aetium.* Ex auibus conueniunt *perdices, turtures, phasiani, turdi, merulæ, sturni, & reliqui minuti passerculi, qui pingues non sint? interim & non improbantur gallinæ, ac gallinacei pulli, quamquam feræ aues mansuetis præponi debeant; vt testatur idē Trallianus.* Ex quadrupedum item carnibus moderate comedant: & eas potius, quæ non sunt pingues, præcipue *ferinas, vt ceruinas, aprinas, & caprearum ac leporum:* quarum ius cum extenuante cibo paretur, *apio videlicet, petros. dauco, pulegio: caucalide, eringio, pastinaca, porro capitato, ac alliis:* præsertim hominibus ruralibus & nautis. Has easdem maxime assas, si gratæ sunt, assumere ipsos alienū non est. Verum tam assatis, quam elixatis semper aromatica quædam redolentia adiicias præsertim cinamomum, aut garyophyllos. Ex piscib. gustari poterunt cancri, locustæ & erinacei recentes. A leguminibus abstineant in totum. Inter bellaria concedendæ sunt *palmulæ, nuces amygdalæ, vuæ pensiles, vua passa, mala punica, pyra cocta, ac caricæ: omnia tamen moderate, neq; omnia quotidie.* In vniuersum tamē maximā ciborū partem in cœna accipiant. Quandoq; etiam assatas cochleas, atq; oua insuper assata gustare poterunt, *vt Aet. visum est.* Pro potu sit vinū tenue, præsertim vetus, itēq; illud quod vrinā ciet. Aqua in vniuersū vitāda est. Verum quoniā incommodus est eis plurimus potus tantū præbendum erit, quantum ad infringēdam aliquo modo sitim sufficit. Namq; potio nō vltra danda est, quam vt vitā sustineat: optimaq; est, quæ vrinam moueat, *vt Cels. placet.* Si tamen sitis intensa instet, parum quid delibandum dabimus: solatii tamē gratia. Inedia quidem in hydrope facilius fertur: sitis vero difficilima est, nec sustineri potest: propterea Medrodorum ferunt Epicurei discipulū, cum hoc morbo tentaretur, neque æquo animo ferret intolerabilē sitim, vbi diu abstinuisset, bibere solitū, ac deinde euomere. nā ꝙ si redditur quicquid receptum est, multum tædio demit, alioquin morbū auget: ideoq; in quolibet tentandum nō est id remedii genus. Ideo vinum austerum q̄dam dandum ꝑcipiunt, cum cibo ꝑparce q̄ tenuissimum, nec vltra quam vt vitam sustineat: & vt talis sit potus, q̄ vrinam tantū moueat. Dulcia vero vina, & vinum mulsum, vitanda sunt: namq; ex his sitis nō sedatur. Eporum tamen acceptum optima eisdem medela est, *vt liquet 1. de simpl. med. facult.* Quod si velint factitiis vinis vti, id sit absinthites, ꝑcipue quod spicā nardi copiosiorem recipit: vel apiatum: aliis autē abstineant, ex *Alex. Trall. testimo* &, vt summatim dicam, (*cū Gal. 4. de rat. vict. in morb. acut.*) q̄ minimum habere & q̄ plurimum laborare prædictis cōfert: nempe talis viuendi modus calefacit & exsiccat. Hæc quo ad communem victus rationem attinet, dicta sunt satis. Quātum vero ad medicamentorum rationem pertinet, communis etiam omnium curatio ab euacuatione incipienda est. *Pauli & Alexan. testib.* Ideo sciendum, *quod omni hydrope cōferant res euacuantes incidētes, exsiccantes: tā interius adhibita quā exterius admota.* Et quamquam vniuersalis methodus sit in omni hydrope, vt materia, q̄ morbum faciat, euacuetur, vti aquositas: tamen in ascite, per soluentia, q̄ hepati minime inimica sint, est procedendum: ideo cathartica vehementiora damnantur, ꝑterquam in hyposarca, q̄ vehementiores sustinet potiones, modo vires adsint & ætas ferat. In tympanite vero magis perdigerēdia. Ita in hyposarca purganda est materia pituitosa: & ea danda, q̄ aperiant & vrinā prouocent: idque magis in ascite & hyposarca. Sic & hepatis intemperies corrigenda, ac roborandū semper hepar, siue per consensum, siue per se fiat. Sic & resolutio ventositatum & humiditatum: & meatuum internorū & externorum apertio (*materia prius præparata, & per euacuationem expulsa*) saltē cum frictione ad solem vel ignem cū stuphis siccis, vel aliter, *vt superius dictū est.* omnib. speciebus hydropis curabilib. videtur iuuamentū ꝑstare. Sed hoc quoq; sciēdū, *quod quāuis medicamēta q̄ aquosos humores expellant, atq; diuretica sunt, si in pa-*

8

9 Cibus qualis esse debet.

10

11

Communis medicamentorum ratio.

12

sumantur, subtilissime trita cum aquis vel decoctionibus propriis administranda erunt, vt facilius penetrent. Præterea & hoc obseruandum, *ne tædio afficiantur multis remediis, quod medicamenta sæpius sint mutāda, & varia forma administranda, ne natura assuescat vni præsidio: ne medicamentum fiat vti cibus, non autem vt medicina.* Et sic quoque medicamenta laxantia, roborantia, siue aperientia, quamuis sint diuersarum specierum, non sunt continuo adhibenda; sed vtile erit modo vnum, modo aliud administrare: subinde vero & ex toto quiescere, vt natura cibo ac potu refocilletur, a multis remediis subinde lassata. Et ita quoque inter duo solutiua ventris, præstat aliquid deoppilans aut aperiens medicamentum præbere, vt meatus aperiantur, & hydragoga commodius operentur. At vnice studendum, *vt abstineamus a venenatis potionibus, vt euphorbio, cocco gnidio, quantum possibile; & numquam ad mezereon, laureolam, nisi cum cautione accedendum; cum mesereon apud Persas vocetur rapiens vitam; & ab aliis faciens viduas: ideo, nisi coacti, iis non vtemur.* Vide de hac re historiam apud Gradum *de Francisco Sfortia, duce Mediolanensi, qui tamen erat robustus hydrope laborans, & bene tolerans medicamenta vehementiora: sed eius vsu ita fuit debilitatus cum ea accepisset, vt iurauerit, se nunquam talem medicinā accepturum.* Ideo, *vt paulo antea diximus*, talia vehementiora catharctica non laudarem, nisi in hyposarca, & in fortioribus ac robustis: cum & hæc valde calida ventrem acrius perturbent; & iecori inimica sint: quod si danda sint, ea quidem correcta exhiberi debent: sed tutius ab iis abstinebimus. Et ideo si fortiora sint propinanda, semper robotantia aliqua addemus, quæ iecur & ventriculum roborent, & propterea statim a potionibus laxantibus roborationi hepatis incumbendum, vt vis eius & conseruetur & roboretur. Obseruabimus quoque, *vt caussam ipsam, quæ hydropem efficiat, auferamus: quamobrem si ab hepate eiusq; apostemate, abscessu scirrho, oppilatione hydrops originem traxerit, talis affectus primo tollendus erit ex propriis locis, ac diligenter hepati prouidendum erit.* Quod si per consensum hic affectus fiat, caussæ omnium primo occurrendū erit, siue ex liene fuerit, siue ex aliis partib. nam caussarum quoq; ratio habenda. Deinde ad id quod genitū est, erit deueniēdum. Sed quia aqua collecta morbum facit & auget, ea tanquam caussa primū auferenda est; ac ne augeatur, victus exsiccās, *vt nunc diximus*, instituendus. Sed & distinctio remediorum a varietate caussæ sumenda: nam alia conueniunt in frigida, alia in calida, *vt apud Rondeletium videre licet, tum alios auctores.* Curationem itaq; *Græci, vt Paulus & Alexander*, ab euacuatione incipiunt: quanquam ascites & tympanites purgans medicamentum duntaxat, quod aquam educat, requirant: anasarca vero interdum venæ sectionem, vt ipsi referunt. Quin imo hic solus hydrops, cum incipit (*Galen. teste 4. de rat. vict.*) interdum sanguinis detractione indiget, cū scilicet ex retentione, vel hæmorrhoidis vel muliebriū, vel ex quapiam, quę ita plethorica sit caussa, inceperit. Tympaniā vero & ascitem (*vt ipse inquit*) nullus per sanguinis missionē sanare est ausus. At in deiectione ventris & hoc quoq; obseruandum: materiam prius præparandā, & meatus aperiendos: mox aluus emolliēda; imo in singulis hydropicis aluus seruanda lenis est, si non natura, saltem aut clysteribus lenientibus aut glandibus. Quę vero per aluum infunduntur, cęteris hydropis speciebus traduntur, præterquam anasarcæ: præsertim cū catharctica aut vomitiones minus iuuāt. Quidā vomitū ante cibum & post in omni hydropis specie, morbi initio laudauere: præsertim in ascite; sed ab imbecilliori incoandum iubēt. Verum vbi vires nō sunt, id remedii genus relinquunt, nam proterit plurimum vires. Cientia vrinas iuuant etiam in ascite, si admoueantur; etiam in hyposarca, per potum, cum in ambitu corporis aqua exsistat. At illa, quæ sudorē prouocāt, nō multum prosunt in ascite, quia pauca aqua est in ambitu corporis; in anasarca valde prodest. *In tympanite*, inquit Paul. *catharctica quæ corpora colliquāt, vitāda sunt, & quæ vrinam vehementer ciunt: nam ea melius monetur cibis quam medicamentis.* Verum si res cogit, ex iis aliquid, quod id præstat, cibo aut potui admiscendum est; qualis est *iris, nardus, crocum, cinnamomum, & alia quæ Celsus ex præclaris auctoribus adfert:* qualia & Paulus fere commemorat. Hactenus communiter de omni specie dictum sit, postea ad curationes speciales transibimus: exēplo hoc prius adhuc interposito.

Observatio XXXIII.

De duabus mulieribus hydropicis casu curatis, vmbilico perrupto & aqua effluente: quæ postea tamen ex recidiua vitam finiebant.

Mulier quædam in Thessalia insula, (*non autem Græciæ, sed nostra Batauia*) hydrope ad desperationem laborabat, ventre ita prominente, vt disrumpi videretur. Cum autem hæc vsa esset multis remediis, præcipue empiricorum consilio (*qui ad eiusmodi insulas confluere solent,*) nec quicquam opis aut iuuaminis sentiret, tandem pro deplorata habita est. Sed paucis deinde diebus, perrupto vmbilico, ex ingenti mole aquæ, suo pondere ventrem prementis, magno impetu aqua purissima effluxit prius: postea & paulatim vsque ad congios fere 12. aut plures, vt ipsa nobis narrauit. Atque sic, absque opera medicorum, vmbilico denuo occluso, pręter spem multorum conualuit. At tunc nihil remediorum iecori adhibuit, ne denuo recidiuam pateretur; & post plures annos, cum praua victus ratione vteretur, iterum venter in molem excrescere cœpit; neq; eadem fortuna, vt antea, curata est: imo remediis tunc nihil iuuantibus, ab hydrope infelix tunc obiit. Idem contigit mulieri Delphensi, ita vt quasi facto abscessu in vmbilico, aqua effluere per vmbilicum eo reserato cœperit, sed non ita pura nec alba, vt in præcedēte, sed admodum rubra, postea etiam instar carnis loturę. Ideo me, tum Cornel. Heydium collegam meum, tum duos

duos chirurgos, vocari ad se iussit: adhibitisque optimis remediis, ab hydrope cum euasisse videretur, postea tamen cum stillatim rursus aqua rubra efflueret, vt in matulam vitream reciperetur vmbilico appositam, tunc remediis chirurgorum tantum vtens, tandem & hæc (*licet a nobis satis curata*) postea (*vt a chirurgis nobis relatum fuit*) obiit anno 1562.

SCHOLIA.

3 Accidit interdum casu & fortuna sanari nonnullos, quos medicina curare non potest: vti huic priori mulieri euenit; quanquam post multos annos facta recidiua, & iterum in hydropem prolapsa, eodem malo obierit. Altera quamuis fuerit quasi curata, cum tamen ex vrina etiam videbantur viscera putrefacta, postea etiam obiit. Puer tamen, de quo prius dictum est, apud Beniuenium, curatus fuit. Et sic vt idem refert, *mulierem scimus, quæ dum aqua inter cutem adeo laboraret, vt nulla de salute eius superesset spes, nescio quo spiritu impulsa, de eminente quodam loco ad terram deuoluitur, & vtero ad lapidem eliso disiectoq;, ita prorsus omnis effusus est humor, vt quæ puerum octimestrem gestare videbatur, enixam crederes. Sed nec multo post, aut tempore aut labore idoneis ad hanc rem adhibitis præsidiis penitus sanata est mulier.* Recte dixit Argenterius ille doctissimus medicus (*vt alias quoq; diximus*) tria esse, per quæ officia medica fiunt, *per naturã, medicum, fortunam seu casum.* Sed quæ casu fiũt, nõ subiiciuntur præceptis, vt de his, qui ex vmbilico ex se rupto ab hydrope liberantur: quamuis simile quid his accidit, quod asciticis, quib. dissecto abdomine aqua emittitur, de quo Paulus Ægineta *lib. 6. cap. 1.* Huius exempla postea adferemus, nunc ad anasarcam seu λευκοφλεγματίαν, & eius curationem accedamus: deinceps & aliarum specierum particularem curationem proponamus.

Beniuen. ca. 100. de abditis caussis morborum.

4

OBSERVATIO XXXIV.

De virgine ex mensibus suppressis in anasarcam incidente: & de alia quæ postea ad empiricos prolapsa obiit.

1 Virgo quædam satis annosa, 40. annos nata, cui menses longo tempore restricti fuere, tandem cachexiam incurrebat: mox vniuersa caro huic, atque adeo totius corporis moles, spongiæ instar, laxa ac madida euasit, ac toto corpore calore quidem mortuo, ac adeo intumescente, vt vix procedere posset, illa nempe specie hydropis correpta, quam anasarcam seu leucophegmatiam appellamus. Ad hanc curandam acciti: cum hic multus crudus succus in vniuerso corporis habitu abundaret, hunc necesse erat vel concoqui, vel vacuari, vel vtrumque fieri, vt methodus curandi exigit. Sed antequam illa fierent, videndum, num adhuc caussam habeat fouẽtem: eam prius remoueri oportet. Sunt autem caussæ, quæ præsistunt, *mensium suppressio; aut praua victus ratio, tum in qualitate cibi, tum in quantitate: similiter & quæ debilitant iecinoris concoctionem, præter scirrhos, aut obstructiones magnas, & difficiles:* quæ vltimæ caussæ etiam in ascite fieri possunt præcipue. Cum ergo ex retentis mensibus fuerit (*vt hic erat*) vel hæmorrhoidibus *iuxta Hippoc. aph. 6. & 12.* vbi ostendit Galenus, *hoc fieri: quoniam prauus sanguis & multus vitiatus frigido vitio, retinetur in venis.* Sed & caussam respicimus: de quo affectu Galenus loquitur *in libro contra Erasist. cum hydropas sanguine misso sanatos esse ait.* Sed maxime vires animaduertere opus est, vt habeant, & vt habituræ sint a misso sanguine. Nam si constare videntur signũ est tantam crudorum copiam non esse, quæ prohibeat venam secari, *auctore Galeno in libro de venæ sectione.* Non aliter *4. de sanitat. tuenda*, in crudorum multitudine prohibetur venæ sectio, vbi multum remota est multitudo a sanguinis natura; idque ob virium robur. Sed & modus ille seruandus erit, *de quo Gal. meminit in lib. de venæ sectione,* vt scilicet iterato fiat: atq; interim ea, quæ humores ad alterationem præparant, propinentur, id est, incidentia, & calefacientia & subtilantia. Meminit vero sanguinis missionis solum in anasarca *Galen. 4. de vict.* & in hac solum locum habere ait. Quæ præsertim interdum sanguinis detractione indiget; cũ scilicet ex retentione, vel hæmorrhoidis, vel muliebrium, vel ex quapiam, quæ ita plethorica sit caussa, inceperit. At in tympania & ascite secundum eundem (*vt antea quoq; diximus*) nullo modo vena secanda. Ideo & nos in talo venam aperire iussimus, sanguine moderate extracto: quamuis ex ea sectione venæ menses non fluxere. Propterea recte dicunt medici illustriores, quod misso sanguine statim cogitandum erit, vt humoris frigidi copiam educamus. Id vero, cum multiplici fiat via, nempe per aluum, per vomitum, per vrinas, per insensibilem transpirationẽ, per chirurgiam, & per ea, quæ ex accidẽte corpus exsiccant; ab iis est auspicandum; victu scilicet, vtpote in morbo longo, (*omnibus vero vtendum ideo, quod in variis partibus continetur humor, & est per proxima euacuandus:*) quem generatim ita instituimus: talem nempe victum, qualem scholio, *Obseruat. 31. præcedentis* descripsimus: & quod ad quantitatem attinet, talem qui vires non deiiceret: & quod ad qualitatem, vt siccaret corpus, nihilque graue concoctu, ob caloris infirmitatem glutinosum, vel crassum propter obstructiones; humidum actu vel potestate, ob humoris copiam, non frigidum, non flatuosum: omnia enim hæc lædunt hydropas eiusmodi. Quamobrem effeci, vt conditurae ciborum optimæ essent, ex aromatis vrinam cientibus, & ea, quæ ventrem subducunt quotidie familiaria. Potu quidem quam exiguo vt vteretur mandaui: nempe vino albo tenui, prout sumtus ferre posset; & non adeo adstingenti: & summatim, vt parce viueret. Multi cum forti animo per menses aliquot solo pane alti potu abstinuissent, curati sunt; adhibito reliquo victu siccante per exercitationes, quas ferre potest, per aerem siccum. In medicamentorum genere primum deiicientia aluum præscribunt medici. Hæc enim præcedere debent: quæ cum multa sint,

2

3

4

ea tamen eligenda, quæ experientia nota fuerint conuenire; sæpius enim hæc iteranda veniunt: potestque prudens medicus facile experiri. Constat autem curatio his intentionibus; vt plurimũ operentur absque ægri molestia: & ita vtimur potione & clysmate. Hic igitur, cũ cruditates abundẽt sæpius circa primas venas, quidam hieram eligunt, cui inest solutio modica & confortatio.

5

Modo vtuntur *infuso rhab. & agarici in optimo vino*: quæ in hac specie plurimũ laudantur: aliquando radic. turbith addentes. Sed his vehementiora sunt quædam simplicia: de quibus sermo erit in ascite: nam & his quoque aliquando in hyposarca vti possumus; e quibus sunt *squamma æris, as vstũ, lathyris, soldanella, iris, sambucus, vrina iuuenis vel capræ, esula*. Verum in hac nostra puella & virgine, cum ex mensibus restrictis hanc speciem hydropis incurrisset, cum ex vena tali pertusa menses nõ aperirentur, totum scopum curandi ad anfarcam conuertere decreuimus *(hepate iam refrigerato)* vna cum iis, quæ ad menses facerent; primo humores aquosos concoquẽdo, incidendo, & ad expulsionem præparando, deinde euacuando. Primo exhibuimus ℥ j *pilul. hieræ simplicis, ad materiæ minorationem*. Deinde hunc syr. ℞. *syr. de absinth. eupat. de artemisia, oxymel. simplicis ana ℥ j. syr. de duabus rad. ℥ j. ß. aqua absinthii, apii, melissæ* (ob matricem) *ana ℥ iij. arom. cum ℥ ij. cinamomi electi. & spica nardi ℈ ij* (hæc enim constringendo modice roborat, & aperiendi facultate prædita est) *misce pro quatuor dosibus*. Postea exhibui *℥ j. pilul. de rhab. descrip. Mesuæ*, conficiendo pilulas v. conferũt initiis aquæ inter cutem. Deinde hoc apozema præscriptum est: *℞. quinque rad. aperitiuar. cõmunium maceratarũ in vino albo ana ℥ j. cuscutæ, agrimoniæ, pulegii*, (ad menses etiam euocandos) *chamæd. chamæpit. ana m. j. absinthii, matricariæ, artemisiæ ana m. ß. sem. anisi, apii fœniculi, dauci, petros. ana ℥ j ß flor. sambuci* (si habeantur, vel eius loco folior. sambuci) *p. j. polypodii quercini, medullæ carthami vel seminis parum contusi ana ℥ ß. coquantur in aqua communi pro ℔. j. ß. colatura adde syr. de eupat. de artemisia, oxymellis squillitici ana ℥ j. arom. cum ℥ ij. ß. cinnamomi, spica nardi ℥ y. ß. & depuretur ad modum clareti*, de quo bis in die capiat. Deinde capiat has pilulas; *℞. pilul. de agarico ℈ ij. pilul. fœtid. rhab. optimi puluer. ana ℈ ß. cum aqua agrimon. fiant pilulæ v.* Deinde omni mane capiebat ℥ iij. confectionis in tabulis, hoc modo paratæ; *℞. specierum dialaccæ, diacurcumæ ana ℥ j. specierum diarrhod. abb. ℥ ß. dissolut. in aqua artemisiæ, adiectis zacchar. albiss. ℥ ij. fiat confectio in tabulis, vt artis est.* Mox illam ita purgauimus; *℞. diacarthami solutiui in tabulis ℥ iij. electuarii indi, catholici ana ℥ ij. syr. de artemisia, de eupat. ana ℥. ß. misce, cum decoct. suprascripti ℥ iij.* sumebat in diluculo. Et multa aquosa deiecit: & cœpit moles corporis detumescere: cum & apozema suprascriptum iterum caperet, adiecta *℥ j. folior. senæ. & ℥ iij. rad. turpeti. & cinnamomi exiguum.*

6

7

Crura inflata inunximus, tum ventrem, cum vnguento infrascripto: *℞. vnguenti Arippa ℥ iij. succi sambuci ℥ j. bulliant in duplici vase, ad consumtionem succi; & fiat vnguentum.* Interea lino ventrem quotidie metiebamur, num decresceret. Id quidem commendat Benedictus Veronensis, medicus doctissimus, *lib. 15. cap.* 26. sic scribens: *Commodum est, ventrem quotidie lino metiri: vt qua comprehendit aluum notam imponere: postero die, videre si plenius corpus sit; an extenuetur: id enim quod tenuatur, remedia sentit.* Nec alienum putant, potionem & vrinam metiri: nam si plus humoris excernitur quam assumitur, ita demum secundæ valetudinis spes est.

8

Sed quod ad vomitum attinet, cum eum per interualla ciere decocto rhaphani, secundum aliquos, optimum sit: *(idque a cibo, in quo aceto condita comederit:)* cum hæc subinde nauseam haberet, id semel aut bis cõmode tentauimus. Sed postea cum ægre vomeret, a vomitu abstinuimus. Et licet clysmatis siccãtibus quidam vti iubent, & aquositates ducentibus, & simul flatus, qui semper adiungi solent, & sic decoquunt carthamum, polypodium, cum ruta, & calamentho, & addunt vini Cretici, & vrinæ iuuenis aliquid, & clysteris modo iniiciunt: Verum cum hæc virgo clysteres non admitteret, & quia maxima pars humoris erat in membris, & vlterioribus venis: ideo per alia ingenia dicta reliquam curationem maxime perficere studuimus. Ac primo ea, quæ vrinas ducerent, *(quæ non minus commoda sunt ad menses aperiendos)* non modo in cibo quotidie exhibuimus, sed etiam vt medicamenta: qualia sunt azari decoctum, quod vnice prodest: præsertim si cinamomi aliquid adiungamus: & fortiter coquemus vna, & cardamomum & sabinam herbam *(quæ præcipue aperit menses)* & iuniperi baccas, & rubiæ radicem: huiusmodi sunt *& dialacca, & diacurcuma, & trochisci de eupatorio, de rhab. derosis*, quibus & subinde vtebamur.

9

Sudores etiã prouocare instituimus, & quãuis hic multa laudẽtur, vt superius diximus, vt sunt stuphæ, membra sepeliri calefacta arena ex marino littore: imo & Paulus iubet *tales aquis calidis naturalibus immergi, ceteris vero balneis abstineri vult.* At si lauari placuerit, nitrum, salem sinapi, & similia quidam inspergi iubent: *de quibus latius in scholio sequenti.* At nos, cum ægræ ℥ j. theriacæ veteris, cum pauco vino dedissem, atque egregie sudasset: & per interualla subinde cepisset diacurcuma per se, modo dialaccam ad ℥ ij. mane; ad aperiendos menses hoc sequens balneum vtile proposuimus: *℞. artemisiæ, nepetæ, melissæ, lauandulæ, foliorum lauri, sabinæ, matricariæ, florum chamomillæ, meliloti ana m. vj. thymi m. j. rad. Valerianæ, apii, petroselini, ebuli, ana ℥ iij. florum sambuci, vel foliorum eiusdem m. iij.* coquantur in aqua, pro balneo: idque mane, vmbilico tenus; & in eo aliquantisper immoretur. Atque pars herbarum decoctarum ponatur in sacculo quadrato, quem habeat supra pectinem; & ab egressu balnei, sudore & madore calidis pannis detersis, venter inungatur inter vmbilicum & pectinem: & pars posterior, & renum regio, tum inguina ipsa, hoc va-

hoc vnguento sequenti; ℞. muccaginis althææ ℥ ij. muccaginis seminis lini, fœnugraci ana ℥ j. olei sabinæ, irini, meliloti, liliorum alborum, chetrini, medullæ crurium vituli, butyri recentis ana ℥ j misce. Eodem tempore in exitu balnei, cum calidum lectum intrant, valet sumta ℥ j. diacurcumæ, cum ℥ iij. iuris cicerum rubrorum. Ac sudore euocato, & cum bis hoc balneo quædam vsæ sunt, (tum viriquoque) moles corporis, tum crura ipsa multo magis detumuere. At nostra puella eo non vtens, sed supradictis mẽsibus apertis paulatim conualescere cœpit, adhibitis iis quoque, quæ & hepar & ventriculum roborarent. Memini quoque Christinam Hugonis, virginem Delphensem, in hydropem ascitẽ seu citrinum incidisse: (quæ simul leucophlegmatia seu anasarca laborare videbatur) & multa remedia tum medicorũ tum empiricorum accepisse. Cui cum ℥ ß. diacarth. solutiu. cum ouro, dedissem singulis septimanis, mẽses fluxere, & corporis moles detumuit. Sed post aliquot menses malo redeunte, prolapsa ad Empiricos, eodem malo obiit.

10

SCHOLIA.

11 QVod autem anasarca curetur victu & exsiccante & extenuante, apud omnes medicos celebriores in cõfesso est; & quod in hac specie, iuxta Galenum, etiam subinde conueniat venæ sectio. Et licet ex sanguine frigidore nascatur, & frigiditatis ratione venæ sectione nõ indigeat: tamen quoniam copiæ detractio naturam leuat, vt hæc minorem illam effectam facile susciperet: non alienum, sed rationi consentaneum est venæ sectione vti. De quibus plura vide apud Donatum & Alexandrum Trallian. Et sic venam secant, si vires & reliqua permiserint, ex interna cubiti vena: alioqui melius ex talo, si menses vel hæmorrhoides restrictæ caussam mali dederint. Hęmorrhoides fluentes sæpe profuisse constat. Ita enim Iohanni Scrieckio (vt aliquando ad me scripsit Henricus a Bra, medicus Doccumanæ reipublicæ) pharmacopolæ Campensi hydropico superuenerunt hæmorrhoides: quibus abunde profluentibus conualuit; an quod corpora cachexia laborantia sanguine aquoso abundant, quem per hæmorrhoidas reiiciunt, per diapedesin. Habuit idẽ in cura sua rusticum, cui aquæ inter cutem species ea, quam anasarcam vocant, in fœdissimam scabiem totius corporis conuersa est, & sanatus est. Ceterum si ex mensibus vel hæmorrhoidibus suppressis hyposarca ortum duxerit, recte medici venam in talo secant. Interea nec vnica vice sanguinem detrahi, sed iterari sectionem volunt, pro virium ratione. Alioqui vbi vires non permiserint, sed imbecillæ sint: aut ex quauis alia caussa, quam ex iam dictis, anasarca originem duxerit, sanguinis missio vitari debet, vt in sequenti alio exemplo postea docebimus. Sed copia pituitosi excrementi per vniuersum corpus redũdantis, purgãte medicamento vacuari debet. Sic etiam vbi opus fuerit facta venæ sectione, eadem purgatione vtare; quæ iterum per vices tentanda erit, ex sententia eiusdem Alexandri Tralliani: a leuioribus incoando, & demũ ad ea, quę paulo valentius purgare queunt, transeundo; prius tamen humore ipso præparato, ac viis reseratis: per ea medicamẽta, quæ extenuandi, incidendi ac meatus aperiendi vim habent. Ea sunt syr. ex absinth. eupat. de byzantiis, oxymel simplex ac scillinum, seu syr. ex hyssopo, qui exhibeantur cum aliquo extenuantium ac aperientium medicamentorum decocto; vt de obstruct. iecinoris, & de eiusdem imbecillitate diximus: quibus sæpius adhibitis, purgans medicamentum tribuendum erit, vt ex hiera, agar. trochis. rhab. inde pilulis confectis. A quibus & syr. ex pluribus infus. ros. cum aqua ros. propinandus: & postea valentius purgandũ, multisq; vicibus, prout vsus postulabit: iisdem adiciendo, quæ iecori robur adferant, vt rhab. myrobal. & chebu as præsertim: & pastillos de rhab. de absinthio, de eupatorio: idq; per vices: & cum a purgationibus abstinebũt, per interualla & arom. ros. dialaccam. diarrhodon, diacurcuma ad ℥ j. cum vino albo, aut aqua absinthii, vel eius loco mithridat. aut theriacam. Atque ea præbenda, quæ vrinam cient: velut est daucus, seseli, cardamomum, rad. asparagi, aut trifolii decoctum, trissaginis, vel ℥ j. rad. eringii sicca, vel sem. viticis, cum vini cyathis tribus, ex Aetio. vt sequenti etiam exemplo clarius euadet: quibus & eodem auctore vomitus aliquando prodest. Etiam extrinsecus adhibebimus ea remedia, quę vim immodicam exsiccandi habent, eodem Aetio teste. Quapropter, præter sales theriacales, ad insensibilem transpirationem veteres sudores prouocabant; non solum exercitiis sub sole, & loco aprico factis (cum cautione tum conuenienti, vt ieiunio, & velato capite, ne repleatur attractione calidi,) sed & arenarũ vsu, imo in puluere volutationibus. Aliquando enim arena probe a sole ignita, aut pellibus similiter a sole feruefactis, ęgrum occulebant: capite tantum velato, & facie cum spongia assidue extersa, eodem Aet. auctore. Sepeliebant itaq; robustos viros in littore maris, cum sol maxime ferueret, vsq; ad tolerantiam: postea in lectulo reclinabant: Fluuiatiles etenim ac marinæ arenæ communem vim possident omnium lapidum: siquidem exsiccant carnem tumentem ab aqua inter cutem: ægroto videlicet in eis excalefactis decũbente, ex Gal. auctor. 9. de simpl. med. facul. Nos in domum adferre possumus arenam, & calefactam inspergere. Aliqui in tritici aceruis (vt ante dictum est) sub sole calefactis ægros reclinarunt. Post hæc aqua marina, aut aluminosa, aut sulphurea lauentur ægri; etenim aliquib. qui ad eiusmodi lauacra assueuerunt, eæ ipsæ aquæ, tum ad deterendum morbum, tum ad habitum valentiorem reddendum, suffecerunt. In hunc vsum & sulphureis aquis vti: & luto sulphureo proderit: cuiusmodi apud Italos in Patauino agro & Volaterrano reperitur. Prodest & ex marina aqua lotio, quæ nobis ex Oceanò vicino est: vel aliter salsa, qua nos sæpe commodissime vsi sumus. Lege Paulum libro primo, capite quinquagesi. secundo, Galen. prim simpli. septimo. qui potum & lotionem in his aquis laudat. Quidam iis infeliciter vsi sunt, quod sine delectu

Marginalia: Vena sectio. — 12 — Purgatio. — Quæ incidunt, extenuant, & meatus aperiunt. — 13 — Vrinam cientia. — Vomitus. Quæ extrinsecus admouenda. — 14 — 15

omnes etiam insanabiles curare volebãt; vt & alii ligni decoctum tentarunt: idq; inutiliter, quoniã sine delectu; Optime etiam conuenit & his cataplasmatum admotio: eorum præsertim, quæ resiccare simul & visceribus firmitatem addere possunt: quemadmodum stercus babulum resiccatũ, non inepte cum posca, aut aceto mulso imponitur, infarcta sulphuris quarta parte: similiter & cochleæ crudæ, tritæ & impositæ: agglutinantur etenim, neq; discedunt, priusquam vniuersus humor discedit, *iuxta Aetiũ*. & de his vide *Gal. 10. de simplic. medic.* Alii cataplasmata apponunt. De quibus vide *apud Rondele. & alios auctores, & Aetium.* Sed corporum ratio habenda; in pueris, tum aliis qui mollem carnem habẽt, magis reprimentia conferunt, *ex malicorio, rhu culinario, malo cotoneo, myrti baccis, & vitis pampinis*, per se, vel mixta cum aliis medicamentis resiccantibus. Verum vbi prædictis affectio nõ cesserit, efficacius auxilium adhibendum, quod chirurgia præstat: fixuras, inquam, circa internum talum, infligere oportet, in loco quatuor digitorum spatio supra talum eminente: ea profunditate, qua quis in venæ sectione vtatur: ita vt per aliquot dies, per easdem humor frequens feratur: *quemadmodũ Celso & Aetio visum est.* Neque periculum vllum hic verendum est, vel in hydropis ascitæ pertusione: non enim coaceruatim humores illi euacuantur; & si quis velit excretione plurima facta eam cohibere, nihil vetuerit in talibus ipsas fixuras linamentis obturare, ligamentisq; constringere: atq; vbi rursus prodire quid velimus, laxatis ligamentis, & ablatis linamentis, gestatoq; ac moto ægro excretionem irritabimus, *vt idem inquit Aetius*. Postremo itaq; medicamentis vel chirurgia vlcera infligenda sunt; quę cum nõ sanescãt nisi sanato toto, fit vt multũ aquositatis emittant. Fiant supra talum (*vt iam diximus*) parte interna, per digitos quatuor. Quidam & supra cubiti iuncturas, & supra hypochondria & femora infligũt: atque in hunc vsum nonnulli flammulæ illius, quæ & clematis dicitur, acerrimæ herbæ germinibus vtuntur. Sed hæc omnia postea exemplis lucidiora fient.

16

17

Observatio XXXV.

De muliere, ex abundante & longo mensium profluuio in anasarcam prolapsa, & curata.

1

Mulier apud Delphẽses, cum longo tempore mensium profluuio laborasset, in anasarcam valde difficilem prolapsa est. Omnibus modis hic studium adhibuimus, vt materiam aquosam ad renes, per ea quæ vrinas mouent, deduceremus: atque nequaquam valde aperientibus, ne menses magis mouerentur. Hoc iulebo igitur primum vsi sumus: ℞. *syr. de absinthio* ℥ iij. *aqua absinthii* (quia aperit & adstringit) *aqua graminis, betonica ana* ℥ iij. *cinnamomi selecti, spica nardi ana* ʒ ß. (aperit & stringit) *depuretur, ac ori iucundius reddatur; & fiat iuleb pro iij. dosibus.* Modo etiam hoc decocto vel eius æmulo vsi sumus: ℞. *rad. asparagi, graminis, fœniculi, petros. apii ana* ℥ j. *agrimonia, cuscuta, foliorum sambuci, capill. Ven. polytrichi. ceterach. ana m. j. iunci odorati, nardi, azari ana* ʒ ij. *seminis viticis* ʒ ß. *cicerum rub.* ℥ j. *fiat decoctio in aqua communi, & vino Rhenano, part. aequal. pro* ℔ j. ß. *addendo syr. de quinque rad. de bizantiis ana* ℥ j. ß. *arom. cum* ʒ iij. *cinnamomi, & fiat apozema instar clareti. Postea etiam addendo rad. ebuli.* Purgauimus cum ℥ j. ß *syr. ex infus. rosarum; pallid. addendo* ℈ j. ß. *rhab. pulueris. dissoluendo cum* ℥ iij *decocti suprascripti.* Exhibui quoque ʒ j. *theriaca, cum vino generoso*, pro sudore euocando; aliquando & diacurcuma, & post decocta aperientia & vrinã rursus cientia. Ita eandẽ purgaui *pilul. de agarico, de rhab. ana* ʒ ß. *cum aqua absinthii: fiant pilulæ* VII. Dedi quoque vinum absinthites. Venam nullo modo huic secari iussi, cum debilis esset. Nam licet mensium profluuium, quod diu durauerat, cessasset, cum & in hydropem hanc inciderit: postea cum iis, quæ & vrinam prouocarent, & aquam educerent, curationem absolui. Quale hoc est: ℞. *seminis hyperici* ʒ j. *detur cum vino: quod etiam ab Aetio probatur.* Capiebat etiam *conseru. absinthii, additis speciebus diarrhod. abb.* Ad roborationem hepatis regione inuncta hoc vel simili vnguento: ℞. *olei nardini, absinthii, amygdalarũ amar. ana* ʒ ß. *spica vtriusque, schœnanthi, asari ana* ℈ j. *cyperi, santali, rubr. ana* ℈ ß. *seminis apii* ℈ ß. *vnguenti santalini* ʒ j. *cera modicum: fiat vnguentum.* Crura cum valde inflata essent, lauari mandauimus cum aqua marina, in qua decocta erant sambucus, ebulus, lauri ac iuniperi baccæ: modo fomento & balano descripto sub finem *Obseruatione 24. huius libri.* Quibus paulatim crura detumescere cœperunt. Et supradictis decoctionibus, tum purgationibus, aliisque roborationibus aliquando repetitis, sanitatem & hæc consequuta est.

2

5

Scholia.

4

Dictum est prius, quod in hac, sicuti in aliis speciebus, caussa ipsa auferenda sit. Et ideo si ex mẽsibus retentis fit hyposarca, facilius curatur, quam si ab iisdem aut hæmorrhoidibus nimium fluentibus contingat. Et ideo caussę obuiandum, per suum contrarium: & eadem auferenda, antequam ad coniunctam accedamus. Ita, *vt priore exemplo ostendimus*, si menses retenti, aut hæmorrhoides restrictæ in caussa fuerint; sanguinem ex talo, si vires ferant dimittimus, mensesque tum hæmorrhoides euocamus: hæmorrhoides quidem panno aspero fricando, aut ficuum folio, vel cœpis: menses facilius medicamentis, quæ vna mensibus euocãdis ac hyposarcę satisfaciant. Verum si hyposarca ortum habeat ex nimio mensium profluuio, aut ab hæmorrhoidibus nimium sanguinem fundentibus (*ex hac enim caussa hoc pathema subinde contingit, vt de caussis dictum est*) in hoc malo curando medicum solertem esse oportet. Nimio enim aut mensium aut hæmorrhoidũ fluxu spiritus dissoluuntur, imbecillũque redditur hepar; quare & hæc passio, quæ inde nascitur, ac caussa esse frigida dicitur. Et sic quæ si stendis mensib. aut hæmorrhoidibus cõueniunt, hyposarcę obsũt: & rursus, quę hyposarcę cõferũt sanguinis

Diligentem medicum requirit curatio hyposarca ex nimio mẽstruorum aut hæmorrhoidũ fluxu.

sanguinis fluxum promouent, augent, & huic nocent. Videndum igitur, vtro ex affectu plus periculi impendeat. Vtemur tamē aperientibus, propter hydropem; mediocriter vero aut parum aperiendi vi prædítis, ob sanguinis fluxum. Interea si fluxus menstruorum valde irritetur, vtemur remediis topicis constringentibus, ex capite proprio desumtis. Ita etsi hæmorrhoides magis ex aperientibus & aquam educentibus fluant, hoc vel simili modo reprimemus: ℞. *olei myrtini* ℥j. *olei cydon. mastichini ana* ʒß. *misce*, inungantur hæmorrhoides mane & vesperi. Aut sic: ℞. *balaust. psidiæ, gallarum, rhou obsonior. baccar. myrti ana* ʒj. *hypocyst. oxyacanthæ ana* ʒß. *coquantur in vino rubro & pauco aceto ad tertias: deinde chalybs multis vicibus in eo decocto ardens exstinguatur: fumus autem per anum recipiatur.* Alia ex propriis locis postea dicemus.

5.

Ceterum quod ad hyposarcam attinet curādam, materia aquosa per aluum purganda est, & etiam per vrinam cientia, *vt iam satis ostensum est.* Quantum ad medicamenta topica attinet, quæ exterius adhibentur, resiccantia, de quibus paulo ante diximus, quæ membris tumentibus exterius admouentur, etiam discutiendi vim habentia, qualia sunt sambucus, ebulus, vrtica, & elleborus albus, in aqua lixiuii modo decocta laudantur; expressa emplastri modo imposita; vel decocta si sæpe iis abluantur. Imo folia sambuci per se in tegula candente aspersa vino, imposita & alligata valent. Prodest & lixiuium ex cerri ac vitis cinere, in quo lauri ac iuniperi baccæ efferbuerint, addito nitro. Cataplasmata quoque ab Aetio commendantur, ex fermento & sale aut pane, cum puluere hyssopi, aut fabacea farina, aqua marina, & melle cocta; pari absinthii modo adiecto, quale & hoc est: ℞. *caric. & fermenti ana* ʒj. *farinæ hordeaceæ, fabar. loliaceæ, fœnugræci, & seminis lini ana m.* ß. *rad. & foliorum ebuli, sambuci, absinthii ana m.j.* ß. *hyssopi & origani ana* ʒiij. *sulphuris* ʒv. *misceantur, & cum posca aut oxymel. fiat cataplasma.* Vide plures & varias formulas apud alios.

6. *Discutientia Topica.*

7.

Sed mirabilis est historia vetulæ mulieris ab hydrope curatæ, quam Cornelius ille Roterodamus medicus, qui ante me Romæ agebat apud Gissibertum Horstium, hospitalis Mariæ consolationis medicum, præceptorem nostrum, mihi cōmunicauit; nempe, *quod vetula quædam hydropica, a medicis destituta, ab altera vetula edocta, capiebat ranas rubetas dictas, easque viuas in ollam nouam coniiciebat, superinfuso oleo oliuarum, illisq; sic decoctis, eo oleo ventrem inungebat, deducendo manus versus inferiora, a stomacho incipiens versus inguina, idq; calide: & secundo die tumor descendit ad inferiora, ita vt mirum in modum intumuerint pedes. Sed cum prosequeretur inunctionem, tertio die penitus delituit tumor, cum nulla sensibili euacuatione.* Laudat Gradus capite proprio, *si in balneis arte paratis imponantur ranæ viuæ; mirabiliter ad se attrahere aquositatem,* & refert rustici historiam, *qui suo tempore, cum pestis grassaretur, anno 1450. ranas viuentes scissas, & non scissas, venenosis apostematibus applicabat; & ilico ranæ moriebantur, & apostemata foras educebantur. Et ita extracto veneno omnes liberabantur, quod audiui,* inquit Gradus *a fide dignis, verum esse.* Et ita non est mirum, si aquositatem ad se attrahant, idque etiam in ascite. Sed topica non administranda, nisi præcesserint vniuersales purgationes.

Historia vetulæ ab hydrope curata.

Rustici historia.

8.

Ita ego frequentissime vtor, inprimis diacarthamo solutiuo in tabulis. Quo ipso memini me vsum fuisse in Cornelia, vidua Friderici Ottonis, *quæ in foro Delphico habitabat, cuius ædibus Mechlinia pro insigni erat, vetula, cui pedes ac crura vlcerata erant, quibus medebatur chirurgus:* quæ, cum facilis solutionis esset, singulis septimanis si ʒii. tantum acciperet, plusquam sexies multa aquosa per aluum reddebat. Aliis dare soleo ʒß. vel ʒvj. pro vice, qui robustiores sunt. Sic matrona quædam nobilis hyposarca affecta, his remediis curata est: ℞. *absinthii, agrimoniæ, centaurii, nasturtii hyemalis & aquatici ana m.j. sem. anisi, fœniculi, cumini, ana* ʒij. *rad. fœniculi, petrosel. inulæ ana* ʒvj. *baccarum lauri 9. sem. genistæ* ʒj. *soldanellæ m.* ß. *coquatur in duobus poculis vini Rhenensis, ad consumtionem tertiæ partis, zacchаro dulcoretur vel melle.* ℞. *succi ireos cochlear vnum, detur cum cyatho vno decoct. suprascriptæ.* Vesperi eiusdem diei, cum succum ireos sumsisset, capiebat ʒij. *confect. mithridaticæ.* Aliquando sumebat ʒß. *vel paulo plus diacarthami solutiui in tabulis.* Quibus & hæc conuaIuit. Sed si febris adest (*quod rarius contingit in hyposarca, sed magis in ascite*) aliter procedendum est ratione febris; vt Obseruatio sequens monstrabit.

Observatio XXXVI.

De anasarca, cui in principio febris admixta erat.

Franciscanus monachus, cui nomen Iohannes erat, de Sancta Trudone, annos 30. natus, Alcmariæ anno 1557. ex chronico morbo prius, & fluxu ventris, quasi in hecticā febrem incidit, cū putredine: nam & sumto cibo incalescebat. Cui & difficultas spirandi aderat, similiter & tussis. Tandem morbi diuturnitate, quæ hyeme præcedente durauerat, ad cachexiam deuenit, & ad hydropem hyposarcam, & lienis aliqualem duritiem: ita vt primo pedes intumescerent, ac œdematum modo molliores ac laxiores fierent, & postea facies ac totum corpus tumidum euaderet. Ad hunc accitus sub finem Aprilis, cum pro deplorato quasi haberetur, infrascriptis tamen remediis, præter aliorum monachorum opinionē curatus est.

1.

Tertio autem die Aprilis, anno 1557. cum tussis ac febris illum adhuc vrgerent, ecligma etiam ad hecticam aliquo modo conueniens, omnium primo præscripsi: ℞. *syr. iuiubini* ʒj.ß. *syr. viol.* (ob hecticam, ad maiorem humectationem, licet minus anasarcæ conueniret) ʒß. *specier. diatrag. frig. in tabul. zacchar. penid. ana* ʒj. *misce pro ecligmate.* Hoc sæpius reiterato, tussis (*quod mirum videbatur*) fere in totum cessauit.

2.

Interea cum febris ad secundam fere speciem hecticæ progressa esset, cum putredine tamen, ideo pure refrigerantibus & humectantibus non opus erat, sed simul deoppilantibus, quæ & putredini resisterent. Et quia

iam fluxus ventris, qui antea eidem aliquot diebus adhæſerat, paulo ante noſtrum acceſſum ceſſauerat pro febre, hepatiſq; deoppilatione, & lienis duritie, ſequens decoctum præſcriptum eſt, quod & tuſſi non obeſſet, quæ adhuc exigua aderat: *℞. corticum radic. fœniculi, cichorii, dentis leonis, petroſelin. ireos ana ℥ ß. herbæ hepaticæ, vngulæ caballinæ* (ob tuſſim) *agrimoniæ, endiu. cichorii* (ob febrem & deoppilationem) *bugloſſæ ana m. j fumariæ manip. ij. ſemin. fœnicul. ℥ iij. fiebat decoctio in ceruiſia tenuiori, pro ℔ j. ß. & zacchar. candi. ad dulcedinem condiebatur: quo bis in die vtebatur.* 3. Hoc autem decocto, in ſe complectente indicationem curandi, mixtam magis, & tam ad febrem quam hypoſarcam, calor ille febrilis ceſſare cœpit, ſimul & tuſſis, ac ſitis, quæ vehementior erat. Ideo poſtea ad materiam minorandam, & leuiorem materiæ expurgationem, ne forte iterum fluxus, quo ante noſtrum acceſſum afficiebatur, rediret, decocto ſuprascripto adieci folliculorum ſenæ ℥ j. ß. ex quo omni mane ſumebat ℥ ii j vel v. quotidie aluum moderate deponens: dolore quoque hypochondrium dextrum, propter duritiem & oppilationem aliqualem, nonnihil occupante, paulatim etiam euaneſcente. Et quamuis febris & calor, ac ſimul tuſſis, ſedarentur, cachexia tamen magis accreſcebat, & hydrops anaſarca, vt crura indies magis magiſque in maiorem molem attollerentur, & corpus ipſum, tum facies ac palpebræ, 4. ſimul inflarentur. Quamobrem, poſt decoctionem vnam atque alteram magis extenuantem & digerentem, iterum decocto ſimul expurgante, cum foliis ſenæ, vſus ſum: & 14. Maii hanc confectionem ſubſequentem præſcripſi: *℞. ſpecierum dialacca, diacurcumæ ana ℥ j. ſpecier. triaſant. diarrhod. abb. trochiſ. de rhab. ana ℥ ß. diſſolutis in aqua fœniculi, adiecto zacch. albiſſ. q. ſ. fiat confectio in tabulis, ſumebat omni mane ℥ j. ß. poſtea ℥ ij. deinde paulo plus.* 5. 15. Maii, cum aluum non redderet, hoc balano vſi ſumus: *℞. puluer. hieræ picræ ſimplicis ℈ j. diacridii, pul. colocynth. ana gran. iij. mellis ℥ j. ſalis parum*, fiat balanus; quo ſatis aluum depoſuit. 18. Maii, febre declinante, remanente tamen maxima inflatione pedum & femorum, ventris ac totius corporis, magis tamen pedum, etiam ſiti eundem infeſtante, ex apozemate ſumſit bis in die cyathum vnum: *℞. corticum, radicis cichorii, fœniculi, petroſelini ana ℥ ß. radicis ireos ℥ iij. radicis liquir. ℥ ß. agrimoniæ, capill. vener. marrub. cichor. endiuiæ ana manipul. j. ſcolopendr. abſinthii Romani ana pilul. j. ſum. fœniculi, aniſi ana ℥ j. ß. ſemin. 4. frigid. maior. ana ℥ ß. vuarum paſſul. ab arill. mund. ℥ j. fiat omnium decoctio in aqua communi pro ℔ j. ß. col. adde ſyr. de cich. Nicoli, cum rhab. ℥ ij. ſyr. de duabus rad. oxyzach. ſimpl.* (ob calorem) *ana ℥ j. depuretur cum oui albumine, & aromat. cum puluer. ſpecierum diarrhod. abb. diacur. dialacca ana ℈ j. miſce, fiat apozema.* 5 21. Maii hoc præſcriptum eſt: *℞. radicis ireos, ebuli, petroſelini, fœniculi, apii, cichorii ana ℥ ß. herbæ hepaticæ, capill. ven. ſcabioſ. ſcolopendriæ, ceterach. agrimoniæ, marrubii, cichorii, end. ana m. j. hyſſopi, vngulæ caball. ana m. ß. ſem. fœniculi, aniſi ana ℥ j. ß. follicul. ſenæ ℥ ß. epithymi, polypodii querc. an. ℥ ij. medii corticis ſambuci m. ß. fiat omnium decoct. in ij. partib. vini Rhen. & vna parte aquæ, ad ℔ j. ß. colaturæ adde oxymel. compoſ.* (nam calor, ſitiſque iam magna ex parte ceſſarunt) *℥ j. ß. zacchar. candi ℥ j. aromat. cum ℈ ij. ſpecierum dialaccæ & diacurcum.* ſumebat bis in die cyathum vnum; & quotidie habuit quatuor aut quinque ſeceſſus, valde aquoſos, cū maxima aquæ euacuatione, & diminutione tumoris totius corporis. 24. Maii henem & ventrem tumidū inungi mandauimus ſolo vnguento Agrippæ: & accipiebat rad. iridis contuſæ & exſiccatæ ℥ ß. aliquando ℥ j herbę lenticulæ aquæ momentum; ligentur in nodulo, & pendeat nodulus in ceruiſia ſua, & exprimatur: ea ceruiſia vſus eſt ad tres ſeptimanas, cum magna vtilitate, cū & multi hoc ſolo conſilio muliercularum 6. curati dicebantur. Poſtea & crura inungi iuſſimus bis in die vnguento infraſcripro: *℞. vnguēti Agrippæ ℥ ij. vnguenti martiati ℥ j. miſce.* Et iterum reiterata fuit confectio in tabulis, prius deſcripta 14. Maii. Interea ſuborta eſt magna teſtium inflatio. Pro qua depellenda cataplaſma præſcriptum ex *puluere corticum lignorum quercus* (coriarii vulgo *Rm* appellant) *florum chamomill. meliloti, roſar. rubear.* decoctis in vino Pictauienſi, addita farina fabarum, ad modum cataplaſmatis: quo equidem ilico ceſſauit teſtium inflatio ac ſcroti. 1. die Iunii curſus reiterata decoctio 21. Maii deſcripta, abſque folliculis ſenæ & epithymo, cum per ſe quotidie ſemel aut bis aluum copioſe deponeret. Vtebamur & vnguentis ſupraſcriptis: quibus tandem ac potionibus iam dictis aſſumtis, tumores ventris ac pedum ceſſare cœperunt; etiam balneis ac fotibus ſequentibus adhibitis: *℞. florum chamomillæ, meliloti, furfuris, artemiſiæ, ſatureiæ, parietariæ, cumini, fabarum contuſarum, foliorum lauri ana m. j.* fiat decoctio pro balneo in aqua marina, quæ facile ex mari adferebatur, miliari tantum vno ab vrbe Alcmariana patria noſtra diſtāte, vnde & Alcmariam dictam quidam putant, quod nō procul a mari Oceano diſtet; vel quod ſit prope alecum lacum. 7. At Adrianus Iunius, medicus doctiſſimus, & noſter familiaris, exiſtimat, ab vniuerſitate lacuum ſic dictam, quos lingua Cimbrica *Meeren* nuncupamus, ac ſi dicas *Al meer*: quam & ab Agillo quodam viro pio filio Radbodi conditam opinatur. Vide eius hiſtoriam Batauiæ. Sed ad noſtrum ægrum redeamus: Cum non poſſet ob œdematoſa crura valde inflata, humiditatem balnei ferre; iubebam ſpongias in hoc decocto immergi, ac denuo exſiccari, & exſiccatas apponi: & imperabam fieri fortes ligationes cum faſciis circa crura: quibus tandem detumuere. Oedemata etenim in cruribus, quæ plurimum hydropicis, ac tabidis & cachexia laborantibus contingunt, & ſi ſymptoma eiuſmodi superueniat, ſæpe nulla nec propria cura indigent: nam ſi morbi pręcedentes recte curentur, ſola aliquando deligatione curari poſſunt, vt nos ſæpe experti ſumus, faſcias prius aqua marina madidas, & demū

exſic-

exsiccatas, cruribus circumadiiciendo. Ita & hic deligationes, præter linimenta iam dicta, egregie profuere: similiter & abstinentia potus, quam eidem quoque inunxeramus. Interea licet crura plane detumescerent, 13. Maii ad roborationem hepatis, tum aliorum viscerum, hæ tabulæ denuo præscriptæ sunt: ℞. *specierum dialacc. diacurcum. trochis. de rhab. ana* ℈ *ij. specierum diarrhod. abb.* ℈. *j. dissolutis in aqua hyssopi & fœniculi, adiecto zacch. albiss. q. s. fiat confectio in tabul. secundum artem.* Reiteratisque decoctionibus suprascriptis, ab hyposarca curatus est: magno cum nostro honore. Sed rursum nono die Iul. pes sinister cœpit inflari, ac valde in tumorem attolli: ideo hoc linimento denuo vsi sumus: ℞. *vnguenti Agrippæ* ℥ *j. vnguenti alabast. vnguenti dialthææ ana* ℥. ß. *misce.* 20. Iulii die hoc ipsum reiteratum est. Verum cum videremus, quod facile denuo recidiuam incurreret, eo quod pes sinister non detumesceret, ac vēter, qui facile solubilis erat prius, nunc nonnihil constringeretur; 13. Iulii hoc decoctum sequens præscripsi: ℞. *rad. apii, petrosel. fœniculi, ireos an.* ℥ ß. *rad. ebuli, bryoniæ, inulæ, corticum rad. cappar. thamarisci ana* ℥ *ij. rad. esulæ minoris, folliculorum senæ alexand. an.* ℥ *j.* ß. *agrimon. cassutæ, ceterach. scolopendriæ, centaurii minoris, end. absinthii Romani, cichor. hepaticæ, ana m j. semin. carthami parum contusi, anisi, carui, ameos, folior. brassicæ marinæ seu soldanellæ an.* ℥ *j.* ß. *sem. fœniculi* ℥ *ij. vuar. cum arill.* ℥ *j. fiat omnium decoctio, secundum ordinem in cereuisia communi ad* ℔ *j.* ß. *stentque infusa per noctem supra herbas: deinde colaturæ addantur syr. de byzant. de cichor. Nicoli cum rhab. ana* ℥ *j.* ß. *misce pro apozemate*: de quo modo semel, modo bis sumebat in die: & quotidie, cum facilis esset solutionis, semper ad minus quatuor habuit secessus, cum maxima alleuiatione. Postea cum crus sinistrum œdematosum neque fomentis neque linimentis in totum detumesceret, sola deligatione forti per fascias ad me descripta, probe & egregie hic præter omnium opinionem curatus fuit, cum crura in inæstimabilem magnitudinem, tum venter inflata essent. Verum istis supradictis diligenter adhibitis, ac diæta conuenienti imperata, perfecte sanatus est: & deinde sanus exsistens absque vllo morbo, in annum 1561. commode se habuit: sed tunc in hyeme rursus prolapsus in eandem hydropem, in vrbe Leodiensi tunc degens, quod & admiratione dignum est, a medicis præsentibus ibidem cum sanari non posset, forte frater eius, etiam eiusdem ordinis monachus, ad me Delphos venit (*nam eo tempore & ipse Delphis agebam, nempe anno 1558. in principio enim illius anni eo veneram, honorario publico & stipendio condecoratus*) & orauit, vt fratri ea remedia, quibus anno 1557. per me curatus fuerat, transcriberem: quæ & tunc penes me conseruata erant. Transcripsi autem eadem: tamen hac cautione, vt medici diligenter obseruarent, num eadem hyposarca, vt prius, laboraret. Quæ quidem cum fideliter & transcripsissem, & ad medicos misissem, iisdem vsi sunt, cum tanta felicitate (*vt frater eiusdem postea narrauit, hic in cœnobio Minoritarum Delphis agens*) vt cum pro deplorato ab aliis medicis haberetur, denuo nostris remediis ac præsidiis iam dictis, integræ sanitati restitutus fuerit.

8. 9. 10.

SCHOLIA.

QVod medici Leodienses hunc monachum, cum secundo in hanc speciem hydropis incidisset, curare non potuerunt, in caussa fuisse puto, quod forte præter caussam coniunctam, antecedentem & præcedentem, tum præsentem, minus animaduerterint, nempe aliquā caussam calidiorem: vnde vtentes forte solum calefacientibus, & anasarcam tantum facientibus, febre illa relicta, minus ægrum sanauerint: potuit enim eandem hecticam, vt prius, coniunctam habuisse. Quare denuo cum vterentur nostris remediis præscriptis, æger sanitati rursus restitutus est: quamuis nos præsentes non fuerimus. Verum cum nos hunc monachum præ manibus haberemus, mihi in mentem venit illa animaduersio: nempe si cum aqua inter cutem febris quoque complicetur, quod admodum calidis auxiliis non semper sit vtendum, neque in cibis, neque in potibus aut purgationibus, aut antidotis, *vt recte admonet Alexander Trallianus.* Nullum enim valde calefaciens ipsos iuuare potest: nam eiusmodi medicamenta sitim ipsorum augent, & febrem incendunt, & caussas inflammantes magis adhuc exurunt, intenduntque malum. Quare aqua inter cutem ex acutis morbis profecta, non potest non inflammationes habere in ipsa perseuerantes. Nihil enim adeo interuallorum expers est, vt febris: ac mirum, quod neque aqua inter cutem ipsis oboriens, calorem ægrorum exstinguat, neque febris omnem aquam inter cutem exhauriat: sed ab aqua simul & igne ambo contineantur, vt vndique dubia sit curatio, siue calefacere, siue refrigerare quippiam velis. Quippe necesse est, vt refrigerantia omnino aquam inter cutem adaugeant: calefacientia rursus febrem. Satius igitur est, huiusmodi mixtam curationē adhibere, & ei, quod magis vrget, quatenus licet, insistere. At vbi febres vehementiores apparent, tunc refrigerantibus potius vtendum est, nec metuēdum ea tunc exhibere. Quomodo enim finietur febris, nisi a contrariis? Imo neque aqua inter cutem cessauerit vnquam, nisi prius calor præter naturam desierit. Etenim is si diutius immoretur, aquam inter cutem parere potest. Omnis namque siue calida intemperies, siue frigida, si longius protrahat, superetque vires, deiicit & nutritionem. Itaque cum ægri alimentum, quod distribuitur, non amplius in sanguinem transmutant, necesse est, vt in vaporosam quandam & prauam substantiam conuertatur. Porro quod aqua inter cutem etiam ex colliquatione nascatur, diuinissimus quoque Galen. confitetur, vt liquet 3. de caussis sympt. Videmus autem colliquationē a calore potius, quā frigiditate oboriri. Quare omnia & quæ præcesserunt morbum, & quæ nunc adsunt, obseruanda putamus, ac vbi præsentē intemperiē internoueris, ita ad curationē audacter accedas, non autem

11. *Aqua inter cutem cū febre curatio.* 12. 13.

vulgariam opinionem sequaris: nempe, aqua inter cutem laborantes, quouis modo calefaciendos esse. Neque enim hoc verum est. Nam ego plerosque (*inquit idem Alexander*) etiam a refrigerantibus medicamentis interdum adiutos conspexi; atque id euenire posse constat. Cum enim omnes particulæ a caliditate præter naturã orta ad bonam temperiem reuertuntur, necesse est, vt etiam iecur probũ sanguinẽ generet, nullatenus impeditum. Quemadmodum igitur dixi, semper conandum est, vt speciem morbi inuestigemus, & caussam, quæ aquam inter cutem efficit, accurate deprehendamus. Nã quæ Hippocraticæ artis methodi vocantur, hæc sunt: nempe, *Contraria contrariorum semper esse remedia.* Propterea & nos subinde frigidis vtebamur, mixtis cum aliis, *vt endiuia, cichorea, hepatica, id est, lichene.* Neque metuendum est, *vt iam diximus*, vbi febres vehemẽtiores apparuerint, refrigerantia tunc potius exhibere. Sed quia hic febris non erat vehemens, eadem coniunximus iis, quę ad hydropem facerent. Nam vbi inuicem copulantur morbi; eatenus habebunt communem curationis indicationem, quatenus copulabuntur; nobis scilicet ad id, quod magis vrget obuiantibus; non tamen alterius cura omnino posthabita, quemadmodum *Gal. com. aph. 16. 1. lib.* (*de eadem aqua inter cutem cum febre complicata verba faciens*) scriptum reliquit. Postquam igitur omnibus aqua inter cutem laborantibus victum vnicuiq; aptum præscripseris, tunc ad ea accedito, *inquit idem Alexander*, quæ ipsos purgare possunt; non confestim & vna vice, sed paulatim. Ex frigida quidem intemperie aqua inter cutem affectos calefacientibus, imo neque hos cibis nimium siccantibus, aut medicamentis acrioribus statim curare; sed per vices, & a mediocribus primum incoari oportet: deinde sic ad valentiora, & ea, quæ magis calefacere & extenuare possunt, progredi. Nam calefacientia nimium, si vniuersa ac vna vice assumantur, totum potius habitum colliquant, quam abundantem humorem euacuant. Ita vero etiam, si refrigerantibus vti oportebit, a mediocribus incipiens, particulatim naturæ adiicere conatur. Atq; hoc pacto ad magis refrigerantia accedito. Postquam igitur ipsos purgaueris, vt conuenit, etiam ad balnea & motus mediocres ducito. Sed pituitosos & temperatura frigidiores, satius est naturali balneo committere: graciles autem, siccos, & febricitantes, potabilis & dulcis aquę lauacro, vnctione, mutatione aeris, & omni hilaritate recreare oportet. Ita namq; accidet, vt congruo vtentes victu, ad pristinam rursus temperiem reuertantur; vt etiam iecur non amplius aquam, sed benignum sanguinem, in posterum generare queat. Alioqui si hyposarca, vt plerumq; fit, sit sine febre & caliditate aut intemperie calida, tunc victu & aere exsiccante vtendũ, *vt prius docuimus.* Refert Nicolus Florentinus, de quodam comedente tantum alaudas (*Gatenaria hoc vix credente*) petroselino impletas, cum pane biscocto, & modico vini subtilis, & vesperi cũ pane puro infuso in vino, & puluere sequenti asperso, ab hydrope curato. Puluis talis erat: ℞. *cinnam. elect.* ℥ ß. *gariaph. galang. macis, anis. amomi, lacca abluta seu lota ana* ℥ ß. *misce.* Nocte vero sine potu degebat. Et sic curatus fuit. Quod ad medicamenta attinet, duas rursus intentiones habet; vnam ad materiam cõiunctam, alteram ad hepatis malam dispositionem, ne noua materia aggregetur. Prima quidem absoluitur medicamentis solutiuis, materia prius digesta, nempe *melle ros. oxym. simpl. syr. de duabus rad. cum aqua hyss. p. cuscut. absint. fœnic. per 5. dies.* Mox materiam euacuabimus, *vt iam dictum est*, sed iis, quæ hepati non noceant, cum & hepar in hyposarca debile sit, vitãdo colocynthidem & helleborum; iisq; etiam per interualla adhibitis, quæ hepar roborent; minime cõtenti vnica euacuatione, cũ materia rebellis sit. Primo dant *hieram simpl. ad* ℨ vj per se, vsq; ad ℥ j. *vel* ℥ ß. *cum* ℨ j *agar. trochis. vel cum pil. de rhab. de quarto in quartum diem, quibus Nicolus se multos curasse fatetur, ex mente Guilhelmi, vel elect. diaphœni, aut Indo.* Vide reliqua apud Gatenariam. Malam intemperiem amouemus cum ℥ ij *diacur. cum aqua absinth. eupat. & cuscut. cum hepate lupi, & rhabarb.* In calida vtimur *syr. de byzant. de cichor. confect. diarrhod. abb.* vel si timeamus caliditatem, trochiscis de rhab. adiungimus *diarrhod. abb. vt Grad. fecit in principe Sfortia, qui ab hac ægritudine curatus fuit.* Caussa enim ipsa semper auferenda: vt si a frigiditate hepatis naturali fiat, reducenda ad temperamentum, calidis electuariis & vino generoso. Si ab obstructione, hepar aperiendum, *vt cap. de obstruct. eiusdem.* Si ab apostemate, curetur apostema, *vt dictum est*. Ita & de oppilatione splenis, & scirrho; si inde oriatur, curandum, *vt postea cap. proprio dicemus.* Ita quoque, *vt prius dictum est*, si ex potu aquæ frigidæ, vel eiusdem balneo fiat, vtatur cibis calidis actu & potentia, vino veteri aromatico, aliisque calidis iam dictis. Si ex fluxu ventris, recurratur ad caput *De debilitate hepatum*, ob laxitatem suæ substantiæ, & ad caput *De fluxu hepatico.* Nunc ad propriam curationem ascitis veniamus.

OBSERVATIO XXXVII.

De Ascite.

AScite quidam laborabat istis diebus, cuius venter tumidus erat, & adeo eleuatus, vt rumpi videretur: quem cum manu percuterem, aqua vt in vtre collecta sonabat. Sed cum virtute satis constaret, & recte ad oblata adhuc se haberet, neque febrem pateretur, & ex frigida caussa ortum haberet, calidiorem victus rationẽ huic, & egregie exsiccantem, præscripsi; & humorem serosum statim euacuare decreui, cum ab euacuatione initium curationis instituatur; venæ sectione omissa. Quamobrem omnium primo hunc syrupum propinaui: ℞. *syrup. de quinque radic. de eupator. capill. vener. ana* ℥ ij. *aqua decoct. absinth. agrimonia. florum sambuci* ℔ j. *vel aqua earundem herbarum, si habeantur, ana* ℥ iiij. *misc. depuret. adiect. cinnamom. select.* ℨ ij. *suauiore sapore & odore reddatur;* sumat 4. diebus in diluculo. Deinde ℞. *diacarthami,* ℨ ij. *diaphœnici, catholici ana* ℨ ij. *syr. de eupat.* ℥ j. *cum decocto sambuci, absinthii* ℥ iij. *fiat potio, sumenda in di-*

Hydropici interdum refrigerandi.

14.

15.

16.

Historia Nicoli.

17.

18.

1.

in diluculo. Deinde consului, vt hoc vel simile apozema caperet: ℞. *rad. ireos, ebuli, apii, petros. fœniculi, asparagi, brusci ana* ℥ j. *agrimoniæ, filipendulæ, pentaphylli, capill. ven. pimpinellæ vera, vulgo beuernella dicta, ceterach. cassutæ, absinthii ana m. j azari, cassiæ ligneæ ana* ℥ ij. *pulu. cicad.* ℥ ij. ß. (has Fontanonus maxime laudat) *sem. apii, fœnic. dauci, petrosel. ana* ℥ j. ß. *sem. genistæ* ℥ j. *cicerum rubr. m. ß. florum sambuci & genistæ ana p. j. soldanellæ m. ß. polypodii quercini, medullæ carthami, vel seminis eius contusi ana* ℥ vj *rhab. selecti* ℥ j. ß. *spicæ, schœnanthi ana* ℈ ß. *coquantur in duabus partibus aquæ communis, & vna parte vini Rhenensis, pro* ℔ j. ß *colatura addendo syr. de eupatorio, de rad. ana* ℥ ij. *arom. cum* ℥ ij. ß. *cinnamomi;* & vtatur quatuor diebus mane. Purgaui hunc cum pilulis sequentibus: ℞ *pilul. de agar.* ℈ ij. ß. *pilul. de mezereo* ℈ ß. *cum aqua agrimoniæ; fiant pilulæ v.* dentur in diluculo. Postridie vero: ℞. *theriacæ veteris, specierum diacurcum. ana* ℨ ß. *conseruæ capill. ven.* ℨ j. ß. Deinde omni mane sumebat ℨ ij *vel* iij. *diacurcumæ in tabulis.* Postea interpositis diebus, etiam illud, quod sequitur: ℞ *succi ireos* ℥ j. *mellis rosac. colati* ℥ j. *cinnamomi* ℈ j. *bulliant; & despumetur cum* ℥ ij. *aquæ florum sambuci, vel sambuci decocti;* detur vnica vice, modo tantum sumendo ℨ ß. *succi ireos.* Postea ventrem inunximus *vnguento Agrippæ, martiato, & dialthææ simul mixtis: imposito etiam emplastro ex stercore bubulo, cum oleo irino & vnguento Agrippæ.* Crura vero tumida lauari iussimus lixiuio ex cinere vitis, in quo folia ebuli & sambuci decocta erant. Vomitum non prouocauimus: qui licet in principio aliquando conueniat, tamen quia malum aliquando progressum, eo minus vti licet. Sed eius loco pilulis suprascriptis vt vteretur vtile duximus: subinde & his, vel similibus: ℞ *pilu. de rhab.* ℈ ij. *aggreg.* ℈ j. ß. *elaterii gran. iij. cum succo rad. ireos, fiant pilulæ viij.* His quoque tabulis: ℞. *specierum diarrhod. abb. dialaccæ, ros. nouellæ, trochisc. de rhabar. an.* ℨ. ß. *zacch. albiss. in aqua eupat. & cichorii dissoluti, fiat electuarium in tabulis, dosis* ℨ ij. *vel* iij. Hoc cataplasma quoque, vel simile, vt ventri apponeretur proposuimus: ℞. *foliorum sambuci m. ij florum chamomill. m. j. ß. rad. ebuli* ℥ j. ß. *rad. bryoniæ, ireos an.* ℥ j. *baccarum lauri* ℨ vj. *seminis anisi, cumini ana* ℥ i. *coquantur in aqua & vino q. s. ad mollitudinem, addendo rebus tusis farinæ lupinor.* ℥ ij. *sulphuris* ℥ i. *stercoris vaccini vel caprini* ℨ vij. *vnguenti Agrippæ* ℥ ß. *mellis q. s. fiat cataplasma.* Atque his vel similibus sæpius cum summa salute plurimorum ægrorum vsi sumus; quibus & sanitatem consequuti sunt, si statim in principio ea recte adhiberentur.

2.

3.

SCHOLIA.

4. *Ascitis curatio propria.*

Ascitis affectum licet periculosum diximus, curatio huius tamen tentanda, nam nõ pauci ex ea euasere, multi vero tamẽ succubuere. Quod ad propriam eius curationem attinet, si ex frigiditate sola iocinoris consistat, vt ex frigidæ, vel frigidi medicamenti vsu nimio, vel ex aliqua parte affecta, cui iecur consentiat, tunc cura tentanda est: atque inprimis ad materiam proximam respicere debemus, mox ad caussas remotas, id est, affectus, quibus vel primario, vel secundario afficitur. Quod ad materiam attinet, intentiones curatiuæ eædem sunt, scilicet vacuatio. Sed alteratio hic exspectanda nõ est. Nam serosus ille humor materia sanguinis esse nequit: ideo vt toto genere præter naturam vacuandus. Sed vacuandi modi non iidem: nec enim hic sanguis mitti debet: sed inter vacuationes maxime conuenit purgatio, ob purgandi excrementi vicinitatem. Vrinatiua etiam conueniunt, quod facile aliquid aquosi humoris per renes traducitur, cum tamen in eos, tum in cauam venam reludat. Præterea faciunt ad distributionem in iecur; ex qua impedita dicebamus, maxima ea parte colligi in ventre aquas. Sudores minus conueniunt: quoniam non est in extimam corporis superficiem humor distributus. Sat ergo erit, exercitiis moderatis vti, ad excitandum calorem: & reliqua victus ratio omnis similis sit hyposarcæ. Balnea quoque & potiones sulphureæ minus his conueniunt: tum quia his vires imbecillæ resoluuntur maxime, tum quia sudoribus non multum iuuantur. Iuuantur igitur purgatione, vrinis, cataplasmatis, incisione. Ac primum de purgatione agendum. Hæc autem per potiones fit, aut medicamentis, quæ ad ventrem applicantur, aut clysmatis. Cum autem hæc multiplicia sint, ea afferam, quæ hodie in vsu sunt, & experta. Materia vero eorum, quæ aquosos humores ducunt, hæc est: *Inprimis squamma æris, vel æs vstum,* quo Iacchinus se primum, quod sciat, nostra ætate vsum refert: cum tamen Baesdorpius antea eo vsus sit in Imperatore Carolo V. hydropico, cum alii medici desperarent; qui se *vnum remedium habere* profitebatur Carolo Imperatori; *sed eo se potius malle vti in rustico, quam in Imperatore.* Cui Imperator respondit, (vt nos a fide dignis accepimus.) *Cogita te rusticum præ manibus habere, modo Imperatorem ita curaueris.* Atque eo vtens illum ipsum sanauit. Rhazes quoque eo vsus est, *vt refert Gradus.* Addit Iacchinus, *Vtrumque optime debet conteri, atque in catapotia confirmari ex melle. Dosis a* ℈ i. *ad drachmam vnam cum dimidia. Admisce garyophyllum vel cinnamomum.* Aliud vsitatum remedium est, *cortex radicis sambuci in succum redactus. Dosis est ad vncias duas, & tantundem vini odorati.* Benedictus Veronensis; *radicis sambuci corticis succum ad quaternas drachmas quosdam dedisse* scribit. Alii radicis ebuli succum acetabuli mensura quotidie nouem diebus dederunt, decrescente luna; atque ita sanarunt hydropicos: vel vnciam vnam; egregie enim aquam trahit. Vti etiam facit cortex medius sambuci. Nicolus vna vice dat ℥ vi. *decoct. sambuci corticis mediani,* idem dat ex succo sambuci *a* ℥ ij. *ad* iiij. *& succi ebuli a* iiij. ℨ *ad* ℥ i. Quidam succum ex sambuci cortice medio cum oxymelite propinarunt. Sed si sursum versus (*vt quidam autumant*) e ligno abradunt, vomitiones cõcitari; si deorsum versus, p inferna deduci tradũt. Aliud est iridis succus, ex radice express. datur cum zaccharo, quod faucibus asperitatem facit: dosim

Purgatio.

5. *Vrinam cientia.*

Sudores cur minus conueniant in ascite.

Quibus ascitici magis iuuantur.

6. *Squamma æris aut æs vstum.*

Nota.

7. *Radicis ebuli succus.*

Succus iridis.

Idem Iacchinus circiter ℥ ij. vel iij. *esse vult.* Vncia vna sæpe satis fuit in robustis, *vt Obseruat. sequenti constabit.* Alii ℥ ß. dant, sed purum, nullam fere vim habet si decoquatur. Purus esse debet, abiecto sedimento: ex zacchar. vel syrup. violato, aut ouo sorbili delicatius sumitur; & præstātissimum illud remedium habetur. Aliud vsitatum est *soldanellæ siue saldanella*, brassicam marinam dicunt: frequens est in Zelandia, & copiose ad nos fertur: nos frequenter in decoctis *m. ij. vel m. ß.* ponimus. Hanc male quidam putant esse eam herbam, inquit Iacchinus, quæ appellatur *Cachile* ab Arabibus: illa enim alia ab marina brassica, & similis vsneæ: & inuenitur æstate in nostro littore: qua in hunc vsum hodie aliqui vtuntur. Soldanellæ succus vel potus, vel etiam folia siccata, & in puluerem redacta, dantur. Scio quosdam, inquit Iacchinus, & aqua exstillata vsos: ergo vero nō sum vsus. Hollerius tamen refert *lib. 1. cap. 37. de hydrope. Aqua exstillata e purpureis floribus ireos data* ℥ *vi. vel* ℥ *j. quantitate, cum* ℈ *i. elect. triasanta. & gran. viij. cinnamomi, efficacißime aquam hydropicorum ducit.* Dosis succi soldanell. secundum Iacchinum, sunt ℥ *iij. ad vi. pulueris* ℨ *ij. mane, cum exiguo vino vel mulsa.* Donatus huius soldanellæ vsum nō facile admittit, cum mirifice vētriculo aduersetur: & ipse pluries experiētia vidit noxiam inferre, potius quam auxilium aliquod hydropicis præstare, imo quosdam citius periisse obseruauit. Sed quia hic frequens, nos tamen commode hac herba vsi sumus. Præceptor meus Benedictus Fauentinus, in hunc modum dabat: *℞. absinthii sicci, eupatorii sicci, soldanellæ siccæ ana* ℨ *ij. spicæ* ℈ *ß. fiat puluis, detur* ℨ *j. mane, cum aqua radicis sambuci.* Elideus præceptor meus, etiam Bononiæ dabat, *modo cum rhabarb. modo per se, cum aqua agrimoniæ.* Magna cum experientia in nosocomio vitæ vtebatur, *soldanella cum rhabarb. & passulis*; & mulieres citius, quam viri curabantur; crede propter symbolum, quia frigidiores sunt, & calidiora medicamenta melius ferre possunt. Aliud est, *Laureola folia siccata in vmbra, & mox aceto affusa, per diem vnum vel duos, & rursus siccata, & in puluerem redacta; ac conformatis melle vel succo cotoneorum pilulis, duæ sumantur ad ciceris magnitudinem.* Aliud *esulæ radix est, cuius cortex siccatus teritur: & vtimur scrupulo vno ipsius, addendo mastichen & rhabarb. cum succo rosar. fac pilulas pro vna dosi.* Alia vero, quorum scriptores meminere, hodie (*inquit Iacchinus*) in vsu non sunt: & profecto, si his, quæ diximus, non satis vacuatur, inanis erit cura. At cucumer agrestis in frequenti vsu fuit & Græcis & Arabibus: quo sic vtendum: *℞. corticis rad. cucumeris agrestis* ℈ j. *infriatum insperge mulsæ.* Sine molestia (*vt Hollerius quoque refert*) pituitam ducit, nec stomachum lædit. Abominabilis licet sit vrinæ potus, tamen maxime probatur medicis. Tolerabilior, si ex puero impube distilletur cum melle, & aliis diureticis. Quod ad clysteres attinet, etiam acres adhibendi, nisi venter sua sponte humescat. Tunc enim exsiccare ipsum magis cōuenit, *vt inquit Paulus.* Clysteres fiant *ex decoct. mercur. polyp. flor. cham. ebuli fol. & rad. & caricis. cuius* ℞. ℔ *i. adde mellis despumati* ℥ *ij. olei anet. rutac. cham. an.* ℥ *j. hier. pic.* ℥ *vj. benedict. laxa.* ℥ *ß. salis communis* ℨ *ij. vel* ℞. *mercur. betæ pariet. ana m. j. brass. marin. vel thymel. vel chamæm. m. ß. vel sennæ orient.* ℥ *ij. flor. hyperic. genist. an. p. j. anisi, apii, petros. ana* ℨ *ij. cartami* ℥ *i. fiat decoctio, & in* ℔ *ß. colaturæ dissol. benedictæ* ℥ *i.* Alii componunt *ex rad. ireos, cucumeris syluestris, ex cyclamine, vel succo, cum vrina hominis, vel cum sero caprarum, & sine oleo iniiciunt, vt Rondeletius facit.* De vrinatiuis diximus. Aliqui dant *polium, vel samsuchum in vino decoctum, vel iunci odorati, nardi, asari ex vino, vermes terrestres, vt Aet. vel erinaceum terrestrem excoriatum, eiusque carnis in sole exsiccatæ* ℨ *i. ex vino trita in prabent.* Paulus exhibet *cochlear vnum stercoris bubuli vsti, ex vino potum quotidie; strenue auxiliatur*, quibus adiice ea, quæ de anasarca diximus. Vtimur quoque solutiuis exterius, si æger debilis sit, aut valde lædatur: sic & si puer sit, & medicamenta recuset. Hæc facile est, componere ex materia vehementer ducentium aquas. Sed elaterium, & cyclamini rad. & lathyris, inter hæc primas partes tenent, cum grano Gnidio, & vnguentum de arthanita maius: quale hoc est: *℞. succi thymelææ, cucumer. agrest. & brassicæ marinæ ana* ℥ *ij. succi aristolochiæ,* ℥ *j. spicanardi, senæ, ana* ℨ *ij. excipiantur farina orobi vel lupinorum, & applicentur supra vmbilici regionem.* Vermes quoque necant, etiam vrinas mouent. Alii eadem supra vesicam, ex oleo rutaceo, & vrina pueri, ac succo pedis columbini parant. Ea enim, quæ vrinas mouent, aliquid faciunt: ideo his vtendum est, sed non vehementer instandum, vt in hyposarca, ob dictas caussas. Vnde & Rondeletius, *Mouent*, inquit, *vrinas.* Quare illud decet fieri, cum supradicta remedia vrinam prouocantia dabuntur. Rhazes tamen minus probat illa laxantia emplastra, cum maiorem inflammationem inducant in membris, quam medicinæ debite correctæ, & in debita dosi administratæ. Verum vbi febris abest, & sit materia frigida, iis vti possemus, vt docti faciunt. Postea ad cataplasmata, quæ emplastra vocant, descendimus: ac primum ex cochleis cōstat, antiquum sane. Oportet prius per aliquot dies humore excrementitio repurgatas sumere, & cum testis contundere, & leuigare: postea inspergere florem *asii lapidis, calamenthi sicci, & rutæ sicca aliquid*: sinere donec sponte decidant, idque toti ventri adhibendum. Eligantur marinæ cochleæ: sin minus, quæ in montibus pascuntur genista herba. Aliud, *ex stercorib. caprino, bubulo, columbino: siccetur prius modice, neq; admodum vetusta sint: postea componatur emplastrum cum sapa, addendo sulphur viuum, cyminum, lauri folia.* Alii addunt *spicanardi, schœnant. vel asar. vel valer. exiguum.* Vltimo vero ad chirurgiam, si prædictis non curentur, deueniunt; vel ad cauteria vel incisiones: de quibus postea. Nunc aliud exemplum ascitis adferamus.

8. Saldanella. — 9. — Laureola. 10. — Esulæ radix. — 11. Clysteres. — 12. Vrinatiua. — Solutiua exterius applicanda. — 13. — 14. Topica & cataplasmata.

OBSERVATIO XXXVIII.

De ascitico male tractato ab empiricis, qui postea aptis remediis curari non potuit.

PEtrus Candidus dictus, calcearius, ex hydrope ascite cum diu decubuisset, vir crassus &

1.

obesus, magnus, vt si quis alius, & robustus, Delphis variis vsus est remediis empiricorum; cui tandem ab empirico famoso (*cui Egberto nomen erat*) qui illi sanitatem pollicebatur, exhibita fuere colocynthis & præcipitatum, ita vt indies ad maiorem desperationem suæ salutis deuenerit, hepate ab eiusmodi medicamentis sine correctoriis, iisve quæ viscera roborare debeant, plurimum oblæso, indies peius habere cœpit; ita vt malum in hepate confirmatum fuerit. Vnde postea organo sanguificationis magis affecto, supra modum aquosa materia adaucta, venter non solum in molem excreuit, vt in homine crasso & corpulento disrumpi videretur; sed vt etiam ad crura descenderit, & tandem in scrotum quoque aqua prolapsa, in herniam aquosam inciderit, adeo ingentem, vt talem vix in vita viderim. Eo autem tempore vtebatur opera Cornelii medici illius senioris Delphensis. Verum cum indies bursa testium ita excresceret, & malum augeretur, & medicus dictus illum pro deplorato reliquisset, qui eundem ad aliquot tempus tractasset, facta est consultatio, & accitus est Cornelius Ericius collega meus, ac Hugo Nieuenius medicus Haganus, atque me in tertium medicum amici adoptarunt. Proposita autem fuit incisio ipsius scroti seu bursæ testium, vt aqua hoc modo euacuaretur: inter reliqua multæ ac variæ rationes adductæ sunt, vti & illud quod Iohannes Langius scribit *lib. secundo epistolarum, epistola 32. Præsens illud ex salis* (inquit) *subsidio, Hippocratis & Leonidis, ac Archigenis in hydrope remedium, animo memori reconde: qui supra internum cruris œdemate turgentis malleolum, quatuor digitorum spatio, scalpello, paulo quam in vena sectione altius, & in orbem cucurbitulæ adacto, ex vulnusculis sale confricatis, ne sanguis vel ipsa concrescerent, inde iugi scaturigine aqua guttatim emanante, totam hydropis aquam inter cutem in aluo sub peritonæo, vel in testiculorum oscheo reconditam, sensim educebant. Idque verum esse, mea experientia comperi.* Idem & Aetius *Sermon. 10. capit. 30.* & de sale *libr. 6. de phlebotomia* reiteranda. Alii autem in ascite, vbi aqua copiose colligitur in peritonæo, punctura vtuntur, per quam aqua euacuatur, quæ per aliam regionem perfecte non potest euacuari. Nec adeo periculosa est ventris apertio (*vt censebat Rondeletius*) modo recte fiat. Nam videmus eos quibus vulneratus est venter, euadere; nisi vulnus penetret gracilia intestina. Præterea vtilem constat esse ex euentu. Quibus enim casu per vmbilicum aqua erumpit, hi sunt curati, *vt alias & nos quoq; ante exemplis docuimus.* Quod si quis obiiciat, *hoc remedio tentato multos interiisse*: huic respondebimus, id contigisse, vel quia facultas hepatis in illis erat emortua, vt postea sanguinem bonum gignere non potuerit: aut quia remanserit scirrhus hepatis, aut lienis; vel quia natus erat morbus ex pulmonis vlcere (*phthisici propemodum omnes in hydropen incidunt*) vel quia in thorace fuerat etiam collecta aqua, quæ vacuata non est; quod ex tussi deprehendi potest. Hos desperatos esse dicit Hippocrates: sed sic intelligendum est, *nisi vtraque pars pectoris aperiatur.* In deploratis, qui ad extremam virium imbecillitatem deuenerunt, qui scirrhum in hepate confirmatum, aut liene, aut vlcus in pulmonibus habent, ac denique in senio confectis, non debemus hoc remedium experiri. Dum venter pungitur, non est spectandum ex qua parte, dextrane, an sinistra, malum cœperit, vt quidam religiosius obseruant. Nam nihil refert, vtram partem seces; cum ex vtraque possit commode vacuari aqua. Verum hic cum maxima pars aquæ in scrotum vel bursam testium confluxerat, potius in ea incisio facienda erat, *vt docet Arculanus capit. proprio de hydrope.* Verum cum vires in hoc ægro debiles essent, ac malum iam confirmatum foret, tandem conclusum est, vt non fieret incisio, sed potius euacuatio humoris aquosi per conuenientia medicamenta, vt succum ireos, & similia, præparatoriis & attenuantibus remediis etiam præcedentibus, & euacuatione peracta, decretum est, vt ad localia medicamenta perueniremus. Sed, quod pene omiseram, tres dies antequam fieret consultatio, prius vocatus fueram, cum Guilelmo de Dalen chirurgo lithotomo: ac euacuatione vsi ex decocto attenuantium, adiectis foliis senæ, & agarico, pro scroti inflatione fomenta adhibuimus ex decocto *flor. chamomill. meliloti, absinthii, rorismarini, anethi, flor. ros. corticum quercus, & similibus*, & euaporatione ex prædictis sub sella facta, paulo melius habere visus est, antequam alii medici acciti essent. Idem affligebatur insigni dolore in ano, ex hæmorrhoidibus & apostemate: pro quo symptomate mitigando, & dolorem sedando, vna cum chirurgo hæc infrascripta adhibuimus: ℞. *olei amygd. dulc. pinguedinis gallinæ, butyri recentis an.* ℥ß. *misce.* quo loco dolens inungebatur. Mox & hoc fotu vtebamur: ℞. *caput veruecinum integrum, vna cum ossibus & cerebello, florum chamomill. meliloti, folior. tapsi barbati, foliorum maluæ, viol. ana man. j. radic. althææ* ℥ß. *seminis maluæ, althææ ana* ℨj. ß. *semin. fœnugræc. lini ana* ℨij. *coquantur omnia in aqua communi q. s. ad perfectam mollitudinem*; colatura fortiter expressa, calide locus dolens fouebatur; & hæmorrhoides apertæ sunt; & apostema quod erat in ano, ruptum est, multo pure exeunte, adeo vt dolor ibidem omnis cessauerit; intus etiam assumto ad detersionem hordei communis decocto cum melle. Repurgato deinde apostemate bene habuit. Scrotum tamen inflatum permansit. Vnde alii medici prædicti vocati, postposita incisione, ob caussas dictas, in homine quinquagenario, iam diu hydropico exsistente, Hugone medico tunc discedente, infrascripta vna cum Cornelio Ericio, collega meo, anno 1562. 22. Nouembris præscripta sunt: ℞. *florum chamomill. meliloti ana man. ij. ß. summitatum absinthii communis, florum rorismarini, summitatum anethi ana manip. j. flor. ros. p. j. radic. althææ* ℥ iiij. (ob duritiem quæ aderat) *sem. althææ* ℥ ij. *coquantur omnia in vino Pictauiensi, ad mollitudinem, & expresso humore, leuiter omnia hæc contundantur; cui addantur stercoris bubuli manipul. iij. corticum quercus,*

subtiliter contus. & cribro exceptorum man. j. farinæ fœnugraci, semin. lini an. m j. ß. farinæ fabar. m. ß. pul. cumini præparati & cribrati m j. omnia misceantur, pauco liquore decocti adiecto, & oleo anethino, ad cataplasmatis consistentiam, profuit egregie. Interim 23. Nouembr. infrascriptum apozema fieri mandauimus: *℞. quinque rad. aperitiuarum an. ℥ ß. ceterach, capill. vener. agrimoniæ, cuscutæ an. man. ß. semin. genistæ ʒ ß. semin. fœniculi, anisi ana ʒ j. semin. petrosel. carui, amios ana ʒ ß. corticum rad. thamarisci, glycyr. ana ʒ iij. vuar. pass. enucleat. ℥ j. folior. senæ ʒ vj. agarici optimi leuis & fœminini ʒ ij. zinzib. ℈ j soldanellæ ʒ ß. fiat omnium decoctio in aqua communi, & vino Rhenensi q. s. stent infusa per noctem.* mane huius fortiss. express. accipe *℥ ix. arom. cum pul. specier. diarrhod. abb. specier. diacur. dialaccæ, ana ℈ j. addendo syr. de eupatorio ℥ j. ß. syrup. de byzantiis ℥ j. fiat apozema pro 3. dosibus.* Quibus optime aluus soluebatur; cum detumefactione vẽtris & testiculorum. Vtebatur autem victu extenuante, exsiccante, & abstinebat a potu, tantummodo parum vini Rhenensis sumebat, cum satis diues esset, licet calcearius. Postea capiebat ʒ j. ß. *vel ij.* ex hac confectione: *℞. specier. diarrhod. abb.* (nam vrina tincta erat, & vix videbatur liber a febre) *ʒ j. diacurcumæ ℈ j. dialaccæ ℈ ß. dissol. in aqua fœniculi, adiecto zacchar. optimo q. s. fiat confectio in tabulis secundum artem. 26.* Nouembr. hæc præscripta sunt: *℞. radic. quinque aperit. rad. ireos an. ℥ ß. capill. vener. ceterach, agrimoniæ, hyssopi, cuscutæ ana m. ß. semin. anisi, fœnic. an. ʒ iij. semin. genistæ ʒ ß. vuar. passul. enucl. ℥ j. folior. senæ ʒ ß. agar. leuis & optimi ʒ j. soldanellæ ʒ ij. folior. mezereonis ʒ ß. zinzib. ℈ ß. schœnanthi ʒ ß. fiat omnium decoct. in vino Rhenensi; & aqua petrosel. fœniculi part. æqualibus; & coquantur in balneo mariæ, & stent infusa supra herbas per noctem, pro ℔ j. fortiss. express. adde syrup. de eupat. ℥ ij. syrup. de byzantiis, sine aceto* (quia parum tussiebat) *℥ j. misce, capiat omni die modo semel, modo bis: & egregie operabatur. 28.* Nouembr. cum cyatho vno decoct. suprascriptæ sumebat succi ireos ℥ ß. *pul. soldanellæ ℈ j. in diluculo:* & habuit sex sedes admodum aquosas; ventre tum testibus detumescentibus: Facta tamen pro bursa testium euaporatione, *ex floribus chamomillæ, meliloti, corticum querc. adiectis aliis iam supradictis, & emplastro seu cataplasmate præcedente admoto. 29.* Nouembr. hac sola inunctione contenti fuimus; & hernia illa aquosa, bis exhibito succo ireos egregie curata est absque incisione: *℞. olei anethini, chamæmel. meliloti an. ℥ ß. misce.* postea ad ascitem curandam & aquam depellendam, 2. die Decembris hæc præscripta sunt: *℞. rad. quinque aperit. an. ℥ ß. radic. ireos ʒ ij. ceterach, capill. vener. hyssopi ana man. j. semin. genistæ, anisi, fœniculi ana ʒ j. semin. petrosel. ʒ ß. cort. rad. thamarisci ʒ j. glycyrr. ʒ iij. passul. enucleat. ℥ j. folior. senæ ʒ ß. agarici fœmin. soldanellæ ana ʒ j. zinzib. ℈ j. schœnanthi, spicæ ana ℈ ß. fiat decoct. in aqua fœniculi, petrosel. & vini Rhenens. qu. suf. stent per noctem infusa;* cuius expressionis accipe *℥ ix. addendo syrup. de eupator. de byzantiis ana ℥ j. arom. cum specier. diarrhod. abb. diacur. dialaccæ ana ℈ j. misce. detur, vt dictum est, omni mane.* Postea ℞. *succi ireos ℥ vj. pul. soldanellæ ℈ j* detur cum cyatho vno decoct. suprascriptæ; deiecit meram aquam citrinam decies. Egregie venter detumuit, cum maxima alleuiatione. 4. die Decembr. cum aliquantulum tussiret, hæc præscripta sunt: *℞. syr. capill. vener. ℥ ij. specier. diapenid. ℈ ij ß. specier. diaireos Salomonis ℈ j. zacch. penid. ℥ ß. misce, pro linctu,* sumat cum baculo liquiritiæ ad libitum. 8. Decemb. sequens sumsit: *℞. succi ireos ℥ vj. pul. soldanellæ ℈. j. ß. dabatur cum decocto vltimo præscripto.* optime ad miraculum eduxit aquam. Interim dieb. sequentibus, pro roboratione viscerũ vtebatur sequenti elect. in tabulis: *℞. specier. diarhod. abb. ℈ ij. specier. diacurcum. dialaccæ, diaireos simplic. ana ℈ j. dissolut. in aqua agrimoniæ, adiecto zacchar. albiss. q. suf. fiat electuar. in tabul.* Cœpit indies tunc venter detumescere, tum crura ipsa; ac paulatim melius habebat. 16. die Decembr. rursus ex hoc decocto sumebat: *℞. rad. quinq. aperitiuar. rad. ireos ana ℥ ß. capill. Vener. polytrichi, ceterach, agrimoniæ an. m. ß. sem. anisi ʒ j. ß. folior. senæ ʒ vj. soldanellæ ʒ ij. vuar. passul. enucleat. ℥ j. liquir. rasæ ʒ ß. coquantur in aqua communi, pro ℥ ix. forti expressioni adde syrup. de eupat. de byzantiis ana ℥ j. misce.* Sed tunc crus excoriatum est, & maxima copia aquæ quotidie effluebat. Pecia lini cum vng. albo superinducta apponebatur, ob excoriationem. Eo decocto absumto, iterum *℥ vj. succi ireos, pul. soldanellæ ʒ ß. cum decoct.* cepit: deinde iterum elect. in tabulis; & pedes detumuere; & quasi curatus videbatur. Verum cum homo esset admodum crassus, mere rusticus, & insignis ceruisiarum potor, iterum largius ceruisiam bibens, a qua diu abstinuerat, cum iam aliquot diebus curationem vlteriorem intermisisset, iterum venter mirum in modum inflari cœpit; & crura denuo in maximam molem excreuere: adeo vt iterum 16. Ianuarii nos vocauerit, anno 1563. Cum vero adhuc robustus videretur, vna cum Ericio hanc potiunculam exhibuimus: *℞. soldanellæ ʒ j. ß. mezereonis ʒ ß. semin. anisi, carui, dauci, fœniculi an. ʒ j. ß. bulliant in vino Rhenensi; stentque per noctem infusa. mane huius fortis colaturæ accipe ℥ iij. ß. adde succi ireos ℥ vj. misce.* Exhibita fuit mane potio in diluculo: ex qua semel vomitum habuit. Sed postea per diem & noctem sequentem copiosissime hæc ipsa aquam eduxit: ita vt venter omnino detumuerit, tum crura subsiderent. Hoc tamen medicamentum forte est, quo non vtendum nisi in robustis, quorum naturam cognitam habemus: Nam & hic vir quadratus & robustus, bene tulit, & optime profuit. Huic rursus & confectiones elect. in tabulis exhibitæ, ad viscerum roborationem: & denuo bene habere cœpit: & tunc rursus a medicamentis abstinuit. Deinde cum videret iterum crura inflari, denuo sequutus est mulierculārum consilia, quæ pedibus applicarunt & cruribus bolum armenum, cum aliis repercussiuis: vnde tam pessime habuit, iterum facta recidiua, multo peiore præcedente; adeo vt crura tandem in tantam molem excreuerint, vt ad eum vterque rursus accitus, in vita maiora nunquam spectauerimus, in homine licet

magnæ

magnæ staturæ & valde crasso. Imo ex nimia mole cute suppurata, sub poplite vlcera valde putrida cum putrefactione subsequuta sunt: quæ nullo modo postea curari potuerunt. Et post tres septimanas magis rursus intumescẽte ventre, cum cruribus, subsequuta est febris, licet lenta & leuis. Ita vt prehabito prognostico 17. die Februar. eiusdem anni e vita discesserit.

SCHOLIA.

Recidiuam ipsa radice, diximus *in lib. Obser. nostrarum de febribus*, multo peiorem esse; & hic præcipue: nam postquam mulierculæ illa repercussiua femoribus applicuissent, ea ipsa statim cum tanto dolore intumuerunt, vt nullo modo sedari possent. Mox subsequẽti suppuratione sub poplite, deinde & febre, ventre semper magis increscente, tum cruribus, hic asciticus parum in fine curationis obseruãs victus rationem, e vita decessit. Sẽper enim ascitis grauis & suspectus morbus est: & hic periculosior factus, primo ab empiricis, postea in fine etiam a mulierculis. Nulla præsidia, licet videbantur hominem iam antea restituisse, postea viribus deiectis vllo modo iuuare potuerunt. Quibus modis curetur ascitis, iam satis dictum est: semper habita intentione ad caussam coniunctam, nempe hydropem; & ad remotam, nempr malam dispositionem ipsius hepatis. Nam frustra, vt diximus, hydropem curamus, nisi malam intemperiem hepatis remoueamus; alioqui cito redit aquositas. Multa sunt, quæ hic commendantur a medicis: *vt hepar lupi, trochis. de rhab.* de quibus vide Nicolum, Gatenariam, Arculanum, & alios auctores, qui maxime Auicennam & Arabes sequuntur. Quomodo autem curetur a Græcis, iam satis quoque dictum est.

OBSERVATIO XXXIX.

De ascite, ex hæmorrhoidibus constrictis & lienis oppilatione orta.

Nobilis matrona, Barbara Zuzia, vxor Ioannis Heuteri, mense Octobri, anno 1578. post hæmorrhoides longo tẽpore restrictas, quæ consuetæ erant fluere, incidit in oppilationem lienis: & ex ea tandem in hydropem asciten. Venter huic tum pedes tumebant. Post multa adhibita remedia, ad eandem sæpe accitus sum in Hagam-Comitis, vbi tunc habitabat, & post pacificationem e Traiecto eo venerat: capiebat subinde pil. 7. ex aloe lota cum aqua saluiæ, ad hæmorrhoides aperiendas, præcedentibus decoctis aperitiuis. Et ad aquam educendam capiebat pilul. tres exiguas ex mezereo, descriptionis Donati (*de quibus latius in scholio agemus*) ab Altomati *cap. proprio de hydrope*; quas idem pro ascite expertas habet. Dat autem ipse ʒ j. *vel* ℈ ij. pro vice qualibet: sed quia hęc matrona debilis erat, capiebat tantum tres pilulas; & egregie aquam soluebant. Gualtherus pharmacopœus Traiectensis, vt nobis tunc referebatur, simili morbo laborabat, nempe hydrope ex hæmorrhoidum obstructione, quæ prius illi naturaliter fluere solebant: verum hic singulis septimanis capiebat pilulas ex aloe lota, deinde etiã istas pilul. ex mezereo, descript. eiusdem Donati. Quibus solis remediis fuit ab hydrope curatus; & hæmorrhoides denuo eidem fluere cœperunt, mox ventre detumescente. Nostra vero matrona, postquam bis accepisset tres pilulas dictas ex mezereo, hæmorrhoides fluere cœperunt, post magnam liquidorum humorũ aquosorum euacuationem. Post decocta aperitiua & pilulas sumtas, his nodulis in vino suspensis & expressis capiebat vinum, nempe cyathum vnum bis in die: ℞. *salsæparillæ* ℥ ij. *ligni sancti* ℥ j. *tamarisci recentis m. j. ceterach, chamad. an. p. j. cort. rad. cappar.* ʒ ij. *cinnamomi confracti* ℥ ß. *fiant tres globuli seu puppæ*: ℞. *ligni sancti* ℥ iij. *radic. fœnic. brusci, asparagi, ononid. an.* ℥ j. *chamad. saluiæ ana p. j. radic. asclepiæ seu hirundinariæ* ℥ j. *granor. iuniperi, baccarum lauri an.* ʒ j. ß. *radic. garyophillatæ, polypodii quercini ana* ℥ ß. *comæ absinthii m.* ß. *fiat magnus globulus seu puppa*: quæ coniiciatur in quartam partem cupæ ceruisiariæ: qua ceruisia vtebatur pro quotidiano potu, tam pro lienis obstructione, quam hydrope. Huic matronæ prius bene per pilulas dictas repurgatæ post aliquos fotus conuenientes pro cruribus inflatis, sequens etiam cataplasma cruribus supra modum inflatis, apposuimus: ℞. *rad. ebuli recentis m. vj. rad. bryoniæ* ℔ j. *corticum exteriorum sambuci man. iiij. folior. cucumeris asinini manip. ij. caulium rub. man. vj. folior. maluar. manip. ij. folior. althææ m. iij. surfuris macri man. v. florum chamomillæ man. iij. flor. meliloti man. ij. absinthii exsiccati man. iij. decoquantur in aqua communi q. suffic. pistentur, addendo vnguenti Agrippæ* ℥ iij. *farinæ hordei* ℔ ß. *fiat cataplasma, vt artis est.* Hoc cataplasmate crura inuoluebamus vsque ad genu: quo multa aqua effluxit, absque corrosione. Est egregium, & pro arcano retinendum. Hæc præscripta sunt in principio Decembris. 6. vero die & hæ tabulæ præscriptæ: ℞. *specier. dialaccæ, diacurcumæ an.* ʒ ß. *specier. arom. ros. spec. diacinnamomi ana* ℈ j. *dissolutis in aqua agrimoniæ q. s. zacchari albiss.* ℥ iij. *fiat confectio in tab.* Lieni applicabatur emplastrum de meliloto: & venter inungebatur vnguent. Agrippæ. Quibus bene se habere cœpit. Ceterum in principio Ian. anno 1579. cœpit peius habere, curatione paululũ intermissa. Tunc eam accessit quidam chirurgus Haghanus, qui pollicebatur eidem sanitatam: at vir eius Ioannes Heuterus, prudẽs, ei auscultare noluit. Præter alia remedia, quę intus exhiberet, etiã proposuit vesicatoria ponenda esse sub poplite, in parte domestica, de quib latius in scholio, idq; in vtroq; crure, cum crura rursus valde intumescerent. Cuius caussa ego denuo accitus, in ea re illi assensi, modo non essent cauteria potẽrialia, & cutem vsque ad carnem adurẽtia; ea enim solent in cruribus œdematosis vlcera difficilia inferre, & subinde gangrænam, vt experientia in multis vidimus. Ideo vesicatoria leuia concessi; quæ adhibuit, & vesica illata incisa fuit: ex qua multum aquæ effluxit; eaque deinde per se consolidata est. Ceterum post aliquot dies pustulæ per se in cruribus obortæ, insignem pruritum induxerunt; & me inscio, absque etiam consilio chirurgi, caules rubros apposuere: vnde pustulis perruptis, & vesiculis ef-

fractis in ambobus cruribus subsequuta est magna corrosio, & tandem vlceratio: & effluxit continuo aqua, vt vires paulatim deficerent. 5. Ad 14. Ianuar. rursus ad eam vocatus sum: maritus denuo voluit exhibere pilul. de mesereo; sed inhibui, ob vires nimium debiles. Interea propter vlcerationem, ne accederet gangræna, imperauimus crura lauari cum vino, in quo decocta erant folia vngulæ caballinæ, aliquid masticis, myrrhæ, thuris, & lithargyrii, etiam folio vngulæ caballinæ (quod siccatum aderat, & recens nunc non inueniebatur) loco vlcerato imposito, ne fluxio omnino impediretur, neq; nimium flueret. Vlcera deinde paulatim ceperunt melius habere, & dolor mitigabatur: quanquam illa semper in peius, quo ad vires (*licet venter aliquo modo detumesceret subinde*) vergebat; ita vt eam tandem morituram prædixerimus. Ceterum vinum illius decoctionis, efficiebat, ne fieret gangræna in cruribus. Crura vero eo decocto & lauabantur & inuoluebantur, super vnum locum apposito folio vngulæ caballinæ, ne 6. fluxio in totum restringeretur. Interea hoc apozemate vtens, videbatur quasi curata: ℞. *rad. ireos viridis ℥ j. rad. fœniculi, petros. an. ℥ ß. agrimoniæ, cassuthæ, ceterach, chærefolii, soldanellæ an. man. j. flor. trium cord. ana p. j. semin. anisi, fœniculi, carui an. ʒ j. ß. sem. cartami contriti ℥ ß. medianorum corticum sambuci m. j. folior. senæ ℥ j. turpethi optimi ʒ ij. rhab. selecti, agarici albi fœmin. leuis an. ʒ j. spicæ, schœnanthi, zinz. albi an. ℈ ß. vuar. passul. ℥ j. liquir. ras. ʒ iij. polypod. querc. ℥ ij. fiat omnium decoctio in tribus partibus vini Rhenensis, & vna parte aquæ petros. ad ℥ ix. clarificetur & arom. cum ʒ iij. cinnamomi selecti; addendo syrup. de eupat. ℥ iij. fiat apozema, pro iij. dosibus matutinis.* Ex prima dosi habuit 7. secessus: ex secunda, post tres dies assumta, habuit enormes secessus, cum magna angustia, vt putarent illam morituram. At post secessus, continuo per plures dies reddidit lotium; & venter ad miraculum detumuit, & pedes; & præter spem multorum videbatur curata, & liberata ab hydrope. Verum anno eodem 1579. in Septembri iterum venter 7. intumescere cœpit. Post præparationem materiæ, & assumtis bis terve pilulis de mezereo consuetis, 13. Septembr. iterum hoc apozema præscriptum est: ℞. *rad. ireos virid. ʒ vj. cort. rad. fœniculi, petrosel. ana ℥ ß. agrimoniæ, cassuthæ, ceterach, chærefolii ana man. j. soldanellæ m. ß. flor. trium cord. cort. medianor. sambuci an. p. j. semin. anisi, fœniculi, carui ana ℈ iij. ß. semin. cartami ʒ ij. ß. folior. senæ, absque stipitibus ʒ vj. ß. turpeti optimi ℈ iiij. ß. rhabar. selecti agar. albiss. ana ʒ ß. spicæ, schœnanthi, zinzib. albi, ana ℈ ß. vuar. passul. enucl. ℥ j. liquir. rasæ, polypod. querc. ana ʒ ij. fiat omnium decoctio in iij. part. vini Rhenani, & vna part. aquæ petrosel. circiter ℥ viij. infusis per noctem. & mane fortissime expressis adde syrup. de eupat. ℥ ij. clarificetur, & arom. cum ʒ ij. cinnamomi selecti, pro 2. dosibus matutinis.* Vtebatur deinde dialacca, & diacurcuma in tabulis. 26. Septembris etiam purgata est cum diacarthami solutiui ʒ ß. *aliquando ʒ vj.* in tabulis etiam hæc tragea præscripta est: ℞. *seminis anisi, fœniculi, cumini ana ℈ iiij. ß. specier. diacalamenthæ ʒ j. specier. diacurcumæ, dialaccæ ana ℈ j. trochisc. de cappar. ℈ ß. cinnamomi selecti ℈ j. baccarum lauri num. v. puluer subtilissime, & adiecto zacchar. albiss. ad pondus omnium, fiat tragea: dosis sit ʒ j.* 8. Rursus 14. Nouembr. huic matronæ nobili venter ex hydrope valde intumuit; & rursus accepit tres pilulas ex mezereo, descript. Donati. & intermissis aliquot diebus hæc præscripsimus: ℞. *specier. diacarthami ʒ ij. zacchar. albiss. ʒ j. ß. fiat confectio in tabulis, dos. ʒ ß. singulis septimanis*: & ex vna dosi quinque vel sex aquosos secessus semper habebat, aliquando & nouem secessus, sine torminibus. Has tabulas valde laudabat. Interea quotidie accipiebat mane cyathum vnum parum huius vini sequentis: & hora quarta pomeridiana alterum: ℞. *cineris totius fruticis genistæ cochlearia duo: infunde in pinta vna vini albi Rhenani optimi: stent hæc infusa calide supra cineres calidos per noctem: mane per manicam Hippocratis coletur, idque sæpius; & fiat claretum.* Et rursus exhibita ʒ ß. diacarthami in tabulis, habuit quatuordecim sedes aquosas liquidas pituitosas: & non male inde habebat. Postea, cum videretur aliquo modo melius habere, curationem non prosequebatur, numero remediorum tædio affecta. Sed 19. Februar. 9. anno 1580. denuo ad eam accitus sum. Et cœpit tunc peius habere, ventre magis intumescente, & aqua ad diaphragma ascendente, & pulmonem comprimente; vnde etiam difficultate anhelitus corripiebatur, tussi tamen non accedente. Et quia tunc satis secessum habebat, abstinuimus ab vsu diacarthami. Bibebat tunc vinum Rhenanum bis in die, in quo decoctæ erant radices eringii, ebuli, ireos, asparagi, adiecta exigua quantitate cicerum rubrorum, & summitatum genistæ iam prius pullulantis. Et mense Martio procedebamus cum iisdem remediis, aliquando & supradictis. 19. Aprilis & hoc linimentum præscriptum, pro ventre: ℞. *succi ireos, succi rad. ebuli, & radicis sambuci, succi bryoniæ ana ℥ j. vnguenti Agrippæ ℥ ij. bulliant simul ad consistentiam vnguenti mollioris.* Rursus præparata materia cum decocto *rad. ebuli, aspar. vt prius*, 25. Aprilis ita eandem purgauimus: ℞. *rad. ebuli, vel eius loco, si desit, radic. sambuci, asparagi, ireos, an. ℥ ij. agrimoniæ, cuscutæ, ceterach an. man. ß. soldanellæ ʒ j. flor. cord. p. j. semin. anisi, carui, dauci ana ʒ j. ß. vuar. passul. enucleat. ℥ ß. liquir. rasæ ʒ ij. coquantur in aqua communi & vino Rhenens. & in ℥ v. huius decoct. infunde per noctem, facta prius leui ebull. folior. senæ absque stipitibus ℥ ß. turbith gummosi ʒ j. ß. rhab. optimi ʒ j. zinzib. squinanthi, spicæ, cinamomi an. ℈ ß. mane fortiss. express. adde diacarthami in tabul. ʒ ij. syrup. de eupatorio ℥ j. misce, fiat haustus breuis.* detur 10. mane in diluculo. Euomuit hanc potionem, quanquam adhuc ter plurima aquosa deposuerit. Rursus vtebatur tabulis roborantibus suprascriptis. Interea dum aliquando redirem, & cum remediis vix vteretur, ac tædio præsidiorum afficeretur, & semper in peius postea procederet, vt vix ambulare posset, Heuterus eius maritus nobis ostendit literas ab Antuerpia transmissas, de muliere hydropica ab omnibus medicis derelictæ

relicta, hoc modo ab hydrope curata: m j. mediani corticis sambuci abrasi, modo in poculo vno ceruisiæ, modo in vino tantum infundebat, absque decoctione. Quo quidem vino continuo vtebatur. Adhibito quoque vesicatorio, ad rotunditatem palmæ manus, ex fermento, cum 2. cantharid. in parte syluestri cruris. Quib. duobus tantum præsidiis hæc ipsa mulier Antuerpiana curata erat, præter omnium spem. Hæc tamen nullo modo hanc iuuabant. Et a priore potione iam dicta, materia ex lumbis supra pubem prolapsa, non poterat bene reddere lotium. Sed cum puluerem oculorum cancri sumsisset, cum exiguo vino, ad cochlear vnum, cœpit meiere. Postea, cum secũdo sumeret potionem prædictam, cœpit plurimum mingere; ita vt sexies copiosissime minxerit: & deinde ter quotidie aluum deponebat, limosa putrida excernens, sed in minori copia, quasi cum tenesmo. Sed paulo post melius excreuit, semel globulo excrementitio exeunte calculi instar durioris. Ceterum postea mense Martio, cum amplius medicamentis vti nollet, venter semper in maiorem molem excreuit: & quanquam nulla spes superesset, imo ante duos annos prognosticon feceramus apud maritum & amicos, eam ab hoc hydrope ascite morituram; attamen variis remediis, hydropica exsistens, cũ vsa esset, vltra duos annos & tres menses vitam produxit: partibus superioribus, nempe brachii, ita exsiccatis & macilentis, vt corpus cadauerosum & præcipue facies, ante mortem cerneretur, ventre supra modũ prominente, vt rumpi videretur, & femorib. ac cruribus valde crassis & inflatis: & quanquam aqua quotidie ex cruribus efflueret, nihil tamen iuuaminis inde habuit; ita vt tandem 7. die Iunii anno 1580. e vita decesserit. Maritus quoque postea, anno 1582. in autumno eodem malo correptus, vitam misere vsque ad annum 1583. ætatis suæ 57. protrahens, licet aptis adhibitis remediis vtens, tandem interiit in autumno, cum per integrum annum hydrope laborasset.

11.

SCHOLIA.

12.

Pilulæ ex mezereo, etiam descriptionis Mesuæ, licet serosum excrementum valenter purgant, seu aquas, & ob id hydropen iuuant; tamen illæ quibus nos sæpe feliciter vsi sumus, aliter componuntur, *iuxta Donatum ab Altomari*; quarum experientiam sæpius & ipse habuit, (*vt refert cap. de hydrope*) quæ & citra noxam pluries singulis septem vel decem diebus exhiberi poterunt: mirabiliter etenim serosos purgant humores, citra aliquod nocumentum notatu dignum. Conficiuntur autem hoc modo: ℞. *foliorum plantæ, quam communiter seplasiarii mezereon appellant, & propriε eius, quam nuncupat Dioscorides chamælaam*, ℥ ij. vel iij. infundantur per viginti quatuor horas in sufficienti quantitate aceti vini albi, in quo prius mala cydonia fuerint decocta: demum in vmbra exsiccentur; & iterum parato decocto ex pomis dulcibus & acetosis, in eodem aceto vini albi prædicta folia infundantur; & eisdem adiice hieræ picræ simplicis tantundem: & cum succo radicis iridis fiant pastilli, & seruentur: quorum dosis est ʒ j. vel ℈ ij. pro qualibet vice: interim vero ʒ ß. agarici trochiscati, aut rhabar. vigorati & tantundem trochiscorum ex myrobal. chebulis adiicere poteris, eisdem namque catapotiis, Deum testor (*inquit idem Donatus*) me nonnullos hac specie (*nempe ascite*) aquæ inter cutem laborantes, sæpius per interualla eis exhibitis, perfecte curasse. Nec etiam parum conferunt pro curatione aliarum aquæ inter cutem specierum, vbi eadem purgatione indigeant: quemadmodum hoc in anno 1557. obseruauimus, in Illustrissimo Petro Antonio Sanseuerino, Pisignani Principe; qui cum ascite simul atque anasarca laboraret, adeo vt fere a cunctis pro deplorato haberetur, vbi ter aut quater dicta catapotia per interualla deuorauit, liber euasit: testes sunt nonnulli cum medici, tum magnates, qui ipsum aqua inter cutem laborantem, ac demum absolutum, & liberatum inspexerunt: quanquam non exiguam etiam huic opem tulerit sudatorium Trituli hodie vocatum, cuius supra meminimus. Ceterum quia hic ab hæmorrhoidibus restrictis & liene obstructo hydrops inceperat, hæmorrhoides primo aperuimus cum pilulis ex aloe: deinde pilulis de mesereo cum vsa bis esset, apertæ fuerunt hæmorrhoides: alioqui vsus fuissem illo remedio, quo frater Domini de Sprang in Haga-Comitis vsus fuit, cum hæmorrhoides restrictas haberet: detergebat enim anum cum foliis ficuum: & aperiebantur. Hoc remedium describitur a Leonello cap. proprio: *Medicamen, inquit, rumpens hæmorrhoidas*: Accipe folia ficuum, tempore quo habentur; & fricentur primo illa folia supra linguam, quousque exeat lac: & postquam sic fuerint præparata, tunc cum eis fricentur hæmorrhoides; scilicet loca hæmorrhoidum: rumpuntur enim cum facilitate. Plura apud eundem egregia habes de curatione hæmorrhoidum. Sed de his suo loco. Verũ cum hic hydrops quoque originem haberet a vitio lienis, propterea etiam quędam peculiaria eligebamus lieni cõferentia, tam in decoctis, quam in purgationibus: & etiam in iis, quæ extrinsecus admouebantur: ita vti tamaricis decoctum in vino probatur, sic & ceterach, rad. capp. & scolopendrium adiecimus, *vt agnum castum*, cum alia, & radic. ebuli, cum sola radix ebuli ac cort. sambuci ex vino decocta tam lieni quam hydropi conueniant. Extrinsecus mõdo emplastrum de meliloto, modo ammoniacum dissolutum in aceto, cum puluere ceterach & aliis lienem respicientibus, lieni imposuimus. Et quia hæc matrona melancholica erat, eo quod diu extra patriam ob bellum Traiecti agebat, etiã multis amissis bonis, diu laborauerat lienis duritie; quæ magis confirmata, subsequente ascite minus curari potuit. Quod & marito eius diu melancholico, ob eandem caussam etiam euenit, qui simili hydrope interiit.

Pilulæ propriæ & expertæ.

13.

14.

OBSERVATIO XL.

De ascite ab ictero originem habente.

1.

IDa, vxor illius Petri Cornelii ceruisiarii, in cuius cupis tres Glandes quercuum pro insigni

erant, mulier quidem crassa & obesa, anno 1580. sub finem Februarii, cum in dolorem dorsi versus hypochondrium dextrum incidisset, & ventositatem esse putaret; qui magis magisque intendebatur: decoctum florum chamomillæ in ceruisia sumsit. Sed eo dolore minime cessante, multa biliosa euomuit. Tertio die tota crocea euasit, vt ex obstructione hepatis tum vesicæ fellis, dolor ille originem haberet, excremẽtis tum albis tum durioribus exsistẽtibus. Cum vero & hæc aluum difficulter solubilem semper haberet, quod alias in illa experti eramus, ischiade aliquando laborante, *vt suo loco dicturi sumus*; cumque dolor hic non solum dorsum, sed & ventrem totum nec non & hypochondrium dextrum occuparet; statim apozema sequens præscripsimus, ad eam acciti 29.

2.

Februar. ℞. *folior. maluæ man. ij. parietariæ, absinthii communis an. man.* ß. *flor. chamomill. flor. cord. an. p. j. semin. anisi, fœniculi, carui ana* ℥ j. ß. *prun. damasc. num. ix. vuar. passul. enucleat.* ℥ j. *liqu. ras.* ʒ ij. *folior. senæ* ʒ vij. *agarici leuis fœmin. rhab. selecti ana* ʒ j. *schœnanthi, zinzib. albi ana* ℈ ß. *polypod. querc.* ℥ ß. *sem. carui* ʒ j. *fiat decoct. in aqua communi*: & huius fortis expressionis accipe ℥ iij. *syrup. ex succo ros. solut. & ex infus. ana* ℥ ß. *misce, fiat haustus.* Altera dosis maneat in infus. Euomuit, & vix retinuit. Et cum non solueret, glande acuta iniecta squibalas tantum eiecit. Et cum clysterem non admitteret, 3. Martii hoc sequens præscriptum est: ℞. *rad. cichor. dentis leonis ana* ℥ ß. *capill. vener. polytrichi, fumariæ, folior. viol. an. man. j.* (aderat enim & calor in hepate, cum obstructione) *marrubii m.* ß. *flor. cordial. p. j. sem. anisi, fœniculi, dauci an.* ʒ j. *sem. carthami* ʒ ij. ß. *sem. melon.* ʒ ß. *prun. damasc. num. ix. passul. enucl.* ℥ ß. *folior. senæ, absque stipitibus* ℥ j. *polypodii querc.* ℥ ß. *rhabarb. selecti* ʒ j. ß. *squinanthi* ℈ ß. *fiat omnium decoct. in aqua communi, huius fortiss. express. accipe* ℥ iij. *pro* ℥ *viij. addendo syrup. de succo rosar. de absinth.* (vt potio minus dulcis esset: nam ipsa metuebat vteri suffocationem, in quam leui ex caussa vel dulcedine incidebat) *an.* ℥ ß. *fiat haustus breuis*: altera dosis maneat in infus. Rursus euomuit; & a meridie

3.

tantum vnam sedem habuit, albam, duram, & non liquidam, dolore semper augescente. Ob quam caussam & venã aperuissem: sed quia menses fluebant satis copiose, absque tamen alleuiatione, a venæ sectione abstinui: & licet ex glande nihil excreuerit, tamen icteritia in lotio apparere cœpit, eratq; lotium crassum, citrinũ. Cum & alteram dosin etiam euomeret, sexto Martii die hãc purgationem accepit: ℞. *elect. de succo ros.* ʒ vj. vix per horam retinuit, & multa biliosa cum angustia euomuit. Et glande nihil quam squibalam vnam deposuit: & cum dolor sub noctem magis intenderetur, tandem clysma sequens admisit: ℞. *rad. althææ mund.* ℥ j. *mercurial. betæ, maluæ, viol. flor. chamomil. meliloti ana m. j. marrubii m.* ß. *prun. damasc. num. xiij. vuar. passul. enucl.* ℥ j. *semin. anisi, fœniculi, carui an.* ʒ j. ß. *sem. lini* ʒ ij. coquantur in aqua communi, *pro* ℔ *1.* colaturæ adde cassiæ pro clysteribus ℥ j. *benedictæ laxa.* ℥ ß. *diacathol.* ʒ ij. *olei chamom. amygdal. dulc. anethini an.* ℥ j. *vitellum vnius oui, salis gemmæ* ʒ j. *salis communis* ʒ ß. *misce, fiat clyster.* non bene recepit: & vix totum intrauit; & non habuit inde secessum. Altero mane, ægre tamen, rursum admisit clysterem: & imposuimus benedictæ laxat. *cass. an.* ℥ j *diacatholici* ℥ ß. ex quo habuit sedem satis magnam, sed non liquidam, at albam & duram. Et menses adhuc copiose flue-

4.

bant 7. Martii hæc præscripta fuere: ℞. *rad. fœnic. petrosel. cichorii, dentis leonis an.* ℥ ß. *marrubii, capill. vener. polytr. agrimon. cuscutæ, dentis leonis ana m. j. flor. cord. p j. semin. anisi, fœnicul. ana* ℥ j. ß. *sem. end.* ʒ j. *prun. damasc. num. xiij. vuar. pass. ab arill. repurg.* ℥ j. *liquir. rasæ* ʒ ij. *folior. senæ absque stipitibus* ℥ j. ß. *polypod. querc.* ℥ ß. *rhabarb. selecti* ʒ ij. *schœnanthi* ℈. ß. *bulliant in aqua communi, pro* ℥ *ix. & fortiss. expres. adde syrup. de byzantiis, syrup. ex succo ros. solut. an.* ℥ j. ß. *misce*, fiat apozema pro iij. dosibus matutinis. Cum vnam sumsisset, denuo euomuit; quanquam ex illa habuerit vnum secessum: & postea multa & plurima biliosa per vrinam excreuit. Menses debito ordine fluentes, postea substiterunt. Verum, quia dolor in hypochondrio dextro permanebat circa stomachum, hoc fotu vsi sumus: ℞. *rad. althææ* ℥ j. ß. *fol. maluæ, viol. flor. chamomil. meliloti ana man. j flor. ros. rub. p. j. summitatum absinthii p. j. semin. maluæ.* ʒ j. ß. *coquantur in aqua communi, pro* ℔ *1.* ß. *expreſsioni adde aceti ros.* ℥ ij. *aquæ ros.* ʒ ß. *specier. diarrhod. abb.* ℈ j. ß. fiat fotus

5.

cum spongia. Cum parum iuuaret, & menses nunc non fluerent, venam iecorariam in brachio dextro incidere fecimus, sanguine moderate extracto: & sensit leuamen. At postea adhuc dolore circa præcordia hærente, alteram dosin decoct. vltimo præscriptæ exhibuimus: sed vix per horam retinuit. Ideo glande acuta imposita secessum habuit; & die subsequente per se excrementa deiecit, licet adhuc alba, & minus liquida. 14. Martii his tabulis vtebatur, pro dolore & ventositatibus circa præcordia hærentibus: ℞ *specier. diacumini, diacurcumæ an.* ℈ j. *specier. diarrhod. abb. trionsant. dialaccæ ana* ℈ ß. *dissolutis in aqua flor. chamomill. adiect. zacch. albiss. q. suf. fiat confectio in tabul.* Tertiam dosin decoct. cum sumsisset, bene excreuit, & dolor cessauit, cum semper plurima crassa & valde citrina mingeret. Interea hoc globulo in ceruisia, qua quotidie vtebatur pro potu, pendente expressoque vtens conualuit: ℞. *marrubii exsiccati m.* ß. *rhab. selecti* ʒ ß. *croci orientalis gr. vij. schœnanthi gr. ij. fiat globulus seu puppa.* Verum cum hæc conualuisset, ad colorem citrinum per totum corpus permanentem depulsandum, varia muliercularum consilia huic mulieri proposita erant: vti lac cum semine cannabis, croci paululo adiecto: verum illud vulgare remedium mihi non arridebat, cum Diosc. referat *libr. 3. cap. 141.* quod semen huius in cibo largius sumtum genituram exstinguat, & ex Gal. 1. *de aliment. facult.* concoctu difficile sit, ac stomacho & capiti noceat, & praui sit

6.

succi. Ideo, iuxta Matthiolum commen. *in 3. Diosc. libr. cap. 188.* grauiter errant mulieres Italicæ, cum pueris comitiali morbo laborãtibus cannabis seminis decoctum exhibeant; quo tantum abest,

vt morbum curent, vt etiam augẽdi occasionem præbeant. Secundũ erat aliud vulgare remedium radix vrticæ decocta in ceruisia, qua & plurimi sanati dicebantur: licet Matth. *in lib. 4. Dios. c. 89. & Gal. 6. de simpl.* tantum folia & semina in vsu esse scribunt. Tertium empiricum erat radix chelidoniæ, etiam in ceruisia decocta: quæ magis mihi placebat, *ex Dios. lib. 2. c. 176.* cum dicat, *quod radix chelidoniæ maioris, cum aniso & vino albo pota, regio morbo medeatur.* & Gal. 7. simpl. *ea vtitur ad morbum regium iecoris, in vino albo cum aniso.* Brabantina quædam mulier, & longo tempora icterica, cũ decocto *rhad. chelidoniæ maioris*, ad aliquot tempus vsa fuisset, aliis tamen medicamentis prægressis, & a me descriptis, ab ictero egregie euasit. Verum

7 hæc altera ægra, de qua nunc loquimur, iterum 28. Martii circa præcordia angustiam quandam sentiebat: quæ his pilulis exhibitis cessauit. ℞ *pilul. aggreg.* ℈ *ij. pilul. de rhab.* ℈ *j. diag. gran. ij. fiant pilulæ vij.* egregie excreuit, cum alleuiatione: & recte habuit. Verum hæc eadem mulier, cum curata esset, & iterum foras prodiret, denuo incidit in febrem, & tunc biliosa euomuit, & biliosa excreuit per se: & cum peregre esset profecta, incidit in maximam debilitatem. Quare ad eam accitus 17. Aprilis, cum omnia medicamenta respueret, ex hac mixtura capiebat. ℞ *conser. folior. acetosæ* ℥ß. *manus Christi cum perlis* ℥ *vj. conseruæ borag.* ℥ *ij syru. de limonibus* ℥ *j. misce.* & febris eam reliquit. Sed non diu post iterum icterus illam inuasit, cum hepatis obstructione. Hoc infuso adhibito denuo conualuit ℞ *marrubii. m. j. bulliat in aqua cichoriũ* ℥ *v. & in hac decoct. infunde folior. senæ Alexand* ℥ *iij. seminis anisi* ℥ *j. rhab selecti* ℥ *j schœnanthi* ℈ß. facta vnica ebull. mane fortiss. express. adde syr. *ex succo ros. solut.* ℥ *j. mis.* habuit quinque secessus, quia tũc

8 erat debilis, & denuo recte conualuit. Sed post vnum aut alterum mensem rursus ictero affecta, ex iecoris obstructione, postea mense Septembri ex illo ictero præcedente in hydropem asciten periculosissimam incidit, adeo, vt pro deplorata haberetur. Atque hoc malo vltra octo menses detenta, mirabiliter tamen per me ab hydrope ascite, cum ventrem in maiorem molem excrescentem haberet, tum crura adeo inflata, præter opinionem curata fuit, iisdem remediis, quibus in Heutera vsi sumus, in decoctis semper adiecto marrubio, eo quod hoc malũ ab ictero & obstructione originẽ traxerat. Sed huic vesicatoria vtriq; cruri in parte syluestri apponere iussimus, sub genu: quæ postea vlcerabantur; & effluxit perpetuo paulatim aqua, vt inde curata fuerit, cum maximo nostro honore, & omnium hominum admiratione, quanquam vlcera illa ita inducta tandem etiam ægre quidem curata fuerint.

SCHOLIA.

9 *Si hydrops coniungatur icteritia vel eam sequatur, quomodo curetur.*

RECte prius diximus, cum de ictero ageremus, in signis prognosticis, quod icteritia diuturna plerumq; hydropem minatur, quæ difficilime curatur, cũ adsit obstructio hepatis simul, verum hepate nondum in scirrhum permutato. Hic hydrops (*ascites inquam*) quamuis periculosissimus, & curatu difficilimus, tamen magna nostra industria fuit curat⁹. Prassium seu marrubium bene olens in hac curatione magnam prærogatiuam habet: quo etiam in decoctis ad hydropem facientibus semper vsi sumus. Vbi enim ab ictero contingat, vel simul icterus cum hydrope coniungatur, Nicolus Florentinus valde commendauit *succum brassi depuratum, cum vino albo, & Zaccharo vel mellie.* exhibet autem stomacho ieiuno, fæcibus prius ab intestinis eductis. Illud idem Gerardus de Solo *super 9. Almanz.* in pauperibus hydropicis dat, sed speciatim valet, quando hydrops cõiungitur cum icteritia, vel eam sequitur. Refert idem Nicolus, duas se curasse mulieres hydropicas, a caussa frigida cum tussi, quarum ventres in maximum molem excreuerant, tum crura ac coxæ, exhibendo eis omni mane ℥ iiij. aqua prassii, & eiusdem aquæ ℥ ij. ante cœnam per horas duas, purgando easdem de quarto in quartum diem cum succo ireos. quæ ita sanatæ sunt.

10

OBSERVATIO XLI.

De muliere ascite laborante, cui pedes seu crura ac fœmora fuerunt scarificata.

POst vniuersalia remedia in hydropicis, crura œdematosa aliquando a veteribus scarificari solebãt. At in Añna, muliere, hospita Delphensi, cum ascite laboraret, & multa illi remedia, per nos, tum alios administrata fuissent, medicus quidam cum in hospitio per vnum aut alterum diem detinebatur, iussit in hunc modum crura tum femora hinc inde verberari & flagellari cum ramusculo viridi aquifolii aculeati (*nostri vulgari lingua appellãt hulst.*) nam ita cute vndiq; mane in diluculo flagellata, vulnerata seu scarificata, aqua e cruribus & fœmoribus stillatim emanabat, & demum crura ita scarificata aqua tepida abluebãtur: deinde folia plantaginis aquaticæ applicabãtur, fasciis lineis circumductis. Flagellabantur autem ita mane, & post meridiem hora quarta, ad 4. dies: ita vt crura tum femora detumescerent mirum in modum, tum venter ipse. Interim bis in die bibebat vinum Pictauiense confectum cum cinere stypium fabarum ac genistæ, quod per sacrum clarificatorium, instar clareti sæpius transfundebatur, quo remedio aliqui dicebantur curati. Quamuis hæc mulier annosa, malo in hepate confirmato, etiam dudũ facto per me prognostico, quod non curaretur, licet primo videbantur remedia iuuare, attamen malo ingrauescente postea cum multis mensibus decubuisset, tandem obiit.

SCHOLIA.

INter topica contra hydropẽ remedia, quæ minime sunt administranda ante vniuersalem curationem & euacuationem, præter emplastra superius dicta, balnea, thermas, euaporationes, etiam sacculos e *macris furfuribus, milio, panico, sale, sulphure*, calidos & ita appositos, tum sacculos ex arena & sabulo vel cineribus calefactis, sæpius appressos, præter cataplasmata alia, *de quibus superius diximus*, & de quibus auctores perlegere poteritis, nonnulli & sinapismis (*vt Hollerius*) & diaspirato ex stercoribus animalium confectis vteban-

tur & perseuerante malo ad phœnigmos ex radice scrophulariæ, ranunculorum, & similia emplastri modo imposita, vel ad vesicatoria perueniebant, & vesicas configebant, & vlcera aperta conseruabant, superimposito folio brassicæ, vncto butyro vel oleo, permittentes aquam effluere ad sexaginta dies. Alii scarificatione vtebantur, *vt Scholio Obser. 33. huius libri diximus.* Aliqui & cauteria ventri inducebant in ambitu vmbilici, & quibus partibus tumor erat. Nam & scarificationes quoque conueniunt: sed si nihil proficerent his remediis, ad extremum præsidium, nempe Paracentesin accedebant: de qua vnum exemplum, temerarie tamen adhibitæ, adferemus.

4

OBSERVATIO XLII.

De paracentesi perperam in ascitico quodam adhibita.

1 IOannes Bokelli, vir 40. annorum, cum ebrius & vino satis oppletus ex mēsa saltasset, vena magna aliqua ei perrupta fuit; vnde in vomitum sanguinis enormem prorumpebat, & copiosissimum sanguinem tam infra quam supra deiecit, ad quē tunc accitus sum. Et licet tunc temporis, præter spem multorum, cum ad desperationem venisset, a me curatus fuerit: postea tamen inordinate viuens, in hydropem asciten incidit; multisq; adhibitis remediis vexatus est a quodam Paracelsista, qui eundem tunc curabat, & sanitatem ei promittebat. Verum postea, eo malum progressum est, vt Paracelsista relicto, alium medicum & chirurgum ac me vocarint. Medicus autem & chirurgus proponebant paracentesin, & ægrotum & assistentes eo perduxerunt, vt illum hoc modo ab hydrope perfecte sanatum iri crederent: idque magnis promissis iactabant, cuius caussa consultatio facta est. 2 Ego vero tunc certas rationes in medium adduxi: nempe quod vires iamdudum ex nimia sanguinis profusione prostratæ essent, & quod inde hepate refrigerato, originem traxerat hydrops, in homine nigro, & extreme macilento, etiam ante hydropem, & nunc tanto magis, cum sese nullo modo erigere posset, in lecto decumbēs, difficultate anhelitus laborans, & quod ideo in syncopen facile incideret: & ob hæc nullo modo paracentesin in hoc ægro conuenire. Hac quidem mea opinione explicata, a curatione excludor, eo quod veritatem protuleram: nam post duos menses, cum eandem paracentesin peregissent, postquam ex profusione larga sanguinis in hydropem incidisset, atque ea vltra semiannum nunc laborasset, aqua subito effluente, altero die (*quod etiam cuidam in aurem dixeram, postquam audieram paracentesin peractam, quod 24. horas non superuiueret*) cum ignominia illorum æger exstinctus est, anno 1579. mense Ianuario.

SCHOLIA.

3 Paracentesis.

DE paracentesi magna olim controuersia, aliis medicis eam omnino reprobantibus, aliis approbantibus. Vtriusque sectæ argumenta colligit Aurelianus *3. Chronicon. cap. de hydrope.* Illos enim deterrebat, quod fere moriuntur omnes, qui puncti fuerint. Hi vero remedium temperabant, neque in omnibus vtebantur, atque ita seruabant aliquos. Tempestiua autem est punctio, priusquam in cachexiam morbus abierit, firmis viribus, corpore iuuenili, si atra bilis hydropem non induxerit, si validus stomachus, si æger non febrit: aut si febrit, remissionis tempore. Ideo diligenter cauent, ne purgentur intestina, cum facultas hepatis est emortua, scirrho, aut splenis tumore, aut cū vlcere pulmonis, aut infirmis viribus, aut ætate senili æger laboret: Hæc omnia prouidenda sunt, priusquam de paracentesi decernas. Alioqui temeraria via, etiam si hæc adsint. Quæ cum hic adessent, nempe in homine extreme macilento, atrabilario, cum ex macie niger esset, tanquam ossa tantum restarent, etiā antequā in sanguinis profusionem inciderat, & facultas hepatis emortua esset, & vires ad extremum deiectæ, ideo temerarie facta fuit in illo paracentesis. 4 Erasistratus apud Celsum *cap. 21. lib 3.* reprobat sectionem hydropicorum, quia semel effusa aqua, & affecto hepate, postea regeneratur. Si tamen priusquam putreat materia, & vires concidant, grauiusque affectum hepar & partes aliæ fuerint, adhibeatur, optime nutrito prius ægro, & confirmato, nihil peccatur. Sed extremum remedium est, & non nisi vrgente necessitate vsurpandum, & cum magna medici prudentia. Ideo demtis iis, de quibus paulo ante diximus, minus est periculi, cum natura sæpe moliatur viam aquæ per vmbilicum, *vt ante ostensum est*: & quibus vulneratus est venter, nisi vulnus ad gracilia intestina penetret, omnes euadunt. Præmonendi tamē semper sunt amici ægrorum, quanto cum periculo remedium tentetur. Tentarique debet, modo illa non adsint, de quib. diximus, vbi aliis remedis nihil profectū est. 5 Longa tamē cautior est scarificatio cutis totius vētris, secundum aliquos, ad aponeurōses musculorum, paruis scissuris, quibus per ventrē serum refundet. Galenus, Paulus, Albucasis, Mesue in ascite pungunt, ad latera vmbilici, qua parte illa vacua & inania sunt, & propemodum excarnes musculi. Alii quidem dextra parte, si lien, sinistra, si hepar in vitio est: alii vero ex eadē parte, qua viscus est, a quo malum primum ortum est. Rondeletius, *vt paulo ante meminimus*, ex vtraq; parte commode posse fieri, & aquam vacuari putat. Si vero intestina in caussa sunt (*vt quidam sentiunt*) pungunt quatuor digitis sub vmbilico, sed paululum reducto phlebotomo in latus. Hippocrates intercutaneos pueros incidit, *in libro de locis in homine.* Aurelianus censensu vterum, in intercute magis, quam ascite paracentesin probauit. 6 In aqua inter cutē Asclepiades quatuor digitis supra talum, tibiam compungit, interiori parte, ea profunditate, qua vena inciditur. Qui locus compunctus si parum aquæ reddit, femora, scrotum, pudenda, si quidem intumuerint, loca etiam supra manum & articulos, incidenda sunt, *ex Leonide & Hippocrate.* Formulam vero punctionis, ex libro 6. Pauli & aliis collige. Hippocrates non solum paracentesin, seu sectionem, sed vstionem etiam probat: puto, vel pulmone affecto, vt in suppuratis, vel

et pare-

vt paretur via scapello: quemadmodum etiam docet Holerius, Hippocratem id præstare in eo libro, cuius initium est, ἢ ἢν τὸ πλεύμον@ ἀρτηρίη: Vbi suppuratos, de qua parte pus se prodit, in dorso & pectore vrit aut secat, alioqui enutritos prius lacte. In hydropicis vero venas in scroto crassissimas secat: paulo post in scroto, femoribus, ac tibiis frequentia vlcuscula scalpello incutit. Deinde quæ parte magis fluctuat aqua, aut tertiam costam ab vltima ad os, ex quo terebra caua τρηπάνῳ τρυπητηρίῳ perforat, donec exeat aliquid aquæ: ex qua linamentum indit e lino crudo, spongiamq; mollem alligat, ne excidat linamentum. Quotidie semel aliquid expurgat, ad dies 12. Decimotertio die reliquum aquæ emittitur: via relinquitur, vt quod super nascitur effluat, venter cibis resiccatur. Si femur & scrotum intumuerint, vulnusculis audacter configito. Sæpe hepate maximo, & prius lacte nutrito ægro, non metallo, sed alia materia, inurit, octo inde crustis factis. Nonnulli id faciendū censent buxeis fusis, feruēti oleo tinctis. Libro *de locis in homine*. Tenuissimis ferramētis circa vmbilicum vrit, ac tantum aquæ quotidie trahit, quantum vires ferant. Hoc semper obseruato, vtendum aut secandum prius, quam pituita corrumpatur, aut viscera grauius lædantur, & vires concidant; deinde vacuationem paulatim, id est, 12. diebus, vt prius faciendam. Galenus paracentesin in hydrope laudat: vstionem, in suppuratis: duplicemq; affert rationem, cur periculosa sit vniuersa vacuatio in hydropicis: exstinctionem, scilicet caloris natiui, simul cum humore effluente spiritu: & pondus visceris, quod cum non amplius sustentatur ab aqua, septū & reliqua thoracis viscera trahit deorsum. Plura sunt apud Albucasin, Aurelianum, Paulum, *lib. 6. cap. 44.* Recentiores tutius progrediuntur. Viam parant cauterio potentiali, deinde actuali. Hinc scalpello perforant, & cannula caua, commodiore, quā linum crudum Hippocratis, sensim educunt aquam. Aculeato scalpello vtuntur, vt minor fiat perforatio, locumq; eligunt, vbi aqua deorsum in imum ventrem tendit, relicto hepate & hypochondriis, in medio musculorum aliquorum epigastrii. Partem materiæ medicamentis purgant, topicis discutiunt, siccante victu absumunt, vires diligenter fouent. Minus metuunt a peritonæo perforato, quam a membrana succingente costas. Diligenter etiam cauent (*vt paulo ante diximus*) ne pungantur intestina.

Observatio XLIII.

De tympanite.

RVsticus quidam Alcmariam accessit, tympanite laborans, vt a me curaretur: cui vēter supra modū intumuerat, vt cōcussus tympani sonū redderet; reliquæ vero corporis partes macilentiores erant. Ideo huic omnia flatulenta inhibuimus, & vt exercitio vteretur quantum posset, & vt famem sitimque sustineret: mirifice enim hæc prosunt, cum curatio præcipua consistit in roborandis partibus, coquentibus, & in offerendo ea, quibus minime flatus exspectantur. Ideo primum talem victum eidem instituimus, panem & obsonia minime flatulenta: & condimenta, quę ad flatuum iuuant discussionem, & cōcoctionem faciunt, cuiusmodi sunt *anisum, cyminum, ligusticum, imperatoria semen.* Potus illi erat tantus, vt non fluctuaret, omnino parcus, quamuis non extreme, vt in aliis. Verum hæc species similiter purgantia medicamenta, & quæ vniuersum corpus emaciant, atque etiam, quæ vrinam ciunt, exigit. Similiter & quæ extenuare & digerere spiritus flatuosos possunt, tum extrinsecus tum intrinsecus adhibere oportet. Etenim verendum non est, in hac aquæ inter cutem differentia, simul cum flatuoso spiritu serosos quosdam humores ac tenues redundare, qui in flatuosum aerem a diminuto calore transmutantur: quinimo vanum est ac intellectu carens, sine vllo humore superfluo laborantem hydropicum vocare, *Celio Aureliano teste.* Hinc quoq; celebriores auctores eisdem purgantibus medicamentis pro eius curatione vtuntur, quæ pro ascitis curatione præcipiuntur, eisdemq; redundantem humorem præparantibus, atque etiam vrinam cientibus: perpetuo tamen prædictis adiiciendo ea, quæ flatum dissipant, vt semen fœniculi, anisi, cumini & ammi: similiter & prædictis antidotis diacuminum, aut dianisum commisceatur. Cum autem hic circa ventriculum & vmbilicum dolores tanquam colici hærerent, cum hoc vitium ex ventriculo fere originem primam habeat, ideo materiam illam crudam prius purgaui cum pilulis aromaticis, & de hiera ex ʒ j. *pilul. de hiera*, quæ materiam minorabant. Deinde hunc syrupum præscripsi. ℞ *syrup. de end. compos. de quinque rad. de eupator. syrup. acetos. compos. an.* ℥ *j. ß. aquæ apii, end. cichorii. ana* ℥ *iij. depuretur & arom. cum specier. diarrhod. abb. cinamomi electi. an.* ʒ *j. pul. diacumini* ʒ *ß. fiat iuleb ad modum clareti. pro quatuor diebus.* Deinde ℞ *pilul. de hiera simpl. rhab. selecti. de agar. an.* ℈ *j. cum aqua agrimon. fiant pilulæ v ij. sumantur circa noctis dimidum.* Postea hoc decoctum sumebat. ℞ *menthæ siccæ, hyssopi, betonicæ, absinthii, folior. sambuci. an. m. j. cichorii, end. agrimoniæ. an. m. ß. flor. chamomil. anthos an. p. j. sem. anisi, carthami. ana* ℥ *ß. sem. apii, petros. an.* ʒ *j. sem. dauci, sem. 4. frig. maior. an.* ʒ *ß. folior. senæ orientalis* ℥ *j ß. agarici albi, semin. rhab. selecti. an.* ʒ *j ß spicæ, schœnanth. zinz. an.* ℈ *j. vuar. passul. ab arill. repurg.* ℥ *j. fiat omnium decoct. in duabus partibus aquæ & vna parte vini, pro* ℥ *ix. colaturæ adde syrup. de byzantiis, de eupatorio. syr. ex infus. ros. an.* ℥ *j. misce.* fiat apozema pro tribus dosibus matutinis. Deinde detur elect. in tabulis, modo diacyminum, modo diacurcumum, & capiat sępe ex hoc puluere ante pastum. ℞ *sem. anisi, fœniculi, carui, cumini in aceto maceratorum. ana.* ℥ *j fiat pul. sumat ex eo* ʒ *ij. per horam ante prandium, & post cœnam duabus horis.* Postea etiam has pilulas ei exhibuit. ℞ *pilul. mezereonis, descr. Mesu* ℈ *ij. trochis. agar.* ℈ *j. cum syr. de byzantiis, fiant pilulæ v. capiat post mediam noctem*; libenter ei dedissem clysterem, modo admisisset, (*nam in hoc malo maxime commendantur clysteres*) in hunc vel similem

modum paratum. ℞ *folior. sambuci, mercurialis, rutæ, origani, pulegii, calaminthæ, furfuris, ana. m. j. flor. chamomillæ p. j. soldanellæ, folior. maluæ an. m. ß. sem. anisi, fœniculi, carui, dauci an. ʒ ij. coquantur in aqua communi, pro ℔. j. colaturæ adde olei rutacei. ℥ iij. benedictæ laxat. ℥ j electuarii de baccis lauri. ʒ j. vitellum unius oui, salis communis. ʒ ij. Zacch. rub. ℥ j. ß. misce, fiat clyster.* Quemadmodũ enim eiusmodi clysteres, ita & glandes egregie auxiliantur, si ex foliis rutæ, cumino, ac caricis exiguoq; sale figurentur. Vel ℞. *mellis despumati q. s. sem. anisi, fœniculi, cumini an. ʒ j agarici, salis gemmæ pul. hieræ ana. ℈ iij. misceantur, & fiant balani.* Reliquos clysteres tum balanos inueniès, quando loquemur de colicis doloribus, qui & hic valde laudantur.

5

Cum autem cum succo ireos, tum aliis, adiecto semper aliquo puluere diacymini, satis purgatus esset, etiam iis, de quibus paulo ante de ascite diximus, extrinsecus quoque adhibuimus vnguenta, emplastra cataplasmata, in hunc vel similem modum parata, & quia circa ventriculum dolebat subinde, apposuimus ceratum stomachicum Galeni: & hypochondria inunximus, tum ventrem, hoc vng. ℞ *olei rutacei, anethini. vngu. Agrippæ. an. ℥ j. ß. succi rutæ absinthii, succi sambuci. ana. ℥ ß. vini optimi ℥ j. coquantur leniter in duplici vase, ad consumtionem succorum, adde seminis apii, petros. cumini. an. ʒ ß. ceræ exiguum, fiat vnguentum,* & tempore inunctionis adde parum vini maluatici, vel, si desit, vini albi.

6

Ventri apponebatur emplastrum de baccis lauri, primo cingulo constricto, vel fascia. Postea & hoc emplastrum, aut ei simile. ℞ *stercoris vaccæ ℔. j. pulueris cymini, & rutæ. an. ℥ j. cum vrina pueri incorporentur.* In processu iubebam, vt adderetur salis vel nitri, vel sulphuris, ℥ ß. His autem tum aliis remediis sæpe repetitis, tandem hic rusticus melius cœpit habere. Sed cum non progrederetur in curatione, iterum venter intumuit: & domum rediens, tandem mortuus est, vti & alius rusticus Scotelianus, etiam tympanite laborans, qui sanationis gratia ad nos venerat: sed cum non diu maneret apud nos, remediis aptis non subleuabatur, curationemq; relinquens idem & tympania mortuus est.

SCHOLIA.

7 *Curatio tympaniæ.*

PLus flatuum in tympanite, & minus aquæ subest, *vt de signis huius mali diximus:* non tamen est sine aqua, ideo iisdẽ fere remediis vtũtur auctores, quæ ad ascitem valere tradunt, adiunctis semper iis, quæ flatus discutiũt. Oportet igitur laxare & aperire mediocriter, & discutere, tam sumtis, quam admotis, præsertim in caussa frigida. Nam in caussa calida, minus calidis vtendum. Et sic, si sine febre adueniat, vel ea exigua, & sola consistat, aliam curam exigit: nempe vt flatus etiam discutiamus, & bonam concoctionem procuremus ventris & intestinorum, cum iis quę partes roborent, & bene concoquantur, & flatus minime gignant. Robur quoque ventri addimus, ex his, quæ supra sunt posita, vnguentis, ceratis, emplastris: quibus & hypochondria comprehendere vtile erit. Quidam hic pilulas aromaticas & sebelianas in principio commendat, *vt Rondeletius* syrupos magistrales, tum opiata, qualia apud illum inuenies.

2

Qui Arabum decreta sequuntur, vitant ea, quæ ventositatem generant: atque iis vtuntur, quæ eandem resoluunt: vitæque, institutum ad calidum & siccum vergendum docẽt. mox intentionem curandi ad materiam coniunctam conuertunt, eam resoluendo: postea ad caussam remotam oculos habent, remouendo malam dispositionem hepatis, & aliorum membrorũ coniunctam caussam abolent solutiuis, non tantum iis, quæ expellunt ventositates, verum etiam, quæ euacuant aquositatem. Incipiunt, *iuxta Auicennæ præceptum,* a leuioribus, *vt hiera in caussa calida, cum aqua apii fœniculi, cichorii, & similibus:* & iis frigida, *cum decocto carminante ex aniso, cymino, & potissimum cum clysteribus carminantibus iam dictis, ex hiera, polypod. oleo rutaceo, sale & similibus.* Ioannes Arculanus singulare remedium asserit, *si in clysteribus adiiciantur elect. de baccis lauri ℥ iij.*

3

Ad resolutionem vero competunt, *diacalaminthæ, diacyminum, dianisum, diagal. & elect. de baccis lauri, & alia, de quibus egimus de dolore ventriculi ex ventositate.* Exterius vero apponunt sacculos, qui flatus discutiunt, *iuxta Rhasen. ex milio, panico, sulphure, sale, cinere calido, vt etiam Nicolus facit.* Alii malunt *lixiuium, vel decoctum ex vino albo flor. chamomill. origan. calaminthæ, & aliis resoluentibus, cum spongia aut vesica impleta, vel panno,* per modum fotus ventri apponere. Nonnulli emplastrum de baccis, quod habetur paratũ, toti ventri imponunt, vel illud, quod ad Aristarchum refertur a Mesue. Interea etiam aliorum membrorum ratio habẽda est, nempe a quo membro præcipue originem trahat, vel num per consensum afficiatur, siue fuerit hepar, lien, vel ventriculus: solet enim tympanites generari modo ex aqua frigida, modo ex vino multa aqua infracto, vel ex aliis inflantibus quę comeduntur, ex quib. incoctio stomachi sequitur, aut iecinoris: sed stomachi (*vt quidam sentiunt*) peculiari malum est, sicut ascitis secundæ digestionis, & hyposarca tertiæ vitium est. Ex ea enim digestione vapor ac ventus ab inualido calido excitatur stomachi, aut intestinorum, in quib. generatur.

4

Ex capite item, ac aliis membris defluit materia, quæ in fumum facile conuertitur ab infirma caliditate iecoris. Incõcoctus a stomacho succus, ab imbecillitate iecoris, in summũ seu ad caput facile ascendit, & iterum defluit. Euenit interdũ in acutis febribus, ex innaturali feruore, cum antequam digeratur a naturali calore, naturali opere inuentum verti necesse sit. Iam etiam tympanites, vt plurimũ inflato lieni euenit: quoniam membrum rarum est, fungosum, humoris inconcocti receptaculum. In ventre eodẽ modo continetur, vt in ascite humor, nec sine aqua is spiritus inuenitur: sub peritonæo enim fumus ille partim in aquam cogitur, partim sub forma fumi remanet derelictus. Ceterum robur ventri addimus, ex his, quæ supra sunt posita de ventriculi imbecillitate, & de eiusdem ventositate. Hepar roboramus cum diarrhod. abb. & diacurcumæ: quæ ad

quæ ad lienem faciunt dicemus lib. sequenti. De vitiis lienis. Quod si ab vtero radix sit inflationis vt sæpe fit, remedia præcipue ipsi fiant, quæ speciatim de vteri inflatione dicturi sumus. In summa, pessis vtemur, *ex gallia muscata, ladano compositis & zibetto:* Vtemur & sessionibus earundem virium, & fotu. Si ex febre fiat, vel ea ipsa adsit, modo febris, modo hydropis rationem habere oportet, *vt scholio Obseru. 35. huius libri abunde ex mente Tralliani & aliorum docuimus.* Sed & illud de hydropis curatione obseruandum, quod sæpe misti sunt affectus, ac miscere curãdi rationes oportet, vt aliquando omnium notæ mistæ apparent: perpetuo tamen alicuius ex his notæ apparent. Ideo Rhases inprimis curationem ponit ascitis, quæ cum affectu calido iungitur: atque exigua quidem adfert remedia, hanc ob caussam, vt arbitror, quod eandem omnino difficilem vel plane desperatam iudicat. Remedia tamẽ vehementia adfert, *vt pilul. de rhabarb nimis fortes ob thymelææ folia & fructum.* Si vero talia signa non sunt, dat pilulas de mezereo dictas, & emplastro vtitur ad vẽtrem: & ea propinat, quæ vrinas mouent. Postremo tympaniam curat victus ratione, & electuaria & emplastra adhibet, & clysteria. Quidam in tympanite vehementia cathartica vitanda esse volunt, quib. venter augetur: aquam tamen, quam vna cum flatu permistam aiunt, per aluum educendã volunt: qui spiritus inde generatur. Et laudant pilulas sagapenas, quæ valde aperiunt, & ad ventositates faciunt, & menses promouent. Quod ad extrinseca remedia attinet, alii sacculos toti ventri apponũt: qualis hic est. ℞ *milii, salis, & furfuris an. m. j sem. anisi apii, fœniculi, dauci, cumini. ana.* ʒ *ij. flor. chamæmeli, meliloti & fœnugr. an.* ʒ *iij. folior. rutæ, lauri, pulegii. an. m. ß.* contundenda contundantur, & fiant sacculi, qui calefacti in latere ignito, vino albo insperso, applicentur, & sæpius iterentur. Præterea etiam cucurbitulas leues crebro toti ventri affigendas esse volunt, *vt Paulus quoque iubet,* mox & cataplasmata, de quibus diximus (*& mox etiam ostendemus in Obseru. sequentibus*) quæ flatus discutiunt, commode apponunt.

OBSERVATIO XLIV.

De intestinis in scrotum prolapsis, cum hydrope.

Rupturam adeo ingentem patiebatur, pauper, intestinis in scrotum prolapsis, fere per menses duos, ita vt nullo modo intestina in locum reduci possent, multis tentatis remediis, iisque diuersis etiam a vulgaribus adhibitis. Purgationibus quoq; variis ad rem non facientibus vsus: adeo vt venter in insignem molem excreuerit, tanquam disrumperetur. Torquebatur autem insigni dolore, non sine febre: inquietus erat, vt nullo modo ob ventris extensionem atque torsionem dormire posset. Tandem æger ad restim deductus aduocat chirurgum. Chirurgus vero me vocat, cum nihil auxilii superesse videretur. Eundem accedens, reperi ventrem tympani modo inflatum, non sine hydrope. Ceterum quicquid sumebat per os, reiiciebat: aluum pluribus diebus non reddiderat. Cum parum spei superesset, sequentem clysterem, vt statim iniicerent, iubeo, qui & in hũc modum 3. die Octobris anno 1594. paratus erat. ℞ *rad. althææ. mund.* ℥ *j. foliorum mercurialis, parietariæ, maluæ, betæ. ana. m. j flor. chamomillæ, meliloti, summitatum anethi. ana. p. j. semin. anisi, fœniculi, carui. an.* ʒ *j. ß. coquantur, ita aqua communi. q. s. huius colaturæ accipe* ℔ *j. adde benedictæ laxat. diaphœnici. an.* ℥ *ß. diacatholici* ʒ *ij. ß. olei chamomill. anethini. an.* ℥ *j. ß. salis communis triti.* ʒ *j. salis gemmæ.* ʒ *ß misce fiat clyster.* Bis ex eo ventrem deposuit, fecibus tantum eductis, & simul multis ventositatibus reiectis. Vnde dolor ventris nonnihil fuit sopitus, ita vt nocte sequẽti melius dormierit. At ventris moles nullo modo detumuit. Die vero sequenti rursus dolor hominem multo grauius torquebat & conficiebat. Quare rursus clyster iniectus est, quamuis eundem nõ retinuerit, & is vltro effluxerit, stercore adhuc retento: Mox alio immisso, quem retinuit, aluum postea mediocriter excreuit, at non copiose. Die quinto Octobris potionem sequentem sumsit. ℞. *Diaphœnici* ℥ *ß. aqua florum chamomillæ, agrimoniæ. ana* ℥ *j mis. fiat potio.* at nihil eduxit, nisi sub vesperam, glande sequenti immissa. ℞ *pul. specier. hieræ picræ* ℈ *j trochis. alhandal.* ℈ *j. ß. salis parum, mellis q. s. fiat suppos.* Interea totum ventrem hoc vnguento inungebat. ℞ *vng. Agrippæ* ℥ *j. ß. succi sambuci* ℥ *ß. ebulliant in duplici vase, ad consumtionem succi, & fiat linimentum.* Sexto Octobris sequens apozema præscripsimus, & simul fotum pro scroto, vt melius intestina reducerentur. ℞ *rad. ebuli, iridis, petros. fœniculi, asparagi. an.* ℥ *j. agrimoniæ, cassutæ, capill. ven. polytrichi, ceterach. ana. m. j. folior. sambuci. m. ß. soldanellæ* ʒ *j ß folior. senæ a stipitibus repurg.* ℥ *j polypodii querc.* ʒ *vj. sem. cartami parum contusi* ℥ *ß. sem. anisi, fœniculi. an.* ʒ *j vuar. pass. mund.* ℥ *j sem. cucumeris melonum. ana* ʒ *j ß. fiat omnium decoctio in aqua communi, pro ix. colatura adde syrup. de eupatorio* ℥ *j. ß. syr. de byzantiis* ℥ *ß. misc. fiat apozema pro iij. dosibus.* Fotus vero hic erat. ℞ *radic. althææ mundatæ* ℥ *j ß. capit. vnum lilii albi. florum chamomillæ, meliloti, maluæ. an. m. j. sem. lini.* ʒ *iij semin. maluæ* ℥ *j ß. fiat decoctum in aqua communi pro* ℔ *ij. pro fotu seu fomento.* Cum duas doses decocti suprascripti accepisset, nihil quicquam excreuit, ac tertia dosi sumta, & simul glande imposita, septimo die Octobris, aluus ita enormiter soluta est, vt prius stercora dura, mox liquida reddiderit, ventositatibus simul emissis, & vt tam magnam copiam aquæ inferiora profuderit, idque continuo, vt tandem venter detumuerit miraculi instar, præter omnium astantium opinionem, cum morti proximus videretur, & intestina in locum deducta fuere, & ita hic homo sepulcro, quasi in vitam reuocatus. Tale erat suppositorium. ℞. *trochis. alhandal. & hyp. pulue. hieræ picræ* ℈ *j salis parum, mellis q. s.* fiat suppositorum tenue oblongius. Fece igitur dura educta, cum iam ter potionem sumsisset, demum venter ita enormiter solutus est. At intestinis reductis in scrotum, imperaui vt subligaculo ferreo continuo vteretur,

ne amplius intestina in scrotum prolaberentur. Aqua ita copiose per secessum effluente, moles ventris in totum subsidit: & curatus est.

Scholia.

IN simili casu, & præcipue in hydrope, longa experientia didici folia sambuci in decoctis eiusmodi adiecta, egregie aquam ducere: quod & ebulus quoque præstat, *teste Dios. lib. 4. cap. 165. Eadem, inquit, vtrisque vis, & vsus exsiccans, aluo detrahens aquam stomacho inutilis. Folia olerum modo coquuntur, ad pituitam bilemque detrahendam, caules teneri in patinis cocti, eadem efficiunt, radix in vino decocta, & in cibis data, hydropicos adiuuat.* Soldanella quidem, seu brassica marina, stomacho inimica, acris, vehementissime aluum mouet in cibo cocta. Coquitur propter acrimoniam cum a pingui carne: flauas enim & hydropicorum aquas & pituitas educit. Copiose apud nos nascitur in Zelandia.

Observatio XLV.

De tympanite, multo tempore perdurante, & tandem mortem inferente.

VXor Petri Theodorici lanionis Delphensis, cũ vltra duos annos tympania laborasset, variisq; remediis tam muliercularum quam empiricorum vteretur, tandem cum nulla præsidia iuuarent, & indies magis venter extuberaret, nostram opem implorauit, nunquid presidii superesset. Ad quam cum intrassem, hæc signa cum aduerterem adesse, sanitatem nolui promittere, sed tantum meam diligentiam, cum malum adeo progressum esset, vt vix aliqua spes in tam magno malo recuperandæ sanitatis adesset. Venter enim in magnam molem excreuerat, vt vix similem casum in vita viderim: erat enim mulier vtcunque procera, & venter ita eminebat, vt disrumpi videretur: cutis ipsius ventris arida plurimum intendebatur: & tympani modo venter manu mea impulsus sonabat: vnde & huic malo (*vt antea ostensum est*) nomen inditum. Cetera membra arefacta, & supra modum extenuata squalebant. Deinde & huic mulieri ructus crebri, & ventris crepitus, qui plurimum videbantur ex parte iuuare, licet venter iis tamen non detumesceret, & iaceti corpus distentum manebat, etiam resupinæ. Ex quibus signis facile cognouimus tympanitem esse, sed iam confirmatam: nam longo tempore hoc malo detenta fuerat, vt malum exstirpari eo minus posset. Verum illa instante tum amicis ipsis, hæc infrascripta remedia præscripsimus: inprimis, cum minime febricitaret, victum attenuantem, ad calidum & siccum mediocriter inclinantem: & vt ab iis abstineret obsoniis, quæ flatulenta essent, aut flatus inferre possent: quem victum ægre ad longum tempus obseruare potuit. 28. Septemb. ann. 1577. ad eam accitus, hoc decoctum descripsi: nam licet spiritus flatuosus superabundaret, non erat tamen absq; aqua, quæ per aluum deducenda erat, ita vt etiam simul ad ventositates expellendas cõduceret. *♃ rad. ireos. ℥ j. corticum rad. fœniculi, petros. apii. an. ℥ ß. agrimoniæ, calaminthææ, cuscutæ, melissæ soldanellæ, ceterach, scolopẽd. vulg. an. m. j. flor. chamomil. p. j. sem. dauci, fœnic. carui, petros. an. ʒ j ß. flo- folior. senæ Alexan. ℥ j ß. turbith. selecti gummosi ʒ ij. ß. sem. cartami parum contusi, polypod. quer. ana. ℥ ß. rhab. select. ʒ j. agar. fœmi. albi leuis ʒ ß. schœnanthi. Zinz. albi, spicæ an. ℈ ß. vuar. passul. enucleat. ℥ j. liquir. rasæ ʒ iij. coquantur in trib. partibus vini Pictauiensis, & vna parte aquæ communis, pro ℔. j. stent infusa per noctem.* mane fortiss. expressioni adde *syr. de eupatorio. ℥ iij. arom. cum ℥ ß. cinamomi electi.* & fiat ad modum clareti, pro iij. dosibus matutinis. quibus multa aquosa reddidit, vna ventositates expellendo, vt venter aliquo modo diminueretur. Postea iteratum fuit decoctum, *impositis ℈ j folior. mezereonis præparatorum.* Interea sumebat omni mane ante cibum. *ʒ ij. vel iij. diacymini.* & fuit hoc modo rursus purgata. *♃ diaphœnici ʒ vij dissolue cum ℥ iiij. decoct. vltimo descripti.* & habuit plus, quam octo sedes valde copiosas, cũ maximo iuuamine. Deinde rursus sumebat ex diacumino. Postea 8. die Octob. ita demum fuit purgata. *♃ diaphœnici ℥ j dissolu. cum ℥ iij. aquæ flor. chamomillæ, addendo syru. de eupatorio, ℥ j. misc. egregie profuit.* 9 Octob. hoc elect. in tabul. præscriptum. *♃. spec. dialaccæ, diacurcumæ spec. diacumini. an. ℈ ij. dissolu. in aqua agrimon. adiect. ℥ iij. Zacch. fiat confectio in tabulis.* dosis omni mane ante cibum & ante cœnam *ʒ iij vel ℥ ß.* 11. Octob. hoc decoctum præscripsimus. *♃. pulegii, sabinæ, ceterach. agrimoniæ, cuscutæ, soldanellæ. an. m. j rad. ireos. ℥ j corticum rad. fœniculi, apii. an. ℥ ß. rad. lappæ ℥ j. ligni sancti, seu hagioxyli ℥ j ß. sem. anisi, dauci, carui, fœniculi. ana. ʒ j. ß. spicæ ʒ j. vuar. passul. enucleat. ℥ j. coquantur in aqua communi. pro ℔. j. colatura arom. cum ʒ iij. ß. cinamomi electi, addendo syrup. de eupatorio ℥ iij.* misce fiat apozema, ad modum clareti. 14. Octob. hæ tabulæ præscriptæ. *♃. specier. diacalaminthæ, diacymini, dialaccæ. ana. ℈ j. diacurcu. diaireos. ana. ℈ ß. dissolutis in aqua flor. chamomill. adiecto Zacch. albiss. q. s. fiat confectio in tabulis.* Rursus præscripto decocto superiori, & exhibito diaphœnicone, cum venter aliquo modo laxaretur, breui rursus in tumorem increscebat. Libentissime clysteres adhibuissem, maxime huic hydropi accommodos, sed noluit admittere: & tandẽ tædio medicamentorũ affecta est, quanquã etiam ventrem inunxerimus vnguento infrascripto. *♃. vnguenti martiati, emplastri de meliloto, olei costini. an. ℥ ß. misce.* Et tale cataplasma toti ventri imponerem, quod constabat ex emplastro de baccis lauri, cum triplo pondere cyperi, etiam adiuncto stercore bouillo q. s. ad formam emplastri, quod toti ventri apponebatur intersutum cerati instar. Postea nulla remedia amplius admittere voluit: & quanquam longo tempore superuixerit, tamen, vt prognosticũ feceram, tandẽ obiit. Sic quoq; ex tympanite, anno 1580. interiit Hadrianus Alovvinus, Delphius ceruisiarius, quũ vna cum Bontio professore apud Lugdunum Batouorum, mortẽ amicis prædixissemus. Quare etiam æger nos reliquit, assumtis duobus Paracelsistis iactatoribus, eidem intra 14. dies sanitatem promittentibus. Atque

que ita idem postea 13. die, magna cum illorum confusione obiit: viris quibusdā cōsularibus hoc tempore dicentibus: Nunc videbimus quid Paracelsistæ præstent, quod Galenistæ præstare non possent. Quibus tamen respondebamus, quod vere viderent ægrum non diu superuicturum. Et ita, breui morte subsequēte, Galenistas, quos prius contemserant, & debito honore fraudauerant, in arte sua versatos esse iudicarunt.

Scholia.

6 Tympanitem omnium specierū periculosissimam esse, communis schola medicorū recte iudicauit: præcipue vbi diu perdurauerit, vti huic mulieri euenerat: quamquam vltra tres annos hoc malo laborarit, antequam ex eo moreretur. Videbatur aliquo modo emplastrum ventri appositum iuuare: sed hoc præsidium, quia erat tædiosum, sicuti & alia omnia, respuebat. Aetius hunc in modum cataplasma componebat. ℞. *stercoris caprini sextantem: tantundemque stercoris bubuli, & columbini, farinæ fabaceæ sesquiunciam, calaminthæ. salis nitri, seminis apii, seminis dauci, sem. fœniculi & cumini, cuiusque vnicam vnam, panis aridi quadrantem, mellis sesquiunciam, therebinthinæ quadrantem: misce, & vtitor.* Alia vide apud auctores. Interim magna ex parte hoc malum lethale est, si diu durauerit: quemadmodum etiam euenit Heinrico Amio Consuli Delphensi, vti nos vna cum Bontio illum tractantes prædixeramus.

Aetius.

Observatio XLVI.

De tympanite ab vtero originem habente, & casu admodum mirabili.

1 Simonis Ioannis, typographi Delphensis, vxor, quæ in foro piscatorio vel prope forum habitabat, post duplicem quartanam, qua per totū autumnum & hyemem laborauerat, & a me curata erat (mulier si quæ altera valde obesa & crassa) bene postea valebat, ac prægnans putabatur: nam & ipsa motum fœtus se sentire dicebat, imo obstetrix illa sagax, & magni nominis hoc tempore apud diuites mulieres Delphenses, cui Salutaris nomen erat, etiam eandem grauidam esse pronuntiabat: quamuis paulo post hæc ipsa de impregnatione dubitauerit. Ingens moles ventrem totum occuparat, saltus maximus aderat, & murmur quoddam instar flatus hinc inde exaudiebatur aliquādo: atq; mulier hæc ipsa quotidie magis magisq; obesa & crassa euadebat, quamuis propria natura, *vt paulo ante diximus*, valde corpulenta esset: tamen in immensum & enormē tumorē venter excreuit. Verū tempus impregnationis & pariendi cum pteriisset (*decimum enim mensem iam excesserat, quod se grauidam & partū in vtero sese habere crederet*) tandē & hæc ipsa inordinate febricitauit; ita vt ad eam accedens, cū ventrem adeo tumidū, vt rumpi videretur, cernerē, eumque durū & tympani modo sonū reddentem animaduerterē, si percuteretur: &, quod mirum alicui esse poterit, euidens saltus nō solū sentiebatur, sed etiam oculis spectabatur, vt etiam in lecto iacenti tegumenta eleuarentur: & id magis in imo ventre, cum murmure quodā ac rugitu audiebatur, equidem nil aliud erat, quam spiritus flatuosus, qui sursum ascendebat, ac cor premebat. Ego molā ventosam in vtero esse suspicabar, & vna tympanitē adesse, cū totus venter intumesceret tympani modo, nō sine tamē materia aliqua aquosa, vel potius flatulenta, cum putredine quadā instar molę, quæ vterū primo occupauerat, mox totū ventrē, & tandē hepati quoque læsionem inferebat. Nam hoc tēpore, cum eandem accessissem, vndecim menses pterierāt, quod menstruæ consuetæ euacuationes non fluxerant neque apertæ fuerāt. Tunc denuo per me accersita obstetrice, iussi vt os vteri tangeret, atque tentaret num durū esset: ea aūt respondebat, nec durū esse; & quoq; affirmabat se dubitare, quod grauida non foret, quamq̄ illud prius affirmauerat. Cum venter vndique in tantā molē excreuisset, vt maiorem in vita nūquam viderim, & multo maiorem, quam in præcedente, in vrbe inter plebeias mulierculas varia de hac muliere opinio subsequuta est: vna referente, quod monstrum pareret: alia vero, quod arbor in ventre excresceret. Deliræ mulierculæ, vt solent, eiusmodi somniabant. Ceterum, quamquā venter durus erat, si tamen fortiter tractaretur, non solum ex tactu validiore manus, vēter tremebat, sed & omnia viscera ita mouebantur, vt non solum venter aliquādo videretur attolli, sed operimenta ipsius lecti (*vt paulo ante diximus*) imo & lectus ipse, in quo decumbebat: & erat talis saltus in corpore, ex spiritu flatuoso (*vt opinabar*) irruente, tam enormi, vt simile quid in vita non spectauerim. Verum, vt paucis rem ipsam absoluam, cum hæc omnia a mola ventosa fieri iudicarem: vel a ventositate instar tympaniæ, ita vt in siccam hydropis speciem confirmatam incideret; tandem medicamenta oportune adhibita meam opinionem postea confirmarunt, ita vt ab iisdem præsidiis pristinam sanitatem, omnibus admirantibus, recuperauerit. Præscripsi multa carminantia in decoctis, quibus quotidie vtebatur: toto corpore prius euacuato. Præcipue & hoc sequens. ℞. *sem. anisi, fœniculi, carui, ammi, cumini, an.* ℥ ij *sem. anethi* ℥ j. ß *bulliant in aqua artemisiæ: cuius colaturæ accipe* ℥ viij. *addendo syr. de artemis.* ℥ ij. *misce pro duabus dosibus.* Continuo quoque pro potu quotidiano vtebatur ceruisia communi, *in qua flores chamomillæ decocti erant*; quę ceruisia adeo profuit, vt admirari satis non potuerimus. Eam quoque per interualla etiam prius, antequam supradicta sumeret, purgauimus cum *decocto simili carminante & purgante; adiectis foliis senæ, subinde cum diaphœnico.* Ventrem autem primo inungi mandauimus *oleo chamæmelino, & anethino*: postea & circa pubem etiam oleis & vnguentis calidioribus, postquam a purgatione paulatim & febris illa inordinata cessasset. Postremo ad vteri apertionem dedimus puluerem dominarum, *scilicet* ʒ j *cum* ℥ ij. *aquæ artemisiæ. &* ℥ j *syrupi artemisiæ.* Illis remediis sępe iteratis, menses aperti sunt, & fluxere. Deinde

2 3 4 5

tabulis infrascriptis cum perpetuo fere vteretur, miraculi instar venter paulatim detumuit, multasque ventositates per ructus plurimos superius emisit, etiam inferius per ventrem: etiam bombis, quod dictu mirum videtur, ex vtero emissis, qui vna cum murmure ac strepitu erumpebant. Et cum menses aperti fuerunt, multa putida, & ex parte corrupta excreuit; etiam quædam aquosa; idque longo tempore. Tabulæ vero confectæ, tales erant. ℞ *specier. diacymini, diacurcumæ, specier. aromat. ros. an.* ℥ *j. cum aqua melissæ, adiecto zacharo optimo q. s. fiat confectio in tabulis secundum artem.* Quibus cum vteretur per duos menses, & aliis remediis supradictis sæpe repetitis, præter opinionem omnium, magna cum nostra laude euasit; & adhuc sana viuit, etiam hoc tēpore cum plusquam viginti quatuor anni præterlapsi sunt, cum hæc denuo recolligerem, nempe anno 1592. mense Iunio.

SCHOLIA.

6 Siue fuerit mola vētosa matricis, siue tympanites, vt ventositate ab vtero ob mēses restrictos originem habens, eandē curationem requirebāt: nempe pręter vniuersalem curationē, carminantia, quæ etiam conueniunt in colico ventoso per interius & exterius administrata: in potu n. conferunt calida subtiliantia: & postea etiam emplastra, q̄ simul emolliunt, & menses educunt. Quod si in principio fuissem accitus, cum menses detinebantur, aperuissem venam in talo, nēpe saphenam. Sed potius aliis remediis vsus sum, q̄ad mensium retentionem faciebant: cum & balnea hic conferant, ab vmbilico infra, in qua decoct. *maluæ, althææ, fœnugræci, rutæ sauinæ, iuniperi, menthastri, nasturtii,* & ante introitū balnei, per duas horas, exhibeatur ℥ j *trochisc. de myrrha.* nobis satis fuit *pul. dominarum, cum vino albo veteri etiam exhibitus,* postquam eum dedissemus cum aqua artemisiæ, & syrup. artemisiæ. 7 Et licet mola carnea difficilioris sit curationis, quam ventosa, veruntamen inflatio si perduret, curam nō recipit, cum sæpe remaneat per totam vitam, & si malitia illius ad vltimum progrediatur, hydropē, nempe timorosum tympanitem inducit: vti hic euenit: tamen fuit optime curata, etiam a tympanite, nondum tamen cōfirmata, vt aliæ tympanitę, de quib. paulo ante diximus. Et ita absoluimus omnes species & differentias aquæ inter cutem: & quibus modis vnaquæque species curetur: q̄ & exemplis nonnullis ostendimus. Atque ita affectib. iecoris absolutis, hunc librum finiamus, & a Lienis vitia, morbos & affectus transeamus.

Finis Libri XIX.

LIBER VIGESIMVS, DE LIENIS MORBIS, VITIIS AC AFFECTIBVS.

OBSERVATIO I.

De quodam splenetico seu lienoso.



1 IR admodum niger, hirsutus melancholicus, subtristis, a quartana lienē durū habebat grauitatēque in parte sinistra quandam percipiebat: sitis eidem vehementior aderat, ac oris siccitas: cui accessit anhelitus difficultas: postea & circumscriptus tumor in hypochondrio sinistro apparuit, & valde durus, ex humore melancholico: mox & pedum inflatio, atq; etiam pudendorū circumspiciebatur, colorque plumbeus: cui & decubitus in sinistrum latus grauis quoq; dolor ad iuiulū sinistrum vsq; tendebat: noctuq; sudor grauis apparebat, & anima fœtebat, ac pudenda turgebant: sanguis huic etiā, vt in scurbuttis, ex gingiuis erumpebat, vt etiam gingiuę dentesque magis corrumperētur in sinistra parte: & venę ad lienem nigricabant, cum cute squalidiore, vlceraque maligna in tibiis, & potissimū in sinistra tibia, nascebantur, & cicatrices nigræ in cruribus fiebant,) *Imo aliquos tales nouimus, in quibus ob eandem caussam pediculi in corpore scatebant.*) 2 Hunc autem lienosū, splenicū, vel spleneticum iudicauimus: nam horum aliqua vel omnia splenicos ostendunt. Post bolum exhibitum, *ex cassia & catholico an.* ℥ ß. *pul. ceterach & cinnamomi electi, an.* ℈ j. *zacch. asperso*: altero die venam saluatellam in manu sinistra secari iussi, mediocriter nigro educto sanguine. A sanguinis detractione hoc decoctum vel simile præscriptum: ℞. *rad. petros. cichor. fœnic. apii, macera. in aceto, an.* ℥ ß. *ort. rad. cappar. thamarisci, an.* ℥ j. *ceterach. capil. ven. an. m. j. cochlear. m.* ß *flor. rorism. hyper. genistæ, an. p. j. sem. agni casti, end. scariol. portul. acetosæ, sem. frig. maio. an.* ℥ ß. *rad. salicis, fraxini, genistæ, an.* ℥ j. Hæc n. omnia iam dicta peculiariter conueniunt lieni: præter ea quæ de oppilatione hepatis conscripsimus: & in liene abstinendum ab iis, quæ nimium calefaciunt, nisi frigidis temperetur: ideo sem. frig. incidentibus addenda) *polypodii querc.* ℥ j. *fiat decoct. in aqua com. pro* ℔ j ß. *colat. addendo syr. acetos. simp. capill. ven. de duabus & quinq; rad. de fumo terræ, de scolopend. an.* ℥ ß. *misce, pro apozemate.* 3 Deinde eundem purgaui sępius *cum decocto epithymi. foliis senæ, adiecta confectione hamech.* Frequens vsus huic erat *capparum, asparagorum, & caulium cinaræ, & crethami marini maria conditi, & capparum ex sem. genistæ.* Quidam & hic cōmendant *lienem bouis crematum in vase testaceo ad* ℥ j. *cum oxymelite exhibitum, aut potionibus inspersum.* Post purgationem commode exhibui decoctum *bekabungæ & cochleariæ, cum syrup. sceletyrbico nostro, ex succo earundem herbarum cum Zacchar. parato* (cuius vsum nos primo inuenimus) *in sero lactis*: ex cuius continuo vsu melius habere cæpit: liene quoque inuncto hoc linimento. ℞. *olei de capparibus* ℥ j. *medullæ vituli, pinguedinis anatis, ammoniaci in aceto dissoluti, an.* ℥ ij. *aceti exiguum, ceræ q. s. fiat vnguentum.* Deinde imposito emplastro de melliloto, & emplastro de ammoniaco simul permixtis, recte habuit: & vlcera remediis intus sumtis, sæpeque iteratis, facile sunt consolidata.

SCHOLIA.

4 Lienis naturam, & eius vsum, in præfatione huius libri expoluimus, & in libro nostro *de Vrinarum incerto indicio.* Est. n. atræ bilis sedes, & me-

& melancholici humori repurgatorium. Vbi autem lien inefficax efficitur, & lutosum a se sanguinem nequit expellere: tunc turget supra modum: vnde lienici vel splenitici dicuntur: vel si attrahere non possit, cachexia subsequitur: facile enim lien quoq; inflatur, incluso vento, aut sensim atro sanguine crasso intus constipato vnde obstructio: facile quoq; obstruitur & induratur: subinde & inflãmatur, sed rarius, & in abscessum permutatur. Dolorib. quoque afficitur, modo ex calida caussa, vt phlegmone, quod rarius est: modo ex flatibus, quod frequentius: flatus autem hi aliquando soli sunt, aliquando vero adiunctum habent superfluum humorẽ frigidũ, id est, qui vinci a calore non possit. Sine dolore vero, vel exiguo: scirrhosis tumoribus prehenditur. Etiã nuda intemperie affligitur, *vt Aetius docuit, lib. 10. cap. 7. ex Philagrio*: Potissimum vero frigidam & humidam sustinet. In frigida, omnis cibus & potus efficaciter refrigerans splenẽ lædit; constitutio aeris frigida tum alia præcedunt, & aqua frigida admota, vel lotiones frigidæ frigidam arguunt splenis intemperiẽ. Frigiditatem quoque ostẽdunt, cibi tædium, intestinorum murmura, quæ in ructus acetosos commouentur, eamque intemperiẽ omnia calida consolãtur. Si intemperies calida, solatio eis sunt omnia refrigerantia: sitis adest, lingua arida, flauus corporis color: adest inflammatio in parte sinistra: ita concitata dolent. In sicca, omnia arida nocent, vel deuorata, & aquæ marinæ p̃cedentes, aluminosæ & sulphurulentę & pharmaca exsiccãtia. In humida splen increscit, vt ad ventrẽ pertingat ac hepar. Calida citra tumorem simplicissimis pharmacis, ac fomentis & irrigationib. corrigitur, *ex rosaceo, melino, & ceratis refrigerantibus*: frigida calidis, *vt vng. nardino, cyprino, decocto pulegii, scordii, &c.* tum aliis medicamentis apud Aetium positis. In humida adhibet salis florem. Reliqua vide apud eundem *cap. 7. & 8. ser. 10.* & apud Benedictũ Veronensem *lib. 17. de lienis affect. cap. 2. vsque ad cap. 8.* in quib. non solum explicatur intemperies nuda, sed & cum materia, & quibus modis curentur: & præcipue *lib. 8. cap. 10. apud Alexand. Trallianum*: in quo cap. expresse de omnibus affectib. lienis agit. Ceterum, cum exemplum cuiusdam a vitio lienis curati adferat cõpendiose Beniuenius *cap. 105.* a nostro iam dicto parum differens, his adiungere nobis visum est: *Lienis* (inquit) *vitio afficiuntur quam plurimi: horum sinistra pars tumens ac durior prementi renititur.* Quod si diu perseuerat (*nam interdum perpetuum id malum est*) tumescunt crura; & si vlcera præterea innascuntur, vix sanescunt; Multos nos tali vitio affectos curauimus: inter quos vnum, quem cum septennio hoc morbo vexatus, frustra multa consilia, ac pene infinita p̃sidia expertus fuisset, solo tandem cappari, qui tali ægritudini aptissimus cibus est, solaq; vi aquæ, in qua faber ferrarius sæpe candens ferrum exstinguit, annua potione liberauimus: tanta scilicet in eiusmodi aqua contra hoc vitium inest vis atque virtus. Vnde & compertum est, animalia, q̃ apud fabros educantur, per quam exiguos habere lienes. Ceterum cum & illi lienici dicantur, in quibus vires ipsius lienis quędam aut omnes vitiantur: inde & lienicus, quis fieri dicitur: sicuti stomachici & hepatici dicebantur communi nuncupatione: proprie tamen quidam eos sic appellans, ex Galeno, quibus durus lien est.

Affectus lienis.

5 Ex sola intemperie.

6

Observatio II.

De lienis obstructione cum tumore eiusdem.

MElancholicus humor si non expurgatur, facile crassescit, ac obstructionẽ venarum, & arteriarum gignit: tunc quidẽ sola grauitas hypochondrii sinistri, interdum & lienis dolor ægrum exercet. Verum excedens, non tantum venas, sed & lienem vniuersum implet atque distendit: dissipataque tenui illi⁹ portione, crassior subsidet, & lien totus obstruitur: & quia lien substantia rarus atque laxus, leui occasione distẽdi potest, quumq; sanguinis feci excipiẽdę destinatus sit, hanc omnemque impuritatem admittit: hac imbutus tumet, multo quidem, quam iecur frequentius: ac plerumque sine scirrho. Quod quidem euenit nobili matronæ, cui Hester nomen erat vxori Guilelmi Sonneueldii, cognati nostri, q̃ cum obstructione lienis, tum leui tumore, non admodum duro laboraret, consultandi caussa, anno 1546. me accessit. Cui consului, *vt inprimis aerem serenum quæreret, & temperatum, curasque omnes ex animo expelleret, deambulationes ante cibum admitteret, somnumque in dextrum latus temperatum: verum vt vitaret ventum septentrionalem austrinumque, crassum & pluuiosum frigidumque, mœrorem & continuatam mœstitiam, somnum quo supra sinistrum latus: talis enim tumidum reddit lienem.* Suasi quoque, *vt a cibariis abstineret, qui ex legumine, milio, panico, & tritico impuro constant: hæc enim damnantur: quemadmodum & oryza, pastilia quæcumque farinacea, placentæ, lens, cicer, faba, ac cicercula pisumque. Inter obsonia, bubula vetus caro, ceruina, suilla, ac hircina, vetusque lepus, anseres, anates, columbi palumbique vetusti, turturesque veteres, & lac omne fere, caseusque vetus, salsus, & ex iis condimenta, ouaque dura ac butyro fricta, piscesque palustres & mollis cutis, sine squamis, duræque carnis, lienicis nocent: sicuti clibano vel craticula inassata, fructusque stiptici, acerbi ac pontici. Castenearum vsus, cydoniorumque offendit. Musta inflant lienem, & quæcumque crassa sunt, ac dulcia turbulentaque, & si quod nimium austerum sit: ita & aqua potus nocet: maxime vero a balneo & labore, magisque gelida vel niue iniecta, omniaque mellita, dulciaria ac Zaccharea, vel in condimentis.* Concessi *auiculas montanas, pullosque gallinaceos, phasianos, perdices, passerculos, & alaudas, cibosque concoctu faciles, attenuantes succumque tenuem generantes: talia enim obstructiones eximunt, ac detergunt. Tum acida ipsa conueniunt, vti & vinum non valde vetus, ac cappares præcipue.* Quod ad medicamenta attinet, hæc infrascripta administrata sunt, ℞ *end. cichor. cum rad. ceterach, capill. ven. cassuta, scolopendria vulgaris, seu linguæ ceruinæ; an. m. j. summitatum lupul. m. ß. corticum rad. cappar. thamarisc. an. ℥ ß se-*

1

2

3

minis agni casti ℥ ij. *sem. anisi, carui, an.* ℥ j. *follicul. senæ* ℥ j. ß. *epithymi* ℥ iij. *vuar. pass. ab arill. repur* ℥ j. *fiat omnium decoctio in aqua com. pro* ℔. j. ß. *adiectis* ℥ iij. *aceti in decoctione, coletur, colat. adde oxymellis simplicis. syrup. de quinq; rad. & de scolopond. an.* ℥ j. *misce.* Deinde secta est vena lienaris, in manu sinistra: quod egregie profuit. Postea denuo purgata est *cum decoct. senæ, ceterach. & epith. & similiter etiam cum confectione hamech, adiect. syrup. de epithymo*, & ceratum ex ℥ j ß. *empl. de melilato, adiecto pul. rad. thamarisc. capp.* ℥ j. *gummi ammoniaci dissoluti in aceto* ℥ iij. *& olei de cappar.* valde exiguum, ad modum cerati lieni impositum est, & pilulæ tres ex ammoniaco aceto dissoluto adhibitæ: & statim post pilulas deglutiendo *oxymel. squillitici* ℥ j ß. Hoc solo vidi præceptorem meum Elideum Bononiæ in nosocomio vitæ curasse quendam spleneticum, tribus annis eo malo detentũ. iussi quoque, *vt vteretur vino decoct. rad. filicis:* quo & idem præceptor meus vti solebat. Idem dedit Amatus *centur. 6. cur. 39.* ad splenis duritiem post vniuersalia remedia, ad 20. dies. minuit enim lienem: vti & fotus aceti acerrimi, in quo lapis pyrites, *marcasita* dictus, candens & ignitus exstinctus fuit: quod acetum spongia vel filtro exceptũ, ad Galeni mentem optimum est remedium. Prius tamen, cum hæc mulier esset pituitosa & alba, inunxit lienem iis, quæ tumorem laxiorem reprimerent, nempe oleo rutaceo, & de capparibus, & nardino: verum postea, cum durior lien videretur, vtebar supradictis, insequendo vestigia præceptoris nostri: vt ℞. *ammoniaci in aceto scyllino dissoluti* ℈ j. *fiant pilulæ iij. supersorbendo oxym. simpl.* ℥ j. ß. *postea* ℈ ij. *&* ℥ ij. ß. *oxymel. scillini supersorbendo.* Vtebatur in nosocomio etiam hoc vnguento & cerato. ℞. *succi bryoniæ, succi cyclaminis, an* ℔ j *dialthææ, ammoniaci in aceto dissoluti, olei de cappar. olei amygd. dul. an.* ℔ ß. *omnia in duplici vase bulliant, & adde ceræ q. s. fiat vnguen.* subinde addebat præceptor meus & hęc sequentia; ℞. *pingued. anseris, muccil. alth. an.* ℥ j. *pul. thamarisci, ceterach. rad. cappar. rad. filicis, an* ℥ j *resinæ colophoniæ* ℥ ij *ceræ, resinæ pini, an. q. s. fiat ceratum.* Commendabat *puluerẽ thamarisci in furno exsiccati cum cinamomo, in cibis*, & in potu dabat *puluerem radicis filicis.* Quibus & hæc nostra matrona vtens egregie se habuit, tum continuo capparum esu cum aceto. Noui vetulam quandã, (*cum viginti annis splenetica fuisset*) tumore lienis durius culo laborantem, solo continuo esu capparum conualuisse.

4

5

SCHOLIA.

6 *Meatus lienis obsessi & obstructi.*

SÆpe autem vena, quã iocinore ad lienem ducit, magna ex parte obstruitur; vel illa, quæ ad os stomachi fertur, exilior, ex crasso humore vel crasso vẽto, vel sanguine ipso crasso diutiꝰ ibidem, vel in splene, retento: ex retentrice robusta, aut expultrice infirma: cum enim eo sanguine alatur, & in membri substantiam cõuertatur, quandoq; ita intus inspissatur, vt in miram crescat magnitudinem. Caussę huius oppilationis multiplices, *viarum angustia, humoris crassities, aut viscositas, vel eius exuberantia.* Fit & ex prægressis caussis, nempe *castaneis, fungis, palmis, ficis, melle, musto, piscibus, aqua palustri, legumine, brassica, pastillibus farinaceis, exercitationibus a cibo, balneisque. mensibus aut humori hoedibus suppressis, ex sanguine melancholico, bile notha, & pituita crassa.*

Caussæ oppilationis.

7 *Signa communia.*

Signa communia habentur *ex sanguine vitioso per vniuersum corpus distributo, ex colore nigro, vlceribus immedicabilibus, grauitate hypochondrii sinistri, duritie, timore, spiritus difficultate, mœstitia, melancholica, turbulentis insomniis, dolore lateris sinistri.* Lienis enim, iuxta Æginetam, os graue olet, gingiuæ putrescunt: neque in cruribus vlcera persanantur, *vt prius dictum est.* At attractricem offendit, si iecoris vena ad lienem fuerit constipata, si vero superior vena ad os stomachi, expultricẽ ledit. Si. n. vis digerendi lædatur, in omnib. partibus oppilatio contingit; ex ea enim compositæ febres, hepatici morbi: nam eo pariter affecto hydrops haud dubie oritur. Aliquãdo adest oppilatio sine febre, & sine tumore: tunc totius corporis grauitas, ac magis in sinistro percipitur latere, nõ sine aliquo dolore. Hic aderat etiam læuis tumor. Ita quoq; si oppilatio orta sit ex febrib. vel si diuturna fuerit, sub sinistris præcordiis apparet durior: tumẽt pedes, ac cutis exulceratur, ac post cibum intenduntur ꝑcordia, sequitur anhelitus difficultas ac tussicula. Ex lienis vero magnitudine corpus macie cõficitur; ꝙ in collo euidentius apparet: ex ea iocinoris habitus corrumpitur, & digestiua ꝑtertim virtus, oppilata vena ad iecur: corporis totius hilaritas & splendor vitiatur, & alia symptomata praua sequũtur. Quæ vero ad os stomachi pertinet si obstruatur, nullũ adest cibi desideriũ, vomũt atram bilẽ, acetosam, summa tellure ebullientẽ ac spumantẽ, aceti acerrimi modo. Vrina sępe sani similis emittitur, qui si aliquando fatigetur, obscurã reddit. Quod si ex aliis humoribus, vt bile, vniuersum corpus calet, etiã si abest febris, oculi & vrinæ per bilem coloratæ aderunt, sitis, cibi fastidiũ, & vigiliæ: & frigida appetunt. Si a pituita, color albus: non sitiunt, nisi salsa pituita fuerit: cibũ fastidiunt, & pocula magis amãt: alioqui vrina crassior & turbidior emittitur, ructusq; cum multa saliua aquosa, facies decolor, aluus humida, sæpe & membra defatigata a cibo. A sanguine, inter appetentiam ciborum & fastidiũ medio modo se habent: reliquis magis languẽt, venę sanguine plenæ sunt, & vrinæ subfuluæ, etsi non parem visceris tumorẽ habent. Sed hic magis cõtingit ex succo melancholico: ita vt fusco colore visantur: quib. subinde aluus sicca exsistit: tenuis aliquãdo vrina conspicitur; sed cum humor ille ad iecur retrogreditur, tum vrina crassior emittitur, sordidior: lien extenditur, grauia membra sentiũtur, atro colore suffusa: & acida eructant, & si ex innaturali melancholia, a cibo maior grauitas, incoctæ ructationes, ventrisq; torsiones, excremẽta spumosa cũ crepitu multo erumpunt, tum alia antedicta adsunt. Si attractrix male habet, coloris decor amittitur, albũ oculi languide fulget. At si facies rubore aliquo suffusa decolor facta fuerit, cum

Functionum offensio.

8 *Oppilatio ex febribus.*

Mala ex magnitudine lienis.

Ex vena ad hepar oppilata.

Ab aliis humorib.

9

cum cibi tædio, ac in liene calor sentiatur: & si vrina spissior ac rutila reddatur, caliditatis notæ sũt. Contra ex frigiditate facies oculiq; obfuscantur, & plumbea facies cernitur; parum appetunt, lien ipse frigidior sentitur: vrina, quæ in summo clara est, in imo turbulenta subsidit. De auguriis lienicorum: Lienicus si dolet (*vt ait Hipp.*) adhuc spes est: nam a parte ægra non sentitur dolor, sed a sana, vt scribit Auerrhoes. Lienicis, si superuenerit dysenteria, in bonum cedere indicauit Hipp. si iudicialiter euenisse cõstat; tum enim paulatim lien residet atque sponte discutitur, alioquin hydrops sequitur perniciosus, nimio frigore corpus occupante; plurimum enim refert an dysentericus ille flor melancholicus fuerit. Clamat idem auctor, perniciosiorem fieri, si diarrhœam diuturnã dysenteria longa sequuta fuerit: & hydrops subinde intercedat, aut lienteria; tum letiferum haberi: si splenticis quoq; profluuium accesserit sanguinis ac sine dolore albescentes vesicas extuleritit, cum cibi tædio, secundo die interitũ augurari. Interea, si ex splenis oppilatione febres fiũt, pessima symptomata generantur ex ea, nisi subito curetur: cũ enim iecur pariter afficiat, hydrops haud dubio oboritur. At catarrho obnoxii raro splenici fiunt: nam materia aquosa fluida duritiẽ nõ efficit: fit enim durior splen ex materia crassa & melancholica: & quo durior, eo periculosior: cum & inueterata durities, *vt postea docebimus*, insanabilis habeatur. Quod ad curationẽ attinet, & victus rationẽ, satis constat ex obseruatione pcedente, quę vitanda, & q̃ conueniant. Quod ad reliqua medicamenta attinet: quæ iocinori subueniunt, eadem ferme lieni medentur: verũ vehementiora cõueniunt, ac asperiora. Sicuti.n. membrum sine metu manu comprehendimus, ita remedia tanquam seruili membro & abiecto imponimus: sine vllaq; æstimatione omnium experimentis expositus est lien: iecur vero medicamentorũ vires reformidat acutas, sicuti aceti acrimoniã: spleni vero cõducit oxyporis additũ. Cauendum est, *ne ab alienis remediis obuio iocinori iniuria non parua fiat*. Licet tamen lien initio facile sanatur: verum si negligitur, ita vt obstruatur, aut indurescat, curationem difficilem facit. Opus igitur est (*teste Galeno*) attenuantibus, nec tamen nimiũ excalfacientib. ne crassior intus humor fiat, ac inexstirpabilis: nã styptica admixta iuuant, qualis est *capparis radix, & aspleniõ*. Tale absinthium iecori exsistit; eadem cum oxymelite sumta, tumorẽ lienis discutiunt: miro modo valet & acetum, in quo decocta sunt. Bibitur eadem quoq; ex vino cocta: & imponitur quoq;: ita & absinthium: portulacæ sem. ℥ ij. *ex aceto sumte, & plantag. acetũ scillinum, & capparis radix in vino pota*. Recte itaq; dixit Rondeletius, *quod tot & tales morbi fiunt in splene, quot & quales in hepate: vt intemperaturæ, inflammationes, tumores duri, obstructiones, & morborum similium symptomata, vt icteri, hydropes*. Quare cum fiant simili modo, etiã simili methodo, & fere eadem materia medica curãtur. In hoc tantum differunt, *quod morbi splenis valentiora medicamenta desiderant, incidentia, non ob substantiam partis* (*est enim tenuis & rara*) *sed ob materiam terrenam & crassam, quam in se continet*. In aperiendo minus vtimur adstringentib. quia pars minus est principalis, & minus sui conseruationẽ indicat: quod de remediis internis velim intelligas. Nam quum ad splenis affectus fortissima remedia instituuntur, ad iecur etiã perueniunt, idq; lædunt nimis fortiter aperiendo, vel dissoluendo. Differunt & in hoc, *quod melancholia in splenis affectib. præcipue expurgatur, bilis in hepatis, in vtriusque vero obstructione, pituita, quoniã magna ex parte facit obstructiones sua crassitie*. Quare eadem medicamenta curabunt intemperiem hepatis & lienis. Inflammatione laborantibus his partibus, in sanguinis missione differunt indicationes, ob situm partis, atq; in topicorum admotione. Nam in hepate admouẽtur in dextra parte circa posteriora, si in gibba sit affectus: ad interiora vero, si in caua: in sinistra & infra nothas costas applicantur splenetica. In curatione obstructionum & icteri sola medicamentorum vehementia differunt. Quare & fortissima ad obstructiones & scirrhos lienis pręscripta, erunt splenetica. Item quę cappares & acetum recipiunt, quæq; minus adstringunt, spleni magis sunt accõmodata. Quare superfluum esset, ea hic repetere. Id tantum annotare hic oportet, *limaturam chalybis, increscentem lienem minuere, vt & aquam fabrorum* (*de qua prius diximus*) *& semen portulacæ; cum ob eius facilem relaxationem intumescit*. Quæ enim constringunt cogendo substantiam raram minuunt. Aliud etiam notandum est, *quod in tumoribus & doloribus splenis flatus discutientia, vt agnus castus, seseli, apii & petros. semina, succus rutæ, multum iuuant. Colon intestinum spleni alligatur & incumbit, quod inflatibus distentum, & agros & medicos sæpe fallit*. Sed hæc nota discernuntur, *quod spleniticus dolor grauis sit: colicus vero distendens, acutus & mobilis: spleniticus in parte vna fixus est, in colico totus venter a flatibus distentus: in splenis vero affectibus, sola pars sinistra*. Sed hæc omnia exemplis particularibus multo clariora euadent, rursus assumto exemplo, *De obstructione lienis*.

[Margin notes: 10 — Prognost. — 11 — Curatio. — Negligentiæ maiorem medici fert lien, quam hepar. — 12 — Morbi lienis magnã similitudinẽ habent cũ morbis hepatis. — & similibus fere modo curantur: nisi quod splenis validiora desideret. — 13 — 14 Quæ lienem minuunt. — Colici a splenico distinctio.]

OBSERVATIO III.

De obstructione lienis.

[Margin: 1]

ISTis diebus quidam cum dolorem fixum in loco lienis, nẽpe parte sinistra, haberet: & valde melancholicus esset, atq; grauitatẽ in liene sentiret, cibisq; melancholicis vsus esset, & mœstitia melãcholica, somniisq; turbulentis vexaretur, homo niger & hirsutus: facile obstructionem in liene esse cognouimus. Cum plenitudo totius corporis adesset, viresque permitterent, & trigesimum annum ageret, tempore autumni, quo melãcholia magis viget: huic post ventris solutionem ex cassia, *nempe* ℥ *j. in bolo, adiecto* ℈ *j. trochisc. de cappari bus*: altero die venam iecorariam vel potius spleneticam, in cubito sinistro secari iussimus, lata venæ diductione, vt sanguis crassior efflueret. Quemadmodum etiam in altero in manu sinistra ex saluatella fecimus, cum in cubito minus appareret. Deinde per triduum hoc decoctum

sumebat. ℞ rad. cappar. ʒ j. quinque rad. commu. aperit. in aceto maceratarũ, an. ʒ ß summitatum tamaricis, hemionitid. ceterach. chamæd. chamæp. buglos. cum rad. summitat. lupul. capill. ven. polytrich. an. m. j. vuar. passul. ab arill. repurgat. ʒ j. sem. portulacæ ʒ j. ß. seminis viticis, fœniculi, anisi, sileris, apii, an. ʒ ij. sem. 4. frig. maior. an. ʒ ß. florum genistæ p. j florum cord. m ß follicul. senæ ʒ j. ß. polypod. querc. ʒ vj. coquantur in aqua chalybeata (lienis enim duritiem dirimit) q. s. scilicet pro ʒ ix. colaturæ adde syr. de scolopend. de duabus rad. an. ʒ j ß. misce. pro iij dosibus matutinis. Postea purgatus est, in hunc modum. ℞. catholici ʒ vj. confect. hamech ʒ iij syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ, & syr. de scolopend. an. ʒ ß. aquæ fumariæ ʒ iij. misce. Altero die mane sumebat theriacæ veteris ℈ ij. conser. bugloss. ʒ j. dabatur sex horis ante cibum. Deinde rursus assumto decocto suprascripto, purgationẽ sumsit ex pilulis infrascriptis: ℞ pilul. indarum ʒ j cum aqua bugloss. fiant pilulæ vij sumendæ circa noctis dimidium. Interea adhibuimus præsidia corroborantia lienem, eiusque obstructiones tollentia, tam intus quam extra, vt puluerem diacapp. cum vino: & has vel similes tabulas. ℞ pul. specier. diarrhod. abb. ℈ ij diacappar. ʒ ß. sem. portul. sem viticis, pul. rad. filicis. an. ℈ j Zach. q. s. dissoluti in decocto summitarum tamariscis; fiat confectio in rotul. põderantib. ʒ ij. vna sumatur trib. horis ante cibum. Mox & hunc fotum lieni adhibui. ℞ flor. chamæmeli, meliloti, florum genistæ, an p. j. summitatum anethi m. ß. ceterach. rutæ an. m. j. seminis viticis ʒ j. coquantur in aqua: vino albo & aceto æquis portionibus, pro ℔ j ß. atque in hoc decocto madefacta spongia & expressa, regiõ lienis bis terue mane & vesperi ante pastum fouebatur: atque demum exsiccata, hoc vnguento inungebatur. ℞. olei de cappar. lilior. an. ʒ ß. olei rutæ, amygd. dulcium & amar. an. ʒ j. bdellii ammoniaci dissoluti, in aceto, an. ʒ ij. seminis agni casti puluer. ceterach. seminis portul. puluerisat. an. ℈ j croci ℈ ß. aceti & ceræ exiguum, fiat vnguentum. quo inungebatur regio lienis calide, mane & vesperi, mox a fotu: hoc cerato ad linguæ bouis figuram etiam imposito. ℞. emplastri de meliloto, diachyli ireati an. ʒ j. ß. cortic. cappar. ceterach. sicci & puluerisati, an. ʒ ij. seminis viticis, rad. tamaricis. an. ʒ ß. cum oleo lilior. q. s. fingatur ceratum. Quibus hic optime se habuit: vti & iuuenis in parte Orientali, his & similibus curatus est.

SCHOLIA.

IN obstructione lienis circumspiciendum, *num obstructio sit a crassis & frigidis humoribus, sine tumore*; tunc a venę sectione abstinendum: & materia dirigenda *cum decoct. chamæd. ceterach, agrimoniæ, cuscutæ, hyssopi, calaminthæ. rad. irid. cappar. tamarisci, betonicæ, agni casti*, dulcoretur cum zacchar. & acetum adiiciatur vel oxymel & purgetur *cum hiera Ruffi, vel decoct. senæ & polypod. adiecto agarico.* Si materia sit calida, & adsit plenitudo, vena secanda erit, ex saluatella, *vt quidam iubent, iuxta Rhas. etiam ex præcepto Galeni*, vel interna sinistri brachii; de qua re latius agemus *de phlegmone lienis.* Conuenit & sy. acetos. *cum aqua cichorii, scolopend. end.* Et aluus soluenda *cum infuso rhab. & catholic.* & tunc videndum, *num adsit febris*, cuius ratio quoque habenda. Hic valet & oxyzac. *cum decoct. end. scariolæ scolopend. fumariæ ceterach, & similibus*, & aluus soluenda *cum cathol. & thamarind. ac rhabab. vel sero caprino, in quo epithymus maduerit.* Vbi vero tumor laxus adest, fortioribus discutientibus & aperientibus, cum adstringentibus calidiorib. opus erit: etiam exterius. Sed in duriore tumore magis erit emolliendum, *vt postea de scirrho dicemus.* Vide plura de externis remediis, tum euaporationibus lieni obstructo conuenientibus, & potionibus ad lienem oppilatum valentibus, *lib. 17. cap. 12. apud Alexandrum Benedictum Veronensem.*

OBSERVATIO IV.

De splenis inflatione ac tensione.

PEdissequa cuiusdam matronæ nobilis, dolorem ex ventositate lienis patiebatur, post esum leguminum, castanearum & ficuum. Cum. n. inflatio, *iuxta Trallianum*, ex spiritu generetur, quemadmodum & aliis corporis partibus, ita in liene tumor naturæ contrarius excitatur, id quod accidit ex leguminũ, aut bulborũ, aut palmularũ, aut castanearum esu, aut ficuum, vel malorum, vel mellis dulcis, vel vini vsu. Hęc. n. omnia non modo lienem inflant spiritu, sed etiam colum, mesenterium, ventrem & stomachum flatibus distẽdunt. Facile autem deprehendere licet, an ex cibis tantum inflatio excitetur. Nam si ex his nihil assumtum fuerit, ad aliam caussam morbus referri debet. Quod si lien flatibus distendatur, & in amplum tumorem attollatur, & æger interrogatus, id se citra pondus & loci ipsius grauitatem sustinere, dixerit: tunc ex cibis frigidis malum accidere cognosces. Quod huic pedissequæ contingebat, cum tumor loci imposita manu ad tactum cederet, & distensionem loci inferret, ac cum manu premerem, intus ventus murmuraret. Cum autem ex leui caussa id malum excitetur, facile etiam vincitur. Et ideo dedi huic decoctum florum chamomillæ, cum puluere diacymini, cum vino generoso: & fotum exterius adhibui lieni, in hunc & similem modum. ℞ *florum chamomill. meliloti, summitatum anethi, samsuchi, rutæ, an. m. j. rad. iridis, cyperi, an. ʒ ß baccar. lauri nu. vij. sem. apii. petros. cymini, an. ʒ ij. sem. fœnugraci ʒ ß. coquantur in vino Rhenano, aqua & aceto. an. partibus æqualibus, ad ℔. ij. & fiebat fotus cum spongia.* Deinde inungebat vng. sequenti ℞. *olei liliorum, rutacei, amygd. dulc. an. ʒ ß olei de cappar. ʒ ij. ceræ exiguum: fiat vnguentum molle.* Nam & altera mulier sola hac inunctione sanata est, sumẽdo per horas duas ʒ ij huius pulueris, cum vino. ℞. *diacymini ʒ ß. trochisc. de cappar. ʒ ij. misce.* & vix per tertiã inunctionem fuit curata. Leuem hæc duritiem, & oppilationem quandam splenis sentiebat: sed non aderat materia. Alioqui illam purgassem. Pharmacopœo cuidam post quartanã curatam remansit in liene tumor, cum inflatione in latere

in latere sinistro, ab hypochondrio ad vmbilicum vsque; ita vt se hydropicum putaret: cui hic sacculus impositus est. ℞. *florũ chamomillæ, meliloti an. m. iij. rutæ siccæ, absinthii, an. m. ij. folior. lauri m. j. sem. lini ℥ j. anisi, cymini, an. ℥ iij.* fiat sacculus calefactus in vino Gallico, & expressus calide, in quãtum sustinere poterat, admotus. Post aliquot dies tumor recessit ex ventre, nonnihil sub hypochõdrio manens: qui tamen de loco ad locum mouebatur. Ideo sumsit continuo ex electuario sequẽti: *diaprassii ℥ j ß. diacymini ℥ ß.* quo maximam vẽtositatem emisit: & inflatio recessit, ac appetitus rediit: difficultate anhelitus etiam cessante: hoc tamen sacculo etiam imposito. ℞. *rutæ siccæ m. iij. folior. lauri, calaminthæ flor. chamomil. an. m ij. cumini ℥ ß. fiat sacculus.* quem cum ter quaterue apposuisset, ab inflatione omnino curatus fuit.

3

SCHOLIA.

4 Spiritu sæpe lien intenditur, sicut stomachus ac iecur; quæ equidem inflatio (*vt dicebat Aetius ser. 10. c. 9. de inflatione splenis*) aut in ventre oborta ad splenem transfertur, aut in ipso adeo splene generatur. At vbi lien (*teste Alexandro Tralliano*) ex toto flatibus repletur, fluctuationes, vbi paulo liberaliorem potũ assumserit, experitur. Græci fluctuationes clydonas appellãt, quando vt in vtre aqua, ita in ventre copiosior potio sonitum elidit, cum agitatur. Ex frigidis autem cibis acidus ructus frequenter prouenit, & post cibos singultus. Quod si nihil horum in ventre contingat, lien autẽ tendatur, pungaturq; citra aliquam grauitatem, flatuosos spiritus esse putato. Ventosa igitur flatus generatio, *eodem Aetio teste*, ex frigiditate membrorum ipsum producentium contingit. Quare tum ventrẽ, tum splenem concalfacere oportet, (*præsertim his, quibus vtrumq; membrum est affectũ*) atq; id tum his, quæ forinsecus imponuntur, tum cibis ac pharmacis, quæ intra corpus deuorantur, perficiendũ est. Ventri itaq; auxiliabimur, si quidem per consensum sit affectus, diospoliticam cõfectionem exhibendo, atq; etiã alias, quæ huic similes exsistunt. Diospoliticum etiã dat Trallian⁹, Piper enim & cuminum calefaciũt: ruta flatus discutit, & partem affectam iuuat, humoresq; pituitosos imminuit: nitrũ ventrẽ subducit: mel similiter purgat calefacitq; & humores extenuat. Pari modo etiã medicamenta faciunt: diacalaminthes, & diatrionpiperеon, *eodem auctore*. Nos commode vsi sumus & diaprassio, quod & spleneticorum angustias paragorisat, & omnium intraneorũ vitiis prodest, inflationes & torsiones ab eis aufert. Panis vero ac edulia vinumq; quod in potu sumunt, ex petroselino, aniso, cuminoue similibusq; conspergenda sunt, *iuxta Aetium*. Iam quoq; melanthium, apii semen, anisum, & petroselinum trita, pani apud pistores inspergi debent. *Tralliano quoque auctore: Eadem*, inquit & ille, *ex vino pota lienis inflationem tollunt.* Itaq; liene inflato, prædictis potionibus, & epithemate diaspermatũ, *ex Aetio & Tralliano*, exterius vtendũ: modo non adsit durities lienis, alioqui hæc nimium desiccarent, & maiorem duritiem excitarent. Potui vero dare eis

Fluctuationes ventris.

Curatio.

5

6

viticis semen torrefactum, petros. melanthium, anisum, non expedit, & si flatibus plenus sit lien, dantur illa ex aceto aut oxymelite, aut posca. Plura videas apud Trallianum, & Benedictum Veronensem *lib. 17. c. 20. de lienis inflatione*, qui & cucurbitularum vsum in lienis affectibus commendat. Vehementius enim impactæ plurimum iuuant, cum ex alto spiritum extrahant, sed non nisi præcedentibus remediis vniuersalibus, si & humores obstruentes adfuerint.

OBSERVATIO V.

De phlegmone lienis.

Vir ille, qui æstu quodam, tum febre continua, corripiebatur, simul grauitatem cum dolore & distensione hypochondrii sinistri sentiebat; ita vt hic lien proculdubio afficeretur phlegmone, sanguine ad ipsum confluente calido, & satis crasso. Ad hunc cum intrassem accitus, talem victum præscripsimus, qualem sæpius in aliis inflammationibus valere scripsimus, in principio vinũ inhibendo; postea in fine aquosum concedendo: in primis diebus solo ptisanę cremore ægrum nutriendo, & etiã panata. Statimq; iussimus, vt sanguis ex vena iecoraria cubiti sinistri detraheretur. Et mox a venæ sectione locum dolentẽ inunximus oleo rosaceo, & chamæmelino, pauco addito aceto. Oportet enim statim a venæ sectione aliquod reprimens apponere, sed neq; adeo frigidum, neque valde adstringẽs: humor enim densatur & stipatur facile. Ideo ea incoqui debent, cum his, quæ incidunt & extenuant humoris crassitiem: cuiusmodi est acetum; quo etiã calido vult Rhases foueri. Sed si vinũ austerum vetus, oleo dulci admiscueris, optimum erit fomentum: vel hoc quod rosaceo & aceto constabit; quo nos sæpe feliciter vsi sumus. Verum cum post venę sectionem etiam ea medicamenta conueniant, quæ aluo educendæ idonea sunt lenia tamẽ eligenda, ex eiusdem Alexandri testimonio, præsertim per initia. Lien etenim per initia purgari potest. Tamen processu tẽporis validiores purgationes exhiberi possunt, *vt ipse refert.* Hac namq; via duntaxat lienis superflua vacuari debent, nõ per renes, sed superne deiectorium adhibendum, a situ societateq; sumta indicatione: *quemadmodum a Gal. 13. method. scriptum inuenitur*, quamuis venter etiam per clysteres assidue elui debeat; & maxime si venæ incidendæ medela relinquatur, *ex Aetii sententia*, & præcipue in morbi initio, vel incremento, *vt inquit Alexander Trallian.* Verum antequam purgans medicamentum exhibeatur, etiam humor præparari debet ad expulsionem, cum oxymelite, syru. e succo fumariæ seu borag. *cum decocto melissæ, lupul. & similium.* Nos vero tali vsi sumus. ℞. *rad. cichorii, dentis leonis macerat. in aceto, an. ℥ j. fumariæ, summitatum lupul. borag. buglos. viol. hordei mundati, an. m. j. vuar. passul. enucleat. ℥ ß. fiat decoct. in aqua communi, pro ℥ ix. colaturæ adde oxyzacch. simplicis, oxymel. simplicis syrup. ex succo fumariæ, an. ℥ j. misce. fiat apozema pro tribus dosibus.* Deinde illum purgaui, *in ℥ iij. eiusdem decoct. dissoluens diacatholici, electuarii lenitiui, an. ℥ ß. syrup.*

1

2

rosſ. ſolut. ℥ j. *miſce. fiat potio. detur in aurora.* Cum autem aluum optime depoſuiſſet, poſt inunctionem iam dictam, hoc etiam cataplaſma vel ſimile impoſuimus. ℞. *farinæ hordei* ℥ ij. *flor. roſ. rub.* ℥ j. *chamameli, abſinthii, meliloti, an.* ℥ ß. *cum oleo roſ. in maiori quantitate : adiecta exigua portione olei nardini: fiat cataplaſma.* Verum ſi caliditas magis intendatur addemus ſuccum portulacæ, & folia ſalicis. Poſtea vero, vbi feruor magis conquieuiſſet, ad medicamenta plus reſoluentia tranſibam. Oportet autem in mali incremento relaxantia ſiue diſſoluentia augere *vt latius ſcholio ſequenti agemus.* Ideo inunximus oleis ſequentibus. ℞. *olei roſ. chamomill. liliorum, an.* ℥ ß. *miſce.* Vbi enim feruor quieuerit, parum ad medicamenta, quæ reſoluunt, eſt tranſeundum: cauendo ſemper ne induretur, diſſoluentibus. Præterea ſtudendum eſt, vt robur eius ſeruetur. Nam ex imbecillitate, ſi non attrahat, vel non pellat, cacochymum redditur corpus totum, non ſecus atque in veſica fellea, vel renibus: ideo miſtura aſtringentium eget: ſed non æque (*vt paulo ante diximus*) ac iecur. Interea intus vtebamur *decocto ſcolopendrii, corticis ſalicis, fraxini, vit cis, folior. & ſem. & rad. myricæ. cum oxymelle etiam non parum acido, vel horum æmulis.* Et vtebamur in cibis *intybis coctis ex aceto, & lactucis ob febrem, maxime in principio, cum amplius eſſet refrigerandum.* Poſtea febre inclinante, decoctis iam dictis vtebamur: *etiam fotu, ex fœnugræc. ſem. lini in poſca coctis: additis rad. cappar. foliis maluæ, & ceterach, ac viticis ſemine.* Quibus præſidiis dolor ceſſauit, & inflammatio reſoluta fuit a fotu abſque ſcirrho. A fotu quoque poſtea inunximus *oleo amygd. amar. cui maſtichis & ceræ parum adiunctum eſſet.* & in fine *oleo de capparibus.* poſtea *diacappar. cum oxyſacch. vel oxymelite:* & ad roborationem intus ſumendo d arrhod. abbatis. Quibus remediis ſanus factus eſt.

3

SCHOLIA.

4

Lienis inflāmati ſolo ſāguine nota.

QVamuis rarius (*teſte Alexand. cap. 12. lib. 8.*) quam alia viſcera lien inflammatione conflictetur: interim tamē & ipſum inflammari contingit: *vt liquet apud Gal. 6. de loc. affect. & 13. meth. med. & aliis plerisq; locis.* Et quamquam præcipue fiat ex ſang. craſſo melancholico, poteſt etiam ex aliis humoribus fieri, vt ad longum docet idem Alexander Trallianus, nempe *ſola ſanguinis copia in lienem confluxa : & tunc dolor cum tumore & tenſione vrget vehementer, cum multa grauitate: interim obſtructio membri tunc excitatur ; vnde ſcirrhum & inflammationem plerumque contrahit; interdum etiam ſine dolore augeſcit, duruſque efficitur, quod tactu ſubinde cognoſcere poſſumus. Quippe tangentibus facile apparet : item cum ex mollitie in largiorem molem deductus fuerit : attolliturque adeo, vt ſuper maſculos, qui extrinſecus incumbunt, excreſcat. Ego enim ſæpius vidi,* (inquit Alexander) *non ſolum ventrem & ſtomachum, ſed etiam dextram præcordiorum partem, & pubis pectinem, lienis tumore occupari. Hippocrates memoriæ prodidit, ſanguinis in liene abundantia ventrem indureſcere : corpus humoribus vigiliiſque extenuari, & faciem emacreſcere. Nam & liene ipſo carnes colliqueſcunt, & magna ſitis vrget. In primis enim lienis tumor apparet humidior: dum ſcilicet humor adhuc fluit: vbi vero collectione facta indurauerit, neceſſe eſt, vt iugulum non ſentiat alimentum, & venæ in muſculis foras prodeant, color melancholicus aut pallidus fiat, & aqua ſubter cutem ſubſequatur. Vbi bilioſus fluxus in liene decumbit, totum corpus calidum eſſe, & ſine febre, videtur; oculi tincti ſunt; vrinæ colo ratiores, acreſque, aut flaua aut rubræ exiſtunt; ægri ſitibundi frigidam bibere appetunt; animo ſunt abiecto; cito furunt; os habent amarum, cibum faſtidiunt, vigiliis torquentur & ventris turbatione; linguam habent flauam, atq; aliud genus ſimilia, quæ bilem teſtantur, ſuſtinent. Si humor melancholicus adſit, paulatim in his color melancholicus fieri videtur; præſertim facta iam inflammatione, cutis & vrina nigrior efficitur. In toto corpore bilis atra abundat; gingiuæ nigræ apparent. ſitis vrget; & ægri ſi frigidam potionem aſſumſerint, magis cibum appetunt. At ſi humor pituitoſus in liene collectus inflammationem pepererit, color pallidus, aut eius naturæ ſimilis inuenitur, oculorum, linguæ, & cutis corporis; ægri non ſitiunt, ſed cibos appetunt, ſi pituita non falſa fuerit in liene. Hoc ergo ſcire licet, quod ex pituita quotidie febricitant, ex bile, tertio die; ex melancholia quarto.* Quod ad curationem inflammationis lienis attinet, *primū* (vt idem docet) *vniuſcuiuſque humoris ſigna conſiderari oportet; atque ſic tandē curatio adhiberi debet. Recidiua, vt videtur, non magna ſolicitudine timenda eſt. Nec pluribus verbis opus eſt. Nam vbi ſemel curata fuerit, non facile reuertitur: rarius enim (vt paulo ante diximus) lien inflammatione conflictatur. Hoc autem obſeruandum eſt, vt pro humoris natura, ex quo generata eſt, conueniens, non autem contraria, adhibeatur curatio. Num enim cibi potuſque aliqui morbo occaſionem dederint, aut aliquid extrinſecus acceſſerit, omnia internoſcere oportet: ſimiliter otioſi ne ægri fuerint, ac exercitiis ac labore ſe fatigarint, an balneis frequenter, aut nunquam vſi ſint: & an ex accidente, an a parentibus hunc affectum ſuſtineant. His diligenter examinatis, ſi inflammatio lienem exercet, primum ſanguis detrahi, deinde purgationes adhiberi, poſtea medicamenta extrinſecus imponi debent.* De quibus videas eundem Alexandrum Trallianum *lib. 8. cap. 12. de lienis affectibus.* & Aetium *ſerm. 10. cap. 10. de ſplenis inflammatione.* Sed hæc omnia exemplis particularibus multo illuſtriora apparebunt.

5

Lienis ex bilioſo humore inflammati ſigna.

Ex humore melancholico ſigna.

Lienis pituitoſi nota.

6

Curatio

OBSERVATIO VI.

De inflammatione lienis, ex ſanguine craſſo melancholico.

1

RAriſſime ex ſanguine optimo, ac mediocrē craſſitudinem habente, ipſam inflammationē in liene oriri contingit: ſed ſæpius ex ſanguine craſſiore excitatur, fœculento, limoſo, ac craſſo: vnde & inflāmationes facile duriores fiūt, ob humorum craſſitiem : hinc & dolor ſiniſtri hypochondrii, ac etiam feruor, diſtenſio & tumor, & multa grauitas vehementer vrgent, ſtatim apparent: & tumor ob duritiem facile tangendo deprehenditur, *ex Galeni ſententia,* præſertim pro-

processu temporis, vt ab hinc aliquot annis in viro quodam decumbēte animaduertimus. Sed hic statim, eo quod erat ex humore crasso, & in alio quodam viro, ad quem acciti sumus, etiam leuis durities apparuit. His notas itaq; considerantes, hoc modo curationē instituimus; similem victum instituendo, quem in ceteris inflammationibus nunc vtilem diximus: etiam cremore prisanæ tum aliis vtens, vt in priore ægro fecimus. Venamque statim ex saluatella manus sinistræ incidere feci, cum magis appareret. Quod si venæ sectio omnibus visceribus inflammatis præsentissimum est remedium (*testante Tralliano*) maxime certe in lienis inflammatione adhibenda est: si nihil contra suadeat, nempe ætas, aut vires, aut locus, aut consuetudo, aut aeris constitutio, aut præcedēs ciborum cruditas, aut magnum ventris profluuium. Hæc enim sola in ista caussa dilationem suadent. Sin autem ætas, aut vires non prohibeant, venam brachii sinistri interiorem secabis: si ea non appareat, media ferienda est: si ne illa quidem in cōspectum proueniat, humeraria cædenda est: si nec ipsa quoque conspiciatur, ea, quæ minimo digito vicina est, aperiri debet. Rhazes etiam ex saluatella sinistræ manus sanguinem demit. Quod vero huius venę in extrema manu existentis, sectio conferat pro lienis inflammati curatione, confirmauit Paulus. Id quod forte innuere voluit Galenus *in lib. de curatione per venæ sectionem.* Quanquam quidam negatiue literā legant: nam 13. *method.* secat venam cubiti sinistri. Etsi vero ex saluatella, *inquit Trallianus*, minus sanguis euacuetur: tamen quantulacumque inde tentata inanitio præcipuum lieni ad sanitatem adiumentum est.

Cum sanguis fluit, attendēdus est, valde ne rubeus sit, & purus aut liuidus. Nam si liuidus est, aut ęquo rubentior, copiosior auferri: si purus ac syncerus, paucior debet. Verum sic extrahendus, ne vitalis facultas deficiat. Ideo præstat aliquando nō semel quantum conueniat extraxisse; sed in duos dies id partiri satius est, *vt Galenus refert.* Deinde aluum altero die leuiter expurgauimus *cum decocto sena & epithymi*: addendo *cassiæ recens tracta* ℥ ß. & *diapruni ac elect. lenitiui, an.* ℥ ij *misce.* Mox & hunc syrupum propinauimus. ℞ *syr. de fumoterra: viol. de epythymo, an.* ℥ j. *aquæ buglo. lupul. cichor. an.* ℥ ij *detur duabus vicibus.* Postea purgaui hoc modo. ℞ *diacathol.* ℥ vj. *diasenæ* ℥ ij. *diaprun solutiui* ℥ j. *cum aqua decott. borag. buglossæ, fumariæ, scolopend.* ℥ iij *fiat potus: addendo* ℥ ß *oxymellis simplicis.* Interea statim a purgatione priori, ad extrinseca medicamenta peruenimus, quæ citra euidentem calorem extenuarent: admixtis quibusdam adstringentibus, *iuxta Pauli doctrinam*: nam ea mixtę qualitatis esse debent, non solum in generatione phlegmonis, sed etiam cum nec effluat amplius quicquam: quamquam si quis in principio repellentibus tantum vtatur, non peccet, *Galeno auctore 13. method. med.* Communis tamen indicatio (*vt idem inquit*) omnibus his partibus, quarum munus eiusmodi est, vt toti corpori sit ex vsu, est, vt medicamenta exigant, quæ mixtæ facultatis sint. Et propterea nec lienem tantum relaxantibus curare oportet, cum hic quoque ex iecinore quicquid limosi & melācholici est, expurget; propterea scilicet, quod ex eo humore nutritur. Quinimo semper eius robori consulendum est, adiciendo relaxantibus astringentia medicamenta, *eodem Galeno & Alexand. testibus.* Primo itaq; hunc fotum, vel similem, adhibui statim ab initio. ℞. *vini austeri veteris* ℔. j. *olei dulcis, olei ros. cotoneorum, olei chamomil an.* ℥ ß. *aceti optimi* ℥ j. lana succida excepto medicamento (*vt Aet. suadet*) vel lienis linteis sæpius sinistrum hypochondrium fouebamus: etiam hoc linimento (vel eius æmulo) inungendo post fotum. ℞. *olei anethini, rosacei, cotoneor. an.* ℥ ß *pauco vino ac cera adiecta: fiat vnguentum.* Imposito hoc vel simili quoq; cataplasmate, *ex Aetio*, ex hordeacea & loliacea farina, cum posca, & mellis ac olei omnino paucissima mēsura, in quibus absinthium ac pulegiū incocta essent. Postea, cūm paulo durior splen fieret, hoc vel simile cataplasma imposui, *ex farina fænugræc. lini, hordei, ana* ℥ j. *caricarum, aceto acerrimo maceratarum, num. v. adipis anseris, & butyr. recentis, an.* ℥ ß. *olei chamomill. cotoneor. lilior. an. q. s. fiat cataplasma.* exiguo oxymelite adiecto. Quibus dolor cessauit: & curatus fuit: vt neque in scirrhum transmutaretur, neque ad suppurationem veniret, quod tamen rarius contingit.

SCHOLIA.

Verum, quod iam fere omissum est, cum hic laboraret lienis inflammatione, & quarto die sanguis quidem e sinistra nare erūperet, magnam attulit vtilitatem. Nam quibuscunque κατ' ἴξιν eruptio sanguinis accidit, summum id commodum laborantibus affert: quemadmodum Hippocrates memoriæ prodidit: quibus vero contra euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet, quod vires citra morbi leuamen deiiciat atque exsoluat, *vt lib. de curand. ration. per venæ sectionem, a Galeno scriptum est.* Hæc enim ad prognostica signa pertinent, vti & hoc: *Licet rarius quam cetera viscera lien inflammatione tentetur, tamen si in eo excitetur, magna cum diligentia curanda erit: alias non solum praua consequentur symptomata, verum etiam temporis processu perniciem caussabit: potissimum si eadem in scirrhum vertatur.* Ideo cauendum, vt non nisi corpore euacuato calidioribus vtamur: alioqui scirrhi auctores, *iuxta Aetium*, erimus. Quod si ad permutationem in suppurationem repat, quod tamen raro contingit, licet aliquando periculum adferat, adiuuare tamen eam oportet, ne plura corpora putreant: per cataplasmata videlicet, quæ pus producunt, de quibus hepatis abscessu manifeste est prædictum. Hepar enim frequentissime abscessum præfert ac exulceratur: lien rarius. Hoc tamen semel in monacha Alcmariana vidimus, quæ abscessum in liene passa, pus per lotiū excreuit, & a me curata fuit: cuius historiam posuimus *lib. 4. de feb. pag. 245.* Ceterum ea, quæ de hepate diximus, ad splenis curationem hic transumes. Euenit quoque interdum, vt iecoris abscessus in

Marginalia: 2; 3; 4; 5; Prognostica.; 6

spleneticum conuertatur: quod in bonum cedit: materia enim ex nobiliori membro ad ignobilius conuertitur. At si e cõtrario contigerit, perniciosissimum est. Apostema quod totum lienem cõplet, malo est; e sanguine minus periculosum: durũ deterius: vel si membri summã partẽ compleuerit. Sicuti ex nare sinistra sanguinis profluuiũ, ita & profluuium ventris, bonum pronuntiat, si in die iudiciali euenerit, ac signa digestionis materiæ antecesserint. At ventris fluxus breuis, ex aliis pariter humorib. bonũ auguriũ præstat. Vrina vero fæci similis, viscosa, dubiũ præsagium denunciat.

7 Apostematũ splenis distinctio.

Neoterici vero, & qui Auicennam sequuntur, apostemata lienis penes materiam distinguunt, vel ex sanguine, vel ex aliis humoribus: quamuis plerumq; dura & melancholica exsistãt, mirata a mollia, pituitosa & biliosa: sed ex sanguine crasso facile ad duritiem permutantur; secundum figuram modo rotunda, lata, longa, penes situm. Et ita caussæ huius apostematis aliæ primitiuæ, vt regimen indebitum rerum non naturalium, aer crassus, vinum crassum, & quæuis melancholicũ succum procreantia; casus, percussio supra latus sinistrum, labor superfluus in æstate, quo sanguis aduritur, cibique crassi. Caussæ antecedentes sunt humores ipsi: atque horum signa ex Tralliano adduximus. Si plura de notis distinctis huius desideres, perlege *cap. 16. lib. 17. apud Alexan. Benedict. Veronensem. Vide & Arculanum.* Hoc præmonito quod quinq; modis, *iuxta Arculanum*, terminetur: aut enim resoluitur insensibiliter, aut euacuatur sensibiliter, per vomitum, vrinam, aut secessum: aut induratur, & sic perpetuo manẽs, aut permutatur ad hepar, aut ad alia membra nobilia vel ignobilia, sicut ad cutem: & fit apostema difficilis suppurationis, & subinde icteritia nigra. Aut maturatur ac suppuratur & rumpitur. Signa suppurationis & collectionis constant ex iis quæ de pleuritide & abscessu hepatis diximus. Dũ pus fit, fiunt dolores & rigores: & suppuratione perfecta dolores desinunt. Sic etiam phlegmone præcedente si dolor ac feruor quiescant, & durior fiat tumor, scirrhum exspectamus. De quo paulo post dicemus. Quomodo autem apostema splenis seu inflammatio curetur, nũc ex parte diximus. Neoterici & Arculanus, vestigia Auicennæ insequentes, omnium primo rationem habent caussę antecedentis, vtentes & diuersione & euacuatione: secundo vero caussæ coniunctæ, in principio vtentes repercussiuis, sed nõ adeo puris, ne fiat durities: in augmento vtuntur repercussiuis, mixtis resolutiuis: in statu & declinatione, resoluentib. modo ad viam resolutionis tendat: sin ad maturationẽ, quod raro contingit (*vt diximus*) iuuãda erit: alioqui si ad scirrhum & duritiem, tũc curabitur, vt scirrhus, cuius postea exempla adferemus. His adiiciunt & accidentium correctionem. Diuertendi autem & euacuandi intentio perficitur in principio cum venæ sectione De qua iam dictum est, nempe ex basilica sinistra vel saluatella: alioqui secũdum quosdam, ex saphena, si ex mensibus restrictis vel hæmorrhoidibus constrictis euenerit.

Caussa.

8

Curatio apostematis splenis.

At si aluus non respondeat, prius præmittunt clysterem, aut leniens medicamẽtum. A clystere statim venæ sectio peragenda. A leniente per os exhibito, in alterum diem venæ sectio proroganda: quæ magis conuenit in apostematibus calidis, quã frigidis, in quibus hæc ipsa suspecta est. Alioqui etiam in iis, qui nõ sustinent venę sectionem, cucurbitulis cum scarificatione naribus impositis, vel sanguisugis venis hæmorrhoidalibus admotis vtuntur. Aluum autem, quod ad purgationem attinet, de qua etiam prius dictum est, molliter soluimus epithymi decocto, adiecta cassia vel mãna, in materia calida: in frigida agarico, adiecto electuario lenitiuo, in melancholia, diasene & diacatholico. Et si detergẽtibus opus est, in iis cauemus ab illis, quæ vehementer vrinam ciunt. Nec a deiectione largior potus dandus, ne ad iecoris gibbum materia trahatur: tum enim sitire conuenit, aut saltem parcius bibere. Iam aliter quoq; syrup. fieri posset, in materia calida *ex succo, fumariæ, seridis, tenerrimorum foliorum salicis, tamaricis fraxini interioris corticis, & scolopendrii, sem. portulacæ, corticis ramentorum cucurbitæ aridæ, cum zacch. addito aceti momento.* In frigido apostemate, *salicis eiusdem, & tamaricis tenerrima, fraxini, scolopendrii, marrubii, rad. capparis, fœnic. apii, bugloss. cichorii, seris, fumariæ, sem. anisi, chamæd. adiecto zacch. & aceto. fac syrup. acetosum.* Plura de potionibus & purgationibus vnicuiq; humori destinatis, vide apud Trallianum & inter neotericos Arculanũ. Quod ad topica attinet remedia, Aetius vtitur fotu *ex oleo dulci, & vino austero in principio*, & si maior sit caliditas *oleo ros. aut omphacino.* Alii in materia calida vltro fouent in decocto immerso, & expresso *in decocto hordei, salicis, cum aceto, vel oleo ros. solo, & tertia parte aceti.* Vel inungunt cum oleo ros. & chamæmel. In augmento addunt folia tamaricis, & semen agni casti. Si magna sit inflammatio, addunt succum portulacæ vel plantaginis, vel vtũtur emplastro ex farina hordei, ros. absinthio, meliloto, scolopendr. In statu addunt *schœnanthum, cyperum, ceterach, flores genistæ, & ficus, cum aceto infus.* In declinatione *oleum de cappar. ping. vituli, ammoniaci, medull. & ping. anatis, & similia.* De quibus latius videas & Aetium & Paulum, ac Alexandrum Trallianum, & Alexan. Benedictum *cap. 18. lib. 17.* quæ ipse ex iisdem auctoribus tũ Arculano, mutuatus est. Alioqui auctores, vbi prædicta non sufficiãt ad phœnigmos & vstiones confugiunt. Si ad maturationem tendat, vtendum diachylo: licet maturantia varianda pro diuersitate materiæ, vt in calida maluauiscus, farina sem. lini, fœnugręc. ficus pingues, oleum sesaminum: in frigida, rad. ireos; in melancholia, magis emollientia, & non multum calida, *vt mucag. sem. lini. fœnugr. althææ.* Vt rumpatur, adde *radic. narcissi. cape.* Post ruptionem vlcus curandum, vt reliqua vlcera, & detergendum: & postea consolidandum. Si ad duritiem & scirrhum tendat, magis humectandum & mollificandum. Sed de scirrho latius dicemus. Accidẽtibus vero succurrunt, nempe dolori, per anodyna, vnctionib. fomentis,

9

10 Topica.

15

mentis, sacculis, emplastris, vesicis: & similibus; & nunquam, nisi coacti, ad stupefacientia perueniunt: *vt ostendemus exemplo sequenti*, tum Scholio, ad maiorem enucleationem doloris ipsius splenis.

OBSERVATIO VII.

De lienis dolore.

1 VIr quidam quadragenarius, qui a quartana dolorem splenis incurrebat, hoc vnguento sequenti optime habuit: quo vtebatur, corpore prius repurgato ac euacuato, decocto senæ & epithymo, & aliis conuenientibus. ℞ *olei rutacei, olei liliorum, de capparibus, an.* ℥ ß *succi fraxini, axungiæ porcinæ, an.* ℥ *iij. pulueris ceterach* ℥ *j. ceræ parum: fiat vnguentum fluxibile.* Illud etiam, quod ex genista fit, commode adhibetur ad splenis dolorem: etiam ad eiusdem duritiem quod ita fit. ℞ *florum genistæ* ℔ *vj butyri Maialis, axungiæ porcinæ. an.* ℔ *j. terantur simul, & stent in sole: addendo ceræ parum: fiat vnguentum.*

SCHOLIA.

2 DOlor splenis, qui tristis sensatio exsistit, per membranam eiusdem plerumq; & non per carnem spongiosam, contingit. Interea hic dolor quintuplex esse potest: *pungens, perforans, extendens, grauans & pulsans.* Pulsans magis contingit *in inflammatione, ob multitudinem & magnitudinem arteriarum, quæ sunt ipso: & magis ad arterias pertinent hi dolores.* Pungens *ad membranam.* Grauans *ad substantiam eiusdem, ex materia aliqua.* Extendens, *ad vapores flatulentos, & ventositatem.* Proforans, seu mordicans *ad vlcerationem.* Quidam & hunc dolorem distinguunt, *in leuem, obtusum, paruum, vehementem, non diu durantem, diuturnum & agre dissolubilem, ex se incipientem, aut alios morbos consequentem, in corpore sano forti, robusto per naturam, aut debili.* Vel distingunt penes materiã, *in immaterialem, vel materialem*; idque cum apostemate, vel sine modo cum febre, modo sine ipsa. Sed ille dolor potest esse a nuda intemperie, aut a solutione continui, aut vtraq; simul, vt in apostemate, vel ab obstructione, inflatione, tumore. Ceterum inflatio ingentes dolores efficit; & qui ex obstructione fit dolor, minime contẽnendus est, cum facile ad apostema transeat, vel tumorem inducat. Tumor hic potest esse non apostematosus siue humoralis, siue ventosus: & nõ est quidem immediata caussa doloris, sed solũ mediante mala intemperie, aut solutione continui, sequente extensionẽ. Similiter eius oppilatio doloris caussa esse potest. Mala autẽ intemperies, exsistens caussa doloris, aut est calida, frigida, sicca, sine materia, aut cũ materia, ex quocumque humore, magis tamen ex materia melancholica & sanguinea, rariꝰ ex pituitosa & biliosa. Rursus huius malę intemperiei aliquæ caussæ primitiuæ, aut plures ex sex rebus non naturalibus aut extraneis: aliquæ corporeæ, & sequentes dominiũ humoris, qui est in ipso, aut eius oppilationẽ, aut vapores flatulentos. Et quandoq; fit aut fouetur per communitatẽ, aut a toto: sicut in febribus, hydrope, lepra, & similibus, aut a membris particularibus, vt hepate, vtero, & aliis. Ad intemperiem etiã pertinet debilitas splenis: nã & hæc a duabus caussis in genere prouenire potest, aut a mala intemperie, aut a mala compositione, seu a laxitate suæ substantię: quamuis & debilitas fiat ob solutionem continui: sed cum medici hoc relinquant chirurgis, pauca de eo admonẽt. Debilitatur quoque ex apostemate, vlcere: præcipue vero a calida & sicca intemperie, minus ab humida, nisi oppilando & extẽdendo. Et sic debilitates virtutũ cum sequantur malitiam complexionis, seu intemperiem, & intemperies caussa doloris exsistat: ideo & debilitates sub hoc capite dolorum splenis cõcludunt illi auctores, qui supra Rhasem scripserunt. De caussis externis manifestum est, quod & victus ac occursus multum calidi aut frigidi, inducãt intemperiem, & quæcumque multiplicant vapores crassos, & inhibent resolutionem: ita aer crassus vaporib. mixtus, dolorẽ splenis infert: & somnus prolixior, & animi accidentia subtristia, & quicquid humorem melancholicum crassum generat, *vel legumina, faba, lentes, caro bubula,* cum alia, quæ de melancholia diximus, hęc splenem afficiunt. Quod autem apostemata dolorem inferant, satis liquet ex supradictis: quamquam hæc differant a tumore & duritie per solutionem cõtinui, quæ est in apostemate: & non in duritie, & tumore non apostematoso. Hæc ipsa distinguuntur penes materiam, & penes figuram. De quibus satis dictum est, a quibus fiant, & quibus signis cognoscantur, & quomodo curentur, in duobus scholiis præcedentibus. Dolor itaq; qui in apostemate contingit, modo caussa ablata & apostemate curato, modo anodynis tollitur. Sed quod ad signa doloris attinet: quædam præsagiunt dolorem futurum, vt omnes caussę potẽtes inducere intemperiẽ ipsius splenis, siue primitiuę fuerint, siue antecedentes aut corporeæ, vt de aere calfaciente vel infrigidante lienem: quæque oppilationẽ & ventositatẽ in splene inducunt, *vt potus aquæ gelidæ, cibaria melancholica, pedum infrigidatio*: ita de aliis caussis, quæque solutionẽ continui vel apostemata præcedant. Ita percussioni pręcedenti in loco lienis, subsequetur dolor. Ita in autumno magis exspectamus spleneticas ægritudines; & post quartanã & febres diuturnas. Signa demonstratiua per se manifesta sunt, quia adest dolor in sinistro latere, & tristes fiunt, ob vapores melancholicos a materia resolutos, & cordi vel cerebro communicatos. Color quoque iis mutatur, modo ad citrinũ, viridem, pallidum, vel atrum colorem, iuxta diuersitatem caussæ efficientis dolorem. Signa etiã caussarum, scilicet ex nuda intemperie, satis liquẽt ex scholio *Obseru. 1. huius libri.* Sic frigida patet ex cibo & potu frigido assumto, aqua frigida, ostrea, fructib. pomaceis copiosis, cibisque crudis: calida magis in febribus, sanguine accenso in æstate, & in homine plus iusto calefacto. De quibus vide plura *apud Alexan. Trallianum, & curationẽ etiam scholio iam citato.* Ex intemperie cum humore, qualis humor abundat, *in scholio obser. 2. huius libri* diximus, *& scholio obseru. 5.* cum de phlegmone ageremus. Ita vt & obstructionis & phlegmonis signa

Marginal notes: *Differentia & distinctiones dolorum lienis.* — 3 — 4 — 5 — *Signa præsagientia dolorem.* — *Signa demonstratiua.* — 6 *Signa caussarum.*

satis dicta sint: vtriusque mali, tum obstructionis, *vt obseru. 2. & 3.* videre licet: & de phlegmone seu apostemate egimus, *Obseru. 5. & 6. in scholiis iisdem.* Sed hoc obseruandum, *quod oppilationem ab apostemate hoc modo distinguimus; quoniam in illa meatus omnes obstruuntur, nec lien violenter distenditur, & plerumq; sine magno dolore & febre; in hoc vero, materia in vnum congregatur locum, qui violenter & acriter distenditur, ita vt continens materia soluatur vel scindatur.* Reliqua vero signa oppilationis & apostematis, superius dicta sunt: quamuis & hoc in memoriam reuocandū, quod oppilatur via, per quam splen recipit melancholiam: tunc splen non erit tumidus, tumore ab humore proueniente: imo potius extenuatus. Quādo vero oppilatur via, per quam mittitur melancholia ad os stomachi, splen tumidus est, cum melancholiam recipiat, & non expellat: neq; fames more solito excitatur. Præter iam dicta, *vt constat 2. ad Glauc.* fit dolor & extensio ex flatibus: & est morbus frequentissimus. Facile enim, *vt prius dictum est, obser. 4. & scholio eiusdem huius libi,* a crassa materia turbida, vapor turbidus & flatus excitantur. Rhases de hoc affectu egit, cum ait: *Si splen tensus fuerit, & cum tangitur, sentitur rugitus, id est, sonus flatuosi spiritus collecti circa sinistrum hypochondrium.* Hoc modo distinguit Arculanus ab apostemate, primo *quod in inflatione non sit grauitas:* secundo, *quod incessus & exercitium in apostemate, splenem dolore magis afficiant, in ventositate e contra dolorem sedent & ventositatem resoluant.* Tertio, *in inflatione adest rugitus, qui non adest in apostemate, & ructus, per quem æger alleuiatur.* Quarto *in inflatione non adest febris, quæ apostema comitatur.* Curationem inflationis, loco citato diximus: quam & Rhases curat, primo *diæta, quæ ad calidum & siccum & extenuans tendat; cibos dat minime flatulentos, tenues, concoctu faciles, olera omnia abiicit, legumina, potum aquæ, vel vini austeri. Propinat trochiscos de capparibus. Extrinsecus apponit emplastrū ventositatem dissoluens.* Plura vide apud Arculanum, & quæ prius ad inflationem valere diximus. Sed his & illud addendum, *quod dolor splenis quocunque modo fiat, differt a dolore musculorum, per tactum externum: si enim musculi dolent, etiam leuiter si tangantur, ilico dolorem percipit æger.* Sed in splene, dolor statim a cibo sumto communicatur, & color sæpe mutatur: quod in musculis externis nō fit: quamuis difficilius cognoscatur in musculis profundioribus, quam in iis, qui in superficie positi sunt; hæc tamen supradicta non aderunt. Vnde & Bertrutius, medicos iuniores admonebat, dicens; *Caue ne inflationem musculorum ventris, vel intestini coli, transeuntis super lienem, indices oppilationem splenis, seu apostema. Distingue ergo per colorem corporis prædictum, & per profunditatē loci, & vrinam albam, subtilem, radiosam, vel rubram cōfusam, quoniam ista non apparent in doloribus intestinorum vel musculorum.* Certius quoq; signum sumitur a ventris stypticitate, quæ sequitur & antecedit tales dolores, & a satietate nauseatiua. Quare per resolutionem excalfactoriis, vt plurimum,

In quib. oppilatio differat, ab apostemate.

7

Doloris distinctio ex inflatione.

8

Distinctio musculorum splenis & colici doloris.

9

soluuntur, vt cum vētris fluxu, aut alui solutione; quod non statim contingit in apostemate vel oppilatione splenis. Dolor immaterialis, ex nuda intemperie, non ita grauitatem habet admixtam, vt materialis. Sed quibus vnaquæq; intemperies, siue nuda, siue cum materia, internoscatur, satis ex locis iam supra citatis cognoscetur. Restat, vt signa tantum debilitatæ virtutis lienis breuiter explicemus: & hæc plerumq; tria exsistunt. Primum *est corruptio coloris corporis, & conuersio eiusdem ad nigredinem, quæ omnium primo & præcipue apparet in oculorum albuginibus: quod equidem contingit liene ad se non attrahente melancholiam ab hepate, neq; in eo purificante sanguinis massam, cum hoc sit eius proprium officium. Hinc si attractiua virtus debilis est, materia melancholica in toto abundat, & fit icteritia nigra, de qua prius dictum est.* Secundum signum commune est, *prostratio appetitus, ob paucam melancholiam acetosam, quæ transmitti debebat a splene ad os ventriculi, vt appetitum incitaret.* Tertiū *est ablatio vel diminutio hæmorrhoidum, quæ oriuntur a splene ad venas eo deriuatas.* At si debilitas potissimum attractiua sequatur calidā intemperiem, vel ab ea orta fuerit, signa aderunt caliditatis, quæ sentitur in hypochondrio sinistro: & citrinitas seu ruffedo quædā cum nigredine, in cute corporis & albuginibus oculorum apparet: nigredo enim illa inclinat ad ruffedinem, cum quadam claritate: & destructio appetitus adest, cum vrina spissa & colorata, seu rubea crassa. Si ab intemperie frigida, color liuidus erit, nigredini permixtus, nigredine inclinante ad quandam obscuritatem circa alba oculorum, & liuiditatem. Et frigiditas in latere sinistro sentitur: neq; adeo destruitur appetitus, vt in caussa calida. Vrina modo clara, modo turbida mingitur, sæpe & glauca, inferius turbida, & clara superius. Quod si eueniat ob raritatem substantiæ splenis, tūc cum signis communibus prędictis apparet priuatio signorum calidorum & frigidorum: & quod splen facile læditur ex quacunq; caussa, postquam peruenerit ad membranam inuoluentem: nam eius substantia caret sensu, eo quod sit membrum carniforme, & non neruosum. Quod si virtus nimium attrahat, tunc fit extenuatio in toto, & spleni increscit, *vt dictum est:* sequitur sæpe caliditatem vel apostema calidum. Si defectus sit in expulsiua, tunc priuatur appetitu cibi, & promtitudine descensus materiæ melancholicæ ad intestina, si nimium expellat. Si autem sit defectus in debilitate ipsius in expellendo, tunc etiam destruitur appetitus, retenta materia melancholica in liene. Signum debilitatis retentiuæ virtutis, est euacuatio atræ bilis per fluxū vel vomitum, secundum declinationem humoris & eius quantitatē; licet fieri potest hoc accidens ex vigore virtutis expulsiuæ: sed tunc fit euacuatio cum alleuiatione, & pluris quantitatis pro vice, & periodice. Signa prognostica, quod ad dolorem attinet, huc transferenda, quæ de prognosticis obstructionum prius diximus: illud addendo: *Si obstructio lienis remaneat, vel inducta sit post febrem quartanam, vel etiam febrem erraticam, recidiuam minatur,*

10

Dolor materialis, quomodo ab immateriali distinguatur.

Signa debilitatæ virtutis lienis.

11

Signa priuata attractiuæ debilis.

Signa substantiæ raræ.

12

Si nimium attrahat, signa.

Defectus expulsiuæ.

Signa debilitatis retētiuæ virtutis.

Signa prognostica.

13 *minatur, nisi medicus egregie in sua arte versatus superueniens splenem rectificet.* Oppilationi medendum statim, alioqui hepatis infrigidationem infert: hęc infrigidatio denuo indigestionem, indigestio autem hydropem periculosam creat. Antiqua vix aut nunquam recipit curationem: ita nec apostema scleroticum. Oppilatio splenis vel hepatis, dum pungit & sentitur, recens est: dum vero non sentitur, antiqua & cōfirmata est, & non curatur, quod tamen potius de scirrho dicēdum. Prognostica apostematis iam diximus. Sed quod ad dolorem attinet, catarrhis obnoxii raro tumore splenis, & per consequens dolore afficiuntur: & spleneticus si cum duritie dolorem sentiat, melius curatur quam si non sentiret. Hęmorrhoides fluentes, dolorem splenis sedant, quibus adiungere posses ea, quæ de lienis apostemate retulimus.

14 *Prognostica debilitatis.* Quod ad prognostica debilitatis lienis attinet, sciendum, *quod debilitas splenis inducat oppilationem hepatis, dum sanguinem non mundificat, & oppilatio digestionem prohibet, dum calorem mortificat naturalem, & humorum discursum per sua loca retardat: digestio vero prohibita aquositatē multiplicat & ventositatem, & sic tandem hydropem ascitem, vel febrem chronicam pernitiosam inducit, cum omnimoda appetitus detectione & virtutis nutritiuæ defectione.*

Curatio debilitatis. Quod ad curationem tam oppilationis, quam inflationis & lienis apostematis, satis superque dictum est, & quibus modis intemperies lienis curetur, & propterea si debilitas splenis contingat ex intēperie calida, per contrariū alterāda: & si adsint humores calidi, prius parati ac alterati educendi cum rhab. & similibus, etiam in principio, si adsit totius repletio, cum venæ sectione, & intemperies nuda tam intus quā extra alteranda *vt satis dictum est*, & si adsint humores calidi, post venæ sectionem & purgationē, externa remedia applicanda, qualia ad inflammationē valere scripsimus.

15 Ita quoque si a caussa frigida nuda intemperies, vel cum humore orta fuerit, vt in præcedentibus dictum est, procedendum erit. Simplex enim cum calidis tam intus quam extra alterabitur: materialis non apostemans, sed oppilans, digeratur *oxymelite simpl. syr. de duabus radicibus, & aquis apii, scolopend. absinthii, & purgetur cū agarico.* Remotio intemperiei completur *diamoscho, dialacca, diacurc. diacapp. & fotibus calidis, vt superius dictum est.* At curatio debilitatis splenis ob raritatem substantię, neq; requirit sectionem venæ neq; pharmacum solutiuū: sed satis fuerit topica calida styptica adhibuisse, nō valde excedentia, qualia de hepatis debilitate recensuimus, vti est *oleum mastichinum, cyperus, mastix, spica, nux cupressi, absinthium, calamintha, cort. cappar.* ex quibus fiant fotus, dentur elect. roborantia, *vt diacydon. cum speciebus*, nutriatur æger carnibus assis conditis cum vino *granat. berberis, succo acetoso, vino styptico, capparibus conditis*, & bibat vinum rubrum vel album vetus, & tenue; vtatur diacapparibus. Valet dialacca ad omnem hepatis & splenis oppilationem, modo febris absit. Ad debilitatem splenis conducit *aqua ferrata, elect. de scoria ferri, & de limatura chalybis*, reliqua vide apud Arculanum.

16 *Curatio doloris.* Quomodo dolor curetur ab oppilatione splenis vel inflatione, prius diximus, tum etiam de dolore obtingente in apostemate: nam apostemate curato, & oppilationibus, tum ventositatibus remotis, facile dolores dicti curantur. Interea cum triplex sit cura doloris vna per remotionem caussæ, secunda per anodyna, tertia, sed coacta, per stupefactionem: prima curatio manifesta est; ablata enim caussa cessat effectus. Sed lienis dolor ex calida caussa, salicis foliis tritis, addito sale, sedatur potius: ex frigida, iride, vel ceterach, cum aceto impositis. Si dolor sit ex lapsu vel ictu, vulnere, vena secta ad chirurgiam confugiendum, de qua nunc non est noster sermo: sed fortasse, si Deus me superstitē fecerit, de iis agemus. Quod si dolor non sedetur per remotionē caussæ, tunc ad secundam intentionem curandi deueniendum, scilicet per anodyna, vtentes floribus *chamomillæ, meliloti, anethi. sem. lini fœnug. althææ, parietariæ.* quib. propria addenda, vt *ceterach, cappares, tamarix, & similia.* ex iis conficiendo fotus, sacculos, vnctiones, emplastra, & similia.

17 *Curatio.* Quibus si adhuc non sedetur dolor, tūc opus erit tertia intētione, vt perueniamus ad stupefacientia: attamen cum cautione, a minimis incipiendo, sumtis & admotis, mixtis tamen cum his, quę spleni propria remedia exsistūt, ne materia intus retineatur, & scirrhus eueniat. Quod si diuersi affectus fiant, vt si splen frigida, vēter vero calida affectione laboret, ex meatu bilario flauam bilem excipiente, bileq; reiectante, tunc difficilis erit curatio, *teste Aetio lib. 10. cap. 14.* splene caloris fotum expetente, ventre ac vniuerso corpore refrigeratione indigente, idq; eodem tempore. Tales in tristitia, cura, ira, vehementib. motibus, inedia a malo cibo auocemus, & bilem citra molestiā euacuemus, os ventris roboremus, ne quid influat. Dabimus panē cum oliuis albis, aut colymbadibus dictis, citra vllum potū. Verum vt splen illæsus permaneat, conuenit primum cibos boni succi & actu calidos præbere, postea frigidos, & os ventris corroborantes, & stomacho gratos, vt mala punica: & oleo rosaceo melino stomachum inūgemus, spleni epithemata calida iam sæpius dicta, & apud ipsum descripta, apponentes. Quod si etiam tussis infestat, & acris destillatio (*eodem teste cap. 15.*) splenicis difficilis est curatio; si ex crassis humoribus, eadem. Sed si acris vrgeat destillatio, densanda cum theriaca recenti. Reliqua vide apud eundem. Trallianus vtitur diacodio, & spleni applicat epithema extenuans, & pastillo crocode dicto, ex aceto & oleo rosaceo diluto sincyput fouet.

OBSERVATIO VIII.

De scirrho lienis.

Lienem aūt oportunissimum esse ad scirrhum, veluti & iecur (*quamquam lien, propterea quod rarioris sit substātiæ, crebrius scirrhosis vitiis affligatur, propter nutrimenti, quo vtitur speciem*) a Galeno decretum est, *lib. 13. metho. meden.* Nutritur autem (*vt ante dictum est*) crasso sanguine, qui veluti limus purioris exsistit. Scirrhus autem duplicē

originem habet: vel enim per se incipit, vel medicorũ imperitia paratur, id quod crebrius accidere consueuit, vbi vehementer inflammationes & erysipelata attingunt, & nimium refrigerant, vel topicis calidis vtuntur, tenui humore resoluto, vt paulo ante recensuimus, duro relicto. Sed vir quidam Alcmarianus, melancholicus, cum crasso victu vsus esset, & gelidam aquam bibisset, durus tumor paulatim obortus illi est in hypochondrio sinistro, adeo etiam durus, vt cum tactu facile deprehendere potuerimus, cum ad me curandi caussa accessisset. Ante duos menses prius aliquem dolorem senserat, cum quadam grauitate, vt narrabat, sed nunc malum auctum: & sine dolore scirrhi initium esse iudicaui. Cum enim durities lieni accidat, vt tangenti resistat, nec non loci quædam intemperies appareat, copia substantiæ: scirrhum lienis excitat. Nam eidem cum tumor apparet cum duritia, humor ei infix⁹ est, aut flatuosus spiritus (*vt antea demonstratum est*) aut vtrique simul mixti: vnde lien præter modum augetur, & a naturali recedit magnitudine. Sed humorem & flatum his indiciis ex Traliano cognoscimus: Si flatus est (*vt dictũ est prius*) tactui resistit pertinaciter, & lien punctionem tensionemque experitur: sin autem grauitas cum pondere in latere ipso percipiatur, ex prædictis signis flatus cũ humore mixtos in liene esse scias, idque per initia. Nam postea, morbo inueterato, humoribus frigore nimio, aut siccitate induratis, scirrhus generatur: quemadmodum in hoc ægro euenit. Non tamen adeo inueteratus erat, vt vna cum tumore & duritie sub sinistro hypochõdrio, os fœteret, gingiuæ exederentur, & vlcera in cruribus cicatricem non reciperent, qualia inueteratis scirrhis (*& splenicis appellatis*) iuxta Paulum & Celsum obuenire solent. Attamen hunc scirrhosum esse tumorem, facile intelleximus. Vbi enim cum renitentia, tumore ac dutitie, grauitas cum pondere in sinistro hypochondrio percipiatur, ex humore lento & crasso (*vt hic erat*) lieni indurato infixo, tumorem durum ortum iudicabimus, quem proprie scirrhum, seu scirrhosum tumorem appellamus. Ideo necessarium erat, vt hic statim remedium adhiberemus, cum hic tumor, ex consentiente nimirũ iocinore, potissimum vbi diutinus fuerit, aquam inter cutem generare posset, *vt liquet apud Galenum 5. & 6. de locis affect.* Quapropter antequam fieret exquisitus, in curatione laborandum erat: nam exquisitus omnino incurabilis, *vt idem Galen. scriptum reliquit 3. de art. curatiua ad Glaucon.* Pro eius curatione huic talem victum præscripsimus, qualẽ de scirrho hepatis diximus: nam eadem victus ratio, maioris minorisque dumtaxat ratione differens, (*vt idem Galenus testatur 13. meth. medendi*) conuenit. Capparis itaque esum cõtinuum, cum oxymelite, commendauimus, tanquam vtrique visceri vtilem: quamuis nec pari modo, nec similiter habeat oxymel. Nam & ipsa copiosior, & ex minus diluto oxymelite, lieni est vtilior. Atq; hęc differentia est, quæ ex maioris minorisue ratione accepta, *vt idem Galenus inquit.* Inhibuimus tamen dulcia omnia: nam his tum iecur, tum lien intumescere consueuit. Similiter & vitiosos, maxime vero glutinosos cibos vitandos esse consuluimus, & quod ij tantum exhiberentur, qui concoctu faciles essent, ac bonum & tenuem succum generarent, & vt simul cum iis offerrentur ea, quæ extenuarent, obstructiones tollerent, ac detergerent: acida quoque commendabam, quę maxime Celso auctore conueniunt. Iubebam quoque, vt potius vino veteri (*modo sumetus ferre posset*) aquę permixto vteretur, in qua ferrum sæpe ignitum sit exstinctum, *vt laudat Aetius*, quam vt ceruisiam crassam biberet, nisi tali aliquando vti vellet, in qua absinthium aut folia tamaricis infusa aut cocta leuiter essent. Et quia febris aberat, cum vitium hoc quies augeat, exercitium & laborem moderatum concedebam, vnctiones, frictiones, & sudores, *iuxta Celsum.* Plurimum namque fiduciæ in exercitiis ponendum: quibus ante cibum vti conuenit, corpore superfluitatibus non abundante: ex eorum autem genere ex superabundãti faciũt deambulationes, & cursus. Et noui sane aliquos, qui ex his solis ab omni affectione sint liberati, *vt idem Aetius testatur.* Sed cum hic splenicus ad me vt curaretur venisset, in memoriam reuocaui historiam illam Tralliani de liene indurato, quæ ita habet: *Nouisti, inquit, curatum a me fuisse militem: qui dum ad me veniret, totam lienis regionem barbaricis ferramentis inustam habebat, quem duobus tribusue diebus medicamentis per os datis purgabam: & deinde diligenter ei curam in singulis conuenientibus remediis offerendis adhibebam. Ptisanæ cremorem quotidie in cibo porrigebam, oxymelite conditum, & pisces saxatiles. Ex auibus autem gallinas perdices, ac alia concoctu facilia, boni succi, & probe macerata. Prohibebam ei quæcunque viscosos & crassos humores generant: similiter & carnes bouillas, suillas, ouillas, caprinas, & hœdinas: item aues, quæ in aquis palustribus degunt, omnesque pisces palustres, & pelagios: præsertim qui duras & crassas, non albas carnes obtinent: ad hæc polypos, mulos, sepias, orphos, ostrea, conchas, bulbos, placentas ex melle, & chydro, & quæcunque inflant, duraque & crassa, vel quæ cruda sunt. Vinum improbatur crassum, nigrum adstringens: dandum autem est, quale Hippocrates præcipit, quod neque crassum, neque valde frigidum, neque calidum exsistat. Hoc igitur modo cibus est administrandus. Potui vero dabam vinum, in quo capparis radicem, scolopendrium & myricæ radicum corticem decoxeram: initio quinem singulas herbas simpliciter adhibebam, deinde ex posca aut oxymelite, aut solo aceto coctas: interdum etiam in puluerem redactas, cum supradictis liquoribus, citra coctionem, per interualla dabam, idque non plus quam duobus vel ternis diebus. Quin & oxymel purum per totam hyemem propinabam: nonnunquam supradictas stirpes decoctas, temperatasque cum aqua calida, ante & post cibum, die & noctu, quandocunque volebat æger, potui offerebam. Vere primum ineunte, cum æger multum se recollegisset, & lien decreuisset, videbatur mihi potiones medica-*

medicaminum efficaciores præstari debere, quæ lienem euacuare possent: qui cum magis imminueretur fortiora medicamenta adhibebam. Ac mox inter initia veris, sanguinem ex brachio sinistro copiose detrahebam, & post viginti quinque dies, hoc medicamento quod sequitur vtebar. Spicæ nardi, cappar. rad. corticum myricæ, folior asplenii herbæ squammæ ferri. an. ℥ xviij. myrobalani ℥ x. ammoniaci suffiminis ℥ xviij. polytrichi ℥ vj. stœchad ℥ iij. scolopend. ℥ iij. Singulos drachmam pendentes, ex oxymelite fingebã, ac vinum oxymelite dilutum potui dabam. Postea vero, cum lien probe esset explicatus, medicamenta ad ciendam aluum dabam ac otiosos humores validiorib. nempe hieræ, diacolocynth. ℥ ij. euacuabam. Incoante iam æstate, non tres drachmas, sed quatuor exhibebam, ita vt a prædictis medicamentis nullo die discederem. Ubi sanitati propemodum esset restitutus, cyclamini rad. ℥ j. ex mulsa deinceps semel, aut bis post singulas potiones offerebam. Nam ea vitiosos humores ex liene per sudores expurgat: calidis extrinsecus operimentis medicamine dato iuuandi gratia admotis. Deinde sæpe lienem, potione quidem ex scolopendrio & cappare, & epithematibus quibusdam etiam malacticis, tum aliis, apud eundem longiore sermone descriptis, vt videre poteris, corroborabat: quibus hominem eundem sanitati restituit. Verum quod ad nostrum ægrum attinet, eadem victus ratione vsus est: venæ sectione omissa, cum non multo sanguine abundaret, & humor magis crassus lieni impactus esset. Quare medicamenta aperientia, extenuantia, incidentia & abstergẽtia, tam intus quam extra adhibuimus, & quæ simul exterius emollirent. Et sic pro minoratiuo primo exhibui ℥ j. *cassiæ in bolo cũ ℈ j pul. ceterach. Zacchbaro exiguo conspersam.* Deinde ante purgationem corpus ita præparaui. ℞. *syr. de scolopend. acetos simplicis, syr. e succo fumariæ, ana. ℥ j. ß. syr. de epithymo, oxymelitis scyllitici* (quia hic durities scirrhosa aliquandiu durauerat) *an. ℥. ß. aqua bugloss. scolopend. capill. ven. an. ℥ iij. ß. adiectis ℥ ij. cinamo. select. saporis gratia.* Per triduum in diluculo sumantur. Postea eundem ita purgauimus. ℞. *diacatholici ℥ vj. confect. hamech. ℥ iij. syr. capill. ven. ℥ ß. cum decoct. communi, addendo polypod. querc. follicul. senæ. an. ℥ ß. florum tamaricis. p. j. fiat potio, sumat in aurora.* Splenem deinde inunximus vnguento sequenti. ℞. *dialthææ ℥ j. olei rutacei, de capparibus. an. ℥ ij.* & altero die a potione purgatorio elect. solidum præscripsi, vel huic similes. ℞. *specier. diarr hod. abb. pulueris diacappar. an. ℥ ij. pulueris rosl. nouellæ ℥ j. Zacch. dissoluti in aqua buglo. scolopend. q. s. fiat elect. solidum. dosis omni mane ℥ iij. trib. horis ante cibum.* Rursus & hoc decocto vtebatur. ℞. *rad. cappar. tamaricæ filicis an. ℥ ß. ceterach. capill. ven. agrimon. filipendulæ chamæd. an. m. j. sem. portulacæ, agni casti, end. an. ℥ j ß. flor. genistæ p. j. fol. senæ, epithymi, polypod. an. ℥ ß. vuar. passul. enucleat. ℥ j. glycyr. ras. ℥ iij. sem. carthami contusi ℥ ß. fiat decoct. in aqua communi, pro ℔. j. col. addendo syr. de epithymo, de scolopendrio. oxymell. simpl. an. ℥ j. ß. misce.* Deinde hoc vnguẽto, vt huius æmulo, inungebatur. ℞. *olei amygd. dul. amar. liliacei, irini, de cappar. an. ℥ j. succi centaurii minoris ℥ ß. corticum cappar. myricæ. an. ℥ ij. adipis anserini, gallinacei. an. ℥ iij. ammoniaci in aceto dissoluti ℥ ß ceræ q. s. fiat vng.* Interea eundem purgaui hoc modo. ℞ *decoct. suprascriptæ ℥ iij adde confect. hamech ℥ ß diacathol. ℥ iij. syr. de pomis, oxymel. simplicis, an. ℥ ß. misce.* Fiebat & hic fotus. ℞. *rad. & folior. althææ. an. m. ij. centaurii minoris, ceterach. an. m. j. corticum rad. cappar. rad. tamaricæ. an. ℥ ß. bulliant in aceto & olei partibus æqualibus, & cum spongiis fiat fotus:* quibus sæpius admotis, vnguento suprascripto inungatur, mox & sequenti. ℞. *œsypi, axungiæ gallinæ, olei amygd. dul. an. ℥ j. olei chamæmelini, de capparibus. an. ℥ ß. misce. mane & vesperi ante pastum inungatur.* Postea imperaui, vt hoc arcano præceptoris mei Benedicti Fauentini vteretur ad 15. dies, quo omnis splenis durities dissoluitur. ℞ *rad filicis ℥ ß. rad. cuscutæ ℥ ij misce, & bulliant in ℥ viij. vini albi potentis vsque ad consumtionem tertiæ partis vini:* deinde coletur, & colatura patienti detur modo dicto. Interea colophonẽ huic curationi imponens, vt hoc vnguento regio lienis inungeretur mandaui, quo & alii curati sunt, & magni pretii apud me habetur. ℞. *olei capparorum ℥ j. olei liliar. amygd. dul. chamæmelini, butyri recentis. an. ℥ ß. succi bryoniæ, cyclaminis. ana ℥ ß. ebulliant olea ad consumtionem succorũ, addendo ammoniaci in aceto dissoluti ℥ ij. ß. pingued. gallinæ, crurum vituli, œsypi humidæ an. ℥ ß pul. corticũ rad. tamaricæ, capparor. ceterach. rad. filicis. an ℥ j. pul. sem. agni casti genistæ. an. ℈ j. ceræ parum, fiat vng.*

SCHOLIA.

Hic quidem affectus leuis initio apparet, adeo vt ne medicum quidem rogẽt: sæpe & multis annis perdurat. Noui nobilem quandã matronam, quę vltra 30. annos duritie lienis laborauerat, & tamen in solitis operationibus non lædebatur, quod nota dignum. Vidi tamẽ sæpius, licet multis annis perduret, tandem ex eo affectu ad febres lõgas deuenisse, quę in tabẽ aut hydropem transibant, & ad eos morbos nõnullos deduxisse, quos memorauimus ex cacochymia melãcholica euenisse. Lien itaq; facile in scirrhos incidit, siue quod quis ipsum infirmum habeat, quales sæpe experimur, qui crebro doloribus ea parte capiuntur, & leui de caussa & errore in victu, ipsis intumescit; siue ꝙ plurimũ melancholicum humorẽ quis gignit, eumque crassum, vnde obstructio in eo gignitur primũ, mox tumor in vniuersa carne; idque vel quia natura eius corporis talis est, vel quia ex febribus est genitus hic affectus: hinc & quartanarii sæpe lienem durum incurrunt, vel ex victus ratione tum in cibo & potu, tũ in exercitiis. Equidem vina nigra & crassa id faciunt: nec non & aquæ palustres lutosæ. Vnde Iacchinus in sua patria plurimũ hũc morbum inueniri dicebat, & circa maritima fere loca. Quod & nos obseruauimus in nostra Batauia, plures hoc malo tẽtari, ob crassum victum & ceruisam crassam feculentam, & ꝓcipue apud nostros nautas, qui pane nautico (*biscoctum* vocant) longo tempore mucidum quid redolente vtuntur, & larido rancido, vnde & Scurbutto malo dicto ac lienis duritie affi-

ciuntur, nimirum morbo veteribus incognito, *vt postea de eo dicemus.* Nostrates enim plerique crasso victu & melancholico vtuntur. Fit & aliquando ex crisi, natura sequestrante in magnis morbis materiam in liene. *Cur saepe sunt hi tales citrino colore.* An quia expurgatio hepatis debilis est, debilitato viscere per consensum? Caussas etenim communes habet cum hepatis scirrho, & generationis geminos modos, vt diximus, vel ex se per paulatinã collectionem, vel medicorum imperitia, ex inflammationibus male curatis, vel nimium refrigeratis: & eadem prognostica habet cũ scirrho iocinoris: & ideo quę de eo dicta sunt huc referẽda. Sed quod ad curationem attinet, id quoque sciendum ex Galen. quod vnus scopus generalis sit vacuatio, attamen si quis violenter insistit vacuando, proficiet quidem primum egregie, sed relinquetur contumax affectus, qui sanari nõ poterit. Quamobrẽ necesse est, vt iungamus ea quae calefaciunt modice & humectant, cũ his quę dissoluunt. Quoniam vero crassi etiam lapides incidentibus diffringi solent, optimum erit & ad dissoluendum durum tumorem illis vti. Inter haec vero maxime acetũ conducit, & ea quę acida sunt, vel tenuium partium, & calida modo nõ adeo calore participent, vt nimium siccent. Medicamenta itaque ex suprascripta methodo ad scirrhũ lienis multa nobis comparare possumus, tum ebibita, tum extra applicata. Verum prius hic videndum, num vacuatio per venae sectionem conueniat. Aetius vero commodum hoc esse asserit, si praedicti laborantes multo sanguine abundant: & tunc in interna sinistri cubiti vena secetur: quamuis multam sanguinis copiam auferri minime velit. Multos id cũ Iacchino facere videmus, etiam in saluatella, si hęc minus appareat, & Galenus non videtur prohibere: qui in lib. de venae sectione. *Nescio, inquit, cur multi lienosis sanguinem mittere omiserint.* Lienosos vero appellare, *eos,* solet, *qui scirrho laborant.* Sed ego cum Iacchino credo raro conuenire: sed potius purgatione egent, praesertim si iam cacochymi sunt. Secus est inter initia, vbi crassus & melancholicus sanguis abundat: tunc enim vena secta est opus, *vt in libr. de venae sect.* Ratio est, quod in scirrho est de materia appropriata, non educes, & vires debilitabis: nam iam influxus cessauit. Quod ad medicamẽta attinet, cum plura esse possint, ea adferemus, quae nunc magis in vsu sunt. Cum itaque primum tumorem dissoluere debeamus: hoc non faciemus, nisi eum prius praeparauerimus *aceto mulso. syr. ex succo fumariae. seu acetoso simplici, & melle rosaceo.* Nam acetũ & acetum mulsum huic visceri commoda sunt, vtpote secare, & attenuare crassos humores citra calefactionem potentia, *vt inquit Galen. 9. de compos. medic. secundum locos.* Vel incipiemus a potionibus: ac primum ex simplici oxymelle, cum scolopẽdrii veri seu ceterach & betonicae decocto, idq; per dies 3. vel 4. Postea purgatione aliqua leni vtemur, *vt infusione senae, epithymi, & polypodii in sero decocto: sint vtriusque ℥ iij.* Alii purgans medicamentum propinant, pro ratione redundantis succi: nam pituita redundãte, illa exhibent, quę eandem expurgant: si vero melancholicus succus redundet, quae & ipsum expurgãt, praebent. Deinde potiones quasdam, ac topica medicamenta, quae induratum splenem curant. Debẽt aũt esse potiones fortissimae: vt & illa quę de foris medicamenta applicantur. Nam eas sine molestia splen tolerat, *vt 2. de art. curat. ad Glauc. a Gal. decretum est.* Ex quorum numero primas partes sibi vẽdicant cortices rad. capparis, & scolopendrium, & myricae rad. atque germina, omnibus huiuscemodi in aceto vel oxymelite coctis. Dabimus & trixaginis potionem, tum mõtanae, tum palustris, quam scordion dicunt, myricę folia addendo, atque haec ex acido oxymelite per plures dies. Dissecant haec & extergunt, & siccant citra vehementem calorem. Attenuantibus itaq; opus habet induratus lien pharmacis, citra manifestã caliditatem; cuius gratia valde amara medicamenta ipsi offerimus, ac quaedam ipsis ex austeris miscemus, *vt eo de n 9. de compos. med. secundum locos scriptũ est.* Potui denique ieiuno dari debet absinthium incoctum, ac post cibum aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde exstinctum sit. Haec enim vel praecipue lienẽ coercet. Quod animaduersum est (*vt antea diximus*) in his animalibus, quae apud hos fabros educata exiguos lienes habent, *vt liquet ex Celso.* Haec aqua, in qua ignitum ferrum saepe sit exstinctum, febricitantibus sola, non febrientibus vero cum vino, auctoritate Archigenis, a Galen. *9. de compos. medic. secũdum locos.* commendatur. Conuenientissimum etenim spleni in scirrhum indurato remedium exsistit ferrum, aqua aut vino, aut posca exstinctum. Ea ipsa enim aqua, aut vinum aut posca in principio exhibita, iucunda & vtilissima exsistit, & per plures ex ordine dies datur. *Aetio teste.* Datur autem per se aqua, cyathis tribus, febri vero carentibus, cum vini vel aceti cyatho vno, *vt inquit Paulus.* Interim vero extrinsecus humectantibus humorem fundemus: quibus & incidentia admiscebimus; his enim maxime ad dissolutionem humor paratur. Fiat ergo fotus ex oleo simplici, tenuium partium, & aceto, quibus & vini aliquid tenuis potes adiungere: & est facile parabile. Post haec purgabimus rursus fortiori medicamẽto, quale est ex helleboro nigro paratũ, additis aniso & cinamomo, qualem potionem alias Iacchinus docuit: quae & multis diebus sumi poterit, modo vires aegri ferãt, & leuari aegrum videris. Vbi satis moram traxerit aeger, interim victus ratione vtemur in cibo & potu, & exercitatione. *vt dictum est,* atq; ex diarrhod. aliquid dabimus: & lienem ex vnguento amygd. amar. inunges, dum a potionib. quiescit. Mox valentius siccãtibus vtemur. acidis admixtis, sed per interualla etiam humectantibus. In potionibus itaque *oxymel scilliticum erit cum scolopendrii decocto, aut foliorum capparis recentium.* Quae vero extra admouentur, si quidem mollitus tumor manibus sentiatur (*hoc enim quotidie tentare expedit*) erunt siccantia, extergentia atque incidentia, *vt fotus ex aceto, in quo ferueant capparis radix vel folia ruta*

13 *Curatio.*

14 *Vena sectio numquid conueniat.*

15

Purgatio.

16 *Qualia praebenda medicamẽta sint post purgationem.*

17

Secũda purgatio.

18

Topica.

lia, rutæ semen, cyminum, myrica cum fœnugraco & althææ radice. A fotu vero inunges oleo ex capparibus appellato. Quod si interim imminui valde videbitur, sed durior fieri, expediet ad emollientia calida & humida verti: quorum exemplum est *œsypi ceratum ex compositis, & emplast. e meliloto, & e mucilag. fœnug. althææ, ficuum, adiectis medullis ossium & adipibus.* Hæc igitur iteranda sæpius, quousque metam attingas: & semper de recidua timeto. Facile enim recidunt, ob visceris ex lõgo morbo infirmitatem. Sed si his nihil perficias, & iam malum inueterauerit, extrema remedia tentanda sunt. At primũ potiones hæ: arida capparis folia, cum oxymelite: chalybis, quod stomoma appellant, potio: cui intentioni etiam satis facit ex auro similiter & squammæ ferri potio, de qua Aetius. Nos autem lima attrita vtimur, vel elect. de limatura ferri, quo præceptor meus Benedictus Fauentinus vtebatur. Vnde eius Empirica. Exercitia quoq; iniungemus, interim fouendo oleo & aceto, & victu boni succi vtẽdo. Post hæc his, quæ extra, vtemur, ac primum cyclamine, cũ suillo adipe subacto: habet enim vim maxime extergentem, incidentẽ, sicut & scylla: ex qua similiter emplastrum vel vnguentum confici potest. Aliud efficacius, ex stercore caprino, axungia subacto. Oportet enim interpositis dieb. & humido aliquo vti. Postremũ omnium est ex calce viua, cum nasturtii semine, & fœnugræco, coctis in mulsa, simul subacta atque imposita. Sunt qui cucurbitulas adhibent, atque scarificant, sale inspergentes vlcuscula, alii cauteria affigunt. Sed qui superioribus non sanantur, his non sanabuntur. Historia cuiusdam est, qui per annum durauit, & iam fere tabidus credebatur, qui sanat⁹ est. Qui vero prorsus sanari nequeunt, hos in vita seruari oportet; si vere & autumno purgentur, & congrua victus ratione vtantur. Tentarunt aliqui aquas sponte natas: alii ligni potum: illi præseruati ab vlteriori lapsu, non curati: hi in peius ruerunt, credo siccatione nimia.

Observatio IX.

De quartanario duritiem lienis habente: & de altero qui post quartanam in duritiem lienis incidit.

VIr quidam quadraginta annos natus, cum a quartana liberari nõ posset, eo quod lienem durum haberet, ad eum nos in consilium adhibiti sumus, & tunc nobis in mẽtem venit illud dictum Amati *in schol. centur.* 1. *curat.* 8. *de curatione quartanæ, quod quartana curari non possit, nisi splen prius curatus fuerit.* Proinde spleni, si durior euaserit, & in scirrhum permutetur, & viscerib. summopere prouidendum est, vngendo, illinendo; atque emplastrando, his quæ mollire ac laxare leniter possunt: qualia sunt *butyrum, œsypus, lana succida, oleum amygdalinum, chamæmelinum, semen lini, fœnugræcum, althæa, malua, adeps, medulla ossium, cera carica,* & quæ tota substantia splenem iuuare probata sunt. vt *ceterach, tamariscus, cortex capparis.* Potentiora sunt, quæ post apparẽtem coctionem tuto adhiberi possunt, *ammoniacum aceto liquatum, quod leuiter decoqui debet, ne efferuescat, bdellium molle & pingue, styrax, galbanum, propolis, semen apii, radix iridis, cuminum, ruta, anetum, flos genistæ: glans vnguentaria, quam myrobalanum Græci vocant, medicamentum præ ceteris palmam in iuuando liene obtinens.* Ex quibus possunt confici fomenta, cataplasmata, vnguenta, cerota, linimenta & si quæ sunt alia viscera laxantia & emollientia. Sed in principio leuibus & primo ordine citatis, stante vero coctione, quod est in morbi vigore, id est, statu, tunc potentioribus vtimur: acetum semper addentes, quod in omni topico medicamento adiungi debet, quia lieni acetum maxime conducit, vt testatur *Gal. lib. 9. de compos. medic. secundum locos, & lib. 11. & 14. meth. med. & 5. de simpli.* Acetum tamen quartanariis per os dari non debet, vt longa oratione demõstrat idem Amatus contra Arabes. Post purgationem itaq; ex sena, thymo, epithymo, polypodio, & fumaria, & lupulis, adiectis diasene vel diacatholico, interea optimo victu attenuante vtimur, iniectis herbis, *vt scolopendrio, ceterach dicta, aut tamarisco:* quamuis linguam ceruinam, dictam phyllitim, a consortio harum herbarum etiam idem Amatus eliminandam putat, vtpote quam contrarias vires habere, ipse credit. Nos vero hoc fotu vsi sumus. *℞. rad. althææ. ℥ iij. maluæ m. ij florum chamæmeli, meliloti, ceterach. an. p. j. corticum capp. thamarisci, ana. ℥ ß. sem. lini. fœnug an. ℥ j. coquantur in aqua communi & aceto. pro ℔. j ß pro fotu, cũ spongiis vel filtro.* Deinde inungatur hoc linimento. *℞. emplastri de meliloto, de muccilag. ana ℥ ß. olei de cappar. ℥ j. olei amygdal. amar. ℥ ij œsipi humidæ, adipis gallinacei. an. ℥ vj pulueris ceterach ʒ. j. ammoniaci dissoluti in aceto ℥ ij aceti parum, & ceræ exiguum: fiat linimentum.* Mox apposuimus emplastrũ *de meliloto, & de muccilag. adiecto exiguo puluere filicis, & rad. cappar. & olei de cappar. parum, cum pauca cera,* fiat ceratum spleni applicandum. Cum iam lien detumesceret, & minueretur, decoctis sæpe repetitis ex *carduo benedicto, ceterach, rad. cappar. & tamarisci, centaurea, borag. bugloss. summitat. lupill. & fumaria,* & repetita purgatione, febris quartana mitescere cœpit: & cum iam ver iniret, duritie illa lienis paulatim cessante cum remediis supradictis, febris illum breui reliquit, & sanus factus est, & a duritie lienis liberatus, melius deinde valuit: optima tamen victus ratione obseruata. Alius quoque, qui a quartana in dolorem lienis ac duritiem inciderat, cum iam non amplius quartana laboraret, iussi vt continuo cappares cum aceto comederet, & lienem oleo *amygdal. dulc. lilior. de cappar. & rutæ,* inungeret, & vt hoc fotu vteretur. *℞. rad. althææ mund. ℥ ij. rad. bryoniæ, tamarisci, cappar. an. ℥ ß. flor. meliloti. m. ij. flor. chamomil. p. j. folior. rutæ, ceterach. an. m. ß. sem. maluæ, lini. an ℥ j. coquantur in duabus partibus aquæ communis & vna parte aceti acerrimi, pro ℔. j. ß.* & post fotum inungatur hoc vng. *℞. empl. de muccilag. ℥ ß. empl. de meliloto ℥ ij. olei de cappar. ℥ ß. olei liliorum. ℥ ij. misce.* & hoc emplastro demum imposito. *℞. emplastri de muc-*

cilag. ℥ j. emplastri de melilolo ℥ vj. vngu. *Agrippa* ℥ iij. pul. rad. cappar. thamarisci an. ℈ j. ducatur supra alutam, ad formam linguæ bouis, & sindone rub. cooperiatur, insuatur, vt meli⁹ cohæreat. Interea & diacurcuma, & diacappar. vtebatur. Et durities lienis non solum cessauit, sed etsi metus erat de hydrope, sanitatem pristinam recuperauit, neque in hydropem, vt alteri euenit (*qui tamen a me quoque curatus fuit*) lapsus est.

SCHOLIA.

5 NOn solum his myricæ seu tamarisci radices, verum etiam folia, citra molestiam dãtur eis, qui corpora habẽt, calidiora, pſertim scirrho non inueterato, quib. etiam conducunt virgulta ipsius myricæ, & scolopendrion, & rumicis siluestris, maxime vero acuti semen, foliaque & radix: probe etiam facit anchusa, si rad. eius ℥ j. detur: polytrichon quoque & capni decoctum, ad tertias redactum & folia salicis, & cortex maxime in principio, *iuxta Aetium*. A lenioribus semper incipiẽdum. Verum inueteratis scirrhis, & corporibus agrestioribus, atque iis, qui omnem corporis habitum habent frigidiorem, exhiberi possunt *trissago, gentiana radix, calamintha, pulegium, cyclaminis radix, scordium, trifolii bitumen olentis semen, hyperici coma, acori, asari & eringii rad. viticis semen torrefactum, centaurii minoris succus, etiam si sit exsiccatus, chamæpitys, polium, sed non ante purgationem.* 6 Omniaque iam dicta medicamenta simplicia, in principio cũ posca diluta coquãtur, postea vero meraciore: progressu autem temporis etiam ipsa contusa & cribrata cum aceto, aut aceto mulso, exhibetur, modo nõ laborent quartana, *vt Amatus volebat.* Et quod ad Topica, eadem seruanda methodus, quam seruari præcepimus, *cap. de scirrho iocinoris*, semper etenim emollientem, & discussoriam medicamentorum facultatem præcellere oportet: quibus parum quiddam eorum, quæ astringendi vim habent, admiscendum est. *Gal. auctore ac Aetio.* Nisi quod tutior erit vsus aceti in lienis scirrho etiam a principio, cũ naturaliter rarus sit: nec est quod metuas, ne quis neruus eius vi lædatur: quemadmodum in tendonibus, ac neruosis musculi partib. vt liquet 14. *meth. med.* In hunc vsum capparis cortex ex aceto contritus illitusq; confert: *is enim* (inquit Aetius) *admixtus aliis medicamentis, vltra hoc, quod dissecat & expurgat, etiam splenem corroborat: multisque modis huic rei capparis aptus est. Nam & ipsum cum cibo assumere, & muriam eius cum aceto sorbere, commodum est: quin etiam extrinsecus radicem contritam, vel corticem eius cum furfuribus, aut ipsum capparem cum melle contritum imponere expedit,* vt Celsus inquit: 7 Quemadmodum etiam nõ pauci ammoniacum cum aceto, ad luti crassitudinem redactum lieni imponentes, eius scirrhum curarunt: idque solum ei curando sæpe satis fuit, *vt liquet ex Galeno 14. meth. med.* Nec non & salicis cortex consimiliter illitus & centaurii succus, ac cinis fabrorum cum cruda polenta ex oxymelite illitus, aut etiam lupinorum farina, magnopere conferũt, *ex Pauli auctoritate.* Etiam emplastra, tum vnguenta superius dicta conferunt; adiectis *adipe anserino & medulla ceruina seu vitulina*, & in processu seuum tum hircinum, tum taurinum, ac etiam caprillum adiici potest, & quantitas ammoniaci augeri, adiiciendo *bdellium & galbanum, prius in aceto dissoluta; & styrax & opopanax, cyclami farina seminis lini fœnugræci, ac althææ.* ex quibus varia medicamenta componi possunt, & prout affectus exigit, tum addere tum adimere poterimus, ea quæ emolliunt, attenuant, discutiunt, & robur addunt.

Inueteratis scirrhis & corporibus agrestiorib. quæ conueniant.

Topica.

OBSERVATIO X.

De scirrho incurabili, cum variis symptomatibus.

8 ADrianus Leoninus, Leydanus, vrbis Delphensis Pensionarius (*vt vulgo dicitur*) vir doctissimus, per integrum annum hectica febre laborauerat, & scirrho lienis afficiebatur, vt *Obser. IX. de hectica marasmode, lib. 4. Obs. nostrar. de feb.* abunde egimus. Sed nos reliqua illa de febre hectica, prætermittentes, nunc tantum de iis tractare decreuimus, quæ ad duritiem & scirrhum lienis attinent. Henricus Vergerius, medicus certe doctus, vt & Ericius collega meus, multa linimenta, vnguenta partim emollientia, partim discutientia, ac emplastra pro scirrho præscripserũt, vti hæc erant. ℞. *muccilag. rad. althææ & seminis eius, ac seminis lini. an.* ℥ ij. *pingued anatis, anseris, gallinæ. an.* ℥ j. *butyri recentis non saliti.* ℥ ij. *farinæ seminis lini m. j.* ß. *furfuris frumenti exacte comminuti & cribrati. an. m. j. corticum rad. cappar. tamarisci an.* ℥ ß. *rad. cyclaminis* ℥ vj. *seminis agni casti.* ℥ ß. *ficuum pinguium* ℥ iiij. *oleor. irini. lilior. de cappar. amygd. amar. ana. q. s.* fiat cataplasma secundum artem. 9 Postea præscripserũt & hoc linimentum. ℞. *ammoniaci dissoluti in aceto sambucino.* ℥ j. ß. *olei de cappar. amygd. amar. irini. an.* ℥ iij. *adipis ceruinæ, gallinæ, anseris. ana* ℥ j. *pinguedinis vituli.* ℥ vj. *cum aceto sambucino q. s. fiat linimentum.* Deinde & illud quod sequitur, absque pinguedinibus. ℞. *ammoniaci dissoluti in aceto sambucino* ℥ j. ß *olei de cappar. amygd. amar. irini. an.* ℥ iij *cum aceti eiusdem q. s. fiat linimentum.* Mox lienem fomentarunt lapide marcasita, cum aceto acerrimo in ollã coniecto, ebulliẽte, vt artis est. Deinde ad vnctiones & cataplasmata redierunt, deinde ad fomentum, eo fere modo, quo habetur 2. *ad Glauconem, cap. de scirrho.* Mense vero Maio ad eum accitus fui, cum antea per integrum annum & hectica & scirrho lienis laborasset, & varia ac diuersa remedia essent tentata, cui tunc solus aderat Henricus 10 Vergerius, medicus egregie doctus. Quæ ad hecticam & alia accidentia præscripta sunt eodem tempore, lector inueniet *Obs. 9. de hectica marasm. lib. 4. nostrarum Obseruationum.* Quod ad scirrhum attinet, de quo nunc agimus, *Gal. 2. ad Glauconem cap. de scirrho,* vult, vt insistamus primo emolliẽtibus, deinde discutientib. & moderate emollientibus, atq; hoc ipsum vicissim faciendum suadet, vt eorum vsus alternatus sit, non simul, quemadmodum ibidem narrat de puero Ceciliũ, quem a tumore scirrhoso in femore curauit: & tam diu emollien-

emollientibus vtendum iubet, vt perfecte mollities quædam censeretur, ad ruborem carnis fere exterioris. Deinde discutientibus vtitur. *Nam si altero tantum medicamentorum scirrhum curare tentauerimus* (vt idem dicebat) *nequaquam sanabimus: Quæcunque enim nimis digerunt, ob calorem vehementer digerentem, scirrhum in tophaceam duritiem concrescere faciunt: quæ vero nimis emolliunt, non possunt solum præstare, vt scirrhus decrescat. Alternatus igitur eorum vsus moderatus, confert. Sed nec, quæ emolliunt, continuo affectum curant. Opus enim est & digerentibus; non quidem vehementer, sed quæ emolliendo id commode præstent.* Hactenus Galenus. At hic in liene licet primo emollientibus sit vtendum, tamen addenda (*vt recte fecerunt medici doctißimi*) quæ roborant (*liene hoc requirente, magis quam femur*) & discutiunt: quia discutientia non sine emollientibus in progressu magis augenda. Lienem autem scirrhosum, *eodem Galeno teste 3. ad Glauc.* non solum adhibitis vehementibus medicamentis foris curare oportet; sed & validissimis potionibus: nam & hæc lien citra molestiam perfert, *vt antea dictum est*: vt est radix capparum, & cortex, & scolopendrii, & myricæ tū radices tum ramuli, in aceto vel aceto mulso incocta. Quibus etiam medici expertissimi in principio recte quidem hic sunt vsi: sed cum viderent quod æger calore magis afficeretur, & hectica augeretur, statim ab eiusmodi medicamentis intro assumtis probe abstinuere. Cum vero in principio huic crura maculis variegata fuissent (*vt in scurbuto fieri solet*) vt medicus præsens nobis narrabat, procul dubio & nos hoc malum (*vulgo Scurbutum dictum*) adesse existimauimus, & ob hoc medicos doctissimos tūc præsentes, commode cochleariæ decoctum præscripsisse. Hectica tamen magis inualescente, coacti fuere talia decocta relinquere. Itaq; cum scurbutus hic adfuisset, ex lienis obstructione; obstructio illa diu perdurans proculdubio conuersa est in scirrhum exquisitum, & qui iam vltra annum durauerat. Quare ego eum omnino incurabilem iudicaui; eoque magis cum hectica adesset. Interea, quantum ad duritiem lienis pertinebat, consulebam vt medicamentis solum externis, quibus antea vsi fuissent, adhuc instaremus, ne intus assumta paulo calidiora & de obstruentia hecticam augerent. Ideo inter me & Henricum Vergerium medicum, qui tuncaderat, conclusum est, vt ceratum emolliens apponeremus, & deinde reuerteremur ad emollientem inunctionem, & simul dissipantem & resoluentem. Huic ceratum meum de ammoniaco, quo ego vtor, impositum fuit. Cuius hæc est descriptio: ℞. *ammoniaci dissoluti in aceto* ℥ j. *dialthææ, emplastri de meliloto ana* ℥ ß. *furfuris frumenti optime cribrati* ℥ j. *pul. rad. bryoniæ siccæ, pul. rad. ireos siccæ, an.* ℥ ß. *pinguedinis anatis, anseris, gallinæ an.* ℥ iij. *bdellii, galbani ana* ℥ j. ß. *olei irini* ℥ j. ß. *bulliant leniter in mucci laginibus seminis lini, fœnugræci ana q. s. & vt in formā debitam cerati coeant, adde ceræ* ℥ iij. *terebinthinæ, & resinæ pini an.* ℥ j. ß. fiat ceratum secundum artem, plurimum emollit & resoluit duritiem scirrhosam, vt hoc ipsum pro arcano habeam, ac in officina pro me semper paratum inueniatur. Quo primum vsi sumus in Godefrido Isibrandi ceruisiario Delphensi, vt suo loco aliquando dicturi sumus. Postea vna cum Henrico Vergerio hoc sequens etiam vnguentum præscripsimus: ℞. *ammoniaci* ℥ vj. *bdellii mollioris & subalbi* ℥ ij. *pinguedinis anseris, gallinæ, ceui ana* ℥ ij. *interioris rad. cyclaminis, furfuris frumenti ana* ℥ j. ß. *ceterach, agni casti, rad. cappar. thamarisci ana* ℈ ij. *olei de cappar. irini, amygd. amar. an.* ℥ iij. *succi bryoniæ* ℥ j. ß. (eo quod deerat succus cyclaminus) *dissoluantur gummi in aceto scyllino, & olea cum pinguedinibus bulliant*, vna cum succo, ad consumtionem fere succi: & ab igne ablatis adde gummi, ne indurescant nimio calore: & tandem pulueres exacte contriti & cribrati commisceantur; addendo ceræ nouæ q. suf. fiat vng. mediocris spissitudinis. Deinde intermissis aliquibus diebus, lien fomentabatur cum aceto, cui lapis marcasita ignitus in olla aceto plena iniiciebatur; ollam bene cooperiendo: deinde cum spongia huic aceto immersa fiebat fotus. Ad hunc autem modum, *teste Galen. 2. ad Glauc. de scirrho*, ministratur lapis pyrites vel molaris: Igni candens, aceto acerrimo perfunditur; & super vaporem calidum, quem sursum emittit scirrhosa pars, collocatur, subindeque versatur, vt tota vaporem melius excipere queat. Illud autem commode fieri potest in membris exterioribus, vt femore ac cruribus; difficilius vero in liene: ideo fotu vsi sumus cum spongia aut filtro, vt præceptor meus Benedictus Fauentinus vtebatur. A fotu mox ad vnguenta, deinde ad cerata reuertebamur. Quibus remediis æger se fatebatur alleuiari, quamuis non curaretur; hectica non solum inualescente, sed & fluxu ventris obrepente symptomatico & lethali. Sed paulo ante hoc tempus, doctissimus ille Henricus Vergerius medicus, in mensa sedens, cū cyathū vini bibisset subito animi deliquio, aut subitanea suffocatione periit. Tunc itaque solus in curatione relictus, vtebar fotu sequenti ad lienem: ℞. *rad. althææ* ℥ j. *cort. rad. cappar. thamarisc. an.* ℥ ß. *cassutæ, ceterach, centaurii minor. flor. cham. melil. an. m.* ß. *sem. lini, fœnug. an.* ℥ ij. *coquantur in aceto acerrimo, pro fotu.* Postea rursus facta est cōsultatio medicorum, & Cornelii Ericii collegæ mei, & Hugonis Nieuenii, & Gerardi senioris medici Leydani: in qua consultatione, quæ acta sint, *lib. 4 obser. 9. diximus*: Hugone medico proponēte vsum ligni sancti; ad quē prius fere accedebat Cornel. Ericius: nos contra rationibus innixi probauimus, quod nimium exsiccaret lignum sanctum, & hecticam augeret, neque lieni ita proficeret; cum aliqui in scirrho lienis (*vt docte Iacchinus recenset*) huius vsum administrantes pessime ægros tractarint, ob nimiam exsiccationem. Ideo hoc relictum est remedium. Et quia fluxus cum hectica lethalis erat: tamen vt huic ægro vitam paululum protraheremus, contra fluxum dedimus conseruam ros. & semen portulac quod & lienis duritiei prodest. Et licet fluxus aliquo modo iis sedaretur, attamen hectica postea augescente, & fluxu in fine magis

BB

increscente, consumtus hic periit: cum ante mortem vere cadauerosus haberi potuerat.

Scholia.

16 SCIRRHVS confirmatus quam difficile curetur, hoc vno exemplo constat: licet in principio, si nondum sit exquisitus, curationem facile suscipiat. Sic anno 1568. mense Octobri, Iodocum Weruium, præfectum Brielensem, & virum nobilem, curauimus statim, cum sentiret in liene obstructionem & inflationem quãdam, cum magna duritie, non sine dolore, sumto prius lenitiuo & apozemate aperiente: quibus cum parum auxilii primum sentiret, & in liene doleret, & nullum appetitum haberet, ob succum melancholicum in liene retentum, neque ad ventriculum transmissum: vnde paucis diebus macilentus euadens, me ad se vocauit. Ad quem accitus cum lienis duritiem persentirem, cum inflatione & obstructione, intra octo dies in principio, quod alicui mirum videbitur, his præsidiis sanus factus est, sumens omni mane duo cochlearia argentea, ex syr. acetoso simplici & scolopendria, & oxyzacch. quia intemperies quædam videbatur admixta. Hoc decocto etiam assumto. ℞ cort. rad. cichor. dentis leonis, fœniculi, apii, macerat. in aceto ana ℥ ß. rad. thamaris. cappar. ana ʒ ij. fumariæ, ceterach, summitat. lupul. borag. bugloss. ana m. j. seminis agni casti, portulacæ ana ʒ j. ß. coquantur in aqua communi, pro ℔. j. colatura adde oxymell. simpl. syrup. acetosi simplicis ana ℥ j. oxyzacch. simplicis, syrup. de byzantiis cum aceto, ana ℥ ß. misce. omni mane & ve-
17 speri inungebat lienem oleo amygdal. dulc. & de capparibus. Deinde hoc modo fuit purgatus: ℞. rad. cichorii, fœniculi, asparag. macerat. in aceto ana ℥. ß. cassutæ, agrimoniæ, ceterach ana m. ß. semin. portulac. agni casti ana ʒ j. foliorum senæ ʒ vj. epithymi ʒ ij. cortic. rad. cappar. ʒ j. ß. polypod. querc. ℥ ß. rhabarb. selecti ʒ j. ß. schœnanthi ℈ j. semin. end. ʒ ß. vuar. pass. ab arill. repurg. ℥ ß. coquantur in aqua communi. pro ℥ vj. fortiss. express. adde syrup. acetos. simplicis ℥ ij. misce, pro duabus dosibus matutinis, ex vna quinquies aluum deposuit, & cœpit melius habere, ac conualescere, appetitu redeunte. Vtebatur tamen continuo capparibus conditis cum aceto: & pro potu, vino Rhenano lymphato, cum aqua ferrata: & cœpit lien detumescere. Hoc condito quoque vsus est: ℞. conseruæ borag. buglossæ ana ʒ vj. specierum diarrhod. abb. ℈ ij. specierum trionsantal. troc. hisc. de cappar. ana ℈ j. semin portulacæ, agni casti puluerisat. ana ℈ j. ß. puluer. ceterach ℈ j. cum syrup. acetoso simplici: fiat conditum. sumebat omni mane ad magnitudinem fabæ maiusculæ. Si lien non fuisset extenuatus, peruenissem ad fortiora, de quibus in præcedentibus diximus. Habes & apud Aetium plures compositiones Veterum, & malagmata, quibus vti solebant, cap. 11. sermon. 10. de cura splenis in scirrhum indurati, ex Galeno, & aliis. Hæc de lienis duritie ac scirrho dicta sufficiunt. Nunc ad scurbutum, morbum veteribus incognitum, transeamus: cum hoc malum etiam ad lienem pertineat.

Observatio XI.

De scurbuto malo cognoscendo & curando; loco exempli aliorum morborum, ad Iordanum Forestum, & Adamum Forestum, qui sese medicinæ addixerunt.

18 CAVTVM fuit aliquando in Asclepiadarum familia, ne quis artem & industriam medendi, possessionem plane diuinam, a Deo solis ipsis concessam, cuipiam communem faceret, qui ab eodem non esset genere exortus. Id quod fuisse in caussa videtur, vt peritos artis illius τῶν ἰατρῶν παῖδας hoc est, filios medicorum, Græci semper vocarint: ac si fieri vllo modo non posset, vt legitime quispiam medicinam profiteretur, quam minime a genitoribus suis accepisset. Nec perperam quidem illi, meo iudicio, o iuuenes generosi, factitabant: quandoquidem vel optima quæque instituta (vt recte & Lacuna doctissimus dicebat) vilescunt & dilabuntur, variisque fiunt obnoxia adulteriis, dum citra delectum vllum ab omnibus profanantur: multoque aptiores ad quamcunque artem capessendam exercendamque fient ii, qui a parentibus suis, vna cum generationis primordiis contraxerunt quandam veluti inclinationem, propensionemque in eam artem, cui postea indulserint, quam quibus natura & mens ob diuersam genituram, ad contraria inclinatur. Recte igitur, Iordane Foreste, & tu Adame Foreste Iuuenes nobiles, ex familia antiquissima Forestorum prodeuntes, quasi iure hereditario medicinæ vos addixistis, & mancipastis, non aliter quam præcessores vestri fecerunt, quos etiam imitandos proponimus, vt eam ipsam medicinam virtutibus & arte vestra exorne-
19 tis. Inter Forestos omnium primo (quem tamen ipse non vidi, nec noui) Petrus quoque Forestus nomine, medicinam magna cum laude apud Dordracenos longo tempore exercuit: vt insignia Forestorum & epitaphium sepulcro eius apposita ostendunt: quæ & ego vidi, nunc belli atrocis iniuria ablata. Secundus vero medicus in nostra familia, quem & noui ac vidi, cum puer essem, fuit Theodoricus de Foresto, eiusdem nominis cum tuo patre, o Adame, Reuerendissimi domini Episcopi Villensis in Polonia physicus & chriurgus, cuius imaginem exsculptam eius filius Iacobus Forestus e Regiomontana vrbe, post mortem per filiam suam vnicam ad me transferri curauit. Medicus, si quis alter, insignis: qui & longo tempore in Italia, deinde etiam apud Turcas Constantinopoli medicinam fecit: deinde apud Episcopum in Polonia physicus exstitit, ac ibidem mortuus est. Hunc semel cum puer essem, apud patrem & matrem, ex Polonia reuersum, deinde rursus eo proficiscentem, vidi: eoque ad medicinam me adhortante, postea & huic arti præclarissimæ me totum mancipaui. At Iordanus Forestus, meus pater carissimus, non illiteratus, cuius tu nomen, Iordane, refers, tuus ac Adami Foresti auus, tres filios medicinæ destinatos, vt in ea laborarent curauit: quorum ego senior primus fui, & tertius in ordine medicus ex familia Forestorum: & postquam Louanii aliquot annis medicinæ operam dedissem, in Italiam profectus, vt praxin addiscerem, medicinæ titulum Bononiæ consequutus sum, anno 1543. die Iouis, penult. Nouembr. Deinde in Italia aliquot annis hærens, in Galliam profectus medicinam feci: ac demum in patria: postea apud Delfenses honorario publico conde-

decoratus, medicinam (nunc excedens annum, cum hæc ad vos scriberem 69.) 46. annis exercui. *Quartus in ordine est Iacobus Forestus, meus Frater, etiam vester patruus, qui Ferrariæ insignia Doctoratus adeptus in Italia, anno 1565. deinde in patriam reuersus, longo tempore & ibidem medicinam fecit. Quintus in ordine erat Ioannes Forestus, meus frater, & vester quoque patruus, qui etiam medicinæ operam dedit; at post mortem patris iunior vxori copulatus, eo non est progressus, vt medicinam faceret: tamen in theoria egregie profecerat. Hi omnes ex familia Forestorum, vt vestri ante ambulones, non alia de caussa a me vobis proponuntur, quam vt eosdem imitari possitis. Quod vt recte fiat, & probe aliquando praxin exercere possitis, institui per compendium aliqua exempla hic adferre de scorbuto, nouo morbo curando, vti aliquando feci de eodem malo, tum de conuulsione, fratri meo Iacobo Foresto, vestro patruo, cum Louanij operam medicinæ daret. Sed is profectus deinde in Italiam, illud exemplar quod scripseram, cuidam Germano dedit; ac ita intercidit. Scripseram illi,* (si bene memini) *nunc cum theoria instructus esset, quomodo praxin exerceret: eidem proponens omnia medici officia, scopos omnes, ex quibus indicationes curandi sumuntur. Verum quia hæc habentur in libro meo, meaque manu scripto, omnes Locos medicinæ Communes continente, non opus est eadem hic repetere: nam & de iisdem ad longum scripsimus* in lib. 3. contra Vroscopos, cap. 3 *quod certa sit methodus signorum & caussarum, tum morborum & symptomatum; & quod certi sint scopi, ex quibus denuo indicationes curatiuæ sumuntur. Id ipsum vero nunc vobis exemplis de scorbuto, nouo morbo, & veteribus incognito, ostendemus. Ex qua methodo, & alios morbos tum cognoscere, tum etiam curare licebit.*

Hæc omnia hominem melancholicum declarabant.

Nauta quidam Alcmarianus, anno 1555. annos 38. natus, multis mensibus Alcmariæ deplorate variis symptomatibus affectus decubuit: homo viribus satis infirmis, hirsutus, nigroque colore, hinc & per antiphrasin *Antonius Albus* dictus, proceræ staturæ, melancholicus, cui cholera adusta admixta erat, habitu gracili, in quo amplæ venæ & vtcunque tumidæ apparebant: quanquam nunc nonnihil concidebant, ob morbi longitudinem. Hic autem sub finem æstatis primo incidit in quartanam, quæ per totum autumnum, ac hyemem sequentem, vltra septem menses perdurauit: mox tumor lienis (*eiusdem obstructione præcedente*) subsequebatur, qui ita induruit, vt diaphragma tum pulmonem compresserit; febre hectica subsequente, tum sputi cruenti ac quasi purulenti exscreatione superueniente, cum totius corporis consumtione. Aderat & anhelitus difficultas, ambulandi impotentia, scapulæ ingens dolor, gingiuarum sanguifluus tumor, genu sinistri, tum totius cruris, vehemens durities scirrhosa, ac inflatio; cum cutis variegatione, & rigiditate, vt crus mouere non posset, nec ambulare. Medici & chirurgi, qui tunc præsentes erant, eum morbo Gallico (*vt solet hoc genus imperitorum, imo impostorum*) laborare affirmabant. Ceterum nos, qui vltimo ad ægrum accessimus, horũ omnium affectuum naturam, tum genera ipsa, differentias,

Imperitorum medicorum iudicium facile ac ineptum.

caussas, euentusque per signa perfecte inuenimus; & vix homine inspecto, cum laborare eo morbo (*exceptis reliquis accidentibus*) seu affectu, quem alii *sceletyrbem*, alii *gingipedium*, alii, vt vulgares, *scorbutum*, nonnulli *stomacacem* vocant, percepimus: ita vt postea nihil superesset quin rationem quoque agendi inueniremus, *vt mox declarabimus*. Nam & hoc inter interrogandum fassus est, sæpe & hoc eodem malo seu morbo se obnoxium fuisse. Cum enim in Hispaniam nauigaret, in naui hac eadem passione scorbutica dicta se correptum fuisse narrabat, ex laridi rancidi, & carnis non bene salitæ ac putidæ, & panis biscocti mucidi comestione. Nam hæc ægritudo, vt vsu quotidiano edocti sumus, in Hollandorum seu Batauorum ac Westfrisiorum nauibus grassari solet; maxime vero in aeris constitutione calida, & aquarum dulcium penuria: aut dum corruptis aquis, in dicta aeris intemperie, vtuntur, tum crassa diæta, hoc malo corripiuntur. Peculiaris enim ipsorum, qui hoc morbo afficiuntur, victus est, caro salsa, laridum rancidum, pisces olidi, panis biscoctus submucidus, allia, ceruisia crassa, mali succi procreatiua. Atqui infecti hoc morbo nautæ victu tenuiori tunc vtentes, tum ceruisia absinthite, ac eiusmodi melius valent. Ita etiam hic noster nauta, cum vtcunq; eo tempore a scorbutica passione euasisset, domum rediens incidit in quartanam; mox iterum in scorbutum, ac reliqua symptomata dicta. Ceterum, vt aliqua de hoc morbo dicamus; non solum antea incognitus fuit, sed multi eo laborantes interierunt. Ita vt olim Martinus Dorpius, doctor Theologus Louaniensis, dicto morbo multis abhinc annis exspirauerit, maximopere admirantib. ac stupescentibus medicis Louaniensibus, qui de Scorbuto, vtpote nouo adhuc & incognito malo, nihil tunc determinauere; nec de nomenclatura, nec de essentia, multo minus de curandi ratione. Nos tamen hic plurimos curauimus: & quæ in iis obseruauerim aliquando signa, paucis explicabo. Certum est, *Scorbutum chronicum esse morbum, non simplicem, sed compositum ex pluribus; ex quibus aliqui morbi tantum; aliqui morbi simul & caussæ rationem obtinent.* Id signa hæc pathognomonica ostendunt, *præcordiorum angustia, crurum cum dolore debilitas, gingiuarum pruriginosa rubedo, ac dolor, faciei color in nigredinem vergens.* Et huius principium plerũque longũ est, & hoc cognitu difficilius, quo longius protrahitur, quia omnia fere signa habet cum aliis communia, vti est totius corporis tum grauitas, tum spontanea lassitudo, quæ hebetiores non sentiunt, nisi a consueto exercitio. At vbi consequitur, *præcordiorum aliqualis angustia, crurum debilitas, & exiguus dolor, gingiuarum pruriginosa rubedo ac dolor, faciei color ex pallido in fuscum vergens,* hæc inquam vbi coniunctim inuenio, Scorbuti principium adesse suspicor; eaque esse huius morbi peculiaria signa; etiam principii huius morbi: quæ eadem quoque increscentia augmentum & statum designant. Quæ vbi in principio adesse viderim, Scorbutum adesse iudico: alioqui subhæsitans, quousque *oris graueolentia gingiuarum*

Scorbutus.

Vbi scorbutus maxime frequens est.

Victus melancholicus.

Quartana magna ex parte scorbutum præcedit.

Scorbutus morb. medicis Louaniensib. incognitus.

Scorbutus chronicus morbus & compositus.

Signa pathognomonica scorbuti.

Scorbuti principium.

Scorbuti signa peculiaria.

increscente, consumtus hic periit: cum ante mortem vere cadauerosus haberi potuerat.

SCHOLIA.

16 SCIRRHUS confirmatus quam difficile curetur, hoc vno exemplo constat: licet in principio, si nondum sit exquisitus, curationem facile suscipiat. Sic anno 1568. mense Octobri, Iodocum Weruium, præfectum Brielensem, & virum nobilem, curauimus statim, cum sentiret in liene obstructionem & inflationem quãdam, cum magna duritie, non sine dolore, sumto prius lenitiuo & apozemate aperiente: quibus cum parum auxilii primum sentiret, & in liene doleret, & nullum appetitum haberet, ob succum melancholicum in liene retentum, neque ad ventriculum transmissum: vnde paucis diebus macilentus euadens, me ad se vocauit. Ad quem accitus cum lienis duritiem persentirem, cum inflatione & obstructione, intra octo dies in principio, quod alicui mirum videbitur, his præsidiis sanus factus est, sumens omni mane duo cochlearia argentea, ex syr. acetoso simplici & scolopendria, & oxyzacch. quia intemperies quædam videbatur admixta. Hoc decocto etiam assumto. ℞ *cort. rad. cichor. dentis leonis, fœniculi, apii, macerat. in aceto ana* ℥ ß. *rad. thamarisc. cappar. ana* ℥ ij. *fumariæ, ceterach, summitat. lupul. borag. bugloss. ana m. j. seminis agni casti, portulacæ ana* ℥ j. ß. *coquantur in aqua communi, pro* ℔. j. *colatura adde oxymell. simpl. syrup. acetosi simplicis ana* ℥ j. *oxyzacch. simplicis, syrup. de byzantiis cum aceto, ana* ℥ ß. *misce.* omni mane & ve-

17 speri inungebat lienem oleo amygdal. dulc. & de capparibus. Deinde hoc modo fuit purgatus: ℞. *rad. cichorii, fœniculi, asparag. macerat. in aceto ana* ℥. ß. *cassutæ, agrimoniæ, ceterach ana m. ß. semin. portulac. agni casti ana* ℥ j. *foliorum senæ* ℥ vj. *epithymi* ℥ ij. *cortic. rad. cappar.* ℥ j. ß. *polypod. querc.* ℥ ß. *rhabarb. selecti* ℥ j. ß. *schœnanthi* ℈ j. *semin. end.* ℥ ß. *vuar. pass. ab arill. repurg.* ℥ ß. *coquantur in aqua communi. pro* ℥ vj. *fortiss. express. adde syrup. acetos. simplicis* ℥ ij. *misce, pro duabus dosibus matutinis,* ex vna quinquies aluum deposuit, & cœpit melius habere, ac conualescere, appetitu redeunte. Vtebatur tamen continuo capparibus conditis cum aceto: & pro potu, vino Rhenano lymphato, cum aqua ferrata: & cœpit lien detumescere. Hoc condito quoque vsus est: ℞. *conserua borag. buglossæ ana* ℥ vj. *specierum diarrhod. abb.* ℈ ij. *specierum trionsantal. trochisc. de cappar. ana* ℈ j. *semin portulacæ, agni casti puluerisat. ana* ℈ j. ß. *puluer. ceterach* ℈ j. *cum syrup. acetoso simplici: fiat conditum.* sumebat omni mane ad magnitudinem fabæ maiusculæ. Si lien non fuisset extenuatus, peruenissem ad fortiora, de quibus in præcedentibus diximus. Habes & apud Aetium plures compositiones Veterum, & malagmata, quibus vti solebant, *cap. 11. sermon. 10.* de cura splenis in scirrhum indurati, *ex Galeno, & aliis.* Hæc de lienis duritie ac scirrho dicta sufficiunt. Nunc ad scurbutum, morbum veteribus incognitum, transeamus: cum hoc malum etiam ad lienem pertineat.

OBSERVATIO XI.

De scurbuto malo cognoscendo & curando; loco exempli aliorum morborum, ad Iordanum Forestum, & Adamum Forestum, qui sese medicinæ addixerunt.

18 CAUTUM *fuit aliquando in Asclepiadarum familia, ne quis artem & industriam medendi, possessionem plane diuinam, a Deo solis ipsis concessam, cuipiam communem faceret, qui ab eodem non esset genere exortus. Id quod fuisse in caussa videtur, vt peritos artis illius* τῶν ἰατρῶν παῖδας *hoc est,* filios medicorum, *Græci semper vocarint: ac si fieri vllo modo non posset, vt legitime quispiam medicinam profiteretur, quam minime a genitoribus suis accepisset. Nec perperam quidem illi, meo iudicio, o iuuenes generosi, factitabant: quandoquidem vel optima quæque instituta* (vt recte & Lacuna doctissimus dicebat) *vilescunt & dilabuntur, variisque fiunt obnoxia adulteriis, dum citra delectum vllum ab omnibus profanantur: multoque aptiores ad quamcunque artem capessendam exercendamque fient ii, qui a parentibus suis, vna cum generationis primordiis contraxerunt quandam veluti inclinationem, propensionemque in eam artem, cui postea indulserint, quam quibus natura & mens ob diuersam genituram, ad contraria inclinatur. Recte igitur, Iordane Foreste, & tu Adame Foreste Iuuenes nobiles, ex familia antiquissima Forestorum prodeuntes, quasi iure hereditario medicinæ vos addixistis, & mancipastis, non aliter quam præcessores vestri fecerunt, quos etiam imitandos proponimus, vt eam ipsam medicinam virtutibus & arte vestra exornetis.*

19 *Inter Forestos omnium primo* (quem tamen ipse non vidi, nec noui) *Petrus quoque Forestus nomine, medicinam magna cum laude apud Dordracenos longo tempore exercuit: vt insignia Forestorum & epitaphium sepulcro eius apposita ostendunt: quæ & ego vidi, nunc belli atrocis iniuria ablata. Secundus vero medicus in nostra familia, quem & noui ac vidi, cum puer essem, fuit Theodoricus de Foresto, eiusdem nominis cum tuo patre, o Adame, Reuerendissimi domini Episcopi Villensis in Polonia physicus & chiriurgus, cuius imaginem exsculptam eius filius Iacobus Forestus e Regiomontana vrbe, post mortem per filiam suam vnicam ad me transferri curauit. Medicus, si quis alter, insignis: qui & longo tempore in Italia, deinde etiam apud Turcas Constantinopoli medicinam fecit: deinde apud Episcopum in Polonia physicus exstitit, ac ibidem mortuus est. Hunc semel cum puer essem, apud patrem & matrem, ex Polonia reuersum, deinde rursus eo proficiscentem, vidi: eoque ad medicinam me adhortante, postea & huic arti præclarissimæ me totum mancipaui. At Iordanus Forestus, meus pater carissimus, non illiteratus, cuius tu nomen, Iordane, refers, tuus ac Adami Foresti auus, tres filios medicinæ destinatos, vt in ea laborarent curauit: quorum ego senior primus fui, & tertius in ordine medicus ex familia Forestorum: & postquam Louanii aliquot annis medicinæ operam dedissem, in Italiam profectus, vt praxin addiscerem, medicinæ titulum Bononiæ consequutus sum, anno 1543. die Iouis, penult. Nouembr. Deinde in Italia aliquot annis hærens, in Galliam profectus medicinam feci: ac demum in patria: postea apud Delfenses honorario publico conde-*

condecoratus, medicinam (nunc excedens annum, cum hæc ad vos scriberem 69.) *46. annis exercui. Quartus in ordine est Iacobus Forestus, meus Frater, etiam vester patruus, qui Ferrariæ insignia Doctoratus adeptus in Italia, anno 1565. deinde in patriam reuersus, longo tempore & ibidem medicinam fecit. Quintus in ordine erat Ioannes Forestus, meus frater, & vester quoque patruus, qui etiam medicinæ operam dedit; at post mortem patris iunior vxori copulatus, eo non est progressus, vt medicinam faceret: tamen in theoria egregie profecerat. Hi omnes ex familia Forestorum, vt vestri ante ambulones, non alia de caussa a me vobis proponuntur, quam vt eosdem imitari possitis. Quod vt recte fiat, & probe aliquando praxin exercere possitis, institui per compendium aliqua exempla hic adferre de scorbuto, nouo morbo curando, vti aliquando feci de eodem malo, tum de conuulsione, fratri meo Iacobo Foresto, vestro patruo, cum Louanij operam medicinæ daret. Sed is profectus deinde in Italiam, illud exemplar quod scripseram, cuidam Germano dedit; ac ita intercidit. Scripseram illi,* (si bene memini) *nunc cum theoria instructus esset, quomodo praxin exerceret: eidem proponens omnia medici officia, scopos omnes, ex quibus indicationes curandi sumuntur. Verum quia hæc habentur in libro meo, meaque manu scripto, omnes Locos medicinæ Communes continente, non opus est eadem hic repetere: nam & de iisdem ad longum scripsimus* in lib. 3. contra Vroscopos, cap. 3 *quod certa sit methodus signorum & caussarum, tum morborum & symptomatum; & quod certi sint scopi, ex quibus denuo indicationes curatiuæ sumuntur. Id ipsum vero nunc vobis exemplis de scorbuto, nouo morbo, & veteribus incognito, ostendemus. Ex qua methodo, & alios morbos tum cognoscere, tum etiam curare licebit.*

Nauta quidam Alcmarianus, anno 1555. annos 38. natus, multis mensibus Alcmariæ deplorate variis symptomatibus affectus decubuit: homo viribus satis infirmis, hirsutus, nigroque colore, hinc & per antiphrasin *Antonius Albus* dictus, proceræ staturæ, melancholicus, cui cholera adusta admixta erat, habitu gracili, in quo amplæ venæ & vtcunque tumidæ apparebant: quanquam nunc nonnihil concidebant, ob morbi longitudinem. Hic autem sub finem æstatis primo incidit in quartanam, quæ per totum autumnum, ac hyemem sequentem, vltra septem menses perdurauit: mox tumor lienis (*eiusdem obstructione præcedente*) subsequebatur, qui ita induruit, vt diaphragma tum pulmonem compresserit; febre hectica subsequente, tum sputi cruenti ac quasi purulenti excreatione superueniente, cum totius corporis consumtione. Aderat & anhelitus difficultas, ambulandi impotentia, scapulæ ingens dolor, gingiuarum sanguifluus tumor, genu sinistri, tum totius cruris, vehemens durities scirrhosa, ac inflatio; cum cutis variegatione, & rigiditate, vt crus mouere non posset, nec ambulare. Medici & chirurgi, qui tunc præsentes erant, eum morbo Gallico (*vt solet hoc genus imperitorum, imo impostorum*) laborare affirmabant. Ceterum nos, qui vltimo ad ægrum accessimus, horũ omnium affectuum naturam, tum genera ipsa, differentias,

Hæc omnia hominem melancholicum declarabant.

Imperitorum medicorum iudicium facile ... ineptum.

caussas, euentusque per signa perfecte inuenimus; & vix homine inspecto, cum laborare eo morbo (*exceptis reliquis accidentibus*) seu affectu, quem alii *sceletyrbem*, alii *gingipedium*, alii, vt vulgares, *scorbutum*, nonnulli *stomacacem* vocant, percepimus: ita vt postea nihil superesset quin rationem quoque agendi inueniremus, *vt mox declarabimus*. Nam & hoc inter interrogandum fassus est, sæpe & hoc eodem malo seu morbo se obnoxium fuisse. Cum enim in Hispaniam nauigaret, in naui hac eadem passione scorbutica dicta se correptum fuisse narrabat, ex laridi rancidi, & carnis non bene salitæ ac putidæ, & panis biscocti mucidi comestione. Nam hæc ægritudo, vt visu quotidiano edocti sumus, in Hollandorum seu Batauorum ac Westfrisiorum nauibus grassari solet; maxime vero in aeris constitutione calida, & aquarum dulcium penuria: aut dum corruptis aquis, in dicta aeris intemperie, vtuntur, tum crassa diæta hoc malo corripiuntur. Peculiaris enim ipsorum, qui hoc morbo afficiuntur, victus est, caro salsa, laridum rancidum, pisces olidi, panis biscoctus submucidus, allia, ceruisia crassa, mali succi procreatiua. Atqui infecti hoc morbo nautæ victu tenuiori tunc vtentes, tum ceruisia absinthite, ac eiusmodi melius valent. Ita etiam hic noster nauta, cum vtcunq; eo tempore a scorbutica passione euasisset, domum rediens incidit in quartanam, mox iterum in scorbutum, ac reliqua symptomata dicta. Ceterum, vt aliqua de hoc morbo dicamus; non solum antea incognitus fuit, sed multi eo laborantes interierunt. Ita vt olim Martinus Dorpius, doctor Theologus Louaniensis, dicto morbo multis abhinc annis exspirauerit, maximopere admirantib. ac stupescentibus medicis Louaniensibus, qui de Scorbuto, vtpote nouo adhuc & incognito malo, nihil tunc determinauere; nec de nomenclatura, nec de essentia, multo minus de curandi ratione. Nos tamen hic plurimos curauimus: & quæ in iis obseruauerim aliquando signa, paucis explicabo. Certum est, *Scorbutum chronicum esse morbum, non simplicem, sed compositum ex pluribus; ex quibus aliqui morbi tantum; aliqui morbi simul & caussæ rationem obtinent.* Id signa hæc pathognomonica ostendunt, *præcordiorum angustia, crurum cum dolore debilitas, gingiuarum pruriginosa rubedo, ac dolor, faciei color in nigredinem vergens.* Et huius principium plerũque longũ est, & hoc cognitu difficilius, quo longius protrahitur, quia omnia fere signa habet cum aliis communia, vti est totius corporis tum grauitas, tum spontanea lassitudo, quæ hebetiores non sentiunt, nisi a consueto exercitio. At vbi consequitur, *præcordiorum aliqualis angustia, crurum debilitas, & exiguus dolor, gingiuarum pruriginosa rubedo ac dolor, faciei color ex pallido in fuscum vergens*, hæc inquam vbi coniunctim inuenio, scorbuti principium adesse suspicor; eaque esse huius morbi peculiaria signa; etiam principii huius morbi: quæ eadem quoque increscentia augmentum & statum designant. Quæ vbi in principio adesse viderim, Scorbutum adesse iudico: alioqui subhæsitans, quousque *oris graueolentia gingiuarum*

Scorbutus.

Vbi scorbutus maxime frequens est.

Victus melancholicus.

Quartana magna ex parte scorbutum præcedit.

Scorbutus morb. medicis Louaniensib. incognitus.

Scorbutus chronicus morbus & compositus.

Signa pathognomonica scorbuti.

Scorbuti principium.

Scorbuti signa peculiaria.

laxus sanguifluus tumor, dentes vacillantes, & crurum maculæ plumbeæ, purpureæ, nigris violis obscuriores, lentigines innumerabiles griseæ seu pullæ, aut circa os vel sola crura superuenientia symptomata, opinionem meam comprobarent. Quoties vero passio magis ingrauescit, sequitur & ambulandi impotentia, anhelitus difficultas, potissimum dum se mouent aut erigunt: & si aliquandiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu semianimes deliquio afficiuntur: rursus decumbentes reficiuntur, ac respirant liberius. In his rarissime deficit appetitus, frequenter cibum appetunt, & decumbentes se sanos asserunt: sed quia fieri non potest, vt sine omni motu decumbant, eo fit, vt aliquando quasi delinquentes animo langueant: quo deliquio aliquos extinctos noui. Hoc modo prætor quidam in Castricomio pago obiit, quem Ioannes Gallus medicus Harlemensis in curatione præ manibus habebat. Cuius quidem filius postea in prætura patri succedens, etiã hac passione deplorate laborauit: sed is a me curatus euasit, magna nostra industria, (*vt sequenti obseruatione dicemus*) quemadmodum & alii plurimi. Præter hæc iam dicta in nonnullis obseruaui, *motum aggrauationis quarto plerunq; die; aliquibus & tertio in paucioribus, singulis diebus, interpositis spatiis inordinatis*. Aliqui simul febriunt, vt hic nauta, qui postea hecticam habuit. Plurimos autem prius habuisse quartanam obseruaui, quæ in scurbutum transiit, vt in nostro hoc etiam ægro euenit. Nonnullos quoque per totum decursum morbi *aluum constrictam* habuisse animaduerti: quosdam vero continuo ventris fluxui fuisse obnoxios. Interdum vidi maculosa illa crura sic intumescere, vt elephantiasin Arabum quispiam opinaretur: rursus vero aliorum crura ita attenuata, vt nuda cutis deturpata ossibus affixa videretur. Ceterum nihil mirum est, quod sæpe varia & quasi ex diametro pugnantia symptomata in eodem morbo obseruaui, & diuersa signa; id enim scurbuto cum plerisque aliis morbis commune. Sic in pleuritide modo sursum, modo deorsum dolor vergit, modo venter adstrictus, modo immodice fluens, &c. Hactenus de symptomatibus: quæ cum a scurbuto, tanquam a caussa procedunt, merito eius signa esse constat. Sed quo nomine hic morbus proprie appelletur, vel num apud veteres cognitus fuerit, adhuc sub iudice lis est. Alii Scelotyrbem Plinii esse putant, alii ad alios morbos referunt; quales Auicenna tetigisse videtur in eo loco, vbi de signis apostematum lienis disserit in hæc verba: *Et quandoque denigratur lingua in duritiis splenis, & sentitur durities eius absque rugitu, cum premitur, nisi aggregetur ei inflatio. Et non est cum ea febris inseparabilis. Imo quandoque est secundum ordinem, & quandoque cum ea multiplicantur vlcera crurum, & corroduntur dentes, & gingiuæ, propter grossitudinem sanguinis, qui descendit in vlcera crurum, & propter corruptionem vaporis qui ascendit in omnes partes gingiuarum & dentium. Et quandoque est in vlceribus crurum crisis illius.* Horum pleraque cum nostro scurbuto familiaria comperimus. Alii ad scirrhum splenis referunt: quod tactu facile innotescit, explorato scorbutici sinistro hypochondrio. Celsus lib. 2. cap. 6. *At quibus lienes magni sunt, his gingiuæ malæ sunt, & os olet, aut sanguis aliqua parte prorumpit, e quibus si nihil euenit, necesse est in cruribus mala vlcera, vt ex his nigræ cicatrices fiant. Aegineta quoque easdem scirrhi splenis notas ponit*, lib. 3. cap. 49. *Hoc pressis vitio os fœtet, gingiuæ exeduntur, vlcera in cruribus cicatricem non recipiunt.* Alexander Trallianus similia fere *lib. 3. cap. 23.* sed de phlegmone ex atra bile prodiit, hisce verbis: *Facta iam ex atra bile inflammatione in splene, laborans paulatim atrabilario colore suffusus, nigricare videtur; nec tam cutis quam vrina nigricat. Lien per se friget, nec increscit admodum, sed durescit: melancholicus humor redundat in omni corpore, gingiuæ atriores videntur: & siti vexantur, qui si frigidi poculi copiam habent, plus sibi appetunt.* Alii icteritiam nigram referri volunt. Ceterum de nomine non multum refert, num etiam veteribus fuerit morbus cognitus, nec ne. Videte de *his Balduinum Ronsseum, medicum doctissimum, veterem nostrum amicum, in commentario suo edito, de scurbuto.* Satis est, quod nomen ab essentia cognoscimus, scurbutum morbum esse ex vitio splenis aliquando obstructi, aut intemperati; aliquando etiam cum incipiente scirrho, qui præpedit eius attractionem, ac consuetam sequestrationem atrabilariæ redundantiæ, ex hepate venisque mesaraicis: eoque vitiante corpus, coloris humore aspergit. Sed peculiariter crassiore feculentia, crura; & euaporante acredine, gingiuas contaminat; *vt Echtius addit in sua epitome eidem libello adiuncta*: cum & eadem olim fere ad verbum in epistola scripserat ad Blienburchium, medicum Traiectensem, anno 1541. quam & eodem fere tempore eruditissimus ille medicus Coloniensis, nostri amantissimus Cronenburchius ad me misit, & simul alias duas epistolas Blienburchii ad Iohannem Echtium scriptas, vnam dominica post Cantate, anno 1541. ex Traiecto: alteram 5. Septembr. anno 1541. Ex quibus epistolis quædam decerpta, olim ad patruum vestrum anno 1558. scripsi, & nunc iterum eadem ad vos mitto, cum quædam & hic referuntur ex duabus epistolis illis Blienburchii de scurbuto, quæ nequaquam omittenda esse duximus: & etiam ex epistola Echtii: quæ postea in epitomen (*vt diximus*) redacta sunt, & in fine libri Ronssei etiam impressa. Quare rursus redeamus eo vnde digressi sumus. Raro autem fit, quin lien maxime afficiatur: quanquam in D. Assendelphio, Hollandiæ præside, (*vt nos conspeximus*) hepar maxime affectũ fuit: nam in dextro crure etiam plures maculas magisq; variegatas habebat. Sæpe etiam animaduertimus in eodem morbo diuersa symptomata (*vt antea diximus*) quemadmodum abhinc vno mense in prægnante, quæ etiam varices in crure habebat, quæ per se in venis erosæ fuere, & apertæ per se; vt ex eis vltra duas libras sanguinis emanasse viderimus: & nisi nostra ope sanguinem profluentem restrinxissemus, actũ fuisset de vita prægnantis. Neque hæc postea abortiit. Adest itaque statim

Scurbutii ingrauescentis signa.

Quidam delinquentes animo ex scurbuto subito pereunt.

Varia scurbuti symptomata.

Varia etiam symptomata in aliis morbis eueniunt.

Proprium nomen scurbuti adhuc incognitum est.

Hæc aliquo modo videntur conuenire scurbuto.

Qui lienes magnos consequuntur.

Phlegma ex atra bile.

D. Assendelphius scurbuto laborabat.

Varices in crure simul cum scurbuto.

Varii affectus præter naturam in morbo scurbuto.

statim in principio scurbuti, morbus in conformatione, lienis videlicet obstructio, cuius symptoma est præcordiorum angustia. Ex hoc sequitur deinceps, tanquã ex caussa, morbus in numero, quippe multitudo humoris melãcholici in venis portæ vel mezenterii, qua lien eam materiam attrahendo sanguinem depurare erat solitus; quæ homini secundum naturam adesse non debeat. Igitur superfluus est, & morbus in numero. Neque

13.

solum in hisce venis, sed etiam in iis, per quas ex liene in ventriculum melancholia transmittitur. Et huius symptoma quoque vnum est, *vt supra*, præcordiorum angustia, ad operationem læsam pertinens; vel, si libet, ad qualitatem præter naturam in sensu tactus. Alterũ symptoma est, expultrix deprauata, quippe cũ vna cum sanguine fertur humor per corpus totũ, vel ad crura præcipue: qui a liene attractus, partim ipsum nutrire, partim in ventriculum transfusus, per ipsum euacuari debebat. Ex hoc symptomate aliud nascitur, in qualitate mutata; nimirum color ille faciei ex pallido fuscus, qui in reliquo etiam corpore vel in cruribus effloresceit. Item ex eadem expultrice deprauata, symptoma oris, rubedo pruriginosa, dolorque originem trahunt: quę omnia ad qualitatem mutatam pertinere, cum visu percipiuntur, tum etiam tactu; quo ad dolorem & continui solutionem referuntur. Ex eadem adhuc oritur crurum debilitas, ad operationem tactus læsam pertinẽs. Hosce morbos inæqualis intemperies proculdubio statim sequitur: quæ quidem intemperies ex humore prædicto diutius præcordia obsidẽte gignitur: ita reciprocatione quadam, etiam hepate male affecto eum humorem deinceps assidue gignit. Hi morbi prædicti principium scurbuti constituunt. Qui si ęgrotorum negligentia, curantisve inscitia, iam augmẽtum vel statum attigerit (*nam diligentia medici procul dubio, vt nos in multis quotidiana experientia experti sumus, prohiberi potest, ne eo discriminis res adducat*) ex symptomate gingiuarum nascitur vlcus earundem, ad continui solutionem pertinens. Ex crurum vero symptomate, operatio eorundem animalis, vel naturalis, vel vtræque simul auferuntur. Porro animalis operatio, scilicet motus crurum, ablata, vel saltem læsa comitatur morbum in conformatione; nempe in neruis, tendonibus ac musculis tanta materia imbibita, vt vel facultati animali transitus intercludatur, vel membra illa ad motum inhabilia, propter humorem, etiamsi facultas prædicta transeat, reddantur. Huic modo adest magnitudo crurum aucta, modo diminuta, *vt diximus*. Sunt quandoque & alia symptomata crurum, consistentia in qualitate mutata; vt maculæ illæ diuersi coloris; nonnunquam & crurum durities, ad scirrhum pertinens. Hi sunt plerumque affectus præter naturam, qui scorbutum sequuntur. *Nunc quædam de caussis dicamus.* Morbi scurbuti caussam antecedentẽ docti illi medici supradicti, humorem melancholicum, in mezaraicis præcordiisque abundantem putant; qui deinde lieni, prius in hepate cum sanguine procreatus, obstructionis caussa

Expultrix deprauata. *Qualitas mutata.* *Continui solutio.* 14. *Intemperies inæqualis.* *Principium scurbuti.* *Augmentum et status scurbuti.* 15. *Magnitudo aucta vel diminuta.* *Scurbuti caussa antecedens.*

exsistit. Potest autem vtrumque fieri, vt primo sola crassitie peccans lienem obstruxerit, deinde impedita eius visceris attractione copiam in præcordiis ac mezaraicis auxerit; vel vt primo copia sua in hepate vel venis præcipue portę, deinde lienem obstruxerit. Id autem grauitas præcordiorum distinguet, vel hypochondrii sinistri aut dextri pondus. Sed vt vt sit, nihil aut parum ad curationẽ attinet, siue huius humoris caussa sit præcedens in hepate, ex malo victu eum humorem copiose generante; siue in liene. Procatarctica caussa, seu primitiua, vel extrinseca, est victus præcedens melancholicus, aer ambiens calidus, tum alia, vt vigiliæ, labores, curæ, quæ melancholiam augent: & etiam febres præcedentes (vt quartana) potissimum talia præstare possunt, Galeno id confirmante *tertio, de locis affect. cap. 6.* quod nonnulli per morbos febriles melancholicum humorem contraxerint. Quod si hepar ipsum etiam continentem caussam seu coniunctam facere velis, parum laboro, cum calidum magis humores melancholicos asset. Ceterum, *vt iam diximus*, cũ diuersa subinde symptomata habeat hæc scurbutica passio, ad ea conuertamur, quæ in nostro hoc ægro, seu casu, loco exempli adduximus. Breuiter affectus illos omnes præter naturã, qui huic scurbuto aderant, explicemus. Qui sex numero sunt: primo febris hectica primæ speciei: secundo sputum cruentum, & quasi purulentum: tertio durities lienis, & eiusdem obstructio: quarto dolor scapulæ ingens, ita, vt dormire æger nõ posset: quinto gingiuarum sanguifluus tumor: sexto genuum durities scirrhosa, & inflexibilitas, vt ambulare non posset; cũ colore nigriusculo, sed paucis maculis, quas crura affecta habebant. Hectica itaque, cum duplex eius caussa exsistat, incipit nonnunquam per se, nullo morbo præcedente, communem caussam cũ ephemeris habens, ex ira, lassitudine, tristitia, ardore solis, aliisq; caussis procatarcticis: nonnunquam vero ab aliis febribus, maxime ab ardentibus; vel ex aliis longis affectionibus, vt phthisi, empyemate, diuturnis nobilium partium inflammationibus, vt hepatis, stomachi, lienis; etiam ex diarrhœa, lienteria, colo, renibus, vtero, vesica, & similibus: vnde totum corpus exsiccatur, & præcipue cor ipsum. Non est igitur mirum, quod hic præcedente quartana tam longa, deinde scurbuto superueniẽte, & liene ita obstructo & indurato, hectica superuenerit ad secũdam speciem tendens, tamen cum putredine; nam exquisita hectica non erat. Iste itaq; morbus intemperiem sequitur ex adustione, & ex accidente totum corpus exsiccante. Sputum vero cruentum & quasi purulẽtum, propter defluxum catarrhi obortum esse puto; similiter etiam dolorẽ illum vehementem scapulæ, qui vsque ad os adiutorii tendebat: talia enim, nõ tantum ratione febris quartanæ & longitudinis morbi, tum lienis affecti, quam catarrhi, similiter euenire poterant. Ratione enim longitudinis morbi, membra, nutritiua, prætertim hepar, lien, stomachus, debilitata fuere: vnde concoctio minus peracta, caussa multarum

16. *Caussa scurbuti procatarctica seu extrinseca.* *Caussa continens.* 17. *Affectus præter naturam in hoc ægro sex.* *Hectica.* 18. *Hectica cum putredine.* *Sputum cruentum unde ortum, tum dolor scapulæ.*

superfluitatum exstitit: ex quibus tandem vapores multi eleuati, cerebrum petentes, catarrhum induxerunt, ac cerebrum multum humectarunt ac debilitarunt. Et sic facili de caussa, materia illa catarrhalis fuit origo sputi cruenti ac purulenti, tum tussis: quæ quidem partim fluens ad concauitatem pectoris, (*materia etiam melancholica in liene retenta sursum euaporata, & demum ad partes inferiores fluente*) eius sputi origo fuit; partim a capite defluens ad scapulam, dolorem auxit. Et licet hic aliquis dicere possit, quod melãcholia ita fluxibilis esse non posset: huic respondemus, quod facile aduratur, etiam ex bile: vnde ad gingiuas pars subtilior tendit in hac passione scurbutica; & quæ magis crassa, fæculenta grauis exsistit, ad inferiora, tum crura descendit. Si itaque pars leuior gingiuas petit, verisimile est, ad cerebrum ascendisse; & mox per neruos ad scapulam, multo minori negotio ad pectoris concauitatem. Quomodo sit facta obstructio in liene, & durities ex quartana præcedente, tum crasso humore melancholico, iam dictum est Durities tamen illa non fuit legitimus scirrhus; alioqui fuisset incurabilis. Gingiuarum vero sanguifluus tumor, tum vlceratio, caussam habuit ex acriore subtilioreque sanguine melancholico, aut subtilioris materię fœcalis melancholicæ portione, quæ vel a natura criticante, post febrem quartanam; vel a calore sursum sublata, tenera loca humidaque facilius erodẽdo depascebat. Malum autem ipsius cruris vel genu, cum sit dispositio mala, & non vnius generis; caussam habere dicimus cõiunctam, ex crassa melancholia in genu imbibita, quæ eius operationẽ impediuit: antecedentẽ vero redundantiam humoris in superioribus membris, vt liene, venis mezaraicis, atque ad ignobiliora, nempe ad crus & genu, a natura transmissi. Magnitudo vero, tum durities, habet crurum intemperiem præsentem, ex humore ibi iam collecto, & caussam tum intemperiem factam; fientem vero ex superiorum intemperie & humorum multitudine. Tum etiam habet caussam illa durities scirrhosa ex humore glutinoso crasso, qui particulis induratis impactus est: quique tamen eo defluxit, & ibidem induratus difficulter solui potest. Quoniam itaque horum omnium affectuũ genera, differentias, caussas, tum signa, vtcunq; enucleauimus, nihil restat nisi vt quæramus (*quod in principio maxime polliciti sumus*) agendi rationem, & curandi; omnibus istis inuentis. Quum itaq; omnis medendi ratio perficiatur certis quibusdam scopis, & his, quorum beneficio scopos illos assequimur; constat, quod ad scopos attinet, eos vniuersos proponendos esse, tanquam necessarios. Videndum enim inprimis, an agendum sit; deinde, q̃ & quot præstanda; tertio quid ex multis primo loco faciendum; & sic deinceps, percurrendo nouem illos scopos, *de quibus alias diximus.* Redeundo itaq; ad primum; hunc per indicationes hoc modo assequemur. Cũ enim natura affectuum, de quibus nũc agimus, maximam in curando diligentiam requirat, ita lienis obstructio & præsertim durities lienis, quæ a quartana cœperunt, tum reliqua symptomata, & potissimum hectica, curatu difficilia sunt. Attamen non est plane desperandum, cum etiam scurbuticos extreme laborantes, & plurimos ab aliis deploratos habitos curauerim. Et quanquã sciam hecticam adiunctam cum putredine, eoq; magis difficilem curatu; tamen quia nondum transiit ad tertiam speciem, nec sputum perfecte purulentum est, vnde ad phthisin nondum peruenit; spem aliquam concepi ægrum ab affectibus dictis posse sanari: modo præceptis nostris auscultaret. Quod quidem fecit: & nos diligentes fuimus in cura, omnia indagantes: sic optime omnia, præter mentem aliorum, successerunt. Igitur cum natura affectuum, *de quibus agimus*, talis sit, vt nec lethales sint omnino & desperati, nec tamen adeo leues, vt solius naturæ beneficio abigi valeant; indicãt plane a medico aliquid agendum esse. Quid vero & quot præstanda, ex differentia & numero malorum indicatur. Quoniam vero omnia illa sunt præter naturam, indicabunt primo sui ablationem. Sunt autem sex potissimum affectus, vel septem, qui peculiarem actionem propriaque remedia indicant. Tumor, *inquam*, lienis & durities, & eiusdem obstructio, febris hectica, sputum cruentum, & quasi purulentum, dolor scapulæ, gingiuarum sanguifluus tumor, & vlcus, genuum tũ totius cruris durities scirrhosa, & eiusdem inflexibilitas; & vltimo horum omnium caussæ. Quapropter ex numero affectuum generatim indicantur necessaria esse septem auxilia, quæ septem malis succurrant. Ex quo patet, numerum indicantium numerum remediorum ostendere. Nam tumor indicet, quæ illum auferant: qui, quoniã durus est, mollientia ostendit necessaria: febris, quæ refrigerent: sputum cruentum, id quod fluit, intercipiendum; quod vero fluxit, euacuandum. Quod purulẽtum est indicat detersionem, mundificationem, & tandem sui consolidationem, si quid exulceratum est. Dolor scapulæ mitigationem indicat. Gingiuarum vlcus, abstersionem, consolidationem & corroborationem, ne amplius humorum fiat confluxus, desiderat. Durities cruris scirrhosa, tum emollientia tum discutientia indicat adhibenda. Caussæ quoque vniuscuiusque mali, sua similiter indicant peculiaria auxilia. Sic multitudo humoris melancholici, quod euacuet; partium intemperies, quæ noxiam materiam procreat, quod illam auferat: humoris acrimonia, vt in gingiuis, quod eam obtundat; si, quæ sit cruditas, quod concoquat: & ita de aliis. Ceterum cum hi morbi sint atque affectus sibi inuicem contrariantes; statim inuestiganda sunt contraindicantia: & quæcunque singulis repugnent ponenda. Primo enim morbus, qui maxime pertinet ad scurbutum, obstructio lienis est: atque hic morbus iam factus, suo contrario, nempe apertione, tollitur, quæ per subtiliantia & abstergentia perficitur. Sed quoniam hæc fere viribus calida sunt, hecticæ non conueniunt; quæ frigida & humida indicat. Secundus morbus scorbuti, scilicet multitudo humoris melancholici, sui eua-

Marginalia:

19.

Quæstio.

Solutio quæstionis prædictæ.

Obstructio lienis vnde.

Gingiuarum sanguifluus tumor.

20.

Malum ipsius cruris vnde ortum habuit.

Magnitudo & durities.

21.

Scopi crudi semper proponendi.

Scopus omniũ primus considerandus, vtrum hic morbus curabitur.

22.

Conclusio ægrũ curari posse.

Indicationes omnes generatim ad scopos consequendos indagandæ. Septem hic esse præter naturã a quib. indicationes sumendæ.

23.

Numerus indicantium numerum remediorum ostendit.

Dictorum omnium affectuum generales indicationes.

Caussæ morborum, tum symptomatum etiã indicant peculiaria auxilia.

24.

Post indicantia, contraindicantia inuestiganda.

euacuationem indicat. Hectica contraindicat, id non tuto posse fieri; & propter consumtionem, restaurationem desiderat. Hæc & eiusmodi consideranda sunt, antequam ad præsidia veniamus: vt possimus non solum victus rationem, sed & ea, quæ circa res non naturales versantur, recte præscribere. Ita hic largius diætandum, cum id morbi longitudo, tum hectica, indicant; sed per vices. Quæ autem victus ratio attenuat & incidit, lienis obstructioni conuenit. Sed hectica refrigerantem & humectantem victum contraindicat. Hæc, vt & remedia, moderanda sunt iuxta quod affectus indicant vel contraindicant. Vel quædam omittenda, quædam vero adhibenda, vel moderáda: quod in iudicio excellentis medici, & in artis operibus exercitati consistit. Propterea talem victum præscripsimus, qui etiam partim nutriret, partim incideret; pectus mundificaret, abstergeret, ad lienem aperiendum faceret; absque tamen caliditate, quę hecticæ febri contraria erat. Vtebamur igitur aliquando hordeato, aliquando amygdalato, ex amygdalis dulcibus, quibus nonnullæ amaræ, propter apertionem, adiectæ erant, etiam ex seminibus quatuor frigidis maioribus, quæ abstergunt, aperiunt, & non calefaciunt, imo infrigidát ac humectant, & ad melancholiæ adustionem faciunt. Vtebatur & pineis, fisticis, quæ aperiunt, abstergunt & nutriunt: pomis assatis, iusculo pulli, iusculo etiam aliquando pisorum, sine leguminibus; quæ & vim aperiendi & abstergendi habent; etiam hæc immutando, aliqua præscribendo, iuxta indicationes affectuũ præter naturam: modo exhibendo ea, quæ magis inciderent, modo, quæ magis nutrirent, humectarent, aut refrigerarent, semper indicante proposito quod magis vrgeret. Sunt enim statim ab initio ponenda vniuersa rerum genera, a quibus auxilia omnia emanant, siue res naturales, siue medicamenta, vel alimenta, vt libet appellare. Porro eorum genera apud Galenum quatuor esse constat, *vt docuit libro primo, de sanitate tuenda circa finem.* Vnum, *inquam*, quod ea continet, quæ in corpus quomodocunque assumuntur: aliud, quod ea comprehendit, quæ extrinsecus adhibentur: tertium, ea habet, quæ a nobis geruntur; vel partim a nobis, partim ab aliis: in postremo vero ponit ea, quæ aliquid educunt a corpore, aut in eo retinẽt; & horum omnium species. Et appellat hæc quatuor, admouenda, educenda, facienda, extrinsecus incidentia. Admouendorum quidem nomine, cibus, potio, & si quid medicamentorum intro sumitur, etiam aer attractus, intelligitur. Faciendorum vero, frictio, ambulatio, vectio, equitatio; denique omnis motus & exercitatio: huc etiam referuntur, somnus, vigilia, venus. Foris vero incidentium primus est etiam aer nobis circumdatus, deinde quæcunque lauantium vngentiumve cuti propinquant. Educendorum vero, quæ ex corpore aut partibus educuntur. Ab his igitur quatuor fontibus exhaurietis omnia præsidia: nec vnquam deerit, quod opitulari posset, quantum admittit nostra hæc facultas. Iam igitur in scurbuto videndum, nunquid tale reperiri possit; inter ea, quæ impulsu agunt, vel nos ambiunt, vel admouentur, vel appenduntur, aut circũligantur, inunguntur, balneãtur, & similia, quæ nos sub primo fonte ponamus, eorũ, quæ extrinsecus agunt: quod si quid sit, id in medium proferre oportet. Deinde purgemus ad secundum fontem, qui ad facienda pertinet: atque spectabimus, nunquid aliqua actio corporis, ambulatio, & cuiuscunq; generis exercitatio, conueniat: & denique vitæ conditionem, & animi corporisque omnes actiones expendemus, nunquid huic nostro morbo aliisque affectibus præter naturam, qui adsunt, prodesse aut obesse possint. Tertius deinde succedet fons, qui continet alimenta & medicamenta, quæ in corpus sumuntur, per quamcunque illius partem, & quocunque modo: nam quædam immittuntur, alia deuorantur, alia manduntur, alia bibuntur, alia inspirantur, quædam lambuntur, alia paulatim destillantur, alia suguntur, alia aliter forte in corpus sumuntur: quorum vim perspectam habere oportet: & ea capere, quæ ad abigendos affectus præter naturam qui adsunt, faciant. Quartus demum sequitur fons, in quo cõtinentur, quæ aliquid e corpore euacuant sensibiliter, vel insensibiliter: æqualiter vel inæqualiter: idque vel ab vniuerso, vel a quibusdam duntaxat partibus: quod cum educitur, vtrum vtile sit videndum; & quid quoque retineri debeat, quid vero educi. Quibus quidem fontibus exhaustis, protinus acquiescet animus, tanquam nullum remediorum genus omiserit, quod nostra exhibeat medicina. Et in his victus, medicamentorum, aeris, cibi, potus, somni, vigiliæ, inanitionis, repletionis, animi corporisque motus (*vt aliorum omnium*) mentio fit: sed multo sane felicius, & cum maiori compendio, vt memoriæ inhæreat, quam hactenus quidam tantum practici scribunt, quid sit obseruandum in rebus non naturalibus. Nam etiam hæc omnia iuxta indicantia vel contraindicantia, & quædam in principio morbi, non tamen in fine, vt aliquando diximus, conueniunt: vt ambulatio cruri ita affecto non conuenit: postea tamen ad discutiendum aliquo modo conuenire potest, sed motus scurbuticis non conuenit, quum facile animo delinquant. Et ita de aliis omnibus erit ratiocinandum: quæ potius ingenio & iudicio medici exercitati, quam calamo per scripturam comprehenduntur. Nam omnia illa in vnoquoque scopo, mente quidem tacite percurrere oportet: & siue victum, siue remedia ægro vestro præscribere velitis, id nunquam faciendum, nisi proposito indicante. Stultus enim & indoctus videbitur esse medicus, si præsens apud ægrum, vel in consultatione, vbi alii medici periti etiam conuocati sunt, fortasse dicet opus esse adstringentibus, vel euacuantibus, vel sanguinis missione, vel calefacientibus, aut auertentibus, aut vino, vel aqua; aut alio deniq; præsidio: item morbos singulos certo numero auxiliorũ abigi: si tamen interim nihil proponat ille, aut colligat, ex his, quid sit quod suadeat illud esse faciendum, vel omnino relinquendum.

Marginalia:

25. *A quibus victus ratio indicatur, nempe ab affectib. iam dictis præter naturam, & præcipua indicatio a viribus, quæ sui conseruationem indicant.*

26.

Ex quatuor fontibus omnia auxilia emanant.

27.

Nota.

Primus fons.

Secundus fons.

28. *Tertius fons.*

Quartus fons.

29. *Ex illis quatuor fontibus omnia præsidia deprehendenda.*

Multa ingenio medici percipiuntur, quæ calamo exarari non possunt.

30. *Medici imperiti vim indicantium & contraindicantium ignorantes.*

Nota pulcerrima.

Quod quidem fit eo, quod indicationum vis, & vsus ignoretur: sine quibus nulla agendi ratio in medicina constare, nec aliquod medici officium, Galeno etiam auctore, exerceri potest. Igitur medicus, antequam ad consultationes veniat, prænouisse debet, quæ & quot sint, quæ indicent: quid præterea vnumquodque indicet, quid singulis repugnet, quid vnumquodq; admittat: vt quid indicet conseruationem, quid ablationem, præseruationem, restaurationem, mitigationem; quid victum, quid remedium, quid alimẽtum, quid cibum, quid potum, alterantia, vacuantia; & quid in singulis generibus singula ostendant. Vt in vacuatione, quid sensibilem, quid insensibilem; quid sanguinis detractionem, vel purgationem, aut aliud denique, quo vacuet, insinuet. Postea vero, quid his repugnare valeat, tenendum est: vt alia, quæ coindicant & admittunt. Ex horũ enim consideratione (*vt iam antea ostendimus*) inuenimus an agendum; quid; qua materia quali, quantaque sit opus; quo item modo, quove ordine & tempore, & in quo corporis loco ea vti possumus. Nũc itaque exemplo scurbuti docuimus, qui sint affectus in eo præter naturã, & quid generatim, tum caussæ eorundem, indicent; quid etiam singulis repugnet; & quæ remedia generatim præscribenda sint, cũ ad inferiores actiones descendendũ est.

31. Ex quibus cognoscatur quid agendum, tum reliqui scopi actionum.

Caussa & affectus indicant remedia.

Postquam affectus & caussæ inuenta sunt, quę sua indicant remedia, statim videndum cui prius succurrendum sit, cui secundo, cuiq; deinceps? quod ordo malorum ostendet: quid prius præcedere debeat, sine quo reliqua fieri nequeunt. Cum itaque obstructio indicet sui ablationem, per subtiliantia & abstergentia, & cum illa calida sint, nec hecticæ conueniant, neq; corpori pleno tuto adhiberi possint, propterea multitudinem prius amoliri tentemus. Neque enim febris, nec obstructiones, nec tumor, nec intemperies tolli possunt, nisi prius multitudo humoris auferatur. Hæc autem cum sit morbus partim factus, partim fiens, duplicem habet indicationẽ, partim curatiuam, partim præseruatiuam; Quod enim factum est curabitur per euacuationem; quod adhuc fit, per prohibitionem generationis talis humoris, & retentionis si quid forte iterum genitum fuerit. Prohibitio autem generationis fiet per intemperiei iocinoris & lienis curationem, & per caussarum procatarcticarum ablationem, ne talia sumantur, quæ melancholiam augere aut fouere possent. Retentionem vero impediemus per meatuum reserationem, & splenis postea confortationem. Ita prohibitio retentionis, duplicem præstabit vsum; præseruationem nimirum multitudinis, & curationem obstructionis. Reseratio namque, retentionis est prohibitio: intemperies quoque, eius quod factum est per contraria ablationem indicabit: quod vero fit, per suæ ablationem caussæ auferetur; nimirum humoris multitudinis; & deinde per roborationem viscerum. Et sic etiam ablatio humoris duplicem & ipsa præstabit vsum; curationem sui, & obstructionis pręseruationem.

Considerandum inuentis indicationibus quid prius agendum sit.

32. Multitudo humoris primo auferenda.

Erunt itaque generatim quatuor intentiones curandi: apertio, euacuatio, alteratio & confortatio. Inter quas secunda, quæ est euacuatio, omnium primo (*si tuto & vtiliter velimus procedere*) exsequenda est. Deinde apertio; quia magna ex parte obstructio caussa est intemperiei. Deinde alteratio. Vltimo vero confortatio. Hæc autem in scurbuto ordine iam dicto plerumque exsequenda. Quanquam hic in nostro ægro, ob hecticam admixtam, vna quasi vice alterandum sit, & aperiendum, cum eiusmodi, quæ magnam caliditatẽ non habent, vt in processu curæ patebit. Ex ipsius itaque Galeni, & aliorum medicorum excellentium doctrina concludimus, scurbuticos, quo ad methodum medendi, non prius exoptatam sanitatem nancisci, nisi quatuor illa prædicta præcesserint: nisi enim plenitudo sit amota, & obstructio remota, & intemperies ablata, atque sic eu roboratus, æger nunquam curabitur. Quod prosper sanitatis successus, adeo euidẽter edocuit, vt illis quatuor adhibitis infinitos fere scurbuticos curauerim, & ab omnibus præter naturam affectibus liberauerim: qui tanquam vmbræ postea sublati abiere, vel leui negotio, vt etiam gingiuę tum crura maculosa persanarentur. Verum tamen subinde morbus ex morbo nascitur, & morbus fit morbi caussa: & eadem rursus nunc caussæ, nunc morbi, nunc symptomatis rationem obtinet. Itaque pro huius varietatis ratione, & curatiuę indicationes variantur. Quæ omnia ex prædictis notiora sunt, quam vt in præsentiarum altius repetere conueniat. Ad exemplum igitur curati accedam.

33. Quatuor intentiones generales curanat scurbutum, & qua omnium primo exsequenda.

Scurbutici non possunt curari, nisi plenitudo prius amoueatur: deinde obstructio lienis: vltimo vero intemperies: ac demum reliqua symptomata subsequentia scurbutum.

Nota.

34\.

Quoniam itaque demonstrauimus, a vacuatione curationem incipiendam esse, ita indicante caussa, quæ sibi primum locum vindicat, de ea primum dicendum: quoniam vacuantium plura sunt genera & differentiæ; alia enim est vniuersalis, vt sanguinis missio, eique proxima purgatio; alia est particularis. Sed illis omissis, constat æquali, ac sensibili vtẽdum esse vacuatione; & propterea adhibenda esse, quæ id præstare possint. Igitur auspicandum erit a sanguinis missione. Hic forte aliquis dicet, hanc indicari a morbo, humore, ætate, viribus, regione, cœli statu, corporis habitu, anni tempore, vitæ conditione, & ab aliis huiusmodi infinitis: quum tamen ex Galeni doctrina, vnicum duntaxat sit quod indicat: reliqua vero omnia vel coindicare, quod est ostendere id quod indicat; vel impedire primo, quod est contra indicare, vel secundario, quod est correpugnare, dicantur. Propterea hæc diligenter inquiramus, & distingamus: vt sit loco exempli aliorum remediorum. Inprimis sanguinis melancholici multitudo sanguinem demẽdum esse indicat: atque hic vnus scopus est qui indicat. Aetas vero, venæ vtcumque tumidæ, vitæ conditio præcedens: (*nam quartana præcedente sanguinem non miserat, attamen consuetus subinde sanguinem mittere* (anni tempus (*nam in autumno etiam* hæc *conuenit, quamuis melius in vere*) niger color, sanguinem etiam abundare demonstrabant, in corpore macilento, vbi venæ etiam magis apparent, vrina crassa, rubea. Hæc inquam missionem sanguinis

Caussa indicat omnium primo hic euacuationem fieri debere.

Sanguinis missionem præmittendam.

35. Confusa distinguenda. Quid indicat sanguinem mittendum.

Contraindicantia, correpugnantia.

guinis fiendam coindicabant. Hectica vero contraindicabat. Iam etiam vires imbecillæ correpugnabant. Si vires coindicassent, tunc referendæ vires erant ad signa indicantium: iam vero ad signa contraindicantium. Corporis igitur habitus iam consumtus ob morbi longitudinem, etiam correpugnabat. Cum igitur vires sint nondum plane prostratæ, sed infirmæ; non omnino prohibent, nec prorsus admittunt, sed tolerant: interim tamen quia hectica non facile admittit, pro imbecillitatis quantitate, & aliis conditionibus repugnant quantitati vacuationis, modo, tempori, loco, qualitati. Magnas enim vacuationes, & confertim factas, & magnas incisiones venarum, per quas spirituosa substantia exhalat, dissoluiturque robur, non ferunt infirmæ vires: nec quo tempore admodum laborant, eo admittunt detractionem fieri: sed prius sui restaurationem postulant. Sic igitur contraindicantia ad rem ducenda sunt: ac in omni auxilio, singulisque scopis spectandum, quid per se repugnet, quid per accidens, quid vero admittat vnumquodque. Habitus vero corporis, color, venarum tumor, ætas, anni tempus, ostendunt quomodo sint vires affectæ, docentque sanguinem abundare, & illius qualitatem, & quo in loco redundet; & reliqua, quæ postea scopos indicant: & propterea illa tanquam coindicantia, & correpugnantia commemorantur.

Hæc maxime distinguenda & in vsum ducenda.

Quantitatem indicant, vel contraindicant.

Sanguis itaque multus multum euacuari postulat, indicante scilicet copia humoris, quantitatem sui præsidii. Verum licet hic abundet, parum educi debet; nec ita abundat, vt in principio, propter longitudinem morbi & quartanam præcedentem: & propterea magis assatus est & crassus; ideo latam sectionem indicat: nam qualitatem remedii qualitas humoris indicat. Sed omnino lata sectio fieri non potest, vt diximus, ne spirituosa substantia exhalet, viresq; quæ iam debiles ex longo morbo sunt, dissoluat. A vena autem extrahendus est sanguis, quoniam in venis abundat. Secanda autem interna sinistri cubiti, aut ea, quæ est inter annularem & auricularem digitos sinistræ manus; maxime vt a liene, fomite malorum, humor educatur. Hoc enim modo locus indicantium, locum indicabit remediorum. Eo vero tempore sui vacuationem postulat sanguis, quo facile & commode exire potest. Hæc quanquam magis conueniant in principio; tamen si morbus progressus est, relinquere non oportet, modo vires tolerant. Et quanquam hic quædam indicabant, quædam contraindicabant sanguinis missionem; quædam vero coindicabant, quædam correpugnabant, vt iam satis ostensum est; hanc etiam ob caussam ex saluatella seu vena lienari manus sinistræ, quæ est inter auricularem & annularem digitos, parum sanguinis admodum crassi & feculenti extraximus; sed in parua quantitate, ob vires debiliores, & morbi longitudinem, & ob hecticam cum putredine, quæ tamen in principio erat. Profuit etiam ad sputum cruentum, ob diuersionem sanguinis. Sed hic aliquis rogabit, *quare non in cubito?* nam Græci fere semper in cubito miserunt sanguinem, & non in manu. Huic respondemus, *nos ab experientia edoctos hanc venæ apertionem in scorbuticis maxime prodesse*: quanquam etiam in illis in cubito quoque misimus. Nam perinde puto, siue in cubito siue in manu fiat. Sic enim in filio illo prætoris Castricomii, in cubito misimus; ac æque contulit.

Qualitatem indicant vel contraindicant.

Locus indicantium locum indicat remediorum.

Quæ tempus indicant vel contraindicant.

Quid tandem ex omnibus sit eundum concludatur.

Græci fere semper in cubito sanguinem miserunt.

In reliquis remediis eadem perscrutanda.

Postea venimus ad reliqua remedia, nempe ad apertionem & alterationem, etiam leuem euacuationem; nam materia melancholica rebellis est, & per vices educi debet: deinde etiam ad confortationem, & supradictas intentiones; eodem modo indicantia & coindicantia, contraindicantia & correpugnantia perscrutando; vt de missione sanguinis: quæ quidem missio sanguinis sit loco exempli aliorum: nam omnia repetere non opus est. Et cum post sanguinis euacuationem opus sit purgatione humoris melancholici, qui crassus est; prius aperientibus opus erit: & sic quo ad secundam & tertiam intentionem: quarum vna est apertio, primo executioni mandanda; quoniam obstructio ex parte caussa est intemperiei: deinde vero alteratio administranda; vel vtræque hæ intentiones simul peragendæ.

Reliquæ intentiones quomodo etiam explorandæ.

Apertio.

Apertio autem in remediis primæ intentionis magna ex parte etiam adimpletur, vt phlebotomia, quæ iam præmissa est, hæmorrhoidum apertione, si opus est, purgatione, potionibus præparantibus, sanguinem denique mundificantibus. Si quæ autem obstructionis adhuc reliquiæ supersunt, vel seorsim, vel vna cum tertia intentione principali poterunt exstirpari.

Alteratio.

Tertia enim intentio principalis, cum sit alteratio; alterabitur intemperies facta per contrariorum applicationem; fiens vero adhuc, partim in euacuandi aperiendique intentionibus prohibebitur; partim etiam diæta boni succi, & attenuante, quantum ad lienis intemperiem; humectante vero & refrigerante, quantum ad febrem, alterabitur.

Corroboratio.

Et dum hæc fiunt, etiam corroboratione opus erit; quæ est quarta intentio, quæ scilicet debilitatem membrorum ex intemperie propulsabit: & hæc fere simul in alteratione perficitur, & post eam, secundum viscerum exigentiam exsequenda. Nam fieri non potest, quin stomachus & hepar in hoc casu maximam confortationē requirant: tum quod in ipso scorbuto debilitantur, tum quia fieri vix potuit, vt in præmissarum executione intentionum nihil labefactarentur. Istis itaque præmissis, iam ad particularem materiam remediorum, ad singulas intentiones facientes, veniamus. Statim itaque a missione sanguinis decoctum infrascriptum bibendum mandauimus.

Potio præparatoria similiter aperiens & alterans.

℞. *corticum rad. cichorii. petroselini, per noctem in aceto infusarum, & leuiter expressarum ana* ℥. j. infundebamus in aceto, vt magis inciderent, & ad apertionem lienis facerent, & minus calidæ forent: Glycyrrhizæ rasæ ʒ vj. propter tussim, & quia sputum purulentum etiam aperit: Vngulæ caballinæ viridis m. ij. ad sputum purulentum & cruentum valet; imo phthisi opitulatur, & hecticæ prodest, & bechicum est: Viol. ob febrem hecticam: nam humectat & infrigidat. Capill. ven. pectori conuenit, & lienem aperit, nec calorem inducit: nam herba

herba est satis temperata: Scabiosæ: pectori enim prodest, vlcerationi & cuiuis apostemati interiori, *an m. ß. bekabungæ, cochleariæ*, a proprietate valent ad scurbutum. Fumiterræ; melancholiam mundificat: Hyssopi; pectus aperit: ceterach, scolopendrii vulgaris: *Ceterach.* maxime spleni confert: & *scolopendrion* licet non ita aperit, tamen ad lienem valere experientia constat, *ana m. ß. florum cord. vuar. enucleat. ana p. j. coquantur in sero lactis, pro* ℔. *j. ß. Zacchar. candi, hac potio dulceretur*, quæ fuit præparatoria. Interim pro alteratione, cum incalesceret, vtebatur lacte ebutyrato, in quo cochlearia & bekabunga incocta erant. Quando minus videbatur febricitare, etiam hæc coquebantur in lacte dulci: & summo diluculo capiebat cyathum vnum. Hoc faciebat ad hecticam simul & ad scurbutum (*nam plurimos solo vsu lactis dulcis, decocti cum cochlearia & bekabunga, qui non febricitabant, curaui*) & quoque ad sputum cruentum. Vtebatur etiam pro potu ceruisia tenui, in qua vngula cabell. cum rad. incocta erat. Nonnunquam & his adiiciebantur scolopendria, fumus terræ, cochlearia, bekabunga & ceterach. Post potionem supradictam præparatoriam, eum leuiter purgauimus: & licet hectica per se contra indicat, nam hecticis non conuenit purgatio; quando tamen est cum putredine, leuis purgatio dari potest, idque per vices, ob debilitatem virium: etiam ratione melancholiæ, quæ rebellis est, & vnica vice euacuari non debeat, maxime in corpore consumto ob longitudinem morbi. Potioni itaque supradictæ adiecimus, *folior. colutcæ, id est, senæ* ℥ *j. polypodij quercini, epythimi ana* ℨ. *j. misce.* capiebat omni mane cyathum vnum. Deinde reiterata est decoctio absque sena, nonnunquam etiam in ceruisia communi: nam obseruatione hoc percepimus, melius ad scurbutos valere aliquando etiamsi magis incalesceret æger, ob hecticam, in aqua vngulæ caballinæ & communi incoquebantur. Pectus autem ob tussim & hecticam inunximus butyro recenti, oleo amygd. dulc. & olea violaceo: etiam vnguento pectorali nostræ descriptionis, quod alcmariæ in officina paratum habebamus. Ad sputi facilitationem *syrup. liquiritiæ, viol. cap. ven. simul mixtis vtebatur*, etiam tale ecligmate: ℞ *succi vngulæ caballinæ optime depurati* ℥ *j. ß. succi bekabungæ depuratæ* ℥ *ß. syrop. capill. ven.* ℥. *j. Zacchari penidiarum* ℥. *j. ß.* zaccharum cum succis post depurationem vnica vice ebulliebat, vt in loch seu ecligma concresceret. Præscripsimus etiam pullam Benedicti Fauentini præceptoris mei, quæ valet ad hecticam & præseruationem a phthisi: & pro sputo cruento, in principio decoctum portulacæ cum vngula caballina: deinde decoctum hordei mundati, & vngulæ caballinæ, & alia quædam, quæ in practica Benedicti Fauentini habentur in sua empyrica cap. de phthisi. Et tandem hectica desiit, nec amplius tussiebat: & a sputo cruento & purulento curatus est, & calor febrilis maxime sedatus: & vrina, quæ erat valde passea, subrubea, nigra, crassa, feculenta, incepit minus esse tincta; ita, vt febris iam euanesceret: tunc demum ad magis lienem aperientia, & tumorem discutientia deuenimus; simul decocto superiori addentes illa, quæ viscera & stomachum magis corroborarent, vt absinthium Romanum, & hoc modo: ℞. *corticum rad. cichorii, petros. an.* ℨ. *ß. scolopen. cichorii, ceterach, bekabungæ, cochleariæ, fumiterræ, agrimoniæ, absinth. Romani ana m. ß. florum cord. ana p. j. sem. anisi* ʒ *j. sem. endiuiæ. agni casti, ana* ʒ *ß. vuar. pass. enucleat. p. j. corticum rad. cappar.* ʒ *iij. fiat decoctio in aqua communi, pro* ℔. *j. ß. colentur. adde syr. sceletyrbic: nostri, syr. de fumoterræ, de endiuia, de cichor. cum rhabarb. ana* ℥ *ß. misce.* Syrupus sceletyrbicus noster conficitur ex succo bekabungæ & cochleariæ, cum zaccharo. Nullum præstantius empiricum in scurbuticis inueni. D. Sasbotus consiliarius regius Haghensis, cum scurbutica passione deplorate laboraret, & medici sui præsentes, D. Antonius Henricus Vergoir, & D. Hugo, medici Haghenses, de eo desperarent; superuenit illis Doctor Nannius, medicus Amstelrodamensis doctissimus, qui inuenit eundem laborare scurbuto; & breui eum, præter opinionem aliorum, restituit. Fuit tamen semper postea huic passioni obnoxius, & vndique quærebat consultationes. Huic igitur, vt hoc syrupo nostro vteretur, bis aut ter in septimana, consuluimus: & nostra ope in posterum præseruatus, ita, vt quotannis pro eo ac aliis amicis talem syrupum in officinis mihi parari iusserim. Tabulas etiam alterantes, aperientes & confortantes (*cum ex decocto supradicto, cui sena incocta erant, vsus fuisset noster nauta*) similiter ei dedimus, ita præparatas: ℞. *specierum diarrhod. abb.* ℈ *ij. specierum trionsant. trochiscor. de cappar. ana* ℈ *j.* dissolutis in qua agrimoniæ qu. s. adiecto zacharo, fiat confectio in tabulis, vt artis est. Ceterum istis præcedentibus, quanquam ipsius scurbuti valentiora symptomata non cessarent, permanente lienis duritie, & cruris scirrhosa dispositione, tum dolore ingenti in scapula. Autumno increscente, ne ad hydropem vel cachexiam tenderet, ad dicta symptomata amouenda, præhabitis dictis intentionibus, accessimus; etiam ad particularia remedia deueniendo, quæ ex quatuor fontibus iam supradictis hausimus. Durities enim illius lienis, tum obstructio, post febrem quartanam relicta, præcipue auferenda erat, antequam ad cruris duritiem, tum nigritiem, curandam accederemus. Obstructione enim ablata, reliqua accidentia facilius (*vt diximus*) curabuntur, tanquam ab hoc trunco procedentia: nam illa rigiditas coxæ, tum color ad nigredinem declinans, cruris tum etiam totius corporis, non solum accidit propter attractricis, quæ est in liene, imbecillitatem: verumetiam quando meatus, per quam atræbilis feculentus humor ex iecore in lienem deriuatur, obstructus est, & lien in tumorem eleuatus, impurus ac vitiosus sanguis subinde in vniuersum distribuitur corpus, illud ipsum nigredine afficiens, ac nonnunquã immedicabilia vlcera proferens. Sed quia ista materia fuit hic multum tenax & viscosa, potius rigiditatem cum nigredine, quam vlcera in cruribus produxit: nam alioqui materia illa melancholica

Margin notes, left column (partly cut off): …liorum …rationem …um va- / …gatio. / …nitio. / …gma. / …a phthisi hecticu… …uenerunt.

Margin notes, right column: Decoctio magis aperiens, discutiens, corroborans. / Syrupus sceletyrbicus noster. / Tabula alterantes, aperientes, confortantes. / Processus ad lienis duritiem.

48

cholica fuisset acris ac fuliginosa. Est itaq; vt diximus, hæc obstructio lienis, tum durities, caussa reliquorum symptomatum, tum cruris, tum gingiuarum sanguifluarum, tum doloris scapulæ. Igitur illa prius amouenda præ ceteris extenuatoriis; & propter tumorem, attenuantibus & discutientibus; & propter duritiem, etiam mollientibus & discutientibus. Et sic præcessit sanguinis missio, deinde potiones dictæ, ex ceterach, cap. Ven. bekabūga, cochlearia, in principio pectoralibus (*ob hecticam, tum sputum*) permixtæ. Sed hectica iam ablata, paulatim ad pure lienē aperientia deuenimus: ad rad. capparum, chamarisci, ad ceterach bekabungam, nasturtiū aquaticū, laurifolium, cochleariam, & similia: & purgauimus subinde cum infus. senæ, aut cassia, etiam tandem cū confectione hamech, secundum quod nobis videbatur vtile. Demum confortauimus cum electuariis, vt speciebus diacapparis, & similibus. Exterius vero lienem inunximus oleo cappar. mox linimentis, quibus vis emolliendi, attenuandi, discutiēdi, corroborādi aderat: ℞ *olei amygd. dul. olei de cappar. emplastri de meliloto an.* ℥ j. *ammoniaci in aceto dissoluti* ʒ iij. *pulu. corticum, rad. cappar. ceterach ana* ℈ ij. *pulu. scolopend. siccæ, rad. filicis an. gr. v. ceræ q. s.* fiat linimentum, vel vnguentum pro liene. Talibus & similibus procedendo per duos menses, obstructio & durities tandem ablatę fuere. Si autem scirrhosam dispositionem lienis incurrisset, fortioribus vsus fuissem, vt cerato nostro ammoniaco. Valet etim ad miraculum, ad tophos minores, duros & scirrhosos, & maximū honorem ex eo sæpe habui, & lucrum. Nam cum zythepsæ cuidā in scroto, seu, vt barbari loquuntur, in bursa testium tanta durities esset, cum apostemate, vt nullo modo nec emolliri, nec maturari posset, hoc tamen prædicto cerato effeci. In scirrho autem lienis, *vt Galen. etiam docuit, lib. 2. ad Glauc. cap. de scirrho*, vtimur primo solis emollientibus, deinde discutientibus: nam alternatus eorum vsus prodest. Sed nostris prædictis remediis, durities tum obstructio cessarunt. Interim eodem tempore pro dolore scapulæ, qui ad os adiutorii tendebat, & ita vehemens erat hoc symptoma, vt sui quoq; mitigationem statim vniuersalibus remediis præmissis, indicaret, & ob defluxum humorum per nucham ad scapulam, nucham inunximus oleo chamomillino & myrtino; scapulam vero oleo anethino & chamomillino. Sed dolor ita increuit, vt multas noctes insomnes ageret. Inunximus postea nostro vnguento alabastrino; sed frustra: etiā vnguento dialthæa. Tandem applicuimus sacculum quadratum intersutum, ac repletum sale tosto milio, tosto, furfure & floribus chamomillæ: & eo sacculo calide admoto instar incantamenti dolor sedatus est. Iam adhuc duo pathemata scurbuti restabant, sanguifluus tumor gingiuarū, cum vlceratione: & crurum durities scirrhosa. Affectus iste præter naturam nō potuit curari, nisi sanguinis missione peracta, & purgatione, tum iis, quę lienem aperirent, ac caussam scurbuti prius, tū intemperiem amouerent. Illa cum iam præmissa forent, gingiuas ablui iussimus variis decoctionibus, ex plantag. consolida minore, rosis, cimis rubi, bekabunga & cochlearia. Quibus colatis, tum mel. rosaceum, tum rob diamoronis adiecta fuere. Etiam hoc puluere in pollinem redacto gingiuas post lotionem confricabat: ℞ *alum. vsti, salis vsti, gallarum exsiccatarum, cornu cerui vsti, saluiæ, exsiccatæ ana* ℥ j. *in pollinem conterantur.* Aliud quo vsi sumus: ℞ *peruincæ, plantag. cum rad. cimarum rubi, matricariæ, saluiæ ana m. j. cortices arantii vnius, bulliant in* ℔ 2. *ceruisiæ veteris claræ, &* ℔ j. *vini Pictau. vel rubei Gallici & styptici, ad dimidium fere in olla ænea. colatis adde mellis rof.* ℥ iij. eo os abluatur, ac gingiuæ confricentur: ℞ *alum. vsti,* ℥ ß. *salis vsti* ʒ ij. *gallarum, cornu cerui vsti an.* ʒ j. *maceris* ℈ ij. *foliorum saluiæ siccæ, num. iij. in pollinem conterantur. eodem modo & pulueres cochleariæ & bekabungæ exsiccatarum valent.* etiam si gingiuæ solo succo cochleariæ confricētur: vel cochlearia & bekabunga cocta cum lacte, & eius decocto gingiuę sępe abluantur. Noster vero patiens ex sola aqua destillata cochlearię & bekabungæ, eaque abluens sæpe gingiuas fuit curatus. Vltimum autem symptoma erat totius femoris sinistri, tum cruris, & præcipue genu, tumor ac durities propemodum scirrhosa, ac in lapideam materiam conuersa. Eandem intentionem desiderabat qua scirrhus curatur: emollientibus primo, deinde discutientibus, & moderate emollientibus: vicissim iis vtendo, *vt Gal. lib. 2. ad Glauc.* narrat de puero Cercilii, quē a tumore scirrhoso curauerat: tā diu vtens emollientibus, donec mollities manifesta sentiatur, & caro exterius ruborem quendam extendat: mox ad nonnulla discutientia deuenit: demum ad emollientia, absq; discutientibus: tandem ad maiora discutientia: vicissim tum his, tum illis vtendo: nam si altero tantū medicamentorum scirrhū curare tentauerimus, *vt dicebat Gal.* nequaquam sanabimus. Quæcunq; enim nimis digerunt, ob calorem vehementem, digerentem, scirrhum in tophaceam duritiē concrescere faciunt: quæ vero nimis emolliunt, non possunt sola præstare, vt scirrhus decrescat. Alterātus igitur eorū vsus moderatus confert. Sed nec, quæ molliunt continuo affectum curant. Opus enim est & digerentibus; non quidem vehementer, sed quæ molliendo commode id præstent. Cum itaque crus ob tumorem & duritiem ita inflexile erat, vt non nisi scipionibus incedere posset; hunc affectum vltimum præter naturam, aliis præmissis vniuersalibus, hoc modo topicis & localibus medicamentis curauimus. Primo inunximus *oleo liliaceo & amygd. dul.* postea adiecimus parū *olei chamomillini*: deinde *oleo liliaceo*; & propter dolorem, etiam ad discutiendum, simul cum *vnguento alabastrino, mox dialthæa, cum mucilaginibus, axungia vitulina & felina, aliisque emollientibus.* Postea fomentauimus totum crus cum decocto pedum vituli & intestinorum, spongia in eo immersa fouentes. Postea iterū inunximus linimento composito *ex oleo chamomill. & emplastro de meliloto.* Tandem ad varia cataplasmata, cerata, em-

Infusio senæ, cassia, confectio hamech.

Quæ lieni exterius applicanda.

Ceratum nostrum ammoniacum.

49

Quomodo scirrhus curetur.

Processus in dolore scapulæ.

Nota sacculum.

50

Quomodo gingiuæ sanguifluæ fuerint curatæ.

Experimenta ad gingiuas sanguifluas in scurbuticis.

51

Processus curationis tumoris scirrhosi ipsius cruris.

Scirrhi perfecta curatio, ex Galeno.

Inunctio.

52

Fomentatio.

Cerata.

plastra maxime emollientia deuenimus: idq; longo tempore. *Vt est ceratum de muccilaginibus*; quo ego vtor etiam in doloribus, & tumoribus duris inuiscatis, quales etiam in Gallico morbo laborãtibus apparent tophacei: etiam nostrum ceratum de ammoniaco hic confert. Sed istis omnibus parum profecimus: quanquam illo tempore non vtebar cerato ammoniaco nostro, cum eius inuentionem nondum haberemus; sed hoc Delphis nostro Marte, & egregia obseruatione inuenimus.

Aqua cochleariæ mira efficacia.

Cum autem crus ęque rigidum maneret, per multos dies per os dedimus omni mane cochlear vnum; postea dosin augendo, ad quatuor cochlearia, aquæ cochleariæ distillatæ in arena. Et coxam tum femur inunximus oleo laurino. Et ne nimis incalesceret, parum adiecimus olei rosacei completi. Deinde iterum ad emollientia deueni: mox ad discutientia.

53.

Cruris euaporatorium.

Et quotidie omni mane iussimus crus tum femur ac genu euaporari hoc decocto: ℞ *parietariæ, meliloti, florum chamomillæ cum toto, absinthii communis, foliorum & summitatum althææ, maluæ, vrticæ vrentis ana m. ij. sem. fœnugræci, lini an. ʒ ß. rad. althææ ℥ iij. incidenda incidantur, & contundenda contundantur; & coquantur, in aqua q. s. ac ponatur pes nudus super vasculum decoctionis dictæ: & vndique pannis tegatur; vaporemque ascendentem ex aqua decoctionis calida, per horam integram matutino tempore suscipiat*; idque per plures dies continuando, vt totum crus sudore madescat & perfluat. Deinde absterso sudore calide obliniatur.

Oleum castorinum.

Deinde *oleo castorino*, & deinde *pannis laneis* fouebatur calidissime totum crus: idque continuando per plures dies. Illoque euaporatorio vtens, paulatim ad miraculum hic noster patiens a symptomate dicto conualuit; & potuit tandem crus mouere: ita vt illo medicamento diuino cessauerit tum tumor, tum durities; vt relictis scipionibus optime inambulauerit. Attamen cum iam cõualuisset, ac obambulare posset, pro confortatione iuncturarum, tum neruorum; & ad reliquias duritiei emolliendas, tum discutiendas,

54.

Emplastrum de oxicroceo.

circa genu iussimus applicari ad tempus *emplastrum de oxycroceo*. Nigrities autem totius corporis, tum cruris, ex assumtione per os aquæ cochleariæ distillatæ in arena, eiusque solius vsu quotidiano euanuit. Sed hoc etiam addendum, quod fere omiseram, in decocto euaporatorio postea etiam adiunximus *cochleariam, bekabungam & nasturtium laurifolium*, quod vulgares loco cochleariæ intelligunt. Et ita egregie hunc nautam, ab aliis pro deplorato habitum, tum alios multos a simili duritie scirrhosa crurum in scurbutica passione persanauimus. Ita & Cornelium Buscopium, organistam Delfensem insignem, cui femora & crura ex scurbuto per totam hyemem indurata fuerant.

Alia mulier scurbutica à duritie cruris quasi œdematosa curata.

Memini me quoque aliam mulierem a simili duritie scirrhosa in crure curasse, quæ tamen parum tendebat ad œdema, ex scurbutica passione; missione sanguinis præcedente, tum purgatione, & decoct. cochleariæ, bekabungæ, & similibus: & his infrascriptis duritiem postea curasse: primo totum crus inungendo (*quia nonnihil incalescebat*) duabus partibus vnguenti popul. & vna parte olei chamomil. deinde hæc, quæ sequuntur cruri applicabantur:

Emplastrum.

℞ *florum chamomillæ, meliloti, florum lupulorum, florum anethi, foliorum ebuli an. m. ij. artemisiæ m. j. cumini, anisi ana ʒ ß. pistentur, postquam cocta fuerint in cereuisia communi ad mollitudinem extremam; & adiecto butyro recenti, in formam cataplasmatis coeant*: & cruri apponebatur.

55.

Aliud emplastrum.

Tumor statim paulatim desiit; hoc subsequenti emplastro adhuc admoto: ℞ *stercoris bouini ℔. iij. farinæ fabarum m. j. butyri recentis, olei rosacei, olei chamomil. lini ana q. s. pro emplastro; quo totum crus inuoluatur.* idque continuando per aliquot dies, sana euasit: quanquam hoc malum inueteratum non esset: nam a quartana in scurbutum, & deinde in cruris duritiem incidit. Sed præmissis vniuersalibus, ab affectu cruris præter naturam breui prædictis localibus remediis conualuit. Medicamenta vero ante topica adhibita, hæc erant: Primo a venæ sectione, sanguine pauco demisso, ex vena lienari in manu sinistra, in pituitosa ac melancholica muliere, vtcunque debili; hoc apozemate hæc ipsa bis in die vtebatur: ℞ *cort. rad. fœniculi, apij, petroselin. glycyrrhizæ ana ℥ j. fumariæ, scolopend. ebuli, nasturtij aquatici, cochleariæ, bekabungæ, cassutæ, chamæd. chamæpityos ana m. j. ß. florum cordialium p. j. seminis anisi ʒ ij. ß. sem. quatuor frig. maior. & minor. ana ʒ. ß. cort. rad. thamarisc. cappar. ana ʒ. j. ß. polypodij querc. ℥ iij. trochisc. de cappar. de rhabarb. simul ligatorum in nodulo, ana ℈ ij. coquantur in aqua communi, ad ℔. ij. stent deinde infusa per noctem: mane expreßioni adde syr. de scolopend. de fumoterra an. ℥ j. ß. syrup. de end. ℥ ß. misce.*

56.

Postea adhuc semel reiteratum fuit: & imposita ℥ j. ß. *folliculorum senæ.* Eoque finito decocto, eandem hoc modo purgauimus: ℞ *confectionis hamech ℥ iij. diacathol. diaphœnic. ana ℥ j. ß. cum ℥ iij. vel iiij. decoctionis radicis filicis*; fiat potus. Quo septies satis copiose aluum deposuit. Lienem vero bis in die inungi iussimus cum oleo de capparibus. Et quod ad crus attinebat, tandem ad topica supradicta accessimus. Mulier hæc, vxor, erat illius Iacobi cognomento *Magni*, quæ ad viam vulgo dictam *Lutkeonteropiam* Alcmariæ decumbebat.

Alius nauta à simili symptomate a nobis curatus, annor. 48. robustus. Fomentum. Linimentum.

Eodem modo & alius quidam, crus induratum habens ex scurbuto: vt multis mensibus inambulare non posset, hoc fomento tum linimento subscripto, pristinum statum recuperauit: ℞ *florum meliloti m. ij. florum chamomillæ m. j. maluæ cum toto, artemisiæ ana m. j. ß. bekabungæ, cochleariæ, fumiterræ ana m. j. sem. fœnugræci ℥ ß. rad. althææ ℥ j. sem. ammeos, petroselin. an. ʒ j. coquantur in aqua communi, pro fomento.* Primo recipiebat euaporationem: deinde calide lauabat crus: mox lineis pannis instinctis calide crura inuoluebat. Idque continuando per aliquot dies, demum totum crus linimento sequenti inungebat: ℞ *emplastri de meliloto ℥ iij. olei amygd. dul. olei lilior. olei chamomil. ana ℥ ß. misce.* atque ille similiter conualuit.

57.

Huic tamen; tum mulieri, præcessit quoque missio sanguinis. Hic tamen non febricitabat, nec admodum incalescebat, cum scurbuto afficeretur. Ideo præcedentib. potionibus præparatoriis, antequam cruribus

ribus remedia apponerentur vsus est, hoc modo: ℞. nasturtii aquatici, cochleariæ, bekabungæ, fumiterræ, scolopend. cuscutæ, chamed. chamæpit. ebuli cum toto, apii cum toto, an. m. j. flor. cordialium p. j. rad. liquir. brusci, asparagi, petros. an. ℥ ß. semin. anisi ℥ j. ß. sem. quatuor frig. maior. an. ℥ ß. folior. senæ ℥ j. ß. epithymi, polypod. quercini an. ℥ ß. hellebori nigri ℥ ß. cicerum rub. ℥ ij. coquantur in sero lactis, pro ℔. ij. dulcoretur Zacch. potto. sumebat bis in die, quia fortis erat nauta & robustus. Deinde peracta venæ sectio in manu sinistra, post ij. dies, ex vena lienari. Deinde eum hoc modo purgauimus: ℞ confectionis hamech, cassiæ recenter extractæ an. ℥ ß. seri lactis ℥ iiij. syr. sceletyrbici nostri ℥ ß. summo diluculo exhibitum. Et excreuit plus octies. Huic gingiuæ non erat admodum vlceratæ: & ideo solo decoct. cochleariæ, bekabungæ & nasturtii latifolii curabantur. Mox ea quæ diximus, cruri adeo rigido vt flecti non posset, applicuimus: hominemque dictis remediis breui curauimus. Videtis quod numerus malorum numerum remediorum ostendat. Et quod non semper in omnibus iisdem remediis vsi sumus.

Potio præparatoria & similiter euacuans.

Purgatio.

Gingiua curata.

58 *Numerus malorũ numerum remediorum ostendit.*

Habetis itaque exempla curatorum, in aliis etiam morbis vobis imitanda; vt iam vestro Marte, modo diligentes esse velitis, omnes scopos curandi assequi possitis, tum instrumenta, quibus scopi inueniantur; eo modo quo nos inuenimus scurbutum curari per indicationes, vel etiam ratiocinationem, in his, quorum naturam & vim certo percipere potuimus. Sic per indicationem in scurbuto inuenimus multitudinem humorum melancholicorum prius esse amouendam, deinde obstructionem tollendam; tum reliqua omnia per ordinem transigenda; affectu præter naturam, tum caussa eorundem ita indicante. Iam etiam quædam inuenimus (in quibus indicatio locum non habuit, nec vis ipsa aut natura certo percipi potuit) per obseruationem seu experientiam: vt cochleariam, bekabungam huic morbo vi quadam occulta conferre: quæ etiam a plebeiis habuimus, sed in meliorem formam redegimus, vt in syrupos: vel iisdem in decoctis aut etiam in fomentis exterius vsi sumus. Tertio etiam quædam inuenimus per analogismum, cum adhuc sub iudice lis sit, ad quem morbum referri certo debeat: ita vt etiam medici præstantiores hactenus de eius essentia dubitarint; præsertim qui non adeo multos scurbuticos præ manibus habuerunt, ac nos in nostra regione, vbi plurimi scurbutici inueniuntur, ac melius restituuntur. Ideo etiam Haghenses medici, licet expertissimi, in Sasboto de scurbuto, ne cogitabant quidem, nisi postea, Nannio medico Amstelrodamensi accedente: nam & Amstelrodami inter nautas morbus magis notus est: sic & nobis Alcmarianis. Ergo cum naturam affectus, tum caussam, non ita perfecte cognita haberemus, similitudine affectus admoniti, hæc quæ lieni conferebant adhibuimus.

Quæ per indicatinoem in hoc morbo inuenta.

Quæ per obseruationem.

59 *Quæ per analogismũ.*

Habetis ad amussim, cognati carissimi, vt spero, exemplum curandi, quod in omnibus aliis morbis imitari possitis, vt in expertos medicos euadatis, nostra diligentia, qui hæc in compendium colligimus. Valete. Prima scripta fuit epistola 1558 ad fratrem meum Iacobum Forestum, nunc denuo anno 1590. ad vos rescripta.

60 *Ex hoc exemplo alia discenda.*

Petrus Forestus, Reipubl. Delfensis medicus, patruus vester.

SCHOLIA.

IVuenes isti cum insignia Doctoratus in Academia Patauina cum honore consequuti essent, anno 1594. mense Iunio, feliciter & incolumes in patriam redierunt. Ita vt iam intra centum annos sex medici ex familia nostra Forestorum extiterint.

61

Ceterum scurbutus morbus, fuit veteribus incognitus: de quo Ronsseus, vetus noster amicus, cum quo Louanii quondam familiariter viximus, medicus si quis alius eruditissimus, nostra ætate libellum edidit insignem, de magnis lienibus Hip. Pliniique stomacace. At stomacace & scelotyrbe veterum, videtur esse scorbutus. Scripserunt autem de stomacace & sceletyrbe Plinius *lib. 25. cap. 3. & Strabo lib. 16. suæ Geographiæ.* Græcorum tamen & Arabum regioni ignotus hic morbus fuisse videtur, quia Pliniana appellatione nusquam vtuntur. Sceletyrbe autem, quæ depingitur ab auctore definitionum medicarum, diuersum omnino est malum ab affectibus crurum, qui in scurbuto visuntur. Apud Auicennam tamen, *cent. 3. fen. 13. tracta. 2. cap. 5.* vbi disserit de signis apostematum lienis, possimus quasi inuenire congeriem symptomatum, quæ in scurbuto visuntur. Et Ægineta scirrhi notas ponit, & Alexander Trallianus, vbi agit de phlegmone ex atra bile: quamuis nec icteritia nigra est; nec etiam voluulus hæmatites, *vt Iohannes Langius putabat,* vt etiam longo sermone docet idem Ronsseus *c. 4. contra Langium.* Atque is vult, quod maxime accedat ad illa, quæ Hippocrates de magnis lienibus scripsit. Vulgares nostri scurbutum vocant, a Schorbuck, quæ dictio Danica est, sed a Saxonibus etiam vsurpata, nostra lingua vulgari Schuerbuyck appellata. Scribit Blienburchius *in epistola ad Echtium scripta,* de qua antea diximus, suo tempore quodam Regnerio Snoy, multæ eruditionis & exercitatæ praxis medico, vocatum fuisse *Gingipedium,* a gingiuis & pedibus corrupto sanguine infectis; eoq; sanguinem mundificantia recte ad curandi rationem adhiberi. Non tamen in hoc malo semper gingiuæ & pedes inficiuntur: quin & brachia infici possunt; quod in Nosocomio Delfensi in quodam ægro decumbente ex scurbuto, obseruauimus; cui brachia purpurea, violacea, plumbea & variegata erant: quemadmodum & in Cornelio Iohanne Bokello, ceruisiario, & vrbis consule, anno 1565. mense Aprili conspeximus. Adeo vt etiam gingibrachium, aut πηχυτύρβη dici possit. Caussæ & signa ex præcedentibus obseruationibus satis innotescunt: & etiam ex parte curatio, quibus modis recta methodo perficiatur. Quamuis hæc ipsa adhuc clariora euadent ex obseruatione sequenti, ac scholio etiam subsequente; nonnullis simul exemplis adiectis eorum, qui probe curati fuerunt.

62

Gingepediũ.

63

Observatio XII.

In qua agitur de quinque ægris a scorbuto curatis.

1 PRætor Castricomius, annorum triginta, vir admodum crapulæ deditus, sine vxore viuens, Veneri valde addictus, & egregius potor ceruisiarius; victu vtens inordinato, ceruisiis admodũ crassis fæculẽtis, & diæta correpta; post quartanam in scorbutũ incidit. Huius enim mali caussæ procatarcticæ sunt (*vt diximus*) primo diæta crassa & corrupta, vt in nauibus nostrorum Batauorum, seu Hollandorum & Frisiorum, fieri assolet. Hinc nauta ille, de quo egimus obseruatione pręcedente, in scorbutum inciderat. Vsus quoque aquarum corruptarum, in aquarum dulcium penuria, hunc morbum creare potest, præsertim in aere calido, quo citissime aquæ corrumpi possunt. Ad hoc facit & caro suilla, a coctura etiam subolida, caro venatica putida, pisces crassioris substantiæ, panis biscoctus submucidus; allia, ceruisia mali succi; quibus omnibus hic æger perpetuo fere vsus erat. Huc accedebat secunda caussa, aer ambiens calidus, sanguinis subtiliores partes resoluens, & reliquam sanguinis massam crassiorem relinquens; Vigiliæ quoque, labores, curæ, febres præcedentes: nam quidam, *teste Galeno 3. de loc. affect. cap. 6.* per febriles morbos melancholicum humorem contraxerunt. Non fuit igitur mirum, quod hic prætor in hunc morbum inciderit. 2 Hæc enim vltima possunt generare humorem melancholicum, caussam videlicet proegumenam huius morbi; etiam si praua victus ratio non præcessisset: & id quidem hic tanto magis, quod omnes caussę concurrerent. A quartana itaque cum in scorbutum incidisset, integris tribus mensibus lecto ex scorbuto decubuit, antequam me vocaret: vsus tamen fuerat opera illius Ioannis Galli dicti, medici Harlemensis, sed frustra. Qui simul & patrem huius, multo tempore, vt per annum dimidium, in lecto decumbentem eodem malo, curare non potuit, cum subito syncope oborta scorbuto obierit, vt filius nobis postea narrauit, patri quoque succedens in cura prætoria, eodem morbo tanquam hereditario correptus, post Galli abitum nihil sentiens commodi, varios deinde consuluit medicos, verum potius empiricos, quam vere rationales: ex quorum numero quidam ex his, conspectis cruribus maculosis, hominem Gallica lue infectum dicebant, *vt solet hoc genus nebulonum*, inscitia vel imperitia eo pertractum, vt incognitos morbos Gallicum malum iudicent; vel potius impostura, vt ægros eo melius nummis emungant: qui omnes misere corpus huius ægri suis medicamentis truculentis, vel carnificinis, ita macerarunt, vt ad restim deductus videretur. Dederant autem empirici illi, 3 & succum bryoniæ: bis carnifices. Quibus & accessit tandem presbyter quidam Alcmarianus, egregius ourosc opus, quanquam homo insulsissimus, plebeiis tamen, tanquam cœcis de coloribus male iudicantibus, gratus: qui & laxantia calidissima superaddidit: ex quib. postremo durities haud exigua lieni superuenit, cum maxima virium imbecillitate. His denuo relictis, lotium spectandum ad me deferri curauit; quod vineum passeumque erat, quale significare solet sanguineum humorem plerumque assari, vel in rubeam aut atram bilem transmutari; lienis oppilationem, solutionem quartanæ, icteritiam, *vt Actuarius de vrinis docuit.* Ideo cum vrinæ nequaquam fidendum sit, vt alias etiam tribus libris ostendimus, latorem cœpi interrogare de dolore hypochondrii sinistri, de morbi longitudine, de quartana, de anhelitus difficultate; &, vt paucis absoluam, per interrogationes per me factas intellexi scorbutum morbum adesse: quo & diuersis temporibus antea quoque (*vt nuntius referebat*) laborauerat. Instat itaque nuntius, vt medicamenta præscriberem: 4 quod difficulter annuebam, cum vtilius foret ægro prius inspecto id perficere. Attamen vt illi obsecundarem (cautione adhibita, vt si medicamenta non proficerent, neque iuuarent, me ad ægrum potius deduceret) hoc decoctum sequens præscripsi: *℞ cort. rad. cichoreæ, petros. ana ℥ ß. scolopend. ceterach, cichoreæ, cochleariæ, fumiterræ an. m. j. agrimoniæ, flor. cord. ana p. j. semin. anisi ʒ j. ß. sem. end. agni casti ana ʒ ß. vuar. pass. ab arill. mundat. p. j. corticum rad. cappar. ʒ ij. fiat omnium secundum ordinem decoctio in aqua communi, ad ℔. j. ß. colatura adde syrup. de fumoterra, de end. de cichor. cum rhabar. ana ℥ j ß misce: ℞ rhab. incisi ℈ ij ß specier. diarrhod. abb. ℈ j. ß. trochis. de cappar. grana v. ligentur in puppa rara; & pendeat in dicta decoctione, sumebat bis in die.* Postea rursus lotium misit, quod videbatur minus tinctum. Sed cum in eodem statu permaneret, nuntius me ad ægrum deduxit: ad quem veni quarto die Maii, anno 1555. quem inueni ad summam desperationem lecto decumbere: nam si sese leuissimo motu erigeret, in syncopen cadebat; ita vt sæpe pro semimortuo reputaretur. 5 Illud enim signum scorbuti inualescentis est, vt scilicet sequatur, ambulandi impotentia, anhelitus difficultas, potissimum dum se mouent aut erigunt, vt in hoc ægro erat: si enim aliquandiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu (*vt diximus antea*) semianimes deliquio afficiuntur: rursus decumbentes reficiuntur. Aderant huic & reliqua signa dicta in Obseruatione præcedente, quæ scorbuti ingrauescẽtis signa esse solent. Et ideo ego metuebam eidem, ne ex syncope subito, vt pater eiusdem, vitam finiret. Crura autem habebat attenuata, sed non maculosa, quæ antea maculosa fuerant, *vt idem narrabat.* Interim gingiuas sanguinolentas experiebatur. Similiter & dolorem intensum in hypochondrio sinistro sentiebat. Ob quem dolorem, ex vena nigra sinistri brachiis tantũ ℥ iij. sanguinis detrahere iussi. Quo dolor cessauit: nam plus mittere, ob virium imbecillitatem, ne syncopis obreperet, tutum non fuit. Illo quoque decumbente sanguinem extrahere mandaui: nam erectus sedens syncopen incurrere solitus erat. Cum dolor iam remissus erat, 6 hoc decoctum sequens præscripsi: *℞. rad. liquir.* (aderat enim tussis, cum sputo tenaci;

pecto-

pectorisque angustia, ex scorbuto, ob tumorem lienis comprimente diaphragma & pulmonem) *cort. rad. fœniculi an ℥ ß. cochleariæ, bekabungæ, scabiosæ, vngulæ caball. ana m. j. scolop. hyssopi ana m. ß. capill. ven. ceterach, florum cord. an. p. j. vuar. pass. enucleat. ℥ j. coquantur in sero lactis ab ℔ j. coletur & colaturra dulcoretur Zacccharo candi pro sapore.* Bis sumebat cyathum in die, & ilico (*quod mirum erat*) sensit alleuiationem. Interim gingiuas sanguifluas abluebat sæpissime lacte decoct. cochleariæ & bekabungæ: quibus fluor ille cessabat, & gingiuæ vlceratæ curatæ fuerunt. Lienem induratum inunximus cum oleo cappar. amygd. amar. & liliorum. Deinde 9. Maii ad sanguinem melancholicum purificandum, & fæcem melancholicam purgandam, sequenti decocto vsi sumus: ℞ *cort. rad. fœniculi, bugloss. liquir. rasæ an. ℥ ß. vngulæ caball.* (pro tussi) *capill. ven. ceterach, scolopend. scabiosæ bekabungæ, cochleariæ, hyssopi, borag. summitatum buglossæ* (omnia viridia erant, quia in malo eramus) *an. m. ß cort. rad. cappar. ℥ ij vuar. pass. enucl. ℥. j. seminis anisi ℥ ij. folliculi. senæ ℥ vj.* (quia debilis erat, & facilis solutionis) *epithymi, polypodii querc. an. ℥ ij. ß. fiat decoctio secundum ordinem in sero lactis, pro ℔. j. colatura Zacch. cand. dulcoretur.* Eo decocto vtens modo semel, modo bis in die, cum aluum subinde deposuisset, hic præter spem omnium a diuturno & deplorato morbo conualuit: gratia diuina nobis adsistente.

Secundus casus.

Henricus quoque ille Ceruisiarius Delphensis, qui in Nola habitabat, postquam trimestrem febrem prius tertianam, mox erraticam, deinde quotidianam habuisset, scurbuto correptus est, ita, vt omnes de eius salute desperarent. Imperaui, vt quotidie vteretur decocto bekabungæ, absinthii communis & Romani, & nasturtii aquatici & cochleariæ in ceruisia. Dentes & gingiuas confricabat *aqua bekabungæ, & plantaginis: cui aluminis vsti momentum incoctum erat, simul quoque cortices granat. & balaustior. adiecta.* Atque hoc puluere deinde insperso: ℞ *aluminis salis vsti, corn. cerui vsti, gallarum, maceris, foliorum saluiæ, an. ℥ ß. in pollinem conferantur.* Cum idem tussi afficeretur, ℞ *diapenid. specier. diatrag. frigid. ana ℥ j. dissolu. cum aqua bekabungæ, & vngulæ caball. adiecto Zacch. optimi q. s. fiat confectio in tabulis.* vtatur ad libitum. Et hic, quia temperatura calidiore erat, perpetuo sumebat decoctum *bekabungæ, cum syr. ex succo bekabungæ*: postea etiam addito succo cochleariæ, in minima quantitate. Et sic præter hominum opinionem conualuit.

Tertius.

Sebastianus quoque Isbrandus anno 1565. in foro frumentario, per plures menses ex scurbuto decumbebat. Huic crura erant variegata, valde dura. Accedebat & animi defectus, si se erigeret: neq; se erigere poterat, quin in lipothymiam incideret. Gingiuæ parum corruptæ erant: lotium valde crudum. Cum autem ad desperationem diu laborasset, neque chirurgorum opera curari posset, nos eundem restituimus, sæpius hoc iulebo exhibito: (*nam asperrima hyems erat, vt viridibus vti non possemus:*) ℞ *syr. sceletyrbici nostri ℥ ij. aquæ cochleariæ ℥ iij aquæ bekabungæ ℥ j. misce pro duabus dosibus.* Fuit sæpe reiteratum, cum continuo sumeret. Crura pannis laneis intinctis in infrascripto somento moderate calido, & expressis inuoluebantur: mox panno laneo fasciisque inuolutis circumducebantur: ℞ *rad. althææ ℥ ij.* (& quia magna durities aderat) *foliorum maluæ m. iiij flor. chamomill. m. j. flor. meliloti, folior. absinth. communis ana m. j. bekabungæ m. iij. coquantur in s. q. aqua communis, pro ℔. vj. addendo aquæ bekabungæ, cochleariæ an. ℥ ij. misce.* Hanc curationem ita prosequebamur ad sex septimanas. Verũ cum circa talum & pedium ex scurbuto duritiem tophaceam quasi incurreret, accepi *flor. meliloti m. iij. flor. maluæ m. ij.* decoxi in ceruisia crassiuscula, & cum panno in ea intincto pedem inuoluebam. Cum autem durities prædictis emollita esset: denuo fomento consueto superius scripto, ad finem curationis vtebatur. Sed huic post longam fomentationem, cum cutis rarior euaderet, vesicæ exortæ sunt, instar bullarum: deinde subsequuta est leuis corrosio epidermidis, seu cuticulæ externæ: a quibus materia calida humida emanabat. Ideo imperaui vt chirurgus vnguentum de cerusa supra pannum lineum induceret, ac cruribus apponeret. Quibus hoc symptoma facile curatum est. Verum & in Aprili mense, cum herbæ iam e terra prodirent, relicto iulebo, ad finem curationis decoquere mandaui nastur. latifolium, bekabungam, cochleariam, in ceruisia communi, quã perpetuo bibebat: & instar miraculi cum fotu superiori curatus est. Interim gingiuas abluebat quotidie cum aqua cochleariæ, bekabungæ, cui aluminis parum incoctum erat: deinde syr. sceletyrbico nostro adiecto, parum ebulliendo. Quibus gingiuas confricabat. Hic absque missione sanguinis, cum in principio in hyeme essemus, ac debilis esset, egregie curatus est.

Quartus.

Eodem modo, & eodem fere tempore, Elidius pellio Delphensis, vicinus noster, scurbuto quoque correptus est. Hũc bis purgauimus: sed a missione sanguinis abstinuimus, eo quod corpus cacochymum esset. Purgatio constabat *ex decocto senæ, cochleariæ, bekabungæ, & similibus.* Herbas autem dictas in sacculo consutas, & decoctas, cruribus ex fotu admouimus. Cum & gingiuas male olẽtes putidas muccosasq; haberet, ac sanguifluas, & flaccidas: sequenti linimento vt sæpe confricarentur, mandauimus: ℞ *saluiæ exsiccatæ & puluerizatæ ℥ j. aluminis ℈ ß. cum succo cochleariæ, bekabungæ, & melle q. s. fiat mixtura.* Quibus gingiuę confricatę, sanguine emanante tandem persanatę sunt. Ad finem autẽ curationis similiter vtebatur decocto cochleariæ, bekabũgæ, nasturtii aquatici & latifolii, in ceruisia communi. Quibus remediis & hic sanatus est.

Quintus.

Nicolaus Volckerus, pictor, trigintaocto annorum, aut circiter, qui apud templum antiquum Delphis habitabat, in femoris sinistri scirrhosam duritiem incidit: quæ in maximam molem excreuit: ita vt per totum autumnum præcedẽtem,

ac hyemem subsequentem inambulare non posset: verum perpetuo sedere ac decumbere coactus fuit; neque adhuc medici consilio vsus erat. Tandem ad vigesimum Februarii diem, anno 1566. lotium ad me (*vt fieri male consueuit à vulgaribus*) misit: postea vero & me vocauit. Crure autem inspecto quod valde liuidum ac purpurascens erat, & in tophaceam duritiem quasi concretum, ingētis magnitudinis spectabatur: ilico scorbutum esse suspicatus sum: lotio quoque nigriusculo exsistente, & valde rubro. Sunt enim signa scorbuti remotiora, & communia aliorum morborū, *quæ etiam Obseru. præcedente recensuimus*: quæ sex numero fere consistunt. Primum est, *corporis totius grauitas*; Secundum, *spontanea lassitudo: quam tamen hebetiores non sentiunt, nisi a consueto exercitio.* Tertium, *præcordiorum aliqualis angustia.* Quartum, *crurum debilitas.* Quintum, *gingiuarum pruriginosa rubedo ac dolor.* Sextum, *faciei color ex pallido in fuscum vergens.* Hæc vbi coniunctim inueniuntur, scorbutum adesse iudicare licet. Hic vero præter illa supradicta signa remotiora, etiam hæc propinquiora & certiora signa aderāt: de quibus etiam mentionem fecimus præcedente obseruatione. Primum signum aderat, *oris graueolentia.* Secundum, *gingiuarum laxus sanguifluus tumor: gingiuæ enim inspectæ subtumidæ parum erant, ad liuidum suppurpurascentes: meamque de scorbuto opinionem confirmabant.* Tertium, *dentes vacillantes.* Quartum, *crurum maculæ plumbeæ, purpureæ, nigris violis obscuriores.* Quintum, *lentigines innumerabiles griseæ, siue pullæ: aut solum circa os, vel sola crura superuenientia symptomata.* Verum huic durities liuida subpurpurascens (*vt diximus*) totum sinistrum femur occupauerat, a genu vsque ad coxam, dextro illæso, neque indurato: & dolor similiter sinistrum hypochondrium, sed minime effatu dignus, affligebat. Id magis in sinistro crure, per consensum (*vt opinor*) lienis frequenter euenire animaduerti: quanquam in Domino Assendelphio, etiam in pede dextro idem conspexi: cui & hypochondrium dextrum duriusculum erat, non sine scirrho hepatis. Cuius & antea memini. Verum, quod mirabar, in hoc pictore, licet sinistrum femur non solum duritie, sed & colore liuido subpurpurascente infectum foret, in brachio quoq; dextro liuor exiguus paululum supra cubitum apparebat, sine duritie tamen ac dolore. Sed quanquam fere semper in scurbuticis (*vt antea diximus*) coxæ vel tibiæ nigro quodam liuore suffundantur: brachia vero rarissime, quod se tātum semel vidisse Balduinus, amicus noster, qui de scurbuto scribit mihi narrauit: mihi tamen hactenus non semel, sed iam ter hoc vidisse contigit: Primo in ægro illo, qui in nosocomio Delphensi decumbebat, *de quo scholio præcedente diximus*; cui non solum crura, sed & brachia liuore multo inficiebantur, etiam in ventre tum pectore stigmata illa variegata liuida subpurpurascentia conspeximus. Secundo hoc animaduerti in Cornelio illo Bokello, Ceruisiario Delphensi, sexaginta fere annorum: *vt etiam eodem scholio recensuimus.* Hunc autem Ericius noster pre manibus habebat: huic quoque brachia liuida erant. Tertio vero in hoc pictore brachia variegata cōspeximus: verum minus quam in duobus supradictis. Sextum signum proprium scorbuti, *est passione magis ingrauescente, ambulandi impotentia.* Septimum, *anhelitus difficultas, potissimum dum se mouent, aut erigunt: & si aliquandiu erecti sedere conantur, quasi deficiente spiritu semianimes, deliquio afficiuntur.* Octauum signum est, *quod rursus decumbentes reficiuntur, ac respirant liberius: imo decumbentes se sanos asserunt. Sed quia fieri non potest, vt sine omni motu decumbant, fit interdum vt delinquentes animo langueant.* Nonum signum est, *quod in his rarissime deficit appetitus, & frequenter cibum appetunt.* Decimum est, *quod obseruatur hic aliquando motus aliquis aggrauationis: in pluribus quarto quintoque die; in aliquibus, tertio die: in paucioribus, singulis diebus, sine tamen omni febre; aliqui, simul febriunt. Sed hic æger febre carebat.* Vndecimum, *præcesserunt aliquando febres, quæ quasi per crisin in scurbutum terminatæ fuerunt.* Hinc sæpe post quartanas, *vt iam exemplis ostendimus*, vnde etiam talis scorbutus natus, contagione serpit in totas familias, & in tota monasteria: desinitq; in lethalem dysenteriam commutatus, vt Blienburchius ille, aliique doctiores obseruarunt, & nos quoque sæpe animaduertimus. Aliquoties deficiunt subito ac mortali deliquio animi: sicuti & pater pictoris supradicti obiit. Duodecimum signum *quibusdam aluus per totum morbi decursum est constricta, ac ad egerendum difficilis: contra aliis moderate fluit, vt Sebastiano illi Ysbrando euenit: ita vt in eodem non fuerimus vsi aliqua purgatione.* Quidam & continuo ventris fluxui obnoxii sunt: vt quidam diarrhœa corripiantur lethali: quemadmodum euenit filio Iacobi Heemans Alcmariano. Alii & licētia corripiuntur, ac moriuntur: vt euenit mercatori Comen Ruchio, etiam Alcmariano: de quo alias dicturi sumus. Hunc autem endemium aliquando morbum esse vult Ronsseus noster, ex aere patrio, vel aquis: aliquando epidemium & pestilentem, ex humida cœli constitutione. Sic enim cum anno 1556. pluuiæ imbresque grassarentur, flante austro ac fauonio, insequente anno plurimos sceletyrbe ac stomacace inuasit: atque ita inuasit, vt multos in vitæ discrimen redegerit. Similiter & anno 1562. Decimumtertium signum est, *quod interdum maculosa illa crura sic intumescunt, vt elephantiasin Arabum suspicari possis; rursus vero aliorum crura sic attenuantur, vt nuda cutis deturpata ossibus affixa videatur. Aliis in molem accrescunt, dura & scirrhosa euadunt: vt in hoc pictore: aliis œdematosa, vt in muliere, de qua ante dictum est: aliis varicosa, vt non semel conspexi. Nec mirum: quia etiam aliis morbis contraria aliquando superueniunt symptomata, vt in pleuritide aliisque vsu euenire videmus.* Decimumquartum, *maculæ aliorum in nigras, aut pullas squamas resoluuntur, vti morphea & Græcorum lepra assolet:* aliorum

Signa scorbuti remotiora, & cōmunia aliorū morborū.

Signa propinquiora & certiora.

aliorum vero leues, æquales, splendentes permanent, cum quodam vestigio ad impressionem digiti. Decimumquintum: *item morientibus quibusdam delitescunt maculæ, quibusdam a morte vberrime efflorescunt.* Decimumsextum: *Conspicitur etiam aliquando, licet perraro, varicosa venarum plenitudo. Id vidimus nos in Arnolda muliere Delphensi: & in alia virgine ac famula.* Sic & sub tota lingua minutissimæ etiam venæ varicibus similimæ, & similes in inferiori labio varices visæ fuerũt. Quod in Henrico illo zythepsa *(de quo paulo ante diximus)* etiam conspeximus. Ceterum in hoc pictore cum totum sinistrum femur durum esset, ac gingiuę subtumidæ *(vt diximus)* quæ ex obstructione lienis eueniebant, ad eam tollendam imperauimus inter reliqua remedia, vt bekabungam & cochleariam decoqueret in sua ceruisia, nec alio potu, quam eo vteretur, etiam tempore prandii aut cœnæ. Et his remediis infrascriptis intra paucos dies sanus euasit: & similiter a cruris symptomate, magno cum meo honore. 20 itaque Febr. hoc die decoctum primo præscripsi: *℞ fumiterræ, capill. ven. ceterach, agrimoniæ, bekabungæ, cochleariæ* (habebat enim has duas vltimas herbas virides apothecarius) *ana m. j. scabiosæ m. ß flor. cord. p. j. liquir. ras. ℥ vj. cort. rad. cappar. ℥ iij. sem. anisi, fœnic. carui an. ℥ j. folior. senæ ℥ j. rhab. selecti, myrob. indor. an. ℥ j. vuar. pass. enucleat. ℥ j hordei mundati p. j schœnanthi ℈ j. coquantur in aqua communi, pro ℔. j. maneant infusa per noctem, colaturæ adde syr. sceletyrbici nostri ℥ ij. syr. ex infus. ros. ac cich. Nicoli, cum rhab. an. ℥ ß. misce pro tribus dosibus matutinis.* Hoc decocto quotidie ter quaterve multa melancholica fœtida excernebat. Deinde 21. Februar. *℞ olei amygd. dul. ℥ j. olei irrini, pingued. gallinæ an. ℥ ß. cerati nostri de ammoniaco ℥ ß. misce pro linimento femoris.* Lienem inungebat oleo de capparibus. Postea 24. Februar, cum nulla medicamenta sumeret, ex vena saluatella in manu sinistra *(nam ea, quæ in brachio erat, minus apparebat)* ad vncias quatuor aut quinque sanguinem detraximus valde nigrum: Plus detrahere nõ erat tutum, eo quod paulo debilior esset, & quia æstate pręcedente ter quaterue, cum ophthalmia laboraret, ex præscripto Hugonis Nieuenii medici Haghani, sanguinem demisisset: deinde Delphos veniens in scurbutum inciderat. Sed quia nunc faciem subtumidam habebat, quasi cachecticus, parum sanguinis, licet nigerrimi ac viscidi, ad lienis obstructionem tollendam, vrina quoque rubra & nigra exsistente, detrahere mandauimus. A cuius detractione bene se habuit. Deinde altero die sequenti hanc sequentem purgationem exhibuimus: *℞ confect. hamech, elect. lenitiui an. ℥ ß. dissolue cum iij. decoct. bekabungæ, cochleariæ: addendo syr. de epithymo ℥ ß. misce.* fiat potio: qua multa melancholica pituitosa, pauca vero biliosa, deinde plurima aquea excrementa deposuit. 27. die Febr. a purgatione hoc sequenti fotu pro femore vsi sumus: *flor. chamomillæ, meliloti an. m. iij. folior. absinthii communis, folior. maluæ, cochleariæ, bekabungæ an. m. ij. folior. artemisiæ m. j. rad. althææ ℥ ij. cymini ℥ ij. conquassata, coquantur in aqua communi q. s. & in fine adde aceti vini Rhenani opt. ℥ iiij. misce pro fomento, ad ℔. iiij summo diluculo & hora quarta pomeridiana fomentabatur:* mox vnguento sequenti femur inungebatur: *℞. vnguentum superius descriptum: cui adde emplastri de meliloto, vnguenti Agrippæ an. ℥ ß. misce.* fascia intincta in fomento suprascripto, expressoque, totum femur bene cingatur. Quo remedio egregie crus sanatum est. Interim & hoc decocto, quod sequitur in principio Martii vsi sumus est; *℞. fumiterræ capill. ven. agrimoniæ, scolopendriæ, bekabungæ, cochleariæ an. m. j. sem. fœniculi ℥ j. folior. senæ ℥ vj. agarici fœmin. rhab. selecti an. ℥ j zinzib. albi, schœnanthi an. ℈ j. vuar. pass. enucl. ℥ vj. liquir. rasæ ℥ ß. coquantur in aqua communi, pro ℥ viij stent infusa per noctem.* mane fortissimæ expressioni adde *syr. sceletyrbici nostri ℥ ij. misce pro duabus dosibus matutinis.* Bene excreuit: & valde profuit. Sed quia circa lumbos nõnihil dolebat, eos vnctione sequenti inũgi mãdauimus; *℞. pinguedinis gallinæ, olei amygd. dulc. olei anethini, rosacei, mucilag. althææ extract. cum aqua maluæ an. ℥ ß.* misce pro linimento. Interim cum vitium gingiuarum exiguum esset, statim a purgatione solo decocto bekabungæ & cochleariæ persanatum est. Alioqui ad fortiora deuenissem: quale hoc est: *℞ balaust. aluminis de pluma, scissilis dicti, an. ℥ ij. myrrhæ, olibani, masticis an. ℥ ß. fiat pul. pro gingiuis inspergendus.* In vlceribus gingiuarum & sanguifluo fluxu frequenter eo vsi sumus.

Scholia.

De caussis scorbuti protacarcticis, *in vtraque Obseruatione præcedente* satis diximus: similiter & de signis: & etiam de caussis proegumenis, & coniunctis, quę a protacarcticis generantur; potissimum *Obseruat. octaua.* Sed vt hæc omnia in compendium cõtrahamus: Primus morbus assignatus fuit in eadem Obseruatione, *obstructio lienis*: huius caussa proegumena est, vel antecedens, primo *hepar, copiose generans humorem melancholicum, vt retulimus*: secundo, *humor melancholicus, in mesaraicis præcordiisque redundans.* Caussa continens est idem humor melancholicus, lieni iam infarctus, vel copia, vel crassitie sua obstructionem ipsi visceri afferens.

Caussa proegumena & coniuncta.

Secundus morbus assignatus fuit, *multitudo humoris melancholici.* Huius caussa proegumena & continens, primo *hepar generans humorem melancholicum*: secundo *obstructio lienis.* Tertius morbus assignatus fuit, *intemperies inæqualis*: quæ si fuerit sine febre, caussam principem & continentem habet frigidam & siccam: si vero cum febre, calidam seu adustionis participem, & siccam. Quartus morbus assignatus fuit, *gingiuarum vlcus*: huius caussa proegumena & continens est *acrior subtiliorque materiæ peccantis portio*, quæ vel a natura criticante, vt sic dicam, vel a calore sursum sublata, loca tenera humidaque facilius corrodit. Quintus morbus assignatus fuit *crurum mala dispositio*: huius caussa proegumena & con-

tinens est *humor melancholicus crassus, magnitudinem augens & motum impediens*; vnde crura maculosa ita intumescunt, vt elephantiasin Arabum quispiam esse opinetur: huiusmodi autem magnitudo aucta caussam habet intemperiem crurum, ex humore præsente factam, & fientem inuicem, eo prius confluxam: postea debilitatum membrum facilius recipit, & sua ponderositate eo depellitur. Item antecedentem habet caussam ex superiorum intemperie, & humorum multitudine. Magnitudo vero crurum diminuta, caussam habet atrophiam; atrophia autem, operationes ablatas sequitur. Summa summarum caussa princeps seu proegumena, atque adeo fere coniuncta scorbuticæ passionis, est humor melancholicus, id est, *multitudo faculentæ bilis atræ in hepate cum sanguine procreata; aut putidus sanguis ex praua atq; putri victus ratione procreatus.* Quod ad signa attinet, ea iam diximus. Et quod ad indicationes curatiuas, primus morbus tollitur apertione, *qua per subtiliantia atq; abstergentia perficitur.* Secundus, videlicet multitudo tollitur partim intentione curatiua, videlicet *euacuatione eius quod iam factum est*: partim præseruatiua eius quod fit: idque bifariam; primo prohibendo, ne talis humor amplius generetur, quod fit per curationem intemperiei iecinoris, & per ablationem caussarum procatarcticarum; secundo, prohibendo ne retineatur, si quid forte iterũ genitum sit: quod fit per meatuum reserationem, & per splenis confortationem. Ita prohibitio retentionis duplicem præstabit vsum; nempe præseruatiuum in hoc secundo morbo, videlicet multitudine; curatiuum in primo morbo, videlicet obstructione lienis. Tertius morbus, videlicet intemperies, tollitur partim intentione curatiua, videlicet *correctione facta intemperiei per contraria*, partim intentione præseruatiua similis adhuc intemperiei: idque bifariam, primo per ablationem suæ caussæ, nimirum humoris multitudinis; quod fit partim euacuando, partim aperiendo, partim diæta attenuante, & boni succi; secundo per roborationem viscerum. Ita ablatio humoris duplicem & ipsa vsum præstabit; nempe curatiuam in secundo morbo, videlicet multitudine, & præseruatiuam in tertio morbo. Sunt igitur quatuor intentiones: apertio, euacuatio, alteratio, confortatio. Euacuationi debetur primus locus, quæ partim vniuersalis, partim particularis esse debet. Secundus locus cedit apertioni; deinde repetetur aliquoties euacuatio. Tertio loco succedit alteratio, quæ etiam corroborationem ex parte exsequitur. Nam corroborationis quoque est, debilitatem membrorum ex intemperie propulsare. Priuatim tamen magis exsequitur viscerum indigentiam, nempe lienis, hepatis & stomachi. Quo modo hæc particulatim, tum aliæ indicationes perficiantur, ad longum diximus *Obseruat. 11. præcedente*; & iam quoque exemplis multis ostendimus: vt non opus sit eadem hic refricare. Ideo qui de scorbuto morbo plura desiderat, quam hic scripsimus, Balduinum Ronsseum, amicum nostrum legat. Verum quoniam hic frequenter mentionem fecimus syrupi sceletyrbici nostri, quem nos primum in vsum deduximus, is hoc modo paratur: ℞ *succi cochleariæ, bekabungæ an. ℔. iij. sacch. optimi ℔ ij. cum oui albumine depuretur, coquantur simul; colat. & fiat syr. secundũ artem.* Non desunt nunc & alii quidam, qui syrupum conficiunt ex radice raphani. Quidam syrupũ ex solo succo bekabungæ parant: sed mihi non ita placet, cum & cepæa, quæ ab aliis bekabũga dicitur, aquea sua, qua pollet, humiditate, excrescentiæ lienũ potius materiam suppeditet. Ideo & Ronsseus, in libello suo perstringit eos, qui solius decocto bekabungæ, id est, cepææ, sanitatẽ scorbuticis pollicentur: quo ille nihil alienius esse dicit, vtpote cũ aquea sua humiditate, excrescentiam lienum, si intro sumatur, augere soleat. Ad oris certe & gingiuarum ablutionẽ admittit, cũ particeps alicuius adstrictionis sit; vnde & gingiuas firmiores quodammodo reddit, atq; atram illam bilem sua humiditate refrenat ac compescit. Cum cochlearia tam intus assumtam, quæ vim habet detergẽdi, aperiendi, vt eius acrimonia declarat, vtilissimã esse experior; si nempe bekabungæ succus cochleariæ addatur, quæ sua tunc adstrictione leui lienem roborat, & caliditatem cochleariæ refrenat. Hinc cũ tanta vtilitate hoc nostro sceletyrbico syrupo vsi sumus, vt etiam nunc a Brabantinis medicis, & Flandricis expetatur; vt maximam copiam huius syrupi pro amicis annuatim confici iubeamus. Mittimus etiam aliquando integras libras huius syrupi ad Liuinum Sanderium, reipubl. Gandensis medicum, amicum nostrum singularem: cum quo vna in eisdem ædibus Bononiæ in Italia diu habitaui. Est autem hæc herba apud nos valde frequens. Conficimus & ex ea conseruam valde vtilem. Balduinus autem cochleariam Telephium esse putat: hinc & vlcera sceletyrbica Telephia esse existimat, quæ & Telephi opera indigeant: vnde de scorbuto cap. vij. de vlcere sceletyrbico agens, vult hanc cochleariam Telephium Dioscor. esse, Britannica, qua vtitur Plinius ad stomacacem & sceletyrbem, cum nondum intumuerit, eius loco vtitur Ronsseus bistorta, quæ Britannicæ facultatibus plane respondet: nam & vim adstringentem habet, & ad oris & tonsillarum vlcera depascentia accommodata est. Habemus autẽ & multa alia remedia experta: quale hoc compositum medicamentum est: ℞ *plantaginis, bistortæ an. m. j. ros. rub. ℥ ij. aristoloch. rotundæ ℥ j ß myrrhæ ʒ j iridis ʒ j. aluminis ℥ ij. coquantur in ℔ ij vini rub. styptici ad dimidium*: in olla ænea exprime, cola: *adde mellis ros. colati, diamoronis ana ℥ j ß. misce.* Reliqua vero apud Ronsseum videas. Possem & hic infinitas historias adferre, eorum, qui a me curati sunt: sed exempla iam supradicta sufficiunt. Atque ita plerosque omnes, aut præcipuos saltem morbos ac affectus lienis recensuimus. Laborat præterea lien interdum

Indicationis curatiuæ.

Syrupus sceletyrbicus.

Britannica.

De palpitatione & punctione in liene post cursum.

dum palpitatione, & dolore punctorio, quem multi sentiunt post cursum; & tunc de punctione in loco lienis conqueruntur. Dolor autem iste non est punctorius, alioqui ad membranam lienem succingentem pertineret. Sed est potius pulsans dolor, de quo dolore nos in Schol. Obser. 7. De lienis dolore, statim in principio egimus. Et eiusmodi dolor pulsans, quando vehementior est, contingit in inflammatione, ob multitudinem & magnitudinem arteriam in ipso liene existentium. Atque hic dolor pulsatilis palpitationis instar, pertinet ad arterias. Ex cursu igitur facile inflatur lien, ob arterias: & sentitur quasi palpitatio vel pulsatio, propter motum arteriarum in ipso liene insertarum. At vbi paululum homo quieuerit a cursu, facile cessat illa palpitatio, seu pulsatio. Quare nec medici de ea vllam mentionem faciunt, nisi dolor ille continuo pulsans manserit, vt in inflammatione lienis contingit. Sed cum talis affectus non sit effatu dignus, non putaui operæpretium, vt de eo obseruationem aliquam peculiarem conscriberem. Hanc etiam ob caussam falluntur vulgares, qui nugantur, cursoribus magnatum & Principum lienes excisos esse; & ob id eos velocius currere posse. At recte dixit Benedict. Veronens. medicus doctissimus, *2. lib. de partibus corporis humani cap. 12.* de liene: *Cursoribus, vt traditur lien peculiare impedimentum: propterea quandoq; nonnullis laborantib. splen inuritur. Adimi posse homini sine vita periculo, verisimile non est.* Et bene Galen. noster nullam humani corporis partem sine munere aut naturali vtilitate esse probauit. De munere lienis ac vtilitate, satis superq; egimus *in princ. lib. 19. in præfat. ad lect.* Quamobrem & hoc viscus non minus quam reliqua alia custodiendum est, ne vllo modo afficiatur: atque etiam omni cura, vt cetera membra, potissimum interna, sanari debet.

Sic itaque hunc librum de affectibus lienis finire decreueramus, ad mensenterii vitia, tum sæua intestinorum tormenta transeundo: Verum nuper ad me doctissimus Henricus a Bra, Reipub. Campensis medicus, epistolam scripsit de morbo quodam incognito, proxime ad scurbutum accedente, quoad membra, quæ exterius læduntur, longe tamen aliter, quam in scurbuto. Operæpretium igitur duxi, epistolam illam ad me scriptam hic inserere, antequam vlterius progrediamur, quæ ita habet.

EPISTOLA HENRICI A BRA, Reipub. Campens. medici.

De morbo quodam nouo & incognito, Westphalis, Geldris & Frisiis quasi endemio; quem illi Die Varenn *vocant, diuersis symptomatibus ægros infestante.*

Cl. V. D. D. PETRO FORESTO
S. P.

NOn dubito, Clarissime Foreste, quin ex postremis meis literis intellexeris, de reditu meo ad Campenses. Iam biennium est. Toto eo tempore nihil quicquam a te literarum vidi. Sed ignosco tibi propter commune bonum; nam suspicor, te totum nunc esse edendis tuis Obseruationibus & Curationibus Medicinalibus. Faxit Deus, vt feliciter, quod præ manibus adhuc est absoluas. Misi nuper carmen in libros tuos de pectoris & pulmonis affectibus: sed quia non est additum, puto serius allatum. Nunc ne omnino asymbolus ad te veniam en tibi, quod data occasione inseras Obseruationibus tuis, si placebit; sin minus, contempas. Legenti mihi nuper locum Galeni, qui est in lib. 6. locor. affector. cap. 3. vbi agit de Dracunculis, in quodam Arabiæ loco in tibiis hominum natis, venit in mētem morbus nobis vicinisq; Westphalis & Geldris quasi endem us pluribus quoq; fami iis hæreditarius, populari lingua Die Varenn dictus. Hic se prodit cum vagis doloribus, valde excruciantibus, in omnib⁹ corporis membris, potissimū in dorso & lumbis, primumq; vnam aliquam solet inuadere particulam, deinde celeri motu & discursu vicinas quoq; partes occupare. Siquidem videre est, vt in hac lue sæpius doloribus pedū illico scapulæ affligantur; illis tranquillis e vestigio manus crucientur; ac ita per omnes artus malum ipsum dissiliat. Vnde etiam cum Epitheto Die loopen-de Varenn nominant. Plerumq; tamen vnū aliquod membrum, quod per interualla excruciat, obsidere comperitur. Doloris speciem statuunt ipsi ægri exedentem corrodentemque, qui vermiculum, musculos & alias partes subito, ac nonnunquā momento, variis simul locis permeantē depascentemq; arguere videtur ab inseparabili proprietate ipsius morbi Etymologiam deducentes: siquidem Varenn patria lingua singulare quoddam lumbricorum genus denotat. Morbi huius duæ statuuntur differentiæ: quarum prima cum tumore circa dearticulationes copulatur; qui vbi diu perseuerat, profert tandem plerumque maculas & lituras, scorbuti notis non valde dissimiles, quæ interdū suppuratæ in vlcus conuertuntur malignū, imprimis circa pedes, ex quo vermiculi instar ascaridum educi videntur. Interdum quoq; tota materia vnam in partem aliquam decumbit: vnde, corpore toto doloribus liberatur, abscessus excitatur, qui in fistulæ malitiam desinit. Altera differentia est absq; tumore: sed cum priori participat dolore. Hæc interdum peculiarem habet corporis maciem, & quasi marasmodē, cum aliquali articulorum impotentia coniunctam. Vtriq; commune est, quod dolores noctu magis exercebantur. Febris aut lenta, aut nulla comitatur. Aluus in pluribus adstrictior. Vrina non admodum discrepat ab vrinis sanorum; nisi quod interdum vermiculi, instar illorum, qui e putridis caseis prorepunt, in fundo matulæ innatare, sicut & alui excrementis misceri, videantur; estq; hoc illis certissimum indicium huius morbi. Cibum alii semper bene appetunt, alii eum omnino respuunt. Hæc variant iuxta humoris peccantis & corporis affecti diuersitatem.

Signa.

Differentiæ.

Caussam morbi statuunt in omnium humorum ichoribus, non quidē vno in subiecto coniunctim, sed pro cuiusq; temperamenti varietate. Quicquid sit id, quod hanc luem caussare possit, certum est, materiam esse tenuem & turgidam, non tam quidē simplicem, sed alicuius virulentiæ malignitatisq; participem. Minéram morbi statuunt neruosum genus, per quod humor

Caussa.

Partes affectæ.

ille subtilis & malignus diffunditur. Idque his potissimum incidiis confirmant: tum quia in dorso ac lumbis propter substratam medullam valde luxuriat dolor; tum quod facultatis motricis actio læditur; denique quod a confirmantibus respicientibusque neruos iuuantur hac lue infecti. Ad curationem quod attinet, simul ac aliquem hac lue affici contigerit, protinus ad certa quadam alexipharmaca seu Bezoartica medicamenta, nulla corporis vel humorum præmissa præparatione, sine vlla methodo vel ratione præscripta, pro regionum diuersitate, incolarum obseruatione & experientia, decurrunt. Inter alia commendant, tanquã præsentissimum remedium, lumbricos terrestres, maxime quorum collum annulis & cingulis cingitur, quos diuersimode cum superstitiosa etiam numeri obseruatione præparant. Alii talpam viuam in olla la comburunt, donec in cinerem conuertatur: de hoc puluere exhibent cum ceruisia aut vino, diebus aliquot, crescente Luna; & itidem in eius defectu. Alii spem totius curationis ponunt in exhibitione venenosi cuiusdam vermis, quem patria lingua Meywurm vocant, Itali Cantarello nominant. Alii alia huiusmodi vehementia & virulenta remedia propinãt, quibus curationem pollicentur: vt sunt oua pauonis, solanum somniferũ, ossa sturionis dicti piscis. Noui qui extractis esulæ & ellebori vterentur. Sunt qui ex saluia, ruta, betonica & aliis huiusmodi herbis neruos respicientibus potiones conficiunt: quibus lumbricos terrestres vino prius ablutos, dein contusos, & per setaceum traiectos admiscent: aut etiam citra eorum admixtionem exhibent septimanas aliquot: semper operã dantes, vt ab assumta potione sudor prouocetur: quod cum primis in hoc morbo vtile prædicant. Rectius faciunt, qui vacuato primum corpore; sequenti haustu vel apozemate laxatiuo, potionem infrascriptam propinant. Haustus talis esto. ℞. pul. senæ solut. ℥ ij. infunde horis 12. in aqua beton. ℥ iiij. a forti expressione, adde diacartham. ℥ ß. vt fiat haustus Apozema tale esto: ℞. rad. polypo. querc. ℥ j. saluia, betron. ana m. j. s. abiosi. rutæ, abrotani ana p. j. sem. anis. citr. ana ℥ ij. passul. mũda. ℥ ß. coq. in aqua ℔. ij ad remanentiam medietatis: admiscendo in fine coctionis folior. senæ Alexan. ℥ x. stent in infusione per noctem, hinc liquor a forti expressione clarificetur: cumque eo per colum transmittantur lumbrici vino abluti, numero nouem: Zachari quantum placet, ad cõseruationem ter in die sumat ægrotus. Potionis forma talis esto: ℞. radic. succisæ ℥ j. aristoloch. rot. ℥ iij. saluiæ nobilis, beton. ana m. j. abrotan. rutæ, vincæ peruincæ, sabinæ ana p. j. coq. in aqua flumi. ad consumt. medietatis: cum huius decoct. expressi ℥ iiij. pro vice traiiciantur lumbrici terrestres, circulis in collo insigniti, vino prius abluti, & triti, num. v. deinde misce theriacæ electæ ℥ ß. pul. cinnam. ℈ j. zacchar. q. placet, exhibeatur mane calide, & corpus contegatur ad sudorem. Repetatur potio hæc diebus aliquot continuis. Cura huius morbi aliquando in septimanas plures extenditur. Quod si vnam aliquam in partem virus procumbat, & abscessum excitet: is vt aperiatur, plantaginem cum sale in mortario contusam applicant, abscessu aperto, vnguentum ex radicibus cicutæ aquaticæ conficiunt, quas lino vel stuppa madida inuolutas sub cineribus coquunt, & contusas cum melle

Curatio, qua vulgares vtuntur.

Curatio methodica.

Si in abscessum permutetur, quid agendum.

miscent in formam vnguenti (putantque vermes dulcedine mellis Attici & cicutæ virulẽtia interfici) indeque applicant. Alii cataplasma ex radicibus sigilli Salomonis, cum aqua vel ceruisia componant: cui quãdoque radicem filicis quercinæ miscent. Noui nobilem matronam, quæ inspergebat puluerem de talpa, combusta vt supra.

Habes breui, doctissime domine Foreste, Luis tam virulentæ descriptionem, partim ex Casparis Hoffmanni medici Brandeburgici, partim ex meis obseruationibus cõsarcinatam. An veteribus hic morb. cognitus fuerit, & quo nomine, ex te, pro ea, qua es doctrina & humanitate, data occasione scire desidero. Ego omnino nouum morbum existimo, nec quicquam cum Græcorum Dracontiis aut cum Bartapalia ventositate perambulante communicare: multo minus arthritidem ex tenui materia ortam dixerim. Bene vale, Vir clarissime; & me, vt incepisti, amare perge. Ignosces quod prolixior fuerim. Si quid habebis ad me literarum, Melchiori Wiintges huius aliquando Reipublicæ Monetarii filio, nunc apud vos ceruisiario ad intersignum Ciconiæ, committes. Iterum feliciter vale. Campis ex Musæo nostro, die 28. Aprilis, stylo veteri, Anno 1594.

Tuæ dignitatis studiosissimus.

Henricus a Bra, D. Reipub. Campensis Medicus.

Clarissimo Viro.

D.D. HENRICO A BRA.

S. P. D.

Literas tuas, doctiss. D. Doctor accepi, simul & historiam illam de morbo quodam incognito, de quo iudicium nostrum exspectas. Vellem equidem voto tuo satisfacere, & quid certi de hoc malo in medium adferre, præsertim cum ipsemet dubitem, quantũ ad signa attinet, quæ docte a te explicantur, dracunculum esse. Scio equidem Galenum de dracunculo mentionem facere lib. 6. de loc. aff. cap. 3. qui in Arabiæ quodam loco (vt ferunt) in tibiis hominum dracunculi vocati nascuntur, neruosa natura, colore crassitudineque lumbricis similes. Tamen Galenus eodem in loco ait, multos audiuisse, qui sese vidisse dicerent: ipse vero ingenue fatetur, se nunquam vidisse. Idcirco se neque de ortu, neque de essentia ipsorum exacte coniicere posse refert. Ita & ego, vt veritatem proferam, hoc genus morbi (quanquam Anno 1595. mense Martio instanti quinquagesimus agitur annus, quod medicinam fecerim) nunquam vidi: neque quemquam nominari audiui, nisi te, qui dracunculum viderit; modo idem sit malum, de quo Arabes (cum in Arabia fiat) forte scripserunt. Conferam tamen de hoc morbo cum viris doctis. Interea remedia, quibus vulgus ad hoc malum depellendum & exstirpandum vtitur, de quibus scribis, licet ea ipsa varia sint ac diuersa: tamen vt mihi videtur, mere empirica, & sine ratione & methodo tam inuenta, quam vsurpata videntur; quamuis ea ipsa, quæ tu adiicis, multo meliorem rationem sequantur: & ob hoc mihi magis placent. Non nego tamen, aliquando experimentis nos contensos esse debere, vbi ratiotinatio locum minus habeat. Recte tu quidem facis, quod nostra studia promoueas; & gratias maximas tibi habeo, quod nunquam

quam asymbolus ad me venias. Historiam hanc addã Obseruationibus meis post scorbutum malum. Interea vnicuiq; liberum relinquemus de hoc morbo suam adferre sententiam. Vale raptim Delfis 15. Maii, Anno 1594.

Petrus Forestus, Reipubl. Delphiensis Medicus.

CVm hanc Epistolam D. Henricus a Bra mihi remisisset, vna cũ epistola D. Iohannis Heurnii V. Clar. Medicinæ in Academia Lugdunensi professoris celeberrimi, nostri amici distinctissimi, ad eundem D. Hen. a Bra scripta: placuit eandem hic in gratiam studiosorum adiungere. Illius enim viri iudicium plurimum apud me semper valuit: licet, vt antea quoque ingenue fassus sum, nouũ hũc morbũ nunquam viderim, quãuis hoc mẽse Martio artẽ medicam 50. annis exercuerim.

J. Heurnius.

D. D. HENRICO A BRA.
salutem dico.

CLarissime ac ornatissime D. Doctor, pergrata mihi fuere tuæ literæ, & ob argumentum, & ob amorem in me tuum. Hic facit, vt tibi, quantum in me est bene velim: illud, vt te maximi faciam, qui tam accurate perpẽderis atrocissimum, quod apud vos crassatur, symptoma. Vtinam cuncti παῖδες ἰατρῶν *hoc agerent, vt singuli, qui singulis populis Endemij ac inquilini sunt morbi, ita examinarent, ac patria vsque deprehensa remedia proderent ad illa mala. Quod de dracunculis quæris, idem mihi morbi genus olim valde monstrosum legenti visum fuit, dum viderem, Galenũ id genus morbi nunquam vidisse nec eius caussam intellexisse, sed in quodam Arabiæ loco vagari asserere. Scribit etiam Julius Pollux in Æthiopia (& maxime, vt scribunt alii, in regione ad mare rubrum) dracunculũ exstitisse, qui crura hominum & femora edebat: Æthiopes solos fere, inquit, exercens, raro aliis molestus. Adest his vicus, cui eminet quid neruosum putridũ. Et dubitantẽ notabam Æginetam 4. lib. cap. vltimum sint animalia, vel eorum solum ideam præ se ferẽtia. Nam Auicenna titubat valde de horũ specie. Jurarem fere Aetium animal id fuisse existimasse: idem de Rhaze dixerim. Sed Soranus Ephesius medicus sectæ methodicæ qui Galeni temporibus vixit, cuiusq; scripta Cælius Aurelianus latina fecit, negauit dracunculum animal esse, sed tenuis cuiusdã nerui, qui medicis & ægris motu quodam cieri videtur, sub cute condensationem. Manardus hoc nasci ait ex vredine succi crassi. Gorræus negat, nos de his iudicium posse ferre, quod nunquam occurrat. Auctor definitionum medicarum & Guido, ad varices referunt. Quid tandem dicas? rem incertã. Quidquid sit, tumor est tibias occupans colore ac crassitudine lumbricis similis: hoc est teres & longus. Nonnunquam puto protendi illum tumorem in obliquum & in anfractus trahi, vt dracũculorum imaginem præ se ferat. Sed patrius ille tuus Varen locũ mutat, quo resedit, maculas adfert. Caussã quam tu scr. bis eandem & ego puto esse, orgasmũ succi venenosi, tenuisq; ac adustæ pepasmique expertis bilis flatulentæ. Vltraiectini tale quid patiuntur etiam, vocant* die springende Gicht*: quasi articularem dicas insilientem dolorem. Ita cuique fere regioni sua sunt & mala & bona. Illi qui Americanum atti gere nuper litus, ibi familiare obseruarunt malum Ton dictum, quod digitos pedum, pediculi animalculi idea excedit, sub vnguibus se insinuans, ac in gangrænam conuertit, oleo rubro ex fructu eius oque succurrunt. Sic referunt Aretæus & Lucretius elephantiasin morbum Ægypto vernaculum exstitisse, Podagras Athenis, in Achaia ophthalmias. Erat etiam huiusmodi morbi genus Leucophlegmatia, quam narrat Æschines, in epistolis Græcis Philocrati, se vidisse in cunctis, qui in Delo insula habitabant, qui vultus & capillos albescentes habebant, collo & pectore intumescebant, sine febre, sine dolore vllo, nec inferiores partes quicquam immutatæ fuerant. Atque hæc Apollinis ira sibi euenisse putabant. Nos fuga capta nocte aufugimus, nos ipsos inter abeundum percunctantes, an quisquam colorem & pilos quos domo gestauerat, haberet. Refert etiam Cælius Aurelianus, huiusmodi etiam morbum Romæ interdum exstitisse. Veteres hos morbos Inquilinos vocabant. Quin mala quædam morbifica se toto orbe spargunt: inuenusta illa Venus ex nouo orbe perfecta argumento est, & maximi fuit. Quin peculiaria quædam ac inuisa mala hominem interdum occupant: adeo vt recte scripserit Celsus, monstra in medicina euenire. Audi quæso doctissime D. Bra, Crateri summi medici meminit Cicero in epistola quadam ad Atticum, de Attica tunc ægrota loquens: Commouet me Attica, etsi assentio Cratero; & Horatius in Satyra tertia; secundi libri; Non est cardiacus, Craterum dixisse putato. Hic æger. Et Persius; Sed quid opus Cratero magnos promittere montes? Huius Crateri seruus in nouum inauditumque morbum incidit: idemque admirabili quadam curatione sanatus est, vt memoriæ prodidit Porphyrius Tyrius in primo libro* περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. *Cum huius caro discessisset ossibus: nec medicamentis quicquam profici potuisset, vipera, piscis in morẽ conformata, deuorataq; ab eo liberatũ eum ipso morbo narrat. Ita namq; carnẽ ossib. hærere cœpisse, ac conglutinatã esse. Scribit Josephus decimi sexti Antiquitatũ octauo, Herodẽ Magnum, Antipatri filiũ interno æstu flagrasse, quẽ tamẽ foris posita partes nõ sentiebãt; fames illũ in perpetuos cibos cogebat pudendorũ fœtor aderat cum satyriasi vermiculosa. Balnea naturalia, & illa ex oleo, hunc non iuuarunt. Tanto tædio affectus, vt tandem cultello sibi manus intulisset, nisi ab astante cognato ictus exceptus fuisset. Mirum etiam, quod refert Plutarchus libro De Claris Mulieribus, capite vndecimo, vb de morbo, qui inuaserat virgines Milesias, cuius nullum remedium, inquit, poterat inueniri. Fanaticam quandam contagionem ab aere infusam putabant, quæ eas in insaniam abigeret, adeo vt mortis cupidine tacta, seipsas strangularent. Tanta,* inquit, *mali erat calamitas, vt neque parentum lacrymæ, neque amicorum monitus, aliquid remedii attulerint huic malo; tantaque erat furoris immanitas, vt omnem custodientium diligentiam superaret. Nullum mali huius remedium inuentum, ante quam decerneretur, vt virginum, quæ sibi mortem consciuissent, per medium forum nuda cadauera efferrentur. Ea res virginum furorem non solum compressit, verũ*

etiam sedauit & exstinxit. Tantum ignominiæ metus valuit, vt quas humorum malorũ grauissima mors non auerterat ab instituto, turpitudinis species commouerit. Mirum si ab aere hoc illis euenit solis. Scimus ab aere miasmatibus fœdato, & ab eo, qui propriæ substantiæ corruptione in vitio est, monstrifica non raro vitia pullulare. Scribit Ammianus Marcellinus libr. 23. historiæ suæ, monstrosam rem. Post hanc, inquit, Seleucia, ambitiosum opus Nicanoris Seleuci, quæ per duces Veri Cæsaris expulsa, auulsumque sedibus simulacrum Comæi Apollinis, perlatumque Romam in æde Apollinis Palatini deorũ antistites collocarũt. Fertur autem, quod post direptum hoc idem figmentũ incensa ciuitate, milites fanum scrutantes inuenere foramen angustum, quo reserato vt pretiosum aliquid inuenirent, ex adyto quodam concluso a Chaldæorum arcanis labes primordialis exsiluit, quæ insanabilium vi concepta morborũ, eiusdẽ Seueri Marci Antonini temporib. ab ipsis Persarum finibus ad vsque Rhenũ, per Gallias, cuncta contagies polluebat & mortib. Hæc illere & verbo monstrosa. Ita quædã mala se spargunt toto mundi theatro: quædam rursus angulo aliquo mundi habitant, raroque in alias regiones migrant. Hoc de dracontiis præfiscine scribit Pollux, ubi ait, ἐπινυλίας μὲν τοῖς ἄλλοις ἐπιγιγνόμενον. Αἰθιοπικὸν ἐνοχλοῦν. Frustra ergo ad aliena conamur, sæpe reuocare mala nostra. Sunt certa vitia, certæ terrarum parti, membrisque hominum certis auctore Plinio; vel ætatib. & etiam fortunis: tanquam malo eligente, hæc proceres, illa pauperes sentire. Hodie in Stiria & Carintia, ob aquas metallis tinctas, homines struma ac bronchocele voce fere priuantur. Ante Pompeii tempora, Elephantiasin non nouit Italia. Carbunculus Narbonensi prouinciæ familiaris: & primũ in Italiam, venit L. Paulo, & Q. Martio censoribus. Mentagram ante Tiberii principis tempora Italia non vidit. Gemursa morbus olim grassabatur, iam esse desiit. Ita noua interdum exsplendescunt in nobis, alia in nobis desinunt. Ita Varen Transisulanis peculiarẽ dicemus? Sed ne ἀφάρμακος sit epistola hæc, te scire velim, optimum quoddam remedium ac εὐπόριστον nuper ad me venisse. Accipimus radicum ellebori albi crassiuscule cõtusarũ semunciã; fiolæ indimus, ac affundimus vini Hispanici, quod Petrus Semenus vocatur, librã. Solibus æstiuis exponimus. Damus cochlearium vini. Valide vomitum mouet, nec affligit admodum. Interdum semicochlearium miscemus cum aliis laxãtibus, præclare abducit aluum sine vomitu. Quin linctibus, in empyemate guttulas aliquot miscemus, ac copiosissime expectoratum moueri hinc videmus. Sed quid tu interim? quin pergis in lucem, qua methodo solebas, simplicia morbis peculiariter dicata proferre? Ego totus in Hippocrate vertendo & breuib. commentariis illustrando sum; sed vereor ne, antequam amphora exierint, vita mea, vt in Alexidis versu est ἔξωθεν ἥγῃ. Quod summo Deo Iesu placuerit fiat, facilis iactura scripti nostri. Interim subcisiuis horis, particulares exercitationes scribo. Quas de capite nuper dedi, ac nobilissimis ordinibus Hollandiæ & Westphrisiæ dicaui. Vale, ac me ama. Suvollensem medicum si nosti, admoneas quæso, vt interdum ad me aliquid literarum mittat; ac dicas, si aliqua re illi opus sit, quæ apud nos mea in manu, graue mihi fore, si non confecero. Is. n. prope sanguine iungitur vxori meæ, cuius auus maternus erat Gerardus Lystrius, magni Erasmi in studiis socius, illique amicissimus. Anno cIↃ. IↃ. xcIv. die v. Maii.

Curatio.

CVRATIO LXIV. LIB. VI. apud AMATVM.

In qua agitur de Dracunculo in tibia nato: quem Arabes venam Medenam appellant.

AEthiops maris præfectus, seruus iuuenis 18. annorum, cum primum ex Memphi, Ægypti celebre ciuitate, Thessalonicem aductus esset, ilico de cruris dolore conquestus est: in quo iuxta talum primo vlcus excitatũ est, in quo venę modo caput conspiciebatur. Quod aduertentes Turcæ morbũ cognouerũt; periculosumque esse in Aegypto & India, ac reliquis regionibus quib. innascitur, significarunt, quẽ Arabes, præcipue Auicenna, venã medenam *fen. 3. lib. 4.* appellari tradit; veluti Abinzoar, & cęteri huius doctrinæ homines, quibus morbus hic satis cognitus & familiaris erat, pro cuius curatione accersitus medicus Parahyas, linguę Arabicæ doctus, ita orsus est. Primo *debita victus ratione proposita, partem extremam venæ, aut verius neruosæ cuiusdam substantiæ, subtili ligno alligauit, quam paulatim ligno trahebat, rotabatue: adeo, vt ad eius vltimam partem, hoc est, ad trium cubitorũ lõgitudinẽ, post multos dies peruenerit.* Vnde Aethiops a doloribus & angustiis, morboque ipso liberatus est nullo suprapositio cataplasmate, concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua: quæ ex Sorano & Leonida, Paulus vltimis verbis libr. 4. suæ medicinæ, huic morbo auxiliari tradit.

SCHOLIA.

VEna, aut neruus, vel lumbricus, morbus hic sit, in dubium vertunt auctores. Ego vero oculatus testis, multis auritis verior, testor morbũ hunc tanquam lumbricũ conspici, album, subtilem, tineæ contortæ modo, qui ex se foras prodit, & pars extra missa cum arescit, eam neruũ exsiccatũ quiuis dicet; qui si abrũpi cõtingat, intensos excitat dolores, & non leues animi angustias concitat. Nascitur autem morbus hic freqũeter apud Aegyptios, Indos & Arabes: sed pręcipue apud Mediam, iuxta Persidem: vnde nomen venæ *Medenæ* traxit, quam Galenus *Dracunculũ* appellat, & nunquam vidit, *vt memoriæ commendauit lib. 6. de locis affectis,* Euenit autem morbus hic forte, vt in renibus pili a materia crassa lentaque, quam calor plus iusto calefecit, exsiccauitue: vnde medicamentis & remediis atram bilem respicientibus purgantibusue, morbus hic curari tractarique debet; prout imperat Auicenna, & ceteri Mauritani illi assentiuntur.

HÆc autem pro Coronide huius libri de liene post nouum morbũ scurbutũ, de nouo hoc morbo Endemio adiũgere libuit. Vnicuique tamẽ liberũ iudiciũ relinquimus, nũ sit dracũculus, de quo Gal. tum Auicen. præcipue, ac reliqui Arabes scripserunt. Quanquam fortasse eidẽ locus aptior dari poterat, de morbis externis, vt alii faciunt.

FINIS LIBRI XX.

Liber

LIBER VIGESIMVS PRIMVS, DE MESENTERII, ET INTESTINORUM affectibus; ac de colicis & iliacis doloribus; deque vermibus.

OBSERVATIO I.

De duritie ac tumore Mesenterii, in ea parte, quæ Pancreas appellatur.

1 QVidam sub vmbilico scirrhosum tumorem sentiebat intus instar nodulorum penitioribus locis delitescentem. Hic cum nec hydrope laboraret, neque de ea suspicio esset, vt tactu deprehendere poteram; ideo suspicabar tumorem esse in mesenterio, in ea parte, quæ *Pancreas* appellatur. Ad hunc igitur curandum, procedebam iis remediis, quæ emollirent, & partim discuterent, longo tempore: & vt se inungeret mandaui, hoc sequenti linimento: ℞. *olei irini, liliacei, anethini, chamomill. dialthææ ana ℥ ß. olei de meliloto, emplastri de meliloto ana ℥ ij. misce.* Deinde etiam adiunctis pinguedinibus, tandem tumor durus mollior factus, postea cum discutientibus resolutus est. Prius tamen etiam statim ante linimentum, ne maior fieret humorũ confluxio ad loca prædicta, purgatione conuenienti vsi sumus, ne quoque abscessus suboriretur. Alter vero, qui durum quoque tumorem in ventre similiter delitescentem habuerat, cum diu ex nostro consilio supra ventrem portasset ceratum de muccilaginibus, tumor tandem delituit, & sanus factus est. 2 Venit autem tunc mihi in mentem historia illa Beniuenii. *De abditis morborum caussis cap. 33.* de quodam ex abscessu mesenterii mortuo, cum ita scribat: *Iulianus quidam, iuuenis alioqui optimus, alui torminibus vexabatur: inq; dies magis magisque dolor vim capiebat: tantumque aberat, vt huiusmodi doloris abdita caussa deprehendi possent, vt nullis vnquam præsidiis tolli, aut saltem leuari hoc malum potuerit. Omnia enim viscera sana videbantur: hepar, lien, intestina omnia nullam doloris notam ostendebant. Sed ille nihilominus, magis magisque indies, quam vt tolerari posset, urgente dolore ipso, tandem e vita discessit.* 3 *Quare mortui corpore inciso, vt scilicet tanti mali caussas dignosceremus: & sanis omnibus, vt putabamus, inuentis visceribus, iubeo intestina amoueri. Quæ cum gladio discinderet minister, in abscessum magnum incurrit. Quo præciso, materia multa nigrior, fœtensque profluxit, encausto sutorio similis. Ex qua manifestam mortis caussam deprehendimus. Atra enim bilis eo confluens, huiusmodi abscessum paulatim effecerat.*

SCHOLIA.

3 *Mesenterii, [...]reius, quod [P]ancreas appellatur, mor[bi], caussa & [si]gna.*

ANtequam ad intestinorum tormenta accedamus & morbos, de Mesenterii malis hic primum agendum est. His locis & glandulis tempore exaggerantur varii humores: qui primum laxum, mollemque tumorem; deinde siccescentes, renitentem, durum ac vere scirrhosum (*vt doctissimus Fernelius asserebat*) ingenerant. Durus vsque adeo deprehensus est interdum, vt penitioribus sub vmbilico partibus, vel os, vel calculus concreuisse putaretur. Hic autem tumor Mesenterii, quoniam alte sepultus est, non nisi pressu animaduertitur: nullo dolore affligit, quod pars ipsa doloris sit expers. Quin etiam sua is mole intestina premens atq; coarctans, sæpe efficit, vt aluus pigrior sit, tardiusq; fæces descendunt. Vtrum præterea tumor vniuersum Mesenteriũ, an partem duntaxat, & quamnam occupet, mollis ne sit an durus, tactu etiam internoscendum. Ceterum quis nam in Mesenterio humor exsuperet, iam non tactu, sed iis ipsis notis, quibus in iecore, aut in liene proditum est, cognoscitur: sed quæ tamen tum obscuriores tum leuiores existunt. Hæc autem obscuritas multis caussa fuit ignorantiæ, & cur harum partium affectus prætermissi fuerint, nec veterum scriptis celebrati. *Ego tamen* (inquit Fernelius) *hoc affirmo & profiteor, choleræ, melancholiæ, diarrhææ, dysenteriæ, cachexiæ, atrophiæ languoris, lentarum, errantiumque febrium, latentium denique morborum caussas me in his plerumque sedibus animaduertisse: quorum depulsione salus redderetur.* 4 Iam & callus in venis mesaraicis inuentus est; vt testatur Beniuenius *capit. 57. De morborum abditis caussis*, sic scribens: *Petrus Aldimarius filium habuit, qui cum octauum iam ageret annum, in corruptum incidit appetitum, quo calculos ruderaque comedens, in lentam tandem febriculam deuenit. Indeque procedente tempore, & ventriculus non continere, & venter fluere cœpit. Adeoque duobus his malis vexatus est puer, vt paucis etiam diebus e vita discesserit. Huius nos cum annuente patre emortuum corpus incidissemus, repertus est callus inter venas, quas mesaraicas appellant: a quo cum venæ ipsæ adeo obstruerentur omnes; vt ferri inde sanguis vltra non posset, necesse fuit puerum e vita migrare.*

4 Callus in venis mesaraicis.

5 Quod aliquando inflammatio, ac deinde abscessus in Mesenterio gignatur, his quoque verbis docte & eleganter scribit Ioannes Fernelius lib. 6. de part. morbis cap. 7. *Vera quoque inflammatio in Mesenterium incidit, quum ab exesis aut ruptis illius venis sanguis excidit, & in aliqua sede præter naturam collectus putrescit, tandemque suppurans abscessum facit. Ea inflammatio sine manifesto dolore est, solumque grauitatis sensum habet, nisi forte vehementius prematur. Febris admodum leuis & lenta, sine siti, sine grauibus symptomatis, nec omnino ægrum prosternens, nec quotidianas functiones interpellans. Principio sanies quædam rubra, facto deinde abscessu, pus album defluit ab aluo; & vtrumque modo permistum alui fecibus, modo serosum & syncerum, vt quum inflammatio in postrema intestina detergit. Tum quippe pus per venam proximam in recti aut coli intestini capacitatem influit, syncerumque magna interdum copia redditur, nullo sensu doloris: quod aliquando celebres Medicos magna admiratione & controuersia torsit. Sed non aliunde id, quam affecto Mesenterio damnare facile nosci poterat. Neque enim ab inflammatis intestinis, neque a ventriculo potest sine vehementi dolore prodire. Ex iecoris vero aut lienis inflammatione, febris vehementior affligit, omniaque symptomata fiunt grauissima: Neque tam syncera sanies seorsum ob-*

5 Inflammatio & abscessus in Mesenterio.

longiorem viæ tractum exit. Renes etiam affecti non illac, sed per vrinas repurgantur. Itaq; vnum mesenterium reliquum est in abdominis capacitate, quod sub illis notis inflammatione tentetur. Hactenus Fernelius. Nouit & quandam Dodonæus, *cui inflammatio in mensenterio nata fuit: & initio male habuit, sed posteaquam inflammatio suppurata & in abscessus conuersa, melius habens, sana sibi visa est. Interim singulis diebus per annum bis terue purulenta admodũ fœtida, syncera, nullisq; excrementis permixta redduntur. Et quidem nunc quartus agitur annus, a quo sic se habet.* Hæc Dodonæus. Nunc ad intestinorum morbos procedamus.

Observatio II.

De colico dolore.

1 IOhannes Sangantius dictus, mercator Pithueriensis (*tunc enim in Gallia praxim exercebam*) anno 1545. mense Nouembri, grauissimo colico dolore affectus, quo solitus erat, laborare, hoc solo clystere iniecto per me curatus fuit: ℞ *mercurial. florum meliloti, florum chamomill. florum stœchados, maioranæ ana m. j sem. anisi fœniculi ana ℥ ij. ß. bulliant in aqua communi, pro ℔ j. col. adde elect. hiera picra, benedictæ laxat. ana ℥ ß. diacatholici ℥ iij. olei chamæmelini ℥ iij. mellis rosac. colati ℥ j. salis ℥ j. misce pro clystere.* Verum hic licet ab illo dolore statim euaserit, post duos tamen menses in idem malum incidit, & in dolorem adeo intolerabilem, vt astantes hominem ilico moriturum putarent. Tertio die prius ad illum accitus sum; cum mulierculæ frustra illi exhibuissent medicamenta calidissima & ventositatem carminantia. Sed iterum male a pharmacopœo iniectum clysterem, parum aut nihil excepit. Alius deinde iniectus, parum auxilii attulit. Vetula quædam & garrula ante nostrum ingressum ei persuaserat, pulmonem ad ventrem & intestina delapsum esse, apponens calidissime albumen oui, cum pipere tenuissime contrito: vnde auctore dolore, se a vetula necatum esse vociferabatur. Denuo accedens, amoto emplastro a ventre, vt sequens enema iniiceretur mandaui: ℞ *folior. malua mercurial. flor. chamomill. meliloti, summitatum anethi ana p. j rad. althææ ℥ j. semin. lini fœnugræc. carui. ana ℥ j. ß. folior. senæ ℥ ß. fiat decoct. prop. j. in aqua communi, adde expressionis benedictæ laxat. ℥ vj. elect. hieræ picræ. diacatholici ana ℥ ß. olei anethini, chamæmel. ana ℥ j. ß vitellum vnius oui, Zacch. rub. ℥ ß. salis communis ℥ j. ß. misce.* Ex eo ter pituitosa & valde muccosa deposuit, flatibus quoque multis expulsis: ac dolor, qui intestina occupabat, sedatus est. Sed qui circa ventriculum hærebat, ob cataplasma mulierculæ impositum, nondum sedabatur: vnde & continuus dolor stomachi aderat; qui hoc fotu, tum inunctione sequenti cessauit: ℞ *florum chamomill. meliloti ana p. j. semin. fœnugr. lini ana ℥ j. ß. coquantur in aqua communi pro fotu, & statim inungat.* ℞ *olei masticin. cotone. ana ℥ ß. pul. menthæ siccæ, cortic. granator. sumach. hypocist. ana ℈ ß. ceræ modicum, fiat vnguentum.* Quibus præsidiis a vomitu & omni dolore liberatus, sanus deinde permansit.

2

Scholia.

3 INtestina variis morbis afficiuntur, quamuis nõ admodum intemperie infestantur: sed horum morbi grauiores sunt, obstructio, adstrictio, inflammatio, abscessus, & vlcus. De quibus ad longum videas Fernelium, medicum doctissimum. Iam quoque non paucis dirisque symptomatis intestina torqueri solent: qualia hæc fere sunt: dolor tum colicus, tum iliacus, tarda alui deiectio, & ileus, profluens aluus, quę aut lienteria est, aut colliquatio, aut diarrhœa, aut dysenteria, aut tenasmus: ad hæc cruenta aut purulenta deiectio, lumbrici quoque & ascarides. Nos autem incipiemus a doloris affectibus, nempe colico dolore, cuius nunc exemplum adduximus. Hoc enim vitii genus, quod in laxiori intestino (*a Græcis colo nuncupato*) gigni consueuit, a Paulo κωλικὴ διάθεσις nominatur, a Latinis vero colicus affectus, seu coli, vel colicus dolor: quanquam Celsus morbum intestini plenioris eum appellet *cap. 14. lib. 4.* vulgus autem medicorum *colicum*. Denominationem habet a parte affecta, nempe a colo intestino, quod hic oblæsum est. Colum intestinũ quum sit amplum & laxum, anfractibusque multis sinuosum, varias sane materias excipit, quarum exuberantia distorquetur; dolorque fit, quem ab affecta sede colicũ appellamus. Caussæ sunt quatuor numero, crassus pituitosus humor, cum intra coli membranulas subsidet: spiritus crassus ac flatulentus præter naturam in colo retentus, qui nec illic transmitti potest: vel inflammatio, cum iam dictum intestinum male habeat; aut acris mordaxq; succus ipsum infestans ac vehementer affligens. Sed hic colicus dolor, quo noster æger laborabat, videbatur esse partim ex spiritu flatuoso, partim a pituita crassiore: nam præter id, quod per totum abdonem in alto excruciabatur, tormina quoque illum affligebant, tanquam intestinum ipsum perforari illi videretur. Tormina, inquam, & illum affligebant, ructus, nausea, & vomitio, cruditate pręcedente. Interim etiam extensionem experiebatur, atq; rugitum: simul flatuoso spiritu tentabatur, colum infestante, cum olera fructusque ac cibi flatum generantes præcessissent. Verum hæc ipsa aliis exemplis clariora erunt: quale subsequens est, præcedenti haud dissimile.

Morbi ac symptomata intestinorũ.

4

Dolor colicus vnde dictus, & quæ pars in coli dolore afficiatur.

Observatio III.

De colico dolore ex materia quadam flatulenta pituitosa.

1 MAgister Hieronymus, sacerdos Alcmarianus, vxoris meæ auunculus, in colicum dolorem vehementiorem incidit, otio deditus, mẽse Septembri anno 1548. ex materia flatulenta, vtcumq; pituitosa: nam & nausea hunc dolorem, tum vomitus præcedebant, a quibus tamen dolor non demulcebatur. Ad hunc accitus, modo clysterem admittere vellet, ilico illum sanatum iri proponebam, vt adhuc eodem die contubernium sacerdotum accedere posset sanus, quod tunc celebre erat: & libenter huic adfuisset. Sed clysterem ab-

sterem abhorrens, Æmilium seniorem medicum, qui tunc Alcmariæ habitabat, in concilium vocat. At is institutum nostrum de clystere iniiciendo probabat: & statim iniectus est: & ventre simul inuncto, ilico curatus est. Neq; me fefellit mea prædictio, nam sanus mane factus, contubernium illud celebre accessit: admonitus tamen, ne se nimium vino aut cibis obrueret. Clyster talis erat; ℞ *maluæ, betæ, mercurialis ana m. j furfuris m. ß. florum chamomillæ p. j. rad. althææ ℥ j. sem. careos, anisi, ammi ana ʒ j. ß sem fœniculi ʒ j. fiat decoctio in aqua communi pro ℔ j. adde elect. hieræ picræ ℥ ß. Zacch. rub.* ℥ j. ß. (erat autem facilis solutionis) *olei communis, chamomillæ ana ℥ j. ß salis communis ʒ j.* tepide iniiciatur. Habuit ex eo tres secessus: & vētositatibus emissis ilico curatus fuit, ventre inuncto, oleis sequētibus simul mixtis: ℞ *olei anethini, chamomill. liliorum ana ℥ ß. misce.* Et ita egregie ab omni dolore liberatus est, vt aliis remediis opus minime fuerit.

2

Scholia.

3 *Boni & fidelis & Deū timētis Medici officiū.*

Boni & fidelis medici, & Deum timentis officium est, *celeriter quoad fieri potuerit curare*; quoniam ab omni arte aliena est cōperendinatio; potissimum ab arte medica, in qua omnis procrastinatio vitæ periculum infert. Vnde Mesue in exordio suæ Praxeos inquit, *Auxiliari ne differas: quia semel pereunti nulla postea suffragia prosunt.* Poterat autem crudelis medicus huius viri morbū in longum protrahere tempus, eumque in reditu habere, quem nos duabus horis tantum ad sanitatem reduximus, tuto, iocunde, ac celeriter curantes, vt optimus quisq; medicus facere debet: *vt Cornelius Celsus lib. 3. ex sententia Asclepiadis dixit, & Hippocrates & Galenus lib. 1. de morbis vulg. & 14 methodi medendi.* Ceterum signa huius mali sunt adeo inter se confusa ac permixta, & numerosa, vt ex eisdem vix haberi possit vera notitia, nisi cum coniectura quadam artificiosa, *vt Galenus demonstrat.* Percipi autem potest affect⁹ hic ex vehementissimo dolore in intimo ventre, terebro perforanti simili, aut per quē palus videatur in dolente loco infixus, *vt 2. de loc. affect. patet.* Aliaq; apparebūt symptomata, quę ad affectū iam dictum intestinum pertinent. Nam protinus inflatio quædam & extensio, & flatus complures & tormina, ac excrementa, si ab aluo deiiciuntur, flatibus plena videbuntur. Ea autem discernere licebit, si super aquam natent, ac bubulo stercori simulentur. Quin etiam, *vti inquit Gal. eod. 2. de loc. affect.* cibi tum cupiditas, tum concoctio deterior euadit, & præsens & quæ sequitur. Accidit enim in hac affectione, & ventriculum male affici, vt qui parti primario affectę continenter adhęreat. Insuper & eosdem colicos nominatos affectus, magna ex parte præcedit cruditas, & spiritus flatuosus, & vomitus & nausea, quæ multo tempore inanis permanet: nec non in præcordiis mordacitas, fastidium, & indigentia plurima, *vt ibidē ex Galeno patet.* Et quoniam ab ea parte, qua dolor sentitur, nullum iudicium sumi potest, an magis colon,

Signa colici doloris quib. coniecturis vera haberi possint.

4

quam tenue intestinum dolor afficiat, licet minor sit, eo qui in tenuioribus consistit: propterea quomodo sint intersting uendi, dicemus tunc, cū de ileo agemus. Nunc autem eo, quod hæc eadem doloris species euenire potest, cum lapis in renib. aut vreteribus fuerit impactus, hoc discerni non potest, nisi quis accidentia, quæ postea consequuntur, exspectauerit, *vt habetur 2. & 6. de locis affectis.* Quo fit, vt non solum vulgares, verum etiam peritissimi medici decipi soleant: adeo difficilis est abinitio horum affectuum distinctio: quemadmodum & ipse Galenus deceptus fuit, qui cum crederet, se a calculo in altero vreterum impuncto dolore affici, iniecto sibi rutaceo oleo grauissimo cum dolore excreuit humorem vitreū (*a Praxagora sic appellatum*:) statimque dolore sedato cognouit, neque lapidem fuisse caussam, neque in vreteribus aut renibus locum fuisse affectum, sed in intestinis potius, præcipue vero crassioribus. Ea de re, vt quibus indiciis, & quomodo hi affect⁹ interstingui possint, percipiatur, hic ea adferam, quæ Donatus ab Altomari a Galeno tum aliis collegit. Quamuis autem ob eiusmodi ignorantiam, circa doloris potissimum initium, quantum ad doloris mitigationem attinet, nullam laboranti noxam inducamus, si iisdē medicamentis vtamur; siquidem vtriusque doloris præsidia omnia communia sunt, & quidē calorifica inprimis, siue ea extrinsec⁹ adhibeatur, siue iniiciantur. Tempore tamen subsequente oportet diuersa auxilia adhibere, vt Galeno præcitatis locis visum est. Symptomata itaque quorum magna est in illis affectibus copia, diligēter intueri oportet. Nam in coli dolore sæpe numero dolor veluti circuire videtur, atq; plurima loca occupare, q modo in hac, modo in illa parte vehementior fit: Nephritis vero dolores eodem in loco stabiles, iugiter infestant. Quod si dolor in loco fuerit renibus altiore, manifeste colicæ indicium portendit. Sed quamquam in vno loco, vbi scilicet renes ponuntur, stabilis constiterit: nihil tamen ad notitiā potest positus ipse cōferre. Et proinde aliæ notæ considerandæ sunt: nam & nausea & vomitus multo grauiores, & magis assidui aderunt dolente colo, euomuntque ita laborantes & biliosa & pituitosa quædam atque corrupta, quib. præassumti cibi aliquid admixtū videtur: ac retinent etiam magis excrementa: vt nec flatum quidem, neque ructum excernere possint. Quæ omnia, *iuxta Galenum de locis affectis,* colicis duntaxat euenire solent: sed alia quidem magis, alia vero minus. Insuper & colicorum cruciatus, multo magis, quam Nephriticorum, lenientibus mitigantur clysteribus: & si quid ab aluo deiiciatur (*vt diximus*) id flatuosum quodammodo est, & sæpe numero aquę supernatare consueuit, similem habens bubulo stercori consistentiam: quemad modum si lapis dolorem excitauerit, ipse interdum solus, interdū vero vna cum cruore excernitur, maxime si vel asper, vel acutus fuerit: ac si postea vrinas inspexeris, fabulosa quæ-

5

6

Quib. signis colici dolor a renum dolore & calculo distinguatur.

7

dam subsidere inuenies: licet nephritici ab initio dilutas purasque reddát vrinas: quo fit, vt nephritici cum vrina lapide exeunte a dolore liberentur. Verum si in colo affectus constiterit, neque lapis, neque cruor, neque arena, sed humor aliquis pituitosus ac crassus subsidere videbitur: *vt eidem Galeno visum est 2. de locis affectis.* Et licet coli dolores vehementes dextra magis parte eueniant, omnino negandum non erit in sinistra quoq; parte eos gigni posse, cum colon ipsum a dextris partibus, quas Græci λαγόνας nuncupant, ad sinistras cincturæ modo adferatur, *Paulo auctore cap. 43. lib. 3.* & adeo ab infernis sinistris partibus ad superiores dextras reuertitur, vt sæpenumero & lienem & iecur attingat, atq; etiam ventriculo continenter adhæreat, *Galeno teste, cum 2. tum 6. de locis affect.* Quod & nos sæpius propriis oculis inspeximus in Anatomicis administrationib. Quod autem in colico tum vomitus & nausea, fastidiũ (*licet vtrique communia, ob consensum ventriculi*) sunt assidua & magis vehementiora, caussa est quod magis consentit venter in colico. Interea tamen nephritici dolores, in quibus nec arenula (*vt dicebat Fernelius*) nec calculus exturbatur, sæpe colicorum specie eludunt. Colici tamen dolores facile mitescunt ceduntque iustis remediis. Alii insuper cruciatus quadam similitudine & vehementia colici nuncupantur (*iuxta Fernelium*) quibus tamen non in colo sedes est, sed vel in peritonæo, vel in membranis, quæ abdomini ventrisque partibus obtenduntur. Hi sane grauissimi sunt & admodum diuturni, ac neque clysteribus, neque medicamentis, neque fomentis, neque iis remediis: quibus qui veri sunt colici dolores, deliniri solent. Eorum materia aut flatus est tenuis, aut humor acerrimus & æruginosus, membranarum spatiis conclusus, e quibus detrahi vix potest. Succedunt diuturnis febribus, aliisque biliosis morbis, quorum est difficilis solutio. Natura quippe crisin noxiique humoris depulsionem in aluum molita, quum nusquã vacuandi viam promtam & expeditam nanciscitur, illum e venis & visceribus in membranas sæpe auertit: vbi dolores exsurgunt priore morbo grauiores. Obseruaui (*inquit idem Fernelius*) & continuas & tertianas, sæpius vero quartanas febres hisce doloríb. finiri, qui diu circuitu certo exacuebantur, paremq; accessionum ordinem retinebát.

8

9

Distinctio doloris non in colo sed peritonæo exsistētis.

OBSERVATIO IIII.

De colico dolore & spiritu flatuoso, cum retentione excrementorum.

Colicus dolor sequitur aliquando retentionem excremẽtorum durorum in ventre: vnde intestina copia recremẽtorum & flatuum distenduntur. Sic Balduinus quidam calcearius, cum aliquot diebus non excreuisset: & venter distenderetur, vehementiori colico dolore, annos triginta natus, mense Decembri, cum & frigore laboraret, in nocte correptus fuit: & cum rugitus sentiret, & flatus detinerentur & tensionem experiretur, ex spiritu simul flatuoso & fecibus retẽtis coli dolorem originẽ habuisse cõiectabam. Vnde & clystere sequente, & fotu, ab omni dolore præter mentem aliorum liberatus est: ℞ *rad. althææ mun.* ℥ *ij folior. maluæ, parietariæ, betæ ana m. ij flor. chamom. meliloti ana p. j. coquantur in aqua communi, pro* ℔ *j* ß *cassiæ mundatæ pro clysteribus, benedictæ laxat. elect. hieræ picræ ana* ℥ ß *philonii Romani* (propter intolerabilem dolorem) ℈ *j. olei amyg. dulc. olei scorpionis ana* ℥ ß. *olei viol. chamomill. ana* ℥ *j. Zacch. rub.* ℥ *iij. salis communis* ℥ *j. misc.* Primum stercus durissimum excreuit: deinde adhuc bis liquidiora pituitosa, sed flatuosa, stercoris bubuli instar: & multos crepitus vna cum ventositatibus emisit. Mox adhibuimus hunc fotum: ℞ *flor. chamomill. meliloti ana m. j. sem. lini, fœnugræci, maluæ ana* ℥ *iij. sem. anis.* ℥ *j* ß *coquantur in aqua communi pro* ℔ *j.* ß *pro fotu.* Quibus duobus remediis sanus factus est.

2

SCHOLIA.

Omnia quæcunque obstruunt, colicum dolorem generát: sicuti & ventus cõclusus: quod etiam ex cibis quibusdam natura flatulentis contingit, vt castaneis, glandib. siliquis, cucurbita, vua, vino multa aqua diluto, & aqua frigida: præcipue si Venus laboriosa subsequatur, aut nimia corporis lassitudo. Iam quoque fit a stercore in ipsis intestinis remorante, si vis expellẽdi infirma, fuerit vel medicamento aliquo torpida reddita: aut ventris musculis aut præcordiis percussis, vel frigore offensis. Fæces vero multis modis exsiccãtur a cibis assis, frixis, siccis, aromate, longa mora, in iis qui aliis rebus occupantur, & sui obliuiscuntur: item ex debilitate musculorum ventris; & in vtentibus multo coitu, infrigidatis, debilib. & longa ægritudine laborantib. vel ex stupefaciẽtibus, aut ob bilis paucã effusionẽ ad intestina, hepate & mesaraicis venis omnem humiditatem ad se trahentibus; ob sudorem nimium & exercitia vehementia, corporis raritatem, temperiem calidam. Etiam ab aere calido æstiuo, ab hæmorrhoidibus, vlceribus, apostematibus, sphincteris colli vesicæ, matricis, sæpe feces retinentur. Et sic etiam præter quatuor caussas iam dictas *Scholio præcedente*, aliæ sunt caussæ primitiuæ: vt omnia olera, maxime cucurbita, melones, pepones, omnesque fructus horarii, & legumina: aqua gelida, vel vinum maxime plurima aqua mixtum: coitus nimius, ventositatis retentio, lapidi frigido diu insidere, *vt Auicenna protulit*, & frigidos pedes habere. Sic frater meus Theodorus quotiescunque illi pedes frigebant, statim colicum dolorem incurrit. Idem efficiunt & medicamenta venenosa: quanquam magis ileum producant. Caussæ vero corporeæ, *vt ab humoribus calidis, rarius tamen: & sequitur tunc biliosus morbus: & sic fit ab ictero quandoque. Ab oppilatione, vt in apostemate calido per viam defluxus: vel ab humore frigido, viscoso, pituitoso: a ventositate, a vermibus.* Sic nos rusticum ex pago vulgo Coedikio dicto non procul ab vrbe Alcmaria patria mea, pre manibus habuimus, qui vltra triginta vermes in colico dolore eiecit, & a me probe curatus fuit: clystere parum iuuante, sed

3

4 *Caussæ primitiuæ.*

Caussæ corporeæ.

A vermib.

sed magis decocto absinthii, florum chamomillæ & centaurei minoris, in ceruisia communis: quã perpetuo bibebat. Habes similem historiam apud Amatum, de Diana vxore lapicidæ in colicum affectum solitum incidente ex lumbricis, quæ curata fuit primo clystere iniecto ex lacte & melle, quo dolor remittebatur, vt illa asserebat, lumbricis ex partibus superioribus ad inferiores deductis. Mox & altero clystere iniecto, ex decocti rutæ ℥ xv. olei rutacei ℥ iij. salis nitri ℥ j. ß. aloes non lotæ ℥ ij hieræ picræ ℥ j. Sequenti die bolum dedit: ℞. specierum de hiera Gal. ℥ ij. diaphœnic. ℥ iij sem. santonici, lumbricorum dicti, ℥ ß. Zacchar. q. s. fiat bolus. Hoc quinquies egessit, & dolor ex toto leuatus est: & sic intra 2. dies sanitati restituta fuit. Postea vero octo sequentibus diebus quolibet mane ieiuno stomacho comedebat rotulam ex arom. ros. super aqua vinum ex absynthio confectum bibebat, & sic sana cito euasit. Sed etiam ex lapide in intestinis generato quandoque fit, inducendo colicum dolorem, vel extendendo, vel soluendo continuum, vel prohibendo exitum ventositatis: quod euenit domicellæ Vanderanæ, stercore rotundo in lapidem concreto: quæ tamẽ per me, exhibito pharmaco leniente, curata fuit. Refert Gradus, *se in vxore Dom. Antonii de Canibus Papiæ, in colico qui nullo modo poterat curari, tandem lenientia medicamenta per clysteres immisisse, & per os exhibuisse, quibus tres lapides magnos durissimos egessit: quorum quilibet fuit quantitatis vnius oui gallinacei, erantque cinerei coloris tanquam viderentur feces induratæ.* Caussæ autem primitiuæ ex sermone ægrotantium habentur: aliæ caussæ tum a prægressis quoque, tum ex iis, quæ adsunt, dignoscuntur: si enim ab obstructione, & tẽsione a fecibus, ex præcedentibus significantur: vt quoque si icterus præcessit, vel alias æger non deiecerit multo tempore, quod aliquãdo conualescentibus euenire diximus: quoniam plurimum in corpus distribuitur. Flatus cohibiti ægri sermonibus aliquando habentur: *nam & cohibendi flatus consuetudine* (inquit Fernelius) *non paucos dissectione animi aduertimus, quibus dilatatum colon intestinum brachii amplitudinem adæquabat: alios quibus ex imo ventre flatus toto anfractu in ventriculum resiliens ructu emittebatur, & quib. pro crepitu ructus erat: alios quoq; aliis ex caussis hoc symptomate continenter affligi, vt his plures ructus, quam verba essent.* Flatulentus dolor colicus ventrem distendit: vagus est, & instabilis, in variasque ventris sedes se contorquet: sæpe obmurmurat, & arcte conclusus, nec ab ore nec ab aluo erumpit. Hunc caussæ flatus effectrices præcesserunt. Et sic vbi a flatulento spiritu coli dolor fiat, tensionem magis experiuntur laborantes, atque rugitum sentiunt, præcessitque flatus generantium ciborũ, ac potuum vsus, velut sunt olera, & fructus, aqua frigida, & reliqua huiusmodi. Verum si humor crassus, ac pituitosus coli dolorem excitat, tunc ægri per totum abdomen in alto excruciantur, ac intestinum ipsum pertundi, seu perforari quasi sentiunt. Tormina quoque affligunt, ructus, nausea, vomitio, cuiuslibet humoris, sed pituitæ potissimum. Aluus grauiter impedita nihil reddit, ac ne spiritum quidem transmittit. Stercus etiam (*vt paulo ante dictum est*) quandoq; excretum bouino simile videtur, leue, & flatus plenum, *ex Pauli testimonio*; præcessitque continuus ciborum quam maxime frigidorum, crassique succi vsus, satietas, cruditas, otium: & id genus similia, vt ipse inquit: grauiusque dolorem hunc irritabunt frigidiores cibi, ac potus assumti, veluti ex contrariis sedari percipies. Sic enim a crassa, pituita lentaque, & præsertim a vitrea, quæ non modo huic intestino adhęrescit, sed & ipsum corradit, dilacerat, atque in id plerumque perforantis terebelli more se infigit, colicus etiam dolor exercet. Hic sæpe fixus est, & alte excruciat, nauseam & pituitæ vomitionem ciet: neque ructibus neque flatibus emissis demulcetur: habuitque originem a crapula & otio, quæ cruditatem, crassumque humorem progignunt. Ab acri vero erodentique humore, aut etiam inflammatione quisquis ortus fuerit dolor colicus, fixus etiam est, sed cum febricula, ardore, siti, vigiliis: irritatur esculentis, potulentisque calidioribus, a quibus etiam sumsit originem. Alii hæc addunt, quod multa excernantur, & sine flatibus vel his exiguis, eaque colore biliosa. Et omnino hic affectus secundum quosdam dysenteriam præcedere solet. Adde sitim & æstum, bilis vomitum, & singultum, & quod a colicis dictis præsidiis læduntur, cuius exemplum Galenus affert. Nam acres mordacesque succi sicuti eos, qui ob inflammationem eundem dolorem experiuntur, magis excruciant: sic etiam hos ardor, sitis, vigilia torquebunt, sed minus ad illos: imo & febriculæ aderunt. Vrina reddetur acris, & biliosa deiicient: & alui deiectio maiorem excitabit cruciatum: grauiusque irritant calidiores cibi, potusque assumti, *ex eiusdem Pauli decreto*: veluti e contrario magnopere leuantur ægri ex contrario tum cibo, tum potu. Id autem magnopere attendendum est pro huius affectus dignotione: quod agnitiones affectuum, quæ ex coniecturabilibus notis incipiunt, cum eorum, quæ prosunt obsuntque, cognitione sunt coniunctæ, *Galeno auctore 12. method medend.* Ita quoq; si ab inflammatione coli dolor excitetur, internum quendam feruorem ægri sentient, aderitque febris non ignaua, vrinæque retentio, simul & stercoris: pulsus iuxta ventrem molestabit: similiter sitis, ardor, nausea, bilis potius vomitiones, quæ nihil leuant malum, vigebunt. Et sic iuxta alios, qui Auicennam sequuntur, si ab apostemate, iam febris necessario aderit, & dolor fixus: qui nullis colicis remediis iuuatur, sed augetur potius, & sitim & calorem circa partem inducit. Et in hoc sæpe errant medici, remedia calida adhibendo sine discrimine.

Marginalia: 5 Cent. 1. cur. 33. — A lapide. — 6 Gradi historia. — Signa caussarum. — Flatus cohibiti. — 7 Si ex spiritu flatuoso, signa. — A pituita si coli dolor fiat, signa. — 8 — Ab acri erodentiq; humore. — 9 — Si ex inflãmatione fiat indicia. — 1

Observatio V.

De colico dolore ex pituita crassa vitrea.

Vir quidam Alcmarianus, annos quinquaginta natus, cum dolore colico laboraret, & illi a

medico quinque clysteres admodum fortes iniecti essent, tandem vix dum aluus illi soluta est: & quanquam a colico dolore, eo tempore liberatus esset, tamen in paralysin incidit, vt manus paralytica indicabat: & nihilominus ab illo tempore ex leuissima caussa colicum dolorem incurrebat. In quem cum denuo more consueto incideret, & ipse accitus fui, cum grauissimum dolorem experiretur, tanquam palus intestino colo infixus esset, idque ex pituita vitrea. Aluus huic vna cum stercore cohibebatur, vrina cruda & alba exsistēte. Ita vt ex crudis succis hoc malum originem cepisset. Itaque statim emolliens enema præscripsi, quod & leniret, & feces molliores redderet, & simul pituitam euacuaret. Præstat enim initio vti leniente clystere, ob stercora in pilæ modum sæpius compacta, & imponere aliquid salis gemmæ, quod stercora dura eliquare solet: quod cum medicus, alioqui doctus, non obseruasset, quinque fortia enemata iniecit; quo factum est, vt colicus dolor in paralysin sit permutatus. Sal autem gemmæ proprietate quadam, vt sæpe experti sumus, squibalas emollit; quod & ante nos egregius ille medicus Henricus Vergerius Haganus, cū prius Harlemi habitaret, obseruauit. Amstelrodamum enim accitus ad quendam colico dolore affectū, cui eo tempore alioqui M. Ioannes Tiengius, medicus suo tempore celeberrimus, quinque clysteres admodum fortes iniecerat: qui cum nihil operarentur, superueniens Henricus medicus prædictus, emollientem clysterem, in quo sal gemmę impositum erat, iniecit: & statim squibalis eiectis ac duris stercoribus, mox & multa pituitosa subsequuta sunt; & ilico ægrum, maximo cum suo honore sanitati restituit. Nos etiam eandem rationem sequentes, vt hic clyster iniiceretur mādauimus: ℞ *rad. althææ mundatæ, rad. brancæ vrsinæ ana* ℥ ß. *folior. maluæ mercurialis ana m. j. florum chamomillæ, meliloti, folior. rutæ (ad pituitam incidendam) ana m.* ß. *seminis anisi fœniculi, carui ana* ℥ *ij. fiat decoct. in iure pulli pinguis ad* ℔. *j. in qua dissolue cassiæ mundatæ, elect. hieræ picræ ana* ℥ ß. *benedictæ laxat.* ℥ *ij. olei amygd. dulc. olei anethini, chamomill. ana* ℥ *j. salis gemmæ* ℨ *j. salis commun.* ℨ ß. *misc. fiat enema. nihil effecit.* Interea etiam ante & post clysterem per os dedimus iura pinguia. Cum clyster non operaretur, glandem adhibuimus, quamuis frustra. Ad ructus vero expellendos sumebat ex *decocto florum chamomillæ in ceruisia, nihil iuuabat.* Ideo ad clysteres fortiores transiuimus; non tamen vnum clysterem super alium statim immittendo, vt stolidi facere solent, qui singulis horis fere indifferenter enema iniiciunt: quod minime fieri debet. Ratio est; quod eiusmodi enemata materiam agitant non educēdo febrem inferentia, ac alia nocumenta; stomachum quoque debilitantia, & hepar, ex quib. potest aliquādo fluxus subsequi immoderatus, quēadmodum & Arculano medico insigni euenit, vt de se ipso testatur. Vnde acuta non sunt toties iteranda, si non soluant: & ab ipsis abstinendum donec materia sit digesta; & post maturationem acutiora administranda. Ideo exspectauimus in alterum diem. Et tunc decocto superiori addentes ficus pingues & passulas, & ℥ j *folior. senæ.* & post colaturam eadem lenientia & laxantia, addendo butyri ℥ j & loco olei anethini, rutaceo vsi sumus: alii nucum accipiunt, ob partium tenuitatem. Hic tamen clyster etiam nihil effecit. Ideo sex vel pluribus horis intermissis, in eodem decocto pulpæ colocynthidos in nodulo raro ligatæ ℨ j *agarici electi* ℨ j. ß. & huius decocti accepimus ℔. j. addendo benedictæ laxat ℥ j *cassiæ mundatæ* ℥ ß. *elect. hieræ picræ* ℨ *iij philonis Romani*, ob ingentem dolorem. ℥ ß. *olei chamamelini, anethini, amygd. dulc. ana* ℥ j *salis communis* ℨ j ß *salis gemmæ* ℨ j *iniiciatur moderate calide.* Quo tandem quinquies egessit valde pituitosa, cum multis ventositatibus, & dolor ex parte sedatus est. Die vero sequenti in diluculo exhibui ℈ j. *theriacæ optimæ, & specier. diagal* ℈ ß *cum* ℥ *iij aquæ hyssopi*: idque calide. Egregie dolorem sedabat, sudore subsequente. Sed hora 5. vel 6. post meridiem, cum dolor iterum rediret, cum hoc fotu vteremur, rursus cessauit, neque amplius rediit: ℞ *florum chamomillæ, meliloti ana m. j seminis maluæ, lini, carui, anethi ana* ℥. *iij.* coquantur in aqua, pro fotu cum spongia. Dolore non redeunte, ad reliquias ventositatum depellendas, tum ructus auferendos, ad ventriculi & intestinorum roborationem ex elect. sequenti sumebat, idque omni mane, ad magnitudinem castaneæ: ℞ *conseruæ flor. rorismar.* ℥ *ij. conseruæ ros. specier. diacimini, diagalangæ ana* ℨ *ij. cum syr. menthaceo, fiat ad modum conditi.* Quibus præsidiis fuit ita sanatus, vt malum illi consuetum intra septem deinde annos eundem non inuaserit. Verum tunc iterum, nempe anno 1551. mense Septembri, eodem malo redeunte, ad illum rursus accitus, prius iniecto clystere emolliente, deinde altero die sequenti etiam hoc iniecto, rursus per me curatus est: ℞ *rad. althææ* ℥ ß. *maluæ, viol. betæ, caulium rub. florum meliloti, chamomill. pulegii, satureiæ, parietariæ ana m.* ß *seminis anisi carui, fœniculi ana* ℥ *ij.* ß. (*agar electi* ℈. *iij colocynthid.* ℈ *j* ß *ligatis in nodulo*) *coquantur in aqua communi.* cuius ℞. ℔. *j* ß. *adde benedictæ laxat* ℥ *j. hieræ picræ. diacath. ana* ℥ ß. *vitella ij. ouorum, olei chamamelini* ℥ *ij. olei anethini* ℥ *j salis communis* ℨ *j.* ß *salis gemmæ* ℈ *ij misc.* A clystere eiecto, multaque pituita educta, sanus factus est.

Margin notes (left): 2 — *Sal gemmæ.* — 3. Margin notes (right): 4 — 5.

SCHOLIA.

QVod autem a veteribus scriptum est colicum dolorem transire in paralysin, id rarum apud nos, inquit interpres Hollerii: familiare quibusdam populis, vt Britonibus. Sacerdoti cuidam annorum quadraginta, ex assiduo prope dolore colico paralysis nata dolorem soluit; sed mansit paralysis annis aliquot. At huic nostro ægro ex primo colico dolore mansit per totam vitam manus paralytica; quamuis postea rursus colico affectus per me curatus fuit. Sed & prætori Leydano, ad quem nos vna cum Vergerio medico Haghano acciti eramus, a colico dolore etiam paralysis nata

Margin: 6 — *Colicus dolor quo modo permutatur aliquando ad paralysin.*

nata est: de quo postea. Hinc & Arculanus. *Multoties*, inquit, *colicus dolor permutatur ad paralysin, & sanatur per eam: materia enim dilatata petit nucham, aut alliquos neruos aliquibus membris particularibus deseruientes. & similiter aliquando permutatur ad iuncturas: quæ permutationes aliquando accidunt, propter medicos inepte operantes, qui, vt dolorem sedent, faciunt balnea siue semicupia nondum materia minorata, & adhibent alias medicinas colliquãtes: esset enim minus malum, vt stupefacerent. Primum vidi* (inquit Arculanus) *in fratre Domini Episcopi Veronensis, qui post paralysin vniuersalem mortuus est sequenti die: secundum in potestate Leuiati, qui longo tempore arthetica laborauit: hæc enim ilico sequuta sunt post balnei administrationem. Et sic desinit, quanquam raro* (nam bis hoc tantum vidi) *& in paralysin.* Et visum est nostra ætate, inquit

7

Iacchinus. Paulus dicit, *fieri per mutationem materiæ ad spinam.* Huius meminit *lib. 3. cap. de paralysi, & post.* Sed & Arculanus hoc idem animaduertisse videtur, cum scribat, *colicum phlegmaticum & sanguineum sæpius permutari ad dolorem dorsi, idque ob materiam magis subtilem factam per caliditatem dolorosam:* quod communiter fieri ait in Iliaca; cui confert venæ sectio, cum ibi sit vena chylis, quæ dorso materiam suggerat, quæ per phlebotomiã inanitur. Modo ad hydropen commutatur, corrumpendo intemperiem hepatis. Quando vero prolongatur retentio fecis, venter inflatur propter fortem extensionem fecis & interficit: *Quosdam vidi* (inquit idem) *in quibus intestina rampuntur: & fex egrediens replet concauitatem ventris, & fiunt sicut hydropici, & fœtent odorem stercorum: & quosdam vidi, qui post retentionem fecum, nempe ad sextum diem, & postea incurrunt fluxum ventris & lienteria moriuntur in tribus diebus; nam propter fortem extensionem & malam intemperiem impressam vis digestiua & retentiua intestinorum est ablata. Sæpe succedit etiam ad fluxum ventris, materia subtili euacuata, crassa remanente. Et multoties*

8

cura colicæ remouet singultum, materia ad intestina delabente: modo peruenit ad singultum, ob magnum nocumentum ori ventriculi communicatum: modo ad perturbationem rationis & spasmum: significat enim materiam cerebro communicari & neruis, ob doloris vehementiam. Modo associatur tremor cordis maximus: ita, vt pectus indigeat retentione cum manu, ob sympathiam cordis in vehementissimo dolore. Ob vapores quoq; malignos ad cor eleuatos sæpe fit ita vt tandem syncope superueniat: cum tremor via sit ad syncopen: & postremo peruenit ad sudorem frigidum, & mortem. Nihil equidem æque virtutem posternit ac fœtor & dolor. Hæc quoq; ad signa prognostica

Signa prognostica.

pertinent. quemadmodũ & subsequentia; à illa, quæ ad malum tendunt, sunt ex his, quæ magnitudinem doloris significant, id est, quę vires euertant, vt vel syncope, vel quæ præcedant syncopas: item signa ex pulsibus & colore, & calore vel sudore. Species quoque affectus id monstrat: nam phlegmone statim magnus morbus erit, & periculosus: mitior a flatibus, hoc mitior ab acri humore; mitissimus ab obstructione cauitatis. Desinit aliquando in rupturam peritonæi: & nos vidimus rumpi circa inguina, vel vmbilicum: vel quia flatuum multitudo aceruata intus est, quæ tendit, vt prægnantibus aliquando euenit; nam ex partu fit obnoxium. Sic facit aliquando herni-

9

am seu rupturam, & modo ex iis quoque ortum habet; & tunc non curatur, nisi reducto intestino in suum locum. At ex fece obstructa secundum plurimum etiam curatur. Et colica sequens apostema in intestinis crassis, curatur: sed in gracilibus, vt de ileo dicemus, magna ex parte lethalis est, non tamen semper, vt suo loco dicemus. Et colicus dolor ex ventositate, magna ex parte recipit curationem; modo non prolongetur: nam tunc transit in tympanitem. Inter omnes tamen colicas affectiones, ea, quæ ex inflammatione ortum ducit est grauissima, *Paulo teste*, vt quæ in Ileon transitionem minetur. Vehementissimi quoque coli dolores periculosiores sunt, quam mitiores, vtpote qui a leuioribus caussis fiant, *Galeno auctore 2. de locis affectis.* Vbi non omnino excrementa detineantur, neque in vna ipsius coli parte fixus dolor sentiatur, adhuc minus periculosus erit coli dolor. Similiter & minus minatur

10

periculum, cum clysteribus iniectis aliquod excrementum deiicitur, aut flatuosus quispiam spiritus, cumque ex illa deiectione dolor leuatur; quam si nec quicquam per eos excernatur, nec dolor leuetur. Alexander vero *cap. 1. lib. 10.* sic de colico affectu scriptum reliquit, quod grauis quidam morbus, & dolorificus sit, ac vehementes cruciatus inducat, quia intestinum colum dictum densum est, crassum, neruosum, ita vt nihil quod in illum confluit, tam facile discuti possit, ac in tenuioribus intestinis. Colicus dolor itaque damnatur, si aluus ex toto suppressa est, si vomitus perseuerat, si fœdi ructus ac excrementum per os fertur, & tormina antecedunt crudelia, sudoresque frigidi glutinosi, ac animæ defectus. A vermibus si fiat, iis deiectis facilius curatur. Ita & lapide in intestinis reiecto. Quibus spasmus superueniat, delirium portendit. Si stranguria superuenerit, magis tamen ileo, 7. die intereunt, nisi vrina copiose fluxerit. Si vero a vacuatione critica, aut sola refrigeratione nondum confirmata fiat, adhibitis remediis facile sedatur. Si hæc non adsunt, non flatus, sed cancer,

11

aut abscessus aliquis dolorificus metuendus; periculumque imminet, ne marcor hominem e medio tollat. Quod obseruatum est ab Hollerio in D. Zolin medico. & aduocato Gilot; cui colum, qua parte vicinum est reni sinistro, collecta veluti cartilagine, durum in scirrhum obduruerat, interiore cauitate eo tumore intercepta, vt nihil trãscurreret, Itaq; neq; clysteribus, neq; medicamẽtis iuuabatur, etiam fortibus. Parte dextra colum ad instar magnæ vesicæ dilatatũ & extensum, medicamentis datis & potionibus plenum. Superiecti, viciniq; musculi abdominis, & peritonæum, saniosa. Post longa & multorum annorum

Historia Hollerii.

tormina, e quibus tamē non decumbebat, sexto, a quo decubuit die mortuus est sine febre, nisi quo die obiit, *nimirum 5. Martii, 1555.* Magister Hieronymus Germanus, apud illum ipsum, interna inflāmatione, & putrilagine colico morbum similem passus est. 4. die obiit, extremis ante frigescentibus, languescente pulsu, & sanguineis spectris ob oculos obuersantibus.

Observatio VI.

De vehementissimo colico dolore, vno clystere & inunctione ex instanti curato.

1 THeodorus Henrici, frumentorum mercator, qui Delphis in insigni calcaris commorabatur, colico dolore, eoq; vehementiore, correptus, a sororibus suis tum mulierculis persuasus, cum clysterem admittere nollet prima vice, tandem tamen dolore singulis horis aucto, sequens enema, nostris rationibus eo deductus, excepit. Hic enim, cum ciuilibus actionibus intentus esset (*vt aliquando fieri assolet*) excrementis tum ventositatibus retentis, in hoc malum inciderat. Enema vero tale erat, quod 12. August. die, anno 1564. nostro consilio a pharmacopœo iniectum fuit: *℞. fol. parietariæ, maluæ, mercurialis, betæ, florum chamomill. meliloti ana m. j. sem. anisi, fœniculi, carui, dauci, ana ʒ j ß. coquantur in aqua communi pro ℔ j in cuius colat. dissolue diacatholici, diacassiæ pro clyster. ana ℥ ß benedictæ laxat. ʒ vj. zacchari rub ℥ ß olei chamæmel. anethini, amygd. dulc. ana ℥ j. vitellum vnius oui crudi (vt feces magis emollirentur) salis ʒ j ß. misce fiat clyster.* Mox, fecibus eductis, & flatibus per clysterem emissis, ventre inuncto cum oleo chamæm. & amyg. dulc. anet. statim a dolore liberatus est, & ilico curatus.

Scholia.

2 *Colici doloris curatio vniuersalis.*

CVratio colici doloris, si rite procedat, a caussa debet incoari. Nam alia est, quæ symptomati solum incumbit, quam & coactam dicimus. Et sic aliquando sedamus dolorem, dilata ad tempus vera curatione, quæ caussæ debetur. Cum itaque dolorem a flatuoso spiritu, & crassa pituita genitum tollere volumus; necesse est primum partes laxare, per quas hæc excrementa ferri debent; & deinde excrementa ipsa extenuare, vt facile partem penetrare possint. Quare medicamenta optima erunt, quibus vis est calefaciendi, vnde raresfiunt partes: & quæ tenuatoria sunt, id est tenuium partium: & tertio quæ siccant, & digerunt non strenue, si quid calefaciendo liquarint atque dimouerint. Hæc igitur affectus indicat. Pars affecta ex situ monstrat vsum medicamentorum; debere scilicet ea per sedem inijci: quoniam ex ea parte magis est proxima. Plus ergo iuuabitur, quam per ebibita: quanquam neque hæc negligenda erunt, sed illis quoque vtendum. Sic & quæ extrinsecus admouentur, certum est, debilem vim exercere posse, ob corpora interiecta. Hæc igitur vniuersa est methodus. Verum quia in eligenda particulari materia errari potest: Ideo primum considerandum Galen: præceptum, sępe repetitum *12. meth 8. Si quis in hoc casu,* inquit, *vehementer calfaciente cōtendat, affectum lædet: quando ab his, crassi & frigidi succi in flatus vertuntur. At nihil nobis æque nocet atque ea, quæ liquare & in flatus vertere possint, digerere vero nequeant. Hinc colligit, debere medicamenta esse tenuantia & digerentia, non vehementer calida: ab his enim concoquitur, extenuatur atq; inciditur materia omnis. Talia vero omnia etiam siccabunt, & flatus discutient.* Ponit ibidem Galenus exempla eorum, qui acriter a vehementibus calefactoriis prouitantur. Vnde reprehendit errorem, quem sæpe committunt medici & ægri, dum talia adhibent extrinsecus in principio, nondum diminuta materia, credentes se dolorem leuare, & sæpius augēt: falsi, quoniam aliquando vbi flatus soli erāt, adiuti sunt. Optima ergo erunt, quæ rara faciunt, solum extra admota, vt ex milio, sale, dulci oleo, vel anethino. Sed ad particularem materiam descendentes, his scopis ducibus; Primum statuamus colicum, cui febris non adsit, neque suspicio aliqua adiunctæ phlegmones: sitque dolor ex flatibus cum humore crasso & frigido impacto: statim considerandum erit, num aliquis alius affectus subsit, qui curationem moretur, vt obstructio facta a stercore, vt in nostro hoc ægro erat. Hæc enim antea remouenda erit, idque humidis, vt dulci oleo calido infuso. Sunt qui oleum dulce in hunc vsum potui tradunt, vel amygdalarum dulcium; & est egregium remedium, non modo ad hanc obstructionem, sed ad laxandum corpora, & leuiter extenuandum. Non ergo ordo Rhasis accipiendus, qui a solutiuis incoat, & quidem fortibus. Sed dices, *tu tamen vsus es benedicta laxatiua, quæ satis fortis est?* Verum quidem. Sed interea adiecimus in maiori dosi & diacassiam & diacatholicum: est enim diacassia seu cassia pro clysteribus extracta, lenitiua ventris & lenis, & est medicina pro delicatis, carens acritate & mordicatione, & omni excessu, lædente. Diacatholicum etiam emollit. Hinc quoq; vbi stercora dura deiecerint, vel adhuc retineantur, aliqui addunt butyrum: nos vero eius loco etiam vitellum oui, aliasq; herbas emollientes in decocto addimus, vt parietariam, maluam, & betam. Interea & sales adhibent, vt irritent: interim & ventri quoque mollia fomenta humida. Sed nobis satis fecit oleum amygdalar. dulc. cum camomil. & anethino. Atque hæc etiam cura colicæ est, præcipue, quæ leniter emolliunt & mediocriter laxant, exhibere. Prout igitur varia sit caussa, varia quoque adhibenda remedia. Quæ exemplis supradictis, licet aliquo modo illustrata, tamen aliis dicendis curatio particularis illustrior euadet, sumto rursus exemplo curationis colici doloris, ex crassis ac lentis succis irritati.

3

4

Observatio VII.

De colico dolore, ex crassis & lentis succis orto.

1 MVlier admodum crassa, obesa, & pituitosa, tempore hyemali cum multis ostreis vsa esset, incidit in colicum dolorem ex crassis & lentis succis, cum tanta exacerbatione, vt abdomen totum in alto excruciaretur, ac intestinū perforari videretur. Ad hanc curandam accitus, postquam intellexissem, quod frigidis cibis, iisque crudis, & potissimum

potissimum ostreis, stomachum offenderat. vnde ei colicus dolor obortus erat, qui facile irritabatur a frigidis cibis & potibus; ideo cum victus ratio vtilis esset calidior ac siccior, & tota diæta attenuatoria, *vt Paulus suadet*, attamen cum per initia morbi melius sit a cibo abstinere (*Nam, nisi finito tormento neque cibis, neque potione recte absumitur, vt Celsus præcipit:*) ideo vt nihil sumeret mandaui: licet postea cibi offerebantur, qui boni succi ac concoctu faciles exsistebant; ita vt satietas, cruditasque vitarentur, *vt idem Paulus admonet*, quæ vim habebant extenuandi & incidendi.

2 Et quod ad medicamenta attinet, valde calidis, *vt dictum est, & a Galeno 12. meth. docetur*, vti noluimus, cum humores crassos liquefaciant & in flatum mutent. Neque iis hic tam facile vtendum, quæ torporem inducũt, cum humores crassiores ex iis ad motum ineptiores reddãtur, vnde spatio longiore curantur. Et ideo medico, qui in arte sit exercitatus, est opus, *vt idem fatetur Galenus*: nam ab imperitis medicis malum hoc sæpe fit insanabile, vt post longa tandem tædia pereat æger. Et propterea qui generosi animi, fortesque sunt, si mediocri vtantur victu, tutius in longiori tempore procurantur, quam qui violenter calefacientibus, aut etiam torporem inducentib. medicamentis vtuntur, ex eiusdem Galeni sententia. Noui ego ęgrotantem, in quo medici stupefacientibus in initio vsi erant, nempe philonio; cui dolor quidem sopiebatur, propter somnum inductum: sed postea licet clysteribus aliquo modo iuuari videretur, tamen idem obiit. Et ideo si ex pituita crassa malum originem habeat, & dolor vehementissimus fuerit, præstat initio vti clysteri ex communi oleo, *Paulo auctore*: sæpe vitream simul cum fecibus pituitam expulit, ac dolorem subito finiuit talis clyster.

3 Aut vti licet eodem oleo, in quo prius fuerit decocta ruta, seu semen aliquod, quod flatum dissipet, *ex Galen. 2. de locis affect. & 12. methodi med & ex Paulo*, liquato prius in prædicto oleo adipe anserino, in cuius penuria gallinaceo vtendum: curandumque inprimis est, vt expers sit salis, nec admodum vetus, *vt patet eodem 12. method. med.* Nec minus & clysteres parari possunt ex oleo chamæmelino vel anethino, cum eodem adipe anserino, seu gallinaceo, aut etiam recenti butyro. Vel vtemur iis, quæ mediocriter leniunt ac dolorem mitigant. Ceterum cum libenter clysterem iniecissem, mulier hæc, vt plerumque solent nostræ non admittebat. Ideo decoctum flor. chamomillæ exhibui cũ ceruisia decocta: quo decocto sæpius dolorẽ mitigauimus, pręsertim si cum pituita etiam flatus adessent. Sed euomuit etiam pituitam, & nihil profuit. Tandẽ dolore fatigata, clysterem admisit, qui in hũc modum parabatur: ℞ *rad. bismaluæ, lilior. ana ℥ j foliorum maluæ, althææ, mercurialis, betæ ana m. j. anethi, rutæ, pulegii, florum chamæmeli, florum anthos ana p. j seminis lini, fœnugræci. ana m. ß. seminis anisi, fœniculi, cumini, ana ℥ ij. fiat decoctio in aqua pura, pro ℔. j adde mellis ros. ℥ j. electuarii de dactylis, elect. hieræ picræ simplicis ana ℥ vj. olei chamæmil. anethini, rutacei ana ℥ j. salis communis ʒ iij misc. fiat clyster.* ter exonerauit aluum, cum magna alleuiatione.

4 Hoc eodem tempore fotum etiam præscripsimus, hunc in modum: ℞ *rad. althææ ℥ j ß folior. maluæ, althææ ana m. j flor. chamomillæ, meliloti, summitatum anethi ana m ß. seminis fœnugræc. lini ana ℥ ß seminis anisi, cumini, fœniculi ana ℥ j. bulliant in hydrelæo*, & cum spongiis duabus alternatim, partibus dolentibus applicentur. Deinde inungatur linimento infrascripto: ℞ *olei anethini, chamæmelini, rutacei ana ℥ ß. butyri recentis, adipis anser. gallinacei ana ℥ j. ex quo cremore althææ seminis fœnig. & lini adiecto. misc.* Dedi quoque postea medicamentum diatrion pipereon; & post vnum atque alterum diem & theriacam; qualia & Paulus commendat. Vbi vero pituita satis erat extenuata, iuxta Paulum & Aetium, purgans medicamentum exhibui, vt hieram. Post enim septem dies quidam exhibent hieram Archigenis. At nostra ægra, post clysterem iniectum & per os exhibitam hieram & theriacam, optime habuit.

SCHOLIA.

5 Quanquam in principio præstat a cibo abstinere; postea tamen offerendi sunt cibi boni succi, & concoctu faciles, quique extenuent ac siccent. Et iuxta Aetium sit panis neque aridus, neque calidus, sed in clibano coctus. Is si non adsit, in furno. Ex carnibus conueniunt in primis volucrium, secundo loco piscium quorundam in petris degentium: & consueta magis eligenda, ex volucribus carnes gallinaceæ, perdicum, turturum, columbarum iuuenum, phasianorum. Vitanda in aquis viuentia. Inter olera eligenda fœniculum, apium, asparagus, oreoselinum in iure cocta. Etiam exigua quantitas sampsuchi, serpilli, thymi, satureiæ, pulegii, origani, modo febris absit; quo iure duntaxat iam aucta caussa colicos nutrire conuenit. Leguminum vsus vitari debet, ptisana excepta, quæ cum lapatho in eo colliquato commoda exsistit, *vt Aetius refert*; aut eius vice satureia, serpillo vel hyssopo. Prædictorum ciborum quantitas moderata exsistere debet; ne venter in multis cibis conficiendis fatigetur. Carnes præterea ac pisces elixati potius, quam cocti præbeantur, ne siccitas excrementa apprehendat: iucunditatis etiam, & gratificandi stomacho gratia, vua alba, dulcis præ ariditate corrugata cum pane præbeatur, *Aetio auctore*; ac ficus maturæ, cuticula euulsa: porra item, allia, ac cæpæ exhiberi poterunt; maxime iis, qui talibus non offendũtur, *vt Paulus inquit.* *Victus ratio.*

6 Sed dicet aliquis, prius nimium calida ex Galeno prohibebas; licet idem Galenus iis vtatur: laudat enim summopere allium 12. *methodi meden.* præsertim vbi dolor intestinorum circa febrem fuerit; cum ipsum ex eorum ciborum genere sit, qui & flatum discutiunt, & minime sitim generant, & propterea ipsum agrestium theriacam appellabat, & Paulus, *vt paulo ante diximus*, consuetis commendabat. Vtitur etiam Galenus & rutaceo oleo & laurino. At hæc omnia sunt vehementer calida:

quo pacto igitur in colico dolore conferre possunt? Respondeo cum Iacchino doctissimo, *primum vituperat vehementer calida, quæ solum liquare possint, non discutere & digerere. At quæ enumerata sunt, calida quidem sunt, sed siccantia & attenuantia, vnde flatibus accommodatissima.* Vel dic *inter initia, cum multa est materia, non conuenire; postea ea diminuta conuenire.* Contra flatus calore excitabunt,

7

inquis. Respondeo, *Aliquot excitabunt; sed vna flatus, & flatuum materiam dissoluent.* Vnde de rutaceo oleo Galenus ait, *multi ab eo iniecto conflictantur vehementius: sed non multo post excernunt vna flatus & humorem ac liberantur.* Auicenna ideo bene consulere videtur, vt licet dolor calidis augeatur, non desistamus iis vti: sed contra tendamus nauiter. Secundo dico, *damnare eum extra posita emplastra, vel cataplasmata.* Nam si vehemēter calefaciunt, cum prope partem affectam non attingant, non valent extenuare nauiter & digerere; sed liquabunt solum. Contra euenit ex iis, quæ comeduntur; vt patet ex historia rustici, qui alliis vescebatur, & merum potabat. Sic & de iniectis patet in Galeno ipso, *2. de locis affectis.* Reprehendit ergo talia, quæ extrinsecus in principio nimium calida admouentur. Ideo optima erunt, quæ rarefaciunt solum extra admota ex milio &

8

sale, & dulci oleo, *vt dictum est.* Ceterum & his vinum conuenit, quod sit subastringens, album, tenue, perlucidum, mediocri ætate, temperamento dilutiore; modiceque bibatur *vt ex Aetio liquet.* Quod si sitis a cibo accedat, aqua calida præbeatur: infensissima enim ipsis frigida existit, vt ipse inquit. Similis quoq; ratio de aliis rebus non naturalibus habenda, vt videlicet attenuent, calefaciant, exsiccent. Talis enim qualitatis aer eligatur, calidior & siccior. Reliqua ex aliis auctoribus, vt Arculano, tum Grado, aliisque practicis, inuenies, qui hanc rem longiore sermone explicant: præcipue apud Alexandrum Trallianum *lib. 10. c. primo.* Habes apud eundem plura & diuersa medicamenta. Qualia hæc esse debeant, ex parte diximus; *vt latius videre licet apud Galenum 12. method. meden.* quæ attenuent & non vehementer calida sint; abstinentes ab iis vbi humores frigidi ac crassi in caussa sunt, quę torporem inducunt, ex quibus tunicæ intestinorum densantur frigiditate, minusq; flatus redduntur, humoremque crassiorem & ad motum ineptiorem faciunt. Valent

Medicamētorum ratio.

9

itaq; in principio clysteres lenientes, & qui ex oleo communi constant, vel in quo oleo ruta sit incocta, *ex Galen. 2. de locis affectis.* Adiectis subinde pinguedinibus, *vt ex Galeno 12. method. medendi dictum est:* semper lenibus præmissis. Si nihil adhuc egeratur, ad fortiores deueniendum. Scopi ergo erunt, præmollitas fæces attrahere, extergere inhærentem pituitam, extenuare flatus & pituitam; idque citra vehementem calorem. Materia clysmatum multa sese offert, si bene calleamus vim simplicium. Sed nos ea, quæ magis vsui nobis sint proponemus; qualia & in præcedentibus exemplis descripsimus. Vel hoc aut simile paretur: ℞

Clysmata.

rad. lilior. ℥ j ß. (*nonnulli addunt rad. bismalue & bryoniæ, vel angelicæ*) *mercurialis, betæ flor. chamomill. meliloti* (*nonnulli adiiciunt flor. anthos & stœchados*) *ana m ß* (*etiam centaurii, pulegii, marrubii, abrotani*) *ana m j sem. lini fœnug. ana* ℥ *ß. anisi, fœniculi, seseleos* (*alii & cumini & nigellæ*) *ana* ʒ *iij. coquantur in iure pingui carnium* (*alii decoquunt in aqua & vino*) *q. s. pro* ℔ *j. vel* ℔ *j ß. in quibus dissoluūt benedictæ laxat.* ℥ *j elect. elescoph* ʒ *j. vel iij. aut si difficilis sit aluo, indi maioris, vel diaphœn. vel hiera picræ, vel hiera colocynthid. olei rutacei, chamomill. lini ana* ℥ *j. vel olei nucum:* est enim præstantissimum oleum nucum, ob tenuitatem. Nonnulli etiam

10

butyrum antiquum addunt, vel pingued. subinde loco oleorum, salis communis ʒ j. vel plus, vitellum vnius oui: etiam parum addentes (quod nōnulli faciunt) *elect. de baccis lauri,* quod tamen magis facit ad ventositates. In medio tempore nonnulli (*vt Rondeletius consueuit*) vt minus trahant & magis concoquant, vtuntur eodem decocto absque laxantibus; *addita magna quantitate vel butyri, vel olei, vel pinguedinis; addito parum mellis vel Zacch.* vt semper aliquid detergatur, vel ex solis oleis & vino. Extergentia vero sunt *mel coctum plurimum, & terebinthina resina anethino oleo dissoluta vel amarar. amygd.* Decoctum vero easdem habebit vires, *vt puta ex aniso, cymino, semine imperatoriæ & chamamelo hac inter initia.* Quib. si stercora deiiciantur, aut modica quantitate, nec æger leuetur, clysma simul extenuatorium & attractorium, simulque detersorium componemus; vt scilicet ex vi sua naturali pituitam trahat a tunicis, & qualitate aperta eam extergat & ad exitum paret. Decoctum itaq; apparabimus ex centauro mi-

11

nore, & ruta & cumino: vel si ruri simus, rutam & calamentum aut lauri baccas sumito Materia vero iuncta sit aquæ & olei partibus æqualibus: excolatis adiice hieram simplicem & mel despumatum. Si vero ad fortiora transeundum, hieram logadii addemus, vel aliquid agarici; quo tamen nōnulli in clystere vti nolunt. Vbi itaq; multa deiecerit, quidam ad morbi reliquias tollendas vtuntur per infusa rutaceo oleo, apparato ex vino cretico. Huius libram 1. infundunt cum vino earundem virium. Imo & alliorum decoctū infundunt: sed cum odor multos offendat, vix eo vti vellem. Neq; hic audiendos volunt, qui Rhasem sectati, clysteres faciunt pondere vnciarum sex vel octo. Quomodo n. ad sedem affectam peruenire poterūt, nisi ad minus circiter ℔ ij. in magno corpore infundas? Plura vide de vsu clysteris, eiusque forma, apud Arculanum. Interea hic & vomitus, si quis facile vomat ante cœnam præ omnibus auxiliatur, *Aet. teste.* Is tamen vtilis est tantum, si colicus dolor accidat post cibum assumtum vel in stomacho fluctuantem, qui potius vomitu, quam clystere crudus attrahatur. At in stomacho debiliori & intestinis gracilibus debilibus, & si multi humores adsint infarcti, & stercora dura, minus conuenit vomitus. Interea etiam purgās medicamentū, vbi pituita satis extenuata sit, exhibētum

Vomitus.

Purgans medicamentū.

tum alia iis præbent, qui ex frigido & pituitoso humore dolent. Dant igitur diaphœnicon, vel aliud quippiam. Imo euacuatis vtcunque recrementis crassis, induratis ab intestinis, & vomitione vtcunque purgato ventriculo crudis illis humoribus, nonnulli pilulas de hiera simplici præscribunt, vel de benedicta, quæ neque mirobalanos recipiunt. Vel hoc modo: ℞ *pilul. de hiera simpl. vel de arom.* ℥ ß. *castorei* ℈ ß. *cum syrupo e stœcha. vel de byzant. aut artemisia, fiant pilulæ v.*

12

Potiones.

Dant & alias potiones, vt ex diacymino, vel ex elect. *de bacc. lauri, ex vino forti calido*; vel si non adsit, ex meraciore mulsa, vel ex nuce muscata trita, & vino cretico calido: aut ex castorei ℨ j *cum vino similiter*: vel terebinthinæ potus, aut salsarum & sulphurearum aquarum: vel lupinum stercus quod in spinis pependit: aut galerita auis, quã describit Aetius, & est nobis alauda galerita dicta: hæc comeditur obsonii vice in albo iure. Alii commendant cornu cerui vstum in olla, & in puluerem redactum epotum drachmæ pondere. Vel ius veteris galli, quod cartamo & aromatibus coquatur: ℞ *gallum antiquum, quatuor ad minus annorum, quem defatigatum interficias; cum fuerit exenteratus, in eo pone salis gemmæ* ℥ *iij seminis cartami, cnici dicti, polypodii quercini recentis & contusi, hyssopi herbæ ana* ℥ *j seminis dauci, anethi, ameos ana* ℥ ß. *turbith.* ℥ *iij. misce, & in* ℔. *12. aquæ fiat decoctio ad medias*; cuius ℥ vj. pro vice bibat: & ex eadem decoctione clyster interdum paretur.

13

Et ita ad colica proprie dicta deueniemus. Illud quoque animaduertendum, quod vbi vehemens dolor vrgeat, ita vt non possit æger quiescere, donec remedia applicemus, Galenus cucurbitulam afficit: idque ita, vt totum vmbilicum comprehendat.

Cucurbitula.

At 11. *lib. method.* non meminit vmbilici: sed dicit, *in omnibus patientibus partibus vtilem esse.* Aetius ait *loco dolenti applicandam esse cucurbitam.* Forte vult in medio coli intestini affigi, vt materiam in vno loco fixã in partes laxiores trahat, & flatus. Considera igitur si his non sedatur; & tunc colicos clysteres adhibebis: sed prius vomitum prouocabis, nisi sponte plurimum vomuerit. Laxatur enim intestinum stomachi vacuitate, & dimotione illa calefit, & extenuatur tardi motus humor & flatus egrediuntur. Prohibemus etiam ne a supernis excrementa eo trahantur, vnde obstructio augeatur. Sed & si cibatum ægrum offendas, vomere iubeto.

Glandes.

Quod si ob dolores etiam clysteres non retinuerint, glans aluo immittenda, *ex Pauli decreto*, quæ ex melle cocto, cumino, seminis fœniculi, ruta, hiera, salis gemma, agarico parari potest longiuscula digitorum fere sex.

Fomenta.

Hoc etiam tempore fomentum siccum ex milio adhibendum est, *Galeno teste 12. method. meden.* vel humidum cum spongiis, quale descriptum est *Obseruat. præceden.*

14

Sacculi.

Vel ex milio, furfure, chamæmel. floribus, meliloto, fœnugræc. lini semine, & anetho, sacculi componantur, & in calfactis lateribus, vinoque albo irroratis prius calefiant, & applicentur.

Insessus.

Insuper & insessus valde vtiles sunt, *ex decoctio. fœnugrac. althææ, chamæmeli, artemisiæ, anethi, lauri, & similium*, *vt inquit Paulus.* Item in oleum calidum, aut hydrelæon descendere alienum non est, *vt ipse refert.*

Balneum.

A balneo vero bibant absinthii & cumini æqua portione decoctum, vel vinum absinthites.

15

Cataplasmata.

Conferunt & cataplasmata ex *malua bismalua farinæ seminis lini & fœnugræci, milii seminis anisi fœniculi, cumini, cum oleo chamæmelino, aut rutaceo, & oxymelite, &c.*

Vnguenta.

& vnguenta in hunc vel similem modum parata: ℞ *axungiæ gall. butyr. recentis, olei chamomill. aneth. ana* ℥ ß. *terebinthinæ* ℥ *j. seminis apii, petros. galangæ, spicæ ana* ℈ ß. *ceræ parum, fiat vnguentum*, addendo vini vel aquæ vitæ parum tempore inunctionis.

Historia Rondeletio de muliere nobili a colico dolore curata, & de rustico curato.

Rondeletius nobilem matronam curauit, cum grauissimo dolore coli detineretur ex pituita, & nihil ad manum esset, solo vino Hippocratico dicto iniecto. Sic & rusticus, qui vinum aromatites emerat ex melle ad hilaria celebranda, curatus fuit. Sed & alium rusticum allio contrito & oleo curauit: & alios erysimi decocto cum vino. Nam qui & grana vj. castorei ex vino bibunt, cito curantur: aliqui & euphorbium eadem quantitate infundunt:

Cautio.

attamen lacrymæ periculosæ, ob lentorem, quia adhærent, & non possunt expelli, & occidunt, vt ex morte nobilis viri Gubernatoris Monspessuli D. Gaudeti constat, quod & eidem Rondeletio fuit compertum. Nam pharmacopola cum medici officio fungi vellet, insciis Guilberto, Griffio, & Falcone, qui illum curabant, iniecit sagapenum, ammoniacum & alia dissoluta; quibus immissis subito & repente mortuus est.

Historia Amati de muliere colico dolore laborante.

Habes historiam pulcerrimam apud Amatum *cent. 1. curat.* 32. de colico dolore ex pituita vitrea, in muliere prope Castellum Nouum, ad quam multi medici conuocati vsi sunt clysteribus ex oleo rutaceo, anethino, laurino, liliaceo & similibus modo adiecto *melle ros. & sale gemmæ, tro. hiƒ. albandal* ℥ j. vitella duorum ouorum, modo ℥ j diaphœnic. adiecta; vbi docetur non semper a mitioribus incipiendum, cum periculum in mora sit, morbo ita vrgente. Alioqui in morbo in quo non impendet periculum, a mitioribus incoandum. In quo vera quidem Erasistrati opinio est. Alioqui in extremis morbis, *iuxta Hippocratem*, extrema remedia tentanda.

OBSERVATIO VIII.

De colico ventoso.

1

Pater Regularium monachorum Harlemensium, sæpe dolore ac torminibus ventris multis annis obnoxius fuerat. Pro quo malo depellẽdo puluerem semper paratum habebat ex speciebus diagalangæ, & electuarii de baccis lauri, quem ei præscripserat Adrianus Iunius medicus doctissimus, & amicus ac familiaris noster. Hic vero septuagenarius, cum in cœnobio prope Alcmariam esset, 24. Septembr. anno 1555. colico dolore ex ventositate correptus adeo vehementi, vt intestina disrumpi sibi clamaret. Ad illum accitus, cum & nauseam pateretur sine vomitu, & ex ructibus aliquod leuamen se sentire diceret;

glande prius aluo irritata, cum electuarium de baccis lauri ad manum non esset ʒj. pulueris diacumini cum vino Rhenano calide propinaui. Ex quo flatibus tam supra quam infra emissis, & sudore in lecto operimentis euocato, ab omni dolore statim liberatus est.

SCHOLIA.

2 *Si ex spiritu flatuoso fiat curatio.*

SI flatulentus spiritus doloris auctor fuerit, eisdem medicamentis vtendum, vt de crassis glutinosisque succis diximus, *vt patet eod. 12. meth. med.* Poterimus tamen tam clysteribus, quam reliquis medicamentis extrinsecus adhibitis, ea quę magis flatum discutiunt permiscere, ac eorũ quãtitatem augere, *vt cuminum semen fœniculi, pulegium, origanum, calaminthum, furfur, milium, careum, daucum, anethum, & similia* Insuper ʒj *dianisi, aut diacumini, seu diacalaminthæ*, cum pauco vino albo prębere poteris. Propriam tamen curationem quandam sortitus est is dolor, qui spiritum flatuosum comitatur; ex cucurbita scilicet cum flamma copiosa subinde admota, *teste Galeno 12. meth. med.* Videbiturque tibi (*vt ipse inquit*) præsidium hoc in huiusmodi affectibus incantamenti cuiusdam simile quid efficere, siue in intestinis, siue in quauis alia corporis particula fuerit excitatus: illico enim cucurbita admota, qui spiritu flatuoso cruciantur, tũ a dolore liberi, tum omnino sani redduntur.

3

Quod nuper in colicis ex ventositate bis terve expertus sum. Quos vero nõ spiritus modo flatuosus, sed etiam humor quispiam, vnde flatus oritur male habet, iis ilico ad tempus dolor sedatur; redit tamen, vel insequenti nocte, vel postridie, vel etiam tertia die similis dolor, ac potissimum vbi in victu aliquid deliquerunt, aut importunius particulas excalfecerunt. Tibi quoq; hoc maximum indicium affectus erit, ac curationem pro ratione prosequeris, nec impense particulas excalfacies, extenuatoria curationis ratione vtens, *vt dictum est:* sed dolorem tamen prius per cucurbitulam sedabis, cum per eam ventosus digeratur spiritus: quod si tamen cum spiritu humor frigidus magis abundat, eodem modo humore expurgato per clysteres, & alia medicamenta, cucurbitula vti poteris; inanito corpore, ne magis humorem attrahat. Ceterum cum a flatibus fiant dolores intensissimi (*vt dictum est*) qui modo in intestinis retinentur, modo extra intestina, vt in mesenterio; prima species, *iuxta Rondeletium*, facile curatur suprascriptis ad pituitam; adauctis seminibus flatus discutientibus, in clysteribus, vnguentis, cataplasmatibus, & aliis. Retinentur autem ob feces induratas.

4 *De clysterum varietate.*

Quare primus clyster emolliens erit, & fortiter euacuans; in hunc vel similem modum: ℞ *rad. bismaluæ, liliorum, bryoniæ ana quar. j. pulegij vtriusque, marrubii, abrotani, ana m. j. flor. chamomill. meliloti, sampsuci vel anthos, vel stœchados ana p. j. sem. lini, fœnugraci ana ℥ ß. seminis anisi, fœniculi sesel. ana ʒ ß. fiat decoct. in aqua communi, pro ℔. j. benedictæ laxat.* ℥ j *hieræ picræ* ℥ ß. *butyri, olei anethini, rutacei ana* ℥ j. *salis* ʒ j ß. *misce; fiat clyster.* Secundus debet esse discutiens & euacuans, vt ℞ *malu. cum rad. bismaluæ ana m. ij. betæ, mercurial. orig. ana m. j. fic. pass. par. xx. sem. lini, fœnugræc. ana* ℥ j. *anisi, fœn. carui, cymini ana* ʒ ß. *flor. anthos, stœchados, chamomill. ana p. j. fiat decoct. in aqua & vino;* & diu decoquantur herbæ, vt flatus deponant: *in* ℔ *j. dissol. mell. anthosati, zacch. rubei ana* ℥ iij. *benedictæ vel hiera* ℥ ß. *olei rutacei vel nucũ* ℥ ij Rondeletius relinquit salem. Præstat tamen addere, vt fiat stimulatio.

5

Idem vult vt in primo decocto tantum accipiantur ℥. viij ob plenitudinem distendentem. Dosin laxantium auget vel minuit secundum operationem prioris clysteris, & plenitudinem excrementorum. Sal tamen in primis clysteribus addi potest (*inquit idem*; quanquam formulæ sunt absq; sale impressæ) quia solicitanda est facultas expultricis. In vltimis non est addendum, quia sua acrimonia dolorem excitat. Tertius clyster debet esse discutiens, & relaxans, hoc vel simili modo: ℞ *apii, petros. aneth cymini ana* ℥ ß. *florum chamomillæ, meliloti, sambuci ana p. j. fiat decoctio in oleo & vino antiquo, vel chamamelino, vel rutaceo, vel nucum; & huius colaturæ vnciæ decem vel duodecim iniiciantur.* Idem ait cõuenientissimum esse vinum hippocraticum, maluaticum aut claretum (quod ex melle, pipere & cardamomo fit) si per se vel cum aliis iniiciatur. Olea tamen magis relaxant & dolores sedant.

OBSERVATIO IX.

De colico insigni dolore, ex fecibus in intestinis retentis.

1

VIr quidam in colicum dolorem vehementiorem inciderat, ex stercore retento ob meatus bilarii constipationem. Huic clysteres emollientes omnium primo iniecimus, ex pingui iure, butyro, oleo amygd. dul. cum decocto herbarum emollientium, *vt malvæ, bismaluæ, rad. brancæ vrsinæ, cum cassia fistula & sale gemmæ.* Deinde acutiores pręscripsimus, additis fortioribus laxatiuis; simul & per superiora adhibitis medicamentis, quę ad icterum valent: nam hic constipatam aluum habebat, cum ingenti colico dolore; quem etiam antea diximus ab ictero quoque posse fieri, atque iisdem remediis curari, quibus mulier illa ex colico dolore ob icterũ cum fecum induratione curata fuit; de qua egimus *obs. 20. lib. 19.*

SCHOLIA.

2 *Lib. 10. ca. 1. De colicis qui ex stercoris duri obstructione dolent.*

EOs vero (inquit Alexander Trallianus) *qui ob stercoris duri obstructionem colico dolore vexantur, multo hydrelæo potissimum & mulsa curare oportet, atque eadem propinare ipsis conandum est. Ita namque stercus exsiccatum iam induratumque si fuerit, ex continuo iniectionum vsu humidum euadens, ad infernas partes delabi & excerni potest. Ac omnem victum humidum his conuenire notum est, maxime cum qui ventrem subducere creditur: vt sunt olera mollia, veteris galli ius.*

Veteris galli ius.

Oportet autem ventre ipsius galli explicato, saleque & anethi coma repleto, contectum in aquam copiosam tam diu decoquere, donec admodum dissoluatur & intabescat. Si vero cum eo quoque polypodii vnciam coxeris,

xeris ius magis adhuc aluo ducendæ erit ; si vinum etiam aut mulsum adieceris, multo ipsum suauius & ad alui deiectionem efficacius reddes. Si neque hæc iuuant, neque infusa, idem vtatur folle fabrili, modo absit febris & inflammatio : etiam in iliosis. Accommodatur autem vsus ipsius in hunc modum. Canalem medicum folli fabrili adaptato : & cum hoc feceris, ipsum aperito quousque totum spiritu repletum conspexeris; atque tunc demum spiritum emittito, vtre compresso. Post hæc ex momento nitri & hydrelæo clysterem mox inicies. Nam omnia, quæ in ventre & in intestinis continentur, vna cum clystere euacuabuntur, vt admireris : siue stercus, siue humor, siue spiritus flatulentus fuerit id quod inclusum erat. Hæc Trallianus. Galenus infundere suadet quæ stercus emolliā ; & vnctuosa iniicere, quæ lubricum reddant ventrem ; atque acutis clysteribus mox detrahere. Alii & potionibus emolliunt, & iure galli veteris, quo aluum efficacissime inaniri vidimus. Sed prius exagitandus ac vexandus est gallus, & ad cursum incitandus, donec ex lassitudine cadat ; in coctura salem adiicimus, & anethum, & polypodii momentum. In eo iure quidam & cassiam immiscent, vel oleū amygd. recens. Lubricum ventrem etiam reddit ius ciceris cum pullo columbaceo coctum, cum anetho & salis plusculo. Quidam caricas præpingues decoquunt, & carthami nucleum immiscēt, & vrticæ semen. Alii & in eodem iure galli veteris, semen carthami enucleatum, polypodium, & vrticę semen coniiciunt. Sed cum hunc virum prę manib. haberē, venit mihi in mentem historia illa Amati de Mercatore quodam, cui ventris ingens erat dolor ob durum retentum stercus : pro quo depulsando clysteres plures pararunt medici præsentes, quos absque fructu & processu iniecerunt. Ad quem cum peruenisset Amatus, ex oleo communi ad manus habito, sed parum tepente, ilico nulla interposita mora clysterem parari iussit & immitti ; interea dum clyster hic parabatur, & clysteres emolliendi vim habentes concinnabantur: deinde potentiores. Emolliēs talis erat: ℞ *maluæ, brancæ vrsinæ, foliorū caulis, betæ ana p. j. caric. num. xv. in aqua fiat decoctio.* & huius ; ℞ ℔ *j ß cui adde butyri, olei, seminis lini, mellis ros. colati ana ℥. ij. salis ʒ. j. misce.* Acutus hic erat : ℞ *centaurii minoris, chamæpit. chamæd. ana m. j seminis carthami, vrticæ, ameos, seleris montani ana ℥ j. ficuum ping. num. xij. in lixiuio leuiori fiat decoctio,* cuius : ℞ ℥ *xv. addendo mellis rosl. colati, olei rutacei ana ℥ ij. diaphœnici ℥ j. trochis. albandal. ℈ ij. vitell. ouor. num. ij. salis ʒ j. ß. & fiat clyster.* Exterius quoque aluum inungebat vng. de Agrippa & althææ, & sanatus est. Cum autem & in Iliaco malo frequenter excrementa duriora retineantur, quibus clysteribus emolliātur, etiam tunc aliis exēplis declarabimus. Non solum in his, sed etiam in ictericis solet aliquando stercus indurari : & sæpe icterus (*vt libro præcedenti ostendimus*) in colicum dolorem conuertitur ; & rursus colicus dolor in icterum. Si igitur ab ictero ob feces retentas fiat, fecibus eductis per clysteres, facilius tunc & colicus dolor curatur ; & simul ablata caussa, rursus bile ad intestina fluente etiam icterus curatur. Colicos igitur dolores a cauitatis obstructione: nempe a fecibus facta, vel vna phlegmate, vel etiam lapide, iniectione humidorum ac lenientium sanabis : aut etiam his ebibitis & extra admotis.

De folle febrili etiam meminit Amatus cur. 93. cent. 4.

3

Cent. 4. curat. 39.

4

5

Si ab ictero & fecibus retentis.

Si dolor fiat ab obstructione fecis vel phlegmate vel lapide, quomodo curetur.

Observatio X.

De quodam ex leui occasione in colicum dolorem incidente.

IOannes Georgii (*qui nunc in insigni Glandis habitat Delfis*) sæpissime colico dolore afficiebatur, tam noctu quam die, modo ex refrigeratione, modo ex pituita coaceruata, modo ventositatibus retentis: ita vt neque ventositatem, neque excrementa per inferiora reddere posset. Hic plusquam quinquies in idem malum relabens, hoc solo, vel simili clystere semper sanitatem assequutus est : ℞ *rad. althææ mundatæ ℥ j. parietariæ, mercurialis, maluæ, betæ, florum chamomillæ, meliloti, summitatum aneth. ana m. j. sem. anisi, carui, fœniculi ana ʒ j. ß. sem. lini ʒ j. fiat omnium decoctio in aqua communi, pro ℔. j. colaturæ adde cassiæ pro clysteribus ℥ j. benedictæ laxat. ℥. ß. elect. hieræ picræ ʒ j. ß. olei chamæmel. anethini, amygd. dulc. ana ℥ j. vitellum vnius oui salis communis ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. misc.* Hoc clystere semper fuit curatus.

1

Scholia.

COlica phlegmatica (*vt scribunt Neoterici quidam practici*) sæpe cum ventosa mixta est, q̄ etiam vt plurimū contingit: qualis hæc erat. Et ideo curam eius communem ponunt, habētes respectum ad pituitam educendam, & simul ventositates: quo dolore & hic æger laborabat : nam cum tantum est ex ventositate, facile carminantibus sedatur : verum vbi admixta est pituita vel alius humor crassus & frigidus, vt plerumque contingit, tunc considerandum quoque erit, num fæces retineantur vel aliquo tempore retentæ fuerint, & ideo omnium primo ventrem leniunt cum clysteribus, interea addentes aliqua, quæ etiam pituitam & simul ventositates expellant. Hic dolor colicus frequentissimus esse solet : & sunt plurimi, qui ex leui caussa in hunc affectum incidunt, quibus & præcautio valde necessaria est. Sic frater meus Theodorus Forestus, sæpe hypochondriaco malo obnoxius, coaceruato humore melancholico cum ventositate, subinde etiam incurrebat colicum dolorem : quamuis ex humore melancholico rarius contingat, & ideo medici, præsertim Græci, de eo mentionem non faciunt. Neoterici, *vt Arculanus scribit*, melancholicam colicam & fieri & curari putant iisdem præsidiis quib. pituitosa curatur, præter hoc quod euacuantia & digerentia debent esse melā choliæ propria, & carminātia ventositatem vehementiora, quia hæc ventositas est crassior ac deterior. Quorum medicamentorum copiam inuenies in ægritudinibus splenis, & huc potissimū

2

Arculanus de colica melancholica curatione.

conferunt illa, quæ ad eiusdem oppilationem & inflationem valere scripsimus. Hinc si venter ob colicum dolorem retineretur, & ob flatus alui deiectionem impedientes, post clysterem emollientem & fæces melancholicas educentem, dabam per os decoctum senæ cum carminantibus: quibus statim adhibitis (*initio etiam puluere diacymini cum vino tenui & aromatico exhibito*) emissis ructibus ilico curabatur: iuuabatur etiam subinde glande immissa, si fæces non redderet, calidisque pannis ventri admotis. Et quia tales maxime consueti sunt recidiuam pati, vt etiam hic æger iam dictus, maxima præcautione opus erit: & præcipue abstinendum a nimia cibi plenitudine, & ab alimentis flatulentis, & fabis, castaneis, pisis, musto: non erit malum frequenti vomitu vti, vel vacuatione ex hiera: qua feliciter vsus sum in Theodoro fratre meo prædicto. Aluusque solicitanda vel clysteribus, vel glande, si recrementa aliquo modo retineantur: & oportet vti discutientibus: vt in fratre meo, si ructibus vel ventositatibus laboraret, vtebar diacymino, aut aromatico ros. superbibendo parum vini albi diluti. Balduinus Kerckvveruius, Brielensis, solitus affici colico dolore, ita vt ad eum sæpe accitus fuerim, clysteribus iniectis curatus fuit: adeo vt ab eodem malo præseruaretur. Vbi dolores aliquos futuros præsentiret, ex electuario prædicto capiebat ad magnitudinem castaneæ, vel paulo plus; ex quo ilico sentiebat leuamen, erat enim durioris alui, & homo procerus, valde maclientus & melancholicus: ℞. *folior. maluæ, viol. mercurialis ana m. j. calaminthæ, menthæ, melissæ, pulegii, nepitæ, ana m. j. capill. vener. polytrichi ana m. ß. hordei mund. florum cordial. florum chamomillæ ana p. j. seminis anisi, cartami, fœniculi ana* ℥ *ß. sem. carui, dauci, cretici ana* ʒ *j. ß. seminis maluæ* ʒ *ij. foliorum senæ Alexand.* ℥ *j. ß. polypodii querc.* ℥ *ß. thymi, epithym. an* ʒ *ij. glycyrrh. rasæ* ℥ *ß. coquantur in aqua communi q. s.* In hac fortiss. expressione decoque prun. damasc. ℔. ß. *passul. ab arill. repurg.* ℥ *iiij. vuar. corinth.* ℥ *ij* substantia per setaceum extrahatur: addendo cassiæ extractę cum decoctione suprascripta ℥ *iij. cinnamomi selecti pulueri sati* ℥ *ß. diacinnamomi, diagalangæ diacymini* ℈ *j. zacch. albiss.* ℥ *ij. fiat elec. secundũ artem.* Dimidia pars conficiebatur: postea quarta pars. Hic idem, quando incidebat in colicum dolorem consuetum, statim in principio hoc potu sumto, sudore prouocato & emissis ructibus curabatur; ℞. *sem. dauci, fœniculi, carui ana* ʒ *j. seminis leuistici* ʒ *ß. contusa bulliant in aqua florum chamomill. &* ℥ *iiij. vel v. huius express.* calide exhibeantur, & sudor quantum potest tegumentis prouocetur. Quo potu a dolore liberabatur. Sed & hoc puluere in posterum præcauebat, ne amplius in colicum dolorem incideret: ℞. *seminis anisi, fœniculi ana* ʒ *j. sem. carui* ʒ *ß. seminis leuistici* ℈ *j. specier. diacalaminth. diacymini ana* ʒ *j. diacinnamomi, diarrhod. abb. specier. arõ. ros. ana* ℈ *j. zacch. ad pondus omnium; fiat pul. subtilissimus.* Capiebat ʒ j. cum cyatho vini vel ceruisię. Quando persentiebat aliquem leuem dolorem statim sumebat: & singulis mensibus semel. Et non amplius laborauit colico dolore: sed & hoc puluere in aliis felicissime vsus sum. In præcautione laborandum semper, ne aluus durior sit, pręassumtis prunis dulcibus: acida ventrem lædunt & colicum dolorem faciunt. In præcautione nõ solum, sed & in curatione laborandum, ne pedes frigore afficiantur: nam & ego ipse anno 1566. 27. Martii ex frigore pedum in grauissimum & pene intolerabilem colicum dolorem incidi: adeo vt ex eo fere deliquium animi incurrerim. Assumtis tabul. diacymini, multos ructus per superna, & per inferna vẽtositates, vna cum crepitu (*honor sit auribus*) emisi, dolore tamen minime sedato. Noctu vero dolore magis ingrauescente, post clysterem assumtum, ventositatibus multis exeuntibus, in somnum suauiorem solutus deinde conualui. Enema tale erat: ℞ *folior. maluæ, betæ, mercurial. florum chamomillæ, meliloti, summitatum anethi ana m. j. sem. fœniculi, carui, dauci, ana* ʒ *j. ß. coquantur in aqua s. ad* ℔. *j adde cassiæ mundatæ pro clysteribus, benedictæ laxat. ana* ℥ *ß. olei chamomill. anethini, amygd. dulc. ana* ℥ *j. vitellum vnius oui, salis communis* ʒ *j ß. misce.* retinui per quartam partem horæ: deinde per aluum deposui: & fui curatus. Verum mane sentiens adhuc grauitatem quãdam sub hypochondriis in ventre supra vmbilicum accepi ℥ *j. elect. lenitiui, cum* ℈ *ij. diazymini in bolo:* & rursus ter aluum deposui: & ab hoc tempore, vsque in hunc diem, anno 1594. 23. Iulii, cũ hæc rescriberem, non amplius passus sum colicum dolorem. Quamuis Rondeletius dicat cassiam non esse ponendam in colicis doloribus, vbi ventositates admixtę sunt, nisi in inflammatione, eo quod flatus gignat: tamen cassia mundata, vna cum benedicta (*quæ ob multa semina, quæ continet flatus discutiat*) hic nihil obfuit, imo multum profuit, ventrem etiam simul leniendo.

4 Præcautio.

5

OBSERVATIO XI.

De colico dolore ex phlegmone seu inflammatione intestinorum.

1

VIr valde sanguineus, & multo vino potenti vtens, intense febricitabat, plurimum sitiebat, ac toto corpore æstuabat, vomitionesque biliosas experiebatur, quæ nullum morbo leuamentum præstabant: dolorq; ac ardor vehemens ventrem inferiorem circa vmbilicum exercebant: & aluus omnino adstricta erat. Ad hunc cum ingressi essemus, colicum dolorem ab inflãmatione adesse, recte suspicati sumus, cum & in loco doloris venæ pulsarent: nam & pharmacũ, quod ab altero acceperat, euomuerat, & dolor magis irritabatur, & inflammabatur post assumtum medicamentum, ita vt vestimenta iniecta non sustineret. Metuimus vero cum acciti essemus, ob grauiora accidentia, quod in iliacum dolorem malum mutaretur. Ideo statim venam internam, quam iecorariam dicimus, secari iubeo, sanguine ad vncias octo extracto. Enema etiam hoc iniectum est, ad mitigandum dolorem: ℞. *foliorum maluæ, viol. mercurial. parietariæ, hordei mund. ana m. j. sem.*

sem. maluæ, coton. ana ℨ j. ß. *lactucæ. m.* ß. *sebesten. num. v. fiat decoct. in aqua communi. pro* ℔ j. *col. addendo cassia recens extracta* ℥ j. *olei viol.* ℥. iij. *vitell. ouor. num. ij salis* ℨ ß. ex eo bis aluum reddidit, dolore, plurimũ mitigato, præcipue vero & loco affecto inuncto cũ *oleo ros. viol. & momento olei chamomill.* Pro cibo vtebatur hordeato. Altero die redeunte dolore, ita vt propter magnitudinẽ inflammationis vrina supprimeretur, sanguinẽ iterum detrahere mandauimus, vena saphena dicta pertusa: ex qua sanguinis 4. vncias fluere permisimus. Deinde ex fotu *decoct. folior. althææ, maluæ, viol. seminis lini, fœnugræci, chamomill. dolor denuo mitigatus est.* Purgationem nolui adhibere, cum neque per initia hic, *iuxta Trallianum* (*de qua re in Scholio latius*) conueniat venæ sectio. Postea *syr. viol. ex infus. ros. cum sero lactis solum dedi*: & pro potu ptisanam. Quibus præsidiis ac victu humido refrigerante, hic æger ab omni dolore euasit, & ab inflammatione sanatus est.

2

SCHOLIA.

3

IN colica, quæ ab apostemate fit, Græci tantummodo inflammationis meminerunt, Arabes vero in ea omnis generis apostemata cõplectuntur, de cuius curatione vide Arculanum. Apostema enim per se caussa doloris, tam per malã intemperiem quam per solutionem continui, colicam infert per viam defluxus, & illa apostemata, vt plurimum sunt calida: vel per viam paulatinæ congestionis, & illa sunt frigida. Phlegmonem scimus per se dolorem facere, tumores vero a pituita ex accidenti solum, cum prohibent fæcum & pituitæ ac flatuum expurgationem.

Colica apostemose calida quomodo curatur.

In colico apostemoso calido materiæ communes retentæ educũtur clysteribus frigidis & humidis, *ex aqua decoct. hordei sebesten. viol. & oleo viol. cum lacte, & oleo viol. & pauco saccharo, & cassia*, si opus est lenitione, & si magis infrigidandum, addatur muccago psyllii, vel aqua solatri, fiat tunc venæ sectio basilicæ: si vero sit magnum apostema calidum, adeo vt vrinæ retineantur, etiam saphenæ. Per os detur aqua hordei, cum muccag. psyllii, vel aqua end. solatri, cum cassia & manna: sed non in principio. Et inungatur oleo viol. & ros. in augmento addantur resolutiua & emollientia cum repercussione: *aqua decoct. hord. pass. sebesten, fol. althææ*, tam pro clysteribus quam pro assumendis: potest addi oleum sesaminum & amygd.

4

Circa flatum fiat decoctio ex florib. chamomillæ, sem. maluauisci, lini, & similibus: in clysteribus addendo oleum sesaminum, aut amygdalinum, aut parũ vini cocti, & si sit abstergendum, addatur ℥ j. *zacchari rub.* Si tendat ad maturationem, addantur adipes: & si post maturationem rumpatur, regatur cura vlceris intestinorum, de quo suo loco. Et veluti eo tempore prodest intrinsecus aqua decoct. sebesten, hordei, passul. ficuum, sem. bismaluæ, cum zaccharo, ita exterius confert oleum ros. chamæmeli: quibus potest addi pinguedo gallinæ, *anatis, & muccag. althææ, lini, fœnugræc.*

Frigida.

In frigida leniatur venter primo, & fiat venæ sectio: & ea quæ in augmento calidæ conferunt, possunt in principio frigidæ adhiberi: & quæ in statu, hic vtilia erunt in augmento. in declinatione addantur magis calida, oleum de spica, laurinum, adeps anseris, & similia.

Rhazes.

Rhases vero solum phlegmonis meminit: *Si apostema fuerit*, inquit, *vena secetur, & cassia cum succo herbarum, id est, enduiæ depuratæ, detur.* In his ergo omnibus maximum periculum versari diximus, ob febres & dolorem, a quo sudores frigidi oriuntur & syncope ob os ventris: sed etiam periculum est, ne superueniat iliaca passio, *vt vocant*, de qua mox sumus acturi.

5

Cura ergo horũ *quod ad venæ sectionem*) curæ phlegmones ventriculi similis erit. Rhases alia remedia non ponit. Auicenna vero ad omnes intentiones respexisse videtur: qui etiam in principio adstringentibus vtitur: quem scopum Paulus dimisit, cum tamẽ prohibere augmentum apostematis oporteat. Primum medicamentum est succus psyllii conquassati cum oleo rosato, in quo etiam leniendi dolorem vis inest, & succus granatorum, vel potius oxyzach. dictæ nobis: & extra in loco tumoris itidem aliquid adstringens. Postea in vsum veniunt abstergentia ichoras, & dolorem, & morsum sanierum sedantia, per clysterem ex succo hordei, cassia: & potus similiter horum: & clysmata ex lacte, & eius potio: postea decoctum fœnugræci, seminis lini & althææ infusum, & supra ventrem appositum.

Lib. 10. ca. 1. de colicis dolorib. ob inflammationem intestinorum contractis.

Verum, *iuxta Trallianum*, si colicum affectum ob inflammationem intestini fieri contingat, nequaquam purgationem in his, præsertim inter initia, & cum illa nondum ad concoctionẽ peruenerit, exhibere audebis. Qui enim medicamenta ventri ducendo apta præbere non dubitarunt, ægrotantibus periculorum, & mortis auctores exstiterunt. Accidit namque, vt datum medicamentum humores ex illæsis ac sanis particulis trahat, & transmittat affectus.

6

Cum autem hæ id quod illatum est, nequeant propellere, necesse est dolorem, vigilias, & tormina augeri, ac iis omnibus increscentibus, in ileosum morbum incidere. Neque enim aliud est Ileos, quam colici affectus intentio, ac incrementum. Quapropter purgatio inflammatione tentatis danda non est. Venæ autem sectio adhibenda: & paulatim ex toto corpore vacuatio tentanda: eo quod vniuersa inanitio tantum præsidii non adferat, quantum quæ paulatim fit. Ita & Galenus 12. *meth. meden.* protinus sanguinem mittit, vbi vires valẽtes fuerint, in cubito etiam, *ex Pauli decreto*, ex vena interna. Porro si propter inflammationis magnitudinem etiam vrinas supprimi contingat, venam & in talo & in superiore pedis parte, secare non est alienum: *Sæpe enim cum hoc* (inquit Alexander) *fecissemus, & alui & vrinæ excretio secuta est*: quod & nostro ægro euenit. Speciatim vero eo victu vti poterunt ægri, quem cap. de ventriculi inflammatione instituimus: victu enim tenui ac febricitantium proprio vtendum erit, quousque inflammatio discutiatur, *Paulo iubente.* Alexander vtitur cremore ptisanæ aut auenæ mediocriter, item iniectione per aluum ex cremore ptisanæ, chamemelo, succo lini seminis, & hy-

drelæo, præsertim si etiam febris vehemens vrgeat. Rarum namque est colo inflammationem sustinente, febrim non oboriri. prædicta item admoueri possunt præsidia, præterquam quæ acria sunt & valenter pugnant, magisque lenientibus clysteribus est vtendum, cataplasmatibus, irrigationibus, si dolor per sanguinis missionem sedatus non fuerit, sed adhuc persistat: hoc enim profecto indicat in ægrotante particula aliquid impactum esse, quod contristat: nec minus patet, quod curatio ipsa per digerentia medicamenta sit molienda, *vt liquet præcitato, libr. 12. meth. medic.* Cōponantur itaq; lenientes clysteres. ℞ *folior. maluæ, althea, viol. ana m. j. hordei p. j ß fiat decoctum: cui adde olei viol. vel amygd. dulc. seu rosi. ℥ iij. Zacch. rub. aut violacei mellis ℥ ij pulpæ cassiæ nouiter extractæ ℥ j. adipis recētis anseris vel gallinæ ℥ ij. fiat clyster.* Procedente vero tempore, fœnug. chamæmelum, semen lini aut anethum adiicies prædicto decocto: similiter vice olei violacei, vel amygd. dulc. seu ros. chamæmelino interdum vel anethino vtendum. Non minus etiam confert circa initia si asininum lac cum cassia fistula, & oleo amygd. dulc. per sedem infundatur. Quæ extrinsecus imponentur, *iuxta eundem Trallianum*, sint temperata, nihil acre habentia: equorum numero est etiam chamæmelinum oleum, & ex farina hordeaceæ, linique semine epithemata: nec non cerata similiter, quæ componuntur ex *chamæmelino, cera, rosaceo & luteis ouorum. cera ℥ v. chamæmeli ℥ ij. ß farinæ fabaceæ, ros. ana ℥ ij. ß lutea ouorum v. vel vj succi sem. lini q. s.* oua & farina læuigentur: atque tunc ceratum refrigeratum iniiciatur: ac omnia subigantur, quousque inuicem commixta fuerint. Hoc & renibus & vesicæ inflammatæ pulcre auxiliari potest. Balnea quoque continua priusquam totū corpus recrementis vacuatum fuerit, adhibenda nō sunt. Post sanguinis autem vacuationem, etiamsi dolor vrgeat, balneo vti absurdum non est. Si vero vires refragentur, in aluæum ægri descendent, corpus oleo chamæmelino illinentes. Quantum igitur ad cataplasmata, irrigationes, sacculos, fotus, insessus, balnea, ac reliqua topica medicamenta attinet, prædictis vti poteris, ea quæ minus acria, & quæ magis lenientia sunt eligens. Nec minus in oleum descendere cōuenit, *vt Paulo visum.* Vino, si inflammatio adhuc feruet, & febres præpollent, abstineant. Vbi concoctionis notæ apparuerint, & si vires imbecillę videantur non alienum est (*inquit Alexander Trallianus*) ipsi vinum tenue & aquosum propinare. Scio igitur, quod si quis prædictis curandi methodis vtatur, non vllo alio extrinsecus remedio opus habebit.

Balnea.

Observatio XII.

De colico affectu, ex calidis biliosisque humoribus orto.

Ivuenis biliosus cum colicum dolorem pateretur & illi consultum esset a mulierculis, vt vinū pipere iniecto & puluerisato biberet, multo magis, quam antea intolerabili cruciatu afficiebatur. Ad hunc cum accitus essem, facile percepi hūc colicum cruciatum ex calidis biliosis & acribus humoribus ortum habuisse: dicebat enim æger interna morderi, & exuri, quæ & lancinari videbantur, aderat eidem & lingua arida: sitisque, & vigiliæ eundem vrgebant: erat q; vrina aeris. Cum autem idem non sine febre esset, ac cibis calidioribus, potionibus, & medicamentis magis malum irritaretur, tertio cognoui ab acribus humoribus hunc dolorem exortum fuisse. Vnde Galenum imitandum nobis proposuimus, ex quo & facile huius curationem comparare poteramus. Recitat enim is primum historiam quadragenarij, in quo coniecit acres humores tunicis intestinorum inmersos, quoniam calidis omnibus colicorum remediis irritabatur: & est argumentum ab his, quę iuuant vel nocent. Tales autem contrariis nimirum curare conuenit, quæ refrigerare & humectare possent: & ideo quæ contristant vacuare statim oportet: & propterea statim per sedem iniicere conuenit ea, quæ eluere huiusmodi humorem apta sunt, talia autem detersiua esse oportet: sed cum plerunque mordicantia sint, commodissime ex iis, aliquod deligitur, cui morsus absit. Eius generis maxime est ptisanæ cremor, *vt patet apud Galenum 12. method. medendi:* vel cremor ptisanæ cum rosaceo seu succo lini infundatur, *secundum Paulum.* Nos autem decoctum hordei mundati primo iniecimus, nempe libram vnam, addendo *vitellum oui crudum & mellis viol. & zacchari rubei ana ℥ j. ad detersionem leuem.* Iniecimus & alteri simili malo laboranti clysterem ex *lacte, cum Zaccharo*, & optime iuuabat. Lac etiam omne iniiciendum in omni dolore, qui fit ab inflammatione, vel ab acribus humoribus, addito zaccharo, ne retineatur. Valet & clyster ex *lacte, in quo decocta sit radix althææ.* Verum cum post iniectum clysterum ex hordeo, dolor quidem non omnino ægrum relinqueret, quamuis mitigatus ex parte videretur, talem clysterem vel similem, vt adhuc iniicerent, mandaui. ℞ *althææ. maluæ, cum radic. foliorum viol. ana m. j folior. lactucæ, cucurbitæ. ana m. ß florum chamæmeli. p. j sem. lini fœnugræc. ana ℥ j ß. fiat omnium decocti in aqua communi, pro ℔ j adde pulpæ cassiæ recens extractæ ℥ j oleo ros. ℥ j pinguedinis gallinæ ℥. ß. vitellos oui num. j. fiat clyster.* egregie iuuabat. Per os quoque accepit syrup. *ex infus. ros. pallidarum. ℥ j. cum ℥ iij sers lactis.* Et sic tandem, optimo etiam victu vtens (*de quo latius in scholio*) curatus fuit. At alteri, simili malo laboranti, cum clysteres prædicti non iuuarent, nec sufficerent, vt mordens humor vacuaretur, quia in ipsius tunicis imbibitus esset, purgans medicamentum iuxta Galen. (*de quo latius in scholio*) exhibui, nempe hieram picram & curatus fuit, vti & frater meus Theodorus Forestus, *de quo paulo antea memini*, qui etiam sæpe huic malo obnoxius fuerat.

Scholia.

Galenus, tū alii, si colicus dolor sit a caussa calida, & ab acrib. humoribus, refrigerantia remedia

media exhibent, & idem (vt *in historia illa de quadragenario constat*) curationem ab alimento incipit (*a quo Aetius, & Paulus & Auicenna curationem sumserunt*) quoniam isti humores debent per Epicrasin sanari, quod fit alimento. Erat enim verisimile ad affectum locum hinc perpetuo confluere tales succos: ex quo diu durabat affectus: & præterea remediis exacerbatus erat: ad hæc ex partis intemperie & prauitate succorum corrumpi, etiam alimentum necesse erat. Quamobrem cibo vtitur, vt medicamento temperante. Quapropter tum cibis tum medicamentis, qui temperate humorem possunt contemperare, vti oportet, *vt ptisana, intubo, cichoreo, lactuca, syrup. etiam viol. rosacco, seu ex succo cichorei, vel endiuia paratis.* Similiter & balneis ex dulci aqua vtendum, *vt Paulus refert & Trallianus, de quo postea.* Erit ergo cibus frigidus exhibendus. Sed quia est ab occursu praui succi facile corrumperetur. Galenus eligit ob hoc non facile alterabilem, verbi gratia ptisanam, vel alicam, vel coctas lactucas, adiectis mali punici granis: in summa, cibos boni succi, & qui non facile corrumpantur. Trallianus cremorem ptisanæ per se offert, nullam habentem mixturam aut porri aut copiosioris salis: nam absq; sale calorem refrigerare & biliosum abstergere, si quid aliud potest; præsertim copiosior & sæpe exhibitus. Adhæc ouorum recens positorũ lutea assumta huc etiam conducunt. Olera his cõmodissima sunt, si & cocta & non cocta exhibeantur: his adhuc magis lactucæ grãdes & auctæ, si probe refrigeratæ exhibeantur. Dari autem debent hæc iis potissimum, quos vigiliæ vrgens, & calidiore temperamento præditis, & ætate vigentibus. Porro omne pomum, quod refrigerare & humectare potest, his datur vtiliter: nec vlla suspicio est ægros hinc offensum iri. *Ego* (inquit idem Trallianus) *noui non solum iuniores, sed etiam senes, paucis diebus huiusmodi victu curatos fuisse.* Adhæc frigida aqua vsus sum, in quibus vires robustas, & principales particulas illæsas deprehendi, ac scio leuasse me omnino dolorem, & totum morbum, ne amplius reuerteretur, prohibuisse, idque cum æger antea crebris accessionibus corriperetur. Illi vero immunes ab accessione postea manserunt, qui præterquam quod vino abstinerent, etiam ab acrib. omnibus in posterum se continebant perseuerabantq; in aquæ potionis & victus refrigerantis vsu. Huius quoque habemus historiam apud Amatũ, de vxore Gasparis Centurionis Genuensis, ex colico dolore decumbente: quam medici præstantissimi, vt Dionysius regis Lusitaniæ medicus quondam, & alius Lusitanus apud Antwerpienses diu agens, tanquam ex frigida caussa ortum curabant. Verum Amatus animaduertens, quod ex calida caussa dolor esset, venam in cubito secuit ad ℥ viij qua sectione dolor remittebatur. Sed post fluxam & occlusam venam dolore cœpit vt pridem. Ideo iecori & parti dolenti imposuit linteolum rubrum tepide succis sequentibus intinctum: *℞. succi endiuiæ, cichorei, lactucæ. ana* ℔ ß. *aceti ros.* ℥ ij. *misce, pro epithemate.* Hoc sæpe renouato dolor remitti cœpit. Vesperi clysterem sequentem immitti iubet. ℞ *hordei, maluæ. ana* ℥ j *viol. pariet. ana* ℥ j. *in duabus lib. coquantur*: & huius tepentis decoct. ℞ ℥ xiiij *olei viol. ros. ana* ℥ j. ß. *vitellos oui duos quassatos, diapsylii* ℥ vj *salis* ʒ ß. *zach. rub. seu ex Insula S. Thomæ* ℥ j. *misc.* bilis plurimum excreuit, sed dolor eo penitus non cessauit, & in nocte intendebatur. Secta vena malleoli plurimum iuuit, dolore tamen redeunte. Rogat igitur Amatum aquam illi bibendam dari: concedit lubens: & vix poculo exhausto, subito incantamenti instar dolor leuatus est, neq; amplius rediit. Sequenti tamen aurora, *cassiæ fistularis* ℥ ß. *pulpæ cum rhab.* ʒ j. *in aqua endiuiæ dissolut.* bibendum propinauit, quo medicamento sanitati sigillum dedit. Idem quoque *centur. 1. cur. 38.* in dolore intestinorum a caussa calida, in filio Falconis, annos xxi. nato gelidam dedit, & insuper pannum lineum frigida aqua immersum, ac manu pressum vmbilico admoueri iussit: nec non & diapapau in rotulis dabat, ac desuper aquã endiuiæ. Quibus paucis sanus intra triduum factus est, non sine multorum admiratione, & artis medicæ decore. Similem quoque historiam habemus apud Paulum Æginetam *lib. 3. cap. 43.* de Italo medico, cum multi Romani cõtagione quadam pestifera colico dolore afficiebãtur, ex eiusmodi humoribus acribus, quos fere omnes frigidis remediis curabat, vt apud eundem loco citato videre licet. Interea tamen (*vt Alexander Trallianus admonebat*) in quibus aut principalis particulæ inflammationem suspicatus erat, aut vires infirmas esse animaduertebat, aquam frigidã dare metuebat. In his etiam, *inquit*, rosaceum copiosum me iniecisse noui, ac plurimum profuisse. Adieci etiam subinde adipem anserinum, ac præsidium attulisse sensi. Porro ob bilis acrimoniã & immoderatam rosionem, nec non ramentosa, quæ per aluum excernuntur, probe facit cremor ptisanæ, vna cum chamæmelo iniectus, & lutea ouorũ simul cum rosaco bis per aluum indita. Ex piscibus sumi debẽt duriore carne prediti, vt ceris, orphus, glaucus, scorpius, caris, coryx, sepiæ & lolligo. Ex testaceis, pectines, ostrea, cochleæ marinæ. Vtilis etiam ipsis erinacius exsistit, vt qui præterquam, quod contemperet, refrigeretq;, præterea etiam stomacho gratus est, aluumq; & vrinã mouet, quibus nihil est præstantius. Ex carnibus potissimũ dare conuenit, quæ difficulter cõficiuntur, vt pedes bubulos & ventriculum: item suum vuluã, & vngulas pbe coctas, refrigeratasq;. Inter fructus melopepones omnib. aliis pomis preferendi sunt. Ne autem os ventriculi subuertatur, miscere ipsis aceti paulum oportet, cum assumentur. Ad hæc aliud quoduis pomum a flatibus alienum & dulce modice voluptatis gratia sumere alienum nõ est. Ex placentis aut bellariis, nihil prorsus offerri iis debet, qui a bile roduntur, & colico dolore cruciantur. Exercitiis autem, gestationibus, omnique motu per interualla morbi, neque multis, neque validis vtantur. Neque enim ferunt, sed statim intemperati & acriores redduntur, vbi lar-

Epicrasis.

Cibus qualis conueniat.

Historia Tralliani de aqua gelida in colicis doloribus ab acri humore

Historia Amati cen. 1. cur. 2.

Alia Historia eiusdem.

Historia medici Itali apud Paulum Æginetam

Iniectiones.

Cibi qui vtiles.

Exercitia vitanda.

gius exercitiis vsi fuerint. Abstineant autem ab ira, omnique cura, quatenus licet, & omnis generis lassitudinibus. Ita namque temperanter, ac in omni hilaritate degentes molestum & excruciantem coli dolorem euadere poterunt. Balnea quoque dulcis aquæ hic adhibeantur, præsertim ætate vigentibus & calidiore temperamento præditis, sit autem temperatum & calidæ aquæ solium. Ceterum partes quidem affectæ vngantur chamæmelino, totum vero corpus hydrelæo: sed prius acribus humoribus eductis. Sed cantant ægri acriora fomenta, aquas salsas nitrosas, & reuersi a balneo non statim vinum bibant, sumant autem cremorem ptisanæ, aquamue tepidam: in medio vero cibi si velint, recentatam dictam bibere, ipsis permittendum, ipsamque aquam frigidam, ac potu eius iuuantur. A vino si in totum abstinere possent, vtile esset: sin autem nolint, eo quod ex toto vini abstinentiam ferre nequeant, concedendum ipsis tenue & aquosum. Si autem per infusa non curentur, tunc etiam purgandi erunt, & acris biliosusque humor educendus: sed ab acribus medicamentis abstinendum, quæ euphorbium aut cnidium granū, aut scammoneam, aut lathyridas, aut veratrum suscipiunt: hæc enim omnia præterquam quod nihil hos iuuant, præterea etiam tormina & rosionem pariunt, & aliam bilem excitant: Rhazes non incommode cassia vtitur, dissoluta his quæ purgant bilem & temperant, vt prunis. Sed illa dulcia esse debet; acida dolorem intestinorum procreant. Valet & syr. rosl. laxatiuus. Sed dices, *Galenum prius curasse per cibum, alicam & lactucas coctas: & mox purgasse. Nōne precedere debuit purgatio?* At nō erat probe certus naturæ affectus: vnde quasi tentans dedit cibos eos. Quamobrem subdit: *ex quo vitiosos humores purgandos indicaui, cum minus hunc cruciatum post talem victum intellexissem amoueri.* Medicamentum autem fuit hiera. Ideo vbi clysteres statim eluentes bilem & contemperantes & leuiter abluentes non iuuant, & in ipsis tunicis imbibitus sit humor, vt erat in illo quadragenario Galeni, purgans medicamentum exhibendum erit. In quem vsum aptissimum est amarum medicamentum, quod ex aloe componitur, vulgo picrū appellant, ex Galeni decreto, cum *1. de loc. affect.* tum *12. meth. med.* quem sectati sunt Paulus & Aetius; idque aut semel tantum exhibent, vt hominem iuste purgare possit, viribus consentientibus, aut in quibusdam interuallis, vt paulatim, & moderate purgationem faciat. Idem Trallianus asserit, inquiens: *vtile igitur hic est antidotum quod Picra dicitur.* Si namque bilis, quæ dolorem rosionemque inducit, intestinorum ipsorum tunicis affixa tibi videatur, ipsa per se picra eis dari debet: sin autem non solum in tunicas absorpta est, sed etiam in spatio continetur, ac aliunde frequenter influit, tunc antidotum non per se exhibere, sed adiectis ei scammonii lacrymæ scrupulis duobus, aut paulo ampliori, aut minore modo, oportet vt ipsos purges: nec non Theodoreto admixta ei scammonij lacryma. Quod si æstas fuerit, etiam rhodomeliti, aut rhodomele, aut hydrorosato: ipsam picram adiiciendo purgare ipsos conuenit. Valde enim iuuantur, non solum quod infestāte dolore leuentur, sed etiam quod totum prorsus affectū euaserint. Sed vbi in tunicas non absorpta fuerit bilis, cum illa facile purgetur fluctuans, nos possumus abstinere a lacrymæ scammonii & potius vti sola cassia & prunis, *vt Rhases iubebat*: vel poterimus ipsam hieram cum rorido melle aut cassia fistula, zaccharo viol. seu syrup. ex plurib. infus. viol. vel rosarū permiscere, *vt Donatus ab Altomari recte facit*, aut in eundem vsum, mellis roripi, id est *mannatis ℥ j. vel ℥ j ß. cum aqua hordei præbere, aut ℥ j cassiæ extractiæ vel ʒ vj. diacatholici cum aqua eiusdem, aut aqua casei, seu sero lactis: vel ℥ j. syr. ex infus. ros. pallidarum, vel ℥ j. ß. syrup. ex ros. pallid. cum rhab.* qui syrupus in nostra officina semper paratus habetur, cum aqua cichorei, vel hordei, vt lubet. Si his non curetur dolor, ad ea medicamenta confugiendum, quæ torporem inducunt, *vt liquet apud Galenum 12. meth. med.* Est enim hoc commune præsidium, vbi res vrgeat ad narcotica confugere, de quibus, & eorum vsu hæc sentit Galenus: Hæc sane sunt omnium differentiarum doloris communia medicamenta, vbi alia non contulere. Sed plus vtilitatis & minus incommodi afferunt, vbi dolor est ex erodente humore quod minus lædant, caussa est natura horum humorū, qui cum calidi sint & tenues iuuantur a frigidis & siccis: cuiusmodi sunt medicamenta narcotica. Quare & duplici ratione prosunt: primum, quod sensum tollendo, vel hebetando dolorē leniunt; dehinc quod hæc humorem crassant, & cogunt, & refrigerant. Quę sane qualitates, aduersæ sunt his, quæ oberāt. Oberat enim materia calore & tenuitate partium, qua maxime fit mobilis & dissecans & mordens: incrassant enim, & vehementem calorem infrigidant. At vbi ex humoribus crassis & flatuoso dolor fiat (*vt dictum est prius*) oberunt hæc plurimum: primum quod tunicæ intestinorum frigore densiores fiunt, & ita minus admittunt flatuum exitum, & humor fit crassior, & ad exitum ineptus magis. Sed neque sic proficies. Nam non multo post reuertitur dolor, rursus in flatus mutato humore: nisi interim medicus bonus, & exercitatus prospiciat. Nam si, *inquit*, quis sine recta ratione curet, in periculum ægrum ducet, dum sæpe cogetur ea rursus propinare, donec pars in malum habitum perueniat, & inde vniuersum corpus. *Et quæ est dicet ista curatio rationalis?* Respondeo vt ab assumto medicamento, & dolore transisper sedato, incipiat cum laxantibus modice calidis, & extenuantibus procedere, ne rursus dolore excitato cogatur dare medicamentum. Conferunt igitur anodyna potius, vbi humores crassi & flatuosi adsunt: vbi vero acres sunt, minus lædunt torporem inducentia, imo iuuant, humorum tenuitatem incrassando, & vehementem calorē refrigerando. In quem vsum ℥ j. aut ℈ ij. philonii Persici aut Romani exhibere poteritis, aut tantundem eius compositionis quam Tripheram magnam,

Balneum.

Purgatio.

Medicamenta corporum inducentia.

OBSERVATIO XV.

De colico dolore cum neruorum contractione, & variis symptomatis.

ANno 1559. per totum mensem Ianuarium, Februarium, Martium, Nicolaus Berendrechtius, prætor Leydanus, dolore colico & perpetuo cruciatu, vigiliisque & neruorum contractione misere affligebatur. Variis remediis cum vsus esset, ex consilio Huberti medici sui domestici & præsentis, & Henrici Vergerii, deinde Hughonis Nieuenii, ita vt neque clysteribus, neque anodynis, neque etiam stupefacientibus dolor mitigari posset, ad hunc tandem subinde & ego accitus sum. Communi nostro consilio Philonium Romanum ad ℥j. additum fuit in clysteribus: ex quo aliquid commodi sentiebat, sed dolor in totum leuari non potuit. Sed cum hæc parum proficerent, postremo inspecta eius genitura & reuolutione, more Astrologorum, prædiximus dolorem futurum mitiorem post vndecimum Martii diem, & secundum nostram prædictionem dolor iste paulatim, tunc per se mitigari cœpit; & adhibito & propinato stercore lupino, quod ex Antwerpia transmittebatur, cum hic nō reperiretur, tandem colicus dolor in totum cessauit; remanente tamen contractione in brachiis, manibus & cruribus: pro qua curanda multa præsidia adhibita, vt decocta intestinorum vel triparum, *vt Barbari loquuntur*; pro fotu, balneis vsi sumus. Ad contractionem & siccitatem corrigēdam præscripsimus illi *oleum ranarum & amygdal. dulc. & oleum vermium terrestr.* quo loca affecta inungebantur & fouebantur: post tres septimanas adiecimus *olea mastychis & hyperici*, ad roborationem neruorum: & administrauimus compositionem magistralem, *ex caniculis iunioribus cæcis, incisis, & decoctis cum herba paralysis in vino rubro, in balneo maris per horas 12. ad carnis putrilaginem; & per setaceum expressis, additis oleis vermiū terrestrium ad ℥ ij. & mastich. ad ℥ j.* Hac compositione partes affectæ inunctæ sunt, & manus ac crura lota cum residuo decoctionis: & mox etiā inuncta sunt, & inuoluta pelli a cane extractæ. Quibus præsidiis se melius habere, quam plurimis amplis literis ad me missis significauit; sed tamen in stomachum imbecilliorem incidisse. Sed eo inuncto oleo nardino, mastichino, & assumtis tabulis ex aromat. rosa. & diarrhod. melius habuit. xix. Aprilis rursus ad me literis transmissis rogabat, numquid propter imbecillitatem ventriculi vti posset *pilulis ex hiera simpl. Galen.* quibus aliquando commode vsus fuerat? Rescripsi vt iis vteretur: sed quia valde biliosus erat, aliquid rhabarb. adderet, in hunc modum. ℞. *pilul. hieræ picræ simpl.* ℈ ij. *rhab. optimi* ℈ j. *cum aqua betonica, fiant pilulæ* vij. Referebat & nuncius contractiones propemodum curatas. Quare vt & linimentum suprascriptum prosequeretur mandaui. Verum hic mense Maio thermas Aquenses accessit, & a contractione integre conualuit.

SCHOLIA.

Quæ indifferenter colicis praberi possint. STercus lupinum est ex propriis medicamentis, quæ colicis indifferenter exhiberi possunt. Scribit Galenus *10. de simpl. medic. facult. Horum quosdam ego vidi, non amplius inuadi, & qui erant inuasi non amplius grauiter passos sed nec post paucum temporis.* *Stercus lupi.* Accipiendum est etiam albidius potius stercus, quale vbi ossa comederint, solent excernere, & quod in terram non delabatur, sed in spinis, fruticibus, vepribus, herbisque altioribus hæret. Ea enim est luporum natura, quæ canum, vt suspenso altero posteriorum crurum meiant, & cacent in eminenti quopiam loco, & eleuatiore. Inuenitur etiam in illorum stercore nonnihil ossium deuorati animalis: quod idem ipsum contundens, ac conterens cum iam dicto stercore præbeto. Hoc enim lupinum stercus a tota substantia conducit, ex vino albo & tenuis consistentiæ epotum; interdum vero ex aqua: idq; nō tantum in ipsis paroxysmis, sed etiam in interuallis, potissimum si phlegmone vacent ægri. Galenus autem istud stercus lupinum alterius medici auctoritate commendat. *Intestinum lupi.* Auicenna vero & intestinum lupi magis laudat, quam stercus lupi, *vt videre licet fen. 16. lib. 3. canonis, cap. 14. tractat. 4.* quod & Amatus experientia comprobauit, *centur. 3. curat. 12.* sic scribens. *Historia Amati de intestino lupi.* *Nobilis Romanus, qui prope Capitolium, non procul ab ara Cœli cœnobio lignipedum Franciscanorum habitabat, colica affectione grauissime torquebatur: ad quem plus minus quinque vel sex medici inuisendum venimus. Contra quem dolorem cum multis & selectis medicamentis vsi essemus, præcipue per clysmos iniectos, nullum præstantius aut diuinius remedium pro eo propulsando inuenimus, quam lupi intestinum in pollinem etenim redactum, & vino generoso exceptum, ac calidum epotum, breui opus suum compleuit, & ipse æger sanus euasit.* *Nota.* Curent igitur medici intestinum hoc apud pharmacopolas semper, vt habeatur: & stercus quoque lupinum, quo noster æger optime habuit. Poterit & idem stercus, *ex eiusdem Galeni sententia*, instar amuleti ægroti partibus vacuis, quas Græci λαγόνας vocant, alligari, vinculo confecto ex lana ouina, quæ a lupo esset lanata. *Amuleta.* Quod si talis non adesset lana, ex pelle ceruina lorum confici posset, quo stercus contineatur, ac prædicta loca præcingantur. Modum autem illigationis reperies apud Galenum præcitato loco. Hoc quidem medicamentum alligatorium, certum eius periculum faciens, Trallianus comprobauit: nempe stercus lupi ossa vorantis (modo inueniri posset) in canalem includebat, ac in dextro brachio, aut femore, aut lumbis per accessionem gestandum dabat; cauens ne dolente parte, neque terram, neque balneum æger attingat. Alauda, *vt prius dictum est ex Aetio*, ex iure simplici decocta assidue cum iure accipiatur, vel assata in cinerem redacta & trita ternis cochlearibus ex aqua calida per triduum sumta: vel ipsa comesta, *iuxta Trallianum*. *Quæ tota substantia iuuant.* Thraces (*vt idem refert*) viuente adhuc alauda cor eximentes, alligatorium faciunt, femori sinistro ipsum circumdantes. Aliud comprobatum a

Ex porci intestino cæco, id quod mammosum est accipito, ac myrrha inuolutum, ligatumque in pelle lupina, aut canina dat gestandum, luna abeunte a sole: ac miraberis. Vmbilici infantis nuper nati præcisi, paululum in argentum aut aurum includito cum modico sale. Qui gestat hoc alligatorium medicamentum dolore prorsus non corripietur. Iecur caprillum combustum læuigato, datoque ex vino potui: multum ipsis auxiliatur. Alios annulos, sed nimium superstitiosos, gestandos idem commemorat. Plinius Secundus *lib. 2. cap. 30.* tanquam expertum commendat cochleas tres in olla noua clausas, & circumdatas, ac in furno combustas, si earum puluerẽ in vino, aut vbi volueris, dederis. Alii (*vt Aetius*) menthæ viridis decoctum ad tres dies exhibent vel marrubium in vino mulso decoctum. Quibus præsidiis (*vt ferunt*) liberantur; neque postea in eandem affectionem incidunt. At tractatu de colicis doloribus nunc ad finẽ perducto, ad Iliacum dolorem & cruciatum sæuissimum nunc transeamus.

OBSERVATIO XVI.

De Ileo.

VIr quidam ingluuiei deditus, cum diuersis ferculis & malis cibis longo tempore vsus esset; & post vehementiorem exercitationem frigidam aquam largius bibisset, in ileon morbũ grauissimum incidit; cui cibi tædium statim accedebat, deinde vomitus, vt neq; cibum neque potum contineret; & quod postea euomebat phlegma, corruptum erat, & venter eidem plurimũ adstringebatur, vt ne flatum quidem seu ventris crepitũ emittere posset. Cruciatus verò intolerabilis ventrem circumdabat, & maxime circa vmbilicum, qua parte intestinum gracile voluitur, ad latera sub hypochondriis mirum in modum ægrum infestans. Ad hunc itaque ingressus, animaduerti statim ex signis præsentibus hunc grauissimo ileo laborare, præsertim cum ab eo intellexissem, quibus cibis vsus esset. Nam caussa huius affectionis, (*teste Aetio libr. 4. cap. 28. de volulo ex Archigene*) exsistit continua ciborum corruptio, præsertim si multi accipiantur, variique & ii, quibus non adsueuimus, & maxime ex pinguibus carnibus. Præterea etiam ex frigore vehementi & aceruata frigidæ potione, maxime si ab exsudantibus accipiatur. Quæ omnia, cum hic præcessissent tum ex iis omnibus, quæ aderant, talem affectum adesse cognoui. Ileo igitur, cum omnia superius euomeret, & flatus & stercora detinerentur, libenter eidem clysterem præscripsissem: sed cum eum nescio, qua mala persuasione adductus, admittere nollet, ideo glandem prius iniicere coactus sum, cum medicamenta per superiora adhibita non retinuisset. Itaque glandem longiusculam præscripsi ex pul. *hieræ, pauco adiecto ex trochisc. alhandal. melle & sale.* Ita enim, *iuxta Aetium*, glandulas longiusculas facere oportet, quæ ad strictiorem internam ani partem, sphincterem Græcis appellatam, transire queant: quibus appositus podex per spongias calidas foueatur, quibus sane (*eodem teste*) cyclamini succus vtilissime suscipitur. Glandes ipse parat ex semine rutæ, & nitro, cuminoque ac melle. Nos etiam parum pul. cumini melli imposuimus ad ventositates expellendas. Sed ex glande nihil nisi scibalas eiecit. Ideo eum rursus hortati sumus, cum stercus durius in intestinis hærere coniectaremus, vt clysterem admitteret, qualem & Aetius ex Archigene laudat, *ex althæa fœnugræco, cum caricis decoct. butyroque & anethino oleo.* Tandem dolore magis increscente clysterem admisit, qui ita parabatur. ℞ *rad. althææ seu bismaluæ* ℥ j. *maluæ, althææ, mercurialis, betæ rutæ, an. m. j. florum chamomil. meliloti* (ob ventositates & dolorem mitigandum) *an. p. j. caricarum pinguium num.* vj. *coquantur in iure pulli pro* ℔ j ß *colaturæ adde electuarii lenitiui, diacatholici, an.* ℥ ß. *butyri, olei anethini, an.* ℥ j. ß *vitellum oui, salis* ʒ j. *fiat clyster.* & præcepimus, vt eum quam diu posset retineret. Id etiam iubet Aetius, vt & per fistulam ampliorem largius infundatur, iuxta corporum rationem, aliquãdo vsq; ad duarum heminarum mensuram. Oportet autem (*vti & nos fecimus*) iuxta eundem hæc infusa ante cibum infundere. Ex hoc clysteri tres habuit secessus, prius stercora dura excernẽs, vltimo vero parum liquidiora, deinde vomitu aliquo modo cessante exhibui electuarii lenitiui, & cassiæ recens tractæ, *an.* ℥ ß. *cum* ℥ iij. *aquæ florũ chamomillæ*, ob ventositatem & rursus habuit secessus. Imperaui quoque, vt ℥ j. olei amygdal. recent. sumeret. Hoc vnice valet, & multis profuit. Dedi autem calide, non tepide, ne euomeret. Quibus hoc minus placet, vel illud abhorrent, soleo dare ius caponis vel gallinæ, vel galli decrepiti: mox etiam mannatis select. ℥ j. ß *cum iure veruecis vel pulli*: vt istis diebus egregie profuit mulieri fere sexagenariæ ileo malo laboranti, cui & decoctum florum chamæmeli, (*vti & nostro ægrotanti, de quo supra diximus,*) commode adhibui; quod quidem, vt si quid aliud, hypochondriis ac reliquis visceribus, quæ circa hypochondria sunt, gratum exsistit, condensata corpora rarefaciens, indurata emolliens ac tensa relaxans: doloresque sedat ac mitigat, *Galeno teste 3. de simpl. medic. facultat.* vti & lini semen, quod tamen minus gratũ est minusq; calidum. Talia, inquam, medicamenta & volulo ex humorib. crassis & cruditate conferunt: exceptis iis, qui ex inflammationibus infestantur. Et quia hic erat etiam crassus humor ex cruditate, post clysteres & leues purgationes etiã dedi cum cassia aliquid diacatholici & elect. de dactylis seu diaphœnici: in hunc modum. ℞. *cassiæ recẽs tractæ, diacatholici, diaphœnici, an.* ℥ j. *syrup. ex infus. ros.* ℥ ß. *aquæ florum chamomill.* ℥ ij. *misce.* Vẽtrem inunxi oleo amygdal. dulc. chamomill. anethino, & fotus adhibui ex decoct. *folior. maluar. althææ, chamæmeli & sem. lini, in aqua per spongias.* In fine exhibui ʒ j *theriacæ.* Nam ante somnum etiã antidoti valent, *ex Aetii mente*, vt theriaca; & post eam Mithridat. Atq; his remediis sanitatem consequutus est.

SCHO-

magnam, seu eius, quam Requiem magnam nuncupant. Tutius tamen erit ea prius cum iis, quæ per sedem infunduntur permiscere: vbi non suffecerint, eadem deuoranda permittas. Vult tamē Arculanus, vt rarissime ad narcotica veniamus, nisi fortissimo dolore inducias nō dante: & ea necessitate probat narcotica cū solutiuis permisceri, vt simul vtraque cura perficiatur. nec iis vtendū, omnibus medicis suadentibus, nisi re in summa desperatione posita, & caussa calida: & potius per glandes & clysteres progrediendum, quæ tamen multo tempore non permaneant, filoque appenso potius suppositoria extrahantur: neque hæc conueniunt in colico dolore ex ruptura, neque ex frigida caussa, Sintque etiam cum calidis & suis correctoriis repressæ: & ideo illis nō vtuntur, nisi casu quasi desperato, vt per infusum in iure pulli ℥ j. philonii Romani intecta. Et si glandibus vtamur, eæ filo adhærente extrahantur ad libitum, ... aliquando accidesit, quod æger ob nimiam dimissionem, mortē incurrerit, referente Gatenaria, Papiæ in quadam muliere euenisse, superueniente caro seu subeth & apoplexia, ex qua moriebatur. De his vide plura, & apud Gatenariam Gradum & Arculanum, & eos, qui Auicennam sequuntur.

Observatio XIII.

De colico dolore ex medicamento acri & venenoso.

ROmboldus Tielmanni adolescens, quiapud patrem D. lphis habitabat in domo illa contigua, in qua Libra publica pendebat, anno 1568. mense Nouembri cum torminibus intestinorum afficeretur, ad se chirurgū vocauit: qui eidem purgans medicamentū acre & satis venenosum propinauit, ex quo plurima egessit, & multa euomuit: vnde & a torminib. in colicum dolorem crudelissimum prolapsus est. Et post hunc alius accedens (*cui Volckus nomen erat*) chirurgus, qui se Paracelsi... profitebatur, cum vino eidem oleum anisi exhibuit, quo quidem dolore magis exacerbato coactus fuit & me vocare. Adhibui statim hordei decoctum, cum syr. ros. rub. per infusionem parato, pro medicamenti venenosi detersione; mox dedi quoq; cremorem hordei, & pro alteratione ac siti imperaui, vt frequenter acciperet *syr. de ribes, cum sacch. rosaceo seu perlato.* Ad eluendum acres humores a medicamento venenoso concitatos & dolorem consopiendum, continuo vtebatur hordeato ex *hordeo mūdato, amygd. dulc. & semine papau parato*, ita vt intra duos dies ab omni dolore liberatus fuerit, aloqui lac cum vitellis ouorum crudis tepide cum clysteri infundere iussissem. Sed & ante hunc mulier quædam Alcmariana, cum ei empiricus medicamentum venenosum dedisset, fluxum ventris subsequentem passa est valde biliosum & acrem, cum mulier biliosa esset: vnde & acri humore a toto corpore magis defluente ad intestina, non solum in tenesmum cum corrosione incidit, sed etiam in colicum dolorem vehementiorem circa vmbilicum. Ad hanc accitus sub finem mensis Augusti, anno 1552. dedi iuleb sequens. ♃ *syrup. ex infus. rossyrup. cotoneor. an* ℥ ß. *aqua decoct. hordei non excorticati ad detersionem* ℥ iij. *misce. Altero die dedi pilulam vnam, confectam ex* ℈ j. *pilul. de cynoglossa vel alchabea dicta numero quatuor.* Mox duo vel iij. cochlearia superbibebat ex decocto sequenti. ♃ *sem. cotoneorum, psyllii, sem. 4. frigid. maior. an.* ʒ j. *sem papa. albi* ʒ j ß *sem. hyosc. yami, anethi. an.* ℈ j. *bulliant in ceru sia, quæ z acch. cand. & penid. dulcoretur.* Somnum induxit per diem integrum, cum antea præ dolore multis noctibus atque diebus prægressis dormire non potuerit: atque statim hoc præsidio omnis dolor etiam consopitus est. Vires hic constabant: & ideo ob dolorem intolerabilem pilulā vnam dedi, & erat quarta pars vnius scrupuli. eiusmodi pilulæ obtinent vim in tenuibus sistendis distillationibus, ac doloribus mitigandis: quæ cum cautione, vti omnia soporifera & narcotica, danda sunt.

Scholia.

POnit similem fere Historiam Galenus, illius scilicet, qui a caussa procatarctica patiebatur colicū dolorem, nempe ex scammonii potu, quoniam portio aliqua eius intestinis inhæserat, & eo attrahebat praua excrementa ex toto corpore, & quidem mordacia, quoniam scammonium vehementer trahit bilem. Huic alicam cum punici granis propinat, & rhois succo diluto potat. Nos iuleb habemus dictum de ribes, ideo commode priori ægroto syrup. de ribes dedi: vult autem hoc reprimere & exulcerationem sanare. Cremor amygd. dulcium cum extergat & temperet, conueniebat. Conueniet & in hunc vsum ptisanæ succus infusus, & oryza, & alia quæ temperāt: de quibus infra de dysenteria sermo erit. Galenus his rhois succum propinat: quod etiam reprimit, & exulcerationem tollit. Poma etiam austera offert, mala, pyra, punica. Quarto die theriacam bibit, & perfecte sanus fuit. Vsus eius ad tollendam noxam scamonii, quoniam proprium eius est, & experimentum bonitatis, si biberat vim pharmacorum: cum & theriaca (*eodem teste*) quatuor mensium, quæ nouitati est vicina, virtutem habeat opii: vnde eiusmodi theriaca somnum inducit, humores fluentes desiccat, & aliquantulum incrassat: vt in Romana illa muliere nobilissima catarrhum fortem & nimiam tussim curauit. Sed de iuuene illo, qui ex succo scammonii purgatus erat, vide *32. meth. med. capit. 7.* vbi & quatuor exempla diuersa colici doloris ponuntur, quæ etiam recensentur apud Campegium *libr. 4. historia 16.* Primum est de illo, qui per interualla sumens hieram, in 40. diebus curatus fuit, cuius historiam posuimus *Scholio præcedente*, cui mordaces humores in tunicis intestinorum infixi erant. Secundum est, de quo nunc diximus. Tertium est huic fere simile, tempore æstate siticuloso, cui & frigidum potum concessit Galenus. Quartum rustici est ex flatu laborantis, & cum esu allii curati. Pro diuersa enim caussa variatur curatio, vt iam supra dictis exemplis ostendimus. Ita quoque si a procatarctica caussa euenerit dolor colicus, vt a

De colico dolore ex scammonii potu.

Ex veneno.

veneno sumto, curatur simili fere modo, quamquam statim vtile erit omnium primo vomitum prouocare cum aqua calida & oleo sisamino, vel potius oleo amygdalino (*quod & confert veneno & colico dolori*) vel cum decocto sem. anethi. raphani, vt vomitus facilius concitetur. Lenientia quoque & ablutoria exhiberi possunt. Postea curatur vti venenum, in potu dando Theriacam, & alia antidota vnicuique veneno propria, vt *est tormentilla, diptamnum, & similia*. Et si fuerit aer venenosus, qui multis communicetur, & colicum dolorē inferat, vtendum erit cordialibus præcipue, & aer alterandus ad contrarium, & mutandus locus, in quo non sit ista aeris communicatio, a crasso & turbido ad subtiliorem sese conuertendo: & præterea theriacam, mithridatum, & alia similia adhibere oportet.

Ab aere venenoso.

OBSERVATIO XIV.

De colico dolore ex ruptura & fecibus in intestinis vna in scrotum dilapsis.

FRater Ioachimus minorita, vir fere septuagenarius, in collegio Diui Francisci apud Delphenses agens, anno 1568. die 27. cum enterocele multis annis laborasset, tandem ex ventositate & stercore ibidem indurato in colicum dolorem incidit: adeo vt chirurgus accitus intestina in locum proprium deducere non potuerit, & quamuis externis remediis vteretur, & glandes imposuisset ad feces reddendas, tamen nihil profecit. Vnde cum malum ad restim deperiisset, me vocarunt. Tandem tamen clysteri sequenti per me descripto & iniecto, senex ille ab orci faucibus in vitam reuocatus est. ℞. *foliorum maluæ, parietariæ, mercurialis, florum melilot. chamomill. ana. m j. radic. althææ ℥ j ß sem. maluæ, anisi, fœniculi. ana ʒ j ß. folior. senæ ℥ ß. vuar. passul. ab arill. repurg. ℥ j ficuum pinguium num. v. fiat. omnium decoctio in aqua communi q. s. cuius colaturæ accipe ℔ j. adde diacatholici ℥ j. benedictæ laxat. ℥ ß. olei amygd. dulc. chamæmelini. an. ℥ j ß. vitellum vnius oui, salis communis ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. fiat clyster.* quo ter quaterue aluum deposuit & ab omni dolore liberatus est. Chirurgus facile intestina in locum debitum reduxit, ligaculis, vt artis est, iniectis.

SCHOLIA.

Curatio colici doloris ex ruptura.

DOlor colicus si fracto peritonęo, enterocelarum vitio, contingat, intestinum in propriū locum reducendum, modo possit: sin minus, stercore indurato vel ventositate inhibente, clysteres adhibendi, & fotus ad relaxationem, & ventositatem resoluendam, imponendi, cum spongiis ex mollificantibus: deinde compresso intestino manibus leuiter impulso, & reducto, plumaceolus vino styptico, decoct. balaust. nucum cupress. gallar. infusus superligandus: etiam imposito emplastro contra rupturam, sed hæc ad chirurgiam spectant, vt & hoc; quomodo commode reducātur intestina, si ex ruptura colicus dolor accedat. Post vsum clysteris, si eo opus est, non tamen acuti, sed emollientis & ventositatem carminantis, & exterius appositis mollificantibus & ventositatē carminantibus, ægro supino iacente, & aliqualiter eleuato cum parte, ad quam facta est luxatio, dislocatio, vel ruptura, vt commode imponi possit: & ante reductionem non dentur solutiua per os: & diæta sit valde tenuis & leniens. Reducto intestino ruptura consolidetur, adhibita ligatura brachiali (*vt vocant*) & reliquis intro assumtis & extra impositis quæ consolident. Si colicus dolor sit ex torsione, vel malo situ intestinorum, tunc corpus extēdatur supra ac deorsum, & crura: deinde minister oleo liliaceo & amygd. dulc. leuiter tractabit partes ventris, inclinando modo in dextrum, modo in sinistrum, sursum deorsumque: & subinde infirmus contrahat crura, rursum subleuet secundum ilia, modo de latere in latus se voluendo, atque diuerso modo, dimissis clysteribus fortibus & solutiuis, reducatur Deo volente. Reliqua vide apud Arculanum. Et sic in omni colico dolore caussa ipsa dimouenda: vt si stercus sit induratū in intestinis, fæces emolliendę & educendæ cum clysteribus emollientibus, ita quoq; & lapides si in intestinis, hæserint (*Sic Mariottæ vt antea quoque recensuimus, Pallæ pharmacopolæ lapis clystere emolliente, & continuo fotu, apud Beniuenium columbini instar oui ab aluo proiectus: sic & apud Gradum, tres lapides quoque durissimi eiecti*) clysteribus emollientibus & lenientibus educendi. Scribit Rhases Iudæum quendam plures in stercore lapides eiecisse, facta aliqua mollificatione cum clysteribus lubricantibus, humidis, abstergentibus, quibus & aliqua lapidum frāgentia adiecta erant: si in superioribus intestinis hærerent lapides, eos lenitiuis per os exhibitis depellebant, si in inferioribus per clysteres. Ita quoque si vermes in caussa fuerint, vt prius quoq; dictum est, interficiendi & educendi sunt: vt vxori lapicidæ apud Amatū colico cruciatu afflictæ cōtingebat, quæ post varia & multa remedia adhibita mithridatico antidoto epoto, teretem siue rotundum aut longum dictum lumbricum per os reiecit, & sana facta est. Si ex sanguine in intestinis cōgelato fiat, educatur iuxta Arculanū: si in intestinis inferiorib. sit, clysteri abstergēte molliente ex *aqua decoct. hordei & furf.* ℔. *j. adiectis* ℥ *ij. oxymel. simplicis vel scyllini*: si in superioribus detur aqua hord. calida, cum oxymel. simpl. vel scyllino, vel admisceatur, sumtis per os *gr. 5. coaguli in clysterib. ad* ℈ ß. Si fiat a vulnere, curetur vulnus *iuxta Auic.* & si ab humore erodente bilioso vel salso, aut cibo acri, curetur, vt de bile & humore acri dictum est. Si ab vlcere, curetur vlcus. & si a communitate ab aliis membris, habeatur ratio membri mittentis, & recipientis. Ita quoque si a caussa primitiua, siue a potu aquæ frigidæ, balneis, sessione supra lapidem, vel alia quacunque caussa, ea remoueatur, & dispositio impressa corrigatur. Quidam in declinatione tam in curando, quam præseruando etiam cauterio vtuntur, quæ cum ad chirurgiam pertineant, de his vide Gradum, qui tantum dicit conuenire in colica pituitosa, in aliis vero minus. Reliquam curationem colicorum vide apud Arculanum, qui hanc rem fusissime tractauit.

Ex malo situ.

Omnis caussa doloris colici amouenda.

Si ex sanguine in intestinis congelato.

A solutione continui.

OBSER-

SCHOLIA.

Sæpe vero & in tenuiori intestino affectus quidam oritur, quem Græci εἰλεον, & interdum χόρδαψον appellant: Latini voluulum seu Ileon. Similis quodammodo hic dolor est illi, qui plenius intestinum, id est, colum infestat: sed loco solum differt. Ileus enim, quem Latini vocem voci reddentes, voluulum dicunt, sedem affectã, (*vt Galen. inquit 6. aph. 44.*) habet tenuia intestina, id est, infra ieiunum, qua parte circumuolui incipiunt. Celsus tenuioris intestini morbum appellat: barbarã sectantes medicinam *Iliacam* passionem nominant. A symptomate (*inquit Gal. 2. method. meden.*) nomen sumit: nam εἰλέω verbum Græcum, Latine *Verto*, seu *Voluo* significat; inde εἰλεός quasi *Versus*, seu *Circumuolutus*, quoniam ægris dolor circumuolutus accedit, *Aetio teste ca. 28. lib. 9.* & a quibusdam barbaris & vulgaribus *Miserere mei*, ob insignem & acutissimum dolorem, vocatur propter circumactionem intestinorum circa vmbilicum. Nec minus, si χόρδαψος appelletur, & nomen a symptomate sumsit: nam χορδέω verbum Græcum, idem Latine significat, quod *in chordo, implico seu verto.* Quare cum in hoc affectu tumor emineat in tenuium intestinorum parte, vt videatur intestinum ad chordæ similitudinem conuolutum (*Galeno auctore 6. de loc. affect.*) propterea non ab re ab hoc symptomate, si χόρδαψος appelletur, nomẽ sumpsit. Quod vero morbus sit peracutus, qui grauissimos mouet dolores, liquet ex Paulo *lib. 3 cap. 44.* seu quod affectus sit intestinorum lethalem dolorem inferens; *vt etiam patet apud Aetium loco citato.* Pars affecta facile etiam constat ex aphor. iam citato, nempe gracilia, sublimia & tenuia esse intestina sublæsa. Estq; voluulus sympoma in genere noxæ functionum naturalium ipsorum intestinorum, excretricis videlicet propriæ ipsius ablatæ *vt lib. de diff. & 3. de caussis symptomatũ patet.* Namque in eo nihil (*vt habetur comment. aph. 44. 6. & 10. 7. lib.*) exit inferius, ne siquidem quispiam acerrimo vtatur clystere. Atque hoc proprium est atque inseparabile huius mali signum; idque ex inflammatione sæpissime. Vomitus autem nõ semper adest: at vbi exitialis stercoris quoque vomitus aduenit, dolores aderunt ad præcordia, potum continere non possunt, & tormina cum doloribus in ventre sentiunt. Est autem affectus idem cum colico, scilicet dolores faciens, & quidem vehementissimos, *vt 6 de loc. aff. 2.* Et quamquam Galenus dicat, dolores in colo vehementiores esse ob crassum humorem, densumq; corpus, quod ideo magis tenditur, & difficulter vacuatur; non tamen sibi ipsi contrariatur, quod in se ipso consideratus dolor, qui in voluulo excitatur vehementissimus non est, vt is, qui colum cruciat. Sed pro signorum declaratione proponenda est historia Hippocratis scripta *3. epidem 2. agro sexto. Mulieri* (inquit) *quæ apud Tisamenum decũbebat, ileosus affectus grauis incidit. Vomebat multum, potum continere non poterat.* Quasi dicat, alimentum non continebat; *solis enim potibus aluntur. Dolores circa præcordia, & infra circa ventrem tormina continua: non sitiebat, superuenit febris: extrema perpetuo frigida: inquieta, insomnis, vrinæ pauca, tenues, deiectiones crudæ tenues: non fuit remedio locus, periit.* Hic, *iuxta Galeni expositionem*, signa habemus affectus & affectæ partis demonstratiua, & insuper prognostica. Ea quæ assident, demonstrant, & quæ inseparabilia sunt, vt doloris situs, quo significantur intestina gracilia: & dolor, qui tormina infra faciebat, id est, circa vmbilicum, qua parte intestinum voluitur, & ad latera sub hypochondriis. Quamuis enim in vna parte dolor primo sit, potest tamen plures efficere continuitate substantiæ. Vomitus quoque multas affectum locum designat. Nam licet in colo vomitus & in nephritide, tamen his addidit, multus: quoniam magis proprius est huic affectui: siquidem & ex vicinitate consensus est, & ex colligantia ad ventrem. Hæc igitur respiciunt partem affectam. At affectum demonstrabant quæ sequũtur: nempe incaluisse, aut multum febricitasse, (*vtroq; enim modo intelligi potest*) affectum significat fuisse inflammationem intestini, quę febrem inuehit necessario. Quod addit, *extremæ partes perpetuo frigidæ*, tũ affectum significat inflammationis, tum morẽ eius, id est, malignum esse. Hoc enim est ex symptomatis, quæ malignis febribus superueniunt. *vt 4. aph. 48. in febre continua, si extrema frigent, interiora vruntur, lethale.* vnde mos significatur. Sed & affectus, vt in composito Galeni: quoniam hoc accidit, quando inflamatio magna partes internas obləderit: vnde ex magnitudine eius periculum conijcitur. Inquietudo, & insomnia sunt ex superuenientibus, & signum praui moris sunt & caussa mala, quoniã vires destruunt. Quod vero ait, *non sitibunda vel siticulosa erat*, Galenus non exponit. Sed vel adiectum, vt rarum exemplum in hoc morbo, quoniam sitis fit in hac inflammatione intestinorum; vel (*vt solet*) significare voluit prauitatem, quando præsente caussa sitim faciente, potum non expetunt. Cetera quæ addit de vrinis, significant in crudis humoribus venarum febrem esse accensam: & ita duplicem esse affectum: quamuis enim non sit ex ipsis bonis multa salutis spes in hoc morbo, ex ipsis tamen malis multum significatur periculum. Prauæ enim deiectiones propriũ sunt huius morbi symptoma. Sed num aliquid deiicitur in voluulo? nam Galenus *sexto aph. 44. & 7. aph. 7.* scribit in ileo nihil infra excerni. Respondetur, *nihil infra excerni*, *est ex his quæ maligna valde ileo superueniunt: sed necessario ob loci angustiam, & tenuum excernuntur.* Fit autem loci angustia facile ob gracilitatem partis. Cum vero extremum est malum, tanta fit angustia, vt stercus vomant: nam tunc, cum intestina ad inferna trudere nequeant, ad superna conuertuntur. Fit vero & in hoc singultus compassione ventriculi, & conuulsiones, *vt 7. aphorism. 10. dicitur.* Habemus & hic indicium, quod scilicet lethalis valde est morbus, & acutissimus vt secundam aut tertiam diem non transeat. Tunc vero præcipue lethalis iudica-

Ileos seu voluulus, vnde nomen sumserit.

Pars affecta.

Qui affectus præter naturam sit ileos.

Signa.

Historia Hippocr.

Deiectiones prauæ sunt proprium symptoma ileosi morbi.

Ilei doloris prognosticum.

tur, cum stercus euomunt. Sed hæc ad prognostica pertinent, & ad sæuissimum genus ilei. Est ergo hic affectus primus, id est, inflammatio. Videtur autem & coli inflammatio etiam hæc symptomata facere posse; & ideo quoque *volulus* dicetur, sed accidentia nō erunt adeo sæua, in vomitu præsertim, neque sunt ita mali mortis, *vt Galenus inquit*: demum erit voluulus per similitudinem, & non vere. De caussis ilei postea agemus, cum ex aliis caussis etiam secundum quosdā fieri possint; nempe ex flatibus, ex obstructione humorum, & cruditate, vt in hoc nostro ægrotante contigit: etiam ex descensu intestini; tum veneno, vt postea de caussis latius dicemus, atq; exemplis eadem clariora reddemus. Sed rursus, quod ad signa attinet, Aetio quoq; visum est, quod talibus ægris dolor circumuolutus accedat, stomachi nimia humectatio, exsolutio, ructus inanes, nihil iuuantes aut leuantes, murmura intestinorum, cohibitio perfecta stercoris, & flatuum. Si vero intendatur affectio (*vt ipse inquit*) omnia sursum feruntur; ob idq; & vomitus pituitæ ac bilis accedit; frigiditas totius corporis: dolorque plurimus: etiam spirandi difficultas. Morituris autem amplius aduenit sudor frigidus, vrinæ difficultas, podex ita adstrictus, vt neque specilli extremum suscipere possit: aliquando & stercus vomitu eiicitur. Euenit autem id, quoniam intestina media sui complexione, seu constrictione (*quam latis seu transuersis suis fibris perficiunt*) cum nec pondus nec acrimoniam excrementorum tolerare valent, ea excernere expellereque quam longissime a se ipsis nitantur; ac potissimum id intestinum, in quo affectus hic oritur. Cum vero prohibitum sit id deorsum fieri, & per se non potens sit se hac via exonerare, propter factam in partibus inferioribus obstructionem, ideo cogitur contra naturam violenter mouere, & ad loca superiora materiam noxiam (*etiam Donato exponente*) extrudere, quoniam motus hic constringendi, complectendiq; inferne incipit. Ad quem etiam modum & acer succus, & crepitus quoque descendere prohibitus, interim ex tam violenta intestinorum constrictione ad ventrē præter naturam reuertitur, deinde ad exitum properat, quemadmodum apud Galenum constat commento præcitati *aphor. 10. lib. 7. & lib. 3. de facult. naturalib. & 3. de caussa sympto.* Quod vero interclusa via exitus iam dictorum excrementorū hæc affectio fiat, omnium fere medicorum consensu testatur Galenus *præcitato comment. aph. 44. 6. libr.* Sed de iis postea cum de caussis agemus. Nunc aliud exemplum proferamus.

Differentia inter coli inflammationem & ilei.

Signa ex Aetio.

Quæ sit caussa, quod stercus vomitu reiiciatur.

OBSERVATIO XVII.

De ileo lethali.

VIr annos triginta sex natus, Delphis voluulo seu ileo grauissimo laborabat, anno 1558. mense Martio, adeo vt omnia, quæ sumeret per superiora reiiceret. Huic intestina in scrotum longo tempore collapsa erant, & stercora indurata: nec adhibitis fomentis lenientibus & ventositatem carminantibus, in locum redire intestina potuerunt, nec stercora dura inde dimoueri clysteribus emollientibus, ita vt aluus ei neq; clysteribus neq; glandibus impositis solui posset. Venter autem eidem in immensum excreuit, & sane ægrum veneno subito affectum dixisses. Et licet cataplasmata & fomenta emollientia anodyna scroto imposito aliquo modo iuuare videbantur, dolor tamen in ventre atrocissimus ægrum conficiebat: adeo vt tandē per quatuor dies excrementa per os reiecerit, neq; clysteribus neque balneis iuuantibus, cum & medicamenta per os exhibita, tum omnia reiiceret. Tandem cum se veneno infectum clamaret, exhibita est theriaca in exigua quantitate, qua melius se habere putabat, vomitu nonnihil cessante, sed die vno intermisso rursus stercora euomuit: & præ habito prognostico mox obiit. Vti & Prior ille apud Monachos Egmondanus Cantharopolitanus (*qui literas egregie pingebat*) septuagenarius eodem malo interiit. Quemadmodū & puella illa, de qua *in lib. de febribus* egimus, quæ ex ileo ab inflammatione gracilium intestinorum orto decumbebat: cui nulla remedia nec venæ sectio, nec alia præsidia contulerunt, & ipsa, vt prædixeramus, etiam periit.

SCHOLIA.

DIximus autem ileon acutissimum malum & plerumque lethale esse, & quod potissimum caussam habeat præcipuam ex inflammatione. Sed num ex aliis quoq; affectibus, vt flatibus? Galenus negare videtur, *6. de loc. 2.* Quoniam exhalant (*vt etiam attestatur Iacchinus medicus doctissimus*) facile ex tenuibus intestinis spiritus flatuosi; neq; contumaciter detinentur, ob mollitiem, & raritatem substantiæ eorum. Fiunt igitur dolores ex flatibus in his, vt aliquando vidimus: sed colicis non assimiles, & potius ex cauitatibus & ex his, quæ in cauitate quam ex iis, quæ intra tunicas continentur. Num ex obstructione crassi & viscidi humoris: non est probabile hoc, inquit Galen. *6. aphorism. 44.* Ratio, quoniam transfluunt continuo & dimouentur. Nihil tamen obstat fieri in ictericis, vbi ea non expurgantur. Quare sæpius fit a fæcibus duris, & erit leuior, vel a tumore præter naturam, & erit grauior. Hic autem est plurimum inflammatio, cuius sequenti obseruatione exemplum ponemus. Potest tamen & durus aliquis tumor hæc facere. Verum alias quoque caussas habemus a scriptoribus. Aetius de mente Archigenis, a quo & Paulus sua accepit, fieri ex obstructione humorum ait, cum cruditates multæ præcesserint, & corrupti in ventre retinentur. Cuius exemplum dedimus *obseruat. 16. huius libri.* Hoc tamen, *iuxta Iacchinum*, Galenus non facile admittit. Attamen cum via exitus excrementorum dictorum interclusa (*vt paulo ante diximus*) hæc affectio fiat, ex omnium medicorum consensu, & cum meatus seu viæ possint intercludi ac aboleri, propter coalitum, angustiam, obstructionem, compressionem, ac subsidentiam, propterea quæcunque caussæ tales possunt in cauitatibus, seu meatibus intestinorum affectus excitare, possunt etiam

Caussa ilei.

iam

iam ileum, seu volulum gignere. Cunctæ autem reducuntur, vel ad intemperium, vel ad collectiones aliquas non naturales ipsius intestini tenuioris, vel ab ipsa, quæ in eo continentur excrementa, *eodem Galen. teste 3. de caussis symptomat.* Quapropter, licet idem Galen. in comment. præcitati aphorism. inflammationem, scirrhum, vel abscessum, ac obstructionem stercoris sicci & duri, in aliquod iam dicti intestini volumen impacti tantam posse facere loci angustationem, vt nihil possit ad inferiora transmitti, & per consequẽs ilæum oriri, fateatur; de reliquis vero caussis, vtputa de humoribus crassis atq; tenacibus, dubitare videatur: tamen liberum relinquit (*vt & Donatus ab Altomari sent 1*) cuiq; si libeat hanc inter caussas ilei ponere. Et etiam si quid aliud dicatur præter hoc, nihil refert: non enim negauit Galenus ex aliis caussis, quam ex inflammatione, vel obstructione aridi stercoris posse volulum excitari; sed frequenter, ac sæpe numero, ac magis probabiliter; & a plurib. confirmatum esse, quod a prædictis excitetur caussis, ita vt *6 de loc. affect.* sic scriptum reliquerit: *Itaque non abre visum est medicis antiquioribus, vel ab inflammatione, vel obstructione aridi stercoris huiusmodi tenuium intestinorum affectus oriri*: de volulo seu chordapso verba faciens. Concludimus itaque cum Galeno (*quod & Donatus facit*) quod quamuis prædictæ duæ caussæ præcipuæ sint ipsius voluli, inflammatio inquam & obstructio sicci stercoris: tamen quæcunque alia valent adeo intercludere viam exitus, aut tantam facere loci angustationem, vt nihil possit ad inferiora transmitti, sufficientia sunt volulum ipsum excitare, siue dicta interclusio sit per coalitum, siue per angustiam, siue per obstructionem, seu compressionem, aut subsidentiam. Et propterea ab Aetio præcitato loco nonnullæ narrantur voluli caussæ (*vt paulo ante ostendimus, & huius exemplum quoque posuimus*) vt continua ciborum corruptio, præsertim si multi, aut varii accipiantur & non assueti, maximeque ex pinguibus carnibus; similiter & ex plagis quibusdam, frigore vehementi, & aceruata frigidæ potione, maxime si ab exsudantibus accipiatur, affectus hic excitari potest. Item contingit iis, quibus intestinum in scrotum vna cum stercore delapsum est, indeq; violentur retrusum ex eoq; inflammatum exstitit: vt euenit his duob. ægris, de quibus in superiori Obseruatione diximus. Et sic caussa esse potest descensus intestini in scrotum, qui aliquando a dolore colico ortum habuit, scilicet ruptione, vel laxatione membranarum, quod intestinum illud non repositum inflammatur, & pereunt ileo; vt istis duobus euenit & seni presbytero, *vt narrat Iacchin.* Alii cum temere fasciis adstrinxissent male repositum intestinũ, inflammationem fecere: vnde ileos prouenit occlusa stercorum via. Vidi, inquit idem Iacchin. aliquando euenisse ex lapsu ad inguen intestini: erat autem manifestus extra tumor. Sed hic cum ad stercoris vomitum peruenisset, curatus tamen est præter spem omniũ, reposito intestino. Ita & nos mulierem ab exomphalo in idem malũ prolabẽtem & stercus euomentẽ curauimus: cuius historiam postea ponemus. Fit interdum eodem *Aetio teste*, ob veneni potionem: quod etiam contigisse scribit Iacchinus puellæ, quã dixerint sponte cepisse. Aliam quoq; vidit Lucæ intra horas paucas obiisse. Frigida erat, sine pulsu: stercus tamen non euomuit: hoc enim fit, si aliquandiu perdurent. Sunt autem venena, buprestis, lithargyrium. Alia caussa, potus frigidus in calido post exercitia: vt euenit ægrotãti, de quo *obs. 16* diximus, vidit & Iacchinus talẽ semel diei spatio obiisse. Imaginantur vulgares, caussam esse ex malo intestinorũ situ, a flatibus caussato: vnde cauitas obstruitur, & exitus prorsus impeditur. Plura de caussis vide apud Arculanum. Singulę autem prædictę caussę facile dignosci poterunt: externæ quidem ex ęgroti seu astantium loquela; internæ autẽ ex te ipso propriis signis, ac eorum, quæ præcesserũt perpensione, & reliquis, quæ subsequuntur. Sic enim inflãmationẽ ab obstructione aridi stercoris proprie secernes, aut si propter eius delapsum in scrotum ortus sit volulus vel etiam quisp ã alius redundãs succus, potissimum frigidus, crassus & lentus; licet nõ admodum probabile sit, *vt diximus ex sententia Galeni*, ex prædictis succis adeo fieri prædicti intestini coangustationem vt nihil valeat ad inferiora transmitti. Quod si fiat a bile multa asseruata in gracilibus intestinis, vt aliquando fieri solet, & sępius quam ex crassis succis tunc signa huius succi prædominantis apparebũt: & vbi a cibo corrupto & cruditate, crapulæ & alia præcesserunt, & vomitus humorẽ crudum indicat. Etiamsi retinentur excremẽta propter obstructionem, vel ob tumorem inflammationis, dolorem vehementissimum hæc omnia excitãt, tum ob materiæ acrimoniam, tum ob partis sensum: magis enim sentiunt quam crassa intestina. Et licet intestinis ob peritonæi, rupturam aut propter relaxationẽ cũ recrementis plena sint, in scrotum deuolutis ileon intestinum non deuoluatur: tamen a similitudine symptomatis dicitur ileos, cum & vomitio stercorosa adsit, & materia dura in scrotum deuoluta, & inflammata, quæ nota propria est ileo. Vnde etiamsi prius sit colicus dolor, ex eadem caussa, malo progresso fit Ileos. Et ideo signa præsagientia colicum dolorem eadem possunt esse signa passionis iliacæ præsagientia, cum & eadem caussæ vehementiores ileon producant. Et sic qui enterocele bubonocele, exomphalo, vel ruptura laborant, nisi recte custodiantur ab aere frigido vel vento, facile ileon grauissimum incurrunt, & quibus naturaliter tenuia intestina frigida sunt, & qui fungos comedunt, vel aqua frigida in potu vtuntur, vel cibis admodum stipticis tardæ concoctionis, & non solum macilenti; sed & crassi, potissimum ab exercitio vehementiori refrigerati, quemadmodum euenit Bartholdo Simoni ceruisiario Alcmariano, cognato nostro, viro admodũ crasso; qui ex leuissima caussa modo in colicum, modo in iliacum dolorem incidebat: sed a me statim in principio adhibitis bonis remediis curatus fuit.

Signa caussarum.

Signa præsagientia.

Prognostica.

Quod ad prognostica signa attinet, decretum reliquit Hippocrates, quod ab ileo vomitus, singultus, desipientia vel conuulsio malum sit, *aphor. 10. lib. 7.* Nam vomitus (*inquit Galenus in eodem loco*) non semper in ileis adest, sed quãdo exitiales sunt: & si vehementius distorqueantur, *vt ipse ait*, stercus eis superiora petit, atq; singultiunt: quidam vero desipiunt & cõuelluntur, compatiente neruorum principio, stomachi passione, *vt ipse refert.* Si autem vomitus stercoris contingat, exitialis erit affectus, a quo vix vnquam quis potuit sanus euadere; *vt eodem comment. aphor. 44. & 6. de loc. affect. liquet.* Quod vero hic volaulus acutissimum sit malum, ac quod periculosus sit omnis voluulus, *idem Galen. testatur de morb. vulg.* rationem superius explicauimus. De quo & Paulus sic scriptum reliquit: *Qui hoc malo sunt oppressi, miserabili tandem morte pereunt, stercus per os reddentes.* Familiaris autem hæc affectio exsistit ætati pueruli, *vt Aetius inquit*, euadunt tamen beneficio humiditatis. Senibus non valde familiaris est: si tamen ipsi in hanc affectionem incidant, fere nunquam conualescunt. Iliacorum vero passio acuta est, & sub angusto tempore periculosa, *Theodoro Prisciano auctore cap. 9. lib. 2. ad Timotheum.* Arabes & eorum asseclæ hæc addunt, *quod magna ex parte 7. occidat:* Vidit & Arculanus in 5. hominem occidisse; quod & nos vidimus in illo molitore, qui ex enterocele in ileo lapsus est; & fœditate excrementorum ex ore tandem effluente miserabili morte interiit. Tamen alii addunt *iliacam ventosam & pituitosam admiam fuisse febre superueniente, minusque periculosam esse ex flatibus, cum dolor de loco in locum permutetur, & facilius resoluatur, quam cum fit ex humoribus aut apostemate seu inflammatione.* Bonitas quoque vrinæ non adfert fiduciam sanitatis; quid igitur de mala vrina iudicandum? Bonum quidem autumant, *vt Gordonius*, si symptomata minuantur, & medicamenta sumpta per os, descendant, & per inferius operentur. Iuniores autem infra 40. annum, non ita cito ab ileo succumbunt, vt senes in prima vel secunda senectute: id quidem ex robore virtutis contingit, hoc vero ex imbecillitate. Sic & in ileo ventositas per crepitum inferius exiens si multum fœtet, malum est; sed eo deterior ructus fœtidus: omnium vero pessimum excrementum vomitu eiectum, & sudor exiens fœtorem stercoris olens, aut anhelitus instar recrementorum fœtens. Iliacus dolor quandoque vrinæ profluuio finitur: sic dicente Hippocr. *7. aph. 44. Quibuscunque ex strangaria ileos innascitur, hi in sex diebus pereunt; si nõ febre superueniēte vrina multa fluxerit.* Galenus fatetur tamen *se ignorare, quæ in hoc aphorism. Hippocrates dixerit, & putat ab alio esse interpositum*, & quamuis legitimus esset, nihil habet, quod dicat. Multitudinem igitur humorum crudorum, vna cum multa frigiditate, melius est talium in ileo casuum, qui dicti sunt, caussam arbitrari. Sic enim tantummodo febris esset medicina dispositionis, & retentarum vrinarum euacuatio: sic enim consueuere crassæ & plurimæ, atque omnes simul ipsis concoctis euacuari. Vide eius commentum in hunc aphorismum, multa vtilia adfert, ex quibus caussis ileos fiat.

OBSERVATIO XVIII.

De ileo intolerabili, ab inflammatione tenuioris intestini orto.

Vir annos triginta excedens, cum valido exercitio vsus esset, & post illud refrigeraretur, in dolorem pene intolerabilem incidit circa vmbilicum, ructus inanes illi aderant, qui nullo modo dolorem leuabant: murmura quoque intestinorum oborta. Quibus symptomatis & stercoris cohibitio ac flauum accessit. Hęc cum validissime eundem torquerent, tabulam ligneam muliercularum consilio (*quo vti consuetæ sunt in omnibus doloribus ventris*) quam calidissime loco dolenti apposuit: vnde dolor auctus est, materia magis attracta & minime resoluta: & tandem dolore semper magis increscente, etiam in febrem satis continuam incidit. Ad hunc tandem accitus, cum nihil contineret, & omnia euomeret & valde biliosa, & supra modum sitiret, & tumor adesset satis eminens in tenui intestinorum parte, tãquam intestinum ad chordæ similitudinem cõuolutum videretur, eundem ileo ex inflammatione laborare certis signis conieci; quod & febris continua, tum reliqua supradicta symptomata indicabant. Itaque tabula illa lignea calida a ventre amota, & cum aluum intra 24. horas non deposuisset, & omnia euomeret, statim enema sequens, vt immitteretur mandaui, quod & aluum emolliret, & aliquo modo ob inflammationem refrigeraret. ℞. *folior. viol. maluæ, althææ, ana m. j. ß. hordei mundati p. j. sem. maluæ, psyllii ana ℥j. prun. damasc. dulc. num. vij. fiat decoctio in iure pulli pinguis vt magis emolliret stercora) pro ℔. j ß. adde cass. recēt tractæ, zacchari rub. an. ℥ j mellis viol ℥ j vitellum vnius oui, salis communis ℥ j misce.* quo clystere semel aluum deposuit, & stercora dura reiecit. Sed cum ab iniecto clystere nondum se daretur dolor, sanguinem detrahere iubeo, ex vena interna cubiti dextri, nam ad partem dextram dolor paululum inclinabat. Extractæ sunt sanguinis circiter vnciæ septem: & a venæ sectione febris mitior facta est, & dolor minus vehemens ægrum afficiebat. Ventrem inunxi omnium primo ob inflammationem oleo ros. & amygd. dulc. simul mixtis. Die subsequenti dedi cassiæ recens tractæ ℥j. *cum* ℥ *iij. decoct. communis, addendo syrup. viol. ex infus. ros. an.* ℥ ß. *misce.* & retinuit, ac aluum deposuit. Postea & oleis dictis adiiciebam oleum chamomillæ, id enim in augmento conuenit; *vti etiam in statu oleo anethino, amygd. dulc. & chamamelino inunximus.* Postea cum rursus aluum non satis deponeret, dedimus ℥ *j. mannatis, cum cassiæ extractæ, diacatholici, an.* ℨ *iij. cum* ℥ *iij. seri lactis, & habuit v. secessus.* Deinde admoto hoc emplastro ab omni dolore curatus fuit. ℞. *rad. althææ* ℥ *ij folior. maluæ m. ij florum chamomill. meliloti, an. m. j. coquantur in aqua communi ad mollitudinem, adiectis farinis sem. lini, fœnugraci, an.* ℥. ß. *olei chamomill. amygdal. dulc.*

dulc. q. s. fiat cataplasma. At Comes Philippus de Alta flamma, chiliarcha, Geertrudebergis ex grauissimo ileo decumbens, cum pilulas nescio quas accepisset a medico quodam, dolore intolerabili cruciabatur vomitu enormi, aluo plane restricta. Hic post clysterem iniectum venæ sectione per me, duobus aliis præsentibus medicis, curatus fuit. Sed dolore sæpe redeunte septem clysteribus vti necessum fuit, præter medicamenta commoda per os exhibita, cuius mentionem fecimus *lib. 7. obseruat. Scholio Obser. 4. de symptomatis febrium:* qui magno cum nostro honore curatus fuit, cum Illustrissimus Dominus Princeps, piæ memoriæ, medicum Antwerpianum mittere volebat: sed scriptis per nos literis, quod melius haberet, missus non est. Aderat nobis tunc in curatione Franciscus Marcellus medicus Dordracenus amicus noster (qui post aliquot annos & ipse tabe obiit) & alius quidam ex Neomago ad Comitem quoque accitus.

SCHOLIA.

Colica & illiaca quomodo in caussis, signis & curatione inter se communicant, & in quibus differant.

AVicenna & qui eum sequuntur dicunt, iliacã in caussis, signis & curatione cum colica cõmunicare. Vnde & Valescus *sorores* nominat, cum in vtrisque minus excrementa exeant. Quare & Rhases sub vno capite de vtrisque scripsit: vti & Gradus ac alii multi. Differunt tamen in caussis, signis atque iuuamentis remediorum nonnihil, *vt annotauit etiam Arculanus*: qui frequentius iliacum fieri vult a caussis primitiuis & externis, vt ex aquæ potu vel aliter ob ventriculi vicinitatem, & ob aerem pestilentem, ob cordis vicinitatem, vel a veneno, tam ob ventriculi, quam cordis propinquitatem; vel ob inflammationem, tam ob hepatis vicinitatem, quam multitudinem venarum mesaraicarum in gracilia intestina sese insinuantium. Contingit & crebrius ob vehementiam virtutis retentiuæ, cum gracilia sunt magis ordinata ad retentionem: crassa vero ad expulsionem. Colica autem frequentius contingit a caussa corporea, ventositate, phlegmate, stercore sicco, vermibus, & similibus, cum sint frigidiora ad horum expulsionem ordinata intestina, & sic accidit in iis frequenter ob defectum expulsiuæ. Dolor quoque in ileo est magis pungens, ob bilem, & magis intensus: quamuis in vtroq; intestino quælibet species doloris accidere possit. Estque dolor in ileo supra vmbilicum, & in hypochondriis magis: colicus autem dolor infra vmbilicum, magisque extendens, grauans, perforans, etsi aliquando pungens; idque ob vermes, & licet remissior sit, magis perdurat, ob longam materiæ retentionem ex ipsorum spissitudine & carnositate: præterea circa pectinem magis hæret dolor, minusque nocumentum communicat partibus superioribus nobilibus. Differunt quoque in exeuntibus. In ileo per anum fere nihil egreditur, & per vomitum quiuis humor reiicitur; imo aliquando stercus cum vermibus, quod in vetula vidimus, a me curata, *vt postea dicemus*, & est malum vt plurimum lethale. Et est vrina magis tincta, ob inflammationem vel bilis retentionẽ, quæ ad gracilia intestina dimitti consueuerat: sudor quoq; maior & frigidior virtutem dissoluens. In colico enemate & balanis facilius excernitur pituita viscida, stercus, squibalæ, pituita inuoluta, ventositas crassa sonat, & vermes: si vrina in eo tingatur, hoc fit ob dolorem inflammantem, per consensum renum, non autem ob bilis regurgitationem. Differunt quoque in remediorum iuuamẽto. Iliaci magis per superius exhibita iuuantur: colici per inferiora clysmis iniectis & balanis. Quinto differentiã sumit idem Arculanus a symptomatis & accidentibus: Nam casus virtutis, mentis alienatio, spasmus, instantia vigiliarum, cordis palpitatio seu tremor, syncope, extremorũ frigiditas, singultus & mors magis in ileo; & inflatio oculi, & multo difficilior colico. In curatione, iliaca maiorem festinationem curandi exigit, quam colica, eo quod acutior morbus est & inducias non ferat: Ebibita quoque magis iuuant, cum enemata & glandes ad gracilia intestina non ascendant. Licet tamen vtraque in hac etiam sint necessaria; cum & Arculanus recte incipiat a clysteribus & balanis, vt tandem ebibita melius descendant. Valescus duo simul administrat, prius enema, & statim quæ per superius laxant (*id nos in ileo, quo Comes ab Alta flamma laborabat aliquando fecimus*) idque si clyster non operetur. Tamen præstat in principio prius clystere vti: deinde altero die purgatione: quod nos initio in Comite fecimus. Postea, cum plures clysteres immissi essent, & postea venæ sectio adhibita, postremo semel iniecto clystere, & superius vna exhibito medicamento, non tamen forti, plurimum, adiutus fuit, & postea curatus. Clysteres autem hic debent esse in maiori quantitate, vt altiùs ascendant, & Rondeletius etiã primo acres iniici iubet, quibus repurgentur intestina. *Nec metuenda*, inquit, *est acrimonia, quoniam malum est in superioribus intestinis, procul a sede.* Sed idem dicit, *Si ileos ab inflammatione, minus conueniunt medicamenta laxantia, sed clysteres fortiores postquam desistit defluxio, vt id, quod est impactum parti per inferiora trahatur.* A principio non sunt dandi acres, neque trahentes, ne materia ad partem affectam trahatur, *vt Galenus docuit 13. meth. med.* In aliis caussis, quæ sunt citra inflammationem, licet etiam fortioribus vti iniectionibus. Nam Galen. tantum prohibet in inflammatione & affectibus, qui fiunt per defluxionem. Præterea in ileo magis necessaria est venæ sectio, quam in colico dolore, modo in eodem non sit inflammatio aut apostema. In ileo magis conducit venæ sectio, propter fortem dolorem & multitudinem venarum mesaraicarum venientium ad gracilia intestina; quæ etiam ideo magis apta inflammari ac apostemari (*vt ita dicam*) quam crassa. Similiter facta oppilatione in tenuibus, humores quoque consueti euacuari magis sparguntur per corpus. Istis præsuppositis, ad curationem magis particularem ipsius ilei deueniemus. Quod si malum ab inflammatione (*vt hic erat*) ortũ sit, aliis consentientibus, a venæ sectione exordienda erit curatio, vt omnes consentiunt,

In caussis. *In dolore.* *In exeuntibus.* *In remediorum iuuamento.* *In curatione.* *Curatio si ex inflammationẽ fiat.*

FF

Vena sectio.

tiunt, & ratio dictat. Incidatur autem interna cubiti vena, eadem victus ratione instituta, ac reliquis medicamentis adhibitis, quæ in cura coli doloris ex inflammatione præcipimus. Id tamen seruabimus tam in ileo orto ab inflãmatione, quam ex quauis alia caussa, quod medicamenta, quæ per os voranda præbentur, hic magis competunt, quã in coli dolore (*vt modo diximus*) sumta a positu indicatione, prout capite de dysenteria recensebimus. Curatio itaque, si ex inflammatione fiat, post missum sanguinem per eadem remedia administrabitur, quæ in colicis conducunt: sed ebibitis iuuantur citius iliosi. Sic etiam Rondeletius: *Si ileos fiat ab inflammatione intestinorum gracilium, sanguis est mittendus e brachio*: verum quod in secunda dictatione dixit, *vsque ad deliquium animi*, id tamen non sine cautione aut nullomodo fieri debet. Interea pars inferior exoneranda balano, vel clysteri detergente & emolliente, qualis apud eũdem est descriptus capite de inflammatione coli. A missione sanguinis imperanda, eodem auctore, inedia ad 24. horas, quo ad certum sit, detracto sanguine, inflammationis magnitudinem fuisse remissam. Quod si necessitas vrgeat, cibus dandus est, isque medicamentosus, *vt iusculum galli veteris: cuius venter infarctus ficubus sit, passulis, & sem. frigidis, ac butyro. Passulæ & caricæ dolores inflammationum mulcent*: butyrum lenit & aluum relaxat. Si aluus durior est, vt hic erat, clystere emollienda. Sic & a venæ sectione, vno vel altero leniente clystere adhibito (*quod & Donatus admonet*) prout de colico dolore diximus, confestim medicamentum leniendo purgans exhiberi debet, *ceu est manna, cassia fistula, saccharum violar. seu syrup. ex pluribus infus. violar. & interdum cum aliquo prædictorum* ℥ ß. *vel* ʒ vij. *diacatholici*, adiicere possumus. Sæpe etenim id auxilii satis est; tumore præsertim in vmbilico exsistente. Ego tamen potius vtor *syr. ex infus. ros.* quam viol. si vomitus adsit, qui plerumque adesse solet, cum syrupus viol. nauseam faciat, & stomachum relaxet, vnde vomitus magis irritatur. Vbi autem vomitus non adsit, in principio violaceo recte vtemur. Nam & ipse Rondeletius a missione sanguinis etiam vomitum prouocari vult sola aqua tepida, vel oleo viol. adiecto: quod idem efficit, & præterea calorem temperat. Vomitu idcirco purgantur superiora, ait, vt ad partem inflammatam nõ defluant excrementa. Attamen cum tales plerisq; vomant, tunc ab iis omnino abstinendum censeo. Et sic vomitus si a natura non adsit, optimum iudicat eum leuiter prouocare aquæ tepidæ potione, cum oleo violaceo. Nam pars media per inferiorem, & superiorem partem expurgari potest. Interim & inunctiones faciendæ sunt supra partem dolentem ex relaxantibus & emollientibus. vt ℞. *olei amygd. dul. liliorum, an.* ℥. ß. *butyri recentis, axung. gallinæ, vel anatis, ana* ʒ ij. *muccilaginis sem. psyllii* ʒ iij. *ceræ parum, fiat linimentum.* Vomitio non est compescenda, donec tota cacochymia fuerit euacuata. Fotus ex decoct. herbarum emollientium faciendi; & præcipue quos scripsimus facere ad colicum dolorem ex inflammatione; quo loco etiam satis de topicis remediis diximus. Etiam eodem modo iliacus biliosus curatur, facta purgatione cum seris decocto & cassia. Reliqua vide apud Arculanum, *de curatione colicæ ex apostemate calido.* Quantum ad topica, nos in principio recte vsi sumus hic inunctione *olei viol. & ros.* in augmento adiicientes, *oleum chamæmelinum*; in statu vtentes *oleo anethino, amygdal. dulc. & chamæmelino* simul mixtis. Quibus licet Leonellus vtatur in colico ab apostemate calido; tamen iis etiam in dolore iliaco ex eadem caussa, cum in inflammatione vti possumus. Verum cum hic adesset retentio stercoris duri, omnium primo clysteri emollienti vsi sumus. Et ideo si ileos fiat ex stercore duro, similiter mollire oportet, & oleum propinare. Etenim si ex siccorum stercorum multitudine, facta obstructione ileos excitetur, quæ stercus ipsum emolliunt atque humectant, & per aluum subducunt tribuenda sunt: veluti est ius pingue gallinarum, seu pullorum, aut phasianorum, aut in eorundem iure decocta ptisana, vel ius galli antiqui, vel oleum amygdal. dulc. Pariter conueniunt lenientes clysteres, etiam post prædictorum assumtionem. vt: ℞. *folior. mal. viol. mercurial. althææ, an. m. j. florum chamæmeli, fœnugræci, ana m.* ß. *salis communis parum, bulliant in aliquo prædictorum iurium: cuius decocti per colum transfusi assumta sufficiente quantitate, adiicias olei communis aut amygdal. dulc. aut chamæmel. aut anetheni* ℥ iij. *mellis ros.* ℥ ij. *fiat clyster, interim poteris butyri recentis, aut adipis anseris* ℥ ß. *addere.* Vbi prædicta non suffecerint, audacter aliquod medicamentum purgans, eorum, quod meminimus, præbeto. Nam obstructio, quæ fit a stercore duro, quod intersepit intestinum, (*vt Galen. testis est lib. art. med.*) primum quidem habebit duritiei remedium ex humidis, pinguibusque clysteribus, deinde ex acribus euacuationem exposcet: in hunc etiam vsum, (*vtpote vtrumque perficiens*) confert ius galli a Mesue descriptum. Extrinsecus insuper irrigationes, fomenta ac cataplasmata, quę emolliendi vim habeant, ac leniendi, applicentur; quorum copiam inter colicorum remedia reperies. Commodum est etiam in oleum calidum descendere, aut in balneum desidere, aqua & oleo refertum. In aqua vero prius decoqui possunt malua, aut althęa. Sic etiam vbi adsit inflammatio, nihilominus omnia remedia tentanda sunt, licet hic affectus magna ex parte lethalis sit; vt balnea, quę ex anodynis & relaxantibus fiunt: & non in principio, sed post euacuationes, & postquam defluxio constitit, aut partes inferiores & superiores euacuatæ sunt: alioqui enim dolorem, & humorem ad corporis habitum trahunt. Ita & post clysteres & euacuationes æger (*inquit Rondeletius*) balneo emolliente & refrigerante, *vt ex malua, althæa, violacea & similibus, vel anodynis.* Non probatur eorum consilium, qui ex alto tepidam ventri affundunt. Nam etsi eiusmodi embrocationes in doloribus capitis laudat Galenus, non tamen in ceteris partibus, & præsertim ventre conueniunt.

Purgatio.

Vomitus.

Topica.

Curatio ilei ex stercore duro, vel si fiat ex stercorum multitudine.

Quando anodyna & balnea conueniant.

Tepi-

Tepida enim facile refrigerantur, sicque calorem cum sanguine & spiritu intropellunt, vnde augetur inflammatio. Satius vero fuerit, si propter balneum aliud remedium placeat, illinere ventrem iis, quæ modice calefaciunt & laxant, *vt oleo chamæmel. viol. muccilag. sem. lini & similibus*. Reliqua de colicis doloribus inuenies. Sed hoc, quod fere omisimus, post clysteres, balanos, & venæ sectionem in inflammatione ilei quidam & cucurbitulas in inguinibus, vel circa inguina apponunt, etiam cum scarificatione, *vt & Rondeletius iubet*. Alii si ex stercore duro fiat, oleum recens propinant, & prohibent ne vomant, cum cucurbitula, tum gratis odoribus, & frigidæ inspersione. Si vero ex flatibus a frigido potu fiat, secundum Galenum libro de facile parabilibus, oleum anethinum bibat; mox mica panis calida accepta: præstat tunc vti decocto flor. chamomillæ, & iis, quæ de colica ventosa dicta sunt. Si sint humores, clysteribus vtendum, maxime iis, qui vehementer attrahunt in principio ob distantiam; & demum humores purgandi prout biliosi vel pituitosi fuerint. Et ita si contingat ab humorib. crassis ac tenacibus, simili modo curari debet, quo & curatur coli dolor ex eadem caussa. Si ex cruditate ciborum, seu corruptione, & adhuc crudus vētri insideat, confestim æger cogendus est, vt vomat: si nihil horum in ventre contineatur, clysteres adhibendi, & per superius medicamenta purgantia, *vt obseruatione sequenti clarius patebit*.

Si ex flatibus a frigido potu aqua cōueniant.

Si ab humoribus.

Si a crassis.

Si ex cruditate.

OBSERVATIO XIX.

De ileo seu volulo ex ciborum corruptione.

Matrona nobilis, vetula, cum vna cum amicis cœnobium accessisset, & diuersis ferculis vsa esset, & cerasis, & lacte, & crema, & vino rubro & albo, & fragis humi nascentibus, in volulum ex cruditate seu ex ciborum corruptione incidit. Ad quam accitus, cum adhuc crudus seu corruptus cibus ventri insidere mihi videretur, statim eam cogebam vt vomeret, sumta aqua tepida cum syrupo acetoso, vel huic simili. Verum, cum pauca euomeret, & dolor in ventre remaneret, clysterem adhiberi iussi, cum nec illo die nec præcedente aluum deposuisset: & post reiectum clysterem, cum pauca tantum, eaque dura excreuisset, dedi medicamentum purgans, quod sequitur. ℞. *diacatholici, hieræ picræ. diaphœnici, an.* ℥ ij. *aqua florum chamomillæ* ℥ iij. quo medicamento cum aluum probe reddidisset, ventre quoque inuncto oleo chamæmelino & anethino, præter spem multorum curata est.

SCHOLIA.

Si ex cruditate seu ciborum corruptione voluulus fuerit excitatus, vomitus statim imperandus, præsertim si cibus corruptus ventri adhuc insidere videatur, idque aqua mulsa tepida. Verum si nihil ciborum crudorum in ventre contineatur, omni conatu (*vt inquit Aetius*) emittendum est, vt tum flatus, tum stercora infra trahantur: idque per glandes, illitionesque & clysteres, vt ipse refert: atque magna diligentia in singulis adhibita purgans medicamentum, vbi prædicta non suffecerint, exhibeatur, ex hiera videlicet, & confectione de dactylis aut diacath. cum aliquo prædictorum lenientium medicamentorum composito. Est etiam vsitatum in hoc negotio anethi decoctum potum, *ex Pauli & Aetij auctoritate*. A potu autem panem in aquam feruentem coniice, eiusque frusta calida confestim edenda præbe; *vt iidem inquiunt*; idque præsertim, si ab inflammatione voluulus ortus non fuerit. Item si anethum ipsum in aqua & oleo decoquatur, atque ita bibatur, deinde frusta panis ex aqua feruenti præbeantur, mirum in modum ægri iuuantur, *ex Oribasii sententia*. Commodum est etiam maluæ semen tritum ac potui inspersum, *eodem Aetio teste*, & chamomæli decoctum, *ex Galeno 3. de simplic. medic. & & iuxta Aetium, vt prius dictum est*. Fouendus insuper & podex erit per spongias calidas, indifferenter voluulis ex quauis caussa ortis, nec solum eo tempore, quo glandes fuerint appositæ, *vt Aetius inquit*, sed in reliquis quoq; temporibus, vt ex eis, qui ad imum intestinū positus est musculus, relaxetur, nec ab ipso cōstrictionis motus incipiat. Ex foliis itaq; maluarum, althææ, chamæmeli, ac sem. lini, decoctū in aqua & oleo paretur, ac per spongias calidum applicetur sæpius. Vel in eodem decocto insideat æger. Doloribus vero adhuc perseuerantibus, & maxime quibus infusi clysteres non infra rursus prodeunt, etiam ea, quæ dolorem leuant exhibenda sunt; item conuenientes antidoti ante somnum, *ex decreto Aetij*, ceu ex viperis theriaca exsistit Andromachi, post eam vero, quæ methridat. nomen habet. Et ita quoque si dolor a materia cruda fiat, erit post clysteres & medicamenta per os exhibita, iisdem vnctionibus & cataplasmatis, aliisque topicis concoquenda, *vt in colico dolore dictum est*. Diligentissime obseruandum, vt & alimenta & medicamenta in forma liquida sint; melius enim alimenta descendunt, & melius conficiuntur; ita & medicamenta melius quoque descendunt. Quod si obstructio fuerit soluta, non erit inutile (*vt Rondeletius sentit*) dare aliquas pilulas, quæ ventriculum & intestina detergant, citra magnam calfactionem, maxime cum a putredine & cruditate fit. Non desunt, qui pilulas Iliacas dictas, quæ a Rhasi *lib. IX. ad Almanzorem* describuntur, commendant, vt Dodonæus amicus noster, *in suis Obseruationibus, cap.* 36. de Ileo sic scribens: *Pharmacopœus maximo ilei, tertio quoque die, dolore torquebatur, quo sæuiente febris aderat satis vehemens, & vmbilicus vna cum circumuicinis partibus in tumorem attollebatur. Iniecto autem in ipsis doloribus enemate satis acuto, expurgatisque vitiosis, admodum viscidis, crassis, fœtidisque facibus, dolor conquieuit, febrisque cessauit. Quod cum sæpius contingeret, & nec desinerent huiusmodi tertianæ exacerbationes: nec enemata, nisi cum adhiberentur, prodessent, de aliis remediis deliberatum. Tentata quadam sunt: sed cum nec his dolores integre sedarentur, pilulæ Iliacæ a Rhasi descriptæ ad Almanzorem occurrerunt. Harum scriptulus in die quietis exhibitus, ad-*

Curatio si ex cruditate seu ex ciborum corruptione voluulus fiat.

Quibus podex fouendus.

Historia Remberti Dodonæi de ilei dolore.

modum prauos, & vehementer fœtentes humores eduxit: quibus expurgatis, ilei dolor multum sopitus: cum autem in vniuersum non cessaret, eadem i paulo maiore dosi exhibitæ: quibus reliquis humoribus eductis, ilei dolor omnino conquieuit. De istis pilulis (inquit idem) *in cap. de colocynthide scripsimus in nostris de stirpibus historiis. Earundem vero singularem facultatem sæpius, in ructu autem molestissimo valde mirificam compertam habemus. Hispano cuidam militi molestus ac difficilis erat assiduus ructus, vt in extremis versari videretur, cum ad eum vocarer. Vsus fuerat admodum multis remediis: sed frustra omnibus: nec quicquam per hac profecerat, nisi quod vires eius insigniter forent deiectæ. Huic initio exhibuimus pilulam vnam decem granorum pondere, per quam vitiosis humoribus nonnullis expurgatis, melius habere videbatur: postea paucis diebus interpositis data grana quindecim: tertio vero scriptulus vnus: quo assumpto, & expurgatione prauorum humorum succedente, qui antea lecto affixus veluti moriturus iacuerat, surrexit, & quocunque libuit, ambulauit, & cibum potumque cum appetentia assumsit.*

OBSERVATIO XX.

De ileò ex bubonocele orto, cum vomitu enormi.

VXor Nicolai Adriani ceruisiarii, pro cuius foribus Delphis Petaso seu Perna intersignium erat; mulier si quæ altera pulcerrima, post partum alias longo tempore præcedente in bubonocelem seu ramicem inguinis inciderat, vnde coacta fuit ligamentis idoneis intestina in locum suum reducta retinere. At cum hæc aliquando fluxu diuturno ventris laborasset, ex dolore & torminibus, tum etiam ex flatu præcipue, quem inter aluum noctu sæpius excernendum excepisset, tandem & intestinis a loco suo remotis, & in inguina prolapsis, cum quadam duritie renitente, vt in locum redire intestina non possent: tandem in dolorem iliacum intolerabilem incidit, cum vomitu enormi & continuo, ac cruciatu vehementiore totius ventris, maxime circa, vmbilicum vt ab astantibus animam agere existimaretur. At hæc maxime empiricis & medicastris mulierculis dedita, misera mulier, monacham quandam medicam, apud mulieres, etiam ditissimas quasque Delphenses magni nominis, ad se vocat. Varia dum attentantur remedia, tum medicaméta, quæ omnia per os reiiciebat, etiã balani impositi sunt per anum, quibus licet aluus irritata fuerit, tamen nihil quicquam his profecerat: adeo vt coacta fuerit tandem me vocare. Igitur 26. die Aprilis, anno 1560. ad eam ingressus, & huius symptomatis, & morbi caussa probe perspecta, facile intellexi colum intestinum refrigeratum, ac spiritu flatuoso repletum, tum stercore induratum, atque extra rupturam propulsum, quo minus in locum redire posset: vnde & tandem gracilibus intestinis ileo affectis & coangustatis, stomachum comprimentibus, vt nihil retinere posset, omnia vomitu reiiciebat: & inde affectum tandem ileosum ortum; quod dolor circa vmbilicum quoq; indicabat. Cum autem caussam huius affectus ileosi ex inguinis ruptura esse cognoscerem, omnibus modis studui eandem remouere, & in locum cõsuetum intestinum prolapsum reducere, quod cum manu fieri non posset, id fomentis linimentisque, quæ vim emolliendi, inflationem tollendi, atque dolorem leuandi haberent, perficere tentaui. Sed quia aluum non probe reddebat, libenter enema iniecissem, verum cum id non admitteret, glande satis oblonga & acuta aluum excreuit. Mox tentaui vt intestinum in locum suum deducerem, prius inungendo locum affectum tum ventrem oleo chamæmelino, anethino & liliaceo simul mixtis; inunximus & locum rupturæ, cum non adesset magna inflammatio, nec febris, sed exigua ob dolorem vehemẽtiorem. Quare & hoc fotu emolliente & flatum dissipante bubonocelem seu locum rupturæ continuo foueri mandauimus, in hunc modum, vt intestina reducerentur. ℞. *folior. maluæ, florum chamomillæ, anethi, sem. lini, ana m. j. coquantur in lacte bubalo, semine cymini in exigua quantitate adiecto.* Fiebat autem fotus cum spongiis, vt assolet. Quibus præsidiis ilico dolor sedatus est; & intestinis in locum suum manu facillime reductis, subligaculisque debite iniectis, (*ne rursus extra peritonæum intestina reuoluerentur*) sanitati restituta fuit. Sed quia ructus & ventositates experiebatur, floribus chamomillæ & furfure ligatis in nodulo raro, & decoctis in ceruisia communi, atque expressis, cyatho vno ebibito maximam copiam pituitæ euomuit, simul multis ructibus ac ventositatibus per os emissis, ex quibus magnum iuuamentum sentiebat. Secundum vero cyathum retinuit, ructusque multos emisit sine vomitu: intestinisque ex linimento & fotu, manu deinde leuiter in locum reductis, præter mentem multorum conualuit, atque per totam sequentem noctem dormiuit, cum longo tempore antea ob cruciatum vehementiorem dormire non potuerat. Et ita magno cum meo honore a dolore liberata, sana facta est.

SCHOLIA.

SIcuti colicus dolor ex enterocele (*cuius exemplum posuimus obseruat. 14. huius libri*) fieri potest, ita & iliacus dolor, si diutius duret: atque eodem fere modo curatur. Sic etiam aliæ species ramicis, vt bubonocele, & epiplocele, id est, inguinis ruptura, & omenti prolapsus, ita & exomphalon (*vt postea exemplo ostendemus*) in ileon conuerti poterunt. Quod si ex intestini in scrotum prolapsu volulus contingat, eodem modo curatur, vt de enterocele dictum est: Confestim enim tentandum est, vt decubitu sursum (*teste Aetio & Paulo*) vergente adornato, delapsum intestinum ad inguinum partes retrudatur, atque post leniter citra violentiam, ac compressionem ligamento adhibito contineatur. Quod si stercus aliquod durum vel ventositas adhæreat, aluus clysteri emollienda; & si ventositas adsit, quædam carminantia ventositatem (*vt in Scholio obser. 14. huius libri præcedentis diximus*) addenda. Eodem modo aliæ

aliæ ramices seu herniæ sunt tractandæ, vt latius suo loco dicturi sumus. Enterocele paulo difficilius reducitur: primum tamen tentandum, vt decubitu sursum versus vergente adornato, cruribus elatis, æger collocetur. Bubonecele facilius reducitur (*si ex inguine non valde propendeat, vt huic mulieri euenit*) quam enterocele; epiplocele difficilius: grauissimum vero malum est, exomphalum si valde excedat, & ileum inferat, *vt paulo post duobus exemplis declarabimus*. Si vna ventositas adest, malum auget, stercore etiam indurato: id facile constat ex historia Romberti Dodonæi, viri doctissimi & nostri familiaris, de tonsore, *qui ex colo flatu distento cum multorum empiricorum medicorum opera vsus, vehementia medicamenta, ac violentissimas purgationes sustinuerat: sed cum huiuscemodi remediis malum non rediret, tandem defecit*. Huius intestinum colon a dextro in sinistrum, ex qua parte ventriculi fundo incumbit, flatu omnino distentum erat, & ab omnibus excrementis vacuum: reliqua intestina fecibus plena, ex quorum superioribus cum feces descenderent, impetu quodam violento per distentum colon ferebantur, ventriculi fundo compresso. Vnde factum est, vt cibi potusque portio ad os subito regurgitaret. Refert quoque Beniuenius, *Lodouicum Nicolinum, generosi cuiusdam equitis filium, ex solo vento, viscera & stomachum impetente adeo in monoculo afflictatum, vt miserabili angustia tertio die (nihil conferentibus auxiliis) e vita migrarit. Inciso autem eius cadauere, & viscera (inquit) omnia vento plena conspeximus, & in sinistro cordis ventriculo obduratum callum inuenimus, qui nucis magnitudinem æquaret. Quare vt illum, hoc est, ventum, mortis ipsius, ita hunc, scilicet callum, aduersæ hominis valetudinis caussam fuisse arbitrati sumus*. Quibus modis colicus vel iliacus ventosus curetur, in præcedentibus dictum est.

Historia Dodonæi de tõsore ex colo flatu distento mortuo vide obser. eius, cap. 37.

Lib. de abdit. caussis, cap. 81.

OBSERVATIO XXI.

De Ileo exomphalo orto, in muliere, cui excrementa per os reiiciebantur, curato: sed rursus post aliquot menses redeunte, iterumque post annum reuerso ac curato: deinde denuo redeunte, rursusq; sublato. Ex quo ipso tandem redeunte eadem mulier obiit.

MVlier admodum annosa, septuaginta fere, si quæ altera valde obesa, crassa & pituitosa, (*vxor illius Petri Florentii, qui sepulcris conficiendis præerat*) cui nomen Mariæ erat, e regione Templi Antiqui, siue Diui Hippolyti Delphis habitans, multis annis exomphalo siue vmbilici ruptura laborauerat, vt intestinum sæpe in eandem rupturam illapsum ad magnitudinem capitis exomphalon extra propenderet: ob quam caussam frequentissime iliaco dolore afficiebatur, idque leuissima occasione, nempe si solum refrigerata esset, vel si sese aeri, ventoso, nebuloso, pluuioso, vel tempestuoso commisisset, & si exiens a frigore aut vento seipsum non satis muniret. Ceterum quamuis vetula esset, pro suo tamen more satis agilis, & valde laboriosa ac solicita circa sepulcra constituenda mortuorum erat, cum huic officio multis annis præfuisset, & loca constituta, in quibus amici sua sepulcra consueta habebant, probe cognosceret. Tandem eo malum deuenit, vt intestinum in rupturam vmbilici illapsum puluinaris instar ex ventre propenderet, ita vt maius exomphalon in vita non viderim. Hinc factum est, vt hæc vetula nimium forte officiosa, ex frigore aut vento concepto, anno 1560. decimonono die Septembris in grauissimum ileon prolapsa sit, ex intestinis in rupturam eandem illapsis, longo tempore ita propendentibus, nunc autem refrigeratis, vt nullis modis, aut arte chirurgica, seu manu in locum retrahi ac deduci possent, stercore quoque indurato; adeo vt malum ita increuerit, ac omnia sursum ferrentur, & cibi potusque portio regurgitaret, & subito per os exsiliret, vomitu continuo & pituitoso, deinde etiam valde bilioso, subsequente, tandem & per tres continuos dies excrementa fœtida & male olentia per os reiiciebat: fuitque podex ita adstrictus, vt neque specilli extremum recipere posset; & successit febris vehemens, spirandi difficultas, ac vrinæ ægre exibant, vt in grauissimo ileo fieri assolet. Ad hanc tandem accitus, cum iam extrema & sacra inunctione (*vt vocant*) a sacerdotibus esset munita, quam solent morituris & deploratis sacrificuli administrare, podicem spongia madefacta in decocto emolliente & relaxante cum fouissemus, vt glans melius imponeretur, sequentem glandem subiici iussimus. ℞. *pul. hieræ picræ* ʒ ß. *salis communis & salis gemmæ parum, cum melle, fiat balanus seu suppositorium, vt vocant*; sed ob stercus induratum vix iniici potuit, nec quicquam effecit. Et quia iam tres dies præterierant, quod excrementa per os reiecisset, ideo enema iniiciendum esse proposui, eadem tamen non ilico admittente: sed cum clysterem extremam anchoram salutis in curatione esse dicerem, atque in hoc cardine eius vitam versari, & si annuere non vellet, proculdubio eandem esse morituram prædicerem, nec aliud remedium ad sanitatem recuperandam nisi hoc solum superesse; tandem ipsa, partim doloris vi coacta, partim spe salutis adducta, enema sibi iniici ægre tamen concessit. Ita vt sequens 20. die Septemb. immissum fuerit. ℞. *decoct. prun. vuar. passul. ab arill. repurg. seminis anisi, cum iure pulli (vt magis stercora dura emolliret)* ℔ j. *vel circiter* ℔ j. ß. *cui adde cassiæ mundatæ pro clysteribus* ℥ j. ß. *olei amygdal. dulc. olei oliuar. recent. an.* ℥ j. ß. *salis communis* ʒ j. ß. *misce, fiat clyster*. Verum, quod fere omiseram, pharmacopœus senex, vir bonus, cum illi iniunxissem vt hora 10. ante meridiem clysterem iniiceret, dixissemque me rediturum hora secunda post meridiem, cum vetulam accessisset, & illam adeo extreme laborare videret, dixit mulieri, non audeo clysterem iniicere; verebatur enim illam interim; dum clysterem iniiceret, morituram; & sic re infecta discessit. Me autem hora secunda pomeridiana redeunte, & vetulam in eodem statu inueniente, roganteque, num clyster opus suum peregisset, intellexi ab illa, enema, ob caussam iam

dictam & rationem a pharmacopœo illatam iniectum non fuisse. Iubeo itaque pharmacopœum reuocari, petiique vt libere diceret, *nunquid clysterem aliquo modo obesse posset*, existimaret. Ille respondit, *minime, cum & nutriret, & solum emolliret: sed se tantum timuisse, ne ex motu deficeret mulier.* Verum cum illa ipsa diceret, *Meipsam mouebo, anhelans sanitatem*, imperauimus, vt me præsente clysterem iniiceret: quod quidem fecit: quamuis difficulter, ob podicem astrictum & stercora dura, imponere potuerit: sed tandem omnem liquorem clysteris recepit; & per duas horas retinuit; & tunc primo scybala dura seu (*vt medici licet barbare loquuntur*) squibalas, seu stercora dura in modum paruæ pilæ coacta deiecit: deinde noctu subsequente bis egregie aluum deposuit; & cessauit vomitus stercoraceus seu excrementorum, & singultus qui antea aderat (*quem in præcedentibus, cum de signis loqueremur, ex aphorism. decimo, lib. septimo malum esse Hippocrates pronuntiauit*) repressus est ac cessauit, & dolor atrocissimus mitigatus est. Sed 21. & 22. Septembris habuit fluxum ventris per se copiosum, vomitu non amplius redeunte; & deinde quotidie ad minus quinquies aluum deponebat, & nocte aliquando ter liquida aquosa & biliosa egerebat, cum sedatione doloris: verum viribus deiectis nonnihil debilior facta erat. Pro siti & linguæ scabritie, quæ tunc aderat, & virium restauratione, 21. Septembr. hoc eclegma a me fuit præscriptum. ℞. *syrup. viol. oxyzach. simplicis, syrup. de corticibus citri, an.* ℥ j. *manus Christi cum perlis* ℥ vj. *probe misceantur.* Ex quo subinde capiebat cochlear dimidium. Interim raro, noctu præcipue, sine febre erat: aliquando noctu bis febricitabat; & nonnunquam etiam interdiu, paroxysmis certum circuitum non obseruantibus, quasi hæc febris modo duplex, modo erratica fuerit. Fluxus autem perseuerabat, quem tamen noluimus constringere, cum dolor iliacus & sæua illa symptomata ac quasi lethalia per illum fluxum consopita essent. Verum 23. Septembris, cum magis & plurima liquida excerneret, eaque minime cocta, vt in cœliaca affectione fieri solet, pro ventriculo roborando linimentum sequens præscripsi. ℞. *olei coton. menthacei, mastichini, an.* ℥ ß. *ceræ modicum: fiat linimentum pro stomacho.* Ceterum cum & aphthæ non solum in ore & circa labia, sed & in palato vbique oborirentur, (*quod ex fœtore & corruptione fecis reiectæ prius euenisse arbitrabar*) 25. Septembris, vt hoc gargarismo vteretur præcepi. ℞. *hordei commun. seu non excorticati, folior. violar. malu. flor. rosac. rub. ana. m.* ß. *fol. plant. man. j. rad. liquir.* ℥ iij. *coquantur in aqua commun. colentur: & adde sem. coton.* ℥ j. ß. *& iterum ebulliant, ac leuiter colentur: cuius colat. accipe* ℔ j. ß. *addendo diamori, syrup. ex rosi. siccis, syr. viol. an.* ℥ ß. *misce pro garg.* At cum fluxus ventris perseueraret, pro abstersione 28. Septemb. hunc syrup. propinaui. ℞. *decoct. hordei mund.* ℥ iij. *syrup. viol. ex infus. rosi. rub. commun. an* ℥ ß. *misce.* Postea ad maiorem roborationem & leniorem restrictionem, & pro abstersione similiter imperaui, vt conserua rosacea frequenter vteretur. Et quia febris subinde recurrebat, incertis tamen periodis, sequens decoctum ebibit. ℞. *corticum rad. cichorei, dentis leonis, fœniculi, macerat. in aceto vini optimi, an.* ℥ ß. *hordei mundati p. j. glycyrrh. ras.* ℥ ß. *coquantur ad hordei crepaturam ad modum ptisanæ, pro* ℔ j. sumsit tribus vicibus. Victus tunc erat amygdalatum. His præsidiis non solum ab inflammatione & febri, sed ab ileo lethali, cum vomitu etiam stercoris, singultu, & aphthis, præter omnium mentem egregie curata fuit. Verum hæc ipsa anno 1561. mense Martio subsequenti ex eadem caussa in idem malum seu in iliacum dolorem multo sæuiorem, quam antea prolapsa est, adeo vt per quinque pluresue dies vomitu per os recrementa denuo reiecerit, prius reiecto cibo crudo, tum potu; postea & bile viridi in maxima copia reiecta, subinde & prassina, mox excremento ipso, cum tanto horrore & fœtore, vt se odore stercoris interficiendam misere clamaret: idque quinque pluresue dies durauit. Sed infrascriptis remediis, nostra industria, cum ad eandem 21. Martii accitus essem, denuo conualuit, cum etiam eo tempore pro deplorata haberetur. Omnium primo hoc suppositorium iniectum fuit. ℞. *pul. specier. hieræ picræ* ℥ ß. *pul. trochisc. albandal.* ℈ ß. *salis gemmæ parum, mellis q. s. fiat suppositorium.* nihil effecit: ideo eodem die sequens enema iniectum est. ℞. *iuris pulli bulliti cum prunis, vuis passul. & modico semine anisi,* ℔ j. *cassia pro clysteribus* ℥ j. ß. *olei anethini, rutacei* (quia valde pinguis & pituitosa erat) *olei chamomill. an.* ℥ ß. *olei amygdal. dulc.* ℥ j. *olei communis recentis* ℥ ß. *vitellum vnius oui, salis communis* ʒ j. ß. *misce. fiat clyster.* nihil eduxit, nisi squibalam vnam aut alteram vix effatu dignam. Eodem die rursus glans satis oblonga indita, hunc in modum parata. ℞. *pul. hieræ picræ* ℥ ß. *agar. trochisc. trochisc. albandal. diacymini, an.* ℈ ß. *salis gemmæ, parum, mellis q. s. fiat glans.* nihil effecit. Eodem die sub noctem & hoc enema iniectum est. ℞. *decoct. suprascriptæ* ℔ j. *cassiæ mundatæ, benedictæ laxat. ana* ℥ ß. *elect. ex hiera picra* ʒ iij. *olei anethini, chamæmel. ana* ℥ j. ß. *salis gemmæ* ʒ j. *salis communis* ʒ ß. *misce.* neque hoc quicquam eduxit, & materia clysteris regurgitabatur, neque integre ingredi potuit, ob stercoris duritiem. Decimo tertio Martii die, iterum suppositorium prædictum, infricatis aliquot granis diacridii inditum est. Sed frustra, ne squibalis quidem subsequentibus. Quare hoc clysma iterum infusum est. ℞. *decoct. suprascriptæ* ℔ j. ß. *cassiæ mundatæ* ℥ j. *benedictæ laxat.* ℥ ß. *olei amygdal. dulc. olei communis, chamomillæ, ana* ℥ j. *salis gemmæ, salis communis, ana* ʒ j. *vitellum vnius oui, misce.* Sed dimidia pars vix infundi potuit: ita vt tres supradicti clysteres nihil operati sint. Idcirco glandem sequentem præscripsi. ℞. *pul. specier. hieræ picræ, senæ, ana* ℈ j. *trochisc. albandal.* ℈ ß. *diag. gr. x. salis gemmæ modicum, cum melle, fiat suppos. oblongum.* Hoc solum tantum leuaminis attulit, vt liquorem clysteris

ad se

ad se attraxerit, sed minime feces induratas. Quamobrem 14. die Martii fotum sequentem præscripsi. ℞. *rad. althææ ℥ ij. folior. maluæ, m. j. ß. florum melitoti, chamomill. an. m. j sem althææ ℥ ß. coquantur in aqua communi ad mollitudinem: & tota substantia confricata, postquam bullierit vna cum liquore, calide in vesicam conijciatur, adiectis olei amygdalar. lini, chamomill. lilior. an.* ℥ j. & calidiuscule cum vesica bene constricta locus dolens, venter, pecten, anusque, & inguina sæpissime foueantur. Quo fotu tandem dolor cœpit mitigari aliquo modo. Post fotum pauco tempore intercedente, inditum est suppositorium vltimo præscriptum satis oblongum: & reiecit primo stercora dura, pilæ instar coacta, mox & excrementa molliora: & soluta est aluus; ita vt post noctem subsequentem habuerit infinitos secessus, liquidos & valde biliosos, & aquosos; vnde & vomitus & singultus, qui aderant, etiam sedati sunt. Sed quia 16. Martii fluxus perseuerabat, lotiuum sequens propinauimus. ℞. *decoct. hordei non excorticati ℥ iij. syrup. ex succ. ros. rub. commun.* ℥ j. *misce.* & materia bene detersa, vt & *amygdalato* sequenti vteretur iussi; idque sub noctem, vt & melius dormiret. ℞. *amygdal. dulc. depilat. ℥ ij. ß. sem. 4. frigid. maior. mundat. an. ʒ ij. sem. papau. albi ʒ j. cum aqua furfurumq. s. fiat amygdal. ad pintam vnam, pauco zacharo ad saporem inducto.* Pro siccitate linguæ, qua etiam laborabat, tres globulos præscripsimus, hoc modo. ℞. *sem. cydon. ℥ ij. zacchar. cand. ℥ iij. fiant tres globuli, & panno lineo raro constricti infusi in decoct. hordei mundati,* supra linguam deuoluantur & ore sugantur. Interea pro alteratione & calore febrili sumebat subinde cochlear vnum ex syrup. de acet. citri, & de limonibus simul commixtis. Postremo 20. Martii die pro ventriculi imbecillitate hoc linimentum præscriptum est. ℞. *olei absinthii, cydon. an. ℥ ij. olei maceris ℥ j. misce.* Atque his remediis secunda vice per me denuo curata fuit, magno cum nostro honore, cum ex morte in vitam reuocata haberetur. At, proh dolor, misera hæc mulier quatuor mensibus interpositis, optime valens denuo eodem anno 1561. die 19. Augusti in idem malum prolapsa, rursus tres continuos dies excrementa per os reiecit, aluo ac vrina in totum repressa ac retenta. Quamobrem rursus ad eam ingressus, hoc enema statim iniici iussi. ℞. *decoct. pulli, bulliti cum prunis damasc. vuis passul. mundatis, & pauco sem. anisi* ℔ j. *cassiæ pro clysteribus ℥ j. ß. olei chamæmel. anethini, an. ℥ ß. olei communis, olei amygdal. dulc. ana ℥ j. salis communis ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. vitellum oui, fiat clyster.* Deinde iterum adhibita vesica, vt supra, & suppositorio indito, *ex ʒ ß. pul. hieræ picræ & ℈ ß. diag.* & salis gemmæ parum, & mellis q. s. iterum secessum habuit, vomitu cessante: demum libere lotium reddebat. Adeo vt tertio die post ingressum meum cum admiratione omnium iam tertio euaserit. Sed infelix & miserrima vetula, post tot dolores & fœtores perpessos, a quibus semper curata fuerat, rursus eodem anno 1561. 27. die Decembris, asperrima hyeme, quarta vice in idem malum crudelissimum & extremum relapsa est. Et cum duobus diebus iterum continuo excrementa per os cum fœtore teterrimo reiecisset, non tamen me statim vocauit, nisi cum post duos dies doloribus enecata videretur. Atque tunc iisdem remediis suprascriptis vsus sum, & clystere iniecto, ac ventre inuncto cum emollientibus & anodynis, nempe pingued. gallinæ vituli, oleis chamomil. & aneth. aliisque similibus. Clystere autem iniecto circa 10. horam mane ante meridiem, liquore tantum reiecto absque excrementis, & cum vires deficerent, a meridie ad tertiam horam rediens animaduerti febrem ardentissimam eam occupasse, cum vomitu & rigore vehementiore superueniente: quo quidem rigore cum febris non solueretur, mortem instare prædixi, *iuxta aphor. 46. lib. 4.* in quo Hippoc. ita scribit: *Si rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale est.* Deinde cum valde sitiret, & membra externa frigida permanerent, certiore signo de morte prædictionem feci: cum illud idem non minus lethale, quam præcedens signum sit: sic Hippocrate dicente *aphor. 48. lib. 4. In febribus non intermittentibus, si partes exteriores frigidæ, interiores vruntur, & sitim habent, lethale est, multoque magis singultu & vomitu stercoris perdurantibus, secundum aphor. 10. lib. 7. ab ileo vomitus, singultus desipientia* (vt de signis Prognosticis antea quoque diximus) *vel conuulsio malum.* Ideo cum hæc omnia adessent, in vetula, virib. iam prostratis, nec clysteres iniecti aut alia remedia iuuarent, iam morienti rursus reiterare clysteres, aut quippiam medicamentorum nolui: videbam enim mortem instare. Et sic, prognostico facto, quod non diu superuiueret, eodem quo vocatus fueram die, sub noctem vitam cum fœditate finiit.

SCHOLIA.

VMbilicus (*teste Paulo, libr. 6. cap. 51.*) indecore prominere solet: quod vitium Græcis exomphalon dicitur, interdum a membrana, qua abdomen finit (*peritonæum* appellatur) illic dirupta ac procedente, aut omento, aut intestino; interdum colluuie otiosi humoris sub vmbilico contracta, interdum vero carne subnata; aliquando sanguine irrumpente, propter venæ, aut arteriæ rupturam, vt in aneurismatis, interdum non sanguine, verum spiritu solum irruente. Verum has species omittamus, de quibus suo loco tractabimus, cum etiam ex parte ad chirurgiam pertineant. Hic intestinum prolapsum fere capitis magnitudine tum ilium atrocissimum induxit; & licet ter ab hoc malo liberata, & a me curata fuerit, quarta tamen vice malum vetula euincere non potuit, cum & quiuis dolor iliacus senibus superueniens, ex decreto Archigenis apud Aetium, mortem inferre soleat, quamquam hæc vetula ter per nos gratia diuina curata fuerit. Ita & quædam alia vetula sexagenaria, valde febricitans, in ileon grauissimum collapsa etiam fuerat, ex inflammatione tenuium intestinorum, non autem ex ruptura, vt præcedens, adeo vt octo diebus excrementa per os reiecerit, & similiter

quatuor vermes, quod signum erat magnæ putredinis: sed tamen per me curata fuit, nec amplius recidiuam passa est: cuius historiam posuimus *lib. 7. obseruationum nostrarum de symptomatu febrium, Obseru. 4.* quam hic repetere non opus est. Cum autem hanc mulierem præ manibus curandam haberem, in mentem mihi venit historia nobilis illius in Italia, qui cum voluulum patiebatur, nec vllis remediis atque clysteribus acutis curari poterat, imo ipsis clysteribus per os reiectis: tandem veniens quidam medicus Hispanus, propinauit eidem iusculum pingue, quod prima vice tum secunda euomuit: tertia vice cum cepisset, retinuit. Hæc tamen hanc mulierem, cum quarta vice recidiuam passa esset iuuare non potuerant. Romæ mulier quædam Spoletana, cum deplorata haberetur, & stercus per os euomeret, neq; vllis remediis sanari posset, tandem sumsit omni die iusculum maluæ, & sanitati restituta fuit, vt constat ex arcanis Cornelii medici Roterodamensis, qui apud Gubertum Horstium medicum Nosocomii Mariæ Consolationis agebat; apud quem & nos egimus post eius discessum: qui Cornelius etiam eidem Nosocomio longo tempore præfuerat; sed reuersus Roterodamum iuuenis obiit. Nihil æque stercora dura emollit, quam iuscula pinguia, vt ante dictum est. Sed nunc aliud exemplum huius atrocissimi mali, ex vmbilici quoque ruptura orti, referamus.

Quidam ex voluulo cum clysteres per os reiiceret, mirabiliter curatus.

OBSERVATIO XXII.

De altera muliere excrementa per os reiiciente, ex ileo ab vmbilici ruptura orto.

PEtronella de Berendrecht, matrona mehercle proba, vicina nostra, annos supra sexaginta nata, mulier, vt si quæ altera crassissima & pinguissima, non minus quam illa, de qua superiori obseruatione egimus, quamuis minus annosa. Hæc autem Delphis quoque habitans, anno 1564. 19. die Octobr. in ileon grauissimum prolapsa est, ex vmbilici ruptura, qua multis retro annis, vt præcedens, laborauerat, ingentis quoque magnitudinis, ita vt tandem recrementa per superiora reiecerit admodum fœda & male olentia. Post muliercularum experimenta, quibus vsa fuerat, cum res ad restim deuenisset, me vocauit; & hoc sequenti enemate ex nostro consilio solum iniecto a grauissimo ac fœdissimo malo liberata est. *℞. rad. althaæ ℥ ß. folior. maluæ, viol. mercurial. florum chamomill. summitatum anethi, an. m. j. sem. anisi, carui, an. ʒ j. ß. sem. althaæ ʒ ij. prun. damasc. num. ix. vuar. passul. ab arill. repurg. ℥ j. folior. senæ ℥ ß. coquantur in iure pulli vel veruecu pro ℔ j. addendo cassiæ mundatæ pro clysteribus ℥ j. benedictæ laxat. ℥ ß. olei communis, olei anethini, chamomill. an. ℥ j. vitellum vnius oui, salis communis ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. misce. pro clysteri.* Aluo soluta vomitus ille fœdus cessauit, & sanitati restituta fuit. Cum iam diu ab hoc malo tuta fuisset, iterum anno 1566. 18. die Martii, in idem malum acutissimum & fœdissimum collapsa, vt excrementa per tres continuos dies per os reiecerit. Hoc autem tempore cum in Hagham Comitis euocatus essem ad Domicellam de Bombergen Antwerpianam, morbo vterino correptam, Petronella supradicta cum deplorata laboraret, Hugonem apothecarium suum ad se vocari iussit, & ei mandat, vt clysterem rursus pararet, quo anno 1564. per me curata fuerat. Bis iniectus est, sed nihil excreuit. Vbi ego reuersus essem statim me accersiri iubet. Excrementa vero, quæ tunc per vomitum reiiciebat, valde biliosa, fœtida, ac sincera erant; vrina similiter tincta magis quam prius: similiter febricitabat: & vna aderat oris siccitas, tum amaritudo, vt & aphthas futuras in ore metuerem. Dolebat autem præcipue, non solum circa vmbilicum, vbi ruptura erat, sed & per totum ventrem, vsque ad ventriculum. Ventrem inunximus oleo anethino & chamæmelino simul mixtis: & pro alteratione capiebat *decocti hordei mundati ℥ iij. syrupi acetosi simplicis ℥ j.* Plurimum vero debilitata ex dolore sæuissimo, enemate tamen sequenti descripto rursus iniecto, ex nostro consilio, hoc ipsum egregie choleram & materiam petuitosam per inferiora deduxit, & ventositates multas vna propulsauit; quo & probe curata fuit. *℞. maluæ, viol. parietariæ, flor. chamomill. meliloti, summitat. anethi, hordei mund. an. m. j. centaurii minoris m. ß. rad. althaæ ℥ ß. sem. anisi, fœniculi, carui, fænugræci, an. ʒ j. ß. sem. maluæ, althaæ an. ʒ j. prun. damasc. num. vij. vuar. passul. enucleat. ℥ ß. folior. senæ ʒ iij. coquantur in aqua communi pro ℔ j. colaturæ addendo cass. mundat. pro clysteribus ℥ j. elect. de dactylis, benedictæ laxat. diacatholici, an. ʒ ij. olei amygdal. dulc. viol. anethini, an. ℥ j. vitellum vnius oui, salis communis ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. misce, & fiat clyster.* Eoque retento per tres horas, paucum liquorem clysteris deiecit, absque fece tamen: & noctu plurima biliosa stercora liquida bilis instar euomuit. Mane vero aluus soluta est, primo paucis stercoribus duris excretis: postea vero & multa liquida pituitosa aquosa excernens, præter omnium astantium opinionem iterum sanitati restituta est. Deinde rursus aliquot menses frequenter in idem malum recidens, iisdem fere remediis ope diuina per nos semper curata fuit: quemadmodum & anno 1568. 24. Februarii (*cum tempus esset niuosum, tempestuosum*) in eundem affectum grauissimum prolapsa hoc clysteri sequenti demum sanata fuit. *℞. foliorum maluæ, viol. parietariæ, mercurial. flor. meliloti, chamomill. an. m. j. prun. damasc. num. xiij. vuar. passul. ab arillis repurgatarum ℥ j. foliorum senæ ℥ ß. sem. anisi, fœniculi, anethi, an. ʒ j. ß. rad. althaæ ℥ j. coquantur in iure pulli, pro ℔ j. ß. adde cassiæ mund. ℥ j. benedict. lax. hieræ picræ, an. ʒ ij. olei amygdal. dulc. anethini, an. ℥ j. ß. vitellum vnius oui, salis communis ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. misce.* Verum hæc eodem anno 1568. 6. die Octobr. recidiuam passa iterum: vt hoc truculentissimo malo decumberet, & tandem stercus per os multis diebus euomuerit, neque inferius quicquam deiicere potuerit, sed in loco rupturæ non ita dolebat, vt antea. Cum autem nec intestinum in locum suum intromitti posset,

possset, malumque singulis horis accresceret, & iam tribus aut quatuor diebus decubuisset, nec me vocasset, clam me ignorante (*forte ad rem magis attenta*) a pharmacopœo clysterem suscepit: eo non operante. & malo in peius succedente, me tandem vocauit misera matrona, cum omnia remedia frustra tentasset. Glandem satis longam tunc statim iniicere iubeo, paratam *ex pul. specier. hieræ picræ, trochiscor. alhandal. ana* ℈ *j. pul. cymini* ℈ *ß. salis communis & gemmæ parum, cum melle q. s. fiat suppositorium.* sed nihil effecit. Interim clyster hic parabatur: qui statim quoque infusus est. ℞. *rad. althææ* ℥ *j. maluæ, mercurialis, betæ, parietariæ, flor. chamomillæ, meliloti, an. m. j. furfur. macri p. j. sem. lini, fœnugræc. maluæ, sem. anisi, fœnic. ana* ʒ *j. ß. coquantur in aqua communi pro* ℔ *j. in cuius colatur. dissolue electuarii lenitiui, hieræ picræ, benedictæ laxat. ana* ℥ *ß. olei amygdal. dulc. chamomill. anethini, ana* ℥ *j. salis gemmæ* ʒ *j. salis communis* ℥ *ß. vitellum vnius oui, fiat clyster.* nihil eduxit, vti prior, quem proprio instinctu susceperat. Altero die mane, scilicet 10. Octobr. & sequens enema iniectum est. ℞. *decoct. prun. damasc. passul. enucleat. sem. an ß, cum iure pulli* ℔ *j. cassiæ mundat.* ℥ *j. benedictæ laxat.* ℥ *ß. olei amygdal. dulc. anethini, chamæmelini, ana* ℥ *j. salis gemmæ* ʒ *j. salis communis* ʒ *ß. misce, pro enemate.* neque illud aliquid eduxit. Glande rursus immissa eodem die *ex trochisc. alhandal.* ℈ *j. pul. hieræ picræ* ʒ *ß. salis gemmæ & communis parum, cum s. q. mellis,* fiebat suppositorium in cuspide aliquot granis diagr. nempe tribus impositis. Attraxit tantum liquorem clysteris, sine excrementis. Aggrauabatur malum, stercore per os exeunte, cum maximo fœtore Vrina vero perturbata erat. XI. die Octob. hoc medicamentum per os exhibitum fuit. ℞. *folior. senæ.* ʒ *iij. rhabarb. selecti* ʒ *j. ob bilem. semin. anisi* ʒ *j. schœnanthi* ℈ *j. bulliant in* ℥ *iv. decoctionis communis: & fortiss. expressioni adde electuarii de succo ros.* ʒ *ij. cinamomi selecti* ʒ *ß. fiat potio breuis clareti instar.* vt melius retineret. Retinuit autem vltra tres horas, sed tunc euomuit. Cum itaque medicamenta non iuuarent, eandem pro deplorata habui. Aduocatur & secundus medicus Ericius collega meus. Conclusum, vt denuo clysterem iniiceremus. Ego proposui decoctum faciendum, ob stercora dura inferius retenta, cum iure pingui; medico refragante, & dicente non opus esse nutritione; & ideo in aqua communi herbas decoquendas. Ego contra, non ob nutritionem id faciendum, sed potius ad aluum magis emolliendam, & stercora dura remollienda; quod & medici docti suadent, & experientia sæpe comprobatum est, in hac tum præcedente muliere ac aliis, quibus magis profuere. Cui rationi assensit collega: sed tamen cum ad manum non esset ius, in aqua decoctio facta est. Vomitus tunc erat enormis, & singultus admodum molestus illam pene interficiebat. Tale itaque enema vna præscripsimus. ℞. *rad. althææ* ℥ *j. fol. maluæ, mercurial. parietariæ, florum chamomill. meliloti, ana m. j. furfuris p. j. sem. anisi, carui, fœniculi, fœnugræc. an.* ʒ *j. ß. ficuum pinguium num. vij. fiat decoct. in aqua communi,* pro ℔ *j. ß. colat. adde elect. lenitiui, benedictæ, laxatiuæ, an.* ʒ *x. olei rutacei, anethini, chamæmelini, ana* ℥ *j. salis communis* ʒ *j. salis gemmæ* ʒ *ß. misce. pro clystere;* retinuit satis diu. At postea non nisi liquorem clysteris emisit. Duodecimo die Octobris, cum nullo modo secessum habere posset, ac ipsa consueta esset aliquando pilulas deuorare, quas & libentius se sumere velle proponebat, quam potionem; vt has pilulas caperet vna cousuluimus. ℞. *pul. rhabarb. selecti* ℈ *ij. trochisc. alhandal.* ℈ *ß. pul. cinnamomi gr. iij. cum syrup. ex infus. ros. fiebant pilulæ v.* Sumsit autem commodissime, & retinuit per quatuor horas: deinde more consueto iterum vomuit, nec secessum habuit: & quicquid sumebat, etiam potum ipsum, vomitu vna cum stercore reiiciebat. Sub noctem singultus magis increbuit, & virtus ex continuo vomitu, tam chymi, quam excrementorũ, deiecta est; ita vt remediis locus non esset. Obiit vero sequenti die cum miserabili illa fœditate, matrona mehercle probissima.

SCHOLIA.

MVlier hæc (*vti etiam præcedens*) quamuis ab eiusmodi sæuissimo & fœdissimo malo sæpe per nos curata fuerit, tamen cum toties recidiuam pateretur, impossibile fuit hostem tam sæuum & atrocem superare. Vno atque altero die ante mortem clamabat intestina supra vmbilicum conglutinata esse, quo minus probe medicamenta descenderent. Libenter ob hoc corpus incidissemus, vt huius mortis caussam recte inueniremus. Sed nescio, qua superstitione negantibus cognatis & amicis, voti compotes fieri nequiuimus. Venit mihi tunc in mentem historia illa Beniuenii, monialis cuiusdam intestinorum dolore mortuæ. *In cœnobio (inquit) Diui Donati, quod in agro Pulverosa est, religiosa mulier & eius cœnobii professa fuit: quæ intestinorum doloribus multis iam mensibus vrgebatur: & aluus nil nisi ægre & durum, idque tantum decimo quoque die reddebat. Cumque nullis conferentibus auxiliis diu multumque hoc malo vexata, tandem naturæ concesserit, mortuæ corpus incidendum curauimus: & inuenta sunt intestina altiore callo constricta: adeoque iter angustum relinquebatur, vt deiectiones ægre transmitti possent. Hoc tamen nos malum, propterea quod aluum prementi nescio quid durum renitebatur, etiam ea viuente præsenseramus.* Hactenus Beniuenius. Vbi itaque stercora dura sunt, nihil est præstantius quam emollientibus clysteribus primum educere: nam postea, si nimium diu exspectent ægri sine præsidiis, & stercora deinde per superiora reiiciantur, raro vel cum magna difficultate euadunt. Memini rusticam quandam in Berckel pago sic dicto, anno 1580. 23. Ianuarii, cum per quinque aut plures dies ex ileo omnia per superiora reiiceret, (*quam tamen non vidi, sed amici cum lotio ad me consultandi caussa venientes hoc mihi narrarunt*) nec purgationes nec quicquam potus seu edulii retinere potuisse: tandem ægre admodũ concesso clystere sequente, eo ipso a

De abditis rerum caussis, cap. 34.

morte, quasi ad vitam reuocata est. ℞. *radic. althaæ mundatæ ℥ j. folior. viol. maluæ, parietariæ, florum chamom. meliloti, an. m. j. prun. dulc. num. IX. sem. althææ, maluæ, an. ℥ j. summitatum anethi p. j. coquantur in aqua communi pro ℔. j. colat. addendo cassiæ pro clysteribus ℥ j. benedictæ laxat. ℥ ß. olei amygd. dulc. chamomill. anethini, an. ℥ j. vitellum vnius oui, salis gem. ʒ j. salis communis ʒ ß. misce, pro enemate.* Theodorus Clutius pharmacopœus, cognatus noster eo profectus, cum clysterem iniecisset, aluo egregie soluta, rustica hæc ab omni dolore statim, incantamenti instar, liberata fuit. Hæc quidem exempla de ilei curatione adduxisse satis esse arbitror. Vnum adhuc restat, de ileo ex venenata potione originem habente, vt ita huic tractatui finem imponamus.

Observatio XXIII.

De ilei dolore ex veneno assumto.

MVlier, quæ arsenicum sumserat, in tormenta intestinorum lapsa ilei instar, circa vmbilicum & ventriculum dolebat. Statim ad vomitum illam cogebam (*cum male ex alterius consilio aquam frigidam bibisset:* & butyrum cum oleo communi, vna cum ceruisia, quæ ad manum essent, propinaui. Mox oleum amygdal. dulc. dedi in magna copia; & egregie vomuit, quod oleum cum sæpius cepisset, maxime contulit. Oleum enim amygdal. dulcium recens expressum, quadam proprietate (*vt in aliis experti sumus*) arsenici excoriationi resistit. Mox theriacam dedimus, & a torminibus fuit curata. Quod si non iuuissent hæc remedia, dedissem proprium antidotum, vt crystallum verum. Dedi prius iura pinguia; quibus, cum illi etiam aluus solueretur, melius habuit.

Scholia.

Curatio ilei ex veneno.

COntra ileum ex veneno, valet oleum, theriaca, vel lac: oleum calefactum bibendum frequenti potu; & ad vomitum ægri cogendi sunt, aut ius pingue propinandum, vt sæpius euomant. Post aliquot dies Theriaca in potu datur vtiliter. Nos hic *oleo amygd. dulc.* commode vsi sumus. Si venenum cognoscatur, præstat post euomitionem & eiusdem expurgationem propriis antidotis vti. Si vero a venenoso pharmaco, quis in voluulum incidat, aquam tepidam bibendam dabimus, vomereque cogemus. Deinde oleum calidum in potu dandum, aut iura pinguia, vt denuo vomant ex moderato eorum potu. Deinde ita parum perquiescant, & postea theriacam accipiant cum vino dissolutam: *quemadmodum Aetius & Paulus præcipiunt:* & si adhuc perseuerauerit, purgante medicamento vtare, aliquo eorum, quæ supra commemorauimus. Ita quoque si ab insalubri cibo, vt fungis comestis, contingat, vomitus confestim prouocetur, hunc in modum. ℞. *sem. raphani, sem. atriplicis, anethi, an. ℥ ß. decoquantur, huius iuris decocti accipiantur ℥ vj. oxymel. simpl. ℥ j. ß. misceantur, & tepide bibantur.* Vbi vomuerit laborans, sumat theriacæ veteris ʒ j. *ex vino.* Neque hoc semel fecisse satis est; sed repetatur diebus aliquot proxime sequentibus. Sed vbi venenum sumptum est, nequaquam ab initio theriaca danda; vt quidam pharmacopœus nuper faciebat, sed post vomitum: ita neque vinum ab initio conuenit, vbi adest excoriatio. Tunc potius lac tepidum dandum est, si subsequatur excoriatio intestinorum. Et ita si venenum aut venenosa medicamenta excoriationem intestinorum proferant, venenositate prius detersa & abluta, excoriationi succurretur, *vt latius de dysenteria dicturi sumus.* De venenis quoque in propriis locis dicemus. Nunc addamus quædam, quæ proprietate iliacis resistunt. Resistit autem ileo discerpti vespertilionis sanguis ventri illinitus: item senectus serpentium decocta cum rosaceo in vase stanneo, si ventri illiniatur, vt apud Plinium Secundum legitur *lib. 2. de re medica, cap. 33.* Quidam Ileosum conclamatum, a summa desperatione liberauit, gallinaceo fimo duntaxat albo ex vino vel syrupo vna poto. Ex antiquis auctoribus cyminum Ægyptium intestinorum dolores & inflationes discutit, vti & anisum ex mulso cum obulis duobus castorei ad inflationes ventris datur. Plura vide apud Benedictum Veronensem, qui & in fœda excrementorum vomitione aquam gelidam in potu vberius datam commendat: quia sitim sedat & fœditatem retroagit. Eo remedio (*vt idem testatur*) quidam medicus ileosus a medicis destitutus, saluti restitutus fuit. Hæc de tormentis colicis & iliacis: nunc ad alia intestinorum vitia transeamus.

Curatio si fiat voluulus ex deuorato veneno sopharmaco.

Ab insalubri cibo, vt fungis, vel venenoso.

Quæ a proprietate ileo resistant.

Observatio XXIV.

De quibusdam aluum ægre excernentibus.

SEnex singulis tribus septimanis aut aliquando mense aluum semel reddebat: qui & in toto corpore pruritum patiebatur, & potissimum circa pectus; & nocte sudore perfluebat: alioqui non ægrotabat. Huic consulebam vt pinguibus iusculis vteretur, in quibus & malua incocta esset. Romana quædam mulier vrtica tenella ex oleo & sale comesta aluum sibi soluebat. Cornelius medicus ille senex, qui Delphis prope templum Nouum habitabat, vt mihi ipsi narrauit, sanus existens, singulis octo diebus tantum semel aluum deponebat, quod & illi familiare erat; vti & Iosepho Michaeli, medico clarissimo eueniebat, quod & ipsum nobis retulit. Pictor quidam Alcmarianus ob apostema in musculis abdominis cum feces cum intolerabili dolore retinerentur, nec aluũ lenientibus & purgationibus fortibus ab Empiricis & mulierculis præscriptis, exonerare posset, clystere emolliente ex nostro consilio aluum deposuit. Plurima huiusmodi exempla posuimus *lib. 2. obseru. nostrarum de feb. obser. 34. & præcipue in scholio obseru. eiusdem.* Sed & fœmina paralytica *apud Benedictum Veronensem* 30. diebus continuis ventrem non exonerauit, eodem ventre supra modum intumescente. Alterius quoque a conceptu ad 45. diem aluus suppressa est magno naturæ incommodo. Alba Caucha ex patricia Venetorũ gente, ad partum vsq; aluo adstricta fuit, vt vix septenis diebus paululum excrementi aridi caprino similis emitteret, post partum quatriduo cẽties aluum

aluum exonerauit, excrementitio fluxu. Iuueni XXVII. annorum 25. clysteres per interualla infusi nihil præstiterunt, neque medicamenta laxatiua apud Valescum.

SCHOLIA.

Tarda atque pigra alui deiectio est, qua fæces & cibi reliquiæ raro, nec pro assumtorum ratione descendunt. Per hanc fæces necessario obdurescunt, quod diutius cohibitæ caloris vi continenter siccescant, ab hisque nonnihil succi semper exsugant mesenterii venæ, non modo in tenuia, sed in crassiora intestina distributæ. Tarda deiectio intestinorum quidem symptoma est, sed quod alios deinceps morbos excitat: quocirca inter euidentes morborum effectrices caussas refertur. Illius siquidem vapore caput tentatur, corpus ingrauescit, ventriculi concoctio offenditur, ac reliquæ functiones deteriores euadunt. Sæpe ex viuendi errore nascitur, velut ab esculentis siccioribus; acerbis, & astringentibus, quæ præsertim prima mensa assumta sint: ad hæc ex immoderata ciborum copia, quam pauco tempore natura neque vincere neque distribuere potest: ex otio denique & decubitu, somnoque multo. Ceterum non hanc, sed eam, quæ morbi soboles est, tardam deiectionem perquirimus. Huius caussa a doctissimo Fernelio, triplex statuitur. Prima, *sensus obtusus, qualem infligunt veternus, apoplexia.* Secunda, *stimuli penuria, & quum flaua bilis, quæ obiter intestina ad excretionem irritat cohibetur, hocque crebro fit in ictero, vt diximus, ideo & fortiora laxantia (vt ostendimus) requirit:* Tertia caussa est *intestinorum vel obstructio vel astrictio: quæ ceteris est caussis frequentior.* Astrictio a mesenterii aut viscerum tumore nascitur, qui intestina pressu coangustat: nonnunquam & ab enterocele, & huius curationem paulo ante diximus. Obstructio vel a duris siccisque fæcibus, vel a crassa lentaque pituita, vel a concreto calculo. Quomodo hæc tollatur, cum de colicis doloribus loqueremur diximus. In quibusdam ergo pigra multum ac tarda est aluus, vt in eo quem nouimus non nisi duodecimo quoque die excrementa fæcesque deiicere, & aliquando citra manifestum corporis functionum detrimentum dies totos quadraginta, sine excrementorum deiectione permanere: & præfectum quendam in Heyloe (*de quo egimus lib. 2. obser. 34. de feb. quartana continua*) intra tres menses & tres dies, nihil prorsus ab aluo reddidisse memini; sed in his caussa quidem neque a consuetudine, neque a natura, sed ab iis, quæ nunc recensui vitiis, petenda. Quin etiam tumor præter naturam in intestino genitus, imo callus (*vt apud Beniuenium de abditis caussis, ca. 31.* inuentum post mortem tenuius intestinum obcalluisse, vnde mors) id in totum obstruit, fæcisque prolapsum prohibet. Caussæ igitur obstructionis & astrictionis tollendæ, si fieri potest; ita & stercora dura emollienda, & clysteribus emollientibus educenda, *vt iam exemplis quibusdam præcedentibus ostendimus*: & non exhibendum catharticum, nisi aluum prius clysteri emolliente leuiter subduxeris: mox lenientia dabimus, & ea quæ leniunt ex cibis prima mensa, aluus quoque inunctionibus emollienda: vel supra vmbilicum emplastra ab auctoribus laxantia descripta imponenda.

Tarda deiectio modo symptoma modo caussa aliorũ morborum exsistit.

OBSERVATIO XXV.

De cita alui deiectione.

Andreas Guilhelmi de Oosthoren, vir si quis alius ditissimus, cognatus noster, lubricum ventrem habebat: adeo vt sæpe citius aluum deponeret, cibo nondum concocto exeunte, cum humida siccis & constringentibus præponeret in prima mensa. Huic victum contrarium consului, vt mala cydonia vel quippiam adstringens primo comederet, deinde rursus humida: quæ enim astringunt, si in prima mensa sumantur aluum cohibent, ne cito cibi humidiores descendant: si post ceteros cibos, ventrem laxant. Vt huius rei caussam melius intelligeret, in medium adduxi historiam Galeni, *lib. 2. de alimentis capit. 21.* de oratore, qui ab austeris pyris malisque sibi ventrem laxari prædicaret. Huius rei experientiam faciens Galenus, ei consuiua esse exoptauit: & cum pyra ac mala post alios cibos liquidos comederet, caussam inuenit. Igitur vt illa prius comederet imperauit; & ita constricto stomacho debiliori, minus ventrem laxabat. Iucunda quidem hæc est historia; quam legere poteritis: vti & de muliere, quæ scammonia deuorata angebatur, & venter laxari non potuerat; sed malo punico aut pyro supra assumto, symptomata cessarunt, & aluus soluta fuit.

SCHOLIA.

Cita alui deiectio contrariis fit ex caussis, quibus pigra alui deiectio fiat, cum nimirum cibus liquidus vel lubricus vel pinguis nimium est, cum is sua copia ventriculum & intestina, quasi pondere grauius onerat; & præterea quædam acrimonia eum pungit atq; vellicat, siue ea ex medicamentorum genere, siue cibus sit corruptus, siue biliosum & acre corporis excrementum sit, aliunde eo confluens, aut etiam illic genitum, *vt recte docuit Fernelius.* Hæc quippe etiam aluum reddunt, quæ & liquida, & sæpius quam ex consuetudine deiicit. Ex iis autem, quæ exeunt profluuiorum differentiæ statui debent, de quibus postea suo loco libro sequenti dicemus. Ad quam etiam in primis pertinet Cœliaca affectio, de qua prius dictum est; & lienteria, de qua, tum etiam aliis profluuiis, postea agemus. Ceterum quum aliquando eueniat, quod resolutis musculis ani excrementa vltro exeant, nec retineri possint. Ideo quoque Auicenna proprium caput ponit *de rugitu & exitu ventositatis inuoluntario*: & solus, vt puto, inter neotericos Arculanus huius meminit, antequam de colico dolore & iliaco scribat; quem legere poteritis. Cum autem fiat ob cibos flatuosos, aut malam ventriculi coctionem, vel ex frigiditate ac paucitate caloris innati, eandem curam vult esse, quam de ventositate ventriculi & intestinorum diximus. Alioqui si contingat ob resolutionem intestini recti, vel musculorum sphincteris, eadem curatio erit cum paralysi. Sed quod ad

Cita alui deiectionis caussa.

De rugitu & exitu ventositatis inuoluntario.

alui deiectionem voluntariam attinet, cum ad genus profluuiorum alui pertineat, de ea postea dicemus. Nunc de vermibus exempla adferamus, cum & in colicis ac iliacis malis (*vt prius dictum est*) aliquando appareant, & præterea etiam in alui profluuiis, tum in aliis morbis. Ideo post colicos & iliacos dolores, antequam de profluuiis alui agamus, de vermibus nunc sermonem faciemus.

Observatio XXVI.

De puero octo annorum multos vermes deiiciente.

PVer octo annos natus, Pithueris in Gallia agens (*in qua vrbe tum praxin exercebam*) a multis iudicatus phthisi ac hydrope laborare, cum vnicus filius esset, a patre ad me deductus est anno 1545. mense Decembr. animaduerto ventrem insigniter inflatum habere ac valde prominentem; qua inflatione per totum annum (*narrante patre*) laborauerat; adeo vt etiam bursa testium seu scrotum valde inflatum cerneretur; at membra reliqua, quasi macie absumta spectabantur: oculos autem concauos habebat, tussimque etiam sibi subinde valde molestam. Quæ, inquam, omnia iam dicta non semper tabem aut hydropem notant, verum & vermes, Aetii ac Pauli sententia. Plerisque enim (*vt vterque ait*) aluus cibos corruptos deiicit, & tympani modo inflatur: reliquum vero corpus sine ratione contabescit, neque inedia præcedente, neque immodica euacuatione facta. Hæc cum in puero diligenter obseruaremus, cum optime comederet, quamquam ex cibo parum nutriretur, puerum vermibus laborare conieci, licet altero Normanno medico hocipsum negante. Pater tamen nostris rationibus auscultans, puerum curandum mihi tradidit. Cui hæc præscripta sunt. ℞. *decoctionis herbæ centaurii minoris* ℔. j. *adde oxymel. simpl.* ℥. iiij. *misce.* Post septimum diem hanc purgationem propinaui. ℞. *endiu. cum radic. centaurii minor. summitatum lupul. ana m. j. flor. buglossæ p. j. coquantur in aqua communi q. s. & huius colatur. accipe* ℥. iij. *addendo diacatholici* ℨ. vj. *pul. contra vermes subtilissim. triti* ℨ. j. *syrup. absinthii* ℥. ß. *misce.* & sexies puer aluum deposuit, & vna xij. vermes, eosque longiores & crassiores, per inferiora deiecit, ventre mirum in modum detumescente. Et, quod mirum videbitur, semel aut bis iterum decocto centaurii & absinthii communis propinato, plures rursus deiecit vermes, & venter, qui per annum ita inflatus fuerat, omnino detumuit, hac potione adhuc semel ebibita. ℞. *decoct. suprascripta colata* ℥. iij. *addendo diacatholici* ℨ. ß. *electuar. de dactylis* ℨ. j. *pul. contra vermes* ℨ. ß. *syrup. absinthii* ℥. ß. *misce.* Interea in hoc puero victu vtebamur ad vermes necandos & expellendos conuenienti, abstinendo ab omnibus lacticiniis: vnguento stomachico ventre etiam corroborato, pristinæ sanitati restitutus est puer. Vnguentum hoc erat. ℞. *olei absinthii, mastichini, ana* ℥. ß. *pul. menthæ siccæ, cornu cerui vsti, aloes. cortic. granat. puluerisatorum, coralli rub. ana* ℈. ß. *ceræ modicum, fiat vnguentum.*

Scholia.

PVerilis autem magna ex parte hic affectus est: sed tamen & seniores a vermibus quandoque vexantur. Hyppocrates, aut quisquis auctor *lib. 4. de morbis*, lumbricos non modo latos, sed & rotundos in pueris ait, dum adhuc in vtero sunt, nasci, quia aliquando cum recens natorum excrementis visi sunt excerni. Eosdem vero vermes & alios parere ait ibidem Hippocrates; quod quidem & quandoque contingere obseruatum: nam per medicamenta expulsi reperti aliquando nonnulli sunt alios in ventre habentes. Atque hinc fit, vt post expurgatos vermes alii subinde iterum in intestinis renascantur, veluti mulieri cuidam apud Dodonæum, quæ singulis mensibus præseruationis caussa hieram picram assumens, tamen aliquot semper vermes aut vermiculos excreuit, quadraginta plus minus. Sic & apud Beniuenium Laurentii Lanii filius, septimum agens annum, triduo cum ex nimia lumbricorum vi ferre mortuus iacuisset, solo potu ex gramine, aceto & zaccharo puer reuixit: & quarto die ex medicamento ex aloe, myrrha & croco ei propinato, duodequinquaginta supra centum vermes per aluum deposuit, & statim conualuit. Lumbricos Græci ἕλμινθας nuncupant, quamquam communi vocabulo quidam (*vt etiam Galenus 1. de loc. affect.*) omnium lumbricorum differentias intelligunt; quod & longiore sermone Donatus *cap. de lumbricis explicat*: quamquam variæ sint lumbricorum species seu differentiæ, pro varia putrescentis materiæ figura. Alii longi sunt ac teretes, in superioribus gracilibus intestinis orti, (quos & Galenus cum Hippoc. 14. *meth.* στρογγύλας seu teretes nuncupauit, ita & Paulus:) e quibus, *vt Fernelius refert*, dum cibus descendit, obnituntur & sursum plerumque irrepunt in ventriculum, quem grauibus torquent symptomatis. Inde per gulam os ipsum conscendunt, e quo hiante prosiliunt; clauso vero dormientibus per palati cauum obrepunt in nares, forasque prodeunt, *vt nos sæpe quoque vidimus.* Alii breuiores sunt & lati, cucurbitæ seminis effigie, quorum procreatio est vel in cœco intestino, vel in coli cellulis: atque hi sæpe mira serie inter se cohærent. Alii exigui sunt, & tenues (*ascarides appellant*) quibus fedes est in recto intestino & extremo sphinctere: adultis nonnunquam horum multitudine fœces consperguntur. Hos sæpe aduertimus interdum ab ano pruritu quodam emergere, hincque in femora natesque quoquouersum serpere. Celsus vero duas tantum differentias vermium ponit, latorum & teretium: Alii quatuor genera recensent (*vt aliquibus placet apud Rondeletium*) scilicet rotundos, longos, & alios paruos albos similes vermibus casei. Tertium genus est illud, quod a latitudine latus vermis dicitur; ab aliis quoque tinea appellatur. Nam Græci tineam appellant fasciam oblongam & albam. Hic vero tripedum aut quatuor digitorum est, aut quinq́; qui secundum longitudinem intestinorum extenditur, vel circũplicatur, vt longiores aliquando sint ipsis intesti-

Multitudo vermium reiecta.

Lumbrici.

Αἱ στρογγύλαι.

Αἱ πλατεῖαι.

Ἀσκαρίδες.

intestinis, vt qui tricenum sint pedum, vel plurium, *teste Plinio*. Tæniam Valeriola vidit longitudine nouem pedum, aut etiam amplius. His itaque præter latos quartum longissimum quidam adiiciunt, eumque Tineam nominant, quanquam sub latis comprehendi potest. Sic & cucurbitinos a latis separant, quod neque illius fœtus esse possint, vt quidam arbitrantur, neque partes animalis, cum ipsi sint animalia Fernelius vero latos ad cucurbitinos refert: Amatus ad ascarides. Sic non desunt, qui quinque genera vermium ponant, & eosdem a se inuicem distinguant. Rotundi siue teretes in superioribus intestinis, tinea, longi, lati, cucurbitini extensi per intestina: licet cucurbitinos a latis oriri volunt, quod alii negant: at ascarides iuxta anum. In qua diuisione, cum ex rei natura sumta non sit, & membra simul permisceri queant, nihil mirum confusionem reperiri & controuersiam. Constat enim longos & rotundos in superioribus intestinis contineri, & per os reiici. Anno 1553. in collegio Diuæ Barbaræ, puer annos 12. natus interuallis vomere solebat, longos vermes, albos, e ventriculo. Musa scribit *senem annorum 82. in extremis positum accidentibus, quæ vermiculosis pueris accidunt, & cum graui halitu, qualis pueris esse solet, plures quingentis excreuisse, medicamento ex scordio & corallina.* Rusticæ cuidam mulieri plures prodierunt, cum antea incredibili palpitatione & fluctuatione ventris laborasset, inde assurgentis & tumentis, vt in grauidis consueuit robusto fœtu. Puer apud Amatum *centur. 6. cur. 3.* trecentos egessit iustæ magnitudinis; sed idem postea mortuus. *In Auinionis balneis, quæ sunt in agro Senensi,* inquit Beniuenius, *mulierem vidimus, quæ continuis septem diebus aqua epota, quam plurimos tandem ex iis, quos medici, propterea quod cucurbitæ semina imitantur, cucurbitinos vocant, vermes eiecit: qui ita inter sese (dum scilicet alter alteri mordicus inhæreret) iungebantur, vt cum sua ipsi serie quatuor cubitorum longitudinem excederent: vnum tantum corpus, vnum duntaxat vermẽ putares.* Hic per vermes cucurbitinos *latos* intellexit, quamuis & cucurbitini etiam dicuntur, quod quædam ab hoc abrupta cum excrementis alui quandoque excernuntur. Latum autem lumbricum permutationem esse pelliculæ intestina intrinsecus ambientis, in corpus quoddam viuum, Aetius scribit. Hunc quoque; iuxta *Hippoc. de morb.* connasci pueris in vtero materno, postea augeri cum puero, constat: de his vide plura apud Donatum. *Vide,* (inquit Dodonæus amicus noster) *& curaui olim honestum virum ab huiusce modi verme male habentem, qui quandoque ab assumta potione purgante ex ano suo lati lumbrici vlnas duas aut tres extraxit, & post aliquanto tempore melius habere sibi videbatur. Pallidus autem hic erat, & cibum quandoque vehementer appetebat, alio tempore fastidiebat. Memini puellam* (inquit idem) *nouem annorum ab assumto vermes pellente medicamento non lumbricis, sed erucis similes vermes reiecisse, aliquanto tamen breuiores, multipedes, & quidem adhuc viuentes.* Sic quidam (*vt Henricus a Bra, Documanæ reipubl. medicus mihi scripsit*) nuper de cordis dolore fere perpetuo duobus annis grauiter conquestus, assumto medicamento vomitorio, vermem erucæ similem excreuit: quem cum euomuisset, perfecte sanatus est. Narrat & Cornelius Gemma de diuinis characterismis *lib. 1. cap. 6.* varias vermium species, tum & alia per aluum excreta. In puella catocho laborante, glande ex melle indita, sine sordibus duo & quadraginta vermes (*apud Alexandrum Benedictum*) in globi modum reiecti, vnde hæc ad vitam rediit. Quamquam vero lumbrici ex omnibus corporis partibus maxime intestina occupare soleant, exiguos tamen interdum & ipse Fernelius in renibus genitos vidit cum vrina profusos, & in pulmonibus, & in auribus, & in dentibus: sæpe etiam in neglectis abscessibus, vlceribus sordidis. Ita & Tharantanus inquit: *Dico, quod vermes etiam in aure aliquando generantur: & ego vidi expellere ab aure vnius iuuenis febrem habentis acutam, duos aut tres vermes ad formam granorum pini: erant tamen grossiores: & sanatus fuit homo.* In auribus autem vermes gigni satis ex iis constat, quæ apud Dioscoridem, Galenum ac Aetium, de calaminthæ facultatibus scripta sunt: sed tunc præcipue quando diuturnis vlceribus laborant; vt in Euporistis Diosc. plane ostenditur, his verbis: *Vermes in diuturnis vlceribus generatos interimunt hæc: oleum amygdalinum, calaminthæ succus, &c.* Idem non minus apertis verbis *7. de simpl. medic. facult.* apud Galenum etiam habetur. Vermes quoque e naribus proiectos & nos vidimus. At vomitu vermes reiici frequens est: sed vtrum in ventriculo (*vt Amatus existimat*) possint generari, difficile fuerit affirmare. De his vide longiorem sermonem apud Donatum, qui multis rationibus id non posse fieri demonstrat. Vermes per intestina excerni sæpe vidimus in febribus putridis, malignis ac pestilentibus, ac sæpe etiam per vomitum reiici, vt ostendimus multis exemplis in libris nostris, *de febribus.* Sed magis mirandum est per vmbilicum excretos, vt retulimus *lib. 7. de feb. symptomatis, obser. 35. in scholio.* Sic etiam (*vt mihi scripsit Henricus a Bra*) videre mihi contigit puellam bimulam, cui vermes per vmbilicum, diebus aliquot ante mortem, exierunt: siquidem sæpe vermes corrodunt perforantque intestinum, quo concluduntur, ac inde in varias partes alui penetrant, adeo vt aliquando per inguina, alias per vmbilicum perrumpant, via exedendo facta. At mulier nostra, de qua diximus *obs. 35. lib. 7.* vermes per vmbilicum reiiciens curata fuit. Vermem quoq; e nare proiectum habes apud Beniuenium *c. 100.* & vermem ex pectore propulsum idem scribit *c. 77.* In eadem annotatione refert Dodonæus, *vermem in vesica posse nasci: & in quodam viro vidit per penem reiectum.* Vidimus & nos puellam Brielensem anno 1568. duos scarabeos vomitu reiecisse, vno per duos dies superuiuente: sed & animalculum viuum reiecit instar vermis parui, lõgitudine dimidii digiti in capite duo cornua habens, ad rufedinem tendens. Reiecit autem per colatorium. Reiecit etiam vermes alterius formæ per nares. A-

Vermis longitudine nouem pedum.

Cur quidam quinq; genera vermium ponant.

Vermes longi albi e ventriculo vomitu eiecti.

Quingenti vermes a sene reiecti.

Trecenti vermes reiecti.

De abd. mor. cauf. cap. 87.

Historia Dodonæi.

Vermes erucis similes reiecti.

Vermes in auribus.

Lib. 4. cap. 30.

Vermes e nari proiecti.

Ex pulmone & vesica.

Scarabei reiecti.

lius quidam (*vt idem Henricus a Bra mihi scripsit*) ab assumto vomitorio hirudinem excreuit. Alius assumtis pilulis Ruffi vermem per posteriora reiecit duorum cubitorum, plurimis spiris quasi cingulis rubeis æquali interuallo distinctum. Nunc ad alia exempla progrediamur.

Observatio XXVII.

De adolescente octodecim annorum ex vermibus laborante.

1. ADolescenti octodecim annorum, eodem tempore, cum vermibus afficeretur, summa cum laude exhibui cochlear vnum succi granatorum, & cochlear dimidium olei oliuarum simul commixta: eo quidem (*dictu mirum*) quinque sedes habuit, multosq; vermes simul deiecit. Nobilis quidam Gallus, D. de Chamou, hoc arcano vtebatur, dicebatque Reginam Galliæ solitam esse hoc remedio vti in pueris suis. Elideus præceptor meus in pueris dabat *puluerem corallina, rhabarb. electi, ana ℈ j. cum aqua graminis, syrup. viol. exiguo adiecto.* Lucas Chinus medicus Bononiensis, amicus noster familiaris, millies per se expertum iureiurando mihi affirmabat vsum solius succi herbæ Graligæ dictæ.

Scholia.

2. *Quod in materia communicent vermes.*

COmmunicant autem diuersæ vermium differentiæ in materia generationis quodammodo; quoniam, iuxta Aristotelem, in excrementis oriuntur, adhuc intra animantem contentis; *& secundum Galenum commen. aphor. 26. lib. 3.* communicant etiam in generatione ex putredine, in crassa pituitosa materia, putredini accommoda, *ex Paulo*, non vero ex bile aut bilioso succo, cum amaritudo potius eos perimat, neque ex sanguine aut atra bile. Si vna flaua bilis cum lumbricis infra aut vomitu eruperit, humor biliosus ventriculi os aut aliam quampiam partem mordicat. Ex crassa potius pituita (*etiam dicente Fernelio*) & lenta, quæ in intestinis frequens corrupta præparataque fuerat, ab vberrimo insito calore suscitantur, vitamque sumunt, eorum animalium exemplo, quæ ex putri materia cœlestis caloris ope vitam habent. Lumbrici enim, vti & anguillæ, sine coitu gignuntur; quod Benedictus Veronensis exemplo quodam docet. Fiunt autem (*inquit Rondeletius*) a pituita vel a chylo viscoso. Quod si talis materia continua sit & extensa animatur, non vt Aetius putauit, quando tunica intestinorum interior abscedit: nam impossibile tunicam illam abscedere, & accipere vitam. Aliqui quoque putarunt cucurbitinos esse fœtus lati lumbrici, sed id falsissimum est: nam nulla est sexuum distinctio, & ex putredine generantur. Alii autem dixerunt cucurbitinos esse frusta lati vermis: sed neque id verum est: nam cucurbitini videntur esse animalia, non partes animalis. Fiunt omnes ex putredine. Conueniunt quoque in agente, qui calor est non absolute putridus. Etenim sola putredo non est sufficiens ad eos generandos, *vt inquit Galenus*; sed & calore plurimo indiget, naturali inquam, qui materiam obtineat idoneam ad talium animalium generationem. Non itaque imbecillus

3. *Lib 21. in procemio eiusdem libri.*

Quod similiter in efficiente eorum causa conueniunt.

ac exiguus requiritur calor innatus pro lumbricorum generatione, sed validus ac plurimus, *vt patet 14. aphor. libr. 1.* ratione ætatis, cum humiditate permixtus, *vt 3. prognostic.* Conueniunt & in loco, quod omnes in intestinis generentur, non autem in ventriculo, *vt quidam volunt*: de qua re ad longum vide Donatum ab Altomari: quamquam fiant in sacco magis, quam in alia parte. Ascarides circa sedem: Lati secundum longitudinem coli. Si multi sint, qui chylum assumant, corpus minuitur, aut laborant quasi boulimia, ob assumtionem alimenti. Si quiescant in suis locis, alimentoque abundent, nihil noxæ adferunt: sed si soluantur ab intestinis, & ventriculum ascendant, potissimum teretes, per os & nares reiiciuntur; vel si os ventriculi mordeant, animi defectionem inducunt. Differunt tamen etiam inter se, si quis magis particulariter scrutari voluerit, tam in materia, quam in agente: quoniam licet ea putredo sit, vnam speciem quam alteram, a maiori vel minori putredine ortum habere reperies: sic etiam ex multa, vel pauca materia putrefacta maior aut minor putredo apparebit: & quamuis eorum omnium generatio a calore plurimo fiat, tamen idem calor respectu diuersarum differentiarum lumbricorum iam dictarum, quandam habebit in eius magnitudine differentiam. Ita quoque in loco licet vniuersaliter communicent, quoniam non nisi in intestinis generari possint; differunt tamen, quoniam teretes in superioribus magis intestinis generantur: ascarides in parte maxime inferiori crassi intestini: ipse lumbricus latus, qui longissimus quoque est, sæpe per tota extenditur intestina, quamuis, rarior sit eius generatio, *vt inquit Galenus comment. aphor. 26. lib. 3.* licet in tenuibus præsertim oriri incipiat, *Aetio auctore cap. 40. lib. 9.* Quo fit vt propterea diuersa sit eorum forma, seu figura. Ex his dictis patet, quod intestina afficiantur, licet in teretibus intestina gracilia præsertim; in ascaridibus crassum & rectum, in latis, vbi in longum extendantur, tam tenuia quam crassa affecta sint. Patet insuper morbos esse in numero, tota substantia præter naturam, *quemadmodum Galen. testatur lib. de diff. morb. & 14. meth. meden.* Constat enim ex supradictis, quæ sit omnium trium communis caussa ac vniuersalis, nempe putredo ipsa, *ex Galeni testimonio.* Paulus autem crudam, crassam pituitam ac putredini accommodam omnium generum originem ac caussam esse scripsit. Interea & aliæ sunt caussæ, quæ omnibus materiam suppeditant, vt cruditas & crapula, deinde eorum vsus, quæ facile putrescunt, vt lactis, casei, fructuumque dulcium & fugacium. Itaque pueri quam adulti his multo sæpius afflictantur, quod illorum calor humidior sit, confertioreque halitu perfundantur. Sicuti autem phlegma caussa est materialis vermium, ita caussa immediata est indigestio ex debili calore procedens, in comparatione ad cibaria iam dicta, iisque similia, sumta, vt sunt fructus cibique viscosi, fabæ, recentes fructus, pisces lacunales, & alia: quæ facile putrescunt & corrumpuntur.

4. *Quod in loco etiam conueniant.*

Quibus inter se differunt dictæ tres lumbricorum differentiæ.

5.

Pars affecta quæ sit.

Quis affectus præter naturam sint lumbrici.

Communes lumbricorum caussæ.

Caussæ adiuuantes.

OB-

OBSERVATIO XXVIII.

De Vermibus e nare proiectis.

2. VErmes autem e naribus aliquando proiectos constat. Sic puella quædam (*vt refert interpres Hollerii*) ad portam Diui Iacobi Parisiis album vermem, latumque, palmo maiorem, satis crassum reiecit per nares, nulla tussi, nullo vomitu antecedente: præcesserat huic puellæ acerbissimus capitis dolor per duos dies. Ego etiam cum puer essem, vti sæpius postea adolescens a matre mea carissima audiui, plures per nares reieci. At cum mater sæpe mihi puluerem contra vermes, cum zaccharo dedisset, ab hoc fœdo malo liberatus fui. Iuuencula quædam, filia ministri Hasselensis, lumbricis laborans (*vt mihi aliquando scripsit Henricus a Bra medicus Reipublicæ Doccumanæ*) motus aliquos conuulsiuos perpessa, vermes duos ex nare eiecit: quæ postea dextre adhibitis remediis elminthagogis perfecte sanata est. 3. Id tamen frequentius fit, cum vermes ab intestinis ventriculum subeunt, deinde per gulam os ipsum conscendunt, e quo hiante prosiliunt; sed ore occluso per palati cauum obrepunt in nares, forasque prodeunt. Sed rarius exemplum esse videtur, si a cerebro descenderit in nares. *vt apud Beniuenium ca. 100. legitur de abditis rerum caussis*, qui & cephalalgiam præcedentem, cum in septimo mors exspectaretur, expulso verme per nares, sanauit. Dodonæus existimat *vermem vehementis doloris capitis caussam in cerebro natum fuisse, quamuis forte e ventriculo, deinde per gulam repens per nares prodierit.* At Dodonæus, vt hanc suam opinionem confirmaret, hunc Iacobi Hollerii locum adducit, e lib. *de morbis internis 1. cap. 1.* vbi hæc scribit: *Quibusdam*, inquit, *vermes generantur in cerebro.* Id rarum esse scripsit Auicenna: *quod tamen memoria nostra visum est. Et cuidam Italo ex frequenti odoratu basilicæ herbæ natus scorpio in cerebro, vehementes dolores & longos, ac mortem denique attulit.* Sed de his alias diximus *scholio obseruat. 2. lib. 9.* cum de capitis dolore ageremus.

SCHOLIA.

3. COmmunis quidem opinio medicorum est, (*vt nunc antea diximus*) vermes in intestinis generari, non autem in ventriculo, *vt quidam autumant*; Amato in contrarium sentiente, *vt paulo antea dictum est.* Gradus vero, qui hanc quæstionem longo sermone prosequitur, refert, vermes non tantum in ventriculo, sed in singulis partibus, præterquam in corde, posse generari. Vide mirabilem historiam apud Beniuenium, *de verme longitudinis digitorum quatuor vomitu reiecto capite rubro læui rotundoq;, quod pisi magnitudinem non excederet: cetero corpore lanugine quadam contecto, cauda furcata ad similitudinem nouæ lunæ: pedibus nixus quatuor, duobus in dexteriorem, totidem in sinisteriorem partem coaptatis.* De caussis satis diximus. Verum quod ad signa attinet, aliquando adeo obscura sunt, & symptomata adeo multa, & cum aliis morbis communia sunt, vt doctissimos aliquando medicos fallant. Sic apud Beniuenium legimus *cap. 29.* de puero quodam lumbricis laborante ac sanato, *qui nullo modo quiescere poterat: sed ita semper hinc inde temerario quodam impetu & inordinato motu ferebatur, vt etiam stare volens iterum titubaret & caderet, medicis iudicantibus huius mali caussam distensionem cum saltu esse: coniectura facta ex quodam tumore, in quem paucis diebus puer incidisse dicebatur. Sed iis nihil proficientibus, in manus Beniuenii deuenit: qui nullam aliam caussam inuenit, quam lumbricos: & hac intentione curandi vermibus expulsis, puer breui pristinam recuperauit sanitatem.* Sic Ioannes Francisci, puer 12. annorum, *de quo nos egimus libr. 6. obseru. nostrarum, obseru. 38.* qui per duas septimanas ex vermibus in febre pestilenti obmutuerat, & a me curatus fuit. Ita & puella in Corneliæ familia apud Benedictum Veronensem *libr. 5. cap. 15.* (*cuius & antea nos mentionem fecimus*) octo diebus muta permanebat, rigentibus oculis; & emissis XLII. vermibus sine sordibus vna conuolutis, liberata fuit. Iacent aliquando, vt mortui illi, qui vermibus laborant, vt filius illius lanii, *apud Beniuenium, vt scholio Obseru. 26. huius libri diximus.* Præterea in morbis epidemicis & peste multos vermes deiectos vidimus, cum variis symptomatis: *vt ad longum poteritis videre lib. 6. obseruat. nostrarum de morb. epidemiis & peste.* 5. Fuit & aliquando morbus epidemicus Saragusæ, quem & *famem* appellabant, cum omnes ex eo correpti saturari non poterant; & cum infiniti morerentur, medicus quidam sagax propinauit omni mane bolum armenum: verum modo per se, modo cum theriaca: quibus per anum infinitos & in orbem coactos vermes deiecerunt; & præter mentem quam plurimi restituti sunt. Id quoque experimento declarat historia illa de verme apud Alexand. Trallianum *lib. 7. cap. 6. de boulimo*, de muliere immodica assumente, quæ saturari non poterat; sola hiera vermem eiecit, longitudine duodecim cubitorum. Quam historiam & antea, cum de ventriculi affectibus ageremus, etiam retulimus. Hinc lumbricorum signa ita varia, & diuersis notis a medicis describuntur, quæ in vermiculosis aliquando apparere solent: qualia sunt *ventris distentio, cum murmure atque torsione*: quibusdam & lientericum profluuium adest, corporisque dissolutio, faciei pallor, oculorum suffusio, vel suggillatio, narium pruritus. 6. Quumque sursum obrepunt, agitati (*maxime per inediam & cibi penuriam*) intestina morsu aut suctu feriunt. Adeo nos aliquando acutos vidimus subulæ instar, mirum quod intestina non perforent: & interdum adeo feriunt, vt nonnulli conuulsi perierint, siccam tussim etiam mouent, aliquando & oris ventriculi præcordiorumque punctione animi defectiones, syncopas, epilepsias: ascensu vero tremorem, deuorandi conatum, & strangulandi metum inferunt; quibus malis multi infantes misere cum maximo vlulatu sunt exstincti. Qui autem tentantur a vermibus, iis initio statim translucent oculi, nocte sudore profluunt, in somno obloquuntur, dentibus strident, ori digitos admouent, sæpe tussiunt; & commanducare videntur. Si quando

Marginalia: *Lib. de abditis morbor. caus. cap. 2.* — *Signa vermium adeo obscura, adeoque multa symptomata, & cum aliis morbis communia sunt, vt doctos medicos aliquando fallant.* — 4. *Puer lumbricis vexatus qui escere non potuit.* — *Muti ad tempus ex vermibus.* — *Puer iacens, quasi mortuus ex vermibus.* — 5. *Morbus epidemicus cum vermibus.* — *Vermis longitudine duodecim cubitorum eiectus.*

ad fauces vsque penetrant lumbrici, tum subito pauore expergiscuntur. Pruriunt præterea nares, vt diximus, aures sibilant, aut murmura sentiunt interiora. In ventrem facilius accumbunt: contra lethargici supini iacent. Interanea murmurant, asthmate graui tentantur. Increscente morbo cor supra modum palpitat, oculi semiaperti cernuntur, aut oculis apertis non conniuentibus stupent. In somno saliuant ora infantibus, die sitis magis accenditur, lingua labiaque arefiunt: Si acuta febris adfuerit, aliena loquuntur. Horum multa exempla posuimus *in libr. nostris de febribus*. Furore agitantur, & in supremo cruciatu, distentionibus comitialiter ore spumante torquentur: venter veluti tympanicis intenditur, vt in illo puero, de quo supra dictum est *obseru. 26.* Aliis & intercisiones, tormina, vel colici dolores adsunt, modo aluus cita est, modo supprimitur. At communiter symptomata noctu magis sæua sunt, quam die, reuocato ad interna calore: quo tempore & rotundi vermes magis infestant. Magis sæuiunt percepto alimento aut consumto: tum enim acrius mordent, escam quæritantes. Ita pueri quidam initio protinus cibi tædio excruciantur, & crebris vomitionibus affliguntur. Tum vero lumbrici magis affligunt fame victi: nam ventrem morsu lacerant. Quosdam pueros fames vexat, sed raro id euenit. Alii somno profundo tenentur: aliqui insomniculosi tota nocte exsistũt, quos ictus vermium inquietant. Quidam & subito metu, formidineque vana excitantur, vel nocturnis quibusdam pauoribus, vmbrarumque terriculis falsis prosiliunt & clamant: tales sunt, qui natura timidi exsistunt, candidæ cutis, ac carne molliores. In supremo cruciatu venarum pulsus subducitur; quando reuocatur, tenuis subsultat, nam & frigore extrema corripiuntur. Varia itaque inducunt symptomata. Nam chylum consumendo corpus minuunt: in ventriculo, vt iam diximus, vomitum, famem, syncopen mordendo adferunt; & aliquando iugulare videntur. In recto intestino pruritum excitant, & tenesmum: in ventre medio fluorem alui, lienteriam, ventris inflationem. In omnibus aliquando inducunt febres quotidianis similes, inordinatas & horrificas; & si arrodant intestina, sæpe interficiunt. Hæc eadem vermium signa sunt, sicuti anhelitus fœtens, tussicula inanis & sicca, & summatim clamore expergiscuntur ægri, arctius dormiunt, strident quodammodo dentibus, adest morsus, nausea, fastidium & similia. Sed hæc exemplis subsequentibus clariora euadent.

7.

8.

Observatio XXIX.

De puero per tres menses in lecto decumbente & contabescente: qui deiectis vermibus mox conualuit.

1. ANtonii poculorum fusoris, cognati nostri filius, annos nouem natus, cum anno 1547. Alcmariæ per tres quatuorve menses lecto decubuisset contabescens, neq; vllum dolorem sentiret, nisi exiguum quendam in ventre circa vmbilicum; & cum idem dolor ne effatu quidem dignus esset, & naturales secessus quotidie haberet; (*puero tamen indies magis magisq; contabescente*) nullum medicum pater consuluit. Verum cum tandem puer adeo macilentus fieret, vt pro D. Hieronymo extreme macilento depicto haberetur, pater me in consilium adhibuit, vt curari posset. Puerum cum spectassem, non potui non genus morbi abstrusum admirari, puero optime comedente; quamquam ex cibo nullum nutrimentum caperet, & vrina sano similis exsisteret, ac boni coloris, licet tenuis & substantia crudiore. At dolor exiguus ille circa ventrem, & fames, de vermibus mihi suspicionem quidem præbuere, sed obscuram. Ideo tentandi caussa decoctũ sequens omni mane ad cyathum vnum duabus horis ante cibum, & hora quarta pomeridiana, propinaui; & ilico puer vermes infinitos deiecit: & hoc solo decocto miraculi instar statim puer, maxima cum nostra laude, sanus factus est, ita vt statim a cibo sumto, corpori nutritio ac augmentum accesserit, & ex macilento, crassus & bonæ constitutionis euaserit. Tale erat decoctum. ℞. *hyssopi, maioranæ, fœniculi, ana m. ß. fumariæ exsiccatæ* (nam in hyeme eramus, mense Ianuario ad puerum acciti) *centaurii minoris, absinthii communis, ana p. j. coquantur in aqua communi, pro ℔ j. colaturæ addendo oxymel. simplicis, syrup. de fumoterræ, mellis rosac. colati, ana ℥ j. misce.* Statim a medicamento epoto quotidie tres quatuorve vermes deiiciebat puer, & cibo assumto nutriri cœpit: nec alio opus habuit, quam hoc simplici remedio, cum & ventrem naturaliter per se deponeret.

2.

Scholia.

MAgis nota fuerunt signa in illis pueris, apud quos diuertebat Amatus, qui vermium morsu lancinabantur: nam capite dolebant, tremore corripiebantur & frigore, ac inordinata febri affligebantur. Ex quibus nonnulli nares scalpebant: digitos in os mittebant: & quæ comedebant, euomebant. Omnes vero sanitati restituti sunt; præcipue ii, qui aliquid iam comedebant. Alii lactentes tantum alia excogitata via incolumes quoque perseuerarunt. Primis semen lumbricorum zaccharo incrustatum pondere dimidiæ vnciæ dedit; & non febricitantibus vini pauxillum generosi: febricitantibus aquam portulacæ, graminis, aut in qua semen coriandri incoctum fuit. Deinde singulis ℥ ß diasebesten in bolo aut rhab. ℈ j. exhibuit. His per secessum omnes emittebant vermes: & sanitati pueri omnes restituebantur. Qui lac sugebant, nutricibus singula iam citato ordine dabat, aucto pondere. Sic enim docuit Hippocrates *lib. 6. Epidem. Mulier, capra, cucumerem agrestem comedentes, pueris purgatio.* Cui postea subscripsit Galenus *lib. 3. aliment. cap. 14. & lib. 5. de tuenda valetud.* A quibus omnes postea medici hæc mutuati sunt, & in libris suis inseruerunt. Quam varia sint signa tam in pueris, quam adultis vermes habentibus, multis exemplis videre licet *in nostris commentariis de febribus.* Ceterum, vt hæc notiora fiant, scire oportet alia esse signa præsagientia vermes, alia demonstratiua; alia vero vniuscu-

3. Cent. 2. curat. 23.

4. *Signa præsagienda.*

vniuscuiusque speciem indicantia; alio vero mera prognostica. Sic in pueris post dentium eruptionem exspectamus vermium generationem: in senioribus ob humiditatem: & in his qui sese replent; & vtuntur rebus facile corruptibilibus, *vt 6. epid. cap. 7. & 11. Continentis cap. 6.* præcipue in his, qui lac & pisces non perfecte salitos comedunt, vti & in autumno ob vsum fructuum recentium. In iuuentute magis infestant, quam in senectute. Plinius & in quibusdam regionibus magis afficere vult, vt Ægypti, Arabiæ, Syriæ & Cilic[illegible] populis magis familiares sunt vermes: sed Thr[illegible]cibus & Phrygibus minus. Signa autem demonstratiua quædam communia & magis absolute, alia vero magis propria vnicuique speciei. Communia quatuor ponit Auicenna: Primo, *cursum saliuæ, & humiditatem labiorum in nocte: & eorum exsiccationem in die: ratio, quod caliditas die expanditur, noctu coarctatur.* Secundo *rixam & horribilitatem locutionis, iracundorum instar, & malorum morum, & mentis alienationem, & paraphrenitidem ex vaporibus a vermibus sursum elatis.* Tertio, *stridorem dentium, magis noctu: & sæpius videntur aliquid masticare, vt dictum est: ex vaporibus enim elatis fiunt motus spasmosi in lacertis mandibularum, hinc dentium & simul labiorum suctio & manducatio.* Quarto, *ponit punctionem & morsum circa ventrem: quamuis hoc signum minus certum sit, cum ex biliosis humoribus in intestinis retentis etiam fieri possit.* Mutatur & his *color faciei subinde ad liuidum, modo ad subrubrum, ex retracto calore.* His subinde accedunt *& caros, syncope, febris, frigida membra extrema, manus extensæ, cum interiectione lamentabili, sudoreque frigido. Venter quoque si tangitur durus est: mouetur quoque sub manu subinde, pulsusque debilis & diuersus: cui addere poteris, & fœtorem anhelitus, & tussiculam inanem & siccam, & alia supradicta.*

Signa demonstratiua.

5.

Signa cum aliis morbis communicantia, quomodo distinguenda.

Licet autem nunc quædam signa dicta communicent cum phrenitide, epilepsia, colica; facile tamen distinguuntur: phrenitis enim continua delitia habet: vermes tantum per interualla, ex solis vaporibus sursum elatis. Non ita venter in vermibus constipatus est, vt in colica: pallent quoque magis colici. Ab epilepsia licet strideant dentibus; id quidem per interualla; nec ita continuus est ille stridor, *vt in spasmo aut epilepticis paroxysmis.*

6. *Signa specierum.*

De signis vero specierum, primo teretum, seu rotundorum notas explicemus, cum inter alias frequentiores fiant cum febribus & citra febres, atque speciem habeant omnibus perspicuam, *Paulo teste.* Similes namque sunt vermibus in terra ortis, quos Græci ἐντερα γῆς, hoc est, intestina terræ appellant, vulgus oniscul os vocat. Hoc sequitur,

Teretum lumbricorum signa.

incredibilis morsus stomachi, ventris ac intestinorum, tusses exiguæ cum siccitate irritantes. In somno tremunt, & præter rationem exsurgunt nonnulli, & cum clamore expergesiunt & iterum sopiuntur: quidam singultiunt, & quidam linguam foras protendunt, oculosque claudunt, & taciturni sunt, excitarique se moleste ferunt, ob imbecillitatem vigilare nequeuntes; & dentibus frendent, ac superuacue mandunt, præsertim si infantes fuerint; & quidam eorum neglecti motu pulsus destituuntur, ac refrigerantur, atque eorum instar, qui animo linquuntur, tenuem quendam ac frigidum sudorem exsudant, & plurimum liuescunt; modo & facies fit rubicunda, maxime circa malas. Verum color hic rursus in pallorem solito maiorem transit. Quidam etiam pulsum inæqualem habent, obscurum, deficientem, ac recurrentem. Aliis etiam appetitus perditio accedit, & febres augescunt inordinatæ; quæ [illegible]m extremorum perfrictione, tertia & interdum quarta die, vel nocte accessionem sine ratione habent. Alii instar delirantium peregrina in somnis loquuntur, interim cum clamore præter rationem exsurgunt, citoque rursus collabuntur. Alii decubitum transmutant, continue dormientes, angoreque vexantur, & ex loco ad locum sese vicissim proiectant: atque multi inuocales omnino persistunt: interim præter id, quod cibum auersantur, si quid acceperint, reuomunt, aut nauseabundi vix deglutire possunt. Plerisque vero aluus descendit, corruptos cibos egerens, & tympani modo (*vt in puero illo 12. annorum ostendimus*) venter eis inflatur, & quidam etiam oculos sanguine suffusos habent. Cuncta vero hæc accidunt, tum ab ipsis animalibus in intestinis obuolutis, seu cum per eadem serpunt, ac rodunt & morsum inferunt; tum ex febrili calore transmittente prauos vapores ad cerebrum, exhalantes ex putrida in ventre collecta humiditate, *vt Paulus refert.* Ex ea item, quæ præcessit victus ratione poteris lumbricorum generationem percipere. Namque vbi crassiorum, & quæ difficulter conficiuntur, alimentorum vsus præcessit, ac eadem largius ingesta fuere, & maxime frumentacea, de lumbricis suspicari poteris: eosdem item comperies balneis a cibo vsos fuisse, *vt testatur Aetius*, ex quo tum Paulo Ægineta, hæc desumta sunt. Lati vero lumbrici, cum aliquando sint valde longi, & sæpe incredibili longitudine, & quia tenuia intestina occupant, in his, qui febre carent, abundant: quandoque & in longis & diuturnis morbis etiam cum febre accidunt. Propterea non ab re continuo stomachi morsus inferunt, & ad cibos incorrigibilem appetitum. Teste Paulo obiectum alimentum rapiunt, & nisi assumserint, intestina rodunt. Quæ accipiuntur non subcenturiata, seu copiose digeruntur, sed cito excernuntur: iis occupatos comitatur corporis gracilitas, etiam impotentia seu imbecillitas cum tarditate. Nam quod viuificatum est in intestinis, vbi recens exhibitum cibum consumsit, postea solidum corpus rodit. At certissimum & minime fallax est indicium, si cum recrementis quædam semini cucurbitæ seu cucumeris similia excernantur, *auctore Hyppocrat. lib. 4. de morb. & Galeno 1. de locis affectis*, quibus & Paulus & Aetius consentiunt. Lati facile ventriculum ascendunt, & ipsum mordent, *vt diximus*, & syncopen inferunt. Ascaridum vero lumbricorum vna species circa extrema intestini, & ani fibulæ initio σφιγκτῆρα Græcis appellatum, consistit; (*vt liquet ex Aetio & Paulo*) vehementem pruritum

7.

8.

Lati lumbrici signa.

Ascaridum signa.

iis locis inferens: quod ex vehementi huius loci pruritu, ac assidua ad egerendum irritatione, & ipsi dignoscere poterunt. Hi quoq; vt plurimum ab excretione melius se habent. Apparent autem manifeste in iumentis male cibum concoquentibus, quorum malam coctionem fœtor indicat excrementorũ *Galeno auctore comment. pracitati aphorism.* Quapropter & eorundem indicia, (*vt Aetius asserit*) potissimum ex graueolentia excrementorum sumuntur. Indicant enim prauos assumtos cibos, ac eorundem corruptiones & frigiditates, quibus species hæc lumbricorum generatur, *vel eidem Aetio, tum etiam Paulo visum est.* Degunt enim in ano conglobati infiniti, qui ob frequentem illam motionem aut succum malignum tenesmum faciunt, & ani pruritum. Imo aliquando pruritus adeo fortis est (*teste Auicenna*) vt syncopen inducat.

9.

Observatio XXX.

De nigra deiectione, cum vermibus.

1.

Refert Amatus *Centur. 2. Curat. 41.* de puella ad caput montis ægrotante, quæ vigente æstate post vermium tam supra, quam infra reiectionem, cum rem magnam atramento similem euomuisset, paucis sequentibus diebus eandem obiisse. Hoc autem signum lethale esse in vermibus existimat. Quamquam nigra reiicientes cum vermibus non semper moriantur; vti euenit puellæ Brielensi, de qua alias diximus; quæ similia euomuit vna cum vermibus, licet non obierit, & per nos curata fuit. Est tamen pessimum signum: nam alios vidimus in febribus malignis & pestilentibus talia deiecisse paulo ante quam morerentur: & magis in principio febrium quid mali præsagiunt.

Scholia.

2. Signa prognostica.

Qvod ad prognostica signa attinet, de iis, qui vermes deiiciunt, nullum signum simpliciter bonum esse volunt; præsertim illi, qui Arabum decreta sequuntur, cum semper ex materia putrida in corpore humano fiant: & ideo siue febris adfuerit, siue non, semper mali significatio exsistit. Vnde & Gordonius argumentatur, *quod ex sui natura semper vermes mali sint, & ex toto genere præter naturam: ideo neque per se, nec per accidens quid boni significant.* Scribit tamen Celsus, *lumbricos aliquos sub finem morbi descendere, nihil nocere.* Hippocr. quoque dixit 2. Prognosticorum *lumbricos teretes euntes in iudicationem morbo descendere idoneum esse:* interea tamen magnam curam habere conuenit circa eorum curationem præsertim teretum. Nam multi, nulla lumbricorum cura habita (*vt inquit Paulus*) exesi ab ipsis sunt, & conuulsi interierunt. Alii tradunt *se lumbricos vidisse, qui ex inguinibus ægri eruperint, vt ipse refert:* nos quoque vidimus ex vmbilico erupisse, *vt in septimo lib de febrium symptomatis, scholio obser. 35. recensuimus.* Quod autem in infantibus, & pueris, atque iis, qui ad pubertatem accedunt, maxime abundent teretes lumbrici, scriptum reliquit Aetius, ex Herodoti auctoritate: item quod peiores censentur maiores minoribus, paucis multi, & albis rubri. Viuentes etiam mortuis deteriores sunt. Aliqui tamen *ex 11 Continentis* contrarium iudicant, *quod viui meliores sint mortuis, si cum febribus exeant;* quamquam nec viui boni habentur: & ideo deterior est significatio, inquiunt, si emissi fuerint viui & mortui ante declinationem; post vero saltem significant *fortitudinem virtutis expulsiua.* Nam & idem Rhases refert, *vbi cum febribus per superiora exeunt mortui, mortem significabunt.* Signum quidem est magnæ putredinis in febribus malignis & pestilentibus: & quamquam vidimus tales fuisse curatos, plurimos tamen vitam amisisse vidimus, propter symptomata maligna aderant; magis tamen circa initia quam circa finem. Circa initia autem morborum, præsertim febrium, substantiam suam, ex subiacente corruptione capiunt: circa vigorem vero ex malitia morbi: circa declinationem autem ex permutatione omnium in melius; qui sane citius separantur. Natura etenim ipsos reliquorum recrementorum instar, foras propellit; vt idem auctor, simul & Paulus, fatetur. Interim peiores sunt cum febribus quam sine iis: Magis enim indigent cibo (*teste Auicenna, qua ex 11. continentis a Rhaze sumsit*) magisque excitantur ad morsum, & ex putrefactione fiunt maligniores, & febres augent, & symptomata seu accidentia maligna, quæ & fortiora fiunt ob febrem, dum febris consumit cibum vermium: hinc moti ad quærendum ipsum, magis figuntur in intestinis, cum non inueniant cibum: & ratione febris acutæ & malignæ, bilis ad eos confluit magis, vnde & irritati similiter pungunt, & magis famelici fiunt. Et sic febris addit maiorem putrefactionem, acuitatem & afflictionem. Interea cum Hippocrates *2. Progn. tex 18.* dixerit lumbricos etiam cum excrementis sub finem morbi descendisse, nihil nocet: quocunque modo cum febribus eiiciantur, vel clysteribus exeant, si morbi & accidentia minuantur, bonum signum habetur, cum caussa febris aut ipsius morbi per eos euacuetur. Et quamquam multi, comparatione eorum, qui numero pauciores sunt, sint deteriores; tamen aliquando tales euadunt. Et non obstante, quod lati deteriores sint, qui in folliculo inuoluti, ob multitudinem eorum simul se iuuantium in nocendo, & maiorem difficultatem in expellendo habeant; nihil tamen obest, quo minus vt dicere cœpimus, iisdem laborantes sanitatem consequantur interdum, vt apud Amatum puer annos quatuor natus, cum lumbricis affectaretur totus nauseabundus, cum appetitus prostratione incedebat, nec in vno loco permanebat: sed hinc inde tanquam insanatus mouebatur. Cui pulsus adeo inæqualis erat, obscurus, deficiens, & recurrens, vt omnes ipsum moriturum prædicerent: ita vt omnibus tentatis remediis ipsum medici tamquam pro deplorato reliquerint. At cum sic in agone esse videretur, aluus illi subito citata fuit, & vesiculam pilæ modo rotundam egessit Quam quum mater coram multis assistentibus aperiret, vermium paruorum myriades, nō sine admiratione viderunt; ad quos visendos ipse quoq; Amatus vocatus,

3

4.

Cent. 1. curat. 40.

vocatus, puerum postea paucis vires reficientibus, ad sanitatem reduxit. Sic rursus exigui numero malum quandoque portendunt, licet comparatione facta ad plures minus periculosi sint, *vt diximus*. Vnde & Valescus inquit, si vermes in tenesmo aut dysenteria pestilenti, exiguo numero exeant, neque æger inde alleuietur, malum signum est, siue viui siue mortui exeant. Inter omnes tamen lumbricorum species minus periculosi esse censentur ii, qui ascarides nominantur, quamuis forte ex deteriore gignantur materia, tum quia tenues & exigui sunt, tum etiam quod in loco generentur a principibus partibus remotissimo, intestino inquam recto. Sed tamen ideo minus nocent ascarides, quoniam alui deiectionibus facile excernuntur, & quia adhibita medicamenta statim eos attingunt. Minus vero quam teretes ii in pueris gignuntur: teretes autem ipsis peculiares sunt, *vt ex Galeno & Paulo liquet*. Inter reliquas autem duas differentias, latos videlicet & teretes, lati peiores sunt, quam teretes, *Celso auctore*. Sic igitur ascarides cum fece crassiore facile expelluntur (*quæ & equos infestant, & ad maciem ducunt, & in ceruino capite inueniuntur, iuxta Aristotelem, & sub lingua in canibus*) nec opus est multis medicamentis ad eos expellendos, cum transeunte excremento per viam angustam eosdem natura rapiat & educat. Inter latas vero parui & cucurbitini, minus mali sunt quam longi, cum facile inferius descendant cum excrementis: longi vero facile sursum ascendant ad ventriculum, & per os educantur. Longi enim inhærentes sua fixione plus nocumenti intestinis inferunt. Et lati si non expellantur & remaneant ac maiores fiant, tunc (*Auicenna teste*) omnibus deteriores sunt, cum sint ex materia magis maligna & putrida.

(margin: 5.)

Observatio XXXI.

De quibusdam pueris vermibus laborantibus, cum variis symptomatis.

ANno 1557. in autumno, pueri, præsertim gulosi, vermibus tentabantur: nonnulli ex iis a somno garriebant, & stridorem dentium patiebantur: alii masticabant, tanquam cibum in ore habuissent. Excitabantur aliqui terribiliter, cum inquietudine & ira: alii vigilabant, naresque scalpebant, & delirabant. Erant, qui per nares vermes reiiciebant, sed exiguos. Hæc paulo ante illud tempus apparuere, quo morbus quidam epidemius grassabatur, de quo alias diximus *libr. 6. obs. nostrarum de febrib. publice grassantibus & peste*. Inter alios tunc erat puer duorum annorum, filius Bartholdi Simonis zythepsæ Alcmariani, cognati nostri, cui & fluxus aderat, ita vt vltra quadraginta vermes deiecerit. Cui sæpe propinaui *ʒ ß. cornu cerui vsti, cum ceruisia communi*: & ventre inuncto hoc vnguento, curatus fuit. *℞. olei coton. absinthii. ana ʒ ß. pulu. cornu cerui vsti, coralli rubri, masticis, ana ℈ j. ceræ modicum: fiat vnguentum.* At filiolæ alterius, quæ ex vermibus ventrem distentum ac durum habebat, cui aluus non fluebat, & simul tertiana febri capiebatur, hanc confectionem dedimus: & vnguento ventre peruncto, plures vermes deiecit, & sana quoque facta est. *℞. specier. diarod. abb. ʒ j. rhab. selecti. & pulu. ʒ ß. dissolutis in aqua agrimoniæ, zacch. adiecto. q. s. fiat confectio in tabulis. ℞. olei absinthii, zizamini. amygdal. amar. & dulc. vnguenti dialthææ. ana ʒ ij. fellis tauri ʒ j. aloes ʒ ß. pulu. colocynthid.* gran. *iij. cornu cerui vsti ℈ ß. ceræ parum, fiat vnguentum pro ventre.* Aliis pueris febricitantibus commode exhibuimus hoc iuleb. *℞. aquæ portulacæ, graminis, agrimoniæ. ana ℥ j. syrup. de limonibus. ℥ j. ß. misc. deinde ℈ j. rhab. pulu. exhibui cum aqua graminis vel agrimoniæ.* Quibus medicamentis omnes pueri per secessum emittebant vermes, & sanitati restituebantur.

(margin: 1.) (margin: 2.)

Scholia.

VErmes inducunt horribilia symptomata, *vt iam diximus*: & sane id hoc tempore certa experientia vidimus: nam aliqui modo quasi maniam, modo stuporem, modo epilepsiam, modo caninum appetitum, aut boulimon incurrebant, quidam & syncopen, nonnulli & iliacum & colicum præcipue: & quibusdam venter durus erat, quibusdam nimium fluebat. Sic etiam tempore Bertrutii, in autumno (*vti & nunc eueniebat*) plurimi colico & iliaco dolore simul cum vermibus afficiebantur, satietate nauseatiua præcedente, præcipue fructib. oleribusque putridis, prunis atque cerasis comestis, & persicis, atque pomis crudis, ac piscibus corruptis deuoratis. Et sicuti pueris gulosis in autumno, tempore Bertrutii, contingebat dolor colicus cum vermibus, sic etiam tunc plurimi, vt nunc, oris fœtorem experiebantur, plura comedebant, & pauca egerebant: quibus & habitus macilentus accedebat, & multitudo saliuæ ex ore emanabat, ac ventris inflatio exigua. Quibusdam tempore famis dolor augmentabatur, oculi graues fiebant, cum frigiditate narium ac pruritu, ob fumos ad nares ascendētes, quibusdam & spasmus & epilepsia superueniebant, deinde mors. His omnibus primo lac in potu dabat: deinde vermes interficiebat cum amaris medicamentis, tenellis pueris lac amygdalatum præbebat, confectum ex amygd. dulcibus atque amaris, & ex nucleis persicorum: dabat cum aqua calida: quibus venter eorum soluebatur, & simul vermes deiiciebant. Sed quia de colico tum iliaco cum vermibus diximus, antequam de curatione omnium dicamus, omnium primo victus ratio vniuersalis, ac omnibus speciebus iam dictis communis, diligenter instituenda est: nam sæpe vehementiorib. remediis adeo irritantur, vt pueros ad conuulsionem, syncopen & interitum pertrahant. Aer itaq; eligendus ad calidum & siccum parum vergens, modo febris absit: somno mediocri vtantur potius nocturno quam diurno, eoque non statim a cibo, sed per duas saltem horas, frigora vitet, aquilones & plana loca: nec nudis ambulēt pedib. his enim cruditates increscunt. Sic otia lōga, & somni longiores, ac vita desidiosa lędunt. Exercitium vero, idque ante prandium, confert. Aluus sit lenis, sponte vel arte, balano aut clystere. omnes

(margin: 3.) (margin: *Vermes in iliaco & colico dolore.*) (margin: 4. *Lumbricorum curatio.*) (margin: *Victus ratio.*)

animi affectus immodici declinandi, potissimum ira, tristitia, timor & perturbationes, præcipue a cibo. Cibi autem sunt probi sicci, & qui facile in membra digeruntur ac distribuuntur, nec lumbricorum effectricem caussam foueant vel adaugeant, nec etiam vires superari permittant. Hoc quoq; scitu dignum, quod assumto remedio contra vermes, equitatione opus est, aut cursu, quibus corpus concutitur: facilius enim emittuntur acri exercitatione aut labore: sed hæc intelligenda, si febris absit. In victus genere damnantur lac, pisces, legumina, & quicquid materiæ frigidæ fuerit, ac seræ concoctionis, panis non fermentatus, & dulciaria omnia humida, & quæ facile in ventre corrumpuntur. Mirum in modum iuuat secundarius panis, addito aniso, cymino, fœniculo, vel sale subactus. Auiculæ esui dantur, & syluestres aues, pullus columbaceus, ius gallinæ veteris, vel galli, cicerisque atri, ac brassicæ, capparis, oliuaque salsa commanducata: & cum sinapi cetera sumant obsonia. Acetosa item & oleosa laudantur ad tineas, panicum quoque & milium in cibariis, lupini, nasturtium, beta, mentha, apium, & raphanus. Muria, cappares & colymbades cum aceto, & inter olera vtrumque intybum, sonchus, ac senecio competunt, præsertim si cum carnibus iam dictis & dicendis decoquantur: in quibus etiam ea, quæ extenuandi vim possident, misceri possunt, potissimum si febris non adsit: veluti perpetuo vitari debent, quæ infrigandi vim habent, ac crassam lentamque pituitam gignere possunt, vt caseus, tum alii cibi iam supradicti, & qui ex iis parantur. Faba autem ac cicer tineas pellit, ex aceto, sale, & addito oleo. Alii cicer prius in vino maceratum & coctum pueris dedere singulis diebus, vt eos a lumbricis tuerentur. Paulus dat vinum aquosum pro potu: sed hoc in febribus vitandum. Liberalius oportet ipsos nutrire, ne alimenti expertes lumbrici rosiones pariant. Dabitur autem cibus tum præcipue cum non omnino innati fuerint, *vt ipse inquit*. Alii dicunt, *quod in omnium vermium genere abstinentia prodest, qua generatio omnino prohibetur*. Alii *quantitatem ciborum multam pro vna vice esse non volunt, sed sæpius exiguo cibo vtendum consulunt*. Ideo cum infestant, exiguo cibo sed frequenti vtendum est, qui maxime conuenit cum lacerasse desinunt. Si cum febre venter quoque profusus est, acetosæ potiones, qualis est aqua, in qua rhus decoctum sit Syriacum, vinumque mali punici, & similia offerenda sunt. Hinc si insimul alui profluuium adsit, ex quo lumbricos magis abundare sciendum est, cibo non distributo, sorbiles ægris cibi dari debent, admixtis quibusdam etiam adstringentibus, verbi gratia, *pyris, sorbis, aut malis punicis, præcipue acidis*: Iidem etiam sorbiles cibi infantibus præbendi sunt, præsertim iis, qui cibum auersantur, *eodem Paulo auctore*, veluti sunt contusæ pullorum aut gallinarum carnes, seu eorundem iura, in quibus iam dictæ carnes prius liquatæ sunt, brodia consummata vulgus appellat. Reliquæ prædictorum pullorum, gallinarum, phasianorum, starnarum, columbarum iuuenum, turdorum, merularum, & aliarum paruarum auium montanarum carnes exhibeantur. Talis autem victus ratio facit tam ad præcautionem quam ad curationem vermium: nam & quidam recte duplex vitæ institutum, nempe ad præcautionem & curationem instituunt. Primum enim consistit in præuisione, ne vermes generentur, & conuenit iis corporibus, quæ facile vermes concernant, quibus hæc omnia prædicta, & quæcunque pituitam, vel materiam crudam aut corruptam, producunt, sunt vitanda. At exercitium forte commendatur a Rhasi, quo multos & præseruatos & curatos viderit *11. continentis*. Idem commendat panem cum sinapi, cibosque calidos & detergentes, ius caulium, hyssopi, cicerum rubrorum, & carnes iam dictas exsiccantes. Interea diligenter obseruandum, præcipue etiam in curatione, quod licet victus supradictus tum alia conueniant, tamen multi medici, præsertim imperiti, in hoc delinquunt, cum procedant in victus ratione cum iis, quæ materiæ quidem contrarientur, sed interim virtutem ægri, tum alia symptomata, quæ irrepũt, negligant, & ita ægros subinde in perniciem præcipitent. Et licet vermes sui ablationem indicent, cum sint toto genere præter naturã, & ideo e corpore expellendi, (*ex Galeni decreto 14. meth. medendi.*(idque eos necando cum amaris medicamentis, cum viuentes obsistant intestinis hærentes: & licet mortui subinde vna cum stercore expellantur, expelluntur cum his etiam viui sed stupefacti, & vti quispiam dixerit, semimortui, ita vt teretes (*de quibus postea dicemus*) vehementiora medicamenta desiderent: sed tamen symptomata, tum febres, si adsint, talia non admittunt. Quando igitur vermes (*vt recte etiam admonuit Rondeletius*) reiiciuntur in morbis acutis, vt in febribus ardentissimis, & aliis morbis senum & puerorum, non statim debemus ad illos nostram totam intentionem conuertere, vt mulierculæ faciunt, & medici mulieribus inseruientes: nam hoc facit vt ægri intereant, cum neglecto morbo, magis ad vermes curationem conuertunt quam ad morbum: vt si febris continua, aut alius morbus biliosus, aut fluxus ventris aliquem occuparit, aut si quis in morbis acutis in principio vermes reiecerit, semen cõtra eos dare solent, quod tamen febrem maiorem accendit, vel corallum, vel alia quæ adstringunt, ad vermes occidendos oportuna solent administrare. Quæ omnia affectibus præcipuis aduersantur, vt multum amara, febri & fluxui ventris, astringentia & exsiccantia, febribus. Quare oportet medicum diligenter distinguere, *vtrum febris a vermibus dependeat, an vero vermes reiiciantur ob aliam caussam, qui semper continentur in ventre*. Quod si cognouerimus febrem aliunde fieri, quia quartana, vel tertiana, vel vera quotidiana est, nullumque quod vrgeat, symptoma ostendit, negligendi sunt: vel ea tantum medicamenta præscribenda, quæ effectui præcipuo & vermibus conueniant, laxantia, amara & leuiter astringentia in fluxu & vermibus. In febribus ab obstructio-

5. 6. 7. *Prouisio.* *Cautio in curatione.* *Medicamentorum ratio.* 8. *Error medicorum notatur.*

structione & vermibus dare possumus *syrup. de byzantiis & acetosum, cum decoctione graminis & portulacæ*. Etiam poterimus adhibere topica remedia supra vmbilicum, quæ vermes interficiant & protrudant, si vermes cum febre iungatur, tunc oportet esse amara & laxantia, *vt qua parantur ex pulu. agarici, fellibus, farinis amaris, aceto, succis herbarum, vt exemplu in febrib. ostendimus.* modo non adsit fluxus ventris: tunc enim abstinemus a laxantibus. Sed hæc tum alia exempla infrascripta docebunt.

Observatio XXXII.

De rustico quodam infinitos vermes per inferiora deiiciente.

1. RVSTICVS quidam in pago vulgo *Cocdyk* dicto, non procul ab vrbe Alcmariana, qui maligno cibo vtebatur & putrescibili, vt lacte & piscibus, sine febre exsistens, quam plurimos vermes deiiciebat, circiter sexaginta, vt tunc dicebatur. Huic allii esum concessi, cum non febricitaret, iussique vt, si pisces comederet, semper sinapi adderet. Omnium primo generationem vermium inhibuimus cum victu paulo ante dicto, ac vitæ instituto: mox materiam genitam, quæ caussa vermium erat, nempe pituitam ipsam, cum iis, quæ phlegma digererent & vermibus contraria essent, iuxta Leonellum Fauentinum, in hunc vel similem modum digessimus: *℞. syrup. de absinthio ℥ ij. syrup. de acetos. citri. syrup. de byzantiis, tum aceto. ana ℥ ß. aquæ graminis, absinthii, agrimoniæ ana ℥ ij. fiat syrup. pro ij. dosibus.* Deinde eundem purgaui. Sed hic quæritur, *num purgatio conueniat?* de qua quidem quæstione, *vt refert Hollerius*, nequaquam dubitandum. Repurgata enim materia, vnde vermes generantur vna cum ea vermes excluduntur. Et sane hic conueniebat purgatio, quia cum vermibus nō aderat diarrhœa vel lienteria. Veteres laudarunt rhabar. hieram simplicem, tum colocynthida. Sed quia hic fortis erat, dedimus pilulas has sequentes, vel similes. *℞. pilul. hieræ simplicis ℥ ß. pilul. ex aloe ℈ j. trochisc. alhandal. circiter ℈ ß. misce.* alioqui & hæc compo-

2. sitio pilularum in ditioribus commendatur. *℞. aloes succotrin. ℥ j. myrrhæ ℥ ß. croci gran. 12. rhab. selecti ℈ j. agarici trochis. ℥ ß. turbith. elect. ℈ ij. zinzib. salis gemmæ. ana gran. iiij. omnibus pulu. cum syrup. absinthii, fiat massa pilul. de qua sumat ℥ j. conficiendo 5. aut 7. pilulas, sed non dandæ febricitantibus.* Rusticus & cum pilulas aliquando solas ex hiera sumsisset, & mortuos & viuos expellebat vermes. Post purgationem solebant medici practici vermes interficere & expellere. Quod etiam pilulæ supradictæ faciunt, & vtramque intentionem absoluunt. Interea occiduntur cum his, quæ contrariantur eorum complexioni & materiæ, nempe calidis, siccis & amaris. Sed inter remedia domestica apud Galenum tum alios est cornu cerui vstum, ita & folia ac succus persicorum in potu, vel vmbilico imposito succo: & semen caulium *ad ℥ ß. exhibitum, & radix graminis.* Inter ea remedia quædam sunt calida, vt *mentha, nasturtium, porri semen, persici mali nuclei, & folia rutæ & filicis radix, semen apii, aristolochia, calamenthum, dictamnum, absinthium, zedoaria, gentiana, brassicæ semen, & aloe, & apud Italos, iuxta Benedictum Veronensem, picris siue panella herba.* Rustico vero,

3. quia tenuioris fortunæ, decoctum centauri & rutæ & absinthii dedimus: Inter frigida numerantur *coriandrum, portulaca, herba, & semen atriplicis, hypocystis, terra lemnia, sem. plantag. & folia seris, cichorea, dens leonis, acetosa, rubi mora, & cauliculi cocti ex aceto.* Hæc magis in febribus conueniunt, vti & succus citri, tum alia multa: sic si adsit fluxus, etiam sumach. Ex quibus & varia conficiuntur remedia apud auctores, etiam composita pro varietate vermium & symptomatum. Quibus adiunguntur externa remedia in frigida caussa, *folia persic. arboris, prasium, centaurium, absinthium, mula & rad. ireos.* Et refrigerantibus, cortices salicis tritos, myrtum & atriplicem: ex quibus fiunt *emplastra, fomenta, inunctiones, adiectis farinis lupinorum*, tum aliis in emplastris. Nos hoc vnguento vel simili vsi sumus supra vmbilicum. *℞. olei absinthii, rutacei, amygd. amar. ana ℥ ß. succi absinthii, rutæ ana ℥ ij. tormentillæ, diptami albi, zedoariæ. ana ℥ ß. fellis bubuli ℥ iij. aloes. ℈ j. puluerisentur puluerisanda, & cum modica cera fiat vnguentum.* Necati vermes expelluntur deinde: nam mortui retenti, *iuxta Auicennam*, caussæ essent sæuorum accidentium; eo quod ab iis eleuentur

4. fumi putridi & venenosi. Et ideo quæ vermes necant in primis adhibenda, quo minus noceant, cum difficulter etiam expellantur, vt diximus: & cum interfecti fuerint, protinus ex aluo extrudendi, alioqui tetro virulentoque vapore cerebrum afficiunt, & corpus pariter inflammant. Euacuant eos & expellunt illa, quæ inimicantur iis, vt aloe & absinthium, tum pilulæ supradictæ. Valet & agaricus sua amaritudine, non tamen *vt rhab.* cuius ℈ j. vel ij. necat vermes & expellit, *iuxta Gatenariam*, idque sua amaritudine, licet auctores de rhab. id non dicant. Oleum nucum commendatur a Grado, quod & matronę Mediolanenses ex consuetudine semel in hebdomada infantibus dant pueris, cum pane assato infuso in oleo nucum cum modico vini. Vaccinus talus in puluerem redactus, & cum vino potus, & omphacium oleum, pro infantibus occulta quadam vi valent: vt & pilulæ communes, quas & rusticus noster quandoque accepit, & curatus fuit. Inter cetera commendatur succus graligæ sæpius exhibitus, & guttula vna olei sulphuris, sed cum cautione exhibenda. Et theriaca bibitur per se, vel cum aceto, qua & nos felicissime etiam in aliis vsi sumus. At delicatulis, & qui medicamenta non ferunt, colocynth. ℥ vj. terantur, & cum felle bouis & vino imponantur vmbilico, vel eo inungantur. Hoc ventrem deiicit, & vermes expellit. De his plura in *Scholio subsequenti.*

Scholia.

5. *Canones aliquot obseruandi in curatione vermium.*

QVidam hic ante curationem vermium nonnullos canones generales præmittunt, atq; iis

vermibus in intestinis inferioribus generatis siue defluxis magis amara & in maiore quantitate exhiberi volunt, etiam per superius, ne vis eorum in itinere longo deficiat, & sic quoque ascaridibus & cucurbitinis (*qui quidem vermes sunt fortiores & maioris resistentiæ, vt patet ex soliditate eorum substantiæ*) fortiora antidota propinari volunt, vt ita moriantur & destruantur. Quod etiam ad præcautionem attinet, iubent abstinere a cibis pituitosis, & vt aliquando intestina a pituita repurgentur. In curatione vero prius necandos consulunt, deinde expellendos: caussam diximus *obseruat. præcedente*. Medicinæ calidæ in tertio gradu, modo absit mala qualitas venenosa, neque febris aut inflammatio vel apostema adfuerint, plurimum iuuant, *ex Auicen. 16. tertii, tractat. 5. cap. 4.* Hora necandi

6. conuenientior post abstinentiam, & ventriculo ieiuno. Vti calida & amara mortem inferunt vermibus, ita dulcibus vnctuosis nutriuntur: sed commixtis iisdem cum amaris facilius inescantur, strictione narium coadiuuante. Dum vermes medicamentis per os occidas: venter exterius leniatur emplastris stypticis & amaris: sic melius præcipitantur per circulum inferiorem. In superioribus intestinis vel stomacho per antidota superius sumta facilius necantur & expelluntur: in inferioribus, per clysteres & glandes: in mediis vero exsistentibus, vtroque modo. Verum cum stomachum inungunt cum amaris, tunc addunt styptica propter stomachum, alioqui tantum vmbilicus amaris inungendus. Interea sciendum, quod ascensus etiam vermium ad partes superiores sit prohibendus: quam intentionem (*vt Gatenaria docet*) absoluunt cum roborantibus stomachum & stypticis, *vt oleo cotoneorum, absinthii, & similibus*. Dant amara per superius, vt vermes fugiant, vel acetosa, vel acetum acre. Naresque inungunt theriaca cum aceto. Attamen si aliquando ascendunt vermes versus stomachum & mery, & titillationem faciunt in œsophago, bonum est eos adiuuare per vomitum cum potu aquæ decoctionis sebesten, *vt habetur 11. Continentis*, & ponitur a Grado, vel fauum mellis ori imponito, deglutiendo, quoniam ad os ascendent & egredientur. Sic etiam cum vermes descendunt, ad inferiora, facillime alliciuntur & educuntur enemate ex dulcibus parato, & ita quoque Gatenaria attrahit vermes a partibus superioribus ad inferiores, balanis vermibus gratis: alii clysterem ex lacte probant, alii rursus vituperant, quod facile coaguletur & corrumpatur, febremque inducat: idcoque potius laudant clysterem ex carnium iure, cui mellis, vbi adsit febris, ℥ j adiecta sit: alioqui eius loco zacch. ℥ j. Dulcibus enim & vnctuosis delectantur vermes. Alioqui si in ano sint, *glans inuoluto cotone & oleo omphacino tincta, aut aloe vel felle vaccino, aut carne pingui porcina salita, filoq; appenso in anum dimittatur*, ad quam vermes conuersi, eaque retracta, adhærentes educuntur. Si myxa ex aqua deferbueris, & decoctum cum butyro recenti infuderis, tineas a superioribus ad inferiora detrahes. Si in stomacho, idem decoctum potum valet, nam per vomitiones eas extrahit. Sic rotundas mel in ore detentum tineas ad se allicit. Sed & abrotani decoctum infusum cum melle & olei exiguo, latas tineas detrahit, & quod ex marrubii succo conficitur, & centaurii decocto infuso necantur tineæ rotundæ minutæ, quæ in aluo ima sedem habent: oliuarum quoque muria ac salsorũ piscium infusa. At si ex febri vel vermium tetris vaporibus aut fumidis medicaminibus, quæ caput petunt, ita vt dolore plurimum afficiatur tum bregma, hoc est, sinciput, tum frons & tempora, rosaceo illinitur efficacissime, vel acaciæ succo, vel hypocystidis admixto.

Prohibitio ascensus vermium ad superiora.

7. *Quando competit vomitus in vermibus.*

Attractio vermium quibus perficiatur.

Educentia vermes per inferiora.

Ad dolorem capitis ex vermibus.

Observatio XXXIII.

De infante, vermiculatione laborante.

1. INfanti apud Delphenses, cum vermes deiiceret, fel tauri cum butyro & puluere cornu cerui vsto, vmbilico apposui: & statim bene habuit. Rhases apponit cyminum puluerisatũ, cum felle tauri: quo & Sebastianus Austrius vsus, puerum curauit lumbricosum: ex cuius appositu, & vermes ab intestinis proliciebantur, & per vmbilicum incomparabilis multitudinis aqua saniesque profluebat.

Scholia.

2. *Topica.* NOn solum topica remedia vmbilico apponuntur in infantibus & pueris, sed in adultis quoque ad interficiendos vermes & expellendos etiam: si vermes cum febribus iungantur, tunc amara laxantia applicantur. quale hoc est: ℞. *succi persicariæ vel aizoi minoris* ℥ j. *extrahantur cum aceto*. In quibus succis dissolue fellis porci vel tauri, ℥ j. agarici. ℥ ij. *farina lupinorum. q. s.* ad inspissandum cum terebinthina, fiat ad formam cataplasmatis, applicetur supra vmbilicum. In hoc nos abstinuimus a portulaca, corallo & farina lẽtium, quia hæc omnia adstringunt, quibus non vtimur, nisi cum vermes fluxui immodico iunguntur, quem compescere volumus, & post magnas euacuationes. Nam in principio etiam licebit, vti supradicto aut alio calidiore, si febris non adsit, vt *myrrha, aloe, bitumine, petroleo, & aliis vehementer calefacientibus*, sed iis abstinemus ob febrem, quibus in aliis vtemur, cum sine febre vermes infestant. Si vermes in caussa sint fluxui ventris, egeatque corpus purgatione, non est verendum vti aliquo medicamento purgante, & præcedente cataplasmate. Quod si pueris longo fluxu, aut vomitione multa, corpus redditum fuerit imbecillius, & si diarrhœa adsit, tale conueniet. ℞. *olei coton.* ℥ ij. *succi portul.* ℥ j. ß. *extrahantur cum aceto, farinæ lentium* ℥ j. ß. *coralli rub. cornu cerui vsti. an.* ℥ ij. *incorporentur simul, & cum pauca terebinthina, vt adhæreat, fiat ad formam cataplasmatis.* Quod si volueris vnguentum facere, coquatur in oleo succus, & minue quantitatem farinæ, aut eius loco adde ceræ q. s. fiat vng. In his omnibus topicis remediis (*vt dicebat Rondeletius*) acetum conuenit ad penetrandum: sed maiorem addimus quantitatem, quando vel constringendum est, vel refrigerandum, *vt in febribus*. Si autem lienteria sit, calidio-

Si diarrhœa adsit cum vermibus.

3. *Si lienteria adsit cum vermibus.*

calidiora, & quæ plus roborant ventriculum, eligenda sunt, vt facultas retentrix & concoctrix simul reficiantur, & corroborentur. Fit autem hoc pacto. ℞. *olei absinthii* ℥ j. *olei nardini* ℥ ß. *succi menthæ* ℥ ij. *myrrhæ* ℥ ß. *aloes* ℥ j. ß. *mastich. coral. rub. ana* ℥ ß. *ceræ parum, fiat vnguent.* tempore inunctionis, adde parum aceti vel vini maluatici. Oportet etiam secundum illam rationem interna remedia inuenire, quæ vtrique affectui prosunt. Quod si sine istis accidentibus pueri vermibus torqueantur, remedia etiam calidissima & efficacissima præscribenda sunt. Itaque si latus lumbricus vel teres sit, medicamenta laxantia & amara in principio danda sunt, vel amara in principio, vt occidantur, & postea laxantia, vt occisi expellantur. Confectio illa, quæ diacarth. dicitur, potentissimum est remedium, datum pueris ad vermes deiiciendos, & ad pituitam vel chylum corruptum, ex quo generantur & nutriuntur: sed in exigua quantitate, quia fortiter soluit. Præterea infusio agarici in oxymelite plurimum valet: & rhab. quando vel fluxus ventris, vel bilis purganda est. Potiones ad occidendos vermes parantur ex decoct. portul. absinthii, graminis, additis syrup. conuenientibus, quales sunt *syrup. acetos. simplex, de byzantiis*, si pituita extenuanda sit, *vt in febri*; vel *syrup. de limonibus, de acetos. citri, quando obstructiones aperiendæ*; & cum refrigerandum, *syrup. de endiu. compositus*: si ventriculus & intestina detergenda & corroboranda sunt, *syrup. de absinth.* Si vero refrigerandum & adstringendum, *syrup. endiuiæ simplex*, magis conuenit. Fiant hoc modo. ℞. *syrup. acetos. simpl. vel de byzantiis* ℥ j. *vel ana* ℥ ß. *aquar. graminis, asparag. ana* ℥ j. *aquæ absinthii* ℥ ß. *misc. pro vna dosi. Vtatur per tres aut quatuor dies*, quibus finitis dentur medicamenta laxantia. Interim dum vtitur istis syrupis, iniiciuntur clysteres *ex lacte zacch. melle*: si febris adsit, *ex hydromelite, vel iure pulli, & zacch. vt dictum est*: si fluxus ventris sit cum febre, *ex decocto hordei & zaccharo*: si fluxus adsit sine febre, *ex lacte chalybeato, & pauco zaccharo rosato*. Die vero ante purgationem addantur aliqua laxantia in prædictis clysteribus, si sine fluxu sint, *vt succus cyclæ, vel mercurialis, aut parum benedictæ, vel hieræ picræ*. Omnes isti clysteres parentur iuxta Rondeletium sine oleo, nisi quando iam attractos volumus euacuare, & medicamentis laxantibus vtimur. Maxime si aluus sicca & adstricta sit. Nunc seorsum dicamus quæ singulis speciebus magis conueniant, prius adducto exemplo de teretibus & rotundis.

Quomodo remedia interna etiam inuenienda.

4. *Diacarthami.*

Potiones ad occidendos vermes.

Observatio XXXIV.

De lumbricis teretibus ac rotundis.

1. Ivvenis quidam teretes vermes, eosque rotundos, deiiciebat: eidem absinthii decoctum commode exhibuimus. *Galenus 14. method.* hoc ipsum probat, si pueri non fuerint. Absumatur autem cremor ipsius. Idem præstat & abrotani decoctum, *ex Aetio*. Pueris autem magna cum vtilitate myxarum decoctum præbuimus, mentha admixta. Illud quoque ab Aetio commendatur, febre non exsistente, aut si eadem sit exigua. Magna cum vtilitate etiam in pueris vsus sum semine contra vermes, zaccharo incrustato, vel sine zaccharo, modo pueri ita deuorare velint. Cunctis vero infantibus, & adultis febrientibus, vel non febrientibus, ex eiusdem Aetii testimonio, confidenter exhiberi possunt, etiamsi trimestres fuerint infantes, vermes terreni cum sapa: si vero sapam non admittunt, cum hydromelite, aut vt libet præbeto; nihil veritus, neque vtilitate contemta, eos septem numero dato. Donatus cum syrup. acetos. citri infrascripti puluisculi ℥ j. indifferenter infantibus ac adultis febrientibus & non febrientibus exhibet. ℞. *sem. quod lumbricorum vocant*, ℥ ij. *cornu cerui vsti. sem. citri. portulacæ, ana* ℥ j. ß. *fiat puluis.* Dabat idem magno cum successu ℥ j. *acetosit. citri, &* ℥ ß. *succi menthæ.* Ex theriaca quoque, terra lemnia, luto armeno, aqua rosa. ac aceto medicamentum parans, id temporibus, naribus, iugulo, carpis vtrisque applicari præcepit. Et ex vtraque mentha & absinthio ac persicæ foliis insimul contusis, adiecto aloes pulueris, lupinorum farina, atque torrefactis micis panis cum aceto & aqua ros. medicamentum ventriculo imponendum parant; interim chiam, mastichen ac cynnamomum adiicientes: insuper ex absinthii ac persicæ foliis contusis, felle taurino, aloe ac farina lupinorum adiectis, cum aloe, oleo de absinthio, amygd. amar. cataplasma ex oxymelite componunt, vmbilicoque imponunt; quibus & nos feliciter vsi sumus, cum pharmaca sumere non possent, & in adultis post aloen vel pilulas eiusdem deuoratas. At puerpera non sine febre continua & pestilenti, cum deliraret, & peregrina in somnis loqueretur, & in ventre valde torqueretur, & vna cum fluxu vermes teretes deiiceret, cui cum exhibuissemus puluerem sequentem cum ceruisia, vnica vice quinque vermes teretes rotundos per ventrem reiecit. Puluis talis erat. ℞. *pul. cornu cerui vsti* ℥ ß. *sem portulacæ, zedoariæ an.* ℈ ß. *misce.* Ne autem semen zedoariæ, quod calidum erat, febri noceret, semen portulacæ adiecimus, & quia debilis erat. Statim a puluere exhibito dolor ventris, qui adeo vehemens erat, in puerpera, vt ventrem præ doloris atrocitate rumpi clamaret, ilico mitigatus est, & quinque vermibus vna cum excrementis liquidis reiectis, sana euasit, febre desinente, & similiter fluxu quo afficiebatur. Ita & puer quinque annorum, cum & febricitaret, & simul fluxum haberet, ac vermes deiiceret, solo decocto polygoni, seu centumnodii, cum alia remedia non iuuarent, curatus fuit.

2.

Scholia.

1. Teretes non ita vehementia medicamenta desiderant, quemadmodum lati & ascarides, *vt patet 14. meth. medendi apud Galenum.* Id quoque in primis obseruandum, num febris adsit: tunc enim eorum curatio coincidit cum ea, quæ febricitantibus conducit. Mitioribus ac simplicioribus sane remediis vti oportet, quemadmodum & de febribus multis exemplis per nos demonstra-

Teretum lumbricorum medicamenta.

tum est. Ab acribus autem magis exacuuntur. Potui igitur dat Paulus chamæmelorum vel myxariorum decoctum, aut ipsamet mixaria esui præbet: eorundem chamæmelorum decoctum Aetius propinat. Item sereos succus, aut coriandri semen cum aqua calida, vel cum posca datur: aut auriculæ muris decoctum, vel cornu cerui ramentum, & olei immaturi amarissimi cochlearia duo absorbeant. nam qua amarum est (*vt idem Paulus fatetur*) lumbricos occidit, qua lubricum, detrahens ipsos cum stercore reddit. Sunt etenim amara omnia non solum ad interficiendos lumbricos idonea, verum etiam ad fœtum viuum enecandum & mortuum eiiciendum, quemadmodum liquet, *8. de simplic. medic. facul. cap. de filice, ac etiam cap. de myrrha*. Et propterea idem oleum omphacinum cum ptisana decoctum præberi debet. Cataplasma insuper (*ex Aetii testimonio*) confici potest ex lupinorum farina in hydromelite decocta, illudque imponendum. Vmbilicus felle taurino illinatur, & spina vniuersa ex medulla ceruina. Humido etiam fotu ex oleo chamæmelino, vino, absinthio & aloe præcordiis accommodato (*vt inquit Paulus*) vtare, præsertim si ægrotantes inflammationem, seu distensionem in visceribus experiantur. Si autem febres non molestant, quinimo ad integritatem, aut totius morbi declinationem ventum est: acrioribus ac efficacioribus medicamentis vtendum erit, præsertim robustis corporibus. In quem vsum seriphii decocto, vel calamenthæ, seu ptereos vtendum: vel cardamomi semen, vel mali punici acidi radicis ius ad tertias redactum præbeto, vel santonicum, vel abrotanum, vel etiam ambo simul cum melle in catapotio coacta (*vt inquit Paulus*) aut brassicæ, seu erucæ semen læuigatur, seu absinthium solum, quod etiam frequenter abunde fuit. Præterea si terni lotæ aloes scrupuli præbeantur, remedium est laudatissimum, *eodem auctore*. Acetum etiam scyllinum, præsertim ætate prouectioribus confert, *vt ipse inquit*, chamæpiteos, marrubii, ac etiam helenii decoctum, thymi & pulegii. At Celsus contritum semen vrticæ aut brassicæ, aut cumini cum aqua, vel mentham cum eadem, vel absinthium decoctum, vel hyssopum ex aqua mulsa, vel nasturtii semen cum aceto contritum, pueris dari iubet. Prodest insuper ab inferioribus partibus mulsam inicere copiosiorem, quo lumbrici mellis dulcedine illecti deorsum descendant, *vt idem Paulus inquit*. Donatus in hunc vsum consueuit cum pauco sale & saccharo lac per clysterem iniicere asininum aut caprillum: quandoque vero ex gallinarum seu pullorum iure, zacch. & ouorum luteis clysterem componere iubet. Si autem putrefacti lumbrici in alto corporis, aut per pharmacorum potiones enecati, non excernantur, sed potius vapores sursum mittant, educendi sunt, aut aloes (*inquit Paulus*) aut medicamenti amari ex ea confecti potione. In quem etiam vsum, si febris valida infestet, rhabarb. cum manna in myxarum ac tamarindorum decocto dissolutum præbendum. Quandoque etiam, febre valida non exsistente, agaricus imponi potest, ac cum prædictis commixtus exhibendus. Neque enim (*vt ipse Paulus refert*) expers præsidii erit mediocris alui euacuatio: & in vniuersum omnia, quæ lumbricos educunt: aut per acrediné occidendo, aut per amaritiem subducendo, aut ad excretionem irritãdo, aut per consequentem ad eam, quæ exhibentur, lubricitatem efficacia cognoscuntur, *vt liquet ex Aetio*. At si qui sunt, qui lumbricis cum alui profluuio infestentur, eos fluorem inspissando, & cõcoctionem, tum per cibos, tum per cataplasmata in melius permutando curare oportet. In quantum enim fluxiones inualescunt, tantum etiam lumbricorum generatio augetur, *vt idem Aetius testatur*, & a Donato citatur: Qua de re prepotationibus vtendum erit, inter quas plantaginis succus est præferendus, ipsamque plantaginem aridam absumant, nam ex æquo vtrique & fluori, & lumbricis efficax est Licebit autem & in hoc casu vermibus terrenis, quemadmodum dictum est, vti. Coniicienda item sunt in cataplasmata ad fluxiones sistendas concinnata, ea, quæ ad lumbricos sunt prædicta, & quæ fluorem nõ exacerbant, velut est *absinthium, abrotanum, santonicum, malicoriũ, acacia & balaustium, galla, pteris*, eisque similia, cum cruda hordeaceaque farina, (*vt liquet ex Aetio & Paulo*.) Insuper extrinsecus ventri imponatur medicamentum ex aloe, melino, & vino, (*hoc etiam appetentiam excitat*) sæpius autem & absinthium cum eisdem misceatur, *vt etiam Donatus ex Paulo annotauit*.

Amara enecant vermes & fœtum viuum ac mortuum eiiciunt.

4.

Quando acriorib. vti liceat.

5.

Quomodo enecati excernendi.

6. *Vermes cum alui profluuio.*

OBSERVATIO XXXV.

De infante duorum fere annorum, vltra centum vermiculos per aluum excernente.

1.

INFANS duorum fere annorum, filiola Adriani Ioannis zythepsæ Delfensis, in cuius cupis Calix pro insigni erat, mense Februario anno 1566. cum vermiculos aliquos excerneret, longitudine medii fere digiti, nec longiores, latiusculos, paulo depressiores, modo viuos, modo mortuos, ad hanc tandem accitus sum, cum etiam in febrem satis vehementem incidisset, simul & in alui fluxum ac tussim validam, vt ob tussim subinde cruenta expectoraret. Postremo adeo angi cœpit, vt pro deplorata habita fuerit. Reddebat autem excrementa liquida, aquosa, & valde biliosa, vna cum vermibus iam dictis. Cum ægre potum admitteret, imperaui, vt dentem leonis vna cum radi. liquiritiæ decoctum in ceruisia tenuiori, modo admixta aqua tussilaginis, seu vngulæ caballinæ (*ob tussim*) modo agrimoniæ vel portulacæ, ob vermes, sumeret. At neque serapia nec aliud quicquam gustare voluit. Tandem puluerem cornu cerui vsti passulis arillis extractis impositum continuo deuorabat: atque ita dulcedine passularum allecti vermes, quo solo remedio, dictu mirabili, continuato, vltra centum vermes per aluum deiecit: & ventre inuncto oleo coton. & absinth. puluere cornu cerui vsti immixto, & exigua cera adiecta, a vermibus, iisque modo viuis modo mortuis per aluum reiectis, tum a fluxu alui ac febre liberata est. simul & ven-

& venter breui detumuit, & magno cum nostro honore perfecte conualuit.

SCHOLIA.

2. VTRVM essent vermiculi isti teretes, multum dubitabam, an lati, qui tamen longiores esse solent. Videbantur referri posse ad rotundos, licet parum depressi nec longi forent. Neque erant cucurbitini, quos aliqui partes latorum esse volunt. Quales autem fuerint, perinde est, cũ & in omnibus vermibus (*præcipue vbi etiam fluxus ventris adest*) pro comperto habeamus nullum præstantius remedium esse, quam cornu cerui vstum vi quadam occulta, pueris tum infantibus ac adultis exhibitum. Memini enim, quod soror mea Maria Foresta, cum adhuc iuuencula exsistens vermiculatione laboraret, exhibito hoc solo medicamẽto simplicissimo, nescio quot vermes vltro ex ano eiecerit, qui decidebãt in terram viui: ita, vt per cubiculum ambulando, nec decumbens nec febricitans, ab hoc fœdo malo curata fuerit.

OBSERVATIO XXXVI.

De quodam adolescente latos vermes habente.

1. ADOLESCENS cum circa vmbilicum valde torqueretur, & nauseabundus esset, & febre careret, cum excrementis suis quædam seminibus cucurbitæ vel cucumeris similia deiiciebat. Quare cum latos vermes habere coniectabam, cum illud latorum vermium, *teste Gal. lib. 1. de loc. aff.* certissimum sit signum. Cui cum decoctum centaurii & absinthii propinassemus, & pilulas aloeticas exhibuissemus, latis vermibus adolescentem laborare, res ipsa tum exitus ac experientia probarunt: nam ab exhibito decocto præcedẽte, vermes miræ longitudinis deiecit per aluum, in mucronẽ tanquam fibulæ desinentes; qui equidem vermes miro modo intestina prius lancinarant & lacerarant. Sed iis remediis repetitis, & aliis comestis, & radice raphani cruda, tum sinapi ac decocto suprascripto vtens, vltra duodecim vermes admodum longos eiecit, & tandem optime valuit.

SCHOLIA.

2. *Latorum lumbricorum curatio per medicamenta.* LATI vermes, *vt prius auctoritate Celsi diximus*, multo peiores sunt quam teretes. Sed horum curatio licet cum præcedenti concordet, *ex Aetij & Pauli testimonio*, ita, vt iam dictis vti possimus; tamen, *vt Galeno visum est 14. methodi*, (id quod etiam videtur confirmare Celsus) vehementiora medicamenta lati lumbrici desiderant, quam teretes; quemadmodum & Donatus de iisdem quoque annotauit. Huiusmodi est filix (*inquit Galenus*) maxime radix eius, *vt loco citato constat apud eundem: & 8. de simpl. medic. facultatibus*; latum enim lumbricum interficit, si quis eius ℥ iiij. in melicrato ebibat, *vt ipse refert*. Ad quem modum mirum non est partum viuum enecare, & mortuum eiicere. Item centaurii decoctum (*quo & nos feliciter vsi sumus*) potum, & ab inferioribus partibus inditum, calaminthæ, dictamni, vel pulegii confert, *vt ex Paulo liquet*. Poterunt etiam & in potu vermes terreni (*vt dictum est*) exhiberi. Proprie autem ad ipsos facit auriculæ muris succus, duorum cyathorum mensura, cum vno zythi cyatho potatus. Celerrime namque ipsos educit, *vt liquet ex Aetio*. Nec minus aqua potari debet, in qua lupini, aut cortex mori decoctus sit, aut cui adiectũ sit contritum vel hyssopum, vel piperis acetabulum, vel scammoniæ paululum, *vt Celsus testatur*. Verum licet veteres scammonio vsi sunt, nunc licebit vti granis quatuor diagridii (*iuxta Hollerium*) cum aqua absinthii, aut simili. Sed purgatio commodior est, vbi in superiore intestino vermes sunt: *℞. decocti sebesten ℥ iij. cornu cerui ℥ j. menthæ siccæ & piperis ana ℈ ij. latos etiam expellit rhab.* ℥ j. *aquæ graminis aut absinthii ℥ ij. spicæ nardi gr. iiij.* Vel in hunc modum (*ex Aetio*) medicamentum paretur: *℞. cortic. rad. mali punicæ acidæ in suprema parte delibratæ, piperis cuiusq; ℥ iiij. cardamomi ℥* vj. *marrubii ℥ ij. mellis despumati q. s. præbe ex eo cochlearium.* Post allii comestionem (*vt ipse præcepit*) id quoque medicamentum Paulus scriptum reliquit. Verum, vt ex toto affectus discutiatur, *vt idem inquit*, theriacen quoque exhibebis. 4. Hollerius clysteres ex vini ℔. j. *olei absinthii ℥ iij. pulu. hieræ ℥ ij. componit. poterit etiã adiici ℥ j. mellis & ℥ j. salis.* Nam & sal deglutitũ ascendentes vermes ad stomachum, deorsum pellit. Videndum tamen (*vt idem admonet*) ne odiosa vermibus per sedem iniiciamus, cum ad superiora eorum motus est. Tum enim iucunda potius, vt mellita & dulcia iniicienda sunt, aut eiusmodi glandulæ subiiciendæ. Bibenda vero, quæ eosdem vermes deorsum pellant. Nam aliquando, vt dictum est, ad ventrem vsque ascendunt, & stomachum lancinant, vnde syncope, conuulsio, mors. Eadem topica prius dicta vmbilico imposita etiam iuuant. Non solum theriaca, sed & methridatium, si nulla febris adsit, vermes enecat & excludit.

OBSERVATIO XXXVII.

De vermibus Ascaridibus dictis.

1. MATRONA nobilis & religiosa, iuuencula, in cœnobio Campo regio dicto, prope suburbium Delphensi, mense Augusto, Anno 1558. præter ascarides quibus laborabat, insignem ani pruritum experiebatur. Post multa tentata remedia etiam per alios medicos, decoctum (*ad illam accitus*) ex absinthio communi & seriphio, ac centaurio minori propinaui. Ac illam purgaui cum hiera simplici. Mox clyster quoque iniectus ex iure pulli, cum zaccharo; paucis prodeuntibus vermiculis, quales in caseis reperiuntur. Postea & hũc clysterem iniicere mãdauimus per pharmacopœi vxorem: *℞. absinthii communis, centaurii minoris, calaminthæ, florum chamomillæ, caulium rub. pulegii, marrubii ana m. ß. seminis coriandri præparati, santonici* (quod vulgo semen lumbricorum vocatur) *ana ℥ j. fiat decoctio in aqua communi, pro ℔. j. adde hieræ picræ ℥ ß. benedictæ laxat. ℥ iij. olei absinthii, amygd. amar. ana ℥ ß. olei oliuar. ℥ j. salis ℥ j. ß. fiat clyster*; ex quo ter secessus mucosos & pituitosos habuit. Sed eo tempore in excrementis vermiculos illos anum pungentes non conspeximus, quanquam eo clystere dolor & ani pruritus cessarũt, neque amplius illis vermiculis tentabatur. Quod si ascarides eo modo non fuissent extractę ac expul-

sæ, medicamento Aetii vsi fuissemus, quod & pueris, & iis qui perfectæ sunt ætatis, conuenientissimum esse scribit. Id vero est tale: *carnem veterem salitam pinguedine derasa, sublongam & rotundam formabimus, atq; ita adaptatam podici astrictiore parte intrudemus, ligamentoq; adhibito, quam diu sustinere possint, inditam sinemus, deinde soluemus, huicq; carni extractæ solent adhærere vermes.* Verum post clysteris operationem hoc linimento circulum ani etiam interius inungi mandauimus. ℞. *olei myrtini, cotoneorum an. ℥ ß. acaciæ, hypocystid. pul. semin. plantag. an. ℥ j. aloes ℈ ß. ceræ modicum.* Quibus iam dictis remediis cessauit pruritus, & ascaridum generatio. Verum cum huic longo tempore menses defecissent, ad eos excitandos decocta propria præscripsi, vt ex pulegio, sabina, quæ similiter vermes pellunt. Et sic ab hoc fœdo malo non solum liberata fuit; sed postea etiam menses fluere cœperunt, & optime deinde valuit: quę & hoc tempore adhuc viuebat, cum hæc rescriberem, anno 1591. mense Ian.

2.

SCHOLIA.

3. ASCARIDES potius sunt vermes, *vt dictum est*, quam lumbrici, in recto intestino & sphinctere nati. Hoc etiam genus in fœminarum pudẽdis nasci posse auctor est Hippoc. *lib. de morb. mulierum.* Garcia Lopius Lusitanus medicus *com. 13. de varia rei medicæ lectione*, testatur, *se vidisse eos in collo vteri matronæ, & multitudinem eorundem expulisse; quæ liberata fuit post multos cruciatus.* Gal. tamẽ *1. de loc. aff.* in intestinis fieri voluit, & *4. Meteor.* Bertrutius ait *in ano generari ex materia putrida, pituitosa, viscosa, atque signa eiusdem aut ani pruritum frequentem esse; suntq; vt tineæ paruæ in caseo: & forte non apparent* (inquit) *nisi anus inuersetur cum ventoso. Et licet sint parui omnes, variantur tamen in colore, & figura, pro materia diuersitate, ex qua fiunt. Si vero reperiantur similes seminibus cucurbitæ, non sunt geniti in ano, sed in colo & longanone, quæ descendunt ad anum;* quorum curationem idem dixit *cap. de cura colicæ ex vermibus.* Diligenter autem curandi sunt, cum ægrum ad tenesmum deducant cum excoriatione, & forte ad rhagadas ani, & vlcera corrosiua, fistulosa, aut dysenteriam perniciosam. Sic etiam ex labore & dolore tandem febris incitari quoq; potest. Duplicem intentionem curandi habent, *Leonello teste*, vna respicit caussam coniunctam, & vermes ipsos; alia antecedentem, phlegma ipsum considerantes ex quo gignuntur. Prima interficit vermes, & repurgat anum a phlegmate crasso, abluendo anum cum ℥ iiij. *aceti optimi & oxymell. simplicis ℥ ij. cum peciis lineis infusis, aut insessu huius decocti:* ℞. *absinthii, prassii, fol. persicæ, stœcha. arab. an. m. ij. amygd. amar. parum pistarum ℥ ß. bulliant in s. q. aquæ*, & cum ano insideat: demum exsiccetur, & ita liniatur: ℞. *olei amygd. amar. absinthii, ex nucleis persicorum ana ℥ ß. aloes non lotæ ℈ ij. ß. colocynth. interior. agar. ana ℈ j. puluerisanda puluerisentur*, & cũ oleis prædictis bulliant; & modica cera adiecta fiat vng. Secunda intentio, ad caussam præcedentem, nempe pituitam, ea ipsa digerenda cum *syrup. de duab. rad. oxymell. scillitico admixtis aquis absinthii, & similibus:* deinde pituita repurganda cum diaphœnic. electuario, ex hiera & similib. Aliqui & clysmata iniiciunt, ex succo vel aqua porri, scordii; vel potest iniici, quale nos præscripsimus, balanis inditis cum lana molli ex bombace, & felle taurino inuoluta. Reliqua vide apud Bertrutium. At pari modo vt lati, & qui ascarides nominantur, vehementiora medicamenta desiderant, ex eiusdem Galeni decreto, minimeque eorum curatio negligenda est; sed citra dilationem perfici (*vt inquit Aetius*) debet. Quare acri muria infusa, aut absinthii decocto, oleo admixto vacuandi sunt, vel centaurii decocto, cum nitro, & melle: aut absinthii, aut chamæleonis, aut hyssopi, vel pulegii, seu calaminthæ, aut lupinorum. Infantes vero glandibus ex melle cum salis momento vacuari debẽt, *vt inquit Paulus.* Poteris & in prædictis glandibus (*vt etiam admonet Donatus*) adiicere stercoris murium, salis gemmæ, agarici, ac pul. hieræ simplicis parum. Vbi vero recrementa prodierint, affectus locus illinendus est simplicibus quibusdam medicamentis, vt acacia, hypocystidis rhoisq; succo, cum alumine liquido, aut alio eiusdem generis adstringenti medicamento. Contra enim ab adstringentibus affecta pars corroboratur, aptitudinemque ad animalculorum generationem amittit, atque ascarides ipsos excludit, *vt liquet ex Aetio.* Eadem quoque & similia adstringentia, in aqua maris, aut adstringenti vino decoquantur, & eo calido aluus foueatur, ac irrigetur. Vel post carnem inditam ex Aetio, *vt in obser. diximus præcedenti*, prædicta iam infundemus, atq; illinemus. Idem etiam remedium sæpius repetemus; in quam etiã figuram, casei, præsertim quod vulgus Italorum (*vt refert Donatus*) Siculum nominat, portio quædam si redigatur, melleq; illinatur, ac sæpius immittatur, confert; *vt idem Donatus non raro expertus est.* Conducit quoque ad teretes educendos, etiam infantibus. Nos poterimus vti nostro caseo aliquo modo recenti, non autem valde sicco, melle oblinito. Plura apud Aetium legito, *lib. 9. cap. 41. de Ascaridibus.*

Vermiculi in collo vteri reperti & expulsi. Tract. 5. sect. 3. c. 3. de vermib. in ano.

Prognostica.

4. *Curatio.*

Ascaridum medicamenta ex Gal. Aetio & aliis.

5.

Et ita omnem curationem de vermib. absoluimus, & huic libro finem imponemus, transeuntes nunc ad genera profluuiorum alui, de quibus libro sequenti agere instituimus, cum & vermes aliquando non sine eiusmodi alui profluuiis ægros tentare soleant.

FINIS LIBRI XXI.

LIBER VIGESIMVS-SECVNDVS.

DE DIVERSIS GENERIBVS profluuiorum alui.

OBSERVATIO I.

De fluxu ventris diuturno.



QVI diuturno alui fluxu laborabat, & omnem suam substantiam frustra in medicorum ope consumserat, consilii caussa, vt ab hoc malo liberari posset, me accessit: cui consilium

1.

silium dedi, vt mespila etiam immatura in maxima copia deuoraret: quibus comestis alui profluuium paucis diebus cessauit. Vti & cuidam euenit mercatori Zelando, ad Ioannem Spirinchium, quondam medicum Louaniensem celebriorem profecto, vt ab eo curaretur: qui cum multis mensibus laborasset profluuio, & tandem etiam dysenteria, neque ab vllis medicis curari posset, tandem mespilis comestis, ex eiusdem medici consilio, sanitatem consequutus est, & medico trecentos aureos pro sola mespilorum præscriptione numerauit; quibus solis in pristinam sanitatem fuerat restitutus.

S c h o l i a.

2. Recte dixit Iacchinus, *difficilem esse tractatum de fluxu ventris, propter iuniores, qui multa capita fluxuum fecerunt sine ratione:* nominantes fluxus etiam a caussa remota, vt *cerebrales, oppilatiuos, lotiuos, hepaticos, spleneticos*; cum breuius diuisionem facere expediret, ad inueniendos affectus, qui curari debent. Et sic tres tantum apud veteres positi sunt profluuii modi, sumti a ratione eius quod excernitur. Vel enim cibum excerni videbant, & appellabant lienteriam; vel sanguinem, & dicebant dysenteriam, *vt 3. de sympt. caussis*: vel humores alios, quicunque essent, excepto sanguine, quæ omnia diarrhoeæ nomine dicebant. Hoc vero genus, & differentias sumebant ex eo quod excernitur. Vel enim chylum refert, id est, cibum in ventre concoctum, sed non distributum; vel alios humores, vt bilis genera, vel pituitæ, vel atræ bilis: & in his nomina propria non imposuerunt semper; sed neque expedire existimat Iacchinus, atque sat esse nosse affectus, a quibus talia profluuia fiunt, quibus etiam curatio debetur.

3. Cum itaque cuiuscunque generis fuerint profluuia (*postquam de tormentis intestinorum & de vermibus tractatum absoluerimus, & de cita alui deiectione, eiusque caussis generalibus*) etiam pertineant ad affectus & vitia intestinorum, de iis nunc dicere instituimus: facto initio de Diarrhoea, id est, *alui profluuio*, seu ventris fluxu. Vbi enim liquida est aluus, & sæpius quam ex consuetudine fertur, affectus quidam exoritur, qui Græcis, διάρροια communiter, simulque ab Hippocrate *aphorism. 26. & 30. 3. lib. ac 32. 6.* aliisque plerisque locis appellari consueuit. Quanquam ab eodem Hipp. & Gal. quandoq; ῥοώδης nuncupetur, *vt patet 1. de morb. vulg.* A Latinis autem Diarrhoea seu alui profluuium appellatur: quamuis a Celso, *cap. 19. lib. 4.* ventris fluxus nominatur, qui copiosior fluxio est alui, diuturna, sine phlegmone, & exulceratione, vt lib. defin. medicinal. scriptum est, vel (*vt liquet apud Galenum eodem 1. de morb. vulg.*) deiectio est, vt semper & assidue humidorum excrementorum, sine dictis affectibus (*vt ipse inquit*) qui affectus prius ab eo descripti erant, dysenteria videlicet, lienteria, & tenesmus.

Διάρροι.

Ροώδης.

Alui profluuiũ quid sit.

4. Cum itaque aluus fluxione laborat, seu humidior efficitur, citra cruentas deiectiones, tensionem, ac incoctorum ciborum excretionem; alui profluuium est, & dicitur. In quo tamen pars affecta, *vt longiore sermone docet Donatus ex Hippocrate & Galeno*) dubia est: cum constet in diarrhoea non perpetuo vnam affectam esse partem, neque etiam ventriculum, aut intestina duntaxat: sed interdum iecur, aut lienem, seu cerebrum, aut corpus totum affectum esse, citra ventriculi aut intestinorum oblæsionem. Interdum vero contingit, quod ventriculus ipse aut intestinorum aliquod afficiatur, corpore toto, aut reliquis eiusdem corporis partibus bene valentibus. Et quoniam tunc pro prognostico (*vt recte quoque dixit Donatus ab Alto mari*) tum etiam pro curatione huius affectionis, magnopere conducit determinatæ partis primario affectæ cognitio; veluti in cunctis aliis præter naturam affectibus necessarium esse, sæpe demonstratum est; quare de ea re hic agendum omnium primo. Interstingues namque si a toto corpore diarrhoea fiat, quoniam aderunt alicuius redundantis succi in toto signa, siue in toto habitu fuerint, aut in vniuersis vasis, qualiscunque etiam fuerit redundans succus.

Pars affecta dubia est.

Quod non vna duntaxat pars semper in diarrhoea afficiatur

Quibus indiciis dignoscenda sit pars affecta in diarrhoea.

5. Particulariter autem ea conscripta reperies apud Galenum, cum libro *de plenit.* tum etiam *4. de sanit. tuenda*, ac aliis plerisq; locis. Præter id, quod otiosa quoque vita præcessit, consueti exercitii dimissio, ac ingestorum ciborum & potuum copia, aut consuetæ alicuius excretionis retentio; neque vllum aderit signum particularis partis affectæ. Verum si a toto fiat, propter eiusdem corporis liquationem, cum portio carnis, quæ colliquatur, in ventrem defluit, tunc per aluum excernitur deiectio exigua, glutinosa, opima, admodum graueolens. Pariter si propter vniuersi corporis retentricis facultatis imbecillitatem, ex totius corporis extenuatione præcedente, ardentissimaque febre, seu hectica, seu etiam tabe, id coniicere poteris: quemadmodum Hippocrates scriptum reliquit *aphorism. 11. 12. & 14. lib. 5.* Huius exempla posuimus in libris nostris, De febribus hecticis; & etiam de fluxu colliquante, nempe *obseruat. 40. lib. 2. de febr.* colliquante & *obser. 7. lib. 4. de fluxu in febr. hectica, & obser. 9. de marasmode.* Cerebro autem affecto spumosa aderunt excrementa, *vt idem inquit Hipp. aphor. 30. lib. 7.* nec minus & imbecillitates eius apparebunt, ac destillationes, & quandoque dolor. Quæ omnia scripta reperies cap. de dolore capitis ac destillatione. Consueuit quoque vitio cerebri orta diarrhoea in somno, potissimum longiori, magis, quam in vigiliis generari.

A toto corpore.

A cerebro.

6. Sic ex recrementis iudicare possumus, ex qua parte fluat: nam spumosa & pituitosa a capite; & ex iis agnoscitur, quæ circa caput apparent, vt grauitate, multitudine sputi, & quod mane magis fluat & nocte, quam alio tempore: & hæc species diarrhoeæ longo tempore durat; & qui hac laborant, sentiunt ob pituitam fluentem ad ventriculum, dolorem, cruditatem alimentorum; non multum sitiunt, & sunt somnolenti: de spumoso tamen excremento Galenus monet non necessarium esse, vt adsit in profluuio alui a capite orto, vt longius annotat interpres Hollerii, cum & in dysentericis materia commota & calore æstuante agitata, videamus spumosas deiectiones fieri, ideo illa sunt adiicien-

A iecinore.

da signa, quæ circa caput apparere diximus. A iocinore vero, vbi ortum fuerit alui profluuium, vt plurimum chylosæ erunt alui deiectiones. Probe tamen ventriculi coctione celebrata, potissimum si attractrix iocinoris facultas oblæsa fuerit, idque non ob aliud (*vt dictum est, cum de iocinoris affectibus loqueremur*) quam propter distributionis imbecillitatem, nisi plus cibi fuerit absumtum, quam hepar indigeat, aut citius fuerit deiectus propter ventriculi & intestinorum retentricis facultatis imbecillitatem. Id quod dignoscere valebis ex iis, quæ de lenitate intestinorum dicemus. Interim quoque bilis multitudo in deiectionibus apparebit; ac signa aderunt inflammationis, aut immodicæ caliditatis eiusdem: quemadmodum si ab eius obstructione proueniant, obstructionis quoque aderunt signa. Sic si alius quispiam affectus iocinoris, præter iam dictos, adfuerit, ex propriis eius notis id manifestabitur, vt in præcedentibus, cum de affectibus hepatis loqueremur, fusissime pertractauimus. Ideo vbi alui excrementa biliosa sunt, & male olentia, tunc considerandum, an adsit febris, vel iecoris inflammatio. Nam odor ille grauis putredinem semper indicat; putredo autem semper febrem adfert, vt & interna inflammatio. Cum tale apparet recrementum, considerandum, quo tempore cœperit fluere, (*vt recte admonuit Rondeletius,*) & morbi naturam, & partem. Nam multum refert, si in principio vel declinatione talia reddantur, & si in inflammatione hepatis, vel pulmonũ; vel si fiat in hydrope, & phthisi, & febre hectica, vel aliqua specie febrium biliosarum. In febribus biliosis vtilis est talis diarrhœa, si in declinatione, apparentibus signis coctionis, incidat; & in principio etiam cum magna plenitudo adest. In morbis autem, qui cum tale & atrophia iuncti sunt, mortem indicat, *vt Hippocr. scripsit de tabidis, aphorism. 14. lib. 5.* quod non solum de phthisi est intelligendum, sed omni atrophia, vt in febr. hectica, hydrope, & aliis multis. Significat enim summam imbecillitatem partium naturalium, & potissimum facultatis retentricis. Fere omnes hydropicos diarrhœa mori obseruaui. Partem vero inflammatam considerare oportet, quia in inflammationibus hepatis, splenis, ventriculi & omnium partium naturalium diarrhœa in declinatione est vtilissima, si notæ concoctionis appareant. Quod si in inflammationibus pulmonum & costarũ accidat, inutilis est, imo periculosa; quia nihil a partibus inflammatis euacuat, & corpus liquefacit. Id quod prudenter monuit Hippocrat. *aphorism. 16. lib. 6. Morbo laterali, vel peripneumonia correpto, &c.* Sed quoniam idem iecur non solum sua ipsius excrementa, saniemq; & humores præter naturam demittit in vẽtrem, sed etiam corporis totius; quandoquidem venter per id omnibus corporis partib. copulatur, ac per illud recipit excrementa earum, *vt liquet ex Galen. 2. progno.* Propterea id distinguere poteris ex signis iam traditis. Si totum corpus fuerit affectum, aut si aliæ partes quædam, ex earundem partium affectarum propriis indiciis id cognosces. Et sic fiunt multæ aliæ fluxiones, vitio alicuius visceris, vt inflammatione hepatis, tumore lienis, & similibus, quæ ad alia capita referri debent. Hollerius (*vt in Scholiis suis annotauit*) scribit, *se fluxum quendam diuturnum in multis obseruasse, in quo varia, opima, nigra, cærulea, viridia, satis corpulenta excernebantur.* Ex quo alios euasisse, vt Aduocatum De la Vergne, Anglum, pædagogum, &c. vidimus; alios interiisse, vt ducem celebrem peditatus in exercitu, fabrum argentarium, & similes. Omnibus fere vitium in visceribus, & vlcus in postremo intestino. Quidam post sextum annum, quo eo morbo laborauerat, interiit, obsesso hepate multis vomicis, syderata parte mesenterii. His qui conualuerunt, interuallis idem morbus rediit, vel dysenterica excrementa. Verum si a splene Diarrhœa proueniat, vt plurimum deiectiones ad nigrum vergentes, aut etiam nigræ erunt, patebuntq; particulares eius ægritudines ex propriis earum indiciis, de quibus a nobis loco proprio mentio facta est. Accidit interdũ ab oris seu linguæ affectione alui profluuium: ab ore quidem, vt in pueris cum dentire incipiunt, maxime cum caninos edunt dentes, quoniam alimentum non bene concoquitur, neque distribuitur, *vt patet aphorism. 25. lib. 3.* A lingua vero, vt in blæsis, *quemadmodum liquet aph. 32. lib. 6.* quoniam iis, qui balbi natura sunt, contingit aut cerebrum habere humidum, aut linguam, aut vtrumque, atq; inde fluentes humiditates in ventrem suscipi; vnde & longis profluuiis capiuntur, *quemadmodum Galenus scriptum reliquit comment. iam dicti aphoris.* At si nullum aderit vniuersi corporis affecti, aut prædictarum partium affectarum signum, ventriculum seu intestina affici putandum est. Alimenta quoq; interim non probe concocta cum humidioribus deiectionibus, admodumque aquosis apparebunt. Neque tale alui profluuium determinatas habebit periodos; deiectiones tamẽ aderunt crebræ, & exiguæ, & vt plurimum albæ, & pituitosæ. Interdum nausea, & vomitus infestabunt, ac alia quædam symptomata, quæ imbecillitatem ventriculi & intestinorum significabunt, *vt de vomitu ostendimus, & de lienteria dicturi sumus.* Verum inter reliqua, vbi diuturnum fuerit alui profluuium, propriam ventri passionem indicat, *ex Galeni decreto comment. præcitati aphor. 32. lib. 6.* Si recrementa putrida fuerint, & febris non adsit, neq; sentiatur dolor in aliqua parte, argumento est, illa fuisse diutius retenta a constrictione alui, vel a corruptis alimentis fieri. Confirmabit coniecturam nostram, si quibus alimentis prius fuerit æger vsus, sciamus; vt si facile corruptibilibus, qualia sunt pepones, *cucurbitæ, lac post cibos alios assumtum.* Vel si comederit carnes perdicum diutius asseruatas, & aliarum auicularum, quarum substantia facile alteratur: aut nimis humida, quæ cum facile corrumpantur, a natura reiiciuntur, *vt pisces.* Alimenta acria & salsa diarrhœam aliquando faciunt, cum corpus recrementis abundat. Fit aliquando Diarrhœa ob ventris constrictionem externam, vel a medicamentis, vel ab aere nimis constringentibus. Ea caussa procatarctica

Marginalia: 7. Biliosæ deiectiones quomodo considerandæ. — Quibus vtilis diarrhœa, & quibus non. — 8. — Histor. Hollerii. — 9. — A splene. — Ab oris & linguæ affectione. — Si ventriculus aut intestina afficiantur signa. — A corruptione alimentorum. — Ab alimentis acrib.

ctica facile dignoscitur ex præcedentibus, & maxime fit post medicamentum purgans, si aeri frigido exponant, vel si medicamentum effrene fuerit, *vt colocynthis male præparata*. Tunc iudicamus ventriculum esse caussam diarrhœæ, aut intestina, si nulla ex prædictis caussis præcesserit, nullusq; dolor in alia parte sentiatur, & sit ventriculus supercalfactus. Nimis etiam alimenta corrumpit, aut propter intemperiem frigidam, multitudinemq; cibi non potest concoquere. Sed illa caussa magis lienteriam facit, quam diarrhœam. Intestinorum etiã laxitas, imbecillitas & intemperaturæ in caussa esse possunt. A multitudine humorum agnoscitur fieri, si singulis annis bis aut ter soleat fieri, natura sese exonerante liquidis & serosis humoribus; ac si notæ illius redundantiæ apparuerint, præcesseritque victus ratio gignens. Nulla talis euacuatio subita retinenda est, nisi in phthisicis & quibus minus conuenit, vt in inflammatione pulmonum & costarum. Sed hęc omnia iam dicta exemplis multo clariora euadent.

A medicamen... & aliis caus... externis.

A multitudine humorũ si fiat, quomodo dignoscatur.

OBSERVATIO II.

De diarrhœa seu fluxu ventris liquido, cum serosis humoribus.

1. QVIDAM singulis fere tribus mensibus subito fluxu laborare solebat admodum aquoso, idque ex multitudine humorum, natura sese exonerante ab humoribus liquidis & serosis; præsertim si olusculis humidis vteretur, vel cucumere, aut peponibus, quib. maxime delectabatur. Ad quem ingressus, cum caussam huius profluuii probe intellexissem, cum vires illi non deiicerentur, nolui hanc euacuationem cohibere subito, interea tamen iussi, vt ab iis alimentis abstineret, quæ nimis humida essent, & ventrem conturbarent. Concessi vsum lactis cocti, postea etiam chalybeati, cum pauco zacchаro. Lac vero minus coquitur in principio, vt magis detergat, postea multum; vel ferro candente, vel lapillis serosa substantia absumatur. Conuenit autem caprillum, vel ouile, vel vaccinum, non asininum, quia nimis ventrem turbat. Exterius vero ventriculum roborauimus cum iis, quæ parum constringerent, & robor adderent, exsiccarent, & modice calfacerent, *vt oleo rosaceo, omphacino, mastichino, & absinthii, pauco vino in principio postea cum aceto*; hoc enim modo, vt nardinum, conuenit partibus ventris inferioris inungendis. Non oportet tamen hanc euacuationem retinere subito. *Quod si moliaris* (inquit Rondeletius) *ad retentionem in principio oportet sint imbecilliora remedia, vt quæ ad extra ponuntur; & datis quibusdam leniter astringentibus alimentis ad faciendum, vt id, quod in gracilioribus intestinis iam defluxit, non retineatur.* Vbi igitur a multitudine humorum fiat, fluatque sufficienter, danda erat opera, vt corpus crassioribus alimentis nutriatur, potius quam vt medicamentis retineatur. Vbi iam cognouerimus purgationem sufficienter factam, tunc medicamentis aliquibus constringere tentabimus: & quo securius ista astringentia adhibeantur, vtilissimum erit prius dare lene aliquod medicamentum laxans & adstringens, vt si quid restat euacuandum, euacuetur; vt certius cognoscamus euacuationem esse factam humoris defluxi. Sunt autem conuenientissima remedia, quæ parantur ex *rhabarb. myrob. mastiche.* ex quibus pilulæ confici possunt, quæ in omni defluxu ventris, *iuxta Rondeletium*, tuto dantur: *℞. myrobal. citrinorum, chebul. ana ℥ ß. masticis ℈ j. spica nardi gr. vj. cum syrup. rosat. fiant pilulæ, de quibus capiatur ℨ ß. pro prima vice, deinde ℨ j. si opus fuerit reiteratione.* Nos hoc ita composuimus, cum potius hic esset materia liquida pituitosa: *℞. myrobal. chebulorum ℨ j. masticis ℈ j. spica nardi gran. v. cum melle rос. fiant pilulæ, dedimus ℨ ß. pro vice.* Si fluxus perseueret, appareatque humorum abundantia, certissimum indicium perfectæ purgationis est, si ægri fuerint citra febrem, *vt Hippocr. de medicamentis dixit lib. 4. aphorism. 19.* In his optimum est, clysterem detersorium ad ablutionem iniicere, & statim post, astringentia supra ventrem & circa sedem apponere. Apposui etiam ventriculo ceratum ex mastiche, ad ventriculum roborandum; quod & alteri profuit post pilulas mastichinas exhibitas. Non oportet enim naturæ motum noxia expellentis reprimere; imo aliquo modo adiuuare eam debemus, & deinde virtutem ventriculi & intestinorum medicamentis tam assumtis, vt *diacytonite, cum speciebus*; quam exterius, vt *oleo mastichino, nardino, menthaceo, (adiectis puluisculis menthæ siccæ, caryophyll. & corall. rub. & cera exiguo)* vnguenti instar admotis roborare. Et ita hic curatus fuit. Victum eidem probum institui, ne in idem malum denuo delaberetur.

2.

SCHOLIA.

3. QVOD vero quodlibet alui profluuii symptoma sit in genere excretorum immodice, nemo est qui contrarium sustineat. Nam quæ in eo excernuntur, aut tota substantia, aut quantitate, aut qualitate a naturali statu recedũt. Item quod *(veluti reliqua symptomata)* omnino morbis succedat, vel cõtinenter, vel aliis symptomatib. intercedentibus, cuiuis patet: etenim semper caussam aliquã habet præter naturam, quæ ad talem motum seu actionem naturam stimulat, *ex Galeni sententia 2. de causs. sympt.* Ad hæc etiam, quod ex necessitate ventris profluuia eueniant, vel coctione vel distributione frustrata *(nisi ad intestinorum exulcerationem consequantur)* liquet apud eundem Galenum, comment. *aphorism. 25. & 30. lib. 3.* Non tamen necessario aut retentrix, aut expultrix facultas *(vt recte annotauit Donatus)* in eis oblæsa est, ex eiusdem *Galen. auctoritate lib. de diff. symptom.* Nam cum alimentum non bene concoquitur, neque distribuitur, consueuit alui profluuium euenire. Imo absque iis fieri non potest: tamen cum ipsum, aut non probe concoctum sit, aut non distributum vt decet, interim symptomatice, hoc est, non ad animalis commodum, neque tempestiue excernitur: interdum autem tempestiue, & ad animalis cõmodum, cum prouidentia scilicet de eius salute, & cum virtutis robore: id quod maxime in hac affectione attendendum est, pro eius curatione. At quomodolibet fiat alui profluuium, crebriores, ac li-

Quis affectus sit alui profluuium.

quidiores deiectiones aderunt, cum leuiori, ac tolerabili interdum dolore, interim autem grauissimo, *vt Celsus fatetur*. Verum nunquid ea, quæ deiiciuntur bonæ sint secretionis indicia, aut secus, sic interstingues. Nam si madens, seu aquosa deiectio crebro, & paulatim, aut vniuersim, & sæpe deiiciatur, ac cum stridore, grauissimoq; dolore, symptomatis ratione obtinebit, ac symptomatica erit, natura non per se expurgante, sed ab aliquo irritamento stimulata. Neque inde vtilis vlla prouenit, imo talis euacuatio (*de febrib. alias diximus*) prauæ dispositionis erit signum, *vt liquet commen. aph. 2. 4. lib.* Idque potissimum, vbi in principio apparuerit, nulla concoctione præcedente, & in febrib. At si multo interposito tempore, ac vniuersim, citra stridorem, cum exiguo aut nullo dolore excernatur, præcesserint concoctionis signa, ac proportionata corporis dispositioni fuerit alui deiectio, ægerq; facile toleret & iuuetur ex tali euacuatione, leuius se habens, virtusq; robustior euadat, tunc bonæ secretionis indicium erit. Natura enim expellit per se atq; expurgat noxios redundantes succos, qui corpus infestabant. Vtcunque vero fiat diarrhœa, eius caussa erit, aut male cõcoctus, aut male distributus cibus in inferiori vẽtre; vel humor quispiam ad eum confluens a toto, vel aliqua corporis parte, critice aut symptomatice, diductione a finibus concidente: & propterea a iocinoris vel reliquarum corporis partium concoctione, seu distributione oblæsa, tale quoq; fit alui profluuium; cum & quælibet madens deiectio fiat, *vt testis est Galenus eodem 2. prognost.* Propterea quod non fuerit ex ventriculo diductio ad iecur, vel quia de iecore, vel liene aliquid defluxerit in eum. Cum namque humorum superabundantia per aluum expurgatur, alui profluuia fiunt, *ex eiusdem Galeni testimonio, comment. aphorism. 16. lib. 3.* Ex quorum permixtione cum alui deiectionibus (*vt diximus*) variari contingit, non solum deiectionum colorem, verum etiam consistentiam, atque odorem, item & copiam: neque etiam seruabitur tempus secretionis assuetum. Verum si quis velit non proprie, sed vniuersaliori vocabulo hanc affectionem alui profluuium nuncupare, cum in ea nec concoctio ventriculi, nec intestinorum distributio, ex eodem ventre inferiori ad iecur, fuerint per se læsæ; vel si velit quispiam fateri in hac quoque affectione concoctionem aut distributionem ventriculi vel intestinorum oblæsam esse (*& propterea alui profluuium dici*) licet non per se & primo, *ex Donati opinione*, non reclamabimus. Et sic nos vna cum eo diarrhœam seu alui profluuium dicimus quamcunque humidorum excrementorum crebram deiectionem, *iuxta Galeni sententiam 1. de morb. vulgar. vt superius annotauimus.* At vbi admodum aquosa deiectio fuerit, minimeque graueolens, ad candidum potius vergens, quam croceum seu nigrum; & interim spumosa; alimenti non probam concoctionem, seu eiusdem imperfectam distributionem indicabit: aderunt nonnulla signa eorum, quæ ventrem ipsum affectum ostendent. Verum si ex alimentorum copia, aut eorundem mala qualitatẽ talia fiant excrementa, ex ægro, seu assistentibus id percipere valebis. Quo casu nec coctio, nec distributio per se oblæsa erunt. Vbi vero russa seu admodum crocea deiectio fuerit, bilem esse caussam iudica; potissimum, si ætas, temperamentum, habitus biliosi fuerint, ac tempus anni, regio, aeris constitutio, ad calidum vergant, similiter & anteacta vita. Sic si pituitosæ, aut melancholiæ deiectiones fuerint, ac modo dicto ad pituitã, vel melancholiam vergant, pituitam, aut melancholiam alui profluuii caussam esse putabis. Quod si syntectica fuerint alui excrementa, id quod in calidissimis ac pestiferis febribus contingit, (*& horum exempla plurima de feb. posuimus*) si in corporib. generẽtur humidis, ac mollibus & pinguibus, *vt liquet 10. meth. med.* colliquationem tum carnis, tum adipis significabunt; habebuntque diuersum curationis modum: cum iis videlicet, quæ refrigerant, & humectant corpus, nutrientibus, ac quam primum frigidam exhibendo, vt fusius diximus, cum de febrib. sermo haberetur. *Hæc ex Donato hic adiecimus.* Plura si de caussis profluuii alui desideres, lege Iacchinum supra Rhas. & alios auctores, tam de caussis procatarcticis, quam corporeis.

4. *Cap. 19. lib. 4.* — *Modus dignoscendi num critice vel symptomatice.* — *Caussa.* — 5. — *Caussarum cognitio.* — 6. — 7.

Observatio III.

De diarrhœa & alui fluxu vltra tres annos perdurante.

VIR quidam consularis, macilentus, niger, hirsutus, cum tribus annis diarrhœa laborasset, neque vllis remediis a ventris fluxu admodum aquoso & liquido curari posset, tãdem cum pultem ex glandibus comederet, aluus ei restricta est, cum alia præsidia non conferrent. In pauperibus, si fluxus non cõstringeretur, post vniuersalia remedia, soleo commode exhibere ℥ j. *sem. plantag. exsiccati cum ceruisia vel ouo sorbili*: idque post detersoria medicamenta, & lotiua dicta.

1.

Scholia.

PLVRES sunt differentiæ fluxus, *vt diximus*, tam ex parte materię, quam membrorum; ex parte materiæ, vt lientericus, diarrhoicus & dysentericus, & ideo erat hic fluxus diarrhœæ. Rursus ex parte membrorum a quibus defluit materia ad intestina, velut a *cerebro, stomacho, liene, aliisque membris, vt dictum est.* Caussas & signa diarrhœæ, de qua prius dicere instituerámus, tum eius signa, ex parte iam diximus: & quod ad demonstratiua attinet, facile cognoscuntur ex iis, quæ euacuantur & a corpore exeunt, siue sit materia humoralis, quæ diarrhœam demonstrat, siue sit cibus non concoctus aut chylus. Signa caussarum etiam diximus. Nam vti signa generum fluxus modo cognoscuntur per relationem infirmi ex præteritis, modo ex his, quæ concomitantur fluxum; ita & fluxus facti ob caussas primitiuas, habentur quoque ex iis, quæ præcesserunt: & per ægri sermones, siue sit ex cibis comestis, vel medicamentis quoque acutis, clysteribus, veneno. At ex quibus humoribus fiat diarrhœa, iam quoque dictum est. Restant adhuc signa præsagientia & mere prognostica. Sic Hippocrat. 3. *aphorism. 12.* hyeme, australi

2. — *Signa demonstratiua.* — *Signa caussarum.* — *Signa præsagientia.*

ſtrali exſiſtente & pluuioſa, alui profluuia exſpectanda pronuntiauit, vere ſereno & ſicco superueniente, & *17. aphoriſm.* Auſtrinas conſtitutiones aluos humectare prædixit. Sic & ex diſpoſitione corporum, *lib. 2. aphoriſ. 20. Quibus iuuenimus,* inquit, *adhuc aluus humecta eſt, his ſeneſcentibus exſiccatur: & quibus iuuenibus adhuc aluus ſicca eſt, his ſeneſcentibus humectatur.* Iam & dentire incipientibus pueris alui profluuia contingunt, *vt li. 3. aphor. 25.* & balbi ab alui profluuio maxime capiuntur, *ex apho. 32. lib. 6.* Alii addunt. *Ex vrina alba, ſubtili, translucida, in febribus acutis, prius colorata vel craſſa, læſione non conſiſtente in aliis membris particularibus, materia ad inteſtina deriuata, acuta, fluxus exſpectandus.* Sic & corpora cerebrum habentia humidum, & ſtomachum & inteſtina debilia, facile in fluxum incidunt, etiam ex materia aſſumta: vt ii, qui muſtum bibunt vel vinum craſſum dulce, eo facile tentantur, & iuxta *aphor. 73. lib. 4.* Quibus illa ſuſpenſa murmurant, lumborum dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut vrinæ multitudo proueniat: hæc vero in febribus.

3. Signa prognoſtica.

Quod ad ſigna Prognoſtica attinet: *Sic cum fluxu* (teſte Auicenna) *remanet appetitus, & cauſſa eius non ſit bilis acuta, bonum cenſetur.* Et Hippoc. lib. 1. aph. 2. *In perturbationibus ventris & vomitibus ſpontinis ſi talia purgantur, qualia oportet, confert & leuiter ferunt: ſin minus, contra. Et in profluuiis alui,* inquit, *mutationes excrementorum iuuant, niſi ad mala mutatio fiat. Quibus in febribus aures obſurduerunt, ſanguis ex naribus fluens, aut aluus turbata, ſoluit morbum.* (Lib. 2. aph. 14.) *A longo alui profluuio habito ſpontaneus vomitus ſuperueniens morbum ſoluit.* (Lib. 4. apho. 60.) *Lippientem alui profluuio corripi, bonum. Qui alba pituita detinetur, ſi forte ventris fluxus ſuperuenerit, a morbo liberatur.* (Lib. 6. aphoriſ. 15. & 17.) *Qualia fuerint veſica & alui excrementa, & ex carnibus, & ſicubi alibi a natura corpus exierit, ſi parum, paucus eſt morbus: ſi valde multum, lethale.* (Lib. 7. aphoriſ. 29. & aphor. 6.) At fluxus (*iuxta Auicennam 16. tertii*) ſi non minuat nec auferat, facit tamen debilitatem: at ſi ſtringatur, infert inflationem, ſi ſit cibalis vel chyloſus, & omnis fluxus ſubito eueniens poſt ægritudinem, ſignificat mortem: addunt alii, modo non ſit criticus, vel ſigna coctionis adſint. Vno autem die fluere aluum (*inquit Celſus*) ſæpe pro valetudine eſt, atque etiam pluribus, dum febris adſit, ſi intra ſeptimum diem id conquieſcat. Purgatur enim corpus (*vt ipſe inquit*) & quod intus læſurum erat vtiliter effunditur. Verum ſpatium periculoſum eſt: interdum enim tormina ac febriculas excitat, vireſque conſumit. Alexander quoque *cap. 5. lib. 8.* dicebat, *alui profluuii in febribus difficiliorem eſſe curationem; animaduerſionemque & coniecturam requirere.* Sed de eiuſmodi egimus in libris noſtrarum obſeruationum, & exempla plurima poſuimus.

4. Interea & hoc ſciendum, (*vt paulo ante dictum*) quod longo alui profluuio ſi ſpontaneus vomitus ſuperuenerit, *teſte Hippoc. aphoriſm. 15. lib. 6.* morbum ſoluit. Sed & exigua deiectio glutinoſa, candida, ſub crocea mala, potiſſimum vbi leuis fuerit; exitioſior vero, ſi nigra aut liuida, aut opima, aut fœtida; diuturnior, ſi verſicolor ſit, ſed nihilominus etiam exitialis. Idem & Hippocrat. ſcriptum reliquit *2. prognoſticorum.* Et 5. aphor. 12. *Quibuſcunque tabe laborantibus capilli a capite defluunt, his alui profluuio ſuperueniente, moriuntur.* & 14. aphor. *A tabe habito, profluuium alui ſuperueniens lethale.* & 34. *Mulieri in vtero gerenti, ſi aluus plurimum profluat, periculum eſt ne abortiat.* Et 6. aphor. 16. *A morbo laterali vel pulmonia habito, aluui profluuium adueniens malum.* lib. 7. aphor. 6. *In morbo diuturno, faſtidium cibi, & deiectiones ſyncere malum.* & 17. eiuſdem libri. *A puris ſputo phthiſis & fluxus; cum vero ſputum retinetur moriuntur.* Omnis ſingultus in fluxu quolibet, & maxime cum ſequitur teneſmum, eſt lethalis, cum magna ex parte talis ſingultus ſit ex inanitione, ideo mortis ſignum. Sic & Hippocrat. lib. 5. aphoriſ. 4. *Ex ſuperflua purgatione ſingultus aut conuulſio ſuperueniens, malum. At lippientem capi diarrhœa, bonum eſt.* 6. aphoriſm. 17. Et ſic diarrhœæ ex interuallis venientes, vniuerſum corpus aliquando expurgant.

Observatio IV.

De diarrhœa ob ventriculi imbecillitatem.

NObilis matrona, vetula, cum aliquo tempore alui profluuio laboraſſet, tandem me in conſilium adhibuit: & imperaui vt excrementa reſeruaret; quæ liquida erant, valde aquoſa minimeque graueolentia, & ad candidum colorem potius, quam croceum vergentia, interim & ſpumoſa. Quæ cum vidiſſem, & ſtomachum imbecillem haberet, iudicabam alimenti non probam fieri concoctionem, & imperfectam fieri diſtributionem, ob imbecillitatem retentricis ventriculi & inteſtinorum. Cum igitur adeſſet imbecillitas retentiuæ, ab aſtringentibus curationem incoare oportebat; alioqui non repente deiectio ſiſtenda erat. Et cum indies vires labefactarentur, vinum auſterum conceſſimus, cum minime febricitaret. Ventriculum exterius roborauimus cum cerato ſtomachico roborante & conſtringente. Auiculas, nempe perdices, phaſianos, merulas, turdos, turtures & alaudas, cum ſtypticis præparatas dedimus, vino rubro vel mali granati, ac in gelu conditas, cum rhu obſoniorum. Aſſas quoq; laudauimus, malis cydoniis infarctas. Atq; iſtis cum aliquantulum vſa fuiſſet, breui ſanitatem recuperauit, fluxu tandem ceſſante. Cum autem bibendi abſtinentia omnem fluxum ſanet, egregie profuit huic matronæ quod interdiu nihil biberet; & etiam dum cibum ſumeret, valde parum. Iam quoque cibi frequentia nihil deterius: ideo pauco cibo vtens eoque facilis concoctionis, & adſtringente iam dicto, ventriculo confirmato, & inteſtinis corroboratis optime ſe habuit.

Scholia.

QVod ad communem curationem attinet omnium fluxum, non ſolum competit vera curatio, quæ reſpicit cauſſam, ſed etiam coacta, quæ rationem habet accidentis, prout eſt fluxus: nam cum ita debilitat virtutem, cogimur aliquando ſtatim fluxum conſtringere, quod & hic coacti fuimus, cum vires huic matronæ collapſæ eſſent,

Et quanquam in principio fluxus non sit cohibendus, tamen vbi tam diu durat, vt vires deficiant, eundem constringere oportet. Sic in illo qui anno 1567. mense Ianuario, diarrhœam experiebatur, & variis remediis vsus erat, nec fluxus restringi posset, quantumuis efficacioribus præsidiis, tandem hoc sequenti medicamento exhibito, restrictus fuit: ℞. *sem. plantag. parum exsiccati & pulueris. boli armeni veri ana* ℈ *ij. trochiscorum de terra sigillata, de spodio* (non obstante quod aliqui omnes medicinas factas cum spodio, vti & Iacchinus facit, reiiciunt) *cum semine acetosæ ana* ʒ *j. omnia puluerisentur tenuissime, & misceantur cum* ℥ *j. diacydonii sine speciebus, & conserua antiqua rosacea* ℥ ß. *adiecto succo plantaginis fiant boli tres*, & dabatur vnus ante cibum per dies tres sequentes, & ita a fluxu curatus fuit. Interea tamen, quantum ad curationem spectat, animaduertendum quod licet alui profluuium, tum in febribus, tum citra febres eueniat, & in febribus difficilior sit eius curatio, *ex Alexand. & Aetii sententia*; tamen si citra febrem contingat, neque facilis eadem erit: nam ipsa diarrhœa, seu alui profluuium (*vt sæpe in libris nostris de febribus diximus*) aut per viam symptomatis, ac euacuationem symptomaticam, vel per modum iudicationis prouenire potest. Et propterea non semper eodem modo curanda erit. Diarrhœa, quæ per crisin fit, cum totum corpus ea expurgetur, aut pars aliqua eiusdem, vt exemplis etiam in nostris commentariis de febribus ostendimus, ea non est impedienda nec constringenda, ne materia in aliam conuersa partem prauos alios affectus generet, veluti phrenitim, aut lethargum seu perniciosas parotidas, *vt eidem Alexandro ab Aetio visum est*. Et ideo cum salubriter a natura aliena euacuantur, aut vsque quo eadem omnem curam suam impenderit, exspectare oportet, aut ipsius etiam motus adiuuare. Nam (*vt idem Alexander fatetur*) vidit quandoque ventrem initio affectus, ad quartum diem, quintumue profluxisse, & postea fluorem, aut per se, aut medici auxilio substitisse. Vnde ægri in magnum periculum inciderunt, vtpote in aliquem prædictorum affectuum. Et ita fluxus quoque non statim ab initio, etiamsi sine febre fuerit, constringendus. Sic Dominus Sasbotus, consiliarius adhuc eo tempore, cum Amstelrodami ageret in comitiis, & in alui fluxum incidisset, consilii caussa accedens Nannium medicum doctum & insignem, amicum nostrum haud vulgarem, dicebat inter cetera se habere consilium contra alui fluxum. Cui respondens medicus, & apte quidem, *Habes*, inquit, *& remedium contra febrem*? Minime, inquit alter. *Ideo neque fluxus in principio restringendus, ne in febrem incidas*; respondebat Nannius. Quod Sasbotus cum intellexisset, *Curabis me*, inquit, *quod tibi videbitur commodum*. Recte quidem. Et ideo Leonellus Medicus insignis volebat, vt nullus fluxus restringeretur, nisi materia pro maiori parte euacuata vel minorata fuerit; quod verisimile ait esse, in termino octo vel nouem dierum, vsque ad duodecim dies. Tamen certum tempus præscribi non potest: nam si interea virtus deiiceretur extreme, tunc constringendus esset. Neque hæc locum habent in fluxu qui fit a medicamento violento; sed potius in fluxu humorali. Nam virtute constante talem fluxum nunquam coercere oportet, nisi prius humore efficiens, vel maior eius pars fuerit educta. Qui potiones constringentes assumunt, (*inquit Galenus, & citatur ab Alexandro Veronensi*) non repurgato humore, profluuium magis irritant: nam eum importune suspendunt. Ita nec fluxus diuersorum colorum nunquam restringendus est, virtute constante; quia ex hoc arguitur diuersitas & multitudo humorum a toto. Præterea fluxus qui symptomaticus est, non semper protinus sistendus est, *vt exemplis quoque docuimus in libris nostris, De febribus*: scilicet quam diu æger facile ferat. Interea tamen membra concilianda sunt, ne effreni impetu profluat materia. Sed hæc omnia dicta, exemplis subsequentibus multa clariora euadent. Et quanquam de fluxu critico sæpius multa exempla posuimus in libris nostris, *De febribus*, tamen vnum adhuc his addemus vel alterum exemplum, ob tyrones, vt prompte ad manum habeant exempla curationum; quæ & ipsi recte in curando imitari possint.

4. Quæ attendenda circa eius curationem.

5.

OBSERVATIO V.

De fluxu ventris decretorio.

1. VIR quidam ex plebe, cum in febrem continuam & acutam incidisset, lotium ad me misit, quod admodum rubrum erat. Sed nec eo contentus quod vidissem lotium, cum pauper esset, vltro eum accessi. Cum morbus in principio esset, & vires constarent, & aluus resisteret, lenitiuum medicamentum propinaui: & die sequenti vena ei secta fuit, sanguine vtcunque extracto, & iulebos conuenientes dedi. At septimo die, apparentibus tamen signis coctionis in vrina, pulsus huic occultabatur, & intestina eidem obmurmurabant, tormina quædam & morsum, mordicationesque circa ventrem & vmbilicum sentiebat; quæ quidem fluxum ventris futurum præsagiebant, bombis quoque ventosis erumpentibus, neque mordicatione cessante. Audacter itaque fluxum criticum per aluum futurum prædicebam; qui statim apparuit, astantibus nostram prędictionem plurimum laudantibus, ita vt multa biliosa per noctem & diem excreuerit æger: & paulo post nullo adhibito remedio & hic sanus euasit. Idem

2. alteri euenit, sed multo copiosius materia fluebat, & per plures dies. Cui decoctum hordei communis, pro ablutione, *cum syrup. infus. ros. commun. dedimus & saccharum ros.* Et quia vires postea magis deficiebant, febre tamen omnino diminuta, & quasi eum omnino relinquente; zaccharum perlatum exhibuimus, deinde conseruam rosaceam. Sed cum indies debilitaretur, ad maiora constringentia deuenimus; licet & hic quoque fluxus criticus esset, qui non erat constringendus, quatenus conferret & natura bene toleraret. Verum cum superfluus esset, licet criticus, eundem restringere coacti sumus: nam multoties natura incoat ad bonum quidem, sed materia mota,

aut

aut propter multitudinem materiæ, aut acuitatem, effrenitat nimis (*vt medice loquar*) & non potest regi a natura: ideo medici etiam celebriores, si adeo enormis sit fluxus, & superfluus, vt virtutem deiiciat, consulunt constringendum esse. Sic nos admonuit Guainerius suo tempore in praxi egregie versatus: *Nullus fluxus* (inquit) *criticus, modo conferat, & æger bene ferat, intercipiendus est: sed vbi modum excesserit, etiam in die critica, signis concoctionis quantumuis bonis apparentibus, si aduenerit, ilico sistendus erit: nam sæpe natura bene incoat, sed humorum mordicatione & venenositate, nequit illos in tempore continere; vnde effreni fiunt, equorum more, naturæ vim violentam inferentes: ideo ilico eiusmodi ægris succurrendum est; alioqui eiusmodi fluxus, quamuis a natura concitatus, viribus deficientibus ægrotantem perderet.* Quod cum in hoc secundo ægro fieret, fluxum tandem medicamentis efficacioribus & magis constringentibus reprimere necesse fuit. Quibus & hic quoq; æger curatus fuit.

SCHOLIA.

3. *Fluxus decretorius.*

FLuxus ventris decretorius est, seu criticus, qui in die decretorio contingere solet, natura, quæ superuacua sunt & noxia, expellere tentante. Quod quidem alui profluuium, si in die decretorio fiat (*vt huic ægroto primo euenit*) tunc æger optime tolerat, & perfectam sanitatem recipit. Verum nunquid ea, quæ deiiciuntur, bonæ sint secretionis indicia, aut secus, sic interstingues. Nam si madens, seu aquosa deiectio, crebro & paulatim, aut vniuersim, & sæpe deiiciatur, ac cum stridore grauissimoq; dolore, symptomatis rationem obtinebit, ac symptomatica erit; natura non per se expurgante, sed ex aliquo irritamento stimulata. Neque inde vtilitas vlla prouenit, imo talis euacuatio prauæ dispositionis erit signum, *vt liquet commentar. aph. 2. 4. lib.* Idque potissimum vbi in principio apparuerit, nulla concoctione præcedente, & in febribus. At si multo interposito tempore, ac vniuersim, citra stridorem, cum exiguo aut nullo dolore excernatur, præcesserintque coctionis signa, ac proportionata corporis dispositioni fuerit alui deiectio, ægerque facile toleret, & iuuetur ex tali euacuatione, leuiusque se habeat, virtusque robustior euadat, tunc bonæ secretionis indicium erit: quia natura expellit per se, atque expurgat noxios redundantes succos, qui corpus infestabant. Talis erat hæc deiectio critica in hoc primo ægro: ideo totum negotium in curatione reliquimus Naturæ, *iuxta decretum Hippocratis aphorism. 20. lib. 1.* sic dicentis: *Quæ iudicantur & iudicata sunt integre, neque mouere, neque nouare aliquid, siue medicamentis, siue aliter irritando; sed sinere oportet.* In eiusmodi, Galeno teste in commento eiusdem, & secundum alios auctores, nihil aliud agemus, quam victum conuenientem instituere, quo ad eius quantitatem, pro vt vires requirunt, ac reliqua quod ad qualitatem spectat, diuersum pro diuerso redundante humore, similem ei, quem instituimus de cholera; donec ipsa se natura componat, & ad integram perueniat sanitatem. At si non integre videatur iudicare, ac segnis natura in euacuando fuerit, motum eius adiuuare oportet (*etsi critice euacuet*) vt & Alexandro & Aetio visum est: aut id quod deficit supplere nos conuenit, *vt constat in commento eiusdem aphorism. ex Galen. & 9. meth. medendi*; quo ex coniũctis ambobus, quod postulatur, perficiatur.

Medus dignoscendi num critice, vel symptomatice per alui profluuiũ excernantur.

4.

1. Dubium.

Sed videtur hic Galen. sibi ipsi contrarius esse 1. ad Glaucon. vbi præcipit, *quod quamuis euacuatio non sit pro multitudinis ratione, tamen ea sola sufficit, quæ a natura fit, nec alia opus est euacuatione.* Verum si omnino non sit fidendum, quod ab ea in futurum perfecte & integre iudicari valeant; tunc oportet id supplere quod deficit, vt præcipit Commento dicto. Sin vero confidendum sit, quod natura id præstabit, nihil innouabimus. Sed si non satis præstet officium natura, reliquum expurgabimus leuiter, vt naturam tantum iuuemus. Sed quia in hoc primo ægro natura perfecte id fecit, nihil amplius nos tentauimus. Et sic multi morbi iudicantur excretione ventris. Ex quibus dictis etiam colligimus, quod non semper restringendus est fluxus: imo quandoque iuuandus, si aliquod impedimentum forte adesset, & pigra esset in opere natura. Nam si temere retineas, recurrens materia acris, vel febres, vel erysipelata internorum, aut aliquod eiusmodi magnum malum efficiet. Aliquando tamen ita profluit aluus vt multo sit incommodo, vt cum corpus colliquat & contabescit, vna vtile & inutile secum ducens: vel cum adeo vehemens est, vt vires deiiciat, sicut in cholera morbo euenit. Dico autem superfluere, cum vires deiiciunt confertim, vt in crisibus, symptomatis factis in crudis humoribus; vel sensim, cum corpus colliquant, & contabefaciunt. Accidit vero hæc colliquatio in prauis febribus, (*vt exemplis, cum de febribus scripsimus. ostendimus; quemadmodum etiam habetur 10. methodi ad vltimum*;) quæ corrumpunt missam humorum, & ad malam qualitatem perducunt putredine: vnde fœtentia deiiciuntur, & vna pinguia: quoniam pingue adnatum membris torretur febre & liquatur. Præterea sicut in critico fluxu, si natura non satisfaciat officium, aliquo modo est iuuanda, vt paulo ante diximus: ita quoque si plus iusto euacuet, & vires plane deiiciat, ac diutius duret, eam ipsam refrenabimus, vt in secundo ægro fecimus, fluxum reprimendo & paulatim restringendo. Interea tamẽ in restringendo fluxum criticum superfluum, medicum valde sagacem esse oportet; vti nos fecimus nuper in vetula quadam, quæ ex febre acuta apud calcearium laborabat, post septimum fluxu critico oborto, qui licet vltra tres septimanas perduraret vna cum aphthis, vt pro deplorata haberetur, ad repressionem fluxus valde biliosi amygdalato vtentes, & subinde hordeato; quo hæc ipsa conualuit.

5. Responsio.

Verum in hoc secundo ęgro cum vires extreme deiectæ essent, & hæc non sufficerent, paulatim ad constringentia deuenimus: quibus tandem (*vt iam diximus*) curatus fuit.

Observatio VI.

De fluxu ventris symptomatico.

1. QVIDAM cum continuo febricitaret, & simul statim ab initio fluxum ventris haberet, hoc procul dubio symptomatis ratione fieri intelleximus, cum inde nulla subsequeretur vtilitas. Huic vero cum vires constarent, ac etiam ratione febris, & vt fieret diuersio ob fluxum, ex vena basilica sanguinem detrahere iussi in brachio dextro, in parua tamen quantitate. Sed hic quispiam obiicere posset, id Galeni sententiæ 4. de rat. victus, aduersari, cum dixerit *aluo fluente sanguinem non esse detrahendum.* Id quidem verum est, *aluo critice fluente; sed non symptomatice.* Neque obstat locus 1. *ad Glau.* vbi etiam interdicit venæ sectionem, licet ibi loquatur de febre cum alui profluuio. Si naturæ ratione fiat, & inde iuuetur animal, vel vires deiectæ sint, non est facienda. Sed vbi vires constant, & si fiat symptomatice, & in principio febris, venæ sectio adhiberi potest. Atque illud non solum ratione & auctoritate constat, sed & experientia. Nam cum ego annis quadraginta sex curandis ægris vacauerim (*dum hæc recolligeremus ætate sexaginta nouem annorum, & cum hæc prælo committerem 50. annis praxin exercui, ætate 73. annorum*) sæpiusq; mihi talia occurrerint præ manibus alui profluuia, quotiescunq; venam secari iussi, viribus constantibus, & ab initio, toties etiam ægris bene successisse conspeximus: prius perpenso, num ætas, vel alia, ac vires deiectæ id non prohiberent: nec vnquam quippiam mali superuenit. Quod & Donatus ab Altomari similiter testatur, cum etiam fere annis viginti quinque in curandis ægris vacasset. Vtebamur quoque aliis diuersionibus, vtpote *frictionibus, vinculis, alijsque extremarum partium reuulsionibus.* Dedimus quoque *syrupum de ribes, de portulaca, de endiuia, & rhab. & myrobalanis, cum aqua plantaginis.* quibus quidem reuulsionibus iam dictis cum alui profluuium nondum cessaret, medicamentis tum cibis adstringentibus vsi sumus, tam intus quam extra adhibitis, ac per sedem iniectis; quorum copiam habes apud Rondeletium, & præcipue apud Guainerium: de quibus quoque latius dicturi sumus cum alias species diarrhϾ in medium proferemus, ac earundem curationes.

Obiectio.

Solutio.

2.

Scholia.

3. SI quis quærat de profluuio diarrhoico, an sit symptoma expultricis, quoniam plus iusto venter excernit; non licet respondere citra distinctionem: sed quod vel sequitur naturæ opus legaliter operantis in corporis expurgatione, seu morbum iudicet, siue non, sed quod solum cacochymiam excernat; & tunc proprie *symptoma* non est dicendum: si vero comparetur ad aliud profluuium, quod prorsus fit morbi ratione; vel si vtrumque symptoma dici debet; patet, hoc, sicuti de tussi Galenus dixit, debere appellari quodammodo naturale symptoma, *2. de sympt. caus.* circa principium. Sat nobis est, quod cum a natura primo & maxime est, remedium non exigit, sed sinendum est. Sin morbi ratione, & eius caussarum, proritantium excretricem, tunc non temere sinendus est, nec temere constringendus, tunc enim non est naturæ opus; sed naturæ vehementer & nimium proritatæ. Ceterum quibus modis fluxus criticus distet a symptomatico, scholio præcedente diximus. Caussa tamen fluxus symptomatici, præter caussam nocentem, dicitur fortitudo expulsiuæ ex vna parte; ex alia habilitas ad expellendum: talis autem habilitas habetur, quando est obedientia ex parte meatuum, & ex parte materiæ. Et sic fit fluxus symptomaticus quasi criticus, cum paulatim ægri curantur tanquam per crisin. Attamen improprie ita quidam practici loquuntur. Imitatur enim aliqua ex parte crisin, cum paulatim materiam euacuet; crisis vero subito. Et sic fluxus symptomaticus fit regularis, his concurrentibus a virtute secernentium iuuatiuum a nocitiuo (*vt vocant*) & nocitiuum expellente. Vnde non semper omnis fluxus symptomaticus malignus exsistit, per viam caussæ, quia materia maligna euacuatur; licet per viam signi malus exsistat. Nam si materia, quæ euacuari debet euacuetur, & natura toleret, hunc fluxum symptomaticum non restringunt. Non tamen adiuuandus est, vel omnino naturæ relinquendus, vt in critico subinde fieri solet. Et sic vbi alui profluuium ortum fuerit, natura non per se corpus expurgante, sed propter aliquod irritamentum, aut quia præ multitudine a vasis redundantes non contineantur succi, ita, vt quicquid excernatur, symptomatis ratione fiat, neque inde vlla proueniat vtilitas, imo talis euacuatio prauæ dispositionis sit signum: potissimum si cum febre copulatur, siue simul cum ea inuadens, siue ad eam sequatur, (*circa initia tamen*) siue ipsum alui profluuium febrem præcedat, & deinceps ipsa consequatur; tunc neque totum naturæ permittendum erit, nec ipsam iuuare oportet. Quinimo ipsum alui profluuium cohibere necessarium erit, iuxta Hippocrat. decretum *aphorism. 2. lib. 4.* cum dixit, *In medicationibus talia educere corpore, qualia sponte prodeunt, vtile. Quæ vero contrario modo prodeunt, cohibere oportet. Neq; enim in hoc imitari naturam debemus, cum ex eius euacuatione nulla proueniat corpori vtilitas.* Quare, vbi vires aut ætas non prohibeant, in hoc alui profluuio audacter vena secanda erit, vt & ipsum alui profluuium cohibeatur, ac qui confluunt ad ventrem redundantes succi, (cum quo non oportet, vergant,) reuellantur, ex eiusdem Hippocratis sententia, *6. de morb. vulg.* Si ex toto confluant succi, media vena secanda erit: si ex iocinore, interna dextri cubiti; si ex liene, sinistra; si ex capite, externa cubiti vena incidatur. Verum non tanta sanguinis copia exhaurienda erit, quantam exigit dispositio, sed minor: & potius, si venæ sectione opus sit, irritare debemus, quam simul multam sanguinis copiam educere. Aliis quoq; diuersionibus, de quibus in obseru. dictum est, vtemur; & tandem veniemus ad constringentia, cohibendo alui profluuium, cum ex eo nullum animali paretur commodum. Nunc ad alias species diarrhϾ curandæ accedamus; & omnium primo de fluxu chyloso agamus.

Caussa fluxus symptomatici.

4.

Si quod excernitur per alui profluuium, fuerit symptomatis ratione, curatio.

5. *Vena sectio.*

Ob-

Observatio VII.

De fluxu chyloso, ex obstructione venarum mesaraicarum.

1. Qvi longo tempore fæces muccosas & chylosas deiiciebat, ita, vt cachexiam metueremus & pallidi coloris esset, & circa ventrem, versus hypochondrium dextrum grauitatem & subinde leuem dolorem sentiebat, me ad sese vocauit. Ad quem ingressus, fluxum chylosum esse deprehendi, ex obstructione viarum hepatis, & præcipue venarum mesaraicarum. Quare vt hunc recte curaremus, sumta indicatione ab oppilatione eiusque caussa, quæ videbatur materia pituitosa, viscosa & chylosa, ideo nobis vtile videbatur vtendum incidentibus & abstergentibus, & temperate aperientibus. Quare hoc decoctum præscripsimus: *℞. rad. fœniculi, apii, petroselini macerat. in aceto ana ℥ j. agrimoniæ, absinthii communis & Romani, capil. ven. polytrichi, menthæ ana m. j. sem. anisi ʒ j. ß. fiat omnium decoct. in aqua communi pro ℔ j. col. adde syrup. de duabus rad. mellis ros. colati, oxymell. simplic. ana ℥ j. misc. fiat apozema pro quatuor dosibus.* Facta digestione hoc modo, ita paulatim eundem leuiter purgauimus: *℞. agrimoniæ, absinthii vtriusque, capill. ven. ana m. j. flor. cordialium p. j. vuar. cum arillis ℥ ß. semin. anisi ʒ j. ß. myrobal. chebul. ʒ ß agarici optimi ʒ j. rhab. select. ʒ ß. zinzib. albi, schœnanti ana ℈ j. coquantur in aqua pluuiali q. s. & huius decocti prius manibus confricati & colati, accipe ℥ vj. col. adde syrup. de byzantiis ℥ ij. misc. pro duabus dosibus.*

2. Cum ab vna dosi mediocriter purgaretur, die intermisso alteram sumsit. Hoc vnice hic obseruandum; quod in hoc fluxu oppilatiuo debemus cauere a fortibus medicinis, & etiam a magna dosi. Vnde procedendum est; quantum possibile est, cum iis, quæ participant stypticitatem aliqualem. Interim a principio non debemus vti iis, quæ fluxum constringunt: quia talia sunt caussa maioris fluxus, & subinde mortis, vt Auicenna recte quoque admonuit *10. tertii tracta. 2. capite primo.* Talem errorem sæpe vidimus in empiricis & mulierculis medicastris, potissimum qui omnem fluxum statim constringunt. Post apertionem itaque & euacuationem, cum & hic scopus sit roborare virtutem attractiuam venarum mesaraicarum, & præcipue hepatis, vt chylum ad se attrahere posset & seruare, ideo & digestio eius confortanda: huic quidem intentioni satisfaciunt etiam ea, quæ aperiunt & nutrimenta ad eadem membra penetrare faciunt. Quamobrem & electuaria, quæ ventriculum & hepar roborant, describenda. Nos vero istis commode vsi sumus: *℞. specierum diacalamenthi, diarrhod. abb. arom. rosac. ana ʒ j. dissolutis in aqua absinthii & menthæ q. s. zacch. albiss. ℥ iij. fiat confectio in rotulis ponderantibus ʒ iij.* Interea & frictiones continuas & fortes circa membra totius corporis adhibui, quibus fit attractio nutrimenti ad membra iam dicta. Quibus remediis fluxus cessare cœpit.

3 Nam hoc facto, si fluxus non cessat, & moderate procedit, dimittendus naturæ. At si adhuc valde superfluat, tunc debemus moderate constringere, cum iis, quæ participant stypticitatem, & roborant membrum. In quo casu tale electuarium commendatur. *℞. passul. cum arillis ℥ ij. fisticorum, auellanarum assatarum ana ʒ iij. hepatis lupi præparati ℈ ij.* pistentur simul & cum zaccharo fiat electuarium, sumat mane & sero cochlear dimidium.

Scholia.

4. Rhases scribens de fluxu ventris, omnium primo tractat de fluxu Chyloso, quem sub diarrhœa, vti & alios omnes fluxus seu lotiuos, oppilatiuos, aquosos, cerebrales, spleneticos, hepaticos continet. At chylosi fluxus magna ex parte a Galeno *2. aphorism. 20.* traduntur. Aluus enim plus iusto excernit de portione chyli, quoniam non distribuitur satis in iecur, & ex eo in corpus.

Chylosi fluxus tractatio.

Quod vero non distribuatur, non vna caussa exsistit (*quamuis in hoc ægro caussa erat iecoris obstructio & præcipue venarum mesaraicarum*: Nam aliquæ caussæ sunt corporeæ, aliæ vero procatarcticæ. Sunt autem hæ: cibus humidior lubricitatem faciens, & concoctiuæ vim impediens, vt de cita aluo diximus. Alia est ciborum multitudo, vnde tanta distributione corpus non eget: quare vt satur dimittit eos per intestina, ipsis etiam saturatis. Sic enim est retinentium natura, vt retineant quousque fruuntur; post pellant, vt onerosum. Alia est ciborum mordacitas, qua proritant ad expulsionem plurimum, nec contineri satis sinunt. Sub prauitate etiam intelligimus cum Iacchino esse prauitatem, quæ natura insurgit cito ad pellendũ. Sed neque attrahantur aliquando a iocinore praui qualitate cibi, vnde deiiciuntur multi. Sed de his modo non loquimur, quos vno nomine Galen. solet appellare cruditates *8. meth. cap. 5.*

5. Nam statim sponte cessare solent, debita victus ratione instituta; & remotis illis caussis procatarcticis, Sed copia ad procatarcticas caussas potest referri semper, vt sit ciborum copia vel simpliciter. Sed caussæ in corpore sunt, quæ distributionem impediunt, vel vitiata attractio membrorum, & iocinoris, cuius munus est exsugere ab intestinis quicquid vtile est, quousque saturetur (*vitiatur autem frigiditate & stupore quodam, quo non sentit indigentiam*) quamuis & attractio alia ratione diminui possit, vt quia multo non eget, ideo superabundat plurimum iocinori, cum tamen venter appetens natura sit, & concoquat. Et rursus alia caussa (*vt in hoc ægro*) est, quod obstructæ sunt viæ attractionis, id est, venæ mesaraicæ, & sima iocinoris. Quæ quoniam erat caussa morbosa, ideo *2. aphor. 20.* dimisit eam, & solum loquitur Galenus de occasionibus, quæ sanis eueniunt in eo loco. Alia caussa est, quod venter debito tempore non retinet, vt exsugi a iocinore possit. Quod vero non retineat est, vel quia vis eius contentrix imbecilla facta est, vnde potest quidem continere vsque quo concoquatur, sed non vsq; quo distribuatur alimentum: quare chylosus fit fluxus; idq; ex frigiditate & humiditate maxime. Vel ab acri & molesto aliquo influxu admisto citius expellit, vt biliosa, acria, vt in oris vlceribus tales diarrhoicæ deiectiones fiunt. In catarrhis ex pituita, vt balbis, *6. aphor. 32.* & in dentitione puerulis.

6. Et ita eædẽ caussæ, quæ lię-

teriam producunt, etsi minores multo sint, facient etiam diarrhœam: sed non conuertitur: Nam priuatim hic fluxus fit ab obstructione. Irritant etiam vermes, & hunc fluxum faciunt, vt experientia monstrat. Idque quoque exemplis in febribus ostendimus. Notandum tamen ex Galeno *6. de locis aff. 2. ad finem*, quod fluxus cibi, vel in chylosos, vel indebilitatem contentiuæ deducitur: & intelligit quando nulla caussa proritans & mordens adest: & appellat fluxum in chylosum passionem cœliacam, de qua prius satis diximus. At si ex iecore, aderunt signa debilitatis iecoris & oppilationis, vt etiam Rhases testatur. Si ex iecore, chylosus tendit ad aliqualem ruborem. Si in mesaraicis, non ita est alteratus ad rubeum, sed aquosus. Talem curauimus in consule *Alcmariano, mercatore, Cornelio appellato*. Caussa etiam fluxus aquosi est caussa quandoque hydropis ascitis. Sed differunt in hoc quod materia talis aquosa recipitur in intestinis; eo tamen defluit a iecore imbecillo: & sic fit fluxus in intestinis; & non sic in hydrope. Caussa vero fluxus ablutiui refertur ad fluxum hepaticum. Plura de his vide apud Neotericos & Gradum. At si debilitas iecoris fuerit ab intemperie frigida, scopus erit calefacere cum adstrictione, & id per aromata, vt aromaticum rosatum, diarrhodon, diamoschum dulce, & epithemata, emplastra; & victus ratione calfaciente, per potiones, cibos, & exercitia; quemadmodum de intemperie frigida hepatis diximus. Si ex stomacho, roborandus est. Sed hic erat obstructio in iecore & mesaraicis: & ideo opus fuit deobstructione. Si ex proritatione alterius materiæ influentis, & alterantis & corrumpentis, membro mandanti prospicere oportet, vel ad catarrhos respicere. Postea si in ventriculo derelictus sit malus habitus expellendi iusto citius a se cibos, etiam ipsi prospiciemus, vt sequente exemplo de fluxu cibali vel alimentali docebimus. In puerulis quoniam non licet caussam tollere, quia est naturalis, attendimus, vt quam citissime fiat dentitio, & vt dolor ex ea factus sedetur: & prospicimus symptomati astringentibus, vt oleo myrteo, cotoneorum, & puluere myrtillorum, & aliis. Sed quod ad fluxum hepaticum chylosum attinet, studendum vt minus chyli generetur: & opus erit cibi abstinentia. At si famem tolerare non possit, dentur cibaria multæ quantitatis & pauci nutrimenti, per multam enim quantitatem sopitur appetitus: & per paucam qualitatem, parum de chylo generatur. Si fluxus chylosus fiat ob crassitiem chyli & viscositatem, danda cibaria facilis coctionis, & subtilem chylum generantia, vt sunt carnes auium laudabilium, quibus adiungantur aperitiua, vt ius cicerum, decocta rad. fœniculi, petrosel. apii. Si eueniat ob paruitatem hepatis, dentur cibi boni, subtiles & paucarum superfluitatum, ventrem non lubricantes, sæpe & parum vna vice, vt hepar attrahat chylum, & corpus frequenter nutriatur. Si fluxus chylosus veniat ab hepatis apostemate, basilica vena dextri brachii incidatur. Deinde apostema curetur in principio repercutientibus: in augmento adiectis resolutiuis: postea resoluentibus, vt de apostemate dictum est. Si sit ex oppilatione materiæ sanguineæ, fiat venæ sectio. Si a materia crassiore phlegmatica, curetur, vt iam in obs. præcedente dictum est: & si biliosa, vt de diarrhœa biliosa dicturi sumus. Plura, si libet, vide apud Leonellum de fluxu chyloso.

7. 8.

Observatio VIII.

De fluxu ventris ex alimentis corruptis.

1. Pvella nobilis octodecim annorum, religiosa, cum cibos corruptibiles in magna copia deuorasset, nempe melones, pepones, cucurbitas, & lactucam cum oleo & aceto, deinde & lac post cibum alium sumtum, qui facile corrumpitur; in cruditatem ventriculi incidit & in fluxum ventris. Caussa cruditatis & ventriculi exhibuimus has pilulas: ℞. *pilul. alephang.* (quia stomachum frigidum habebat, & frigidis vsa fuerat) *mastichinas, ana ℈ j. cum aqua absinthii, fiant pilulæ v. dentur mane.* Interea vtebamur cibo boni succi, & concoctu facili: & post euacuationem die quarto dedimus ℥ ij. *diacydon. cum speciebus*, multo tempore ante pastum. Stomachum inunximus vng. sequenti: ℞. *cerati stomachici Galeni, olei nardini ana ℥ iy.* inungatur ventriculus ante pastum. Postea ventriculo applicuimus emplastrum de mastice, ad scuti formā: & vinum rubrum loco potus concessimus Gallicum stypticum. Quibus remediis & hæc quoque sanitatem consequuta est.

Scholia.

2. SI fluxus ventris a cruditate ventriculi fiat, easdem habet caussas & signa, ac in cruditate ventriculi fieri diximus: quanquam in hoc differunt, quod hic stomachum laxum habeant, & ideo humida & pituitosa deiiciūt, si adsit intemperies, humida & frigida; si calida, etiam biliosa, & corrupta. Sed hæc puella, prius cruditate affecta, facilē & citā aluū habens, ex eadē intemperie frigida & humida, postea cum cibos corruptos comedisset, eos quoque deiiciebat: & ideo oportebat in hac diarrhœa, ex corrupti cibi caussa, pro natura corruptelæ eosdē assumtos cibos purgare; & cū caussam frigidā haberent, ea adhibere, quæ ad succū pituitosum valere scribūt auctores, vti satis de vomitu declarauimus: deinde ventriculū roborauimus. Facile enim hæc ex sermonibus ægri cognoscuntur. Et ita quoq; si ab acrib. alimētis vel salsis contingat diarrhœa. Si biliosæ caussæ fuerint, flauo inficiuntur excrementa colore, quæ nec citra caloris sensum & mordicationem excernuntur: atq; tales curandi, vt biliosa diarrhœa. Si alimenta copiosius sint ingesta, viscosioraque fuerint, vnde humores crassi pituitosi & lenti nati sunt, qui corrupti diarrhœā excitant, contraria dictis prorsus aderūt, quę per aluum deiiciuntur. In caussa calida calidos expurgabimus succos; in frigida frigidos Deinde roborabimus ventriculū. Si ob ventriculi imbecillitatem vel facultatis retentricis intestinorum contigerit, ea adhibenda; (*vt paulo ante diximus*) quæ ad alui deiectiones ab auctoribus probantur. Sed si a capite vel aliunde eo cōfluant humores, membra illa prius quoque erunt curanda; vt postea exemplis

3.

emplis viuis etiam declarabimus. At hic quidam, Vt Gatenaria, proprium caput ponunt de fluxu cibali. Primo abscindunt caussam, vt si nimia sit quantitas, paucum cibum sumant; si cibi corrupti, ab iis abstinere iubent: vt si oleaginea & vnctuosa sumserint, tunc vt styptica sumant, iubent. Si corruptela in intestinis hæret, huius mundificationi student per clysteres lenientes, ex ℔ 1. decoct. communis, *cum ℥ j. caussæ & ℥ ß. pul. zacchari.* Si in stomacho, dant mannam vel pilulas alephanginas. Tertio remouent malam impressionem factam a corruptione ciborum, ventriculum roborantes, dando *syr. de mentha, absinthio in caussa frigida, & aromat. rosa. & diagalangam; & exterius emplastra & vnguenta & fomenta sæpius dicta de stomacho frigidiore.* Si sit intemperies calida relicta, post euacuationem humoris calidi, amouent caliditatem cum iis, quæ diximus valere ad intemperiem frigidam ventriculi, addentes etiam calida constringentia, & roborantia. Interea illud quoque aduertendum, si recrementa putrida absque febre fuerint retenta sine dolore, sciendum est quod aluus tunc aliquando constringatur; id fieri a corruptis alimentis constat, quod & in praxi quotidiana sæpe obseruaui in puerperis, quibus venter longo tempore restringitur, nec vti volunt glandibus vel leuioribus medicamentis & clysteribus; & ita stercora tandem corrumpuntur, & fluxum postea lethalem, qui restringi non posset, inferunt: vti euenit vxori Petri Opmeri, cui nomen Sophia erat, apud Delphenses. Quæ postea nec a me, nec ab aliis medicis doctis curari potuit, quantumuis optimis & aptis remediis. Sunt apud nostrates adeo nasutæ quædam mulierculæ, vt puerperis nullo modo sit medicandum, quamuis illæ, non minus quam alii omnes, etiam medici opera indigeant, si ægrotare eas contigerit.

Observatio IX.

De diarrhœa biliosa.

1. Monacha, Anna Mattini nomine, apud Alcmarianos, habitus biliosi ac tenuis, cui & temperamentum biliosum erat, ætate triginta annorum, æstatis tempore, aeris quidem calida constitutione, victu præcedente bilioso (*nam & alliis & porro vsa fuerat*) anno 1550. mense Iulio diarrhœa biliosa correpta fuit: quæ mihi facile innotuit, cum ad eandem accitus essem. Nam & deiectio crocea & ruffa erat. Et præterea in ea bilis flaua & citrina atque ardens, subinde & spumans vltro emanabat; idque aliquando sine magna ventris torsione. Eius motum, cum natura superflua expelleret, noluimus tum inhibere, sed potius iuuare primo cum iis, quæ bilem detergerent. Ideo hoc decoctum præscripsimus: *♃. decoct. hordei non excorticati ℥ iij. syr. ex infus. ros. ℥ j. misc.* Hic notandum quod quotiescunque scribimus syr. ex infus. ros. intelligimus ex rosis communibus paratum, non autem ex rosis Prouincialibus, quæ magis laxant. Licet & hic syr. leuem habeat laxationem, ex rosis rubeis magis apertis confectus. Mox eadem bile contemperata, domita, ac euicta, ac præparata ex oxyzaccharo, syrupo ex infus. ros. & succo cichorii, tale purgans medicamentum exhibuimus: *♃. myrobalan. citrinorum ℥ ij. rhabarb. selecti ℥ j. spicæ ℈ ß. infunde per noctem in aqua acetosæ, cichorii ana ℥ ij. ß. facta leui ebull. mane fortiss. express. adde syr. ex infus. ros. de succo cichorii ana ℥ ß. misc.* quibus quinquies vel sexies aluum deposuit. Perpetuo autem tam in hoc, quam in alio quocunque alui profluuio, vbi purgans medicamentum datur, moderatum sit oportet, ne ex immodica vacuatione vires prosternantur. Pari ratione adstringentia magis, vel minus admiscenda erunt cum purgantibus medicamentis, prout magis vel minus aluus profluuio laborat, ac vires ipsæ magis vel minus euacuare permittunt, ac plus vel minus vētris partes fuerint imbecillæ. Postea, vt magis constringerem, dedi ℥ j. *rhab. parum tosti* (sic enim acrimoniam exuit, parte subtili & acri dissoluta) *pulueri setur: & dabam cum ℥ iij. aquæ plantaginis,* & fluxus cœpit multo melius habere. Alii dant ad ℥ ij. *in substantia*; alii etiam ita torrefactum infundunt; & tunc relinquunt spicam, quæ additur ad intentionem aperiendi: sed hic nequaquam, cum intendimus magis adstrictioni, & membrorum roborationi. Tamen in principio potest adiungi spica, vt fecimus prius. Sed vt in substantia melioris saporis esset, addebam ℥ j. *syr. cotoneorum.* Materia his satis euacuata, ad hæc constringentia deuenimus: *♃. conseruæ ros. antiquæ ℥ vj. pul. ros. rub. ℥ j. coralli rubri subtilissime pul. ℥ ß. boli armen. veri ℈ ij. syr. myrtill. rob de ribes ana ℥ ß. misc.* & detur quatuor vicibus. Modo etiam hos syrupos capiebat: *♃. syr. cotoneorum, ex ros. siccis, syr. myrtini ana ℥ ß. aquæ plantag. acetos. centumnodii ana ℥ j. misce*; vel cum decocto earundem herbarum. Sunt enim hæc inter se varianda; & vicissim ægrotantes his vel similibus vti debent, ne vni natura assueta, eo tanquam cibo vtatur. Sumebat & ante cibum diacydonii sine speciebus ℥ ij. Ventrem inunximus oleo cotoneorum, myrtino, & ros. omphacino. Quibus hæc diarrhœa biliosa curata fuit.

Scholia.

3. *Caussa & signa diarrhœa biliosa.* Cum bilis plurimum attrahitur a iecore, ac nimis intempestiue ad intestina expellitur; inde supra modum stimulatis intestinis profluuium oritur periculosum; vel si negligentius biliosa materia in iecinore derelicta in intestina depellitur: aut pori quoque fellei oppilatio si intercedit, fluxum eundem ventris excitat; præclusis meatibus ad stomachum, intestina, & iecur: vnde coaceruata materia fellis, præcipiti potentia, cursu per intestinorum anfractus cholericum mouet fluxum. Etenim aliquando bilis flaua, aut citrina ardens spumansq; emanat, sine magna ventris torsione, quod libere per laxas patentesq; vias defluat. Ea sæpe a calidiore iecore aut e cysti fellis profunditur in intestina; nonnunquam, sed rarius, e venis maioribus, atque etiam ex corporis habitu. Hac enim diarrhœa statuit Hippoc. surditatem, aliosq; ex bile morbos solui. Sed & oculorum interdum vitia sanat, *ex Hippocrate,* ventris biliosus

fluxus. At interdum in diarrhœa ex flaua bile, in ventre punctiones sentiuntur; inflammatio quoque, non sine in sedis partibus acriore morsu: adest oris siccitas, sitis, & febris interdũ. Caussa omnium primo amouenda. Si veniat ex calore hepatis, intemperies primo curanda, & ipsa bilis contemperanda, & euacuanda, & hepar roborandum, *vt dictum est prius*: & si adsit febris, venæ sectio in principio etiam imperanda, *vt exemplis plurimis ostendimus in libris nostris de febribus.* Euacuant primo bilem cum *myrobalanis citrinis, & rhab. vt dictum est.* Quidam *rhab. puluerem accipiunt, ad ℥ j. & inde conficiunt pilulas.* Alii dant in principio *infusum rhab. cum manna, vel syr. ex infus. ros. leuiter purgans.* Et minus sunt solliciti de syrupis digerentibus; nam cum periculum sit in mora, in principio, leuiter tamen, (*vt dictum est*) materiam euacuant: facile enim sui acuitate in dysenteriam mutatur: & ideo neque in principio est retinenda, neque acriter mouenda; sed eiusmodi medicamentis vtendum, quæ post se adstrictionem aliqualem relinquant, *vt iam paulo ante admonuimus.* Et si nec vna nec altera purgatio sufficiat, vbi necessitas est, etiam tertiam adiiciemus: nam per eiusmodi medicamenta vita infirmi seruatur. Cuius oppositum euenit, si statim a principio fluxus restringatur. Interim quoque qualiscunque fuerit redundans humor, clysteribus vtendum erit. Ego sequentibus felicissime sæpe vsus sum: ♃. *decoctionis hordei non decorticati ac torrefacti* ℔ j. *zacch. rub.* ℥ j. ß. *vitellum vnius oui, fiat clyster.* Sal non imponendum, propter eius mordacitatem & acuitatem. Vel fiat *ex decocto eiusdem hordei, gallinarum seu pullorum gallinaceorum iure zaccharo rubeo vocato, ac oleo rosaceo parato,* præsertim vbi bilis redundarit. Sed & hoc, præcedente corporis euacuatione, feliciter vsus sum: ♃. *decoct. hord. torrefacti* ℥ viij. *succi plantag.* ℥ iiij. *olei ros. omphacini* ℥ ij. *vitellum vnius oui, zacchari rub.* ℥ j. ß. *misc.* Frigide potius quam tepide aut calide iniiciatur. In fine etiam tali vsus sum (*quibus omnibus iam dictis etiam præceptor meus Benedictus Fauentinus vtebatur:*) ♃. *lactis vaccini lapidati vel chalybeati* ℔ j. *succi plantag.* ℥ iiij. *zacch. rubri* ℥ j. ß. *vitellorum ouorum num.* ij. A purgatione vero, vel vbi alui profluuium diutius perseuerauerit, vires consumens, ac habitum colliquans; tunc eidem resistendum, per ea, quæ per os sumuntur, & per anum infunduntur, magis restringentia; atque ea, quæ forinsecus imponuntur, *ex Aetio, Alexandro & Paulo.* At vbi biliosa & pura recrementa fuerint, statim non adstringenda, sed cohibenda, & in magis salubria ea permutanda sunt, *iuxta eosdem auctores*: velut sunt cibi bonum atque paulo crassiorem succum generantes; *vt ptisana & eius cremor, Paulo auctore.* Vel *ex torrefacto hordeo contuso, extenuato, & aqua pluuiali adiectis mali punici acidi granis, ac acetosæ foliis: aut in iure gallinarum, seu pullorum gallinaceorum, eisdem granis quoque adiectis, hordeum sic paratum decoquatur.* Biliosus namque humor cibis lenientibus, magis, vt descendat, quam vt in corpore retineatur, est sollicitandus, *inquit Alexander.* Alias totum morbum grauiorem efficit, & nonnulla alia symptomata, *iuxta eundem*, gignit. Nullum idem remedium magis commendat, *vti & Aetius*, ad tales fluxiones, quam lac bubulum & caprillum, si febris non vrgeat, tepidum recensque mulctum vel ad ignem decoctum, & assidue agitatum, donec ad tertias sit redactum, vel si per silices fluuiales ignitos, aut candentes ferri laminas in ipso exstinctas coquatur, & potetur, spuma cochleari ablata vel penna dum coquitur. Si febris vrgeat, non purum lac dabimus, sed quartam partem aquæ, secundum eundem, lacti admiscebimus, vna coquentes donec dimidium totius absumatur: & tunc illud, *iuxta eosdem auctores*, sine aliquo periculo exhibebimus. Et licet Hippoc. & Galen. *aphorism. 64. lib. 5.* a lacte in feb. acutis & biliosis deiectionibus abstinent, cum in nidorem celerrime conuertatur; intelligunt (*vt etiam Donatus admonet*) quod nulla præcesserit corporis euacuatio, & adhuc multa bilis sit in corpore, & febri acuta valida. At nos probamus post purgationem, febri non valida exsistente. Sed affusa aqua, vt iam dictum est, minus in febribus nocet, minusque in nidorem conuerteretur, vbi diu perdurauit fluxus, & corpus colliquetur, & cum lac minus ad ignem est coctum. Nam &, *Galeno auctore 5. de alimen. facul. & 10. de simpl.* ita paratum non prompte in nidorem velut purum conuertitur: estque optimum dysenteriæ remedium, & omnium ventris acrium fluxionum, *vt ille inquit.*

Curatio.

Euacuatio.

4.

Clysteres.

Vbi diutius perseuerauerit alui profluuiũ.

Observatio X.

De muliere pituitosa, fluxu ventris bilioso laborante.

MVlier, si quæ altera, admodum crassa & pituitosa, cui nomen *Anna Iuonis, vxor Bartholomai Simonis, Alcmariæ anno 1553.* post febrem acutam incidit in diarrhœam biliosam: atque ipsa quamuis vteretur diuersis remediis constringentibus, suo, vel aliorum ac mulierculatum consilio, tamen quanto magis ea sumebat, tanta maiori fluxu tentabatur; vt sæpe fieri assolet, ob medicamenta compressiua etiam styptica, quæ aluum citatiorem reddunt, ad inferiora materiam detrudendo. Tandem post multa remedia adhibita, me in consilium adhibuit. Vtile nobis videbatur vti medicamento & purgante & simul constringente. Quare hoc sequens dedimus: ♃. *myrobalan. citrinorum* (ob bilem) *myrob. chebul.* (quia eramus in hyeme, & in muliere valde pituitosa, cum pura bilis etiam non abundaret) *ana* ℥ j. ß. *bulliant in* ℥ viij. *aqua plantag. deinde decoctum tepefactum post ebullitionem manibus confricetur. Eius colaturæ accipe* ℥ iij. *addendo rhab. selecti, prius parum tosti & pul.* ℈ iiij. *schœnanthi* ℈ ß. *mellis ros. syr. cotoneorum ana* ℥ ß. *misce.* & vnica vice & in diluculo epoto ter aluum deposuit: & fluxus, magno cum meo honore, restrictus est.

1.

Scholia.

FLuxus (*vt iam sæpe diximus*) ab initio nõ restringendus; præsertim vbi acris est. Interea tamen ratio

2.

ratio habenda, num talis fluxus fiat natura stimulata, vel in crisi (*de qua antea dictum est*) vel etiam ab alimentis ingestis, qui ita ventrem aliquando perturbant, vt natura ipsam regere non possit. Et adeo etiam abundat, vt mox vires, aliquando etiam in principio, omnino deiiciat: quemadmodum nos conspeximus anno 1552. in nobilissima matrona Nieveldia dicta, vetula octogenaria; ad quam sum accitus, in castello *Colsterio* dicto, decumbentem, prope pagum Diui *Eligii*, non procul ab Alcmaria situm. Quæ quidem inciderat in diarrhœam adeo vehementem, vt in vita vehementiorem nunquam viderim, ita vt vna nocte plus quam dici potest, aluum deiecerit, quasi continuo. Comederat autem exsistens in Abbatia Egmondensi crema seu pinguedinem lactis in magna copia; & superbibit ceruisiam Godanam satis copiose; mox vinum rubrum. Vnde inter vehendum domum reuersa stomachus abundantia diuersorum alimentorum & potuum fuit grauatus: & subsequuta est diarrhœa adeo grauis & subitanea, cum virium deiectione & syncope, vt similem in vita non viderim, vt omnes astantes vetulam pro deplorata haberent. Dedi statim *lenitiuum ex decocto hordei non excorticati; cum pauco zacchara, ad abstersionem*: & statim, propter excoriationem, quam metuebam, licet non febricitaret, continuo dedi lac bouillum, quod ad manũ esset, ad tertias decoctum, in quo lamina ferri candentis inter coquendum sæpius exstinguebantur. Hęc nocte apud eam manens, exhibui; & si oryzam mox incoquere vellet, admittebam. Die sequenti continuo capiebat *ex diacydonio sine speciebus*; & cum nonnihil sitiret, hunc syrupum sumsit: ♃. *syr. cotoneorum* ℥ j. *syr. myrtini* ℥ ß. *aquæ plantaginis, ros. an.* ℥ ß. *misc.* atque hoc linimento stomacho & toto ventre inuncto, intra duos dies miraculi instar vetula, præter opinionem omnium, qui illi aderant, viribus subito recreatis, fuit sanitati restituta. Post lotiuum medicamentum venimus ad constringentia. Sed in biliosis, *vt iam dicere cœperamus*, bile prius domita & ex parte repurgata, ad restringentia prius accedimus, vt iam scholio præcedente ostensum est: deinde a purgatione, si diutius perseuerat biliosa deiectio, progredimur ad constringentia, & adstringentia, dum vires ex eiusmodi biliosis deiectionibus immodicis concidant. Campus astringentium apud auctores adeo late patet, vt hic non opus sit ea omnia enucleare. Valent syrupi constringentes, *de ribes, & rob eiusdem, ex rosis siccis, myrtinus, cotoneorum, de portulaca, conserua ros. diacydonium sine speciebus, pul. sem. plantag. acetosæ, cornu cerui vsti, margaritæ, & mille alia.* Vide *Rondeletium & Guainerium, & alios practicos.* Trochis. de spodio, cum sem. acetosæ, de succino, de terra lemnia; hæc per os dantur. Similiter & clysteres constringentes ex *decocto polygoni, plantag. ros. balaustiis, hypocyst. hordeo non excort. vstulato, adiectis succis plantag. portulacæ, & simil. & vitellis ouorum. Vide Leonellum, apud quem habebis plurima remedia constringentia, vt & apud Benedictum Veronensem medicum.* Quibus adiungenda *topica, olea, vnguenta, linimenta & fotus; vnguenta & irrigationes, ex oleo omphac. rosaceo, myrteo, cotoneorum cum vino adstringente; cerata, vnguenta, quæ de vomitu scripsimus, & ea quæ ad lienteriam valere scribunt.*

3.

4. [Q]uo tempore [a]stringentibus [vt]endum, bile [c]edunt ante.

Observatio XI.

De diarrhœa pituitosa.

1.

MVlier quædam obesa, crassa, pituitosa, in hyeme aspertima, cibis vtens frigidis & humidis, diarrhœa pituitosa afficiebatur. Sitis nulla eam affligebat, nec inflammationem percipiebat; lenta crassa deiiciebat. Ad hanc itaque ingressus, cum humores lenti & crassi continuo reiiciebantur per aluum, materiam præparatam prius cum oxymell. simplici & melle rosaceo, (ne naturæ motum impediremus,) in hunc modum eandem iuuare decreuimus. Dedimus ℥ j. ß. *syr. ex infus. ros. pallid. cum agarico dissolutis in* ℥ iij. *decoct. myrob. chebul.* & mediocriter excreuit. Nuper etiam commode exhibui ʒ j. *pilull. mastichin. & alteri* ʒ vj. *elect. hieræpicræ Gal. cum aqua menthæ.* Verum huic nostræ mulieri post exhibitum *syr. infus. ros. pallid. cum agarico* (sciendum quod in vnaquaque ℥ j. infunditur agaricus *cum zinz. suo correct. nempe* ʒ j.) postquam iterum sumsisset subinde cochlear vnum aut alterum syr. menthacei & mell. ros. intermissis aliquot diebus & has pilulas dedi: ♃. *pillul. mastich.* ℈ ij. ß. *myrob. chebul. parum torrefact.* ℈ ß. *cum syr. absinthii; fiant pilulæ v.* Postea vim retentricem ventriculi & intestinorum roborauimus, sumendo quotidie mane ante pastum, per quinque pluresve dies, ʒ ij *diacydonii cum speciebus, vel iij.* Et extrinsecus loca dicta hoc vel simili vnguento inunximus: ♃. *olei nardini, mastichini, menthacei ana* ℥ ß. *caryophyllor. menthæ siccæ, cardamomi ana* ʒ ß. *coralli rub.* ℈ ß. *olei maceris* ʒ j. *ceræ parum, fiat vng.* quibus remediis & hæc bene se habuit. At sacerdoti in pago prope Alcmariam, paulo macilentiori, & tempore verno simili diarrhœa laboranti, hæc descripta contulerunt: ♃. *absinthii vtriusque, menthæ ana m. j. ros. rub. p. j. myrobal. chebul.* ℥ ß. *agarici fœminin. optimi* ʒ j. ß. *rhab. parum tosti* ʒ j. *cinnamomi loco zinzib.* ℈ j *cyperi, schœnanti ana* ℈ ß. *seminis cumini macerati in aceto* ʒ j. ß. *seminis anisi, coriand. præpar. ana* ʒ ß. *vuar. cum arill.* ℥ ß. *glycyrr. ras.* ʒ iij. *fiat decoct. in aqua pluuia, pro* ℔ j. *expressioni adde syr. e corticibus citri, absinthii, myrtini ana* ℥ j. *misc. pro iij. dosibus matutinis.* sumebat alternis diebus mane. Egregie contulit. Deinde semel sumsit quod sequitur: ♃. *conser. ros. antiquæ* ʒ ij. *theriacæ optimæ* ʒ ß. Postea ante pastum, ad maiorem restrictionem, de hac mixtura capiebat ad magnitudinem castaneæ: ♃. *conser. ros. antiquæ* ℥ j. *diacydonii cum speciebus* ʒ vj. *specierum diarrhod. abb.* ʒ j. *specierum arom. ros.* ʒ ß. *corticum citri conditi* ʒ ij. *syr. myrtini q. s. fiat mixtura.* Venter quoque tum stomachus inungebantur vng. suprascripto, adiecto pauco oleo cotoneorum. Pro potu vtebantur vino rubro styptico.

2.

SCHOLIA.

3. Svccus hic pituitosus abundans prius concoctus & præparatus euacuandus est. Neque lector hic admirabitur, quod syr. ex infus. ros. pallid. cum agarico, etiamque decocto agarici vsi sumus commode in sacerdote, quod tamen medici quidam in hoc casu angue peius vitant, *auctoritate Mesuæ moti*. Contra quos Donatus doctissime agit, vtens catapotiis ex agarico & rhab. & idem quoque eo vtitur in decocto & in substantia, nec solum pro curatione profluuii alui, verum etiam dysenteriæ proprie dictæ, & in Ferdinando de Capua primogenito filio Illustris Ducis Termularum, cum bis catapotia cum rhab. exhibuisset, præter aliorum medicorum votum ex eo perfecte curatus fuit, tum ex alui profluuio, tum ex hepatico affectu ex frigida iocinoris intemperie orto, quibus fere decem mensibus laborauerat. Leonellus quoque in fluxu phlegmatico, pendente ab hepate, vel per essentiam vel communitatem, omnium primo euacuat caussam facientem eiusmodi fluxum, nempe pituitosum vel aquosum humorem, cum *pilul. de rhab. aggregat. & agarico trochis. ana* ℈ j. quanquam idem admonet eas valere componendo vj. *cum succo ireos, dando tres in hydrope interpolatis diebus*: vbi tamen fluxus superfluat, loco aggregatiuarum ponit de hiera. Deinde roborat hepar.

Aduersus Mesuen.

4. quanquam & hæc diarrhœa ex ventriculo & intestinis, ad ea membra pituita confluente vel coaceruata, fieri poterit. Et sicuti ex iecore quoque fit; ita & hepatica biliosa diarrhœa, seu fluxus hepaticus biliosus fieri potest; cuius curationem etiam breuiter ponit Leonellus. Interea (*vt recte quoque admonebat Rondeletius cap. 18. de diarrhœa*) si excrementa alui biliosa sint & male olentia, tunc considerandum, an adsit febris, vel iecoris inflammatio. Nam odor ille grauis putredinem semper indicat. Putredo autem semper febrem adfert, vt & interna inflammatio. Cum tale apparet recrementum, considerandum, quo tempore cœperit fluere, respiciendumque ad morbi naturam & partem inflammatam. Nam multum refert, si in principio aut declinatione talia reddantur, & si in inflammatione hepatis, vel pulmonum; vel si fiat in hydrope, & phthisi, & feb. hectica, vel aliqua specie febrium biliosarum. In illis enim vtilis est diarrhœa, si in declinatione, apparentibus signis coctionis, accidat; & in principio etiam, cum magna plenitudo adest. In morbis, qui cum tabe & atrophia iuncti sunt, mortem significat; Hippocrates scripsit de tabidis *aphoris. 14. lib. 5.* cuius exempla *lib. 4. de febribus* posuimus. Quod non solum de phthisi est intelligendum, sed de omni atrophia, vt in feb. hectica, hydrope & aliis multis. Significat enim summam imbecillitatem partium naturalium, & potissimum facultatis retentricis. Nos fere omnes hydropicos diarrhœa mori obseruauimus; quod idem & Rondeletius ait se vidisse. Partem vero inflammatam considerare oportet, quia in inflammationibus hepatis, splenis, ventriculi, & omnium partium naturalium, diarrhœa in declinatione est vtilissima, si notæ coctionis appareant.

Quibus vtilis diarrhœa.

5. Quod si in inflammationibus pulmonum & costarum accidat, inutilis est & periculosa, quia nihil a partibus inflammatis euacuat, & corpus liquefacit, vt antea quoque dictum est. Id quod prudenter monuit Hippocrates aphor. 16. lib. 6. *Morbo laterali vel pulmonia correpto, alui profluuium adueniens malum.* Sed quod ad deiectiones pituitosas attinet, etiam videndum, nũ iecur, intestina vel ventriculus afficiatur. Et tunc euacuata materia eadem membra erunt roboranda. Vbi sufficiens euacuatio facta sit, fluxioque ipsa adhuc perseueret adstringentibus etiam medicamentis eis resistere oportet, quomodocunque adhibitis, per os vel aluum infusis aut extrinsecus impositis. Præ reliquis, quorum copiam apud auctores alios quoque inuenies, valet *syr. de absinthio, mentha, myrtinus, & de corticibus citri, diacydon. cum speciebus*: 6. de sanit. tuen. *ex succo coton. zinzib. pipere albo, aceto & melle conficitur*; vtare. Minui autem potest & piper & zinziber, prout venter magis & minus frigida intemperie laborat. Cum prædictis syr. ℈ j. *aut* ℥ ß. *infra scripti pul.* exhibe, qui recipit *vtriusque menthæ siccæ* ℥ ij. *cinnamomi, maceris, galangæ ana* ℈ j. *seminis plantag. cornu cerui vsti, seminis acetosæ ana* ℥ ij. *fiat pul.* In quem etiam vsum valet *theriaca recens vel mithrid. aut* ℥ j. *vel* ℈ ij. *trochis. de spodio, e terra Lemnia.* Mora immatura acerba ad solem exsiccata & trita, ad diuturnas cœliacas affectiones & alias omnes fluidas & dysenteriam, conducunt, *ex Aetio*: mora etiam & rhus culinarius obsoniis mixta, & magis rubi mora immatura: & decoctum *ex foliis & corticibus pini, pilulis cupressi, furfure, gallis, ac folio plantag. cum oleo myrtino, aut mastichino per anum infusum.* Extrinsecus conferunt irrigationes, *ex quarta vini odorati parte, oleo mastichino, myrtino, de absinthio, & vnguenta & emplastra ex mastiche, e galla, ex Galeno 1. de arte cur. ad Glauc. ex palmulis, vino, farina hordei, croco, aloe ac mastiche*: *& sacculi ex milio, sale, aut panico, surf. & hordeo torrefacto, ex Alexand. & ex cumino, apii seminibus*: nam ii sacculi vrinam quoque cient, fluxionesque ab intestinis diuertunt. Vt & vincula circa brachia & crura, & frictiones ad diuersionem.

Quib. inutilis.

In pituitosa diarrhœa si aluus diutius fluat, quid agendum.

OBSERVATIO XII.

De diarrhœa melancholica, vel ex atra bile.

1. MElancholicus, macilentus, excrementa nigra deiiciebat, ita vt diarrhœa hæc a succo melancholico fieret. Materiam concoquebam & parabam cum syr. de succo fumariæ, borag. & lupul. & e corticibus citri, cum decocto fumariæ & melissæ, & oxalidis. Purgabam *cum sena, epithymo & myrobalanis, & syr. infus. ros. pallid. cum foliis senæ.* Hic tamen non conquerebatur de dolore splenis; sed sentiebat aliquando grauitatem in hypochondrio dextro: at non febricitabat. Vsus hic fuerat cibo crasso & melancholico. Et quia videbatur obstructio in hepate, dedi quoque syrupum *de eupa-*

de eupatorio, de absinthio, cum decocto agrimoniæ, melissa, apii, absinthii & borag. & cum fluxus aliquo modo perduraret, vtebar adstringentibus, *conserua ros. absinthii Romani, borag. terra sigillata adiecta*: vitando carnes bubulas, & omnem cibum melancholicum. Atque ita tandem melius habere cœpit.

SCHOLIA.

2. A iecore.

FLuxus melancholicus non semper est spleneticus; aliquando vero & ab hepate originem suam trahit: quemadmodum Leonellus proprio capite *de fluxu hepatico melancholico* annotauit, scribens; *quod cura fluxus hepatici melancholici fæculenti, seu fæcalis, quatuor intentiones curandi exigat: primo remotionem caussæ facientis fluxum: secundo hepatis roborationem; accidentium deinde correctionem, & vitæ institutum.* Ideo talis ægrotus sibi cauere debet, tam ab aere frigido quam vehementer calido adurente, & ab omnibus generantibus adustionem & sanguinem adustum; *vt sunt carnes salitæ, cibi calidi, amari, acuti, & multum dulces.* Vtatur pullis gallinaceis carne vitulina, & simili. Caueat sibi a vino potenti; & aquam zacchari bibat, exsistente materia calida, vel caussa calida hepatis sanguinem adurente. Et sic si febres adurentes in caussa sint, vel synochos, causos vel continua, aut tertiana, & febris pestilens, febris caussa amoueatur, & fiat venæ sectio basilicæ dextræ, & humor torridus cum appropriatis educatur: & propter melancholiam adde myrobal. indos; & ob calorem, citrinos.

3.

Deinde remoueatur caliditas febrilis cum omnibus ingeniis, vt fieri assolet. Et ita quoque si iste fluxus a nimia caliditate hepatis procedat adurente massam sanguineam & conuertente eam in humorem melancholicum, sanguine prius melancholico educto, cum venæ sectione basilicæ, humor etiam euacuetur, & habeatur ratio temperaturæ hepatis calidæ, tam intus quam extra: de quibus satis dictum, dum loqueremur de calida hepatis intemperie. Si frigida fuerit, tunc alio modo agendum. Si veniat ab oppilatione hepatis eiusmodi melancholicus humor, curatur deoppilatione. Si fluxus ille melancholicus veniat a virtutis expellentis & sequestrantis fortitudine, tunc dimittendus naturæ forti. Si tamen longo tempore durauerit, retineatur cum iam dictis, ne virtutem debilitando prosternat ægrum. Interea quoque si atra bilis facile intestina exulceraret, tum iocinoris ardori succurrimus; ac totius corporis feruori succurrimus temperatis remediis intestina refrigerantibus; stypticis confirmamus, ac agglutinantibus iuuamus: & reliqua obseruanda sunt, quæ frigida & sicca esse necesse sit.

4. A liene.

Sed quia etiam venit alia de caussa (*vt sequentibus exemplis clarius euadet*) vt a liene; tunc quoque a missione sanguinis e sinistro cubito, diarrhœæ melancholicæ curationem incipere debemus. Si ex atra bile malum fuerit, quæ ad os stomachi nimium effunditur, tunc ventrem apte subducimus cum epithymo, cuius assiduus vsus efficacissime valet. Valent & myrobalani in omni melancholico fluxu: & si vitium a liene oritur, de membro mandante, ac de iecore importune melancholiam generante, & liene, oreque stomachi suspiciente, curationis ratio sumenda est. Si ex crassiore melancholia, fœci simili, tunc cathartica eas fœces purgantia danda sunt; sed leniora tamen, ob fluxum. Sed hæc clariora euadent subsequenti exemplo.

OBSERVATIO XIII.

De fluxu melancholico, ex splenis obstructione.

1.

QVi ex lienis obstructione diarrhœa aliquot diebus detinebatur, me ad curandum vocauit. Quod autem hoc vitio lienis fieret, ex dolore & grauitate circa lienem cognouimus. Cum igitur hic obstructio in liene esset, omnium primo illa erat tollenda remediis propriis tollentibus obstructionem, de quibus de curatione obstructionis lienis antea dictum est. Et quamuis hic non esset febris, propter obstructionem: tamen, cum vires adhuc validæ essent, venam basilicam sinistri cubiti aperiri iussimus, pauco tamen extracto sanguine, sed crassiore & mediocriter effluente. Deinde vtebamur apozemate digerente, incidente, abstergente, & nonnihil aperiente: ℞ *rad. apii, fœniculi, asparagi, brusci, graminis ana* ℥ j. *corticum rad. cappar. thamarisc. ana* ʒ iij. *ceterach, capill. ven. polytrichi, scolopend. chamæd. ana m. j. seminis agni casti, sem. plantag. ana* ʒ j. ß. *vuar. pass.* ℥ ß. *coquantur in aqua communi, pro* ℔ j. *colaturæ adde* ℥ ij. *aceti optimi vini: iterum ebulliat, col. addendo syr. de epithymo, de byzantiis ana* ℥ j. ß. *misc.*

2.

Postea huic decocto addebam *epithymum, senæ, & cortices myrobal. indorum, ana* ʒ ij. & huius decocti pro purgatione accipiebam ℥ iij. *addendo syr. ex pluribus infus. ros. pallid.* ℥ j. *confectionis hamech* ʒ j. ß. & pro abstersione huius medicamenti exhibui *aquam zacchari rubei.* Facta hac euacuatione, venimus etiam ad illa, quæ exterius applicantur, quæ roborabant & deobstruebant splenem, ac residuum oppilationis resoluebant: ℞ *olei de capparibus, lilior. ana* ℥ ß. *pul. rad. cappar. thamarisci ana* ℈ j. *pul. seminis agni casti* ℈ ß. *ammoniaci dissoluti in aceto sambucino* ʒ j. ß. *ceræ modicum; fiat vnguentum.* Interea cum fluxus nondum cessaret, ad maiorem adstrictionem accessimus, & ℈ ij. huius pulueris, vel eius æmuli, exhibuimus: ℞ *sanguinis draconis, thuris, mastichis, mummiæ, terræ sigillatæ ana* ʒ j. *boli armen. veri* ʒ iiij. *lapidis hæmatit. carabe ana* ʒ j. *fiat pul.* Hic pul. egregie commendatur a Leonello. Victu vtebatur in principio attenuante, qualem descripsimus de oppilatione splenis. Postea in fine, cum fluxus non cessaret, adiunximus quædam constringentia, cum attenuantibus tamen cibis. Quibus tandem optime se habuit.

SCHOLIA.

3. Caussa.

SPleneticæ fluxiones modo veniunt vitio iocinoris, vt paulo ante diximus, cum atra bile plurimum abundat, modo ipsius lienis imbecillitate, aut præclusis membri meatib. Interuenit & os stomachi melancholiam recipiens, vel vehemens ex-

pulsiua lienis aut attrahendi infirmitas. Facile distinguuntur. Si ab hepate, grauitas & dolor magis in hypochondrio dextro; si a splene, in hypochondrio sinistro. Nam & hic fluxus propriis notis distinguitur a ceteris, cum materia pauca minusque atra est in fœculenta hepatica, quam in lienari, & minus graue olet, sed grauius dolent. In liene nigrior subinde & minus dolens, cum sit obtusioris sensus. Et si sit oppilatio in splene, adest grauitas & distensio, & dolor lienem exercet. Si nihil eorum adsit, indicabitur adesse attrahendi potentiæ imbecillitas. At cum nulla odoris grauitate, maiorem affert spem curandi: & si ex atro colore viridis fit materia, ac deinde crocea, salutem denuntiat. Fluxum autem spleneticum curamus, vt diarrhœam ab humore melancholico, mundificando & euacuando eundem humorem, & prohibendo, ne hepar eundem generet, & trahatur materia ad splenem, si adfuerit debilitas attrahendi, aperiantur viæ mediæ inter hepar & lienem, si ibidem fuerit oppilatio. Et si trahatur materia ad splenem, & tandem fluat ad ventriculum, is roborandus ne recipiat. Si adsit durities lienis, ea ipsa propriis locis curanda est. Sed si sit oppilatio in splene (*vt hic erat*) fortioribus deoppilationibus opus erit. Habes apud Guainerium (*tract. 1. cap. 13. de cura diarrhœa tam hepaticæ quam spleneticæ,*) syrupum egregie deoppilantem, in simili casu ab oppilatione lienis. Gatenaria quoque breuiloquus inquit, si fluxus proueniat ob debilitatem virtutis attractiuæ splenis, vel propter oppilationem, curetur, *sicut dictum est cap. de dolore splenis.* Quibus tamen si perseueret, vtuntur alii, vt Leonellus, astringentibus; sed prius caussa ablata, & liene curato.

Nota. Prognostica. 4. Curatio.

Observatio XIIII.

De alio laborante fluxu splenetico, ex lienis oppilatione.

1\. SPleneticus istis diebus longo tempore excernebat nigra & aquosa excrementa, cum grauitate & hypochondrii sinistri dolore, qui diu ante & scurbuto malo laborauerat, ex oppilatione splenis: nam & crura variegata habebat plumbei coloris. Cum vires adhuc huic mediocriter adessent, venam commode incidi iussimus ex saluatella manus sinistræ; pauca tamen in quantitate. Deinde decoctum sequens propinaui: ℞ *rad. fœniculi, petros. macerat. in aceto ana ℥ j. scolopend. ceterach, capill. ven. polytrichi ana m. j. cochleariæ, bekabunga ana m. ß. flor. cord. melissæ, ros. rub. ana p. j. corticum cappar. ℥ ij. seminis agni casti, sem. plantag. ana ℥ j. foliorum sena alexand. ℥ ß. corticum myrobal. indorum ℥ iij. epithymi ℥ j. ß. coquantur in aqua ferrata pro ℔ j. col. adde syr. de epithymo, sceletyrbici nostri, syr. ex ros. siccis ana ℥ j. misc.* Locum lienis inunximus *oleo de capparibus, & fouimus cum decoct. rad. filicum, rad. cappar. thamarisci, ceterach, ruta & seminis agni casti, in aqua ferrata & aceto acerrimo decoctis.* Cum dolor in hypochondrio, licet obtusus, mitigaretur; rursus decocto supradicto vsi sumus. Quibus tertio postea adiecimus, fluxu adhuc perseuerante, maiora adstringentia, *rosas, mentham, absinthium Romanum, & plantaginem cum radicibus.* Et exhibuimus *conseruam ros. cum trochis. de capparibus & trochiscis de spodio.* Vino prius Rhenano modice vtebatur, cum febris abesset. Ceruisiam quoque subinde bibebat, cui bekabunga & cochlearia incocta erant. Postea vero in fine, ad maiorem adstrictionem concessimus vinum rubrum stypticum, cui aqua ferrata in fine curationis admixta esset; in quo & masticis paululum incoctum erat. Quibus remediis tandem fluxus cessauit. Eoque cessante, propter scurbutum præcepi, vt subinde rursus ceruisia vteretur, in qua cochlearia & bekabunga incocta erant: ita vt breui pristinam sanitatem recuperauerit.

2\. 3.

Scholia.

HÆc erat diarrhœa melancholica, ex vitio lienis, ex scurbuto prius orto. In quo affectu aliquando venter nimium fluit, *vt alias diximus de scurbuto,* modo etiam restringitur. Sed grauius malum est, si venter eiusmodi nigra deiiciat, quam si aluus durior sit. Scribit Fernelius *diarrhœam melancholicam prodire aut e liene, aut e mesenterio, quum oppressa natura vel naturalem melancholiam, vel bilem atram in aluum excutit exturbatque.* Hæc autem ceteris multo est insolentior. Atra nonnunquam vsque adeo apparet deiectio, vt cum vel diluta pice vel cassiæ medulla conferri possit, quæ multos melancholiæ similitudine fefellit. At illa certe e sanguine fit; qui quoties aperta, rupta vel exesa præcordiorum vena, in intestina incidit, longo sinuosoque prolapsu ita præassatur ac nigrescit, vt picem plane referat. Discernitur autem quod intincta lintea rubescant, quodque cruenta vel comitetur vel præcesserit vomitio: quod prætori Alcmariano ex rupta vena magna euenit, per superiora & inferiora sanguinem profundenti; Et Guilelmo Theologo Delphensi contigit. Vterque in hoc malum ex calidi vini potu inciderat, & ambo cum prius sanguinem, & postea tanquam picem excernerent, periere. Vti etiam anno 1589. filio Godefridi Beaumontii ceruisiarii contingebat: adolescenti, cum sæpe pila palmaria lusisset, & valde incaluisset, vena rupta fuit; & per aliquot tempus sanguinem per lotium excernebat: postea in febrem continuam prolapsus, longo tempore excrementa nigra tanquam picem per aluum deiecit; & nullis remediis iuuantibus etiam hic obiit. Ceterum de fluxu sanguinis puri, qui minus periculosus est, postea dicturi sumus. Sed nunc de fluxu colliquante exemplum proferamus; quamuis de eo mentionem quoq; fecimus *in libris nostris de febribus.*

4.

Observatio XV.

De fluxu colliquante.

1\. QVi febre maligna corripiebatur; fœtentia admodum & pinguia deiiciebat: cui licet in principio vena secta erat, breui tamen admodum contabescebat. Huic *cremorem ptisanæ* exhibuimus, *aquam frigidam* efflagitabat, sed non poterat ferre: dedimus *aquam coctam cum syr. de agresta, vel*

eius loco coton. & de portulaca, etiam hordeata & amygdalata, adiecto sem. pap. Aerem temperatum refrigerantem elegimus, cubiculo versus orientem vergente aut occasum; vbi sine animi perturbatione quiescebat, suauesque somnos ducebat. Cibos refrigerantes humectantesque, adstringentibus admixtis, adhibebam: & potiones humectantes ac leuiter refrigerantes astringentesque. Epithemata apta refrigerantia & inunctiones cordi ac hepati ob continuam febrem malignam & ardentem: & sorbitiones ex amylo & ptisana. Postea & febre magis diminuta lac cum candente ferro, aqua pauca admixta, & diutius coctum dabam. Et cum ad sellas continue assurgere vires demeret, ægro imperauimus (*quod tutius erat*) substratis pannis profluuia excipere, atque extra cubiculum deiectionum graueolētiam efferre. Dabam & aquam acetosæ, cum pauco syr. de agresta, vel eius æmulo, & cotoneorum. Vtebatur & hoc condito: ℞. *rob de ribes* ℥ j. *conseruæ foliorum acetosæ, diacydonii sine speciebus ana* ℥ ß. *perlarum subtilissime tritarum* ʒ ß. *coralli rubri similiter pul.* ∋ ij. *terræ sigillatæ veræ* ʒ j. *cum syrup. cotoneor. fiat conditum.* Subinde capiebat & cerasa acria condita: & succum mali punici vinosi. Pro siti admittebam lac acetosum, dempto butyro, cum foliis acetosæ coctum. Quibus remediis hic præter opinionem conualuit. Quemadmodum & alius senex, de quo egimus *Obseruat. 40. lib. 2. Obseruationum nostrarum, de feb. colliquante.*

SCHOLIA.

3. *Intestinorum colliquatio.*

SYntecticus fluxus, id est, colliquatiuus, seu intestinorum colliquatio ad diarrhœam quoque referri potest, sed difficilem & valde periculosam, & sæpius lethalem: in qua, quod inferne procedit, quasi adipe vel oleo perfusum cernitur. Hinc autem fit, quod recens concretæ pinguedinis carnisue, aut etiam (*diu protrahente vitio*) solidarum partium substantia liquescat, defluatque in aluum. Familiare hoc quidem profluuii genus pestilentibus febribus & causo colliquanti, & hecticæ, & phthisi, & atrophiæ; nonnunquam & viscerum inflammationibus. Nam accidit hæc colliquatio (*vt 10. method. medendi circa finem refert Galenus*) in prauis febribus, quæ corrumpunt massam humorum, eosque ad malam qualitatem putredine perducunt: vnde fœtentia desciscuntur, & vna pinguia: quoniam pingue adnatum membris torretur febre & liquatur. Contingit autem in causonide, ac sæpe in febre pestilenti, & in hecticis ac phthisicis morientibus fere semper, vt in matrona honestissima, vxore Arnoldi Cornelii Mylii consulis Dordraceni, de qua egimus *lib. 4. Obseruat. de febrib. scholio obseruat. 4.* Idem accidit Andreæ Guilhelmo de Oesthoren; cuius historiam habes eodem *lib. 4. Obseruat. 7.* Eodem modo & exstinctus est vir ille insignis & doctissimus Adrianus Leoninus Leidanus, vrbis Delphensis pensionarius, qui ex marasmo tali fluxu quoque interiit, *vti recensuimus Obser. 9. eiusdem lib.*

4. Quod autem febres eiusmodi colliquantes pessimæ sint, & malignæ, in quibus substantia corporis multis modis diffluit, modo subito, modo paulatim, *id docuimus ad longum scholio Obser. 40. lib. 2. de feb. colliquante*; atque ibidem magna ex parte curationem posuimus *ex Hippocrate, & ex Aetio*, quæ Aetius ex Philagrio medico antiquissimo mutuatus est.

Colliquationum curatio.

Ponit & Galenus curam colliquationum *10 meth. ad finem*; & est remedium ardentis febris, vt scilicet aqua frigida potetur, si nihil prohibet. Quod si ob gracilitatem verearis confertim occurrere, minus, sed frequentius, dabis, vel etiam aquam hordei: & extra locis maxime calentibus epithemata frigorifica applicabis: & resumenda sunt, quæ alias de febre ardente posita sunt emplastra, perfusiones, inunctiones, & quæ de erysipelate aut inflammatione ventriculi diximus.

5. Cetera vero remedia ex propriis inuenies affectibus, & loco iam citato, *lib. 2. Obs. nostrarum scholio Obseru. 40. & apud Aetium lib. 5. cap. 89.* Si hecticis & marasmo laborantibus contingit, tunc plerumque lethale est, *vt diximus.* Etiam his, quibus in causo vel febre ardenti maligna, vel pestilenti contingat, si euadant, tabes facile solet succedere, præsertim si diutius perduret, & humidum radicale consumat: quamuis cum carniformes partes colliquat, minus periculosum sit; cum vero spermaticæ liquefiunt, sæuum augurium faciunt. Huic malo refrigerantibus, bene nutrientibus alimentis occurrimus, & quæ facile digerantur ac penetrent. Quibus & in fluxu colliquante etiam adstringentia adiungenda, clysteribus quoque refrigerantibus & restringentibus infusis: nam fluxus hic incommodus est, colliquans corpus, & contabefaciens, vna vtile & inutile secum rapiens.

OBSERVATIO XVI.

De alui profluuio, a medicamento violento inducto.

SOlet nonnunquam accidere fluxus post nimiam & violentam medicinam catharcticam, quod vt plurimum euenit his, qui ab atrocibus Pseudoempiricis & circumforaneis potionati sunt: cuius exemplum refert Leonellus, quod in Hala Oeni oppido circumforaneus quidam, venenarius potius quam medicamentarius, idiota insulsissimus, hæmomantis proceritus, circumferens passim crystallum Leoniformem, ocellatum, sculptilem, quo ille prodigiosa prognosi transactos hominum languores, casusque perpessos per magicas (*vt arbitror*) præstigias noscitare videbatur. Emittebat ille tres pscades cruoris, ex interstitio auricularis, & annularis digitorum, quas cōcauitati lapidis, quæ ad iubam excisa est, irrorobat. Tandemque loca sola petens, dæmonis sui potentia, præmisso exorcismo, ariolabatur. Cuius exitiali fallacia heu quot immatura morte præcepti sunt, & adhuc vbi ille degit, extrema pati coguntur! Is (*inquam*) cucurbitas agrestes, multas incorrectas, simul in aheno decoquebat; de quo decocto cyathum vnum nonunciarum accipiens, *imposito croci exiguo, & puluisculi Sebræ, lathyridis & veratri candidi, crudorum omnium* ʒ j. *pro infusione rhab.* falso propinabat. Singulum haustum aureo

Rhenensi, nonnunquam etiam (*videns vulgi incautissimi insipientiam & cœcitatem*) Solato aureo vendicabat. Vnde plurimis dysenteria, & minime paucis mors subsequuta est. Quorum idem auctor curationem instituens, multos curauit clysteribus intercipientibus fluxum, tum aliis medicamentis, *de quibus postea in scholio*. Ita & ego sacerdotem noui quendam, qui in pago Schaga tribus miliaribus distantibus ab vrbe Alcmariana habitabat, qui omnibus rusticis aluum soluebat vno medicamento, quotquot ad illum diuerterent, ex sola colocynthide parato. Sic anno 1547. mulier quædam medicastra Alcmariana, mense Septembri, cuidam viro Antonio nomine, qui laternas conficiebat commoranti in platea Venetia dicta, homini valde pituitoso & imbecilli, potionem purgatoriam exhibuit valde violentam ex *elect. de succo rос. & colocynthide*, quam propinauit; & eodem die, contra omnes medicorum canones, sanguinem valde copiosam ex vena basilica demisit, hominemque in vitæ discrimen posuit, vt pro deplorato haberetur. Nam peracta venæ sectione, potione prius assumta, post horam a propinato medicamento, subsequutus est fluxus ventris adeo enormis, vehemens & impetuosus, vt postea sanguinolenta quoque deiecerit, & in extremam desperationem deuenerit. Ad hunc iam viribus prostratum, ex duobus illis generosis remediis perperam adhibitis, accitus sum, cum iam animam agere videbatur. Ilico lotiuum ex *hordei decocto, pauco zacchаro iniecto*, dedi, ad venenosi medicamenti abstersionem: & vt statim, cum rursus post lotiuum deiecisset ventrem, acciperet sæpissime ex mixtura sequenti, imperabam: ℞. *conseruæ ros. antiquæ ℥ vj. diacydonii sine speciebus ℥ ß. seminis plantaginis, sanguinariæ, sumach. hypocystidis, acaciæ, cornu cerui vsti ana ℈ j. contundantur, & addendo fragmentorum omnium lapidum pretiosorum subtilissime puluerisatorum ℈ ß. confice cum rob de ribes ad modum conditi.* Interea & lac chalybeatum potandum dabam, & amygdalatum. Ventrem & stomachum inunxi oleis sequentibus: ℞. *olei myrtini, coton. ana ℥ ß. misc.* Quibus remediis roboratus est, & fluxus tandem cessauit, & ex sepulcro quasi reuocatus in vitam, Dei beneuolentia conualuit. Quæ si non iuuissent, clysteribus vsus fuissem, de quibus latius in scholio sequenti. Ita quoque cum primo Alcmariam rediissem ex Gallia, empiricus impostor passim in publico vendebat tabulas rotundas ex puluere præcipitato imo præcipitante paratas, zaccharo adiecto. Multis indiscriminatim dabat & vetulæ & filiæ; vetulæ subsequutum tum filiæ alui profluuium vehemens & dysenteria, maxillarum tumor, digitorum & vnguium nigrities, tanquam veneno infectis. Filia per me curata, vetula subito mortua: tum alii haud pauci.

2.

3.

SCHOLIA.

4. Contra Empiricos tales aliquando scripsimus, & de iis egimus in libris, qui nuper contra vromantes in lucem prodierunt. Digni sunt certe eiusmodi præstigiatores & medicastræ, vt supplicio afficiantur, qui non curandis, sed trucidandis ægrotantibus, quæstus gratia capitalem admittere fraudem non verecundantur, nec minus directa abeant (*dicente Leonello*) idiotæ, præter etiam hoc, lucriones, myropolæ denique, & argentangina correpti quicunque medici. Contra, nulla non celebratione prosequamur eos, qui obseruato Hippocratis iureiurando, pretium vltra iustum non intendunt, adeoque puram, castam & sanctam suam vitam & artem præstant, & conseruant, & suo semper iudicio ad languentium vtilitatem vtuntur, nec suæ rei potissimum seruiunt. Verum huic malo his subsidiis auxiliabimur, neque miseros istos ægrotos quamuis ab empiricis delusos mori patiemur. Sedabimus igitur, *iuxta eundem Leonellum*, primo dolorem *enemate ex oleis & aliis rebus anodynis parato, non tamen alui ducis*; hoc vel simili clystere etiam intercipiente (*quamuis ego commode inieci lac coctum prius cum rad. althææ*) ℞. *iuris elixationis vtriusque iaceæ, rosæ caninæ, tapsi barbati ℔. j. athanasiæ vel mycletæ ℥ ß. misce.* Aliud enema valentius in restringendo: ℞. *succi plantag. ros. ana trientem, aquæ decoct. ros. mespili, sorbi, corni, rad. tormentillæ, facta cum aqua pluuiali ℔. ß. addendo de opiatis supradictis semiunciam: fiat enema: possunt addi vitella ouorum num. ij. vel iij. sanguinis draconis, sepi vel axungiæ hircinæ, tragacanthi, gummi Arab. ad placitum.* Si dolor sit intensus, imponatur clysma consolidans, & mitigans, tale: *olei ros. ℔. ß. sepi castrati quar. j. mucillag. psyllii tantundem, colliquefiant, & distemperentur simul, adiectis vitellis ouorum.* Vel *decoct. hordei paratæ cum aqua ferrariorum ℔. j. olei ros. omphac. myrtæ. ana ℥ ß. vitellum vnius oui, zacchar. rub. ℥ j. misce.* Plura sic & condita & emplastra & pulueres ipse compones: vel iis vtere, si opus est, quibus præceptor meus Benedictus vtitur ad constringendum in diarrhœa, & Leonellus *cap. proprio tanquam accessorio de fluxu post purgationem violentam.* Habes & adstringentium remediorum copiam & campum latissimum apud Alexandrum Benedictum *lib. 21. contra omnes fluxus.* Conuenit & his Theriaca, præipue si medicamentum fuerit venenosum. Memini cum in Gallia adhuc praxin exercerem, Anno 1545. in principio Augusti me vocatum in pagum quendam Beaucommun dictum, ad quendam, cui ex medicamento, prius pilulis a pharmacopœo assumtis, aluus soluebatur: & superueniente tonsore clysma infundente, ex decocto colocynthidis, vt existimabam, ex eo plusquam quadragesies cruenta per aluum deiecit, cum maximis torminibus, canicula exurente, & tempore æstiuo. Quem cum exsanguem repperissem, clysterem iniici iussi ex solo lacte vaccino cocto, in quo ferrum ignitum sæpius esset exstinctum, cum ouo, frigidum aut vix tepidum. Ventrem quoque inungendo vng. constringente; & curatus fuit, etiam vino rubro styptico mox vtens, ad vires recuperandas. Clysma postea ex solo lacte chalybeato semel adhuc iniectum fuit. Quibus remediis & hic quoque sanatus est.

5.

6.

omnia

omnia hic frigide actu dedimus; quod in omni fluxu faciendum, apostemate & oppilatione exceptis. Antequam clyster iniiciatur, in hoc casu præstat prius bibere aquam hordei, vt nos quoque fecimus in omnibus dictis, ad abstersionem; vel aquam zacchari; & deinde clysterem iniicere.

Observatio XVII.

De fluxu ventris, qui neque diuersione, neque constringentibus curari potuit, sed tantum narcoticis seu stupefactiuis.

1. IN omni curatione alui fluxus, inprimis considerandum, num sit constringendus nec ne? Diximus autem, nec criticum fluxum, nec humoralem, seu qui fit a multitudine humorum, subito esse restringendum. Criticum quibus modis cognoscamus, superius egimus. Quum vero a multitudine humorum fit, facile hoc cognoscimus, si singulis annis bis aut ter soleat fieri, natura se exonerante liquidis & serosis humoribus; & cum notæ illius redundantiæ apparuerint, præcesseritque victus ratio talia gignens. Fluxus quoque diuersorum colorum non est restringendus, virtute constante: quia ex hoc arguitur diuersitas & multitudo humorum. Verum is, qui vires deiicit & diutius durauit, vt antea quoque retulimus, constringendus est. 2 Verum sumendo intentionem curandi a fluxu, vt fluxus est, vbi cognouerimus, eundem esse constringendum, ex iis, quę iam longiore sermone enucleauimus, triplex ponitur intentio curandi fluxum, secundum probatissimos quosque auctores, per diuersiua, per constringentia, per immobilitatem materiæ facientis fluxum, seu prohibentia sensum membri, vt sunt narcotica seu stupefactiua. Diuertitur a loco, a quo fluit, interdum vomitu, *teste Hippocrate & Galeno, aph. 15. lib. 5.* A longo alui profluuio habito, spontaneus vomitus superueniens morbum soluit. Attamen nolunt promoueri seu irritari vomitum in principio, neque adhuc cum materia multa est, sed per secessum id potius fieri laudant. Euacuantia tamen per eandem partem magis faciunt ad curam caussæ fluxus, & minus ad diuersionem, cum materiam ipsam per proprium locum euacuant: & sic fluxus fluxum curat. Non sunt tamen ex relaxantibus; sed cum his, *vt antea admonuimus*, quæ stypticitatem etiam relinquunt. At non euacuata ex parte materia, vel minorata, vomitoria nō sunt administranda: ea vero euacuata facilius tolerat vomitum natura, attamen cum lenioribus. Ea quoq;, quæ sudorem mouent, diuertunt; sed non nisi magna parte materiæ educta. Hoc modo & balnea diuertunt, & frictiones, lotiones brachiorum, & ligaturæ vehementiores, & ventosæ: sed ventosæ non applicandæ, nisi tota materia euacuata. 3. Interea dum per secessum aut vomitum aut sudorem diuertunt, regimen vitæ ac victum ab eo, qui restringit, aliquantulum immutant. Et sic vbi sudorem prouocant, aerem volunt esse minime frigidum ac siccum, sed moderate calidum & humidum, & victum non constringentem, si vomitum incitent. De his vide Guainerium & Gradum. At astringentia quædam sunt simplicia, calida aut frigida & composita: alia exsiccantia humiditates superfluas, aut meatus & vias constipantia, vel infrigidantia, inspissantia, conglutinantia, de quibus vide Auicennam & eius sequaces, & Guainerium. Ex simplicibus varia componuntur medicamenta constringentia, & pulueres, & morselli, aquæ destillatæ, conditurę, potiones constringentes, clysteres, pilulæ cōstringentes: & quæ exterius admouentur, lotiones, fotus, epithemata, encatismata, vnctiones, emplastra; quorum copiam apud eundem Guainerium tum alios inuenies. Vltimo, si hæc non iuuant, ad narcotica accedimus. Sic vir quidam, qui & aliis loco exempli esse posset, cum fluxu ventris diuturno laboraret, cum maximis ventris torminibus & dolore, cum diuersiuis medicamentis curari non posset, minorata & magna ex parte euacuata materia prius cum myrobal. & rhabarb. hæc vel similia constringentia eidem præscripsimus: ℞. *seminis arnoglossæ, boli armeni veri, corall. rub. ana* ℥ j. *fiat pulu. subtilissimus.* 4. Exhibuimus cum succo arnoglossæ. Sed cum non iuuaret, vti neque alia adstringentia diuerso modo parata & exhibita, ad stupefacientia peruenire coacti sumus. Clysterem itaque iniecimus ex lacte cocto, cum duobus vel tribus capitibus papauer. albi. Quod cum nondum iuuaret, dedimus *pilulas iij. sub noctem, ex* ℈ *j. pilul. de cynoglossa*: quibus dolor cessauit, fluxu etiam restricto. Alteri quoque dedi ℈ ij. theriacæ nouæ; & fluxus restrictus est, & dolor omnis euanuit. Nam recens theriaca ventris fluxus, maxime cholericos sistit. Compescit enim mordacitatem humoris, ac torporem inducit. Sed & theriacæ veteris vires etiamnum probātur, si modo ex abscessu non fuerit. Vires enim iuuat, vetus præsertim, sed cum vehementi febre non datur. Fluxui vero ex phlegmate crasso & melancholico mirifice medetur, *vt Benedictus Veronens. etiam commendauit, cap. 32. lib. 20.* Leonellus tamen theriacam nouam in fluxu cum dolore prætulit.

Scholia.

5. OMnis curatio profluuii ventris, vel respicit caussam ipsam, vel fluxum, *vt diximus*: sic in fluxu cibali primo caussam abscindimus: vt si ex nimia quātitate cibi, paucam damus: si cibus corruptus, eos dimittimus: si oleaginosa & vnctuosa æger sumserit, damus styptica. Si sit ex hepatis obstructione, eam tollimus. Et si ex aliorum membrorum vitio fiat, ea prius curamus. Si vitio cutis aut aeris qualitate varia fiat, vt si cutis, quæ antea rara fuerit, pori sint cōstipati cum humoris copia, vnde aluus fluat; tum aliquando ventris deiectio necessaria, vel sanguinis missio, & meatus aperiendi frictionibus. Aliqui & balnea commendant. Si etiam in fluxu, qui nocturno præsertim frigore contingit, vna cum humoris superabundantia, deiectio & hic prius necessaria est, & pori quoque aperiendi frictionibus, & calido conclaui æger continendus, membra pannis calidis fouenda; & calidis cibis potionibusq; recreādus est æger. Quod si aeris distemperantia calida fuerit ventris

fluxus, refrigerantibus opus est, tum cibo, tum potu, ac inspissantibus: propterea cum papaueris semine ac coriandro cibaria condienda. In plano conclaui continendus æger, sudoresq; cohibendi, si immodici fuerint. Quod vero ad ea attinet, quæ fluxum respiciunt, quibus modis restringatur fluxus, iam dictum est. Sed quod ad narcotica & stupefactiua attinet, quibus aliquando cogimur vti ad restrictionem; quod hæc aliquando conferant, id, *iuxta Auicennam* fit, quod materiam incrassent & dormire faciant, & prohibeant necessitatem surgendi. Addit, non danda quam diu ab illis possimus excusari, & non virtute exsistente debili. Nam quidam supposuit sibi collyrium ex opio, & mortuus est. Non solum per os dare hæc suspectum est, sed ea quoq; supponere. Vnde Paracelsici audaces quidam cum suis opiatis multos celeri cursu ad Plutonem demittunt, sæpe inopinato. Vidit Guainerius amicum quendam suum tenesmo laborantem, nec dormire potentem, cui suppositorium ex opio fuit subiectum; quo dulci sopore obrutus etiam nunc in perpetuum dormit. Consuluit igitur, *illa esse obseruandum in stupefactiuis exhibendis, quæ a prædecessoribus accepimus, ne temerarii in tam horrendum errorem incidamus.* Tria erunt consideranda inprimis, ne opium vel opiata exhibeamus sola. Noui empiricum sacerdotem, qui vltra ℈ j. opii sine correctorio in dolore capitis vel dentium per interiora daret: sed quid pellioni, cui id dederat, commodi attulerit, res ipsa indicauit, cum eundem stolidum & stupidum effecerit. Ideo corrigantur: sic castorium bezaar est ipsius opii; gentiana cicutæ, nigri papau. & ne tam libere ad membra transeant, adiiciunt myrrham vel olibanum; & quæ spiritus viuificant & roborant, vt *crocum*. Addunt roborantia cordialia, hepatica, stomachica, vt *spicam, doronicum, & zedoariam, sintque per sex menses vel plures probe commixta & fermentata.* At in recipiente narcotica hæc quoque aduertenda, *vt virtus in eo constet*: secundo, *vt suscipientem semper actu calidum, vel vt plurimum inuenias: neque illis danda, qui frigidam & siccam, vel frigidam & humidam intemperiem sortiti sunt.* Tertio, *nisi materia ex parte sit euacuata; si oppositum feceris, illam incrassabis, & spiritus congelabis, & sensum stupefacies, coctionem debilitabis, & materiam retinebis: quo fit, vt paucis diebus transactis fluxus cum maiore conamine, ac seueris symptomatibus reuertatur; & ita debiliores facti ægri, talem impetum non sustinentes subtus (dicente Guainerio) per terram paradisum redeant.* Quarto, *nec illa exhibenda ægris, nisi videris priora exhibita non profuisse, & infirmus torsionibus ac doloribus continuo conflictetur.* Tempus commodius adhibendi erit a cœna, quæ & pauca ac facilis digestionis esse debet, & per horas quatuor ad minus distans fuerit: tunc enim somnum inducit, & humorum agitationem, atque motum sistit. Potest & vacuo & ieiuno stomacho mane exhiberi, semper correctum, sed nullatenus supra cibum. Refert Guainerius historiam quandam, *de suo socio Patauii nobilem quandam fœminam perdite amante, qui cum ex vetula (quæ amasiam suam custodiebat) intellexisset, quod esset pauci somni, dedit amasiæ suæ aquam opiatam, quam vetulæ daret ad somnum conciliandum, vt sic melius amplexibus amasia vti posset. Sed commiscuit in maiori quantitate, quam vetulæ erat necessarium, & dedit in cœna: atque ita illa vetula triginta horis & vltra stupida, imo vero semimortua remansit: sed tandem medelis multis excitata, per annum tam mente quam corpore sopita fuit.* Caue, ne tuo infirmo idem contingat quod vetulæ; & nunquam exhibeas supra cibum, neque iis postpositis aut non obseruatis, de quibus nunc abunde dictum est. Magis tamen conueniunt, vbi necessitas vrget, & iam dicta admittant, in tenesmo & dysenteria vlcerosa; in caussa frigida aurea Alexandrina, in calida, rubea trochiscata, requies. Quędam tam in calida quam frigida indifferenter, vt est theriaca, maxime vbi suspicio est de veneno. Aliqui tamen in calida theriacam cum zacharo rosmiscent: in frigida eam solam dant. Alii rursus in caussa frigida antiquam aliqualiter præferunt, in caussa calida nouam.

Qua ratione conferant narcotica in fluxu.

Narcoticis seu stupefactiuis nō vtendum, nisi certis regulis obseruatis.

6. 7. 8.

Observatio XVIII.

De fluxu ventris cum tussi valida.

PVerpera tussim validam habebat vna cum fluxu ventris. Huic dabam *lac amygdalatum, paratum cum aqua farina oryzæ ebullita, deinde colata*: ex qua fiebat amygdalatum: Quandoquidem si cum fluxu, incommoda tussis habetur, commotione sui, fluxus increscit; & si quæ dulcia assumantur, ventri ac fluxui nocent: ꝑpterea acetositas ac stypticitas damnatur. Remedia ob eam caussam, ac cibi qualitas ex leuiter frigidis agglutinantibus, quærenda est; sicut hordeacea plus, ex hordeo tosto, & ouorum lutea aqua cocta vel indurata. Hæc administrauimus. Liquidæ tamē sorbitiones, quæ cito in aluum defluunt, damnantur. Ideo sorbitiones ex pulte & oryza non ita liquidas confecimus. Sed pręcipue iuuabant amygdala dulcia corticibus ablatis ita per se deuorata. Hoc etiam modo puellam pulcerrimam, filiam cognatæ nostræ Mariæ Valckesteniæ, a fluxu diuturno cum tussi probe curauimus.

1.

Scholia.

AVctores cum de alui profluuio curando agunt, adiiciunt etiam vltimo intentionem curandi accidentia, quæ cum fluxu aliquando misceantur. Et ita ponunt peculiaria quædam remedia ad fluxum ventris cum tussicula; *vt est myrthus*, ex quo etiam syrupus myrtinus conficitur, quo nos commode vtimur, tam ad fluxum, quam ad tussim. Commendant & castaneas, auellanasq; nuces tostas: nos amygdala potius elegimus, & gummi Arabicum, & amylum cum papauere. Et sicut tussis fluxum aliquando sequitur, ita & febris modo præcedit, modo cum fluxu iungitur. Vnde & febris fluxum magis incitat, & eius caussa exsistit, inflammatis humoribus, vel iisdem putrefactis. Et sic diuersa oritur intentio curandi (*vt viuis exemplis ostendimus in libris nostris de febr.*) etiam

Alui profluuium cum tussi. 2.

Profluuium ventris cum febre.

etiam a fluxu varians: nam in febre humectamus, in fluxu exsiccamus. Si itaq; febris fluxum sequitur, agitato intus spiritu & humoribus, vnde abscessus sæpe veniunt, aut oppilationes, vel humores non reguntur, vnde putrefiunt, & putrida sequitur febris, qua fluxus vel augetur, vel humores liquefiunt; tunc fluxus & febris contrariis indigent auxiliis: ille enim siccis, hæc humidis sanatur. Sed in actiuis sæpe variant caussæ, vt quando fluxus ex frigida, febris ex calida prouenit materia. Vnde vtrique caussæ succurrendum est: sed eius, quæ periculosior, principalius curam agimus, secunda non omnino neglecta. Verum si æquales caussæ fuerint, a curatione fluxus initium sumendum est. At si febris permaneret, ex oppilatione aut humore non educto, eam (*vt in lib. nostris de febr. constat*) sanabimus. At si febris & biliosus pariter fluxus iungantur, frigidiora proculdubio conueniunt. Verum si fluxus ex humore frigido fuerit, minus calida offerantur, quæ alioqui fluxui conuenirent. Reliqua in feb. patent, cum quibus fluxus coniungitur, quorum exempla plurima inuenies *in lib. nostris de febr.* At si cum febre hectica fluat venter, vel cum phthisi, trochisci ex *spodio dicti* medentur, *vel qui ex camphora nomen habent, vel qui hoc modo componuntur, tragacanthi gummi tosti, spodii, rubricæ armeniacæ, terræ lemniæ, camphoræ, succi liquiritiæ, pares portiones cũ myrti succo aut decocto formãtur, ex cydonii mali succo dantur.* At si ægro stomachus ardet cum ilibus, ac sitis accenditur, linteolus cum aqua rosacea, sandalis ac camphora efficaciter imponitur. In summa, fluxui cum frigore calefacientia cum stypticis iuuant. At alia sunt symptomata, quæ biliosæ diarrhœæ potissimum superueniunt, casus virtutis, syncope, appetitus deiectio, vertigo, ardor, torsio intolerabilis ac dolor. Valent carnes destillatæ, cum *myrtillis, sumach, berberis, anthera, cum aqua & modico vino cotoneorum, vti iura restaurantia, quæ ad syncopen valent, vertiginem & deiectionem appetitus, propriis locis petenda.* Ad torsiones & dolores egregie confert cornu cerui vstum, etiam vbi vermes simul cum fluxu hominem affligant. Si ardorem & dolorem bilis mordax inferat, hæc ipsa prius euacuanda. Post euacuationem, illo permanente, sacculi extrinsecus applicandi, *ex cumino & aceto, floribus tapsi barbati, furf. rof. & similibus, & clysteribus consopientibus dolorem, de quibus satis dictum est.*

Profluuii ventris cum hectica vel phthisi coniuncti auxilia.

Alia symptomata fluxui superuenientia, quomodo corrigenda.

OBSERVATIO XIX.

De fluxu ventris ex rheumatismo capitis vel catarrho orto.

1\. RHeumatismus capitis (*teste Galeno*) varias capitis ægritudines affert, cum cerebrum distemperatum fuerit; vnde plurimæ superfluitates oriuntur; quæ instrumentariis partibus subiectis obesse solent. Congeritur humiditas in cerebro ex alimenti inconcoctione ad ipsum delegati. Cum vero catarrhus per fauces in stomachum & intestina, noctu præsertim defluxerit, magnis fluxionibus tentantur, aut quia tunica interior lubrica fit, aut humore diu contento retentrix vis resoluitur, aut cibus intus vitiatur, aut concoctio impeditur, aut humoris violentia excitatur expultrix, leuitati aut lienteriæ haud dissimilis. Ex iis caussis, *vt antea retulimus,* Hippocrat. balbos, ventris fluxu naturaliter periclitari dixit: quales nos plurimos cognouimus, præsertim stultos & balbos. Sic Cornelium illum Alcmarianum, a pueris Kesium dictum, hoc vitio in perpetuum laborare conspeximus: & stultum quendam adolescentem Delfis, cui semper pituita ex ore fluebat, & venter lubricus erat. Hic fluxus a barbaris cerebralis vel catarrhalis vocatur; & caussa eius est materia descendens a cerebro in stomachum prolabens sua grauitate, & continuo fluore talem fluxum gignens. Quo quidem monachus senior, Egbertus nomine, in monasterio regularium prope Alcmariam afficiebatur, a quibus monachis tunc Alcmariæ habitans, annuam pensionem habebam. Ad hunc itaque accedens, facile istis notis cognoui, Rheumatismum hunc fluxum induxisse: nam in fauces destillans humor, noctu præsertim, illi dormienti respiratione sonantior illabebatur, & audiebatur. Abstinentia quoque magis, quam cibatu excitabatur, cum aluus in lienteria cibo duntaxat assumto fluat; qua ratione etiam a lienteria distinguitur. Hic quoque fluxus 2. augebatur magis post longum somnum, nec ita erat continuus, sicut stomachicus, sed magis per interualla & periodos fluebat venter; cum post somnum retineantur multæ materiæ, quæ tempore vigiliæ expurgantur, vnde in somno vis roborata ipsas magis expellit. Et magis fluit post longum somnum: quia post temperatum somnum vis cerebri digestiua magis roboratur; ita & resolutiua insensibiliter magis recrementa resoluit, & tunc non multiplicabitur fluxus, & materia minuitur. Ex debilitate cerebri & catarrho præcedente hæc facilime innotescunt, cum videantur in somno quasi catarrhum deglutire. Cum autem spumosa & pituitosa in hoc sene essent excrementa, facile percepimus, diarrhœam hanc ex defluxu a capite ortam esse, *iuxta aphor. 30. lib. 7.* sic dicente Hippocrate: *Cerebro affecto spumosa aderunt excrementa.* Iam quoque ex cerebri debilitate & destillationibus certius iudicium feci, etiam ex materia frigidiore, tam ob capitis grauitatem quam frigiditatem, quæ sentiebatur, ac sputi multitudinem; ætate senili, & tempore hyemali, ac temperatura ipsa idem attestantibus. Quamobrem in- 3. primis illi has pilulas, vel his similes, pro minoratiuo medicamento (vt vocant) dedi: ℞. *pilular. de hiera simplici, agarici trochiscati, corticum myrobal. chebulorum ana* ℈ j. *cum syrup. e stœchade, fiant pilulæ quinque.* Materiam hoc modo vel simili præparauimus deinceps: ℞. *corticum thuris, mastiois, filiorum & nucum cupressi ana* ʒ j. *bulliant in* ℔. j. *aquæ chalybeatæ, ad consumtionem tertiæ partis. Huius colaturæ pro vna dosi capiebam* ℥ iij. *addendo syrup. e stœchade* ℥ j. *mellis rosac. colati* ℥ ß. *misce, ter fuit exhibitum.* Deinde rursus adhuc semel cerebrum purgaui: ℞. *pilularum cochiarum, pilular. de hiera composita Nicolai,*

corticum myrob. chebul. ana ℈ j. *cum syrupo e stœchade, fiant pilulæ quinque. Valent in principio, vbi materia est multa.* Postea adhibui diuersiones pro catarrho diuertendo, vt brachiorum frictiones & ligaturas, & ventosas in humeris. Abstinui a masticatoriis & gargarismis, ne materia traheretur ad stomachum & intestina. Sed nasipurgiis per nares contenti fuimus ex succo betæ & maioranæ: ac sacculo capiti imposito, ad roborationem cerebri, ex *maiorana, stœchade, betonica, foliis cupressi, chamomilla crasso modo contusis, & sacculo rotundo inclusis, & capiti supra coronalem suturam admoto.* Dedi etiam *conser. saluiæ, betonicæ, ros. imperauiq;, vt grana thuris & masticis subinde deglutiret.* Etiam ventriculo imposuimus *ceratum ex mastiche vel stomachicum; & ad magnitudinem nucis auellanæ ex hoc electuario sumebat:* ℞. *conserua rorismarini* ℥ j. *confectionis mithridaticæ* ʒ ß. *specier. diamosci dulc.* ʒ j *conseruæ betonicæ, absinthii Romani ana* ʒ ij. *spicæ, corticum thuris ana* ℈ j. *puluerisentur hæc vltima, & cum syr. e stœchad. fiat electuarium.* Vtens carnibus assis, turture, columbis, optime deinde habuit.

SCHOLIA.

3. FLuxus hic catarrhalis ex cerebro descendens, modo sua lenitate modo vero sua acuitate lædere potest, vt fiat fluxus ventris; idque diuerso modo: nam & ab ore, sicuti per gulam, humiditates fluentes in stomachum, vel ex aphthis seu vlceribus & pustulis in ore, fluxum concitant, ita ex catarrho modo insipido, modo salso alui profluuium contingere potest. Solet autem his fluxus ventris a capite descendens, ad ventriculum longo tempore durare; & qui hoc laborant, sentiunt ob pituitam fluentem ad ventriculum dolorem, cruditatem alimentorum. Si a catarrho salso aut acri, magis rodit. Propterea si huius materia sit frigida, eo modo curari debet, vt catarrhus frigidus: si ex calida materia, vt calidus. Valent tamen generaliter illa, quæ rheumatismos cohibēt. Ideo a somno supino cauere oportet; & protinus a cœna non dormiendum, & oportet celsa ceruice dormire: & cerebrum imprimis repurgabimus iis, quæ de destillatione diximus; ac cerebrum roborabimus, non solum rationem habentes membri mandantis, scilicet cerebri, sed & recipientis. Si

Curatio.

4. frequentes habeat paroxysmos, cum licet materia prima sit euacuata, noua regeneratur, quæ defluxionem rursus excitat; frequenter vtendum pilulis mastichinis; & errhinis seu nasipurgiis caput repurgandum: theriaca danda, vel mithridatum, quæ valde exsiccant. Sacculi capiti imponendi & pileoli, & pulueres inspergendi, vnguenta, emplastra, fumigia adhibenda; quorum medicamentorum copiam inuenies apud Rondeletium. Interea pars recipiens non negligenda topicis remediis, descriptis ad ventriculi imbecillitatem; ratione semper habita ad materiam ipsam catarrhalem, num frigida vel calida sit. Si frigida, curetur, *vt dictum est Obser. præcedent.* Si calida subtilis, dentur *pilul. assaieret, aurearum & boli armeni ana* ℈ j. *fiant pilulæ quinque cum syrup. myrteo.* Si materia mixta, *pilul. de hiera, aurear. rhabarb. ana* ℈ j. *myrob. citriner.* ℈ ß. *cum syr. rosa. fiant pilulæ vij.* In materia calida digeratur hoc vel simili modo: ℞. *syr. rosa.* ℥ j *syrup. myrtini* ℥ ß. *aqua plantag.* ℥ ij. *aquæ ros.* ℥ j *misce.* Medicina eradicatiua fiat ex supradictis minoratiuis, aucta dosi. Deinde materia, *vt supra*, diuertatur frictionibus, ventosis, ligaturis, balneis circa extrema, & caputpurgiis. Deinde cerebrum

5. roborabimus tali sacculo in catarrho calido: ℞. *flor. rosar. rub. rad. nenuph. exsicc. myrtill. sumach. ana m. j. crasso modo puluerisatis & contusis supra tegulam calefactis in sacculo lineo calidus super commissuram coronalem apponatur.* Vel hic puluis capiti inspergitur: *ros. rub. myrtill. santal. rub. corall. rub. sandarachæ, stœchad. arab. ana* ʒ ß. *fiat puluis subtilis.* In ore teneat zaccharum rosaceum, vel diacodium deglutiat: aut bolum armenum misce cum syr. ros. sicc. instar electuarii, & teneat in ore. Stomachum aliqui leui vomitu repurgant; vel forti, iuxta exigentiam materiæ peccantis, & secundum tolerantiam virtutis patientis, & quantitatem materiæ, & dispositionem stomachi. Clysteribus quoque intestina mundificant, non tamen fortibus, ne augmentetur fluxus, sed cum iis, quæ simul intestina roborant, & leuiter materiam detergent, & educunt, *de quibus supra dictum est*, simul stomachum & intestina roborando cum oleo rosaceo, mastichino & similibus. Si vero propter os exulceratum,

6. vel gingiuas, vel propter ahpthas fluat, recurre ad propria capita. Si vero hic fluxus ventris fiat ab aliis partibus, vt quidam volunt, vt a renibus, vel matrice, diuertemus materiam ad matricem, vel ad renes, eorundem attractiuam calefacientibus vigorando, & prohibendo caussas impedientes, quo minus materiæ conuertantur ad renes vel vterum Si a toto fiat (*cuius indicia posuimus scholio Obser. 1. huius libri*) tunc qualiscunque fuerit succus abundans, erit euacuandus. Si a toto corpore propter liquationem fiat, totius ratio habenda est, ac totum corpus roborandum; cuius quoque exempla de hecticis febribus posuimus. Nunc ad alui profluuia veniamus, in quibus sanguis profunditur; rursus facto initio ab iis, qui purum sanguinem excernunt; & ita progrediendo ad reliquas cruentas excretiones.

OBSERVATIO XX.

De fluxu puri sanguinis.

1. ADolescens boni habitus, in otio viuens delicate, cui subinde sanguis e naribus fluebat, hac quidem euacuatione cōsueta intermissa longo tempore, cibis multis ac bonis, tum potibus vtens, incidit in fluxum puri sanguinis: idq; videns, plurimum sibi metuebat; quanquam nondum decumberet, neque febricitaret. Ad quem accitus, percurrens omnia signa, cum diarrhœa non perpetuo vnam affectam partem habeat, neque ventriculum, intestina, iecur, lienem, cerebrum; sed aliquando totum corpus afficiatur, quod hic videbatur ex signis præsentibus plenitudinis totius, vita otiosa præcedente, cum & sine dolore sanguinem excerneret, & venas amplas haberet, consuluimus, ne fluxum illum astringeremus, sed potius

potius illi venam omniũ primo secaremus, cum amplas venas haberet, & vires robustas. Cui sectioni difficulter auscultabat: sed tandem bonis rationibus inductus, illã admisit; & vena brachii dextri media secta, sanguine mediocriter effluente. Hoc modo non solum facta est diuersio, sed copia sanguinis extracta, fluxus paulo post eum reliquit. Interea iubebam vt parcius cibis refrigerantibus vteretur, & a vino & multis ac delicatis cibis abstineret. Quibus hic probe curatus fuit.

Scholia.

2 *Quatuor species cruentarũ excretionum. Prima.*

RHases *octauo Continentis* excretiones cruentas per aluum ad quatuor species reducit. Prima est, *in qua sanguis euacuatur paulatim; & hoc accidit in quo incisa est pars membrorum, aut dimissum exercitium; & talis purus sanguis exsistit. Aliquando etiam subito & in maiori copia funditur; & iste fluxus sanguinis est criticus a toto: qui si proportionetur repletioni & virtuti, & bene toleretur, eo quod confert & bene ferunt ægri, minime est restringendus. Et si aliquo modo videatur superfluere, constringatur diuertendo (vt Leonellus capite proprio de fluxu sanguineo toto critico refert) cum phlebotomia diuersiua vena communis vel hepatica. Si vero sanguis acritate sua etiam peccat, propter admixtionem bilis, & non solum sui multitudine, neque tunc omnino purus sanguis est, euacuetur primo bilis cum euacuantibus aliquid stypticitatis habentibus; deinde stringatur sanguis. Tale tunc minoratiuum idem exhibet:*

3

℞ florum borag. buglossa, ros. rub. ana m ß. corticum myrob. citrinor. ana ℥ j. bulliant in s.q. aqua plantag. ad consumtionem medietatis: & huius col. accipe ℥ iij. rhab. optimi electi ℈ iij. misc. fiat potus. Vel ℞ *succi plantag. facta residentia ℥ ij. ß. rhab. electi ʒ j. puluerisetur rhab. misce; exhibeatur. Habet hic succus cum rhab. (teste Mesue cap. proprio) proprietatem euacuandi choleram & fluxum sanguinis sistendi a quocunque loco veniat. Facta itaque in tali casu cholera euacuatione, stringunt deinde sanguinem ita biliosum, si superfluat, ipsum incrassando & prohibendo ne noua fiat sanguinis biliosi generatio, cũ aqua plantag. ℥ iij. & pul. trochis. de terra sigillata ʒ j. & syr. ex ros. siccis ℥ ß. emisc. Sed vbi purus sanguis est; non ita constringendus, nisi postea vires deiiceret.* Secunda est, *iuxta eundem Rhasem, similis aqua carnium & lotura.* Tertia est, *illa, qua habet similitudinem cum fece sanguinis habente splendorem.* Atque in his tribus speciebus fluxus sanguinis, præsertim prima & tertia, sanguis abundans subito euacuatur; & ego quoque sæpe in praxi vidi eos subito sanari, licet vulgares desperarent. Minus autem periculosum est, qui fluxum purum sanguinolentum habent, vti aliquãdo cuidam Regnero Alcmarianæ portæ custodi contigit anno 1556. 10. Martii die, hora quinta vesperi, qui tamen dolorem patiebatur absque excoriatione, & purũ sanguinem deiiciebat, tanquam ex vena rupta prorupisset; cui ex tempore, cum pauper esset, & tormina ventris sentiret, & tussim validam cum expectoratione humoris crudi experiretur, & circa renes calorem haberet, vrina etiam suppressa hoc medicamentum propinaui, quod ex parte lubricaret, doloremque mitigaret, & leuiter vrinã prouocaret, materiã diuertendo ad renes: ℞ *fol. maluæ cum toto. viol. ana m. j. rad petros. fœniculi ana ℥ j. hyssopi m. ß. glycyrrh. rasæ ℥ ß. prun. damas. num. xv. vuarum passul. ℥ j. decoxi in ceruisia communi:* qua continuo vtens, præter multorum opinionem a fluxu illo sanguineo statim curatus est, & etiam a mingendi difficultate, miraculi instar. Hyssopum adiecimus, quamuis vim extenuandi & calefaciendi haberet, & ideo fluxui sanguinis minus conueniret; tamen cum potum diuturnæ tussi prosit, *teste Dioscorid. lib. 3. cap. 26.* minus obfuit. Mirabar interim, quod ex tam simplici medicamento sanitati restitutus fuerit. Si fluxus sanguineus purus durasset, venam aperuissem: sed opus non fuit, cruenta illa deiectione nunc sanata. At illa deiectio, quæ feci nigræ splendenti similis est, cum atræ bilis naturam habeat, est periculosior, *vt scholio obser. 14. huius libri diximus*, atque aliquos ibidem descriptos mori vidimus. Fuerunt tamen nonnulli a me curati. Sic vxor quoque cuiusdam textoris, pallida facie, *Magdalena* nomine, q̃ Delphis in platea Rietueldia dicta habitabat, sine febre infra supraq; plus quã triginta sanguinis reiecit vncias, imo prima vice integras matulas: deinde per me curata, post tres annos vel plures eodem modo adeo nigrum sanguinẽ per aluum reiecit, vt fuliginem repræsentaret; astantes asserebant, plus quam paruam cupam, in qua pauperes serum lactis colligunt reiecisse, tam supra quã infra: solo lotiuo medicamento fuit tũc iterum per me curata. Hæc autem longo tempore prius habuerat lienem induratum, cum tumore magno totam ventris partem mediam sinistram occupãte; qui post sanguinis deiectionem paulo diminuerat. Rursus aliquot mensibus interpositis denuo idem malum passa est, & sanguinem atrũ deiecit adeo copiosum, vt in vita similem nunquam viderim: morbum etiam tunc superauit, & optimis remediis per me curata est. Non erat tamẽ adeo mordax hæc atra bilis, sicuti acetum terram abradens, quæ est bilis atra exquisita, de qua meminit Galen. *aph. 21. lib. 4.* quæ plerumque lethalis exsistit. Sanguinem vero purum deiecisse, *vt paulo ante diximus*, non adeo malum est; imo sæpe decretorio modo vtile fuit. Sic etiam cognata mea Geertrudis Bartholdi anno 1547. Alcmariæ purũ sanguinem cum deiiceret, & simul menstrua haberet, mulier valde sanguinea, sine intestinorum rasura, cum antea nonnihil doloris percepisset, in hypochondrio dextro sanguine peccante, vena basilica brachii dextri incisa, pauca tamen quantitate, egregie profuit. Deinde vtebamur iis, quæ sanguinem incrassarent (*nam aliquo modo in extractione biliosus videbatur*) cum syr. ribes, cotoneorum, & aqua plantaginis; & postea exhibebamus conser. ros. antiquam, cum triasantalis: aliis probis remediis adhibitis & hæc cõualuit. Quarta species sanguinis est *cum vlceratione intestinorum, de qua postea dicturi sumus.* At Neoterici fa-

Secunda. Tertia. 4 5 6 *Quarta.*

ciunt tot & tantas distinctiones fluxuum, inter quos est Gradus, qui tamen referuntur vel ad diarrhœam, vel ad fluxum hepaticum, quem alii *dysenteriam hepaticam* appellant, vel ad *dysenteriam veram & lienteriam*, quibus alii & *cœliacam affectionem* adiungunt, de qua nonnihil quoque diximus, cum de ventriculi malis loqueremur: de quibus breuiter videas interpretem Hollerii, & alios.

OBSERVATIO XXI.

De fluxu hepatico, & dysenteria hepatica, ex debilitate virtutis alteratricis hepatis.

1 VIr quidam ceruisiarius, qui ceruisiam emtam Delphis, rursus Alcmariæ denuo vendendam distribuebat, in platea Dronckenordia a vulgaribus dicta habitans, longa & diuturna dysenteria hepatica, seu fluxu hepatico laborabat: quem empiricus medicus diu male pro vero dysenterico tractauerat, neq; eundem curare potuerat, ita vt tandem illum pro deplorato reliquerit, cum tribus mensibus illum frustra curauisset. Ad hunc equidem mense Octobri, anno 1550. accitus fui. Cum animaduertissem, hunc fluxum a facultate alteratrice hepatis infirma fieri, cum deiectiones carnium loturæ similes spectarentur, omnium primo infusum rhab. dedimus, myrob. citrinorũ & chebulorum. Postea & hoc decoctum propinauimus: ℞ *marrubii, absinthii Romani flor. rosar. rubear. menthæ siccæ & rubræ ana m. j. sem. sanguinariæ, plantag. coriandri praepar. ana ℥ j. myrobal. citrinorũ ℥ ß. rhab. electi ℥ j. ß schœnanthi ℈ ß. rad. cichorii, apii, petros. ana ℥ ß. calami arom. incisi* (aderat enim magna ventriculi imbecillitas, & iecoris temperies non admodum calida) *santal. rub. ana ℥ j. coquantur in aqua chalybeata ad ℔ j addendo syr. myrtini ℥ j. ß. syr. de mentha, de cichor. cum rhab. ana ℥ ß. misce pro quatuor dosibus.* Deinde dedi semel ℥ j. *rhab. puluer. in modum pilularum, cum syr. ex ros. siccis.* Postmodum imperaui, vt bis in die ex condito sumeret. ad magnitudinem castaneæ: ℞ *conf. ros. antiqua ℥ ij. specier. arom. ros. sine musco ℈ ij. ß. myrobal. citrinor. parum assatorum & pulueris. masticis ana ℈ j. cum syr. myrtino, confice ad modum conditi.*

2 Cum fluxus nondum cessaret, & iam vltra quatuor menses eidem adhæsisset, & valde debilitaretur, sequens apozema illi præscriptum est: ℞ *marrubii, absinthii Romani, menthæ siccæ, flor. ros. rub. ana m. j. seminis myr. plantag. ana ℥ j. ß. cinnamom. electi, santal. rub. calami arom. incisi ana ℥ j. coquantur in vino rubeo styptico, aquæ equiseti & melissæ ad ℔ ij. adde syr. de mentha, myrtill. cotoneorum ana ℥ j. misc. & sumebat bis in die.* Quia vero circa stomachum dolebat, eo tempore ceratum stomachicum apposui, & hepatis regionem inunxi vnguento santalino, & oleo absinthite. Postea cum neque his adhuc fluxus remitteretur, omni mane per tres dies, hunc puluerem dedimus, cum ouo sorbili, qui multum iuuabat: ℞ *seminis plantagin. nucis muscatæ, masticis, pulueris cornu cerui vsti ana ℈ ß. cinnamo. select. gran. v. fiat pul. subtilissimus.* Sed cũ fluxus in totum non cessaret, *myrobal. chebul. parum tostos cum rhabar. tosto ad ℈ j. ß cum aqua plãtag. & syr. ex ros. siccis* propinaui: & omni mane capiebat ad magnitudinem castaneæ, ex elect. sequenti: ℞ *conser. ros. antiq. diacydonii sine speciebus ana ℥ ß. nucis muscatæ, masticis ana ℈ j. trochis. de carab. de spodio, cum sem. acetosæ ana ℈ ß. cornu cerui vsti pulueris. pul. flor. ros. rub. corticum granat. balaustiorum ana ℈ ß. coralli rub. gra. iij serici combusti gran. j. cum syr. myr. menthæ ana q. s. fiat electuarium moderate liquidum:* ex quibus fluxus cœpit cessare. Sed paulo post denuo cum periodis reuertebatur. Quare dedimus hæc sequentia: ℞ *decoct. hordei & ciceris rub.* (vt materia ad renes diuerteretur) *℔ j. mellis ros. colati ℥ j. syr. myrtini de cichor. cum rhab. ana ℥ ß. succi ros. depurati ℥ ij. detur tribus vicibus.* Sed cum postea leuia tormina sentiret, libenter enema iniecissem: sed nullo modo voluit admittere.

3 Quare omni die sumsit cyathũ vnum ex decocto sequenti: ℞ *sem. plantag. sanguinariæ, corticum granat. balaustiorum, ros. rub. ana ℈ j. sanguinis draconis ℈ ß. gummi tragacanthi aliquantulum tosti, myrobal. citrinor. adustorum, coralli rubei masticis ana ℈ ß. cicerum rub. ℥ ß. contundantur crassiuscule & coquantur in ℔ iij. lactis bubuli, ad consumtionem ℔ j. ß. exstinguatur post colaturam in eo lacte sæpius chalybs ignita; & adde mellis rosacei ℥ ij. & iterum bulliant leui ebullitione; & sumsit omni mane.* Inunctus hepatis loco cum oleo absinthii, cotoneorum & amygdalarum amararum, sæpissime finito decocto capiebat ex tabulis sequentibus, & a fluxu ab imbecillitate hepatis orto, quo per semiannum laborauerat, magno cum nostro honore curatus fuit: ℞ *florũ rosar. rub. sem. plantag. parum exsiccati & pulueris. ana ℈ j. trochis. de carabe cum sem. acetosæ specierum diarod. abb. arom. rosar. ana ℈ ß. dissolutis in aqua decocti absinth. & menthæ, adiecto Zacchar. q. s. fiat confectio in tabulis. Dosis ℥ iij. pro vice.*

SCHOLIA.

4 *Fluxus hepaticus.* NEoterici hepaticum fluxum modo ad chylosum, modo ad apostema hepatis, modo ad oppilationem eiusdem, vt aquosos & biliosos, pituitosos vel melancholicos referunt, *vt apud Leonellum* tum alios videre licet; de quibus antea diximus. Verum proprie loquendo, cum etiam de hepatis affectibus loqueremur, hepaticos vocamus eos, qui iocinoris imbecillitate laborant, vt ad longum etiam docet Donatus ab Altomari capite proprio, in quibus ipse affectus iocinoris imbecillitas duntaxat est. Namque hos solos proprie iocinorosos seu hepaticos medici nominare consueuerunt, *Hepatici seu iocinorosi.* quando videlicet citra aliquod manifestum in viscere malum, in propriis actionibus debilitatur, *vt & Gal. sentit 5. de loc. aff. & 8. de compos. med. secund. loc. & 3. de causs. symp. quem postea secuti sunt Paulus cap. 46. lib. 3. & Aetius cap. 1. lib. 10. & Alexand. cap. 3. lib. 8.* quamuis quidam existiment, eo quod excretiones sint liquidæ carnium (*præsertim cruentarum atq; recenter enectarum*) loturæ similes; vel si feci sanguinis similia per aluum excrementa deiiciantur, ita, vt qui excernitur

excernitur sanguis & nigrior, quam pro natura, & splendens apparuerit, vtpote sanguine & nigra bile commixtis; licet iecur quoq; affectum coniiciendum sit (*vt eodem 5. de loc. affect. liquet*) indicium tamen est ipsius hepatis superassantis sanguinem. Hæc prædicta deiectio cruenta, de qua nunc agimus, a nonnullis etiam dysenteria appellatur, *vt liquet 3. de sympt. caussis*, quæ ex iocinoris imbecillitate fit, *vt 4. de articulis*. Quamuis errent, *vt ipse idem inquit 5. de locis affectis*, hunc affectum putantes esse dysenteriam, cum tamen non sit: quamuis Alexander Trallianus ad differentiam veræ dysenteriæ, hãc excretionem cruentam appellat *dysenteriam hepaticam*. Sed hic sanguinolentus humor talis consistentiæ excernitur, velut si quis sanguinem cum aqua confudisset, seu velut si quis victimæ recens mactatæ carnes aqua lauisset. Ex quo colore Galenus notat iecur affectũ esse, *vt patet 5. de locis affectis*. Quod vero ex eiusdem propriæ facultatis læsionis modo qualitas affectus percipi possit, nulli in dubium venit. Est autem is, symptoma in genere noxæ functionum naturalium, alteratricis scilicet, ac magis speciatim sanguificę ipsius iocinoris, quæ non ablata est neq; deprauata, sed diminuta ac imbecilla. Cuius imbecillitatis caussa quæuis intẽperies esse poterit, ac generari circa contentas in ipso iocinore venas & arterias, iuxta materias in spatiis ipsarum contentas, nec non iuxta propriam ipsius hepatis substantiam, quam Erasistratus παρέγχυμα Græce appellat, *affusionem seu perfusionem* Latine dixeris, *vt eodem 8. de compos. medic. secundum locos a Galeno scriptum est*: quoniam facultas hæc, quæ sanguifica dicitur, in iocinoris proprio corpore seu propria substantia consistit (*vt 6. de Hippocrat. & Platon. decret. liquet*) Propterea & eadem substantia, seu idem corpus intemperatum reddi oportet, quo affectus hic generationem habeat, non negantes, quod interdum primo, interdum vero secundario ipsum obledi possit, tunicis videlicet vasorum, aut humoribus in eorum cauitatibus contentis, siue vtrisque, primario affectis.

5 *Dysenteria hepatica.*

Pars affecta.

Quis affectus.

6

OBSERVATIO XXII.

De dysenteria hepatica, ex iecoris intemperie calida.

1 CVm deiectiones carnium recentium loturæ similes conspiciuntur (*teste Alexandro Tralliano lib. 8. cap. 3.*) hic affectus dysenteria hepatica dicitur. Itaq; vulgares medici (*inquit*) vbi eiusmodi quippiam conspexerint, nihil solliciti, nec internoscere valẽtes, vnde imbecillitas oriatur, statim, quæ ad hepar inscripta sunt medicamenta, adhibent, præsertim quæ robur adiicere & confirmare possunt: extrinsecus quidem cataplasmata, quæ ex *aloe, balaustio, malicor. myrrha & œnanthe* constant: Intus autem rheumbarbaricum, xylomaces dictum, theriaca, atque alia quædam antidota. Nonnulli autem ipsorum ventrem extrinsecus, spissamentis, & pastillis curare non dubitant; maxime offendentes. Nam ex eiusmodi magis corrumpunt viscus, magisque infirmum & intemperatum reddunt. Verum non ita conuenit, sed prius inquirendum ac inuestigandum est, quæ intemperies caussæ sit effectrix. Atque hac diligenter animaduersa, statim victus institui aduersus affectũ debet, qui ab internotione suggeritur. Quippe iecur non ex calida solum intemperie, sed etiam ex frigida & humida qualitate, item ex vtraq; simul infirmum redditur. Subinde vero ob prauam quoq; materiam ingrauescens, & propter obstructionem læditur. Interdum etiam inflammatio vna cum frigida intemperie miscetur, mixtusq; affectus & varius efficitur: *vti euenit cuidam rustico adolescenti Cornelio Gerardo 27. annum plus minus agenti, in pago Diui Martini, tribus miliaribus ab Alcmaria distante, ex dysenteria hepatica laboranti.* Erat autem temperaturæ sanguineæ, vt antea apparebat ex eius colore viuido, licet facie nunc plurimum immutata. Hic cum fluxu hepatico satis diuturno laborasset, empiricum & circumforaneum ad se vocauit, qui neque affectum intelligens, nec caussam mali inuestigans, statim huic dedit sine ratione vehemẽter constringentia medicamenta; vnde febri vehementiori oborta, pessime habuit, subinde fluxu sanguinolento instar loturæ carnis redeunte, simul etiam vermes eiiciebat, ita vt tormina quædam ob vellicationes vermium experiretur. & nõ ratione ipsius fluxus, qui caussam mixtam habebat, nempe calidam magna ex parte, cum humoribus putridis, subinde chylosis, aliquid crassitiei aliquando habentibus, modo rursus parumper biliosis, licet cruentis fere semper. Adhunc tandem accitus anno 1551. mense Maio, ita eum tribus mensibus gubernaui, vt Dei nutu sanus euaserit. Primo cum ad eũ vocatus essem, hoc decoctum propinaui: ℞. *radicis graminis* (propter vermes, quos subinde deiiciebat) *radicis cichorii, dentis leonis* (ob febrem) *ana* ℥ j *endiuiæ, cichoreæ, agrimoniæ, absinthii Romani, herbæ hepaticæ seu lichenis ana m j cornu cerui vst.* ℈ ij. *myrobal. citrinor. chebul. ana* ℥ j ß *hordei mundati* (ob febrem & detersionem) *p j. cicerum rubrorum* (vt materia deduceretur ad renes) ℥ j ß. *coquantur in duabus partibus aquæ absinthii, & vna parte aquæ endiuiæ, pro* ℔ *j. post colaturam adde syr. de cichor. Nicoli cum rhab* (valet præcipue in alterando materiam venenosam, & maxime in febre quasi pestilenti cum vermibus, corroborando, & materiam per vrinam & secessum educendo) ℥ j ß. *syr. ros. ex rosis siccis* (ad maiorem roborationem & refrigerationem hepatis) ℥ *j. omni mane sumebat cyathum vnum, & quotidie ter quaterq; deiiciebat chylosa & sanguinolenta.* Sed ex potione febris minui cœpit ea adhuc semel reiterata. Interea pro siti, tum febre, sæpe capiebat cochlear vnum ex mixtura sequenti: ℞. *syr. de limonibus, acetos. simplicis* (faciunt enim ad vermes, sitim & febrem) *syr de succo acetosæ, cotoneorum & syr. de mentha* (pro fluxu compescendo) *ana* ℥ *j.* Subinde quoque sumebat ad eandem intentionem & roborationem, zaccharum rosaceum, perlatum, & diarrhodon, & triasantala, in tabulis vel rotulis confecta. Hepatis regionem inunxi cum oleis rosaceis, cotoneor.

2

3

& myrteo pauco oleo absinthii & amygd. amar. adiecto Sed cum apud illum agerem per quatuor pluresve dies & tussiculam etiam experiretur, pectus inunximus vnguento pectorali. Et quia capite dolebat cum insomneitate, tempora & frontem sub noctem inungebamus vng. populeo recenti, non veteri: nam vetus potius calefacit & somnum non inducit: dedimusque lac amygdalarum, ex amygdalis dulcibus, paucis amaris adiectis: modo sine amaris paratum adhibuimus, cum aqua furfuris cõcinnatum: subinde etiam ad maiorem adstrictionem chalybe exstinctum, zacchharo ad dulcedinem iniecto. 4 Sed & hoc iuleb. ebibit ad febrem & fluxum: ℞ endiuiæ cum toto cichoreæ cum toto ana m. j. acetosæ, portulacæ, cassutæ ana p. j. absinthii Romani, plantag. ana m. j. ligni santal. citrini pul. ʒ j. coquantur in aqua pluuia pro ℔. j. colat. adde syr. acetosi simplicis, de mentha, ex ros. siccis ana ℥ j. misce, & febris omnino sedata est; fluxu quoque diminuto. Interea hoc epithema pro hepate descriptum est: ℞ end. cichoreæ ana m. j. cassutæ absinthii communis & Romani ana m. ß. flor. ros. rub. p. j. ligni santal. rub. ʒ j ß spodii ℈ ij. coquantur in aqua communi pro ℔. j. ß. adde aceti optimi rosacei ℥ j. & iterum bulliant leuiter, & colentur; & fiat epithema pro hepate, stomacho ieiuno per quatuor pluresve dies. Locus hepatis bis in die hoc vnguento inungebatur: ℞ vngenti santalini ℥ ß. olei coton. absinth. ana ʒ j. misce. Huius sequentis pul. dabatur primo ʒ ß. deinde ʒ j. cum ouo sorbili; quo fluxus constrictus est & simul vermes eiecit. ℞ seminis plantag. ʒ j. ß. trochis. de spodio, cum seminis acetosæ, gummi traga. torrefacti ʒ j seminis portulacæ, acetosæ ana ℈ ij. seminis end. ℈ j. ß. cassutæ ℈ ß. flor. ros. rub. ℈ ij. misc. fiat pul. subtilissimus. Quibus remediis sanitati satis restitutus, me reliquit, 5 ac discessi. Ceterum cum ad tempus vtcunque valeret, a discessu meo, postea in tormina ventris incidit; vtrum ex vermib. vel fluxu, ignorabat. Calceolarius, qui calceos detritos reficiebat, domi eius tunc forte agens, impostor illi promisit sanitatem: sed sibi deesse oleum (quod nardinum appellabat) quod ex Zelandia adferret, illi persuasit; deinde aliquot diebus in alio pago latitans, ad ægrum reuersus, oleum attulit: pro quo impostori, rusticus alioqui diues, sex daleros persoluit, & sycophanta abeunte, oleum sumsit; sed adeo male habuit, vt ilico se animam agere existimaret: & mox non solum in dolorem ac tormina ventris incidit, verum etiam in fluxum cruentum multo maligniorem, quam antea, licet per periodos eundem excruciabat, viribus indies decrescentibus. Quamobrem me tandem rursus reuocauit miser rusticus, tandem edoctus, quam inepte eiusmodi calceolario fidem habuerit, cum prius empiricũ ad se vocauisset, & tamen a me iamiam restitutus 6 fuisset. Eum nunc denuo accedens, reperi hominem plane viribus destitutum. Rursus sequens decoctum præscribo, prius abstersiuo ex decocto hordei communis cum zacchharo descripto, vt intestina abluerentur ab oleo etiam calido, quod a calceolario acceperat: ℞ cichoreæ cum toto, endiuiæ cum toto, dentis leonis cum rad. acetosæ ana m. j. agrimoniæ, absinthii Romani, menthæ rubeæ betonicæ (quia aderat dolor capitis) borag. buglossæ ana m. ß. florum ros. rub. florum anethi (propter dolorem) ana p. j. rad. glycyrr. fœnicul. ana ℥ ß. sanguinariæ virid. plantag. centumnodii ana m. ß. seminis portul. ʒ j ß seminis hyoscyami albi ℈ ij. seminis pap. albi ʒ ij seminis coriand. præpar. ʒ j. seminis end. fœniculi ana ʒ ß. myrobal. citrinorum torrefactorum ʒ j. hordei torrefacti p. j. vuarum passul. cum arill. ℥. ß coquantur in aqua communi pro ℔ j. ß. dulcoretur cum zacchharo, & arom. cum ℈ ij. spec. diarrhod. abb. & trochis. de spodio cum semine acetos. ℈ ß. trochis. de rhab. & trochis. diarrhod. ana gr. vij clarificetur & in eo chalybs ignita sæpius exstinguatur. Sumebat bis in die cyathum paruum. De die in diẽ tormina eo minuebantur, & dolor & febris, quæ quidem omnia accidentia inducta erant ab oleo assumto ipsius præstigiatoris, qui nunc ablata pecunia aufugerat, vt hoc genus impostorum solet. Pro capitis dolore & insomneitate etiã inductis ab oleo illius nebulonis, tempora cõtinuo inunximus bis aut ter in die & sub noctem oleo papauerino: quibus subsidiis dolor sedatus est; etiam somno suauiore accedente. Libenter & hoc tempore enema iniecissem; sed nullo modo voluit admittere. 7 Quare & hoc decoctum sequens præscripsi: ℞ rad. symphyti seu consolidæ maioris, rad. fœniculi ana ℥ ß agrimoniæ, absinthii Romani, menthæ rub. endiuiæ, cichoreæ, cum toto, centumnodii, sanguinariæ portulacæ (quia rursus vermes deiecerat & sanguinem loturæ carnis similem) ana m. j schœnanthi ʒ j. calami arom. incisi ℈ iij. capitum pap. albi cum corticibus & seminibus ana num. ij. seminis hyoscyami ʒ j. seminis portulacæ, baccar. myrti ana ℈ iij myrobal. chebul. citr. nor. torrefactorum ana ʒ j. hordei parum torrefacti p. j gummi tragac. torrefacti ℈ iij ß. hepatis lupi præparati & modice torrefacti ℈ ij. omnia coquantur in aqua chalybeata secundum ordinem ad ℔ j ß. arom. col. cum ℈ ij. specierum diarrhod. abb. trochis. de spodio, cum semine acetosæ ℈ ß trochis. de terra sigillata. de rhabar. spec. dialaccæ ana gr. v. specier. trionsant. ℈ ß. Zacch. dulcoretur, sumebat bis in die; & paulatim cessarunt accidentia, & fluxus ac febris diminuebantur. Et locus dolens ac venter hoc epithemate fouebatur, ad roborationem & restrictionem: ℞ cupular. glandium psidiæ, balaustiorum ana ℥ ij. ros. rub. p. j. myrobal. sumach ana ʒ ij. florum chamomill. meliloti, anethi ana p. j. ß. coquantur in vino rub. styptico, & aqua ferrata q. s. pro ℔. j. ß. quo dolor euanuit, & fluxus cessare cœpit; hoc decocto adhuc sumto: ℞ succi plantaginis, equiseti ana ℥ iiij. vini rub. styptici ℥ viij. ebulliant ad consumtionem medietatis, pauco adiecto zacchharo rosaceo; & sumsit duabus vicibus. Et a fluxu liberatus est. Verum quoniam ex crebriore secessu plurimũ in ano tenesmi instar (nam propter oleũ a nebulone sumtũ hic fluxus hepaticus aliquid bilis & acrimoniæ cõtraxerat) dolebat in longanone, seuũ arietinũ miscuimus cum

semine

sem pap. alb. suppositorii instar leuiter ano imponentes & cessauit eo dolor, ac pruritus ani a fluxu biliosо: & hepatico inductus, ob oleum calidum male per os sumtum. Et vt venter magis confirmaretur, & ad roborationem, vltimo bis aut ter in die ex hac mixtura capiebat: ℞ *conf. ros. antiq.* ℥ j. *diacydonii sine specieb.* ℥ j *syr. menthacei, cotoneor. ana q. s. fiat mixtura mediocriter solida.* Victu conuenienti præscripto (*de quo in scholio agemus*) & istis præsidiis supradictis, Dei nutu a fluxu diuturno hepatico, valde periculoso, magno cum nostro honore perfecte sanitatem recuperauit.

SCHOLIA.

9 RECte Alexander Trallianus admonuit, *vt dysenteriam hepaticam non curaremus, ante eius caussæ cognitionem*: & ideo cum medicus singula internoscere debeat, quomodo ex calida intemperie iecorario affectu laborantes internoscere his indiciis liceat, docet. *Æger enim valde sitit, bilemq; vomit, sæpe vero & æruginosa, & deiectiones eiusmodi apparent: linguam habet scabram, corpus siccum & gracilius videtur, tanquam iecore colliquescente, & in cruentas sanies contabescente: temporis autem spatio etiam ex ipsa substantia tandem particulæ longe fœdissimæ deferri cernuntur. His igitur notis calida intemperie laborantes animaduertere conuenit. Ceterum ex temperamento, & pragresso victu, reliquum licet firmioris cognitionis gratia sapere, atque hinc internoscere. Nam temperamento calidi sunt & tenues habitu, pilosque densos habent, curis dediti, & animo iracundi. Qui vero ex frigida iocinoris intemperie laborant, neque sitiunt vehementer, neque bilem vomunt, neque amaritudinem in ore, sed potius acorem sentiunt: Item deiectiones alui neque biliosæ, neq; fœdi admodum odoris, neque colliquationis aliquid,* 10 *sed veluti sanguinem crassiorem & nigro similem continent. His etiam vultus non collabitur, & reliquum corpus, temperamentumque ad frigidius magis inclinare videtur. Ad hæc præcedens victus talis, si perspicias, deprehenditur: item vita otiosior, balnea copiosiora & intempestiua, eaque post cibum. Ex his atq; aliis consimilibus indiciis frigidam intemperiem iecoris notare ac internoscere poteris. Sicca iecoris intemperies corpus siccius testatur & tenuius, sitimque magis conciliat: & deiectiones alui pauca, & crassiores apparent. At humida iecoris intemperies, neque sitim efficit, neque siccitatem sed magis etiam linguæ humiditatem. Nam nulla sitis vrget, & virtus totumque corpus diu non collabitur: postea autem deiectiones ventris pluimæ apparent. Scire porro licet quod materiales qualitates, si cum effectricibus misceantur, hæc indicia demonstrent.* 11 Hactenus Alexander Trallianus. At noster hic æger non ita intemperie calida afficiebatur, cum nec corpus siccum nec gracile haberet, sed boni habitus esset, & vt ab astantibus intelligere potui, primo quanquam cruenta aquosa deiiceret, non ita sitiebat, neque febricitabat; sed postquam ille primus empiricus illi dederat fortia adstringentia, febris cum fitis & vermium deiectio oborta sunt, ventre post vnum aut alterum diem restricto, deinde rursus cruenta illa deiectione iterum subsequente aquosa, subinde etiam limosa, ita vt nunc hepar maiore calore inficeretur. Et quia vermes deiiciebat, quod rarius contingit in eiusmodi fluxu, signum fuit magnæ putrefactionis, & pessima accidentia adhuc magis subsequuta, facta quasi recidiua ex oleo illo calido ac calceolario exhibito. Ita cum nos primo vocati fuimus, non puris frigidis vsi sumus; quin etiam adiecimus quædam aperitiua, cum hepar, & præcipue venæ mesaraicæ non carerent obstructione: attamen non fortiter calidis vtebamur, sed iis subinde adiectis, quæ non minus ad febrem quam vermes facerent; & quia debilitabatur ex longiore fluxu, ita vt colliquatio quoque fieret, adiecimus astringentia: & postea, post acceptum oleum illud calidum, cum diutius perduraret fluxus, omnino in fine magis astringentibus coacti fuimus vti; tamen prius adiectis iis, quæ ad temperiem calidam iecoris facerent, & leuiter aperirent obstructiones, & simul hepar roborarent. Viribus enim postea deficientibus, & colliquatione totius corporis accedente, constringentibus vtentes a grauissimo morbo eum liberaueramus. 12 Nam huius affectionis curatio haudquaquam despicienda est, quoniam nonnulli propter curantium inscitiam (*vt Galenus inquit 4. de articulis*) perierunt. Quomodo autem caussa fuerint medici vt ægri morerentur, ibidem declarauit. In calida item intemperie, si iocinoris imbecillitas fiat, quamprimum rite curari debet. Nam temporis spatio colliquationes ex ea fiunt, primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis; quin imo totum corpus absumitur, *vt ex Galeno & Paulo liquet.* Nos sæpe vidimus, quod antequam morerentur, non solum cruenta aquosa deiicerent, verumetiam quasi substantiam ipsius hepatis. Nec minus si ex frigida intemperie ortum duxerit, paruifacienda erit eius curatio: nam tractu temporis corrupto in viscere sanguine, febris superuenire solet; quæ tamen ab imperitis medicis vsque adeo negligitur, vt laborantem interdum nequaquam febricitare putent. Quin imo si vltro ea intemperies frigida augeatur, permutabitur ad aquam intercutem; *quemadmodum idem Galenus 5. de locis affectis scriptum reliquit*; quod & nos sæpe obseruauimus in quotidiana praxi. Ceterum scopus in eiusmodi affectionibus communis ac primus est, iuxta intemperiei contrarietatem, hoc est, vt intemperiem ad contrarium deducamus: peculiaris autem vnicuique per cuiusque contrarietatem; nam calidam dispositionem semper refrigerare oportet, frigidam vero calefacere; similiter humidam exsiccare, & siccam humectare, *Galeno & Aetio testibus.* 13 Ceterum pro eo scopo perficiendo, indicatio, quæ a parte affecta sumitur, adiicienda est, cum princeps membrum sit iecur, vniuerso corpori dispendens alimenti materiam. Quia de re omnibus hepaticis remediis (*pro quacunque intemperie curanda*) tum iis, quæ

Iecoris calida intemperies.

Iecoris frigida intemperies.

Prognostica.

Curandi methodus.

per os sumuntur, tum quæ forinsecus imponuntur, aliquid ex astringentibus admiscere oportet, quo firmitas visceris conseruetur. Id quod scriptum reliquit *Galenus 13. method quem postea secuti sunt Paulus & Aetius.* Sic nuper ex calida intemperie hepatis laboranti hoc fluxu, commode dedimus statim ab initio decoctum scariolæ, end. cichorii, licheris seu hepaticæ: habet enim lichen seu hepatica abstergentem ac modice refrigerantem facultatem; vtramque vero exsiccantem. Dedi illud decoctum cum syrupo confecto ex succo cichorii, seu hortulanæ, quam scariolam vocant. Commendatur ab ipso Donato, vti & oxyzaccharum, *syr. ex succo aut infus. ros. & morsuli ex triasantal. ℥ j. vel potius ʒ j. diarrhod. abb. ℈ j. sem. cichorii ℈ ß. vuarum passarum ʒ iij sem. melonum ʒ iij Zacchari dissoluti in aqua ros. cichorii q. s.* formentur morsuli; quorum quilibet sit ponderi ℥ j. exhibeanturque cum pauca aqua, in qua folia & radices cichorii vel hortulanæ endiuiæ fuerint decoctæ. Vuam passam non tantum in medicamentis probamus, sed etiam in bellariis. Trallianus plurimum probat, præsertim quæ ab illo vocantur *Larissenæ.* Nihil enim hepaticis adeo opitulatur, ac vua passa, quæ omnia bona continet; vt non putrescat, vt corroboret, vt præter boni medicamenti facultatem, etiam nutrire possit, & quodcunque prauum vitiosumque inuenerit, in benignum conuertat. Commendatur etiam a Galeno 8. *de compos. medic. secundum locos*; licet ipsa contemtibilis videri possit, ob familiarem eius vsum. Seridem seu intybum vel cichorium recte in decocto administrauimus, cum hoc adeo vsus olere ipse idem Alexander Trallianus; multos nouerit ab hepatica dysenteria euasisse. Neque semel tantum, sed etiam sæpe ipsum comedere eodem die conuenit, & mane & vesperi tum ex decocto, tum ex condimento. Coriandrum autem ipsi inter coquendum miscere oportet. Quod si quædam obstructionis suspicio in gibba aut caua parte iecoris fuerit, tunc etiam apium simul incoquere præstat. Nam præterquam quod suaue est & gratum, concoquitur etiam, & in iecur magis distribuitur. Propterea, vt idem addit, hic in totum remedia deligenda sunt, quæ præter quam quod refrigerant, & abstergunt, etiam aperire iecoris meatus, & corroborare præterea ipsum possunt, vt alimentum celeriter per totum corpus distribuatur. Itaque cremor ptisanæ (*eodem teste*) hic est idoneus, ac panis, cui adiecta sit inter coquendum radix apii, intybus, cichorium, sonchus, & his adhuc magis troxymum. Quoniam vero in prædictis oleribus vis amara, & aperiendi obstructos iocinoris meatus exsistit, vti his oportet. Nam hæc facultas etiam calidas iecoris intemperies admodum iuuat, & frigidas non offendit. Non enim intensam habet frigiditatem, sed mitem, & quæ medium iam attingat, vt quis citra noxam ea, & cum fiducia vti possit. Omnia namque recipit, quorum maxime vsus est iis, qui imbecillum adeo iecur habent, vt neque contineat alimentum, neque exacte inalteret, vel etiam in corpus distribuat. Ptisanæ itaque cremor idoneus est; & subinde grana ipsius, & olera, maxime intybus, & his adhuc magis troxyma, etiam per se, & cum gallina, aut perdice, aut ventriculo anseris dari possunt, aut cum carne quadam (*suauitatis gratia*) simul incoqui. Hæc olera commemorata etiam cruda ipse offert, vt vsus morbi postulat. Et lactucam cum apii & betæ radice percoctam exhibet, aut eandem per se, licet commodius sit, vt acetum inter coquendum recipiat: vel reliqua dicta olera cum iure gallinarum seu pullorum decocta. Quamuis multa iura, præsertim pinguia, ob fluxum vitanda sunt, & quæ habent cuminum aut oryzam, aut aliud condimentum, impediens coctionem & distributionem. Sed poterunt gustare & carnes pullorum gallinarum, perdicum, phasianorum, & ex syluestribus attagenas, & carnes turturum aut turdorum, & auium paruarum, anates fugiendo, & omnia in paludibus degentia, quæque siccant, & melancholicam carnem obtinent. Ex piscibus marinis saxatiles in puro mari degentes. Vbi non admodum magna est intemperies, & biliosa, humorque citra aliquam obstructionem magnam aut inflammationem vitiosus, ibi cibos offerre conuenit, qui ægre conficiantur, & validos. Ceterum dare his quoque oportet, si tempus permiserit, fructus pomaceos, peponum dulcium carnem, admodum dulcia mala, & cotonea bene matura; eaque assa probe, aut cocta cum gallina. Ne autem mala dum assantur, adurantur, sed diutius ad assationem sufficiant, durentque, fermentum extrinsecus vndique ipsis obducetur; atque sic ipsa furno demittentur. Malorum punicorum grana, & ante cibum modicum, & cum pane dare conuenit. Nam iecur admodum imbecille, & stomachum collapsum firmare possunt, etiamsi æger maxima siti conficiatur. Tunc quoque vuam dura carne præditam, & citrium molle ipsis porrigere oportet: Item cerasia, pyra vel mespila conferunt, semel aut bis exhibita. Nam continuus omnium astringentium vsus siccare & ventrem inferiorem obstruere, cohibereque potest, ne stercus facile efferatur. Sorba & castaneæ tuto sumuntur: nam boni succi sunt, & non cito a calidis intemperiebus corrumpuntur. At nuces, pistacia, & nuces pineas eodem auctore vitare oportet, vt inimica. Præter iam dicta aer hic ad frigidum vergere debet, & somnus sit moderatus atque nocturnus, & quies quærenda, animique perturbationes cauendæ, ira præsertim, curæ ac solicitudines. Pro potu vinum circumcidatur omnino, nisi alteram ob caussam (*nempe stomachi imbecillitatem*) illud requirant; tunc enim tenue & dilutum aliquod exhibeatur. Verum pro eo vtatur succo malorum punicorum, aut aqua hordei, seu aqua, in qua cichorium fuerit decoctum, aut seris, siue sonchus; adiectis coriandri seminibus præparatis, Asclepiadis auctoritate. *Galenus 8. de compos. medic. secundum locos*, nonnulla medicamenta pro huius

Curatio intemperiei calida.

Hepaticis dysentericis vua vtilissima.

Multi hepatici ex olere seridis curati.

14

15

16

17

18

Medicamēta quæ huic malo propria.

pro huius affectionis curatione approbauit: inter quæ primum est, si succi cichorii cyathum vnum cum aquæ calidæ cyathis tribus propines, mellis Attici cochleario addito: quod medicamentum Asclepiades Antonii Musæ esse dicebat: aut picridis recentis seu seridis recentis succi cyathum vnum, cum aqua mulsa. Aetius & præter seridis succū etiam intybi & senecionis, seu perdicii succum aut decoctum laudauit. Quin etiam philonis antidotus semel tantum exhibita omnem calidam intemperiem mirabiliter sanat, *etiam Galeno teste loco citato.* Nec mirum, si semel tantum exhiberi debeat quoniam (*vt idemmet Galenus dicit*) nullum hepaticum pharmacum vehementer refrigerans esse debet. Nos autem ægrotanti ex intemperie calida, præter syr. ex succo cichorii & morsulos dictos, epithemata extrinsecus adhibuimus. Quale hoc est: *℞ succi cichorii & endiuiæ hortulanæ & lactucæ seu solani ana ℥ iiij. aquæ ros. rub. & cichorii seu endiuiæ ana ℔ j santal. corall. rub. ana ʒ iij. aceti albi ℥ j misceantur,* & fiant epithemata, æstate subfrigida, hyeme vero actu calida. Et inungatur regio hepatis hoc vel simili vnguento: *℞ olei ros. de absinthio, myrtini & de papau. seu nymphææ ana ℥ ß. santal. omnium & corall. rub. ana ʒ j. succi cichorii & lactucæ ana ℥ ij. aceti parum & ceræ q. s. fiat vnguentum.* Insuper ex foliis plantag. & cichorii ac malo cotoneo in aqua & oleo rosaceo decoctis, ac contusis, adiecta hordeaca farina & exiguo croco, cum pauco aceto, fiat cataplasma; & vtere. Iisq; remediis, si statim adhiberent me in consilium, vel similibus, dysenteriam hepaticam ex calida hepatis intemperie sæpe probe curauimus. Plura vide apud Trallianum.

19

Topica.

Observatio XXIII.

De dysenteria hepatica ex intemperie frigida.

1

HOnestus quidam ciuis ex frigida iocinoris intemperie excretiones nec multas nec assiduas habebat, sed tamen diu perdurantes, minus graueolentes, speciem putrefacti sanguinis referentes, velut limus sanguinis crassi apparens. Cui cū humor pituitosus sanguini permixtus tandem in viscere putresceret seu corrumperetur, atque in ipso iocinore retineretur, aut venis circa ipsum ac febris superueniret, syrupum absinthii, ex succo fumariæ & de byzantiis ac eupatorio, cum decocto agrimoniæ, absinthii, marrubii exhibui, ipsumque humorem purgaui cum medicamentis non solum pituitam educentibus, sed & ipsum viscus roborantibus; nempe *cum myrobal. chebul. rhabar. exiguo agarico adiecto.* Prodest & antidotum calefacientium specierum, *vt aromaticum ros. diacinnamomum, diarrhod. abb. & compos. Galeni ex malorum cotoneorum succo, in fine 6. lib. de sanitate tuenda descripta,* vnice conferens ventriculo imbecillo & iecori inualido. Extrinsecus oleo chamæmelino, nardino, de absinthio hepar inungebam. Dedi quoque & lupini iecoris diligenter triti ʒ j. *cum succo cichorii,* cum obscure febricitaret. Valet enim a proprietate, *secundum Galenum, Aetium & Paulum.* Quod ad victum attinet, is ad calidum vergebat, cibique boni & facilis nutrimenti, & panis cum vino, *iuxta Alexandrum & Paulum,* offerendi, & ex olerib. brassica bis terve cocta ex iure gallinarum, pullorum, perdicum, phasianorum, starnarum, turdorum & aliarum paruarum auium; aut carnes earundem gustandæ, & anserum ventriculi, *iuxta Alexandrum,* serpillo, satureia, hyssopo, fœniculo, oreoselino in iure carnium decoctis. Inter pisces commendant mullum assum, & carnes assas, si alios cibos fastidiunt, vel iura cinnamomo aut garyophyllis condita. & castaneas mediocriter assas, modo non crebro comederet; maxime vero vuas passas; minime pistacia aut amygdalas, cū facile corrumpantur & oleosa sint, & promte in bilem mutentur; & recrementum asperius reddant, vt hinc venter magis crebrisq; irritetur, *vt ex eodem Tralliano lib. 8. cap. 4. liquet.* Pro potu vinum concedebam tenue & odoriferum, quod & nutrit, concoquit, roborat, & putrefactioni resistit: Quibus remediis hic optime se habuit.

Scholia.

8

MEdicamenta calefacientia hic adhibenda, magis minusve, pro frigiditatis obtinentis magnitudine accommodare oportet, *vt idē inquit Trallia.* Asclepiades dabat filicis vel anethi succi cyathū vnum, cum aquæ mulsæ cyathis tribus, alii, *vt Galenus,* antidotum cyphoides. Vide eius descriptionem apud Donatum *cap. proprio*; & aliam apud Trallianum. Habes & efficacissimum medicamentum, quo vtitur Donatus: *habet seminis anisi, fœniculi, apii, plantag. ana gran. iiij. costi glycyrrhizæ ana ℈ j. cassiæ ligneæ, cinnamomi vtriusq; ℈ ß. vuar. passar. ℥ iij. croci, spicæ, calami aromat. & schœnanthi ana gran. ij. ß. cornu cerui vsti, & amygd. amar. ana ʒ j seminis melonum ʒ iiij. sacchari dissoluti in aqua ros. q. s.* formentur pastilli, quorum vnū vice qualibet assumat, cum exiguo vino albo odorifero. Extrinsecus fiant vnguenta, cerata, epithemata, in hunc vel similem modum: *℞ succi marrubii, absinthii, fumariæ, agrimoniæ ana ℥ j. asari, spicænardi & celticæ, mastichis chiæ, cinnamomi, iunci odorati, lignis aloes, maceris ana ℈ ß. olei ros. nardini, chamæmelini, absinthii ana ℥ ß. ceræ q. s. & aceti parum, fiat vng.* Fotus componunt ex *oleo anethino sampsuch adiecto decocto rad. cappar. filicis, cichorii, absinth. florum chamomill. fol. plantag. chamapit. seminis dauci, anisi & similibus, cum succis eupator. marrubii, absque oleis, adiecto aceti modico.* Post fotum Trallianus cataplasma imponit ex *ruta contusa, melanthio, cymino, & aristolochia longa, vel cum horum puluere, vino, melle & oleo cappari-no.* Ceratum quoque habes apud Donatum. Reliqua vide apud Aetium, Galenum & alios auctores supradictos. Vnum addam, quod mirabile est, iuxta Trallianum, ad eos, quos imbecillitas cum obstructione infestat: Brassicæ decoctum & rhus Syriacum tenuiter leuigatum, mixtumque potui datum.

Topica.

4

OBSERVATIO XXIIII.

De fluxu hepatico bilioso diuturno, cum variis accidentibus & dolore mingendi, quasi abscessu succedente, & fluxu sanguinolento modo quasi puro, modo bilioso, modo nigro.

1 SImon Harckonis, qui cognatam meam Corneliam Regneri Almariæ in vxorem duxerat, vir admodum paruæ staturæ, vtcunque biliosus, cum longo tempore fluxu hepatico bilioso cum hepatis obstructione & hypochondrii dextri dolore laborasset, torminibus ventris subinde accedentibus, tum dolore mingendi, anno 1557 sexto Augusti die me vocauit. Hic ante meum ingressum per integrum mensem variis vsus fuerat remediis, & tonsorum & aliorum. Cum hic grauiter decumberet, hoc apozema præscripsimus: ℞ *corticum rad. dentis leonis, cichor.* (ob bilem & apertionem) *rad. petros. fœniculi* (vt commodius lotiũ redderet, & materia ad renes diuerteretur) *ana* ℥ ß *parietariæ, tapsi barbati* (ob fluxum & dolorem) *chærefolii* (vt vrina euocaretur) *pentaphilloris ana m j ros. rub. menthæ rub. & florum chamomillæ* (ob ventris dolorem) *ana p. j. seminis lini tosti* ℨ *j. seminis planteg.* ℨ ß. *granorum alchakengi, cum suis vesiculis num. vij hordei non excorticati m.* ß. *myrobal citrinorum,* ℨ ß. *myrob. chebulorum, indorum, rhab. selecti ana* ℨ *j. fiat omnium decoctio in aqua pluuia, ad* ℔ *j. colaturæ adde syr. cotoneorum, acetos. simplicis, syr. ros. myrtill. ana* ℥ ß. *misce pro iij. dosibus.* Hoc decocto dolor ventris vtcunq; sedatus est, & minus postea tormina habuit, & fluxus vtcunque fuit repressus, qui modo sanguinolentus, modo biliosus, modo cum pauca pituita mixtus videbatur;

2 & fluxus fuit vtcunq; repressus. At post tres dies rursus dolor & difficultas mingendi increbuere: sed istis decoctis præscriptis conualuit; & a dolore ventris & mingendi, simul & fluxu liberatus est; ℞ *endiuiæ, cichorii, hepaticæ seu lichenis, agrimoniæ, cassuthæ, capill. ven. ana m.* ß. *cort. rad. fœniculi* (vt melius mingeret & materia diuerteretur ad renes) ℥ ß *seminis fœniculi, anisi ana* ℨ *j* ß. *coquantur in aqua communi pro* ℥ *vj colaturæ addendo syr. de cichor. Nicoli, cum rhab.* ℥ *ij. syr. capill. ven.* ℥ ß. *misce pro ij. dosibus.* deinde ℞ *flor. ros. rub. foliorum tapsi barbati ana m.* ß. *seminis lini tosti* ℨ ß *myrobal. citrinor. modice combust* ℨ *j fiat ebullitio cum reliquis decocti vltimo præscripti: deinde manibus fricetur: colaturæ* ℥ *iij* ß. *adde syr. cotoneorum, mellis ros. ana* ℥ ß. *misce:* & cœpit vnica vice, omnibus accidentibus cessantibus, & fluxu; adeo vt ipse non amplius redirem. Verum post septimanam, vtrum quia sese aeri nimium cito commiserat, nescio, in idẽ malum incidit, me tunc vna cum vxore in Brabantiam profecto. Accitus alius medicus iunior, qui cum multa remedia tam intus, quam extra adhibuisset, etiam fotum pro hepate, & loco dolente; parum aut nihil profecit; ac statim ægrum pro deplorato habens, amicis dixit tum astantibus, illum moriturum, quanquam morbo inducias dãte, & fluxu perdurante, tumore exterius oborto sub regione hepatis, sed valde exiguo, versus vmbilicum paulo inferius tendente. Varia medicus adhibet medicamenta, etiam chirurgo accito. Cũ

3 eum per duas septimanas ita tractassent, me ex Brabantia reuersum æger denuo vocauit, cum nihil profecissent, ambobus tunc relictis. Ceterum cum ęgrum nunc viribus destitutum inuenissem, & tumorem extra apparentem cum duritie & dolore persentirem, & nunc æger medicamentorũ pertæsus esset, quibus multis vsus fuerat, ac omnia remedia respueret, ægre ad hoc inductus est, vt hæc simplicia in ceruisia communi in duplici vase cocta susciperet: ℞ *agrimoniæ, marrubii, lichenis, florum ros. rubear.* (nam adhuc fluxu laborabat) *absinthii Romani, plantag. cum rad. vngulæ caball. cũ rad. ana m. j. rad. fœniculi, petros. macerat. in aceto per noctem ana* ℥ *j rad. liq.* ℥ ß *coquantur in ceruisia, vt dictum est.* Eo bis terve in die vtebatur: & dicebat se sentire ex eo decocto aliquod leuamen, tam in dolore, quam fluxu. Interea tumorem inunximus duriorem hoc linimento: ℞ *vng. dialthææ, de meliloto ana* ℥ ß. *muccag. fœnigraci, rad. althææ, olei cotone. absinthii* (ob hepatis firmitudinem) *vnguenti alabas. ana* ℥ *ij.* & rursus chirurgo accersito, qui eius erat amicus, huic iussimus, vt post inunctionem hoc cataplasma emolliens & moderate resoluens & roborans loco dolenti applicaret: ℞ *rad. altheæ mundatæ* ℥ *iij. folior. viol. maluæ flor. meanethi, chamomillæ, ob dolorẽ ana m. j folior. absinthii communis* (ad roborationem hepatis) *m. j. rad. lilior. alb.* ℥ *j. coquantur ad mollitudinem; pistentur; adde farinæ hordei, seminis lini, fæn. græci ana* ℥ ß. *olei chamamelini. butyri recentis q. s. exiguo addicto oleo absinthii ad hepatis roborationem; fiat cataplasma.*

4 Prius adhibito fotu ex decoct. rad. & herbarum ac flor. præcedente, deinde admoto emplastro bis in die renouando, iisque per duas septimanas cũ vsus fuisset, tumor ille durus mollior paulatim factus subsidit, & euanuit; & per aluum tunc excreuit sanguinolenta in maiori copia; prius quasi materiam sanguinolentam vtcunque puram, licet nonnihil biliosam; in fine vero nigriorem & limosam absque manifesto pure: postea simul cum excrementis sanguinolenta ista commiscebantur, & sine dolore exibant. Adhibui lotium medicamentum ex decocto hordei non excorticati, exiguo melle rosato adiecto: & non diu post cessauit fluxus ille sanguinolentus per se, tanquã rupto abscessu, licet meram purulentiam nõ spectaremus: interim tumor delituit, mox & dolor & fluxus cessarunt, ac perfecte sanitati deinde restitutus est, & sanus permansit, non sine magna nostra laude.

SCHOLIA.

5 FLuxus hepaticus apud quosdam diuerso modo sumitur; quouis modo is pendet ab hepate, siue res humoralis ab eo demandetur, siue non: ad quem referunt fluxum chylosum, qui modo ab hepate, modo a venis mesaraicis ortum habet, de quo egimus *obs. 7. & scholio eiusdẽ*, vel quia est oppilatio in mesaraicis venis, vel debilitas virtutis attractiuæ hepatis: vel sumitur pro quouis fluxu humo-

Fluxus hepaticus apud medicos diuerso modo capitur.

humorali ab hepate proueniente, siue fuerit a bile, siue a fece melancholica Sed quãdo est sanguineus lotiuus ex debilitate hepatis, tũc proprissime vocatur hepaticus: sed minus proprie, si ab aliis humoribus, vel vitio hepatis, vt si ab apostemate hepatis, fiat; de quibus etiam mentionem fecimus cum de chyloso fluxu loqueremur. Vide de his, ac eorundem fluxuum curatione, apud Leonellum, & qui ab aliis humorib. ab hepate fiant; & de fluxu hepatico bilioso pituitoso & melancholico. Et ita hic diuersus est ex parte eorum, quæ expelluntur: chylosus, cuius caussam ad debilitatem hepatis eiusque oppilationem aut venarum mesaraicarum reduximus; vel aquosus, similis aquositati hydropicorum in hydropicis; vel lotiuus, vt lotura carnis, modo magis modo minus rubens: vel est biliosus, citrinus, prassinus vel æruginosus, ex bilis multiplicatione: & est virulentus, tanquã ab hepate calido vel eius concauo resudans: vel saniosus, ab apostemate resudans Alius feculentus, feci sanguinis similis: vel sanguineus a toto vel ab hepate, de quo dictum est. A calido hepate biliosa liquidiora; & si augetur calor, insigniter flaua, crassiora, grauiter olentia, pruriginosa, nigricantia, assatis humoribus. & postremo colliquata hepatis substantia. Hinc sitis (*vt dictum est prius*) ardor, deiecta appetentia, assidua corporis iactatio, difficilis curatio. In nostro tamen ægro non erat tantus calor, licet etiam bilis admixta esset, & fluxus ob hoc diuturnior. In infirmitate attractricis hepatis est materia chylosa: in infirmitate alteratricis, primum quidem loturæ carnium similia, & sanguini diluto aqua: deinde varia qualitate & consistentia, interim quasi limus sanguinis & grumus. Tenuis, rubens & serosus a venis mesaraicis & ramis venæ portæ, quandoque crassior ab hepate vel liene. Hic vero ab hepate primo paulo purior, postea magis limosus fluxit, tumore subsidente. Tamen non videtur fuisse ibi apostema, cum neque virulentia, neque sanies sequeretur. Nec fuit ab intestinis, vt in dysenteria, quia non exibat cum torminibus. Fluit tamen aliquando læso hepate aut rupta vena (*cuius exemplum prius attulimus*) sanguis niger, velut crassum atramentum, & deinde rubens aliquando excernitur, & moriuntur; quales duos vidit Hollerius. Vterque vix sentiens periculum, animi deliquio paulatim exstinctus est. Vidimus tamen & in peste & in fine quartanæ crassum & nigrum effluxisse, & tamen euasisse ægros. Quibus modis fluxus hepaticus curetur, nunc satis dictum est. Ideo ad lienteriam transeamus.

Fluxus diuersus penes ea quæ expelluntur.

6

OBSERVATIO XXV.

De lienteria antiqua, cui scurbutum malum adiunctum erat.

1

VIr quidam longa lienteria ex ventriculi imbecillitate detinebatur, & simul malo scurbuto dicto laborabat. Ad quem ingressus, primo sequentem potionem exhibui, anno 1558. mense Ianuario, dum his duobus malis misere affligeretur: *℞ myrob. citrinorum modice combustorum, chebul. indorum ana ℥ j hordei non excorticati parum tosti m. ß florum ros. rubear. absinthii Romani ana p. j. bulliant in aqua plantaginis unica ebullitione; & huius colaturæ accipe ℥ iij addendo rhabar. parum assati & puluerisati ʒ ß syr. cotoneorum, de mentha ana ℥ ß. misce pro vna dosi.* Secundo hoc linimento ventriculum inunxi: *℞ olei absinthii, nardini, cotoneorum, menthæ ana ℥ ß. pul. coralli rub. menthæ siccæ florum ros. rub. exsiccat. & omnium puluerisatorũ ana ℈ ij trochis. gall. moscatæ, caryophyll ana gr. x. ceræ q. s. fiat vnguentum.* Tertio, *℞ conser. ros. antiquæ ℥ ß diacydonii sine speciebus, cortic. citri conditi ana ʒ j spec. aromat. ros. diarrhod. abb. trochis. de spodio, de carabe ana ℈ ß. coralli rub. trochis. de cappar.* (ob scorbutum) *interiorum stomachi gallinar. præpar. ana ℈ ß. cum syr. myrtino & menthacco fiat mixtura.* Quarto etiam statim post purgationem, stypticitatẽ relinquentem, pro scurbuto imperauimus, vt decoqueret *cochleariam & bekabungam in ceruisia chalybeata ad libitum*: sed cum fluxus augeretur, & debilis esset æger, decoquebat in vino rubro Gallico pontico. Et egregie profuit. Quinto pro gingiuis vlceratis ex scurbuto: *℞ bekabungæ, corticum granat. plantag. saluiæ ana m. j. chamarum rubi, foliorum peruincæ, matricariæ ana m. ß. bulliant in aqua pluuia chalybeata vel ferrata, in ℔ iij. ad medietatem colaturæ, adde aluminis ℥ iij. mellis ros. colati ℥ j. iterũ ebulliant*; & vsui reseruetur ad gingiuas abluendas & confricandas. Sexto spongia *in aceto infusa, in quo bullierant ruta, rad. cappar. filicis & thamarisci, lien fomentabatur.* Septimo, post lotionem gingiuæ hoc puluere confricentur: *℞ aluminis vsti ʒ ß. salis vsti ʒ ij. gallarum, cornu cerui ana ʒ j maceris ℈ ij foliorum saluiæ siccorum num. 4. conterantur in pollinem.* His remediis & decocto bekabungæ & cochleariæ, a scurbuto curatus est, & lientericus fluxus minui cœpit. Sed hoc fotu sequenti vtens pro ventriculo roborando, & cerato deinde apposito, alienteria præter opinionẽ multorum curatus fuit: *℞ absinthii Romani, menthæ, corticũ granat. baccarũ myrti ana m. ß. coquatur in aqua ros. aceto ros. & vino rubeo styptico ad ℔. j. ß. colaturæ addendo succi cotoneorum ℥ ij. masticis, thuris, acaciæ santal. rub. ana ℈ j. ß. puluerisatis, fiat fotus pro ventriculo omni die ante pastum: ℞ olei mastichini, absinth. cotoneorum ana ℥ j. olei menthacei ʒ ß. calami aromatici seu odorati, caryophyll. thuris ana ʒ j. aloes ℈ ij. ros. rub. corall. rub. ana ʒ ß. masticis, cumini pul ana ʒ j. hypocystid. acaciæ sumach. pulueri Zat. ana ʒ j ß gallia muscata ℈ j cum cera resina, terebinth. q. s. vt artis est paretur ceratum.* At alter sine scurbuto lienteria laborans, singulo die ventriculo ieiuno sumens semiunciam sequentis electuarii, nihil superbibendo, curatus fuit: *℞ sacchari ros. ℥ vj theriacæ optimæ ℥ vj. cum mi̇ua cotoneorum cõpleta q. s. misce, fiat conditum.* Eodem modo fuit curatus (*teste Amato centur. 2. curatio. 56. de lienteria*) Dominicus Margaretus, Nobilis Anconitanus, senio confectus, quum per plures dies semicrudum cibum per secessum emitteret, & multa præsidia tentata illum non iuuissent,

2

hoc electuario vltimo refectus fuit, & sanitatem obtinuit. Vsus est zaccharo rosato Neapolitano antiquo.

SCHOLIA.

3

DE scurbuto malo hic nihil dicemus, quoniã de eo abunde egimus *lib. 20.* cum de affectibus lienis loqueremur: sed nunc de lienteria verba facturi sumus. Quidam hic sub vno capite de lienteria seu læuitate intestinorum, & cœliaca seu ventrali affectione scribunt, cum eodem medicationis ductu vti liceat, ita vt quę dicantur de vnius curatione, quasi de alterius sint subintelligenda, cum vtrisque commune sit, vt vim retentiuam ac concoctoriam facultatem tum ventris tum intestinorum omni modo refocillare oporteat: seorsim tamen de his dicemus, quanquam prius loquuti fuimus *lib. 18. de ventriculi affectibus, obseru. 50. & 51. de cœliaca affectione.* At nunc etiam de ea quasi per transennam agemus, cum magnam affinitatem inter se habeant, licet in nonnullis rebus discrepent. Cum enim eadem retentrix, seu complectens ventriculi facultas tempus retinendi ac complectendi cibos cum coquẽdi tempore haud exæquat, si prorsus eos non complectatur, affectus quidam oritur, qui a Græcis λειεντερία, a Latinis *ventriculi ac intestinorum læuitas* dicitur.

Λειεντερία a Latinis ventriculi ac intestinorum læuitas dicitur.

Quod si eadem non vsque ad consummatam cõcoctionem retineat & complectatur, alter excitari solet affectus, qui a Græcis κοιλιακὴ, a Latinis *cœliaca*, seu *ventralis affectio* dicitur.

4 *Κοιλιακὴ a Latinis cœliaca seu vẽtralis affectio.*

Iniustum namque complectendi tempus (*vt Galenus inquit lib. de differ. sympt.*) omnino diminuta concoctio excipit: deinceps vero vel celer ciborum exitus, vel eorum in ventre corruptela. At celeris ciborum exitus inseparabilia symptomata sunt deiectionis humiditas, & digestio in corpus diminuta. Quod ad primam affectionem, nempe lienteriam, λεῖον Græcis *laue* significat, seu *continuum*, & nulla ex parte diuulsum, sed sibi vndique cohærens, æquabili superficie. Vnde λειεντερία, quasi λειότης τῶν ἐντέρων, leuitas intestinorum, ἔστι ἡ ταχεῖα διέξοδος τῶν προσφερομένων σιτίων ἀμεταβλήτων ἐκκρινομένων, cum cibus & potus, qualia sumta sunt, celeriter & ante coctionem vllam aut exiguam, elabuntur e ventriculo & intestinis.

Læuitas intestinorum vnde nomen sumserit secundum quosdam.

Quam ita Galenus definit 6. aphor. 1. esse velocem & sine vlla cibi mutatione excretionem. Sic & *3. aphoris. 22. & 4. aph. 12.* hoc est, cum cibi ea qualitate, qua sunt assumti, deiiciuntur, non colore, non odore, non consistentia mutati. Verum, vt quibusdam antiquioribus visum est) *vt etiam Donatus refert*) tale nomen sortita est, quoniam qui prius talem ei indiderunt appellationem, fieri ipsam putabant, propter intrinsecæ superficiei intestinorum læuitatem, ob quam cibos in eis contentos nõ amplius retinent, quemadmodum retinebant cum suam seruarent sibi a natura inditam asperitatem. Cuius etiam sententiæ videtur esse Aetius *cap. 51. libro 9.* Quam opinionem Galenus tanquam erroneam oppugnat, *aphor. 1. lib. 6.* caussamque erroris eorum dicit esse ignorantiam caussarum, propter quas excrementa intempestiue excernantur, eo quod ignorent quoque proprium esse vẽtriculi cibos amplecti, & certo tempore stringendo retinere, & deinde ad inferiora demittere: At postea de caussis dicemus. Si breuiorem huius affectionis adferre velimus definitionem, dicemus esse carentiam coctionis. Altera affectio, nempe cœliaca, ab ea, quæ afficitur parte, nomen sumsit, *vt refert Aetius cap. 37. lib. 9. vt latius scholio obseruat. 50. lib. 18.* de morbis ventriculi diximus.

6 *Cœliaca vnde nomen sumserit.*

Intestina tum ventriculus *6. de locis affectis*, in ambobus afficiuntur. Suntque symptomata retentricis & concoctricis facultatis læsæ: licet inter se communicent & differant, cum in vna ea diminunta est, vt in cœliaca, in qua cibos non complectitur vsque ad consummatam concoctionem: in altera, nempe lienteria, omnino abolita, retentrice facultate prorsus cibos non complectente, ita, *vt secundum Galenum lib. de diff. sympt.* & actionis prorsus sit priuatio.

Pars affecta & affectus.

Neque læuitas intestinorum subito euenit, cum cœliaca eam præcedere soleat, *vt etiam patet 6. de locis affectis.* Cœliacos quæ sequantur & qualia signa habeant, satis superque diximus scholio præcedenti: vnum tamen adhuc addemus exemplum de cœliaca affectione, & deinde ad lienteriam reuertemur.

OBSERVATIO XXVI.

De cœliaca affectione.

1

REfert Aetius *lib. 9. cap. 37. de cœliaca affectione*, ex Archigene, quod aliquando cœliaca affectio adfligit, temporibus quibusdam aluo restitante; quibusdam vero ordinate per certas horas fluente; vti euenit Andreæ Guilelmo de Oosthoren, qui frequenter hoc fluxu cœliaco detinebatur, & parui momenti eam reputabat, quanquam postea in senectute facile lubricam haberet aluum, & tandem in hecticam deuenit, de quo egimus *lib. 4. obseruationum nostrarum de febribus hecticis.* Aliquando vero incessanter apparet, quemadmodum contigit anno 1569. Barthildæ Adrianæ viduæ mehercule probæ, annorum quinquaginta septem, circa finem Iulii mensis, quæ in nostra vicinia habitabat. Huic solitus appetitus nihilominus permanebat: (*qui sæpe non solum permanet, teste eodem Aetio loco citato, verum etiam amplius augescit*) quare statim me non vocauit. Verum persistente appetitu ob id, aceruatimq; ac per vices factis, omnia mala augescunt. Quod cum huic mulieri fieret, & assidua egestio humida & liquida, etiam fœtida adesset, ita vt in animi deliquum quoque inciderit, quod sæpe fieri solet (*vt diximus*) me tunc vocauit. Cum autem hoc malum septem pluresue dies durasset, & adhuc recens esset, diligenter caussam ipsius mali inquirere cœpimus. Cum autem assidue cibi corruptiones & peregrinorum eduliorum egestiones præcessissent; (*nam mansiones habens extra vrbem, pinguedinem lactis, tum pruna, aliosque cibos corruptibiles ingesserat*) & mulier satis crassa obambulando se fatigasset, cum talis ingestio huius caussa exsistat, ea ipsa auferre oportet; verum cum illa

illa præteriissent, & labor etiam præcessisset, illam in quiete adseruauimus, & si ferre posset, inediam imperauimus, & vt omnino modico cibo vteretur. Et cum humores vitiosi ex cibis præcedentibus essent generati, illi ipsi erant euacuandi. Cum nauseam haberet subinde, nec tamen vomeret, vt larga potione, *iuxta eundem Aetium*, vteretur, suasi; nam tales ad reuomendum cogendi sunt, cum ex nausea potissimum perciperemus humores in ventriculo collectos esse. Quod cum fecisset, etiam cochleari vno aut altero assumto ex oxymelite simplici, euomuit; licet humores serosi subinde acres intestinis infarcti roderent & irritarent. Nam aliquibus fluxiones statim vsu adstringentium oboriuntur, ventre nimirum ab ipsis læso, propter imbecillitatẽ aut mollitiem sensus; ideo Archigenes vtebatur *hiera sua* ℥ j. At nos prius ad præparationem dedimus hos syrupos, *ex infus. ros. ex succo cichorii, & cotonear. myrtino & oxysacch. cum aqua acetosæ & plantag.* & tale medicamentum purgans dedi, quod etiam valet aduersus lienteriam, si humores vel succi mordaces superficiem ventriculi aut intestini rodant. Communis enim vtrisque iuxta Aetium, in læuitate intestinorum, quo ad cœliacos & dysentericos, est curatio. Propterea dicebat etiam Donatus, *ea quæ dicemus de vnius curatione, etiam alterius subiungẽda erunt.* Commune itaque vtrisq; erit (*vt idem refert Aetius*) quod vim retentiuam ac concoctoriam facultatem tum ventris tum intestinorum omnimodo refocillare oportet. Attamen in lienteria illa, quæ ab acri humore fit (*vt postea dicemus* in ea dolor sentitur; qui si perseuerat, dysenteria fit. At in cœliaca, vel etiam in imbecillitate, nullus doloris sensus: & melius eunte morbo, acidi ructus commouentur. Fortasse cum hæc paulo ante nostram ingressum bibisset vinum rubrum stypticum, & vitiosi humores essent retenti, acrimoniam quandam conceperunt: quare & illi euacuandi erant. Purgans vero hoc erat: ℞ *corticum myrobal. citrin.* ℥ *ij. acetosæ m. j thamarind.* ℥ *ij. bulliant in aqua communi q. s. & huius express. accipe* ℥ *iij. syr. ex infus. ros. solut.* ℥ *j ß. misc.* & habuit quinque sedes. Sed, quod fere oblitus eram, post vnum aut alterum diem a vomitu, cum amplius non vomeret, antequam purgationem darem, etiam propinaui lotium ex decocto hordei communis, nempe ℥ *iij. addendo syr. ex infus. ros. communium, rubrarum apertarum, & menthæ ana* ℥ *ß. misce.* Humoribus satis purgatis, tandem deueni ad constrictionem & ventriculi simul roborationem. Per duas horas ante cibum capiebat ℥ ij. vel iij. diacydonii sine speciebus: & mane ex hoc condito: ℞ *conseruæ ros. antiquæ* ℥ *vij. specier. diarrhod. abb. arom. ros. sine musco ana* ℥ *ß. margaritarum puluerisatarum* ℈ *j. manus Christi cum perlis* ℥ *ij. pellicul. stomachor. præparat.* ℥ *ß. syr. cotoneorum & menthacei q. s. fiat conditum.* Ventriculum inunximus oleo myrteo, mastichino, coton. maceris oleo exiguo adiecto. Et quia fluxus non cessabat, metuimus ne in lienteriam incideret, vel aliud graue malum. Nam vbi is morbus protrahatur, vel autumno incipiens ad hyemem vsque se extendat (*ex auctoritate Archigenis, teste Aetio*) difficilius omnino curatur. Quamobrem ad maiorem adstrictionem condito suprascripto adieci trochis. de carabe, de spodio & cornu cerui vstum, & semen plantag. & cerato stomachico Galeni ventriculo apposito, & victu magis constringente, hæc ipsa a cœliaca affectione liberata fuit.

Scholia.

Qvanquam hic leuia & humecta excrementa egeruntur, tamen eodem *Aetio teste*, ex Archigene, aliquando etiam sanguis flauus & tenuis vna cum his, quæ egeruntur, destillat: ob eã caussam & vitiatum cibum affectant, decoloresque & vehementer graciles fiunt, corrugata insuper eorum vniuersa cute: & venæ sane, quæ in ventrem deferuntur, liuescunt: & ad magnam omnino desperationem res deuenit, si morbus diutius duret ægris ad conuenientem diætam pigrescentibus. Si eadem cœliaca prorogabitur, necessario, atrophia cõsequetur, propter diminutam in corpus alimentorum digestionem: cuius exemplum *lib. 18. obseruat. 51. posuimus* Alexand. *cap. 8. li. 8.* hæc inquit: *Morbus hic curatione initio adhibita facile tollitur, postea vero difficilius.* Scribit autem curari, vt qui ventris profluuium, quod Græci *diarrhœam* appellant, experti sunt. Cibi eis conueniunt, qui non minus aluum reprimunt, sed qui adstringentes facile concoqui & in totum corpus distribui possint: qualis est panis bene elaboratus, & probe coctus, vinoque adstringenti intinctus: nec non lenticulæ & oryzæ sorbitiones. Pisces autem dura carne præditi exhibeantur. Ex auib. quæ non sunt pingues, præter palustres. Quin & panẽ cum malis cotoneis & myrtis coctum damus: itẽ vitella ouorum assa & aceto intincta: adhæc lac scissile propinamus. Prosunt etiam carnes leporinæ aut ferinæ, ac alia quæ in fluidis affectibus enumerantur. Primis duobus aut tribus diebus a cibo abstinere oportet: præcordiis fomenta, quæ modice adstringant, corroborentque, ex vino & oleo rosaceo aut myrteo, aut melino aut lentiscino imponere: deinde ex palmulis, polenta, malis cotoneis, aloe, & absinthio. Idem dat quinq; folii radicis aut rubi decoctum. Habes apud eundem plura remedia & pastillos contra cœliacos: tum innumera remedia apud Aetium *lib. 9. cap. 37.* vbi ad longum docetur ex Archigene, quomodo hæc affectio curetur, & quæ Oribasius tum veteres ad cœliacos valere scripserunt. Quem, si libet, videre poteritis. Nunc rursus ad lienteriam reuertamur.

Signa. Prognostica. Curatio.

Observatio XXVII.

De lienteria ex ventriculi imbecillitate, cum materia pituitosa lubricante ventriculum.

Vir quidam supra 40. annos natus, cibum continere non poterat, ilico inconcoctum & liquidum minimeque alteratum per aluum reddebat, ex ventriculo imbecillo, cui materia phleg-

matica mixta erat. Non febricitabat, neque ardorem aut sitim sentiebat, sed subinde acetosam eructationem experiebatur: quæ omnia materiam pituitosam declarabant. Huic proposui, vt viscosa omnia, & humida vitaret, & vt parum ac sæpe cibum sumeret, vtque vnico cibo, eoque exiguo & facilis nutrimenti, contentus esset. Ideo cuniculos, gallinasque iuuenes, capones, perdices, phasianosque (*quia satis diues erat*) concedebam, & auiculas assas & alaudas, cum mentha vel aromate conditas, columbaceos pullos, adiectis nonnullis leuiter constringentibus pro condimento: & præcipue talia, quæ grata sunt, veluti est *anisum, cuminum, cinnamomum, garyophylli, galanga, calamus arom. & brassica b. scocta ex Pauli & Aetii sententia, & vinum calidius generosum ac vetustius modice cum aqua pluuia dilutum.* Quæ quidem victus ratio etiam conuenit iis, qui ex sola intemperie frigida hoc malo tentantur. Verum cum & hic cum frigida intemperie pituitosa adessent excrementa, ea prius concoquenda ac præparanda erant. Dedimus igitur hunc vel similem syr. ℞ *syr. ex absinthio, oxymelitis simplicis, syr. de mentha ana ℥ j. aqua fœniculi, absinthii ana ℥ iij. misce pro 2. dosibus.* fuit bis reiteratus. Cum autem nauseam non haberet, (quam si habuisset, dedissem leue vomitorium ex ℥ vj. *aquæ tepidæ, cum ℥ j ß. oxymelitis, idque tepide statim a cibo*) nec pronus esset ad vomitum, dedi *pilul. mastich. & alephang. ana ℨ ß. componendo pilulas v.* cum pilulis magis delectaretur. Alioqui dedissem hanc potionem: ℞ *infus. myrobal. chebul. in aqua menthæ vel absinthii, ℥ iij prius ebulliendo.* Cuius expressionis accipe ℥ iij. & forti expressioni adde *syr. ex infus. ros. pallid. cum agarico ℥ j. pul. hieræ simpl. ℈ ß. fiat potio.* Altero die in diluculo dabam ℨ j theriacæ veteris: deinde postea ad maiorem constrictionem *syr. menthaceum & absinthii, cum pul. cinnamomi vel calami odorati.* Dabam theriacam *cum cyatho vno vini rubri.* egregie profuit: quemadmodum & alteri ℨ j micleta assumta cum eodem vino. Interea ventriculum inunxi sequenti vnguento: ℞ *olei mastichini, nardini, absinthii ana ℥ ß. menthæ siccæ. garyophyll. nucis cupressi, masticis, acaciæ ana ℨ ß. maceris ℈ ß. ceræ parum; fiat vnguentum.* Etiam hoc apposito cerato: ℞ *mastichis ℨ ß. ladani ℨ ij. menthæ, garyophyll. nucis cupressi ana ℨ ß. acaciæ ℨ j ß. calami arom. coralli rubri, galangæ, ana ℈ j. olei menthacei & ceræ, & resinæ q. s. fiat ceratum.* Quibus remediis hic breui restitutus fuit, cum malum non diu durasset.

2

SCHOLIA.

3 *Signa læuitatis intestinorum seu lienteria.*

HÆc signa in læuitate intestinorum esse solent, vt paulo ante dictum est, *etiam teste Aetio capite 51. lib. 9.* cibi crudi in ea & nihil immutati excernuntur, imo talia deiiciuntur, qualia fuere deuorata, *ex Galeni sententia.* Ægri quoque cibum non sentiunt, & malum corporis habitum acquirunt, quod vtrumque malum incorrigibile exsistit. Succedit enim (*Aetio teste*) assidua excretio cibi, colore subalbida, inæqualis & aquosissima, citra sanguinis aut bilis complexum, atq; intensa est cruditas in lientericis (*Paulo referente*) vt alimenti assumti genus ex iis, quæ egeruntur aperte cognoscatur: atque hac nota potissimum a cœliacis discernitur. At caussæ cœliacæ affectionis & læuitatis inter se non differunt, nisi maioris ac minoris ratione; ideo quæ traduntur de læuitate intestinorum (*vt refert Donatus*) eadem intelligenda sunt de ventrali affectione, cum vtraque symptomata consequantur ventriculi morbum: & is genere duplex esse potest, nempe intemperies aliqua frigida, vel calida; sed frequentius frigida. Aliquando etiam cum humore, qui est aut acris & mordax, vt bilis; vel frigidus, vt pituita, propter quam imbecilla redditur retentrix facultas, tam ventriculi, quam intestinorum. Vel vlceratio occupans superficiem earundem partium, similis illis, quæ in ore fiunt, quas Græci *aphthas* nominãt. Verũ vnam ab alia sic distingues: In illa lienteria, quæ accidit propter ventriculi atque intestinorum imbecillitatem, absq; vllo doloris sensu fiunt deiectiones: in ea vero, quæ ab exulceratione proficiscitur, inest quidam morsionis sensus cum deiectiones fiunt. Hæc autem exulceratio a quorũdam humorum mordacitate ac acritudine, totius ventriculi ac intestinorum abrasa superficie, ortum habet; quamuis ipsæ vires non multum patiantur, si hac ratione fiat læuitas intestinorum. Necessarium tamen est, vt permeantib. cibis partes exulceratæ dolorem sentiant, & ideo illos propellant, atque a se ipsis citissime emittant. Hoc vero in omnibus partib. facto, velox ciborum exitus consequetur, & nullum fiet initium concoctionis. Oboritur autem frequenter dysenteria magna præcedente, & ex profunda vlceratione cicatrice densa & leui succedente, *ex Aetii mente.* Idem ferme confirmauit Celsus *cap. 16. lib. 4.* cum dixit: *Ex torminibus interdum intestinorum læuitas oritur, qua continere nihil possunt, & quicquid assumtum est, imperfectum protinus reddunt:* Qua de re faciliter percipi poterit lienteria, si ex acribus ac mordentibus succis ventriculi ac intestinorum superficiem exulcerantibus originem trahat. Alii vero remotas caussas etiam his annumerant, siue sit aer, cibus, somnus longior, siue quæuis alia humida, villos stomachi relaxantia, exceptis aliis caussis internis, siue fuerit aliqua intemperatura nuda, aut aliis humoribus modo frigidis, modo calidis mixta. At ea, quæ potentiæ retẽtricis sequitur imbecillitatem ex intemperatura, quæ nonnunquam in habitu corporis est, vel habitualis, *vt etiam dicebat Donatus,* vel propter humorem aliquem, qui in ventriculo atque intestinis continetur, nempe frigida, raro calida: ideo vna temperatura ab alia distinguenda; & ita vnus humor ab alio. Sed recte dicit, *non opus esse hic lõgiores sermones producere, ne eadem sæpe repetamus, cum ea exacte distinxerimus in cap. de nausea & vomitu & de cruditate ventriculi, cum propria signa ibi descripta sint.*

Caussa lienteriæ.

Quos morbos comitentur hæc symptomata.

4 *Quomodo vnum genus morborum.*

Caussarum dignotio.

5

OBSER-

Observatio XXVIII.

De lienteria diurna, lethali.

1. RVsticus ditissimus, ex pago vulgo Sylua Alta dicto, in nostra vicinia, cum Alcmariæ praxin exercerem, fere per semi-annum lienteria laborauerat, sed nulla remedia miser ac auarus, nisi mulierculorum, admiserat, donec ad desperationem deuenisset: tunc prius me vocauit, non intelligens in curatione lienteriæ properandum esse: nam protrahere malum, est frigidam stomachi habitudinem adaugere: quam inueteratam exinde sanari difficillimum est, *vt Galenus demonstrauit*, multo difficilius in sene. Ad eum itaque ingressus, qui annum fere septuagesimum attingebat, reperi eundem, non solum viribus destitutum, sed quasi vero marasmo laborantem, & extreme macilentum; quare prædixi eum iam ex tabe consumtum moriturum, cum & difficultas spirandi adesset, & lateris punctura. 2. Hoc est, quod Hippocrates in Coacis prænotionibus prædixit, quod læuitates intestinorum cum spirandi difficultate & lateris punctura in tabem desinunt: & licet quædam remedia adhiberemus, vt ægro satisfaceremus, interea tamen astantibus prognosticum fecimus, illum breui moriturum, nam vix potuit vitam ad quatuordecim vel plures dies protrahere, post primum nostrum ingressum. Memini Theodorum Forestum adeo macilentum, vt similem nunquam viderim, cognatum meum apud sororem Iacobam Forestam, vxorẽ Petri Sasboti, Delphis ex lienteria ad desperationem decumbẽtem: quem tamen præter omnium astantium opinionem cum multa remedia ante adhibita non iuuarent, sic diuino auxilio in pristinam sanitatem restitui: *Vitellum oui, puluere vnius nucis muscatæ inspersso supra tegulam ignitam assatum exhibui: quo fluxus restitit, ac probe curatus recte deinde valuit, quemadmodum & ille ceruisiarius, qui in tribus Campanulis Delphis habitabat.*

Scholia.

3. *Signa prognostica lienteriæ.* QVod ad signa prognostica attinet, augurium Hippocrates nobis in lienteria aperuit, liberari ęgrum acetosis obortis eructationibus. Quod Galenus ratione confirmauit, tum etiam natiuum calorem reuocari, ac retentricem potentiam refici tradit. nam calor in cibum agens inualide, eum in acrem conuertit saporem. Sic dicit Hippocrat. *Aphor. 1. lib. 6. in longis læuitatibus intestinorum, si ructus acidus superueniat, quod prius non erat, signum bonum est.* Indicat enim (*vt Aetius refert, cap. 51. lib. 7.*) ructus acidus iucundi quippiam factum esse, & ventrem ac intestina, non velut inanima, cibum sinere pertransire. Verum non simpliciter dixit Hippocrates, *bonum esse signum acidos ructus in læuitatibus intestinorum*, sed primum quidem, *In longis*, adiecit, deinde addidit, *Vbi prius non fuerit*, pro veritate eiusdem sententiæ: quæ omnia a Galeno diligenter ibidem supra eundem aphorismum exposita sunt: etenim illis læuitatibus intestinorum, quæ neque adhuc incipiunt, neque ex pituita fiunt, non insunt acidi ructus. Quod si aliquando fiant (*vt idem Galenus inquit*) significant tantisper cibum in ventriculo retineri, donec principium mutationis accipiat, & naturam suorum operũ reminisci. 4. Verum, iuxta eundem Galenum ibidem, lienteria quæ fit humorum acritudine, totius ventriculi, atque intestinorum abrasa superficie, cessante humorum malignitate, statim sanatur cibis ac potibus, qui vim densandi habent. Quod si longiore tempore perseueret, in alteram passionem transmutatur, quæ dysenteria, hoc est, difficultas intestinorum appellatur. At locus ille Hippocrat. in Coacis prænotionibus, in hoc nostro sene lienterico veritatem habuit, quod læuitates intestinorum cum spirandi difficultate & lateris punctura in tabem transeant. Sed etiam ex omni lienteria illa periculosior est, quæ a frigidiori oritur habitudine, & si retentrix leui frigore concilietur. Hanc sequitur, quam vlcerosam appellant lienteriam: ea enim difficulter sanatur. Confirmatæ quoque lienteriæ curatio difficilis est, & illa, quæ ex contentiuæ debilitate fit & perseuerat, hydropem siccum minatur, & tandem mortem, iuxta Auicennam. Hoc equidem euenit Henrico Amio Consuli Delphensi, qui in tympaniten incidit, ex qua mortuus est, multo tempore antea prognostico facto. Et quæ abrasioni villorũ stomachi vel intestinorum succedit, curationem non recipit: nam ex cicatricibus villi quasi læues facti sunt, nec retinere possunt. Et quæ post chronicos & acutos morbos venit, lethalis est, cum omnimodam virtutis defectionem notet. Et quæ ab humoribus acribus abrasionem intestinorum producunt, seu dysenteriam efficiunt, & perdurant, periculosæ sunt. Et illa, quæ ex sola intemperie immateriali, si cum virtute debili exsistat, plerumque malum etiam portendit.

Observatio XXIX.

De lienteria ex caussa calida, & humore acri & bilioso.

1. QVamuis rarius contingat lienteria ex intemperie calida, & humoribus calidis ac acribus, vt diximus; si tamẽ contingat, statim curanda est, propter mordaces humores, ne exulceratio subsequatur, quod facile fieri solet. Sic istis diebus quidam continuo biliosa deiiciebat, inconcocta, & cum humor ille acris ventriculum, & simul intestina vellicaret, ventriculi potentiam retentricem atterẽs, lienteriam inferebat ex calida intemperie & calidis succis adhuc non exulcerantibus. Curationem a victu instituimus, cum ea tutissima sit via. Præcepimus igitur, ad eum ingressi, vt aer ad frigidum vergeret, & vt somnus more solito longior esset, nocte potissimum, cum diurnus noxam inferat, nisi lassationis sensus adesset, aut nox vigiliis consumta. Mane a somno leuiter deambulationi indulgendum, & animi laxamenta adhibenda proposuimus, & vt vitaret immodicos animi affectus, & præcipue iram. Celsus addit exercitationes & frictiones his conuenire. Cibum contemperantem ex *chondro, oryza, & halica*, quibus astringens aliquando incoquatur, *vt superius ex Tralliano retulimus, vt pyrum, malum cydonium,*

mespilum, & reliqua adhibenda, quæ & Aetius, Paulus, Alexander ad cœliacos & lientericos valere scripserunt, quæ & ipse Donatus ex iisdem auctoribus decerpsit cap. proprio de lienteria. Quod ad medicamenta attinet, cum ad vomitum æger paratus esset, per vomitum euacuationem ita institui. ℞. *aquæ tepidæ.* ℥ v. *syrup. acetosi simplicis.* ℥ j. *syrup. viol.* ℥ ß. *misce*, ex quo medicamento leuiter vomuit. Ceterum die vno intermisso, cum non videretur materia satis euacuata, dedi hunc puluerem. ℞. *rhabarb. parum torrefacti* ℈ ij. ß. *myrob. citrinor.* ℈ j. *fiat pulu. dabam cum* ℥ iij. *aqua plantag. addendo syrup. ex infus. ros. rubrarum apertarum, cotoneorum. ana* ℥ ß. *misce.* Deinde hæc adstringentia præscripsi. ℞. *diacydonii sine speciebus* ℥ ij. *sumat* ℥ ij. *vel iij.* in principio pastus, & postea sæpius ex hac mixtura. ℞. *conseruæ ros. antiquæ* ℥ ij. ß. *diacydonij* ℥ j. *terræ lemniæ veræ* ℥ j. *coralli rub.* ℥ ß *cum syr. pap. & cotoneorum, fiat mixtura.* dedi etiam hunc pulu. ℞. *cornu cerui vsti, sem. plantag. acetos. ana* ℈ j. *fiat pulu. dabam cum syr. de ribes. & ex ros. siccis.* Ventriculum inunxi hoc vnguento. ℞. *olei coton. mastic. ros. ana* ℥ ß. *pul. masticis, acaciæ, corall. rub. hypocyst. ana* ℥ ß. *ceræ parum, fiat vng. & hoc, vel simili cerato apposito.* ℞. *mastichis* ℥ ß. *acaciæ, hypocystid. panis assi in aceto & remolliti, boli armeni. ana* ℥ j. *ladani* ℥ iij. *carabe* ℥ ß. *gallæ muscatæ* ℈ j. *cum oleo myrt. q. s. fiat ceratum, adiecta cera, & resina pini, vt melius cohæreant.* Quibus subsidiis etiam hic curatus fuit, ita vt in dysenteriam non inciderit.

2.

SCHOLIA.

3. Ex caussa frigida curatio.

LIENTERIA curanda prout caussa indicauerit, quæ omnium primo amouenda. Si igitur a caussa frigida fuerit, ex nuda intemperie, cibi calidi ac ventriculo grati dandi, *vt Obser. 27. huius libri diximus.* Et si vna adsit materia pituitosa, ea coquenda, & præparanda, deinde vel vomitu, vel per medicamentum per os exhibitum euacuanda, cum myrobal. chebul. vel hiera picra, *vt loco citato dictum est.* Deinde calida & leuiter adstringentia, euacuata materia, danda, vt calamum aromaticum, vel thuris aut mastichis granum ad fabæ magnitudinem, cum vini rubri cyatho. Vel confect. mithridaticæ vel micletæ ℥ j. cum vino adstringente vtendum. Vel vnguentis, vel ceratis, quibus nos *Obseru. 27.* vsi sumus, tum aliis topicis, quibus libri medicorum scatent. Valet & emplastrum ex mastiche, in oleo nardino, & absinth. dissoluta, & emplastrum ex galla. Interea etiam illa quoque addenda, vel præscribenda, quę vrinam mouent, vt materia ad renes deducatur. Valent & sacculi ex vtriusque menthæ, *absinthii, ana p. j. chiæ masticis, cinamomi, ligni aloes, corticum citri, ana* ℥ ij. *garyophyllorum, maceris, galangæ, calami arom. ana* ℥ j. *ros. rub. siccar. m. j. ß.* figurentur sacculi scutiformes, qui pauco vino odorato calido inspersi iterentur, vel in vino rubro, cum pauco cydoniorum succo macerati, calidi applicentur, sed & siccus ventriculo alligatur. & cōfert. At in calida intemperie, & ex caussa calida, ita in victu procedendum, *vt Obseruatione iam præcedent. dictum est*, quibus & cibi conueniunt, qui non nimis adstringunt & reprimunt, sed qui adstringentes facile concoqui, & in totum corpus distribui possunt. Panisque elaboratus detur, ac etiam similago cum astringentibus dictis, *in Obseruatione iam præcedente.* In pullorum iure decocta, & intybus & cychorium, & carnes ex gallinis iuuenibus, & columbis, perdicibus, phasianis & montanis passerculis, & leporum & capreolorum carnes assatæ, & omphacio irroratæ, *quæ apud Aetium & Alexandrum inuenies.* Potus sit, vinum aquosum, tenue, subadstringēs, paucum, neque cibum interpellet. Multus potus (*Aetio teste*) fluxionibus ventris infestissimus est, lac recens mulctum ad medietatem, vel ad tertias decoctum, fluxiones has sistit, & caprillum vel ouillum. Calida intemperies refrigeranda, & ventriculus roborandus. Interea si adsint succi mordaces, in intestinis & ventriculo, purgatione eluendi aut purgandi, vel vomitu euacuandi, & si occasio detur, concoquendi ac præparandi cum syrup. ex infus. ros. succo ros. cichorii, & aliis, *vt iam Obser. præcedente exemplo ostendimus*, cum manna, vel syrup. ex infus. ros. pallid. vel rhabarb. infuso euacuandi. Deinde excretiones astringendæ cum immaturis moris, acerbis, siccis & tritis, & quinque folii rad. decoct. & rub. *ex Aetio & Alexandro*, apud quos infinita remedia inuenies similia, & cum trochis. de spodio, de terra lemnia & similibus ad ℥ j. sumtis & ventriculi gallinarum desiccati triti, *iuxta Paulum & Aetium*, potui inspersi admodum vtiles sunt: nec minus eis commoda sunt, quæ vrinam cient, cum deriuationem moliantur, fluxionemque, sæpe transferant: velutí est *apium, fœniculum, anisum, adianthum, cicer, ex prædictorum auctorum decreto*, quod & Donatus annotauit, *cum syrup. de byzantiis permixto vel myrtino, vel decocto aliquo ex præcedentibus*, nequaquam negligendo ventriculi, aut intestinorum robur. Eo etiam tempore, quo vrinam cientia tribuuntur, eorum etiam quantitas minor esse debet, licet cauendum sit, ne nimium largus etiam fiat eorum vsus: & licet vomitus etiam collectos humores euacuet & diuertat, non tamen ciendus, nisi proni sint ægrotantes natura ad vomendum: nam si difficulter euomunt, nequaquam hic proritandus erit: interea topica post euacuationem etiam adhibenda, & olea, & cerata, & vnguenta, iam in obseruatione præcedente adhibita. Conficiunt & sacellos in hunc vsum. *ex purpureis, ros. siccis, santalis, corallis, balaustio, hypocystide, cort. citri, cinnamomi ac chiæ mastichis pauca quantitate addita.* Iidem quoque si in *succo cydoniorum & aqua rosa. præmacerentur, & pluribus vicibus ventri applicentur modice calidi*, magnopere proderunt: & ex iisdem fotus quoque pro ventriculo fieri possunt. Verum si ex intemperie duntaxat calida, exceptis purgationibus & cientibus vrinam, quæ relinquenda sunt, vti & vomitus alterantibus & adstringentibus dictis frigidis vteris. Et sic in intemperie frigida, calidis solummodo alterantibus, constringentibus, & calfacientibus, tam intra quam extra admotis.

8. ex calida intemperie curatio.

4.

5.

Topica.

Ita

A caussis extrinsecu. 6.

Ita quoque si a caussis externis vel procatarcticis euenerit, vt a cibo, vt si oleosa sumserit, ea amouenda. Deinde & mala intemperies inducta corrigatur: atque curandus æger, vt de cœliaca affectione dictum est. Si ex casu (*vt Neoterici volunt, de quibus vide Gradum, & præcipue Guainerium*) percussione supra ventriculum ex phlegmone curetur, *vt in propriis capitibus dictum est*. Ita quoque si per consensum fiat aliorum membrorum, eorum habeatur ratio, *vt de vnoquoque fluxu ventris dictum est*. Sed nimis late lienteriam extendunt. Et ita in lienteria a retentrice debili, siccos & stypticos cibos dant, prout temperies adsit calida vel frigida, *de his vide ad longum Gradum*, etiam de caussis internis, respiciendo & temperiem, si nuda est, & materiam, si sit adiuncta, siue fuerit pituita aquosa, vel viscida, vel etiam salsa, siue bilis: nam hæc semper sunt spectanda, cum alia purgatio debeatur pituitosæ materiæ viscosæ (*vt & Rondeletius admonuit*) alia bili, alia pituitæ salsæ. Vide Leonellum de curatione lienteriæ ex phlegmate viscoso, & Gatenarium, qui etiam curationem ponit, si a paralysi musculorum eueniat, & commendat pilulas ex assa fœtida, cum melle confectas, per duas horas ante pastum. Si veniat ab vlcere ventriculi, curandum vt vlcus, si veniat ab apostemate, proprio cap. curatio petenda. Sed de vlcere nos exemplum nunc adiiciemus.

A caussis internis.

Observatio XXX.

De lienteria ex vlcere ventriculi.

1\. Cum lienteria, *iuxta Galen. 6. aphoris. 1.* quem & Paulus sequitur, duas caussas habeat, primam *ex debilitate contentricis*, de qua nunc satis diximus, alteram *ab exulceratione*, quæ in summo corpore ventriculi consistit, vt paulo ante diximus, eo modo, quo in ore eius fieri videmus; addit *3. aphorism. 22.* & intestinorum. Harum exulcerationum caussæ, illæ eædem, quæ & in aliis partibus, occursus scilicet acris humoris, qui initio mordet & contristat, tépore erodit & exulcerat: quamuis ob hanc caussam plus pati intestina possunt, quæ 5. de vsu part. 10. licet sensu prædita, & prompta inde sint ad noxia pellenda, at fugere tamen nequeunt, quin propter reuolutiones multas figatur aliquãdo humor noxius, & cõtingat tenera & passibilia eorum corpora. At ventriculus statim se potest exonerare; patitur tamen ipse aliquando, vti euenit nautæ cuidam, qui post vlcus incidit in lienteriam: ad quem acciti sumus non statim post vlcus perruptum, cui alioqui dedissemus ilico aquam mellis ad abstersionem, vt in puella factum fuit, *lib. 18. Obser. 33. de ventriculi vlcere*, attamen ad detersionem dedimus, *cassiæ extractæ* ℥ vj. *aquæ mulsæ* ℥ iij. Deinde cum videremus subinde materiam viscosam, cuius etiam ratione cibus lubricus statim descendebat in aluum, dedi aquam decoctionis caulium. Quia vero vlcus non potest consolidari, nisi prius sit repurgatum, post aliquot dies dedi ℥ vj. *vel v. iuris decocti vuarum, cum pauco melle ros.* deinde ad consolidantia pertenimus, *vt decocta radicis symphyti, cum terra Lemnia*, iis quoque foris adhibitis, quæ stomachum roborarent & constringerent. Quibus remediis quamuis hic videretur subinde conualescere, tamen rursus fluxu lienterico redeunte, nec vllis remediis aptis iuuantibus, multis mensibus decumbens tandem obiit. At alterum, ad quem in principio statim eramus acciti, hoc modo curauimus. Post *decoctum hordei communis & passul. cum melle rosato*, satis absterso vlcere, quod cognouimus ex excrementis sine sanie exeuntibus, consuluimus, vt acciperet *trochiscum vnum de terra sigillata, cum lacte vaccino acetoso distemperatum*: alii dant & *puluerem caudæ equinæ ad* ℥ j. Exterius applicari iussimus ceratum ad crepaturam, de pelle arietina & sanguine humano confectum, & optime habuit. Hoc enim modo Guainerius curauit etiam lienteriam ab vlcere factam.

2.

Scholia.

3\. Vlcus in ventriculo si lienteriam inferat, prius curandum est, vt de vlcere ventriculi diximus cap. proprio, per ebibita ob vicinitatem. Nam quæ in intestinis est, remedia dysenteriæ habere debet, nempe clysmata: nam sedes affecta monstrat modum applicandi. Rhases dicit, *hunc affectum egere refrigerantibus & astringentibus*: quod est, quia fluxio calore mordet, temperatur frigidis. Quia vero vlcus est, siccari postulat, & quia continue forte caussa influit exulcerans; hinc etiam adstringere est opus partes exulceratas, ne fluxionem recipiant. Hæc autem ita exhibet in cibis, sicut in medicamentis. Itaque succum vuæ acerbæ spissatum propinat. Spissatur autem sole, vel igne. Sic *succus ribes, vel granatorum duorum cum spodii & ros. rub. drachma & trochiscis de spodio*: Alimenta vero condiri vult iisdem, & potiones ex succo rhoes parat. Sed hic vbi indicatio a caussa, si adhuc adsit? nec enim purgari corpus eo excremento præcipit. Præterea, si purulenta deiectio aliquando visitur, tunc non solis frigidis siccisque curari vlcus potest, sed extergentia saniem erunt necessaria. Præterea indicationem a sensu partis non capit, vt qui aceto, & succo omphacio vtatur, quæ valde mordere possunt. Nos igitur ad sacram anchoram & veram methodum confugiemus, ac certissima inde remedia habebimus. Si vero adsit caussa, vt fluxio calida a capite vel prauorum humorum copia in toto, vacuabimus, & eundem humorem temperabimus & cibis & potionibus, ptisana, lacte; vacuabimus si opus est cum sero; quod in purulento vlcere magis valet; saniem detergemus, atque istis peractis vlcus curabimus, vt partem vlceratam, & assumtis & admotis. Ebibita igitur sine dolore sint abstergentia & exsiccantia. Si dolor vehemens & inflammatio adsit; etiam soporantium aliquid addemus, *vt trochis. de carabe vel electro*. Potionibus vtemur ex succo plantag. vel terra lemnia. Extra cerato ex myrtino oleo, pulueribus inspersis adiecta cera. Summatim curabitur vlcus, primo abstersione, secundo consolidatione, *vt de phthisi vel vlcere ventriculi, dictum est*. Si veniat post diarrhœam longam vel dysen-

Rhases taxatur.

4.

teriam, raro curantur, & est lethalis plerunque, *vt prius dictum*: tunc cura statim adhibenda cum adstringentibus, & curanda, vt diarrhœa vel dysenteria. Si originem habeat ex vlcere intestinorum, curabitur vt dysenteria. Curatione itaq; lienteriæ peracta, nunc ad dysenteriam progrediamur:

Observatio XXXI.

De dysenteria.

1. IVuenis Amersfordensis, qui mecum Bononia Romam itinere pedestri proficiscebatur, cum impense vuas comedisset (*quanquam admonueram, ne sine pane id faceret*) in dysenteriam incidit, licet non admodum grauem. Ideo enema iniiciendum statim curaui, in hunc modum paratum, ne tormina maiora subsequerentur. ℞. *decoctionis hordei integri* ℔.j.ß. *zacch. rubei, mellis rof. colati. ana* ℥ j. *vitell. ouorum numero duo.* Terget sine acrimonia, nam adstringentia retinuissent, quæ erant excernenda; & cum dolor non esset vehemens, reliqui olea & axungias, quæ vlcus sordidum faciunt; quamuis ea adiecissemus, vt in iuuene subsequenti. Postea ad maiorem adstrictionem sequens vel simile iniectum fuit. ℞. *florum rof. rub. p. j. hordei integri, parum torrefacti tapsi barbati, plantag. folior. myrti. ana m. j. fiat decoctio in aqua pluuia. pro* ℔.j.ß. *in qua dissolue pinguedinis hirci.* ℥ j *succi plantag.* ℥ ij. *misce, pro clysteri.* Hic quidem statim victu immutato, relictis vuis & aliis curatus fuit. 2. At alius iuuenis Flander annos nouemdecim natus, mihi familiaris, cum Lutetiæ praxin medicam exercere incepissem (*ex Italia reuersus, Anno 1545. in principio mensis Martij,*) qui ex vino non defecato largius sumto, ac recenti admodum, prius in diarrhœam vehementiorem incidit, & altero die in dysenteriam veram, cum ventris dolore ac torsione, hoc lauans enema & simul dolorem mitigans iniectum ei fuit. ℞. *aquæ hordei communis aliqualiter torrefacti.* ℔.j.ß. (præstat hic maiorem quantitatem clysteris iniicere quam in aliis, quia in intestina tantum recipientia, sic melius detergentur, & restringentibus quoque melius restringentur.) *in qua dissolue zacchar. rub.* ℥ j.ß. *olei rof. omphacini* ℥ ij. *adipis renum capræ.* ℥ ij. *oui vitellum: fiat clyster lauans & dolorem mitigans.* Ter copiose inde aluum expurgauit, vix exiguo sanguine, sed materia magis biliosa, & ex parte muccosa exsistente, torminibus quasi inde sedatis magna ex parte. Ideo & sequens iniecі enema, quod & dolorem sedaret, & simul constringeret & intestina roboraret: ℞. *lactis vaccini, in quo lapides igniti sæpius exstincti essent.* ℥ viij. *succi plantag.* ℥ iiij. *olei rof. omphacini.* ℥ ij. *vitellum vnius oui, frigide iniiciebatur.* Quo & præceptor 3. meus Benedictus Fauentinus vtebatur. Quo quidem secundo clystere tormina cessarunt, & iuuenis hic statim a principio magno cum meo honore conualuit, optima victus ratione præscripta. Et hæc erat prima cura, quam Parrhisiis perfeci, dum ibidem praxin feliciter exercere incepissem. Petrus Gualtherus ceruisiarius Delphensis, sexagenarius, prius diarrhœa affectus, deinde leui dysenteria, his subsequentibus statim quoque curatus fuit. ℞. *decoct. hord. commun.* ℥ iij. *syrup. ex infus. rof. coton. ana* ℥ ß. *misce.* ℞. *rob de ribes* ℥ j. ß. ℞. *conf. rof.* ℥. j. ℞. *rad. consol. maior. mundi.* ℥ j. *bellid. min. plantag. polyg. ana m. j. hord. communis, flor. rof. rub. & maluæ arboreæ ana p. j. de cucum. melon. ana* ʒ j. *sem. acetof. plantag. ana* ʒ ß. *liq. raf.* ʒ ij. *myrob. omnium ana* ʒ j. *vuar. pass. cum arill.* ℥ ß. *coquantur in aqua communi, & colaturæ prius manibus confricatæ & expressa accipe* ℥ vj. *adde syrup. coton,* ℥ j. *syrup. ex rof. sicc. ex infus. rof. commun. ana* ℥ ß. *misce pro ij. dosibus.* ℞. *olei chamomill. rof. ana* ℥ ß. *inungatur venter.* ℞. *conf. rof. vet. diacyd. sine specieb. ana* ℥ ß. *conf. fol. acetof.* ʒ ij. *pul. cornu cerui vsti, coralli rub. tenuissime pulu. ana* ℈ ß. *rob de rib.* ℥ ß *misce.* Lumbi quoque cum dolerent, inungebantur vng. rof. Et istis statim conualuit, sine clysteribus.

Scholia.

4. *Dysenteria v[nde] nomen h[a]beat.*

DYsenteria a læsa particula nomen sumsit: Vt *2. methodi medendi liquet*, cum Græcis ἔντερα, intestina dicantur. Celsus tormina hunc affectum vocauit: alii & intestinorum difficultatem. Quidam nomen generale volunt esse (*nam aliud non significat, quam intestinorum laborem*) non per excellentiam acceptum, vt quidam referunt, nam colica & iliaca sæpius vehementius affligunt. At hic intestina ipsa ob exulcerationem dolore torquentur: ita proprie eam sic appellemus, nempe vlcus esse intestinorum, *secundum Galenum de locis affect. 6.* Licet apud Galenum & Hippocratem dysenteiæ differentiæ quatuor rreperiuntur, sed tres differentiæ improprie dictæ, *vti etiam prius ex Auenzoare retulimus.* quas priores quoque cruentas dysenterias appellant, vel cruentas excreationes, sine vlcere intestinorum. *Sanguinolen[tæ] excretiones [...] quatuor.* Vna *a copia sanguinis* (*vt etiam prius diximus*) *toto corpore redundantis, qui e venarum orificiis apertis in intestina effunditur, vt in hæmorrhoidibus e venis ani etiam in iis: quibus aliquis artuum est abscessus: vel in iis qui exercitationem dimiserunt, per circuitus repetens, & hac quoque solet mulieribus retentis menstruis accidere, vt quinto de locis affect. constat. Naturalibus enim sanguinis vacuationibus suppressis, quæ per vterum ac nares, fieri solebant, aut intermissa exercitatione, aut truncato membro, certis interuallis solet eiusmodi dysenteria contingere, quam cruentam vocant, Græci* αἱμαληρόν. 5. Altera, *cum ex imbecillitate iecinoris aquosus sanguis deiicitur, quam vtique loturæ carnis similem dicunt: hanc prius appellari diximus, a Tralliano libr. 8. capit. 3. dysenteriam hepaticam, tam ex calida quam frigida caussa, cui adiungi potest & illa quam ipse cap. 6. eiusdem libri appellat rheumaticam dysenteriam, ex humoribus per venas ad intestina profluentibus, dum & chylus in sanguinem mutatus ad intestina refunditur, atque ita cum bile mixtus excernitur, nec potest ob huius acrimoniam in ventre retineri; sed ab intestinis foras propellitur. Atque hac est caussa dysenteriæ rheumaticæ: cuius hæ sunt notæ: Acres variique humores per aluum excernuntur, sitis magna vrget, corpus colliquescit, & cibi fastidium* torquet

torquet. Aliquando rosiones intestina & stomachum affligunt. Quod si hic affectus diutius perdurauerit, eodem Alexandro Tralliano teste, ad exulcerationem intestinorum perueniet, quæ proprie dysenteria dicitur. Tertia est, *cum melancholici splendentis sanguinis decoctio fit, nam, vt ante diximus, sanguis niger pici liquidæ similis excernitur. Nam cum hepar sanguinem conficit, eius crassiorem partem lien attrahit, & alimento tenuiori inde sumto, reliquias deiicit deorsum. Vel si hepar multum limosi sanguinis colligat, & lien non expurget, neque attrahat, aut attrahat quidem, sed præ copia aut debilitate non conficiat, aut excrementa sua non expurget, vtroque viscere copia oppresso & debili facto, fiunt deiectiones nigræ hæmorrhoidibus aut menstrua fluxione, aut hæmorrhagia suppressis. Aceruatur hic humor, & per intestina vacuatur. Nam, vti ante dictum est, cum triplex sit materia atræ bilis, prima sanguis crassior, vt vinum crassum deposita fece, secunda limus & fex sanguinis crassioris, tertia bilis flaua, de his deiectionibus intelligimus, quæ nigræ sunt, neque grumescunt, nec quicquam acre, corrodens, vel acidum habent, nec effusa in terram feruent, aut fermentant terram, sed sunt veluti sanguis niger, aut limus sanguinis, qui salubriter e corpore sæpe expellitur, & si retineatur diutius, in atram bilem exquisitam transit, & extra vasa nigrescit ac corrumpitur, vnde multis, interitus contingit. Ideo Hippocrat. dixit: Sanguinem supra ferri qualecunque sit malum, infra autem bonum, cum niger deiicitur, natura excremento melancholico leuata, vnde morbi graues solui possunt & declinari, quamuis distinguendum, vt antea dictum est, num vi symptomata, natura aut arte exeant, & inde fructus subsequatur. De his omnibus diximus.* Restat quarta & vltima, quæ proprie dysenteria dicitur, *quæ nihil aliud est, quam intestinorum vlceratio, cum & minutim & exiguo tempore modo sanguis verus, modo concretus, non sine pure, imo vlcerum crustulæ, Græcis* ἐφελκίδες *dictæ excernuntur, & membranosa quadam corpora, quæ intestinorum sunt particulæ, cum & stercus subinde guttis sanguinis sit conspersum.* Et hæc dysenteria ab Aetio proprie dicitur *exulceratio intestinorum serpendo depascens.* Cuius tres etiam gradus sunt, *iuxta Galenum 6. de loc. affect. & Aetium.* quorum vnus gradus est, *cum quadam corpora pinguia excernuntur:* post hæc, *vbi ramenta quadam intestinorum abrasa, eorum superficie interiore, quæ membranosa exsistit, succedit.* Tertia differentia, *cum aliquid ex ipsa abraditur substantia intestinorum, quo tempore non adhuc fieri dysenteriam, sed iam factam atque constructam esse dicimus, vt ipse Galenus inquit. Pars affecta consistit in ipsis intestinis.* Sed vtrum crassa vel tenuia, id postea distinguendum. Estque hic affectus semper morbus in soluta continuitate, *vt patet apud Galenum 6. de locis affect. & 12. method.*

[Margin: 6. — Triplex materia atræ bilis. — 7. — Dysenteria proprie dicta. — Tres differentiæ seu gradus veræ dysenteriæ. — Quæ pars effecta & quis affectus præter naturam.]

Observatio XXXII.

De dysenteria, in qua pituita muscosa & purulenta quadam cum sanguine deiiciebantur.

1. Petrus Saffinius, nauta & pistor Alcmarianus, Anno 1556. in autumno in dysenteriam incidit valde malignam, cum vlceratione vehementiore & excoriatione, cum etiam eo tempore publice grassarentur dysenteriæ: Morbus enim hic frequentissimus est, imo vulgaris sæpe, æstate & autumno maxime affligens, omni ætati eueniens, a quo & multi periclitantur. Hic autem per duos menses modo muccosa, pituitosa & purulenta cum sanguine deiiciebat, modo melancholica, non sine magno dolore, ita vt tandem etiam ramenta intestinorum subsequerentur. Multis tunc tentatis remediis tam per mulieres, quam per empiricos, cum semper peius haberet, me tandem vocauit, vt fieri apud nostros plerunque solet. Dedi lotiuum ex decoct. hordei non excorticati, *cum pauco zacchar. rubeo per os*, cum clysterem admittere nollet, quem ad dolorem parauerams, (qui habebat *decoct. hordei parum torrefacti*, cum nimis diu durasset, & maiori adstrictione opus esset, quam in principio) ℔. j. *oleo ros. omphacini, myrtini. ana* ℥ j. *seui ouill.* (cum hircinum deesset) ℥ j. *vitellum vnius oui, zacchari rubei.* ℥ j. ß. *mellis ros. colati* ℥ ß. *fiat clyster. vix tepide iniiciatur.* Sed cum eum non admitteret, post lotiuum medicamentum per os exhibitum, ita eundem purgaui.

2. ℞. *corticum myrobal. chebul. indorum. ana* ℥ j. *myrobal. citrinorum* (nam aderat etiam bilis intestina vellicans) ℈ ij. ß. *bulliant in aqua plantag.* ℥ viij. *colaturæ huius accipe* ℥ iij. *adde rhab. optimi parum tosti, pulu.* ℈ j. si fuisset in principio, non adiecissem torrefactum, sed ita vt est in sua substantia: cum enim praui humores ad partem affectam defluunt, caussa primum auferenda est medicamentis cholagogis: nam ii humores magna ex parte acres sunt, vt bilis, non raro pituita salsa, interdum melancholia per adustionem. Qualis sit, excrementorum color & tormina ostendunt, de quibus latius in scholio, cum de caussis loquemur. Sed eiusmodi chalagogis, inquam, vtendum, quæ constrictionem quandam relinquunt, nec acrimoniam augent, nec multum laxant: *ideo rhab. myrobal. conueniunt, minus catholicum*, nisi tanta esset humorum copia in principio: at hic principium pertransierat, ideo addebam *rhabar. parum torrefacti* ℥ j. *syrup. cotoneorum, syrup. ex infus. ros. rubear. non prouincialium seu pallid. ana* ℥ ß. *misce.* Quod cum in diluculo sumsisset, habuit inde octo sedes, quamuis materia plurimum deinde fuit adæquata, & minus purulenta aut sanguinolenta, & cœpit inde melius habere, cum sedes sine excoriatione procederent.

3. Et ita materia satis repurgata, cum paulatim ad restringentia deuenirem, etiam victu adstringente præscripto, ad lac ad tertias decoctum perueniendo, deinde ad oryzam & mespila, conseruam ros. antiquam, ad trochis. de spodio, tandem dysenteria cessauit, & ab ea optime curatus: vt & alii multi euaserunt, quibus in principio etiam hæc potio profuit. ℞. *rhabarb.* ℥ j. *myrobal. citrinorum* ℈ j. *cum aqua hordei perfecte cocti* ℥ ij. ß. *syrup. ex infus. ros. vel capill. ven.* ℥ ß. Hoc enim in principio bene purgat & ad-

stringit satis. Soleo etiam in principio quandoque dare fortem expressionem rhabarb. deinde rhabarb. in tota substantia. Si febris adest, aut ardor vehemens, addo pulpam thamarind. vel semina berberis ad obtundendam bilis acrimoniam. Plurimos curaui etiam in principio, clystere parato *ex lacte, decoct. cum radic. althææ & iniecto*: hic detergebat & dolorem mitigabat, & simul faciebat ad tormina, nec non ad vlceris detersionem & consolidationem. Post detersionem,

4. sæpe hoc vel simili clystere magis adstringente, si opus esset, commode vsus sum. ℞. *rad. consolidæ maioris, bistortæ. ana ℥ ij. tapsi barbati cum radic. plantag. ana m. ß. gallarum nucis cupresi. ana ℥ ß. florum maluæ arboreæ, flor. ros. rub. ana p. j. fiat decoctio in aqua cysternæ vel pluuiali, & in ℔. vna vel vna cum dimidia, adde succi plantag. vel sanguinariæ. ana ℥ j. pinguedinis hirci ℥ ij. fiat clyster.* Pulueres clysteribus non adiicio: quia si remanerent supra partem affectam, eam pungerent & stimularent, ac vix euacuarentur. Id quod vidi in quodam Roterodamensi, qui longa dysenteria laborabat, cui medicus clysterem præscribens, ei magna copia bolum rubrum puluerisatum adiecerat, ita vt totus clyster nil nisi bolus esse videretur: quod vulgares spectantes, cum hic æger viribus consumtis ex dysenteria moreretur, medicum culpabant. Verum, si aliquando pulueribus sit vtendum, nunc accipio sanguinem draconis, bolum armenum, aut terram sigillatam, vel similia, & iubeo, vt in succis herbarum vel in decocto infundantur, deinde succi vna colentur, vel decoctum ipsum, & postea

5. hæc ipsa iniiciantur: Ceterum nostro Saffinio, cum probe esset curatus a dysenteria, adhæsit aliqua debilitas stomachi: sed cum vteretur hoc condito bis ad magnitudinem castaneæ, hoc modo parato, melius habebat. ℞. *conseruæ corticum citri conditi, conseruæ ros. ana ℥ ß. conseruæ buglossæ, diacydon. sine speciebus. ana ℥ iij. specierum diarrhod. abb. trionsant. ana ℥ j. specier. arom. ros. ℥ ß. cum syrup. capill. ven. acetosi simplicis & menthaces: ana q. s. fiat conditum.* Et quia non febricitanat, ob debilitatem concessi *vinum rubrum cum aqua seminis coriandri lymphatum, inuncto etiam ventriculo oleo mastichino, cotoneorum, myrteo & absinthii simul mixtis.* Quibus præsidiis & stomachi imbecillitas cessauit, & pristinam recuperauit sanitatem.

Scholia.

6. *Caussa externa.* Antequam ad signa progrediamur, prius de caussis huius morbi agamus: quæ quidem sunt modo externæ, modo internæ. Ab externis initium capit dysenteria, cum originem suam habet a nimio frigore, ardore, venenatorum pharmacorum potu, adamante contrito, lythargyro, colocynthide male contrita inter potiones ex antimonio: nam ex eo noui quendam, qui plus centies inde secessum habuerit, & plurimos qui in dysenteriam deinde collapsi sunt, ex damnatis cibis, peregrinorumque & acrium ciborum acceptione. Iam etiam ex cruditatibus, & quæ iis similia exsistunt: quorum singula absque labore facile percipiemus, vel ex astantium relatione. At internæ caussæ cuncti humores, acres atque mordaces esse poterunt, siue a toto, siue ab aliqua corporis parte ad intestina confluant, siue in ipsis fuerint geniti. Hi vero sunt aut flaua bilis, a qua magna ex parte incipit dysenteria, vt liquet comment. *aphorism. 28. lib. 4.* aut atra, *vt ibidem apud Hippocrat. & Galen. loquitur.* Vtrique enim acritudo inest. Vnde Hippocr. *7. aphor. 23.* a deiectione syncera, dysenteria fit. Appellat, *inquit Galenus,* synceras impermistas prauas, qualis bilis vtraque. Non enim a pallida bile fit vlcus, neque a nigro sanguine cui permistus sit melancholiæ succus, sed ab his synceris. Cum bile autem comprehendo omnia vitiosa bilis genera, vt porraceam, glastinam, vitellinam. Ab his enim fieri potest, & quidem ita videmus fieri sæpe, vt aliquod horum generum, sæpe & omnia excernantur in eodem morbo. Verum etiam ab ipsa salsa pituita, *eodem Galeno teste, comment. Aphor. 12. 3. lib. & apud eundem 6. aphor. 2.* Hæc autem aliquando ab initio in capite gignitur, ex calore loci talis effecta. *3. aphor. 12.* aliquando talis efficitur putredine in ventre. Neque aliquid obstat, quin admisceantur illi serosæ, & tenues sanies putridæ, atque ita exulcerent. Facit enim mora ad mali generationem. Hanc vero habet ex modo substantiæ: hæret enim lentore suo, *3. aphor. 12. vnde & 3. epid. 22.* Tenesmi, inquit, (*id quod & de dysenteria intelligere possimus*) *difficiles fiunt a salsa pituita: quoniam multum hæret, neque facile eruitur.* Similiter & bilis genera, vel atræ a venis profluunt. Caussa vero generans, calor earum partium est: vel natura sumtorum, quæ facile in acres humores mutantur, vel quia calida sunt, vel multa humiditate prædita facile putrescunt. Putredine autem acria euadunt. Sic igitur æstate fiunt maxime, tum ob calorem aeris exurentem, tum ob fructus plurimos humidos, qui comeduntur per oporam. Inde pueri cum minime acres succos gignunt, incidunt in hunc morbum ex putredine, & quoniam illa immoderatius sumunt: per autumnum vero cum acria excrementa circa extimas partes genita, refrigerato ambiente retinentur, & intus pelluntur ad corporis media. Sequitur vero plerunque tales synceras excretiones, ita vt initio eæ deiiciantur: postea pituitosi quidam muccores cum dolore excernantur: demum cruenta deiectio, cum tenuibus ramentis internæ tunicule, quæ densa est & tenuis, similis illi, qua tegimur; quam *epidermida* dicunt. Quod si malum procedat, & purulenta deiectio fit. Et si depascat vlcus, etiam carunculæ quædam inueniuntur, quando vlcus ad crassiores intestini partes deuenerit. Fit etiam dysenteria aliquando præcedente diarrhœa, vel tenesmo. Quod vero plerosque tenesmus dysentericus præcedere soleat, apud Aetium & Paulum, atque Alexandrum liquet. Poterit quoque ex inflammatione dysenteria fieri, quam ex eisdem signis facile percipies. Et quisnam humorum prædictorum efficiat, distingues ex qualitate eorum

Interna. 7. 8.

rum, quæ excernuntur, simul cum ætate, ac temperamento ægrotantis, tempore anni, vita anteacta, ac reliquis similibus, Quæ omnia melius innotescent exemplis mox subsequentibus. Hic Neoterici quidam seipsos excruciant, *num ex sanguine possint fieri dysenteria?* Respondent, *ex puro sanguine non posse fieri, sed ex acuto & bilioso, vel bili permixto,* quanquam ex supradictis maxime fieri volunt medici præstantiores, potius ex humoribus synceris iam dictis.

OBSERVATIO XXXIII.

De tribus dysentericis, vno ex intestinis gracilibus laborante, altero ex craßioribus, & tertio ex ambobus.

10. Signis vti semper oportet, non ad affectum modo discernendum, sed etiam ad affectum locum, & caussæ qualitatem. Hæc enim tum ad præcognitionem, tum ad curationem faciunt. At signa caussarum, quemadmodum iam diximus, facilia quidem sunt, visu vsurpata in exercitatis. Iam quoque ipse affectus facilis est cognitu, primum visu, quoniam excernuntur talia, quæ diximus: & eo ordine de dolore transigendum, quoniam propter vlcerationem, tum bilem synceram & atram ac pituitam salsam dolor excitatur. Sed pars affecta exquirenda diligentius est, quoniam ea non vna est, sed multiplex: nam modo intestina gracilia, modo crassa laborant. Sic nobis oblati fuerunt tres laborantes dysenteria: quorum primus ex vlceratione gracilium intestinorum difficillima & non sine magno periculo decumbebat: alteri vero crassiora affecta erant: in tertio tam superiora & gracilia, quam inferiora & crassa. Cum ad primum ingressi essemus, diligentissime hæc signa obseruauimus: nam huic tormina antecedebant, & supra vmbilicum maximos cruciatus sentiebat, & humor paulatim sine stercore cum quibusdam ramentis fluebat cum sanguine, & ramenta minora erant, doloresque diuturniores, nec aluus protinus post cruciatus soluebatur. 11. Quibus signis conieci, intestina gracilia vlcerata esse. Cruor enim (*vt hic*) mixtus erat cum excrementis vniuersis; quod signum erat ex *6. de loco affect. apud Galenum,* superiora intestina & gracilia læsa esse, crustulæ quoque tenues. Nam & tenuibus intestinis exulceratis (*teste Aetio*) dolores circa vmbilicum consistunt, biliosaque & porri colorem habentia, atque omnino variegata stercori commixta, citra tamen ramentorum complexum, cum torminibus & mordacitate, desperationeque ac exsolutione, vt non procul ab animi deliquio æger absit: ac siti infestatur & febricitat. Si ieiunum intestinum exulceratum sit (*quod raro accidit*) egestiones crudiores apparent, nigriorem sanguinem vehementer implicatum habentes, bilemque abunde flauam; sitis multa, itemque nausea affligunt. Vomunt etiam aliquando ac cibos auersantur: dolor vehemens supra vmbilicum considet, & quandoque febres malignæ oriuntur: fiuntque ita affecti decolores, & ad animi deliquium vsque sudant: vires etiam ipsorum cito deficiunt, neque procul ab interitu absunt: rosione etiam infestant, non statim, sed post aliquod tempus æger ad excernendum vrgetur, *inquit Alexander Trallianus.* 12. Cum itaque ex notis cognosceremus intestina superiora & gracilia oblæsa esse, in primo hoc ægro, curationem instituimus auxiliis illis, quæ per os assumuntur. Hoc est, quod Paulus nos monet: *Si signa,* inquit, *stercori commixta cum torminibus videris, in gracilioribus intestinis exulcerationem dignosces, quæ auxiliis per os assumtis curatur.* Idem Galen. cum 5. method. tum 6. de loc. affect. sentit, *quod quæ in tenuibus habentur, ab epotis medicamentis magis præsidium recipiunt.* Quæ enim vicina ventriculo sunt intestina, si vlcerata sint (*vt hic erant*) iis per comesta & bibita succurritur. Ideo huic primo ægro dedi primo *rhabarb. optimi infusi ʒ j. cum ʒ iij. decoct. hordei non excorticati, syrup. de ribes ʒ ß. misce.* Postea imperaui, vt bis aut ter in die existis syrupis caperet cochlear vnum. ℞ *syrup. de agresta, si desit cotoneorum, myrtini, e rosis siccis, de succo portulacæ, ana ʒ j.* Eodem modo potest etiam parari ex succo plantaginis & polygoni. Deinde ad maiorem restrictionem dedi hunc puluerem: ℞ *myrobalan. citrinorum ℈ j. rhabarb. parum torrefacti ℈ j. dabam cum syrup. cotoneorum.* Memini me hunc puluerem anno 1583. mense Augusto viro dysenterico cuidam dedisse cum cyatho vno ceruisiæ communis: & ad miraculum eo solo curatus fuit. 13. Ita & Scoto cuidam nobili hoc sequens commode exhibuimus. ℞ *hordei communis parum tosti p. j. rad. consolidæ maioris, rad. tormentill. ana ʒ iij. plantag. polygoni, bellidis minoris, acetosæ, ana m. j. sem. lini parum tosti ʒ ß. sem. portulacæ ʒ j. glycyrrhizæ ras. ʒ ij. coquantur in aqua communi pro ʒ vj. colat. adde syrup. de portulaca, cotoneorum, myrtini, ana ʒ ß. misce pro duabus dosibus.* Interea & noster hic primus æger semper ante cibum sumebat ʒ ij. *vel iij. diacydonii sine speciebus.* Postea exhibuimus micletæ Nicolai ℈ ij. trochisc. de spodio ℈ ß. Victu constringente vtens, præter opinionem conualescere cœpit. At cuidam in insigni Solis commoranti Delphis, eodem modo, sed peius, laboranti varia fuerunt præscripta: vt hic haustus. ℞ *flor. ros. rub. p. j. plantag. bellid. minoris, ana m. j. sem. plantag. end. ana ʒ ß. cortic. myrob. empelit. belliric. ana ʒ ß. coquantur in aqua communi: & huius colat. accip[illegible] rhabarb. pulu. parum tosti ℈ j. micletæ Nicolai ʒ ß. syrup. coton. ʒ ß. misce, atque hoc remedio videbatur quasi curatus.* Sed cum victus rationem non bene obseruaret, rursus post aliquot dies fluxus rediit. Capiebat ad libitum ex syrup. de ribes & coton. & semel hunc potum. ℞ *syrup. coton. ex infus. ros. ʒ ß. aquæ portulacæ, plantaginis, ana ʒ j. ß. micletæ Nicolai ʒ j. misce.* einde. ℞ *acetosæ m. ij. plantag. bellid. minoris, ana m. j. sem. 4. frig. maior. sem. portulacæ, acetosæ, ana ʒ ß. fiat decoctio in aqua communi pro ʒ vj. colat. adde syrup. de ribes ʒ ij. syrup. de portulaca, de succo acetosæ, ana ʒ ß. misce, fiat syrup. pro duabus dosibus.* 14. At hic diu decubuit & semper peius habuit: multis & variis astringentibus & conditis

descriptis, nihil profecimus; neque vnguentis, neque linimentis ac diuersis aliis remediis. Videbatur huic malum esse in ieiuno intestino: quod plerumque difficulter curatur & lethale maxime exsistit; *vt in scholio latius.* At secundus æger, qui nobis oblatus fuit, contraria signa habebat; eratque dolor sub vmbilico minor, ac minori spatio perseuerans; & a cruciatu statim sellam petebat, & ramenta intestinorum maiora conspiciebantur, neque humor ita aquosus erat, & minoris graueolentiæ. Cum itaque etiam pingue quid viderem cum excrementis excerni, coniiciebam intestina crassiora affecta esse, *iuxta Galen. 6. de locis affectis:* & quia cruor supernatabat, in humilioribus intestinis vlcerationem consistere animaduerti. Nam, *vt recte ait Aetius*, cum circa intestina crassa vlceratio contingit, stercora, quæ egeruntur multa sunt, & coaceruata cum flatibus aliquando etiam spumosa: pinguia quoque cruenta recrementis admixta apparent, inexplebilisque edendi appetitus oboritur. Quæ cum in hoc ægro spectassem, ad ea remedia confugiebam, quæ per sedem infunduntur, quæ & hic magis conferunt. Statim iniicere iussi clysterem ex decoct. hordei communis ℔ j. *adiiciendo zacchari rubei* ℥ j. ß. *& duo vitella ouorum*: postea ex lacte decocto cum rosis, & adiecto succo plantaginis. Quia autem malum hoc non diu durauerat, nec progressum fecerat, istis clysteribus facile curatus fuit. Tertius vero fuit consul Teneremundanus, qui in hospitio prope pharmacopœum dysenteria laborabat; & vlceratio videbatur in medio situ intestinorum posita, *iuxta Trallianum, lib. 8. cap. 7.* Vbi neque deiectiones iis, quæ ab vlcere emanant, admodum permixtæ, neque omnino discretæ apparent, coniiciendum est, in mediis potius intestinis affectum esse. Et tunc requirunt, & quæ superius, & quæ per sedem infunduntur, *Galenos teste lib. 4. methodi medendi.* His subsequentibus præsidiis curatus fuit anno 1584. mense Aprili. ℞ *decoct. hordei communis non excorticati* ℥ iij. *syrup. ex infus. ros. syrup. de ribes, ana* ℥ ß. *misce.* ℞ *amygdal. dulc. depil.* ℥ ij. *cum aqua furfuris, fiat amygdalatum pro* ℔ j. *dulcoretur parum cum zaccharo perlato rosaceo, vt artis est.* ℞ *rob de ribes, conseruæ foliorum acetosæ ana* ℥ ß. *diacydon. sine speciebus* ʒ iij. *conseru. ros.* ʒ ij. *syrup. coton.* ℥ ß. *fiat mixtura.* Prius hoc apozemate assumto. ℞ *foliorum plantag. bellidis minoris, ana m. j. hordei communis, flor. ros. rub. an. p. j. corticum myrobal. citrinorum, empelitic. an.* ʒ j. ß. *vuar. cum arillis* ℥ j. *coquantur in aqua communi pro* ℥ ix. *colat. adde, decocto prius manibus confricato, syrup. cotoneor. de ribes, an.* ℥ j. *misce, & fiat apozema pro tribus dosibus.* Vesperi sumebat amygdalatum cum aqua oryzæ confectum, pro ℔ j. adiecto ad meliorem saporem zacchar. perlato. ℞ *diacydonii sine speciebus* ℥ j. ß. *capiebat* ʒ ij. *vel tres ante cibum.* Deinde sumebat ex hoc condito: ℞ *conseru. ros. antiquæ* ℥ j. *cornu cerui vsti* ℈ ij. *corall. rub. subtiliss. pulu.* ℈ j. *sem. plantag. parum exsiccati & puluer.* ℈ ij. *trochisc. de spodio, cum sem. acet.* ℈ j. *syr. cotoneor. q. s. fiat conditum, capiebat bis terue in die, ad magnitudinem castaneæ.* Clyster hic quoque iniectus est frigide, vel vix tepide. ℞. *decoctionis hordei parum torrefacti* ℥ xij. *chalybs ignita in eo decocto exstinguatur bis terue, succi plantag.* ℥ ij. ß. *olei ros.* ℥ j. ß. *olei myrtini* ℥ ß. *sacchari rubei* ℥ j. *vitellum vnius oui misce, & fiat clyster.* ℞ *amygdal. dulc. depila.* ℥ ij. *cum aqua oryzæ: fiat amygdal. pro* ℔ j. *& zacchar. perlato parum dulcoretur.* Sed & hoc enema iniectum fuit. ℞ *lactis bubuli chalybeati* ℥ viij. *succi plantag.* ℥ iiij. *axungiæ hirci* ℥ j. *vitellum vnius oui misce, pro clysteri.* Etiam ob dolorem in ano, & ad constringendum, fumigium sequens in anum recipiebat, subtus in sella perforata sedens. ℞ *masticis, olibani, ana* ʒ j. *granor. myrti, flor. ros. rubear. an.* ʒ ß. *fiat pul. subtilissimus, pro fumigio.* Et hoc decocto sequenti vsus est. ℞ *rad. consolidæ maioris* ℥ j. *saniculæ, buglæ, plantaginis, bellidis minoris, polygoni seu centumnodii, an. m. j. flor. ros. rub. p. j. hordei non excorticati m. ß. sem. acetosæ, plantag. ana* ʒ j. *sem. 4. frig. maior. ana* ʒ ß. *myrobal. omnium parum tostorum, ana* ʒ j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *manibus decoctum fricetur cum tepuerit: colaturæ addendo syrup. ex infus. ros. commun. cotoneorum, myrtini, ana* ℥ j. *misce. fiat apozema pro 4. dosibus.* Sed postea ægre potuit mingere: at apposito hoc cataplasmate minxit. ℞ *parietariæ m. iij. cum butyro in sartagine frigantur, & fiat cataplasma.* Pro fluxu dysenterico, hoc vnguento ventrem inungebat. ℞ *olei mastichini, myrtini, cydoniorum, ana* ℥ iiij. *florum ros. rub. coralli rub. myrtill. an.* ʒ ß. *caryophyl.* ℈ j. *cera parum, fiat vnguent. vt artis est.* Insuper & hic fotus præscriptus. ℞ *flor. ros. rub. verbasci, ana m. j. absinthii Romani, menthæ siccæ, ana m. ß. sumach, sem. myrtill. corticum granat. balaust. ana* ʒ ij. *incidenda incidantur, & contundenda contundantur, & coquantur in vino Gallico rub. adstringente pro* ℔ ij. *fiat fotus.* Hoc quoque amygdalatum sumsit. ℞ *amygdal. dulc. depilat.* ℥ ij. *sem. 4. frig. maior. mundat. sem. papa. albi, ana* ℈ j. *cum aqua, in qua chalybs ignita bis terue exstincta fuerit, fiat amygdalatum pro* ℥ x. *addendo zacch. perlatum, pro sapore.* In cibo vtebatur sumach seu rhu obsoniorum, ad maiorem adstrictionem. Sed & hic clyster ad maiorem adstrictionem iniectus est. ℞ *polygoni, plantag. bursæ pastoris, flor. ros. rub. verbasci, an. m. j. rad. consolidæ maioris* ℥ ß. *corticum granat. balaust. ana* ʒ ij. *hordei communis p. j. sem. lini parum tosti* ℥ j. ß. *coquantur in aqua pluuiali chalybeata q. s. huius colaturæ accipe* ℥ viij. *succi plantag.* ℥ ij. *trochiscorum de carabe subtilissime tritorum* ʒ j. ß. *olei myrtini, ros. an.* ℥ j. *misce, fiat clyster.* Post aliquot dies accepit has pilulas bis aut ter. ℞ *trochisc. de carabe, de terra sigillata, de spodio, cum sem. acet. an.* ℈ j. *cumini præparati* ℈ ß. *fiant pilulæ xv.* dentur quinque pro vice. Vltimo capiebat post aliquot dies omni mane ʒ ij. *vel* ʒ j. *ex hac mixtura.* ℞ *micletæ Nicolai* ℥ ß. *pulu. myrobal. citrinorum* ʒ j. *seminis plantag. parum exsiccati & puluerisati, cornu cerui vsti, an.* ʒ ß. *syrup. myrtini* ℥ ij. *fiat mixtura.* Atq; his præsidiis dictis, cum vltra mensem decubuisset,

15.

16.

17.

18.

cubuisset, & parum spei ab æstantibus superesset, egregie curatus fuit.

SCHOLIA.

19. *Signa præsagientia dysenteriam.*

Signa vero cum alia sint præsagientia, alia demonstrantia, alia differentiam aperientia; rursus quædam mera prognostica: signa autem præsagientia dysenteriam varia esse possunt. Nam si hyemem aquiloniam videamus, ver australe & pluuiosum, calidam æstatem, æstatis fine & autumno, dysenterias futuras pronuntiabimus, maxime otiosis, intemperatis & quibusdam naturis peculiariter, *vt lentiginosis*. Nam antecedentibus anni partibus pituita crassa & viscida in intestinis colligitur. Quod si bilis non pro ratione e cysti fellis in intestinum defluit, nec eam pituitam pro consuetudine deterget, multo copiosior pituita in intestino, & bilis toto corpore aceruatur, acceditque cruditas. Hæc omnia æstiuo calore putrescunt: primumque illa pituita acris euadit, intestina vellicat; fit deiiciendi appetentia, inanis aliquando, & interdum pauca; vel cum maximo conatu muccosa, & similia albuminibus ouorum egeruntur. Hoc malum tenesmum appellati volunt, non dysenteriam. Vbi tamen frequens hæc cupiditas egerendi sit, dysenteriam futuram possemus prædicere; magisque si signa illa superiora præcesserint. Iam quoque si quis diarrhœam acutam biliosam habeat, eaque tempori non curetur, *dysenteriam futuram* pronuntiabimus. Et si videamus multa adesse tormina in ventre, facile poterimus prædicere futuram dysenteriam, magis hyeme aquilonia præcedente, vere australi & æstate calidiore subsequente. Hoc modo anno 1556 populatim per totam Hollandiam grassabatur dysenteria.

20. *Demonstratiua.* *Differentiam indicantia.*

Quod ad signa demonstratiua attinet, vt iam dictum est: facile cognoscuntur ex morsu, dolore, humore mordaci intestinum erodente, abrasione interaneorum, & cruore exiguo tempore & minutim excreto. Gradus dysenteriæ iam antea scholio *obseru. 31.* huius libri diximus. Neoterici addunt ex Auicenna per essentiam intestinorum fieri: atque id deprehendi ex dispositione doloris & puncturæ & vlcerationis. Per consensum vero, ab aliis membris humoribus confluentibus ad intestina, ac abradentibus ab hepate vel liene, petuntur ex diarrhœa suprascripta.

Quibus differt ab hepaticis cruentis deiectionibus.

Interea, *vt diximus*, differt dysenteria ab hepaticis excretionibus cruentis, in quibus nihil abrasum expellitur: atque interdum duorum, aut trium dierum interuallo supprimitur euacuatio: deinde rursus redit malum, excernuntque excrementa. Id vero per intestinorum vlcerationem nequaquam apparet, quoniam in iis neque affatim, neque ex longis temporum interuallis laborantes deiicere consueuerunt, *Galeno teste lib. 6. de loc. affect.* Ab hepate. Item ab initio tenuis sanguinis sanies deiicitur, deinde aucto malo, crassus humor fecibus vini haud absimilis, *vt idem Galen. inquit.* Ex iis itaque interstingues hanc dysenteriam proprie dictam ab iis, quæ ab hepate procedunt.

21. Sciendum tamen, *iuxta Aetium, lib. 9. capit. 42. quod aliquando oboriatur abscessus in intestinis, ad cuius eruptionem eliquationes puris aquosi consequantur: quare ignari ac inexperti hoc viso decipiuntur, dysentericam hanc affectionem esse putantes: & sane, vt verum fatear, si post eruptionem diuturna sit exulceratio, & perseueret, eo modo, quo dysenteria, curatur: verum in principio neutiquam consimili curatione subducitur. Vnde etiam quosdam ægrotos periclitatos esse constat, male ab indoctis medicis tractatos: qui statim in principio dysentericas infusiones adhibuerunt. Pro viribus itaque affectiones hæ inter se distinguantur. Indicatu enim facilia exsistunt: In abcessu enim semper pulsatilis dolor præcedit, iuxta affectum locum innitens: neque morsus neque decursus adsunt, quales in dysentericis præcedere consueuerunt. Deinde mutatione in suppurationem incipiente, rigores inæquales consequuntur, febresque circa vesperam maxime irruentes: postea vbi perfecta humidi mutatio fuerit facta, omnes molestiæ minores fiunt, vehementesque dolores remittunt: deinceps eruptionis tempore accedente, rursus dolores intenduntur: aliquando autem perfecta ventris adstrictio adest. Post eruptionem vero humor, qualem diximus, excernitur, quum nihil tale in dysentericis oboriatur.*

22. *Aliter quoque curatur ex sem. lini & adstringentibus, vt palma, cotoneis ad cataplasma commixtis, & infuso succo ptisanæ aut halicæ, verentes valde astringentia. Adhibentes althaam & caricas, cum fimo columbino, ad eruptionem. Eruptioni obuiam imus infus. ptisanæ succo, deinde modico mellis adiecto ad repurgationem: & si sordidiora sint lenticulæ decoctum, malicorium, ad ptisanæ succum mel affundentes. Repurgatis vlceribus a melle abstinet, & infus. pastillum de halicacabo adiicit.* Hactenus Aetius. Sed rursus ad dysenteriam redeamus.

Signa Prognostica.

Quibus modis caussæ distinguantur, *ex obseruat. 32. Scholio satis constat*, restat, vt signa Prognostica hic addamus. Quantum periculi ægro immineat, ex priuatis notis sic distinguemus: Primum ex sede affecta. Laborantibus enim superioribus intestinis, grauiora fiunt symptomata, vt tunc obseruatione præcedente ostendimus; nempe cibi fastidium vehemens, nausea, vigiliæ multæ cum dolore, vnde virium defectus. Et quia difficile curantur eorum vlcera, *vt Galen. inquit de vulneribus 6. meth.* Et Hippocrat. *Si tenue intestinum discissum fuerit, non coalescit, idque ob venarum copiam, & quia syncera adhuc excrementa suscipiunt.* Et sic, *vt paulo ante diximus in obseruat. præcedente*, quæ sit in tenuibus intestinis, difficulter sanatur; maxime vero in ieiunio, *ex Aetii decreto*.

23. Quæ in inferioribus, facilius curatur; & in intestino recto ac colo consistens dysenteria facile curabilis exsistit. At ex natura caussæ sic distingues: Quo deteriori conditione humor fuerit, eo peior morbus. Vnde ab atra bile insanabilis morbus, *secundum Hippocratem 4. aphorism. 43.* Sed ille, qui longo tempore in parte orientali Delphis ex dysenteria laborauerat, cum atram bilem sæpius excerneret, tandem obiit, & sic quæ a prassina & synceriore bile fuerit, prauior. Orata tamen dysenteria a flaua bile sæpe curari poterit; quem-

admodum si ab atra bile dysenteria oboriatur, insanabilis omnino exsistit, cum nihil differat a cancro vlcerato. *Galeno teste, comment. aphorism. 24. 4. lib.* in quo aphor. dysenteriam, si ab atra bile inceperit lethalem esse, decretum reliquit Hippocrat. Idem confirmauit Aetius, hanc Hippoc. & Galeni sententiam dilucidius scribens, cum dixit: *Si igitur ab acribus cibis, aut a flaua bile dysenteria oboriatur, fere in totum ipsam curamus: si vero ab atra bile initium sumat, siquidem ratione indicationis febrilium morborum atra bilis excernatur, transituque suo intestinum distendat, etiam hanc curare non desperamus.* Si vero sua sponte, nullo præcedente febrili morbo; neque concoctione bona apparente, atra bilis excernatur, immedicabilis dysenteria ex ea oborta exsistit, nihilque a cancro exulcerato differt, estque omnino lethalis. Namque morbis quibuslibet incipientibus, si atra bilis vel superne, vel inferne exierit, lethale est, inquit Hippocrates *aphor. 22.* Etsi lib. de atra bile Galenus, (*quemadmodum etiam citatur ab Altomari*) velit semper exacte atræ bilis humorem lethaliter excerni; experientia id comprobans in illa pestilentia prolixiore, æstate orta, in qua, qui puram exactamque atram bilem deiecerunt, omnes periere. Non propterea sibi ipsi (*inquit Altomarus, commen. præcitati aphorism. 22. 4. lib.*) nec Aetio pugnat. Nam vbi exacta fuerit atra bilis, absque signis coctionis semper lethaliter excernitur, ac exitialis casus est: Præcedentibus autem coctionis signis, vbi ea excernatur, neque pura, neque exacta atra bilis erit, sed bonam significabit euacuationem, cum a natura corpus expurgetur, *vt idem Galen. inquit præcitato aphor.* Quin imo a qualibet deiectione syncera, hoc est, impermixta aquosæ humiditati, siue humor, qui eiicitur flaua sit bilis, siue atra, dysenteria malum est, *vt inquit aphorism. 23. 7. lib.* Pessimæ quoq; sunt, in quibus, quæ excernuntur, porri aspectum habent, suntque nigra plurima, varia, graueolentia, & quando vna cum excrementis sordes pelliculis magnis commixtæ excernuntur. At lienosis superueniens dysenteria, bonum inquit Hippocr. *aphoris. 48. 6. lib.* quando humores crassi, ac melancholici, qui lieni erant infarcti, transponuntur, ac euacuantur. Neque hæc sententia aduersatur *aphor. 24. 4. lib.* Nam ibi de atra bile, hic de succo melancholico loquitur, ex quo etiam dysenteria oriri potest. Quod si eadem immoderata, ac diuturnior fiat, malum est, *vt liquet aphor. 43. eiusdem lib. 6.* quemadmodum ante annos aliquot vidimus in viro quadragenario, qui cum diu laborasset hoc modo, postea nos ad se vocauit: sed vitam adhuc diu protrahens, tandem mortuus est. Ideo diligenter quoque cauendum, *ne sanguinem concretum in intestinis coaceruatum, & postea excretum referas ad atram bilem.* Nam & nos plurimos vidimus etiam in dysenteria sanguinolenta cum dolore excreuisse pici similia, & tamen euasisse, vt alias diximus. Vidit quoque Hollerius (*teste eiusdem interprete*) quosdam, qui simile quid crassiori pici, nullo periculo & sine febre, deiicerent, & nos idem in quotidiana praxi sæpe spectauimus, etiam istis diebus in muliere Delphensi, quæ euasit. Alios quoque cum febre & periculo euasisse constat. Monachus quidam (*vt idem Hollerius inquit*) apud D. Genouefam dysenteria laborans, cum vi morbi frigerent extrema, nigra, liquida, pici similia deiiceret, spiraret difficulter, & iam de funere disputaretur, conualuit. Anno 1557. autumno, tempore bene constituto, pestilentissimę febres exstiterunt, & quę plurimos sustulerunt. Dysenteriæ salutares. Nemo enim in multis, quos vidit Hollerius, interiit. Curabantur clysteribus leuibus & rhab. erant enim ab acri fluxione. Sæpe quidem, sed pauca, egerebant. Parum febricitabant; ac rheo dato conquiescebat dolor. Sicque breui liberabantur. Anno subsequenti, autumno quoque dysenteriæ multæ, in quibus viridia, cærulea, nigra, biliosa, cruenta deiiciebantur, & qualia scribuntur lethalia: tamen omnes prope euaserunt, cura etiam parum sedulo adhibita. Hoc tempore Delphis in Batauia apud nos pestis sæuissima; at nullæ vel paucæ admodum dysenteriæ. At vbi a pituita salsa longiori tempore mordente, atque abradente intestina orta fuerit dysenteria, crudelissima ea exsistit, *eodem Gal. auctore comment. aphor. 12. lib. 3.* & propterea periculosior, quam si fiat ex bilioso humore: nam biliosus humor transeundo affligit. Hic autem, cum sit lentus, moram trahit, & sua cunctatione amplius exulcerat, suoque lentore & transitu per intestina inhęret, ac tardans semper aliquid deterit, *vt idem Galen. inquit,* non autem ita exitialis erit, vt ea, quæ ex atra bile oritur. Sed & ab adiunctis affectibus hoc modo prædicere poterimus. Quibus enim symptoma est prauarum febrium, omnes maxime periclitantur, quoniam febris irritatur dolore, & vigiliis, & motione crebra corporis. Præterea significat caussæ prauitatem adesse in venis: itaque signum mali moris febris erit. Sic etiam Aetius: *Graues sunt dysenteriæ, quæ cum vehementi inflammatione oboriuntur, quæque cum febre ac deperditione appetitus.* Dysentericus quoque (*teste Sorano Ephesio*) si post aurem sinistram papula in modum orobi innata fuerit, cum siti admodum frequenti, vigesimo die morietur. Pereunt etiam alii breui, cum in morbo acuto euenit: alii longiore tempore, cum in tabem transit siccatione, vel in praua vlcera profunda serpentia. Vnde & si carunculæ exeant, lethale dixit Hippoc. *4. aphor. 23.* Interea sciendum, quod dysenteria, quæ adhuc fit mordaci humore abradente, ac abstergente intestina, ita vt quædam corpora pinguia duntaxat excernantur, facile curari poterit, ablata caussa ipsam faciente; Natura videlicet ipsam sanante, etiam absque externo auxilio, velut reliquos similes consueuit exiguos affectus sanare, *Galeni auctoritate 1. de loc. affect.* Verum vbi iam facta est, atque confirmata, ita vt veluti caruncula, hoc est, magnæ intestinorum partes excernantur, lethalis est talis dysenteria, *ex eiusdem Galeni & Hipp. sententia, aph. 26. lib. 4.* Nam (*vt inquit Gal. & citatur a Donato*) neq; caro concrescere, neq; cicatrix obduci in tali potest exulceratione. At si in dysenteria non adeo magnæ intestinorũ partes excer-

24. 25. 26. 27. 28.

Historia quædam de dysenteria apud Hollerium.

excernantur, nec corpora duntaxat pinguia, sed veluti ramenta quædam ipsorum intestinorum eorum superficie interiore abrasa, quæ membranosa exsistit & densa, epidermidi, quæ extimam cutem corporis ambit similis, nec adeo promte curabitur, vt ea, de qua primo mentionem fecimus: nec adeo ægre, vel lethalis erit, sicuti ea, in qua veluti carunculæ deiiciuntur, cum media quodammodo exsistat inter vnam & reliquam. *vt ex Galeni verbis elicitur præcitato aphor. 26. 4. lib.* in ipso commento, quod & Donatus animaduertetit. In longis quoque dysenteriis cibi fastidium malum esse signum, inquit Hippocrates *aphor. 3. lib. 6.* & cum febre peius. Alii quoque longo tempore sordida vlcera passi, tandem debilitata vi intestinorum, aut in hydropem, aut in lienteriam transeunt, *6. aph. 43.* In hydropem, consentiente iocinore: ad læuitatem, ex proprio malo communicato etiam ventriculo. Et si non solum, *vt superius dictum est*, ex natura vitiosi humoris, sed etiam ex natura vlceris, quo profundius abraditur substantia carnosa, tanto peius. At ex viribus hoc modo etiam fit iudicium. Nam pueri valde periclitantur, tum quoniam ocyssime dissoluuntur ob mollitiem, tum quia minus obediunt præceptis. Senes vero alia ratione, quod magnitudo caussæ in his significatur: siquidem talia excrementa non facile gignant. Alii volunt, quod in pueris vsq; ad 12. annum periculosior sit, quam in senibus in prima senectute, aut in iuuenibus. Hæc ab experientia habentur. Mulieres item quam viri, senes & pueri, quam iuuenes & in status vigore consistentes difficilius curam accipiunt, vt Aetius refert. In dysenteria desipientia vel spasmus, lethale, spiritibus animalibus diminutis. Et ideo si contractiones membrorum, singultus crebri, vomitus, si que mente labuntur ægri, lethifera signa sunt. Si dysenteria hydropi superueniat, lethale. Istis cognitis, curatio magis patebit, etiam ab exemplis, quę subsequentur.

OBSERVATIO XXXIV.

De dysenteria admodum periculosa in prægnante curata.

DOmina de Cornes, quę prægnans Loydiis tunc tempore agebat, extreme & longo tempore ex dysenteria laborans, cum multorum remediis vsa esset, neq; sanitati restitui posset, tandem me vocauit. Quæ cum valde debilis esset, optimo victu, tum optimo genere viuendi, paucis deinde adiectis remediis per me diuina gratia curata fuit. Inprimis curaui, vt aerem eligeret ad siccum vergentem, & in actiuis qualitatibus temperatum, & ab aquilone & austro tutum; & vt vitaret pluuiosum, nebulosumq; cœlum: & quietem præcepi, cum omnis motus sit vitandus, & quæuis agitatio, quæ exulcerat. Somno quoq; vt indulgeret admisi, cum vigiliæ præcipue obessent, vti & omnes immodici animi affectus. Quod ad cibum attinet, quidam hic ferre inediam per integrum biduum laudant; & alii, *vt Alexander Trallianus*, circa initia tenui victu ac cibo modico vtendum esse velint, cum dysenteria laborantes; propter intestinorum & ventris imbecillitatem, haud multum possint concoquere, præsertim cum febricitant. Et sic vbi vires permiserint quantitate, modica cibos exhibent, & primis saltem duobus diebus abstinentiam imperant, *eodem Alexandro auctore.* Nã & tenuissimo victu opus est, decreto Galeni *lib. 3. de artic.* præsertim vbi & iocinoris quoq; adsit imbecillitas, ac plenitudinis affectio. Verum hic ratio adhibenda erat & impregnationis & virium, & quod malum iam progressum erat, & quod non febricitaret, sed vires satis deiectæ essent. Et quamquam carnes, eo quod multum nutriant & tarde concoquantur, dysentericis non valde commodæ exsistunt, *vt Aetio quoq; tum Alexandro visum est*: tamen eis, qui diuturno malo vexantur dandę sunt. Itaq; ob hanc caussam etiam huic nobili matronæ concessimus turdos, perdices, turtures, merulas, gregales pullos columbarum, sturnos, phasianos. Aetius has carnes prius ebullit in posca, myrti baccis cũm eis incoctis, deinde assari iubet. Nos vero iniici iussimus sorba sicca, corna, mespila, pyra adstringentia aut mala cotonea, deinde consutæ assabantur. Sed cum assis non ita delectaretur, propter vires debiles, præcepi vt elixarentur, eisdem adstringentibus cum eisdem carnibus decoctis: & ob vires deiectas, ex earundem auium carnibus parabam contusa, iura, & consummata, adiecto omphacio aut oxalidis succo, vel vino granatorũ aut coroneorum: sic & succum expressum ab iisdem carnibus assatis concedebam: & vt ex fructibus attingeret, sed parce, sorba, corna, mespila, mala cotonea, mala punica, præsertim austera aut acida, idq; cũ pane: ita enim mandi debent, eo quod facile (*teste Alexandro*) corrumpantur. Alii & hic castaneas laudant. Panem vero commendaui ex similagine vix fermentatum, bisq; furno inditum, vel panem nauticum, sed album. Si fermentato vti necesse est, aqua pluuia maceratum comprimito vtraque manu. Galenus etiam cum pluuia aqua confici panem docuit, vel aceto adiecto, in libris quos *Curationum* inscripsit. Et ideo auctores carnes elixari volunt in aqua pluuia, & ex pedestribus, *vt carnes leporum, capreolorum, hædorum prius in posca decoctas*, deinde similiter assatas dari iubent. Quantum ad potum, parcius bibere primum auxilium est. Et quamquam pro potu a principio aquam pluuiam, & Paulus & Aetius commendant, in qua prædicti astringentes fructus fuerint decocti, præsertim rhus obsoniorum, aut oxalis vel plantago. Postea tamen, vbi vires fuerint deiectæ, aut stomachus laborauerit, admittunt vinum adstringens non valde vetustum, aqua pluuiali dilutum, seu fontana, in qua oxalidis vel plantaginis folia fuerint decocta. Nos concessimus vinum rubrum Gallicum adstringens: sed non forte, dilutum cum aqua chalybis, vel auri. Et subinde etiam ceruisiam, iniecto frusto panis biscocti, etiam chalybe ignita in ea exstincta, alioqui facile aluum mouet. Ceterum quod ad medicamenta reliqua attinet, pro abstersione dedi primum id, quod sequitur. ℞ *decoct. hordei communis* ℥ iij. *syr. ex infus. ros. rub.* ℥ j. *misce.*

4. Clysteres non inieci, neque rhab. dedi infusum, sed in substantia; idque semel: sed quia longiore tempore laborauerat, ad roborantia & simul restringentia me conuerti, præsertim in prægnante. Et quia non febricitabat, dabam oryzam leuiter tostam, ac exinde cum lacte caprino coctam, modo cum iure pingui gallinaceo: & pedes verueciños, agninos, hædinos, si reperirentur, quæ inter cibaria, cum etiam glutinosa sint & dolorem mitigabant & humores contemperando fluxui resistebant. Sub noctem capiebat amygdal. modo cum aqua furfuris in principio, postea etiam cum aqua oryzæ confectum. Fiebant & iura, restaurantia & gelatina, ex carne caponis, pedibus ouillis, vitulinis, pomis cotoneis, mespilis, vino rubro exiguo, & aqua ros. adiectis, in balneo maris destillata. Interea vtebatur *conserua antiqua ros. diacydonio sine speciebus condito, & iisdem adiecta terra sigillat. vel trochisc. cum syrup. portulac. cotoneorum.* Vtebatur etiam lacte caprillo ad tertias decocto, vel alio lacte. Quibus remediis magno cum nostro honore fuit curata. At illud hic notatu dignum, dysenteriam ante partum salubrem esse, *vt historia Amati testatur centur. 2. curat. 51.* quod equidem habet ex *7. lib. Hipp. de morb. popul.* dicentis, *Epicharmi vxori ante partum dysenteria, dolor alui, egestiones subcruentæ, muccosæ: vbi peperisset, statim sana erat: diuersionis forte ratione.*

SCHOLIA.

5. CVratio veræ dysenteriæ, de qua nunc agimus, variatur ratione vlceris, ratione caussarum, & ratione symptomatum. Sic enim Galenus instituit curationem *6. Epid. & lib. 6. aphorism. 5. Curatio, inquit, est, eluere mordaces succos ab vlcere: & est primus scopus.* Secundus, *oblinire his quæ intestina tueantur ab acrium excrementorum occursu: ne dum defluunt, vlceri occurrant, & morsum cieant.* Tertius, *est temperare eorum, quæ defluunt acrimoniam.* Hæc vero omnia caussam vlceris despiciunt, & sunt ad prouidentiam. Nam ea, quæ vlcus sanant, siccantia sunt sine morsu. Sed nunquid aliter ad caussam respicere oportet? Medici enim iuniores medicamento purgante vtuntur, vt caussam vacuent: atque inde sæpe vtilitatem sentiri videmus. Contra tamen est decantata ea sententia (*vt etiam Iacchinus doctißimus dicebat.*) Non debere ad partem læsam excrementa trahi: quæ confirmatur ratione: quoniam si fluxionis contactu fit vlcus, quo ergo magis confluet, eo perpetuo vlcus augebit. Præterea stultum est vacuationem supra vacuationem moliri: attamen in colica ex erosione visus est Galenus purgare per hieram picram ex aloe. Sed hæc non totum corpus respiciebat vacuans: quin potius humores in intestinis infixos acres purgabat. Ad hæc non simpliciter respondere oportet, sed cum distinctione affectus. Si enim acutæ febris symptoma est, proritare symptomaticam excretionem non conuenit, nec etiam sistere, sed his procedere quæ Galen. scripsit: eluendo, temperando, oblinendo. Si vero sine febre sit, vel febris minime maligna illi succedat, tunc rursus distinguendum est. Nam si multam cacochymiam esse coniicis ex signis circa ægrum habitis, tunc copiam eorum tollere bonum erit, vt ceteros succos temperare & coquere possis. Si vero exigua sit portio, sat erit superiore ratione medendi vti: & sic nos in hac Domina statim post ablutionem deuenimus ad cibos contemperantes, & etiam constringentes deinde. Quæ vero contra hæc adferuntur, sic diluimus. *Primum Galeni canon verus est in phlegmone, quæ ex excrementis augescet, ex quibus est genita, dum adhuc influunt.* Sic enim verba sonant. Contra etiam vlcus augetur. Respondetur ex Iacchino, *non est par ratio: hic enim excrementa continue defluunt, neque sistuntur. At in phlegmone colliguntur in tumore, quæ attrahuntur.* Præterea *possumus vacuando obsistere, ne excrementis vlcus lædatur: primum ea admiscendo quæ oblinant, & temperent acrimoniam, mox & adstringant partem, & ita vlceri conducant.* Itaque inuenerunt infusum, videlicet psylli, cotoneorum, tragacantes: & vtuntur rhab. infuso vel torrefacto, vel infuso cum aqua plantag. & cum modico cassiæ propinato, *vt refert. Iacch.* attamen cassia nimium relaxat: eadem ratione & myrobalanos apparant. Ideo recte quidam admonent, vbi ad vlcerata intestina adhuc a toto, aut ab aliis corporis partibus vitiosus succus confluxit, & tunc priusquam vlceri succurratur, fluxionem ipsam auertamus, ac eum succum, qui abundat, euacuemus: & si auersio hæc non sit vlceris, quatenus vlcus est, curatio, *ex Galeni decreto 4. meth. med.* quamquam illud quoque excerpserit ex Hippoc. doctrina, illudque præsertim seruandum erit, vbi non vtilia ab ipsa natura sponte ferantur, seu critice euacuentur, sed symptomatice. Sed hic quæstio est apud medicos etiam illustres, de venæ sectione: de purgatione postea latius. Rondeletius videtur eam non admittere, cum sic scribat cap. 20. de dysenteria. *Nonnulli sanguinis missionem imperant: sed sine iudicio & vtilitate, & cum magna ægrotantium molestia. Vires enim deiicit, nec bilem, vt plurimum ex folliculo fellis fluentem, retrahit, nec ad curationem vlceris confert. Hoc autem* (inquit idem) *intelligendum est de vera dysenteria, non de fluxu sanguinis siue dysenteria cruenta: quo casu venæ sectio commodißima est.* Contra Hollerius venam secat, corpore bene carnoso, graui febre, atque inflammatione, suppressa aliqua solemni euacuatione, sanguine multo cum excrementis abeunte, consentiente ætate ac viribus, etiamsi Galen. ad Glauc. *& lib. de ratione victus in acutis* repudiare videatur. Altimarus quoque, qualiscunque fuerit vitiosus succus, qui ad intestina cum sanguine confluit, ipsa exulcerans, siue a toto, siue ab aliqua confluat parte, modo critica non fiat expulsio, viribus ac aliis consentientibus, venæ sectionem in brachio adhibet, præsertim circa primos morbi dies, & si febris adsit ac totius corporis plenitudo, sanguis mittendus erit, *ex Alexandri sententia cap. 6. lib. 8.* id quod etiam confirmauit *capit. 7. eiusdem lib.* At paulatim, neque vniuersim, ne ægri vires imbecilliores hinc reddantur, etiam

Marginal notes: *Vtrum vacuatio supra vacuationem conueniat.* — 6. — 7. — *Medicamentorum ratio.* — 8. — *Vtrum venæ sectio conueniat in dysenteria vera.*

9. *etiam iuxta Aetium capit. 45. lib. 9.* Si sanguinis impetus vehementer vrgeat, & subsit inflammatio maxima, & iis qui plurimo sanguine abundant, neque vires resistant, & quibus consueta sanguinis excretio fuit cohibita: tamen neque multum neque coaceruatim. Secat Aetius humeralem, vel ea non apparente mediam, cum fissura tenui. Et etiamsi aliquo tempore durauerit, ob inflammationem reuellit. Alii venas extremæ manus aperiri volunt, quia hinc minus virium cum sanguine effunditur. Potest & basilica aperiri, sed angusto foramine, & paulatim euulsa atque etiam vacuata materia. In suppressis purgationibus inferioribus venas malleoli aperiri iubent. Quod si fit, eo magis temperanda vacuatio est, quod hinc ductus sanguis plus virium, quam e manu exhaurit. Et quia assidua egestione, perpetua vigilia, febre atque inflammatione vires maxime laborant, temperandum euacuandi consilium est. Interea paucus extractus sanguis reuellit, innatumque calorem sensim refrigerans, somnum magis quam animi deliquium inducit. Est quippe optimum remedium somnus dysentericis. Affecto enim iocinore, flauæ bili admixtus sanguis etiam reuulsionis gratia internam venam secandam probat; etiam ad ipsius iocinoris alterationem, &

10. ob insignem dolorem, auctoritate Galeni. Et concludit tandem Altimarus *ex Aetio & Alexandro*, venam esse secandam in initio, viribus, ætate & reliquis consentientibus, si adsint iam dicta, inflammatio & dolor vehemens. Quod & probat experientia, & viuis aliquot exemplis, vbi duorum magnifici cuiusdam filiorum dysenteria affectorum historiam describit; quorum vni vena secta fuit, & superstes mansit, alteri non secta, & mortuus est. Meminit ibidem & cuiusdam Ascanii Caraccioli, qui dysenteria, tenesmo ac febre laborabat, & vena cubiti interna secta, euasit. Et nos aliquando in principio adhibentes venæ sectionem in simili casu iam dicto, aliquos curauimus. Benedictus Fauentinus præceptor meus, *vt etiam annotauit in sua Empirica*, statim in principio venam secabat. At in hac Domina, quia debilis & prægnans erat, & iam diu hoc malo laborauerat, venam non secuimus: ita neque in Domina Assendelphia, dysenteria laborante, de qua suo loco dicemus. Sed eadem quoque contro-

Purgatio. uersia est apud medicos illustres de purgatione. Verum iam indubitatum est, vbi & morbi magnitudo, & cetera non repugnant. In huius etenim morbi curatione duobus sæpius modis peccatur vulgo: celerius suppressa aluo, & adstringentium vsu impacto pure in inuolucris intestinorum. Suppressa intempestiue dysenteria vidit Hollerius insanam factam mulierem, cui in perpetuam vitam ita constricta aluus, vt septimo quoque die tantum excerneret, & inde ore & naribus grauiter oleret. Galenus de venæ sectione contra Erasistratum *se non paucos vidisse scribit, qui dysenteria, varicibus, hæmorrhoidibus suppressis in insaniam, apoplexiam, atram bilem, nephritidem, pleuritidem, hydropisin, sanguinis vomitionem & hæmoptoicam passionem inciderint: nobilis quidam pictor in scabiem fœdam.* Corpore enim pleno materia feruida sursum fertur. Alioqui ita resiccatur intestinum, vt maneat perpetua alui adstrictio. Si sursum & deorsum obseratur, in inuolucris intestinorum aceruatur magna puris quantitas, quæ tandem interficit. Id Hollerius cuiusdam corpore dissecto obseruauit. Et sic si quid sanguinis missionem prohibeat, aut post eam adhuc vitiosi succi redundent, ita vt intestinorum vlcera adhuc efficiant, aut augeant, purgationem adhibere non erit alie-

Purgatio. num, quam iterum veluti sectionem venæ non vniuersam, sed per vicem tentabimus, eodem Alexand. auctore: etenim fieri nequit, vt intestinorum vlcera curentur manente adhuc ea, quę ipsam efficit, aut auget, caussa. Curtius his ℥ ß. cassiæ da-

12. bat, & eam commendabat: alii vituperant. Sed & Amatus *curat. 44. centur. 2.* in dysenteria dedit rhab. infusum *ad* ʒ j. *cum* ℥ ß. *cassia cum aqua plantag.* At secundum alios medicos illustres, rhabar. & myrobalani satis morbi caussam deponunt, nec a nobis repudianda sunt, licet Galenus ea non nouerit: si enim nouisset, proculdubio iis vsus fuisset. At thamarindi suspecti in dysenteria. Attamen vstulatum rhabarb. in principio non dandum. De vomitu controuersia quoque est, *num*

Vomitus. *eo sit vtendum ob auersionem?* Hic quidam vbi humores promte per vomitum euacuari possunt, id tentant, cum per eum, non solum eorum euacuatio fiat, verum etiam & diuersio. Id quod vbi fluxio valenter irruat, exsequendum esse iussit pro vlcerum curatione Galen. 4. meth. med. dum dixit, *Vtique si in superioribus vlcus consistat, per inferna purgantes: sin autem in inferioribus sit, superiorem ventrem vacuantes.* Profecto, si æger facile vomat, neque ventrem valde imbecillum habeat, neque extreme fastidiat cibum, leuia vomitoria vtilia erunt. At si per vomitum facile, qui redundant succi purgari nequeant, per aluum eos vacuare non erit alienum. Nam etsi per exulceratas partes pertranseunt, extra tamen educenda sunt per

13. conferentia ac communia loca. Neque id per vehementia pharmaca tentandum erit, sed per mitiora, ac familiaria, quæ insuper vlceri nocumentum non inferant; quorum copiam nostris temporibus inuenire haud difficile erit, de quibus paulo ante dictum est. Caussam quoque respici-

Quæ vrinam ciunt, quibus conueniunt. mus, deriuatione ad vrinas. Prosunt etenim ea, quæ vrinam mouent (*inquit Celsus*) in aliam partem humorem auertendo, si ea consequuta sunt: si non sunt consequuta, noxam augent. Iis vero vtendum post aliquot dies, vbi tanta copia excrementorum non est: timor enim esset, ne exulcerarent eas vias etiam angustiores. Interim tamen ea temperare oportet victu, scilicet ptisana, alica, oryza, & similibus. Volunt & alii deriuationem

Vlceri tũ symptomatis prospiciendum. quoq; ad cutem conuenire, procurando sudores, & densantia cutem euitando, vt frigus externum. Quæ vero sequuntur medicamenta apud auctores, communia sunt; vlceri nempe prospicere ne augeatur; ipsumque sanare iam factum; & tertio symptomatum curam habere. Nam ea in hoc

casu habent caussæ rationem: si quidem dolor & vigiliæ, & continua motio corporis proritant partim fluxum humorum commouendo, partim ad eorum generationem faciunt. Quoniam corpus excalfaciunt magis & siccant. Sed & pariter vires destruunt, & cibi fastidium faciunt. His igitur omnibus statim ab initio prospicere oportet, nunc magis, nunc minus, pro eorum magnitudine, atque ea medicamenta eligere, quæ omnibus his scopis possint satisfacere, per epota, per infusa, & per ea, quæ dolenti parti applicantur. Debentque habere has conditiones, vt siccent, refrigerent: præsertim cum vlcus inflammatum est: vt eluant acres sanies, vt oblinant partem & dolorem sedent, vt lac scissile epotum vel infusum mediocriter coctum, caprinum vel ouillum vel etiam bubulum, initio adhibitum, donec inflammatio cesset. Exterius valent castratorum omenta infusa in vino austero & rosaceo oleo, & tepentia apposita, vel ptisanæ succus infusus, vel oryzæ. Oblinunt & siccant: quibus adiicere possemus oleum ros. seuum hircinum recens. Sæpe iteranda ob continuum materiarum influxum. Continua ergo eget ablutione & attemperatione. His adiicimus, quæ dolorem sedant, vt rosaceum cum seuo: & oua cum tota substantia, & tepida infundimus. Seuo cum rosaceo soluto æquali portione dissoluto & infuso, idque iuxta Iacchinum ter quaterue in die. Alii pinguium castratorum capita cum hordeo coquunt, mox addito ouo, & oleo ros. & seuo clysma conficiunt. His vtendum, donec dolor & inflammatio remittuntur; postea ad ea, quæ vlcus cruentum sanant, est descendendum: & itidem offerenda sunt potui, & per clysmata infundenda, quæ siccent & densent, sine morsu tamen, *ex succo plantag. tepido, polygonati, cum oleo rosaceo, & ex adstringentibus rubo, canirubo, ros. & myrtillis, etiam in potu assumta.* Quod ad symptomata attinet, sedabimus dolorem, & vna vigiliis occurremus narcoticis adiectis, & aliquid philonii vel potius decoctum papa. infundemus. Quod si vlcus sit sordidum, medici veteres aquam salsam iniiciebant, & clysmata valde acria: quos nullo modo (*vt dicebat Rondeletius*) imitari debemus, vt nec eos, qui sandaracam, auripigmentum, calcem viuam & alia eiusmodi iniiciebant, *& vt Iacchinus admonebat*, ægros in discrimen ob dolorem ducebant. De quibus videas alios auctores. At exemplis subsequentibus omnia lucidiora apparebunt.

14.

15.

OBSERVATIO XXXV.

De dysenteria, quæ sex mensibus ægrum infestabat.

1.

MErcator in foro auenario Delphis habitans temperatura biliosa, satisque exusta, circiter triginta annos natus, post longam peregrinationem multosque perpessos labores, ex Gallia reuersus, & nunc paulo tranquillior, cum vxorem duxisset, & delicate magis viueret, in fluxum diuturnum ventris incidit, mox in dysenteriam lapsus, per sex integros menses cum misere vitam duxisset, doloribus ac torminibus sub vmbilico pene exstinctus est. Verum cum hic experimenta multorum ac muliercularum, frustra, ac diu multumque tentasset, tandem anno 1562. circa Martii mensis initium nostram opem expostulauit, omni spe destitutus. Qui equidem cum hæc subsequentia remedia eidem per me fuissent præscripta, præter omnium hominum opinionem sanitatem fuit consequutus. Omnium primo iniectum est hoc enema. ℞ *decoct. hordei communis parum torrefacti* ℔ *j. olei ros.* ℥ *iij. zacch. rub.* ℥ *j. ß. vitellum vnius oui, misce.* Materia eo clystere vtcumque detersa, dolor quoque nonnihil mitigatus est. Mox altero die sequens enema infusum, recipiens lactis bubuli chalybeati ℔ *j. zacch. rub.* ℥ *j. ß. duo vitella ouorum, misce.* Deinde & tertium. ℞ *decoct. hordei communis torrefacti* ℔ *j. olei ros. cotoneorum, ana* ℥ *j. ß. ouorum vitella, num. ij. zacch. rub.* ℥ *j. ß. misce.* Iis tormina cessarunt, & facta est mutatio excrementorum in meliorem statum: quod equidem pro optimo signo habuimus, *iuxta aphorism. 14. lib. 2.* In profluuiis alui, mutationes excrementorum iuuant, nisi ad mala mutatio fiat. Iniectis demum eiusmodi clysmis, acres materias eluentibus, & per superiora hæc propinauimus, primo abstersorium hoc medicamentum. ℞ *decoct. hordei communis* ℥ *vj. syr. ex infus. ros. commun.* ℥ *iij. misce. conficiebatur ex ros. omphacinis non valde apertis, affusis septies vel pluries atque abiectis, vt ego parare soleo*: In eo enim inest vis doloris sedandi mira, sed & oblinendi. Purgauimus autem hoc modo. ℞ *folior. plantag. m. j. flor. ros. rub.* ℥ *j. myrob. citrinor.* ℥ *iij. myrob. chebul. indor. ana* ℥ *j. ß. schœnanthi* ℥ *j. bulliant in aqua pluuiali.* Huius colaturæ accipe ℥ *iij. adde rhabarb. electi* ℈ *ij. ß. syrup. ex infus. ros. & coton. ana* ℥ *ß. misce, fiat potio*: quinquies eduxit. Deinde & hoc præscriptum est. ℞ *hordei communis p. j. seminis plantag. flor. ros. rub. an.* ℥ *j. bulliant in aqua pluuiali: & huius colaturæ accipe* ℥ *iij. syrup. coton. ex infus. ros. ana* ℥ *ß. misce.* Postea dedi ℈ *ij. ß. rhabarb. parum tosti cum decoct. plantag. & flor. ros.* Deinde & ea, quæ magis constringerent. ℞ *sem. plantag. exsiccati, & puluerisati,* ʒ *j. trochisc. de carabe, de spodio, cum sem. acetosæ, ana* ʒ *ß. corni cerui vsti* ℈ *j. ß. coralli rub.* ℈ *ß. puluerisentur subtilissime, & diuidantur in tres partes, & detur cum vino rubeo Gallico vna dosis.* Altera *cum decoct. sem. plantag. flor. ros. & centum nodii, aqua cum decoct. vini rubei*, in quo bullierint rosæ, sem. plantag. & centumnodium. Hæc quoque condita præscripta. ℞ *conseru. ros. antiquæ* ℥ *vj. diacotonei sine speciebus* ℥ *ß. trochisc. de spodio, cum sem. acetosæ,* ℈ *iiij. syrup. coton. rob de ribes, syrup. myrt. ana* ℥ *ß. misce.* Aliud, quo etiam vsus est: ℞ *conserua ros. veteris* ℥ *vj. diacydonii sine speciebus* ℥ *ß. trochisc. de spodio, cum sem. acetosæ* ʒ *ß. syrup. menthacei* ℥ *ß. insuper victu conuenienti vtens & adstringente, probe conualuit a dysenteria deplorata.* Vnice & hic prodest vinum decoct. gnaphali tam potum quam loco fomenti adhibitum. Et nihil præstantius, quam ʒ j. coaguli leporis pota ex sapa, & stercus canum sola ossa vorantium cum lacte chalybeato, *vt sæpius expertum est.*

2.

3.

SCHO-

SCHOLIA.

4. *Dysenteriæ curatio ex redundante bile orta.*

IN curatione dysenteriæ rationem humoris abundantis habere oportet, *sicuti in aliis alui profluuiis, de quibus antea satis dictum est.* Tamen ad maiorem explicationem, præter ea, quæ in principio huius libri dicta sunt, si dysenteria sit ex bile, si detur occasio, aliqui etiam syrupi magis sunt elegendi ex multis, *vt de ribes, ex succo acetosæ, de portulaca, cichoreæ, intubi, ex infus. ros. ex ros. siccis, end. & aquis eiusdem, plantaginis, acetosæ, permistis.* Deinde purgandi *cum myrob. citrinis, & rhabarb. infuso, & syrup. ex infus. ros.* Postea etiam ad maiorem adstrictionem relinquendo cum rhabarb. parum tosto, *vt multis exemplis iam ostendimus.* Si vero ex salsa pituita, proderunt syrupi *ex succo borag. myrtinus, ex infus. ros. mell. rosa. cum plantag. aut acetosæ aqua, vel absinthii decocto.* Deinde pituita ita paululum præparata, purganda, *cum decoct. myrobal. chebul.* Aliqui his & agaricum addunt, & dicunt, conferre auctoritate Dioscor. nam & Galen. participem esse ait leuiculæ adstrictionis, *cum syrup. infus. ros. myrtino & rhabarb.* Si atra bilis ea parata cum syrup. *ex succo fumariæ, borag. acetosæ, infus. ros. aut pomorum,* eam purgabimus *cum foliis senæ, epithymo, myrobal. indic. decoctis in aqua acetosæ, plantag. borag. lupulor. adiecto rhabarb. si opus est.* Et si perseuerauerit, myrobalanos & rhabarb. torrefaciemus, vt maiorem restrictionem habeant. Deinde per superius adstringentia adhibebimus, si intestina superiora læsa sunt: cuius exemplum posuimus *obseruat. 33. præcedente,* & ibi multa remedia attulimus, Præter ea, quæ ibidem diximus, hic pul. præstantissimus habetur, quo Donatus vti solebat. ℞ *sem. ros. oxalydis, plantag. portulacæ, ana* ℈ j. *coralli rub. cornu cerui vsti, ana* ʒ j. *amyli, draganti, ana* ʒ ß. *misce, detur cum zacchar. rosa. vetusto, cum succo cotoneorum vel cornorum zacchard confectorum, vel succo plantag. portulacæ aut polygoni, vel cum syr. ex iisdem succis paratis.* Valent & trochisc. (vt sæpe diximus) *de spodio, succino, terra lemnia, & micleta Nicolai ad* ʒ j. *item mora acerba in sole siccata, trita: aut mora rubi aliquo liquore, aut obsoniis inspersa, & althææ rad. aut rubi aut hippuris decoctum ex aqua pluuiali, iuxta Paulum & Aetium, & thuris cortex potatus, & mali punici flores, & cornu ceruinum vstum & portulacæ succus, ac ea ipsa cocta & comesta.* Si in inferioribus intestinis fiat dysenteria, infusis vtendum, *vt obseru. iam citata quoque ostendimus.* De quibus scholio sequente nonnihil quoque agemus.

Si ex salsa pituita, curatio.

Si ex atra bile fiat, curatio.

5.

OBSERVATIO XXXVI.

De quodam dysenterico mortem incurrente, cum enemata admittere nollet.

1. CVm Alemariæ contagiosa grassabatur, dysenteria, Bartholdus ille, filius Andreæ Celli, qui nunquam ambulauerat, sed perpetuo claudus paralyticus sellæ insidebat, ætate grandæuus dysenteria correptus in crassis & inferioribus intestinis, cum vlcus serpendo procederet, nec enemata admittere vellet, suæ stultitiæ pœnas dedit: ita vt cum cruciatu maximo, hic miser tandem obierit.

SCHOLIA.

2. STultum hoc genus hominum apud nos frequens, ne dicam temerarium, qui mallent mortem oppetere, quã enemata salutaria admittere. Dictum est prius, & exemplis ostensum, *auctore Galeno,* quod superioribus intestinis læsis, potionibus occurramus; inferioribus vero, clysmis; mediis vero vtroque modo succurrimus. At horum quoque delectum habere oportet. Nam alius clyster abluens, vel vulgo lauatiuus ad abstersionem fit, sine tamen aliqua proritatione, differens ab abstersiuo, qui datur ad pituitæ abstersionem; fit ex abstergentibus herbis & facultatem proritantibus: hic vero ex abstergentibus citra morsum. Et hoc facimus in dysenteria & tenesmo. Dysenteria siquidem, vt vlcus est, omnino duplici abundat excremento, quod auferendum est, antequam vtamur adstringentibus, & sarcoticis, & eousque his vtendum. Lauatiuus est, donec intestina omnino sint abluta. Conficitur autem ex decocto hordei, zacchar. ros. vel melle ros. vitellis ouorum. Additur succus plantaginis, vbi videmus intestina aliqua ex parte abluta, tum vt aliqua fiat adstrictio, tum vt intestina refrigerentur. Additur præterea mel cum succo planta. semper, donec vlcus sit sufficienter detersum, eoque sit medicamentum compositum ex adstrictione & abstersione, quo vtimur ante clysterem cõstrictiuum & consolidatiuum; præceptum illud commune sequentes, ab vno remedio ad aliud dissimile, per medium aliquod esse progrediendum, vt in inflammatione vtimur repellentibus simul & digerentibus post repellentia pura, antequam solis digerentibus vtamur. Fit vero clyster sic. ℞ *decoct. hordei integri* ℔ j *mellis ros. vel zacchar. rubei* ℥ j. *vitell. ouorum num. ij. olei rosacei* ℥ ij. *misce, fiat clyster.* In hoc vitelli ouorum abstergendo leniunt, eoque dolorem sedant, auferunt asperitatem, & coquunt: oleum autem rosa. refrigerat, dolorem sedat, & leuiter adstringit. Sunt qui loco decoct. hordei accipiant decoctionem capitis veruecis, vel intestinorum, ob similitudinem substantiæ, & pinguedinem eorum, & seuum, quod partes lenit exasperatas. Additur & in decoct. intestinorum hordeum ad detersionem. Cum volumus transire ad astringentia, addimus ros. & succum plantaginis. ℞ *hordei integri p. j. foliorum plantag. m. ß. ros. rub.* ℥ j. *fiat decoctio in* ℔ j. *colatur. dissolue, mellis ros. & succi plantag. ana* ℥ j. *olei ros.* ℥ ß. *vitellos ouorum, num. ij. misce, fiat clyster, qui præscribendus est post præcedentem clysterem.* Constrictiuus clyster ad ventris constrictionem præscribendus est duplex. Alius constrictiuus, in quo solum intendimus fluorem alui constringere, vt in diarrhœa, constat herbis, seminibus, & aliis astringentibus. Herbæ in summa sunt omnes, quæ adstringunt, *vt bursa pastoris, tapsus, caules diutius cocti, folia sumach, myrtus, berberis, acetosa, lysimachia.* Adduntur *sem. plantag. coriandr. fructus sumach, acetosæ, cupulæ glandium, galla immatura, glandes, psidiæ, rosæ albæ & rubræ,* hoc modo. ℞ *tapsi barbati cum toto, rad. bursæ pastoris,*

Clysteres diuersi.

Lauatiuus.

3. *Intestinis ablutis, quæ addenda.*

Abstergens & leuiter constringens.

Detergens, leniens, dolorem sedans, asperitatem auferens, refrigerans.

4. *Clyster parum detergens, sed magis constringens.*

Constrictiuus clyster duplex.

Constringens.

hippuris, acetosæ, fol. myrtin. ana m. j. sem acetos. portulacæ, ana ℥ iij. gallar. sorbarum, mespil. ana num. xx. ros. rub. p. j. fiat decoctio in aqua chalybeata, vel pluuiali, in ℔ j. colaturæ, dissol. seui hirci ℥ j. misce, fiat clyster. Alius constrictiuus & consolidatiuus, qui fit ex iisdem herbis, *vt ex plantag. polygono, foliis salicis & aliis, quæ vim habent refrigerandi & constringendi sanguinem.* Additur in hoc clystere seuum hirci, quoniam coagulatur & concrescit citius ob siccitatem, & materiam terream, quam aliud, concretum vero cooperit superficiem vlceris, & prohibet, quo minus acrimonia humorum recrudescat. Vlceri quandoque cicatricem inducit opera aliorum simplicium, quibus eo scopo vtimur, *vt gummi Arab. terra sigillat. bol. armen. mastiche,* quæ omnia consolidant. Vt: ♃ *hippur. plantag. myrtin. sumach, tapsi barbati cum rad. ana m. j. sem. berb. plantag. portulac. coriand. ana ℥ ij. florum ros. chamomill. ana p. ß. vel ℥ j. fiat decoct. in ℔ j. colatur. dissol. acaciæ, hypocyst. ana ℥ iij. sacch. rub. vel mell. ros. ℥ j. vitellos ouorum assatorum numer. ij. seui hircini vel caprarum ℥ iij. fiat clyster.* vel fiat sic: ♃ *succi plantag. & polyg. ana ℥ vj. olei ros. ℥ ß. seui hirci ℥ iij. misce.* & facta residentia adde *pul. bol. armen. sanguin. dracon. vel lapid. hæmatit. vel terræ sigillatæ, vel mastiches, ana ℥ j.* pulueres isti sunt subtilissime terendi; alioqui multum nocent vlcus pungendo. Quæ viscida sunt, magis conueniunt, quam nimis acida, propter læuorem, quem habent dissoluta, ob quem asperitatem non inducunt partibus, neque dolorem. Possunt & alia addi, quæ vim habent constringendi & consolidandi, *vt ladanum, hypocyst. & huiusmodi.* Addit etiam Galenus aliquando *pinguedinem porci, sed hoc tantum cum dysenteria magis est ab acrimonia humoris, quæ est obtundenda.* Raro tamen ea vtimur pinguedine, ob eius immodicam humiditatem. Ad sedationem doloris præstaret, vt oleo rosa. In deplorata dysenteria, postquam optime detersum vlcus est, si supprimi non possit sanguinis fluor, *cauda equina, sem. portul. plantag.* & aliis adstringentibus modo iniectis. *Veteres (vt prius diximus) non imitandi, qui calcem viuam, sandaracam iniiciebant.* Quin imo in hoc casu Rondeletius solitus erat inungere ventrem & posteriorem partem oleo cydon. & myrtill. ros. & aliis similibus adstringentibus, cum multo aceto ad penetrationem, refrigerationem, exsiccationem, & repercussionem. Acetum enim insigniter adstringit, proinde fluorem omnem compescit. Optimo autem processu semper idem propinauit poscam, (*quæ fit ex aqua & aceto*) sanguinem spuentibus. Solent etiam exstingui sapa ignita, aceto; & vapor inde elatus excipitur ano, in sella perforata sedente ægro. Hæc quidem vtilia duximus addere ex Rondeletio. Laudatur etiam insessio, qua Iacchinus commode vsus est, vim habens auertendi exiguam materiam & constringendi. Auertit quidem calore actuali trahendo ad cutem: constringit vero qualitate medicamentorum strictiua, quæ per anum penetrat vsque ad vlcus. Compositio eius est talis. ♃ *tenera germina quercus, baccas cypreßi virides, nuces pineas virides, vel pini folia & corticem.* Secretum est maximum ad pueros.

5. *Alius constrictiuus & consolidatiuus.*

Alius consolidans & constringens.

Alius.

6.

Inunctio.

7.

OBSERVATIO XXXVII.

De dysenteria cum variis accidentibus.

DOmina Assendelphia, anno 1575. Traiecti agens, cum aliquot septimanis dysenteria laborasset, & permissu Principis Auraici in Hagam Comitis rediisset, vt curari posset, anno 1575. 19. die Februar. me vocari iussit. Quæ subinde & febricitabat, sed leuiter, ac aliquando dolorem in latere sinistro, nempe liene, sentiebat. Huic varia medicamenta per me descripta sunt, quibus magno cum nostro honore tandem curata fuit. Inprimis vero per os hoc lauatiuum cepit. ♃ *decoct. hordei communis ℥ iij. syr. ex infus. ros. ℥ j. misce.* Mox & ex hoc condito sumebat, cum valde debilis esset. ♃ *diacyd. sine speciebus ℥ vj. conseru. ros. ℥ ß. myrob. empelitic. condit. ℥ ij. trochisc. de terra sigillata ℥ j. syr. coton. q. s. fiat conditum.* Prius Traiecti fuerat purgata cum rhabarb. & myrob. & quia iam diu durauerat dysenteria; ideo ad constringentia ob virium debilitatem peruenimus, nempe 21. Septem postquam his syrupis vsa esset. ♃ *syr. de portul. ℥ ij syr. menthacei ℥ j. misce,* hanc potionem dedimus. ♃ *portulac. polygoni, ana m. j. myrob. citrinor. & indorum* (ob dolorem in latere sinistro) *ana ℥ ß. vuar. passul. cum arill. ℥ ß. coquantur in aqua communi:* cuius decocti, manibus prius confricati & colati, accipiebamus *℥ iij. rhabarb. puluer. & prius parum tosti ℈ ij. ß. syr. ex ros. sicc. ℥ ß. misce.* detur vnica vice. Qua potione materia aliquantulum mutata est, postea tamen sanguinolenta redeunte. Quare & hoc conditum capiebat. ♃ *conseru. ros. veter. ℥ ß. diacyd. sine speciebus ℥ ß. trochisc. de terra sigillat. de spodio, de carabe, ana ℈ j. syrup. de portul. myrt. coton. ana ℥ ß. manus Christi cum perlis ℥ iij. corticum citri conditi ℥ ij. pul. frag. lapidum pretios. ℈ j. fiat conditum.* Pro alteratione & febre 24. Septembr. hæc præscripta sunt. ♃ *syrup. granat. de ribes, de portulaca, de acetos. citri, cotoneor. ana ℥ ß. misce.* ♃ *zacch. ros. perlati ℥ j. ß.* deinde hunc pulu. cum vino rubro Gallico sumebat ad maiorem restrictionem, febre satis sedata. ♃ *corni cerui vsti, rad. tormentill. ana ℈ j. vnicornu* gr. v. *perlarum subtilissime tritarum ℈ j. misce, fiat pulu.* Sed & hunc pul. 27. Septemb. cum maximo commodo dedimus: ♃ *rhabarb. tosti & pul. ℈ ij. myrob. citrin. indor. an. ℈ ß. misce, fiat pulu. cum vino rubr. exhibebatur,* simul & hoc decocto vtens. ♃ *portulacæ, plantag. bellid. minor. polygoni, ana m. j. sem. plantag. ℥ j. coquantur in ceruisia communi,* qua bis aut ter in die vtebatur, modo etiam per se sumens *sem. plantag. ℥ j. cum vino rubr.* cum amplius non febricitaret, & tunc potus erat vinum rubeum, cum aqua cocta chalybeata dilutum. Modo etiam ceruisia, in qua mespila confracta immatura iniecta erant. Ita illo potu delectabatur, vt illo solo se curari affirmaret. Sub noctem capiebat lac amygdal. modo cum aqua furfuris, modo cum aqua farinæ oryzæ paratum. Cibus erat constringens: nempe pyra assata, modo in vino rubro cocta & suffocata.

1.

2.

3.

cata. *Cotonea assata, lac acetosum cum farina, oua duriuscula, etiam ex vitellis liba confecta, cum sem. plantag. ius restaurans, gelatina ex carne caponis, pedibus ouillis, vitulinis, pomis, cotoneis, mespilis, aliquot aureis nummis adiectis, pauco vino, & aqua ros. exigua in balneo maris, pro iure restaurante decocta, conseru. rosat. antiqua subinde adiecta, & diacydonio sine speciebus.* Quibus remediis optime tandem curata fuit.

SCHOLIA.

4. Habes exemplum egregium apud Amatū cent. 2. curat. 46. de iuuene biliaso, qui a dysenteria biliosa gelida potu fuit curatus, & curat. 47. de altero, coitu a dysenteria liberata.

VAria habentur experimenta contra dysenteriam. Non desunt vulgares, *qui semen sophiæ admodum commendant*: noui aliquos, *qui illud semen cum pane butyraceo comedebant.* Quidam etiam, Celso auctore, *vbi pluribus diebus nihil remedia iuuant, & vetus iam vitium est, aqua admodum frigida vtuntur, qua absumta vlcera astringit, & initium secundæ valetudinis facit.* Sed vbi venter suppressus est, protinus ad calidam potionem reuertendum est, *vt idem Celsus refert.* Illud tamen memoriæ semper mandandum, quod communis omnium indicatio partium internarum est, vt ea eligantur, quæ animalis naturæ maxime sint familiaria, siue ea cibi sint, siue medicamenta: fugiantur respuanturque huic contraria, *Galeno auctore 4. medend. methodo.* Quapropter medicamenta, quæ ex opio, alterco, nigro papauere, aut mandragora componuntur, vitari omnino debent, nisi forte maxime vrgeat necessitas, *ex Tralliani sententia.* Nam licet somno dolorem leuare videantur, & propterea venter retineri conspiciatur, tamen humores in vnum collecti postea sine intermissione deiiciuntur, capiteque grauato, ac viribus labefactis ventrem reddunt deteriorem, & maius cibi fastidium inducunt. Tutius tamen per sedem (*necessitate cogente*) quam per os adhibentur, *vtpote ʒ ß. aut ℈ ij. philonii Persici, aut catapotiorum de cynoglossa, seu eius medicamenti, quod a Nicolao Requies appellatur,* Quam periculosa sint narcotica & stupefactiua, diximus *scholio obser. 17. huius libri.* Sed videndum, num etiam dysenteria ex medicamento venenoso originem traxerit. Noui zythepsam Delphium, cui antimonium datum erat, plus centum sedes inde habuisse, quibus enormia symptomata subsequebantur; quamuis idem a me curatus fuerit: *& alius, de quo dictum est obser. 16. huius libri.* At si ex venenatorum pharmacorum potu oborta fuerit dysenteria, iis quæ in venenorum potu conueniunt, præter ea, quæ diximus, erit vtendum, *iuxta Aetium.* Sunt autem huiusmodi in triplici differentia, vomitoria videlicet, obtundentia atque exstinguentia: in quorum numero etiam acria comprehenduntur, *vt ipse inquit.* Restat vt nunc aliqua addamus de dysenteria contagiosa.

5.

Curatio si ex venenatorum pharmacorum potu dysenteria oborta fuerit.

OBSERVATIO XXXVIII.

De dysenteria quadam contagiosa & pestilenti.

1. PEstilentes & contagiosæ fiunt aliquando dysenteriæ, ex pestilenti constitutione, vt Galenus meminit pluribus in locis, *vt aphorism. 21. lib. 4. & in lib. de atra bile.* quidam excernebant nigra quædam, 7. 9. & 11. & quibus deiectio talis non fuit, pustula nigra toto corpore excitabatur. Nullus autem seruatus, ex iis, qui atram bilem exactam deiecerunt. Primis diebus erant ruffæ & colliquationes, vitellinæ, crassę, acres, fœtidæ, spumosæ, vt in alio loco κατατόπως. Sic anno 1567. cū populares essent dysenteriæ Delphis, Beatrix Ioannis, vxor Tielmanni tinctoris, in aggere tinctorio habitans, duabus puellis ex dysenteria orbata (*quas Cornelius Heydius collega meus præ manibus habuerat.*) Ipsa quoque eadem dysenteria contagiosa correpta, & mœrore confecta, cum alias proles tunc temporis non haberet, me ad curationem vocauit. Cui hos syrupos, vt frequenter sumeret mandaui. 2. ℞ *syrup. de limonibus* ℥ j. ß. *rob de ribes* ℥ j. *syrup. cydon.* ℥ ß. *misce.* Deinde vt ex hoc lotiuo frequenter caperet cyathum vnum. ℞ *decoct. hordei non excorticati* ℔ j. *syrup. ex infus. ros.* ℥ iij. *misce, fiat iuleb.* Cibus autem erat amygdalatum sequens. ℞ *amygdal. dulc. depilat.* ℥ iij. *sem. pap. albi* ℥ j. *tusa cum aqua furfuris, fiat amygdalatum: sacchar o perlato dulce reddatur.* Sub noctem vero ex eo capiebat. Hæc primo die, nempe 5. Decembr. præscripta. Die sequenti, qui erat 6. Decembr. accitus est meus collega Heydius, & cum dysenteria laboraret, vna cum magnis torminibus, rursus hos syrupos sumebat. ℞ *syrup. ex ros. siccis* ℥ ij. *syrup. cotoneor. de ribes, ana* ℥ j. ß. *misce.* Octauo Decembris, cum febris non multum vrgeret, capiebat ex conserua rosa. vnius anni frequenter. Nono Decembr die hoc præscriptum est. ℞ *syrup. de ribes, cydon. ex ros. siccis, ana* ℥ j. ß. *misce.* Vndecimo decembris etiam illud. ℞ *myriophylli seu millefolii m. j. hordei communis* ℥ j. *cornu cerui vsti* ℥ j. *fiat decoct. in aqua pluuiali ad* ℔ j. *colaturæ addendo syrup. ex ros. siccis* ℥ iij. *fiat iuleb.* quo dolor plurimum mitigabatur. 3. Duodecimo Decembris hæc gelatina descripta, qua plurimum delectabatur. ℞ *amygdal. dulc. depilat.* ℥ iiij. *aquæ plantag.* ℔ j. *fiat amygdalatum: amygdalis contusis adde ichtyocollæ & sacchari perlati q. s. cinnamomi selectissimi* ℥ j. *fiat gelatum, secundum artem.* Vix febricitabat. 20. Decembris, cum fluxus nondum cessaret, hic potus a nobis præscriptus est: ℞ *rhabarb. parum vstulati* ʒ ß. *myrobal. citrin.* ℈ j. *puluerisentur subtilissime, & misceantur cum* ℥ j. *syrup. ex infus. ros. commun. & cum* ℥ iiij. *aquæ hordeaceæ; fiat potus: quem mane in aurora sumsit, & cœpit fluxus cessare.* Interea hunc syrup. frequenter sumebat. ℞ *syrup. coton. de ribes, ex ros. siccis, ana* ℥ ij. ß. *misce.* Ceterum cum ob crebras assellationes doleret circa finem spine, prope anum, in spondylibus inferioribus dorsi, vsque ad nates descendendo, hoc ceratum appositum est. ℞ *sumach, balaust. ros. hypocistid. acacia, an.* ʒ ß. *gummi tragacanthi* ʒ vj. *sem. plantag.* ʒ ij. *farinæ volatilis* ℥ j. *fiat pul. vt alcohol, & cum albumine oui fiat ad formam emplastri seu cerati.* 4. Quibus remediis hæc mulier a contagiosa dysenteria intra 14. dies curata fuit. At mater eiusdem eodem contagio affecta, materia multo maligniore existente cum febre admodum perniciosa &

pestilenti, in Haga Comitis decumbebat: ad quã vna cum Ericio & Billichio medicis vocatus sum: sed nulla remedia neque clysteres profuere: ita vt 14. die obierit. At cognata eodem morbo affecta, optimis remediis conualuit.

S c h o l i a.

5. Hæc contagiosa dysenteria aliquando integrum exercitum inuadit & prosternit: & adeo graue est hoc malum, vt ex præcedentibus torminibus, erosis villis, etiam viscera post mortem erosa spectentur, *vt apud Beniuenium cap.* xcvi. *videre licet.* Multos enim non subito, sed paulatim exstinguit: quemadmodum quondam Harlemi post obsidionem grassata est: etiam Delphis in hyeme, anno 1580. Tunc Margareta Christiana, quæ apud amitam agebat, in domo, cui Mundus pro insigni erat (*facta prius sectione venæ, statim in principio, in pauca quantitate, ex vena basilica*) hunc syrupum sumsit. ℞ *syrup. cydon.* ℥ j. *syrup. de portulaca* ℥ ß. *aquæ portulacæ, plantag. ana* ℥ j. ß. *misce.* Idem syrup. fuit descriptus Mariæ Petri Sasboti filiæ, in eadem domo, dysenteria laboranti: & hic sequens. ℞ *syrup. de portulaca, myrtini, cotoneor. ana* ℥ ß. *aquæ cichor. portulacæ, plantag. ana* ℥ j. *misce.* etiam hoc quod sequitur. ℞ *florum cord. flor. ros. rubear. ana m.* ß. *sem. plantag. endiu. ana* ʒ ß. *cort. myrobal. citrinor. empelitic. chebul. belliric. ana* ʒ j. *vuar. passul. cum arill.* ℥ ß. *liquir. ras.* ʒ iij. *coquantur in aqua communi: & huius colaturæ, prius manibus confricat. accipe* ℥ iij. *rhabarb. pulueris.* ℈ j. ß. *micletæ Nicolai* ʒ ß. *syrup. ex infus. ros. commun. syr. coton. ana* ℥ ß. *misce. fiat haustus.* Hunc etiam syrupum sumsit. ℞ *syrup. coton.* ℥ j. *syrup. ex infus. ros. comm.* ℥ ß. *aquæ portulacæ. plantag. ana* ℥ j. ß. *misce.* Istis remediis statim ab initio conualuere: nec aliis opus fuit medicamentis. Missio sanguinis his in principio profuit; *quemadmodum & apud Amatum centur. 2. curat. 48. in abbate Gracilio dysenteria biliosa cum febre laborante.* Vide eundem de dysenteria contagiosa, *centur. 3. curat. 90.* de vetula, quæ intra mensem obiit; & de tribus filiis vna morientibus; & de quarto pro deplorato relicto; ita vt ignem construxerit ex herbis suauiter olentibus, nempe roremarino, stœchade, origano, pulegio, maiorana, lauro, iunipero, cypresso, & similibus, vt Hippocrates fecit in peste: quibus reliquos domesticos præseruauit. Ego commode in ista pestilenti, & contagiosa dysenteria vtor bezoardicis *syrup. acidis, cordialibus, de ribes, de myrtillis, de limonibus, de acetos. citri, syrup. acetos. simpl. vino granatorum, iulebo rosato, puluere vnicornu, cornu cerui vsto, & pul. tormentillæ, bol. armen. vero, & terra lemnia:* & præter clysteres, tum alia conuenientia, in dysenteria prius descripta, auro in decoctis pullorum, perdicum, & similibus. Valent & iuscula alterantia, cum multa acetosa, & nodulo de berberis, & colaticia, hoc insperso puluere. ℞ *limaturæ auri* ʒ j. *margarit. pulu.* ℈ iiij. *manus Christi cum perlis* ℥ ij. *misce, conserua de berberis.* Hollerius hoc puluere vtitur. ℞ *limaturæ auri* ʒ j. *diamarg. recenter parati* ʒ ß. *nucis muscatæ* ʒ ß. *margar. smaragd. sapphiri, an.* ℈ ß. *panis sacchari* ʒ ß. *fiat pul.* Interea vtitur puluere vnicornis, cornu cerui, cum vino tenui, odorifero, diluto aqua, in qua aurum exstinctum est. In aurora dat theriacæ optimæ ʒ ß. *in vino granat. acetos. citri aut re simili dissoluens,* & similiter hoc electuario vtitur. ℞ *conseru. ros.* ℥ j. ß. *conseru. cort. citri condit. cum zacchar.* ℥ j. *cortic. citri* ʒ j. ß. *margar. elect.* ʒ j. *hyacinthi, smaragd. ana* ℈ ß. *serici crudi* ℈ j. *sem. citri mundat.* ℈ ij. ß. *acetosæ* ʒ ß. *boli armen. veri, terræ sigillat. ana* ʒ ij. *limaturæ auri* ʒ j. *cornu cerui & vnicorni, rasuræ eboris, ana gr. iiij. sacchar. albiss.* ℥ ix. *folia auri, num. x. fiat conditum ad formam zacchar. rosati, cum aqua ros. moscata.*

Dysenteria cõtagiosa multos pessundat.

Quæ valent ad dysenteriam contagiosam.

6.

7.

8. Hæc infrascripta multis Harlemensibus profuere, in dysenteria illa contagiosa post obsidionem, a medico Harlemensi tunc præscripta, quæ a Clutio, pharmacopœo tunc Harlemensi, & cognato nostro accepimus, nunc meo quidem pharmacopœo, in sua arte admodum versato. Quæ descripta fuere, anno 1573. in Decembri. ℞ *syrup. de agresta* ℥ ij. *syrup. ros.* ℥ j. ß. *syr. coton.* ℥ j. ß. *vini cydon.* ℥ vj. *aquæ portulacæ* ℔ ß. *aquæ plantag.* ℥ iiij. *vtatur pro tribus dosibus.* ℞ *radic. consolidæ maioris mundat.* ℥ ß. ʒ ij. *plantag. m. ij. cortic. mali granati in par. incis.* ʒ iij. *balaust. gran. mespil. sem. myrtill. ana* ʒ ij. *ros. rub. m. ß. fiat horum decoctio in aqua pluuial.* ℔ j. ß. *ad consumtionem tertiæ partis, colaturæ adde zacchar. ros.* ℥ iij. *& fiat potus.* vtatur pro sex vicibus. ℞ *rad. consolidæ maioris, exterius mundatæ* ℥ ß. *corticum malor. granat. balaustior. acaciæ, hypocystid. terræ sigillatæ, boli armen. sumach. gummi Arab. corall. rub. sem. myrtill. cornu cerui vsti, lapid. hæmatitid. ana* ʒ j. ß. *sem. pap. albi* ʒ ß. *opii gr. iiij. omnia secundum artem misceantur, cum diacydon.* ℥ ij. ß. *conseru. ros.* ℥. j. ß. *vtatur pro sex vicibus.*

9. Hæc in Ianuar. descripta sunt pro diuersis, anno 1574. ℞ *micletæ Nicolai* ʒ x. *conseru. ros.* ℥ j. *vtatur pro ij. dosibus. superbibendo singulis vicibus semel quod sequitur.* ℞ *syrup. myrtill.* ℥ j. ß. *vini cydon.* ℥ j. *aquæ polygoni* ℥ vj. *misce.* Dosis micletæ admodum magna est, cum probati auctores & Donatus iubeant tantum drachmam vnam tribui. Vti & illa dosi alteri per eundem medicum præscripta. ℞ *micletæ Nicolai,* ʒ j. *syrup. myrtill. aquæ polygonii* ℥ viij. *misce simul pro duabus dosibus.* Sed & 8. Ianuar. anno 74. alteri mulieri hæc præscripta sunt. ℞ *mespil. myrtill. rad. consolid. maior, exterius mundatæ, ana* ʒ vj. *cortic. malor. granat. balaust. ana* ʒ ij. *fiat decoctio in* ℔ j. ß. *aquæ pluuialis, secundum artem, ad consumt. mediet. colaturæ, adde syrup. myrtill.* ℥ iij. *aromat. cum santal. citrin. rub. ana* ℈ j. *cinnamomi optimi* ʒ j. *& fiat potus.* ℞ *conseru. ros.* ℥ j. ß. *diacydon. simpl.* ℥ j. *rad. consol. maior.* ʒ j. *trochisc. ramech.* ʒ j. ß. *cort. malor. granat. pul.* ʒ ß. *fiat mixtura.* Etiam illud pro Domina de Liques, 9. Maii. ℞ *vini coton.* ℥ ij. *syrup. myrtill.* ℥ j. *aquæ polygoni* ℥ iij. *misce.* 9. Maii: ℞ *conseruæ diacyd. simpl.* ℥ j. ß. *micletæ Nicolai* ʒ vj. *trochisc. ramech* ℈ iv. *cum syr. myrtill. q. s. misce, pro duabus dosibus.* 10. Maii: ℞ *rad. consol. maioris exter. mund.* ʒ j. *trochisc. de carabe* ʒ ß. *hypocystid.* ℈ j. *philonii descrip. Mesue* ℈ ij. *confect. diacyd. simp.* ℥ j. *cum zacch. fiat bolus, vtatur, statim superioribus haustum aquæ polygonii.*

11. *polygon.* Hæc omnia sunt constringentia valde, quæ non ita in principio, *vt diximus*, conueniunt, ante quam materia cum rhab. *vt prius ostensum est*, sit ex parte diminuta & euacuata. Quibus tamen formulis iam dictis, & similibus, plures a dysenteria valde contagiosa & lethali curauit idem medicus. Dosis tamen micletæ Nicolai nimis magna est. Ideo cum cautione vtendum, cum ℥ j. vel paulo plus aliquando satis sit. Interea semper symptomata quoq; & febrem respicere oportet. Memini quidem vxorem Garbrandi mercatoris, cognomento Ruchii dicti, Catharinam Singeliam nomine Alcmarianam Anno 1547. circa finem Februar. mensis ex dysenteria & vomitu superfluo, & menstruis valde profluentibus, ac tussi valida deplorate laborasse, post febrem continuam per modum crisis, febre ipsa tandem cessante, sed symptomatis adeo superfluis vires prosternentibus, vt in syncopen prolabenti restrictione opus fuerit; sumto hordei decocto, ad abstersionem, & myrobalanis parum vstulatis, tale apozema describere coacti fuimus, ℞. *sem. plantag. agni casti, sanguinariæ nostræ vulgaris, sem. acetosæ. ana* ℥ j. *granor. alkachengi* (vt materia ad renes diuerteretur) *num. iij. coquantur in vino rub. styptico, pro pinta vna*, ex quo subinde cochlear vnum sorbebat, idque singulis horis sæpius. Deinde pro

Dysenteria post febrem oborta & quomodo curata.

12. tussi, quæ caussa erat maioris defluxionis, ex linctu sequenti frequenter sumebat. ℞. *amyl. dragacant. ana* ℥ ij. *amygdal. dulc. depilat. & contus.* ℥ j. ß. *syrup. iniubini & myrthini, ana* ℥ j. ß. *misce.* Interea vtebatur lacte chalybeato, cum amplius non febricitaret, pro potu & cibo, & ex his tabulis sumebat, omni mane ʒ ij. superbibens cyathum decoct. infrascript. ℞. *terræ sigillatæ, trochisc. de carabe, de spodio, cum sem acetosæ. ana* ℈ ß. *amyli, gummi arab. ana* ℈ j. ß. *sem. plantag. acetosæ. ana* ℈ ij. *puluerizentur subtiliter, & dissoluantur in decoct. aquæ plantag. addendo zacchar. optimi* ℥ iij. *fiat confectio in tabulis*, capiebat mane ʒ ij. & vesperi ante cœnam, superbibendo cyathum vnum huius potionis. ℞. *sem. plantag. acetosæ, agni casti. ana* ℈ j. ß. *trochisc. de carabe, de spodio, cum sem. acetosa, trochisc. de terra sigillat. an.* ʒ ß. *crassius contusa coquantur in* ℔. *ij. vini styptici ad* ℔. j. eodem tempore libenter iniecissem clysterem: sed noluit admittere. At, Deo adiuuante, istis dictis dysenteria cessauit, & vomitus ac mensium profluuium & tussis consopita fuit, licet nos quoque ventrem, ventriculum, lumbos & pectinem hoc infrascripto vnguento inungi iusserimus. ℞. *olei myrtini, cotoneorum, menthacei. ana* ℥ ß. *terræ sigillatæ, spodii, ros. rub. ana* ℈ j. ß. *ceræ q. s. fiat vnguen.* Quamuis

13. autem Donatus in dysenteria nec cataplasmata, nec fomenta, nec vnguenta seu cerata ventri magnopere probet, potissimum vbi ea frigida atque adstringentia fuerint, nam quo magis, dicente Galeno, cutem densaueris, tanto magis fluxiones augebunt, *1. ad Glauconem:* tamen iuxta eundem Donatum, vbi cogamur, vehementi vrgente dolore, eisdem vti, perpetuo acetum cum iis miscebimus, quod & Rondeletius quoque iubet, *vt antea quoque dictum est*, vt medicamentorum facultas altius ad intestina penetrare valeat: poterimus & iis addere vini albi & tenuis modicum Et ideo, vt magis penetraret vnguentum, & restringeret, adiecimus dum fieret vnctio, aliquid aceti. Volunt etiam auctores, vt hæc medicamenta, nec facultate, nec actu admodum sint frigida: ideo nos adiecimus oleum menthaceum, & non frigide, sed moderate calide partes dictas inungi fecimus magna cum vtilitate, ita vt hæc mulier optimo victu quoque præscripto constringente, magna cum nostra laude curata fuerit. Sed nunc paululum vela contrahamus, quoniam tertium scopulum de fluxu, nempe dysenterico, prænauigauimus: restat igitur quartum genus ac vltimum, nempe tenesmus, eoque absoluto Oceanum illum latum fluxum superemus. Et quam-

14. uis differat, si proprie loqui velimus, (*vt postea latius dicturi sumus*) a dysenteria, potest tamen aliquando ex dysenteria fieri. Nam si diu hoc malum perseuerat, vigilias, iliacos & colicos dolores & tabem inducit, & ex dysenteria difficilior est. Interdum quoque tam vehemens affectus est, vt dysenteriæ similis videatur, cum & hic affectus, *vt quidam asserunt*, cum dysenteria non sine periculo quandoque contingat, vel, cum febre. Nam & diarrhœa, quæ a cholera & humoribus acutis euenit, sicuti & tenesmus, ab iisdem humoribus acribus ortus, dysenteriam tandem parere solet, quemadmodum & dysenteria e diuerso aliquando tenesmum inducit, *vt hoc exemplum sequens ostendet.*

OBSERVATIO XXXIX.

De diarrhœa postea in dysenteriam mutata, & postremo in tenesmum.

1. ANGLVS quidam in ædibus M. Guilhelmi de Dalen lithotomi diarrhœam incurrebat, quæ mox in dysenteriam transibat, deinde in tenesmum molestissimum, ac in frequentem & assiduam assellandi cupiditatem. Ad quem cum ingressus essem, his subsequentibus subsidiis breui admodum conualuit, 22. Iulii anno 1577. ℞. *decoct. hordei.* ℥ *iij. myrobal. citrinorum, chebul. parum tostorum puluerisatorum. ana* ℈. ß. *rhabarb. selecti tosti* (nam aliquot diebus antequam illum accederem laborauerat) ℈ j ß. *syrup. cotonei ex infus. rosa.* ℥ ß. *misce, fiat potio.* ℞. *diacyd. simpl.* ℥ *ij.* ℞. *oryzæ parum tosta.* ℥ ß. *pulu. & bulliat in* ℔. ß. *aquæ communis.* ℞. *amygdal. dulc. depilat.* ℥ *ij. & cum aqua dicta fiat amygdalatum, zacch. albiss. adiecto pro sapore delectabiliori.* ℞. *conserua rosa. veter.* ℥ j. *diacyd. sine speciebus.* ℥ ß. *rob de ribes.* ℥ ß. *trochisc. de terra sigillata.* ℈ *ij. syrup. myrtini, coton. ana q. s. fiat mixtura.* ℞. *sem. plantag. parum exsiccati* ℈ *ij. trochisc. de carabe.* ℈ j. ß. *rad. tormentillæ, cornu cerui vsti. ana* ℈ j. *diuidantur in duas partes, pro duabus dosibus. detur cum vino Gallico rub.* ℞. *zacchar. ros. in morsellis.* ℥ *iij.* ℞. *conseru. ros. vet.* ℥ ß. *diacyd. sine speciebus.* ℥ *ij. trochisc. de spod. cum sem. acetosæ, de carabe, ac terra sigillata. ana* ℈ j *spec. diarrhod. abb.* ℈ ß. *syrup. myrtini parum, fiat con-*

ditum: capiat ad libitum: ℞. olei coton. myrt. ana ℥ ß. olei maceris ℥ ij. misce, inungatur os ventriculi. & venter: & paretur Martius panis pro ℔.j. Fluxu satis curato, tenesmo nondum desinente, hoc fumigio miraculi instar tenesmus curatus fuit. ℞. masticis ℥ j. thuris ℈ j. sem. myrtillorum ℥ j. ß. flor. ros. rub. exsiccat. ℈ ij. fiat pul. pro fumigio. Fumum post secessum sub sella, carbonibus ignitis iniecto puluere, in anum recipiebat, & a tenesmo molestissimo liberatus est, vt & quidam eisdem remediis vtẽtes ab eodem malo curati sunt.

2.

SCHOLIA.

3. DE diarrhœa & dysenteria satis dictũ est, nunc de tenesmo dicturi, qui ex eodem (*quo iam dicta dysenteria*) genere est, & qui a Græcis τενεσμὸς, a Latinis quibusdam tenesmus, a Plinio vero (*vt etiam Donatus annotauit*) tenasmus appellatur. Licet etiam apud Græcos τεινεσμὸς cum ει scribatur, *vt patet 1. & 3. de morb. vulgar. & aliis in locis*, tam apud Hippocratem, quam Galenum: apud Celsum etiam cum litera η, tum apud alios scriptum reperitur. Latini proprio vocabulo carentes, modo tenasmum, modo tenesmum vocant. Nomen vero sumsit ab ipso symptomate, *vt apud Galenum constat 2. meth. meden. & commento aphor. 27. lib. 6.* quoniam in eo tensio quædam circa intestinum rectum fit, ob quam, cum cacare vehemẽter appetant ęgri, continuo exsurgunt, vt idem sit, quod desidendi quædam cupiditas assidua, aut inanis quædam egerendi voluntas, seu, *vt inquit Paulus, cap. 41. lib. 3.* continua & implicabilis desidendi quædam cupiditas, qua nihil præter modica cruenta vel mucosa egeritur: id quod etiam Aetius confirmauit *cap. 44. lib. 9.* Dicitur autem ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι, quod est conari: quia morbus hic continuos conatus & cupiditates desidendi facit.

Tenesmus vnde nomen sumserit.

Quid sit.

4. Vnde & Mesue appellauit, *mendosum appetitum egerendi.* Arabes hunc affectum in tenesmum verum & non verum distinguunt, eumque largius sumendo, qui sine dolore fit, alium vero, qui dolorem habet atque excoriationem. At nos de vero tenesmo nunc agimus, de quo supradicti Græci auctores agunt. Qui quidem affectus symptomata infert dysenteriæ similia, nempe cruenta & muccosa excernens, nixus tamẽ multo vehementiores habet, *vt lib. 3. de caussis sympt. liquet.* Conueniunt cum dysenteria proprie dicta, in dispositione, caussa & symptomate, nisi quod ea fiunt vehementiora, præsertim nixus, ex Galeni sententia: differunt autem loco, seu parte affecta. Nam dysenteria proprie dicta indifferenter in cunctis intestinis (*vt iam diximus*) excitari potest, præterquã in intestino recto, *vt apud Galenum liquet, lib. 3. de caus. sympt. & 6. de loc. affect. & multis aliis in locis.* Alexander quoque *lib. 8. cap. 9.* dixit, *tenesmum recti intestini affectum esse.* Indicãt etiam ipsum affectum esse vehemens tensio, ac dolor, cum positu, ac promta deiiciendi cupiditas, paucis admodum sequentibus excrementis, & quod per totum morbi spatium iis, quæ a supernis descendunt, haudquaquam misceri videtur. Affectus hic velut dysenteria, morbus est in soluta continuitate, quoniam prædicti intestini recti exulceratio est, *vt patet apud Galenum locis iam citatis*, tum ex signis hunc affectum consequentibus, vt obseruatione sequenti magis patebit.

Quibus cum dysenteria conueniat & differat.

Quæ pars affecta.

Quis affectus præter naturam sit.

OBSERVATIO XL.

De tenesmo, ex ventris fluxu bilioso retento, oborto.

1. FLuxum ventris admodum acrem & biliosum, cum empirica mulier subito astrinxisset, bilis acris & mordax in intestino recto retenta, crebrius expultricem quidem facultatem stimulabat, & natura conabatur expellere id, quod molestabat, vnde oborta est tandem exulceratio intestini recti, in viro quodam: ad quem postremo nos acciti, istis signis cognouimus eum tenesmo vero laborare. Hunc enim affectum comitabatur implacabilis desidendi cupiditas & conatus vna cum flatibus, & descẽdebant per aluum muccosa, cum graui distensionis sensu, nec non aquosa, etiam partim muccosa & biliosa, interdum etiam leuiter subcruenta: iisque interpositis nonnunquam ex cibo, quoque recte coacta, sanguine aliquando decedente bilioso ac mucoso, cum ingenti dolore in ventre inferiore, maxime vbi ad secessũ deueniret. Cum vero intellexissemus, quod prius diarrhœa biliosa laborasset, acresq; humores constricti essent, & videremus cruenta etiam flaua esse excrementa, non solum coniecimus tenesmum esse, ex signis prædictis, verum etiam a biliosis humoribus retentis hunc affectum esse ortum, quare statim hoc enema vt iniiceretur curauimus. ℞. *rad. althææ mund.* ℥ *j. foliorum viol. maluæ, plantag. ana m. j. hordei commu. p. j. fiat decoct. in lacte caprillo, vel bubulo, si caprillum non habeatur pro* ℔ *j. colatura adde zacch. rubei,* ℥ *j. ß. olei ros. omphacini,* ℥ *ij. vitellorum ouorum, num. ij. fiat clyster.* Postea & hunc vel similem iniicere iussi. ℞. *hordei communis, plantaginis. ana m. j. coquantur in iure veruecis, vel pullorum gallinaceorum. pro* ℔ *j. colat. adde zacchari rub. olei ros. omphacini. ana* ℥ *j. ß. vitell. ouorum. num. ij. fiat clyster.* Per superiora dedi prius decocti hordei communis, ℥ *ij. syrup. ex infus. ros.* ℥ *j. misce.* deinde *infus. rhab. postea etiam pul. vstulatum.* Adhibui quoque fotus & insessiones, *ex decocto rad. althææ vna cum foliis viol. maluæ, ros. hordei communis: etiam fotus ex iisdem, adiecto oleo ros. myrto & amygdal. dulc.* & cum dolor vrgeret, anum inunximus *oleo ros. butyro recenti, adipe gallinaceo, anserino simul solutis cum modica cera.* Deinde perueni paulatim ad adstringentia, & quæ simul humorem contemperarent, componendo clysterem talem vel huius æmulum *ex decocto rubi, canirubi, myrti, foliis plantag. rosis, cytinis, hordeo communi, hypocystid. balaustiis pro* ℔ *j. addendo olei ros. omphacini* ℥ *ij. & zaccha. rub.* ℥ *j. ß. vitellos duos ouorum, cum adhuc dolor permaneret.* Sed eo postea absente, olea & vitella ouorum reliquimus. Vel ℔ ß. tantum decoct. iniiciebatur primo abluens tantum intestinum, quia fere strictius, cum & vltima pars tantum sit abluenda, postea magis roborans & constringens. Item ex

2.

latere veteri fumo denigrato, aceto feruenti fumum excipiebat, quod a quibusdã maxime commendatur, modo etiam linteo conuolutus admouebatur. Quibus subsidiis hic, vt & plures alii, conualuit.

Scholia.

3. AFfectus hic cum eiusdem sit generis cum dysenteria (*vt diximus*) haudquaquam circa eiusdem caussas ab ea discrepat, *teste Galen. comment. aphorism. 27. lib. 7.* modo ipsæ circa intestinum rectum exulcerationem pariant: nam citra eam tenesmus dici non poterit: quamuis alii, *vt Arabes*, circa eam fieri volunt: sed tunc vero tenesmus non est. Sic vlcera, tum omnia, quæ proritant intestini expultricem, huius caussæ exsistunt, siue succedat dysenteriæ, vel præcedat partim exulcerans, partim inflammans, vel ex acri bile, vel pituita. Nam magna ex parte in pituitosis nascitur. Acetuatur enim pituita recto intestino crassa & viscida: putrescit tempore & acrimoniã contrahit, irritat intestinum: hinc deiiciendi libido: sed quia contumacius inhæret, non nisi magno conatu excerni potest. Hoc tenesmi genus dysenteriam fere præcedit. A dysenteria, ab acri humore. Hic vero præcedente diarrhœa biliosa, bile intempestiue restricta. Et sic etiam fit sine dysenteria a bile acri mordaci. Et post dysenteriam, cum relinquantur vlcera, in quibus acris sanies intestinum vellicat, ex quo fit tenesmus. Post pharmaca, si quid intestino hæsit, *vt male infricata colocynth. agaric. vel glande immissa*, quod nobili cuidam euenit, qui a me curatus fuit. A vehementioribus pharmacis nascitur etiam: *vt Episcopo Nicolao de Nouasterrn Harlemensi, qui a pilulis nimis fortibus deiectis in eundem affectum incidit, cum hæc scriberem.* Aliquando etiam iecur plus iusto calefactum acriorem materiã perpetuo generat, quæ ad partem affectam defluit. Vlceribus quoque in ea parte sponte natis idem malum accidit. Iam & abscessus in recto intestino & inflammatio hunc desidendi appetitum inuehunt. Alii addunt & hæmorrhoides interiores, vermes, humores acres, aut stercus induratum & coactum. Caussa etiam externa præcedente sæpe hic morbus euenit, vt si æger in solio frigido aut lapide sederit, aere, vento frigidiore. At mendosius potius fit sine materia. Verum hic cumulus est caussarum & magna confusio apud Auicennistas & Auicennam, qui remotas caussas cum proximis ponunt, & accidentales in numerum referunt. Sunt ergo caussæ huius morbi omnia illa, quæ dolorem faciunt, vnde ad expellendum proritant. Sunt & quæ continuum soluunt extendendo, vt tumores, flatus, erodendo vel pungendo, vt vlcera. Hæc autem genita sunt vel ex hæmorrhoidibus vlceratis, vel ex acribus influentibus aliunde, vt in dysenteria, vel sunt maxime biliosa, salsa, pituitosa.

Signa demonstratiua.

Quod ad signa attinet, demõstratiua iam diximus, scilicet, quod adsit multa egerendi libido, quanquam nihil vel tantum exigua muccosa, cruenta, varia, flaua, vitidia excernunt, & symptomata quæ tenesmo superueniunt fere eadem sunt cum dysenteria: vigilia nimirum atque dolores. Priuatim & vrinæ stillicidium, *vt aphorismus 58. libr. 5.* ex consensu vesicæ quæ illi adiacet, musculo debilitato continente vesicam, vel ex repleta comprimens intestinum rectum, & dolorem faciens. Ideo natura properat continuo repellere: hinc aliquando stylicidium vrinæ, aliquando exitus intestini recti, vel procidentia: & hoc fit, quoniam musculi, qui sursum retrahere debent, continuo dolore & labore retrahendi defatigati, & veluti resolutis fibris sunt, vt attrahere nequeant, tum quia multus est conatus partis in expellendo, ob perceptam molestiam: minimus itaque erit in trahendo. Reliqua signa diximus in obseruat. præcedẽte. quod excrementa in principio sint pituitosa, pinguia: progressu temporis etiam ramẽti specie deiiciuntur. *6. de locis affect.* Sunt, *eodem Galeno teste*, aliqui, qui a forti excernendi conatu, præcedente dolore vehementi, lapides callosos deiecerunt, iis, qui in vesica nascuntur, haud absimiles: id quod neque ipse vidit, neque alium qui viderit vnquam audiuit.

5.

Signa causarũ.

Quomodo autem diuersæ caussæ dignoscantur, facile dignoscetur, ex qualitate eorum, quæ excernuntur: num acria, biliosa, salsa, vel pituitosa sint excrementa, simul cum ætate, temperamento ægrotantis, & tempore anni, & vita anteacta, ac reliquis similibus, vt de profluuiis alui & dysenteria diximus, *num etiam ex relatu ægri, & doloris proprietate & artificiosa coniectura?*

6.

Ab vlcere.

In vlcere excernitur sanies, aut sanguis; dolor acutus adest: nam vlceris signa nota sunt, si præcesserit dysenteria, præsertim cum virosa deiiciuntur, vel muccosa, acria, ac si a deiectione vehementem etiamnum morsum ea parte sentiunt, eiusque partis ramenta cum cruenta sanie, flaua bile permixta, vel salso phlegmate alioue adusto humore excernantur. Materia vero, quæ ab vlcere profluit, virulenta est; & circa anum dolor pungens. Si valde sordidum est, sæpe sine dolore exit, cum diuturnum, & quasi fistula sit. Si ab hæmorrhoidibus, vel ob rhagadias, præcesserunt, vel adsunt. Euenit enim aliquando tumentibus venis sedis, & illis inflammatis: quæ ex relatu ægri facile habentur. In vlcere itaque sanies aut sanguis, vel acris humor relictus post dysenteriam excernuntur, & si nihil perspicis, aut perspici potest, profundum esse suspicamur, & fit aliquando cacoethe.

Cacoethe.

Vidimus vermium globulos assidue reiici, ab subinde renasci.

Ab Apostemate.

Ex apostemate ipso, sedes ipsa inflammatur, & pondus cum sæuo dolore percipitur, qui maxime ægrum torquet, dum aridum excrementum enixius demittitur: tum & febris non cessat, & quod fluit, virulentum cernitur. quibusdam & sequitur febris hectica, vel atrophia paulatim. Si propter stercorum multitudinem eueniat, grauis distensionis sensus circa ventrem aderit, eruntque alui excrementa præter naturam detenta.

7.

Hæc autem multitudo non in cœco intestino coaceruatur, vt quibusdam visum est, cum

in hominibus intestinum adeo exiguum sit, vt nullum fere habeat vsum, neque intra ipsum feces excipi possunt, (*vt refert Donatus*) velut in nostris anatomiis sæpius inspeximus: verum in eodem met aderit intestino recto, vel cum primum colo alligatum est, vel in alia eius parte. Sic stercus induratum coniicimus, si diu æger nihil reddiderit aut non nisi excrementa dura, sicca sine muco. Extrinsecus comprimitur, & pungitur, vel a magno & inæquali vesicæ calculo, quia vesica recto intestino incumbit, vel inflammatione parastatarum. Hic adest penis distensio, ardor vrinæ. Illis calculi signa adiicienda, vrina retenta, turbulenta, sanguinolenta & similia. In grauidis minatur aborsum, *vti scripsit Hippocrates*. Vterus enim inter vesicam & rectum intestinum situs est, fœtuque concepto amplior, & vesicam (*vnde assidue meiendi cupiditas*) & intestinum premit. Quo fit vt etiam in laboribus partus, & alio quoque tempore tenesmi cuiusdam imago illis eueniat: & si hoc morbo vehementius corripiantur, in vehementi illo conatu necesse est laborare vterum, fœtumque quoque deprimi assiduo decessu, & vires lædi. Vnde abortus. Interdum tam vehemens affectus est, vt dysenteriæ similis videatur. Hæc quoque ad signa prognostica pertinent, scilicet, mulierem tenesmo laborantem facile abortiri, caussa superius nota, etiam ex *Galeno 2. de morb. vulg.* Quod autem tenesmus neque acutis, neq; longis morbis annumerari debeat, hinc fit, quod & facile tollatur, neque vnquam per se iugulet, *teste Celso*. Attamen grauis est, & non sine periculo, si cum dysenteria contingat, vel cum febre. Diu quoque perseuerans, non solum vigilias inducit, sed quandoque tabem, *vt diximus*. Et ille, qui a bile aut humoribus acutis euenit, facile in dysenteriam transit: & a ventositate modo in colicum, modo in iliacum & capitis dolorem, inquietudinem & crudelissimam mortem, vt ferunt quidam, quamuis illa ad tenesmum non verum pertineant. Sic & singultum in tenesmo perseuerantem lethalem esse volunt. Vnde & Bertrutius admonebat *cap. proprio, medicum in curatione tenesmi, sollicitum esse debere, cum facile transeat in corrosionem intestini recti, ac ani dysenteriam periculosam, virium deiectionem ob dolorem, & febrem hecticam.* Eadem fere habet Guainerius.

8.

Signa prognostica.

Observatio XLI.

De tenesmo ex frigore contracto, & de alio ex pituita viscida, quæ excernebatur.

1.

Monachus ex Diui Francisci ordine, annos septuaginta natus, mense Nouembri, Anno 1549. Alcmariæ rupturam habebat, & postea dysuriam vehementiorem incurrebat, de qua dysuria cum conquereretur, nec aluum probe redderet glande immissa *ex pul. specul. hiera picræ, melle & sale, aluum deposuit.* Et tunc primum mihi confitebatur se tenesmo laborare, quem contraxerat ex aere frigido, in quo se ambulasse referebat. Frigus enim ac aer frigidus sæpe hunc affectum inducunt, *quemadmodum narrat Guainerius de quodam suo familiari amico, qui cum montem Sinisi in festis natalibus transiret, pene totus congelatus exstitit & tenesmum incurrebat.* Cum igitur ex ægri nostri relatu intellexissemus, ex solo frigore tenesmum obortum, libenter hos clysteres iniecissemus. ℞. *iuris pulli vel caponis*, ℔. j. *Guainerius accepit* ℔. j. ß. sed præstat in minori copia, ob tenesmum iniicere: sufficiunt aliquando ℥ viij. (*vt superius diximus*) *cassiæ pulu. sacchari ana* ℥ j. *benedictæ laxat.* ℥ ij. (Guainerius accipiebat ℥ ß. *sed* ℥ ij. hic satis erant in sene) *olei anethini* ℥ iij. *salis triti parum, fiat clyster.* vel hic sequens. ℞. *chamomill. parietar. foliorum caulium. rub. ana m. ß. sem. anisi, fœniculi. ana* ℥ ß. *fiat decoct. pro* ℔. j. adde iam supradicta, fecibus emissis, sequenti etiam commode vtimur *ex oleo rutaceo, solo & anethino ad* ℥ vj. fiat clyster, & diu retineatur, vt calefiat. Ex iisdem oleis vel spicæ aut castorei oleo adiecto sæpe inungantur anus, renes, pecten & anchæ. At noster æger fecibus per glandem emissis noluit clysteres admittere, quare oleo chamæmelino & zizamino bombacem intinctam glandis instar in anum intrudere mandauimus: quo remedio dolor sedabatur. Laudant hic insessionem ex *decocto flor. chamomill. parietariæ, rutæ, absinthii sicci, origani, pulegii, anisi, fœniculi, sem. fœnugræc. lini & similium.* Sed eiusmodi fotu cum spongia, quia monachus rupturam habebat, contenti fuimus, etiam *floribus chamomill. meliloti & parietaria cum malua, & sem. lini, fœnugræci farina instar cataplasmatis pectini admouimus*: & vt decoctum sumeret iussimus. ℞. *maluæ cum toto, parietariæ, viol. mercurial. bugloss. borag. ana m. j. agrimonia, capill. ven. ana m. ß. rad. fœniculi, apii, petros. liq. ras. ana* ℥ j. *sem. anisi.* ℥ iij. *sem. althææ* ℥ j. *sem 4. frigid. maior. ana* ℥ j. *cicerum rub.* ℥ ij. *gr. alkachengi. num. iij. prun. damasc. num. xiij. fiat decoctio in aqua communi. pro* ℔. j. ß. *col. adde mellis ros. colati* ℥ iiij. *sacchari parum.* quibus remediis cessarunt dicta symptomata, & a tenesmo & dysuria miraculi instar monachus liberatus est. Videbatur hic tenesmus nondum ad exulcerationem intestini recti peruenisse. At alteri, ad quem etiam vocati fuimus, tenesmus ortum habuit ex pituita viscida, quæ etiam excoriationem inducebat: cui hæc infrascripta subsidia commode administrauimus. Primo, iniecimus hunc clysterem. ℞. *hordei cum corticibus. p. j. maluæ, betæ, mercurialis, parietariæ, caulium rub. ana m j. centauriæ minoris m. ß. coquantur in aqua communi. pro* ℔. j. *adde cassiæ pro clysteribus.* ℥ j. *benedictæ, hieræ picræ. ana* ℥ j. ß. *mellis ros. colati.* ℥ j. *olei chamæmel. anethini (quia aderat dolor) ana* ℥ j. *vitell. ouor. num. ij. salis valde exiguum* iniiciatur, & æger eleuatis cruribus non iaceat, neque diu retineatur, quia pituita hunc efficiens tenesmum in recto intestino iuxta anum existit. Educta materia pituitosa, cum etiam vlcerationem quasi adesse coniiceremus, cum tandem muccosa cum cruentis reiiceret, ad detersionem iniecimus clysterem *ex sero lactis, cum zaccha & melle & vitellis ouorum, vel huic similem.* Interea fotum

2.

3.

tum parauimus in hunc vel similem modum. ℞. *summitatem anethi, tapsi barbati, florum chamomill. meliloti. ana m. j. baccarum myrti. flor. rosſ. ana p. j. sem. fœnugræc. lini. ana ℥ iij. fiat fotus*: & sacculus ex furfure in vino astringenti decocto admoueatur ano, & fiat fumigium ex thure, myrrha, galla moscata & rosis. Prius etiam in ano suscepto fumo per sedem, ex decocto florum tapsi barbati. Quibus subsidiis optime tandem se habuit.

SCHOLIA.

4. QVod ad curationem attinet, ratio victus talis hic esse debet, qualem diximus conferre in dysenteria: & (*Celso auctore ac Alexandro*) boni succi cibi & concoctu faciles & leuiter astringentes adhibendi. Quod ad reliquam curationem pertinet, curatur omnis tenesmus auferendo caussam: quæ si adhuc fiat vel augeatur, hæc ipsa auferri debet, vel venæ sectione, si corpus plethoricum fuerit, seu ab inflammatione tenesmus originem ducat. Si vero vitiosi succi sunt, leuiter purgandi, siue bilis fuerit flaua, vel atra, aut pituita, crassa vel salsa, eodem modo, quem de dysenteria diximus. Ideo si inflammatio adfuerit, facta venæ sectione, & adhuc eadem perseuerante, ptisanæ succus cum paucis rosac. cum eo decocto infundi debet, *Aetio teste*, vel paratum ex hordeo non decorticato & torrefacto, ac plantaginis foliis, cuius ℥ viij. *iniiciantur cum ℥ iij. olei rosſ. & duobus ouis recentibus, vel lac recens mulctum, caprillum potissimum cum oleo rosa.* Lumbis quoque circa os sacrum, sedi, ac pubi, & perineo (*quod quidam interfœmineum appellant*) fotus ac illinitiones adhiberi debent, oleo myrteo, rosaceo, eoque omphacino, pauco vino albo adiecto. Si dolor intendatur, *ex fœnugræc. mal. rosſ. rub. althææ. sem. lini decocto.* Vel in eorum iure insessiones fiant, & fomenta sedi admota, *iuxta eundem Aetium.* Procedente vero tempore, reiectis rosis, ex reliquis adhibitis chamæmeli floribus ac meliloto fomentum paretur, & oleo rosa. seu myrtino, chamæmelinum, ac anethinum permiscere oportet, & temporis processu eisdem solis vti. Si a bile, vel a quouis humore acri, curetur, vt *Obseruat. 40. præcedente diximus*: caueas admouere astringentia. Iniice decocti hordi ℥ viij. vel x. vitellos ouorum. *num. 5.* Si ardor sit vehemens, sequens. ℞. *decoct. hordei ℥ vj. succi plantag. depurati. ℥ iiij. muccag. psyllii, aquæ rosſ. extracta ℥ ij. olei rosſ. ℥ ij. ß. mitigat dolorem.* Extrinsecus hæc admoueantur. ℞. *mal. althææ, viol. flor. & foliorum, verbasci. ana m. j. sem. lini ℔. ß. coquantur in aqua, & fiat insessio vmbilico tenus, vel anus calide spongia foueatur, aut sedeat in cathedra perforata, supposito eo decocto feruenti fumum per anum recipiat.* Quæcunque in tenesmo administrantur, calida esse oportet, quamuis sit a materia calida, deinde sequenti vnguen. inungatur. ℞. *olei rosa. ℥ ij. olei nymphææ, muccag. psyllii. aquæ rosac. extracta. ℥ ß. permistis vngantur inguina, pecten, interfemineum, anus, partes illi vicina.* Bilis autem, si vniuerso corpore abundare videatur, concoquatur, deinde euacuetur in hunc modum. ℞. *syrup. de acetosſ. citri, de succo acetosæ, de ribes ana ℥ j. ß. aquæ nymphææ, intybi, acetosſ. ana ℥ iij. fiat iuleb. depuratum, & santalis citrin. ℥ ij. aromat. per triduum vtatur, purgetur cum ℥ ij. vel ℥ j. ß. infusſ. rhabarb. adiect. syrup. viol. ℥ ß. cum ℥ iij. aqua acetosæ. Si bilis vsta, adde myrob. citrin. & cum rhab. infundantur in aqua cichor. vel end. adiecto syrup. viol.* Si pituita salsa. ℞. *cepulas & empeliticas.* Alii post fotus lenientes ex *althææ, rosſ. viol. & similibus*, vel fotum in aqua calida solum, vt *Celsus facit*, vel sessionem adiiciunt, quæ astringunt & simul contemperent *ex decoct. myrti, rubi, rosſ. cytini, hord. balaustiis; & iniiciunt oleo rosſ. omphac. & zacch. rub. & vitell. ouorum adiectis*, vbi dolor est: alioqui, *vt etiam diximus*, eo absente relinquunt oleum & vitellos. Si vero pituita sit, quæ ægrum infestet, ac tenesmum incitet, curetur; *vt iam Obser. 41. præcedente diximus*, vel si adhuc exigua quantitas fuerit in recto intestino eiusdem impacta, detergentibus eiusmodi clysterib. vtare primo ac leuiter adstringentibus; deinde adstringentia magis ac exsiccantia medicamenta adhibeas, quæ etiam in calidum vergant, vt ℞. *hord. communis, cicer. rub. ana p. j. furfuris p. ß. corticum pini, foliorum lauri & florum chamameli ana m. ß. pilular. cupressi, num. 4. fiat decoctum in aqua pluuiali, aut iure pullorum gallinaceorum: e quo excipe lib. 1. vel paulo minus; & adde olei anethini, chamamel. ℥ ij.* Si dolor vrgeat, duo vitell. ouorum, mellis rosſ. ℥ ij. misceantur; & fiat clyster. Pariter circa pectinem, sedem, & semen calida fomenta, ac etiam olea adhibere oportet. Fiant autem fotus, insessiones *ex flor. chamomill. melil. fœnugr. anetho, cort. pini, lauri, ac cupressi foliis, malicorii, myrti baccis, parato decocto ex tribus partib. aquæ pluuialis & vna vini adstringentis.* Illinitio autem ex oleo anethino aut chamæmel. liliaceo, irino aut rutaceo. In hunc etiam vsum conferunt sacculi ex furfur. in vino adstringenti decocto parati, si sedi admoueantur. Per propriam quoque experientiam ab Aetio commendatur later, perquam vetustus & a fumo denigratus, vna cum contentis in eo paleis, si tundatur, deinde feruente aceto subactus linteoloque alligatus subdatur sedi. Id vero statim ab excretione admoueri debet; & maxime si dolor infestet: demum prædicto hordei, ac cicerum decocto malicorium, lentes, myrti baccæ ac gallę adiici debent; corticem pini, cupressi, pilulas non prætermittendo: idque infundi debet per sedem, mellis rosac. ℥ ij. adiectis. At si tenesmum frigus præcesserit, eisdem calidis, discutientibusque fotibus, insessionibus, sacculis ac vnguentis vti licebit & similibus; prout vsus expostulabit. De quibus vide Guainerium, qui copiosas posuit formulas.

Ab inflammatione curatio.

5.

Si a bile curatio.

6.

Si ex pituita curatio.

7.

OBSERVATIO XLII.

De tenesmo ex stercore indurato oborto.

RVsticus quidam ab obstructione ex stercore indurato tenesmum grauissimum incurrebat, quod ex graui distensionis sensu etiam circa imum ventrem percepimus, & quod stercus valde difficulter exi-

bat: quem statim clysteribus emollientibus & fotibus, ac inunctionibus in hunc modum paratis curare tentauimus, cum optimo successu. ℞. *rad. althaa cum foliis. m. j. maluæ, mercurial. viol. brancæ vrsinæ. ana m. j. ficus pingues. num. xij. sem. lini. fœnugraci. ana ℥ j. ß. coquantur in s. q. aqua: & huius colatura accipe ℔ j. adde caßiæ recens extract. ℥ j. ß. mellis viol. ℥ ij. olei communis ℥ ij. olei amygdal. dulc. ℥ j. fiat enema.* quod bis fuit iniectum, stercore iam educto. Nihil autem quod acre est his enematibus admisceri debet; acria enim feces magis exsiccant, quæ mitioribus & lenientibus tantum enematibus educere oportet. Oportet enim in hoc casu præcipue cauere, ne alia præter clysterem lenitiuum adhibeamus. Neque purgantia medicamenta ante stercoris eductionem sunt propinanda, cum inde ægrotanti maximum exitium immineret, attractis nimirum aliunde ex vniuerso corpore ad priorem stercorum copiam excrementis: & ideo nunquam per os dabimus solutiuum, nisi feces prius nouerimus molliores redditas esse; quod indocto medico & imperito aliquando contigit, cuius historiam narrat Guainerius: videns medicus, quod clysteres nihil operarentur, dedit ℥ j. *caßiæ. cum ℥ ß. elect. indi. & ℈. j. diag. cum communi decoct. soluta.* sed pessime. Nam medicina illa acuta a venis ad intestina humores traxit, qui ob oppilantes feces per ea egredi non potentes, ad stomachum rapti sunt, & vomitu violenter educti, & pauperculum infirmum sæpius ad syncopen deduxerunt, frigido sudore superueniente, & tandem in miseram mortem. Ceterum per enemata fecibus eductis, hunc totum præscripsit. ℞. *maluæ, althaæ. ana m. j. ß. sem. lini. ℔. ß. decoquantur.* in eoque decocto spongia immersa & expressa foueatur ventris pars anterior & posterior. Deinde ℞. *olei amygdal. dulc. butyri recentis. ana ℥ j. ß. vnguen. dialthaæ. ℥ iij. inungatur ventris pars posterior & anterior, circa renes & anum post fotum.* Quibus remediis recte curatus fuit.

2.

SCHOLIA.

3. *Si ex stercorum multitudine, vel stercore indurato fiat curatio.*

SI ex stercorum multitudine vel induratione tenesmus excitetur, tentandum primo est lenibus clysteribus, aut etiam aliquando acrioribus eandem molliri: & vbi suffecerit, ad lenientia medicamenta purgantia transeundum erit, veluti est *manna, cassia, fistula, saccharum, viol. syrup. ex pluribus infus. ros. rubearum aut persicarum:* & si opus fuerit, aliquid diacatholici addendum. Nam & Paulus medicamentum quod emolliat per os assumtum hoc in casu laudat: sed præstat prius (*vt diximus*) clystere emolliente feces duras educere. Recte dixit Rondeletius, *quod omnis tenesmus curatur auferendo caussam: quare si ex stercore indurato fiat, impossibile est vt curetur, nisi stercore emollito & educto.* Ita quoque sit ex alia caussa fiat, nempe propter calculum, impossibile est curari, non ablato calculo, vt proprio loco dicetur. Interea cerata *ex oleo anethino, chamæmelino, bdellio, & cera vti emollientia conficienda, & clysteres ex rad. althaæ, sem. plantag. & lini, & oleo chamæmelino in*-

Ex calculo.

iiciendi. At si lapis magnus est in vesica, non poterit curari malum, nisi eo ablato. Si a recrementis retentis & induratis fiat, remollienda est pars & relaxanda. Quare iniectio olei communis cum pauco vino vtilissima erit, vel decoctum pingue cum pauco sale & oleo, vel decocto maluarum, viol. branchæ vrsinæ, mercurial. sem. lini, fœnugræc. Quod si non reiiciatur istis clysteribus, addenda erunt aliqua, magis relaxantia, vt cassia, benedicta, hiera. Idem erit faciendum in multa pituita viscida retenta circa anum. Si ab inflammatione glandularum aut sedis, adhibenda sunt remedia istis affectibus. Quod si sequatur recti intestini relaxatio & procidentia, curetur vt proprio loco dicemus: & si cetera vitia sedis in caussa sunt, *vt hæmorrhoides, fistulæ, rhagades, condylomata singula, habent propriam curationem: de quibus dicemus libro sequenti.* Medicamentum vero acre si fuerit huius affectus caussa, detergendum illud est medicamentis præscriptis ad humoris acrimoniam, deinde aliqua pinguia iniicienda, vt *butyrum dissolutum in iure pulli, vel axungia porci, vel oleum amygdal.* Hæc enim pinguia acrimoniam frangunt. Fotus quoque prodest ex oleo calido, cum spongia, & glandes ex refrigerantibus stypticis subditæ. Sed si affectio sit in recto intestino, vt bilis post dysenteriam, clystere detergente curabitur. Iniicienda vero pauca quantitas clysteris, quia extrema pars recti intestini tantum (*vt diximus*) abluenda, sed frequenter iniiciendi sunt. Post vsum iniectionum fouendæ sunt partes sedis eadem decoctione, vel si nimis stimulentur, addere etiam oportet aliqua sensum & acrimoniam humoris temperantia. Clysteres detergentes erunt, quales diximus cap. de dysenteria. Valent etiam facti ex sero lactis (*vt supra diximus*) cum saccharo, vel cum melle & vitellis ouorum. Quod si sit cum multo dolore, ole. rosa. vel axungia porci miscentur. Quod si perseueret dolor, optimum erit sedere in decoctione intestinorum pingui. In hac decoctione sint maluę radix aut dialthææ. Quod si ardor sentiatur, & caliditas præter naturam in ea parte, addenda erunt aliqua frigida citra adstrictionem, vt folia viol. cucurb. vel cucumerum, vel melonum, vel lactucæ, vel solani. Si pars fuerit detersa, & dolor sedetur, constringentibus leuiter pars erit corroboranda. Quod si vigiliæ vna cum dolore perseuerante consequantur, neque prædictis cedat affectio, sedi aliquod soporiferum collyrium subditur, *vt inquit Aetius.* Aliqui, hic componunt suppositoria stupefactiua, ex thure, mastiche, croco, storace, liquir. adiecto pauco opio, vt videre licet apud Guainerium. Sed is admonet, vt cum filo semper coxæ alligetur: quia opium ad intra attractum æternum soporem inducere possit. ipse opii ad summum ℨ j. imponit. vidit ex ℨ ij. opii *thuris Licii gummi arab. ana ℨ j. suppositoria confecta.* Sed ægrum postea ex tali impositione vnius suppositorii nunquam deinde ardorem atq; dolorem sensisse scribit, & dulcem soporem subsequutum, vt miser ille æger vsque ad diem iudicii, etiam

4. *A recrementis retentis & induratis.*

A multa pituita viscida.

A relaxatione & aliis vitiis sedis.

Ex medicamento acri.

5. *Ex bile aut pituita salsa.*

Anodyna quando competant.

6.

Nota mirabilem casum.

etiam nunc dormiat. Ex eo enim quatuor suppositoria confici poterant: quia quantitatem dactylorum nuclei excedere non debent. Nimia igitur erat quãtitas opii, præterquam quod etiam nimis crassum esset. Idem narrat mirabilem casum præceptoris sui, qui suppositorium ex opio confectũ cuidam tenesmo laborãti imponi iusserat: ex quo per quatuor continuas horas quieuit, ita vt eodẽ tempore idem suppositorium filo appenso euanuerit: vnde ad duos dies æger tam horribilem saporem in ore percipiebat, vt assumere cibum nõ posset: vnde eius præceptor vomitum eidem prouocauit; & tunc æger suppositorium illud filo appenso euomuit. *Certe, inquit, nisi mihi vir tantus narrasset hoc ipsum, vix fidem dedissem.* Ideo monet, vt in talibus suppositoriis nequaquam audaces simus, sed circumspecti, eadem coxæ alligando cum filo, ne sursum repãt. Sed redeuntes vnde digressi sumus, si a frigore externo factus sit morbus, curetur, *vt obseruat. 41. diximus*, vel sedeat æger in aqua calida, vel in oleo dulci; vel optimum erit fouere vino. Quod si morbus non expurgetur, addemus quædam calefacientia, vt flores anthos, stœchad. herbas calfacientes, *vt pulegium vtrumque, orig. hyssopum, melissam saluiam, &c.* Vel inungantur partes perinei, quæ sunt circa sedem, aliquo oleo calido, vt *anethino, rutaceo*. Si a ventositate, eodem modo curetur, vt de frigore; etiam clysteribus & sacculis ac fotibus adiectis seminibus ventositatem carminantibus, vt aniso, ammi, cari, cumino, & similibus. Si sit ex vermium motione & morsu circa anum, iniicienda medicamẽta valde amara frequenter, vel decoctum absinthii, marrubii, persicariæ, centaurii minoris; & in colatura dissoluenda myrrha aut fel bouis. Olea etiam addi possunt, vel amygd. amar. vel absinthii vel parum olei de iunipero vel petrolei, vel olei de spica: satis est adiecisse ℥ j. cum aliis, propter insignem vim eorum. Aut benedicta, vel hiera picra aliaq; laxantia, post hæc amara cõmodissime iniiciantur. Vel dari possunt pilulæ ex aloe, *myrrha, agar. rhabarb. & aliis amaris.* Cum vero tenesmi caussa fuerit abscissa, aut idem nõ amplius a caussa dependeat, aut eadem exigua sit, cum discutiẽtibus, tum modice adstringentibus, laborãs sedes moueri debet, cum ex eisdem ægro quoque opem feramus, Actuario auctore, totisque viribus, clysteribus, topicis medicamentis ipsum curare nitendum erit, eisdemq; adhuc diuersis, prout diuersæ fuerint caussæ, quæ ipsum effecerunt. Reliqua vide apud Aetium *lib. 9. cap. 43. de tenesmi cura.*

7

A frigore.

A ventositate.

A vermium motione & morsu circa anum.

8

Ablata caussa, vel si ea non adsit, vel admodũ exigua sit, quid agendũ.

OBSERVATIO XLIII.

De tenesmo ex colico dolore prius oborto; tandem cum vlcere intestini recti.

VIncentius Neoburchius, iuuenis agens annum 29. frequenter nephritico dolori ac colico obnoxius, (*a quibus quidem affectibus sæpe per me curatus fuerat*) incidit anno 1557. mense Octobri in grauissimum tenesmum, & continuam cupiditatem egerendi, materiam muccosam subinde & cruentam deiiciens, non sine torminibus & ventositate. Hoc vitium, vt mihi retulit dũ illum accederem, contraxerat ex colico dolore primum: qui dolor cum ventositatibus mixtus ventrem inferiorem occupasset, & vna ad inguina & coxas tenderet, adeo grauis, vt se in lectum portatilem, circa focum luculentum composuerit; ita solus in cubiculo occluso manẽs, clunibus denudatis ante ignem, calorem in lecto iacens excipiebat. Ex quo quidem calore ignis, cum aliquantulũ refocillaretur, ac dolor vi caloris mitigaretur, somno suauissimo obrepente, sic clunibus denudatis permanentibus diu durmiuit, foco ardente iam paulatim consumto & exstincto. Tandem cũ euigilaret, podex ei fuit admodum refrigeratus, grauissimo tenesmo succedente. Cumque primis diebus nulla adhiberet remedia, malũ indies auctum est. Tandem eius auunculus, medicus exsistens, potius empiricus superueniens, putabat nephriticam passionem consuetam tum colicũ dolorem esse. At grauissimo dolore cum torqueretur, vt a malo liberari posset me similiter vocauit. Fecibus inspectis, ilico tenesmum esse iudicabã, quem & cupiditas desidendi indicabat; quare libenter clysterem iniecissem; at medicus id dissuadebat, qui potius tabulas ventositatem carminãtes, vt præscriberẽtur proponebat, tum alia multa decocta: cui satis resistebam. Sed æger potius auunculo auscultans, enemata nõ admittebat. Ceterum hæc ipsa tum decocta præscripta sunt. Verum cum iis parum iuuaminis sentiret, & indies malũ augeretur, & secessus muccosos frequẽtes, & postea etiam subcruẽtos haberet, & modo rursus stercora retinerentur, dolore vrgente tandem concessit, vt hic sequens clyster iniiceretur: ℞ *folior. maluæ, viol. mercurialis, betæ, parietariæ, hordei non excort. ana m. j flor. chamomillæ m. ß. semin. lini, fœnug. ana ℥ ij. bulliant in aqua sufficienti*: & huius decocti, ℞ ℔ j. *addendo cassiæ mund.* ℥ *j. benedictæ laxat.* (ob phlegma viscosum) ℥ *ij. mellis ros. sacch. rub. pro abstersi. ana* ℥ *j. olei oliuar.* ℥ *ij. olei ros.* (ob dolorem & puncturam) ℥ *j. duo vitella ouor. salis* ℥ *j. misce.* Quo clysteri deposuit primo fæces duras, postea materiam muccosam, cum magna alleuiatione. Octauo die Octobr. fuit iniectum, & rursus 11, idem enema: & quia materia purulenta (*deinde etiam vlcerationem & corrosionem indicans*) deiiciebatur, aliud enema ex solo lacte paratum iniectum fuit, *cum. ij vitellis ouorum, &* ℥ *ij. ß. mellis ros.* colati ad abstersionem materiæ etiam muccosæ caussantis tenesmum: & ad materiam eandem contemperandam & hic fotus præscriptus est. ℞ *tapsi barbati m. j. viol. maluæ flor. chamomill. flor. ros. rub. ana m j. sem. lini* ℥ *ij. coquantur pro* ℔ *ij. in lacte bubulo, pro fotu.* & ventrem inunximus ob dolorem, cum etiam conquereretur de ventositate, oleo chamæmelino & anethino. Et cum per totam noctem dormire non posset, ad magnitudinem castaneæ sumens ex hac mixtura, dolor egregie sedatus est, & per totam noctẽ deinde quieuit, quod antea facere non poterat: ℞ *sem. apii* ℈ *vj. sem. pap. albi, hyoscyami ana* ʒ *ß. semin. anethi, ameos. fœniculi ana* ℈ *j. ß. trochis. alkakengi* (nã etiam

2

4

3

stranguria laborabat) ʒ *j. contundantur subtilissime, & cum syr. viol. ros. ana q. s. fiat confectio conditi instar.* Similia fere præscribit Bertrutius sub vno ca. de ani pruritu & tenesmo. Sed iubet ne talia continuentur, ob hyoscyamum & pap. Ideo post quatuor dies iterum dedi parum; & dolor mitigabatur, succedēte etiam somno. Ter ad summum dedi, non amplius; & miro modo iis iuuabatur. Postea cum tenesmus nōdum cessaret, ægro sæpe reddente muccosa & cruenta, clysterem sequentē denuo iniecimus: *℞. folior. maluæ, mercurial. betæ, viol. parietariæ hordei communis ana m. j flor. chamomil. anethi (ob dolorē) ana p. j. sem. lini, fœnugræci ana* ʒ *iij. sem. coton* ʒ *j fiat omnium decoct. in aqua pluuial. q. s. pro* ℔ *j. addendo cassiæ mundatæ* ℥ *j. ß. mell. rosa. sacch. rub. ana* ℥ *j. duo vitella ouorum; olei oliuar.* ℥ *ij. olei rosa.* ℥ *j misce pro clystere.* Mox post operationem & detersionem sufficientem, sequens clyster iniectus est: *℞* ℔ *j. lactis bouilli, in quo lapilli marini rotundi albi (qui circa littora maris inueniuntur) sæpius igniti & exstincti fuerint. succi plantag.* ℥ *ij. duo vitella ouorum in lacte semel ebullita adiiciantur; & fiat clyster.* tepide iniiciebatur. Dolor deinde cessauit & tenesmus, neq; amplius rediit dolor; & ab aliis quasi pro desperato habitus, a tenesmo difficilimo curatus fuit.

4

Scholia.

5

SImilem fere casum narrat Amatus *cent. 3. curat. 44.* cui tale fomentum descriptum fuit: *℞. rad. althææ, maluæ, chamomill. semin. lini fœnugræci, rosa. rub. ana p. ij. in* ℔. *xx. aquæ fiat decoct. cui adde olei ros. chamomill. ana* ℥ *iij. fiat insessus.* Eo decocto tepente, vt non solum anus, sed inguina quoq; madescant: & eius vice filtro aut spongia prædicto decocto imbuta & parum expressa quandoq; vtebatur. & clysteres abstergentes hoc modo iniecti: *℞ decoct. hord. integ.* ℥ *xv. sacch. rub.* ℥ *ij. ß. olei ros.* ℥ *iij. vitellos duos.* misce, in quo & mel rosa. colatitium imponere optimum sane est, cum ex iis sit, quæ vlcera maxime abstergant. Deinde clysteres exsiccantes constringentes, non minus in curatione dysenteriæ valentes, descripti: *℞. sumach. plantaginis, balaustiorum ana p. j. in libris duabus aquæ fiat decoctio & in lib. j. huius decoctionis adde seui hircini* ℥ *j. ß. butyri recentis, salis expertis* ℥ *j. thuris* ʒ *ij. ouum integrum vnum, olei myrtill.* ℥ *ij. misce. fiat clyster:* quem pro posse retineat. Glande quoq; immissa, dolore sæuiente, *ex seuo hircino parata, cum massa pilul. de cynoglossa*, adiecto vno vel altero opii *grano. etiam deueniendo ad clysteres ex lacte vaccino confectos, & oleo rosaceo omphacino cum prædictarum pilul. de cynoglossa* ʒ *ß. adiectis quoq; granis duob. opii; a quibus gummi tragacanth & Arab. uti & seuum hircinum & butyrum recens minime eliminabantur:* quibus & vnguento ex plumbo foris ad anum applicito, intra octo dies sanus fuit factus, optimo semper assuescens victui, & acria fugiendo. Vbi igitur ab vlcere acciderit tenesmus, ob id pus acre & retentum fieri solet. Quare clysteres ad puris detersionem in principio iniiciendi erunt, aucta mellis quantitate, aut sacchari. Vel additis vnguentis detersiuis, quæ vlcus detergendo hoc symptoma auferunt. In principio, quia vlcus magna ex parte solet esse sordidum, vnguen. Ægyptiacū cum multo melle iniiciendum est, & vnguentum apostolorum, *vt iubet Rondeletius*, eodem modo præparatum. Sensim minuere oportet eorum acrimoniam, quæ iniiciuntur, quia omnia vlcera post detersionem magis dolorem sentiunt. Vlcus postea curatur ea ratione, qua postea docebimus. Sed ad tenesmum & vlceris curationem multum confert talem facere iniectionem: *℞. hord. torref. p. ij. folior. myrti, oleæ agrimoniæ ana m. j florum centauri minoris p. j. rosa. siccar. p. ß. absinthii tertiam partem, seu m. j. fiat decoctio in hydromelite*, & frequenter iniiciatur, donec vlcus detersum fuerit, augendo vel minuendo mel pro detersione facta.

6

Si ab vlcere fiat tenesmus ratio.

Quod si in hac iniectione vnguentum pomphol. fideliter dispensatum dissoluatur, vlcus etiam curabit. Idem facit emplastrum diapalma, dissolutū in multo oleo, ita vt iniici possit. Idem præstat vnguentum diuinum, *additis* ʒ *j. chalcit.* Si autem vlcus fuerit in ipso capite intestini recti vel longanonis, & commode lauari queat: *℞. aquæ lactis* ℥ *vj. mellis ros.* ℥ *ij. misce & locus tepide lauetur; vel loco aquæ pone vinum:* & si maiori abstersione egeat, lixiuio facto ex sarmentorum cinere vtere. Intus laua cum ℥ *viij. aquæ hordei & mell. rosa.* ℥ *ij* Quod si ita profundum fuerit, vt extra palpari nequeat; *℞ aquæ hordei, vel mellis aut lactis aut lixiuii sarmentorum* ℥ *x. mell. rosac* ℥ *iij. misce; & fiat clyster, tepide iniiciatur:* quo emisso, quæ consolidant iniiciantur, vt de dysenteria dictum est: & inungantur vlcera exterius: *℞. olei rosac* ℥ *j ß. muccillagin. gummi arab* ʒ *ß. cerusæ, plumbi* ʒ *ij. ceræ parum; fiat vnguent. molle.* Verum vbi ardor intensus fuerit, adde opii ʒ ß. & tunc mirabiliter prodest. Vel facias sic: *℞. olei rosac.* ℥ *ij. muccag. tragacanthi & gummi arab. ana* ʒ *ß. aloes* ʒ *ij. thuris, masticis ana* ʒ *ij. ceræ parum*, & fiat vnguentum. Si dolor & ardor adfuerint: *℞. mucillag. gummi arab. tragacan. ana* ʒ *ß. ducantur in mortario, & cum tali vnguent. locum perunge.* Guainerius in hoc casu expertus est solam muccilagin. psyllii. At si inflammatio vel apostema calidum tenesmum inferat, in principio: *℞. succi plantagin.* ℥ *iij olei rosac.* ℥. *ij. album. oui recentis vnum, agitentur simul; & per syringam immitte.* & extra oleo rosac. perunge: & spongia aceto infusa appone. In augmento caules vitello oui & oleo rosac. emplastr. vel *℞. olei rosac.* ℥ *j butyri sine sale, adipis gallinæ ana* ℥ *ß. ceræ q. s. fiat vnguentum molle. inunge.* Si ad maturationem tendat: *℞. olei liliorum, chamomillæ ana* ℥ *j. muccillag. fœnugr. lini ana* ʒ *ß. cum cera fiat vnguentum.* & hic fotus administretur: *℞ bismalua cum rad. m. iij. fœnugrac.* ℔ *j. fiat decoct. q. s.* & cum spongia locus fomentetur: deinde inungatur. Vel hoc cataplasma imponatur: *℞ maluæ. bismal. cum rad. fol. viol. flor. chamomill. ana m. j. coquantur, pistentur cum axungia, impinguentur & fiat emplastr.* Si rumpatur, deinde vlcus curetur, vt dictum est. Si vero sit apostema frigidū, in principio inungatur oleo ros. in augmēto fotus supradicti adhibeatur,

7

8

Si inflammatio aut apostema calidum, tenesmum inferat, curatio.

Si frigidum, quomodo curetur.

& emplastra; adiiciendo semen lini: & rupto apostemate curetur, vt de vlcere dictum est. Et sic totum tractatum de profluuiis alui, *vt diarrhœa, lienteria, dysenteria, & tenesmo, absoluimus*: Ideo hunc librum finientes, ad reliqua sedis vitia progrediamur.

FINIS LIBRI XXII.

LIBER VIGESIMVS-TERTIVS, *DE SEDIS ET ANI VITIIS & affectibus.*

OBSERVATIO I.

De exitu & procidentia ani, per modum consultationis; pro filiolo Augustini Teylingii Alcmariani, sororis mei.



ASVS, quem sororius in scriptis lingua vulgari pro filiolo suo ad nos dedit, ad procidentiam ani seu exitū eiusdem refertur. Ceterum cum musculus ani (Græci σφιγτῆρα ἀπὸ τοῦ σφίγγεσθαι, *id est, constringendo vocant*) resoluitur, anus procidit, atque extremitatis longanonis exitus, seu intestini recti fit. Cum variæ huius caussæ sint, & pro varietate earundem diuersa quoque fiat curatio, quas caussas sororius in literis suis non recensuit, cum earundem cognitio tum ex prægressis caussis, tū signis præsentibus habeatur, difficilius ob hoc forte in commune consulam, nisi ex medico præsenti magis fuerim instructus. Ideo hæc, quæ scribemus (*cum parum medice in literis quædam tantū obiter narrentur*) diligentius a medico præsenti eruntnotanda, vt curatio methodo certa absoluatur, vtque certi fiamus earum rerum in hoc ægro, quæ ad medicum verum & rationalem pertineant: vtque omnium primo inquirat, quæ sit sedes affecta: deinde quis sit affectus præter naturam, postremo, vt ex vtrisq; probe curationē perficiat. Licet igitur hic sedes affecta etiam visu satis innotescat, tamen in eadem parte morbosi affectus plurimi oriri possunt. Si enim excrementa nobis inuitis egrediātur, resolutio est sphincteris. Si vero extra anum prolabatur intestinum rectū, neque sursum retrahi possit, nisi manu protrudatur, necesse est caussam esse in musculis aut neruis sursum reuellentibus, vel membranis alligātibus. Quamobrem videndum inprimis, qualis hic sit affectus præter naturam, cum is triplex exsistat, morbus, caussa, symptoma. Ne igitur hic diu hæreamus, affectus est præter naturam, pertinens ad morbum in situ, quia anus exit, & pars affecta a suo loco naturali dimouetur. Sed cum hoc vario modo fieri possit, *vt diximus*, caussa omnium primo indaganda. Excidit autem anus vel infirmis musculis obliquis, qui sedem sursum reuellunt, ex laxitate membranarum, quibus ossi sacro & lūbis colligatur; ex nerui etiam resolutione, qui ab extrema spina ad sedem porrigitur. Fit itaque ani exitus a mala intemperie humida, laxante musculos ani; vel fit laxatis illis neruosis corporibus, vel imbecillioribus redditis: vel intumescente, vel inflāmato intestino recto. Si resoluātur nerui, caussæ ex cap. de paralysi perquirendæ erunt, & topica remedia ossi sacro imponenda. Imbecilliores autem redduntur aliquando ob nimiam mollitiem & humiditatē, vt in pueris a quacunq; caussa externa; quam & ego coniicio in hoc filiolo Augustini Teylingii esse: vel ob aliquā aliam intemperiem aut humorem madefacientem: quāquam & ob magnam aliquam intensionem in reddendis excrementis durioribus, aut acrioribus, vt in dysenteria, tenesmo fieri contingit, vt sic morbus ex morbo nascatur. Inflatur autem a quolibet tumore, sed præcipue inflammatione, quā sequitur dolor, febris perpetua, irritatio ad excretionem, vrinæ stillicidium, vt antiquissimus Hippocrat. prodidit: non ex pituita tantum, sed ex sanguine, vel biliosis quoque tum acribus humoribus. Verum, vt breuiter rem comprehendamus, eam ad quinque caussas reducere possimus. Primo *ad humidā pituitam mollificantem longanonem, vel rectum intestinum, aut musculum, qui sphincter a nobis dictus est.* Secundo, *ad inflammationem seu abscessum vel apostema in interioribus longanonis, seu recti intestini.* Tertio *ex casu, percussione violenta facta supra spondylos dorsi, subsequente resolutione.* Quarto, *ad paralysin lacertorū seu musculorū sphincteris.* Quinto, *ad fistulam infiltratam in ano.* Vt autē has caussas distinguamus, etiā signa hic adhibenda erūt. Si ex humectante qualicunque phlegmate fiat, in ano aderit dolor grauis, sæpeque molestus; & magis stimulans, si pituita acris salsaque fuerit; mordicans intestina aut anum, cum tenesmo, egestionibus albis, viscosis, muccilaginosis, etiam mordicantibus, si biliosa materia ad anū confluat: redit tamen anus, si ex relaxante pituita fiat; & ad interiora manibus facile impe titur. Si ob paralysin, signa eadem aderunt, quæ de paralysi memorantur: egreditur tum stercus cum ventositate inuoluntarie. Si ex inflammatione vel apostemate, non ingreditur anus, etiam si impellatur. Adest tumor, calor, dolor acutus, & sæpe etiā febris perpetuo adhærens. Si fiat ex spasmo vel tensione, prohibetur fæcis exitus, & plerumque subsequitur colica: ex mollificatione autem & paralysi, vt dictum est, fæces inuoluntarie vltro exeunt. Si ex casu, percussione, id ex ægri sermone quam facilime dignoscere poterimus. Si ex vlceratione aut fistula fiat, eaq; diuturna præcessit, cum continua stillatione pessimæ humiditatis & saniosæ, cū induratione labiorum eiusdem. His adiūgimus & signa prognostica. Si cum fluxu ventris fiat, vel tenesmo forti, malum: quoniam multiplicat caussam, & topicorum remediorum effectum remoratur. Si ob paralysin, casum, percussionem, fistulam, non curatur nisi cum blanditiis: & tales longo tempore sustentari possunt. Cum quibus si & pedes resoluantur, idque subito, magis malum est, læsionemque ad neruos progressam significans: quare nullo modo curari poterit: quemadmodum nec paralysis, quæ a casu vel percussione forti originem duxerit. Difficilius quoque in senib:

quam in iuuenibus curatur, licet fortiorem caussam in iuuenibus habeat. Frequenter pueris ex humiditate, tum frigiditate quoque externa euenit. Et hac de caussa minime dubito, hunc puerulum sanari posse, modo non ab aliis caussis supradictis malum ortū fuerit. In mollificatione quoque, febre superueniente nonnunquam tollitur ægritudo. Sed si remedia secundum methodum & rationem adhibita non cōtulerint, ac corpus indies extenuari cœperit, tum discolorari, malū lethale erit; nam vertebrarum dorsi ac neruorum paralysin significat extremam. Nunc ad curationem veniamus; quæ non omnibus eadem est: frustra enim adhiberentur remedia ano, si spinæ vitio resolutus sit neruus: tum enim topica remedia applicanda forent extremitati spinæ, vbi coxa est, redeundumque ad genus curationis paralysis. Itaque & primum considerandum, nunquid inflammatio adsit, quod ex tumore, rubore, calore & duritie, vt dictum est, intelligemus. Atque hæc erit curanda, vt ceteræ inflammationes, indicatione sumta a parte ipsa, & affectu. Si ex pituita humectante, illa digerenda tum purganda erit, demum topica adhibebimus. Sic quoque, si opus est, materiam inflammationis resoluentibus medicamentis & laxantibus digeremus, partim etiam iis admixtis, quæ repercutiant & corroborent. Sed quia in puerulo, si adsit inflammatio (*postposita sectione venæ, quæ in adultis conuenit, aliisque euacuationibus omissis*) si aluus durior, ea irritanda cum decoct. maluæ, exiguo adiecto diapruno simplici, vel cassia extracta; idq; quia puer est, si medico præsenti idoneum esse videbitur. Mox reducatur in sedem suam anus. Si adsit inflammatio aliqua, vel rubedo, neque intromitti possit, leuiter foueatur cum *decoct. maluar. viol. bismaluæ, flor. chamom. meliloti, anethi, ros. fol. plantag. ana m. j. coctis in lacte.* Hoc enim inflammationem compescit, repercutit, materiam fluxam resoluit & dolorem mitigat. Deinde anus inungatur oleo rosac. chamomill. vitell. ouorum simul mixtis. Et ita regatur, donec tumor subsideat: tunc impellatur anus ad interiora. Deinde fiat lauacrum ex astringentibus, puluere aliquo constrictorio insperso. Verum si ex pituita humectante, vt plerumque in pueris accidit, atq; sit infirmitas musculorum obliquorum, & corpus crassis viscidis humoribus abundet, vel puer sit pituitosus, (*quia iam, vt puto, septimum annum ingreditur*) detur decoctum aliquod lene pituitam digerens; cui & postea addi possunt folia senæ in parua quantitate, tum myrobal. chebuli, emblici (*quæ etiam post ventris lenitionem & stomachum & intestina roborant, & adstrictionem post se relinquunt*) deinde, si quæ sordes ano inhæreat, detergenda prius hydromelite, vrina propria, decoct. betæ vel marina aqua. Tum stypticis & resoluentibus fomentetur anus; & leuiter manibus imposita, constringentibus deinde retineatur. Nam tempus remediorum constringentium erit, vbi iam ægri deiecerint, & abluta sedes reposita fuerit. Vbi autem præ tumore intromitti non posset, fiat, *vt superius dictum est*, vel sedeat puerulus in aqua calida butyro mista, donec detumescat; vel foueatur, *vt dictum est*. Vbi vero repositus fuerit, iubeto eum sedere in decocto ex adstringentibus, *vt gallarum, nucum cupressi, rosa. plantag. & similium.* & si adsit aliquis calor vel rubedo in ano, prius lauetur *aqua plantagin. & rosac.* & demum fomentetur *adstringentibus, & pul. adstringens* adhibeatur ex *mastiche, thure, balaust. glandibus, nuce cupressi.* Quo modo ego multos curaui, sæpe etiam sola inunctione ex adstringentibus, puluerata aloe, eaque inspersa. Fotus quoque sæpe repetitus ex vino austero, in quo *acacia, hypocystis, myrtus, malicorium, rosæ, scoria ferri, inctafuere*, profuit; & alia similia adstringentia, mitiora quidem mollioribus; durioribus vero corporibus fortiora adhibendo. A fotu vnctiones, inspersiones puluerum, insessiones & balnea vsurpanda erunt. Quorū copiam apud Aetium *cap. 14. lib. 6.* ad procidētiam ani inuenies, & apud Neotericos, præcipue *Guainerium*, & quæ *Benedictus Alexander Veronensis de procidua sede, de caussis & curatione, cap. 26. lib. 21. scripserit. & Avicen. lib. 1. fen. 3. doct. 1. cap. 3. de infantibus curandis*: quæ omnia apud *Sebastianum Austrium de morb. puerorum, morbo 41.* copiose reperies. At si fuerit cum tenesmo, vel alio fluxu, diarrhœa, lienteria, dysenteria, curetur, vt in ꝓpriis locis habetur. Si enim fluxum ventris diuturnum sequatur, vt plerunq; fieri solet, conferunt vniuersaliter constringentia ad membrorum corroborationem & materiæ exsiccationem, remediorumq; fixionem in loco, quæ prohibentur ob continuum fluxum. Quamobrem si ob tenesmum fit, locus aqua hordei & melle repurgandus, & intestina detergenda, mox manibus molliter imponenda; deinde sacculi & fotus calidi, vel frigidi styptici, iuxta morbi materiā adhibeantur, decocta in aqua ferrata, vino rub. styptico, fumigia ex thure, santal. semin. nasturt. assato, in caussa frig. in calida bolo arm. gummi arab. & similibus. Et si adsit ventositas, ob quam anus ingredi non possit, adhibeantur sacculi carminantes. Si simul adfuerint apostemata, vlcera, rhagades, hæmorrhoides, ex propriis locis curatio instituenda. Si ob fistulam fiat, talem curationem chirurgo relinquemus. Quare in hac re prolixior esse nolo, cū præsens medicus aliquis doctus ea, quæ diximus, moderari possit. Sed vt quædam particularia adderem, & sororio meo satisfacerem, hæc præscripsi. *Scripsit Forestus Delphis, 15. Martii anno 1566.*

SCHOLIA.

ABsolutis diuersis alui profluuiis, & tenesmo, ad vitia sedis peruenimus, incipientes ab ani procidentia, cum ab iisdem, & potissimum a tenesmo fieri soleat: vnde quidam statim post tenesmum de hoc vitio agunt. Quamobrem hoc libro de ani sedisq; symptomatis & affectibus pertractabimus. Cuius affectus varii ac diuersi sunt, anum occupantes, vt *phlegmone, abscessus, rhagades, condylomata, hæmorrhoides, fistulæ, fissuræ, vlcera depascentia & phagedænica sedis, thymi, sycosis, verruca, & reliqua eminentiæ ani*: de quibus omnibus

omnibus in hoc libro pertractaturi, cum ex quibusdam præcedentibus etiam ani procidẽtia fiat, commune cum vulua vitiũ exsistens, nam & sedẽ prociduam vocant. Multas hæc caussas habet, vt iam diximus, vel ex alui interiore abscessu, vel nimia humiditate, vel aliis iam præcedentib. malis; vnde etiam eius curatio variatur, vt nunc satis in obser. seu cõsultatione diximus. Si digitis præ tumore intromitti non possit, tumor relaxandus, sedendo in aqua & butyro: deinde imponẽdum id, quod prouolutũ est. Et si purum, digito intromittatur; si impurũ, prius abluatur a muccoso himore. Aetius muria aut marina aqua procidẽtem anum fouere cõsueuit: & sæpissime nullo alio medicamento indiguit. Quod si diuturnum malum sit, inustione vtitur, ex Leonida, *lib. 14. cap. 7.* Sed hæc clariora euadent exemplis sequentibus.

OBSERVATIO II.

De ani procidentia ex tenesmo præcedente.

TEnesmo laboranti tandem rectum intestinum relaxatum procidit, vt cum manu molliori introduci non posset: huic spõgia anum foueri iussimus, cum *decocto maluæ adiecto butyro*: & vbi detumuerat, cum pars stercore inquinata esset, *vino rubeo* abluere mãdauimus: deinde vt mollibus manib. imponeretur, sensim & leniter comprimendo. Vbi vero intestinum repositum esset, fouere iussimus *decocto adstringente & roborante, ex gallis cort. granat. ros. plantag. balaustiis in aqua chalybeata decoctis*: & podicem inunximus *oleo myrtino, puluere superinsperso ex myrtill. & ros. cornu cerui vsto, & gallis.* Quibus curatus fuit. Eodem quoque modo nobilem matronam curauimus ex diarrhœa longa in sedem prociduam prolapsam; fouendo sedem cum *decocto in vino rubro adstringenti, ex gallis, balaustiis, rhu obson. baccis myrti & foliis plantag. & flor. ros. Insperso deinde pul. ex ros. myrti baccis, thur. & mastich.* At filio M. Ioannis Neoburchii Pensionarii Amstelrodamensis, cum anũ ex mollificatione (*vt sæpe pueris contingere solet*) extra propendentem haberet, abluto stercore cũ *aqua plantaginis & vino rubeo styptico*, vt anum leniter reducerent curaui: & *insperso puluere myrtill. sumach. balaust. ros. cupul. glandium*, puer probe curatus fuit.

SCHOLIA.

SI a nimio conatu vel tenesmo fiat ani exitus, humoris quoq; ratio habenda, & caussa ipsius: nam in caussa calida prius expurgata materia per enemata, vt iam libro præcedente diximus, talis insessus vel lotio fieri potest, *ex decoct. in aqua fabrorum, florum & fol. ros. rub. balaust. plantag. folior. myrti, cupul. gland. & similium*: quibus tepide fiat fotus: & oleo ros. tepid. inungatur anus; & intromittatur prius; deinde ex decocto earũdẽ herbarũ in aqua ferrata vel chalybeata: pul. hic sequẽs inspergatur: ℞ *cornu cerui vsti, baccarũ myrti, gallarum, sumach ana* ʒj. ß *fiat pul.* A caussa frigida inungantur axungia vulpis, felis, cũ oleo costino; & euacuentur enemate, si opus est; & topica adhibeantur, *fotus ex ros. foliis querc. nucum cypress. in vino rub. decoctis, insperso puluere sequenti*: ℞ *cornu cerui vsti, pineæ combustæ, thuris, mastic. antimonii an.* ʒj. *fiat pul. & podice introducto circulus inungatur oleo mastichino & myrt. superinsperso puluere iam dicto, vel bedeguaris.* Vide Amati historiam, *cent. 1. curat. 93. de ani procidentia*, cum diuersis symptomatib. Infantulo quoq; cum anus ꝓcideret, & videretur adesse inflãmatio, podicem lauare iussimus *aqua plantag. & inunximus cum oleo ros. & acacia*; & introducta ano *puluerem ex aloe inspergi* mandauimus. Hoc modo & multos curauimus.

OBSERVATIO III.

De hæmorrhoidibus subito & sponte apertis.

REcte dixit Hollerius, *quod hæmorrhoides vniuersum corpus euacuãt: idque aliquando cacochymia; aliquando puro sanguine, quandoq; sola quantitate peccat.* It autem per venas, quæ a vena caua explantatæ, vtero, pudendis & sedi implantantur. Hoc enim verisimilius est, quam per venam a liene repurgari. Ramus enim venæ, quæ a medio liene descendit, desinit in omentum. Sed de iis postea in scholio latius. Hæc vacuatio cum in genere quidem præter naturam sit, & subinde periculosa; ideo non facienda eius consuetudo. Quibusdam tamen naturis fit naturali consuetudine, & incolumis valetudinis caussa est. Tale est, quod scribit Hippocrates: Atra bile vexatis, & renum passionibus, hæmorrhoides superuenientes, bonum. Præterea quod a quartana, melancholia, angina, pleuritide, & aliis eiusmodi grauioribus morbis, hominem vindicant. *6. Epid.* Salutaris quoque hæc vacuatio epilepticis, & iis, quibus tubercula & maligna vlcera oriri solent. Sic meus pater Iordanus Forestus ex antiquissima Forestorum familia oriundus & nobilitate clarus, præfectus rerum capitalium apud Bergenses, sub ditione Brederodiana prope Alcmariam, qui similiter curam habebat aggerum conficiendorum & reficiendorum. Hic cum Harlemi degeret, apud Nobilem quendam suum cognatum Sparwonwium, incidit in secessum sanguinolentum: quem cum spectasset, perterritus subito domum contendit, atque me vocauit. Excrementis inspectis animaduerti ex venis hæmorrhoidalibus sanguinem effluxisse, qui separatus ab excrementis purus cernebatur. Dixi ex eo nihil periculi adesse, imo salutare hoc malum esse; neque omnino esse restringendum pronũtiaui. Agebat autem tunc annum quinquagesimum, vir quidem robustus, & ab ineunte ætate sanus, vt vix in vita ægrotauerit, nisi semel tantum, cum dolorem sentiens in ano abscessum metueret; sed sola cassia deuorata, ex Æmilii medici doctissimi cõsilio, cum nos adhuc ageremus in Italia, a dolore subleuatus fuit. At nũc ex hæmorrhoidibus longam eidem sanitatem ꝓmisimus, *Deo auxiliante*, hac euacuatione salutari exsistente & a multis morbis liberante. Semel eñ nim adhuc, cum ageret annum 58. incidit in quartanam, a qua statim liberatus nostra industria; cuius curationẽ posuimus in libris nostris de febrib. Hæmorrhoidibus subinde fluentibus, non tamẽ copiose, pancratice deinde vixit, donec senex moreretur.

SCHOLIA.

3 *Nomen hæmorrhoidum diuerso modo ab auctorib. sumitur.*

QVod ad nomen hæmorrhoidum attinet, sæpe æquiuoce sumitur: modo pro quinq; illis venis descendentibus a vena chilis, terminantib. ad orificium ani, quæ dicuntur communiter hæmorrhoides. Secundo modo, sed strictius, nō pro illis venis tantum, sed pro inflatione contingente in capitibus dictarum venarum terminatarum in ano; quæ videntur apostemata, quamuis nō sint, & facile ab ani apostematibus distinguuntur. Sic Fernelius etiam in conspicuam & externam, quæ ex ano quoque surgi, prominentem distinxit. Ea ex atro melancholico sanguine, e caua in extremū venæ profusa, nondū tamen illic prę loci duritie exsiliens cumulatur, idque impletur, & in speciē ficus distenditur. Sed hæc distat a condylomate, quod & breui tēpore fiat, & affligat graui dolore, quodque nondum in callosam duritiē concrescat. Atque ea *cœca*, appellatur *hæmorrhois*, quū nihil sanguinis effundit. Sed nomen proprie magis sumitur, quando tales venæ proprie sanguinem fundunt, & hæmorrhois magis fit aperta. Hinc magna inter auctores, præcipue qui Auicennam sequuntur, confusio, cū alius tres differentias faciat alius quatuor; dū alias similes verrucis esse volūt, duras, acutas, latas, rotundas & cineritii coloris & purpurei, & granis vuæ & mori similes, confundētes ipsas cum affectibus nonnullis, quos Græci, vt Aetius, in sede quoq; fieri scribūt, vt sunt *rhagades, condylomata, thymus, sycosis formica, verruca, claui, & reliqua ani eminentiæ*, de quib. suo loco dicturi sumus.

4 *Hæmorrhoides cœcæ. Fluentes. Differentiæ.*

Alii distinguunt in *cœcas & fluentes*. Rursus cœcas esse volūt, a quibus nunq̃ aliquid fluat, vel in quibus retinetur fluxus earū consuetus. Fluentes vero appellant, e quib. sanguis profluit. Rursus distinguunt in *profundas, occultas & externas*. Differentię enim adeo multiplices resurgunt, *vt apud Rondeletium videre licet*, modo a situ, modo a colore, asperitate, vel a symptomate ipso. A situ, modo internæ, modo externæ & apparentes dicūtur.

Internæ. Internæ ex venis intestinorum vel mesaraicis, iisq; frequentius, qui cachexia laborant, & difficulter excernunt, & mulieribus difficulter parientibus & allio frequenter vtentib. Conuenit melancholicis affectibus, tumoribus splenis, hepatis, mesenterii.

Externæ. Externæ a venis distributis circa sedem & in affectibus renum prosunt. Sanguinis vero reiecti colore & consistentia differunt. Nam qui ab internis fluit, splendidus est & tenuis; qui ab externis, colorem habet magis saturum. Sanguis enim dilutus permixtus multæ substantiæ serosæ, magis tenuis & splendidus est, qualis aliquando redditur in fluxu hepatis. Nam sanguis venarum mesaraicarum, rudem tantum formam habet: qui vero ex ramis venæ cauæ defluit, magis concoctus & elaboratus; vnde & color magis saturatus. Differunt tertio: aliæ enim leues sunt, vuisque similes & leuitate & colore; aliæ rugosæ, quas practici a moris morales vocant, alias vuales ab vuis. Sed Neoterici has ad cœcas referunt, ponuntque quatuor differentias; vt Alexander Veronensis facit, *lib. 21. c. 7.* verrucales, quas refert ad condylomata, vuales, morales, & piscium albicantib. vesicis similes. A symptomate, aliæ sunt ab inflammatione, aliæ sine ea. Aliæ sanguinem fundentes (*quas proprie hæmorrhoides appellamus, nomen generis seruantes*) vel cœcæ, doloremque vehementissimum inferentes.

5 Alii rursus penes materiam distinguunt. Sic verrucales a sanguine melancholico fieri volunt; morales ex sanguine; vuales ex materia mixta, sanguine nempe melancholico, & melancholia. Vesicales, sed rarius, ex pituita. Rursus ex termino temporis, modo diuturnæ, modo redeuntes, vel per crisin factæ (*vt exemplis dum de febribus ageremus ostendimus*) modo plures, modo vna: modo naturales & iuuātes, modo superflue & lædentes.

Celsus. Et ita iuxta Celsum, non morbum hunc esse volunt, sed quandoque purgationem naturalem. Quamuis tamen per anum sanguis effluat multis modis, nempe per intestinorū fluxum, per hæmorrhoidas, id etiam per σύκωσιν siue ficum & thymum vel mariscam fieri potest. In quib. multi sæpe fallūtur, qui sine destinctione, statim fluxu aliquo in ano aut tumore apparente, hæmorrhoidas esse putant, cum plurimum hi omnes affectus inter se differant & natura & curatione.

Thymus differt ab hæmorrhoidib. Thymus enim a veteribus describitur tuberculum carnosum, quasi verruca eminens ad cutem, tenue, supra latius, subrubrum, in summo perasperum, oblongum, florem thymi referens, vnde nomē habet.

6 Facile finditur & cruētatur: modo vnus, modo plures nascūtur in pedibus, talis, palmis, mediis femoribus, glande, præputio, facie, & sæpe in ano: etiā in pudēdo muliebri, vt in nosocomio spectauimus in puella, quę ex lue Gallica valde magnum habebat, qui a chirurgo per caustica ablatus, cum maxima putredine. Alii sunt sine dolore carnosi, asperi, candidi, aut subrubri: alii cum dolore punctorio, duriores, asperiores, maiores, feculenti, liuidi; nec facile curantur nisi tota parte exsecta, cui innascuntur.

Sycosis. Sycosis idem significat, nisi quod maior est quantitate & magnitudine, vt scribit Aetius.

Marisca. Latini & hunc morbum *ficum* appellant, siue *mariscam*. Vnde Martialis:

Caeduntur tumidæ medico ridente mariscæ.

Falluntur ergo, qui mariscas cum hæmorrhoidib. confundunt. Illæ enim generantur ex præpostera Venere, immodica equitatione, vel attritione qualibet in ea parte facta:

Hæmorrhois. Hæmorrhois vero (*nomine pro affectu sumto, siquidem partem affectam quādoq; significat*) nihil aliud est q̃ profluuium sanguinis per venas ani, aut in illis tumor ab influente sanguine. Interim hęmorrhoides ad symptomata referuntur, nempe ad immodicam sanguinis profusionē, & eius minime consuetam suppressionem. Sola quippe naturalis vacuatio ea censetur, quæ quod grauat infensumq; est, velut onus inutile deponit, citra corporis infirmitatem, citraq; virium iacturam. Sic interiores hæmorrhoides, quum corporis venæ aut multo aut acri turgent sanguine, nullo rere sensu tumoris doloris've superuacuum sanguinem eructant; vt in meo patre carissimo eueniebat; nam sine dolore sanguis effluebat, idque solum in egerendi conatu, atq; is seorsum cōspiciebatur

clebatur feci minime permistus. Profusionis caussa continēs est in sanguine, qui multus, tenuis aut violenter erumpit: vel in venis, quæ aut apertæ, aut erosæ, aut ruptæ sunt. Suppressio autem contrariis ex caussis fit. Aliquando hæmorrhoides sumuntur a quibusdam pro fluxu materiæ virulentæ vel saniosæ ex dictis venis, quæ assimilantur fluxui materiæ ex vlcerib. ani, non a dictis venis. Et hoc modo sumsit etiam Auic. *17. tertii cap. 2. in principio*, cum dixit: *Scias quod multoties existimat aliquis quod habeat hæmorrhoides, & non habet, nisi vlcera in recto, & in iis, quæ sunt circa ipsum.* At fere omnes communiter loquendo de hæmorrhoidibus, intelligunt eminentias illas venarum extumescentium, scilicet hæmorrhoides cœcas vel apertas ac fluentes. At exempla subsequentia hæc omnia latius declarabunt.

Observatio IIII.

De quibusdam, qui commoda, ab hæmorrhoidibus fluentibus, perceperunt.

1 VBi sanguis, qui effluit per hæmorrhoides, redundat, vel vitiosus est, magna commoda subsequi solent, quæ ab ipso Hippocrate numerantur: nam incipientem melancholiam prohibent, factam vero sanant, quod fere is humor crassior & nigrior per has venas vacuetur, licet & alias quoque varicibus, lieni indurato, & arthriditi hæc euacuatio vtilis est. Sic dominus Cornelius Zuyius Hollandiæ Præses, cum articulari dolore affligeretur, apparentibus consuetis hæmorrhoidibus, iisq; fluentibus, statim prædixi eum ab omni dolore articulari liberatum iri; neque me fefellit hæc sententia, cum nephritidi remedio quoque sint. Nam & *6. Epid. comment. 3.* tales neque pleuritide, neque peripneumonia, neque phagedæna, neque furunculis, neque terminthis, neque lepra fortasse, neque aphthis corripiuntur. Verum non solū his prosunt, teste Hippocrate, sed & vteri, vesicæ

2 & pudendi affectibus. Nam & viduis quibusdam loco mensium commode fluxisse hæmorrhoides, compertum est. In grauidis quoque, vt annotauit Hollerius, vtiliter fluxere in duabus mulieribus nobilissimis, iam quatuor menses in vtero habentibus: in quibus partus tempestiuus consequutus est, & saluberrime adoleuit. Erat autem frequens & multus fluxus, sanguis fere dilutus; qui vbi subsistebat, grauius habebant. Ægre excluso leuabantur. Quibusdam etiam familiis cōsuetæ sunt. Cuidam nobili in ædibus Amb. Paræi chirurgi decūbenti, qui Hollerium ad consilium adhibuit, cum in grauissimo dolore renum emingeret pus, sanguinem & crassam pituitam, natura remedium ostendente, quia tumebat hæmorrhois, & aliis remediis non cedebat dolor, eo statim tempore iussit aperiri hæmorrhoidem; vnde incredibili celeritate dolor conquieuit.

Scholia.

3 QVoniam mortalium corpora culpata sunt, *teste Alexandro Benedicto Veronensi, lib. 12. cap. 8 de caussis hæmorrhoidum*) talem excrementitii humoris viam salutarem inuenit natura, cum acuti mordacesq; in corpore exundauerint humores, quibus orificia venarum patefiunt, vt sanguis melancholicus aut atra bilis (*vt tradit Hippocrates*) suo graui pondere eos meatus resoluit. Sed & excrementorum ariditas angustos quoq; transitus ani lacerat, & mulieribus difficulter parientibus, & flatulentis cachexia laborantibus vel calculo, aut vlcera in intestinis habentibus, quandoque euenit, & qui cum magnis (*vt dictum est*) conatib. prius recrementa reddunt: fluuntque per diaurosin, dianastomosin aut diapedesin. Ex his aliæ *corporea & interna*: quædam vero *externa & primitiuæ*. Ex corporeis denuo quædam *antecedentes*, & iuxta alios *coniunctæ quædā exsistunt*. Ex antecedētib. rursus aliæ *complexionales (vt vocant) vel cōpositionales*: aliæ *humorales*. Sic temperatura calida &

4 humida in toto vel hepate multiplicans sanguinem, vel calida & sicca inflammans & adurens, proferens melancholiam; vel mala ipsius splenis dispositio: ex complexionalibus latitudo meatuū situsq; venarum deorsum vergentium, humorib. eo facilius depulsis ac fluxis. Antecedentes sunt, humores prædicti. Primitiuæ sunt variæ, vt in æstate torrida a nimio calore, aut in hyeme nimio frigore, austris vel aquilonibus, perseuerantibus, longis equitationibus, aut quotidianis sellis. Et quæcunq; irritant hoc vitium, vt glandes sale exasperante nitroue iniectæ, suppositoria crassa. Sic

5 Iacobo Heutero apertæ hæmorrhoides, sed suo cōmodo cardialgia laboranti, ex qua euasit, vt alias diximus; clysteres quoq; acuti & aloe nō præparata aperiunt ora venarū; vt & frictiones longæ & asperę, vel super marmore duræ insessiones. Accedunt metus, formidines, animi perturbationes, diuturnæ vigiliæ, ac immensi labores corporis. Accenditur, & sanguis longa fame, siti. In cibis ostendunt salsa, acuta, & quæcunque rarefaciunt & aperiunt. Cum igitur venæ latæ & calida intēperies hunc morbum promoueant, multis hoc malum quibusdā hereditarium est, ob similem compositionem & temperaturā. Quidam tamen (*vt nunc exemplis docuimus*) ex iis venis sanguinē fundunt sæpe, veluti naturali quodam onere sese exonerante natura: idque etiam in ore vuluæ veluti fœminarum menstruo vectigali incidere cōsueuit. Hæc de caussis. *De signis quædam addemus, hoc rursus interposito exemplo.*

Observatio V.

De puerpera doloribus hæmorrhoidibus obnoxia.

1 NObilis matrona Berentrechtia, mulier admodum proba & prolifica, in Haga Comitis habitans, in puerperio doloribus hæmorrhoidū fere semper valde affici solebat. Quæ cum multis frustra remediis tentatis, a dolore minime liberari posset, tandē consultum fuit vt suberem lignum, (*nostri curck appellant*) combureret, & cinerem eiusdem cum vitello oui & oleo rosaceo linamenti instar simul commisceret. Quo remedio, vt nobis retulit, dolores hæmorrhoidum miraculo quodam semper sedabat. Ego autē in hæmorrhoidibus, in quibus fere cruciat dolor, commode sæpe *oleo ouorum solo* vsus sum; aliquando *vitellum oui commode cū rosaceo aut violaceo oleo* subegi, atq; iis

tantum vtebar. Vbi autem insignis adesset ardor, albumen oui quandoq; apte cōmiscui; modo etiam *micam panis albissimi ex supradictis oleis subactam emplastri modo*, cū maxima vtilitate apposui; etiam subinde sedē inungendo *oleo violaceo, mucilagine seminis psyllij, pauca portione ceræ adusta.*

SCHOLIA.

2 HÆMORRHOIDES quandoq; cum impatibili dolore turgent: vicinitatis quoque partium vesicæ, (*qua & vrina sæpe supprimitur*) colis, testium, inguinum, & pubis cum osse sacro communicatione. Parturientibus, vt dictum est, sæpe hoc malum oboritur: quod forte etiam huic matronæ euenit ex difficili partu; vel quia erat obesa, huic malo semper magis in puerperio obnoxia. Ceterū oportet prius signa inuestigare: quorū alia sunt præsagientia, alia vero demonstrantia generis, tum etiā specierum; quædā vero mera prognostica. Præsagientia magna ex parte cognoscūtur ex malo hereditario, nū parentes eo vitio obnoxij fuerint, ex dispositione naturali mēbrorū, vt caliditate, siccitate hepatis & latis venis circa anum, vt diximus; ex victu crassiore melācholico, ex plenitudine præcedente & victu aperiente, ex grauedine dorsi, pruritu ani & dolore præcedēte. At quæ crisin precedunt, dum venæ istæ aperiuntur, de iis satis superque diximus *in libris nostris De febribus*. Signa demonstratiua generis satis sunt manifesta, si extra appareant; & multo magis si fluant: Internæ latentes quidem oculis cerni non possunt, nisi descendente ano aut immisso speculo; qua quidē in re antiquis placuit, vt sedes euerteretur. Inusitatum nec ita tutum remedium nostris temporibus. Neque magis tutum mihi videtur illud Rhasis consilium, qui in libro Diuisionū iubet apponere ventosam supra anum, vt sic cōtemplari possent. Ceterū si sint interius, satis declarantur ex læsione stercoris exeuntis, & ex aliquali pōdere & pruritu illarum partium. Sanguis quoque profluens id manifestabit. Differt autem a sanguine dysenterico, quia nec mixtus est cum fecibus, neque cum dolore & torminibus deiicitur. Differt quoq; a tenesmo, quia non fit exitus illius cum expressione vehementi & conatu, sicuti in tenesmo fieri solet. Effluit distillando: & cū tergunt anum papyro vel panno lineo, sanguine commaculatur; neque dolor adest, vt in dysenteria, cum & sanis sæpe appareat. Color quoque faciei habentis hæmorrhoides, teste Auicenna, ad viridem colorem declinat. Id quod in multis aliquando animaduertentes, solo hoc signo inducti, eos hæmorrhoidibus laborare pronuntiauimus, magno cum artis honore. Fluit quoque per istas venas (*vt diximus*) sanguis per *diaurosin, dianastomosin aut diapedesin*. Hi vero modi sic deprehendūtur. Si sanguis sit aquosus & paucus, per resultationem fit: si per anastomosin, paulo crassior est, & in maiori quātitate, & in forti compressione guttatim defluit, & non nisi cū redduntur excremēta alui: si ob arrosionem venæ, præcessit vlcus circa sedem, sanguis fluit crassior, & in maiori quantitate, & etiam sine compressione. Sed diligenter æger interrogandus est, nunquid alias hoc malo laborauerit. Solent enim hæmorrhoides in quibusdam apparere per interualla, in aliquibus quarto quoq; anno, in aliis singulis annis, vel citius; vt in his, qui multo sanguine abundant. Et ideo vbicunque consilium est vel commouendi vel restringēdi hæmorrhoides (*de qua re postea suo loco*) peculiaris natura ægri primum expendenda est, exquirendumque ab eo, an ex cōsuetudine & statis interuallis soleat eo modo repurgari. Sūt enim quib. periodice fluunt: vt fit senibus, mulieribus, viduis, & quib. aliter supprimuntur menses. Sanguis interim diuertit a venis vteri ad sedis venas, & ita per periodos sese repurgant. Nō temere hic, vt suo loco postea dicemus, restringendus est sanguis. At habentibus hæmorrhoidas cœcas dolor vehemens subsequitur, cum cœcæ inflatæ sint humoribus quoque incensis ac spiritibus cōcalfactis. In cœcis autē grauissimus dolor adest, quia partes illæ acutiore sensu sunt. Sphincteris enim neruosa quædam substantia est, quæ neque vstionem, neq; sectionem facile ferre potest sine conuulsione: deinde habēt e vicino osse sacro ductos neruos; & extremę partes sunt, quales acerrimum habent sensum, neque sine periculo offendūtur. Indicio est e pollice pedis subita mors apud Hip. 1. *Epid.* & læsis extremis digitis dolor grauissimus & oculis, & pudendis & sedi. Rectitudo quoq; & tenuitas neruorū plurimū facit ad doloris sensum. Quæ omnia indicant, non sine caussa, pleniorib. vasis & distensa membrana sedis, quæ orificis venarum prætenditur, a plenitudine aut inflammatione acutissimum dolorem excitari, qui sæpe ad se totam curationem traducit. Sunt itaq; vel sine inflāmatione, vel cum inflāmatione. Inflāmationis signa sunt dolor, rubor, tensio, renixus, febris, si vlcerentur, etiam pus reiicitur. Sed & hoc scitu dignum, quod neoterici adiiciunt, quod nō tantum fluat sanguis, sed aliquando etiā aqua citrina vel aquositas quædam lotiua, in iis, quas vesicales appellarūt. Et si sint ex humoribus frigidis, sentitur conturbatio, dolor & grauitas in ventre, pondus circa crura, & ani circulū. Ex calidis punctura circa anum, calor & ardor: præter grauitatem, pondus, dolorem circa anum, anchas & dorsum, ægri tandem debilitantur: aliquādo appetitus deficit, sitiunt; lædūtur a frigore, & iuuantur a calore; colorque iis accedit citrinus, ad viridem declinans, modo fuscus: quæ signa plerumque concomitantur eos, qui hæmorrhoidibus afficiuntur: accedit discoloratio faciei & grauitas coxarum, si superfluant. Quod ad prognostica attinet, cœcæ omnium deterrimæ. At apparentes minus malæ sunt, quā latentes aut profundæ, remediis aptius ad loca venientibus. Fluentibus quoque dolores remissiores, materia etiam purgata, quæ in cœcis retinetur. In mulieribus, menstruis fluentibus curantur hæmorrhoides; & e conuerso: ac fluentes hæmorrhoides, passionibus renum medentur, 6. *aph. 11. & 21.* insanientibus commodæ, & phreneticis & melancholicis. Difficulter tamē curantur, ob multas caussas, *teste Galeno*, cum pars sensilis facile

Signa præsagientia.

Signa demonstratiua generis & specierum.

3

4

5

Cæcæ hæmorrhoides cur valde doleant.

6

Prognostica.

7

facile irritetur ab acribus mordacibus pharmacis, & mordacib. recrementis aut duris per eam partem transeuntibus: est etiam semita superfluitatũ, frigida pars, in decliuiori loco posita, per quam viam transeunt feces; neque medicamenta ibidẽ morantur; & materia tanquam per sentinam ad anum recipitur, diminuendo quietem, vt Auic. ac Rhases asserunt. Curationis periculum etiam cõstat *ex aphorismo 12. lib. 6.* a diuturnis hæmorrhoidibus sanato, si vna non seruatur, periculum est aquam intercutem vel tabem aduenire. Nam itinere intercluso, vt refert Galenus in commento, vna & duritiem in hepate facit, & simul multitudine grauans, ac crassitudine, calorem in ipso natiuum exstinguit, cum tale quid accidat, quale in flammis exterioribus, in quibus multa ligna superingesta strangulant ignem atq; exstinguunt. Si enim a natiuo calore generatur sanguis, manifestum quod ipso exstincto non generabitur amplius. Aqua vero intercutem fit, quum sanguinis generatio frustratur. Si vero aliquando posset hepar propellere multitudinem ad venas pulmonis, his vase aliquo rupto tabidi fiunt. Non frustra igitur consuluit vnam saltem seruari hæmorrhoidem, vt per hãc euacuetur feculẽta & vitiosa materia hepatis, præsertim in quibus longo tempore solita est per tales venas excerni. Potest quoq; ex omnimoda restrictione fieri mania, dolor capitis, hydrops, aliiq; morbi melancholici, & cancer, lepra & scabies. Nam tales, quibus aperiuntur eiusmodi venæ, neq; pleuritide, teste Galeno, neq; pulmoniam, neq; corrosionem aut scabiem patiuntur. Et sicut Hippocr. hæmorrhoides antiquas per se vel per artem restringere malum dixit, ita & vltra modum fluere, malum quoq; idem pronuntiauit; quoniam marasmum vel hecticam, vel hydropem præsagit.

OBSERVATIO VI.

De dolore hæmorrhoidarum; per modum consultationis.

VIR Nobilis, cum insignem aliquando dolorem pateretur hæmorrhoidarum, consultandi caussa me accessit, vt eidem remedia quædam transcriberem, quo ab hoc dolore leuari posset. Cui hæc infrascripta per modum consultationis dedi. *Sciendum, vir generose, quod dolor hæmorrhoidarum plerumque contingat ex sanguine melancholico multiplicato, ad venas hæmorrhoidales transfluxo, & ibidem coaceruato, qui nisi extra exspiret, cæcas & surdas aliquando infert hæmorrhoides, a quibus nihil sanguinis profluit: & sic propter tensionem factam, sanguine exire non potente, infertur intensus hæmorrhoidarum dolor. Solet etiam aliquando sanguinis excretionem præcedere dolor: quamuis etiam circa dolorem hæmorrhoides aliquando profluant, & etiam subinde doleant, etiam nullo sanguine succedente. Qui dolor tam magnus aliquando esse potest, vt per sympathiã vesica laborante, vrinæ succedat stillicidium. Sic viro cuidam (de quo refert Dodonæus, medicus quondam noster familiaris) cœca ac internæ hæmorrhoides molestæ erant. Medicus enemata adhibuerat, quibus salem & hieram admiscuerat: Hinc dolor & inflammatio adeo intensa, vt non minus, quam hæmorrhoidum labor, vrina quoque molestum esset stillicidium: & cui prius remedium adhibendum foret, in deliberationem caderet. Huic autem mox olei violacei vncia in anum iniecta bene fecit, dolore primum hæmorrhoidum, deinde & vesicæ leuato, eodem vero postea aliquoties imposito, omnis dolor conquieuit. Quo oleo, si tu etiam vti velis cum dolore tentaris, non erit inutile. Vel hic clyster iniiciatur, quo præceptor meus Benedictus Fauentinus Bononiensis professor commode vtebatur: ℞ olei violacei ℥. iij. decoct. folior. caulium ℥. vij. vitellum vnius oui, zacchar. rub. ℥. j. ß salis communis ℈. ij. vel fiat sine sale. Si circulus ani ita fuerit obseratus, vt clyster minus imponi possit, detur ℥. j. vel ℥. ß. cassiæ recenter extractæ. Dolore adhuc perseuerante, cum nunc simus in Maio, basilicam dextri brachii tundere facias, moderate sanguine extracto. Quod si deinde dolor adhuc vrgeat, & medico tuo præsenti aptum videatur, saphena etiam tundatur. Hoc enim modo præceptor meus in simili casu procedebat: neque iis iuuantibus, cum cœcæ hæmorrhoides dolorem inferrent adhuc, die vno atque altero interposito eas aperiebat, cum panno aspero fricando, vel cum foliis ficuum. Alii id cum phlebotomo faciunt: verum cum facile dirumpant venas plusquam sit oportunum, hinc fit vt vlcera in hæmorrhoidibus figantur. Ideo securius est eas aperire sanguisugis bene purgatis, extremitatibus hæmorrhoidum appositis duabus vel tribus, prout expediet. Sed id non faciendum, nisi præcedentibus aliis venæ sectionibus: & cum sanguisugis non extrahantur nisi quatuor vnciæ ad summum; nam debiliores exsistentes ex priore sanguinis detractione, maiorem copiam non ferunt. Si neque istis dolor adhuc sedaretur, materia concocta cum syrup. viol. aquis borag. fumariæ, lupul. & similibus, purgetur cum syrup. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ, vel cum elect. lenitino, vel diasenæ, adiecto diacatholico. Vel in hunc modum. ℞ syrup ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ ℥ j. elect. lenitiui, diacatholici ana ℥. ij. confect. hamech ℥ j. ß. cum decoct. communis ℥. iij fiat potus, mane exhibeatur. Corpore repurgato, bis terue in die hæmorrhoides sequenti vnguento, egregie dolorem sedante, inungantur, quo & præceptor meus vti solebat in mulieribus prægnantibus, quæ propter retentionem menstruorum fere semper molestantur: ℞ olei viol. loti cum aqua viol. butyri recentis ana ℥. j. vitellum vnius oui, olei de semin. lini ℥ j. ceræ q. s. fiat vnguent. molle. Vel lana succida sequens ano apponatur: ℞ olei sem. lini. de chrysomelis ana ℥. iiij porcellionum, vermium terrest. ana ℥ j. misce, bulliant ad perfectam coctionem animalium: deinde colentur cum forti expressione, & vsui seruentur, & intus cum lana succida madefacta ponantur ad locum hæmorrhoidum. Vel hoc emplastrum apponatur: Medullæ panis ℔ j. lactis ouini vel vaccini, vel caprini ℔. ij. bulliant ad consumtionẽ duarum tertiarum lactis. Deinde adde pinguedin. renum caprarum ℥. ij. puluer vermium terrest. ℥ j misceatur, & calide ano apponatur. Sed & hoc balneo commode vtimur: ℞ folior. maluæ cum*

rad. rad. althææ, bismaluæ, violariæ, flor. tapsi barbari, chamomil. meliloti fœnugr. semin. lini ana m. j ß. bulliant in s. q. aquæ dulcis, ad consumt. mediætatis. Fiat insessus in hoc calido balneo per horam vnam. Interea & illud cognitu necessarium, quod in hæmorrhoidibus cæcis plerisque aluus obstructa est. Ideo si id tibi contingat, hoc vel simili clystere vtendum, non solum ad alui lenitionem quin imo & ad certam doloris ablationem: ℞. olei oliuar. decoct. rad. althææ ana ℥ v. butyri recentis ℥ iij. succi folior. porrorum ℥ j. ß. zacchar. ℥ ij. vitellum vnius oui, salis communis ʒ ij. At si vlceratæ sint hæmorrhoides, a sale plane abstinendum. Hæc sunt, vir generose, quæ casui tuo vtilia esse censeo.

Scholia.

5

QVOD ad curationem attinet hæmorrhoidũ, varia est intentio, prout affectus euariat: modo enim fluxus est, modo adstricta passio: & cum fluit, nunc permittitur, si per periodos id faciat, nunc supprimitur, si vires lædat; inde enim concoctio vitiatur, & hydrops sequitur. At hic de passione adstricta agitur, quæ fit cum replentur fluxione vasa, quæ ad anum terminãtur; idque bifariam: vel enim replentur cum dolore facto ab extensione vasorum, (*vasa enim sensu prædita sunt, vt diximus:* vel cũ dolore & tensione adest inflammatio, quæ non venas solum maiores, sed & minores, & musculorum ani spatia occupat sensilia, & fit phlegmone. Contingit & differentia (*vt prius diximus*) ex natura humoris: aliquando enim sanguis acutus est & calidus; aliquando frigidior. Est & alia differentia, de qua etiam antea dictum est, ratione loci. Nam vel cæcæ dicuntur hæmorrhoides, vbi tumor extra non apparet, vel sunt extra eminentes. Rursus distinguimus, quoniam vel sponte naturæ fluxio est excitata, ob copiam crassi sanguinis, vel ex aliquo accidente, vt equitatione. Primus casus, si sint cum dolore mediocri, nec magno tumore, loco non inflammato, tunc scopus est euacuare præter naturam distentum: cum itaq; fluxus cessauit omnino, tunc ex eo loco ipso; cum magna ex parte, tunc e vicino. In primo igitur casu vacuatio tentanda per resoluẽtia, si multa materia non sit, neque magna durities, vnde coniicimus contumaciam humoris: sed si hoc timeamus, melius erit venas aperire cum medicamentis aptis, vel vt alii volunt chirurgia; quæ tamen non adeo, vt etiam in obseru. præc. diximus, probatur. At quæ resoluunt, nota sunt: siccant enim sine morsu, *vt radix & flos tapsi barbati, & muccilagi. fœnugræci & althææ. Emplastra & vnguenta his similia, vt ex cæpe albo & butyro simul decoctis:* & est Rhasis multum expertũ. Quod si molliores sunt, etiam magis siccante vtemur, vt alumine illis adiecto. At quę aperiunt, de his etiam paulo post dicemus. Secundus casus est, vbi dolor & tumor magnus & inflammatio. In quo casu, si de magno fluxu suspicio est, auersione vtemur; quæ fit per contraria, vt secando superiores venas; mox deriuatione ex infernis. Aliquando hæc secunda sola sat erit. Mox dolor sedandus *emplastro ex cæpe albo; vel cerato Galeni albo, vel vnguẽto popul. cum opio, vel ex hyoscyamo.* Post hæc dolorẽ sedato, si tumescant adhuc, cura eadẽ erit, quæ in primo casu. Sic in ægrotante quodam cum dolor intensus esset, nec remediis sedare posset, solo fotu tapsi barbati in aqua cocti cum semine hyoscyami sæpius experto omnis dolor euanuit.

Hæmorrhoidũ adstrictæ curatio. 6

Interea sciendum tripliciter corpora lædi ab hæmorrhoidibus, scilicet cæcis non consuetis fluere; & cæcis fluere consuetis, sed iam natura fluentibus; & etiã ex superfluentibus. Cæcæ autem requirunt mitigationem doloris, vt detumescant & resoluantur. Preter diuersionem conueniunt insessus, emplastra, olea; de quibus videas Rondeletium, & alios. Quæcunque relaxant partem distentam his conferunt. Interea, quod ad doloris sedationem attinet, diligentissime etiam inspicere oportet, nũ pars sit cum aliqua inflammatione: tunc enim refrigeranda & relaxanda est. Nam constringentia & vere repellentia in dolore vehementissimo non sunt apponenda, nisi fluxus immoderatus iũctus esset, & qui raro iũgitur, nisi per arrosionem fluãt hæmorrhoides. In dolore cũ caliditate magna vtimur, *vng. ros. vel viol. vel succo hyoscyami in pauca quantitate, vel oleo mandragoræ admixto in vehemẽtissimo dolore.* Cogimur aliquando ob vehementiã *doloris opium diluere in oleo viol. vel cham. vel viol. lilior. & amygd. dul. aut muccilag. fœnig. & supra partẽ apponere cum pauco croco.* Pro arcano a quibusdam hoc habetur: *suber combustus puluerisatus cum oleo sem. lini vel oui vitello: alii limacis vtuntur, cum testa decoct. in oleo viol.* Vide plura experimenta apud Nicolaum & Gradum, ac alios Neotericos. Alii, quod ad exsiccationem attinet, vtuntur antimonio cum succo tapsi barbati.

7 Trib. modis læduntur corpora ab hæmorrhoidibus.

8

Ceterum si post vsum horum remediorum dolorosæ permaneant vel tumidæ, quod vix contingit, tunc tutius erit procedere cum iis, quæ sanguinem contentum in iis educant: Quæ intentio principaliter versatur circa hæmorrhoidas cæcas fluere consuetas: quæ si non aperiantur & tumidæ maneant, morbi supradicti, vt hydrops & apostemata in hepate exspectanda, sanguine retento. Igitur venis superiorib. sectis & in curuatura poplitis vel saphenæ, & deinde potius sanguisugis quam phlebotomo. At prius emolliendæ *balneis, vnctionibus, emplastris emollientibus.* Et ita molliores redditæ aperiendæ frictione aspera, *vt diximus, foliis ficuum, vnguento molli subacto ex succo cæpæ rubræ, vel eadem cæpa aceto macerata contusa & imposita cum oleo irino, rutaceo, cum pinguedine lardi erasa, vel pulpa colocynthidis in oleo immersa, & alligatur ano:* quinque horarum spatio, vt aiunt, aperit; *cum stercore columbino cum molli ping. lardi mixto, cum foliis parietariæ appositis: fotuq; ex cyclamine, bryonia, iride, & simalib. cum felle porci, balanis acribus.*

Intertio quæ versatur circa hæmorrhoidas cæcas fluere consuetas.

Verum si nimium fluant, & vires omnino deiiciantur, tunc restringendæ iisdem remediis, quib. menstrua superflua & vires deiicientia restringuntur. Nam fluxus immodicus hæmorrhoidarum statim supprimẽdus, quia toto genere præter naturam est & rationem caussæ habet: refrigerat iecur & totũ corporis habitum, & vires deiicit. Hoc enim morbi genus

9 Si nimium fluant & vires deiiciantur, curatio.

s. de iis, hæmor- dei euer , aperi- sistant, unt, li. 4.

nus (teste Aetio) plurimorum sæpe malorum origo est. Nam & deformitatem, & vitam miseram, interdum & mortem affert. Deformitatem, quoniam nimia inanitione vniuersum corpus decoloratur: vitam miseram, quoniam perpetuæ imbecillitati occurrendum est: mortẽ, quia frequenter iecinore ob excedentem euacuationem refrigerato, aqua intercus superuenit. Vult igitur is, vt plane delcantur post rectam viuendi rationem & sanguinis detractionẽ. Deinde vtitur medicamẽtis, vel etiam chirurgia, vt apud ipsum ad longum videre poteritis. Interim supprimuntur diuersionibus. Diuertuntur autem euacuãdo sanguinem extra corpus, vel trahendo ad partem remotam. Si multus non fluxerit sanguis, corpusq; multo sanguine abundet, vires valeant & ętas nõ dissuadeat, vena brachii aperienda erit, parua apertione, ne multus sanguis affatim fluat, & vt magis tenuis & serosus fluat. Si vero æger debilis sit, aut propter multitudinem sanguinis defluxi imbecillior redditus, fiat *ligatura dolorosæ in extremitate digitorum.* Apponantur cucurbitulæ supra iecur & lienem, vel sub alis, & sanguis extra trahatur. Post diuersiones alii per interius exhibẽt ea, quæ sanguinem incrassant & restringunt, vt est *syr. de portulaca, & alia, & ℥ j. trochis. de carabe. cum vino rub. stypico.* Exterius fiunt vng. restringentia *ex succis plã. bursæ pastoris, tapsi barb. sang. draco. boli, & similibus, vel cum cerussa, lithargyr.* Etiam ex constringentibus balnea & insessus parant, in quibus ægri insideant. Vide de his auctores Leonellum & Rondeletium, & alios. Hoc sequens valde restingit: ℞. *ossium myrob. indorum combustorum ℥ ß. scoriæ ferri præparatæ ʒ ij. lapid. hæmatit. ʒ. j. ß. gypsi ʒ. ij. terantur vltima contritione, cum succo plantaginis, & cum eo liniatur circulus ani intus & extra.* Alii vtuntur *fumigio ex bdellio. ʒ. j. quoque pilul. de bdellio sumta per os,* potenter retinet fluxum hæmorrhoidum. Puluis bufonis combusti vel ranæ terrestris positus supra hæmorrhoides, dicitur eas stringere a proprietate. Si hæmorrhoides sint internę ac profundæ, quæ fluunt, fiat licynium intinctum in cõpositione sequenti, & intromittatur: ℞. *thuris, sanguinis draconis, boli armen. pilul. leporis ana ʒ. j cineris testarum oui, foliorum oliuæ ana ʒ. ß. telæ aran. ∋ j. omnia incorporentur cum seuo castrati, & succo tapsi barbati, & supponatur licynium quater in die.* Atque his curabitur, si Deus, voluerit.

hæmor- das in- as flu- s.

Observatio VII.

De hæmorrhoidibus cæcis, ad condylomata accedentibus.

IOannes Heuterus, vir præclarus, a quartana liberatus incidit in hæmorrhoides cœcas, proxime ad condylomata accedentes, cum grauissimis doloribus, vt integris noctibus vigilaret, ex crasso humore melancholico. Eo primum purgato cum *decoct. sena adiectis. sy. de epithymo, de fumar. & similibus,* deinde ad resoluendam materiam coniunctam & dolorem sedandum, vsi sumus *fotu ex decoct. fol. maluæ, althææ, cum rad. folior. viol. flor. melilo-ti, tapsi barbati, sem. fœnug. althæa, lini in lacte decoctis.* A fotu inungebatur *oleo lini, viol. ros. butyr. recente, deinde & oleo ouorum.* etiã lana succida apposita, immersa sequenti mixturæ: ℞. *olei lini ℥ j. ß. olei viol. ℥ j porcellionum seu oniscorum recentium, vermium terr est. ana ℥ j. cocta parum, per pannum fiat expressio,* & vsui reseruetur. Quibus cum dolor nõ mitigaretur ex toto, licet subinde minus doleret, hoc enema molliens, leniens, sedans dolorem iniectum fuit, cum aluum non bene deponeret: ℞. *folior. maluæ, viol. tapsi barbati, caul. rub. betæ, althææ mercurial. seminis fœnugr. lini ana ℥ ß. coquantur in s. q. aqua, huius colat. accipe ℥. x. addendo olei oliuar. amygd. dul. viol. ana ℥. j. ß. butyri recentis ℥. i. ß. cassiæ ℥ vj zacch. rub. ℥. j. vitellum vnius oui, salis triti ʒ. j. fiat clyster.* Eo ter aluum deposuit cum maxima alleuiatione. Ab iniecto clystere, paulo post hæmorrhoides interius apertæ sunt, Sed paucum admodum sanguinis fluxit cum fecibus vix effatu dignum. Ideo post tres dies cum feces denuo duriores euaderent, ac dolor ingens reuerteretur, hunc bolum deuorauit: ℞. *cassiæ recens ex cannis tracta ʒ. vj. confect. hamech ʒ ij. Zacchar. candi aspersõ fiat bolus.* eoque deuorato quatuor secessus prius fecales, postea & mucosos ac melancholicos habuit. Tunc in ano inspeximus excrescentiam quandam vnam atque alteram exterius apparentem, valde exiguam tamen, condylomatum instar, ex quibus sanguis non profluebat; neque ab eo tempore, nisi post clysterem, valde exiguus exsistens, visus est. Cum vero ingenti dolore denuo afficeretur, ad dolorem sedandum & emolliendum, *emplastrum* apposuimus *ex foliis mal. viol. & tapso barb. cum farina hordei & butyro recenti paratum.* Dolor licet prima fronte tunc videbatur mitior, paulo post tamen redibat multo vehementior, licet diceret se melius habere cum sederet, quam cum decumberet. Nam ex continua sessione anus comprimebatur, & melius ferebat, optabat vt aperirentur. Adhibita denuo decocta maluæ cum spongia instar fotus, & oleo terebinthinæ inuncto, cum multis hoc modo aliquando apertæ sint, etiam adhibitis cępis contusis, nihil inde auxilii reperit. Puluis quoque *ouorum raiarum in littore maris inuentorum* inspersus fuit. Hoc enim modo plurimi a condylomatibus & hęmorrhoidibus cœcis curati dicebantur. Aliis multis experimentis adhibitis, etiam vsus est radicibus chelidoniæ minoris contusis & applicatis, quæ proprietate dicuntur valere ad condylomata & verrucales hæmorrhoides: quare etiam hæc herba a vulgaribus dicitur *speen cruydt,* ab eius insigni efficacia ad hoc malum. Sed his nihilo magis iuuantibus, vna etiam vocauit M Lambertum chirurgum seniorem, qui aliquando nosocomio Delphensi præfuerat. Cum autem ab vna parte ani viderentur apertæ, licet sanguis non effluerert, sed tantum madidę essent. habentes paruum foramen capitis sphincteris instar vel aciculæ; ideo vtriusque consilio hoc digestiuum appositum est: ℞. *terebinthinæ lotæ in aqua rosa ℥ j. ß. vitellum vnius oui cum oleo rosaceo mixtum. fiat digestiuum.* Deinde super imponebatur ad mollificationem & maio-

rem attractionem, emplastrum diachylonis. In parte vero sinistra ani erat condyloma maius, & in eo dolor intensior, cui ad exsiccationẽ pecia linea infusa in aqua plantaginis bullita, cum modico alumine vsto expressa & duplicata calide apponebatur. Deinde linteum conduplicatum compressionis instar, ne ex pondere labia ani comprimerentur, vnde dolor augebatur, impositũ fuit. Atque hoc modo chirurgus procedebat aliquo tempore. Verum non diu post, cum ex appositione aquæ prædictæ fieret quasi corrosio, reliquit aquam, & eius loco apposuit vnguentũ de cerussa; etiam postea relinquendo digestiuum & diachylon. Tamen aliquot diebus intermissis, relicta aqua, cum duo foramina, licet exigua, semper madentia apparerent, iterum apposuit tantum diachylum. In fine vero sola *aqua ros. & plantaginis* lauabat; & paulatim post multos labores, quos passus erat, fuit curatus. Citius autem curari non poterat, cum corpus plethoricũ & cacochymicum haberet; & ideo dũ chirurgus topicis vteretur medicamentis, sæpe eũdem purgauimus, etiam præcedente venæ sectione. Et ita tandem ab omnib. doloribus liberatus, probe curatus permansit.

5

SCHOLIA.

6 CVm hic eiusmodi doloribus torqueretur, innumera etiam vetulæ *(vt fieri solet)* referebant experimẽta, vt fumigio vteretur ex mastiche, quæ cãdelæ cereæ paschali infigitur, quam supponeret carbonibus ignitis sub cathedra perforata, & fumum vndiq; clausus in anum exciperet, superstitiosum hoc equidem remedium, cum sola mastix aliquando iuuerit, licet candelæ cereæ paschali a sacerdotib. non fuerit infixa. Alii cynoglossa contusa, anoq; emplastri modo apposita, ab ingenti dolore liberatos esse referunt. Amatus hoc topico remedio vsus est, *cur. 6. cent. 3.* ad dolores hæmorrhoidum, cum cetera remedia non iuuarent: *℞. Arantium pomum, & id cultro excaua, in quo oleum rosaceum & pseudonardi, lauendulæ dictæ, semina infunde, & ad cineres calidos admoue, & calidum applica, & sæpe innoua*: est enim mirum. Idem ad excrescentias circa anum *(quas cristas vulgus appellat)* curãdas, *cum plures plura machinati sint (variis quoq; tentatis præsidiis)* nullum securius nec melius huc vsq; inuenit remedium, quam eas forcipibus incidere: incisis enim paucis, postea derelicta vestigia curantur. Plures enim carneæ excrescentiæ nõ solum mulieribus, sed & puerulis apud Romam agentibus (*vt etiam nos proh dolor, Romæ aliquando & Bononiæ praxin cum præceptoribus obseruantes, in nosocomiis conspeximus*) enascuntur: quas nonnulli ex practicis scribentibus auctoribus cristatas hæmorrhoides appellare solent. Nefandus morbus is est, quum ex naturæ ordinem peruertentibus reb. eueniat, pullulet ue. Ego vix dignos eiusmodi scelere diuina obnoxios cinædos existimo, vt curentur, quamuis medici benignitate quadam huius artis beneficio hos curent. At apud Amatum *curat 87. cent. 2.* vt scholia ibidem habent, contendebãt nonnulli medici morbum hunc aqua ex rebus apprime constringentibus, vt alumine, & tartaro, ac sublimato confecta eradicari: veluti alii argẽtariorum aqua forti. Sed mea (inquit Amatus) sententia curandi via a nobis tradita, ceteris securior est, quum paruum dolorem, & symptomata fere nulla secum trahat, vt experientia longa comprobatum habemus. Rhagades, ad earum radices, similes iis, quę in labiis ob boreæ flatum asperiorem accidunt, sæpe conspiciuntur: At rhagades vnguẽto de plumbo, & aliis apprime exsiccãtibus exstirpantur. Sed de iis postea. Ita & de condylomate obseruatione sequenti agemus.

Ad cristas seu excrescẽtias ani.

Cur. 87. cen. 2.

7

Hæmorrhoides cristatæ.

8

OBSERVATIO VIII.

De condylomatibus.

1 QVi condylomata patiebatur, ex quibus interdum humiditas aquosa tenuis emanabat; huic iussi, vt folia viridia rutæ cataplasmatis instar loco affecto apponeret. Egregie enim illud ad condylomata & hæmorrhoides facit. Si neque illa iuuarent, imperaui vt *puluis subtilissimus conficeretur ex ferrugine ferri, qui cum succo tapsi barbati mixtus cum bombace applicetur*: omnia enim, quæ condylomatis conducunt *(teste Aetio)* de quibus latius in scholio, adstringentia esse oportet.

SCHOLIA.

2 COndylomata, iuxta Neotericos quosdã, sunt hæmorrhoides siccę, & tuberositates ani, sparsæ sine pede, a quibus nihil manat sanguinis, sed interdum quædam humiditas aquosa. Celsus vero condylomata tubercula appellat, quæ vbi induruerint vulsella apprehẽsa iuxta radices exscindit, vt constat apud eundem *lib. 7. cap. 30. de ani vitiis & condylomatum curatione*. Sic etiam Paulus Æginetà, *lib. 6. cap. 80.* de condylomatis & rimis ac tuberculis: *Ani condyloma loco solum ab eo, quod muliebres locellos infestat, differt, occalescens & ipsum sedis tuberculum, aut inflammatione, aut rima, quæ dicitur rhagas præcedente.* Primum itaque *tuberculum* appellatur; occallescens autem, *condyloma*: quare conuenit, quemadmodum illa, specillo apprehensa exscindere, & medicamentis crustam ducentibus curare. At Fernelius durum ait condyloma esse tuberculum in ani margine ortum, aut verrucæ, aut grani vuæ, aut ficus effigie. Attamen verrucæ & ficus, secũdum alios, vt postea dicturi sumus, differunt a condylomate. Hoc ipsum tuberculum, iuxta eundem Fernelium, fit ex melancholico nigroq; sanguine illic sensim extuberante & excrescente; tædio tamen potius, quam dolore molestum. Attamẽ secundum alios, vt Aetium, fit quandoq; etiam cum inflammatione & dolore: cum ita dicat: *Accidit in sede condyloma, quando replicatis ani corpusculis ruga quædam præter naturam insurgit & intumescit. Cum enim anus sinuosus sit, rugas annexas habet. Ergo intumescente ruga condyloma generatur, quod interdum molle & sine inflammatione est, interdum inflammatum, durum & dolorificum.* Rhagades autem (*de quibus tamen postea*) quandoq; in musculo claudente, quẽ sphincterem vocant, quandoq; in circulo fiunt, eueniuntq;, vel ob acrium humorum defluxum, vel ob inflammationem extensionemq; condylomatum,

Condyloma

3

Lib 14. c.5[illegible] de rhagadibus & condylomatis sedis.

Rhagades.

lomatum, quibus partes adiacentes franguntur. De duobus his vitiis vno capite agit, sic scribens: *Hæc omnia in principio quidem medicamentis curantur, producta vero medicatione, induratoque & ad calli formam perueniente affectu, ad manuum opus confugere oportet, condylomate quidem volsella extenso, & a basi exciso; rhagadum autem callosis labiis exsculptis, vt nouum vlcus mite & purum persistens, medicationem commodam reddat: quod quidem post chirurgiam, primo suppurare oportet, deinde mundificare, postea ad cicatricem perducere. Præsidia, quæ in principio adhibentur, huiuscemodi sunt: Lucii medicamentum ad sedis inflammationes & rhagadas, quod etiam ad testium inflammationes conferi; cerussæ ℥ v. spumæ argenti ℥ j. ß. scoriæ ferri lotæ, aluminis, thuris ana ℥ ij. e vino albo antiquo terito, deinde cerato rosaceo aut myrtino admisce, & vtere. Facit & ad virilium vlcera, præsertim in corona glandis & præputio exsistentia, quæ linamentis mundificari nequeunt, & medicamento ad depascentias confecto exacerbantur. Aliud ad condyloma: Mysi torrefactum cum terebinthina liquida ad emplastri consistentiam excipito, fomentoq; prius ex aqua adhibito, tanquam admirandum apponito. Aliud ad rhagadas sedis & condylomata inflammata: Cadmiæ mollis ter exustæ & lotæ, spumæ argenti lotæ, ceræ ana ℥ ij. ouorum assatorum vitellos duos, defruti cyathum vnum, rosacei tantundem, commisce & vtere.* Vide ad ambo hæc vitia plurima alia remedia apud eundem descripta.

4.

Observatio IX.

De thymis & sycosi ex lue Gallica.

1. Mulier rustica, ex pago Scermerio, prope Alcmariam, quæ in ædib. M. Theodorici Garbrandi chirurgi Alcmariani Gallica lue laborans a nobis curabatur, thymos ac ficus quoque in ano & pudendo habebat. Quæ post vniuersalia remedia, corpore repurgato, & decocto ligni guaiaci cum diu vsa esset, cum decoctum salsæ parillæ tunc nondum in vsu esset, puluerem præcipitatum chirurgus miscebat cum aqua plantaginis & solatri, & cum pluma intincta oblinebat thymos, donec detersi satis deciderent, deinde cicatricem superinducebat cum vnguento de minio. At in muliere illa, quæ in nosocomio Delphési ex morbo Gallico decumbebat, chirurgus Theodoricus, qui tũ curationi præerat, sycosin valde magnam instar vuæ pensilis oleo arsenico oblinebat. Attamen forte quidem hoc est remedium, licet Ægineta *lib. 3. cap. 59.* callosa tubercula calce & auripigmento cum aceto acri trito recte etiam in sole perungi iubet, etiamsi sine lue Gallica exsistant.

Scholia.

2. De lue Gallica, si Deo visum est, alias loquemur. Ceterum quod ad has excrescentias ani attinet, quæ etiam fiunt sine lue Gallica, Aetius loquitur vno capite, scilicet *lib. 14. cap. 4. de thymis, sycosi, verrucis, clauis, reliquisque eminentiis ani & vniuersi corporis.* Differunt tamen hæ eminentiæ, secundum eundem Aetium. Et quod ad thymi nomen attinet, a corymborum montanæ herbæ similitudine transumtum est. Qui enim in corpore thymi enascuntur, turgidæ quædam excrescentiæ sunt, asperæ, subrubræ, oblongæ, præter naturam auctæ, in excisione longe plus emittentes sanguinis, quam magnitudini suæ asscribatur. Frequens est hic morbus circa sedem, pudenda & femora: inuadit quandoque tamen & faciem. Thymorum quidam pusilli sunt, & a medicis eminentiæ vocantur, quidam magni, ac proprie thymi appellantur, quidam maiores, quos sycoses vocant. Magnas præterea eminentias in facie apparentes, a magnitudine nomen transferentes, *sycoses* vocant Græci; a Latinis *ficus* appellantur. Quod in facie fiant aliquando, nos semel cum aliis medicis doctissimis tum chirurgis vidimus, in vxore cuiusdam ceruisiarii Delphensis. Sycosis enim huic mulieri probæ ac piæ circa tẽpora in facie, in parte sinistra satis magna oculum fere pertingebat, ita vt manu nec curari nec irritari posset. Sumserat autem originem ex thymo fere maligno digitis confricato, qui thymus equidem ferus incurabilis exsistit, vt mox dicemus: adeo vt & hic in sycosin malignam carcinomatis instar permutatus, vsq; ad annum 1590. longo tempore perseuerans nullo modo curari potuerit; ita vt dudum facto prognostico, diu miseram trahens vitam mulier, palliatione tantum vtens, miserabiliter obierit. At Neoterici quidam (*vt Valescus, qui sub vno capite tractat de ficu in ano, de condylomatibus & attricibus*) scribunt, *ficum esse, quandam excrescentiam generatam circa anum, eiusque circulum vel pudendum, cuius forma est stricta in pede, & lata superius, & exterius est rubens.* Condylomata dicunt esse *eminentias aliqualiter longas, & in cuspide magis acutas. Attrices* nominant quasdam tuberositates paruas circa anum, quæ aliquando recedunt & per tempus reuertuntur. Est harum trium passionum ficus deterrima, cum eius materia sit multa, & caussa malignior, cum frequenter vlceretur. Volunt vt simili fere modo curentur. Hinc Valescus: Materia prius antecedens & coniuncta purgetur quibusdam pilulis ad hoc aptis, quas describit *lib. 5. cap. 37. de fico & condylomate.* Adhibet etiam emplastrum ex *cinere, rad. cannarum & clauellatarum ℥ j. millefolii, parietar. chamomill. ana ℥ ij. alum. vsti ℥ ij. incorporetur cum vino rubro applicetur.* Vel ex solo *millefolio & parietaria, cum sale pistis.* Si neque his modis curentur, incidunt, ligant, vel cauterio actuali vel potentiali consumunt, aut rosario auferunt. At eorundem Thymorum alii rursus, *iuxta Aetium*, mites, alii feri: mites exiguæ carnes sunt, inæquales, eminentiis sensum latentibus, scabræ, colore candidæ, aut subrubræ, dolore carentes: feri cutem duriores, scabriores, ampliores que sunt, feculenti, colore liuidi, dolorem punctionemque inferentes, manuum præcipue attactu, & medicamentorum applicatione. Ac reliqui quidem curatu faciles sunt: feri vero insanabiles: qui tamen etiam interdum curantur, non excisi a radice, quemadmodum cetera solent, sed amputatione totius membri, in quo fuerint. Acrochordon autem, id est, ***verruca***, turgida quædam eminentia est, ita

Thymi vnde dicti, & quales sint excrescentias.

Differentia thymorum.

Sycoses.

3.

Ficus.

Condylomata: Atrices.

4.

Thymi qui mites, qui feri.

Verruca.

appellata, quod apici incisæ chordæ maxime assimuletur. Eodem modo formica tumens & callosa eminentia est, colore nigricans, basi lata, & cute sessilis, in excisione dolores afferens, morsiunculis formicæ animalis similimos, a quo etiam nomen accepit. Reddit & hæc dum abscinditur longe maiorem sanguinis quantitatem, quam suæ paruitati congruat. Clauus autem callosa eminentia est, capiti claui similis, frequens circa calcanea & manuum extremitates. Thymos igitur tam mites, quam maleficos primo quidem, iuxta eundem Aetium, medicamentis curare tentabimus, ac mitibus ea, quæ contrahendi facultatem habent. Maleficis vero quæ ad cancrosa vlcera, præsertim mammillarum & vteri describuntur, applicabimus. Si neque his cedant, thymos ani volsella exserentes a basi amputabimus, & aridum medicamentum sistendo sanguini idoneum apponemus, quale est flauum apud eundem: & omnino vsque ad sanitatem adeptam exsiccantia medicamenta adhibebimus. Vnctuosæ enim materiæ vsus recidiuam ægritudinem facit. Sed ad thymos, qui partes magis expositas occupauerint, veniamus: post amputationem si plures magnique fuerint, tum sistendi sanguinis, tum recidiuæ prohibendæ gratia, cauterium tentabimus; quo peracto curationem, reliquis vstionib. communem, cum his, *inquam*, prius, quæ crustas abscindant, deinde cum his, quæ repurgent; postremo cum exsiccantibus procedendo. Ceterum medicamenta quæ absumere exsiccareq; thymos possunt, ea sunt quæ communi ratione etiam ad verrucas & formicas conueniunt; quale est hoc, faciens ad sedis, pudendorum & reliquarum partium corporis thymos: ℞. *aluminis scissilis, atramenti sutorii torrefacti, glutinis tauri ana* ℥ j. *squamæ æris* ℥ ij. *terito quæ teri possunt, & cum tauri glutine prius in aceto diluto simul confice & illine.* Aliud ad thymos & ad dura condylomata inflammatione carentia, & ad sycoses: ℞. *squamæ æris* ℥ j. *sandarachæ* ℈ ij. *auripigmenti* ℥ x. *aluminis scissilis* ℥ iij. *terito seorsum, deinde cum rosaceo ad glutinis consistentiam conficito, & copiose illinito adalligatoque, ac bis singulis diebus curato.* Idem aceto dilutum aliis membris conuenit. Plura remedia a veteribus vsurpata apud eundem loco citato inuenies. Aliud ex Paulo: Hedricum optimum ad ani inflammationes, & eiusdem excrescentias: ℞. *cerussæ, spumæ argenti, suffiminis ammoniaci, bdellii ana* ℈ vj. *terebinthinæ* ℥ j. *ceræ semuncia aridæ succo solani vel portulacæ conteruntur.* Quæ liquantur, vbi illis adiuncta fuerint excipito: & solutis rosaceo, vtitor. Vel hic pastillus: *cerussæ quadrans, pompholygis vncia, argenti spuma sextans, mastiches scrupula sex: alterci succo excipiantur.* Si careant inflammatione, *cupressi galbulorum combustorum cinis loco dolenti, vino prius absterso, inspargitur; vel cucurbitulæ aridæ corticis combusti, vel palmularum ossium, cinis similiter, vel testarum ouorum & fœniculi cinis, vel succi mali punici foliorum, æqualis modus, vino albo detersa pars diebus septem eluitur.* Ad sycoses valent *folia betæ, cum axungia porcina trita & apposita.* Neoterici ficus curant, *capill. ven. capis, aristoloch. rotund. simul pistis & superpositis.* Vel *stercus gallinæ, sapo Gallicus & summitates tapsi barbati simus, contusa & applicata curant.* Ferunt sessionem in decoctione aronis & tapsi barbati curare ficus apparentes circa anum.

5. *Formica tumens.* — *Clauus.* — *Curatio.* — 6. — *Ad thymos verrucas & formicas valens.* — *Ad thymos & dura cōdylomata inflammatione carentia, & ad sycoses.* — *Hedricum optimum ex Paulo ad ani inflammationes & excrescentias.* — *Siue inflammatione.* — *Ficus.*

Observatio X.

De rhagadibus ani, per modum consultationis.

RHagades, id est, fissuræ, ani vlcuscula oblonga sunt, quibus sphincteris rimæ proscinduntur, iis similes quæ inferius labrum & manus pedesque dilacerant. His finitima sunt & læuia quæcunque vlcera sedis. Dolor acerrimus est, cum ardore, citra phlegmones indicia; vlcerisque extremum expressa ano plerumque oculis patet. Fiunt autem vel duriorem asperitate fecum, vel humoris acris salsi siccantisque morsu. Nam rhagades nihil aliud sunt, quam vlcera vteri & sedis, diducta in fissuras. Quo malo sacerdos quidam admodum putido & molesto afficiebatur, in villa quadam prope Alcmariam; qui ad me deflectens, consilium petebat, quibus modis hoc vitio liberari posset. Lenitione ventris *cum cassia* ℥ vj. *& confect. hamech* ℥ ij. *instar boli peracta*, altero die venam mediam in brachio secari iussi, cum in vere essemus; præcepique vt quotidie sumeret decoctum fumariæ & acetosæ in sero lactis. Eundem purgaui cum infuso rhab. & senæ; adiecta exigua portione confectionis hamech. mox iussi vt rhagades madentes lauaret sequenti lotione: ℞. *florum ros. rub. tapsi. barbati ana p. j. psidior. balaust. ana* ℥ ij. *coquantur in aqua plantag. & ros. pro* ℔ ij. *in qua dissolue collyrii albi* ℥ ij. *vng albi camphorati. de cerusa ana* ℥ j. *syrup. ex ros. siccis, mellis ros. colati ana* ℥ ß. *misce in mortario & vtere pro lotione.* Vel lauetur cum *decoct. foliorum oliuæ* (quæ folia cum apud nos non sint, eius loco accipiantur folia salicis) *& ros. & aluminis.* Deinde inungatur *vnguento albo camphorato. Vel litharg. & cerusa & plumbum vstum ducantur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, & aqua ros. & oleo ros. adiecta exigua camphora, donec totum nigrum & fuscum euadat.* Pannus eo vnguento linitus apponatur. Desiccat egregie, & infrigidat. Egregie idem conducit in vlceribus tibiarū, post totius corporis & vlceris mundificationem. Vel cum vlcerationes sint aquosæ & virulentæ, fiat hoc vnguentum mundificans, exsiccans & incarnans: ℞. *psid. balaust. myrrhæ, cerusæ lotæ, plumbi vsti, marcasitæ aureæ & argent. aloes succotr. lotæ, sem. ros. thuris, masticis, cineris, ostraceorum adustor. ana* ℥ ij. *folior. oliuæ, aluminis vsti, aluminis de pluma, virid. æris, litharg. ana* ℥ j. ß. *olei ros. q. s. ceræ nouæ* ℥ j. *fiat vnguentum, & omni die nempe naturali) bis aut ter pannus lineus inunctus eo apponatur, & lauetur prius cum decocto gallar. aluminis vsti, & folior. oliuæ & ros.*

1. — 2.

Scholia.

RHagades (*vt prius dictum est ex Aetio*) quandoque fiunt in musculo claudente anum, quem sphincterem vocant; quandoque in ipso circulo ani. Et non solum hæc vlcera fiunt in sede, verum etiam in vtero, deducta in fissuras. Sed

3. *Rhaghades.*

alia

4. alia humida & saniosa, alia callosa, nonnulla cancrosa & feruida. Fiunt vel duriorum asperitate fecum, vel humoris acris siccantisque morsu, vel ob acrium humorum defluxum, vel ob inflammationem extensionemque condylomatis (*etiam iuxta Aetium, vt paulo ante meminimus*) quibus partes adiacentes franguntur. Fiunt etiam ex maligno humore ex lue Gallica: sed de iis suo loco. Quicquid partes illas scindit ac findit, vt apostemata calida, fluxus hæmorrhoidum, vel quilibet acutus etiam dysentericus, stercora dura, aut extrinsecum quid scindens, rumpens, vel glandes acutæ, enemata acria iniecta vel emplastra calida admota, & alia his similia. Impurissima quoque cinædorum turba hoc vitio infestatur. Signa per se manifesta sunt, ex rimis & ingenti pruritu & ardore, & tetro odore, ac humore virulento. Si a caussis externis, ex iis, quæ præcesserunt & sermone ægri noscuntur. Et si ab hæmorrhoidibus, illæ præcesserunt, & contingit aliquando & sæpe ab exsiccantibus appositis, vel propter violentiam apertionem hæmorrhoidum cœcarum cum ferro, vel ab omnibus duris dilatantibus, etiam stercore duro: quæ omnia facilime ab ægris intelliges. Si humores acuti eo confluxerunt, id ex intemperie eorundem & colore ac dolore percipietur. Et vtrum sint saniosa, callosa, cancrosa, visu apparet; & feruida quoque sentiuntur. Ab iis aliquando nihil emanat, & a siccitate fiunt. Quandoque effluit ab iisdem res viridis, nigra vel liquida, vel citrina, fœtens, cum dolore & ardore & tumore aliquali. Et est quandoque cum febre, cum apostemate; eo quod fiat ex materia adusta cinerosa, vel a phlegmate salso exulcerante. Hæc ex humorum dominio & colore discernenda sunt. Hoc malum minime contemnendum, & cito huic succurrēdum; nam facile si negligatur, in vlcus corrodens vel in fistulam conuertitur, eoque peius, si cum tenesmo, vt sæpius fieri solet, affligat; cui quoque occurrendum erit: & præcauendum ob dolores ne in febrem hecticam incidant, si malum cum dolore protrahatur. Pro caussa rhagades inferente, curatio etiam variatur. Si ex dysenteria vel fluxu hæmorrhoidum, vel quouis alio acuto, hæc vitia prius curentur; & interea huius quoque mali ratio habeatur. Si ex fæcibus duris, illæ emolliendæ cum clysteribus emollientibus. Si veniant ex frigore tantum, sicut fissuræ fiunt in labiis, vel ex calore sine materia, pro habitudinis qualitate frigida aut calida eliges: & sic vbi malum inueteratum ex frigore, facies inunctionem ex *medulla cruris vaccini, vituli, oleo amygdal. dulc. adiecta cera.* Ex calore, *cum cerussa, oui candido, oleo violaceo, camphoraque exiguo, addita cadmia farina & alba cera.* Si ex nimia siccitate, fiat hoc modo: ℞. *medulla cerui, vituli, & quæ in maxilla porci inuenitur, axungiæ gallinæ, anatis, butyri recentis, olei sisamini, amygdal. dulc. pap. ana ℥ ij. litharg. cadmiæ lotæ, dragac. ana ℥ j. ceræ q. s. fiat vng.* Si ex vitio humoris fiat, is digeratur, purgetur primo, & fiat venæ sectio, si opus est: deinde ad topica deueniendum; respectum semper habendo ad humorem, num is calidus sit, acutus, salsus, adustus vel melancholicus, *vt de hæmorrhoidibus quoque dictum est.* Interim & hoc aduertendum, num rhagades ani sint cum febre, inflammatione, aut apostemate: tunc etiam conuenit venæ sectio basilicæ in brachio vel manu. Et ita si sint inflatæ & apostemosæ, curantur sicuti apostemata ani, vt postea dicemus. Topica etiam variantur iuxta rationem caussæ. Sic saniosa primum abluimus, sero lactis, mulsa. Deinde consolidamus tetrapharmaco in rosaceo dissoluto, medicamentis e lithargyro, chalcitide & metallis. Callosa, mollientibus curamus, *œsypo, radice lilii, irride Illyrica, terebinthina exceptis. Alioqui vitellum* cui *assum cum lacte muliebri subactum impones.* Vbi feruet, & cancri adsit suspicio. ℞. *cerusæ lotæ ℥ ij. tutiæ præparatæ & puluerisatæ ℥ ß.* Vel ℞. *succi portulacæ, lactucæ, plantag. psyllii ana ℥ ij. vel vnius horum; agitentur in plumbeo mortario, pistillo plumbeo ad crassitudinem: vel vt in vng. melius coeat, adde olei rosſ. vel ouorum & ceræ modicum: vel ceratum rosæ. Galeni cum succo solatri, vel vng. de plumbo: quibus tutia lota & infriata misceri debet.* His adiungere poteris ea, quæ Aetius *lib. 14. cap. 2.* valere scripsit ad inflammationes sedis & ani; siue rhagades, siue condylomata, siue vlcus in caussa fuerit. Quale illud est dactylicum ad rhagades, condylomata, dolores confestim sedans, valens ad vlcera phagedænica malefica, & cicatrici rebellia: quæ enim exstant contrahit, & concaua replet: & facit ad tibiarum vitia. Quod ita habet: *masticha, cerussæ, spumæ argenti, succi hyoscyami ana ℥ j. olei myrtini aut lentiscini q. s. seruetur in plumbea pyxide.* Quale etiam hoc emplastrum diapompholygos est ad inflammationes sedis, rhagadas & vlcera: *Spumæ argenti, cerussæ ana ℥ j. pompholyg. croci, adipis anseris ana ℥ iiij. ouorum assatorum vitellos ij. vini antiqui & olei ros. q. s.* Ad siccas valet fumigatio *cum maluis, bismalua, viol. & brancha vrsina.* Ad humidas valet suprascriptum *in Obseruatione*; etiam ad virulentas.

Marginalia (left): Caussa. / Signa. / 5. / Prognostica signa. / Curatio. / Ex facib. duris. / Ex calore frigore vel siccitate. / Ex vitio humoris. (right): 6. / Topica remedia variant iuxta rationē caussæ.

Observatio XI.

De insigni pruritu ani admodum molesto.

1. QVidam cum incidisset in enormem ani pruritum, existimabat hæmorrhoides esse: cumque malum ad tres septimanas perduraret, multis tentatis remediis etiam post purgationem ex cassia, & alia præsidia variasque inunctiones & lotiones nihil iuuaminis sentiret, tandem lotione vtens atque fotu ex aqua plantaginis, in qua modicum aluminis incoctum esset, a pruritu & omni illa molestia liberatus fuit.

Scholia.

2. PRuritus ani nihil aliud est *quam ani assidua mordicatio. Et ab iisdem fere caussis, a quibus tenesmus fit, nempe pituita salsa, viscosa, mordaci, labiis sphincteris adhærenti, & eadem stimulanti.* Vnde quidam, *vt Bertrutius,* sub vno capite & de tenesmo agunt. Attamen non ex hac solum caussa fit ani pruritus; verum aliquando vna ex his quatuor, aut ob sorditiem sudoris, vel fecis ibidem derelictæ, & non repurgatæ, aut ob vermes in ano

Marginalia: Pruritus ani. / Caussa.

aut intestino recto, quos ascarides vocamus, vel ob vlcera in ano, aut humores pungentes acutos ad anum confluentes. Si sit pruritus cum tenesmo, adsunt signa tenesmi, desidendi implacabilis cupiditas ex salsa pituita anum stimulante. Si a vermibus, signa vermium aderunt. Si ab humore acuto, salso, signa huius humoris prædominantis id indicabunt. Si ab vlcere, sanies defluens ostendet. Curatio iuxta diuersas caussas instituenda. Si cum tenesmo, ea quæ de tenesmo diximus, peragenda. Si a vermibus, quæ de ascaridibus diximus instituenda; primo remouendo caussam antecedentem, digerendo, euacuando, deinde vermes expellendo cum clysterib. acutis in exigua quantitate vel glandibus, aut bombace madefacta in terebinthina vel pice liquida, quibus vermes inuiscantur & exeunt. Si ex ani sorditie, lauetur cum aqua tepida, & continuo cum pannis lineis puris & foliis tapsi barbati repurgetur. Si humor salsus & acutus, vel adustus, digeratur & purgetur: deinde ad topica procedatur; prius materia euaporetur imbibita ex balneis paratis malua, viol. ros. salice, vel spongia leui immersa foueatur; fiantque suppositoria sedantia dolorem, si opus est, de quibus dictum est, de tenesmo. Lotio ex succo ebulorum egregie prodest. Si fiat propter vlcera, desiccentur cum vng. de plumbo, albo camphorato, & lithargyrio nutrito: & teneantur perpetuo munda cum pannis albissimis, post lotionem cum decoct. agrimoniæ, & foliorum oliuæ, adiecto alumine adusto & de pluma. Quiescant a laboribus, ne eundo aut laborando medicamenta decidant, & minus effectum sortiantur. Ad pruritum cum vlceratione hoc præstans est: ℞ *tragacanthi, sulphuris citrini, lithargyrii ana* ℥ j. *terantur, & cum aceto, adiecto pauco oleo ros. fiat linimentum.* Si adieceris exiguum opii, tollet quoque dolorem.

Signa.

Curatio.

3.

Observatio XII.

De ani intertrigine.

1\. Quibus ex equitatione ani intertrigines contingunt, argentinam herbam seu argẽtariam dictam contusam commode appone. Ex huius herbæ succo si nates liniantur frequenter, mirabiliter iuuat. Alii sebacea candela ad ignem leuiter calefacta intertrigines inungunt. vt equites facere consueuerunt.

Scholia.

2\. *Ad intertrigines & vredines.* Aetius *lib. 14. cap. 11.* intertrigines & vredines, quæ in peregrinationibus inter femora eueniunt, chalcitide cum aqua subacta illinit, vel plumbagine cum aceto & vino; vel spumam argenti priuatim, vel cum myrto aridam tritamque inspergit. Vel alumine vsto vtitur, cum testis ostreorum subacto: vel hoc efficacissimo: ℞ *plumbaginis* ℥ *viij. gallinarum* ℥ *iiij. aluminis* ℥ *j. myrrhæ* ℥ *ij.* quod aridum applicat, vel cum oleo myrtino illinit; locum vino prius abluens, & medicamentum deinde inspergens. Aliud, faciens ad femorum alarumque vredines, quæ in carnosis hominibus ob sudores contigerint: *Syrici, fuci infectorum, testarum olibani antiqui ana* ℥ *ij. terito & locum prius ablutum inspergito.* Valet & hic puluisculus ad intertrigines vlceratas: *mali arboris corticem vrito, & cinerem feruenti aqua exstinguito; in aqua pannum madefacito, & applica.*

Ad femorum alarumq. vredines.

Ad intertrigines vlceratas.

Observatio XIII.

De insigni ani dolore, eiusque inflammatione & abscessu.

1\. Vir quidam cum equo grauiter incedente longo tempore duriter equitasset, oborto in ano insigni dolore, in febrem quoq; incidit. Ad quem accitus, cum de acerbo in ano dolore, eoque valde lancinante, conquereretur, & simul narraret, equitationem duriorem præcessisse, ani inflammationem adesse suspicabar. Ano itaq; inspecto, tumorem in eo deprehendi, qui premendo exacuebatur; & foras etiam rubedo & inflammatio prominebat, & aluum non nisi cum summo cruciatu & difficultate deponebat; & comite febre, non solum dolorem illum acerbum, verum & pulsationem quandã sentiebat; postremo & siti quoque & æstuatione obrepête. Statim igitur inflammationem adesse conspicientes, & quod aluus durior esset, nõ ausi fuimus medicamentum, ne cassiam quidem, per os dare, ne materia deorsum deturbaretur: quare enema emolliens tantum & refrigerans, hoc vel simili modo paratum *ex iure pulli, cui incocta essent malua, viol. lactuca, parietaria, mercurialis, hordeum mundatum, rad. althææ, cum cassia & oleo viol. & vitello oui iniici mandauimus.* Fecibusque duris eductis, venam basilicam in brachio dextro aperiri iussimus, cum magna adesset repletio, ac in vere essemus, in homine satis plethorico ad vncias octo sanguinem fluere fecimus, & mox medullam panis cum vitello oui & in aqua ros. & solatri bullitam, & postea expressam, adiecto oleo violaceo, lacte muliebri, & ros. ano applicuimus. 2. Cum calor adhuc vrgeret, inunximus cum vnguento ros. & emplastrum confecimus *ex foliis maluæ, viol. solatri, lenticulæ aquæ, coctis in aqua ad mollitudinem & aqua desiccationem, pistentur deinde, adiiciendo olei viol. ros. vitellorum ouorum & albuminum ana q. s. fiat cataplasma.* Et quia abundabat sanguine, neque febris illum relinquebat, secta quoque fuit vena in talo ad materiæ coniunctæ diminutionem. Feruore non desinente, portulacam herbis suprascriptis adiecimus coctam in lacte, adiecto vnguento populeo. At dolore postea magis adhuc increscente, cum ad abscessum tendere videretur, deuenimus ad magis lenientia & maturatiua: primo ad fotum sequentem, *ex malua rad. althææ, semine lini, fænugræci, meliloti deuenimus: & ex iisdem reliquiis, adiecto oleo amygdal. dulc. butyro recenti fiebat cataplasma.* Ceterum cum hic abscessus in partem magis exteriorem declinaret, quod bonum erat signum, multoque minus periculosum, quam ad interiorem (*de qua re latius in scholio*) tandem ruptus est abscessus, & pus effluebat. Quare statim locum affectum continuo detersimus cum decocto hordei communis & melle rosaceo. Cum satis detersum videretur, hoc vnguento incarnante & consolidante, & cicatricem

inducen-

3. inducente vt inungeretur, mandaui: ℞. *vng. albi camphorati* ℥ j. *tutiæ, lithargyrii ana* ℥ j. *sarcocollæ, thuris, balaustiorum ana* ʒ ß. *ducatur in mortario plumbeo, donec fuscum fiat*: inungatur vel super pannum lineum inductum apponatur. Ad idem quoque valet vnguentum de plumbo, quo sæpius vtor, non solum ad vlcera, sed ad rhgades, vt paulo antea diximus. Quod ita describitur apud Montagananam: ℞. *plumbi vsti* ℥ ij. *lithargyrii* ℥ j. *cerusæ lotæ, aceti ana* ℥ ß. *olei rosi.* ℥ iij. *mellis rosi.* ℥ j. *vitellorum ouorum num. ij. myrrhæ* ℥ ß. *ceræ q. s. fiat vnguentum.* Valet in omnibus excoriationibus, inflammationibus, & vlceribus fraudulentis, corrosiuis, ambulantibus, & antiquis gangrænis crurum & aliarum partium. Vtitur & Montagnana pro ano gangrænato hoc vnguento, quod ita fit: ℞. *vng. de cerusa* ℔. j. *plumbi vsti* ℥ ß. *thuris, myrrhæ ana* ʒ ij. *lithargyrii despumati* ℥ j. ß. *incorporentur in mortario vltima contritione.* Valet gangrænosis vlceribus, ostracosis, erysipelatis & dependentibus ab humoribus acutis, corrodentibus, corrumpentibus, venenosis.

SCHOLIA.

4. *Inflammationis sedis caussa.* ANum occupant & phlegmone & abscessus. Phlegmone seu inflammatio fit copia sanguinis e magnis venis per hæmorrhoides in partes inanes, quæ circa podicem sunt incidente. Hæc quum ex aliis caussis, tum maxime ex multa duraque equitatione, proficiscitur; &, vt alii ferunt, ab hæmorrhoidibus restrictis, inflatis, cœcis, duris, vel iisdem amputatis cum causticis corrodentibus, vel cauteriis, vel a medicamentis. Quandoq; etiam sanguis, qui per istas partes fluere consueuit, redundat & coaceruatur; fitque apostema, inflammatio, nisi per alia loca expurgetur; vt ex repletione aut defluxu humorum ad anum, aliisque caussis externis, percussione, dura sessione, podicis refrigeratione. Et ita fit apostema modo calidum, modo frigidum, vel inflammatio aut erysipelata fiunt, aliique tumores ex humoribus valde calidis & acutis. *De ani dolore.* Quodque anus dolorem patiatur, id etiam multis modis fieri potest, ex hæmorrhoidibus, apostemate, erysipelate, aliisq; tuberculis iam dictis & tumoribus. Qui dolor non curatur nisi prius eiusdem ablata caussa, *vt iam ex præcedentibus satis constat.* *Ani abscessus.* Abscessus quoque aliquando e phlegmone relinquitur, qui in recti intestini cauum sæpius, quam in cutem (*vt refert Fernelius doctissimus*) erumpit: quandoquidem parte molliore exedens pus sibi promtius viam parat. *Ani vlcus.* Rupto abscessu vlcus manet purulentum ac sordidum, quale & nonnunquam exsistit ex neglecto tenasmo. *Ani fistula.* Id autem in fistulam breui degenerat, vt postea docebimus: vix enim parte humida & excrementis peruia coalescit, sordiumq; copia callosum, diutissime manat, etiam dolore sedato. 5. *Signa inflammationis.* Signa inflammationis & apostematis eadem sunt cum aliis partibus: adest dolor acerbus, qui premendo acuitur: aluus non nisi difficulter redditur, & aliquando multos dies sistitur, febre accedente. Si fiat ab hæmorrhoidibus, res ipsa indicabit: ita & caussæ externæ ab ægris facile intelliguntur. At fiunt sæpe sine his calida apostemata, adsunt dolores, calor, pulsatio, febris, æstas ac sitis; sed maiora omnia in erysipelate ab acri & calido humore: mitiora vero a sanguine. Si frigidum sit apostema, vel a pituita aut melancholia, sup:adicta erunt remissiora. *Prognostica signa.* Quod ad signa prognostica attinet, hæ ægritudines sedis, tum præcedentes, *vt ex Galeno citatur ab Aetio, cap. 1. lib. 14.* multis de caussis sanatu difficiles sunt. Primo enim ea pars sensu vegetissima est; iamque sæpius ostendimus huiuscemodi membra ab acrioribus medicinis facilime irritari. Deinde excrementa alimenti, præterquam quod ipsa priuatim erodant (*præcipue vbi bili acrique interdum tabe permixta fuerint*) liberam etiam applicandarum medicinarum potestatem medicis interdicunt, quum quibusdam temporibus minime congruis sæpe æger ad egerendum prouocetur. Adde quod caliditas & humiditas loci refrigerantibus & exsiccantibus indigens, non parum facit ad reddenda vlcera, quæ inflammationem sæpe subsequuntur, curationi rebellia; quoniam mordicationem, quam res adstringentes inferunt, locus sensu vegetissimus tolerare non potest. 6. Inflammationes quoque ob locum putredini aptum difficilius curantur, cum facile ad abscessum perueniant: diligenter igitur sunt curandæ, antequam eo perueniant. *Curatio.* Vt si calidum sit apostema vel phlegmone, tribus primis diebus basilica brachii partis magis dolentis incidatur, vt crassior vel calidior sanguis diuertatur; permanente adhuc plenitudine, ex talo: & ventosæ ad spatulas ponendæ, frictionesque in principio & ligaturæ dolorosæ in membris superioribus ad auertendum materiam admouendæ. Et si venter constipetur, lubricantibus clysteribus aluus tantum lenienda. *Si calidum sit apostema.* Estque statim in calido apostemate post venæ sectionem aliquod repercutiens applicandum cum anodynis: in augmento repercussiua, vt in aliis inflammationibus minuenda, & augenda paulatim resoluentia, dissoluentia, & maturantia. In statu sola maturatiua apponenda. In principio valent folia solatri & maluæ & violariæ, cum lentibus excorticatis pistis & coctis, *adiecto oleo viol. ros. vitellis ouorum.* Refrigeretur que si magna est inflammatio, cum aqua solatri, portul. & rosatum. *Ad erysipelata & inflammationes.* Ad erysipelata & inflammationes, solani folia tenera & portulacæ, mica panis in aqua ros. tincta, ouorum tostorum lutea pari pondere rosacei q. s. apponantur. Si dolor vrgeat, adde etiam hyoscyami folia. 7. In augmento: ℞. *medullæ panis ex frumento, vel farinæ volatilis molendini, cum oleo amygdal. dulc. misce.* In statu fiant balnea *ex malua, & aliis; adiecto meliloto, bismalua & flor. chamomill.* inde etiam fiant emplastra, *adiecta farina lini.* Si tendat ad maturationem, vtere rad. althææ & aliis magis maturantibus. Post maturationem statim aperiatur. *Si apostema frigidum.* Si sit frigidum apostema, post vniuersalia præcedentia remedia, clysteres, venæ sectionem, fiant emplastra *ex rad. althææ, seminis lini, fænugræc. cum oleo chamæmelino & butyro recenti,* & quod ex cæpis albis & tapso barbato fit; & ponatur æger sæpe in

aqua tepida *decoct. maluæ, bismaluæ, viol. florum chamomill. meliloti, anethi, rosс. ana p.a.* Id enim apostema aliquo modo repercutit, materias fluxas resoluit & dolorem mitigat. Fiantque encatismata ex decoct. maluæ, bismaluæ, seminis lini, fœnugræc. chamomill. meliloti. Habes exemplum *lib. 19. obseruat. nostra 37. de calceario ab apostemate frigido ani curato, & hydrope laborante.* Sed hic cautio adhibenda, si ad maturationem tendat, statim iuuanda & aperienda; imo ante plenam maturationem: nam si protinus non aperitur, *vt dictum est*, sanies retenta inferiora loca occupat, quæ etiam membra inferiora, imo & intestina ipsa, perforat & corrumpit, vt vidimus, & in fistulam (*vt paulo ante diximus*) abit. Sic postquam apostema circa anum frigidum maturum esset, scalpello statim aperiri iussimus, *vt in Christophoro chirurgo, familiari nostro Delfis apud Pontem Auenarium habitante, viro admodum sene, quod prope anum erat, & non in circulo, & deinde per chirurgos debite curabatur.* Ideo post rupturam sanies statim detergenda, mundificanda, & consolidanda. Et si vlcera remaneant, curanda, vt de rhagadibus diximus. Indigent autem vehementer resiccantibus, vt est carta combusta, anethum vstum aridum, cucurbita concremata. Siccis recentibusque etiam aloe præsens est remedium, si arida in puluerem redacta inspergatur. Leuissimum vero & efficax est pompholyx. Ad humidiora vlcera, piceæ cortex per se, lapis hæmatites: sin alte descenderint, manna miscebitur: si pascendo serpant lenticula cum malicorio: si cum inflammatione sint, conferunt ea, quæ diximus *ex cerussa, pompholyge, cadmia, thure, cum succo sereos, & cum cerato ros. componi.* Sed & vlcus fungo quoque simile in eadem sede nasci solet, *vt Celsus tradit:* id si hyems est, egelida aqua; si aliud tempus, frigida fouendum est: deinde squama æris inspergenda, superque ceratum ex myrteo factum, cui paululum squamæ, fuliginis, calcis sit adiectum. Si hac ratione non tollitur, vel medicamentis vehementioribus, ferro adurendum est. Verum quæ ad rhagades paulo ante valere scripsimus, ea ipsa commode adhibentur ad ani vlcera. *Aetius libro decimoquarto, capite octauo.* Cum inflammationem præcedentem nonnunquam abscessus sequatur circa sedem, si is contigerit ob multam locorum humiditatem caliditatemque, copiosa putredo superuenit: ideo chirurgicam curationem instituit, ne locus fistulis fiat obnoxius, quamuis hoc tempore exoleuit, vti & inustio procidentis sedis, quam ex Leonida decerpsit *cap. 7. eiusdem libri, cap. 9.* agit de depascentibus & phagedænicis vlcerib. in interiori ani musculo, quem *sphincterem* vocant, contingentibus. Sed ibi nec vstio, neque incisio conuenit, ob conuulsionem & voluntarium defluxum, quæ subsequi solent; quamuis longa depascẽtia per se sphincterem absumant tandem, & inuoluntarium defluxum inferant: ideo medicinis ad depascentias descriptis vtitur, locumque fouet, myrti, malicorii, rubi aut similium decocto: ac primo quidem partibus vlceris, a natura recedentibus, Faustino aut aliquo huiusmodi medicamento crustam inducit, postea quod e cartis conficitur, aut Isidem pessulis illinit, & reliqua deinceps solita peragit. Sed quæ ad chirurgiam pertinent, ea in propriis locis lectores inuenient. Vtinam a nostris chirurgis, vbi ita necessitas cogit, dextre perageretur!

8. *Cautio.* — *Vlcera.* — 9. *De vlcere fungo simul in ano.* — 10.

Observatio XIV.

De vlcere sinuoso & ani fistula.

1. Petrus Vidius, aduocatus Pithueriensis, vir senex, & amicus noster, cum Pithueris in Gallia praxin exercerem, annis septem fistula ani laborauerat, quæ si occlusa & restricta esset, nihilque puris effunderet, peius habebat. At anno 1546. mensis Februarii initio, cum subito fistula restringeretur, fluxum ventris & hæmorrhoidum adeo enormem passus est, vt in syncopen incideret, ac pro mortuo ab astantibus habitus fuerit, etiam leui tussicula accedente. Ad eum ingressus sum: & adhibitis per nos diuersionibus, per frictiones, ligaturas membrorum superiorum, ad se rediit, a syncope releuatus. Tamen ob virium deiectionem, vt bis terve in die ex hoc condito sequenti sumeret mandaui, ad castaneæ magnitudinem; superbibendo vinum stypticum chalybe ignita extinctum: 2. ℞ *conser. ros. veter.* ℥ j. ß. *conser. bugloss. diacyd. sine speciebus ana* ℥ ß. *spec. diarrod. abb. margarit. perforat. & non perforat. corall. rub. diamarg. frig. spec. diatrag. frig. ana* ℈ j. ß. *cum syrup. coton. fiat conditum;* cuius vsu paulatim hæmorrhoidum fluxus restitit. Dolore tamen circa femora vtraq; oborto, hoc linimento cessante: ℞ *olei chamomill.* ℥. *ij. vini albi clari optimi & antiqui* ℥ *vj. bulliant vnica ebullitione,* quo fortiter fricentur femora: & mox dolor euanuit. Et denuo fistula humorem solitum euomebat, & saniem; & statim melius habuit. Neque vtile nobis visum fuit in sene hic chirurgia vti, sed solo vtens, vt antea fecerat, ad detergendam saniem, vnguento apostolorum, quod vlcera contumacia, itemque fistulas detergendo expurgat, fungosam & mortuam carnem absumit & nouam restituit, ab hoc malo liberatus fuit.

Scholia.

3. *Caussa fistularum.* Ex abscessu sedis, apostemate rupto, si statim pus non repurgetur, & ilico curatio succedat, fistula subinde oritur, *vt diximus*, etiam ex vlcere purulento & sordido, vel ex tenasmo neglecto, breui fistula aliquando fit, vel ex hæmorrhoidibus male curatis, vel vlceratis; aut ex aliis vlceribus per defluxionem malignis, cancrosis, depascentibus. Ad hæc iuuant aliquando caussæ procatarcticæ, vt vulnus in ano, aut in partibus ei vicinis; ab ictu, casu, vlcere male curato, & repurgato succedente, aut ex medicamentis corrodentibus perperam appositis, vel ex caussis antecedentibus per acrium humorum confluxum. *Signa.* Fistula facile innotescit orificii strictura & largitate interioris cõcauitatis, & exitu saniei aquosæ. Aliquando clauditur; & tunc nihil exit, sed inflantur partes vicinæ, dolent; ac iterum aperitur, & tunc rursus fundit & euomit saniem. Caussæ externæ dignoscuntur ex iis, quæ præcesserunt, & ægri sermonibus,

nunquid

biūquid hæmorrhoides, apostemata, vlcera male curata, præcesserint, Si ex confluxu acrium humorum, ex prædominio eiusdem, ardore & dolore habetur. Vtrum sit profunda & penetret, radius immissus indicabit, & si intestinum perforauerit, feces, & sanies per fistulam exeunt. Hoc Valescus vidit in quodam iuuene, *cui post vlcerationem ac corrosionem hæmorrhoidis vnius, male curatæ per tonsores, accidit fistula; & illa rursus etiam male curata, sua virulentia corrosit intestinum penetrando, vt stercus per fistulam exiret*: at ille eundem recte prædixerat moriturum, cum eum ex longa ægritudine debilitatum videret. Quam prædictionem euentus postea comprobauit. Signum quod fistula penetret ad vesicam, est exitus vrinæ per foramen exterius. Sed & id visum est interdum (*inquit Fernelius*) in vesicam penetrare: ac tum mictu crepitus e pudendo perinde atque e podice, deinde puris atque etiam fecis nonnihil mistum vrinæ prorumpebat. Signum quoque, quod in aliquo musculorum est, quod stercus non potest contineri perfecte. Et si est in musculo seu lacerto, inuoluntarie exit quotiescunque ad illam portam venit. At fistula penetrans intestinum aut vesicam, incurabilis est; sed non penetrans curari potest, & non est tanti laboris: & penetrans est deterior, & vt plurimum mortalis, &, vt alii volūt, non facile curatur; ideo melius est & honorabilius eam dimittere: imo consilium maxime ipsius Auicennæ erat de penetrante fistula, quod si non fuerit nocumentum eius multum, ob plurimum fluxus & saniei, vel si non adferat magnum tædium cum suo fœtore, quod inquam non malum erit eam sic dimittere. Diu tamen teneatur munda cum aptis lotionibus ac fotibus seu fomentis; & huius caussam aliqui esse volunt eo, quod superfluitates corporis per illa loca expellantur, & vicem supplet hæmorrhoidum fluentium: quæ quidem expulsio est caussa longioris vitæ. Vnde etiam Valescus inquit: *vidi aliquos eiusmodi fistulam habentes, quam non multum curabant, & parui faciebant (idque ex consilio peritorum) per multum tempus viuentes: non tamen erant penetrantes.* Hoc modo & huic aduocato, vt idem faceret consului; & longo tempore ad senium vsq; superuixit. Aliquos tamen (*vt hoc sequens exemplum ostendet*) ad hecticam deduxit.

4. ...lesci histo.

5. Prognostica.

OBSERVATIO XV.

De fistula ani, quam hectica subsequuta fuit.

1. CHristianus Musicus insignis Delphensis, fistulam adeo sinuosam & in ano intus latentem habuit, vt speculo immisso animaduerti non posset. Hæc plus aliquando in magna copia euomebat; subinde & initio deiectionis exibat, & super stercus effusum cernebatur, multo secus exiens, quam e mesenterii aut superiorum partium vlcere. Verum pure per tres annos ita exeunte & excreto, ad hecticam tandem deuenit, & paulatim tabefactus obiit.

SCHOLIA.

2. Curatio.

QVod ad fistulam ani attinet, quicquid dicant auctores, quod ea sit dimittenda, ob caussas iam dictas; bonum tamen est, vt fistula ani, *vt Valescus probe admonebat*, omni die cum decoctione agrimoniæ & foliorum oliuæ & aluminis vsti, cum syringa quatuor aut quinque vicibus immittatur; deinde leuiter cum pannis lineis exsiccetur. Et si foramen sit nimis angustum, aperiatur cum medulla sambuci, aut gentianæ; vel cum radice bryoniæ ad modum tentæ, *vt loquuntur chirurgi*. Et si easdem melle madefeceris superspergendo pul. alum. vsti, melius erit, & citius aperietur. Et si vis amouere callositatem, super dictas tentas aut filamenta melle madefacta, asperge puluerem viridis inulæ vel asphodelorum: sed non multum penetret interius, ob metum corrosionis intestini vel vesicæ, vel musculorum claudentium & aperientium circulum ani. Et semper lauentur cum dicta lotione, in qua reperitur sæpe iuuamentum magnum: vel repurgetur cum collyrio apud eundem descripto *lib. 2. cap. 4.* de fistula lacrymali: cuius hæc est descriptio: *℞ aloes, thuris ana ℥ j. sarcocoll. balaust. sang. draconis, antimonii, aluminis ana ℥ j. ß. floris æris quartam partem vnius drachmæ.* de isto collyrio distemperato cum vino vel decoct. gallarum, *iuxta Auicen.* quod melius est, guttæ tres vel plures in fistulam distillentur, & vtatur: vt & vnguento viridi ibidem descripto, & aliis lauatoriis in eodem loco dictis. Et mundificet iisdem, vel cum melle & vino & virid. æris, donec consumatur caro mortua, quæ apparet in fistula, & occultetur caro sanguinea: sed illa rursus apparente fit dolor, qui mitigandus erit cum butyro & oleo ros. vel cum albumine oui & butyro. Vulnus probe repurgatum curetur tunc incarnatiuis. *Vide & de his Matthæum de Gradi.* Si istis non curetur, tunc chirurgia curanda erit, cauteriis actualibus: tamen cum cautione, cauterisando superficiem fistulatam. Id tamen fieri non debet, si fistula intestino aut vesicæ propinqua exsistat. Alii vtuntur incisione. De his vide Valescum & Gradum. Vel potius ea, quæ Paulus Ægineta tradit ad longum *lib. 6. cap. 78. de ani fistulis, & Aetius lib. 14. cap. 10. de fistulis ani ex Leonida.* Interea tamen non nisi a chirurgo peritissimo talia sunt peragenda. Memini enim non solum in his fistulis, quemadmodum & in fistula lacrymali; adhibitum fuisse ex consilio medici haud indocti cauterium, in nobili iuuencula, quæ multo peius deinde habuit. Sed & illa operatio, quæ vniuersas callosas partes in fistulis ani in toto ambitu abscindit (*vt ex Leonida docetur*) non sine metu & periculo agitur; præsertim ab iis, qui in hac arena triti non sunt. Ideo Aetius ex Leonida monet nos, si qui sint, qui ob mollitiem vel formidinem reiecto ferro medicamentis tantum curari malunt, vt eos exsiccantibus, & his quæ sanandarum fistularum facultatem pollicentur, in principio curemus. Quibus nihil proficientibus, ad ea, quæ callosas partes erodendi absumendique viribus pollent, accedamus, quæ fistularia collyria appellantur; quorum confectiones in communi de fistulis loco in eodem libro apud Aetium paulo inferius reperies. Medicamenta autem, quæ fistulas exsiccare pollicentur, sunt

3.

4.

& quod ex spuma argenti, oleoque & aceto præparatur, & quod fuluum Galeni sine cera appellatur. Vide de his sub finem *cap. 10. loco citato*, quæ ad fistulas ex Leonida descripta sunt. Hæc de sedis anique vitiis atque affectibus sat est dixisse: nunc ad renum morbos, hoc libro absoluto, progrediamur.

FINIS LIBRI XXIII.

LIBER VIGESIMVS QVARTVS.

DE RENVM AFFECTIBVS ac morbis.

OBSERVATIO I.

De Nephritide seu dolore renis sinistri.

1. MVlier Delphia quinquagenaria, in Delphine habitans, anno 1593. mense Septembr. cum e regione renis sinistri adeo dolore torqueretur, vt frigidum sudorem emitteret, pulsumque vermicularem haberet, & in animi deliquium incurreret ex cruciatu intolerabili, ita vt astantes illam morituram putarent; tandem adhibitis frictionibus digitorum ad se rediit, ac statim cyatho vno ex nostro consilio ceruisiæ epoto, in qua flor. chamom. incocti essent & expressi, statim miraculi instar ructibus emissis, omnis dolor euanuit. Mane tamen altero die ℥j. *elect. len. pul. hier. pic.* gr. ij. (nam a dulcibus adhorrebat) *dissolu. in* ℥ iij. *decoct. com.* propinauimus. Cumque ex ea potione ter aluum satis bene deposuisset, optime deinde habuit.

SCHOLIA.

2. DE renum constitutione, situ, positu, forma & figura, ac eorundem officio, satis superq; diximus in præfatione, & in libris nostris *de incerto vrinarum iudicio*. Qui quidem renes variis ac acutis morbis periclitantur; de quibus nunc dicere instituimus. Tripliciter enim patiuntur, intemperie, continui solutione, & morbo officiali. Estque dolor accidens horum morborum. Afficiuntur autem simplici intemperie, vel composita, aut materiali. Ex remotioribus caussis salacitas Venusq; importuna plurimum afficit, & supinus accubitus. Calidos enim renes prompta indicat libido, mordax vrina & rubicunda; & in diuturnitate huius affectus membra macie conficiuntur; humidum enim naturale in iis dissoluitur, & attrahitur: vitium augent plumeæ culcitræ & molles, quales nunc ex cygno facere docuerunt corrupti hodierni mores; & circa spinam calidiora indumenta, vnde de facili inflammationibus tentari ea membra videntur, nam & calidos humores contrahunt. Calidiores præterea renes siticulosos homines efficiunt, trahunt enim a iecore, id vero a stomacho: ii neq; frigidæ frequenti haustu refrigerari possunt, quandoquidem ad ea remotiora membra non facile remedia penetrant, aut contraria infestant. De quorundam prodigioso vini potu Galenus scribit, *Quod ii, ex earum partium continuo feruore, integras vini amphoras breui horarũ spatio plures haurire ad ostentationem visi sunt; & pro potus portione supra modum vrinantes, velocissimo renum officio, subito & continuante motu de humoribus discrimen agunt.* Tricongius Mediolanensis (*vt Plinius scribit*) tres congios, *vnde cognomen illi fuit*, epotauit vno impetu, spectante miraculi gratia Tiberio principe, (*vt de ebritate alias diximus.*) Ferunt & L Pisonem, vrbis Romæ curatorem biduo duabusque noctibus perpotationem continuasse apud ipsum principem. Namque eodem auctore & hæc necessitas vitium comitatur, vt bibendi consuetudo augeat auiditatem. Scitumque est Scytharum Legati, *quanto plus biberint, tanto magis sitire Parthos.* In hoc affectu motiones obsunt & equo vehi, sed molli cymba non nocet: inflammat calidum cubile, thalamus indumentaque corporis calida: obest fames sitisque, & quicquid vrinam ciet calidæ naturæ, & quæ Venerem excitant. Pisces iuuant, & in gelu cocta animalium extrema. Ex oleribus lactuca, seris, cucurbita, cucumis, portulaca; acetosa. Valent *frigidæ potiones, & seminum frig. maior. emulsiones, vnguentum rosaceum, & similia.* Si adest humor calidus, sanguineæ habitudinis notæ id ostendent, vrina purpurea, crassa, puluerulenta, renum & lumborum grauis dolor, & omnium membrorum fere immodicus calor, venæ turgidæ, ac præsertim quæ supra talum sunt; conuenit venæ sectio. Si vero biliosa fuerit materia, vrina tenuis & flaua cernitur, interdum crassior. Si lutea bilis in caussa fuerit, in qua & quædam capillamenta conspicimus, vel in imo vitro; addunt & in imis renibus inflammationes sentiri. Quæ ad inflammationes renum conferunt, huc transferenda. Si frigidi renes sunt, alba vrina & aquosa redditur, pallor faciem occupat, sine Veneris desiderio viuunt, & in ima renum parte frigiditas sentitur, quam calida iuuamenta tollunt. Cum pituitæ vero dominio, decolor vrina, sed turbulenta ac crassa cernitur, in qua capillamenta alba subsidunt, tum frigidi renes ac graues sentiuntur. At ex atra bile tenuis vrina emittitur, vel liuida, spumans, interdum glauca & crassa, pro humoris qualitate, cum quadam circa lumbos grauitate: vtraque crura stupent, si ambo renes afficiuntur; aut solum alterum crus, ab ea parte, qua dolor incumbit. In eo vitio calidus ac temperatus aer, corporis motus iuuat, tum & in molli pluma somnum ducere conuenit, vel supinos cubare: & antedicta vestimenta conueniunt, quæ prioribus caussis inimica sunt, nam & edulia aromate condita prosunt, quale est, *cinnamomum, & galanga, perdices & phasiani, pullique columbacei, turtures, & auiculæ, alaudæ dictæ, peculiariter dantur.* Ex hortensibus *apium, anethum, daucum. pastinaca, petroselinum, maiorana, mentha, sa uia, brasicæ cymæ coctæ, & expressæ cum salis exiguo, pineæ, pistacia, amygdalæ amaræ.* Obest crapula & Venus. Calida oleo infundantur, & extrinsecus illiniantur. Si materia adest, ea prius digerenda, mox purganda, in diuersum trahenda; postremo quæ vrinam ciunt, damus. Et sic intemperaturæ dolorem inferunt. At calidam referunt diabeten, ad siccam renũ macilentiam & consumtionẽ

syntexin:

Calida renum distemperãtia.

Prodigiosi potatores.

3.

Ex calida caussa, curatio.

4.

Frigida habitudinis renum nota.

Ad frigida caussa vitia quæ valent.

Intemperatura quomodo dolorem inferunt.

syntexin: corporis macies succedit, vrina multa, pinguis. Humectantia iuuant. At humiditas raro est sine frigiditate, quæ maxime ad imbecillitatem spectat, renibus nimium laxatis. Imbecillitatem pariunt percussio in spina, longæ & diuturnæ equitationes, nec non lassitudines, & nimia Venus: & impotentia, vt in senibus & macie confectis, & renum expultrices potentiæ ablatæ. Nam & vrina loturæ carnis similis, imbecillitatem indicat renum, sicuti de iecore dictum est. Vrinæ profluuia laxos & infirmos reddunt renes. Vrina modica extenuatos & constrictos renes ostendit. Meatuum vero amplitudinem faciei pallor, ac corporis macies præ se fert; membra enim vrinæ fluore consumuntur, & vrina multa cruenta cum crassis humoribus effluit: quandoquidem renes nullum contrahunt alimentum; tunc nec vllus adest dolor. Sed & aliud vitium, *auctore Oribasio*, intercedit: nam renum substantia, siue caro, quæ alioqui solidior est, mollior fieri solet. Ad malam compositionem pertinent, vel quia a prima sui creatione possunt esse vel nimis parui, vel nimis magni. Huc etiam spectat meatuum obstructio vel laxitas: Item oppilationes: sub qua & arenulæ calculus, lapides, materia viscosa, crassi spiritus inclusi. Rursus dolent ob continui dissolutionem, per vulnus, venarum apertionem, corruptionem, vlcus. Vel patiuntur morbum compositum, vt apostema. Dolent itaque renes, vt interdum exitialiter hominem torqueant, malæ habitudinis caussa, aut ictu, vel lapsu, vel vulnere, aut incluso spiritu, aut innato calculo, vel harenis aggeratis, aut abscessu. Addit Galenus ex superfluentibus quandoque fieri humoribus, oppilando; siue calidis & frigidis. De quibus omnibus in hoc libro dicemus. At dolor hic nephriticus, qualis fuerit in hac muliere, prius indagandum est. Appellamus autem hunc dolorem nephriticum communi vocabulo, (*quamuis nonnulli proprie nephritidem ad inflammationem renum pertinere velint*) indifferenter omnem passionem renum, & quemuis renum cruciatum & dolorem. Sic enim & Leonellus illum aphorismum interpretatur: *Quicunque nephritici sunt, non sanantur, post 40. annos*; intelligendo per nephritidem omnem passionem renum indifferenter: Nam & *aphorism. 79. lib. 4. Quibus in vrinis arenosa subsistunt, iis vesica laborat.* Non solum vesica laborat, *inquit Galenus*, sed & renes. Ibi & nephriticum dolorem ad calculum etiam renum refert Galen. & *6. aphorism. lib. 6.* dicente Hippocrate: *Renum & vesicæ vitia in senibus difficulter sanantur.* Idem Galenus intelligit, siue vlcus, siue inflammatio, vel alia passio in renibus fuerit, difficulter curantur. Ceterum dolor his, nempe in hac muliere, qui renem sinistrum procul dubio infestabat, erat ex incluso spiritu vel flatu renis sinistri. Potest enim eiusmodi spiritus flatuosus renes extendere, & insignem dolorem adferre: quod cognoui ex dictis Alexandri Benedicti Veronensis, medici insignis ac doctissimi. Qui ita scribit lib. *22.* cap. 6. de curatione nephriticorum: *Si calculi signa non sunt, nec colici notæ, nullaque, præterea in renibus grauitas adfuerit, nihilominus grauissimi in renibus dolores torquent, tum iis incluso spiritu distenduntur; nam subito oriuntur: præsertim si calidis fomentis dolor remittitur: nam & interdum locum mutat. Leuat alui deiectio, vel ventris flatus emissus.* At nostra mulier flores chamomillæ in ceruisia coctos & expressos cum ebibisset, ructibus per superius, & flatibus ventris emissis, ilico conualuit. Benedictus vinum tenue laudat, cymini exiguo vel anethi, vel rutæ seminis adiecto. Veteres medici (*vt idem refert*) ius brassicæ in potu dabant, vel semen apii, vel anisi decoctum. At quibus alii dolores curantur, ex diuersis caussis oborti exempla infrascripta clarius ostendent.

5. Ex mala compositione dolent renes.

6. Ex continui solutione.

Ex morbo composito.

Nephritis.

7. Dolor ex flatibus renum.

OBSERVATIO II.

De renum caliditate.

IVuenis salax, Veneri deditus, raræ constitutionis, caliditate renum afficiebatur; ita vt tandem macie conficeretur. Cum simplici intemperie laboraret, sine affluxu humorum, solis alterantibus infrigidantibusque, contenti fuimus: eaque adhibuimus, quæ in scholio præcedenti diximus conferre ad dolores renum ex caussa calida, & intemperatura calida: imperantes quoque, *vt pannus lineus inunctus vnguent. ros. continuo lumbis apponeretur:* inunctionis enim motio calorem aliquem inducit. Cibus erat *lactuca, portul. cocta, adiecto modico agresta, & vesperi hordeatum cum emuls. sem. pap. albi, & seminum quatuor frig. maior. mundatorum.* Vtebatur etiam lacte ouillo, & lacte ebutyrato, & conserua florum nenupharis. Et sic tandem a calore & dolore renum liberatus est.

SCHOLIA.

2. QVomodo simplices intemperaturæ absque fluxione humorum curentur, Scholio præcedente dictum est. Si vero sint cum affluxu humorum signa habentur ex humore prædominante, & ex iis, quæ antea retulimus. In materia calida conferunt venæ sectio, primo ex basilica vena; secundo ex saphena exteriori: clysteres refrigerantes, humectantes ob loci vicinitatem; vel ex solo lacte ouillo, cum pinguedine renum caprarum, & oleo rosaceo, & digeratur materia cum syr. sequenti, vel simili: ℞ *lactucæ, portulacæ, hepaticæ herbæ, lentis aquæ, bursæ pastoris, bellid. minoris ana m. j. florum nenupharis p. j. semin. quatuor frigid. minor. & maiorum ana ʒ ij. spodii, santal. rub. & alb. ana ʒ j. ß. ex decocto fiat syr. adiecto zacchаro q. s.*

3. Purgetur deinde materia calida cum thamarind. cassia fistula, elect. de succo ros. Exterius inungatur cum *vnguento populeo, adiecto succo arnoglossæ, virgæ pastoris, prius cocto ad succi consumtionem, adiecto & oleo rosaceo & cera: & fiat vnguentum, vel extendatur pars in panno lineo, & applicetur.* Quidam & hic laminam plumbeam laudant lumbis appositam. Si ex frigido humore, pituitoso, viscido, si non adsit fluxus vrinæ aut sanguinis, digeratur cum oxymelite simplici aut diuretico; purgetur cum diaturbith, & agarico, & myrob. chebulis. Inungantur renes oleis calidis,

chamæmelino, anethino & similibus. Ventosæ quoque in natibus cum scarificatione positæ, plurimum iuuant in ægritudinibus renum & lumborum. Victus contrarius, nempe calidus præscribatur, vt de simplici intemperie paulo ante diximus.

Observatio III.

De renum debilitate, ac lumborum dolore ac colliquatione, pedumq; inflatione.

1. Nicolaus sacerdos, Corffius dictus, anno 1555. sub finem hyemis, ineunte vere, annos quadraginta natos, insignis Musicus, & vir admodum facetus, imbecillitatem & colliquationem renum longo tempore patiebatur, vrina pingui apparente, cui & renes ac lumbi dolebant. Empiricus quidam hunc male tractabat, neque habita ratione ad caliditatem & renum imbecillitatem ac siccitatem, calidis aperientibus medicamentis vtebatur. Ad quem ingressus, inueni eundem valde debilem, & viribus deiectis adeo consumtum, vt ad marasmum quasi tendere videretur, pedibus tamen inflatis, membris vero superioribus valde macilentis: pingue enim quod ambiebat renes colliquescebat ex habitudine plurimum calidiore, qua membra consumebantur, & membra extrema, nempe pedes, ad frigiditatem perducebantur. Id euenire tradunt venere consumtis, aut post longam diuturnamque diabeticam dispositionem. At hic sacerdos concubinam habebat, vnde malum magis auctum existimabam, tum ex calidioribus & diureticis medicamentis, perperam ab empirico propinatis. Vrina huic multa alba, sed pinguis, oleaginea erat. In lumbis, ilibus, & imbecillitas & dolor erat, caputque nonnihil & oculorum acies afficiebantur. Huic tandem & 2. Venus demoriebatur, & totius corporis macies accedebat, exceptis pedibus. Talia enim adesse solent, quibus arefiunt renes; ita vt tabe quadam ex siccitate conficiantur, & syntexin pati dicantur, cum supra modum extenuentur, & eorum pingue colliquetur. Hæc cum animaduerterem, vt a potionibus illis calidis exsiccantibus & vrinam ducentibus, quibus ex præscripto empirici tunc vtebatur, abstineret, mandaui. Omnia exsiccantia, quæ hic damnantur, salsa, acuta, acetosa & austera interdixi, & vinum vetus. Iram quoque & mœrorem, omnemque exercitationem, quæ pestifera est; vti & equitatio inprimis, sitis, & fames, & Venus, & quæuis deiectio. Otia cum somno concessi, & lectum molli pluma; ne tamen supinus dormiret. Quod ad cibum attinet, omnia humectantia admisi, quæque hecticis & tabe confectis alias scripsimus conuenire, & quæcumq; corpora replent, vt *gallina pinguis, capi quoq; & agnina caro pinguis, hædina, vitulina, gallinacea, & iocinora, oua recentia, (non hypenemia, id est, subuentanea, & citra coitum edita, Plinio dicuntur zephyria oua lib. 10. capit. 60.) testesque gallinacei, si haberi possunt, iuscula pinguia, adipe gallinaceo, aut vitulino pingui reddita, aut anserino adipe recente.* Etiam hac pulte commode vtebatur (*qua vtor & in consumtis*) *ex medulla boum parata, cum vino & zacchRaro pauco pane albo confriato iniecto.* Præterea iussi, *vt omni mane lac recens ouillum, adiecto zacchRaro albo potaret. Vesperi & lac amygdal. confectum cum semine papau. albi & sem. 4. frig. maior.* Quod ad medicamenta attinet, 3. *conserua viol. & zacchar. viol. & diapapauere & similibus vsi sumus, & decocto ex lactuca, portulac. viol ar. floribus cordial. & floribus nymphææ albæ, & hord. mundat. & passulis in sero lactis decoctis. Et cum aluus resisteret, noluimus eundem purgare, sed sola ℥ j. cassiæ recens extractæ cum zacchar. boli instar. latum fuit; post horam sumendo panatam ceruisiariam, cum pane albo intrito & butyro exiguo.* Id enim semper obseruandum, Nota. quod sumta cassia fistulari vel alia quacunque medicina, modo ex illis sit, quæ leniendo purgant, post horam panata assumenda erit: Nam aliter si magnum intercesserit spatium, vice nutrimenti natura eam rapit & amplexatur, vnde parum aut nihil aluum subducit. Hanc regulam docte admodum medici periti in praxin traxerunt ex Galeno *lib. 2. de facultat. alimentorum cap. 31.* vbi de prunis agit. Ibidem enim inquit, *Pruna ventrem subducunt, modo non ilico supra earum assumptionem prandium sequatur, sed paululum potius interponatur tempus horæ, vt diximus, ad ipsum prandium.* Hanc vero vniuersalem esse regulam ait, & methodum lenientium assumendorum, *eodem capite vltimis verbis*, nec minus *libr. 5. de tuenda valetudine,* vbi 4. aluum lubricantia parum ante cibum offert. Non opus est tamen (*vt obiter hoc admoneamus*) ius aliquod lauans, aut hordei aquam præbere, prout fit in aliis deiectionibus alui, cum fortibus & scammoneatis medicamentis. *Ex muccagine gummi arabic. tragac. seminis coton. & psyllii, & sem. althææ, lini, cum oleo rosaceo, cucurbitino & viol. adiecto butyro recenti, & adipe gallinaceo, cum modica cera alba conficiebatur linimentum & vnguentum molle: etiam subinde apposito infrigidante Galen.* Iis cum vteretur, paulatim euanuit pinguedo in lotio, & colliquatio cessare cœpit, ac continuando victum resumtiuum sanus factus est. At pedes inflati cum læderentur puris resoluentibus, inuncti cum tribus partibus vnguenti populei & vna parte vnguenti alabastrini, tandem partibus æqualibus, & in fine solo vnguento alabastrino, detumuere. Et postremo, cum adhuc commode incedere non posset, pro maiore roboratione & resolutione residui humoris ad pedes defluxi, hunc fotum præscripsimus: ℞ *flor. rosar. rub. florum chamom. meliloti furfuris minime pinguis, iuæ arthreticæ, saluiæ ana m. j. salis communis m. ij. coquantur in aqua communi q. s. pro fotu.* Atque his debite administratis, cum diæta conuenienti, ex Dei gratia, sanus euasit.

Scholia.

Pingue, *teste Aristotele*, plenius renes ambit, sed 5. ex habitudine calidiore facile colliquatur, & renes arefiunt. Tunc ea, quæ renes inde defectos recreant, & pinguiores faciunt, studiosius administrauimus; quale est lac ouillum, quo defecta corpora facile implentur: idem præstant asininum vel camelinum, nam renes firmant efficacius, & imbecillitati subueniunt. Nam ilico huic

malo succurrendum; alioqui perducit corpus ad tabem, febrem hecticam, & demum ad mortem. Methodus curandi est, vt non solum renes impinguentur, sed totum corpus, cibis multis & nutrientibus, vt sunt iura carnium inspissata cum vitellis ouorum, pultesque ex amylo, lacte recenti caprarum, penidiis, amygdalis dulcibus. Valentque auellanæ, pineæ, non rancidæ, phystici recentes, vinumque rubrum dulce: lac ex mamillis calide haustum cum zacchario mixtum. Quibus adde ea, quæ diximus in *obseruatione præcedente*. Abstinendum a coitu, venæ sectione, purgatione, & medicamentis vrinam prouocantibus & diureticis; a vehementer exsiccantibus, sinapi, aceto. Sed potius iis vtendum, quæ sperma augent, nempe diasatyrio; de quibus cap. *de diminutione coitus* dicemus. Nam vis huius curationis in tribus rebus consistit: in exstinctione caloris assantis, ex *capit. de phthisi, tabe, & de feb. hectica*. Secunda in alteratione siccitatis marasmatis, *vt ita loquar*, ex cap. de mala intemperie sicca ventriculi, & de diabete, *de qua postea*. Tertia in multiplicatione spermatis renes confortantis, de qua agemus capite de diminutione coitus. Quod vero attinet ad ea, quæ ad imbecillos renes faciunt, ratio habenda, ex qua caussa fiat, calida vel frigida, intemperies illa curanda cum contrariis, *vt paulo ante diximus*: ita & humores contemperandi, & purgandi, si ad renes confluant & ipsos debilitent, ac auertendi, vt exemplis subsequentibus latius ac clarius patebit. Memini tamen filiam Dominæ de Marquet, quatuordecim annorum, lotium longo tempore minxisse admodum pingue, tanquam ius carnium supernatasset: erat tamen crudum, tenue, album; non ita dolebat in renibus, quamuis alba & macilenta esset, & quasi atrophia laborabat: fuit hæc tamen commode per me curata, cum longo tempore pluma pinguedinem quasi concretam ex lotio moueremus. Et quia debilis ventriculus erat, *rotulis ex aromat. rosac. diarrhod. abb. & speciebus lætificantis Galeni (nam videbatur etiam melancholica subtristis) & speciebus diamarg. frig. vtens, aliisque aptis remediis, etiam ad atrophiam & maciem conferentibus*, hæc ipsa probe restituta est, & crassior facta bene deinde se habuit.

Observatio IV.

De Diabete.

Diabetes rara est affectio, quam Galenus semel tantum aut bis vidit. Rondeletius ter in filia & patre, atque morbum quasi hereditarium existimabat, vel potius quod essent eiusdem temperamenti, scilicet biliosi. At ab Hollerio visus est, anno 1558. in fine Augusti in vico vetere Templi, *Consuli du Val*, in febre continua, non ita ardente ad sensum, lingua scabra, arida, nigra. Quotidie sex pintas (*quas vocant Lutetiæ*) vrinæ mingebat; non ita siticulosus; constabat mente. Sub septimum diem obiit. Consuli Quelain nephritico, in febre profluuium vrinæ motum, in quo serosa vrina, ad duas quartas emingebat, ex quo euasit. Eodem morbo paulo ante eius pater obierat. Alter ab eodem profluuio obiit, in vico sancti Ioannis Bellouacensis. Quibusdam diutius vrina suppressa, sequitur vrinæ profluuium, aut morbus aliquis acutus per crisin malignitatem suam in renes deponit, vt ait Aræteus. Sic socrus mea, vetula, Iusta nomine, quæ viro suo Augustino Teylingio quæstori Domini de Egmont, peperit viginti proles, vti epitaphium post mortem eiusdem habebat: *Septem bis gnatos, sex est enixa puellas.* Qui omnes nunc mortui sunt, vna vxore mea Eua Teylingia superstite, quæ erat decima octaua proles, quæ adhuc mihi socia in hunc vsque annum 1595. 70. annos nata. Ceterum mater huius (*de qua nunc agimus*) quandoque apoplexia correpta, soluta in paralysin, & ab ea apoplexia liberata, post multos annos demum febrem acutam incurrit, annum septuagesimum tertium agens, eamque satis ardentem in vetula: post 7. diem tribus noctibus valde sitibunda, vrinam serosam adeo copiosam per tres continuas noctes atque dies profudit, vt multos congios impleret: a quo tamen malo euasit, quamuis post mensem admodum vetula postea obierit. Vidimus & nos mulierem vetulam Alcmariæ ad Fossam nouam, diuturno hoc malo circa renes consistente, (*diabete dicto*) laborantem, neque primis diebus medicum consuluisse. Omnia autem quæ bibebat, protinus per vrinam demittebat, vix a natura concocta vel immutata, ex renum proculdubio caliditate: nam valde biliosa erat, & admodum macilenta, perpetuo vrinam tenuem aquosam reddens: aderat & sitis continua, renumque caliditas, cum doloribus & punctionibus. Cum malum longo tempore protractum esset, priusquam ad eandem accitus essem, vt viscera iam vri viderentur, lumbis quoque intumescentibus & coxis, & tandem mordens caliditas in visceribus augeretur; superior venter corrugabatur, & venæ in ipso eleuabantur, vniuersusque habitus gracilis fiebat, & tabes totius corporis grauis accedebat: quare iam diabetem, quamuis raram affectionem, veram tamen adesse percepi: sed in vetula nunc diuturnam, amicis incurabilem esse pronuntiaui. Interea quæ ad hunc affectum conducere videbantur, cum amici instarent, ne eam pro deplorata relinqueremus, illa adhibuimus, quæ ad hunc affectum conducere videbantur, occurrentes quantum possibile erat totius corporis intemperiei, deinde etiam renum. Paulus & Alexander aduersus immodicum renum calorem pugnandum esse volunt, refrigerando quidem partem & confirmando; contemperando autem totum corpus, & humectando, quoniam id necessario siccum, ob largam vrinarum excretionem deprehenditur. At Aetius etiam acrimoniam humorum huius caussam designat; quam & deleri vult, sanguinemque, ac cum eo permixtum humorem reddit serosum, & renum temperiem corrigit. Ideo aerem elegimus ad frigidum & humidum vergentem, & somnum solito longiorem præcepimus, & quietem inunximus, nam quoduis exercitium & immodicus motus, & animi affectus

4. immoderati vitandi. Tota enim vitæ ratio omnino frigida, etiam affectu esse oportet. Alimentis crassis vtendum, emplasticis, minime calidis, incidentibus vel aperientibus: cibique, *iuxta Alexandrum & Paulum*, sint crassi, bonique succi, mordacitate carentes, & qui acrimoniam obtundere possunt, ac frigidi, ex sententia Aetii. In quantitate etiam necessario crassiores, vt perdurare possint, & copiosiores, ex Alexandro. Dedimus igitur ptisanam, aliamque sorbitionem ex alica, pedes veruecinos, vitulinos, suillosque & bubulos, hœdinosque pedes, tum rostra, caseumque recentem citra salem, & lac per silices aut ferrum ignitum scissum, seroso humore ademto, & amylum in iure carnis coctum, oua sorbilia: & ex oleribus *intybum, seridem, portulacam, & lactucam*. Inter pisces, saxatiles. Et inter fructus, pyra, poma, mala punica, & castaneas, *iuxta Alexandrum*. Vitanda salsa omnia & acria, & anisum & cuminum, & quæcunque vrinas prouocant. Vinum rubrum frigida dilutum, aquam hordei ex tosto hordeo confectam, & succum malorum punicorum frigida permiscebimus loco potus. Quod ad medicamenta attinet, a venæ sectione abstinuimus; quæ licet conueniat in cubito a principio, ex Aetii & Pauli mente, tamen ab ea abstinuimus in valde vetula & iam exsangui. Syrupos ex portulaca, de ribes, ex oxalide, myrtinum, rosaceum, & nymphææ, exhibuimus, qui bilem contemperarent. Et quamuis alii, si vitiosi humores sint

5. in renum corpore imbibiti, exhibent leuiter vrinam cientia, tamen vbi inueteratum est malum, neque iis, neque venæ sectione vtuntur. Concocta materia, per syrupos dictos, si aluus resistebat, sola cassia eam semel leuiter purgaui. Et denuo ad syr. de agresta vel de succo acetosæ, cum decocto plantag. portulacæ, florum nymphææ & symphyti ac similes deueni, etiam ad condita; hunc in modum: ♃ *carnis cotoneorum, conseru. consolidæ maioris, ros. veteris ana ℥ ß. muccag. gummi trag. sem. coton. extract. cum aqua ros. ana ℥ ß. boli armeni, terræ sigillat. ana ʒ j. amyli. ʒ iij. cum syr. myrt. & pap. fiat conditum. Capiat bis in die, & semel in nocte.* Lumbos inunximus hoc vel simili linimento: ♃ *olei ros. omphacini, coton. nymphææ ana ℥ ß. succi plantaginis ℥ j. santal. omnium ʒ j. ß. ceræ & aceti parum; fiat vnguentum. Lumbi quoq; interdum vnguento popul. inungebantur.* Ceterum cum nulla remedia hanc vetulam iuuarent, tandem consumta, vt prognosticon etiam feceramus, hæc obiit, cum tales plerumque vt hectici succumbant.

SCHOLIA.

6. *Cur diuersimode affectio hæc nuncupetur.*

ALiqui agunt de diabete in vesicæ malis: sed quia diabetes proprium est vitium renum; nos hic de ea agimus. Græcis vero dicitur διαβήτης quandoque διψακὸς, interim ὕδερος εἰς ἀμίδα quandoque vero διάρροια εἰς οὖρα appellatur, *Galeno teste 6. de loc. aff. 1. de crisib. & lib. de diff. sympt.* Latini vero diabetem, vel aquam intercutem, seu hydropem in vas vrinale; interim vero diarrhœam in vrina vocant: Benedict. Vero. diarrhœam nephriticam. Ita hæc affectio prout diuersimode considerabatur, diuersa quoque nomina sortiebatur. A verbo διαβαίνω, quod Latine *traiicio, pertranseo, seu traduco* sonat, ob celerem vrinæ transitum. Διψακὸν a verbo δίψης quod idem est, quod sitis, ob inexplebilem & ingentem sitim, quæ hunc affectum consequitur. Alii magnam vrinæ copiam inspicientes, aquam inter cutem ad matellam, seu vrinæ profluuium nominarunt. At nomen non curantes, sed curationis viam, vt inueniamus ex loco affecto & dispositione, id præcipuum est.

7. *Diabetes quid sit.*

Estque diabetes, *iuxta Aetium cap. 1. lib. 11.* nihil aliud, quam affectio diuturna circa renes consistens, multum potum inducens; vna cum hoc, quod quicquid bibitur simul, vt acceptum est, per vrinas reiicitur. Et iuxta *Paulum cap. 45. lib. 3.* potionis transmissio est protinus, qualis fuerit assumta. Et *iuxta Galenum* exitus velox vrinæ, & quod potatum est, sua qualitate non mutatum, habetque similitudinem cum affectu ventriculi intestinorum leuitate, vt ad longum apud Galenum videre licet *1. de crisibus, & 6. de locis affectis.* Quomodo generetur hæc affectio, vide ad longum apud eundem; & quod tres diuersæ renum facultates lædantur, attractrix primo & deprauata, & retentrix adeo imbecilla, vt ablata dici possit, & alteratricis ablatio. Dubia quædam circa hanc affectionem oboriuntur: quorum solutionem vide apud Donatum.

Pars affecta. Renes hic quoque sunt affecti ex caliditate;

Caussa. *iuxta Alexandrum & Paulum*, & subinde ex vitiosis humoribus in renibus imbibitis, *iuxta Aetium*.

Signa. Comitatur hunc affectum sitis pertinax sine satietate. Viscera vri videntur, anxii sunt, & lotium citissime exit, qualitate non mutatum, vt diximus, suntque animo dubii, igne ardere se putant, intumescunt lumbi, testes & coxæ graciles fiunt, tabesque totius corporis accedit;

Prognostica signa. & plerisque in fine mors subsequitur: nam & hæc affectio paulatim cum inceperit increscit, vt eius principium & incrementum vix percipiatur; sed dum ad statum peruenerit: adeo vt videatur subito aduenire, *Galeno teste 6. de locis affectis.* Propterea quod renum desiderium non animale, veluti ventriculi est, sed naturale.

8. Quod vero pessimum sit vitium vrinæ profluuium, quoniam duplex est, *ex Galeno constat lib. 1. de crisibus.* Etenim quanto plures instrumentorum cuiusque generis actiones & vires impeditæ fuerint, aut ex toto perierint, tanto deterior est morbus, *vt ipse refert.* Neoterici addunt in senibus & decrepitis vix aut nunquam curari. Si perduret, ex mente Auicennæ, deducit corpus ad liquefactionem, tabem, & hecticam. Iuniores quidem euadunt, modo in principio occurratur. At in febre ardente raro curationem recipit.

Curatio. Curatur vt iam in obseruatione præcedente diximus. Vnice cauendum, vt corpus non moueatur, neque dormiens renibus incumbat, ne nimis incalescant. Si ex calida renum tantum intemperie fiat, succus sanguinariæ ex rubro præbetur, *iuxta Paulum & Aetium*, & dilutum pyrorum, & cremor symphyti. In principio si non durauit malum, vena secanda: humores acres salsi si imbibiti sunt, prius parandi &

randi & contemperandi cum syr. dictis; demum euacuandi cum cassia, thamarindis, myrob. citrinis & chebulis, & materia diuertenda, etiam per exsudationem, iuxta veteres & Aretæum, in dolio facta euaporatione, capite extra dolium prominente, modo vires ferant. Donatus eos ad balneum seu puteolos mittit. Nam ex eo non solum materia ipsa ad exsudationem diuertitur, verum renes ipsi corroborantur. Ab ipso autem balneo, & ante ipsum, medicamentis refrigerantibus & topicis, quæ & a Paulo & Aetio recensentur, renes inungit, de quibus etiam in Obseruatione diximus. A balneo ℥ j. vel ℥ j. ß. zacchari rosacei exhibet, cum ℔. ß. aquæ hordei torrefact. & oxalidis. Qua curationis via huc vsque reliquis rite adhibitis, diuersis in temporibus duos perfecte curauit, *Iohannem Franciscum Caraffam, & Vincentium Marcellum, vt apud eundem videre licet capite proprio.* Topica sunt diuersa olea, *succi herbarum refrigerantes, vnguent. linimenta, emplastra, vt farina oxyrrhodino subacta, emplastri modo renibus apposita, & cerata ex rosaceo & lactucæ succo, & quæcunque roborando refrigerant & adstringunt renes, & vnctiones refrigerantes renes, quas ad ardores vrinæ sine vlcere conuenire dicemus.* Hæc & similia ad diabeten conferunt. De multitudine vrinæ, eiusque incontinentia dicemus libro sequente, de vesicæ morbis ac vitiis.

Observatio V.

De renum imbecillitate non separantium sanguinem ab aquositate; cum aliis quibusdam symptomatis.

Catharina Iacobi, vxor Florentii Teylingii, fratris vxoris meæ, e regione domus ciuicæ Alcmariæ habitans, anno 1557. mense Aprili, cum dolore lumborum ac renum afficeretur, ob debilitatem eorundem, virtute colatoria oblæsa, vasisque renum laxatis, vrinam lixiuii instar modo nigram, modo serosam cum sanguine permixtam & perturbatam subinde meiebat, caliditate venarum emulgentium seroso sanguine ad renes profluente, & ob renum laxitatem perturbato lotio sic permanente, dum redderetur. Huic renes non tantum imbecilles erant, sed vna & ventriculi imbecillitas aderat, & simul hepatis caliditas, *vti ex præcedentibus signis,* quæ tunc aderant, ad eam acciti cognoscere potuimus. Sed ab hoc malo diutius cum detineretur, infrascriptis remediis nostra industria Deo adiuuante euasit: *℞ rad. cichorii, dentis leonis cum toto, exceptis floribus, rad. fœniculi ana ℥ ß. end. parietar. fumariæ, capill. ven. ana m. j. florum rosar. rubr. (ad roborationem renum) plantag. (ad laxitatem constringendam & refrigerandum renes, tum hepar simul) absinthii Romani (ad ventriculi corroborationem) ana m. ß. semin. quatuor frigid. maior. sem. portul. ana ʒ ß. fiat decoctio in aqua cichorii ad ℔ j. ß. col. adde syr. de cichor. cum rhabarb. iuiubini ana ℥ j. syrup. de portulaca, capill. ven. ana ℥ ß. clarificetur, & arom. cum ʒ j. specierum diarrhod. abb. & fiat ad modum claretti, bis in die ex hoc decocto sumebat.* Deinde *℞ cass. recens extractæ ℥ j. rhab. optime puluerisat. trochisc. alkachengi sine opio ana ℈ ß. cum ℥ iij. aquæ decoctæ pariet. fiat potio;* detur hora sexta mane, quinquies aluum deposuit, dolore in lumbis sedato, & vrina puriore exeunte. Renum regione quoque inuncta, cum infrigidante cerato Galeni, pauco adiecto oleo rosacei decoctione priore iterum reiterata, adiectis alcakengi cum suis vesiculis, & iuiubis recentibus, cum sem. pap. alb. & his tabulis subsequentibus sumtis: *℞ pul. trochisc. alkachengi sine opio, specier. diarrod. abb. ana ℈ j. ß. trochisc. de rhabarb. (nam aderat quadam obstructio in hepate, quod grauitas hypochondrii indicabat) specier. diatrag. frig. (ob caliditatem renum) ana ℈ ß. dissolutis in aqua fumariæ, lupulor. adiecto zacchro optimo q. s. fiat confectio in tabulis secundum artem: capiebat ʒ ij. vel iij. mane hora sexta, & hora quarta pomeridiana.* Vt autem omnibus symptomatibus succurrerem (*cuius rationem in Scholio latius explicabimus*) sequens adhuc apozema descripsimus: *℞ corticum rad. fœniculi, cichor. glycyrrh. ana ℥ ß. capill. Ven. parietar. hepaticæ (ob caliditatem hepatis) flor. rosar. rub. sanguinar. agrimoniæ, absinthii Romani, pentaphyl. plantag. ana m. ß. gr. alkachengi num. iiij. iuiubar. sebesten ana num. vij. semin. quatuor frigid. maior. ana ʒ j. semin. quatuor frigid. min. coriand. præparat. fœniculi, cumini in aceto præpar. sem. pap. alb. ana ʒ ß. fiat omnium decoct. in aqua cichor. fumar. vngulæ caball. ana ℔ j ß. infus. maneant per noctem: mane fiat expressio; addendo syrup. capill. ven. iuiubini ana ℥ j. zacchari candi. albiss. pro sapore q. s. fiat apozema. Sumat bis in die.* Mane quoque ad renum caliditatem, roborationem, constrictionem vtebatur zaccharo rosaceo: & inungebatur infrigidante Galeni, & cerata seu vnguento ros. Et has lozengas capiebat: *℞ trochisc. alkach. sine opio ʒ ß. specier. diarrhod. abb. diatrag. frig. specierum arom. ros. (ob stomachi imbecillitatem) ana ℈ j. dissolutis in aqua alkachengi, adiecto zacchar. optim. q. s. fiat confectio in tabulis per lozengas, ponderantes ʒ ij. qua omni mane sumebantur. Et ob dolorem in renibus inungebat subinde renes cum oleo ros. & exiguo vng. alabast. & infrigid. simul mixtis.* Quibus remediis fuit curata a dolore; & lotium rediit ad aureum colorem, & deinde optime valuit.

Scholia.

Debilitantur renes ex omni caussa prohibente vel diminuente ipsorum operationem; quæ est, aquosam partem siue serosam a massa sanguinis nuper in hepate geniti (vt alias ad longum demonstrauimus in libris nostris *De incerto vrinarum iudicio*) segregare, qua non indiget nutrimentum. Quæ quidem segregatio breuiter tribus modis perficitur; attractione sanguinis aquosi a vena chili, per venas emulgentes; diuisione sanguinis attracti in partem aquosam nutritiuam substantiæ renum, & partem subtilem superfluentem, per panniculum colatorium porosum in concauitate renum contentum: per cuius poros augustissimos transire potest aqua subtilis, crassa permanente: vel fit expulsio partis aquosæ subtilis ad vesicam extra corpus per vreteres. Quod autem multæ sint caussæ, impedientes

Segregatio partis aquosæ.

operationem renum vel corrumpentes, præter dictas scholio *Obseruationis 1. huius libri*, ob intemperiem malam, malamque compositionem & continui solutionem, hinc patet, quod etiam renes laxiores fiunt, ac debilitantur, vt vrina exeat instar loturæ carnis, vt in iecore fieri solet: nam & in hac muliere subinde nigra lixiuii instar prodibat: non tamen ab ictero neque a crisi (*vt subinde fieri solet, vti de ictero diximus*) neque veniebat a calculo, de quo nunquam conquesta erat; licet ab eo quoque teste Fernelio fieri potest, vt vrina nigra profluat. Et quanquam ob amplitudinem vel largitatem venarum, per quas fit attractio superfluitatis aquosæ cum sanguine mixtæ a vena concaua ad ipsos renes, fieri potuit. *iuxta Galen. 6. de locis affectis cap. 2.* mingunt subtilem sanguinem æruginosum, similem egestioni hepaticæ, qualis est lotura carnis recentis; est tamen ista, quæ procedit a renibus, magis sanguinolenta, vt venit ista vrina sanguinea post digestionem factam in hepate, cum sanguis spargitur ad venas. Quia si vrina ægri consideretur immediate post cibum, reperietur aquosa. Vnde & hæc vrina sanguinolenta potest euenire, etiam propter defectionem renum, procedentem ab aliqua ęgritudine ipsorum; & tunc sentitur dolor in renibus. Hæc autem ægra non erat omnino sine dolore, & vrina erat subnigra & subrubra, non tamen plane sanguinolenta, neque immediate a cibo clara spectabatur. Si ex sola largitudine viarum ad renes attracta fuisset aquositas, tunc plane sine dolore exiisset. Contingit autem aliquando, vt vrina cum sanguine & aliis humoribus emittatur, per viam mundificationis ab hepate; & tunc fit residentia in fundo vrinæ. Si venæ autem non sunt infirmæ, & æger sentit iuuamentum magnum ac tranquillitatem, habens & periodos suas instar fluxus hæmorrhoidum, illa non subito est restringenda: vel si etiam veniat quasi per crisin. Sed de his omnibus agemus postea, de cruenta vrina. Nam illa, quæ fit propter debilitatem renum, vel propter nimiam venarum amplitudinem, si diutius durat, totum corpus extenuat; vt etiam illa vrina quouis modo superfluens, vt in diabete præcedente diximus. Et licet viæ a gibbo hepatis ad renes procedentes nimium laxentur dilatenturue, tunc oportet vti stypticis, ne sanguis vltra modum ad ipsas attrahatur; & vbi adest immoderata prædictorum meatuum largitas, a diureticis & aperitiuis omnibus erit abstinendum; quæ regula etiam in omni fluxu vrinæ immoderato locum habet. Interea tamen si alia symptomata, vt oppilatio hepatis, id prohibeant, vel alia symptomata adsint, non est vtendum puris stypticis & constringentibus. Ideo propter laxitatem renum solis constringentibus vti non fuimus ausi: sed vt sanguis ille limosus niger, licet etiam subinde aquosus, sed turbidus, (*instar coloris, qui in lixiuio apparet*) leuia etiam aperientia, sed non calida, cum constringentibus & dolorem sedantibus, & acrimoniam contemperantibus, *vt sunt semina quatuor frigidor. tam maiora quam minora, & papau.* & reliqua, quæ ad caliditatem hepatis faciebant, commode administrauimus. Interea tamen ob laxitatem renum etiam vinum rubrum dedimus, cum aqua virgæ pastoris, & oxygalam pro hepatis & renum caliditate. A vinis albis aperientibus abstinuimus, & lactis vsum non interdiximus, cum efficaciter renes (*vt dictum est prius*) firmet, & meatus laxos restringat. Quibus remediis probe sanitati restituta fuit.

OBSERVATIO VI.

De vrina cruenta.

MVlier nomine Siberta, ab omnibus Amita dicta, quinquaginta annos nata, biliosa, macilenta, præter carcinoma, quod mamillam occupauerat, chirurgus quidam, qui illam tractabat, alioqui iactabundus, potionem quandam exhibuit: cui vtrum cantharides immixtæ fuerint ignoro; ab eo tamen tempore, circa renes oborto dolore, sanguinem mingebat, pro quo accidente chirurgus multa, sed frustra, remedia adhibuit. Ad hanc accitus, anno 1546. cum aliquot diebus sanguinem minxisset, nunc vero in fundo matulæ crassam residentiam facientem, lac exhibui, num forte cantharides sumsisset, quod a chirurgo intelligere non potui: sed frustra. At cum ex signis multis præsentibus animaduerterem, eandem calidi esse hepatis, ac renum calidorum, coniiciebam mictum sanguinis euenire partim ex iecoris imbecillitate: nam & dolor in hypochondrio dextro longo tempore præcesserat, vt ipsa affirmabat, partim ex venis apertis & dilatatis: & quia renes calidiores erant, etiam fortes in attrahendo: nam copiosam vrinam sanguinolentam reddebat, absque tamen dolore & ardore. Ideo ex calore hepatis ac imbecillitate renum calidorum, ex apertione venarum in renibus caussam esse coniectabam: quanquam omnino negare non possem, aliquam quoque corrosionem in principio fuisse factam, a potione illius chirurgi prius assumta, qualiscunque ea fuerit; nam & dolor tunc præcipue circa loca renum subsequebatur: nunc autem non ita dolebat. Quare cum hic sanguis esset calidior iusto, & subinde subtilis, modo rursus residentiam faciens (*vt in imbecillitate renum fieri solet*) similis loturæ carnis, plurimum hæc extenuabatur, & vires indies deiiciebantur; idque magis, non solum ex illo fluxu sanguinolento perdurante, sed etiam ob perpetuum dolorem ac corrosionem cancri, quo mamilla iam dudum affecta erat. Venam igitur non secuimus, quæ antea secta fuerat, ob vires extreme debiles. Sed ex hoc apozemate bis in die ex nostro præscripto sumebat: ℞ *portulacæ, borag. bugloss. ana m. j. acetosæ, consolidæ minoris, vel bellidis dictæ ana m. ß. semin. frigid. maiorum & minorum ana ℥ j. plantag. m. j. fiat decoctio in aqua communi pro ℔ j. ß. in qua dissolue succi glycyrrhizæ, gummi tragacant. ana ℥ j. ß. syrup. violar. ex rosis siccis, iuiubini & mellis rosacei colati ana, ℥ j. aromatizetur cum ℨ j. specierum diatrag. frigid. trochisci, alkachengi sine opio ℈ j. misce.* Cum autem tunc prius ex Gallia Alcmariam seu in

seu in patriam venissem, vocauit Æmilium quondam præceptorem meum, qui alias, cum Louanio decessissem, & Alcmariæ per semiannum hæsissem, antequam Italiam accederem, mihi prælegebat aliquot opuscula Arnoldi de Villa noua. Eius aduentus erat mihi gratus in casu satis periculoso.

3.

Vna hoc decoctum præscriptum est: ℞ *cymarum rubi, arnoglossæ ana m. j. end. flor. borag. bugloss. florum rosar. rub. non completæ maturationis ana p. j. rad. asparagi, brusci, fœniculi (nam in fundo crassior materia feculenta nigra sanguinea subsidebat, ita vt aliquali detersione indigeret) ana ℥ ß. semin. quatuor frigid. maior. ana ʒ ij. coquantur in aqua cichor. plantag. pro ℔ j. dulcoretur cum zacchar. perlato.* At tussicula oborta pectore aliquando denudato, cum chirurgus vlcus crancrosum reficeret, pro ea depellenda hunc linctum præscripsimus: ℞ *diatrag. frig. in tabulis ℥ ß. amygdal. dulcium depilat. contusar. zacchar. penid. zacchar. candi ana ʒ iij. syrup. violar. liquid. capill. ven. ana ℥ j. misce.* At cum forte fortuna extra cubiculum seorsum de affectu loqueremur, & alta voce lingua Germanica Æmilius diceret, eam ab hoc malo non euasuram. De cancro, inquam ego recte, sed de sanguinis renum profluuio adhuc posse euadere, modo ea remedia apta persequatur. Sed cum ægra hoc audisset, vtpote morosa & biliosa, cum eam rursus accederemus, seniorem medicum & præceptorem statim reliquit; & vt ego illam solus curarem, admisit. Admonueram prius, *vt Latine loqueremur*, iuxta præceptum Hippoc. *in libello de Præceptis*, ne ipsa audiret, nos de suo morbo disserentes. Post discessum tamen Æmilii excepit eandem paulo post dolor magnus in renibus, vt sacra inunctione munita, tanquam vltima sacerdotum anchora, hinc emigratura existimaretur.

4.

Sed bis hac potione sumta, dolor euanuit paulatim: ℞ *end. scabiosæ, buglossæ cum toto, cichor. cum toto ana m. j. rad. fœniculi ʒ j. semin. omnium frig. tam maiorum quam minorum, sem. anisi ana ʒ j. (cum iam vrina ita sanguinolenta non proflueret, addidi rad. fœniculi & semen anisi) coquantur in aqua communi ad ℔ j. ß. colentur & arom. cum ʒ j. specierum diarrhod. abb. addendo syrup. de cichor. cum rhabarb. capill. ven. ana ℥ j. misce. Huius decocti mane sumebat ℥ iiij. addendo ob dolorem ℈ j. philonij Romani: & altero quoque mane tantum.* Et sedabatur dolor. Deinde dolore vtcumque ablato, solo decocto iam dicto bis in die vtebatur. Lumbis quoque inunctis primo ob dolorem, vnguento alabast. & infrig. Galen. simul mixtis, postea vnguento ros. solo; & in fine solo vnguento infrig. Galeni; & finito vltimo decocto, etiam sequenti vtendo, vrina de die in diem clarior euadebat; paulatim & mictu sanguinis cessante: ℞ *end. cichor. bugloss. cum toto ana m. j. acetosæ, plantag. cymar. rubi ana m. ß. glycyrr. ras. rad. fœniculi ana ℥ j. sem. frigid. maior. & minorum p. j. sem. anisi ℈ j. coquantur in aqua cichor. & aqua pluuia ad ℔ j. ß. colaturæ, adde syr. de end. ℥ ij. syrup. acetosi simplicis ℥ ß. misce.* Sanguinem deinde non minxit. Sed post octo dies, mictu sanguinis reuertente, me iterum vocauit.

5.

Et quia valde macilenta erat, & vires deiectæ essent, conuenienti iterum victus ratione præscripta, infrigidante scilicet, corroborante, restaurante, & adstringente, hoc, quod sequitur, iterum præscriptum est: ℞ *flor. cord. m. j. acetosæ, plantag. sanguinariæ vulgaris, succum rubrum sanguinis instar emittentis, cymarum rubi ana m. j. cassuthæ, end. cichoreæ cum toto ana p. j.* (quia adhuc crassus sanguis feculentus fundum petebat) *rad. liq. asparagi, sem. omnium frig. maior. & minorum ana ℥ ß. coquantur in aqua communi simplici pro ℔ j ß. col. adde syr. de succo acetosæ, syr. de end. ana ℥ ij. syrup. ex ros. siccis ℥ ß. misce.* Denuo regio renum inuncta est, & super pannum lineum ceratum infrigid. Galeni positum, lumbis imponebatur; & rursus cessauit mictus sanguinis: qui ne iterum rediret, cum remediorum eam pertæderet, vt in ceruisia communi decoqueret hæc viridia, imperaui: quibus bis terue in die vtebatur: ℞ *cymarum rubi, plantag. cum seminibus, sanguinariæ, portulacæ ana m. j.* Quibus sanguinis renum profluuium cessauit, nec amplius rediit.

6.

Cum iam foras prodiret, mirabatur Æmilius, cum de huius curatione dubitasset. Vixit deinde sana aliquot annis; quanquam tandem satis vetula ex carcinomate obierit. Ex illo sanguinis renum profluuio adeo extenuata fuerat, vt eam tabe quis laborare dixisset. Laudandus DEVS, qui artem curandi aperuit, cuius nutu omnes languores curantur. At iuuenis quidam viginti quatuor annorum, hoc anno 1587. dum hæc rescriberem, filius Godefridi Petri Beaumontii, ex hoc malo obiit, cum ei pila ludenti vena rupta esset in renibus: & longo tempore nihil remedii adhibens, tandem cum in febrem ardentem & tabem incidisset, neque satis tempori me vocassent, cum diu multoque tempore decubuisset, etiam aphthis & peripneumonia accedente, remediis aptis nullo modo iuuantibus, diuersis symptomatis misere afflictus obiit.

SCHOLIA.

7.

HAnc affectionem Græci αἱμοῤῥαγίαν νεφρῶν, Latini *sanguinis renum profluuium* nuncupant. Et cum percircuitum, vti hæmorrhoides, renes sanguinis profluuio laborent, sic etiam appellant, *vt patet ex Paulo cap. 45. lib. 3. & Aetio cap. 2. & 3. lib. 12.* vt etiam si propter rupturam, erosionem venarum in renibus, vel quouis modo contingat, sanguinis profluuium nominare licebit: imo etiam si tenuis sanies sanguinis mingitur. *6. de locis affectis & 3. de caussis sympt.* Renes afficiuntur quocunque modo ab iis effluant.

Pars affecta.

Suntque hic quatuor symptomata, in genere excretorum immodice toto genere præter naturam; licet diuersas renum dispositiones sequantur: nam modo tenuis & aquosus est, vt in iecoris imbecillitate, vt antea ostendimus, ob renum imbecillitatem, retentrice facultate & alteratrice oblæsis, ex intemperie, aut oris vasorum apertis per transcolationem, diapedesin, tunica rarefacta vasorum, & sanguine tenuato, vel ex gracilium vasorum adapertione, *vt liquet 5. meth. med.* Si propter amplitudinem vasorum fiat, vrinam ad renes

Affectus præter naturam quid sit.

8. *Si tenuis sanguis mittatur: caussæ & signa.*

excolantium, erit iam dicti symptomatis caussa morbus in via, eaque dilatata: id quidem percipies non solum cum tenuis sanies sanguinis meitur, sed cum quiddam etiam ex sanguine venæ laxatum emittunt, & alia itidem crassa; adeo, vt postquam ea, quæ micta sunt, constiterint, subsidentia quædam in vase reperiantur, & superne quædam concreta, marinum maxime pulmonem similitudine referentia. Concocto ac distributo cibo in venas, nihil aut omnino parum dolent ægri; eiectoque lotio leuati melius habent, *vt Aetio visum est.* Sed vbi fiat exiguorum vasorum apertione, tale serosi sanguinis profluuium sub anastomosi continetur. Vbi vero propter debilitatem ipsorum renum prædictum sanguinis serum meitur, improprie sanguinis, proprie vero seri profluuium dicitur, *vt etiam annotauit Donatus.* Namque sanguinolentum serum est, quod excernitur, *ex Galeni sententia 3. de caussis symptom.* Quo loco propter iam dictam caussam, sanguinis diapedesin, tanquam quartum genus excretionis omnino excipit; quemadmodum etiam de cruenta spuitione prius adnotatum est. Sanguis vero per circuitum excretus, non minus symptoma est, in genere excretorum immodice, sed & ad earundem vasorum referationem consequitur: nec circa initia aderit noxa alicuius facultatis dictorum renum, sed ab excretrice facultate, (*quemadmodum per hæmorrhoidas fieri contingit*) sanguis excernitur. Quapropter circa initia, citra vllum dolorem expellitur: leuantur ægri propter eius excretionem; & fortiores fiunt. Vbi vero diuturnior fuerit affectio, absque læsione retentricis eorum facultatis fieri non poterit. Dignosces autem affectionem hanc, quoniam excreti sanguinis ipsi ægri transitum iuxta renum locum sæpe percipiunt. Item quoniam vrinæ admixtus sanguis reperitur, præcessit victus ratio multum sanguinem generans, aut consueti alicuius exercitii omissio, seu cuiusdam membri mutilatio, aut quæpiam alia naturalis cruenta excretio præter naturam retenta est. Similiter si propter rupturam in renibus profluuium fiat, symptoma erit, vt reliqua, solutionem continui consequens. Eritque is affatim purus, & multus excretus, ac repente, vt superius dictum est, seruabitque naturalem sanguinis colorem; nempe purus & rubicundus erit. Cuius caussa, & ipsius sanguinis copia erit, aut propter ea, quod graue onus leuarit quispiam, seu valde saltarit, aut ex alto ceciderit, aut aliud quippiam tale violentum pertulerit, vt liquet ex commentar. *aphorism. 78. 4. lib. & Aetio loco præcitato.* Idem quoque symptoma erit, si per erosionem vasorum renum sanguinis excernatur: insequitur dictorum vasorum continui solutionem, & exulcerationem. Is tamen sanguis sensim, & paulatim excernetur: dolor renes excruciabit; aderuntque alia erosionis siue exulcerationis indicia. Caussam habebit acres succos ex supernis defluentes, *vt latius de vlcere renum postea suo loco patebit.* Sed ex quibus caussis fiant, satis exemplis subsequentibus constabit.

Caussæ, si per circuitum sanguis mingatur & signa.

9.

Si propter rupturam.

Si per erosionē.

OBSERVATIO VII

De mictu sanguinis ex cantharidibus sumtis, orto.

1. VRinam cruentam ex alto delapsis statim emitti vidimus; idque sæpius: etiam ex nimia Venere in adolescente Germano nobili: in mulieribus etiam mensibus suppressis, & in viris hæmorrhoidibus fluere consuetis & retentis: trunca etiam manu vel pede, aut quoquo modo pleno corpore, & abscessu vlcereque cruentam vrinam emictam fuisse scimus. Sed mulier, tum iuuenis quidam, quibus in potu cantharides exhibitæ erant, sanguinem minxerunt. Iuuenis vero penem extentum habebat, & irritatus ad Venerem supra modum coibat. Hæc enim dicta a cantharidibus assumtis consequi solent: quod etiam ex relatu ægri ac assistentium facile dignoscitur: nam cantharidum dira potione exulceratis interaneis & vesica, sanguis demittitur: & si subito non succurratur, ad sæua vlcera perducit. Primo igitur veneno succurrendum esse putauimus, tanquam caussa qua nisi ablata, effectus curari non potest. Copiose igitur lac dedimus: probat autem chalybeatum Rondeletius, qui & oleum rosaceum cum albumine oui intus assumendum tradit. Iniecimus & clysteres refrigerantes. Aetius *recens lac ouillum mulsum cum ouis* iniicit. Post clysteres ad remedia fluxui sanguinis oportuna recte deuenimus: illa tamen elegimus, quæ venenis similiter resistebant; vt est *terra sigillata, bolus armen. corall. trag.* Et alia ad sanguinis sputum & reiectionem, tum vomitum sanguinis, prius enumerata; vt est *succus bursæ pastoris, polygoni, sanguinariæ, & rasura seu puluis ossis sepiæ.*

2.

SCHOLIA.

3. QVi cantharides acceperunt in corpus, *teste Aetio lib. 13. cap. 49.* statim vires eorum in nares diffunduntur, odore picis: picis enim aut cedriæ qualitas linguæ inferri videtur, qualia alexipharmaca ad hoc virus conferant, vide apud eundem, quæ ex Nicandro scripsit. Hoc autem tempore venit mihi in mentem historia illa Iohannis Langii, *primo libro Epistolarum, epist. 47.* quam narrat *de quodam adolescente ex Gallia, diuitiis & stemmate nobili, gallo quouis gallinaceo salaciore, qui Bononiæ puellam, non adeo longe ab æde Diui Dominici habitantem, deperibat, quæ cum illi noctem condixisset, illius amore inescatus, consilio sui commilitonis, ne in Veneris conflictu succumberet, ad coitus illecebram cantharidum puluerem in iusculo quodam absorpsit. Postea cum ad primam noctis facem pruritum circa pudenda sentiret, lætus ac ratus esse libidinis ex pharmaco tentiginem, amicam adiit. In concubia vero nocte, quum punctionibus vellicaretur, & in ore cedrini picis saporem perciperet, nec mente sibi probe constaret, ac animæ defectu & vertigine pene concideret, tristis auxilii & consilii inops, domum rediit. Vbi cum cruento vrinæ stillicidio ac ardore continuo distorqueretur, Deum hominumque, & præcipue Ludouici de Leonibus præceptoris Langii, opem implorauit: qui cum egredi ob quorundam Bononiæ factionum insidias*

Historia Langii, de adolescente, qui puluerem cantharidum in iusculo sumserat.

insidias non auderet, Langium ad eum curandum mittit, iussitque, vt dato ad sorbendum oleo vomitum proliceret, & ventrem clystere ex mercuriali, maluarum radic. althææ decocto, in quo casia, addito liliorum ac violarum oleo, dissoluta esset, elueret. Et vt singulis horis plenum lactis caprini aut bubuli cyathum patiens ebiberet. Quibus curatus fuit. Sed reuertentes ad sanguinis mictum, cum varias caussas habeat, *vt diximus*, signa ipsa diligenter sunt perscrutanda, antequam curatio adhibeatur. Quibusdam enim naturis eodem modo sanguis per vias vrinales excernitur, quo aliis per nares, venas sedis, aut vomitum. Hoc ipsum licet aliquando iuuet, vbi plenitudo adest; cum tamen præter naturam sit, præstat anteuertere secta vena e brachio dextro, inclinante vere; tunc enim eiusmodi excretiones excitari solent. Aliis etiam cruenta est vrina, similisque diluto sanguini, ex laxitate, *vt diximus*, atque amplitudine venarum, quæ a caua renibus inseruntur. Renum quoque infirmitas hoc idem efficit, & iecoris vitium. Venæ quoque, propter humorum multitudinem disrumpuntur, aperiuntur, casu, saltu, ictu, aut vehementiore motu. Si rupta vena, confestim effluit sanguis: qui vero subito prorumpit, collisam venam significat; aperta, paulatim. Laxioribus venis emulgentibus, infirma vi renum contentrice aut discretrice, statim a cibo serum sanguinis purum post coctionem cum spongioso sedimento excernitur. In laxitate crassior. In imbecillitate tinctura est a sero. Quæ enim carnis loturæ similis; veluti sanguinolenta cernitur, aut vitio renum, aut iecoris contingit, quoniam non bene concoquunt, nec discriminis rationem habent, demissa cum sanguine vrina. Ex virium quoque imbecillitate, vbi vis continendi prostrata est, membra diminuuntur. Orificia hiantia venarum aperta, non confertim, sed paulatim, non crassum sanguinem, sed tenuem, & quasi percolatum reddunt. Purus enim sanguis cum dimittitur sine dolore, corporis plenitudinem indicat; ex iecore præsertim: nam ex renibus non sine dolore lumborum profluit: ex vulnere copiosior erumpit; ex apertis poris, *vt iam diximus*, sensim manat, ceteris dilutior; qui si ignitior est ac flagrans, pudendum in exitu mordet. In infirmitate vasorum seminalium, aliquando etiam excernitur sanguis, non cum vrina, sed in coitu, aliter quam vesica vlcerata. His enim cum vrina sanguis emingitur, quibusdam corpusculis immixtus. Nec in vesica solum, vt postea de vesica dicemus, sed etiam in cole exulceratio esse potest. Sed vlceris sanies & dolor indicia sunt. Et ita sanguinis nomine, *vt etiam Hollerius recte annotauit*, non intelligimus sanguinem purum, exquisitum, syncerum mingi, sed aliquando serum, aliquando suo sero mixtum, aliquando cum pure. Ab vlcere id fit aut læsione vasis alicuius. Sed vlcera intelliguntur tum ex dolore, tum ex pure & corpusculis simul prodeuntibus, vt squamulis e vesica. Pus ergo cum sanguine exit per vrinam, renibus, vreteribus mediis, & vesica vlceratis. Nam si in pene exulceratio sit, sine vrinis & pus exit, & sanguis. Exeunt quoque e renibus sanguinis grumi in febribus assati. Nonnunquam carunculæ, veræ renum partes, licet in aphoris. Galenus id se vidisse neget. Sexto tamen de locis affectis, & initio primi, videtur agnoscere, vbi iam vlceris acrimonia erosit particulas renum, quomodo & in pulmonariis tabidis contingit particulas pulmonis exspui, (*vt sæpe vidimus in praxi*) & in dysenteria, partes intestini. In Aduocato, nomine Perrot, vidit Hollerius minimas carunculas, vt non ab re σαρκία μικρὰ dici deberent, quas sæpe emingebat; neque reuera erat grumus. Has carunculas præcedit dolor pulsatilis, qui ad lumbos & nothas costas extenditur; & signa vlcerati renis. In concreto sanguine, & orobeis vrinis, non præcedit. In vtroque, hepate incolumi possunt vrinæ naturaliter cetera habere. Si in aliis partibus fuerit exulceratio, ex dolore quoque, & simul exeuntibus corpusculis dignoscendū, hoc tanquam generali axiomate notato in his omnibus affectibus. A renibus dolorem & sensum quemlibet a lumbis ad nothas costas extendi: ab vreteribus per ilia oblique descendere: a vesica, in pectine: a vesicæ collo, in perineo. Potest quoque & sanguis solus exire, vel cum vrina, de quo præcipue hic agitur. Atque huius caussæ, si nullum sit vlcus, variæ esse possunt, vt paulo ante diximus. Est quidam salutaris, & quandoq; iudiciali die adiudicatur, quo corpus leuatur onere, & ita potest mictus sanguinis esse criticus, & interuallis quibusdam motus, qualis fuit in moniali muliere, cuius meminit Musa, quæ singulis mensibus, suppressis menstruis, multum sanguinis emingebat. Archembault Aduocatus (*vt refert Hollerius*) per aluum, vomitum, vrinam ex interuallis sanguinem reddebat, ætate virili. Quibusdam inclinante vere multus emingitur. Id ab Archigene scriptum est, quibusdam per circuitus, vt in hæmorrhoidibus, sanguinem multum collectum renibus emingi, vnde subleuantur; id accidere iuuenibus, qui maiori licentia Veneri indulgent. Tamen is sanguis, qui per circuitus redire solet (*vt refert Benedictus Veronensis*) solus interdum symptomaticus est, & non sine periculo apparet. Milesius quidam apud Aurelianum 5. χρονίων sanguinem emictum affirmabat esse ex infirmitate seminalium vasorum. Ab Aureliano reprehenditur. Sed cum experientia doceat, e renibus per vasa spermatica defluere, & ab his, & a renibus exire certum est. Vidimus qui a coitu multum sanguinem effunderent, quique non facile reprimeretur, laxatis nimium vasis, & imbecillioribus redditis profuso omni semine. Animaduertendum igitur, num grauitas renum, & calor præcesserint, an immodicus coitus, an solita sit excretio. Quod si repente, & nulla caussa antecedente profluat, e renibus & vreteribus excidit. Neq; enim a venis vesicæ id accidere potest, duab. de caussis: vna, quia non ita multū san-

4. [Ca]ussa varia [di]stinguenda [an]te curationē.

5.

6.

7.

8.

guinem, vt renum, excipiunt. Altera, quia renum venulæ nudæ sunt, inuestes & expositæ ruptioni: quod contra fit in venis ad vesicam perreptantibus. Ex vesica si profluat sanguis, est exiguus; & in vrina cruor subsedit, dolorque in pube sentitur. Nam ex iecoris etiam rupta vena, sine dolore exit, plurimoque humore vrinæ permixtus cruor. Ex vesica, non nisi modice effluit, & in imo vase residet sanguis exiguus. Vtrum sanguis, vti in omni hæmorrhagia, fluat apertione orificii venarum, erosione, ruptione, iam satis Scholio præcedente dictum est. His omnibus distinctis, & Prognosticis signis animaduersis, de quibus statim agemus, curatio ineunda erit. Hoc prius exemplo interposito.

OBSERVATIO VIII.

De sene octogenario, ex ruptura venæ sanguinem mingente, & in phrenitidem lethalem incidente.

1\. HIppocrates diuinissimus dixit *aphoris. 51. lib. 2.* repente euacuare, aut corpus de repente mouere periculosum. Quamuis id iunioribus minus periculosi forte portendit, senioribus vero id periculosissimum est, vt experientia quotidiana vidimus in senioribus ac debilioribus, potissimum renum malis laborantibus: vti euenit Aduocato cuidam in Haga Comitis, Petro, cognomento Rotro dicto, eo quod Roterodamo oriundus erat. Cum 84. attigisset annum, alioqui vir robustus, sed nephriticus, calculo laborans, & in principio mensis Iunii, anno 1566. pedestri itinere ex Haga Comitis Delphos accessisset, non sine lassitudine iterum Hagam reuersus, vena in renibus subito eidem rupta fuit, cum ingenti lumborum dolore; qui paulo negligentior medicum statim ad se non vocat, sed vno atque altero die, vel pluribus intermissis prius, lotium ad me transmissum est, cumque sanguinolentum spectarem, venam perruptam esse iudicabam, cum in lumbis circa renes, vti referebatur, æger cruciaretur summo

2\. dolore. Verum neque tunc me vocarunt, quanquam in sene morbum grauissimum iudicarem. Tandem dolore magis augescente ad ægrum accitus, repperi, senem non solum sanguinem mingere, sed & simul ex febre acutissima & ardente decumbere, etiamque delirare & per nares sanguinem stillatim fundere; quod equidem in febre ardente cum phrenitide (*vt de febribus diximus*) lethale est signum. Ideo prædixi hominem moriturum; eoque magis, quod Hippocrates etiam pronuntiauerit febres acutas senibus minus fieri: quod si fiant, plerumque lethales esse, *iuxta aphorism. 14. lib. 1.* cuius rationem Galen. in commento explicat, cum frigidum eorum sit corpus, quod non facile tali febre ardente corripitur. Maximam igitur caussam adesse oportet, si ea corripiantur; vnde minus euadunt. Quare, vix de remediis cogitantes, ventrem tamen leniendo leuibus medicamentis & refrigerantibus, cum a tempore decubitus aluum non deposuisset, hordeato quoque exhibito, nihil profecimus, in tam vehementi malo, & homine sene: qui non diu post, secundum nostram prædictionem, e vita decessit.

SCHOLIA.

3\. *Prognostica.* REcte dixit Auicenna, *Omnis mictus sanguinis purus & multus, malus est; cum significet subitam venæ magnæ rupturam.* Hic in sene etiam febre accedente cum delirio, mortem intulit. Semper quoque malum est, in quorum vrina sanguis longo tempore apparet, eo quod caussam confirmatam arguat. Quod mictus sanguinis etiam periculosus sit in variolis aut morbillis, id ostendimus *Scholio obseruat. 45. lib. 6. ex Garcia- Lopio.* Scripsit ad me aliquando Henricus Bra, Doccumanæ reipubl. medicus, cum anno 1576. *Romæ viueret, & ad praxin sequeretur celeberrimos, tunc in arte medica Alexandrum Petronium & Hieronymum Cardanum, & variolæ & morbilli passim tam inter adultos, quam pueros grassarentur: Videre* (inquit) *contigit puellulos aliquot, qui biduum fere ante eruptionem sanguinem mingebant; sicut & alios, quibus sanguis copiose per nares prorumpebat; qui fere omnes vitam cum morte commutarunt: an quia natura sanguinis istius sarcinam superare non potuit? Forte euasissent, si vena secta mature fuisset.* Sed eo reuertamur vnde digressi sumus. Neque illi, qui propter renum imbecillitatem, aut eorundem vasorum reserationem, tenue sanguinis serum mingunt, negligenter tractandi sunt, sed magna diligentia circa initia eos curare oportet. Nam temporis progressu extenuantur & emaciantur omnes; & magis adhuc ii, qui plus sanguinis mictu excernunt, *Aetio auctore.* Neque etiam

4\. despiciendi sunt, qui per circuitus sanguinem e renibus excernunt. Nam licet in principio, propterea, quod citra vllum aliquem dolorem excernitur, nihil in totum mali formident ægri, vbi tamen diuturnior fuerit affectio, & aliquando cohibeatur, quod pro more excerni consueuit, grauitatem inducit, aliorumque pessimorum morborum caussa exsistit, sanguine nimirum ad alias particulas dilabente: qua ratione articulares affectiones in aliquibus accidunt, aut vertigines, aut deliria, & insaniæ, aut oculorum cæcitates; vt plurimum vero in malum corporis habitum, & hydropen delabendi aptitudo inde oritur, *eodem Aetio teste.* Si vero ob venam ruptam sanguis profluat, quam celerrime etiam præsidia adhibere oportet. Nam verendum est, ne ob nimiam sanguinis copiam, corpus totum inaniatur, ac infrigidetur, & propterea in lipothymiam, syncopen, & demum in mortem incidant. Aut propter concretum sanguinem, & in grumum versum, si in vesica detineatur, timor est, ne vrina supprimatur, consequaturque etiam animi defectio, & color pallidus, ac reliqua praua symptomata, quæ ad grumos vocatos sequi solent, *vt liquet apud Galenum 6. de locis affectis.* At sine dolore, & paucus, per interualla, idque critice, non est malus, de quo sit timendum. Sed vbi perseuerat forte succedet febris & mictus puris. Et qui longo tẽpore appares

5. paret in vrina, pessimus est, quia vlcera fraudulenta arguit. Sed per periodos fluens, cum alleuiatione ægrotantis, nullatenus restringi debet, nisi adeo superfluat, vt virtutem diiciat; alioqui in corpore otio dedito, vel crapulis, vel post mensium & hæmorrhoidarum restrictionem, in corpore consueto, inutilis non est. Præseruat a multis malis, a venarum ruptura, synocha febre, lepra & similibus. At exuberans & antiquus, qui neque per se, neque per artem curatur aut restringitur, hydropem, marcorem tandem & mortem inducit. Mictum sanguinis diuturnum subsequi solet mictus saniei, & per consequens vlcus in renibus & vesica, cum ardore & dolore: quare ei in principio occurratur; quoniam vlcus difficilius consolidatur, quam vlcus; *iuxta illum aphorism.* In sanguinis sputo, saniei sputum malum. Alii & hos sequentes aphorismos signis Prognosticis applicant. 75. lib. 4. *Si quis sanguinem aut pus minxerit, renum aut vesicæ vlcerationem significat.* & aphor. 77. lib. 4. *Si sanguinem sponte mingant, iis a renibus venam ruptam significatur.* & lib. 4. aph. 80. *si sanguinem mingant aut grumos, & stillicidium vrinæ habeant, & dolor in imum incidat ventrem, interfemineum & imum ventrem pectinemque, circa vesicam male se habere significatur.* Hic aphorismus potius ad vesicam pertinet. At is, qui per erosionem sanguinis meitur, quam celerrime circa initia curari debet. Nam temporis processu difficilioris curationis exsistet, vt de vlceratione renum postea dicetur.

Observatio IX.

De mictu sanguinis ex plenitudine per interualla eueniente.

1. Vir solitus habere hæmorrhoides, iisque per se restrictis, dum vteretur victu largiore & vino, atque in otio viueret, incidit in mictum sanguinis per interualla, qui sanguis ex plenitudine coaceruatus, & hæmorrhoidibus restrictis per circuitus fluens, vt aliquando euenire solet, *iuxta Aetium lib. 11. cap. 3. ex mente Archigenis, iuxta eundem,* noluimus subito illum sanguinem restringere: sed assumto bolo cassiæ, cum aluus restricta esset; altero die, fecibus & excrementis prius per cassiam excretis, venam basilicam aperiri iussimus, sanguine extracto ad vncias octo, cum satis robustus esset. Idem Leonellus *cap. proprio de cura mictus sanguinis puri solius,* a sanguinis multitudine, iubet fieri. Deinde ex decocto fumariæ, lupul. acetos. portulacæ sumebat, & postea adiectis myrobalanis, & rhab. eundem leuiter purgauimus. Et quia solitus erat habere hæmorrhoides, saphena incisa, vt sanguis inde flueret, hæmorrhoides apertæ sunt, sanguinis profluuio e renibus cessante. Recte dixit & Bertrutius capit. proprio, *quod in tali casu insistendum sit euacuationi & venæ sectioni potius, & prouocationi menstruorum, vel hæmorrhoidum, si antea fluxerint & nunc restricta sint, diuertendo sanguinem ad loca consueta.* Et ita 2. noster æger liberatus est: vti & aliaquædam mulier, cui menses deficiebant, & per interualla sanguinem mingebat, demisso sanguine ex talo, mox & ab hoc malo curata fuit. Interea ne hoc malum rediret, inunximus renes confortantibus medicamentis, & alterantibus. Quam intentionem curandi idem Leonellus post sanguinis detractionem commendat. Et ita lumbos inunximus vng. rosato, adiecto etiam pauco vnguento comitissæ. Is vero hoc sequenti vtitur: ℞ *olei myrtini, ros. ana* ℥ vj. *balaust. corticum granat. sumach, boli armen. ana* ℈ j. *adiecta pauca cera.* Valet & in iis, quibus non fuerint antea menses restricti, aut hæmorrhoides. Post venæ sectionem, si ex plenitudine fiat, & non restringatur præcedentibus diuersionibus, tunc adhibenda est secunda intentio, qua renes roborantur, vt est inunctio supradicta.

Scholia.

3. Cognitis caussis, per sua signa, demum ad curationem perueniendũ: Singulis enim caussis sua debetur curatio. Si enim per circuitus quosdam, aut propter venæ rupturam in renibus factam sanguis excernatur, conandum est statim in principio, vt cohibeatur. Itaque venæ sectio commoda est iis, quibus ob venam ruptam promanat, statim in principio: iis in vero, qui per circuitum sanguinem excernunt, paulo ante circuitũ adhibita, *Aetio teste,* nisi etiam sanguinis impetus vrgeat, ac cogat, vt cohibeatur. Namq; tunc etiam in ipso circuitu vena secanda erit. Ceterum sanguinis detractionem partiri melius erit, vt paulatim eius reuulsio, & diuersio fiat; eodem Aetio auctore. Et ita curatio mictionis sanguineæ ex abundantia, duabus intentionibus perficitur: primo, diuersione per venæ sectionem basilicæ, euacuando materiam antecedentem; deinde coniunctam, si opus est, ex talo, vbi menses vel hæmorrhoides restrictæ sint: secundo roborantibus renes. Sic oportet auertere & vacuare plenitudinem, & renum venas densare, etiam in iis, quibus per circuitum redit, ne copiam excrementorum recipiant. Vbi vero iudicialiter a natura propellitur, remedia necessaria non iudicamus, nisi virium defectum cognouerimus. Cuius habemus exemplum apud Amatum *centur. 2. curat. 93. de iuuene florido, robusto, criticam sanguinis mictionem habente,* qui cum sanguinea febre affligeretur, & pluries illi sanguis esset extractus, sexto die sanguinem cum vrina minxit, & sanitati restitutus fuit. Admirabantur autem assistentes omnes, contendebantque nonnulli medici alii, qui illius quoque curam habebant, hanc tam subitam sanguinis suppressionem. At cum Amatus crisin per eam viam a natura factam coniiceret, & ægri vires inde non labefactari perciperet, rem in totum securam, & ægrotantem liberum & a morbo immunem esse prædixit. Solet autem crisis huiusmodi in febribus aliquando, licet raro, contingere. Et sic variæ caussæ variam postulant curationem. At exemplis adhuc infrascriptis curandi methodus clarior euadet.

Curatio si per circuitum aut propter venæ rupturam sanguis mingatur.

4. *Quib. fluxionibus remedia constringentia non adhibenda.*

Observatio X.

De mictu sanguinis seroso.

1. IVuenis cum sanguinem serosum & tenuem meieret, consultandi caussa ad me accessit. Cum nullam febris in eo notam animaduerterem, & certis signis colligerem nullum in iocinore calorem subesse, sed renes debiliores factos, venarumque ora rariora sanguinem tenuem dimittere; statim iis vsus sum quæ renes roborarent, venasque adstringerent, adhibita victus proba ratione, & simul lacte caprino vtens: postea etiam ouillo, cum nihil melius eo existimet Auicenna confirmandis renibus valere. Dabam ieiuno ℥ vj. *quibus admiscebam boli armeni* ʒ j. Ac si mictus sanguinis tenuis desiit, corpusq; quod prius macilentum erat, nutriri, viresque reparari contigit. Atque ita iuuenis sanitati tandem restitutus est.

SCHOLIA.

2. *Curatio si tenuis sanies aut serosus sanguis mingatur.*

DIctum est prius, huiusmodi sanguinis profusionem accidere propter oscula venarum rariora facta, vel ipsum sanguinem attenuatum; διαπήδησιν quasi transcolationem vocant. His autem quibus vrina cruenta orta, propter renum debilitatem, aut amplitudinem osculorum vasorum, vrinas ad renes excolantium, vel raritatem, sanguis transcoletur, conueniunt, *ex Pauli auctoritate*, medicamenta, quæ ad sanguinis sputum inscribuntur. Conuenit & hic in principio quies, cibi astringentes, & vinum nigrum in potu, potissimum vbi vires imbecilles fuerint. Ab iis vero, quæ vrinam ciunt, & a coitu, omnino abstinendum, *vt inquit Aetius*. Maxime vero confert polygoni succus, etiam sanguinariæ, & rad. symphyti decoctum. Adhæc tragacanthum in vino nigro maceratum, polygoni & plantaginis succum cum posca commendauit. Ex quibus etiam succis, *iuxta Donatum*, cum saccharo syr. parari poterunt, pauco aceto addito; ac exhiberi, vel in eorum vicem syr. myrt. ex ros. vel etiam de portulaca, aut alius præberi potest, addendo eisdem ʒ j. *rad. symphyti, cornu cerui vsti, aut lapid. hæmatitæ, seu boli armeni præparati, pauco aceto addito, vel trochis. de spod. de terra lemnia & succino. Nec minus conferent, si cum ipsa posca exhibeantur.* Extrinsecus autem renibus & lumbis imponi poterunt ea, quæ ad sputum sanguinis descripta sunt, quæque vna adstringunt & resiccant, ac etiam robur addunt, *vt inquit Aetius*. Cuius farinæ sunt rubi folia, myrti, ac quercus, myrti baccæ, malicorium, & balaustium & perdicii folia, cum posca, aut vino adstringenti imposita; ex quib. cataplasmata conficies, adiecto oleo ros. & posca. Vng. ros. inungantur lumbi, & adiectis santal. pul. bol. arm. acacia hypocyst. & similibus; fiantque cerata lumbis apponenda. Nam vbi tenuitas sanguinis in caussa fuit, frigida glutinantia prosunt. Quibus vero vrina sanguinea ex immodica Venere, eam portionem assumant, quæ habet plantag. ac eius seminis portul. myrti cauliculos teneros, & vitis palmites *ana m. j. succi glycyrr. ac rad. ipsius, anisi, fœniculi in aceto macerati atque tosti ana* ʒ ij. *sem. pap. lactuc. ana* ʒ iij. *tusa in aqua hemina macerentur, deinde ad tertias decoquantur: adde zacchari pondo, & syrupum conficito. Ex eo vnciam sumito mane: cum puluere, obulis binis, rubricæ armeniacæ, succini, rubricæ lemniæ æquo pondere trita dantur in potione antedicta.* Spongia aceto calido infusa circumponitur verendis & ilibus: aliaque frigida, vt portulaca cum bolo armeno, & succis herbar. refrig. & astringentium, emplastri modo imponuntur.

Potiones.

3.

Topica.

Sanguinea vrina ex Venere curatio.

OBSERVATIO XI.

De mictu sanguinis ob venam ruptam in renibus.

1. RVsticus qui supra lumbos ceciderat, sanguinem primo satis purum mingebat, postea etiam multum ac crassum. Cumque doleret circa regionem renum, proculdubio venæ in renibus perruptæ erant. Ad hunc accitus, iussi vt statim sanguis ex vena basilica e regione loci dolentis (*nam in dextro rene magis dolebat*) ad auersionem detraheretur; sed non ita copiose, vt in viro præcedente, qui ex plenitudine sanguinem mingebat, *de quo diximus obser. 9.* Deinde hoc linimentum ad repellendum & constringendum præscripsi, vt eo locus dolens inungeretur: ℞ *oleo ros. omphacini, myrtini ana* ℥ j. *boli armeni, sang. draconis, tragacanthi, gummi arab. ana* ʒ ß. *pulueri sentur omnia subtiliter, & cum oleis prædictis, misce instar linimenti; vel cera adiecta fiat ceratum.* Vsus sum & in alio post venæ sectionem, qui ex percussione sanguinem mingebat ex vena rupta, hoc vel simili epithemate: ℞ *albuminum duorum vel trium ouorum: bene ac diligenter inuicem conquassentur, & sequentes pulueres iisdem addantur, scilicet tragac. gummi arab. sarcocollæ, cerusæ lotæ, thuris ana* ℈ j. *adde aquæ plantag.* ℥ iij. *vel iiij. olei ros. & aceti ros. ana* ℥ j. *conquassentur omnia & cum petiis lineis infusis in tali liquore, locus percussus epithemetur.*

SCHOLIA.

2. QVidam, inquit Aetius ex Archigene lib. 11. cap. 3. *sanguinem e renibus excernunt, propter venæ rupturam in renibus factam: quemadmodum contingit his qui graue onus leuarunt, aut valde saltarunt; (vt hisce diebus nobili cuidam contigit per fossam saltanti;) aut ex alto ciciderunt, vt nostro rustico, aut aliud quippiam tale violentum (vt de caussis antea diximus) pertulerunt.* Post venæ sectionem in principio conueniunt ea, quæ de hæmoptoicis scripsimus. *Retinent,* inquit Rondeletius, *sanguinem bolus armenus, carabe, cum albumine oui fortiter agitata, & deuorata: & supra partem hæc constringentia apposita:* ℞ *boli armen. vel terræ sigill.* ʒ ß. *sang. dracon. cort. mali granati, balaust. ana* ʒ ij. *aluminis* ʒ j. *ros. rub. seminis myrti ana* ʒ j. ß. *puluerisentur subtilissime, & excipiantur albumine oui & aceto. Applicentur supra partem.* Quod si concretus sanguis remanserit in vesica, tunc dissoluentia sanguinem danda erunt, aliquo tempore post, & non nisi vrgeat, retinendo vrinam, aut aliud quid efficiendo. Verendum enim est ne rursus aperiantur venæ & sanguis prouocetur, nisi dentur illa, quæ vtrumque præstent, vt carabe, quæ sanguinem dissoluit coagulatum, & fluentem retinet. In his quoque, (*vt idem refert Aetius*) qui ob venam ruptam

Quæ ad rupturam venarum in renibus conferant.

Cautio.

ruptam ſanguinem mingunt, ſi exulceratio in locis relinquatur, ipſam poſt ſanguinis ſuppreſſionem curabimus per ea, quæ in loco de exulceratione dicentur. Sic memini quendam a viro craſſo inſultante, derepente & copioſe ſanguinem minxiſſe, qui tamen craſſior erat, quam in vena aperta; qui & a me curatus fuit. At puer quidam, qui in ludo (*vt refert interpres Hollerii*) Britone inſultante ſanguinem minxit primum, deinde pus annis ſequentibus. Ideo in iis curatio diligens adhibenda eſt, ne vlcus ſubſequatur. At ſenior ille Ioannes Sasbotus, ſeptuagenarius, ſubinde ſanguinem mingens ſine dolore, per me curatus fuit, cum videretur prouenire ex dilatatione colatorii; ſæpius ſumendo lac amygdalatum; etiam ouillum pauco iniecto bolo armeno, & conſerua roſ. ſubinde vtens: roborando renes cum aliquo linimento ex ſupradictis, ſimul conſtringente & roborante.

Observatio XII.

De mictu ſanguinis ex venis renum corroſis.

MVlier biliosa, ex infima plebe, Anno 1569. cum lotio ſanguinolento conſultandi cauſſa me acceſſit: atque is mictus ſanguinis cum diu duraſſet, ac illa in cibis allio ac porris ſæpius vſa eſſet, ſanguiſque ſenſim & paulatim excerneretur, & dolor excruciaret renes, non ſine eroſione & exulceratione quaſi, in muliere biliosa hanc ſanguinis mictionem ab acuitate ſanguinis acuti, corrodentis venas renum, euenire iudicaui. Propterea, cum adhuc viribus conſtaret, imperaui, vt fieret phlebotomia diuerſiua, ex vena hepatica, in brachio dextro; ſanguine tamen moderate extracto, & non ita copioſe, vt ex iis, qui in plethora afficiuntur. Deinde iuſſi vt fieret mundificatio ſanguinis ab humore acuto, nempe biliosо corrodente, hanc potionem deſcribendo: ℞ *end. cichor. portul. plantag. fumariæ ana m. j. florum nymphææ, roſ. viol. ana p. j. ſem. portulacæ, end. acetoſ. & 4. ſem. frig. maior. ana ℥ j. hordei mundati p. j. iuiubar. recen. num. v. glycyrrh. raſæ ℥ vj. coquantur in aqua communi pro ℔. j. colaturæ adde ſyr. pap. nymphææ, viol. ana ℥ j. ex roſ. ſiccis ℥ ß. miſce, capiat bis in die.* Poſtea accepi eiuſdem decoct. *abſque ſyr. ℥ iiij. ß. infundendo rhab. ſelecti ℥ j. ß. myrob. citrinor. ℥ ij. facta prius leni ebull. ſtentq; infuſa per noctem. Mane huic fortiſſ. expreſſ. adde ſyr. viol. ℥ ß. miſce.* Materia biliosa & acuta ſic expurgata, ad remittendum feruorem, & acuitatem ſanguinis, iuleb ſequens ſumſit: ℞ *ſyrupi viol. nymphææ, myrtini, pap. ana ℥ j. aquarum end. portulacæ, plantag. ana ℥ iiij. miſce, fiat iuleb pro quatuor doſibus.* Deinde capiat omni mane ante cibum per horam, ad quantitatem caſtaneæ magnæ ex electuario, ſanguinem incraſſante, & acuitatem eiuſdem remittente: ℞. *zacch. roſ. antiqui, diacotonei ſine ſpeciebus ana ℥ j. diamarg. frig. ℈ ij. ſyr. ex roſ. ſiccis q. ſ. fiat electuarium.* Pro cibo vtebatur hordeato, amygdalato, & lacte ouillo, etiam ſubinde halica & oryza.

Scholia.

SI veniat ex acuitate ſanguinis vel humorum, humores contemperandi, & leuiter euacuandi cum iis, quæ ſtypticitatem relinquant, quidam ex rhab. pilulas conficiunt cum ſucco plantaginis: & ea conferunt, quæ ad ardorem vrinæ præſcribentur: & ſi vna cum mictu ſanguinis ardor ſentitur in renibus, ℞ *aquæ plantag. portulacæ ana ℥ ij. philonii ℈ j.* Si vna adſit vlcus, vel ob vlcerationem mingat quis ſanguinem, vlcus detergendum & conſolidandum deinde: nam vbi cruenta vrina abſceſſu vlcereque demittitur, vel calculo ſcabro exeunte, horum ratio habenda quoque, vt etiam illa ipſa ſimul curentur. At purulenta quoq; vrina ſimul cum ſanguine aliquando exit, vel peripneumonia, vel plenitudine, vel abſceſſu rupto iecoris, *vt apud Galenum de locis affect. lib. 6.* videre licet: vel renum & veſicæ vlceribus contingit, de quibus ſuo loco, vt & de vlceribus renum & veſicæ dicemus.

Observatio XIII.

De mictu ſanguinolento diuturno, per modum conſultationis.

ANni ſunt quatuordecim, quod hic iuuenis, filius Ioannis de Bodegem, Delphenſis, mictu ſanguinolento laborauerit, quem in principio Cornelius Heydius eius auunculus, collega & cōfrater noſter, piæ memoriæ, medicus alioqui doctiſſimus, curauit. Et quantum ex iuuene etiam docto intelligere potui, medicus iudicabat hoc malum ex vena rupta in renibus originem cepiſſe: qui licet aliquando ex priore curatione melius habere videretur, tamen nunquam perfecte ab hoc malo curatus fuit. Præterea ab hinc anno etiam in Hiſpanis degens, fruſtra medicorum excellentium opem, vt nobis narrauit, expertus eſt. Dolet hic circa lumbos; ideo a renib. mictionem ſanguinolentam fieri certum eſt. Et quanquam ruptura venarum in renibus in principio quaſi ex parte curata videretur, atnunc cum multis annis perſeueraret, etiam renum imbecillitatem acceſſiſſe arbitror, venaſque rariores vel magis apertas ſanguinem ſępius profundere, cum & malum ſingulis diebus exacerbetur, non ſine acrimonia & ſanguinis caliditate, cum aliquando ſimul ſentiat ardorem in emittendo lotio; ita vt ex ſalſedine ſeroſitatis, vel caliditate eiuſdem fere guttatim, aut in minori copia vrina vna cum ſanguine permixta effluat; adeo vt ſæpius cogatur mingere, virtute retentiua partim longitudine mali debilitata, partim acrimonia ſalſedinis vel caliditatis irritata, ideoque minus lotium retinere valeat: quamuis tamen (*vt refert*) vltro non effluit, interim tamen ſæpe cogitur mingere: & quum ſanguinem mingit, etiam in minori quantitate, ſemper ardorem vrinæ habet. Inſuper vbi plus æquo ſeſe exerceat, ilico ſanguinem in maiori copia profundit: etiam cum vinum Hiſpanicum biberit, idem facit. Signum eſt, quod non ſolum venę facile reſerantur, verum etiam rariores & debiliores factæ ſunt. Hanc tamen fluxionem ſanguinolentam non exiſtimo ab hepate euenire, neque a toto corpore, quemadmodū fieri ſolet critica expulſione per interualla; ſed quod potius fiat a renibus, cum dolor

sit circa lumbos. Ad hanc fluxionem iuuat etiam salsedo quædam (*cum lotium reddatur cum ardore*) modo venas renum aperiens sua caliditate, modo sua salsedine leuiter erodens; non tamen exulcerans: nam purulẽta cum sanguine non mingit. Quoniam etiam ardor in emittendo lotio sentitur, recte materiam acrem adesse puto, & serositati sanguinis admixtum esse plurimum pituitæ salsæ, & etiam materiæ biliosæ: nam facile effluit, si calidis vtatur, vel vehementiori motu aut exercitio, vel vino Hispanico. Hæc, inquam, omnia renes lædunt, serositatem sanguinis inflammant; & ob hæc venæ in renibus plus æquo reserantur, & sanguis liberius profunditur. Præterea cum hic iuuenis sit, si forte aliquando (*vt iuuenibus salacioribus sæpe euenit*) nimium Veneri indulgeat, hic ardor magis incenditur, vti solet fieri quandoque in glandulis vreteris nimia Venere cõsumtis. Quamobrem harum omnium caussarum ratio, tum partis affectæ, in curando præcipue habenda erit. Pituita salsa & materia biliosa contemperanda, & prius euacuanda; acrimonia obtundenda, renes imbecilliores roborandi erunt, venæque nimis raræ factæ reseratę aut apertæ constringendę & sanguis reprimendus & astringendus in fine, & similiter caussa, quę morbum non tantum facit, sed etiam auget, tollenda erit. Et quod ad prognostica attinet, malum hoc licet sit diuturnum, eoq; difficilius curatu, curatio tamen erit tentanda. & continuanda in iuuene adhuc robusto, qui doctus est, eoque facilius etiam curationem non solum admittet, sed imperata a nobis non difficulter persequetur. Qui equidem si vitam bene instituerit, & optimam victus rationem probe obseruauerit (*de quibus primum agemus*) plurimum ad sanitatem recuperandam valebunt. Igitur iis præhabitis, quę ad genus viuendi pertinent, postea de medicamentis tractabimus. Aer igitur continens eligatur, ad frigidum, & parum ad siccum vergens: a calido vero & humido abstineat: flatusque austrini valde sunt vitandi, radii quoq; solares, tum focus luculentus: nihil peius quam dorso ad ignem sedere, vel stare. Ideo dorsum minime sit suffultum pellibus, aut zona valida constrictum, maxime circa lumbos. Hæc enim omnia renes calfaciunt, venas rarefaciunt, aperiunt & sanguinem profundunt. Camisia recens, eaque lota & recte exsiccata sæpius mutanda. Somno moderato vtendum, præsertim nocturno: diurnus fugiendus; supra latera dormiendum; non in dorso cubandum, aut lecto molliori, plumis multis & calidis referto. Conclaue in quo dormiat vel versetur, sit potius infernum quam supernum, & lapidibus potius stratum, quam ligneis tabulis confectum. Omne exercitium fugiat: Venerem quoq;, animi affectus immodicos; equitationes, cursus, saltus & tripudia. Excrementa quoq; alui, si possibile est, quotidie deponantur, arte vel natura. Cibi autem eligendi sunt, qui emplasticam habent vim, & qui refrigerant, & mediocriter obturant, ac leuem adstringendi vim habent. Neque calidi quippiam offerre oportet. Sed omnia sint potius temperata ad frigidum declinantia, etiam actu, & sint tales cibi qui superfluam humectationem nõ inferant. In summa, cibi sint refrigerantes, parum siccantes & adstringentes. Viscosa & glutinosa hic quoque laudantur, vt lac, pedes vitulorum, suum, hœdorum, & gluten piscium. Conueniunt carnes gallinarum, columborum, cuniculorum, capreolorum, perdicum, phasianorum, auicularum montanarum, pisces saxatiles, musculi, cancri quoque fluuiales. Interea parua cibi sit quantitas: tamen ab inedia abstinendum, propter ardorem vrinæ. Sed cibi pauci, mediocriter frigidi, & potus, & natura constringentes adhibeantur; velut ptisana, & eius cremor, alica, frumentacium amylum, similago valenter decocta, aut oryza, & oxygala. Quæ omnia meliora fiunt (*quod & de auiculis montanis, aliisque iam supradictis etiam intelligendum*) si aliquod adstringens cum eis fuerit decoctum, aut eorum succus adiectus sit. Verbi gratia, coton eum malum pyrumve, aut pomum aliud austerum, malique punici grana, berberis aut sumach. Aut si non libeat talia cum sorbitionibus decoquere; incoquantur ea cunctis aliis eorum cibis; qui insuper in aqua pluuia decoquantur; in qua etiam micę panis imbutę pro cibo conueniunt. Ex oleribus assumere poteris lactucam decoctam. Interim ipsam in poscam aquosam intingens. Similiter intybum & portulacam, vel arnoglossum. Portulaca quouis modo comesta, etiam cruda cum aceto huc confert; vel melius prius parum decocta in aqua pluuia; deinde aqua amota aceto adiecto. Auibus iam dictis, tum starnis adiicere poteris gallorum testiculos, potissimum assatos, & alas anserum, non tamen veterum: conducunt & ventriculi, pedns vituli castrati, tum hœdorum; aceto inter coquendum adiecto. Valent & hic lac caprillum & acidum. Ex fugacibus fructibus, qui modice adstringunt. Vt mala cocta, vel tosta, pyra, sorbæ, mespila, cotonea. Et si fueris admodum siticulosus, conferent *cerasa, præcipue quæ a vulgarib. morella dicta, vua pensilis, vitis pampini, portulacæ seu arnoglossi folia*. Vinum quoque rubrum aqua dilutum minime nocebit, si eo moderate vtaris. Abstineas ab Hispanico aliisque vinis calidis ac diureticis: vt & ab *omni aromate, pipere, sinapi, allio, porro, raphano, aliisque calidis speciebus; & a ceruisia crassa feculenta aut nimium recenti, sed sit ceruisia tenuis depurata ad saporem vini accedens, nec nimium recens, nec adeo antiqua vt acorem habeat.* Nunc ad remedia progrediamur. In primis ad diuersionem in exigua quantitate fiat venæ sectio ex vena interna brachii dextri, vel media, quę magis apparet. Deinde *vt acrimonia obtundatur, vtaris decocto rad. consolid. maior. polygoni, portulacæ, acetosæ, bursæ pastoris, bellidis minoris, adiecto syrup. de portulaca, & myrtino, ac oxyzacch.* vel fiat hoc iuleb. *℞ aquar. portulacæ, plantaginis, bursæ pastoris ana ℥ iij. syr. de portul. myrtini, oxyzacch. simplicis ana ℥ j. misce, fiat iuleb pro tribus dosibus.* Deinde simul ad purgationem ac leuem alterationem, *℞ rad. symphyti ℥ ß. rad. & fol. plantag. m. j. myrob. citrinor.*

nor. ʒ. ij. liquir. raſ. ʒ iij. coquantur in aqua pluuia, & in ℥ iiij. infunde per noctem, facta leui ebullitione, rhab. ſelecti ʒ j. ß. mane fortiſſ. expreſſ. accipe ℥ iij. adde ſyr. ex infuſ. roſ. pallid. ℥ ß. miſce, fiat potio breuis, detur mane. Postea, ℞ *ſucci portulacæ, plantaginis ana ℥ j. ſyrup. viol. myrtini ana ℥ ß. boli armeni veri ℈ j. miſce. fiat hauſtus.* Poterit & hoc apozema deinde parari: ℞ *rad. conſol maioru, rad. nymphaæ cum floribus albis ana ℥ ß. rad. plantag. cum foliis m. j. polygoni, portulacæ, burſæ paſtoris, arnogloſſ. ana m. ß. florum roſ. rub. nenuph. albi ana p. j. ſeminis acetoſ. ʒ. j. glycyrr. raſ. ʒ iiij. coquantur in aqua pluuia, pro ℔. j. colaturæ adde ſyrup. de portul. myrtin. coton. ana ℥ j. miſce, fiat apozema pro quatuor doſibus matutinis.* Si magis ſit conſtringendum & roborandum, ℞ *trochiſ. de ſuccino vel carabe ʒ j. detur cum ℥ iij. vini rubri Gallici.* Exterius cerati forma ſequens applicetur lumbis: ℞ *vnguenti roſ. ℥ ij. boli armeni veri, malicorii ana ʒ j. trochiſc. de carabe ʒ ß. puluериſentur, & adde vnguentum roſ. adiecto exiguo oleo roſ. & cotoneorum, & ceræ albæ q. ſ. ad conſiſtentiam cerati; & ſindone rubra coopertum lumbis applicetur.*

9\. Si neque illa iuuerint, fiat fotus ſeu epithema ſequens, cum ſpongiis immerſis, & expreſſis, vt fieri ſolet, pro lumbis: ℞ *florum roſ. rub. exſiccat. m. j. granorum ſumach, myrtill. hypocyſtid. ana ʒ ß. cupular. gland. ʒ ij. ſantal. rub. citrin. ana ʒ j. ß. malicorii ʒ iij. coquantur in vino auſtero ad tertiæ partis conſumtionem, pro ℔. j. ß. & fiat epithema, quo lumbi forinſecus cum ſpongia madefacta & expreſſa irrigentur; idque pluries iterando: mox inunctis rurſus lumbis cum vng. roſ. & infrigidante Galeni, applicetur ceratum ſupradictum; & ſi velis adiicere exiguum vnguenti comitiſſ. magis conferet vrinæ cruentæ.* Hæc ſunt, quæ egregie conferre exiſtimo ad tuam ſanitatem recuperandam. Ex noſtro Muſeo, 25. Iulii, anno 1581. Petrus Foreſtus hæc conſuluit.

SCHOLIA.

10\. SÆpius ſanguis mictum ſolo lacte ouillo, nempe *ſumendo ℥ iiij. lactis & ʒ j. boli armeni veri,* curaui. Hoc idem expertum a Gatenaria, qui tamen præcipit, ne poſt eius aſſumtionem aliquis dormiat, neque ſe exerceat. Si longo tempore duret ſanguinis mictus, conſtringentibus vtendum tam intus, quam extra, vt in nobili muliere, quæ vltra duos annos laborauit mictu ſanguinis, quæ a me curata fuit, longo tempore admoto lumbis cerato Comitiſſæ; vti & Theodorus Duyſtius, eodem malo admodum diuturno affectus, curatus per me fuit, & alii non pauci, ex decocto quoque herbarum aſtringentium, & aliis prius præſcriptis, & ratione adhibitis. Ceterum iuxta cauſſas varias, vti diximus, curatio perficitur. Verum nunc de doloribus renum, qui ab obſtructione eorundem fiunt, agamus: & antequam ad exempla curationum procedamus: ſciendum eſt, quod renes aliquando exitialiter doleant, ob varias cauſſas, vt in principio huius libri diximus: ſed ex oppilatione vitium adeo graue eſt, vt periodicos dolores inferat, qui ſæpius repetunt: vt & ſi ab obſtructione renum fiant, vt exemplo ſequenti clarius demonſtrabitur.

OBSERVATIO XIV.

De dolore nephritico, ex renum obſtructione.

1\. VIdua chirurgi cuiuſdam Alcmariani, Nicolai dicti, annos quadraginta nata, Anno 1551. menſe Iulio, cum decumberet ex intenſiſſimo nephritico dolore, quem alias ſæpius paſſa fuerat, modo ex materia muccoſa, modo ex arenularum vel calculi obſtructione in renibus, ad eum dolorem diuerſis cum vſa eſſet remediis, etiam empiricorum ac muliercularum valde calidis & diureticis, ex quibus dolor adeo immenſe excreuit, vt amici ac aſtantes de eiuſdem vita deſperarent, atque extrema inunctione a presbyteris adhibita, me tandem vocarunt; cui ſtatim, vt hoc enema iniiceretur mandaui: ℞ *foliorum maluæ, parietariæ, betæ, mercurialis, florum meliloti, chamomillæ ana m. j. rad. althææ mundatæ ℥ j. ß. florum ſeu ſummitatum anethi p. j. ſeminis maluæ, lini ana ʒ ij. ſeminis fœniculi, aniſi ana ʒ j. coquantur in aqua communi pro ℔. j. cuius colaturæ adde caſſiæ mund. pro clyſt. ℥ j. ß. diacatholici, elect. hieræ picræ ſimplicis ana ℥ j. ß. olei chamæmelini, amygd. dulc. anethini ana ℥ j. ſalis communis ʒ j. ß. luteum vnius oui; fiat enema,* quo excreuit omnium primo materiam fuſcam, plumbeam, cœruleam, viſcoſam ad modũ argillę plumbeæ luti inſtar tenacis, in magna copia, vt ſimilem egeſtionem nunquam viderim, aſtantibus etiam admirantibus.

2\. Eaque materia per clyſterem reddita, cum prius mingere non poſſet, ſtatim minxit vrinam craſſam muccoſam turbidam, & poſtea etiam vna cum vrina quatuor lapillos ad magnitudinem fabæ reddidit: adeo vt etiam ilico dolor ille vehementiſſimus miraculi inſtar ſtatim ab iniecto clyſtere ſedatus ſit. Interim cum materia illa iam dicta, tum etiam lapilli, ex renibus depulſa forent, imperauimus vt bis in die ex decocto diuretico vteretur: ℞ *corticum radicum apii, petroſ. fœniculi ana ℥ ß. glycyrrh. raſ. ʒ j. folior. petroſ. virid. chærefolii ana m. ij. ſem. petroſ. Macedonici ʒ j. ß. ſem. chærefolii ʒ j. coquantur in aqua communi & vino Rhenenſi ad ℔ j. ß. dulcoretur zacch aro.* Eodem tamen die, cum clyſter iniectus eſſet, antequam decoctum præcedens biberet, iuſſeram ad maiorem lenitionem, vt ipſa vteretur decocto hordei, ficuum recentium & folior. maluæ in ſero lactis. Deinde decocto iam paulo ante dicto vtebatur; & ſimul loco dolenti ſequens cataplaſma appoſuimus: ℞ *flor. meliloti, chamomill. ana m. j. rad. althææ mund. ℥ ij. coquantur ad mollitudinem; & aqua effuſa adde iiſdem piſtis butyri recentis q. ſ. ad cataplaſmatis formam.* Quibus remediis adeo ſana facta eſt, vt dolor amplius non redierit.

SCHOLIA.

3\. REnum obſtructio licet fiat aliquando ab humore craſſo & viſcoſo, raro tamen (*teſte Fernelio*) & vix vnquam compertum eſt, vt a ſolo humore vel craſſo vel lento ren totus obturetur: a calculo autem & arenulis ſæpiſſime, a quibus etiam ſolis vrina ſupprimitur, vt poſtea

Νεφρῶν ἐμφράξις.

exemplis patebit. At quocunque modo sit obstructio in renibus, dolor lumbos exercet, vrina quibusdam supprimitur: sed apertis meatibus, ea nigra, multa, quandoque arenosa variisque humoribus mixtis emittitur, interdum etiam vrina cyanea, vt vidimus, quæ aliquando caloris vehementiam, aut defectum ostendit: quandoquidem sanguis intra renes, neque vnitur neque similis fit; vel interdum vnitur, vnde cyaneus ille color exit.

Cyanei coloris vrina.

4. Accedit & renum siccitas quædam, qua sanguinem in sese non immutant, vnde vix ea membra aluntur & sanguinem ipsum in substantiam albam male vertunt, vnde adustio redditur, & cyaneo quoque colore efficitur vrina. Ea siccitas ex ventris & musculorum tensione deprehenditur, & vniuersa corporis habitudo macie conficitur, vt in multis & nos conspeximus, qui talem vrinam reddebant. In summa, vrina arenosa, cyanea, spissior, turbulenta, sedimine veluti granuloso, renum imbecillitatem ostendit, & imminentem calculum: ruffa vero malum protrahi, limosa cum variis humoribus augeri dolorem indies significat. At huius viduæ vrina erat crassa, turbulenta, limosa, ex materia etiam pituitosa obstructionem in renibus esse demonstrans. Fit etiam aliquando obstructio a pituita in modum pilorum conuersa, ex caliditate renum, aut alio modo, eiusmodi pili generantur; quemadmodum & Galenus meminit 4. aph. 76. de quodam qui pilos mingebat, & corpora longa incredibilis longitudinis. Hic toto anno comederat orobum, fabam, caseum tenerum, tum aridum & vetustum; qui ab exenuantibus & incidentibus medicinis fuit curatus, atque alio victu humectante adhibito. Appellat autem Galenus in commento eiusdem aphoris. hoc vitium capillitium. Ita *vt 6. lib. de locis affectis, cap. 3.* inquit: *Ea vero quæ pilis similia sunt, Hippocrates quoque cum vrinis excerni vidit; quemadmodum & in aphorism. scripsit, ac ipsi etiam vidimus aliquando, quæ semipedis longitudinem æquarent; interdum etiam iis longiores, nonnunquam valde exigua; vt mirarer quomodo in renum spatio talia possent consistere: proinde probabilius mihi videbatur in venis huiusmodi res procreari. Quemadmodum in quodam Arabiæ loco (vt aiunt) in tibiis hominum dracunculi vocati nascuntur, neruosa natura, colore longitudineque lumbricis similes. Igitur quum multos audiuerim, qui sese vidisse eos dicerent, ipse vero nunquam viderim, idcirco neque de ortu, neque essentia ipsorum quicquam exacte conicere possum: At vbi pilos meiendo excretos vidi, tum ex colore, tum ex mole credidi dicentibus eos ex crassa lentaque materia, quam calor calefecit exsiccauitque, in venis consistere; quanquam longitudinis ipsorum caussam non intelligo, Verum quum primum eos vidissem, curationem a medicamentis, quæ vrinas ciere possent, tentaui; quam postea experientia comprobauit. Omnes vero quotquot huiusmodi affectu laborare consueuerant, neque ante ipsum, neque rursus post ipsum nephritico aliquo accidente fuerunt molestati; sed medicamentis quæ vrinam ciere possunt, plene fuerunt curati.* Hæc Galenus, *lib. 6. de locis affectis, cap. 3.* Nos quoque & in opere practico tales vrinas sæpe conspeximus. At Fernelius ipse doctissimus vult, quod mictio filis aut capillamentis conspersa fiat, vel a lenta pituita, quæ in vreteribus; vel a seminis excremento, quod in vasis spermaticis longitudinem hanc adipiscatur. At ex humoribus crassis viscosis, oppilantibus in renibus dolores haud exigui fiunt, vt obseruatio præcedens manifeste demonstrauit: quemadmodum & sequens clarius ostendet.

Pilos mingens quomodo a Galeno curatus fuerit.

5.

Capillitium quid.

6.

Observatio XV.

De renum dolore ex obstructione a materia frigida.

1. Renes quandoque obstruuntur ex materia frigida; idque etiam frequentius ex iis, qui victu frigido perpetuo vtuntur; maxime vero piscibus: quod multoties fieri conspexi in Carthusianis pisciuoris apud Delphenses, eorum medicus tunc exsistens, quibus & dolor nephriticus ex obstructione sæpe per periodos reuertebatur. Qui cum a piscibus abstinere non possent, consului vt squamosis tantum vterentur & saxatilibus, vel saltem iis, qui in aquis mundissimis degerent, longe a lacubus, & stagnis & vrbibus, qui per cloacas nutrimentum recipiunt, & potius assis quam elixis, cinnamomo aut alio aromate conditis. Imperaui quoque *vt versarentur in aere subtili, sereno, modo possent: ventosum vitarent aut impense calidum vel frigidum, licet magna ex parte sub tecto viuant & in cellulis vitam consumant, & vix in aerem apertum prodeunt, nisi cum animi laxamenta habeant, tunc enim extra claustra prodire possunt: vbi talia contingerent, aerem iam dictum eligerent.* Panem fermentatum concedebam, *sæpe exiguo adiecto, tum modico anisi semine, vel cumini insperso, antequam in furno apto coqueretur. Azymum & panem siligineum & quæcunque ex crustis artocrearum constarent, vt fugerent iussi, vt & mespila, sorba, castaneas, & placentas, & quæ ex caseo conficiuntur.* Et quanquam abstinentia, qua isti vtuntur, vtilis quidem videatur, ne talis obstructio contingat, vel calculus gignatur, victus tamen ille quo vtuntur, obstructionem sua viscositate & frigiditate facile producit: quare nihil præstantius esse poterat, quam vti ouis sorbilibus & mollibus & olusculis *ex chærefolio, petros. beta, spinachia, asparago, & hyssopo, saluia, maiorana, melissa, caulium iure ac pisorum: sed a leguminibus omnibus in substantia abstinendum suasimus.* Vinum Rhenanum odoriferum concessimus; a musto & crassa ceruisia abstinentes, & vt rarius oryza cum lacte (*vt soliti sunt facere*) vterentur præcepi. Quod ad medicamenta attinebat, cum aliter sit procedendum tempore paroxysmi, dum eiusmodi dolorem patiuntur, ita vt quibusdam vrina retineatur, aliter tempore interpolationis. Ideo cum minus afficiantur extra paroxysmum, iubebam vt in autumno & in vere, si procliues essent ad vomitum, eo vterentur, post cibum prius comestis beta ac piscibus salsis, raphani decocto, cum ficubus. Et extra paroxysmum iubebam, vt materiam pituitosam viscidam

2.

& cras-

3. & crassam, quam ex continuo piscium esu coaceruabant, digererent cum oxymelle simplici, composito, diuretico, & scyllino, aliisq; conuenientibus: & deinde purgarentur cum diaphoenico & elect. indo. deinde ad elect. diuretica, vt lithontripi ducis, & similia deueniebam, & etiam ad illa quae ad renum calculos postea describemus valere. Renibus quoque inunctis cum oleo anethino, chamaemelino, etiam scorpionis; sed non tempore magni doloris. Tunc enim omnium primo clystere anodyno iniecto etiam fotus anodyni conueniebant, in hunc vel similem modum descripti. *℞. folior. maluae, viol. mercurialis, betae, parietariae, florum chamomill. meliloti, summitatum anethi. ana m. j. sem. anisi, maluae, lini, foeniculi. ana ℥ j.ß. coquantur in aqua communi. pro ℔. j. adde olei amygd. dulc. anethini, chamaemelini. ana ℥ j. mellis ℥ ß. benedictae laxat. ℥ j. salis ℥ j.ß. misce, fiat clyster.* Vel etiam postea, cum oleo chamaemelino anethino, *adiecto decoct. flor. chamomill. meliloti, flor. ros. rub. ad roborat. sem. lini, foenugraeci, fiant fotus cum spongia.* Hoc modo a dolore quosdam ex his iam dictis curauimus: facilius autem alios, quibus victum commodum ad libitum, eiusmodi legibus non adstrictis, praescribere potuimus.

SCHOLIA.

4. *Obstructio quinam tollatur.*

SI ex humoribus oppilantibus vitium fuerit, ii extrahendi, distrahendique sunt, si fluere non desinunt: iuuat, si opus est sanguinis missio, vomitus ac deiectio: prosunt & modice aperientia, demum diureticis opus est, quae materiam ex toto per vrinas deturbent: ea tamen ante deiectiones diuersionesque omnino damnantur: importune enim materiam ad vrinae meatus locumque doloris secum contrahunt, initio praesertim morbi: ob id necesse est perpurgatum reddi corpus. Sed & nephriticis omnibus aluum infusionibus mollire aut leuiter ducere inprimis prodest. At ex humore frigido viscoso saepe oppilantur renes, vnde facile in calculum incidunt. quo modo tales curentur breuiter etiam diximus Scholio *Obser. 2. huius libri.* Aliquando fit etiam obstructio ab humoribus calidis, licet rarius, cuius exemplũ ponit Gordonius de iuuene quodam, qui experiebatur dolorem in parte posteriori in spina dorsi, quod & arenulae in vrina rubrae ostendebant, cuius oppilatio patebat ex paroxysmo & vrinae retentione, & ex eo, quod cum curaretur, inde subsequabatur multitudo lotii. Eueniebant haec maxime in fine lunationis. Similiter debilitatem adesse animaduertebat ex mala intemperie, & dolore, qui per decem annos eidem adhaeserat, atque nunc intemperies confirmata erat, & virtus debilitata ratione sui instrumenti, ita vt renes minus purgarentur, vnde intermittebat malum, sed rursus coaceruata materia dolor redibat. Nam & aeger biliosus erat, cum hepate calido, & oculis croceis, tempore paroxysmi admodum calidus manebat, & in renib. calorem sentiebat. Quod autẽ morbus esset materialis, etiam & illud patebat, quia soluebatur paroxysmus cum euacuatione multę materiae, & sentiebat iuuamen ex iis, quae & secessum & vrinam proritabat. Huic recte proscripsit, post feces communes eductas, venae sectionem basilicae, postea etiam saphenae, extra paroxysmum. Digerebat materiam cum syr. quodam apud eundem descripto, *part. 6. cap. 8.* de passionibus renum & eorum dolore, qui ita paratur. *℞. end. scariol. lactuca. ana ℥ ij. succi cucurbitae. ℔. ß. flor. nenuphar. viol. borag. ana ℥ iij. prun. xxx. aceti albi ℥ ij. panis zacchar. ℔. j. fiat syr.* deinde purgabat materiam digestam *cum elect. de succo ros.* Mitioribus tamen praestat vti, ne materia ducatur ad renes. Locum inungebat vng. parato *ex succi vmbilici veneris, oleo ros. & cera alba.* Ceterum reliqua vide de curatione ex caussa calida & materia calida: & ex frigida vel pituita, *Schol. 2. Obseruat. huius libri.* quibus adiungere potest ea, quae Benedictus Veronensis annotauit *cap. 15. lib. 22.* de humoribus renes oppilantibus, & dolorem inferentibus.

5.

OBSERVATIO XVI.

De dolore renum, cum mictione multarum arenularum.

1. DOlebat in renib. adolescens, & aegre aliquando lotium reddebat cum multis arenulis, ita vt maximus metus de calculo foret. Vt illum curaremus: prima intentio curandi ad hunc scopum pertinebat, vt omnibus modis prohiberemus generationem calculi, cum eiusmodi aerenulae, *vt in Scholio latius ostendemus*, facile in calculum coeant, & vt simul dolorem mitigaremus, & materiam renes obstruentem & lotium impedientem euacuaremus. Praecepimus igitur inprimis, vt aerem crassum, turbidum & pluuiosum vitaret, qui tales humores facile incrassat: & similiter vt abstineret a vino nigro crasso turbido, dulci, ab aqua stagnali, & aqua valde frigida: vinoque subtili subinde vteretur, non tamen potenti, sed albo nempe Rhenano, aquae virtute sua, substantia & colore assimulante: nam tale vinum repurgat vias vrinae, & Galen. eo vtitur *11. meth. medendi*, in febribus ad vrinae prouocationem, Pane quoque vt vteretur mandauimus, non omnino a furfure mundato, bene fermentato & aliqualiter salito: at azymum praecipue vitaret. Sed vt carnibus vteretur paucarum superfluitatum, optimi succi & facilis concoctiones, vt sunt carnes lepusculi, pullorum, perdicum, phasianorum columbarum, turturum, & similium. 2. Imperauimus etiam, vt ab animalibus aquaticis omnino abstineret: itemque a lacte, caseo, & omnibus rebus tum fructibus frigidis & humidis, & vt temperato exercitio vteretur, & somno septem horarum, capite eleuato; & omnibus modis procuraret, vt arte vel natura quotidie aluum deponeret. Diligenter etiam haec obseruando. Inprimis quod non comederet nisi appetitu & desiderio ad ipsum cibum sumendum instigante, neque in eadem mensa diuersa caperet fercula, neque repleret se multo cibo aut potu, sed recederet a mensa cum reliquiis famis. abstinẽdo quoque a coitu vehementiore & animę accidentibus. Imperaui, vt bis in mense caperet cassiam recentem, ex cannis tractam, ad vnciam vnam. Materiam digerebam hoc vel simili syr. *℞. syr. de dua-*

3. *bus rad. ex infus. ros. ana ℥ j. mellis ros. colati, syrup. acetos. simplicis. ana ℥ ß. aquæ decoct. chærefolii. fœniculi. capill. ven. ana ℥ iij. fiat iuleb. pro iij. dosibus.* Purgaui eundem hoc modo. ℞ *diacatholici. elect. lenitiui, diaphœnici. ana ℥ ij. aquæ decoct. rad. fœniculi, petros. ℥ iij. mellis ros. colati. ℥ ß. misce.* Ad dolores mitigandos clysteres lenientes iniecimus, & fotum in lumbis ex anodynis administrauimus. Postea etiam iis adhibitis, quæ ad calculos faciunt, *de quibus in sequentibus, latius dicemus.* Attamen primo omnium ventrem clystere molliendum censuimus. Renes enim oppressi stercore, grauius dolent, liberati, leuius: & ex eo minori negotio arenulę sabulum & crassior materia, quæ facile in calculum concresceret, excluduntur. Aluo sic quoq; lenita, vnctionibus & fomentis balneisque lenientibus atque laxantibus commode vsi sumus.

SCHOLIA.

4. Ψαμμώδης νεφρὸς. ARenulæ autem (*vt Fernelius quoque testatur*) non interiore cauo, sed in propria renum substantia proueniunt, a qua duræ sunt ac rubræ & renis substantiam coloremque retinent. Illius fluentis vrinæ impetu feruntur in cauum, prolabunturque in vesicam per vreteras, & vrinam reddunt arenosam. Si curatio negligitur, tempore crassescunt illæ, vel mutuo adhæsu inter se colligatæ calculum coagmentant atq; componunt. Attamen nos vidimus renum sinum calculis exiguis repletū fuisse, post cadaueris sectionem: quasi parui lapilli non solum in sinu & concauitate renum, sed in ipsa substantia infarcti erant, vt nos spectauimus in Domino de Abbenbroek. At in renibus cur tinguntur fere rubro colore, vt rubrum intelligas & flauum & ruffum iusta ratione, quod & in Arenis videre licet. Hoc autem fit ideo quod a sanguine, calore loci, & partis colore, tingi solent. Suntque minus duri, asperi & magis friabiles, quam in vesica. Ergo magis ex arenulis coalescunt. Cur igitur multi arenas mingunt, neque calculosi sunt? Caussa est in promtu, inquit Hollerius: *Non enim coguntur, nisi viscido aliquo & crudo humore tanquam glutine, opus est tempore.* Vbi igitur obstructio est a crassis & viscidis humoribus, & acrior vrina ac magis feculenta, angustiores meatus, calore superueniente a quacunque parte, (*vt hepate, corde, renibus,*) quid diu impactum fuit in meatu: induratur, & lapidescit, figuramq; accipit a sinu in quo est. Neque impedimento est, quod nonnulli respondent ex calculo arenulas fieri, non contra. Cur enim qui generantur in vesica, in arenulas raro dissoluuntur. Neque etiam ob id necesse est in calculo renum semper arenas excerni cum vrina. Nam in multis dissectis probatum contrarium, qui calculosi sunt inuenti, cum neq; arenas meierent, neq; laborarent vrinæ difficultate, infosso calculo in substantia renum. Archigenes & Philagrius arenas reddi volūt, cum iam calculus e rene in vesicam descendit. Vrinæ quoque aliquando arenosæ ex vesica: aliquando contra. Ita ab arenulis & a materia terrea atque adusta, (*sed multo frequentius ex crudo succo, ac viscido, quo etiam coguntur arenulæ*) calculos oriri consentaneum est, aliquando arenulas ex renibus in vesicam labi, sed ex ipsius vrinæ fece resoluto humore posse fieri, a calore stomachi ipsius, *vt ait Hippocrates:* quales in matulæ fundo apparēt. Sic multi arenulas aliquando vel sabulum mingunt, neq; renes calculo afficiuntur, neque vllum dolorem in renibus patiuntur. Sed quouis modo sit obstructio in renibus, de quibus nunc loquimur, siue ab humore viscido, siue ab arenulis vel calculo, dolor circa renes ægrum infestat.

Cur multi arenas mingunt, neq. calculosi sunt.

5.

OBSERVATIO XVII.

De nephritico dolore renis sinistri, ex arenulis in eo impactis.

1. ANgela Hugonis, mulier ita dicta, viginti sex annos nata, ceruisiarii illius vxor, pro cuius cupis *a* Græcum Delphis pro insigni erat, duobus mensibus elapsis cum grauidam se existimaret, in insignem dolorem lumborum & præcipue circa renem sinistrum incidit. Medicus ad eam prius accitus metuebat aborsum: adhibet tamen glandem hoc modo descriptam. ℞. *pulu. specier. hieræ picræ. ℈ ij. trochis. albandal. ℈ ß. mellis. q. s. salu parum, nihil eduxit.* Mox iubet vt obstetrix præsto adesset, si subito abortus superueniret. Exhibet hanc potionem, cum aluus omnino resisteret. ℞. *aquæ melissæ ℥ v. in qua infunde folior. senæ ℥ ij. rhabarb. elect. ℥ j. schœnanthi. ℈ ß. flor. chamomill. p. j. liquir. ras. ℥ ij. fortissim. express. adde syr. ros. comm. ℥ j. misce, fiat potus.* Sed eodem medico peregre profecto, nec redeunte, obstetrix accersita abortum futurum exspectabat. Tandem dolor cum ingenti cruciatu renem sinistrum magis occupabat, & e directo ad coxendicem declinabat, neque poterat in latus decumbere sanum. Duobus postea elapsis diebus, cum præ nimio dolore animi fere deliquium incurreret, medico non reuertente, ipse accitus fui. Putabant autem partus conamina esse. At ego dolorem nephriticum iudicabam, ex arenulis reni sinistro impactis, non tamen in vretere, alioqui dolor adhuc multo grauior & vehementior fuisset. Omnia autem euomebat, etiam

2. potionem illam, quam prior medicus dederat. Ter balanum immitto: sed aluum non deposuit. enema, cum grauida esset, neque admittebat. Iubeo tamen locum dolentem, vt inungeret linimento sequenti. ℞. *muccaginis seminis althææ, maluæ, extractæ cum aqua maluæ. ana ℥ ß. ping. vituli, gallinæ. ana ℥ ij. olei ros. viol. chamomill. anethi. ana ℥ ß. vnguen. ros. ℥ ij. misce, pro linimento.* Similiter præscripto hoc potu, quem cochleari paulatim deglutiuit. ℞. *mannæ, granatæ selectæ ℥ x. dissoluantur cum modica aqua maluæ, & fortiter express. adde syrup. ex infus. ros. rub. commun. ℥ j. ß. syrup. acetos. citri. ℥ ß. misce.* Retinuit. Sed post duas horas semel vomuit, nocte tamen deinde subsequente egregie aluum deposuit, omni quoque sedato dolore, nec aborsum passa est: deinde lotium reddidit prius turbulentum. Mox vna cum lotio arenulas rubras non tamen calculū reiecit, & perfecte curata fuit. Dolor itaque ille non erat parturientis, sed ex obstructione

5. ctione humorum crassorum in renibus contentorum, simul cum arenulis rubris; quæ ex calore renum indurate procul dubio a renib. per vreteres tandem in vesicam deturbatæ per lotium expellebantur. Non tamen semper eiusmodi arenulæ rubræ, vel etiam calculi rubri, in renibus nascuntur, *vt etiam Fernelius testatur*. Et propterea iis non semper credendum, qui calculos albos in vesica duntaxat rubros in renibus nasci affirmant: nam purulenti renes albos quoq; proferunt. Tamen magna ex parte, vt alii omnes volunt, calculi pleriq; rubri sunt, qui in renibus nascuntur, quamuis arenulæ, vt antea diximus, subinde absque calculo exeunt, vt in hac muliere, quę post humorem crassum & viscidum arenulas tantum sine calculo per lotium emisit: quæ caussæ fuerunt huius doloris & obstructionis.

SCHOLIA.

4. νεφριτικη ὀδύνη.

NEphriticus dolor, *teste Fernelio*, acerbissimus est renum cruciatus, aut certe vreteris, cuius est eximius sensus. Is in renis situ fixus, alterutro latere stabilis est, nisi quod interdum vel ad coxendicem, vel ad testem, qui e directo iacet, vreteris tractu protenditur. Non vt colicus dolor in ventrem medium aut in omnem illius regionem murmure quodam euagatur, neque semper citata & expurgata aluo discussisque flatibus mitescit: sed immanitate & ferocia peritonæum conuellit: hinc viscera & ventriculus subuertuntur, ac primum quidem pituitosa, deinde biliosa vomitione reiiciunt. Vrina quum malum incipit pauca, tenuis, & aquosa est, interdum vero supprimitur: Postea copiosa, crassa & arenosa exit, eaq; ardoris quodam sensu ad crebrius meiendum compellit. Decubitus in ægram partem dolorem demulcet, in aduersam exasperat. Creber admodum est ac multis frequens hic dolor, colicus vero rarus. Tanti cruciatus neque inflammatio, neque sanguinis grumus, neq; crassus humor solus caussa statui potest, quod mollis ac fluidus facile obsequatur, quodq; obseruamus crassiorem mucum, imo & concretum pus, nullo sensu e renibus facile prolabi. Erat hic tamen dolor satis vehemens

5. in hac muliere, licet ab arenulis crassa viscosa materia ren obstructus dolore, nempe sinister, fatigabatur. Sed vnus calculus caussa fit doloris, vbi dolor acerbissimus adest, qui (*vt idem refert Fernelius*) crassiusculus, inæquabilis ac scaber, dum per angustum vreterem deuoluitur, hunc magna vi dilatans atque dilacerans per quam immaniter excruciat. Iis qui iam pridem nephriticis doloribus erant assueti vsque adeo dilatatum vreterem, aliquando comperimus, vt in eum maior digitus immitti posset. Per hunc mediocres calculi, sine molestia excidebant, qui olim non nisi summo cruciatu procidissent. Qui vero aut nondum, aut certe raro, & leuiter nephritico dolore tentati sunt, minimo calculo distorquentur, & si sunt arenulæ, cum minori molestia per medicamenta lenientia cum vrina exeunt, vt huic mulieri contigit, quæ etiam vrinam postea turbulentam reddebat sine calculo. Hunc autem dolorem a colico discernere in primis arduum est, quia nihil excedere manifesto deprehenditur. Sedato atque restincto dolore, etiam atque etiam cōsiderandum, dolorisne caussa in vesicam exturbata sit, an in renis cauum remeauerit? Si exturbata est, cauendum, ne illic subsistat, & assiduo materiæ appulsu in vesicæ calculum coagmentetur. Iam vero eiecto cum vrina calculo, æstimandum solidusne sit, an ex arenularum adhæsu compactus. Ex iis namque medendi ratio constituitur. Interea arenulæ sic mutuo adhæsu inter se colligatæ, calculum, *auctore Fernelio*, coagmentant atque componunt, vt etiam antea diximus ex eodem. Hic dein e renis substantia (*vt idem refert*,) exturbatur in cauum, cumq; euellitur, renis partem cui adhærescebat, sine doloris sensu diuellens, & quasi dilacerans, saniem prolicit, quæ pariter cum vrina profunditur, eamq; crassam, turbidam subnigramque reddit. Id enim sæpe & nos obseruauimus in quibusdam, qui talem vrinam mingebant, calculo renum laborantes. Calculus autem exceptus renis capacitate, si exiguus est, non multo post tempore in caput vreteris se infert, ex quo magna vi summoque dolote nephritico in vesicam procidit. Si crassiusculus est, aut salebrosus & asper, in via diutius hæret, & magno cruciatu vreterem dilacerat. Sed & nonnunquam in renis capacitate subsistit ac permanet, quū præ crassitie non satis lata illi est vreteris via. In illam contrusus & exagitatus, acerbum sæpe dolorem mouet, quum præsertim prosilit, atque se infert in vreteris caput: at is mitescit calculo remeante in renis cauum. Hic (*nisi tempore procidit*) assiduo arenularum appulsu coagmentatur in verum renis calculū, cuius nec vna semper est magnitudo, nec vna forma nec color vnus. Confirmatus fere renis cauum implet, consuetasque arenulas exire prohibet: ac proinde renum calculus veteres dolores nephriticos obtegit & dissimulat. Perfectum in rene hunc esse docet affectæ partis grauitas, ob quam vix spina dorsi inflectitur: cuius tamen dolor, non vt is, quem destillatio peperit, externarum partium pressu admodum manifestus est. Nullo tumore foris conspicuo obtusioris cuiusdam doloris sensus inest, præsertim quum aluo suppressa ren ipse vel flatu vel fece premitur, aut quum decubitus est in aduersum latus, aut quum vehementior est exercitatio. Nephriticus dolor ex interuallis citra calculi excretionem redit: per laborem & duram equitationem vrina profluit cruenta, tum quippe calculus suo pondere & attritu renem contundit, ac plerunque sine sensu dilacerat, exulceratque, e quo sanguis cum vrina profunditur. Cruris quod e directo affecti renis est, torpor quibusdam inest molestus. Calculi materia est crassus & viscosus humor, in renem pariter cum sanguine eiusq; sero excurrens, qui alias ex cruditate, alias ex torrido terrenoque sanguine processit. Efficientem caussam omnes quidem profitentur immoderatum esse renum calorem, qui humores perurens, siccans & obdurans, cogit in lapidem. At certe alia statuēda caussa efficacior

6.

Νεφρῶν λιθίων.

7.

Signa perfecti calculi.

Calculi materia.

8. *Caussa efficiens calculi.*

longeque crebrior, insita renum arenosa calculosaq; constitutio. Hanc quisquis a parentibus contraxit, vix vlla ratione calculi tormenta effugiet; quandoquidem hoc vitium omnium est maxime hereditarium, vt non paucis pariter cum renibus calculus procreetur. Adiuuantium porro caussarũ præcipua est otium, somnusq; diuturnus, de cubitu supino, *Hactenus Fernelius*. Sed exemplis subsequentibus omnia lucidiora euadent.

Observatio XVIII.

De dolore nephritico ex renum obstructione ac calculi metu.

1. Magister Petrus Zegerus, apud Haghenses Canonicus, Frater Domini Wassenhouii, Consiliarii & equitis aurati (*de quo etiam egimus in lib. nostris de febribus*) dolorem nephriticum circa lumbos patiebatur, lotium sabulum non continebat, sed resolutiones pituitosæ in eodem spectabatur. Vnde obstructionem in renibus esse percepi, quæ cum facile in ardorem vrinæ permutari posset, si huius materię fieret putrefactio aut corrosio, vias vrinales vlcerando, vel si retineretur materiæ limosæ pituitosæ, ex leui calfactione renum (*cum dolor nephriticus adesset*) calculum in renibus inferrent. Quare eidem dixi præcautione opus esse, cum is quoque calculum metueret, non sine caussa, materia limosa apta exsistente, vt in lapidem facile concresceret. Præseruatio enim præclarior ipsa curatione exsistit: multo enim præstat morbũ prorsus non admittere, quam admissum expellere: quemadmodum gubernatori nauis longe præstabilius est ante tempestatem exortam portum ingredi, quam fluctuatum periclitatumq; e mari euidere. Cum enim parentes eius calculo obnoxii fuerint, vt fertur, ideo maxime cauendum illi est: nam & hoc vitium inter hereditarios morbos numeratur, propterea si quis in eo metu securus non fuerit, aut eo vitio natura tentatus fuerit, ne illa valetudine corripiatur integer obseruare debet: atque hæc vitanda sunt calculum timentibus, ne curru primum, neque equo concutiantur aut pila parua, athleticaque exercitatione sese multum

2. fatigent. Etenim his & iis, qui calculo laborant vel eum metuunt, quemadmodum desidia valde noxia est, ita rursus neque iis magnæ exercitationes conueniunt, veluti equitationes, aut armis aut lucta, aut pancratio certare, aut humum fodere, aut id genus aliud facere, *Galeno teste 6. de morb. vulgar.* At cum Dominus Canonicus iam ætate grandior, vitam potius quietã & otiosam agat, non opus est de his eundem admonere, satis erit loco exercitii, vehementioris, leui deambulatione vti. Nam ex vulgo magis offenduntur qui fabrili arte aut fornacia, vti & pistores, vtuntur. Omnibus tamen obest thermarum vsus, multaque vestimenta, ac mollis culcita. Vnde & Alexander Trallianus admonuit, *ne culcitis indormiant ex anserum plumis, cum renes valde calfaciant, non minus, vt arbitror, ex cygnorum plumis.* Cinctus item latus atque arcte pressus nocet, quo Dalmatæ vtuntur. Cauendum quoque ne frigore pedes corripiantur: nocent quoque super lapidem longæ sessiones. Iuuat igitur cœli temperamentum, leuesque deambulationes. Fatigationem vero, ac plurimum otium, somnumque meridianum, damnamus; sicuti & nimiam Venerem. Sed cum Canonicus sis, & cœlibem vitam agas, vix de ea meminisse oportuit. Sic aluus soluta assidue proderit, modo ne instet aliud quippiam. Cum namque

3. probe excernet, vrinæ profluent libere. Ab immodicis animi affectibus cauebis. In victu vero, cruditas ac crapula vitanda erit, & quæcunq; succum generant crassum aut lentum, quale e similagine confectus panis, vel si male fermentatus fuerit, vel inepte coctus. Damnantur oua, *Præsertim dura, ac fricta, caseus, pultes, ex tritico cibaria, vel farre, legumina fere omnia, lens, oryza: inter obsonia bubula caro, hircina, ouilla & suilla, gelu cuiuscunque generis, anates palustres, anseres, interanea.* Præterea a mensa esse debent, renes, corda, & iecora, præter gallinacea. Omnibus pisces vitandi sunt, *grandiusculi præsertim, acetaria omnia, quales caniculæ sunt, raia, squatina & murenæ, anguillæ, pastinaca*, quæ selach appellauit Aristoteles primus: nos cartilaginea vocare possimus. Et mollia quoque damnantur, *sicuti vrtica, loligo, sæpia ac polypus.* Et omnia cancrorum genera, sicuti quos carabos vocamus, locustas, & astacos, in conchаrum genere ostreas, conchylia, pinas, & echinos, & quæcunque sanguine carent. Immaturi præterea fructus, acerbi, ac asperi vitandi sunt. Siliqua, sorba, mespila, pyra immatura ac cytonia mala, persica. Valent tamen vuæ passæ, amygdalæ amaræ, & cerasorum nuclei. Acria quoque non laudantur, præter porrum & armoraciam, sicuti inter olera quæ vehementer calfaciunt; inflam-

4. mant enim renes: Veluti inter aromata piper vtrumq;, ac macropiper cum zingibere. Inimica traditur esse tuberum ac fungorum natura, & carnes salitæ fumoque induratæ, piscesque saliti, & qui in piscinis stagnisque limosis victum quæritant, & pastæ ac laganæ. Vina præterea multarum virium austera damnantur, Rhetica, Cretica, Falerna, nigra præsertim, atra, ac dulcia, qualia ex Dalmaciæ insulis vehuntur, & Martionea, Patauina dulcia & atra, & Hispanica. Musta omnia inutilia sunt. Rhenana mediocriter sumta conueniunt, nempe subtile & aquosum crassum, rubrum ac musteum nullo modo. Ceruisia sit clara, non admodum recens; at crassa, turbida, vitanda. Sunt & aquarum vitia. Inueniri fontes audiuimus, quorum haustu calculi progenerantur: palustris damnatur & ex liquata niue. Aquæ cisterninæ salutares sunt: salsuginosæ insalubres. Cibi vero conueniunt hi: *phasianus, perdix, & attagena, præcipui saporis, primas tenet partes, & turdi, alaudæ, merulæ, ficedulæ, luscinіæ, & his similia, pulli quoque gallinacei columbaceique:* & est præcipuæ gloriæ auis, omnium, præter regulum (*inquit Paulus*) minima, quo vno maior habetur, colore haud dissimili, medio inter cinereum & viridem, acuti rostri, in muris & parietibus degit, Troglodytes vocatur, peculiari auxilio celebratur, ad hunc vsum facile asseruatur. Nam & recens

recens deuoratus calculos eiicit, gignique prohibet, tostus item cum pennis viuus aut cinis per se siue cum exiguo pipere ex melle potus idem præstare dicitur. Quotidiano vsu vtilis est vitulina caro, hœdina, veruecina, capreoli, leporis tenelli; herinacea peculiarem ad id vitium medelam facit. Hæc de victus ratione & vitæ instituto satis. Quod ad medicamenta attinet, ne ex materia illa pituitosa, quæ per vrinam exit, in calculum cócrescat, ventrem subinde lenies; vbi aluus nō satis respondeat, sumta vncia vna cassiæ in bolo, adiecto saccharo. Si dolor renes lancinet, clyster leniens iniiciatur omnium primo: eo enim dolor leuari solet; vbi etiam dolor vrget, vomitus ciendus erit a cibo: sæpius tamen sponte euenit, vbi lapis adest, quamuis ex vomitu non tollitur: ex vomitu tamen situm lapidis dolorosum minus fieri contingit: nam dolor non solum mitior redditur, sed & lapis mouetur a loco: in quo impactus dolorem facit. Quia vero hic tantum metus est de lapide seu calculo, cum materiam pituitosam conspexerim in tuo lotio, ideo eam ipsam præpararem cum melle rosa. oxymell. simplici, & purgarē primo cum syr. ex ros. pallid. cum agarico; & singulis mensibus acciperem has pilulas: ℞. *pilul. cochiar. de agarico ana* ℈ j. *pilul. aurear.* ℈ ß. *cum aqua betonica; fiant pilulæ v. Vti poterū aliquando terebinthina.* Ea enim egregie ad cautionem calculi facit, potius quam ad exclusionem; qua & multis modis vti posses. Vncia vna terebinthinæ inuretur in lamina ferrea candente, vt possit infriari. Accipies ʒ ij. *eius pulueris, cum aqua vel decocto maluæ, parietariæ vel chærefolii.* Hoc etiam faciet ad ardorem vrinæ. & si ardor adest, detur cassia in bolo ℥ j. *adiect.* ℈ j. *trochisc. alkakengi, sine opio.* Sed & hoc medicamentum etiam excludendo calculo satis esse poterit, vbi prius lenieris & relaxaueris: ℞. *terebinthinæ* ℥ ß. *lithonthribon* ʒ ij. *misce, fiat bolus.* Sed & hoc exhiberi potest tempore paroxysmi: ℞. *terebinthinæ lotæ in aqua halicacabi* ʒ ij. *pul. tragac. & glyc. ana* ʒ j. ß. *incorporentur in* ℥ ß. *cassiæ, cum zacchara; fiat bolus.* Existimarem hæc omnia supradicta vtilia fore, cū etiā pituitosus sis: abluta enim pituita, & sæpius his supradictis abstersa & potissimum terebinthina, spero quod dominatio tua minus calculo detinebitur. Hæc proculdubio ad hanc obstructionem & calculi metum hoc tempore sufficient.

5.

6.

SCHOLIA.

7. MVltis in partibus corporis humani calculi generari possunt; quemadmodum & nos diximus Scholio *Obser.26.lib.14.* Nam & ex lingua erupisse vidimus. Id similiter vidit Iacobus Forliuiensis, medicus insignis & præceptor Guainerii, in quodam Nicolao de Summa Rippa. Auenzoar similiter refert *lapidem generatum sub lingua, cap. de nocumentis renum, in principio.* Idem & Beniuenius testatur in pharmacopœo Mariotto; & in tunica hepatis repertum fuisse lapidem in matrona nobili. Et nos quoque in nobili muliere ex intestinis per anum excretum spectauimus. Ex pectore quoque, tum in tunica fellis, etiam post mortem vidimus: & Langius e faucibus erupisse scribit, *vt loco iam citato recensuimus.* Hollerius obseruauit concretos in capite & vtero mulieris, cui dissecandæ in Scholis publice præfuit. Gradus supra Rhas. *capit. decimoquarto, de lapide renum & vesicæ* scribit, *aliquem sibi familiarem & fide dignum vidisse lapidem concretum circa carunculas mammillares ad quantitatem pineæ maioris durißimum, & per nares expulsum.* Multi quoque in folliculo fellis (*vt & nos vidimus*) leues, nigri, flaui, innatantes aquæ, qui quandoque excluduntur deorsum. In nobilissima muliere 53. repertos secto folliculo, vidit Interpres Hollerii in Aruernia. Nos quoque Delphis in domo Orphanorum, vt loco citato meminimus eos vidimus. Puero cuiusdam sudoris in mesenterio inuenti: Duabus mulieribus in pulmonibus; *vt & nos in alio spectauimus*: multis in articulis, iecore, liene, ventriculo. Adhærent sæpe vesicæ, cranio & vtero. Galenus meminit calculi in vtero. Musa mulierem refert ex ano quinque lapides reddidisse: quod vero simile est; nam pituita sæpe lentissima intestino hæret, quæ potest concrescere, dum satis non detergitur. Galenus *5. de locis affectis*, meminit cuiusdam, qui e thorace velut grandines exspuebat. Alberto Sauonarolæ mortuo decem calculi inuenti in vesica, magnitudine oui columbæ, & figura, singuli pendentes plus quam ʒ. v. omnes simul ℥ vj. *vt scripsit Musa.* Guainerius refert de rustico quodam, cui aluo admodum dura exsistente (*vt in quindecim diebus aluum non deponeret*) plures lapides in intestinis procreatos ad magnitudinem nucis etiam excretos vidit. Gradus quoque annotat Papiæ se vidisse mulierem ex colico dolore laborantem excreuisse octo vel decem lapides crassos ad nucis quantitatem, ac ab eo malo euasisse. Qui equidem sua crassitie, duritie, & ponderositate in terram proiecti sonum edebant. Ideo hic affectus multis partibus communis videtur, non vni soli ac eandem caussam habet, cum arenulis & aliis calculis ex materia viscosa retenta & per calorem cócreta, *vt postea suo loco plenius dicetur.* Attamen eo potissimum laborant renes, laborant vreteres, laborat vesica: aliquando & in colem descendit. Sed locus generationis est maxime, vbi excrementa, quæ ea arte feruntur, detinentur magis: & sunt renes primum, mox vesica. Atque in vesica quidem, quoniam non paruo tempore vrina in ea retinetur, & facit subsidentiam eo loco, qualem & videmus in matulis facere. At in renib. non retinetur, nisi modico tempore: sed propter loci angustiam, tale excrementum non facile truditur: Pituita putris & pus crassum aliquando repræsentant calculi signa, *vt in Præside quodam multa muccosa, viscida longo tempore quotidie expurgante.* Id & nos sæpe vidimus in Prætore Haghano Dammio dicto, & in Melchiore quodā Delphensi & aliis innumeris. At nunc de calculo seu lapide tantum dicemus, qui in renibus procreatur atque ibidem hæret, vel in vreteribus impactus, aut in vesica permanens, ægros subinde dolore conficit: & omnium primo de renum calculo seu lithiasi, tractabimus.

8.

9.

Observatio XIX.

De renum calculo.

1\. VEstalis virgo, cui Sophia Henrici nomen erat, vtcumque vetula, sexagesimum plus minus ætatis annum agens, Alcmariæ grauem dolorem circa lumbos patiebatur, ita vt aculei infixi sensum præberet, nullo foris apparente tumore. Hanc vero calculosam esse cognouimus, & calculum in renibus impactum esse: nam & crassas vrinas prius minxerat, & arenosas sabulosasque: & frustula sabuli contriti sepe micta in lotio visa fuerant, a quo mictu prius plurimo sabuloso leuabatur, & plerumque antea leuiore aliqua doloris accessione tenebatur. At nunc dolore circa renis situm valde affligebatur, & vrina primo præter morem tenuior reddebatur, postea etiam supprimebatur, aderatque vomitus grauis, & nausea illam vrgebat. At hic dolor post cibum minuebatur, qui colicis augeri solebat. Hærebat autem dolor circa dorsum fixus: contra in colico dolore circa ventrem & abdomen, nec fixus stabilisque manet. Sed etiam crus hic eidem reni respondens (*nam magis in dextro rene dolor erat*) stupebat subinde. Paucam & aquosam vrinam reddebat: quæ tandem supprimebatur, atque illa simul narrabat se aliquando præter sabulum subinde & sanguinem minxisse, quod ex calculo asperiore subinde e rene auulsum & emotum fuisse coniiciebam. 2. Cum hæc diligenter animaduertissem, eandem calculo renum laborare certo iudicabam. Quæ cum agnoscerem, curationem a doloris mitigatione auspicatus sum, simul vitando inter initia solutiua fortia, atque diuretica, quibus multi ad orcum vel cœlum transmissi ac subito rapti sunt, vt multis exemplis docetur apud Guainerium insignem practicum, licet minus cultum, aut (*vt quidam appellare eum consueuerunt*) barbarum. Nam ea omnia humores agitant, qui agitati denuo ad renes decumbunt, doloremque augent. Diuretica vero ventriculi humores & intestinorum ad renes dirigunt, vnde & dolor adeo exercebatur, vt in deliquia animi subinde, & in mortem inopinam misere ruant. Cum itaque aluum non redderet, enema emolliens, leniens, primo vt iniiceretur mandaui, quale hoc est. ℞. *radicis althaæ.* ℥ *j.* ß. *foliorum maluæ cum rad. viol. brassicæ. ana m. j. florum chamomill. meliloti. ana p. j. ficuum pinguium & iuiubar. recent. ana num. vj. furfuris in nodulo ligati. m.* ß. *coquantur in aqua communi. pro* ℥ *x. vel xij. adde cassiæ recens extracta vel mundatæ pro clysteribus* ℥ *j. butyri recentis.* ℥ *ij. olei communis vel amygdal. dulc.* ℥ *iij. salis parum, vitellum vnius oui, fiat clyster.* Eiusmodi clysteres quantitate solito minores esse debent, ad ℥ x. non excedentes xij. decoct. ne renes comprimant & dolorem augeant. Verum cum illa clysteres admittere nollet, balano statim ad feces emittendas vsi sumus: nam & glandem admisit, qua aluum deposuit. Fecibus enim eductis, renes prius stercore oppressi grauius dolentes, nunc ab iis liberati fuerunt. Quare ad fotus deuenimus, dolorem mitigantes. Et quum aluo euacuata, in corpore robusto, vena poplitis secta, e regione cruris stupentis, vbi adsit plenitudo, vtilis sit; 3. tamen in vetula satis debili, potius cacochymia quã plethora laborante, purgationem præstitisset adhibere. Sed solutiua hic non conueniebant, ob dolorem; verum potius enemata, quibus ad dolorem & flatus etiam discutiendos sæpissime in his vsus sum, qui calculo laborabant: habent enim tales plerumque flatus quoque in intestinis, qui renes comprimunt, & subinde stercora duriora, quæ prius & emollientibus educenda veniunt, in hunc vel similem modum. ℞. *radic. althaæ:* ℥ *j.* ß. *maluæ cum rad. viol. parietariæ, summitat. anethi, flor. meliloti. ana m. j. flor. chamomill. p. j. furf. ligati in nodulo p. j. sem. maluæ, althaæ, lini, fœnugræc. fœniculi, carui, dauci, ana* ʒ *j.* ß. *coquantur in aqua communi, & huius col. accipe* ℥ *x. adde olei anethini, chamamel. ana* ℥ *j.* ß. *diacathol.* ℥ *j. benedictæ laxat.* ʒ *ij. vel iij. vitellum vnius oui, salis parum, fiat enema,* aliquando etiam ob dolorem, *olei anethini, chamomill. ana* ℥ *iij. iniecisse solum profuit.* At nostra religiosa, vt diximus, clysteres, (*quamuis ad hoc malum destinatos & vtilissimos,*) noluit admittere: ideo ex glande cum aluum deposuisset, hoc fotu emolliente, dolorem mitigante, & vnguento vsi sumus. ℞. *althaæ cum rad. maluæ, viol. ana m. j. parietariæ, summitatum anethi. ana m.* ß. *florum. chamomillæ, meliloti ana p. j. sem. lini, fœnugr. maluæ. ana.* ℥ ß. *fiat decoctio pro fotu cum spongia pro* ℔ *ij.* 4. Mox inungebatur hoc vnguento. ℞. *butyri recentis, pingued. gallinæ, anatis, anseris, olei amygdal. dul. an.* ℥ ß. *muccilaginis, sem. althaæ, maluæ extract. cum aqua maluæ, olei lilior. ana* ʒ *iij. olei chamamel. anethini. ana* ʒ *ij. misce.* Quibus remediis dolor fuit sedatus. Quare tunc exhibuimus *diacatholici, cassiæ recens extractæ. ana* ℥ ß. (*cum amplius non vomeret nec nauseam haberet*) *cum* ℥ *iij. decoct. vuar. pass. ficuum, glycyr. iuiubar. rec. viol. capill. ven.* quibus cum aluum moderate deponeret, viis vrinalibus apertis, multas arenulas minxit: & deinde exhibito hoc puluere, etiam parua fragmenta lapillorum reiecit subrubra, alioqui si arenulæ non descendissent, priusquam puluerem dedissem, cucurbitulas supra renes & paulatim inferius affixissem, vt sic fragmenta lapillorum e renibus emota per vreteres ad vesicam descenderent. Verum mitigato prius dolore, & ventriculo, & aliis viis repurgatis, ea quæ calculum protruderent & expellerent, dedi in hunc modum. ℞. *lithonthribi* ʒ *j. seminis pap.* (*quia renes calidos habebat, licet vetula*) *seminis melonum. ana* ℈ ß. *fiat pul. quem modo capiebat cum decocto cicerum, modo cum vino Rhenano.* Deinde iussi, vt & his pilulis per interualla aliquando vteretur, *modo vij. modo* ix. sed non quando dolore afficeretur vel grauitatem circa lumbos sentiret. Prius capiebat ʒ j. *cassiæ in bolo, cum* ℈ ß. *pul. trochis. alkachengi sine opio, zacch. candi asperso.* Deinde pilulas subsequentes vel his similes, cum nullum dolorem sentiret, quas paratas semper domi habebat. ℞. *seminis milii solis, petros. macedonici & communis, seminis saxifrag. seminis charefolii. ana* ʒ ß.

℥ ß. sanguinis hirci præparati ℈ j. succi liqu. ℈ ij. trochisc. alkachengi sine opio ℈ ß. terebinthinæ lotæ in aqua fœniculi, apii, deinde parum tostæ ℥ ij. fiant pilulæ admodum exiguæ ex ℥ j. quibus multa fragmenta lapillorum & arenularum expellebat, vti mihi postea confessa est. Descripta sunt hæc a me Alemariæ, dum ibi praxin exercerem, anno 1552. mense Septembri.

SCHOLIA.

5. NOn raro renes ipsi siue secundum eorum cauitatem siue substantiam, affectum nephritim siue lithiasim incurrunt, quamquam, *vt alias diximus*, nephritim quoque nominare consueuerunt omnem affectum renum, siue similaris sit, siue instrumentalis, siue communis. Capit tamen Galenus eum pro lithiasi (*lib. de renum affect. dignotione ac curat. Galeno adscripto.*) Latine calculi siue lapidis morbum appellamus, quo & vesica laborare solet, præter renes & etiam Colon, *auctore Galeno 1. de loc. affect.* Affectus vero hic nihil aliud est, quam corpusculum quoddam durum, toto genere præter naturam, instar lapidis, seu tophi, in substantia seu finibus ipsorum renum genitum. Renes hic affecti sunt, vt ex dolore cum positu percipitur, qui iugiter in renum loco fixus ac stabilis infestat; in dextra parte, si dexter; in sinistra, si sinister fuerit affectus, cum stupore femoris regione affecti renis, ex retracto teste: *Paulo auctore*, ob consensum vasorum dorso incumbentium, cauæ scilicet venæ, ac magnæ arteriæ, quibus a mediis tum crura, tum testes renibus consentiunt, vt in dissectionib. videre licet: *ex Galeno 6. de morb. vulg. & loco citato.* Est hic morbus in numero proprie in excessu, toto genere præter naturam, *Galeno auctore, lib. de diff. morborum*, qui ex qualitate doloris primo percipi potest: sentiunt enim in renibus dolorem aculei infixi, *ex Paulo, & iuxta Hippocratem*, in renibus grauem, cum cibo impleti sunt, *vt 6. de morb. vulg. & inter initia etiam auctore Galen. 6. de morb. vulgaribus*, vomitus pituitosi fiunt, per peritonæum ipsis copulato ventriculo, si crassi naturaque pituitosiores exsistant laborantes.

Quid sit affectus.

Qui renes afficiantur.

Quis affectus, & quibus signis cognoscatur calculus.

6. Malo quoque perseuerante æruginosus vomitus superuenit, ob dolores ac vigilias corrupto sanguine (*vt Galen. inquit*) idque maxime cum vna febricitauerint & inedia macerati fuerint. A quibus vomitibus leuiores ægri euadunt, cum cibis euacuati sunt; & ab accessionibus quidē liberantur, sed non ab affectu, *eodem Galeno teste*, arenulæque rubræ subsident, & cruentum meiunt, *ex Hippoc.* calculis proximas partes vulnerantibus, etiam prius dilutas purasque vrinas reddentibus, postea & crassa subsidentia & arenosa, *test. Galen. 6. de loc. affect.* lapide cum vrina exeunte a dolore liberantur, & simul locus affectus manifestabitur. Accedit ægris loci dolor, inquit Aetius, tumore nusquam foris apparente, nisi inflammatio per lapillos producatur, spina ægre flecti potest, & totum corpus ad motum pigrum est; crura torpent, & maxime crus reni affecto propinquum. Vrinæ circa obturationis principium paucæ, aquosæ minguntur, postea vero perfecte earum suppressio contingit: aluus nihil excernit, verum promptitudines multas ad egerendum facit. Excernitur etiam aliquando sanguis propter violentiam calculorum, præsertim asperorum. Ceterum vbi lapis e renibus fuerit emotus, & ad vesicam delatus, vrinæ multæ prodeunt arenosam subsidentiam habentes, & aluus similiter large egerit. Sensum autem æger percipit, veluti calculo a renibus ad vesicam transeunte, *Hæc Aetius.*

OBSERVATIO XX.

De quadam matrona calculo renum & morbo articulari laborante.

1. REfert Guainerius, *calculosam passionem dominam arthritidem seu morbum articularem diligere, & tantam simul cum ea habere affinitatem, vt vna sine altera aliquem rarissime inuadat.* Quibus malis Guilhelmina de Oosthoren frequentissime laborabat, mulier ditissima & valde delicate viuens. Vtebamur autem terebinthina sæpissime, supersorbendo cochlear vnum syrup. infus. ros. commun. cum calidos renes haberet. Nam pro renibus expurgandis in hoc casu terebinthinam vtilissimam semper inuenimus. Venit enim tunc mihi in mentem Monachus ille, de quo agit Amatus centur. 1. cur. 63. *qui cum articulari morbo, simul & nephritide, corripi soleret, & nullo remediorum genere ex multis tentatis bene valeret, tandem monitu Amati assiduo terebinthinæ esu intra sex menses liber a dictis morbis euasit. Erat autem terebinthina nucis magnitudine, quam singulis diebus ieiunus sacchаro admixtam deglutiebat. Terebinthina antiquitus pro aluo subducenda tantum vtebantur: Neoterici vero eam pro renibus expurgandis, ac aliis variis intentionibus implendis, in vsum traxerunt, vt Amatus in commentariis suis in Diosc. abunde demonstrauit. Neque discrimen vllum inter vulgarem terebinthinam, modo bona & pura sit, facit, & eam, quæ a terebintho arbore desumitur, & d ssimiliter habetur, quum vtrique communes vel pares hæreant possessiones.*

SCHOLIA.

2. DE arthritide suo loco dicemus: sed nunc de calculo sermonem prosequamur: & quamquam de calculi materia nonnihil diximus *Schol. Obs. 17.* attamen de materia ipsa ac caussa efficiente & generationis modo in vesica & renibus non eadem omnium sententia. Alii autem multam materiam crassam ac terream primum cogi in vnum in vesica, existimant, cuius pars intima concrescit, tandemque si non eiiciatur, calore & frigore, parte tenui consumta, in lapillum coalescit. Hinc voluitur ab vrina, & semper sibi quippiam adiungit, atque sic augetur. Caussam autem efficientem esse tum calorem tum frigus, vnde in senibus & pueris generantur, non in iuuenibus. Paulus materialem caussam (*cap. 45. lib. 3.*) dicit, *esse crassum terreumque humorem.* & Galen. *modo tenacem, modo crassam, modo vtramque materiam.* & ex sola pituita crassa & viscida cinerei caloris præcipue exsistunt. Si pituita lenta crassa mixta sit cum pauco sanguine, sicuti in priore vrinarum subsidentia, similis colori tophorum & cinerei:

De calculi materia, caussa efficiente & generationis modo in vesica & renibus, non eadem omnium sententia.

Caussa materialis.

ita & hic subsidentiæ color pro succi maiori copia euadet nonnunquam veluti ex pallido alboque mixtus, aut ex rubro & albo, aut ex flauo & albo, nonnunquam vero & ruffus erit; pariter quoque & arenulæ, quæ in vrinis subsident: ipso siquidem sanguinis colore ad colorum differentias faciente, qui neque hominibus exquisite ruber semper est, sed interdum quidem ad atrius, interdum ad flauius & ruffius vergit, eodem Galen. teste, quo fit, vt ipsi etiam lapides, quemadmodum & antea diximus, inter se colore reperiantur differentes; similiter & arenulæ in vrinis subsidentes, ob diuersam materiam, ex quibus fiunt: Nigri enim & subalbidi & pallidi reperiuntur, *vt inquit Aetius*, quandoque etiam ruffi reuera, id quod sæpius accidit: Et propterea Hippocrat. arenulas ruffas in vrinis subsidere asseruit, tamquam eo sæpius contingente. Quamquam per ruffum colorem, potuit omnes iam dictos intelligere, præter cinereum, *vt testatur Galen. & citatur a Donato.* Non ab re itaque Aetius materialem caussam generationis calculorum assiduas esse cruditates inquit, vnde materiæ incoctæ ac crudæ multitudo congregatur. Et Alexander Trallianus simul cum Galeno humores crassos ac lentos esse fatetur, *cap. 4. lib. 9.* Sed quod quidam caussam efficientem esse velint, modo calorem, modo frigus, vnde & in senibus & pueris calculi magis, quam in iuuenibus, generantur, id alii non ita admittunt, atque caussam effectricem esse volunt, præcipue igneam in renibus caliditatem, *vt inquiunt Alexander & Aetius.* A frigore autem, *vt & Donatus annotauit*, ipsi generari non valent: numquam enim fieri potest, vt viuo corpori tantum frigus accidat, quo concrescere valeat in homine lapis, quemadmodum fieri in externis videmus, *vt liquet apud Galen. de renum affect. dignot. ac curat.* quamquam, non semper ex eodem calore, sed quandoque vehementi, interim autem non ita vehementi procreentur, prout eorum materia magis apta est, vt induretur. Ob quam etiam caliditatis diuersitatem lapides quoque colore differunt. Et sic, secundum quosdam, caussa efficiens est ignea vel forsitan tepida, vt in aquis thermarum tepidis euenit, licet in diuturna actione, quamuis agens sit debile, tamen longo tempore perficit operationem suam. Sic alii ex Hippocr. materiam faciunt, vrinam adustam a feruore & ardore. Quorum enim aluus ardens & feruida fuerit, in his etiam necesse esse vesicam idem perpeti; quum enim magis, quam pro natura fuerit calefacta, stomachus eius inflammatur, vbi vero hæc perpetitur, vrinam non dimittit, sed in ipsa concoquit & adurit: & quod quidem tenuissimum in ipsa est excernitur, quod purissimum, transit & emittitur. Indicio esse, quod vrina splendidissima excernitur instar seri. Brassauolus tertium modum adfert, ex eodem Hippocr. Fieri enim ex arenis, sedimento velut glutine copulante. Hoc quibusdam non placet, quia natura, vt statim arenam senserit, protinus eiicit. Et cum renum calculus nudus sit, adeo vesicam vexat, vt diu non possit retineri; quare nec augeri. Contra nonnulli nullum in vesica lapidem generari aiunt, quin in renibus principium & rudimentum habeat, de quo postea. Ex his iam vtcumque patet generatio lapidis & arenularum: quamuis materia arenularum est crassa, non multum viscosa: lapidis vero vel calculi est viscosa, crassa & secundum plurimum pituitosa, vt neoterici quidam sentiunt. Et ita fere secundum omnes materialis caussa calculorum est humor crassior. Efficiens, ignea caliditas. Sicut etiam in externis (*inquit Trallianus*) videmus. Nam ex igne & tali materia idonea figuli vasa conficiunt, ita vt ne ab aqua quidem dissolui possint. Quæ cum ita habeant, studendum est, ne materia in renibus crassior generetur, neque ipsi ignei & intemperati fiant. Nisi enim horum aliquid exstiterit, nunquam calculus constitui poterit. Interea tamen, *vt recte meo iudicio nonnulli addunt*, oportet, vt eiusmodi materiæ retineantur longo tempore in dictis membris, alioqui non fiet calculi generatio. Eaque retentio non erit minima caussa generationis lapidis; imo quæ simul sit consideranda. Neoterici quidam (*de quibus etiam consulas Gradum*) hanc caussam retentionis modo referunt ad materiales, modo ad accidentales, ab intemperie, compositione, vel vtrisque: *vt Rhases*, qui eam refert ad debilitatem virtutis expulsiuæ renum aut vesicæ, ad intemperiem, modo simplicem, modo compositam, calidam nimis, attrahentem humores ad renes, frigidam nimis meatus constringentem, ad compositionem quoq;, meatuum dispositionem, stricturam, aut amplitudinem, oppilationem. Guainerius triplicem caussam retentionis colligit, materiæ viscositatem, viarum oppilationem seu stricturam, & expulsiuæ debilitatem. Alii caussas antecedentes esse volunt, *humores crassos viscosos in toto corpore, vel in renibus aut vesica, malam temperiem frigidam constringentem, calidam excedentem.* Huc pertinent & internæ caussæ: *nempe humores viscosi, aut quiuis alius in renibus: & quædam ex his rursus immediatæ sunt, vt materia crassa, viscosa, pituitosa, sanies, melancholia vel sanguis crassus, aliis humoribus commixtus.* Remota, *cruditates, crapula. Ita & externæ, aer calidus, siccus, resoluens, crassus, nebulosus, statio in sole, balnea calida, frigus constringens, balnea aluminosa exsiccantia, decubitus supra culcitam mollem, vestes pellibus suffulta dorso constrictæ, & dorso ad ignem sedere, quoduis exercitium vehemens, & equitatio dura, violenta, repletio maxime post cibum, cibi omnes crassi, viscosi, otium, omnes fructus frigidi, styptici, & fere innumeri alii.* Hæc de caussis. Reliqua quæ ad modum generationis adhuc spectant, in quo non omnes consentiunt, sequenti scholio latius pertractabimus, hoc prius interposito exemplo.

[Margin: 3. — Effectrix caussa calculi. — 4. — 5. Differentia inter materiam arenæ & lapidis. — Caussa retentionis materiæ lapidis. — 6. — Caussæ antecedentes. — Internæ immediatæ, remotæ. — Externæ.]

OBSERVATIO XXI.

De calculo in renibus confirmato, cum intolerabili lumborum dolore, ac vrinæ difficultate.

QVidam calculum confirmatum in renibus habebat, cum intolerabili dolore lumborum, & difficulter mingebat. In hoc curando intentio nostra fuit lapidem fixum, quantum possibile erat, e suo

[Margin: 1.]

e ſuo loco mouere, viaſque emollire & aperire, ac dolorem mitigare: ideo omnium primo emolliens enema confert, dilatans & dolorem mitigans ac aluum leniens. Oportet enim curationem auſpicari a doloris mitigatione: nam inter initia nullo modo ſolutiua fortia aut diuretica conueniunt, vt antea dictum eſt. ℞ *rad. althææ mundatæ ℥ j. folior. althææ, maluæ, viol. parietariæ, ana m. j. flor. meliloti, chamomill. ana p. j. ſeminis lini, fœnugræci, ana ℥ ß. caricar. ping. num. vj. ſebeſten. num. v. ſem. quat. frigid. maior. ana ʒ j. ß. furfuris in linteo ligati p. j. coquantur in aqua communi pro ℥ x. adde caſsiæ recens extractæ ℥ j. zacch. rubei ℥ ß. butyri recentis ℥ ij. olei communis & amygdal. dulc. ana ℥ j. ſalis parum, fiat enema.* Quo clyſtere duriora excrementa depoſuit.

2. Et quia erat robuſtus, & dolor magnus, vena ex malleolo, vt incideretur eodem die poſt clyſteris operationem, iuſſi, & hunc fotum ex anodynis veris, quæ calorem temperatum habent, præſcripſi. ℞ *rad. althææ cum foliis, foliorum maluar. ana p. j. ß. ſem. lini & fœnugræc. ana ℥ j. decoquantur in aqua communi, vel melius in hydrelæo q. ſ. & in illo decocto ſpongia madefacta & expreſſa regionem renum fouebat.* Mox ſequenti vnguento locus dolens inungatur. ℞ *butyr. recentis, olei amygdal. dulc. axungiæ gallinæ, anſeris, ana ℥ ß. olei chamomill. anethini, ana ʒ ij. ceræ exiguum. miſce. dolor parum mitigabatur.* At cum rurſus aluum non deponeret, die ſequenti hic clyſter iniectus eſt. ℞ *althææ cum rad. maluæ cum rad. fol. betæ, mercurial. pariet. ſummitatum anethi, meliloti, ana m. j. florum chamomill. p. j. caric. ping. num. vij. furfur. in linteo colligati p. j. ſem. aniſi, carui, fœniculi, lini, fœnugræci, ana ʒ j. ß. coquantur in aqua communi q. ſ. & huius colaturæ accipe ℥ x. vel ℔ j. adde olei communis, chamæmel. anethini, ana ℥ j. caſsiæ mundat. diacathol. ana ℥ ß. benedictæ laxat. ʒ iij. diaphœnici ʒ j butyri recent. adipis anſeris, ana ℥ ß. miſce.* quinquies excreuit egregie cum alleuiatione. Rurſus fotum adhibuimus & vnguentum: & licet dolor nonnihil eſſet ſedatus, tamen lapis adhuc fixus renibus inhærebat: quare cucurbitulas ſiccas ſine ſcarificatione ſupra renes affigere iuſſi, deinde aliam paulo inferius; & rurſus aliam atque aliam deinceps, paruis interuallis oblique, vſque ad inguina, vt ſic calculus in veſicam deſcenderet.

3. Conducunt enim non parum cucurbiculæ eiuſmodi abſque inciſione adhibitæ: quæ ſæpe lapidem celiter adeo transferunt, vt ſubitam eius mali leuationem comparare poſſint, lapide nimirum in locum ampliorem tranſlato ſupra a renibus initium facientes ad inguina per obliquam earundem partium (*quas ilia appellant*) poſitionem procedentes: quo loco frequenter dolores incidunt, propter ſitum meatuum, qui vreteres appellantur, ſed prius fotu illo relaxante & emolliente poſt clyſterem tantiſper vtebamur, quantiſper eis lapis in rene hærebat, & non vtebamur cucurbitulis, cum dolor vehementius inſtaret, ſed ipſo aliquantulum lenito. Nam iis dum vehementius dolores infeſtant, iuxta Aetium, non vtendum niſi iiſdem parum lenitis, & inflammatione non impediente. Et ita cum fotu continuo dolor mitigaretur, tandem etiam adhibitis cucurbitulis, ſentiebat calculos aliquos per vreteres in veſicam deſcendiſſe, & ceſſabat difficultas mingendi. Mitigato dolore, quod fieri debet prius, quam lapidem expellentia & comminuentia exhibeamus, ventriculum expurgauimus, & vias, quæ ſunt ad renes, ne humores alii vna cum medicamentis lapidem comminuentibus ſumtis ad renes deſcendant. Purgaui autem hoc modo. ℞ *vuar. paſſul. ab arill. repurg. ℥ ß. caricarum pinguium, num. v. glycyr. ℥ ß. capill. ven. veri & recentis p. j. quat. ſem. frig. maior. ana ʒ j. iuiubar. num. v. fiat decoct. in aqua communi: & huius accipe ℥ iij. caſsiæ recens extract. ℥ j. ſyrup. viol. ℥ ß. miſce. fiat potio.* ſumat in aurora. Prandebat æger ſumta potione hora ſolita. Id faciendum etiam ſi non operetur.

4. At æger ex ea potione aluum egregie depoſuit, cum magna alleuiatione: alioqui ſi ante cænam non operata fuiſſet, iniecissem (vt aliquando feci, cum maxima vtilitate) enema ſequens. ℞ *iuris pulli ℥ x. caſsiæ ℥ j. mellis roſ. colati ℥ j. ß. olei communis vel amygdal. dulc. ℥ iij. ſalis parum, fiat clyſter, qui ante cænam infundatur.* Mitigato igitur dolore, ventriculo & viis expurgatis, ad ea deſcendebamus, quæ calculum comminuunt & expellunt: quale eſt decoctum *rad. ononidis, lappæ, petroſ. graminis, & cicerum rub. chærefolii, ac ſeminis milii ſolis, petroſ. & ſimilium:* quibus & paruos calculos rubros vna cum lotio reddebat, & a dolore liberatus eſt, & libere potuit mingere. Memini anno 1556. *Maynardum illum, qui Alcmariæ in inſigni petaſonis habitabat, calculo renum miſere laborantem (quem empiricus ſacerdos perperam cum diureticis primo curabat) me poſtea curaſſe, cum ad illum accitus eſſem, primo emollientibus & relaxantibus ſupradictis adhibitis; demum dolore ſedato hoc apozema tum pilulas exhibuiſſe, quibus arenulas cum lotio demiſit,* adeo vt egregie etiam ſimul a difficultate meiendi, cum mingere non poſſet, tum calculo curatus fuerit. ℞ *rad. glycyrrhizæ, fœniculi, apii, aſparagi, bruſci, cichorii, ana ℥ ß. foliorum parietariæ, fœniculi viridis, chærefolii, ſaxifrag. ſcolopend. ceterach. capill. veneris, ana m. j. ſem. fœniculi, aniſi, cumini, ana ʒ j. ſem. leuiſtici ʒ ß. fiat decoctio, in duabus partibus aquæ communis, & vna parte vini Rhenani optimi, pro ℔ j. ß. colaturæ addendo ſyr. de quinque rad. ℥ iij. miſce, ſumat bis in die ʒ iiij. vel v. prius trib. his pilulis deuoratis.* ℞ *terebinthinæ ſæpius lotæ cum aqua fœniculi, & parum toſtæ ʒ ij. trochiſc. alkachengi ſine opio* (nam aliquando & dyſuriam patiebatur ex renibus læſis, & quaſi vlceratis a calculis aſperis) ℈ ij. *pulueris liquir.* ℈ j. ß. *fiant pilulæ paruæ, ciceris inſtar.* Atque his remediis ilico gratia diuina fuit curatus, & lotium deinde optime emittebat cum arenulis.

Scholia.

5. *Qua parte renum calculus generetur.*

QVa parte renum calculi genarentur, magna inter auctores eſt controuerſia: alii enim duntaxat in renum cauitatibus concreſcere putant: alii cum Hippocrate & Galeno *2. de natur.*

human. tum 6. de morb. vulg. ac lib. de renum affectorum dignotione ac curatione, absque controuersia recte tenent eos, non solum in renum sinibus posse concrescere, verum etiam in eorum carnibus procreari, vt & aliquando conspeximus in cadaueribus post mortem incisis. Et quod quocunque (*vt etiam sentit Donatus*) loco generationem habeant, in rene adsit grauis dolor, siue per grauem acerbus significetur, siue tamquam alicuius grauis loco incumbentis sensum inferentem intelligamus, diuersis tamen temporibus. Nam si in renum cauis fuerint orti, in solo per vrinarios meatus transitu grauissime dolent laborantes. Si vero in ipsa renum carne fuerint creati, non solum inter exeundum, verum etiam creationis tempore dolorem inferunt. Pariter & quando in renum sinus peruadunt. Modus autem generationis (*inquit Donatus*) talis exsistit. Nam cum renes quicquid serosi, tenuisque cum sanguine in vasis permixtum est, ad se ipsos attrahant (*superius demonstrauimus*) meatibus id in renum ventriculos percolantibus latius patefactis, aliquid etiam ex crassioribus succis, simul illabitur. Quando igitur istud calfactum in renis cauo, ad tophi consistentiam redactum fuerit, si renum vis expulsoria omne id vna cum lotio extruserit, arenosæ in ipso subsidentiæ fiunt. Quod si renis cauo pertinacius inhærescat, aliquid aliud eiusdem materiæ ex vena caua suscipiens, sibique apponens, plus augetur: semper enim quod recens influit, priori circumdatur: atque ita insigni magnitudine tophus grandescit, exusto arefactoque crasso & viscido humore, atque ad tophi corpulentiam redacto. Cum vero in renum carnibus generantur, proportione tophis in articulorum morbo genitis correspondent, *vt liquet ex Galen. Hippoc. auctoritate 2. de natur. human. & 6. de morb. vulgar.* Nam si idem sanguis, qui in renes deriuatur, crassior ac pituitosior se ipso exsistens, seu etiam ad atram bilem vergens per venas & arterias in renum substantiam feratur, quantitate vel qualitate, aut consistentia excedens, astringitur, detentusque concipit caliditatem præter naturam, quæ amplius eum densat, agglutinat, & assat, assatumque ipsum in terram & lapidem commutat, quemadmodum si in cauitatem delatus esset: vtroque enim modo lapides fieri posse in renibus clarum est, cum succus tenax, & crassus tempore aliquo assatur in iis, itaque exsiccatur, *vt eodem libro de renum affectuum dignot. & cur. scriptum est.* Sed quod ad generationem calculi vesicæ attinet, maior apud medicos excellentiores controuersia est: cum enim huius caussam plerique omnes tradant crassum quoque esse & crudum succum, qui per venas cum vrina in vesicæ capacitatem influat, in qua tamquam fex subsidens, loci calore exarefactus sensim lapidescat: tamen Fernelius nullum lapidem in vesica generari existimat, & in omnibus calculis medium quasi nucleum reperiri; verum rudimentum a renibus exturbatum. Philotimus contra, sæpius in vesica propter capacitatem calculos generari scribit. Sed contra respondet Fernelius, inquiens: *At vero quid limum istum (nisi forte admodum angusta aut obstructa sit vesicæ ceruix) tam diu possit illic remorari, non video, cum & sanguinis grumus, & pus, & muccosa lentaque pituita, aliaque multa crassiora facile illinc profluant cum vrina. His argumentis adductus etiam cœpi caussam* (inquit) *inuestigare, ac tandem comperi omnem calculum in vesica conclusum, rudimentum quoddam e renibus traxisse, e quibus per nephriticum dolorem excidens, si grandiusculus est, in vesica aliquamdiu hæret, ac plerumque persistit, illicque allatarum sordium adhæsu coagmentatur, dum verus confirmatusque lapis fiat. Ita quidem neminem hactenus offendi in vesica calculum habere, qui nephriticis doloribus diuexatus ante non fuisset. Et quoscumque exemtos vesicæ calculos obtriui (obtriui autem experiundi gratia permultos) in eorum medio quasi nucleum reperi, verum rudimentum e renibus exturbatum, diuersi quam reliquum integumentum ac inuolucrum & coloris & substantiæ.* Hæc ille, ostendens capacitatem vesicæ iustum argumentum non esse: & experientia contrarium docet, contra communem & veterum medicorum opinionem. Quam Rondeletius his verbis quoque oppugnat: *Decipitur vero* (scilicet Fernel.) *in hoc, quod putet, quod aliquando fit, & aliquibus, semper & omnibus fieri, scilicet lapidem vesicæ accepisse initium a renibus, cum post nephriticum dolorem non reiicitur, sed retinetur in vesica, in qua obducitur muco quodam, quo pars interna vesicæ munita est, & a crudo succo, qui cum vrina illuc peruenit. Verum id in omnibus non contingere, experientia docet. Pueri in vesica sæpe calculum habent, qui nunquam nephritim passi sunt, nisi in vtero sint passi. Nam cum lapide natos multos vidi, qui a parentibus hereditario iure acceperunt. Ratione id posse fieri ostendo. Si lapis renum coagmentationem accepit in vesica, vt cogitur fateri, generari potest. Nam & iisdem caussis generatur & accrescit. Augescit ab eadem materia, ex qua fit, scilicet a crudis, lentis, limosis succis, & a calore partis, tamquam ab efficiente caussa. At talia recrementa retinentur ad coagmentationem:* Ergo & *ad generationem; non in omnibus, sed in his, qui crudis, lentis, & viscosis humoribus abundant, & quibus meatus strictiores sunt, & qui diutius vrinam retinet, ob quam retentionem crassa in fundum descendunt, & subsident, quo tempore partes illæ in lapidem concrescunt. In vesica succus crudus citius concrescit, quam in renibus, ob minorem calorem. Minus enim calet vesica ipsis renibus. Sanguis enim crudis succis mixtus coalescit, & liquidiores succos reddit minus aptos, vt in lapidem vertantur. Erit calculus in vesica & in renibus, vt grando in pulmonibus, & lapis in collo, vt refert Paulus lib. 3.* Lapides hi inter se *differunt. Nam qui in renibus fiunt, ex arenulis simul coniunctis generantur, & figuram sumunt a renum sinu. Si enim in primo sinu retineantur, habent veluti aculeos: qui vero per vreteres redduntur, figuram in vretere accipere videntur, quia oblongi sunt, & nucleis pinearum similes magna ex parte, si non frangantur. Lapides vesicæ calculis fluuiatilibus similes figura*

Marginal notes:

6. *Modus generationis calculi in renibus.*

7. *Modus generationis calculi in vesica.*

Controuersia medicorum de modo generationis calculi in vesica.

Fernelii opinio.

8.

Rondelet. contra Fernelium.

9.

Differentia lapidum.

figura sunt, scilicet rotundi fere, vel figura lentis, non ex arenulis, sed ex materia lenta, quæ velut laminas separum facit, leues magna ex parte, qui in vesica initium sumunt. Verum qui e renibus rudimentum acceperunt, in medio veluti nucleum habent, ex multis arenulis compactum. Quod si continuo e renibus arenulæ descendant, asper efficitur ob arenam muco permixtam alligatamque. Lapides pulmonum, quia a pituita resiccata fiunt, grando dicuntur, quia grandini assimilantur in duritie & substantia. Lapis e colo intestino reiectus vesicæ calculus similis est. At qui ab abscessu redduntur, ossibus similes esse solent, colore fusco. Tales ab abscessu hepatis, matris doctissimi cuiusdam Nemausensis redditos vidimus, & abscessu intestinorum mulieris Montisbani, quæ mulier post varios dolores tabida erat, hacque menstrua nunquam passa fuerat, & tamen peperit duodecies. Liberorum multi adhuc superstites sunt. Hactenus Rondeletius. Memini ego in puella 22, annorum filia Petri Opmeri, tabida, ossicula & frusta lapillorum, & nescio quæ & varia ex longo fluxu laborante excreta; quæ tamen nullis remediis iuuantibus tandem consumta obiit. Ceterum de vesicæ calculo hæc per transennam dicta sufficiant, nam de eo serio tractabimus libro sequenti. At nunc de calculo renis, quæ adhuc vtilia esse videbuntur, in medium proferamus.

OBSERVATIO XXII.

De calculo in renibus periodos dolorem inferente, qui dolor admodum insignis vnico clysteri euanuit.

NIhil æque (*vt longa experientia experti sumus*) in calculosis, quibus dolor in renibus per interualla recurrebat, aluo existente duriore vel obstructa, confert, quam statim clysterem iniicere: imo hoc adeo aliquando iuuare comperimus, vt aliis medicamentis non opus sit, quemadmodum anno 1562. euenit reuerendissimæ & nobilissimæ Dominæ Abbatissæ de Loesduynen admodum vetulæ, amitæ Domini de Egmont, matronæ mehercule admodum probæ & religiosæ. Hæc cum frequenter dolore nephritico admodum vehementi ex calculo renum afficeretur, ita vt anno 1562. mense februario eundem dolorem grauissimum incurreret, ac ex medici astantis præscripto infusum rhabarb. & folior. senæ accepisset, ab illa assumtione pessime habuit, & dolore supra modum aucto me vocauit. Statim proposui, vt enema anodynon & emolliens, cum ex infuso ventrem non deiecisset, & inde grauius haberet, iniiceretur. Primo renitens tandem admisit: eoque iniecto omnis dolor eo tempore miraculi instar euanuit. Talis erat clyster. ℞ *radic. maluæ cum foliis m. ij. radic. althææ ℥ j. ß. mercurialis parietariæ, betæ, caulium rub. ana m. j. florum chamomill. meliloti, summitatum anethi, ana p. j. sem. lini, fœnugræci, ana ℥ ij. semin. anisi, fœniculi, ana ℥ j. fiat decoct. in aqua communi, pro ℥ xij. adde cassiæ recens tractæ, diacatholici, ana ℥ ß. benedictæ laxat. ℥ ij. vitellum vnius oui, olei amygdal. dulc. chamæmelin. anethini, ana ℥ j. salis communis ℥ j. ß. misce.* Eodem modo ante hanc generosam dominam, anno 1558. mense Maio simili dolore correpta fuit matrona proba, vidua Adriani Stalpardi in Hagha Comitis. Medicus eius Domesticus existimans dolorem colicum esse, exhibet decoctum senæ, tum alia; quo quidem medicamento secessum habuit, sed dolore multo quam prius vehementius infestante. Altero die cum lotium ad me misisset valde sabulosum, suspicionem mihi præbuit de calculo in renibus: atque eodem die ad illam vocatus, altero medico Leydam profecto, cum dolor in lumbis fixus maneret, subinde ad ilia procedens, & sabulum in lotio conspexissem, potius nephriticum dolorem ex calculo renum existimaui, quam colicum, ex dictis Galeni *6. de loc. affect. cap. 3.* sic dicentis: Quum enim a medicamenti potione sabulosa quædam subsidere conspicerem, nephriticum affectum esse cognoui, atque deinde reliqua medicamenta ad calculum facientia adhibendo curationem perfeci. Ceterum quod hoc vitio laboraret, minus dubitare cœpi, cum eodem dolore circa lumbos alias laborasset, & eo sopito, cum grauis non adeo esset, sabulum ipsa in matula conspexerat. Quare enema iniiciendum dixi, & ad vtrumque etiam malum valere, etiamsi colicus dolor esset, (*vt prior medicus huic persuaserat*) & dolorem colicum non minus quam nephriticum, quem ego caussam esse dicebam, statim tollere posse. Ea igitur annuente & admittente, ob insignem dolorem, tale statim, vt iniiceretur, iubeo. ℞ *parietariæ, mercurial. viol. maluæ, summitatum anethi, florum chamomill. meliloti, ana m. ß. sem. maluæ, fœnugræci, ammi, fœniculi, carui, anisi (nam videbatur adesse ventositas in muliere vtcumque obesa & crassa) ana ℥ j. ß. fiat decoctio in aqua communi pro ℥ xij. colaturæ adde cassiæ pro clysteribus ℥ vj. benedicta laxatiuæ, electuar. hierapicræ, ana ℥ ij. (quia valde pituitosa erat) olei chamomill. anethini, ana ℥ j. olei amygdal. dulc. olei scorpionis, ana ℥ ß. vitellum vnius oui, salis communis ℥ j. ß. fiat clyster,* quo bis egregie aluum deposuit, & ab omni dolore liberata est, antequam prior medicus accedebat: qui adhuc sustinebat morbum colicum fuisse, quamquam postea multa sabulosa minxit, & consultum fuit, vt in posterum abstineret ab iis, quæ calculum renum procreare possent, atque eo victu vteretur, tum viuendi modo, *de quibus supra obseruat. 18. dictum est.*

SCHOLIA.

QVibus vero indiciis renum dolor a coli dolore secernatur, a Galeno *lib. 6. de locis affectis* ad longum docetur, & nos, cum de coli dolore ageremus, fusius conscripsimus. Breuiter ex colicis in dextris cum plurimum ilibus vexari, & ad stomachum pertinere & iecur & lienem, & aluum prorsus supprimi, vt ne flatum quidem per inferna transmittat, & si reddere aluum cogimus, quod ventosum est, bubulo simile, vel vitreum emittitur phlegma, vrinaque alba cernitur. Et licet Paulus Ægineta dicat, *etiam nephriticis & iliacis communes notas videri, initio ven-*

trem sisti, summos cruciatus sentiri, cibi tædium siue concoctionis, & peculiaria colicis eadem esse, verum diuturniora inueniri. At renum caussis, acutus hæret dolor, praxilli adacti vicem referens, ac eiusdem partis, vbi infixus dolor est, testem dolore, ac coxendicem torpescere, tum reliqua adsunt, de quibus Scholio *obseru. 17. & 19. huius libri.* Et signa calculi renum demonstratiua ex iis locis statim dictis manifesta sunt, ex dolore in rene dextro vel sinistro extendente, grauante, subinde acuto & perforante, vt æger seipsum erigere vix possit, mictu frequentiore ob caliditatem & arenulis stimulantibus torpore cruris eiusdem partis cum rene affecto per consensum. Sed vbi mouetur ex renibus ad vreteres, dolor increscit, & subinde cruenta mingunt, sentiuntque aperte ægri mutatum doloris situm: imo & descendere eos sentiunt, donec ad inguina dolor fiat, qua parte vreteres committuntur vesicæ, quando etiam multa spes est liberatum iri hominem, vt ego in multis expertus sum, qui lapides minxerunt, qui & cruorem mingebant, calculis vreteres dum transirent vias vrinales illas, quasi vlcerantibus. Demum cum subito cessat dolor, in vesicæ capacitatem exsiliet lapis, & paulo post mingetur: qua parte rursus subinde dolorem excitat, & cruorem, sed non semper: nam calculi asperiores & paulo crassiores, aut maiores id præstant, minores minus & leues. Et cum is ex carne renum exturbatur, cruenta protinus emittitur vrina: qui si grandiusculus est, lethalis est, &, vt alii volunt, hydropen infert. Sed illa ad signa prognostica etiam pertinent. Sicuti & vrina atra ac turbulenta copiosius emissa, exturbatum e renibus calculum & salutem pariter denuntiat. Et inter signa prognostica etiam illa, quæ lapidem futurum præsagiunt, non sunt leui pede percurrenda, cum præcautio non minus locum habeat, quam ipsa curatio. Signa igitur lapidem renum vel vesicę præsagientia, caussæ procatarcticæ indicant, vt si quis piscibus vescatur perpetuo, vt Carthusiani facile in calculum incidunt, eoque magis quod pellibus vestiti, zona lumbos arcte stringunt, quæ renes inflammant; & ex materia piscium, quibus semper vtuntur, vitaque otiosa, nam nullo exercitio vtuntur, pituita viscida lenta coaceruatur, vnde tales, vt sæpe vidimus (*vt & antea dictum est*) calculis obnoxii sunt. Caussæ corporeæ sunt, præcedentes cruditates, cibi repletiones, crudi humores, si coaceruentur, etiam ex cibis, nempe caseo recenti & veteri, pastillis, lactis vsu, pani similagineo, conchis, ostreis, fungis, & similibus, quæ inquam omnia fomitem præstant ad calculos gignendos. Huc etiam spectat corporis dispositio: crassi enim & pingues eo citius corripiuntur, & quorum parentes calculosi fuerunt. Ita non solum viros & pueros, sed & fœminas corripit, impari tamen discrimine. Virginibus ac fœminis rarius in vesica generatur: pueris frequentior. Viri quibus corpora pinguiuscula sunt, renum calculis facile periclitantur. Quod vero in adultis ac in declinante potius ætate magis quam pueris renum hic affectus contingat, *idem Gal. testatur 6. de morb. vulgarib.* quemadmodum vesicę calculis pueri frequentius laborant, quam ætate prouecti, *vt fatetur Aetius.* Idque non nisi ob diuersitatem caloris, qui in adultis crassos succos cogit atque inspissat, in pueris vero fundit, atque dissoluit, quemadmodum fusius sequenti libro de lapide vesicæ declarabimus. In pueris gignitur in vesica, ob edacitatem. Quod mulieres rarius afficiantur, fit propter menstrua, & laxitatem mollitiemq; viarum. Sed contingit etiam laborare virgines tum fœminas: quemadmodum & virgo illa, quæ acum crinalem deuorauerat (*de qua meminit Alexander Benedictus Veronensis in suis Anatomicis*) oui magnitudine gallinacei lapidem in vesica, humoris mucidi circa acum sensim accretione ad vltimam fere tabem redacta, patefacta ceruice, magno impetu, lapidis ingens pondus in sellam demisit. Ceterum in adolescentia ac iuuentute. In quacunque igitur ætate, *vt Galen. auctor est*, mollior aluus, ac vesica temperati caloris ampliorisque meatus, iis lotium non difficulter it, nec quid turbidi in vesica remanet; quo fit, vt nulla fiat lapidis generatio cum meatus inueniat apertos. Ob eam rationem raro fœminis ac virginibus quoq; ex breuitate, ac ceruicis vesicæ amplitudine, id malum oritur. At viris corpulentis pinguiusculis calculi renum faciliꝰ contingunt, vt diximus: contra extenuatis & consumtis lapis vesicæ minatur exitium: si nulla præsertim in vrina resideant arenosa, & sæpe tortuosior reddatur, calculosi raro fiunt. In Septentrionali quoque regione infantia hoc malo plurimum infestatur. Et qui lacte, caseo & vinis crassis vtuntur, *vt Ferrariæ*; & aquis limosis, *vt Lutetiæ*, facile calculo corripiuntur. Sumitur etiam futuri calculi præsagium ex parte vrinæ. Si vrina multa, crassa, turbulenta sit, & diu ita exeat sine crisi, & ita perseueret, & quis bono vtatur regimine viuendi, lapidem futurum prædicere licet. Vrina inprimis crassa ita persistens, deinde conuersa ad tenuitatem, calculi suspicionem facit. Nam materia crassa, quæ solebat expelli, retinetur & incrassatur in calculum: & si dolor accedat in renibus, ibi calculum exspecta: si vero in pectine, in vesica. Si emittitur vrina arenosa: sed aliquando naturaliter tales spectantur in biliosis, etiam a pueritia, vt Ioannes Matthæus de Gradi de se ipso scribit. *Apparent etiam aliquando in declinatione febrium, & post febres diuturnas: sed tales quæ facile digitis compressæ dissoluantur: duriores vero & difficulter dissolubiles lapidem præsagiunt.* Refertur mirabilis historia de milite generoso, calculoso, nephritico in renibus, a Grado, *qui quoties noctu somniabat se cibaria concoctu difficilia comedere & quo erant duriora & crassiora, vt cibi ex pasta confecti, eo die sequenti detinebatur: si de cibis boni nutrimenti somniabat, nullo modo afficiebatur. Sed cum semel somniasset se pisces magnos lacunales deuorasse, imo stagnum comedisse; habuit die sequenti crudelissimos dolores, præter rationem.* Sed hæc ad abditas caussas pertinent. At mere Prognostica hæc signa sunt, vti & quædã supradi-

Marginalia: 5. — *Signa calculi renum demonstratiua.* — 6. — *Signa generationis lapidis futuri & lapides præsagientia.* — 7. — *Exemplum Virginis, quæ acum deuorauerat.* — 8. — *Calculi præsagium ex parte vrinæ.* — 9.

prædicta. *Quod ii, qui habent ventres molles & liquidos, raro calculis vesicæ, aut renum tentantur. Vnde & trauli raro capiuntur calculis, & qui vomitu vtuntur spontaneo, vel arte parato, bis aut ter in mense, magna ex parte a calculi generatione præseruantur, materia, vt in prædictis ad opposita conuersa.* Bonum, si crassæ vrinæ prius, deinde tenues, rursus crassæ, & in fundo resideant arenæ, lapidem in via resolutionis esse declarant. Cum senibus fiant in renibus, pueris vero in vesica, si contrarium contingat, curatio difficilior erit. Puer quoque respectu aliarum ætatum difficilius a calculo præseruatur: ita senes difficulter sanantur, iuxta Hippocrat. *Vitia renum & vesicæ in senibus difficulter curantur.* Hi quoque facile recidiuam patiuntur. Qui calculum frequenter incurrunt, facile in excoriationem vesicæ incidunt. Calculosi dolores, si nullis medicamentis sedantur, miseram mortem & calamitosam minantur: vbi excremitates frigidæ fuerint, & sudor frigidus faciem occupauerit, tunc presbyteris, (*teste Guainerio*) relinquendi: pulsu formicante, iam mors in proximo est. Si malum quoque hæreditarium, peius. Habet autem hoc malum sæpe suum interuallum, *vt postea exemplis docebitur*, ita vt quibusdam de mense in mensem redeat, ac de anno in annum, vt etiam Auicenna annotauit. In lapide magno & duro in vesica, curatio non est exspectanda; & qui in renibus est, vel vesica, vna cum vlcere, impossibile est, vt curetur: nam quæ lapidem minuunt & frangunt, vlceri contraria sunt. In calculosis quoque arenosa substantia emicta, nigra, deterior est: deinde liuida peior quam citrina vel ruffa, aut rubra, cum a duriore materia decidatur, a qua & durior lapis. Et arena, quæ difficilius frangitur aut rumpitur, deterior, cum a duriore & magis resistente resolutioni materia coaceruata sit. Senes quoque etiam in vesica, si calculum habeant, raro curantur propter impotentiam expulsionis, coaceruationem superfluitatum, & malam digestionem. Et qui in renibus aut vreteribus vrinam plane prohibeant, & fortem dolorem inducant, neque per artem exeant, mortem inferunt. Senes autem intelligimus post 40. annos. Et quibus calculus in renibus aut vesica, & simul adsunt vlcera, raro perfecte curantur: antiqua scilicet & inueterata, & in corpore senili nunquam. Quibuscunque in vrinis arenosa substant sedimina, his vesica aut renes lithiasin patiuntur, *aphorism. 79. lib. 4.* Vult Valescus *exiguum calculum ciceris instar citius impedire vrinæ exitum quam magnum, eo quod citius in virgæ meatum descendat & ibi hæreat.* Tamen in renibus, quanto fuerit maior tanto peior, quia per vias angustas transire non potest. In calida nephritide, acutus dolor, vrina rubens, mordax vel cruenta interdum emittitur, in qua arena subsidet rubra, febri ac siti cruciatur æger; nam & ii, vt plurimum salaciores sunt. Contra a frigida caussa laborant seniores; & in renum partibus non adeo acutus, sed grauis duntaxat, hæret dolor, iisque vrina lactea, vel tenuis, alba, in qua vrina residet cinerea resolutio. Ceterum febris non semper adest: sed in confirmato, quem natura nititur expellere, tunc in motu illo soluitur continuum, & ad eam solutionem sequitur aliquando febris, dolor & æstuatio, ex impetuoso motu sanguinis & humorum, & spirituum ad locum vbi dolor exsistit. In renibus (*de quibus nunc potissimum agimus*) consistunt lapides, aut parui aut maiores, & aliquando quidem pauciores, aliquando plures, magnitudine, & forma, colore, & asperitate & multitudine inter se differentes. Ex eorum autem numero rotundi & læues facile excernuntur, non item, qui alia quacunque forma prædıti sunt, maxime tamen, oblongi & asperi difficulter excernuntur, *Aetio teste.* Affectus hic inter initia magna cum diligentia curari debet: namque vbi perseuerauerit ac magnopere increuerit, ob dolores ac vigilias, sanguis corrumpitur, & æruginosus vomitus superuenit, (*Galeno auctore*) vel magnum imminet periculum, ne vires a vigiliis, & constanti dolore deiiciantur, *vt inquit Alexander Trallianus.* Ad curationem igitur calculi in renibus exsistentis statim properandum erit. Ideo & alia exempla supradictis adiungemus.

10. 11. aphr. 7. 12.

OBSERVATIO XXIII.

De calculo renum, cum ingenti dolore & vrinæ retentione.

DOminus de Fama, Chiliarcha, anno 1585. tertio die Decembris, cum per periodos antea ex calculo obstructio in renibus laborasset, eoque subinde collapso per vreteres in vesicam, lotium omnino retinebatur: nunc in idem malum incidebat, cum intensissimo dolore circa renes: lotium omnino quoque retentum fuit, & adeo vehemens in nocte malum increbuit, vt me ex lecto vocaret. Cum igitur in accessione mali esset, & dolor illum adeo vrgeret, vomitu obrepente, non tamen iuuante, & vir admodum crassus & pituitosus esset, huic malo sæpius obnoxius, omnium primo *accessioni succurrendum esse proposui*: & postea, *in tempore remissionis, reliquam curationem ad calculos diminuendos & expellendos esse persequendam.* Oportet enim omni diligentia huic tam immitti malo & dolori atrocissimo celeriter succurrere. Nam ægrum sæpe tam acriter sine intermissione obruit, vt ex hac vita multis lacrymis & lamentationibus celerrime cogatur ire. Quare clystere omnium primo ventrem emollire studuimus, cum aluum nequaquam deponeret: idque statim faciendum esse ægroto consuluimus, ne meatus vrinæ magis obturarentur, cum stercora dura tum ventositates, quibus intestina repleta videbantur, dolorem renum ex calculo magis augebant. Et licet hic aluus clysteriis inanienda sit (*vt Alexander Trallianus etiam admonebat*) non tamen admodum acribus, sed potius quæ copiosius oleum recipiant, possintque laxare, & comminuere citra acrimoniam. Tale est *althææ decoctum, fænugræci, ficuum siccarum, furfurum, chamæmeli, & oleum chamæmelinum.* In calidioribus admodum etiam ptisanæ cremores *cum rosaceo, chamæmelo, &*

1. 2.

luteis ouorum compositi. Mitigant enim & bonam locis temperiem inferunt, & morbi caussam minuentes, eos, qui continue calculosi sunt, ne affectu corripiantur, prohibent. Verum cum sæpissime (*vt dictum quoque est prius*) etiam tempore paroxysmi ventositates in intestinis abundent, dilatantes & comprimentes renes, cuius caussa dolor multum intenditur, vti in hoc viro eueniebat, & aluus durior esset, tale enema feces emolliens, & educens, dolorem sedans & simul aliquo modo ventositates expellens, præscripsi. ℞ *radic. althææ mundatæ* ℥ *j. foliorum maluæ, mercurial. parietariæ, florum chamomill. meliloti, summitatum anethi, ana m. j. furfuris in nodulo ligati p. j. sem. lini* ℥ *iij. sem. anisi* ℥ *j.* ß. *fiat decoctio in aqua communi pro* ℔ *j. colaturæ adde diacatholici, electuarii lenitiui, benedictæ laxat. ana* ℥ ß. *olei chamæmelini, anethini, amygdal. dulc. ana* ℥ *j. salis communis* ʒ *j. salis gemmæ* ʒ ß. *misce*, statim iniiciatur. Ter eo aluum deposuit, & dolor nonnihil mitigabatur, & paucum lotii emisit: & vt magis irritaretur ad lotium reddendum, quod retinebatur, apponi iussi pectini cataplasma post operationem clysteris, ex parietaria in patella cum butyro prius fricta. Mane, cum satis robustus esset, & dolor non mitigaretur satis & venæ sectioni assuetus esset, & venas satis latas & amplas haberet, venam in cubito ex mente Aetii secari iussi. De qua venæ sectione latius in *Scholio*. Fotum quoque hunc adhibuimus: dolore enim perseuerante non oportet a remediis quiescere, neque hora prætereunda est (*vt Guainerius recte admonebat*) quin apud ægrum aliquid faciamus: fecibus prius cum clystere eductis, ad fotus, sacculos, vnctiones, emplastra, insessiones deueniendum est, cum recte enim dixerit Alexander Trallianus: *Calculo affecti in accessionibus quidem medicamentis curari debent, quæ laxare, lenire, & præterea comminuere, postea & calculum educere possunt.* Ipse vtitur balneo, & dicit *omnium optimum esse, vt quod non solum mitiget, sed etiam curare possit*: & inungit in balneo copioso oleo chamæmeli. At quum in hyeme essemus, a balneo abstinentes, fotu contenti fuimus sequenti; & etiam sacculis. ℞ *radic. althææ mundatæ* ℥ *iiij. foliorum maluæ, parietariæ, chærefolii, florum chamomill. meliloti, ana m. iiij. sem. lini* ℥ *j. sem. maluæ, petrosel. ana* ʒ *ij.* ß. *fiat decoctio in aqua communi, incisis primis & incidendis, & concussis concutiendis, pro* ℔ *iij. pro fotu. Reliquiæ deinde pistentur, & fiant duo sacculi quadrati*: qui post fotum calide alternatim lumbis, inguinibus & pectini applicentur: quibus dolor multum mitigabatur, & lotium fluere cœpit. Præscripsi tunc, vt ex hoc decocto sumeret ad libitum. ℞ *radic. ononidis, fœniculi, petroselini, glycyrrh. rasæ, ana* ℥ ß. *sem. althææ, maluæ, ana* ʒ *j.* ß. *cicerum rub.* ℥ *j.* ß. *sem. quat. frig. maior. ana* ʒ *j. ficuum pinguium num. v. sebest. num. iij. hordei mundati* ℥ *j. granor. alkachengi numer. vij. fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ *j.* ß. *addendo syrup. de limonibus, de quinque rad. ana* ℥ *j. fiat apozema. calculos reddebat, sed exiguos.* Dedi etiam per os id, quod sequitur: ℞ *syrup. ex infus. ros. pallid. cum foliis sena & rhabarb. ana* ℥ *j. aquæ maluæ* ℥ *ij.* ß. *electuar. lenitiui* ʒ *j.* ß. *misce, & bis terue excreuit.* Verum postea rursus redibat dolor, & aluus retinebatur: quare vt iterum clyster iniiceretur mandaui, capiendo decocti pro clystere vltimo descripti ℔ *j. addendo diacatholici* ℥ *j. diaphœnici, benedictæ laxat. ana* ʒ *ij. olei amygdal. dulc. anethini, chamæmel. ana* ℥ *j. vitellum vnius oui, salis communis* ʒ *j.* ß. *misce, pro clysteri*; & habuit quatuor vel quinque secessus. Et rursus sacculis appositis dolor mitigabatur omnino. Deinde vt calculos melius expelleret, & ipsi magis comminuerentur, dedi cochlear vnum atque alterum nostræ destillationis contra calculum, quæ fit ex rad. ononid. & raphani syluestris (*nostri vulgares MeerRettich nominant*) cum vino Rhenano in balneo Maris destillata. *dabam* ℥ *ij.* ß. *pro vice, cum* ʒ ß. *oculi cancrorum puluerisati.* Do aliquando etiam sine oculis cancrorum, vti aliquando etiam multis consului post supradicta lenientia & emollientia, & præcipue Domino Villerio equitum magistro, cui & consultationem in scriptis dedi. Et vt adhuc viæ laxiores fierent, imperaui quoque vt renes, & oblique ad inguina descendendo pectinem inungeret, hoc vnguento. ℞ *olei lilior. alb. amygdal. amar. ana* ℥ ß. *pinguedinis gallinæ, caponis, ana* ʒ *iij. vnguent. dialthææ* ʒ *ij. misce.* Postea vt renes magis purgarentur & viæ vrinales, exhibui quoque hunc bolum: ℞ *cassiæ recens extractæ* ℥ *j. sem. anisi, puluerís.* ℈ *j. zaccharo candi asperso fiat bolus.* Et si dolor aliquando rediret, iubebam, vt flores chamomillæ decoqueret in ceruisia, & ex ea cyathum sumeret. Deinde vno atque altero die intermisso sumsit & hunc puluerem. ℞ *pul. specier. Iustini* ℈ *ij. oculi cancrorum* ℈ ß. *fiat pul. detur cum cyatho vno decoct. infrascriptæ.* etiam illud quod sequitur. ℞ *pul. specier. Iustini, lithontrib. ana* ℈ *j.* ß. *oculi cancrorum* ℈ ß. Sed & apozema, quod sequitur aliquando sumebat absque puluere, ℞ *radic. althææ mundat. ononidis seu arrestæ bouis, petroselini, fœniculi, lappæ, apii, ana* ℥ ß. *florum rorismar. chamomill. ana p. j. agrimon. parietariæ, chærefolii, capill. vener. polytrichi, ana m. j. seminis anisi, fœniculi, carui, ameos, dauci,* (nam valde ventositatibus homo crassus & obesus erat obnoxius quoque) *ana* ʒ *j.* ß. *sem. petroselini* ʒ *j. sem. maluæ* ʒ ß. *iuiubar. sebesten, ana num. v. gran. alkachengi num. vj. fiat decoct. in aqua communi & vino Rhenano, ana p. æ. ad* ℔ *j. coletur*; clarificetur, prius cum zacharo albissim. condulcorato ad saporem delectabiliorem, *cum* ʒ *ij. cinnamomi electi: fiat claretum.* Multos calculos ad magnitudinem parui pisi & cicerum modo citrinos, modo subrufos expellebat. Quia vero ventositatibus valde erat obnoxius, pro iis depellendis capiebat subinde ʒ ij. huius confectionis in tabul. ℞ *specier. diacymini* ʒ *j. dissol. in aqua flor. chamom. q. s. adiiciendo zacch. albiss.* ℥ *j.* ß. *fiat confectio in tabulis.* Interea etiam renes in fine & inguina inungebat, vbicunque leuem aliquando dolorem sentiret, linimento infrascripto. ℞ *olei liliorum* ℥ ß. *olei scorpionis, cheirini, pingued. gallinæ, caponis, ana* ʒ *ij. misce.* quibus remediis

7. mediis multis lapillis expulsis, eo tempore conualuit. Consului tamen, vt post expulsos nunc lapillos, ne alii renascerentur, cum corpus obesum haberet, victu exquisite extenuante vteretur. Nam scopus (*teste Alexandro Tralliano*) est, ne crassior aut frigidior materia, quæ ad calculi generationem idonea est, congregetur. Ideo contra studendum est, vt bonam temperiem conciliemus, & extenuantibus citra magnum calorem vtamur. Imperauimus igitur, vt caueret cibos substantiæ duræ, & qui ægre manducatione atteruntur, item eos, qui multam substantiam habent, plurimumque nutriunt, & qui aceruatim digeruntur, antequam perfecte coquantur, & qui grauis sunt qualitatis, siue difficulter commutantur, ac supernatant, & ægre per aluum subeunt, & inflant; item eos, qui meatus obstruunt, aut alias diutius in corporibus insident, *ex Aetii sententia*. Si autem cibus boni succi & moderatus, *vt Paulus ait*: rarusque leguminum omnis generis, frumentaceorumque vsus. A caseo, lacte, & quæ ab ipsis præparantur, præcepi vt caueret. Nam omne lac eis incommodum exsistit, præter asininũ, propterea quod ceteris omnibus est tenuius asininum: ideo confert, *ex eiusdem Galeni & Aetii sententia*. Præ omnibus satietatem vt euitaret, consului, vinoque tenui vrinam cienti, non valde veteri, vt quoque vteretur: nam dulcia calculosis sunt noxia, & rubra ac nigra: & summatim omnia, quæ crassi sunt succi, ac nimis calida seu acria nocent. Confert
8. hic & a cœna, vt sæpe vomant. Quia tamen crassus es, & difficulter vomis, non incitandus vomitus, nisi ad illum pronus fueris. Laudant quidam aquam tepidam ante omnem cibum bibere, nihilque renes adeo recrementis vacuos temperatosque reddere scribunt, vt non amplius calculos procreare possint: nam temporis spatio igneus ipsorum calor a tepore aquæ exstinguitur. Quare probe faciunt, qui bibunt etiam in medio pastus aquam, aut vinum refrigeratum, aut rosaceum, aut violatum, *vt idem Alexander inquit*. Paulus vero a balneo, ante vinum, aquam temperatam potandam ieiuno exhibet, tamquam omnium præsentissimum remedium ad calculos arcendos. Sed quia Dominus ex parte pituitosus est, ægre aquam ferret stomachus. Curabis interea, vt intemperatis locis degas, (*quod tamen difficile erit militiam sequenti:*) in quibus anni tempora & horæ nimio feruore non infestent: frigora tamen magis quam æstus cauenda. Assumes etiam otiosas deambulationes & exercitia moderata. Etenim segnities & ocium calculosis nocent. Ventrem semper, vt laxum habeas stude, idque sponte vel natura, aliquando cum cassia recenter extracta, si opus est. Somno vtaris moderato, sed non in culcitra. Inter leuia remedia quibus ad calculi diminutionem vti posses, per interualla conuenit oxymelli vti, cum quodam simpliciore vrinam ciente, veluti adiantho, apio, graminisque decocto. Alexander approbat palustris asparagi decoctum, eryngii & herbæ quinquefolii & plantag. tum radicem, tum vero folia & semen, ac cicerum ius. Si aliquando sanguis abundare videbitur, maxime vere, curiose inspicienda erit temporis oportunitas, vt venam seces, cum consilio medici tui astantis. Id e-
9. nim Paulus & Aetius suadent, vbi sanguis abundare videatur. Interea quum etiam pituitosus & satis crassus exsistas, & facile humorum copia asseruetur subinde ex commessationibus, eo quod militiam sequaris, & non semper optimo victu vti possis, non erit incommodum, prout videbitur medico astanti pro ratione reduntantis succi purgatione vti. Per interualla ea bibes, quæ vrinam ciere possunt tam simplicia, quam composita. *Vt sunt decocta acori, rad. valerianæ, graminis, nardi, calami arom. asari, dauci, petros. hyperici & rorism. decoctum.* Ex his singula eisque similia tum per se, tum inuicem permixta præberi possunt: nam vrinam manifeste mouent, *teste Aetio*. Et in cibis vti quoque poteris pastinaca valde cocta, fœniculo, carduo, pulegio, calamintha. Ab eodem quoq; naturalium aquarum vsus (*verum non sæpe*) tanquam conuenientissimus commendatur Similiter si per plures dies rad. eryngii, vel dictamni decoctũ bibas, vel ononidis; quæ a me valde probatur. Vel satis erit semel in hebdomada accipere ℥ ij. *destillationis* nostræ superius descriptæ contra calculum.

SCHOLIA.

10. *Curatio.* Pro curatione calculi renum auctores inprimis vitæ institutum, tum victus rationem probam præscribunt, qualem nos descripsimus *obseruat. præcedente*. Similiter eligendo aerem purum ac temperatum, somnumque paulo longiorem consueto & quietem vitando, mediocria exercitia admittendo, pro ætatis habitus roborisque ægrotantis ratione: violenta fugienda, & immodici animi affectus declinandi, cibique moderati & bonæ concoctionis præcipiendi, vitando cruditates morbum hunc asperantes & etiam generantes: & reliquis iam dictis vtendo; caseum, omnia acria, dulcia, crassa, tanacia & pinguia relinquendo. Sed potius prisanam, vel eius cremorem, vel gallinarum seu pullorum, sternarum, phasianorum ius exhibendo, aut panem in eodem iure maceratum aut contusa carnium dictarum, vbi vires requirant. Vinum tenue album non vetus, reliqua tanquam calculosis inepta vitanda. Sitque aqua lymphatum purissima, & purgata atque decocta. *Vomitus.* Vbi renum hic affectus subito inuadat, & qui laborat cibo nuper refectus sit, cibique adhuc sint incocti, aut semicocti, ante omnem aliam curationem pro doloris mitigatione (*nisi quicquam impedimento sit*) vomitum prouocare expedit. Nam leuiores quidem a vomitibus euadunt, *vt antea diximus*, sed Hippoc. & Gal. testibus, licet accessio mitigetur, sæpe tamen eo malum non tollitur, quamuis leuetur. Interea tamen si æger nauseet, & ad vomitum sit procliuis, tunc vtile erit eundem leuiter incitare cum aqua communi & aceto, aut oxymelle simplici, & aqua raphani, *vt Guainerius suadet*. A vomitu tamen, vt paulo ante diximus, ab affectu non liberantur, cum cibis vacui sunt, vt Galenus asserit: (*qua idẽ ratione ex eiusdẽ Galeni sentẽtia, & alimẽti recremẽta, quæ in intestinis colli-*

11. *Clysteres.*

guntur, sub cibi nomine comprehenduntur) confestim euacuari debent per idoneos clysteres, modo nihil obstet: idque omnibus calculosis commune est, etiamsi dolores paulatim irruant, & non repente incidant: qui ex furfurum decocto, caricarum, fœnugræci ac aristolochiæ, parari debent, *vt inquit Aetius.* Sint autem lenientes inprimis; qualis ille est, qui recipit *viol. althææ, furfur. borag. ana m. j. ficuum, num. vj. sebesten, num. vij. ex his fiat decoctio, de qua accipe ℥ x. vel xij. & in ea dissolue cassiæ ℥ j. ß. butyri recentis ℥ ij. olei communis ℥ ij. ß. salis triti parum.* Talis vel similis statim est præscribendus, cum ad ægrum deueneris, si feces retentæ sint. Alii iubent & feces educi per glandes. Neque hic statim *(vt quidam imperiti medici faciunt)* vbi ad ægros acciti erimus hac passione laborantes, diaphœnicum aut electuarium indum propinabimus, aut simile quid cum vino maluatico, aut alia fortia diuretica quauis diei hora: nam qui id faciunt, non solum exhibendo talia pharmaca peccant, sed multo deterius cum vino maluatico præbent, cum potius dolores sedentur clysteribus lenientibus: nam ita fecibus eductis, maxima pars doloris sedatur: imo si calor & acumen post exitum stercoris adfuerint, & post intestinorum mundificationem aqua hordei cum oleo violar. & oleo rosa. & muccagine seminis lini & psyllii, *vt quidam iubent*, etiam iniiciatur. At si clysteri supradicto ab Aetio descripto etiam decenter euacuentur, tunc sinere oportet: si vero non, etiam bis aut ter infundere. Quibus adiicere possemus *olei communis ℥ iij. mellis ros. ℥ ij. ac salis communis parum: vel ex maluarum, althææ, mercurialis ac betæ foliis, carycis ac furfur. decoctum paretur, pauco sale addito. cui adiicias olei communis, anethini vel chamæmelini ℥ iij. mellis ros. ℥ ij. ß. pulpæ cassiæ nouiter extractæ ℥ j. Et si ex his aluus non sufficienter excreuerit, ℥ ß. diacatholici aut hieræpicræ, vel ℥ iij. confect. de dactylis seu elect. indi adiicias, nec minus & ℥ j. butyri recentis, aut adipis anserini.* Ceterum vbi venter sufficienter inanitus fuerit, quædam infundere oportet, *ex Aetii præcepto*, quæ corpusculorum circa lapidem sitorum inflammationes lenire, & laxare possunt: idipsum vero oleum anethinum facere poterit, adipe gallinaceo recenti in eo liquato, seu anserino, aut etiam butyro, quæ si non adsint, etiam fœnugræcum & althææ rad. oleo decocto infundemus. Refert Guainerius, cum etiam tempore paroxysmi adsunt aliquando ventositates in intestinis cum fecibus retentis, quæ comprimendo renes dolorem magis augent, tunc post lenientem clysterem, hunc vel similem iniiciendum: adiice decocto maluæ, betæ mercur. chamom. etiam aliquid sem. anisi, fœniculi *in ℥ viij. decoct. dissoluendo benedict. ℥ j. cassiæ ℥ vj. duos ouorum vitellos, & ℥ iij. olei chamæmel. cum exiguo salis.* Idem in hoc casu ℥ vj. olei chamæmel. absque re alia commode iniicere iussit. Interea vbi lapis in renibus adeo fuerit obturatus, vt vehementissimos attulerit dolores, si quid aliud non prohibeat, vena cubiti propinquæ manus in corpore ex repletione affecto secanda est, *ex Aetii testimonio.* Namque eis, qui sanguinis multitudinem congregarunt hæc venæ sectio commoda exsistit, *vt ipse Hippoc. inquit.* Verum *lib. 6. de morb. vulgar.* cum opus fuerit, iuuenibus præsertim poplitis venam incidere iubet, vbi sanguis multus aut crassus in venis abundet, *vt Galenus inquit.* Nam *(vt ipse asserit)* membra supra iecur cubiti venæ sectionem postulant, infra vero, crurum, in poplitibus videlicet, aut omnino saltem iuxta malleolos. Libro autem de renum affectorum dignot. aut curat. hæ oppositæ sententiæ conciliantur. Scriptum namque ibidem est, quod vbi valida fuerit virtus, venam, quæ in poplite est, aperimus, vel quæ ad malleolos: sin imbecillis, venam, quæ est in cubito. Nam si virtute debili infra euacuamus, retentrix facultas, quæ est imbecillis, non retinebit, sed vniuersa in præceps rapietur, & partem assiduo defluxu impetet, succis videlicet in locum imbecillem perpetuo procumbentibus: sed cum perpetuo venæ sectio in Hippoc. & Galen. doctrina virium robur exigat, non video eisdem, *(quod & Donatus etiam sentit)* imbecillis exsistentibus cur vena secanda sit, etiam ea, quæ in cubito exsistit. Propterea cum eodem Galeno *lib. de curat.* per venæ sectionem, sic de ea sentirem, ac iam dictos auctores conciliarem: ait namque ambiguum esse, an renes partibus superioribus, an inferioribus asscribi debeant: & propterea eis affectis neque perpetuo in cubito secta vena, neque etiam in poplite, aut malleolis iuuantur, sed vbi recens fuerit phlegmone, copiaque sanguinis affuerit, vena cubiti secanda est: quibus vero affectio inest, quam proprie nephritim nominant, in iis eam, quæ in poplite est secare expedit, aut certe, quæ in maleolis sunt. Reuulsionis itaque gratia, vbi copia sanguinis affuerit, & timor adsit, ne ex ingenti dolore phlegmone excitetur, Aetius venam cubiti propinquæ manus secari iussit, vt ex eius verbis patere poterit. Sic nos etiam in cubito sanguine non multo extracto, nisi mediocriter abundante, in homine 50. annorum, id fecimus: Hippocr. vero euacuationis gratia cum reuulsione, seu deriuatione, vbi sanguis multus aut crassus in venis abundet, cum eundem sursum reuellere promtum non sit: sed magis expeditum per inferiores partes euacuare, seu per conuenientiorem regionem, qua maxime natura vergit *(vt sui moris est)* poplitis venam secare præcepit, e directo videlicet affecti renis, cum rectitudinem perpetuo seruandam esse iusserit. Verum quæcumque vena incidatur, multo minus euacuandum est, quam ipsa repletionis copia expostulat: neque enim *(vt inquit Aetius)* futurum speramus, vt omnino cito e renibus excidat lapis, præsertim si magnus exsistat. Quare seruare oportet sanguinem in eam, quæ cum tempore futura est in corpore expensam. A venæ sectione, vbi etiam vitioso humore ægri abundabunt, purgans medicamentum, quod abundanti humori conueniens sit, præbendum est: neque omittendum, hoc est, nisi aliud quippiam id fieri prohibeat: notissimum namque est *(vt inquit Gal. 6. de morb. vulg.)* quod si vtroq; auxilio homo indigeat,

12.

Vena sectio.

13.

Diuersæ sententiæ.

Conciliantur.

Propria opinio.

14.

Purgans medicamentum.

15. indigeat, a venæ sectione incipiendum est, quoniam si per sanguinis missionem corpus prius vacuatum fuerit, purgans medicamentum exhibitum venas & arterias, & inanes corporis regiones inuenit non oppletas: quo fit, vt absque vllo impedimento in totum corpus permeet ad attrahendum succos: facilimeque fit eorum euacuatio per vasorum spatia & fusionem, tenuitatemque succorum. Nam si vasa sanguine repleta sint, & purgans medicamentum dederis, non poterit propter plenitudinem in corpus differri; vnde fit, vt subsistet, & nihil efficiat, aut si quicquam facit, male faciat, *vt liquet lib. de renum affect. dignot. ac curat.* Pariter vbi sanguinis multitudo non affuerit, sed vitiosi duntaxat humores redundarint, eisdem purgatio apta est, citra venę sectionem, pro ratione redundantis succi. Sed hic quidam purgationem primo exhibent, & post purgationem adhibent fomenta, insessiones & vnguenta: alii non, nisi fotus lenientes pręcesserint post clysteres: *vt Guainerius facit, insequendo vestigia Auicennæ,* qui in principio abstinet a purgationibus: exhibitum enim pharmacum, per os a superioribus versus renes trahendo materiam, valde augmentat. Ideo in lenitione naturæ est alleuiatio plurima, magis quam doloris sedatio: hinc solutiua per clysteres lenientes fieri volunt, cum administrationem per os ægri non tolerent. Et ideo volunt, vt calculoso in principio clysteres acuti vel carminantes imponantur: cuius exemplum ponit de quodam medico imperito Guainerius, qui eiusmodi enemata carminantia præscripserat, per quæ statim in principio adhibita nullæ feces eductæ fuerunt: & cum nullas fomentationes adhibuisset, sed solum cum oleo scorpionis locum dolentem inunxisset: qua ratione valde auctus est dolor. Cui succurrere idem cupiens, sanguinem hirci cum vino maluatico in bona satis quantitate exhibuit: & sic dolor intolerabilis adeo ægrum torsit, & impatientem reddidit, vt nullis modis sese Deo commendare potuerit, & cum magna desperatione sic exspirauerit. Et ideo admonet medicos, *vt sibi ab eiusmodi caueant, cum non solum de morte corporis, sed quod deterius est, de morte animæ Deo rationem reddituri sint.* Ideo etiam diuretica vitanda sunt, neque ea in cibo (*vt vulgus medicorum facit*) dabimus, cum secum cibum vna ad renes indigestum deducant: & ideo nonnisi stomacho prius repurgato, etiam diuretica danda sunt; & vbi tempus est, de quo postea, ea adhibemus per duas aut tres horas ante cibum. Præstat igitur his dictis prius vti, nempe clysteribus emollientibus, etiam fotu; quamquam, *vt Donatus iubet,* si præcesserint clysteres & venæ sectio, mel roridum seu cassiam fistulam exhiberi posse putant alii, si bilis redundat: si pituita, dat cassiam vel diacatholicon cum electu. seu confect. de dactylis. Verum fecibus quouis modo eductis per clysteres, mitigato vel saltem quiescente dolore, exhiberi poterunt *cassia recens tracta* ℥ x. *cum decoct. capill. vener. flor. borag. buglos. viol. sebesten, hordei mundat. sem. 4. frig. maior. glycyrrh. & passular. adiecta* ℥ j. *syr. viol.* idque in aurora calide.

16. *Historia Guainerii de medico imperito.*

17.

Quæ potio siue operetur siue non, sumat æger prandium hora consueta. Si ante cœnam ex ea ventrem non deponat, iniiciatur clyster ex iure pulli gallinacei vel caponis ℥ x. *mellis rос.* ℥ j. ß. *cassiæ* ℥ j. *olei commun. vel amygdal. dulc.* ℥ ij. ß. *salis triti parum, fiat clyster.* Cassia itaque per se vel clysteris auxilio si operationem fecerit, tuto & securius ad lapidem comminuentia accedemus. Interea etiam post clysteres lenientes, possemus & sacculis & fotu & vnctionibus vti, vel etiam post leuia lenientia per os exhibita, clysteribus mollioribus, vel etiam venæ sectione præcedenti. De sacculis, mollientibus, aliisque topicis, *Scholio sequenti latius dicemus.*

Observatio XXIV.

De nobili muliere ex renum calculo laborante.

1. Domina de Marquet, soror eiusdem Domini, de quo præcedenti Obseruatione egimus, similiter calculo renum frequenter laborabat, non sine magno dolore, antequam calculi per vreteres in vesicam descenderent; quos magno numero, sed valde exiguo, subinde reddebat, his subscriptis remediis, quando ad eam in accessione huius mali accitus essem anno 1588. 19. Iulii die hoc enema sequens, cum magno dolore afficeretur, inieci. ℞ *rad. althææ mundatæ* ℥ j. ß. *mercurialis, betæ, florum chamomill. meliloti, ana m. j. rad. brancæ vrsinæ* ℥ j. *sem. lini, fœnugræci, anisi, fœniculi, ana* ℥ ij. (ventositatibus etiam erat obnoxia, cum magis ex calculi dolore mulier pituitosa & satis crassa afficeretur) fiat decoctio in aqua communi, *circiter* ℔ j. *adde cassiæ mundatæ pro clysteribus* ℥ j. *benedictæ laxat. hieræ picræ, ana* ℥ ij. *olei amygdal. dulc. chamæmelini, anethini, ana* ℥ j. *vitellum vnius oui, salis communis* ℥ j. ß. *misce, fiat clyster.* Cum ter quaterue aluum deposuisset, cum magna alleuiatione, hunc fotum præscripsi: ℞ *radic. althææ* ℥ ij. *parietar. bismaluæ, florum chamomill. meliloti, summitatum anethi, ana m. j. sem. lini, fœnugræci, maluæ, sem. anisi, fœniculi, ana* ℥ ij. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. ß. *fiat fotus,* vt artis est, cum duabus spongiis alternatim.

2. Quibus remediis dolor cessauit: & cum ex clystere plusquam quatuor secessus habuisset, non opus fuit alia purgatione. Ex decocto deinde cicerum, ononid. fœniculi & asparagi, cum chærefolio & parietaria, malua & ficubus, multos calculos reiecit cum lotio, & deinde optime valuit. Verum anno 1589. mense Maio iterum in eundem dolorem incidit, quamuis paulo minorem quam præcedentem. Cum autem aluum non deponeret, libenter rursus clysterem iniecissem, sed illa prius id cum glande tentandum esse dicebat: atque illud satis esse putabat. Quare hoc suppositorio præscripto, aluum commode deposuit ℞ *pul. specier. hieræ picræ* ℈ ij. *trochisc. alhandal.* ℈ j. *salis parum, mellis q. s. fiat suppos.* deinde adhibito hoc fotu, & sumendo hoc decoctum ad libitum, multos calculos cum doloris alleuiatione exiguos, modo rufos, modo citrinos minxit. ℞ *rad. althææ* ℥ ij. *flor. chamomillæ, meliloti, ana p. j. folior. maluæ m. ij. parietariæ, chærefolii, an. m. j. sem. lini* ℥ ß. *sem. maluæ* ℥ j. ß.

fiat decoctio in aqua communi pro ℔ ij. pro fomento cum duabus spongiis alternatim (*vt fieri solet*) in decocto calide immersis & expressis ac appositis. ℞ *rad. althaea mund.* ℥ j. *liquir. rasa* ℥ ß. *maluæ, viol. parietar. charefolii ana m. j. cicerum rub.* ℥ j. *sem. maluæ, althaea ana* ʒ j. *granorum alkakengi seu haltacacabi cum suis vesiculis num. vij. hordei mundat. p. j. coquantur in aqua communi pro* ℔ j. capiebat hanc colaturam ter quaterue in die: & cum reiiceret lapides rufos, primo vt nuclea cerasorum vel cicerum instar, dolore satis mitigato, hanc leuem quoque purgationem cepit. ℞ *syrup. ex infus. ros. pallidarum seu provincialium, cum foliis senæ* ℥ j. ß. *elect. lenitiui* ʒ j. *diaphœnici* ʒ j. *aqua betonicæ* ℥ ij. ß. *fiat haustus breuis, ex quo quinquies egregie aluum deposuit.* Postea vtens etiam aqua nostra ononidis destillata, recte deinde valuit. Iussi tamen vt eodem viuendi genere tum victu vteretur, quibus & frater eiusdem (*de quo egimus Obseru. 23. præcedente circa finem*) vsus est, tam ad præcautionem, quam curationem valde commodis.

3.

SCHOLIA.

Toto autem corpore purgato per clysteres lenientes, vel per venæ sectionem, quæ laxare meatus ac renum corpora mollire valent medicamenta adhibenda sunt, vel (*vt alii volunt*) etiam post leues purgationes præcedentes, *ex manna, caßia, diacatholico vel similibus: vel etiam ante, vt nos fecimus*, quod & alii practici egregii iubent, *vt Guainerius*: ita & quidam nostri temporis, *vt Rondeletius*, qui bolo quidem cassiæ vtitur post clysteres, fotus & inunctiones: sic etiam interpres Hollerii in ordine primo ponit clysterem leuem, deinde fomentum & vnguentum, venæ sectionem, deinde & bolum, sic cassia molliuntur viæ, vel sola, vel cum rhabarb. cessante dolore & vomitu. Postremo adhibent ea, quæ comminuunt lapidem. Fomenta igitur conficimus ex decocto folior. maluarum, foliorum ac radicum althææ, florum chamæmeli, fœnugræci, seminis lini, & rad. graminis in hydrelæo. & cum spongiis sæpe supra affectum renem adhibemus. Vel hoc vti possemus. ℞ *maluæ, bismaluæ cum toto, ana m. j. ß. parietariæ capill. Ven. anethi, meliloti, caulium, ana m. j. florum chamæmel. p. j. semin. fœnugræc. lini, ana* ℥ ij. *ex his vel similibus decoctio fiat, pro fomentis pro renibus cum spongiis.* vel iis vtere quibus nos vsi sumus. Deinde statim a fotu renes dolentes inungantur cum oleo chamæmelino, anethino, adiectis pinguedinibus anatis, vel anseris, aut gallinæ, vel butyri recentis. Si ad vnguenti formam redigere velis, adde ceræ parum. Vel ex butyro recenti, *axungia gall. oleo viol. & amygdal. dulc. liliorum, adiecta cera.* Ex eisdem rebus, quibus fomenta fiunt, etiam insessiones parari poterunt. At omnium (*vt inquit Alexander*) optimum est balneum, vt quod non solum mitiget, sed curare possit, id vero ex dulci aqua fiat, aut ex hydrelæo: vel iisdem decoctis adde oleum chamæmelinum vel solam aquam calidam, cum oleo communi, cum filtro & spongia reni dolenti adhibeas: & post fotus vel etiam insessiones, inungas *cum oleo sizamino, & adipe anatis, vel oleo ex fœnugrac. althaa, vel cum oleo anethino, vel vnguentis sup. adiectis.* Aliqui postea aliquid olei scorpionis addunt. Post fomenta vero, insessiones ac balnea adhuc cataplasmata conueniunt, vt illud quod recipit *farina tritici & sem. lini, fœnugræc. ana m. j. olei aneth. rad. althaæ, contusæ* ℥ iiij. *misce, cum oleo chamom. & amygdal. dulc. alii addunt resinæ tereb.* ℥ ij. *& mellis* ℥ ij. *misce.* Vel quod ex lupinorum farina fit, hordeacea, sem. lini in aqua & oleo decoctis. Vel: ℞ *muccilla. sem. lini, fœnugræc. ana* ℥ vj. *axung. gallinæ,* ℥ iiij. *farinæ hordei q. s. ad inspissandum, fiat emplastrum.* Vel: ℞ *medulla panis remollita in vino & expressa* ℔ j. *pistetur, & cum oleo chamæmel. q. s. ad impinguandum, fiat cataplasm.* ac circa lumbos & ventrem imponatur. Neque tamen erit absurdum pectini ac vesicæ eadem vnguenta ac cataplasmata adhibere: & ne quam primum frigescant, calefactorio extra ea contegere oportet: id quod commode fieri potest per saccellos ex milio, furfure ac floribus chamæm. paratos, ac in latere pauco vino insperso calfactos. Aliqui hæc cataplasmata stupis vel succida lana, lumbis & aliis locis imponunt: præstat autem extendere supra pannum lineum, vel quem vulgus fustaneum vocat; & ita apponere. Hoc quidem magna cum experientia apposuit, *ex medulla panis in aqua decoct. ficuum remollita & fortiter expressa* ℔ j. *duobus vitellis ouorum, admixto oleo chamæmel. q. s. ad formam cataplasmatis.* Quod si fiant insessiones, encatismata, in tina ab vmbilico vsque ad inferiora æger in balneo actualiter calido permaneat: & si eo delectetur, pro libito in eo moram trahat æger: sed debilis citius exeat. Tinam egrediens, linteis calidis leuiter exsiccetur, & locus dolens aliquo vnguento ex suprascriptis inungatur, vel emplastrum aliquod admoueatur. Ex iisdem, quibus fomenta fiunt tinæ decoctio paratur, nisi magna adesset inflammatio, cum aliqua frigida, *vt folia viol. cucurbitæ, flores nenupharis*, & similia adiiciuntur: & ex tina egrediens oleo violaceo inungatur. Eodem modo parantur & sacculi, quibus & loco fomentorum vtimur, *ex furfure triticeo. flor. chamomill. rad. althaa, meliloti, anethi, cum oleo chamomillæ decoctis.* Sed amouendi cum infrigidari cœperint, & calidi sæpius imponendi. Et demum ex oleo chamomillę calido vel aliquo supradicto locus dolens inungendus. De cucurbitulis antea dictum est: sed eæ non adhibendæ dum dolor vehementius infestat; verum lenito dolore, & inflammatione non impediente Quo etiam tempore supradictis iam adhibitis, & dolore mitigato, tempestiuum erit exhibere ea, quæ vrinam ciunt, ac lapidem frangunt. Etenim transmoto lapide, & ex sede agitato dolores quiescunt, *vt ipsemet testatur Aetius. Qualia illa sint, Scholio subsequente dicemus.*

4. Fomenta. Vnctiones. 5. Insessiones Balnea. 6. Cataplasmata. 7. Sacculi.

OBSERVATIO XXV.

De calculo renum, cum omnimoda lotii retentione.

1. Dominus generosus de Asperen de Carnes, quum calculo renum laboraret, cum dolore nephritico, & omnimoda lotii retentione, anno 1577. 13. die Ian. ad illum accitus hoc sequens enema sta-

ma statim iniici iubeo. ℞. *rad. althææ.* ℥ j *folior. maluæ. parietariæ mercurialis florum chamomillæ, meliloti, foliorum viol. summitatum anethi, ana m. j sem. lini, anisi fœniculi, maluæ. ana* ℥ j. ß. *coquantur in aqua commun. pro* ℥ xij. *col.* adde vel forti expressioni cassiæ mundatæ pro clysteribus ℥ j. *benedictæ laxat.* ℥ iij *olei chamæmelini, anethini, amygd. dulc. an.* ℥ j. *salis communis* ℥ j. *vitellum vnius oui, misce, fiat clyster.* ab eo clystere iniecto dolor sedabatur, ex hoc decocto sumens, fragmenta multa calculorum minxit, & lotium libere fluxit. ℞. *folior. maluæ, viol. charefolii. ana m. j hordei mundati p. j sem. quatuor frig. maior. an.* ℥ j *sem. pap. albi* (propter dolorem & aliqualem calorem, nam macilentus & biliosus erat) ℥ j. ß. *sem. anisi fœniculi, carui. ana* ℥ ß. *iniubar. sebesten. recent. an. num vij. granor. alkakengi. num. v. cicerum rub.* ℥ ß. *ficuum pinguium. num. iij. coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *colatura add. syrup. iniubini* ℥ ij. *misce, & fiat apozema.* & ab omni dolore liberatus bene habuit. Attamen cum renes calidos haberet, & tenuis constitutionis esset, & biliosus, ad renum corroborationem & calorem, quem sæpe percipiebat in lumbis, imperaui, vt vnguento rosaceo eos inungeret, & probe curatus fuit. Quemadmodum etiam antea eius vxor Domina de Carnes prægnans in octauo mense, quæ adeo calculo (*quo & sæpe obnoxia erat*) fuit affecta, vt mingere non posset, at sequentibus remediis, cum vrina omnimodo esset restricta, duos lapillos ad pisi magnitudinem a renibus delapsos in vreteres & ibidem hærentes, ac impactos permanentes, tandem vna cum lotio reddidit: ad quam ipse octauo die Augusti anno 1576. vocatus fueram. Hæc erant remedia. ℞. *parietariæ viridis. m. iiij. cherefolii, foliorum maluæ meliloti. ana m. j. cymini parum, pulu. m. ß.* fiat sacculus quadratus & intersutus, vino aspersò pectini apponatur: & cum non iuuaret, etiam in vino decoctum & expressum calide apponebatur: etiam cataplasma, *ex parietariæ. m. iiij cum butyro recenti fricta prius in patella appositum fuit: & hac col. vtebatur ad libitum.* ℞. *sem. maluæ, althææ. ana* ℥ iij *cicerum. rub.* ℥ iij. *caricarum. num. v. hordei mundati* ℥ ij. *sem. 4. frig. maior. ana* ℥ ij *sebesten. num. ix. liquir. rasæ* ℥ vj. *coquantur in aqua communi. in* ℔ iiij *ad medietatem.* His non tantum lotium reddidit, sed & calculos prædictos, neque fœtui obfuit, quin & nono mense postea absoluto feliciter peperit. Vxor quoque Magistri Petri Steelingii, qui pueros eo tempore & Gallicam linguam Delphis docebat, quum lotium per tres quatuorve dies reddere non posset, & Guilhelmus de Dalen lithotomus multa & varia adhibuisset remedia, etiam instrumento suo vsus esset ad lapidem eximendum, cum hæc omnia frustra tentata essent, me vocarunt anno 1576. 6. die Septembris, quæ cum hæc sequentia adhibuissem, miraculi instar, lotium reddidit, & curata fuit. ℞. *parietariæ viridis. m. iiij. cum butyro fricta pectini cataplasmatis instar calide imponatur.* ℞. *charefolii, maluæ, parietariæ. ana m. j sem. althææ, maluæ ana* ℥ j. ß. *cicerum. rub.* ℥ ij. *sem. 4. frigid. maior. ana* ℥ j. *hordei mundati. p. j. sebesten recentium. num. ix. caric. num. v. liq. ras.* ℥ ß. *coquantur in* ℔ iij. *aqua ad consumptionem medietatis.* Colaturam libenter bibens continuo, post ingentes perpessos dolores per lithotomum, his remediis fuit curata, atque libere lotium mingere potuit. Pro curatione loco præmii imaginem Petri Nannii quondam Professoris Louaniensis, Alcmariani, præceptoris mei, quam hoc tempore belli forte maritus emerat, mihi dedit: quam cum antea libenter emissem, vt pecuniam pro ea quam expenderat in emendo rursus reddidissem, mihi negauerat. Sed rursus secunda vice multo peius affecta, imaginem depictam prius dedit, cum 10. Septembris die grauius in idem malum incidisset vxor, adeo graue vt Guilhelmus de Dalen catheterem per vrinarum meatum frustra imposuerit, sperans hoc modo lotium prolectari posse, cum quatuor continuis diebus iterum nihil lotii effluxisset. Verum non erat lapis in vesica, sed in vretere sinistro. Adeo intolerabili torquebatur dolore, propter retentam vrinam, vt miserabili voce tanquam desperata, clamore intolerabili nostram opem expeteret. Rursus adhibeo hæc subsequentia remedia, denuo ad illam accitus: quibus non solum lotium, sed & lapillos multos vna cum lotio minxit: ℞. *parietariæ viridis. m. iiij: cum butyro recenti, & oleo anethino,* & exiguo scorpionis adiecto, cataplasma fiat: sed clystere sequenti prius immisso, pectini apponebatur. ℞. *rad. althææ mundatæ* ℥ j. *parietariæ, maluæ, mercurialis, betæ, flor. chamomill. meliloti. ana m. j. folior. viol. m. ß. coquantur in aqua communi pro* ℔ j. *nempe* ℥ xij. *addendo cassiæ pro clysteribus* ℥ j. *benedictæ laxat.* ℥ ß. *olei chamæmel. anethini. amygdal. dulc. ana* ℥ j. *salis communis* ʒ j ß. *vitellum vnius oui, misce, fiat clyster.* & statim iniiciebatur, & locus dolens ac pecten inungebatur linimento sequenti. ℞. *olei amygd. dulc. butyri recentis, olei lini, axungiæ galinæ. ana* ℥ ß. *misce.* & pectini apponebatur cataplasma suprascriptum: & continuo bibebat ex decocto sequenti iterum. ℞. *sem. maluæ, althææ ana* ℥ iij. *cicerum rub.* ℥ iij. *caricarum pinguium. num. ix. sebesten. num. vij. sem. quat. frig. maior. ana* ℥ ij. *hordei mundati* ℥ ij *glycyr. rasæ* ℥ vj. *fiat decoctio in aqua pluuialis.* ℔ iiij. *ad* ℔ ij. *colatura ad libitum vtebatur.* Rursus minxit, & lapillos multo plures quam antea, (*cum prius non ita grauiter laboraret, vt nunc, & citius tunc curata esset*) eiecit, & perfectam valetudinem denuo consequuta est, & tunc mihi imaginem depictam dono lubens dedit. Vxor quoque Iohannis Heuteri, nobilis matrona, Barbara Zuzia, filia Domini Cornelii Zozii, Præsidis Hollandiæ cum Traiecti ageret, neque mingere posset, medici astantes oculos cancrorum puluerisatos dederunt: & hoc modo vrinam prouocabant. Nos sæpe lenientibus iam dictis præmissis, nostram distillationem ononidis commode exhibuimus, etiam subinde cum puluere oculi cancrorum, & sine illo.

Scholia.

Comminuentia lapidem, & vrinam cientia exhibemus præcedentibus clysterib. aliisque lenientibus iam dictis dolore iam mitigato, vel la-

Quo tempore vrinam ciendia ac ea quæ lapidem comminuũt, exhibenda sint.

pide transmoto & ex sese agitato, vt diximus, cum dolores iam quiescunt, *vt & Aetius recte dicebat.* Quæ vero calculosis tunc auxiliantur vnica facultate indigent, quæ secare & abstergere cum manifesta caliditate potest *teste Galen. 10 de compos. medic. secund. loc.* Talia autem sunt omnia fere amara; *vt ipse inquit.* A valde tamen calidis, ac diureticis omnino abstinendum est, præsertim a longo eorum vsu. Nam effectricem calculorum caussam adaugent, dum renes intemperatos igneosque per caliditatem reddunt, vt promte alios calculos generare possint, licet factos comminuant, *Alex. teste.*

7. Admodum itaque calida acriaque medicamenta studiose vitari debent. Vnde calculosis, quæ valde calefaciant dari nullo modo conuenit, vt liquet 6. de sanitate tuenda. Quod si necessitas te cogit, semel aut bis eis vtare, & demum desistere ab eis debes, ex eiusdem Alexandri testimonio. Ego soleo in decoctis extenuantibus & vrinam cientibus addere aliqua, quæ etiam vias simul lubricant, vt in exemplis supradictis satis liquet, addẽdo radicem althææ, vel eius semen, vel maluam, & semen eius, violas quoq; subinde & ficus, quæ præter id quod faciunt bonam aluum, *iuxta Dioscorid.* etiam vesicæ & renibus vtiles sunt. Et iuxta Galenum ficus commeabiles sunt, & facile in totum corpus peruadunt, penetrantque: nam & abstergendi vi pollent haud obscura: cuius gratia commansæ e calculosis renibus arenularum vim propellunt. His adiungimus extenuantia & incidentia, citra magnum calorem, quibus ad lapides comminuendos & vrinam ciendam propterea vtendum est, sed quæ tepidam (*vt ita dixerim*) facultatem habeant. Hæc enim paulatim citra noxam lapidem comminuunt, nec eum duriorem reddunt.

8. *Dubium.* Sed hæsitaret forte aliquis, *vt etiam Donatus ait*, si curatio quælibet per suum contrarium efficitur, quomodo lapidem possint comminuere, quæ tepidam facultatem habent, cum a calore fuerit genitus?

Solutio. Cui respondebimus, quod cum calculus ab intemperie, & valido calore sit factus, ob id merito exhibemus, quæ tepidam facultatem obtinent, vt quæ contraria his sint, a quibus lapis est effectus, siquidem tepida seu minus calida sunt valde calidis contraria, *vt liquet lib. de ren. affect. dign.* Hæc itaque medicamenta, quæ minimum caloris possident, callosas seu tophaceas consistentias incidere sunt idonea, *Galen. auctore 5. de simpl. medic. facult.* veluti sunt radices regiorum asparagorum, & rubi, & betonica, & polium, ac acetum scyllinum, & vitrum combustum, & quæ eius generis sunt, eodem teste. Præter hæc autem a Paulo graminis radix, adianthum, althææ semen, spongiarum calculi, cicer nigrum seu eius ius phu, meon, asaron, carpesion & saxifraga commẽdantur. Sion vero & scolymi radix, atque erysimon esu & potu prosunt, *vt idem Paulus testatur.* Alexander vero, *cardui decoctum cum apio, seu etiam decoctum rad. quinquefolii cum oxymelite, tanquam valde efficax commendat, & radices graminis, plantag. folia, & semen, & viticis semen, & amygdala, & peucedani radicem, radiculamque & paliuri semen & tribuli decoctum, cyperi & rumicis domestici radicem, & vermes terrenos coctos:* quorum singula partim decocta, partim tenuissime trita præbeto bibenda, *vt ipse refert.*

9. *Valentiora.* Vbi vero hæc non suffecerint, ad valentiora medicamenta transire oportet quæ (*vt Aetius fatetur*) communia etiam sunt & calculosæ vesicæ remedia, inter quæ sunt præcipua lapis Iudaicus, cicadæ siccæ sine pennis ac pedibus contusæ: ac hircinus sanguis inarefactus, qui præexsistentes lapides soluit, atque ita per lotium excerni eos facit, vt etiam alii amplius non gignantur. Præterea dolorem sedat, *Aetio auctore.* Aliqui lapidis Iudaici dosin, vt lapidis lyncis esse volunt. ʒ ß. cum aliquo diuretico.

De sanguine hircino. Quomodo autem sanguis hirci parari debeat, vide Aetium *cap. 12. lib. 11.* Colligitur autem hircinus sanguis hoc modo: *Quum vua maturescere cœperit ollam nouam accipito, & infusa in ipsam aqua, donec terreum deposuerit olla coquito: & accepto e grege hirci ætate matura, plus minus quatuor annorum eum mactato, eiusque sanguinem medium olla excipito, ita vt eum qui primum effluxit, itemque postremum penitus relinquas: medium autem inspissari sinito, & in olla situm per acutam arundinem in multa frusta dissecato: indeque reticulo denso, aut linteolo raro, aut cribro arctiore contectum sub dio exponito, vt insoletur & roscidus fiat, cauendo ne imbre commadescat: Porro vbi exsiccatus fuerit, eum diligenter terito, & in pyxide asseruato, & remittente morbo cochlearium plenum cum passo cretico exhibeto.*

10. *Thycir pharmacum.* Cognominatur autem hoc pharmacum *Thycir: Huius & nos,* inquit Phlagrius, *in breui tempore non aspernandum periculum fecimus. Aliquando odoris commendandi gratia parum phylli aut amomi, aut similium admisimus.* Ego, inquit, *hoc pharmacum cum troglodite passerculo permixtum, cuidam penitus nihil lotii eiicienti post magnos dolores exhibui, & permagnum lapidem attritum ab eo expuli.* Alii huius dosin esse scribunt, *vt Guainerius, a* ℈ j. *ad* ʒ j. *cum vino dulci cocto, aut aqua apii montani.*

Quæ a tota substantia conducant. Accedunt ad hæc alia, quæ a tota substantia conducere videntur: inter quæ passerculus quidam inter sepes & murum victum quæritans, troglodites appellatus *ab Aetio & Paulo conscribitur,* cuius descriptio ab eodem Paulo *cap. 45. lib. 3. & Aetio cap. 11. lib. 11.* Hic sale conditus, & in cibo crudus acceptus morbum perfecte sanat, in posterumque generari prohibet. Conditur autem ac diuersis modis præparatur, quemadmodum ab eisdem auctoribus in præcitatis locis scriptum est. Aetius etiam hoc ex Marciano medico Aphro efficacissimum scribit: *Leporis pellem in ollam coniice, & in furnum dimitte: atque vbi vsta fuerit, vt probe conteri possit, acceptam tere & ex ipsa cochlearium vnum cum vino, ieiunis in solis calida aqua inscensu præbe. Si vero velis experimentum pharmaci ipsius accipere, ex eo in vinum coniice, & in vinum item lapidem ex flumine acceptum iniice, & contectum per paucas horas sine, & in grumos lapis dissoluetur.* Alii leporem totum in ollam nouam reponunt optime clausam, quam in furno tam diu permittunt, vt inde pulu. fieri possit, cuius a ʒ j. ad ij. cum aliquo diuretico præbent. Alii leporem iugulantes, in sua

sua pelle sanguinem reponunt, & eam cum illo sanguine in furno tantum desiccari permittunt, quod inde puluis fieri possit, Non desunt, qui abiecta carne ossa solum cum sanguine & pelle desiccant. Quo puluere medicus Sarracenus apud Guaineriũ dicitur mirabilia præstitisse. Prægnantem leporem iugulabat, deinde lepusculos e ventre extractos, & euisceratos sanguine matris implebat, & in furno, eo modo, quo supradictum est, desiccari permittebat, & puluere inde parato vtebatur. Aquam leporis Auicenna commendabat, quæ in duplici vase destillari potest. Referunt quidam ossiculum quoddam esse in iunctura poplitis posteriorum pedũ leporis, ad fabæ mediocris magnitudinem, cuius puluis, si cũ vino optimo propinetur, calculum frangit: expertum a Marchione Montisferato calculoso. [12.] Id quod veteres de sanguine hircino dixerunt, idem nõnulli de cerui ac vulpis sanguine referunt, vt hirci etiam pręparato, & sanguinem vulpis (fertur) si pecten eo inungatur, calculũ vesicæ frãgere. Testæ ouorum a quib. extracti sunt pulli, super laminam ferream exsiccatæ, & in puluerem redactæ, *ad* ʒ ß. *puluis in debili, in forti ad* ʒ ij. *in mediocri ad* ʒ j. exhibitus cum diuretico aliquo, calculum minuit, & cinis vermium terrestium ad ʒ j. Habemus & alia remedia innumera: pulueres, aliasque compositiones *apud veteres Galen. & Aetium, & apud Neotericos*, præcipue apud Guainerium (*licet is barbare scripserit*) de calculosa passione commentariolum: in quo multa habet remedia, quæ lapidem comminuũt. Sed & hic pul. Donati ab Altomari mirifice commendatur ad lapidem comminuendum. Recipit *sem. althææ, viol. albar. ana* gr. v. *litospermatis, & radicis glycyr. ana* ℈ ß. *lapidis Iudaici & spongiæ. ana* gr. iij. *pul. ossium dactylorum, cerasorum & mespilor. ana* ℈ j. *sem. melonum.* ʒ iiij *fiat pul. cuius* ʒ j. *pro qualibet vice. cum* ℥ ij. *vini albi aquosi aut oxymelitis, aut* ℥ iij. *decocti asplenii, in aqua parati, ac exiguo aceti addito tribuatur.* Interim vero corporib. præsertim natura frigidiorib. seminis apii, asparagorum, cinamomi ac saxifragiæ cuiuslibet grana septẽ adiicere poteris. [13.] Verum vbi dolor adeo infestet, & vigiliæ supra modum ægrum conficiant, vt magnum vitæ periculũ immineat, viribus præsertim consentientib. cum his, quæ torporem inducunt, succurrendum erit, *ex Pauli Aetii sententia*, præbeaturque Philonis medicamenti, aut theriacæ nouellæ ʒ j. *cum* ℥ ij. *vini albi aquosi.* Ab aliis valde stupefacientibus & opio abstinendum. Noui quendam Paracelsicum, qui ex calculo renum cuidam, qui adeo afficiebatur, vt ob dolorem nullo modo dormire posset, opium propinauit, & nunquam deinde a somno experrectus euigilauit, sed ita dormiens tandem exspirauit. Ideo præstat adhuc leuioribus diureticis vti. Ego vero in calculosis magna cum vtilitate sæpe vsus sum (*vt in Carthusianis hoc malo obnoxiis*) decocto rad. lappæ & ononidis. Sed & sola radice lappæ in ceruisia decocta Ioan. Adriani, frater prætoris Rheniburgensis hoc modo calculosus sibi ipsi lotium prouocabat, alius vero radice vrticæ & lappæ maioris in ceruisia communi etiam decocta. Radice quoque saxifragiæ condita vtiliter vtimur. [14.] Quidam terna allii capita decocta mane assumebat, eodem die rupto calculo, protinus vrina profluebat, & dolore leuabatur. Hirundinum caro & erinacei syluestris, vt quidam tradunt, ad hoc vitium salutaris perhibetur. Sed & satiui raphani decocti mane poti ad ternos cyathos calculos comminuunt & eiiciunt. Manardus in aureo petasone, de quo prius facta est mentio, ex mulierculę cuiusdam consilio cinerem fabarum cum vino Pictauiensi instar lixiuii colabat, cuius tria cochlearia aut duo ad summum, fimo columbino pauco immixto potabat, cum ex calculo mingere non posset: idque in diluculo cum sumsisset in continenti minxit, & vna lapidum fragmenta cum vrina exibant. Referebat *adeo vehemens esse medicamentum, vt per totum corpus sudor efflueret*: tamen arcanum infallibile est, & ex eo semper mingebat. Est autem stercus columbinum adeo calidum. *teste Galen. libr. 3. cap. 3. de temper.* vt in Mysia domus ex fimo columbino putrefacto incensa sit & tota combusta. [15] Eo non solum veteres ad comminuendum lapidem vsi sunt, sed & neoterici, *vt Guainerius asserit*, qui commendat puluerem stercoris palumborum rubeorum, qui prius tamen nutriendi semine lini aut pane, in quo semen fœniculi coctum sit, deinde hoc stercus per diem & noctem in aceto infusum & iterum exsiccatum & in puluerem redactum cum cinnamomo exhibitum ad ʒ j. egregie confert. Vel ℞. *huius fimi columbini sic parati* ʒ j. *origani.* ʒ ß. *sacch.* ʒ ij. *fiat pul.* & sic vna dosis, quocunque modo detur, mirabiliter operatur. Gerardus Theodorus Melissius, septuagenarius, cum calculo & difficultate mingendi & ardore intolerabili afficeretur Delphis, & fluxu ventris, consultum est a muliere, vt apium viride cum lacte bubulo decoqueret, & aquæ addito pauco, sale, eo remedio frusta calculorum reiecit, & dolor sedatus est, atque ardor vrinæ & fluxus: rationem tamen huius medicamenti ignorabat, vt vulgares omnes, qui aliquando experimentum habent, cuius rationem explicari non possunt. Apium enim aperiebat oppilationes renum, vrinam prouocabat, & calculum comminuebat, lac vero mitigabat vrinæ ardorem, aqua vero facit ad penetrationem, ne lac etiam concresceret, sal quoque corrigebat lac, ne acesceret, & lac etiam ad fluxum faciebat. [16] Cum autem id sæpius ad calculum in se ipso expertum cognosceret, consului, si apium viride non adesset, vt eius loco semen caperet. Memini quoque empiricum lapillos albos repertos in littore maris ignitos, in vino Rhenano, modo in Pictauiensi exstinxisse, & eo vino commode vsum fuisse ad lapides comminuendos & expellendos. Valet etiam aqua destillata lappæ, in pueris, & aliquos noui ea a dolore liberatos esse, & melius minxisse. Villerius nobilis & magister equitum, Houtini frater, cum calculo laboraret, dolor in rene ac vretere illum lancinabat. Post iniectum enema sumsit oleum amygdal. dulc. cui succus limonis immixtus erat, & pectini opponebat sacculum ex cumino: quibus

præsidiis calculus expellebatur. Idem anno 1583. 29. die Nouembris, cum Delphis apud Principem Auraicum ageret, ex nostro consilio idem oleum sumsit cum succo limonis: verum cum etiam exiguum nostræ distillationis (*de qua superius dictum est*) prægustasset, miraculi instar calculos vna cum lotio reddebat.

Observatio XXVI.

De Calculo renis in vretere impacto, cum crudelissimo dolore, & vrinæ omnimoda suppressione, cui & antea ex sanguine coagulato etiam vrina suppressa fuerat, cum sæuissimis symptomatis.

1. Henricus Henrici, mercator egregius, qui Delphis in ædibus habitabat, quæ Bethleemum pro insigni habebant, a me anno 1558. cum sub finem Martii in tertianam quasi intermittentem notham incidisset optimis remediis adhibitis probe curatus fuit. Verum quum febris illum reliquisset, post plures dies iterum rediit: & tunc ex monachi empirici consilio, (*qui in monasterio Sion dicto medicinam faciebat*) in ipsa accessione sumsit decoctum herbæ cardui benedicti: ex quo rigore statim cessante, is post semihoram redibat: & rursus eodem assumto decocto cessabat: & sic tertia vice decocto denuo propinato, æger in somnum deinde incidit: mane autem sanguinem minxit, vtrum ex decocto ora venarum aperiente, an ex fragmentis, (*nam calculosus erat*) nescio. Attamen cum bis minxisset cruenta, subsequuta est omnimoda vrinæ suppressio ex sanguine coagulato & in grumos coacto. 2. Nam non diu post hæc sæuissima symptomata subsequebantur: refrigeratio membrorum extremorum & narium cum intolerabili dolore lumborum, deinde & circa pectinem, pulsus erat exiguus, & viribus collapsis, astantes mortem præ foribus esse putabant, cum membra frigida ita permanerent: & cum animam agere videretur, me tunc rursus vocarunt. Nam hoc tempore de sua salute desperans, hinc emigraturus testamentum suum in scriptis reliquerat, & tandem cruciatu intolerabili afflictus opem petebat, cum & vrina tum fæces omnino detinerentur. Ad eum igitur ingressus, hunc casum cum explicasset, & signa quę sanguinem concretum comitari solent animaduertissent, 27. die Aprilis denuo ad illum accitus, ad aluum deponendam suppositorium sequens immitti iubeo. ℞. *pulueris hieræ picræ* ℨ j. *pul. colocynth. diacridii. ana gr. iij. salis exiguum, cum melle, q. s. fiat suppositorium.* Sed ex eo aluum non deposuit, nisi stercora dura quædam, neque lotium reddidit. Cum omnia intenderentur, pectini apposui parietariæ. *m. iij. fricta in patella, addendo olei scorpionis.* ℨ j. *butyri recentis.* ℨ ß. & rursus glande indita aluum non soluebat, clysterem iniecissem, sed noluit admittere, at hoc medicamento propinato sub noctem calide (*habet autem oxymelitis simplicis* ℨ j. ß. *aquæ maluæ, artemisiæ & florum chamomill. ana* ℨ j.) primo vrinam crudam cum sanguine permixtam minxit, postea multas arenulas rubras, & dolor qui lumbos exagitabat, sedabatur. 3. Quantum valeat oxymel ad sanguinis grumos, & artemisiæ decoctum, vel aqua eius destillata, in Scholio latius dicturi sumus. At nocte sequenti dolor rursus duplo maior in lumbis reuersus est, ac vrina denuo retenta fuit, neq; adhuc alia glande immissa aluus irritari potuit. Vnde hora quarta in diluculo cum me excitassent, ac dolorem lateris, (*quo tunc valde laborabat, circa vreterem, in quo ego calculi fragmenta inhærere suspicabar, vrina permanente suppressa,*) eo nunc admittente, clysterem iniicere iubeo, & simul fotum pręscribo ad dolorem mitigandum, cum se erigere non posset. ℞. *rad. althææ* ℨ j. *folior. maluæ, viol. meliloti. ana m. j. seminis maluæ fœnug. lini. an.* ℨ *iij. ß. coquantur in aqua communi pro fotu cum spongia pro loco dolente*, quo tamen non iuuabatur: sed dolorem circa renes & lumbos magis augeri dicebat, vrina etiam manente suppressa, quare in libra vna decocti suprascripti pro fomento, dissoluebam *cassiæ mundatæ* ℨ j. *elect. hieræ picræ* ℨ *ij. diacatholici, benedictæ laxat. ana* ℨ j. *olei amygdal. dulc. anethini. ana* ℨ j. *olei chamameli. scorpionis. ana* ℨ ß. *vitellum vnius oui, salis* ℨ j. ß. *fiat clyster.* quem postquam duas horas retinuisset, materiam tantum clysteris reiecit. 4. Post meridiem cum redirem, neque adhuc mingere posset, iterum *oxymel simpl. cum aqua maluæ, flor. chamomillæ & artemis. propinaui*: sed cum maximam partem euomeret, neque retineret, apozema sequens exhibeo. ℞ *artemisiæ, agrimoniæ, parietariæ, maluæ, hordei mundati, chærefolii, betonicæ. ana. m. ß. cumini* ℨ j. *cicerum rub.* ℨ j. *coquantur in aqua maluæ petros. fœnic. viol. aqua raphani. q. s. cuius colaturæ accipe* ℨ *iij. adde oxymellis simplicis* ℨ j. *misce*, quum autem liquorem tantum clysteris reiecisset, denuo glande immissa ter aluum excreuit: deinde & nocte adhuc semel, & potionem iam dictam vnica vice sumens, sanguinem concretum & iam dissolutum minxit, & simul deinde cum lotio reiectis fragmentis lapillorum, paulatim cessauit omnis dolor. Imperauimus tamen, *vt hordeum non excorticatum maluam cum toto, & parietariam, & chærefolium, pruna damascena decoqueret in sero lactis, ad detorsionem*, quo lubens vtebatur, & lotium deinde ad libitũ reddere potuit, omni dolore cessante, neq; eo, neq; febre redeunte, fuitq; admodum breui miraculi instar ab hoc malo curatus. At post duos dies tamen incurrebat leuem dolorẽ in scapulis, ex frigore contractum, vt opinabar; nam humeris denudatis sese iactando ob præcedentes dolores intolerabiles, etsi ignorans, decubuerat: quare sacculum ex floribus siccis chamomillæ furfure & sale parare iubeo, eoque calide loco dolenti admoto, is dolor admodũ breui euanuit, & egregie ad tempus curatus permansit. 5. Sed cum hic propria natura & quasi hæreditario male calculosus esset (*vt eius frater Iacobus Persinius dictus, mercator Antwerpianus, si quis alius, ditissimus, qui etiam nostra industria præcautione vtens ad senectutem peruenit*) admonui vt etiam præcautione contra calculum vteretur, eo quod & antea calculos ad pisi magnitudinem aliquando reiecisset, e renibus deinde in vreteres delapsos, & postea in vesicam: & propterea eidem etiam scripsi lingua

gua vulgari, cum Latinam non calleret, quib. modis præseruari posset. Verum hic postea sui ipsius sanitatem negligens, diuersis vtens ferculis, & vinis crassis ac calidissimis, in otio viuēs, & liberalius musto vtens, tandem anno 1560. 9. die mensis Ian. Harlemum cum profecturus esset ad secūdas nuptias sororis suæ, vna cum amicis, & cum Hagam Comitis primo peruenisset, apud Domin. Quintinum consiliarium regium, sororium suum incidit in idem malum & omnimodam vrinæ suppressionem, vt deinde sex integris diebus ac noctibus ne guttum quidem vrinæ emitteret, cum intolerabili dolore circa renem sinistrum, calculo in vreterem illapso, ac ibidem hærēte, vt postea certis signis deprehendimus: illo quoque vociferante, in eodem loco vlcus esse. Ad hunc, cum in Haga Comitis apud sororium esset, nec Harlemum proficisci posset, omnium primo accitus est Hēricus Vergerius, medicus doctissimus, 10. Ian. die, qui sequens enema vt ilico infunderetur iubet ℞. *maluæ cum toto m. ij. folior. caulium rub. m. j. matricariæ. m. j. ß flor. chamomill. m. j. sem. maluæ, althææ an.* ʒ *j. ß. fœnugr. lini an.* ʒ *ß. furfuris in panno lineo ligati m. j. ß. bulliant. in s. q. aquæ, ad consumt. medietatis: deinde facta colatura eiusdem.* ℞. ℥ *xij. olei chamæmel. lilior. an.* ℥ *j. ß. olei anethini* ℥ *j. zacch. rubei* ℥ *j. vitellum vnum oui gallinæ, elect. diacassiæ* ℥ *j. fiat clyster. addito modico sale, parum eduxit.* Deinde adhuc semel eodem iniecto, vēter seu aluus leuior videbatur, permanente tamen dolore in parte sinistra iam dicta, lotio non emanante. Victum tenuem præscripsit, & in potu cōcessit ceruisiam Goudanam antiquam, vinum Rhenanum subtile, etiam cum ceruisia prædicta mixtum, cum æger eo sapore delectaretur, nec anglicanam inhibuit, cum & domi eadem esset. Vndecimo vero die Ian. hanc potionem propinauit. ℞. *elect. lenitiui, electuarii de dactylis. an.* ʒ *ij. sang. hirci præparati* ʒ *j. specier. iustini & lithonthribonis an.* ℈ *ß. antheræ* ℈ *j. syrup. capill. ven.* ℥ *j. dissoluantur in aqua betonicæ, verbenæ, fœniculi q. s. fiat potio.* Nihil eduxit, & dolor auctus est, & in immensum accreuit. Duodecimo igitur Ian. die hanc potionem iterum propinat. ℞. *pul. nucleorum mespilorum exacte cribratorum* ʒ *j. ß. specier. lithonthrib. & iustini an.* ℈ *j. misc. cum syr. de duab. rad. capill. ven. aquæ crethami marini q. s. fiat potiuncula.* nihil lotii reddidit, imo dolor magis aggrauatus est: & cum ex priore purgatione cum diureticis aluū non deposuisset, post exhibit ū puluerem, hoc enim denuo iniici iubet. ℞. *fol. maluæ m. ij. mercurial. caulium. rub. an. m. j. sem. lini, fœnugr. an.* ʒ *ß. furfuris in nodulo ligati. m. ij folior. betæ. m. j. fiat decoct. in aqua commun. ad medietatem, colaturæ accipe* ℥ *xij. diacassiæ* ℥ *j. benedictæ solutiuæ* ʒ *ß. zacch. rub.* ℥ *j. ß. salis communis* ʒ *ij. salis gemmæ* ℈ *j. fiat clyster.* eo aluū quidem deposuit, sed vrinam nondum reddere potuit. Quare dolore aucto, 13. die Ian. ad curationem simul vocatus fui. Eo tempore & glāde iterum irritabatur aluus, & vna decoctum sequens præscripsimus, & erat sine febre. ℞. *verbenæ, ceterach capill. ven. betonicæ an. m. millefol. scabiosæ an. m. j. ciecrum rub.* ℥ *ij. glycyrr. ras.* ʒ *vj. bulliant in aqua purissima, pintis trib. ad consumtionem medietatis, deinde dulcoretur cum syr. de duab. rad. & oxymell. simpl. an.* ℥ *ij. fiat decoctum, vtatur sæpius.* Proposui eodem tempore, vt ex emollientibus anodynis fotus tum inunctiones fierent, vt sic decocto præparatorio lapis cōmodius excuteretur. Voluit tamen fomenta Henricus quædam diuretica adhibere: & ita hic sequens fotus præscriptus est, ℞. *folior. maluæ, parietariæ, verbenæ, senecionis, flor. chamomill. an. m. j furfuris frumenti. m. ij. capit. alliorum. num. iij.* (quæ tamen ob odorem libenter reliquissem, Henrico contra nitente, qui me multo senior erat) *sem. lini. maluæ an.* ʒ *ij. iuniperi, baccæ. laur. an.* ʒ *j. bulliant in vino Rhenensi, & aqua chamom. an. q. s. fiat* fomentum cum duabus spongiis alternatim, circa renem sinistrum, vreterē & inguina, & pectinem. Nihil tamen eo quicquam promouimus, dolor quoque ex allio illi molestus erat: quare ne fieret maior attractio aut inflammatio, ab eo desistendū esse suadebam, & vt chirurgus doctus accerseretur, qui cathetere immisso (*cum etiam in pectine valde doleret*) forte lapillo aliquo in collum vesicę illapso, illum inde remoueret, & sic vrinam prolectare posset. Ceterum Henricus medicus contra suadebat, vt decocto suprascripto, tum etiā fotui, insisteremus. Ego vero cum cogerer Delphos recurrere ob alios meos ægros, admonui tātum clysterem emollientem esse iniiciendū, & fomento ex emollientibus & anodynis & vnctionibus eo tempore tantum esse vtendum, insequendo vestigia medicorum illustrium, & præcipue Guainerii, qui inter reliquos practicos haud infimus est, & ita discessi. Interim sub noctem eodē die post meum discessum, duplo magis dolor auctus est, ita, vt Vergerius medicus hora noctis 11. e lecto vocatus fuerit, qui allio contuso præputio circumligato tanquam arcano quopiam vrinam prolectari posse, promittebat, vel saltē sperabat, sed cum spe sua frustraretur, æger tanto calore adurente afficiebatur, vt digresso medico alliū abiecerit impatiens. Cum vero & in vētrem dolor irreperet, iubet medicus sequens enema denuo infundi. ℞. *diacassiæ, electuarii de dactylis. an.* ʒ *vj. specier. elect. de baccis lauri* (nam æger circa ventrem & lumbos se ventositatib. torqueri clamabat) ʒ *j. ß. salis commun.* ʒ *iij. salis gemmæ.* ʒ *ß. sacch. rub.* ℥ *j. ß. vitell. oui gallinæ, oleorum rutæ* ℥ *ij. olei aneth. chamæmel. an.* ℥ *ß. cum decocto pro clystere vltimo præscripto fiat enema.* atq; in aurora diei sequentis iniectum fuit, quo pituitam vitream muccosam & excrementa quædam excreuit, cum alleuatione quadam, dolore tamen nondum cessante, neq; adhuc vnam guttulam vrinæ emittere potuit. Decimoquarto die Ian. circa meridiem, vt promiseram, rediens, reperi ægrum valde debilem ex dolore præcedente & vigiliis: nam totam noctem præcedentem insomnem egerat ob dolorem. Aderat & tūc leuis dolor capitis, maxime in parte posteriori, vt ipsemet referebat, absque tamen manifesta febre. Sed medicus tunc præsens non aderat, cum & is Delphos accessisset, rursus admonuimus de docto chirurgo, & de cathetere immittendo, num & hoc modo vrina prolectari posset. Hæc cum dixissem, æger medicum Delphos accessisse aiebat, & catheterem secum allaturum, quo

6\.

7\.

8\.

9\.

10\.

Franco Bartholomæus prætor eodem malo, nempe calculo obnoxius vti solebat. Recte quidem, inquiebam ego, sed eo instrumento, non tam dextre, vt Lithotomus facere consueuit, vti scies. Is igitur vocatur, vt vna cum medico veniret. Sed eo tempore Lithotomo Sciedamum vrbe profecto, medicus cum cathetere solus venit, & chirurgus in Haga Comitis exsistens, cum dextre cathetere vti non sciret, e Schiedamo vrbe accitur Guilelmus de Dalen lithotomus, de quo diximus, q ad multam noctem ad ægrum peruenit. Cathetere per

11. collam in vesicam immisso, vt artis est, voluendo ac reuoluendo, tum sugẽdo, nihil vrinæ subsequutum fuit, & præter binas guttas sanguinis absq; vrina nihil aliud effluxit, digitoque in anum immisso (*vt fieri assolet*) nullum lapidem in meatu vrinario aut vesicæ collo aut in ipsa vesica esse pronũciauit, qui obstructo ostio lotii effluuium impediret, ita vt ipse chirurgus in suo opere expertus ægrum pro deplorato haberet, quod immisso cathetere, vrina non prolectaretur: rarius inquiens, hoc sibi euenisse, quin paulo post mors ipsius ægrotãtis subsequeretur, quemadmodũ & ante mensem illi contigisse nobis narrabat in Petro illo Pampio dicto, Delphensi, homine supra modum crasso, quem & Cornelius Ericus meus collega præ manibus habebat, vir egregie doctus, ita cum cathetere immisso nõ subsequeretur lotium, non diu post spasmo oborto, ex intolerabili dolore, ob vrinæ omnimodam retentionẽ misere mortuus est: quod & huic ægro nostro euenturum existimabat. Eo

12. iam dimisso cum æger de vita sua inciperet desperare, sequenti nocte ab eo rogatus, apud eum permansi, & communi consilio cum medico præsente hanc præscripsimus syringationem. ℞. *aqua agrimoniæ* ℥ *viij. herbæ verbenæ. m.* ß. *f. maluæ* ℥ *j. bulliãt. duab. aut trib. ebullitionib. colentur, & adde mellis ros.* ℥ *j syr. capill. ven.* ℥ ß. *misce.* & moderate calide per meatum vrinariũ vsq; ad vesicã per chirurgũ sæpissime iniiciebatur. Sed nihil effecimus: ac per totam noctem æger insomnis manens, præ dolore circa sinistrũ renem & locũ vreteris sinistri, se disrumpi clamabat, tanq̃ vrina maximo pondere ibidẽ inhærens, huius doloris caussa fuisset. Henricus eo tempore, multo me senior, & expertus medicus, stupore commotus, nunq̃ se similem casum vidisse narrat, neq; apud auctorem probatũ legisse, ita retẽtam vrinam in rene fuisse, quod ne ipse quidem Gal. scripserit, mirabaturque quod hic quamuis vesica ab vrina libera, nullo tumore aut in pectine circa vesicam apparente, vel dolor grauante aut extendente, tanta copia vrinæ in renib. aut vretere permanere potuerit, adeo vt disrumpi latus sinistrum exclamaret æger, & in parte sinistra in vretere, versus ilia in parte anteriori se dolore atrocissi-

13. mo confodi vociferaretur. Decimo igitur 5. die Ianuarii chirurgo ablegato, cum eius ope nõ liberaretur, reipsa diligenter perpensa, cum iam malum ad desperationem quasi deuenisse videretur, proposuimus, vt adhuc clysterem emollientem infunderemus, deinde & lenitiuum per os eodem die propinaremus, & cataplasma loco affecto emolliens, dolorem sedans & vreteres, simul apponeremus. Quare hæc præscripsimus. ℞. *diacasia* ℥ *j. benedict. laxat.* ℥ ß. *salis commu.* ℥ *iij. zacch. rub.* ℥ *j.* ß. *rub. oui gallinæ, olei lilior.* ℥ *iij. olei chamæ.* ℥ *j. cum decocto suprascripto fiat clyster.* vix retinuit, & parum aut nihil effatu dignum deiecit. Quare & hoc statim per os propinauimus. ℞. *cassiæ recens tractæ* ℥ *vj. elect. de dactylis* ℥ *j.* ß. *resinæ, terebinth. Venetæ* ℥ *ij.* ß. *aquæ crethami marini & verbenæ an. q. s. syr. Ven.* ℥ *j. misce,* sed totum sumere non potuit, ob nauseam qua tentabatur, licet fere totum ebiberit, parũ aut nihil restãte, & ideo ne totũ euomeret, integram potionẽ pharmacopœus nõ dedit, exigua tamen quãtitate remanente. Cataplasma vero ꝙ eodem tempore

14. appositum fuit, tale erat. ℞. *folior. maluæ cum toto m. ij. rad. althææ.* ℥ *j.* ß. *sem. maluæ, althææ. an.* ℥ *ij. fœnugr.* ℥ *j. sem. lini* ℥ ß. bulliant quoad mollescant, vt deinde contundi exacte possint: iisq; contusis adde pinguedinis *gallinæ, butyri recentis an.* ℥ *j. olei zazamini, olei amygd. dulc. viol. an.* ℥ *j farinæ hordei, m. j.* ß. *fiat cataplasma,* ꝙ calide loco dolenti imponatur. Eodem die 15. Ian. istis præscriptis Delphos iterũ remeaui, ad ægros meos inuisendos, reuersus vero post meridiem hora 4. inueni illum ex prædictis remediis nondum subleuatum, sed in peiori statu exsistentem, imo valde debilem cum maiore dolore & extensione circa locũ affectũ, neq; adhuc guttulam vrinæ reddidisse, clysterẽ non retinuerat, neq; medicamento per os sumto adhuc aluus soluta erat. Ego vero, ne æger spem omnino abiiceret illũ bene sperare iussi, inquiens medicamẽtum leue esse ex cassia, cuius operatio tardius exspectanda esset, & ꝙ potio circa noctem prius operaretur: & ideo ob virium debilitatem ius pulli cum vino modico immixto, vna cum oui vitello adiũcto dedimus, & post horam a iusculo assumto cœpit medicamentum operari, paucis deiectis excremẽtis duris. Dixi præterea *se peius habuisse ex cataplasmate:* sed hoc factum existimauimus, eo ꝙ vxor (*vt referebatur*) non satis calidũ imposuerat, quare iterum appositum est, vt & calor cõsequeretur, desuper apponebantur panni calfacti. Et cum non subsequeretur

15. maior operatio, noctem futuram grauem metuimus: & superueniente Henrico medico, etiam de salute ægri haud exiguus metus erat, & cum vix aliquid consilii superesset, eo magis ancipites eramus. Venit tunc mihi in mẽtem similis fere casus, de quo in Scholio latius. Quare re ipsa inter nos vltro citroq; animaduersa, sub noctem, vt hoc decoctum pharmacopœus pararet, mandauimus. ℞. *sem. maluæ, althææ. an.* ℥ *iij. cicerum rub.* ℥ *iij. sem. quat. maior. frig. an.* ℥ *ij. hordei mundat.* ℥ *ij. caricar. pinguium. num. ix. sebesten. recent. num. vij. glycyr. rasæ.* ℥ *vj.* fiat decoct. in pintis quatuor vel quinq; aquæ cõmunis ad cõsumtionem medietatis. Deinde facta colatura ea sæpius vtebatur, etiam cum sitim haberet. Hoc decoctũ erat lubricãs, simul & emolliens, & vrinam prouocans, quod quum biberet per totam noctem, absq; alio potu, & apud eundẽ quum permanerem, tandem post mediã noctem, quum insigni dolore & cruciatu afficeretur, & animam quasi agere videretur, aluꝰ copiose soluta est, ita vt

quatuor

quatuor secessus habuerit: & tanto impetu effluxit vrina, & adeo copiose, vt quatuor integras matulas impleuisset, si reseruata fuisset: erupit enim lotium vna cũ secessu, & lapillus nuclei pruni instar, paulo oblõgior, quales in vretere coaceruari solent: nam qui per vreteres redduntur, figuram in vretere accipere videntur, quia oblongi sunt & nucleis pinearum similes magna ex parte, si non franguntur: tales & hic aliquando, vt postea etiam referemus, cum lotio reddebat. At nunc omnium primo, cum secessum haberet, per virgam modicũ sanguinis erupit. Deinde lapillus ille nuclei pruni instar, deinde & lapilli parui pisorum modo cum dolore exibant, mox vrina fœtida in magna copia subsequebatur, & cum ardore haud exiguo. Neq; hoc admiratu dignum: nam per sex integros dies & noctes, lotium retentum fuerat, vnde & corruptionem & fœtorem ac salsedinem contraxerat. Affirmabat enim æger vrinam adeo fœtere, vt in lecto perdurare non posset ob fœtorem eiusdem, dum exiret. Paulo post cum ita lotium turbulentum & fœtidum emisisset, clarius mingebatur: & continuando potum illum dictum, dolor omnis euanuit. Decimosexto tamẽ die Ianuarii reliquias lenitiui propinauimus, & iussimus, vt potum illũ vltimo præscriptum cõtinuaret: & habuit illo die quatuor vel quinq: secessus, ita vt cœperit multo melius habere. Imo 17. die Ianuar. denuo ad eundem reuersus, reperi eum in meliori statu, dolore paulatim mitigato, & vrina nunc ad placidum emanante. Interea præcepimus, vt decoctum illud vltimum adhuc continuaret. 18. Ianuarii die eundem accedens, inueni quasi curatum, quanquam nonnihil de fluxu ventris cõquereretur. Victum tunc immutauimus, & liberaliorem concessimus ac solidiorem, & potum illum medicum inhibuimus, ne renes debiliores redderentur. Attamẽ admonebamus si vrina non satis efflueret, vt moderate eodem potu vteretur. Et sic Dei gratia, eius qui curat omnes languores, præter opinionem multorum optime curatus est.

16

SCHOLIA.

17 CVm hic eger primo sanguinem minxisset, & postea plane restrictus esset, ex sanguine vero condensato & in grumos concreto meiere non potuit. Et licet nonnunquam vena in renibus aut vretere non solum ex casu, vulnere, aut remediis diureticis rumpi posset, verum etiam ex fragmẽtis calculorum acutis, cũ hic postea etiam calculosus vrinam retentam deinde habuerit; in primo tamen casu, quocunq; modo prius sanguis vel ex decocto *cardui benedicti* a monacho propinato, vel forte ex calculis venas perrumpentib. euenerit, semper sanguine in vesica permanente, is sanguis in grumos conuersus videbatur, quod & signa præsentia indicabant, cum ego ad ægrum primo accitus essem; nam animo linquebat, pallescebat, pulsumq; exiguum, obscurum & densum habebat, mœrore augebatur, refrigerabãtur extrema, & viribus destituebatur. Et quia grumus ille in meatum vrinarium inciderat, is quoque vrinæ excretionem suppressit, vnde fieri potuit, vt tunc

Signa sanguinis in grumum conuersi.

quoq; lapillus meatum obstruxerit. Quocunque modo id factum fuerit, graue malum erat. Ceterũ quibus sanguis in vesica in grumos cogitur, primum tentandum est, vt medicamentis conuenientibus dissoluatur, ac diffundatur. In potu itaq; præbenda est artemisia, elichrysum, absinthium, abrotanum, ramenta vitis, raphani semen, leporis aut hœdi coagulum, vnumquodq; cum oxymelite. Imo ipsum oxymeli per se exhibitum mirifice prodest: grumos enim dissoluit, vt subinde paulatim vna cum vrina prodeant. Ita & hic iuuabat potio *oxymelitis, cum aqua maluæ & artemisiæ*: recte dedi etiam decoctum artemisiæ, admiscendo quædam diuretica, cum de calculo suspicionem etiam haberem: vnde prius sanguinẽ dissolutum minxit, deinde etiam fragmẽta calculorum ex renibus prodeuntium, qui erant ruffi, citrini: aliqui habebant aculeos. Qui enim ex renib. fiunt (*vt antea dictum est*) ex arenulis simul coniunctis generantur, & figurã sumunt a renum sinu. Si vero in primo sinu retineantur, habent veluti aculeos, quos etiam nos conspeximus non solum in domino de Abbenbroeck, post cadaueris sectionem, sed in aliis multis adhuc viuentibus, et subinde in hoc eodem ægro: qui etiam suis aculeis venas renum vel vreterum perrumpunt, vt sanguinem mingant. Quod & huic primo euenisse potuit. Ideo illud decoctum artemisiæ quoque cũ diureticis quibusdam sanguinem illum concretũ postea & lapillos eduxit. Verum de sanguine in vesica in grumos concreto, libro sequenti, cum de vesicæ malis loquemur, latius dicturi sumus. Nunc vero de calculo renum & in vretere impacto agimus, qui manifestius in hoc secundo casu, in hoc mercatore etiam postea apparuit: adeo vt calculo renum, deinde etiam in vretere sinistro, laborauerit. A renibus enim (*vt in libris nostris de incerto vrinarũ iudicio contra vroscopos ostendimus*) descendunt venæ illæ exsangues, quas Galenus poros siue meatus vrinarios seu vreteres vocauit, prælongos, robustiores, qui ad vesicam feruntur, quibus aliquando impacti lapides (*vt antea quoq; diximus*) cruciatus intolerabiles producunt. Huic autem id in rene sinistro eueniebat, & in vretere sinistro, in quo calculi impacti vrinæ meatum ad sex dies impediebant. Qui equidem si impactus est, quomodo educendus sit emollientibus, dilatatis meatibus, antea quoque dictum est: & quid in illo dolore, qui atrocissimus est, sit agendũ scil. in ipso paroxysmo, antea quoque docuimus, cum calculus non sit confringendus statim, sed emollientibus transponendus: quod vel hoc vnico exemplo ostendi potest. Ideo in hoc secundo casu in principio diureticis quibusdam per priorem medicum descriptis nullo modo dolor cessauit: imo magis exasperabatur calculo plus impacto: sed cum decocto illo ex caricis, cum aliis emollientibus, & quibusdam diureticis nõ admodum fortibus, præcedentibus clysteribus vsi essemus, egregie profuit ad curationem absoluẽdam: quib. effectum est, vt æger hoc modo ab orci faucibus quasi liberatus fuerit. Cognouimus insuper

18 *Curatio.*

De calculo renum & qui in vretere retinetur.

19

vreteres.

20

hoc exemplo lapidē in vretere sinistro impactum fuisse, ex dolore loci affecti, qui adeo vehemens & fixus in loco, non vagabundos, vt in colicis doloribus fieri assolet, hærebat, adeo truculentus, vt æger neq; in lecto manere posset, neq; in sede permanere: modo enim ad ignē se recipiebat, denuo ad sedem, iterum ab ea ad lectum, vnde etiā multas ventositates incurrebat, quæ & dolorem augebant, vt minus quietus esset. Verum quod vrina in totum fuerit suppressa, id ex lapide vreteri sinistro inhærente & occludente contingebat, & renibus quoque lapillis oppletis, sese in eo loco disrumpi clamabat. Hæc ita quidem esse, nec in vesica malum latere apparebat: nam in ea neque tumor erat circa pectinem, neque calculum in pene aut in collo vesicæ hærere; cum catheter impactus vsque in vesicam libere transiret, lotio tamen non subsequente, cum & chirurgus digito immisso per anum, quo modo experientiam faciunt, num calculus adsit in vesica, in ea nullū lapidem sentiret.

21 Dubium.

Retinebatur igitur lotium ex calculo retento in vretere sinistro. Sed hic Henricus, medicus certe doctissimus nobiscum admirabatur, quod vrina non flueret in vesicam per renem dextrum, cum in ea parte nulla obstructio adesse videretur: neque enim dolor dextrum renē aut vreterem dextrum occupabat.

Solutio.

Nunquid forte ob imbecillitatem suum officium minus præstaret; vel potius, vt ego sentiebam, per sympathiam id fieret, quo minus vrina per renem dextrum & vreterē deflueret, sinistro oppleto. Deinde mirabamur vbi tanta copia vrinæ in renibus, vel sursum elata contineretur, cum ad vesicam non perueniret? Vnde & experientia constabat illud minime verum esse, quod scribit Fernelius de Ischuria, sic inquiens:

Fernelius.

Vna igitur suppressæ vrinæ caussa est adstrictio vel obstructio. Hæcque vel amborum vreterum capita, vel vesicæ ceruicem opplet. Vtrum autem eorum in caussa sit, certis notis peruestigandum. Si alterius duntaxat vreteris via obstructa est, haud quaquam supprimitur vrina; per alterum enim perlabitur. At quum vterque obstruitur aut coarctatur, suppressio fit, hinc conspicua, quod laborans renis vtriusque dolori fuit opportunus, lumborum summa grauitas est, ac interdum vehemens vtrimque dolor excruciat, nulla aut minima meiendi cupiditas vrget, in pube nec dolor nec tumor ne premendo quidem percipitur: vesica inanis est, & vacua, vt nec immisso cathetere vrina quicquam emanet.

22

Hic tamen contrarium vidimus, semper dolore in vretere sinistro manente, vbi cum in dextro rene neque dolor neque obstructio esset, tamen mingere non potuit: ita vt hæc opinio Fernelii hoc solo exemplo minus vera sit. Vel enim dicendum in dextro rene nullam obstructionem adfuisse, vel ex torpore per consensum officium nō præstitisse, vel forte ob condolentiam. Verum vbi copiosa illa vrina substiterit videndum: nam in renibus tanta copia manere non potuit: oportet igitur, vt regurgitauerit ad hepar & venas superiores. Illud quoque videtur sentire Ioan. Tiengus, medicus magni nominis, quondam apud Amstelrodamenses. Qui fere similem refert historiam, quam inter eius scripta reperi. Quam hic ad maiorem fidem referre libet.

Historia vrinæ retentæ in oppilatione renum in qua aquositas ad hepar & venas superiores regurgitabat.

Mulier quædam cum retentionem vrinæ ex oppilatione renum pateretur, tota aquositas ad hepar & ad venas superiores regurgitabat, vnde maximam angustiam cordis incurrebat & anhelitum. Ad vesicam vero nulla aquositas profluebat. Huic inprimis hunc clysterem iniisse iubet: ℞ caulium parietariæ florum chamomillæ, betæ, artemisiæ ana m. j anisi, cumini fœnug. ac. semin. lini, apii ana ʒ j fiat decoctio; cuius ℞ ℔ j. addendo olei communis ℥ j. mellis ros. colati, cassiæ extractæ ana ℥ j. salis communis ʒ j. fiat clyster, mox & in die bis ex iulebo sequenti sumsit: ℞ syrup. acetosi simplicis ℥ j mellis rosa. colati ℥ j. aqua. bugloss. lupul. fœniculi ana ℥ j. misce pro duabus vicibus. Lumbi hoc fomento fouebantur: *℞ matricariæ, pariet. artemisiæ, meliloti ana m. j sem. apii, cumini anisi, rutæ ana ʒ j. fœnugræc. ʒ ß. fiat decoct. in aqua communi q. s.*

23

Interdum etiam fouebantur cum filis crudis decoctis in cineribus. Postea exhibui, inquit solutiuum tale ℞ agrimoniæ filipendulæ ana p. j zinz. semin. genistæ semin. petrosel. Macedon. ana ℈ j agarici electi ʒ j. cyclaminis ʒ ß fiat decoct. in aqua lupul. & exprimatur: cui addantur oxymel. simpl. medullæ cassiæ ana ʒ j. Istis continuatis per quatuor vel quinque dies, vrina non fuit prouocata: sed sæpe reiteratis clysteribus, & iulebis, *vt superius dictus est*, assumtis, etiam tale iuleb. exhibitum fuit: *℞ agrimoniæ, filipendulæ parietariæ pentaphyllonis ana m. ß. cyclaminis, semin. maior frig ana ʒ j rubiæ tinctor. ʒ j sem. petrosel. Macedonici, semin. genisto, granor. iuniperi ana ʒ ß. fiat decoctio in aqua lupul. artemisiæ; & coletur: ℞ syr. de duab. rad. syr. de end. de byzantiis ana ℥ j. decoct. suprascriptæ ℥. vj. misce pro duabus vicibus. post binam huius exhibitionem cœpit vrina profluere, licet primo in parua quantitate. Sed isto continuato,*

24

& fomentationibus, semper vrina abundantius prouocabatur: adeo vt etiam menstrua aperirentur. Et quia putabat se prægnantem, in quarto vel quinto mēse, diu sitim iuleb istud, & præscripsi tale: ℞ pentaphyl. plantaginis, hypericonis, hyssopi ana m. ß. agrimoniæ, parietariæ ana p. j. semin. 4 frig. maior. granor. iuniperi, sem. cardui benedicti ana ʒ j rad. tormentillæ ʒ j. fiat decoctio in aquis portul. lupul. apii: ℞ syrup. de end. de byzantiis de eupatorio ana ℥ j. decoct. suprascriptæ ʒ vj. misce, pro duabus vicibus. Iste vtebatur per tres vel quatuor dies, & copiose prouocabatur vrina, & menstrua subsistebant, & omnia accidētia praua cessabant. Cui postea feci elect. ex speciеb. reginæ & diamarg. cum zacchar. decoct. aqua end. & sumsit bis in die loco iulebi, & Dei nutu prospere euasit. Hæc ille. Verum si fuerit grauida, vt existimabatur, mirum quod eiusmodi diureticis menstrua aperientibus non fuerit passa abortum. Fuit hic grauis casus, quamuis præcedens in mercatore multo grauior fuerit.

Observatio XXVII.

De calculo in vretere lotium omnino retinente.

1

IDem ille mercator Henricus Persinus, eodem modo, quo paulo ante diximus, in omnimodam

dam vrinæ suppressionem incidit, ex calculo in vretere sinistro rursus impacto, anno 1560. 15. Iulii die, & in idem malum relapsus est, neq; potuit vllo modo lotium reddere per tres dies ac noctes. Cum autem isto dolore intolerabili torqueretur, & sine medici consilio accepisset decoctum senæ, ex eo licet haberet secessum, materia tamen ad renes etiam deducta fuit, & ad vreteres, & in sinistra parte magis impacta quam euacuata, cum potius curatio incipienda fuerit ab ipsa mitigatione; & ideo post meridiem prius ad eum accitus sum, cũ in propriis ædib. nunc Delphis decumberet, cum ex decocto senæ assumto secessum haberet, vrina tamẽ ob calculum in vretere infarctum retenta, fomentum emolliens & anodynum ob insignem dolorẽ rursus in loco prædicto præscripsi. *℞. rad. althææ ℥ j foliorum maluæ, viol. parietariæ, florum chamomill. meliloti ana m. j. sem. maluæ, fœnugr. ana ℥ ij. ß. fiat decoct. in aqua communi, pro ℔. duabus, pro fomento loci dolentis cum spongia.* A fotu inungebat locum affectum linimento subsequenti: *℞ olei amygd. dulc. viol. pingued. gallinæ, butyri recentis, olei chamomill. ana ℥ ß. misce.* Sed iis nihil profecimus. Quare & hoc decoctum præscribo: *℞. foliorum ribes nigræ m. j sem. maluæ, althææ ana ℥ iij. cicerum rub ℥ iij sem. quat. frig. maior. ana ℥ ij. hordei mund. ℥ ij. caricar. ping. nu. ix. sebesten nume. vij. glycyrrh. rasæ ℥ vj fiat decoct.* in aquæ communis pintis quatuor, ad consumtionẽ medietatis. Hoc decocto seu colatura vtebatur ad libitum, quo etiam alia vice, vt dictum est prius, commode vsus est; nunc tantum adiectis ribes foliis. Verum hoc tempore nihil effecit. Quamobrem cum aluum prius mouissem cum foliis senæ, & secessum habuisset, & nunc rursus aluum nõ deponeret, tertio die enema emolliens, sedans dolorem, & vias vrinarias, nempe vreteres, & renẽ ipsum sinistrũ dilatans, vt lapis inde moueretur & expelleretur, iniici iubeo, in hunc modum præscriptum: *℞. rad. althææ ℥ ß. foliorum maluæ, viol. parietar. mercurialis, florum chamomill. meliloti ana m. j. semin. maluæ fœnugr. ana ℥ j. ß. fiat decoctio in aqua communi q. s. cuius colaturæ accipe ℔ j. addendo diacassiæ pro clysteribus ℥ j sacch. rub ℥ ß. olei amygd. dulc. lilior. chamomill. butyri recentis ana ℥ j salis communis ℥ j. ß. salis gemmæ ℈ j. misce pro clysteri.* Retinuit autem per tres horas. Sed iterum adhibito fotu, deinde inunctione ventris, punctiones cœpit habere Imperaui igitur, vt sellæ insideret, cui vasculum subiectum esset aqua calida chamomillæ repletum, ac sic tentaret, num ventris saburram deponere posset: & tandem aluus cœpit fluere, & copiosas habuit purgationes, & mox lotium reddidit, & rursus lapillum vnum atq; alterum ad pisi magnitudinem reiecit, mox dolore mitigato, his quidem remediis denuo per me solum curatus euasit ab omnimoda vrinæ retentione, vt sine molestia copiose vrina emanaret, postquam per tres dies ac noctes retenta fuerat.

SCHOLIA.

Quomodo calculosi facile recidiuã patiuntur.

RECte dixit doctissimus ille medicus Montanus in consultatione sua 93. manifestum esse, renes & vesicã, vbi semel aut bis afficiũtur, vt plurimum imbecilliores reddi, & præparari ad nocumẽta facile suscipienda. Quod inde apparet, quod qui semel aut bis calculum, vel retentionem: aut difficultatẽ vrinæ perpessi sunt, vix possunt omni conatu præcauere, quin toto vitæ curriculo non subiiciantur iisdẽ: quare & iis renes sunt corroborandi, vt ibidẽ docet ad longum, & disputat, num diuretica cõueniant in præseruatione affectus renũ & vesicæ, contra illos empiricos, qui iisdẽ sine animaduersione vtuntur. Quamobrem cum hic mercator facile recidiuam pati posset, vt diligenter victus rationem obseruaret, eidem in scriptis dedi. Verum cum idem paulo post in victu deliquisset, idem malum facile recurrebat: sed adhibito eodem clystere emolliente prius descripto obseru. præcedente, deinde adhibito fotu ac linimentis iisdem, hãc purgationem lenem exhibui: *℞. cassiæ recens ex cannis tractæ ℥ vj. elect. de dactylis, tereb. claræ prius tostæ & parum pulu. ana ℥ j. aquæ betonicæ, maluæ, raphani ana ℥ j ß. aquæ agrimoniæ ℥ j. syrup. capill. ven. iuiubini ana ℥ ij. misce. detur vnica vice.* habuit iterum quinque sedes, & ad libitum minxit: epoto etiam interim decocto ex ficubus, cicere, & aliis antea descripto.

OBSERVATIO XXVIII.

De eodem mercatore rursus in suppressionem vrinæ incidente.

IDem hic mercator, eodem anno 1560. decimo sexto die Octobris, cum mustum bibisset & castaneas comedisset, quibus delectabatur, licet ea a me prohibita essent, eodem malo correptus est; neq; rursus lotium reddere potuit. Primo iterum adhibito clystere emolliente, mox lotium reddidit: & cum libere vrinam mingeret, dedimus purgationem illam lenem supra dictam. Sed denuo vreter sinister obstructus est ex calculo, & vrina omnimodo denuo retenta. Ego timebam ex purgatione quantũuis leui ad renis locum deturbatũ esse, licet tamen arte curationem instituerã, prius iniecto clystere emolliente; vnde & lotium emanarat. Et lotio emanante lenem illam purgationẽ exhibueram, qua etiam multa muccosa, vt etiam cum clystere, excreuerat, non obstante quod iterum lotium fuerit retentum. Quare vsus sum fomento vltimo in præcedentibus descripto, ex rad. althææ & reliquis, mox & decocto illo ex ficubus. Quibus remediis non solum lotium reddidit; sed & fragmenta multa lapillorum reiecit cum lotio, prius vno eiecto ad pisi magnitudinem; & rursus egregie curatus fuit.

SCHOLIA

MIser hic æger quinquies hoc anno huius intolerabilis doloris malum haudquaquam contemnendum passus est, & recidiuam incurrebat ex calculo in sinistro rene inhærente ac retento. Verum ab hoc dolore, tum alii quoque simili casu laborantes in hunc modum semper curati fuere, primo iniecto clystere emolliente; deinde fomentis & linimentis emollientibus, dolorem sedantibus & renem ac vreterem relaxantibus; postea decocto illo ex ficubus, cum cicere, & aliis;

3 vltimo purgatione ex cassia adhibita. Quod quidem non solũ medicis nunc praxin exercentibus, sed etiam iunioribus omnib. medicis tum medicinæ tyronibus, memoriæ commendandum est. Nam talis curationis processus, in paroxysmo accessionis, seu tempore doloris, nõ modo vtilis est in calculo renum vreterem obstruente, ita vt lotium retineatur; verum etiam in quauis renũ obstructione, siue ex materia viscosa, siue ex calculo, valde necessaria est: iisq; præcedentibus quicquid in vreteribus seu renibus impactum fuerit, siue calculus, siue alius humor crassus, postea diureticis multo melius propelletur, alioqui diuretica in principio adhibita maxime oberunt, vt sequens exemplum ostendet in eodem mercatore.

OBSERVATIO XXIX.

De eodem mercatore denuo incidente in vrinæ suppressionem ex calculo vreterem sinistrum obstruente; vnde mors subsequuta.

1 INfortunatus mercator idem & miserrimus, cũ hoc malo ita obnoxius esset, denuo anno. 1561. 23. die Martii in vrinæ suppressionem adeo grauem incidit ex calculo rursus obstruente vreterẽ sinistrum. Antwerpiæ eo tempore agebat, apud vxoris matrem: vt inde mors tandem subsequuta sit: cuius historiam hic libet adiicere, ob communem vtilitatem nostræ professionis. Quum nullis modis tunc quoque lotium reddere posset, medici Antwerpiani alioqui excellentissimi ad illum vocati sunt. Et omnium primo accitus est ad eum Cornelius Spirinchius dictus medicus senior: deinde Arnoldus iunior medicus. Postremo vero & Bekinus doctissimus, si quis alter, & insignis medicus. Varia vero ac multa medicamenta eaque extrema remedia tentarũt: sed frustra. Demum oborta in corpore magna inflãmatione & febre satis vehementi, magisq; sub noctem affligente, vires eius plane prostratæ fuere. In principio autem vtebatur tenuissima diæta, quanquam (*vt nobis relatum fuit*) postea cibum efflagitaret medicis denegantibus, postea vero concedentibus iusculum pulli cum succo limonũ. Medicamenta, quæ præscripta fuere, suo ordine recensebimus, facto initio ab iis, quæ Cornelius Spirinchius senior medicus primo præscripserit. Et erat enema sequens: ℞ *rad. althææ* ℥ *j. betonicæ chærefolii ana m j. coquantur in aqua pluuiali q. s. ad* ℔ *j tum colatis adde zacchari rub* ℥ *ij olei amygd. dulc.* ℥ *ij. diacassiæ* ℥ *j* ß. *fiat enema.* Secundo: ℞ *olei amygd. dulc. pingued. gallinæ ana* ℥ *j. misce. inungat locum dolentem & renes crebro.* Tertio: ℞ *radicis filicis, calami arom. saxifragiæ ana* ℥ ß. *cicerum rub. m.* ß. *gentianæ* ℥ ß. *sem. anisi* ℥ *j ligustici, angelicæ dauci ana* ℥ *j. passul mundat xij coquantur in aqua pluuiali q. s. ad* ℔. *j.* ß. *in colatura adde vini Rhenensis* ℥ *iiij zacchar. & cinnamomi q. s fiat potus odoratus & clarificatus.* Quarto: ℞ *chærefolii furfuris tritici. florum chamomill. ana m. ij seminis anisi* ℥ *iij incidantur herbæ parum, & pistentur semina, rad althææ* ℥ *iij compone in sacculos manus longitudine & latitudine, cancellatos. vt consuetudo est.* Quinto: ℞ *ex eisdem herbis, radicibus & seminibus; coquatur certa portio in cacabo in aqua pluuiali debita quantitate, vt eodem decocto sacculi coquantur, expressi calide loco dolẽti admoueantur.* Sexto: ℞ *sem. anisi, ligustici ana* ℥ ß *glycyrr.* ℥ ß. *rad. fœniculi saxifrag. ana* ℥ *j. coquantur in aqua pluuiali, & vini Rhenensis* ℔ *j ad consumt. medietatis, colat. adde sacchari & mellis ana q. s. cinamomi paru; & fiat potus.* Septimo: ℞ *succi foliorũ, porri & cheyri ana* ℥ *ij. clarificetur, detur statim bibendum.* Octauo: ℞ *olei scorpionis* ℥ *j* ß *vngatur totus penis iuxta inferiorem partem.* Nono: ℞ *furfur. tritici, chærefolii florum chamomill. ana m j* ß. *coquantur in aqua pluuiali q. s. ad* ℔ *j in colatura adde olei amygdal. dulc. & amar. zacchari ana* ℥ *j.* ß. *hieræ picræ Gal.* ℥ *j.* ß *fiat enema statim.* Decimo: ℞ *puluis corticum ouorum combustorum* ℥ *j cum vino albo fiat haustus.* Hæc sunt, quæ Spirinchius ille excellentissimus medicus solus præscripserat. Sed cum iis nihil proficeret, accitus est Arnoldus iunior medicus; & vna subsequentia præscripserunt, scilicet: Vndecimo: ℞ *benedictæ laxatiuæ* ℥ ß *oxymellis compositi* ℥ ß. *aquæ fœniculi* ℥ *ij fiat haustus.* Duodecimo. ℞ *corticum oui assati* ℥ *j. vini Rhenensis* ℥ *iij. misce, bibat statim.* Decimotertio *mandarunt, vt balnearet & foueret in aqua calida totum penem.* Sed ex his omnibus nihil lotii subsequutum est. Et ita tandem vocatus est insignis ille medicus Bekinus, vir mehercle doctissimus. Et tunc communi consilio postremo deuenerunt ad extrema remedia & diuretica, nempe ad cantharides. Et sic cum lotium adhuc non redderet æger. Decimoquarto communi consilio hæc præscripsere: ℞ *seminis dauci Cretensis* ℥ *j. corticum ouorum combustorum* ℈ *j. aquæ raphani* ℥ *iij. &* ß. *cantharid. nu. j* Decimoquinto: ℞ *furfurum tritici, chærefolii, florum chamomillæ ana m j rad. althææ* ℥ *j maluæ m. j* ß. *fiat omnium decoct. in aqua pluuiali ad* ℥ *xv. olei amygd. dulc.* ℥ *j hieræ picræ* ℥ *j diacassiæ* ℥ ß *misce pro enemate.* Decimosexto: ℞ *dauci Cretensis* ℥ *j. corticum ouorum combustorũ* ℈ *j. cantharid. nu j. tenuissime omnib. pulueris atis sumat cum vino Rhenensi.* Verum ab hoc pharmaco assumto postea lingua nigra reddita est (*vt postea æger nobis retulit*) ideo id non amplius dedere. Nam suborta erat inflãmatio & febris subsequebatur satis acuta, ea ipsa paulatim magis augescente, neq; ægro per lotiũ quicquam excernente. Antea quoq; adhibitus erat catheter, etiam cerea candela per meatum penis vsq; in vesicam immissa: sed frustra. Postea eundẽ nudum in balneo posuere vltra vmbilicum vsq; Pro quo parando, decimoseptimo hęc descripsere. ℞ *maluæ, althææ ana m. ij chamomill. m. ij furfuris tritici parietariæ ana m. ij* ß. *rad. rubiæ tinctorum* ℥. *iiij misce. & hæc omnia simul cocta in balneo vel tina posita fuere; in qua tina nudus sedebat ad horam cum dimidia, ex qua sessione (vt mihi postea referebat)* plus æquo sudauit, & deinde debilitatus est, & nihil iuuaminis ex eo sensit, neque aliud commodi consequutus est. Decimooctauo præscripserunt ceratum: ℞ *rad. althææ, maluæ ana* ℥ *j.* ß. *sem. lini, fænug. ana* ℥ ß *sem. fœnic.* ℥ *j succi chærefolii*

fo.ii ℥. ij aceti vini albi ℔. j. ß. coque ad consistentiam mucillaginis, & ex mucillaginibus cum candida cera sufficienti & pinguedine gallinæ olei amygdal. dulc. & modico terebinthinæ fiat ceratum circa renes. Decimonono: *℞. olei seminis raparum ℥. x. iniiciatur per clysterem.* Vigesimo: *℞. cinerum stipitum fabarum corticum fabarum, sarmentorum vitis, filicis ana ℔ ß aquæ pluuialis ℔. iij. calefiat aqua, coletur per sacculum ter quaterue: colaturæ adde succi limonum depurati ℥ iij cinamomi ℥ ij. clarificentur simul per sacculum.* Præter hæc omnia eidem quoque dederunt puluerem vitri combusti & præparati. At istis omnibus remediis, alioqui a tribus doctissimis medicis præscriptis, cum nihil promouerent, & æger ad extremum periculum redactus foret, perpetuo exclamabat, socero suo tum amicis ac vxore præsentibus. Si medici mei domestici ope vti possem, facile is lotium prouocaret suis consuetis remediis, cum quinquies me ab hoc malo liberauerit. Amici illius misericordia commoti, die lunæ post festum palmarum ad me Delphos vsque literas miserunt, quæ continebant, vt vna cum fratre ac nuntio, qui literas perferebat, ægrum inuiserem, ac Antwerpiam venirem. Discessi eodem die, quo literæ allatæ erant, nempe Martii die vltimo, & vna cum fratre, ac nuntio, primo Aprilis die, Antwerpiam appulimus, & hora 2. pomeridiana ægrum accessimus. Tunc conuocatis medicis, casus mihi narratur, & quæ circa eundem acta forent, explicant. Quæ etiam ab ipso pharmacopœo in scriptis mihi tradita fuere, nẽpe omnia illa, quæ nunc recensuimus, quibus hactenus vsi fuerant, & nunc nonus esset dies, quod ne tantillum quidem lotii æger excreuerat. Et simul suam opinionem de affectu & parte affecta mihi dixerunt medici præsentes, qui existimabant potius viscosam & crassam materiam in rene ac vretere esse impactam, quam calculum, qui lotium inhiberet. Nec opinabantur calculum ex vretere dilapsum in vesicam meatum vrinarum obstruentem, cum frustra cathetere & cerea candela vsi fuissent, vti & nos aliquando sine vtilitate in eodem ægro feceramus. *Recte quidem,* (*respondebam ego*) *idem sentio calculum neque esse in vesica, neque ex renibus in vesicam delatum, neque calculum adesse obstruentem os colli vesicæ, quo minus vrina effluat; neque in meatum penis impactum, quod & catheter & candela cerea frustra immissa indicarunt, lotio non subsequente.* Interea, saluo meliore iudicio, sustinebam, neque materiam crassam viscosam in rene aut vretere esse impactam, neque in vesica, cum ea ipsa vacua esset: verum quod calculus e rene motus in vretere sinistro hærens, lotium non permitteret transire in vesicam ipsam. Ideo pronuntiabam calculum in vreterem sinistrum esse impactum, quod & sedes affecta, & dolor circa vreterem sinistrum indicabant, eoque magis, quod hominem iam quinquies eodem malo correptum præ manibus habuissem, quem & sanitati restitui, primo vtens clysteri vno atque altero emolliente, statim etiam adhibendo fomenta, ac linimenta mollientia, dolorem sedantia, ac renem & vreterem relaxantia, deinde decocto quodam appropriato simul emolliente, detergente, & vrinam leuiter prouocante, ita vt semper calculum reiecerit, modo ad pisi magnitudinem, modo non plane rotundum, sed paulo oblongiorem nuclei pruni instar, quasi ex rene sinistro lapsus foret, in vretere hærens diutius, talẽ formam cõquisierit: modo etiam fragmenta calculorum similiter subsequuta sunt, etiam figuræ instar pinearum, quales in renib. oriri solent, modo subruffi, modo citrini; & post illos calculos emissos statim subsequutum quoq; fuisse lotium, vt semper hoc modo, nõ solum ab illo insigni dolore, sed lapillis expulsis, & vrina demũ libere exeunte, nunc quinquies a me laude diuina sanitati restitutus sit. Et ideo licet a vobis excellentissimis doctoribus recte quidem in principio & subinde et enemata, & alia emolliẽtia pscripta sunt: tamen cum valde forte fortia illa, & diuretica ad lotium quidem educendum a vobis præscripta, hactenus non iuuerint, nullo modo iis insistendũ esse puto, calculo adhuc in vretere sinistro permanẽte, cum dolores vehementes nullo modo remittant, & febris magis incendatur, qua & nunc laborat, virib. etiam plane deiectis, tam ob febrem, quam dolores & vigilias præcedentes, omnib. modis operam darem, eodem decocto, quo semper prospere post clysteres, fomenta & linimenta vsus sum, etiam nunc vti. Et licet sanguinis missio etiam hic conueniret, quam Aetius monuit in principio peragendam; sed nunc, licet ob febrem & inflammationem conueniret, tamẽ in homine extreme debilitato vix conferre putarem. Vterer quoq; ventosa ad lapidem transponendum; sed quia iis vsi estis, ab ea nũc abstinerem: neq; in cibo aliqua diuretica exhiberẽ, quæ neq; illi modo in principio, neque nunc sola, cum adhuc calculus ex suo loco non sit dimotus, exhibenda sunt. Propterea ego meam decoctionem ex ficubus, malua, althæa, cicere & aliis paratam, darem, modo vobis, illustres medici, id videatur commodum. Quum rationẽ meam doctores excellẽtissimi intellexissent, vnanimi consensu in meam sententiam transierunt, tam de affecta parte quam affectu ipso, & de vtili curatione, vt eandem decoctionẽ, qua solitus fueram in eo vti, propinarẽ. Quod equidem secretũ & arcanum, vt vocant, ne nunc quidem reticere volo ob communem ægrotantium vtilitatem, ne illud audiam, quod seruus ille nequam audiuit a domino suo, quod talentum sibi a domino commissum sine fœnore sub terra cõdidisset: ideo neque hoc arcanum posteritati iniquior (*vt multi proh dolor solent facere*) apud me seruare volui. Estque hoc decoctum sequens: *℞. sem. maluæ, althææ ana ℥ iij. cicerum rub. ℥ iij sem. 4. frig. maior. ana ℥. ij. hordei mundati ℥. ij. caricarum pinguium num. ix. sebesten numer. vii glycyrrh. rasæ ℥ fiat decoctio in ℔. 4. aquæ pluuialis ad consumtionem medietatis, colatura vsui reseruetur: qua continuo vtens, calculum semper excreuit, vt in præcedentibus obseruationibus ostensum est.* Atque hæc decoctio a me descripta & ab excellentissimis medicis approbata, quod febri

[11] nõ obesset, primo Aprilis die a me præscripta est: & statim ea vtẽs, venter (*vt æger ipse fatebatur*) qui instar tympani durus erat, emollitus est, & subsequutus est secessus quam plurimus, cum ea cõtinuo vteretur; & dolor aliquomodo mitigabatur, quamuis neque vllo die minxerit: interea tamen nocte sequente paulo melius habuit, & plus dormiuit, quam omnibus noctib. præcedentibus. Sed febre eum non relinquẽte, & virib. omnino prostratis ob dolores præcedẽtes & vigilias, consultũ fuit ægrum paulo largius nutrire, cum medicorũ præsentium consensu: & sic factum fuit. Videbatur quoque vtile & Cornelio Spiringio & Arnoldo Becano, tunc non præsente, vt cum vesica sequenti decocto repleta tale fomentũ fieret, quod eorundem medicorum consensu ita a me descriptum est secundo die meæ vocationis; *℞. rad. althææ ℥ j. ß. foliorum maluæ, viol. ana m j. parietariæ m. ß. florum meliloti p. j. sem. althææ, maluæ ana ʒ iij. ficuum ping. num. vij. coquantur ad mollitudinem, s pistentur ac confricentur, cum toto; liquori decoctionis huius etiam addas olei Zizamini, olei amygd. dulc. liliorum ana ℥ j. omnia ponantur in vesica, duplici filo ligata*, & ita calide in vesica conclusa loco dolenti sæpissime admoueatur. Post meridiem, cum nondum redderet lotium, consultum fuit, vt aliquo modo magis aperitiua adhiberemus: & quia tunc Arnoldus medicus solus aderat, Cornelio Spiringio non redeunte, hæc decoctio descripta est: *℞.* [12] *corticum rad. apii, fœniculi, asparag. brusci, graminis ana ℥ ß. paritariæ, chærefolii, spergulæ ribes nigræ, seu summitatum eius, ana m. j. rad. restæ bouis seu ononidis ℥ j semin. maluæ, althææ ana ʒ iij. glycyrrhi. rasæ ℥ j caric. pingu. nume. iij. sebesten nume. vij. dauci cretici ʒ iij. semin. 4. frigid. maior. ana ʒ j. fiat decoct. artis ratione in aqua pluuiali ad ℔. ij. & vtebatur mane & vesperi tantum loco syr.* Die sequenti, qui erat xi. dies, a quo tempore non minxerat, communi consensu & Cornelii Spiringii & Arnoldi, qui tunc aderant, meo decocto ex ficubus, quod pro arcano habebam, continuo vtebatur, etiam fomento cum vesica. Et tandem tertio die Aprilis, qui erat vndecimus ab initio sui morbi ꝙ non minxerat, parum mingere cœpit, omnib. admirantibus: & cum continuaret decoctum illud nostrum, tandẽ cum magno impetu lotium erupit, & libere mingere potuit. Cum vero medici præsentes admirabundi dicerent, non emittit lapillos æger, vt prædixeras; ideo & obstructio est ex materia viscosa: at ego contra respondi, non dubito quin lapillus adhuc subsequetur vel calculus: vt etiam euenit, (*& idem quoque alias cum eodem decocto vteretur euenerat. vt superius relatum est.*) Nam altero die, qui erat 12. dies ab initio sui morbi, lapillum rursum ad magnitudinem pisi abruptum cum lotio demisit in matellam, medicis tũ præsentibus ac amicis idem spectantibus: ac lotium deinde minori negotio, imo copiose fluere [13] cœpit. Et quanquam hæc contingerent, vt æger se nunc sanatum putaret, tamen vires ad extremum deiectæ, licet paulo mitius febricitare videretur, erant mihi valde suspectæ, cum etiam ab illa febre post mictionem non liberaretur. Medici autem cum lapillum proiectum spectarent, hoc nostrum prognosticum ac curationẽ palam laudabant: & quia videbant vrinã libere exire, ægrũ tanquam iam sanatum omnino relinquebant, etiam amicis ciuibusque Antwerpianis me ita extollentibus, vt medicum Batauum dicerent hunc ægrotum quasi sepulcro destinatum ad lucem reuocasse: & illa fama apud alios mercatores dispersa, caussa fuit quod ad multos vocatus fuerim cõsultandi caussa, qui renum aut vesicæ affectibus detinerentur. Attamen minus ea laude afficiebar, quanquam nostris optimis remediis vtens, *Deo adiuuante*, lotium redderet, quia nondum febrem illam superauerat, quã valde periculosam metuebam: multoq; fortunatior medicus fuissem; si ab ea liber euasisset, in quam ipse ante nostrum accessum infelix inciderat ęger. [14] Et licet æger 13. die subsequenti, eo quod nunc lotium redderet, valde gaudebat, & speraret melius de sua salute, atq; palam profiteretur multo melius se habere, imo & præ lætitia se ipsum erigeret in lecto, quod antea minime poterat: tamen omnino periculum non euaserat. Cum nunc libere lotium redderet, vt a decocto nostro abstineret iussi; & vt febris quoque malignæ rationem haberemus consului. Nam licet ad libitum nunc mingeret sine vllo obstaculo, tamẽ 14 die, qui erat dies Sabbati ante festum Paschæ, peius habuit, & magis febricitauit: & illo die excepit illum fluxus sanguinis narium, luna promota ad signũ oppositum radicis ægritudinis: post quem sanguinis fluxũ pessime habuit: vnde etiam prędixi quibusdam amicis astantibus, quod æque bene moreretur, licet iã optime mingeret, febre nondum cessante, & virib. plane collapsis: ideo medicos reuocari iussi, qui hominem iam quasi pro restituto habentes reliquerant. [15] Ceterum Spiringius eo tempore ægrum non accessit: nam is euocatus erat ad dominum de Bergen: solus Arnoldus comparuit, eamque febrem non ita malignã iudicabat; atq; siccitatem oris, quam æger etiam tunc sentiebat, nihil esse faciendam, quam putabat contractam & nigram euasisse, ex liberaliore vsu limonum, quibus medicorum cõsilio diutius vsus fuerat, non obstante quod ego iudicarem, ex malignitate febris id fieri, cũ & totam noctem male tulisset, & nunc post crisin imperfectam ex fluxu sanguinis narium male haberet, cum & lotium libere effluens nihil homini virib. destituto prodesset. Interea tamen communi consilio inter nos, gargarismo vtebatur ex hordei mundati decocto, pro oris siccitate; & nodulis ex semi. cotoneorum in ore detentis & per linguam cõuolutis, quib. ego frequenter in aphthis & lingua aspera nigra vti solebam. Capiebat simul duo cochlearia argentea syrup. viol. sub noctem, & etiam illo die hordeato pro alteratione & viribus refocillandis in hunc modũ parato vtebatur: *℞ amygd. dulc. repurgat. v. ß. sem. 4. frigi. maior. mund. ana ʒ ij. aquæ hordei ℔ j. fiat hordeatum seu emulsorium, adiecto zacchar. albiss. vt artis est.* [16] Pro siti quoque vtebatur cerasis conditis. Decimoquinto

quinto

quinto die ab initio morbi, qui erat dies Paschæ, mane quãtumuis melius habere visus est, & vrina per se copiosius flueret, quam antea, tamen sub noctem pessime habuit, & admodum inquiete totam noctem peregit. Decimoseptimo die delirio quasi accedente omnia in peius vergebant. Cumque iterum vocatus esset Arnoldus medicus, sed profectus esset Mechliniam ad vxorem, quã nouiter duxerat, eo nõ veniente denuo Becanus accitus est: & inter nos facto prognostico, quod moreretur, eodem die post meridiem, nempe decimo septimo die, computando ab initio morbi, obiit.

SCHOLIA.

17 MEo quidem infortunio, dum lotium nostra ope (*Deo adiuuante, sine quo nihil fit*) reddidisset, vir hic egregius & nostri amicissimus tamen obiit, viribus ob febrem etiam consumtis, cum toties hoc malo, tum calculo excarnificatus, locis ipsis quoque affectis debilioribus redditis, morbum hunc atrocissimum superare nõ potuerit. Aliqui ex amicis satis sinistre iudicabãt ob febrem inductã a medicamentis fortioribus ægrũ mortem incurrisse; licet medici illi in artis operibus peritissimi recte vsi fuerint clysteribus emollientib. tum fotibus in principio. Non deerant & vulgares, qui vitrum combustum exhibitũ incusarent: eo tamen & Galenus noster, tum alii veteres medici vsi sunt ad comminuendum calculum. Interea hic admonẽdi sunt tyrones ex Guainerio, sit eo sit vtendũ, vt hoc ægroto non manifestent, cum ex eo canes interficiantur: sed his (*scilicet canibus*) non tritum datur, sed integrum cum pinguedine aliqua mixtum; & cum tunc eorum guttur transire nequeat, eos interficit, & nõ venenositate. At hominib. datur prius præparatum; teritur enim subtilissime, & in cochleari ferreo supra ignitos carbones vritur; & vbi rubeum fuerit, in aquam fabarum proiicitur. Tunc enim calcinatum facile deprehendes: non calcinatũ rursus ad ignẽ reponas, sicut primo, totiesq; iterãdo donec ad atomorum similitudinem teri possit, cuius cũ mellis aqua aut alio diuretico a ℨ ß. ad ℨ j. exhibetur. At hic æger vndecim diebus non minxerat.

18

Cardinalis quidam septendecim dies nõ mingens vitam produxit.

Refert Ioannes de Tornamira in suo Clarificatorio cap. de diffic. mingendi, *quendam Cardinalem Fabrensem Romæ septendecim diebus vitam produxisse absque vrinæ emissione, & vrinam per superiora vomitu reiecisse.* Habui ego ipse præ manibus Martinum Henricum, sic dictum, Delfis habitantem in insigni rosæ, qui quindecim diebus lotium non emisit, & postea lotium emittens, cũ febre etiam afficeretur, tandem & mortuus est, vti & hic mercator. Idem Ioannes de Tornamira scribit Gregorium Papam Vndecimum similem casum incurrisse ex oppilatione humorali: *Isti, inquit, incurrerunt hunc casum: dolebant in anchis, & non febricitabant nisi in fine, appropinquante morte. Et refert se casum vidisse in quodam nobili concusso fortissime in anchis ab inimicis suis, qui vixit febricitando sine aliqua vrinæ emissione vsque ad 14. diem. Fuit tamen factus totus citrinus colore herbarum semiuiridium: & mortuus est 14. die.* De termino vero septimæ diei, quod si quis nõ mingat, vt quidam putant viuere aliquem non posse, id falsum est: nam & Iacchinus testatur quosdam ad 17. diẽ peruenisse, & adhuc mansisse incolumes: nam, vt mihi a fide dignis relatum fuit, pater Petri Nanni Alcmariani, professoris Louaniensis, duodecim diebus non minxit, & sanus factus est. At Martinus in Rosa, de quo paulo ante dictum est, cum quindecim diebus minxisset, postea mingens ac febricitans, per quatuor pluresq; dies adhuc mingens obiit. Sed hic tyrones admonendi sunt, vt in principio, vbi calculus hæret in vreteribus, plane abstineant a diureticis. Quare illud exemplum illos cautos reddet, cuius meminit Guainerius, quod medico imperito euenit, qui diureticis vtens in principio sine emollientibus, ægrotanti suo mortem miseram & inopinatam intulit. Ceterum multæ sunt caussæ retentionis vrinæ, de qua latius libro sequẽti dicemus, cum de ischuria seu vrinæ suppressione & vesicæ malis dicturi sumus. Nunc rursus ad renum vitia redeamus, quoniam de calculo renum plusquam satis egimus.

OBSERVATIO XXX.

De renum inflammatione.

1 HAud secus quam ceteras corporis partes ex copia influentis sanguinis, & renes ipsos inflammatione tentari contingit; præsertim vbi in carnosam eorum partem confluat, quamuis nonnulli raro in renibus accendi volunt, quod firma eorum & prædura caro ægre fluxionem admittat. Fit tamen interdum renibus ictu casuque cõtusis, accersitaq; fluxione per venas emulgentes: ita enim vulnere, attritu, assidua equitatione, corruptela & affluxu humorum, potis pharmacis fieri potest, cuius cognitio non nisi peritis sæpissime patet. Ita meo tempore cũ adhuc Alcmariæ praxin exercerem, Bartholomæus Simonis, mercator Alcmarianus, qui in platea vulgo Houtil dicta, prope templum Diui Spiritus, vel sacellum in domo angulari habitabat, anno 1555. 20. Nouembris die correptus est dolore acerbissimo iuxta extremas dorsi vertebras, paulum supra spurias costas: qui dolor breui tempore ita auctus est, vt hominem iamiam moriturum, qui aderant putarent. Aduocant empiricum sacrificulum, qui neque morbi caussa inuestigata, nec morbo cognito statim dorsum locumque dolentem inungit oleo laurino & spicato, seu spicæ dicto; & per os exhibet theriacam & mithridatum simul mixta: & ita discedens imperat, vt summo diluculo vena hepatica in manu dextra pertũderetur. Sed ex his adeo dolor excreuit, vt æger me tẽpore matutino coactus fuerit vocare. Cum autem vix ægrum salutassem, reperi monachum Franciscanum ibidem adesse, etiam medicinam (*si dîis placet*) profitentem. Hic venerandus pater ægrũ ischiade laborare contendebat. Sed ex signis præsentibus diligentissime morbum examinando, certo deprehendi inflammationem in rene dextro hærere, quam & febris satis acuta, tum alia signa, quæ aderant, confirmabant. Dolor enim in lumbis ingens hunc ægrũ affligebat, ad iecur sursum, deinde deorsum, vsq; ad

2

vesicam, pudendum lumbosq; tendens, nonnunquam ad coxendicem & femora: vnde & monachus ille coniectabat ischiadem esse: verum consequebatur stupor propinqui cruris, neque recte sese erigere poterat ob dolorem: frigebantq; extrema, & magis suræ ac pedes. Dum autem pulsum ipsi⁹, digitis admotis ac manu iniecta explorarem, atq; hæc inter tangendum ægrotanti narrarem, num hæc iam dicta sentiret, putabat ægrotus omnia hæc me ex pulsu coniicere, & admirabatur de his omnibus meam interrogationem. Et licet eo tempore nondum aderat mingendi difficultas, tamen eam paulo post affuturam prædicebam: nam & post meridiem eodem die hāc ipsam quoq; experiebatur, ita vt cum difficultate similiter mingeret. De qua quidem interrogatione & prædictione valde admirabundus mihi soli fidem dedit, vtpote iam perfecte eius morbi cognitionem habenti, & empirico ablegato simul monachum illum sciolum ac nasutum relinquebat. Ceterum cum hic æger plurimum torqueretur dolore, etiam nausea accedente & stomachi morsu, quæ ob medicamentum calidum (*nempe theriacam*) assumtum, huic malo contrarium euenisse existimabam, cum mordaces humores hoc modo irritati magis ad partes inflammatas fluant, non minus ob malum prædictū per se, quod solet plerumque morsum stomachi vomitumq; biliosum inducere. Præterea cum prius ex dolore vsque ad animi deliquium angeretur & exsudaret, venterq; ei sisteretur (*quod huic morbo peculiare est*) & continuo exacerbationes fierent, nonnunquam per interualla, vxor tum amici metu perculsi, secundum medicū, quamuis magna ex parte etiam empiricum potius quam vere rationalē, & vera methodo curandi non ita instructū, vt professio medici requirat, dum ego adessem, me inscio vocarunt, ac superuenit, dum ita de eius morbo disquirerem. Sed ita a me certior factus, qualis affectus esset, eadem de morbo sentiebat, sed aliis negotiis forte obstrictus isthinc discessit, & curatio mihi soli demandata fuit. Quare ilico eodem mane, cū enema æger nō admitteret, nec aluum deponeret, glande hac immissa pro fecum eductione aluum deiecit: ℞ *pul. hiera picra* ℈ *ij. diag. gr. iij. mellis* ℥ j. *salis parum fiat glans vel suppositorium*. Nō diu post eodem die sanguinem detrahere iubeo ex vena schiatica (*cum saphena minus appareret*) in exigua quātitate, in dextro pede, cum in dextro rene dolor magis ægrum afficeret: & profuit; quamuis melius fuisset ex saphena, modo recte apparuisset. At de venæ sectione postea latius in Scholio subsequenti. Sanguine itaque detracto, multo melius habuit. Mox locum dolentem loco olei laurini & spicati, (*quibus perperam satrificulus vsus fuerat*) *solo oleo rosac. adiecto pauco vnguento infrigidante Galeni, aceto admixto ad leuem repercussionem, prius leuiter inunximus, postea & cerati instar adiecta cero lumbis imposuimus, & abstinuimus a mouentibus vrinam*, quibus perperam prior empiricus vsus fuerat, & ab iis, quæ purgant, à quibus in initio inflammationis abstinendum est. Interea ad humorem contemperandum dedi *decoctum hordei mundati, folior. viol. maluæ, portulacæ, florum nenupharis, sem. quatuor frig. maior. cum syrup. viol. nymphææ, pap, propter vigilias & dolorem vrgentem*. Postea etiam hunc fotum adhibui ad dolorem mitigandum: ℞ *foliorum viol. maluæ, portulacæ, florum rosa. rub. nenuphar. florum chamæmeli, meliloti, summitatum anethi, parietar. exsicc. ana p. j. rad. althææ* ℥ *j fiat fomentum loci affecti cum spongia, adiecto exiguo aceto, quo dolor nonnihil sedabatur*. Et cum dolor postea rursus magis vrgeret, hoc sequenti fomento vsi sumus: interea valde debilis erat ex dolore & febre. Pro siti & inflammatione & ardore vrinæ, modo sumens hordeatum & emulsorium *ex semin. 4. frig. maioribus mundat. & semin. pap.* capiebat subinde ex his tabulis: ℞ *specierū diatrag. frig. trochis. alkakengi sine opio* (nam ardorem vrinæ & quasi vlcerationem patiebatur) *ana* ʒ ß. *dissolutis in aqua alkakengi, adiecto zaccha. albiss. ad* ℥ *j. ß. fiat confectio in tabulis*. Rursus quoque glande iniecta ad aluum soluendam, a fotu etiam cataplasmate vsi sumus: ℞ *florum chamomillæ, meliloti, florum rosa. rub. foliorum maluæ ana m. j. coquantur in aqua communi ad mollitudinem pro fomento. Reliquiæ contundantur; & adde farinæ hordei* ℥ *j. farinæ fabar.* ℥ *ß. farinæ seminis lini & fœnugræci ana parū; olei rosac. & chamomill. q. s. fiat cataplasma pauco oleo cotoneorum adiecto, sed chamæmelino dupla proportione ad oleum rosac. & cotoneorum*, & apponatur, & per continuam fomentationem, & huius emplastri seu cataplasmatis applicationem dolor sedatus est; & mane reddidit vrinam muccosam, purulentam, & quasi sanguinolentam, & per se incidit quoq; in fluxum ventris; sed non enormē, cum maxima doloris sedatione, ita vt inflammatio in suppurationem mutata videretur, febre etiam cessante, vt purulenta quoq; mingeret, Ideo statim pro abstersione sequens medicamentum propinaui: ℞ *decoct. hordei non excorticati* ℥ *iiij. syr. de cichor. Nicol. cum rhab* ℥ *j misce*: eaque potione vnica vice assumta cessauit mictio purulenta, & fluxus alui muccosus & quasi sanguinolentus, vt tenesmum videretur incurrere. Sed hoc potu tantum ebibito perfecte magna cum nostra laude Dei optimi nutu intra septē dies curatus fuit. Victus huic erat cremor hordei in principio, & aqua hordei loco potus.

SCHOLIA.

QValis autem affectus sit præter naturam inflammatio renum, nempe morbus in compositione, & secundario morbus in intemperie, eaq; calida, & in continui solution, vel etiā frigida ex parte caussæ & materiæ, prout apostema iuxta illos, qui Arabes sequuntur, frigidū vel calidū fuerit. At nunc, vestigia Græcorum insequentes, ob plurimas quidem caussas, *Aetio teste lib. 11. cap. 16.* renes inflammantur: nam & humores corrupti (*vt ex Ruffo accepit*) & plagæ & attritiones, & pharmacorum potiones, inflammationes generant, & equitationes continuæ & vehementes: Inflammatio enim, *Alexandro autore lib. 9. cap. 5.* in vniuersum ex copia materiæ in particulas præser-

7 Inflammatio renum qualis sit affectus præter naturam.

Caussæ.

præsertim carnosas influentis generatur, vt omnibus in confesso est: ac conuenit hoc scienter perpendere, num id, quod influxerit, sola copia, an qualitate tantum, aut vtroq; simul offendat: copia quidem, vt cum ipse sanguis probus est, & ob nihil aliud quam solam abundantiam, obstructionem excitat, particulam distendit, & in sublime attolit: qualitate autem sola, aut cum exiguus existit, biliosus & nimis acer, aut crassus viscosusque, aut terrestris & melancholicus. Nam hæc cognoscere ad curationem valde vtile est. Quod renes afficiantur, ex dolore in lumbis cognoscitur, & signis iam in obseruatione dictis: cum dexter ren afficitur, dolor pulsatilis superius ad nothas costas & hepar tendit, inferius ad vesicam & femur, pectinem, pudendum; stuporq; adest cruris respondentis. Si sinister ren, circa easdem regiones dolor aderit parte sinistra, & sinistri cruris consequitur stupor. Quod si ambo afficiantur, circa ambas partes percipietur dolor, & amborum crurum stupor consequetur. Et, *iuxta Aetium*, neque recta erigi possunt ægrotantes, neque pedibus ingredi, & siue sternutatio siue aliqua alia concussio irruat, vehementi dolore lancinantur: frigent extrema, suræ ac pedes: adest vrinæ emittēdæ difficultas, minguntque assidue & laboriose: in principio quidem tenuia, & aquosa, in quibus nihil subsidet: Inflammatione vero in peius proficiente, rubicundiora, deinde etiam crassa & mucosa: adsuntque febres vehementes. Quod si adhuc amplius inflammatio augescat, hæc omnia fiunt vehementiora: accedit que his nausea, morsus stomachi & vomitus bilis, & quidam vsque ad animi deliquium anguntur, & exsudant: sistitur ipsis venter adeo, & inflatur, & assidue ructus emittunt. Sequitur fastidium vehemens & quibusdam continuæ fiunt exacerbationes, quibusdam vero per interualla. At *Paulus & Galen.* contra *Aetium* dicunt *non pulsatilem dolorem adesse, sed dolorem cum grauitate, vt 2. de loc. aff.* Sed hoc dicunt, *quatenus inflammatio est in carnosa parte renum*: Aetius vero *quatenus est inflammatio vehemens in aliis partibus, nempe tunica, quæ renes obtegit*, vt etiam latius videre licet *2. de loc. aff.* in magnis inflam. notatu dignis, de quib. loquitur Aetius. At Paulus de mitiore, & ideo de febricula meminit cum exigua & circa initia fuerit inflammatio. At in eisdem inflammationibus si vrinæ prodeant multæ, & crassæ, in iis bonū est quod subsidet, quoniam ipsæ maxime iudicant, ac secernunt morbum, propterea quod inflammationis concoctionē indicant bonū portendunt; quemadmodū si vrinæ aquosæ puræ, ac perlucētes prodeant, ægre morbum secerni indicabunt, eodem Aetio teste. Conferunt etiā renū passionibus hæmorrhoides superuenientes, vtpote, quæ velut fecem sanguinis vacuare sunt natæ, ex Hippocrat. & Galeni sententia, *aphoris. 11. 6 lib.* Breuiter, quod ad curationem, eodem victu hic vtendum, vt in inflammatione iecinoris præcepimus: sed ex Aetii præcepto, a primo die a cibo abstinendum; non tamen in multos dies inediam extendere oportet, cum vrinæ per inediam acriores reddantur, & vehementissimos morsus infligant. Sorbitiones lenientes morsus, in principio conferunt, tenuesque, vt ptisanæ succus, & aquæ calidæ potus, aut potius aquæ hordei, vel in qua aqua semina coriand præpar. incocta sint. Vitet aquam mulsam in principio, & ea, quæ vrinam ciunt. Sanguis, omnibus succis æque abundantibus, & sanguine exsuperante, *ex Paulo Aetio, Alexandro detrahēdus.* Aetius cubiti venam secat: *Gal 13. meth.* circa poplitem aut malleolum. Sed illos sic conciliabimus: vbi recens inflammatio est, & copia sanguinis adest, reuulsionis gratia ex cubito vena secanda: si non recens, ex poplite vel malleolis; rectitudine semper seruata. Sed in nostro ægro, vbi copia sanguinis non erat, atque debilis erat, nec statim ab initio acciti eramus, ex schiatica id fecimus, cū chirurgus in malleolo interiori vel saphena non recte inuenire posset venam: quamuis melius esset ex saphena, tamen altera incisa ob caussam dictam iuuabat: Si in principio vocemur, vbi copia sanguinis vrget, primo ex cubito; secundo ex poplitis vena vel malleolo sanguinem mittemus: nā & repetitam sanguinis detractionem cōmendauit Aetius. Sed in pedibus venæ apertæ, cum vires facile deiiciant, vt auctor est Auicēna & eius sequaces, in minori quantitate sanguis extrahendus, quam ex superioribus venis. Possunt & ante venæ sectionē clysteres adhiberi, in minori tamē quantitate, ne intestina repleta renes comprimant, ex maluæ decocto, sem. lini fœnug. cum oleo & melle, aut ptisanæ succo, cum oleo & melle, vt Aetius iubet: & vbi stercora prodierint, *oleum anethinum cum butyro, quibusdam adipibus in his eliquatis anserino videlicet, aut gallina iniiciatur, aut ex malu. betæ. viol. foliis hordeo decoctis in aqua ad ℔. j. addendo olei viol ℥ iij. pulpæ cassiæ fist. læ ℥ j. butyr. recentis adipis anseris ana ℥ ß. misce, fiat clyster. & si aluus durior, adde diacathol. ℥ ß. misce.* Talis clyster debet esse emolliens & refrigerans, ex mercur. beta. pariet & similibus. Reiicienda ficus nisi cum detergere oportet, vel abscessum rumpere. Nam nimis detergentia initio malum exasperant. Et hic clyster conuenit: *℞ rad. bismaluæ. lilior. ana ℥ j. maluæ, viol. ana m. ij passul. prun. ana x. quat. semin. frigid. maior. ana ℥ ij florum viol p. ij fiat decoct. in ℥ viij. vel x dissol. mellis viol. sacchar. rub. butyr. recentis ana ℥ j. olei chamamel. ℥ ij. misce. fiat clyster.* iniici potest ante vel post venę sectionem. Talis optimus est ad omnium internarum partium inflammationem, & potissimum, quæ circa sedem fit. Aliqui huic vitio renum glandem commodiorem esse volunt clystere, licet & ille iniici posset in parua quantitate, vt nunc diximus. Ceterum si vitiosus humor, præsertim acris & biliosus, cum sanguine abundauerit, a venæ sectione purgationem quoque adhibere oportet; sed non antequam humorem contemperaueris, ac solutu facilem paraueris; aut si crassus fuerit, ipsum extenuaueris, *ex Alexand. decreto* cum neque in principio, *vt dictum est*, cōueniant. Neq; etiam illa adhibenda quæ vehementer purgant: sed potius tamarindis, cassia, manna, saccharo viol. syrup. ex in-

Signa. 8

9

Prognostica.

10 *Victus ratio*

Vena sectio.

11 *Clysteres.*

Quidā glandem in hoc malo commodiorem clystere esse volunt.

Purgatio.

12

fuſ. roſa. viol. & interim diacarth: vtendum, vt quidam ſuadent. Aliis vero, *vt Rondeletio*, etiam caſſia ipſa ſuſpecta eſt, cum aliquid caloris habere dicatur. Et ideo ſi aluus adſtringatur, potius clyſtere & glande irritari malit; non autem decocto laxãte, aut medicamento, qualecunque ſit, cui locus erit in declinatione. A medicamentis enim duplex eſt incommodum, tum quod calida ſint, tũ quod humores attrahant ad partem affectã. Quod ad Topica attinet, inter initia feruente ac huc inflammatione, refrigerantia admouere conuenit, potiſſimum vbi biliosus fuerit ſanguis, qui inflãmationem excitauit, reneſque ardorem igneum ſentiant; veluti eſt oleum roſac. omphacinum ſeu melinum, cum pauco aceto, & ſucco polygoni, aut portulacæ: vel iſtis adiice lutea ouorum; & ceratum fiat ſupra renes, ex Pauli ſententia. Alexander etiam commendat ex roſaceo, pauco aceto, ſucco polygoni, aut portulacæ & cera, ceratum. In incremento inflammationis aliquod digerens diſcutiens, veluti eſt *chamamelinum, & eius oleum, cum fœnugræc. ſemin. lini, melilot. althaa, adeps gallinaceus recens admiſcendus*: & ad cataplaſmata deſcendendum *ex far. fœnug. ac lini, hordeacea fabacea, rad. & foliis althææ, in iure chamameli decoctis, oleo chamamel. vel anethino addito.* Ac eodem tempore fotibus vtendum ex *decoct. chamameli, & dictorum pauco adiecto aceto, & flore iunci odorati addito per ſpongias.* Et balneis calfact. tuto vtemur, eiſdem quoque in incremento ac ſummo vigore, ſi materia craſſi fuerit. Id tamen minime prætereundum, ex Alexand. & Pauli auctoritate, quod admodum calida vitãda ſunt, ne materia quæ in parte inflammata continetur in pus conuertatur. Item, quæ impendio refrigerant, non minus vitare oportet, iuxta eoſdem, ne quã primum renes inflammati indurentur, potiſſimũ cum ipſi ſuapte natura facile ſcirrhis deprehendantur, tum propter eorum ſubſtantiæ qualitatem, tum etiam propter excrementorum naturam, quæ per ipſos dilabantur, vt liquet 13. *meth. meden.* At vbi perfecte concoctæ fuerint inflammationes, & quieuerint dolores, tunc etiam per vrinam cientia pũrgandum. Quapropter tribuenda ſunt, acorum phu, petroſel. gramen, caſſia, chamæpitys & polium ex Aetii decreto. *Horum vnum quodq;* (vt ipſe inquit) *ex aqua coquendum eſt, & cum vino & melle bibendum: cibiſq; tribuenda, fœniculum, apium, daucus, paſtinaca probe percocta, crithma, ſcandix & gingidium.* Verum ſi inflammatio ad puris ſuppurationem vertatur, quam celerrime adiuuare oportet tum ſuppurationem, tum puris eruptionem, ex eiuſdem Aetii doctrina. Sed quibus id fiat, poſtea dicturi ſumus. Nam & ea, quæ in principio huius mali ordine ſint peragenda, multo clarius eluceſcent etiam exemplis infra ſequentibus.

Topica. — 13 — 14 — *Vrinam cientia quo tempore exhibẽda ſunt.*

Observatio XXXI.

De calido renum apoſtemate ſeu inflammatione.

1 MVlier quædam ex infima plebe, annum trigeſimum ſextum agens, apud Delphenſes, raræ conſtitutionis, vt apparebat, ſatis biliosa, in igneum apoſtema renum calidum incidit, ex ſanguine admodum biliofo: nam præter pondus in rene dextro etiam morſum quendam in eodem rene ſentiebat: inflammationem quoque vehementiorem & ſitim excedentem habebat, atque febrem ſatis ardentem, idque in æſtate, adeo vt de paraphreneſi metus eſſet; cui & anhelitus difficultas, cibique faſtidium accedebat. Ad hanc primum quarto die accitus fui, cum extreme laboraret: nam & in ima ſpina dolor erat, ad inguina deſcendens, & punctiones quaſdam in dextro latere circa regionem renis dextri ſentiebat, cum vrinæ aliquali ſuppreſſione, & mingendi difficultate. Aſtantes putabant pleuritidem eſſe; alii vero morbum vterinum. Debilis hæc erat, & valde calida. At certis notis deprehendens apoſtema calidum eſſe in rene dextro, omnibus modis vt hæc quieſceret, neque ſe iactaret, imperaui. Et cum aluum non deponeret, glande immiſſa fæculentam materiam excreuit: mox ex malleolo interiori vel ſaphena dextri pedis, ſanguinem depromere iuſſi, non tamen copioſe, cum iam morbus incrementum ſuſcepiſſet: alioqui in principio accitus id potius ex vena interna cubiti vel baſilica fieri mandaſſem e regione loci affecti. Epithema mox, cum ingens calor in renibus adeſſet, ſtatim a ſanguinis miſſione admoui, *ex aqua viol. roſac. plantagin. & ſolatri. cui oleum viol. & roſac. ac nymphaa admixtum erat*, pauco etiam aceto adiecto. Mox quoq; loco affecto inuncto ex *vnguento roſac. pauco ſucco ſolani & portulaca adiuncto; & cataplaſmate impoſito ex foliis malua viol. ſolatro coctis ad mollitudinem; adiecto exiguo puiu. roſar. & ſantal. cum oleo roſac. & farina hordei, ex his cum ſimilibus fiebat cataplaſma*: quibus dolor aliquo modo ſedabatur. Verum cum eſſemus in quarto, apoſtemate magis tendente ad augmentum, ſtatim altero die adiecimus ſupradictis *anodyna quadam & reſoluentia, vt florum chamamel. meliloti, anethi, farinam ſeminis lini.* Atque ex iiſdem rebus, *adiunctis foliis maluæ, viol. & florum roſa. nymphaa, ſemine pſyllii*, præſcripſimus fotum, anodynis dictis admixtis. Interea ſtatim eodem die pro ſiti & febri hoc decocto vtebatur: ℞. *decoct. hordei mundati, prun. damaſc. ſicc. ſem. quat. frig. maior. florum viol. nenuph. roſ. acetoſa, portulaca ſcilicet* ℔ j. *addendo ſyrup. viol. oxyzacch. ſimpl. ſyrup. nymphaa ana* ℥ j. *miſce fiat iuleb.* Secundo die, etiam poſt fotum anodynum ſupraſcriptum, cum moderate refrigerantibus admixtis etiam renes inunximus *vnguent. popul. oleo roſ. & chamomill ſimul mixtis*; & dedi loco cibi hordeatum, *cum emulſ. ſemin. quat. frig. maior. mund. & pap. albi.* Ita vt in quinto die dolore plurimum mitigato melius habere cœperit, ac in ſexto die *manna* ℥ j. exhibuerim, *cum decoct. lactuca, viol. florum borag. & prunor. ſyr. viol.* ℥ j *adiecta*, quo medicamento cum aluum bene depoſuiſſet, menſes aperti ſunt. Deinde reſolutione apoſtematis per ſe facta, ſeptimo die, menſibus probe fluentibus, paulatim deinde ad ſanitatem deducta eſt.

2 — 3

SCHO-

SCHOLIA

NOn desunt, qui sub vno capite de renum ac vesicæ apostematibus scribunt, vt Rhases eiusque interpretes: alii quoque de his ac vreterum inflammationibus & apostematibus vna tractant, vt Valescus Bertrutius & Gordonius. Alii rursus seorsim de renum apostemate solum agunt, quãquã modo in rene dextro, modo in sinistro, modo in ambobus, vel etiã vretere contingere possit inflammatio; vel in sinu aut ambitu aut membrana succingente, vel in carne ipsius renis. Vnde ex parte loci variæ quoque differentiæ resultant, *vt apud eosdem auctores constat*, tum ab ipsa caussa & materia sumtæ: alia enim calida, alia frigida, quædam rursus ventosa, modo sanguinea, modo melancholica, pituitosa, aut biliosa ab ipsis appellata, & ex parte quantitatis, magna & magnum locum occupantia, eoq; modo deteriora, alia parua, benigna, maligna, quæ etiam ad materiam ex qua fiunt pertinent. Vel ex parte termini, quod collectionem faciunt, maturentur, rumpantur, insensibiliter resoluantur, quorum terminatio melior. At in duritiem conuersa, peiora exsistũt. Materia etiam horum facile in lapidem conuertitur (*teste Auicenna*) ob caliditatem renum & duritiem eorundem. Si rumpatur & permutetur materia ad vesicam per vreteres, melior est eius terminatio. Si ad intestina, per reditũ ad hepar, per venas emulgentes & venam concauam ad hepar, & postea per mesaraicas ad intestina defluat materia, nõ ita bona est: tamen in illo mercatore, de quo egimus, *obseruat. 30.* contulit, cum per secessum semel materiam saniosam excreuerit, quæ pauca exsistens facile fuit detersa cum *decoct. hordei communis, & syrup. de cichor. Nicolai cum rhabarb.* & ita euaserit, simul pure per lotium excreto: quod si ad inane spatium ventris transfluat, facile hydropem incurrunt. Alia distinctio sumitur; quod sint breuis aut longioris temporis, modo in principio, augmento, statu, aut declinatione; etiã ratione corporis, in corpore iuuenili, senili, robusto, vel debili, vel per viam defluxionis, aut paulatinæ cõgestionis; idq; rarius, vel ex caussis primitiuis externis, vt sunt casus, percussio supra renes, ventosæ attrahentes, emplastra calida, corpore repleto renibus admota, vel pellicea vestis ac strictura, vel dorso ad ignem cõuerso sedere, aut duriter equitare, saltare, currere, aut longo tempore stare, vel post cibum fortiter se exercere, violenter balistam intendere, onera grauia subleuare, portare præter vires, coitu nimio vti. Quæ omnia ex sermonibus ægri dignoscuntur. Internæ antecedentes corporeæ, repletio totius, vel partium superiorum cum renibus colligatarum, materiæ congestio & confluxus calidæ, frigidæ, sanguinis, & aliorum humorum omnium. Quidam etiam ex ventositate fieri volunt apostemata ventosa, ex cibis aliisque rebus flatulentis. Lapis quoque in vesica, calculus in renibus, & vrinæ retentio subinde caussæ inflammationum & apostematum exsistunt. Frequentius tamen materiæ supradictæ renum apostemata producũt, quam vesicæ. Et præcipue magna ex parte in renibus fiunt ex sanguine, vt quidam censent; alii vero etiam ex pituita. At ex sanguine frequentius: cuius exemplũ nunc ponamus.

Variæ distinctiones & differentiæ apostematum renum.

Caussæ primitiuæ externæ.

Internæ antecedentes corporeæ.

OBSERVATIO XXXII.

De apostemate renum sanguineo.

RVsticus robustus, sanguine abundans, cui facies admodum rubicunda erat, anno 1561 Iunio mense, cum opere messorio valde incaluisset, lumbis admodum defatigatis, incidit in apostema renis dextri: nam & febris huic aderat, non tamen ita acuta vt in præcedente, cum ex sanguine in homine sanguineo & multi sanguinis febris quasi vaporosior esset, vt ita dicam: vrina quoq; magis rubebat, & crassior erat, & dolor satis vehemens, grauis tamen magis quam pungens. Cum vero potui etiam crassiori hic deditus esset, & frequenti crapula antea vsus, corpore repleto etiam messorem agens, sanguineo apostemate renis dextri correptus est. Ad quẽ accitus, statim post iniectam glandem fecibus eductis, ipso sanguine exsuperante, cum & venæ manifestæ ac repletæ apparerent, venam cubiti dextri internam secari iussi ad reuulsionem, cum malum recens esset, sanguine ad vncias sex pluresue extracto, & victam frugalem eidem præcepimus, & vt sero lactis, si vellet, quo consuetus erat, vteretur; modo etiam *aqua hordei cum prunis, & sem. quat. frig. simul incoctis*, sed & pro cibo sub vesperam hordeatum dedimus. Decocta quoque exhibuimus *ex viol. scariola, portulaca, lactuca, floribus rosac. & nymphaæ. hord. mund. passulis & semin. 4 frig. maior. adiectis prunis xiij & ℥ j. thamarind. & semin. berberis pap. ℥ j. & colaturæ addendo syrup. viol. nymphaæ papau. an ℥ j.* Sed etiam fotum præscripsimus primo ex *decoct. maluæ, viol. florum rosa. nymphaæ, cymarum rubi.* Cataplasmate quoque imposito ex *hordei farina, cum malua decocta, & rosis oleo rosac. succo plantag. & aceti modico adiecto.* Verum cum nec iis dolor mitigaretur, licet calor aliquo modo minueretur, ex malleolis venam pertundere fecimus, tam ad euacuationem, quam ad deriuationem, sanguine rursus ad vncias quatuor vel quinque extracto & statim fomentum (*cum in quarto die essemus*) sequens adhibuimus *ex foliis maluæ, rad. althaæ, florum ros. viol. nymphaæ, meliloti, chamomill. semin. maluæ, coton. psyllii & althaæ paratum adhibuimus cum spongia, vt fieri solet*: & dolor multum mitigari cœpit, & febris multo mitior illum affligebat. Tunc *℥ j. diacathol. cum aqua maluæ & lactucæ ana ℥ j ß. syr. ex infusione rosa. commun. ℥ ß. propinaui, & inclinante malo ac morbo, decoctum capill. Ven. polytrichi, cum semin. quat. frig. maior. hord. mund. & syrupo violaceo exhibuimus. Et farinam fœnugræci, cum rad. althæa, & floribus chamomill. prius decoctis ad mollitudinem, mox contusis, adiecta hordei farina, & immixto pauco vnguento rosac. & oleo chamæmelino & anethino, pro cataplasmate lumbis imposuimus.* Quibus remediis, sine suppuratione, quæ tamen sæpe in apostemate sanguineo fieri solet, breui admodum hic rusticus sanus factus est.

SCHOLIA.

3 *Signa præsagientia renum apostemata.*

DE signis ex parte diximus scholio obserua. 30 Sed quod ad præsagientia attinet, illi facile hæc apostemata vti & vesicæ, incurrunt, quibus calculi crassiores in renibus aut vesica facile generantur, & quorum parentes eo velut hereditario malo obnoxii sunt, quique cibaria crassa: mucilaginosa & diuretica simul sumunt, & quibus renes frequenter dolent, & calidiores sunt, caussis frequenter præcedentibus, quę labores renib. inferunt, ipsosque extenuant & debilitant.

Demonstratiua.

Demonstratiua diximus: nam & his febris continua, modo etiam secundũ aliquos erratica succedit, dorsi grauitas ac dolor; tum alia ante dicta.

Signa specialia.

At specialia sunt hæc: si in rene dextro dolor in eodem loco est, ascendit ad hepar: si in sinistro, inferius decũbit dolor, & in eodem loco melius quiescunt. Si in vtroq; rene, dolor in vtroque latere, & perpetuo coguntur supini in lumbis iacere. Si in substantia renum, dolor est remissior: in membranis vehementior, ita vt non possit æger se erigere neque erectus stare, aut ambulare, neque tussire, neq; sternuere, ob læsionem neruorum, quibus membranæ seu panniculi integuntur & suspenduntur: in iis enim malum multo vehementius est, vnde sæpe *sitis, dolor capitis, vigiliæ, rubedo oculorum, anhelitus difficultas.* Et si in venis emulgentibus & partibus superioribus sunt hæc grauiora, & in vretere dolor supra modum acutus est, tendens a renibus versus vesicam.

4

At calidi vel frigidi ex accidentibus: in calido vehemẽtior febris, subsequẽte aliquando mẽtis alienatione: in sanguineo, febris vaporosior: in bilioso acutior, vomitio biliosa, vrina citrina: in sanguineo magis rubra & crassior, & dolor vehementior: at fortissimus pungẽs & magis acutus a bile. In frigido omnia remissiora, & febris mitior, ægritudo longior, vrina alba, dolor paucus, grauitas in loco multa. At phlegmaticum apostema & melancholicũ distinguuntur, licet communicant in grauitate, tensione & vrinę paucitate & ratione inflammationis. Sed in phlegmatico adest mollities in facie, oculis & dorso: In melancholico maior durities, & siccitas, & stupor circa anchas & crura, propter oppilationem viarum spirituum a siccitate ad dicta membra, quæ extenuantur & arefiunt: etiam ex parte vrinæ; in melancholico subtiles, in pituitoso crassiores. Distinguuntur quoque ex caussis prægressis. Tã ex parte cibi quam potus calidi, humidi, frigidi, vel sicci naturali quoque habitudine, nempe sanguinea, biliosa, melancholica, pituitosa. Signa vero indurationis nota sunt, ex remotione febris, permanente grauitate: sed de his latius de duritie renis & scirrhoso apostemate. Signa vero temporum, terminationis apostematũ, etiam nota sunt ex sæpius dictis, de pleuritide & apostemate hepatis. Vbi dolor intenditur circa renes, extẽsio, grauitas cum febre; ibi principium: vbi augentur & vrina aliqualiter tingitur, tunc est augmentum: vbi vero magis vigent, status adest: dum vero inclinant, declinatio.

5 *Signa ad suppurationem vergat inflammatio signa.*

Si autem ad suppurationem renum inflammationes vertantur, cuncta prædicta symptomata (*de quibus etiam scholio obseruatio 30. diximus*) ac accessiones extendentur, & febres cũ horrore irruent, atque id maxime circa vesperã: eruntque inordinatæ, & dolores cum horrore interpellato, ac vario infestare videntur, vt liquet ex Gal. *6. de loc. aff.* Nam dum pus gignitur, dolores ac febres magis eueniunt, vt inquit *Hippocr. aphor 47. 2. li.* Tumor item circa ilia quodammodo apparebit, & vehementis caloris sensus ægrotos circa renes affligit, minguntque ruffa & pura, (*vt capit. 18. lib. 11. inquit Aetius*) *Quod si in sanam partem inclinat æger ex affecta, grauitatem magnam magis se sentire dicet, quam ante quam inflammatio in abscessum peruenisset.* Alexandro teste *c. 5. lib. 9.* Nam circa renem dolentem, veluti suspensi cuiusdam ponderis sensum percipiet, *vt ait Gal. 6. de loc. aff.* Perfecta autem suppuratione, & febrium & dolorum accessiones minores contingent, & grauitatis sensus magis circa affectum renem infestabit, ac tempore rupturæ magis exacerbantur: ad quam etiam cum ipsis vrinis puris excretio cõsequitur, & nonnulla alia, de quibus de exulceratione renum dicturi sumus. Et si sanies erit alba, lenis, neque fœtida, cum vrina exiens, adeo bonum etiam teste Auicenna, vt melius non possit inueniri: Sed hoc ad signa prognostica pertinet; vti & hæc auguria.

6 *Signa prognostica.*

Ex igneo apostemate cum acuta febri, si delirium sequatur, nec diaphragmatis communione contingat, certa mors præsagienda est. Si vero cum humoris digestione vrina alba fuerit, cum sedimento purulento, collectiones salutariter disrumpi denuntiantur; si tamẽ muccosa perseuerans fuerit, malum præstat augurium, nã materia ad eas partes confluere creditur. Rubens itaque vrina, in qua quod residet digestũ sit, nec duritiem, nec suppurationem minatur, sed vtilẽ resolutionem denuntiat. At cum indigestio perseuerat, vrina clara ac tenui fluente, aut pus, aut duritiem abscessus minatur. Salutare signum est cũ febris finitur, ac reliqua diminuuntur accidentia, si quæ vrina multa sit; ac quod subsidet concoctũ sit. Quod si globosum purulentum cum graui fuerit odore, damnatur. Ita & quæcunque tenuis fuerit demissa, perseuerante febri, nec accidentibus remissis, exitialis habetur. In omni abscessu extenuatũ corpus, in senibus præsertim, irremediabile malum est; vel si coxendices stupore tentantur. Ex diuturno apostemate macies cõtrahitur tabida, in qua & femora & crura dissoluuntur. Si ab initio his apostematibus statim recte occurritur, vtilibus medicamentis, & accidentia minãtur, bonum signum est, si rumpatur, & æger leuior euadat, & vrina incrassetur, cum optima & crassa hypostasi, & sanies alba lenis non fœtida fluxerit, etiam bonum, vt paulo ante diximus; nec melius signum reperitur, natura dominante supra materiam apostematis. Si vrina sit rubea, ac resideat cũ sedimine laudabili, apostema resoluetur sine conuersione in saniem aut maturationem.

7

In genere, sanguinea apostemata minus mala, quam pituitosa, aut melãcholica, quia citius resoluuntur, & minus sæua accidentia quam biliosa habent, cum & minus

minus corrosiua sint. Item in rene sinistro minus mala est, quam in dextro, ceteris paribus: dextra enim hepati communicant; sinistra spleni, membro minus nobili: & in concauo minus mala, quã in gibbo, ob colligantiam membranæ; & dolor minor est in concauo, & magis materia parata eductioni; & renum apostemata velocia sunt, vt in lapidem conuertantur, & si cum febre delirium multo tempore durans, cum aliis signis malis, lethale; cõmunicat enim cerebro vel membranis. Deteriora accidentia sequuntur, si in membrana; quietiora, si in carne renum. In calidis apostematibus renum, diu durans vrina alba, viscosa, malum, cum digestioni non obediat; vel signũ quod in duritiem conuertetur. Si diu durant, & indurantur, non curantur, & corpore extenuato & cruribus debilitatis tandem moriuntur. In macilentis periculosiora, & in senibus difficulter curantur, deficiente calore & humido radicali. Vrina si post maturationem apostematis maneat clara, tenuis, induratur apostema, si alba viscosa, perseuerat, mala quoque, & materiæ continuum defluxum notat: eiusque continuatio efficit apostema magnam & malignum: & dura apostemata renum mala, hydropem præsagientia; & vbi totum renem vel ambos contineant, nulla spes salutis est. *Reliqua prognostica superius dicta sunt.*

Observatio XXXIII.

De apostemate bilioso renis dextri.

IVuenis Delphensis, valde biliosus, vigesimum secundum ætatis annum attingens, anno 1561. cum Leydam vrbem pedes accederet, & denuo rediret admodum lassus, sanguinem deinde minxit, mox vehementiore dolore oborto, inflãmationem renis dextri incurrebat. Ad quem cum vocatus essem, hæc signa aderant: inflammatio multo maior, quam in præcedente, cum frequẽti punctione in ipso rene dextro, cum siti valida, febre quoque magis acuta, & vrina coloris citrei: nam corpus tenue erat, & diæta præcesserat bilem augens: & præcipue malum auxit pedestre illud exercitium violentum in iuuene bilioso. Hæc cũ animaduerterem & bilem sanguine magis abundare, & cum iam tertius dies esset, ex quo hoc malum inceperat, & aluus adstricta foret, clysterem emollientem & infrigidantem hoc modo vel simili paratum, iniicere iubeo: ℞. *rad. bismaluæ ℥ j. foliorum viol. maluæ lactucæ ana m. j. florum viol. p. j. prun. damasc. num. xiij sem. 4. frig. maior. ana ℥ j. ß. hordei mundati p. j. fiat decoct. in aqua communi pro ℥ viij. vel x. colatura adde cassiæ mundatæ ℥ j. duo vitella ouorum, olei viol. ℥ iij. salis ʒ j. fiat clyster* quo aluum deposuit. Deinde sanguinem detrahere iubeo, sed in pauca quantitate, ex saphena pedis dextri. Et hoc deinde epithemate vel simili renes fomentabam: ℞ *aquæ ros. nymphææ, solatri, plantag. ana ℥ iiij. olei ros. & viol. ana ℥ j. ß. misce aceto pauco admixto.* Mox hordei farinam cum succo intybi, portulacæ & solatri, oleo viol. & ros. adiecto, cum vnguento populeo & ros. ad emplastri modum apponebam lumbis, cum alleuiatione, febre nonnihil remittente: simul propinando emulsionem *quat. sem. frig. maior. & sem. pap. albi, cum aqua lactucæ, portul. & syr. viol. nymph. pap.* modo etiam pro siti & feb. aquã hordei mun. cum syr. dictis. Deinde in morbi augmẽto & versus statum, supradictis addebã *rad. althææ & maluæ, cum foliis, & lini cremorem, cum oleo ros. deinde & chamomill.* adiicere iubeo *vna cum meliloto & fœnugræco*, etiam in statu oleo chamæmel. adiecto. Et per os, dolore iam vtcunque mitigato, exhibui hanc potionem: ℞ *diaprunis simplicis, cassiæ recens extractæ ana ℥ ß. syr. ex infus. ros. ℥ j. seri lactis ℥ iij. fiat potio.* Qua aluus soluta est, inflammatione sedata: post septimum diem ab omni dolore ac febre liberatus, & hic quoque conualuit.

Scholia.

VIctus ratio ac vitæ institutum, quod ad curationem attinet, in apostemate renum, omnibus vniformis esse non potest: etiam pro temporis ratione: & licet in principio tenuis diæta conueniat, vt diximus, minus tamen, si ex caussa calida apostema ortum fuerit; quibus & aer frigidus conuenit, non tamen extreme, ne humores incrassentur & inepti reddantur ad resolutionem: & ideo alia conueniunt in principio, alia vero in augmento, vigore, aut declinatione: ita & de aliis remediis sentiendum. Ab initio quidem refrigerantia in apostemate calido, mox quæ abstergũt, & emolliunt & dissoluunt in augmento & vigore: in declinatione, sine vllo discussorio, quæ resoluunt; habito semper delectu, prout apostema calidum aut frigidum sit. In calido, initio quæ refrigerant, lumbis & renibus imponenda. In potionibus decocta refrigerantia, vt hic in calido exhiberi possunt, *ex portulaca eiusque semine, viol. cum aqua solatri & syr. viol. nymphææ & similibus, & aqua cucumeris grandis rotundi.* Iuuat & lac expressi seminis, melopeponis, vel cucumeris rotũdi, grandis, vel cucurbitæ: nam vtrinque materiam educit, & refrigerat. Hordeacea farina ab initio imposita, santali albi ac rubri, intybique succus, vel aqua, cum stryphno vel cucurbitæ ramentis, adiecto oleo viol. hoc enim modo emplastrum confici potest. Et si maiorem refrigerationem requiras succus solani addendus, vel aquæ eiusdem; & in eis linteoli tepentes infusi vicissim imponantur, donec calorem sentiant. Et si cruciatus magis impatibilis fiat, vires ægri proterens, necesse erit papaueris calyces aut mandragoræ cortices cataplasmatis imponere; mire enim iuuant. At morbo increscente, althææ ac maluæ decoctum cum lini mucore ac oleo rosaceo infunditur. Inter cataplasmata, hordeacea farina; fabaceaque cum violis imponitur. Procedente morbo chamomillam addimus, & althæam: exinde fœnugræc. ac seminis lini lentorem; ac oleum sesaminum: vel anethinum cum althæa. Sed & illud conuenit in inclinante morbo, quod ex hordei farina, in qua fœnugræci semen cum radice lilii, anetho & althæa ac chamomilla componitur. De clysteribus & emollientibus, infrigi-

dantibus & diuertentibus dictum est prius; ita & de venæ sectione. Sed hic nonnulli ad diuersionem quoque secta vena vomitum leuem commendarunt, *vt inter Neotericos Gradus cap. proprio supra Rhasem*, in iis, qui ad vomitum procliues sunt. Insuper vtuntur syr. materiam candam & acrem contemperantibus, *vt dictum est prius*, eamque contemperatam & digestam, leniente aliquo, *vt cassia vel manna, thamarindis syr. ex irf. s. ros. pall.* dolore ex parte mitigato, euacuant; abstinentes a fortioribus solutiuis. Egregie valet *manna Syriaca cum sero lactis*, quæ summam curationem complet: nam ventrem ducit, abstergit, refrigerat, maturat, eluit, & membra recreat. Diuretica non danda nisi morbo inclinante, vel cum intentio est ruptionis. Si vero tumor vel inflammatio, aut apostema non discutiatur, atque ad octauum iam diem peruenerit, suppuratio tum imminet manifesta, tum grauitas ac febris in summo versatur. Vbi igitur inflammatio ad puris permutationem vertatur, quam celerrime (*vt quoque dictum est prius*) adiuuare oportet tum suppurationem tum puris eruptionem, ex Aetii & etiam veterum doctrina In quem vsum conferunt spongiæ, fotus gratia admotæ, assidue imbutæ aqua aut oleo, aut eædem decocto imbuantur foliorũ & radicum althææ, chamæmeli, fœnugræci, & seminis lini, & sæpius (*vt supra*) cal. de admoueantur. Alii emplastrum imponunt ex chamomilla, seminis lini farina, addito furfure & oleo sesamino. Vel anethi & althææ ex oleo decoctum, ita calidum imponitur. Puls ex tritici farina in aqua mulsa decocta, aut ficuum pinguium ex eadem aqua decoctum, mire maturat & dolorem lenit. & cataplasma ex farina hordeacea, cum ficuum & althææ ex aqua mulsa decocto, eundem vsum præbebit. Bonum quoque est ipsas ficus admiscere tritas & absinthii comam contusam, vel ex eadem farina hordeacea & erui oleo, & resina terebinthina cum melle, & ficis pinguibus cataplasma fiat. Interim addere poteris cardamomi vel columbæ stercoris parum, *vt Paulo visum est*. Hoc cataplasma quoque vtile scribunt: nam & maturat & aperit: *℞ hord. far fœnugraci, seminis lini, melilotique cum althaea violaque arida, cum fici aridæ decocto, addito oleo violaceo* Si difficulter maturatur, adde fimum columbinum. Alii & tunc laudant decoct. seminis althææ ficuum pinguium, vel oleum amygdalinum potum. Et vbi maligna fuerit inflammatio, ex putrescentibus humoribus orta, quos ex febrium acrimonia cognosces, etiam rosæ in cataplasmate commiscendæ myrtique baccæ, & erui ac lentis farinæ: hæc enim humorum putrefactioni resistunt, *vt eidem Aetio placuit*. Genito vero pure, ipsius eruptio procuranda erit. In quem vsum ea, quæ vrinam ducunt in potu exhibeantur, veluti cucumeris semen decorticatum, ex aqua mulsa, palmulis in ipsa incoctis: danda etiam iris cum melle despumato delingenda, *eodem Aetio teste*: aut fœniculum, glycyrrhizæ iridisque radicem in aqua mulsa decoquito, vel etiam chamæpityos, fœniculi, pulegii, vel origani & aliorum similium decoctum. Remorantem quoque rupturam iuuant cuminũ cum passo & ruta cum vino mulso, *vt idem fatetur Aetius*. Alii, si ea non aperiunt, clysteres acriores infundunt, etiam tandem in eo iniecto helleboro: in eo enim conato sæpe pus erũpit. Quidam ad saltum ægros euocant, aliosque similes motus, vt e gradibus descendant, si fieri possit, vtque spinæ vertebras laboriose concutiant, & in equum conscendant. Rupto vero apostemate videndum, num pus album æqualiter sine odoris grauitate per vrinam vtiliter effundatur (*vt diximus*) finita ex toto febri. Difficilior est materia, quæ per intestina & aluum fertur. Rursumq; deterior (*vt diximus est*) quæ in cauum ventris colligitur, vomicæ nomine. At omnium pessima vomica est, quæ extra renes non prorumpit. Ridiculum est, quod eam manu aperire profitentur. Memini forinsecus incisionem factam in M. Petro Zuzio Hagano canonico, fratre Domini Præsidis Hollandiæ, ex consensu duorum medicorum alioqui excellentium, & abscessu aperto materiam crudam & sanguinolentam effluxisse, & tertio die mortem obiisse. Ceterum intus rupto apostemate, & fluente pure, mulsa cum sem. melopeponis frequenti potu medetur, aut cucumeris semine, syrupoque violaceo. Tum vlcus (*vt scribit Galenus*) diligentiori cura atque protinus persanandũ est, diuturna enim renum vlcera difficulter implentur: ob eam rationem, Benedictus Veronensis terram Lemniam cum mulsa potam frequenti haustu profuisse tradit. Ita & de thuris polline ac siderite, quam sanguinem draconis vocari ob similitudinem nonnulli scribunt, cum symphyti aqua aut seridis. Qui eam curationem negligenter ad dies prorogant, vlcus insanabile reddunt. At quæ præbenda sint post abscessus rupturam, pro puris repurgatione, cum de vlceratione renum dicturi sumus, latius explicabimus.

5 — 6 — 7 — 8

Puris generationi quãdo opitulandum sit, & cum quibus.

Pure genito quomodo eruptio procuranda.

Pessima renum vomica.

Observatio XXXIV.

De apostemate renum frigido.

1 Mvlier quædam Delphensis, extra portam Schiedam esem decumbebat ex apostemate renis sinistri, paulo frigidiore. Nam huic dolor versus vesicam in parte sinistra descendebat, cum grauitate maiore, & dolore minus pungente; ita vt in substantia renis potius, quam in eius membrana apostema esse dignoscerem. Melius quoq; in sinistro latere decumbebat, & cum in dextrum se conuolueret, suspenso rene magis dolebat: febris quoque huic mitior erat, & vrina magis alba. Quartus dies ab initio morbi præterierat, cum ad eam accitus essem. Eodem die ventrem deposuerat per se; vrina tamen cum difficultate & dolore exeunte. Venam saphenam aperire iussi, sed non adeo multo extracto sanguine, in malleolo sinistro: & vena secta paulo melius habere visa est. Sed statim fomentum adhibeo *ex decoct. florum chamomill. meliloti, anethi & malua ac althaeæ foliis*, post fotum loco affecto inuncto cum oleo ros. anethi-

anethino & chamæmelino. Deinde ex iisdem herbis tum floribus coctis & contusis, *parietaria adiecta, cum farina hordei, fœnugræc. & lini, & oleo chamæmelino & liliaceo*, emplastrum quoque admoui; hoc quoq; apozemate propinato: ℞. *pariet. malua. capill. Ven. polytrichi, hyss. calaminthæ ana m. j. absinthii. florum ros. rub. ana m ß. rad. ireos ℥ ß. seminis fœniculi. end. scariolæ, meliloti, cucum. cucurbitæ citrulli ana ℥ ij. semin. carui ℥ j. hordei mund. p j. vuar. pass. ab acinis repurgat. iuiubar. sebesten. ana ℥ ß. glycyrr. ras. ℥ ß. coquantur in aqua communi pro lb. j. colaturæ addendo syr. ex infus. ros. mellis ros. syr. capil. Ven. ana ℥ j. misce.* A fomento, emplastro, tum linimento, nempe supradictis dolor sedatus est. Imperaui tamen vt fotum continuaret, addita postea in emplastro absinthii coma, & rad. althææ & furfure, cum oleo anethino & pauco nardino, vsque ad nonum diem: & apostema resoluebatur. Et tunc exhibuimus hanc purgationem: ℞ *florũ viol. borag. bugloss. foliorum, capill. Ven. ana p. j. vuar. passul. enucleat. ℥ iij seminis anisi ℥ j. ß. foliorum senæ ℥ ij polypod. querc. ℥ iij bulliant in sero lactis q. s. & huius fortiss. expressionis accipe ℥. iij. addendo diacatholici ℥ vj. mellis rosati colati ℥ ß. misce*, quatuor vicibus aluum deiecit. Nono die optime profluente lotio, crassiore, & sine dolore, cœpit melius habere, ita vt 14. die in totum liberata fuerit per modum resolutionis ipsius apostematis. At alteri mulieri magis pituitosæ & crassiori cum hæc supradicta adhibita essent, & apostema in rene dextro non resolueretur, sed ad suppurationem veniret, omnibus modis illam iuuantes, hoc sequẽs emplastrum, vel huic simile, maturans apposuimus: ℞ *rad. althææ ℥ iij. capitum lilior. alborum nu. iij. caricar. ping. num. xx.* coquantur in hydromelite ad mollitudinem, pistentur, *adde farinæ seminis lini, fœnugræc. ana ℥ j. ß. olei liliorum, chamomill. & axungiæ q. s. fiat emplastrum*; postea vt melius rumperetur, etiam adiecto fimo columbino: cumque illa se immoderate moueret, facta ruptura pus optimum & album fluxit, vna cum vrina per vesicam. Mox ebibit decoctum hordei communis, cum melle rosaceo, ad abstersionem, deinde lac bubulum recens mulctum, cum zacch. aut melle. Postea exiguo puluere trochis. alkachengi sine opio insperso ad maiorem consolidationẽ vtens, & hæc quoque conualuit. Eoque tempore cum pus repurgatum esset, tam ad consolidationem, quam ad repurgationem carnibus laudabilibus, pulte ex amylo & lacte amygdal. dul. paucis quoq; amygd. amaris iniectis ad roborationem & mundificationem facientibus vtebatur, cerato hoc quoque, vel huius æmulo ad consolidationem & roborationem lumbis in fine apposito, *ex oleo myrteo, rosaceo, thure, mastiche, mummia, myrrha, bolo arm.* tritis & oleo immixtis, adiecta cera q. s. ad cerati formam, quod satis erat, perfecte curata fuit.

SCHOLIA.

IN curatione apostematis frigidi, iniecto clystere, & vena secta, si opus est, materiam digerimus *melle ros. syr. ex infus. ros. cum decocto menthæ, pass. mund. rad. ireos, sem. 4. frig. maior. end. scariol. & seminis fœniculi, & liq. & similib.* Sedato dolore vtcũque, admotis emplastris, fomentis supradictis, quibusdam calidis etiam inunctionibus adiectis, vt est oleum aneth. chamæmel. & in fomentis adiiciendo etiam flores rorismarini, in fine. Quod si non resoluatur, tunc ad maturantia dicta deuenimus. Materiam digestam etiam detrahimus: aliqui dant *cassiæ ℥ vj. cum ℥ ij. pul. diaturbith, cum sero lactis.* Alii quoq; vomitu: sed is efficacissimus est. Infusum senæ præstat cum cassia aut diacatholico exhibere, & aluum quandoq; clysteribus emollire. Imponuntur aliquando calidiora, quale illud emplastrum est, quod fit *ex amaraco, cymino, anisi, seseli, apii succo, anethino oleo, vituli medulla, butyro, anseris adipe, cum palmulis maturis atq; caricis.* Sedato dolore, & omnibus iam dictis prius administratis, ad diuretica deuenimus, quæ celerius per vrinam transeunt, *de quibus satis supra diximus.* At si in calculum apostemata mutentur, calculi signa aderunt, & curandi erunt, vt de curatione calculi diximus. Sed si iuncta duritie tentantur, febres ægros relinquunt, grauitate permanente. Vtendum oleo nardino, liliorum bdellio & ammoniaco, adipe ceruina, vrsi & leonis admixtis, modo resoluentibus, modo emollientibus, vt de apostematibus duris & schirrhosis constat. Sed in caussa calida quædam frigida humectantia adiungenda, ne in tophos magis mutentur. Sed de ea latius in Scholio subsequente.

OBSERVATIO XXXV.

De quadam duritie renis sinistri.

QVidam cum ex dolore renis valde torqueretur, nempe in rene sinistro, ex medici imperiti consilio cum longo tempore calidis inunctionib. vsus esset, *vt oleo laurino, in duritiem eiusdem renis satis siccus & melancholicus, incidit.* Verum etsi durities renum ægerrime sanatur, tamen ne consilio vacuus hic æger a me discederet, cum niger & hirsutus esset, & aliquo modo sanguine melancholico abundaret, & in autumno essemus, prius alua inanita ex vncia vna cassiæ in bolo assumta, die sequenti venam lienarem secandam esse duximus, & sanguine ad vncias fere sex fluente, commode ferebat. Materiam vero melancholicã præparauimus, sumendo *syr. de fumoterræ, epithymi; & oxymelit. simplicis*; & cum decocto senæ, polypodii, addendo elect. lenitiuum, purgauimus. Et emplastro diachylone cum gummis vulgatissimo, mire duritiem emolliente, imposito: aliquãdo & emplastro de mucilaginibus dicto. Quibus videbatur aliquo modo melius habere.

SCHOLIA.

DVrities renum aut fit ex materia crassa viscida renibus diu impacta, aut melãcholica terrestri; idque in principio: aut apostemate præcedente, in duritiem cõuerso, cum nimium dissoluentibus aut resoluentibus quis vsus fuerit, tenui materia resoluta & crassa in duritiem cõcreta, vel in schirrhum permutata. Si ex oppilatione, eaque recenti, facile quidem tollitur: at antiqua durities

admodum difficulter sanatur; quemadmodum & scirrhus, ob inobedientiam, & morbi profunditatem, & immensam viarum longitudinem, ex qua stranguria & mox dysuria, extremo vero hydrops perniciosa, cuius caussa remoueri non potest. Interim methodus curationis est, vt in hepatis scirrho, crassa materia viscosa, siue pituitosa, siue melancholica prius paretur cum syr. conuenientibus & educta, ac vena secta si opus est. & iis adhibitis, quæ ad lienem durum faciant. Renibus inunctis adipe gallinaceo, medulla ossium bouis, & dialthææ, aliisque emollientibus. Attamen minime præcipites si ex apostemate quoque præcedente aut aliter contigerit, in diuretica vel resolutiua administrando; sed alternatis vicibus oportet interserere mollificantia, ita vt ea ipsa dominetur in sesquialtera proportione vel dupla, quoniam maior timor est in excessu resoluentium, quam emollientium. Si aluus sicca sit cassiam damus; & valet hic decoct. *maluæ althææ cum semin. frigidis & emplastra ex rad. althææ, seminis lini, meliloti farina cum chamomillæ flore, vel farina fabacea, cicerisque passulis cum seuo caprino* Et valentius erit adiecto bdellio & ammoniaco in aceto dissoluto & sagapeno, *adipe vrsino, leonino, medullaque vaccina & ceruina quandoque adiectis.* Reliqua habentur ex curatione scirrhi hepatis atque lienis.

Observatio XXXVI.

De renum inflammatione, quasi ad abscessum tendente, cum duplici febre tertiana, per modum consultationis ad Anream Lemmariensem Frisium, medicum doctissimum.

Istis diebus, Andrea amicorum candidissime, Brielas euocatus ad filiolam quatuor annorum Balduini a Loo Quæstoris vestri curandam, honorifica per nobilem eiusdem vxorem tui facta est mentio; ita vt tacere non potuerim nostram aliquando in Italia familiaritatem, quum Bononiæ sub eodem tecto viueremus, & vna titulum doctoratus eodem die suscepemus. Verum cum hanc filiolam satis sanitati restituissemus, rogauit mater, vt tibi medico huius Balduini familiæ inseruienti morbum puellæ transcriberem. Quod lubens facio, cum equo sponte sua currenti calcaribus non opus sit. Gaudebam plurimum, mihi occasionem scribendi oblatam esse ad amicum & medicum. Filiola itaque hæc cum extreme laboraret, medicus qui tunc præsens erat, omne malum in vermes conijciebat, eo quod ventrem dolere intellexerat. Lotium tunc temporis (vt male hic solet fieri) ad me transmissum est, quod crudum, lacteum aut sero lactis simile cernebatur: quale in renum & vesicæ malis apparere solet. Quare & illas partes affectas esse mihi suspicionem præbuit; quamuis nuntius omnia perfecte non referret, sed tantum de febre mentionem faceret, & filiolam per aliquot dies aluum non deiecisse, enarraret. Mannam itaque ad ʒ vj. vel paulo plus ad aluum emolliendam præscribo, modo id medico præsenti placeat. Interea iubeo si febris non mitigetur, vt lotium remittant, vel potius me euocent ad puellulam. Quo factum est, vt febre adhuc magis increscente me coram vocarint. Ad puellulam itaque ingressus, cum omnium primo pars affecta esset indaganda: deinde affectus ipse dignoscendus. vt ex vtriusque curationem probe inirem, cœpi de dolore interrogare, vt filiola mihi locum dolentem ostenderet, qui sub dextro hypochondrio tendebat, versus partem posteriorem, sub costis spuriis, ad anteriora procedens versus vreteres ipsos, vt illos ipsos tum renum dextrum affici existimarem. Lotium quod longo tempore lacteum minxerat, tum etiam durities quadam renitens, magis in dextra, quam sinistra parte, suspicionem de rene dextro affecto auxit. Rogabam præterea num & calculos, aut sanguinolentum quid per lotium reiecisset? Mater de sanguinolento lotio nostram interrogationem admirata, absque dolore sanguinem aliquando filiolam minxisse confirmabat: itaque ex diapedesi seu raritate vasorum ob calefactionem vel exercitationem aliquam in tenera puella factam putabam: quanquam & chirurgus quidam, vt referebat mater, subito sanguinem illum manantem restrinxerat. Ab eo tempore lacteam vrinam tenuem semper reddidit, sed sine dolore: quanquam nunc a mense vno dolere inceperit, & ex itinere molesto, vt arbitror Leouuardia veniens Brielas, tum ex mutatione aeris, materia si quæ obstructa fuerat ibidem putrefacta febrem, tum inflammationem renis, sed leuem in puellula quatuor tantum annos nata incitauit, quasi ad abscessum tendentem. Videbatur autem febris esse duplex tertiana, ex earum genere, quæ ab aliis febres subintrantes vocantur, ita vt quasi continua videretur, quamuis secundo die magis affligeret. Quum autem vrinam lacteam & tenuem viderem, lactis seri instar, id malum quidem erat, diuturnitatem morbi notans, potissimum si talis in principiis febrium appareat, vnde vel phthisis, vel hectica febris superuenire poterat, maxime ex dolore, in puellula extenuata. Ceterum, vt paucis absoluam, alia via quam medicus primus curationem institui; primo præscribens hordeatum cum emuls. amyg. dulc. depilat. & seminum quatuor frigid. maior excorticat. & zacchharo pro cibo. Ptisanam vero illam insulsam ex hordeo mund. & glycyrrhiza paratam pro potu. Materiam paratam prius cum decocto maluæ, fumariæ hordei mund. passul. ab arillis repurgat. iuiubar. glycyrrh. semin. quatuor frigid. maior. adiectis syrup. violaceo ex infus. ros. syr. de cichor. Nicoli cum rhab. (etiam propter febrem) eduxi cum ʒ vij cassiæ recens extractæ in sero lactis dissolutæ. Pro febre quoque sæpe vtebatur oxyzach. simpl. Interim exterius vnguentum emolliens duritiem, refrigerans, inflammationem compescens, dolorem sedans, quod paululum resolueret, adhibui: a valde calidis tamen, ne in pus conuerteretur inflammatio, aut abscessus fieret, & rursus a valde frigidis, ne in scirrhum ren dexter inflammatus mutaretur, abstinui. Constabat autem vnguentum ex vnguento ros. muccag. seminis maluæ, cotoneorum, althææ, pinguedine gallinæ, & oleo viol. ros. & chamæmelino. Dolore iam quieto, ad purgatiunculam illam leuem ex cassia perueni, tum ad illa quæ leuiter vrinam ducerent, decocto suprascripto addens agrimoniam,

ciceres

cicer es rubros, & similia, quæ ab initio non conueniebant, ne materia magis ad locum deduceretur; ita vt tandem crassiora tum copiosiora mingeret: qualia in declinatione apparentia febris solutionem notant. Ita quoq; factum est, vt filiola iam morti destinata sanitatem recuperauerit, licet nunc sub noctem quandam leuem alterationem ad duas horas sentiat. Sed cum lotiũ deinde magis flauum sit, parentesque iter ad proprios lares anhelent, ita vt abitum in patriam concesserim, cum hic diutius manere non possint; interim si quid obortatur huic puellulæ domum reuersæ, id totum tua industriæ ac arti, Andrea doctissime, committimus: 5. *& si adhuc leui purgatiuncula opus erit, ne recidiua fiat, & aliquid relinquatur, id ex manna ℥ j. vel ex cassia ℥ vj vel vij satis esse putarem; quamuis ego cassiam eligerem, qua ego cum sero lactis recte vsus sum, dando ℥. vj. quo quinquies multa biliosa, muccosa & fœtida excrementa per aluum deiecit, & deinde melius habere cœpit: hac enim satis erit ad renes & vreteres leuiter expurgandos. Deinde renes confortarem cum aliquo corroborante vnguento, ne imbecilliores ex longo morbo, nouam materiam rursus coaceruent. Similiter per os darem conseruam rosaceam recentem, aut Zaccharum rosaceum, quod salutare remedium est, & ita temperatum, vt si latiores facti sint renes, ad conuenientem naturæ suæ statum illos deducat; si obstructi ac pleni, abstergat; si incaluerint, refrigeret: nec tamen affectis frigidis nocet, ita vt renib. omnibus modis temperatissimum medicamentum sit, cum renes a calidis & frigidis facile lædantur. Consului quoq; iam abeunti puellulæ, vt mala citrea in taleolas scissa & zacchar o conspersa ac madida subinde sumeret: tum ad appetitum incitandum, cum & sua incisione optime renes mundificent, obstructionem tollãt, & ad febrem faciant, ac putredini resistant, similiter & calculos comminuant absq; calfactione. Reliqua tuæ prudentiæ ac scientiæ committo. Sat est hæc pauca viro in artis operibus exercitato scripsisse. Plura addidissem, nisi parentes abitum pararent. Hisce itaque valeto. Raptim, Delphis, currente calamo 7. die Junii. anno 1566.*

Petrus Forestus, tuus vt suus.

SCHOLIA.

6 RENum abscessus (*inquit Fernelius*) quo purulenta materia coercetur, rarius ex phlegmone fit, sæpius ex sordido vlcere non repurgato. *Abscessus renum.* Concoctione tamen phlegmones pus gignitur, & abscessus tantus interdum, vt distento rene tumor circa lumbos, & ilia foras promineat. Febres tunc cum horrore oberrant (*vt diximus:*) grauitatis sensus, quam ante magis infestat. Rupto autem abscessu pus cum vrina defertur, & interdum sordes aut corrupta caro ex putri renum substantia. At in hac puella leuis quidem inflammatio ad abscessum non peruenit, sed quasi per modum resolutionis inflammatione cessante, etiam febris postea eandem dereliquit. Sed in abscessu, in quo *Vlcus renũ.* materia purulenta coercetur, sæpe vlcus manet diuturnum admodum ac fere immedicabile. Quæ enim substantiæ portio, vel putredine, vel attritu exesa est, neque resarciri vnquam, neque coalescere potest: quandoquidem (*vt recte Fernelius*) viscus hoc, vt cetera, spermaticum est, cuius etiam vrina iugiter præterfluens vlcus agglutinari non sinit. Quo circa sordidum id, vt fistula 7 perpetuo relinquitur. Huius signum est, quod modo pus, modo mucosum quiddam vrina permistum defluit: hincque vrina redditur alba, turbida, lactis sero persimilis, quæ tandem quiete sedimentum id purulentum mucosumve deponit. At in nostra puella erat quidem lactis sero persimilis, sed sedimentum purulentum tale non colligebat; alioqui facile abscessum & vlcus ostendisset. Vlcus vero ex abscessu phlegmones insolens admodum est, iuxta Fernelium. Nec minus id quoque insolens putandum, quod vel a profluentis materiæ acrimonia renem exedente, vel ab ictu, vel a casu eius venas dirumpente fieri tradunt. Ex acrimonia materiæ profluentis, in nobilissima matrona fieri cognouimus, ex eodẽ vlcere mortua, quæ in iuuẽtute calidis vinis vsa fuerat. Crebro autem ac fere semper fit a calculo intus coercito, qui vel pondere renem contundit, vel attritu comminuit exeditque, vt in multis vidimus, & in quodam ceruisiario, itemque alio frumentario mercatore, ambobus tandem, cum multis annis magno cruciatu misere vitam protraxissent, mortuis. Ita quoque (*inquit Fernelius*) sæpe vidimus tota renis carne ac substantia peresa, ambiente tanquam marsupio membrana pus calculosque multos obuolui. Vlcus ab his caussis 8 ortum habuisse, argumento est, quod vrina antequam purulenta esset, sæpe cruenta fuerit, præsertim ab exercitatione & labore, quod febris nulla aut perobscura fatiget. Si quando autem obstructo vreteris capite pus cohibetur, id sensim per emulgentem venam in maiores venas redundans, sanguinem, habitumque corporis inquinabit (*quæ ex caussa quasi ex leucophlegmatia calculosos tumere ac pallescere sæpe animaduerti: id quoque ego vidi in Melchiore Gherardi, vicino nostro calculoso. etiam nuper in sartore, qui Delphis prope templum Nouum habitabat*) vel ea sede congestum ilia lumbosque copia distendet, e quibus etiam aperta cute diu multumque manat. Nonnunquã & illinc calculus ingens cum pure alias excessit, alias euulsus est. Hæc quum accidunt, tota iam pene renis substantia putredine consumta est, illincque pus redundans inter peritonæi membranas fluctuat. Huius copia (*idem Fernelius inquit*) interdum vidimus totam ventris lumborumque regionem distendi, & pus hinc tum deiectione, tum vomitione reddi syncerum. Quoniam igitur de phlegmone renis eiusque apostemate satis egimus, & illa aliquado in abscessum & vlcus terminentur, nunc de vlcere renum tractabimus: quoniam non solum post abscessus (*vt nunc diximus*) rupturam renes ipsos exulcerari contingit, sed ab aliis quibusdam caussis, vt nunc dicere cœpimus: propterea de hac exulceratione verba facere intendimus.

OBSERVATIO XXXVII.

De renum exulceratione, cum ardore vrinæ.

1 CVm in ciuitate Pithueriensi praxin exercerē, sacerdos quidam annos 45. natus, anno 545. mense Septembri in pago quodam extra vrbem, tribus mensibus ardore vrinæ ac renum vlceratione laborauerat: nam continuo pus fœtidum cum vrina dimittebat, modo saniem & sanguinem simul cum vrina: vnde paulatim macilentior factus, eodem tempore, nescio cuius medici empirici opera vtens, tandem & in manus tonsoris incidens, iisdem nihil proficientibus, malum semper in deterius progressum est; ita vt tandem me vocauerit. Hoc vlcus videbatur ex acrimonia humoris confluentis initium cepisse, cum etiam iam tribus mensibus ardor vrinæ simul illum vexaret. Ideo omnium primo, cum secessum non haberet, medicamentum sequens propinaui: ℞ *cassiæ fistulæ recens extractæ ℥ j. terebinthinæ electæ decies lotæ in aqua viol. ℥ j ß. terebinthina torreatur, vt puluerisari possit, adiungaturque, & cum Zacch. asperso & puluere glycyrrhizæ fiat bolus.* ex quo ter aluum deposuit cum magno iuuamine. Quia vero durioris alui erat, imperaui vt semel in septimana (*vt materia diuerteretur per alum*) enema commune emolliens cū cassia, vitello vnius oui, oleo viol. & amygd. admixto, iniiceretur. Et vt deinde singulis tribus septimanis ℥ j *cassiæ recens extractæ in sero lactis sumeret.* Tale aut simile enema cōponebatur: ℞ *maluæ, altheæ, violariæ, acanthi ana m j. pruna x. hordei m ß. decoquantur in s. q. aquæ ad tertias.* Huius decoct. accipe ℔ j. *adde cassiæ recens extractæ, sacchari rub. ana ℥ j olei viol. ℥ iij. vitellum vnius oui. misce.* Et quia humores calidi acres ad renes confluebant, ardorem vrinæ inducentes, sanguine quoq; extracto in minori quantitate, cum iam tribus mensibus laborasset, venam iecorariā cubiti dextri secari iussi, & vt vitæ institutum diligenter tum victus rationem obseruaret curaui; aeremque eligeret ad siccum inclinantem, in æstiuis temperaturis, aut paulo ad calidum: sicut frigidus vitari debet, ita & valde calidus, cum ardorem vrinæ augeat: & de frigido patet quidem, nam frigidum vlceribus mordax, *teste Hippoc. aph. 2. lib. 5.* somnum moderatum concessimus, & consueto longiorem, cum immodicæ vigiliæ his valde obsint: quietem iniunximus, & vt omnem delassationem ac efferuentem gestationem, maxime, quæ fit in equo, & omnem vehementem concitationem vitaret, præcepimus: hic enim e conuerso perpetuum otium (*ex Aetii decreto 30. lib. 11.*) confert: vice autem exercitii, ægrum decumbentem molliter fricare singulis diebus mane conuenit. Commendabam quoque cubiculum temperatum, in quo decumberet, & vt ob eam caussam etiam paludosa loca vitaret, & a Veneris inprimis petulantia abstineret, & vt in curru minime veheretur; repletiones omnes declinaret, aluumque molliorem etiam habere curaret, clysteribus mollibus, & lenientib. iam dictis. Nihil enim hic præstantius, quam vt natura feces quotidie excernat. Et sicuti animi immodici affectus hic locum non habent, ita & omnibus renū & vesicæ affectionibus, coitus quoque infensissimus, licet senibus magis; at natura imbecillioribus, *teste Aetio*, minime etiam conuenit. Iussimus quoque ne super mollem culcitrā plumeam cubaret, sed quę de gossipii lanugine farta sit: nec renum regio leuiter tecta esset. Nihil quoque edendum, quod salsum, acre, acetosum, amarum, vel nimis dulce aut præpingue sit. Oleosa enim hic maxime damnantur. Et bilem gignentia auersetur: & quia acida nocent, si citranguli apponātur, sine saccharo ne sint, ad tollendam aciditatem. Nihil quoque edendum præcepimus, quod crudū esset aut ægre concoqueretur, aut facile corrumperetur, vel inflationes pareret, aut cito acesceret: inhibuimus etiā omnia, quæ crassi humoris essent, & ægre secernerentur aut vrinā cierent, ventremq; plus æquo perturbarent: nam & acria omnia efferuescentia, & quæ accepta amplius astringunt, & magis resiccant & non nutriunt, & quæ stomacho inimica sunt, & quæcunque bilem aut pituitā præcipue gignere possunt, cane peius vitanda sunt. Pro cibo commēdaui inprimis ptisanæ cremorem hordeatum, auenatum & ptisanam ipsam, sorbitionesq; ex hordei farina, amylo, addito lacte, & amygdalatum, & subinde oryzam. Est enim idoneus cibus amylum ipsum, aut similago lota cum lacte cocta; & lac quoque ouis permixtum, & gallinæ iusculum pingue, *ex Aetii sententia.* Imo oua gallinarū tepida, & mollissima si edantur, valde proficiunt. Ego sane noui quendam, *vt inquit Alexander Trallianus*, qui oua, quā primum essent posita sorberet citra coctionem, dicebatque se plurimum adiuuari, & rosiones ac dolores, qui circa vesicam oriebantur, mitiores fieri, vt ferre posset, affirmabat. Concessi quoque *vt oleribus vteretur, sed coctis, malua, intybo seu seride, rumice, portulaca, lactuca, & quæ simili facultate essent prædita.* Omnia tamen cocta (*vt diximus*) conueniunt & cucumis, & asparagus palustris; nam & hæc morsus obtundunt; nec quicquā crudum tales vorent. Cruda etenim olera tam renum, quam vesicæ vlceribus inimica sunt, eiusdē Aetii auctoritate. Summopere ei commendaui *auiculas montanas, teneram carnem habentes & carnem gallinarum, pullorum, phasianorum starnarum; iuuenum magis, auscularum montanarum, quam antiquarum: & perdices assas præcipue, vel iuscula earundem, vel caponum, vel gallinarum gallinaceorumque, & ex quadrupedibus hædorum extremitates, cum & animalium pedes etiam ex vsu sint.* Sed diuretica vitanda consuluimus, tum vehementer dulcia. Insipida & leuiter dulcia & glutinosa, *vt sunt vitulorum pedes, & aliorum animalium, non omnino commenda.* Ex piscibus vt etiam attingeret concessimus asellos paruos & gobios & gammaros ac locustas, & fluuiales cancros, qui velut remedium præbeutur, vt ait Aetius. Erinaceus quoque recens familiariter permittitur. Similiter conueniunt & auxiliantur *amygdala depilata tosta, cum saccharo vel melle, aut saccharo incrustata, vel virides, matura tamen, & probe mundata; sicca vero*

& non

& non vetustæ, sed præmaceratæ & decorticatæ, pineæque nuces, sed recentes, duabus aquis maceratæ, pistachia, ac passula, nam vua passa omnis ex bellariis non incommoda est, si dulcis fuerit & cum nucleis manducata, & auellanæ & melimela quoque, mala punica dulcia, & melopepones, & quo dulciores fuerint: cucumis quoque ater & ingens dulcis, ac bene maturus iuuat; nam & sitim accensam sedat. **5** Voluptatis quoque gratia acetum modicum concessimus. Eduliorum autem varietates, & superflua condimenta, omniaque nidorosa, graueolentia, & putrida inhibuimus; & vt omnia, quæ in cibo sumerentur essent mediocris multitudinis consuluimus, etiamsi vtilia esse ferantur: vt & ficus aridas vitaret; nam aridæ fici ab omni schola medicorum in ea caussa magnopere damnantur, cum & nimium abstergant, & vlcera persanari non sinant. Pane vtendum esse suasi, accurate apparato & recenti. Frigidum potum inhibui, cum frigidum sit vlceribus inimicum. Multus enim potus & meracior, ac ieiunis potus omnes incommodi exsistunt. Aqua tamen pluuia non corrupta omnino aliis melior exsistit (*vt inquit Aetius*) quæ tamen actu non sit nimis frigida. Sed potius pro potu vtendum vino albo adstringente diluto, aut aqua, in qua hordeum torrefactum, & radix glycyrrhizæ fuerint decocta. Vel detur vinum rubrum dilutum, si ferre potest hordei & glycyrrhizæ decocto; vel lac caprillum, ouillum aut amygdalinum. Lactis enim vsus in eo vitio maxime laudatur, asininum præsertim, quod repurgare & sanare dicitur. **6** Ita in Domina Principe de Chimay communi consilio cum aliis medicis clarissimis eo cõmode vsi sumus. Secundi meriti equinum est; & camelinum, postrema laus bubulo & ouillo, nã bene alunt: caprinum vero alit & repurgat; cameli proximum, purgat enim, corroborat & agglutinat: bubulũ & ouillum bene alunt, quoniam pinguiora sunt: media potio est ℥ iiij. nec nisi tepens datur: addita salis mica, & mellis exiguo, ieiunis datur; nec nisi cõcocto priore aliud assumi debet. Hæc pro victu conscripsimus. Sed præter clysterem venæ sectionem & cassiam præscripsimus, etiam potiones ad dolorem & humores acutos, salsos mitigandos & contẽperandos: ℞. *hordei mun. p j. lactucæ, maluæ v ol. po tul. intybi ana m. j seminis quatuor frigid. maior. ana ʒ j ß flor. viol. nymphææ ana p. j. sem. pap. albi ʒ ij. iuiubar. sebesten. recent. ana num. vij. fiat decoct. in aqua communi pro* ℔. j. *colaturæ adde syr. viol. nymphææ ana* ℥ j. *syr. capill. Ven. pap. ana* ℥ ß. *misce.* Postea continuo bibebat ex decocto maluæ, *cum toto rad. & sem. quatuor frigid. maior. in sero lactis, adiecto melle ros. ad detersionem.* ac satis ex eo mingebat. Manebat tamẽ vrina valde feculenta; mucosa & purulenta, & dolor non sedabatur. Postea ad maiorem detersionem dedi **7** subinde pilulas ex terebinthina lota cũ aqua fœniculi: deinde rursus terebinthina exsiccata, & super laminam ignitam parum tosta, vt puluerizari posset, ex eo puluere cum succo glycyrrhizę pilulas componebam ad magnitudinẽ cicerum. Tres pro vice sumebat, superbibendo decoctum maluæ, *cum sero lactis*, paulo ante dictum: & iterum dedi ℥ j. *cass. recens extractæ in bolo, zacch. candi dicto superaspero.* & superbibendo cyathum vnum aquæ lactis. Et cum pilulas dictas continuasset, & post duas septimanas denuo accepisset cass. *recens extractæ* ℥ j. *in bolo, cum* ʒ ß. *superinsperso, vel immixto pul. trochis. alkachengi sine opio.* Sed cum nondũ dolor istis mitigaretur, æger desperans de sua salute, tædio remediorum affectus, omnia deinceps præsidia relinquere voluit. **8** Quare adhortando, vt curationem adhuc prosequeretur, consului, vt singulis septimanis semel sumeret ℥ iij. *vel* ℥ ß. *cassiæ recens tractæ, cum* ℈ j. *trochis. alkachengi*: & vt omni die sumeret ex sequenti electuario ad magnitudinem castaneæ. & immediate superbiberet cyathum vnum seri lactis: ℞. *zacch. viol.* ℥ iij. *conseruæ ros. huius anni, vel vnius anni* ℥ ß. *seminis mal.* ʒ ij. *seminis pap. albi* ʒ j *seminis quatuor frigid. maior. mundat. ana* ʒ j. ß. *seminis hyoscyami albi* ℈ ij. *pul. glycyrr.* ℥ j. *granorum alkakenchi cum suis vesicis exsiccatis, & subtiliter carpellatorum (vt pharmacopœorum more loquar)* ℈ iij. *succi glycirr.* ʒ iij *boli armeni veri, trochis. de terra sigillat. ana* ʒ ß. *cum syr. capil. Ven. viol. fiat elect. liquidum moderate.* Cum his vsus esset per septimanam vnam, cœpit dolor mitigari, & vrina minus mucosa exibat, minusque ardorem inferens indies in melius mutabatur. Quod si non iuuisset, potionem hanc vtilem ad acutos & salsos humores mitigandos, præscripsissem. **9** Habet *hordei, seridis, lactucæ hepaticæ, callitrichi, capni floris, seu floris fumariæ ac maluæ ana m. j. seminis cucurbitæ, cucumeris, melopeponis, ac rotundi cucumeris, passul. zizyphorum, myxorum, seminis pap. albi ana* ʒ iij *florũ viol. purpur. nymphææ ana* ʒ ij. *glycyrrhizæ succi seminis althææ ana* ʒ vj. *prunorum memphiticor. id est, tamarindorum,* ʒ ij. *prunorum nostratium* ℥ iij *cum aqua fontana ferueffiant, & percolato decocto addes roris Syriaci, id est, mannæ* ℥ ij. *& sacchari quantum vis, ad passi spissitudinem*, binæ dantur vnciæ vel ℥ j. ß. cum aqua hordeacea. Ceterum cum quotidie melius haberet, sero lactis, quo in principio vtebatur; relicto, lacte bubulo vtebatur, & vnguento rof. lumbi inungebantur: & cum vlcera satis viderentur repurgata, tunc resiccantia adstringentia & glutinantia medicamenta, vna cum lacte ouillo, modo etiam vaccino, aliquid boli armeni veri iniecimus: & dedimus conseruam rosaceam non veterem. Quibus ad tempus vtens, & subinde solo lacte vaccino, recte deinde habuit.

SCHOLIA.

10 *Quid intelligendum sit per renum exulcerationem.*

EXulcerantur renes, vesica, ac intermedii vrinarii meatus; de quibus aliqui sub vno capite tractant, *vt Gordonius*: nos hic de rene loquimur, & de vesica seorsim tractabimus libro sequenti. Appellant autem Græci affectum hunc, quandoque ἕλκος interdum ἕλκωσιν: Latine vero *vlcus*, & *exulceratio* dicitur. Nihil autem aliud est, quam continui solutio in carnosa substantia contingens. Nam si in aliis partibus

eueniat, cum in omnibus incidere possit, diuersa quoque nomina sortitur, vt liquet *4. & 6. method. medendi.* Qua de re cum Donato appellabimus eorundem solutam continuitatem. Huius variæ sunt caussæ, *vt nunc Scholio præcedente diximus:* aut enim percussis interioribus venis, aut membris percussis, aut intus suppurata & rupta vomica, aut lapidis scabri aut asperi inter angustias vitio, vel iocinoris vomica adaperta, cuius purulentia renes pariter vlcera patiuntur. Ex pleuritide quoque idem euenire solet, sed rarentur. Hæc ad caussas remotas pertinent. Sed fit quoque aut humoris acriore vi mordente, aut salso phlegmate.

11

Aqua potus ex fontibus calidis nocumentum.

Aqua quoque ex fontibus calidis, si bibitur continuis diebus, vlcera parat, ac cruentam vrinam. Ex lassitudine quoque, ac athletico præsertim labore immodico, sæpe contingit. Mollis item culcitra hos affectus parat. Sed ex salsis cibis, calidis & acutis medicamentis, amarisque potionibus, aut herbis, & diureticis excalfacientibus, & ex Veneris intemperantia, maximam inueniunt caussam, & nephriticis fere omnibus, vt *Auerrhoes Arabs* tradit, oriuntur; sicut & post vesicæ affectiones, quas quædam scabies antecedit. Nam & ea vitia ex piscium esu sæpe gignuntur. Referuntur aut hæ caussæ vel ad internas aut antecedentes, vel ad externas.

Interna seu antecedẽtes.

Internæ, *iuxta Paulum*, quatuor esse possunt: vel ex disrupto abscessu in renibus, vel ex disrupto aut exeso vase, vel ex calculo, vel ex acribus humoribus, aut mordacibus succis ad renes confluentibus, vel in iisdem coaceruatis aut erodentibus.

12

Et ita ad caussas antecedentes referunt calidos acutosq; humores, apostema in eis male curatum, vel post rupturam male expurgatum, etiam humores pituitosos viscosos inhærentes, vel salsum excorians, vel calculum excoriantem, vulnerantem in transitu, vel sanguinis repletionem in venis rumpentem, & tandem sua virulentia excoriantem renes, *vt 4. aphorism. 80.*

Coniuncta.

Alii hic caussam coniunctam esse volunt, intemperiem malam introductam in ipsis renibus vulneratis, aut aliter solutionem continuitatis patientibus a caussis antecedentibus vel primitiuis aut externis: nam caussæ antecedentes vel primitiuæ mouent coniunctas.

Externa seu primitiua.

Externæ seu primitiuæ sunt, casus, percussio, vulnus: ad quę sanguinis fluxio sequitur: nam post apertionem violentam fit vulnus, deinde vlcus. Huc pertinent & medicamenta erodentia, exulcerantia, & lassitudo, immodicus labor, Venus, & alia supradicta.

Signa renũ affectorum.

Signa vero renes esse affectos, cognoscimus ex grauitate circa lumbos, si ambo affecti fuerint: si aliter, vt dexter, in dextra parte; si sinister, in sinistra dolor sentietur. Alia quoque sunt signa, renes esse exulceratos, quæ simul & affectum, & sedem affectam indicant.

Affectus hic qualis præter naturam.

Affectus hic sub eo morbo, qui communis a Galeno appellatur, contentus, solutio continui dictus, & proprie in carnosa parte, hoc est, renum parenchymate eueniens. Quo fit, vt præter lumborum dolorem cum grauitate, sine impedimento vrinam reddant, cui pus mixtum reperitur, carnosis particulis innatantibus (*Paulo auctore.*) Galenus autem *6. de locis affectis* scriptum reliquit, *perseuerantis vlceris notas (ex abscessu potissimum orti) ex vrina haud obscure deprehendi: adde quod creberrime in affecto rene dolorem sentit, atque interdum cum vrina exiguum pus, veluti ab vlcere excernitur:* similiter ramentum nonnunquam cum vrina expelli videtur, per partes quasdam ipsius vrinæ inæqualiter dispersum, mediam conditionem seruans in eius commixtione pus ipsum: ac interim sanguis quoque cum vrina excernitur, qui erosi iam vlceris indicium est. Nam si sanguinem aut pus mingat, pluribus videlicet diebus ac mensibus, aut renum aut vesicæ exulcerationem significabunt, *vt 76. aphorism. 4. lib. ab Hippocrate & Galeno decretum est.* Etenim vocatur quidem ramentum vlceris: essentiæ vero proprietas affectus partis proprium indicium est, *eodem Galeno auctore 6. de locis affectis.* Et ita signa demonstratiua vlcerum renum, vti signa generis, per ea, quæ nunc diximus, sunt manifesta.

13

Vlceris renũ signa

Signa caussarum exulcerationis renum.

At signa specierum ex caussis suis magis innotescunt. Et ita si disrupto abscessui exulceratio succedat, *vt recte quoque annotauit Donatus*, carunculæ paruæ oblongæ cum vrina excernuntur; & si maligna fuerint vlcera, humores fœtidi, liuidi & muccosi.

Caussa interna quomodo dignoscantur.

Nam & hic vrina, *vt sæpe in praxi conspeximus*, cum pure permixto & muccoso adeo fœtet, vt nares facile ex eo fœtore (*nisi odore grato occurratur*) offendantur.

14

Si vero benigna fuerint, etiam pus ipsum album & æquale & leno absque odore graui, & paucum reperietur, *vt inquit Aetius*; præcesseruntque alia præcedentis abscessus indicia, velut ante dictum est de phlegmone & apostemate renum: quemadmodum si disrupto vel exeso vase aliquo renum exulceratio consequatur, eiusdem ruptionis seu exesionis signa præcedant, quæ antea de profluuio sanguinis renum fusius demonstrauimus: nec minus & lapidis signa præcedant, si ex eo erodente exulceratio contingat. De calculosis prius dictum est, qui calculo renum laborant: & ab iis etiam hæc clariora multo demonstrãtur. At si propterea, quod acres & mordentes succi vrinæ permixti per renes pertranseunt, eorundem acrium ac mordacium succorum indicia redundantium aderunt, quæ non solum ex vrinis percipi poterunt, sed ex temperamento, ætate, habitu, anni tempore, præcedentique victus ratione, ac reliquis, nullumque aderit indicium rupti seu erosi vasis, nec ruptionis abscessus, aut lapidis.

Signa vlcerum serpentium.

At emisso pure si sanguis sequatur, Galeno auctore, vlcera, quæ serpunt, indicantur, *phagedænas* vocant Græci, quod nomen sine modo esurientium est.

Caussa externa quomodo dignoscantur.

Verum caussæ externæ, vt si contigerint ab assumto medicamento erodente, exulcerãte, aut ex illato vulnere, aut aliis caussis externis superius dictis, promte cognoscũtur ex infirmi, seu astantiũ loquela, vt non opus sit, his diu inhærere. & ex iisdẽ quoq; tum præcedentib. signa quoq; præsagientia vlcerationē renũ futurã vel exspectandã, nõ difficile

15 difficile innotescunt, vt si victu excalfaciente, vel medicamentis admodum calidis, vt diureticis vtantur, si in balneis sulphureis & calidis diu versentur, atque cibis salsis, & amaris, acutisq; vtentes, & coitu, & calculo obnoxii sint, ex malo hæreditario, tum ea signa, quæ diximus apostemata præsagire, si adsint, & aliquando vrinæ ardorem incurrant tales facile vlceribus afficiuntur: nam & mictu sanguinis præcedente, & vrinæ ardore, diutius ægrum infestantibus & apostemate laborantibus, si his statim non occurratur, neque recte & debite curentur, facile in vlcerationem renum incidunt. Ex quibus iam dictis prædicere & præsagire poterimus, vlcus renum futurum esse, si non impediatur. At distinguentia signa vlceris renum, ab aliis partibus vicinis desumuntur: renum enim vlcera dolore circa lumbos indicantur, sicuti in ima spina ac coxendice; nam vbi dolor, ibi morbus; & ideo deprehendetur dolore circa renes, cum pure multo reiecto vna cum vrinis. Discernitur a pure vesicæ, quod pus vesicæ viscosum magis & tenax sit, quia a parte neruosa defluit. Renum autem pus est quidem crassum, sed minus viscidum. Parum tamen certum est (*vt etiam meminit Rondeletius*) quod tradunt practici, pus renum magis permixtum vrinæ, vesicæ autem minus. Nam in vtriusque vlcere permixtum redditur, & postea in fundo residet. Id tantum verum est in penis vlcere, in quo prius redditur pus, deinde lotium quasi sine pure. Sed renum vlcus & hoc modo a vesicæ vlcere distinguitur, si in summa vesicæ parte fuerint, in pectine ingens cruciatus erit. In venis intermediis albis (*vreteres dicimus*) in ilibus punctiones ac intercisiones sentiuntur. Renes vero exulcerati tergi grauitatem & dolorem præ se ferunt, sed sine offensione vrina demittitur; verum putres carnis particulæ (*vt & antea diximus*) cum vrina mixtæ profluunt. In vlceribus vesicæ aut meatuum stillicidium inuenitur: si vero cum sanguine, aut purulentia veluti albæ squamulæ substiterint, vesicæ vlcerationem ostendunt: nam tum vrina alba est & grauiter olet: quod nec renibus, (*vt quidam volunt*) nec meatibus infra renes contingit, ex quibus plus virulentiæ subrubicundæ excernitur, quandoquidem natura calidi & humidi sunt. Ex vesica tamen plus substat puris, quam exulceratis meatibus: ex renibus namque Galeni sententia, putres veluti caruncula, vel concreti sanguinis guttæ, ex vesicæ furfuraceæ, vel squamulis similes prodeunt. Vrina item exigua, pinguis siue crassa, exiguo sanguine, aut pure substante, vesicæ offensionem indicat: multa vero & pinguis; in qua quædam veluti rubicunda affuerint capillamenta, ex renibus effluit, *Hippocratis testimonio*. In vesicæ & meatuum vlceribus præterfluente vrinæ mordaci liquore, ingentes & frequentes sentiuntur cruciatus, parturientibus haud dissimiles. Vlcera item renum febris non sequitur, sicuti vomicam. Veruntamen membra paulatim tabefiunt. Ceterum de vesicæ vlceribus libro sequenti dicemus; nunc quædam prognostica adiiciamus.

Signa præsagientia.

Signa distinguentia vlcus renū ab aliis partib. vicinis.

Pus vesicæ quib. signis distinguitur a pure renū.

16

17 Si autem fiat post inflammationem & abscessum frigidum, cum post eruptionem abscessus remaneat vlcus, nisi id statim repurgetur (*vt paulo ante dictum est*) & renum vlcus cicatrice inducatur, difficiliorem reddet curationem, *Galeni auctoritate 6. de locis affectis*, quamuis minoris malitiæ sint renum, quam vesicæ vlcera: quoniam carnosæ partes, quam neruosæ facilioris sunt curationis. Tamen nosse oportet, omnem exulcerationem & vesicæ & renum ægre curabilem esse; præsertim quæ ex erosione sit oborta: adeo vt paucos nouerimus, qui ab ea perfecte sint liberati, *vt liquet ex Aetio*; licet, recentia vlcera, non adeo ægre, vt diutina curari possint, siue in renibus, siue in vesica fuerint orta. Renum quoque & vesicæ vitia in senioribus difficulter sanantur, *vt inquit Hippocrates aphorism. 6. lib. 6* Quoniā & earum partium opus indesinens est (*quiete autē opus est, si quid sanari debeat*) & quoniam excrementum acre exacerbare natum est: multo autem difficilius sanantur in senibus renum, & vesicæ passiones, vt & omnes alii morbi, præcipue longi, *vt testis est Galenus commen. eiusdem aphorism.* Qui nimio iidem diuturnis morbis correpti fere commoriuntur, *vt eidem Hippocrati visum est aphorism. 39. secundi libri.* Et quæ iniqua vlcera atri coloris, grauisque odoris, impatibili cruciatu, irritis medicaminibus morbi vetustate damnantur irremediabilia; & vesicæ quoque difficiliora sunt salsugine humoris exasperante. Et si harum partiū vlcera multis differentiis inter se distinguuntur: nam alia erodunt, alia phagedænica sunt, & valde maligna, & quædam compleri nequeunt: nam vlcerum vetustati nullum fere remedium: antiqua non facile sanantur. Aliquando etiam ex vlcerib. renum fistulæ prodeunt, *iuxta Auicennam*, quæ nullo modo sanantur; quamuis aliquando certis temporibus pus non fundant, dum corpus a recrementis repurgatur, materia puris ad loca contraria medicamētis reuulsa; sed rursus repleto corpore, neque per remedia repurgato, pus denuo cum vrina exit. Vidimus & nos renes per fistulam extrinsecus pus euomere, *vt in Hadriano Iunio Medico doctissimo, cui in senectute suomet consilio exterius incisio facta erat fistula tamen deinde perpetuo illi adhærente & per interualla pus euomente, donec moreretur, nostræ Batauiæ decus, mihique per totam vitam amicissimus.*

Signa prognostica.

18

Observatio XXXVIII.

De renum vlcere post gonorrhœam & tertianam febrem oborto.

1 Rvsticus quidam triginta duorum annorum, cum Alcmariæ adhuc praxin exercerem, ex pago Berringhorna dicto, anno 1554. mense Februario me consultandi caussa accessit, cum per semiannū renū vlceratione laborasset, & simul in emittēdo lotio ardorem sensisset. Ante vero laborauerat diutina gonorrhœa, vnde lumbi admodum debilitati erant, & cum in tertianam febrem

quoq; incidisset, nullis remediis adhibitis, quanquam ab ea liberatus erat, tamen acuti humores collecti & coaceruati in renibus, dolore subsequente in lumbis, cum non repurgarentur, ad vlcus renum deuenit, quod & dolor in renibus, tũ pus acre exiens cum ardore vrinæ, lotio simul permixtum ostendebant. Pro cuius vlcerationis curatione victum præscripsimus in *Obseruation. 37. præcedente descriptum.* Et quantum ad medicamenta, vt acres humores illos concoqueremus, & deinde euacuaremus, cum in hyeme essemus, hunc syrupum propinauimus: ℞. *syr. viol.* ʒ j. *syr. de liquir.* ʒ ß. *aquæ fumariæ, acetosæ, maluæ ana* ʒ j. *misce, fiat syrupus.* Sed nausea ex syrupo afficiebatur, ita vt libēter vomuisset; qui vomitus illis vtilis est, & forte tutius erit, eos per vomitum euacuare, vbi ad eum fuerint potissimum parati. Verum si quis omni mense audacter vomat, forsan & renum vlcus, & quicquid inde mali accidere posset dissoluet, *Aetio teste lib. 11. cap. 18. de suppuratis renibus, ex Rufo.* Et ita non solum ad repletiones vomitum lauat, sed ad materiæ vlceris diuersionem. Et ita quidam in paratis ad vomitum etiam ante syrupos, & apozema, vel syrupos humores acres contemperantes & concoquentes, & ante medicamenta lenientia, statim in principio vomitum prouocant, in paratis. Ideo etiam Rondeletius inquit, *Ne deducantur excrementa aliqua ad partem affectam, erit vtile ante vsum syrupum vel vomitu, vel medicamento leniente ventriculum & intestina detergere.* Quidam aquæ tepidæ potu & olei communis, ante pastum vomitum incitant; quo solo remedio sæpe repetito, referunt hunc affectum curatum fuisse, cum vomitus humores ad renes defluentes reuellat & auertat. Verum cum a cibo melius vomant, Rondeletius iubet, id a cibo fieri, & vt aquam tepidam bibant cum pauco oleo, simul inungendo os ventriculi oleo liliorum ad eiusdem relaxationem, vnde etiam minori molestia vomunt. Quod & nos fecimus: & ex vomitu videbatur leuior factus. At iis tantum hæc iubenda sunt, qui facile vomunt: aliis non, cum ea quæ vomitum excitant, vlcus irritent. Ceterum rusticus noster eo die, cum vomuisset a syrupo abstinuimus: altero die iterum dedimus. Postea vero exhibui hunc bolum: ℞. *cassiæ recens extractæ* ʒ vj. *diacatholici* ʒ ij. *trochis. alkachengi sine opio* ℈ j *succi glycyrrhizæ* ℈ ß. *zaccharo candi dicto albiss. asperso: fiat bolus:* eoque deuorato, ter aluum satis copiose deposuit, cum leuamine doloris & ardoris vrinæ; cum deinde sumsisset semel adhuc syrupum suprascriptum. Verum cum vlcus aliquandiu durasset; & quasi sordidum euasisset, & maiori detersione opus esset: hoc apozema præscripsi: ℞. *capill. Ven. ceterach. fumariæ ana m. j bismaluæ, agrimoniæ ana m. ß. seminis anethi, anisi, semin pap. albi, sem. quatuor frig. maiorum ana* ʒ j. *granor. alkachengi cum suis vesiculis num. v hordei communis p. j. glycyrrhiz. ras.* ʒ ß. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ j. ß. *dulcoret. zaccharo: & capiebat ex eo bis in die.* Postea capiebat mane & vesperi tres pilulas, quæ ita erant paratæ: ℞. *pul. glycyrrhizæ* ʒ ij. *terebinthinæ in aqua plantag. lotæ* ʒ j. *fiant pilulæ cicerum instar, & supersorbebat* ʒ j. *syr. ex infus. ros. rub. commum.* Postea omni mane capiebat cyathum vnum lactis bubuli recenter mulcti. Rursus adhuc accepit *cass. recens tractæ in bolo* ʒ j *cum* ℈ j. *trochis. alkachengi.* Deinde omni mane, & hora quarta pomeridiana sumebat cyathum vnum, moderate calidum ex sequenti decocto: ℞. *lactis bubuli* ℔. ij *seminis plantag.* ʒ j ß. *seminis cotoneorum* ʒ j. *semin. sanguin.* ℈ ij. *ebulliant leuiter. Deinde colentur: & colaturæ adde mellis ros. colati* ʒ ij. *boli arm. ad modum alkohol pulueris.* ℈ iiij. *pul. trochis. alkachengi* ℈ j. *misce.* Rursus deinde pilulas supradictas sumsit, & post aliquot dies etiam hoc modo paratas: ℞. *terebinthinæ lotæ in aqua plantag.* ʒ j *pul. glycyrrhizæ, amyd. boli armen. ana* ℈ j. *trochisc. alkachengi* ℈ ß. *misce, fiant pil. ad modum ciceris.* Hoc quoq; decoctum sequens cepit: ℞ *glycyrr. rasæ* ʒ j. *rad. althææ* ʒ ß. *fumariæ, absinthii Romani ana m j flor. ros. rub. p. j. sem. plantag. pap. albi. sem. quatuor frigid. maiorum ana* ℈ j. ß. *sem. agni casti* ℈ j *gran. alkachengi nu. v. hordei mundati p. j. fiat omnium decoctio in aqua communi pro* ℔ j ß. *colaturæ adde mellis ros. colati* ʒ iiij. *misce.* Eoque ebibito, sumebat omni mane bis in die ad magnitudinem castaneæ ex hoc cōdito: ℞ *conserua ros. antiquæ conserua flor. nenuph. albor. ana* ʒ j. *trochisc. alkachengi sine opio* ʒ j. ß. *cum syr. myrtino, & melle rosaceo q. s. fiat ad modum conditi.* Etiam hoc aliquando iniectum cum syringa per penem, cum ardore vrinæ vno tempore magis quam altero detineretur: ℞. *aquæ plantag. lactis bubuli ana* ℔. ß. *mellis ros. colati* ʒ j. *misce* Postea & has pilulas tribus vicibus capiebat: ℞. *mummiæ, terebinthinæ lotæ in aqua plantag. boli armen. veri, trochisc. alkachengi ana* ʒ ß *gummi tragac.* ℈ j. *succi liqui.* ℈ j ß *terebinthinæ super laminam ferream tosta, puluerisata, alijsque adiectis, cum aqua equiset. fiant pilulæ xv.* Et adhuc has subsequentes sexies cepit: ℞. *mummiæ, boli armen. veri trochisc. a kach. gummi tragac. succi glycyrrhizæ ana* ʒ ß. *cum aqua equiseti fiant pilulæ xv.* Et sic magno cum meo honore, cum Alcmariæ circa duos menses apud amicos suos mansisset, & quotidie illum inuisissem, intra duos menses ab vlceratione, & dolore, & vrinæ ardore perfecte curatus fuit. Sed, quod pene omiseram, in fine curationis pro cicatrice inducenda & consolidatione, etiam sumsit mane singulis diebus ad quinque pluresue dies ʒ ß. *boli armeni veri, cum cyatho vno lactis vaccini recenter mulcti.* Hoc autem erat vnum ex arcanis præceptoris mei Elidei, qui hospitali Vitæ dicto Bononiæ præerat, quo in pauperibus pro renum vlceratione curanda vtebatur, quod & vlcus repurgat, & simul consolidat. Quo cum quinquies, vel circiter sumsisset, vlcus probe tandem consolidatum est, optima victus ratione obseruata, in præcedente obseruatione descripta.

SCHOLIA.

7 Curatio.

HOc malum curatur medicamentis detergentibus, deinde resiccantibus, sed difficilis curationis est (*vt diximus*) ob continuum vrinæ transitum.

transitum. Si sine inflammatione & siti facilius curatur; sed præsente inflammatione valde difficile. Ea autem perdurante, vtilis est sanguinis missio e poplite vel talo, vel ex iecoraria, si totius repletio corporis adsit. Deinde exhibenda sunt ea, quæ detergunt citra calfactionem, *vt serum lactis, aut capræ, cum Zaccharo rosa e. aut pauco melle.* Si febris non adsit, lac omne dari potest: si febris adsit, nequaquam, *vt Hippoc. in aphorismis docet.* Pro detersione, *vt ante dictum est*, prodest aqua mulsa, vbi vlcus non fuerit ex vitiosis succis & mordacibus ortum. Victum commodum, & vitæ institutum præscripsimus. Vbi vero ex iam dictis acribus, & mordacibus humoribus vlcus renum ortum habeat, ab eorundem humorum purgatione curatio auspicanda erit, ipsis tamen prius concoctis ac præparatis. Atque tali tantum vtendum, quod leniendo soluat veluti est *manna zaccharum viol. syr. ex pluribus inf. ros. diasebesten, & similia*: & præcipue confert, *bolum cassiæ bis in mense deuorare.* Forma enim spissa medicamenti commodior est liquida, propterea, quod per ventrem descendat liquida, & minus perueniat ad renes. Valent & his syrupi ex iis parati, quę morsus eorundem obtundunt, *ex manna, cichorio, seu hortulana endiuia portulaca, viol. nymphæa, & papau.* Postea imo statim ac confestim præbenda ea, quæ vlcera repurgant, ex quacunq; etiam caussa orta. Inter quæ maxime conducunt lac, præsertim cum melle, asininum potissimum & equinum, recensque mulctum, ac calidum, animali in domum, vbi æger decumbit, deducto. Valet ad interna alia omnia vlcera graui puri maxime amicum, corpus probe nutriens *Aetio teste.* Confert etiam aquæ mulsæ aquosa potio; nec non cremor ptisanæ cum modico melle, *inquit Alexander.* Aut fœnugræci decoctum, cum melle, seu cucumeris semen cum passo (*vt voluit Paulus*) vel maluarum, seu cucumeris aut melonum semen, cum eadem aqua mulsa, aut adianthi, equiset., seu graminis decocto: vel paratum ex hordeo cum corticibus torrefacto, *andiantho, glycyrrhiza radice ad ℥ j vel iiij cum emuls. semine melonum & cucumeris.* Et pastillus confectus ex *melonib. cucumer. semine maluarum, & halicacabi, cum abrasa radice glycyrrhiza, ac tragacanth. ac vua passa, & zaccharo*: Vnumque vel duos ex iis vice qualibet propinabimus, cum decocto supradicto, seu cum mulsa aquosa; adiectis iis, quæ vrinā leuiter ducunt. Etenim a situ & figura partium indicatione sumta, in renum & vesicæ vitiis, nedum mel ipsum, sed etiam eorum, quæ vrinas mouent, quidpiam vlcerum medicamentis misceri oportet, *ex Galen. 4. method. medendi.* Paulus eis, qui per vrinam pus reddunt, bolum armen. præbet, aut ferularum combustarum cinerem, quantum tribus digitis comprehendi potest, ex passo. Huius cuiuslibet dari potest *℥ j cum mulsa, aut lacte*, potissimum vbi munda fuerint vlcera: quod inde tibi palam fiet, si neque tectorium vlceri obductū cum vrinis excretum appareat, neque etiam pus excretum sit feculentum, sed subalbidum, læue, & æquale, & paucum, *ex Aetii auctoritate.* Hoc enim tempore (*vt recte etiam admonebat Altimarus*) pro his, quæ vrinam ciunt, quæ exsiccant, astringunt, ac cogunt, tum alimenta, tum medicamenta, simul atque ea, quæ conglutinant, adhiberi debent: quale illud est apud Donatum, exsiccans, conglutinans, astringens, & dolorem sedās. Excipit *vua passa physticorum, pinei fructus amygdalarum dulcium torrefactarum ana ℨ ß. seminis althææ halicacab. ana ℈ j seminis lactucæ hyoscyami ana ℈ ß. amyli, tragacanthi ana ℈ j ß. radicis dulcis ℈ j ß. seminis melonum, cucumeris ana ℨ ij. boli armeni, seu cineris ferularum combustarum ℈ j Zacchari dissoluti in aqua ros. & capill. Ven. q. s. fiant in morsulis.* Ad inueterata autem vlcera, ea pharmaca assumenda, quæ ad exulceratam vesicam describentur. Extrinsecus quoque renes exsiccare ac roborare oportet vnguentis, ceratis, cataplasmate, aut emplastro, *ex oleo myrtino, cotoneorum, rosaceo, ac mastichino, polygoni, seu plantaginis succo, mastiche, thuris cortice, bolo armeno, santalis, hordeacea seu fabacea farina ouorum albumine, cera & aceto similibusque paratis subinde quoque adiunctis medicamentis simul refrigerantibus,* (maxime si cum inflammatione vlcus sit) *& exsiccantibus in hunc vel similem modum ℞. succi plantaginis solani ana ℥ iiij. olei rosacei omphacin. ℥ iij. aceti ℥ j lithar. g. tenuissim. puluerisat. ℥ j ß. cerussæ ota ℨ ß. tuttæ subtilissime puluerisata ℨ j sanguin. dracon. ℨ j puluerisentur puluerisanda, & reducantur ad formam nutriti.* Vngantur renes, siue cum inflammatione sit vlcus, siue absque inflammatione.

Observatio XXXIX.

De vlceratione renum in quodam iuuene, cum difficultate aliquando lotium reddente.

Iuuenis prope vrbem Delphensem habitans, aliquo tempore pus minxerat, cum renum dolore. Hic anno 1569 26. Iunii caussa consultandi me accessit. Atq; hoc apozema pro detersione propinabam: *℞. radic. fœnicul., apii, petrosel. maluæ, glycyrrhizæ rasæ ana ℨ ß foliorum maluæ m. j. cherefolii, agrimon. betonicæ, capill. Ven. polytrichi ana m. j semin. 4. frigid. maior. semin. fœniculi, anisi, petroseli. ana ℨ j granor. alkachengi nume. v. cichor. rub. ℨ j hordei mundat. p. j coquantur in aqua communi pro ℔ j col. adde syr. ex infus. ros. de byzantiis, sine aceto, syr. capill. Ven. ana ℥ j. misce, omni mane cyathum vnum capiebat.* Sexto Iulii die iterum cum lotio me accessit, quod & purulentum erat, & valde fœtebat, dolore in lumbis hærente. Bolum itaque hunc deuorauit: *℞. cass. recens tract. ℨ x. pul. seminis anisi ℈ ß. pul. trochisc. alkachengi sine opio ℈ ß. Zacch. candi albissimo asperso fiat bolus.* Post tres dies iterum redeunti impero, vt quotidie tres pil. sequentes sumat: *℞. terebinth. lota in aqua agrim ℨ j torref. parum, & cum suc. & pul. glyc. fiant pilu. xij.* Mox & cochlear vnum absorbebat syrupi sequentis post pilulas assumtas: *℞. syr. ex multis infus. ros. ℥ j syr. viol. de byzantiis sine aceto ana ℥ ß. misce.* Decimonono Iulii rediens, Delphis cubiculum conduxit, vt perfecte sanari posset; &

Marginalia: 8 — [...]gans me[...]mentū. — [...]æ vlcera [...]rgant. — 9 — 10 — Quæ exsiccant, & conglutinant, quando cōpetunt. — 11 — 1

cum non solum in lumbis, sed etiam in vreterib. ad vesicam vsque & ventrem doleret, neque probe aluum deponeret, hoc decoctum præscripsimus: ℞ parietariæ, maluæ, capill. Ven. fumariæ ana m. j sem. anisi ʒ j ß. semin. quatuor frigid. maiorum ana ʒ j. foliorum senæ ʒ ß. rhab. selecti ʒ j. ß. schœnanthi ℈ ß. granor. alkachengi cum vesiculis num. v. glycyrrh. ʒ. rasæ. passul. enucleatarum ana ʒ ß. hordei mundati p j coquantur in aqua cõmuni pro ℥ ix. Postquam per noctem steterint infusa; colaturæ fortiter expressæ addendo syr. ex infus. ros. ℥ ij syr. de cichor. Nicoli, cum rhab. ℥ j. misce. pro iij. dosibus matutinis. Iisq; quotidie aluum commode deponebat, & sordes vna cum lotio exibant. Vngu. vero rosato ad renum roborationem & calorem lumbos inungebat. Rursus 28. Iulii hoc apozema descriptum, ad sordes & purulentiam detergendam: ℞ rad. petroselin. fœnicul. maluæ, glycyrr. ana ʒ ß. chærefolii. parietariæ (lotium enim difficulter subinde reddebat) maluæ. capill. Ven. ana m. j. flor. chamomillæ (ob dolorem) p. j sem. quatuor frigid. maiorum ana ʒ j. granor. alkachengi num. vij. cicerum rub. ʒ iij. coquantur in aqua communi pro ℔. j. adde col. syr. ex infus. ros. mellis ros. colati ana ℥ j. ß. misce pro iij. dosib. 15. Augusti, cum aluus rursum resisteret, duab. vicibus tempore matutino hanc potionem ebibit: ℞. pariet. chæref. agrim. betonic. malu. viol. hord. non excortic. ana m. ß. capill. Ven. p j. sem. anis. fœnic. ana ʒ j ß. sem. 4. frig. maior. sem. lact. sem. pap. ana ʒ ß. fol. senæ ʒ vj. rhab. select. ʒ j. ß. (erat biliosus sine febre) glycyr. ras. ʒ ß. iuiub. sebest. ana num. vij granor. alkach. nu. v. vuar. ab arillis repur. ʒ vj. schœnan. ℈ j. fiat decoct. in aqua com. pro ℥ viij stent supra herb. per noct. & fortiss. express. adde syr. ex infus. ros. sy. viol. mell. ros. col. ana ℥ ß. mis. Et aluum optime excreuit, cum magno iuuamine. At 19. Aug. adhuc sordes & purulentiam, vna cum difficultate mingenti, sequens apozema præscriptum est: ℞ parietar. agrimon. beton. malu. ana m. ß. rad. alth. ʒ ß. chærefol. m. ß. hord. com. p. j. sem. petros. apii. fœni. ana ʒ j. ß. sem. 4. frig. maior. ana ʒ j rad. ononid ʒ ij. (nam semel in lotio arenulas rubras inspexeram, in fundo matulæ residentes) glyc yr. rasæ ʒ vj. gran. alkakenchi num. vij. cic. rub. ʒ iij sem. mal ʒ ij. coq. in aqua comm. pro ℥ ix. vel viij. adde syr. de byzant. sine acet. sy. ex infus. ros. ana ℥ j. mis. pro ij. dos. 27. August. denuo & hoc præscriptum est: ℞. agrim. beto. pariet. malu. ana m. ß. sem. anis. aneth. ana ʒ j. sem. petros. cucum. melon. ana ʒ j gran. alkach. num. v. coq. in aqua comm. pro ℥ viij. col. adde syr. viol. de byzan. sine acet. ex infus. ros. ana ℥ ß misc pro duab. dosibus. 29. August. aluo rursus restricta, hæc potio propinata est: ℞. parietariæ, maluæ, agrimoniæ, capill. Ven. ana m. ß. sem. anis. ʒ j. vuar. pass. enucleat ʒ ß sem. 4. frig. maior. ana ʒ j. liq. ras ʒ j. bulliant in aqua commun. & in ℥ iiij. infunde senæ ʒ ij ß. rhab. elect ʒ j. ß. schœnanthi ℈ ß per noctem facta prius leui ebullit. & fortissime expressione mane adde syr. ex infus. ros. comm. ℥ ß. misce. Qua potione quinquies aluum deposuit. Excrementa valde muccosa, & in fine videbantur quasi sanguinolenta. Tamen multo melius a purgatione cœpit habere; & vrina postea purior euasit, ita vt nõ amplius sordes in lotio appareret. Tũc iussi, vt omni mane sumeret lac ouillum recens mulctum adhuc calidum cum melle rosaceo, postea etiam adiecto bolo armen. & vncia vna rad. consolidæ maioris incocta; fuitque consolidatum vlcus, ita vt amplius nulla purulentia in lotio visa fuerit: inungebat lumbos vnguento rosato, & tandem curatus fuit.

SCHOLIA

In his vlceribus conueniunt, quæ aluum molliendo humores temperant & auertunt; quemadmodum cassia, manna, *vt diximus*, & pruna memphitica & nostratia, ac syr. ex infus. ros. pallid. in materia salsa & acuta; serum caprinum cum epithymi decocto, & syr. ex succo fumariæ, aqua hordeacea, & aqua vesicariæ. Et vbi febris adest, lacte ouillo vtendum. Hic syr. commendatur a Rondeletio: ℞. *rad. bismaluæ, consolid. maior. ana ℥ ij. glycyrr. ras. ʒ ß. corticis cucurbitæ ʒ iij. agrimon. ceterach. plantag. ana m. j. sebesten paria xx. semi. anisi ʒ ij. sem. alkachengi & bismaluæ ana ʒ j. semin. pap. albi ʒ iij. aut cap. pap ʒ ij flor. trium cord. ana p. ij. ros. p. ß. fiat decoctio in aqua hordei ℔. ij. dissol. zacch. q. s. fiat syr.* Omnibus modis confert, si omni mane capiantur ij. cochlearia argentea. Sed in hoc iuuene, quoniam vna lotium reddebat cum difficultate, decoctis adiecimus leuia quædam diuretica. At postea ad lac ouillum & consolidantia in fine deuenimus. Renum vlcera sanat semen maluæ, vel althææ, cum *mulsa potum: addito semine fœniculi, apii, aut schœnantho, vel aqua polytrichi, vel hordeacea, si leuia sint:* vetusta vehementioribus indigent & putrida; vt radices iridis tusæ cũ mulsa, & marrubium & hyssopũ cum polytrichi decocto prosunt. Ad serpentia vlcera ea commendantur, quæ in dysenteria valere scripsimus. Sed & phagedænicis & hoc emplastrum vtile est, ex erui farina hypocystide & vino austero. Et quæ difficiliora sunt, iuuantur emplastro ex hordei farina, thuris manna cum oleo cyprino aut lentiscino; nam serpere vlcus nõ sinunt. Sed de his latius, cum de vesicæ vlceribus dicemus, ac sequenti libro. Cum itaque omnes renum affectus & symptomata absoluerimus, tempus est, vt huic libro finem imponamus; & ad vesicæ vitia transeamus.

Serpentibus vlceribus idonea.

FINIS LIBRI XXIV.

LIBER VIGESIMVS QVINTVS, DE VESICAE MALIS ac affectibus.

OBSERVATIO I.

De stranguria seu vrinæ stillicidio.



Aria, soror vxoris Adriani Nannij, prætoris Alcmariani, mulier admodum luxuriosa, anno 1546. Maio mense, stranguria laborabat, & vrinæ stillicidio: nã vehementi dolore ac vrinæ ardore lotium guttatim stillabat, ob acrimoniam irritatum. At paucis his remediis & ab

& ab ardore vrinæ, & stillicidio fuit liberata, inter paucos etiam dies. Hoc quidem decoctum primo præscriptum fuit: *℞ radicis maluæ glycyrrhiz. recentis rasæ ana ℥ j. sem. quatuor frig. maiorum ℥ ß. seminis hyoscyami albi ℈ j. hordei mundati p. j fiat decoctio in aqua communi pro ℔. j. colaturæ adde syrup. violat. mellis rosacci colati, syr. de glycyrrh. ꝫa ana ℥ j. addendo trochisc. alkachengi sine opio ℥ ß. misce*, omni mane capiebat cyathum vnum. Deinde hunc bolum deuorauit: *℞. cassiæ recens extractæ ℥ j. cum zacchаro candi dicto asperso, fiat bolus.* Bis excreuit satis copiose: & ilico iuuamen sensit, tam in mingendo, quam in ardore vrinæ, qui magna ex parte etiam mitigabatur. Propinaui & sequens decoctum: *℞. maluæ, portulacæ, lactucæ ana m. j. coquantur in aqua communi pro ℔. j. colaturæ adde syr. nenupharis, papaueris albi, miuæ cotoneorũ ana ℥ j. misce*, pro tribus dosibus. His præsidiis stranguria ac ardor vrinæ ex materia acri cessarunt. Hæc tamen cum ventriculum debiliorem haberet, & vrina aliquo modo tincta adhuc esset, absque febre, ex hac mixtura sumebat: *℞. conseruæ violarũ, rosaceæ huius anni ana ℥ j.* Ventriculum inunximus *oleo mastichino*. Sanitate recuperata, deinde optime se habuit.

2

SCHOLIA.

3 *Vesicæ vitia plura.*

Vitia vesicæ plura sunt, de quibus *in hoc libro* sermonem habituri sumus. Nam ipsa vesica præter habitudinem, malamque compositionẽ, etiam vrina calculo apposita, supressa, vel quod ipsa nimium sit angusta, vel nimium foras intumescat, hæc ipsa & vastitate damnatur, nam & exitialiter vulneratur, *secundum Hippocratem*, vnde inguina dolent: nam aut vrina per vulnus exit, aut sanguis emingitur, stomachusque idem afficitur, bilem euomunt aut misere singultiunt, frigidusque subsequitur sudor, ex quo & mors. Vesica præterea inflammatur, exulceratur. Sequentur & vrinæ tormina, angulosi vel asperi lapidis iniuria, stillicidia, incontinentia, difficultas, ardor vrinæ, eiusque retentio: sed & sanguis intus concretus vesicam plurimum afficit. Damnatur & vrina, cum grauiter olet, si arenosa nimium, si purulenta, tortuosaque sit. De his omnibus agemus. Intemperie frigida tum calida afficitur: frigidiorem indicant, vrina alba, viscosa, muccosa, furfuracea, intus veluti squamulis discurrentibus, quæ guttatim destillat, ac ex interuallis. At calidiorem ostendunt, vrinæ acris mordacitas, cũ dolore, quæ & tenuis est. Auxiliantur, quæ & de renibus dicta sunt. Calidiori tamen (*vt experimẽto constat*) psylli mucсillagine subuenimus. Infunditur tamen vtiliter rosaceum cum camphoræ exiguo. In potu frigida prosunt, in cibo autem portulaca, cucurbita, ac cucuminis, cum melopepone: medentur ex aqua frigida spodii potiones matutinæ, æstate præsertim, lac item asininum, inunguntur extrinsecus, & valet rosaceum, violaceum, ac cucurbitinum oleum, cum camphora. Frigiditatem vero vesicæ emendat nardinum aromaticum, oleum anethinum, illitum, purgamiumque in cibo diuretica calida vesicam excalfaciunt. Emplastra quoque renum affectibus quærenda sunt, ne idem sæpius dicatur. De vesica parua meminit Galenus *in arte parua cap. 72.* inquiẽs: *Sic & cuiusdam vesicam contigit intueri, ita expositã ac paruam, vt si quando vrinam tardius excerneret, tumor quidam circumscriptus manifeste cerneretur: non tamen aliud ex interioribus quicquã mihi vnquã manifestum præbuit indicium.* Tentare autem oportet, quam maxime fieri potest, virtutem ipsorum ac vitium, etsi non certissima scientia, artificiosa saltem coniectura comprehendere. Sed tũc vt sunt, magna vel parua maneant oportet; quanquam in quibusdam, *vt idem testis est Galenus cap. 87. eiusdem libri*, quæ naturalem magnitudinem partes exsuperant, quiete ac commoda alligatione minores redduntur: augentur autem & naturali motu, & frictione moderata, & quibuscunq; aliis plus sanguinis attrahere natura aptis. Licet partes ex semine ortæ deficientes propemodum corrigere impossibile exsistit: ex sanguine quidem corrigi possunt. Sed his omissis, quoniam de omnibus vitiis vesicæ ordine quodam dicturi sumus, sumamus initium ab ipsa stranguria seu vrinæ stillicidio. Cum autem vrina sit, proprie loquendo (*vt diximus cap. 1. lib. 1. nostri contra vromantes*) sanguinis superfluitas, in magna vena delata per renes & vasa vrinaria in vesicam, *vt & Galenus lib. 5. de vsu partium inquit*: reliqua autem adhuc subtilis & aquosa superfluitas, (*quam appellamus οὖρον, hoc est, vrinam*) vt quidem discernatur, renes operata natura, prope hepar ipsos posuit: vt autem probe excernatur, susceptorium quidem primo velut lagenam aliquã creauit vesicam: in fine autem vesicæ musculum custodem intempestiuæ effluxionis. Et sic vesicæ munus est statuto tempore, cum scilicet ratio iusserit, foras susceptum lotium propellere. Et propria eius actio est *6. de locis affectis vrinæ excretio.* Verum hic quæritur a medicis, num tale excrementum, nempe lotium, vesica attrahat, an a renibus duntaxat ad ipsum excernatur? Nam Galenus *6. de locis affectis*, vesicam non trahere a renibus vult, sed renes per vreteres excernẽdo in vesicam mittere. Libro 5. de vsu partium oppositum sentis. Sed respondendum, *vesicam non pro sui nutrimento lotium attrahere, sed vt instrumentum a natura fabricatũ, ipsum recipiat, ac statuto tempore excernat.* Et ita sæpe numero contigit, vt eiusdem vesicæ functio multifariam oblædatur, ipsa aut propriis, aut communibus affectibus præter naturam offensa, de quibus tempestiuum est, vt dicamus; ab eis exordientes, qui ipsi soli proprii sunt, vt est στραγγουρία, id est, stillicidiũ vrinæ: δυσουρία id est, difficultas vrinæ, & ἰσχουρία id est, supressio vrinæ, quæ sunt symptomata meiendi; quamuis quidam, præsertim de stranguria & dysuria, sub vno capite tractare consueuerint, & has affectiones seu symptomata inter se confundant; quamuis diuersæ sint: & ideo nos de vnaquaque seorsim verba facturi sumus, sumto initio ab ipsa

Vulnerata vesica symptomata.

Intemperies vesicæ frigida vel calida.

Calidiori vesicæ conuenientia.

4

Galenus de vesica parua.

5

Vesicæ munus.

Num vesica vrinam attrahat a renibus.

6

stranguria. Nam hoc modo inter se differunt, cū actio ipsius vesicæ proprie in stranguria sit corrupta; in dysuria diminuta: in ischuria omnino ablata. Stranguriam itaque, (*de qua primo sermo est*) vrinæ stillicidium nuncupamus, quum vrina stillatim guttatimque redditur: id alias quodam conatu, sed dolore nullo: alias vehementi dolore & irritatione fit. Quæ nullo dolore fit, easdem caussas atque ischuria obtinet, (*vt ait Fernelius*) sed sine leuiores, quod sit diminuta quædā ischuria: quæ cum dolore acri, tum disuriæ, tum ischuriæ permistas caussas habet: quod enim guttatim stillet, ischuriæ; quod vero ardeat ac stimulet, disuriæ rationem sumit: Quod vero vrinæ stillicidium significet vrinæ stillatim excretionem, nomen ipsum ostendit, *vt inquit Galenus commen. aph. 45. 7. lib.* Eandem sententiam confirmauit Aetius *cap. 19. lib. 11.* cum dixit, *Stranguria appellatur, cum paulatim & guttatim vrinæ destillant, & assiduam ad mingendum irritationem faciunt.* At quod solius vesicæ proprium symptoma sit vrinæ stillicidium, præter id, quod Galenus scriptum reliquerit *6. de locis affectis*, ipsius propriæ actionis læsio ostendit, quæ est vrinæ excretio. Immoderatius enim excretrix facultas in hac affectione mouetur: quanquam eadem vesica non perpetuo proprio ac primario affectu laboret, sed interim ex accidenti, ac per consensum pro diuersitate caussarum, ex quibus tale vitium excitatur, *vt postea dicemus.* Porro quod affectio hæc symptoma sit in genere excretorum immodice, deprauatum motum excretricis vesicæ facultatis insequens, *ex eodem Galeno liquet lib. de different. & 3. de causs. sympt.* Excitatur autem excretoria vis ad immodicum motum, quoties retentiua facultas vel ex multitudine excrementorū acrimoniaue, vel ex propria imbecillitate laborat, *vt eodem 3. de caussis sympt. scriptum est.* Quapropter non temere duas caussas in vniuersum stillicidii vrinæ Galenus statuit *aphorism. 16. 3. lib. 58. 5. & 48. 7.* Quarum vna eiusdem vrinæ acritudo exsistit: reliqua vero potentiæ retentiuæ, quæ est in vesica, imbecillitas. Assiduæ etenim excretiones fiunt, vel propter imbecillitatem, vel demorsum, *eodem auctore 3. de caussis symptom.* Igitur vrinæ stillicidium fit vitio contentricis; hoc autem ei aduenit, eo, quod nimis proritatur: proritatio vero euenit aut vrinæ ratione, quæ mordax est; aut vesicæ ratione, quæ cum sit imbecilla, etsi exiguam vrinam continere nequit, sed statim ad pellendum irritatur: vel male affecta cum sit, vt vlcerata mordetur: nisi placeat hoc caput (*vt quidam volunt*) ad debilitatem reducere. Vel ita potius dicas. *Fit stillicidium proritata expultrice; vel ex qualitate vrinæ, vel ex statu vesicæ, idq; quia exulcerata ab omni, vel imbecilla ab exigua quantitate grauatur, vt dictum est prius: imbecilla vero fit, intemperie, tumore præter naturam, lapide.* Quæ igitur ob mordacitatem euenit aliquando, *teste Galeno*, non est vesicæ affectio: quoniam ab aliis partibus hæc mordacitas gigni potest: non ita tamen intelligendum, quin afficiatur vesica; imo dolet ex affectu proprio, id est, ex morsu; sed tamen non est in ea affectus perdurans; non enim aut vlcus, aut intemperies est in ea, vt in secundo caussæ modo, vbi ob vlcus, vel debilitatem contractam ab intemperie, aut morbo instrumentali vrinam retinere, etsi exiguam, nequit. Sed hæc multo clariora exemplis subsequentibus euadent.

7 *Stranguria quid.*

Quid per vrinæ stillicidium intelligendum sit.

Quod vesica in eo afficiatur.

Quis affectus præter naturam sit vrinæ stillicidium.

8

Duæ caussæ præcipuæ.

Observatio II.

De stranguria ex recenti ceruisia orta.

QVum multæ caussæ sint, tam internæ, quam externæ, stillicidium vrinæ inferentes, inter præcipuas externas caussas, præter nimium calida & diuretica (*quorum continuus vsus, vt lithontripi, & elect. ducis & aromatum, hanc affectionem inferre solet*) etiam recenseri potest potus aquæ frigidæ, aut sessio in eadem, & similia frigida; maxime præ ceteris ceruisia recens cōtinuo ebibita, id plerumque in multis facere solet, vt experientia quotidiana videmus. Id malum mihi quoque ab ineunte ætate, ex ceruisiæ potu recentis sæpe cōtingere solet. Nam ex Italia & Gallia in patriam reuersus, statim, si ceruisiam biberem, longo tempore consuetus vino vti, in stranguriam cum vrinæ ardore incidebam. Adeo cum postea vxorem duxissem, & apud socrum habitarem, quæ superstitioni dedita aliquibus diebus in quadragesima vinum non bibebat, ne illam offenderem in sua superstitione, iubebam per vxorem, vt in meo poculo, in quo ceruisia erat, aliquid vini Rhenani immisceret; hoc enim modo bibens, vrinæ stillicidium auertebam. Quod si in pagis degens, vbi vinum non esset, apud ægros, cogebar ceruisiam bibere recentem, sumta nuce myristica, ab hoc malo leuabat. Cum ex ceruisia recenti stranguriam quidam incurrissent, solo seuo candelæ vmbilico inuncto, se ipsos curabant. Alii solo cochleari oxymelitis epoto vel absorpto, id malum a se depellebant. Sed & foliorum ribes nigræ odor, multoque magis eorundem decoctum id vitium emendare expertum habemus. Sicuti mihi vinum Rhenanum profuit ad stranguriam, propter recentem ceruisiam illatam: ita apud Dodonæum *capite quadragesimo octauo suarum Obseruationum*, seni obfuit annorum octogint. qui cum Rhenanum biberet in exigua quantitate, nec copiose, mox illi vrinæ stillicidium valde molestum fuit. Ab aliis vinis, vt Gallico, Hispanico non offendebatur. Tandem huic profuit ex ouorum testis in cinerem redactis, & vino Rhenano permixtis, lixiuium. Istud enim vinum, cum sit tenuium partium, citissime ad vesicam descendit, & facile crudos viscidosque humores secum ducit: quales in viis vrinariis hærentes stillicidii vrinæ caussæ esse potuerunt; quibus deinde per lixiuium incisis & expurgatis, liberior factus est vrinæ descensus. Hic vinum e contra ceruisiam illam crassam attenuans iuuamento fuit.

1

2

Scholia.

VTrum ceruisia recens suis fecibus acrimoniam inferat vesicæ, aut sua crassitie & frigiditate vesicam offendat, cum vinum & muscata nux, aliqua aromata id malum tollant vel mitigent,

3 *Caussa stranguriæ.*

mitigent, id quidem considerandum. Nam & ex acrimonia ipsa aliquando, nedũ ex humoribus acribus, qui in venis exsistunt, & per renes, & vesicam expurgantur, fieri posset stillicidium: sed interim ob renum vitium, præsertim ipsis purulentis exsistentibus oboriri poterit, Hippocrate auctore, *præcitato aphorism.58.lib.5.* Fit etiam, vt *Rondeletius annotauit*, cum meatus vrinæ constrictus est, & non potest simul vrinam reiicere. Constringitur autem, cum vrinæ aut puris acrimoniam sentit. Tunc enim non solum hæc pars, sed & reliquæ concidunt in sese & contrahuntur, & hoc cum vlcus est in pene. Fit etiam stranguria ob vrinæ acrimoniam, quæ etsi pauca sit in vesica, non potest quiescere, donec multa aceruata sit. Acrimonia autem prouenit, vel a puris putredine, vel ob admistionem pituitæ salsæ. Has caussas distinguere oportet, vt vnicuique remedia conueniant. Id vero ita interstinguere valebis. Nam si ex humoribus intra vasa redundantibus acrioribus proritetur affectus hic, id vrinæ ipsæ ostendent, & totus habitus ad acriorem, biliosioremque erit conuersus, *Alexandro teste cap.6. lib.9.* Si vero ob purulentos renes, aut aliud eorum vitium, acriores fient vrinæ, ex his, quæ in præcedentibus conscripsimus, pro renum affectorum dignotione perdisces. Nec minus, si ex alia quapiam parte mordaces succi, aut pus cum vrina excernantur, & propterea vrina acrior fiat, promte dignoscere valebis ex propriis indiciis talium affectuum, ac partium affectarum. Vbi acres humores, vel adsint vel transfluant, aut aliquantisper hæreant, ardorem simul & dolorem, dum guttatim vrina emittitur, sentiunt. Quod est contra illos, qui aiunt, in dysuria semper dolorem fieri, vt in lienteria; nunquam in stranguria. Sicque hac sola differentia dysuriam differre a stranguria, siue guttatim emittatur, siue e contra. In quo & sibi & experientiæ repugnãt, vt qui alio loco scribunt, strãguriam fieri eo modo, quo dysenteriam, ab acri humore confertim ad vesicam irruente, & alibi ardorem vrinæ adiungant, imo producunt *aphorism.55.lib.5.* vbi Hippocrates ait, *stranguriam fieri a magna inflammatione vteri, aut intestini, aut renibus purulentis.* Quo pacto igitur hic dolor ad stranguriam nihil pertinebit? Ex quibus omnibus caussis, vesica ipsa non proprio affectu laborabit, sed vrinæ vitio morsum sentiens, ad excretionem excitabitur. Et propterea vrinæ stillicidium, non eiusdem proprius dicetur affectus sed symptoma, *vt Galenus refert eodem 6. de locis affectis.* Possunt insuper & vrinarum acritudines fieri a quibusdam intemperaturis, & præcipue ab ea, quæ est secundum caliditatem, tum ab ea, quæ est secundum caliditatem & humiditatem, & tertio ab ea, quæ est secundum caliditatem & siccitatem, *auctore Galeno comment. aphorism.16.lib.3.* Quo loco animaduertant studiosi, codicem (*vt refert quoque Donatus*) tum Græcum, tum Latinum esse deprauatum, cum dicat, *Tertio ab ea, quæ est secundum humiditatem*, quod cum aperte falsum sit: castigandus locus erit; vt sit, *Tertio ab ea, quæ est secundum caliditatem & siccitatem*; vel, *ab ea, quæ est secundum siccitatem*; a qua immodica tamen exsistente, in eodem commento dixerat, fieri posse vrinæ stillicidium. Id enim Galeni phrasis, ac ratio ostendit. Verum vbi neque vna iam dictarum caussarum affuerit, vesicam ipsam proprie ac primario affectam esse, propter eius imbecillitatem, coniiciendum erit. Imbecillitas autem, aut propter eiusdem intemperaturam aliquam, seu tumorem præter naturam aut vlcus, contingit, *vt in præcitatis apho. a Galeno decretum est, & 6. de locis affectis.* Omnis autem immodica intemperatura imbecillam reddere vesicam potest; præsertim autem frigida, *eodem Galeno teste præcitat. aphoris. 48.7.lib. & 6. de locis affectis.* Tunc enim plane grauari videtur, vel pauco admodum contento in ipsa humore, *vt idem Galenus inquit.* Ceterum cum ab intemperie vesica imbecillior redditur, vrina magis alba apparebit, & ea, quæ præcesserunt, frigidiora fuere; tum victus, tum balnea, similiter temperamentum & ætas, ac reliqua, id promte indicabunt. Nec admodum difficile erit percipere, si ex quapiam alia immoderata intemperie (*licet raro id eueniat*) eadem vesica imbecillior facta fuerit. Similiter si ob instrumentales affectus eiusdem vesicæ (*vt & Donatus quoq; recte annotauit*) talis fuerit orta imbecillitas, cum & ipsi imbecillitatem interdum inducere possint, *ex sententia eiusdem Galeni eodem 6. de locis affectis*, haud ægre perdiscere valebis, tum ex te ipso, tum ex his, quæ infra dicemus; velut si inflammatio, erysipelas, aut abscessus, aliquidue tale in ea fuerint orta, aut etiam vlcus aliquod. Interim cum & vesica per compatiendi rationem patitur, vt diximus, vtero videlicet aut recto intestino inflammatis, vrinæ stillicidium ab his excitatur. Ratione enim vicinitatis pati vesicã est necessarium, vt quæ intemperaturam participat, & inflammationem, & præterea, si prematur, atq; angustetur & tumoribus præter naturã, qui in illis exsistunt, afficiatur, *Hippocrate & Galeno testibus, iam citato aphorism.58.5.lib.* Idque ex propriis indiciis dictarum partium inflammatione laborantium percipiemus, *vt exempla infra scripta palam ostendent.*

4 *Signa caussarum.*

Contra illos qui dolorem in stranguria adesse nolunt.

5

Locus Galeni corrigitur.

6

7

Observatio III.

De quibusdam ex variis caussis stranguria laborantibus, & quibus remediis fuerint curati.

1

HVgo Iacobus, pharmacopola Delphensis, cũ stranguria cũ ardore vrinæ laborabat, neq; multis præsidiis curari posset, ab Antonio Harwero medico Hagano illi consultũ fuit, *vt brassicam rubram decoqueret cum iure veruecis*: eoque iure vtens insparso pauco puluere nucis muscatæ, a stranguria liberatus fuit. Forte ex frigiditate hoc malum contraxerat. Chirurgus Hartochius dictus, Delphensis, hoc modo stranguriam tollebat. Accipiebat *florum cham amil, thym. ana p. j. foliorum senæ ℥ ij. & decoquebat in aqua chamomillæ*; huiusq; expressionis cyathum propinabat. Ad caussam frigidam recte valere arbitror. Verũ

Iacobus Iohannis, quondam meus pharmacopœus, cum aliquando stranguriam pateretur, ex largiore potu vini, capiebat aquam rosaceam cũ albumine oui concussam, & ad medium scutellæ ebibebat; quo seipsum tum alios curabat. 2 Senex quidam Delphensis, cum modo dysuria, modo stranguria & ardore vrinæ afficeretur, & lithotomus catheterem in vesicam demisisset frustra, putans lapidem in vesica esse, ex mulierculæ consilio decoxit flores chamomillæ cum lacte bubulo; & ita seipsum curauit. Lac ardorem mitigabat, & flores chamomillæ lotium prouocabant. Quod autem me stranguria laborantem ex ceruisiæ recentis potu, vinum iuuerit, vt præcedente obseruatione diximus, hinc factum est, quod vinum prodest, si a caussa frigida hoc vitium fuerit. Mederi enim traditur ab Hippocrate liberaliter potum stranguriam, dysuriam; nam frigora intus discutit, materiam concoquit & extenuat, & ventum pariter dissoluit. At senem Haganum vlcus in vesica habentem, nec detergentia, nec ardorem mitigantia, aut alia remedia apta iuuerunt, cum vsq; ad mortem illud malũ perseuerauerit. Caussam latius in scholio explicabimus. Viduæ quoq; in vtero vlcus habenti, stranguria perpetua vsque ad mortem perdurauit.

S c h o l i a.

3 *Prognostica.* Caussæ prius distinguendæ, antequam apta fiat curatio: quæ cum prius sint amouendæ, ex iisdem quoque prognostica habentur, quæ etiam ante consideranda, quam ad curationem deueniamus. Si enim ob vrinæ acrimoniam, vrinæ stillicidium exordium sumat, æger assidue ad mictionem cogendus est, & plurima aqua calida dulcis in potu exhibenda. Nam si acre recrementum diutius in vesica moretur, partes ipsas corrodit, & exulcerat, *Aetio teste*. Quod si senioribus talis affectio eueniat, difficulter sanabitur, veluti & quodlibet aliud renum & vesicæ vitium, *vt Hippocrati visum est aphorism. 6. lib. 6.* Idque potissimum fiet, vbi ex frigida intemperie cum frigidorum humorum redundantia ortum habebit. Timor etenim, erit vt ad mortem vsque eos comitetur, quemadmodum & alii frigidi ac diuturni morbi, *vt liquet comment. aphorism. 40. 2. lib.* Et sic a quadraginta annis quidam difficiliorem curatu esse volunt, & a caussa calida in senibus periculosiorem: in iuuenibus a caussa frigida, *iuxta commentum illius aphorism. 34. lib. 3.* In morbis minus periclitantur, quorum naturę, &c. cum vehemens dispositio caussa sit. Attamen senibus magis frigidis, & vesica frigida exsistente, multo periculosior, cum & tales fere omnes, *iuxta eundem Galenum*, commoriantur, quoniam earum opus indesinens est, quiete autem opus est, si quid sanari debeat; & quia superfluitas acris apta irritare, siue vlcus, siue inflammatio, siue aliqua alia passio in ipsis constiterit. Et ita in stranguria propter vlcus quantum ad caussam calidam; vel propter debilitatem vesicæ, quantum ad frigidam, omnium sunt difficillimæ curationis. Et subinde ratione vicinitatis malo diu perdurante, mortem tandem inferunt, vt in Illustri quadam Domina, quæ cum diu stranguria & ardore vrinæ laborasset, post eius mortem vlcus in vtero & renibus, caussam mortis præbuit. Prout autem caussæ sunt diuersæ, pro eo methodus curationis diuersa est, vt diligenter caussis distinctis remedia apta inueniantur. *Methodus curationis.* Si enim a pure sit, vel hepatis, vel renum, vel vesicæ, tunc detergentia medicamenta assumenda sunt: & si in vesica adsit pus, vel in collo eiusdem, aut in meatu penis, tunc etiam talia iniicienda sunt. Detergunt *serum lactis cum pauco zacchari rosaceo, decoctum hordei*, & ea, quæ de vlcere renum prius diximus, & inferius etiam de vlcere vesicæ dicturi sumus: ad illa loca recurrendum erit. Si igitur vitio apostematis substillum euenerit, a talo sanguis vel a cubito demendus, si nimium corporis venæ turgent, & apostemata prius curanda: ita quoque, si abscessus sit in caussa vel vlcus. 5 Si autem vlcus in caussa sit, optimum quoque erit, supradictis detergentib. admiscere *syrup. rosac. vel de cucurbit.* maxime, cum vlcus valde inflammatum est: nam vrinam mouent, & acrimoniam exstinguunt. Si vero feruens caussa fuerit, *semina refrigerantia prosunt, & lactuca semen*. Sin autem ex vrinæ acrimonia fiat, ea est tenuis, flaua, & corpus biliosius: tunc oportet serosa illa & biliosa euacuare recrementa, & ad ventrem deriuare, medicamentis exstinguentibus flauæ bilis acrimoniam, *vt sebesten, tamarindis, prunis syrup. violat. ex multis infus. & syrupo rosaceo laxatiuo.* Deinde proponemus potiones vel syrupos refrigerantes, & exstinguentes bilis acrimoniam; qualis est *syrup. viol. de nenuph. de cucurbit. endiuia simplic. decoctum lactucæ, portulacæ teneræ, plantaginis, solani.* Abstinendum ab aperientibus, & nimis detergentibus. 6 Dari potest in summa acrimonia *syrupus iuiubinus, cum pauco syrupo de papauere, exsistente magno sensu in parte.* Inunctiones refrigerantes prosunt supra renes, *vt ex oleo viol. nenuphar. vnguento rosato. item clysteres molles & refrigerantes*: si ex ariditate, etiam ex oleis humectantibus, *iuxta Galenum.* Et si mordax vrina caussa fuerit, aut salsilago cibis ac remediis refrigerantibus & mollientibus mitiganda est, & quæ ad ardorem describentur. Tum oui candidum cum lacte muliebri, glutinosa, ac refrigerantia indita iuuant, nam vrinæ mordacitatem deacuunt. Et si a pituita salsa, purganda erit pituitosis medicamentis, & decocto hordei, & aliis leuiter detergentibus euacuanda. In illa caussa tantum conueniunt, terebinthina lota in aqua rosacea, assumta cum *syrupo violac. & de glycyrrhiza.* In aliis caussis acrimoniam potius auget, quam minuit. Danda autem erit a ʒ j. ad ℥ j. Nunc aliud exemplum curationis proferamus.

Observatio IV.

De stranguria cum insigni dolore.

1 IN principio mensis Decemb. anno 1575. cum ad ægrum accitus essem, in portu Delphico decumbentem, in reditu oborta magna tempestate, vẽtis pulsatus & imbri, agmine aquarũ largius ex concretis

concretis effuso nubibus, pluuia madefactus, per totam noctem in scapha manere coactus fui: vnde domum rediens, statim incidi quasi in pleuritidem notham, cum tanto sinistris lateris dolore, vt vix in lecto me continere potuerim: sed epota ceruisia, in qua decocti erant flores chamæmeli, etiam linteis calidis sub axillis, & loco dolenti positis, sudorem prouocabam, simul latus dolens inunguendo oleo anethino & chamæmelino, sudore emanante; & sic omnis dolor statim sedatus omnino euanuit. Altero tamen die hanc purgatiunculam cepi: *℞. electuar. lenitiui ʒ vj. diaphœnic. ʒ j. dissolu. in decoct. pectoral. ℥ iij. addendo syr. ex succo ros. solut. ℥ j. misce.* Hoc medicamento, cum octies aluum deposuissem, ab intensissimo dolore, miraculi instar, fui curatus. Dolor totum latus sinistrum occupauerat, vsque ad lumbos, tum pectus procedendo. At 2. Ianuarii die, anno *1576.* in febrem incidi quasi continuam, per tres dies ac noctes perdurantem. Sed hoc lenitiuo medicamento rursus assumto, cum sexies aluum reddidissem, me reliquit: *℞. electuarii lenitiui ℥ j. dissol. cum ℥ iij. decoct. communis, addendo syrup. ex infus. ros. commun. rub. ℥ j. misce,* febre non amplius redeunte. Postea quædam stranguria mihi adhæsit, sed in principio non adeo vehemens, quam suspicabar, obortam ob ceruisiam, forte recentem sumtam in ipsa febre, cum vino ob febrem vti ausus non fueram. At prout vxor referebat, non erat recens, imo quatuordecim diebus in penu reseruata. Quare hanc stranguriam primo non magni faciens, foras exibam: sed ea ipsa post septem dies magis incrementum cœpit, adeo vt indies augeretur, cum tanta molestia atque dolore, vt ægre nisi guttatim lotium emitterem, non sine acrimonia & ardore: ad quem mitigandum, & vt vrina melius proflueret, hoc decoctum sumsi bis in die: *℞. hordei mundati p. j. foliorum maluæ, capill. Ven. ana m. j chærefolii m. ß glycyrrh. rasæ ℥ ß. semin. quatuor frigid. maiorum ana ʒ j. sem. pap. albi ʒ j ß. iuiubar. sebesten. ana num. v. granor. alkakengi num. vj coquantur in aqua communi pro ℔. j. col. addendo syru. iuiubini ℥ j. misce,* malum hoc modo non mitigabatur, quanquam domi manerem. Sed 20. Ianuarii die, tempore admodum frigido, in asperrima hyeme, electo vocatus ad moribundum, multis precibus coactus, cum domum redirem, ita malum increbuit, vt amplius exire non potuerim, etiam dysuria accedente. Abstinebam ob acrimoniam vrinæ a vino, solum ceruisiam bibens cum zaccharo. 23. Ianuarii sumsi bolum cassiæ ita paratum: *℞. cass. recens tractæ ℥ j. diap. lenitiui ʒ ij. puluer. trochisc. alkakengi ℈ j. Zacchar. asperso fiat bolus*: ex quo aluum quinquies vel sexies deieci, acrimonia vrinæ non cessante, tanquam pudendum diuelleretur, lotio guttatim exeunte, tenesmo etiam me vexante, vesica intestinum rectum comprimente, licet aluum non deponerem. Nulla remedia iuuabant, *etiam albumine oui concusso, & cum aqua ros. epoto, & aqua ros. cum lacte bubulo cum syringa immissa, etiam lacte muliebr. sæpe iniecto.* Omnibus his neq; aliis remediis iuuantibus, cum ne vna quidem gutta lotii exiret, capillis rigidis cum sudore madidis, tanquam erectis ob dolorem, cum maximo eiulatu lotium reddebam: & malum ita increbuit, vt nihil lotii subsequeretur. Non potui tamen animaduertere, me calculo laborare, vt nec *Guilelmus de Dalen lithotomus* amicus meus familiaris, qui me inuisebat. Interea vt parietariam siccam poculo inclusam, vel eius loco chærefolium, in poculo stricti orificii in balneo maris decoquerem consulebat, ac pectini applicarem, vt sic lotium prolectarem. Sed acrimonia vrinæ magis aucta, licet etiam consuleret, vt semen dauci & gemmas ribes nigræ ad ℥ ß. decoquerem in vino Rhenensi, etiam in poculo stricti orificii in balneo maris, (*quo militem nobilem, tum plurimos alios, qui vrinam difficulter redderent, cum ardore, curasset*) a diureticis abstinere decreui, & hoc decoctum mihi præscripsi, quod idem laudabat, & vt a syringatione abstinerem: *℞. rad. bugloss. cichor. ana ℥ j ß. rad. althææ ℥ ß. pariet. malu. viol. ana m. j. sem. maluæ, althææ, dauci ana ʒ j semin. 4 frigid. maior ana ʒ j. ß semin. pap. alb. ʒ j. granor. alkachengi num. vj. hord. mund. p. j glyc. ras. ʒ j fiat decoct. in aqua commun. pro ℔. ij. col. vtebar.* Nullum inde subsequutum est iuuamen, stranguria magis aucta, cum dysuria & ardore vrinæ. Cōsultum fuit a lithotomo, vt pannum intinctum lineum aqua ros. & solani tepide membro virili inuoluerem, ad acrimoniam vrinæ tollēdam, & dolorem mitigandum: quo ita increbuit stranguria cum dysuria, vt vix cochlear vnum vrinæ reddere possem, cum insigni ardore. Varia proponebantur, etiam illa, quæ superius dicta sunt in Obser. 3. præcedente. Vt stipulas fabarum in cinerē quoq; redigerem, & cum vino Rhenan. ebiberem, & infinita alia remedia. Sed omnibus illis diureticis relictis, proponebam potius illa esse mihi cōmoda, quæ vrinæ acrimoniam tollerēt, & sic accepi modo syr. viol. modo pap. & lacte bubulo cum zacch. vtebar. Atq; eodem tempore Cornelius Ericius collega meus, cum me inuiseret, vt iisdem remediis insisterem mecum sentiebat. Vtebar & sero lactis. Rursus hoc bolo assumto: *℞. cassiæ recens tractæ ℥ j diapr. lenitiui ʒ j. syr. ros. solut. ℥ j cum sero lactis fiat potio.* Ex ea sexies secessum habui. At stranguria & dysuria magis increscentibus, pectinem his oleis inunxi, ad ardorem vrinæ contemperandum: *℞. olei amygd. dulc. viol. nymphææ, ros. ana ℥ ß misce.* Deinde aliorum cōsiliis ac remediis postpositis, hoc fomentum mihi ipsi præscripsi: *℞. radicis althææ ℥ j. foliorum maluæ, violarum, althææ, florum rosarum chamæmeli ana m. j seminis lini ℥ ß semin. maluæ ʒ j. coquantur in aqua communi pro ℔. j pro fomento:* bis in die ter quaterue pannis laneis calide immersis, expressisque alternatis vicibus pectinē fomentabam. Quo remedio cœpit vrina melius effluere: non tamen sine dolore & strāguria. Abstinebam a vino, postea etiam ceruisia per tres quatuorue dies, ptisana hac sequenti tantum vtens: *℞. hordei mund. m. j. ß. iuiub. recent. sebesten ana num. v. glycyrrh. rasæ ℥ j. coquantur*

7 *in aqua communi pro* ℔. j. ß. Sub noctem cum dormire non possem, ob lotium singulis fere dimidiis horis guttatim exiens, cum summo dolore, vtebar *hordeato parato ex hordeo mundato, amygdalis dulcib. & emulss. semin. 4. frigid. maior. mund. & semin. papauer. adiecto zaccharo perlato.* Vtebar *ouis mollibus, in verucis iure, iniectis iis, quae adacrimoniam vrinae facerent.* Postea lotium melius emanabat. *Decocto ptisanae adieci gemmas ribes nigra.* Deinde lotio melius effluente, quamuis non sine ardore, acrimonia, & stranguria, per aliquot dies vtebar *solo decocto foliorum maluae, adiecto syr. viol. Quo & ardor vrinae cessauit. Sed aegre cessante: inter reddendum lotium, aut aluum, vasculum aqua calida repletum, in qua decoxeram flores chamomillae sedi perforatae subiiciebam;* ex ea aqua calidum vaporem suscipiens, commodius aluum vel lotium reddebam, cum minori ardore. & continuando *decoctum foliorum maluae, cum syr. viol.*

8 Tandem liberatus ab hoc vitio fui, cum tribus integris septimanis, fere macie consumtus ex dolore, hoc malo cum intolerabili dolore laborassem. Scribit Benedictus Veronensis, quod stranguria quandoque in decimum & vltra diem protenditur, magna vesicae vexatione. Sed mihi adhaesit vltra tres septimanas, & nihil aeque iuuit, quam *decoctum maluae, cum syr. viol.* quo & alios multos postea, simili malo laborantes curaui. Verum postea vrina facile vltro effluxisset, ob debilitatem vesicae, nimis fortasse relaxatae; ita vt stranguria seu stillicidium foret sine dolore, vrina guttatim stillante. Quare a decocto illo abstinui: & vesicam roboraui *cum inunctione olei myrtei & mastichini.*

SCHOLIA.

9 *Curatio stillicidii vrinae, si ex acrimonia eiusdem vrinae proueniat.*

SI ab acribus succis intra vasa redundantibus, biliosis, inquam, vrinae stillicidium contrahatur, eis in vniuersum vtendum erit, quae alterant, humectant, ac contemperant, *Paulo & Alexandro testibus.* Quapropter aer eligendus est, in passiuis ad humidum inclinans; in actiuis temperatus: somnus moderatus, aut consueto parum longior: Vigiliae immodicę vitentur, quiescant aegrotantes, & exercitium vitent, & coitum praecipue. Aluus seruetur lenis, si non natura, saltem arte, lenibus clysteribus. Animi accidentia vitanda sunt, praesertim ira. A cibis calidis, acribus, aut salsis omnino abstinendum, *vt paulo ante diximus,* & a tarda comestione, *vt inquit Paulus.* Quapropter his vtilis est ptisana, eiusque cremor per se; interdum etiam cum lacte, vbi magna pars acrimoniae finierit, quoniam lac (*vt inquit Alexander*) corrumpitur, si qualitate sicca, & acri praepollente multum exhibeatur.

Victus ratio.

10 Poterit insuper eadem ptisana cum pullorum aut gallinarum iure parari, seu etiam cum *amygdalis dulcib. cremore per se, interdum etiam cum lacte.* Inter pisces quoq; saxatiles eligi possunt; & inter olera lactuca, buglossum, malua ac portulaca. Pro potu vinũ praeberi non debet: dulcere tamen & optime dilutum concedit Donatus, eis, qui alio potu vti non valent, propter eiusdem vini consuetudinem, aut corporis imbecillitatem: reliquis vero pro potu aqua praebenda est dulcis, calida, *quemadmodum Aetius & Alexander iubent:* in vicem cuius, aqua etiam hordei, aut decocta aqua dulcis, cum pauco zaccharo rosaceo permixta, seu radicis glycyrrh. decoctum praeberi poterit, vt nos fecimus. Optimum quoq; est lac ipsum calidum potatum, *vt inquit Aetius,* & amylum cum lacte decoctum itemque cum palmarum decocto absorbendum praebere. Quod si neq; his contemperetur redundans succus, ac eius acrimonia obtundatur, tunc exsuperantem vitiosum humorem, quam celerrime purgare oportet; aliisq; medicamentis contemperantibus, ac morsum obtundentibus vtendum, *vt melle aereo. cass. fist. zaccharo violaceo. syr. ex infus. ros. pallid. adiecto etiam diacatholico, si opus est.* Praecedentibus quoq; syr. vel etiam post, adhibitis morsum humorum obtundentibus, ex malua, cichorio, seu scariola (*alii hortulanam endiuiam vocant*) ex portul. nimphaea, ros. papau. confectis, aut buglossi succo, cum cremore, sem. 4. frigid. maior. mundat. cum aqua hordei vel palmularum, rad. glycyrr. decocto: vel pastilli in hunc modum, iuxta Donatum praebeantur: *℞. semin. melon. citrulli, cucum ana ℥ ij. vuae pass. succ. rad. glycyrrhiz. ana ℥ j. sem. lactucae. portulac. ana ℈ ß. amyli ℈ ij. zacchari in aqua ros. dissoluti q. s. misceantur, & fiant pastilli.* Clysteres quoque ex *hord. fol. maluae, althaea. beta viol. exiguo sale, olei viol. ℥ iiij. mellis viol. ℥ ij. cassiae fistulae ℥ j. fiat clyster.* Balneum aquae dulcis prodest, *ex Alexandro & Paulo, vt dictum est prius.* Et fomenta *ex Aetio circa pubem, ex decocto foliorum maluae, viol. althaea, ros. florum chamameli, foenugraeci.* Circa vesicam etiam partes inungendae *oleo viol. nymphaea. pap. amygdalar. dulcium. rosarum.* Quod si acrimonia adhuc augeatur, etiam per colem lac ipsum cum amylo in vesicam iniiciendum *ex Aetio.* Et lac ipsum per se, caprillum potissimum; item cremor sem. pap. melon seu cucumeris ac maluae, althaeae. cum aqua hordei, in qua etiam radix glycyrrhizae fuerit decocta, prosunt, si iniiciantur.

Medicamentorum ratio.

11 *Alterantia & contemperantia.*

Clysteres.

Balnea.

Fotus.

OBSERVATIO V.

De stranguria ex caussa frigida.

1 MVlier admodum pituitosa, cũ frigida aqua se lauasset, etiam ex propria intemperie frigida, vesicae saepe stranguriam incurrebat, nunc vero magis. *Decoctum apii, foeniculi, dauci, charefol. in vino maluatico vt sumeret,* consului, cum diues esset, *ac pectini vt apponerentur,* iussi, (*cum difficulter vrinam redderet cum stillicidio*) *cherefolium, parietariam, cum oleo rutaceo.* Quibus mox stranguria cessauit.

SCHOLIA.

2 *Si ob frigidam intemperiem oriatur, curatio.*

HIc vtẽdum iis, quae calfacere possunt, tam in victu, quam medicamentis, *vt recte docuit Trallianus, tum etiam Aetius:* & ideo cibis ac potibus validiorib. vti poterunt: & inter olera, apio, ac dauco petroselino, seu oreoselino. Et pro potu vinum calidius, maxime senibus, qui & hoc malo ex frigore saepius obnoxii sunt, est idoneum Similiter & aromatum decoctiones in potu exhibere conuenit, *& iuxta Aetium,* etiam artemisiã, & scordii

&scordii decoctum, ex Alexandro, & Theriacam in potu cum passo, & vino mulso, *vt eidem Aetio visum est.* Nec minus confert oleo rutaceo calido pectinem fouere, ac ægrum in sampsuchi, aut rutæ decoctum desidere, imumq; ventrem contegere ac calfacere. Aliquando & per sedem oleum rutaceum infundere, *ex eiusdem Aetii sententia.* Conueniunt item, quæ vrinam ciunt, tum medicamenta, *ex eiusdem Aetii & Pauli auctoritate:* & insuper confert aquis naturalibus pro balneis vti, & reliquis calidis vnguentis, *Alexandro teste*; quorum syluam de dysuria iuniores inuenient. At si ex alia quapiam intemperie vrinæ stillicidium excitari contingat (*quamuis raro id eueniat*) perpetuo suo curabitur contrario; quemadmodum si ab aliis frigidis pituitosisque humoribus, vel salsis, *vt prius dictum est*, illi ipsi erunt purgandi: & ita quoque, *vt paulo ante recensuimus*, si aliud membrum sit affectum, & idipsum per vesicam expurgetur, aut vicinitatis ratione per consensum offendat, manifestum est illud primo curari debere; ita tamen, vt neque vesicam negligamus, *vt inquit Aetius.* Nunc ad dysuriam & difficultatem vrinæ transeamus.

Observatio X.

De difficultate meiendi, cum stranguria.

Sæpe stranguria cum difficultate mingendi, & rursus difficultas mingendi seu dysuria cum stranguria permiscetur: quod cuidam mulieri grauidæ euenit, cui subinde menstruæ purgationes fluebant: quæ cum medicamentis quibusdā violentis constrictæ essent, postea incidit in dolorem ventris adeo enormem, & potissimum circa pectinem, cum stranguria & meiendi difficultate, vt obstetricem ad se vocauerit, metuens abortum futurum. Sed ad hanc cum accitus essem, glande aluo irritata, cum pauca deiecisset, dolor in ventre nonnihil sedatus est, permanente tamen difficultate mingendi cum stranguria: etiam in emittendo lotium ardorem sentiebat, paucum, idque frequenter cum stillicidio mingebat. Contra hæc symptomata, varia machinati sumus, exhibendo *decoctum maluæ, viol. sem. maluæ, althææ sem. quatuor frig. maior. pap. albi.* quæ in ceruisia decocta erant, cum paupercula exsisteret. Qua vtebatur sine saccharo, cum dulcia respueret. Vsa similiter est decocti pulli iure, cum foliis maluæ. Pectinem autem inunximus ob ardorem & stranguriam, oleo viol. amygd. dul. & ping. gallinæ: nam aliquam duritiem quoque sentiebat in imo ventre. Quibus remediis hic dolor sedatus est; & strāguria ablata, etiam dysuria eam reliquit. Interea muliebria lauabat *cum decoct. folior. maluæ. viol. & parati erant sacculi ex foliis maluæ, seminis maluæ, & florib. meliloti quadrati intersuti*, qui decocti in ceruisia crassiore & expressi pectini applicaretur. Verum iis opus non habuimus, cum supradicta stranguriam abstulissent. Huic tamen dedimus hordeatum; lac acetosum, ob acrimoniam, & oua sorbilia; ac ter glande aluus irritata est, fecibusque eductis postea hæc optime se habuit.

Scholia.

Cum autem sæpe hæc tria symptomata, vt dictū est, stranguria & dysuria inter se commisceantur, quibus postea & ischuria accedit; attamen ea ipsa diuersa sunt (*vt antea diximus*) in quibus omnibus dolorem sentiunt. Ab actione ipsa præstat potius (*cum diuerso modo in ipsis lædantur ægri,*) harum passionum seu symptomatum differentias sumere; & a rei natura, & læsionis in excretione, varietate, quam ex dolore, qui omnibus communis esse potest. De stranguria iam satis dictum est: sic vesica in stranguria siue vrinæ stillicidio, vti aluus in lienteria, non exspectat, vt vrina tota colligatur, sed statim tanquam grauantem (*vt ait Galenus*) aut mordentem expellit. In dysuria siue difficultate vrinæ exspectat quidem, atque aliquando diutius, quam oporteat: sed cum excernenda est, percipit æger dolorem, aut tantam difficultatem, vt sæpe nisi locum vesicæ comprimat manu, aut diu, & magno conatu enitatur, libere non profluat: & si totum supprimatur, iam erit ischuria. At si dysuria commisceatur cum stranguria, difficulter vrina exit, ob aliquam caussam deobstruentē: interea & stranguria est admixta, ratione humorum mordicantium, aut ex vicinitate aliorum membrorum laborantium, vt guttatim vrina quoque emittatur, licet ægre aliquando exeat, via non satis lubrica & aperta. Ideo, *vt diximus*, hæc symptomata potius ex actione læsa inter se sunt distinguenda, cum actio vesicæ (*vt antea diximus*) in stranguria sit corrupta: in dysuria diminuta: in ischuria omnino ablata. At de stranguria, eiusque signis & caussis, & curatione, satis diximus: nunc de dysuria & hæc dicamus, (*cuius sermo etiam postea ab exemplis nunc subsequentibus clarior euadet*) cum illa ipsa etiam inter eos præter naturam affectus numeretur, qui soli vesicæ proprii sunt; & a Græcis dicitur δυσουρία, Latinis vero difficultas vrinæ: cum videlicet æger meiere cupit, & cum vi vrinæ excernuntur, *teste Aetio cap. 19. lib. 7.* Quanquam Galenus (*Comm. aphoris. 48. 7. lib.* bifariam mingendi difficultatem interpretetur: vno modo, quando cum dolore fit mictio: alio, quando cū difficultate aliqua; adeo, vt vix vesica operetur. Hinc Trallianus, *cap. 6. l. 9.* dicebat, *Vrinæ difficultas partim sine dolore oritur.* Id autem (*vt dicemus*) euenit ob caussarum, ex quibus oritur, varietatem. Siue itaque cum dolore, siue citra dolorem (*sed cum difficultate aliqua, adeo vt vix vesica operetur,*) fiat hæc affectio; perpetuo vrinæ difficultatem eam nominabimus, *ex Galeni decreto,* præcitato loco, *vt etiam annotauit Donatus medicus doctissimus.* Quod vero non solum vesica, sed etiam ipsa sola in hac affectione semper laborat, patere poterit ex eius functione oblæsa, quæ vrinæ excretio est. Hæc enim ita oblæsa est, vt imbecilla, & veluti torpens reddita sit: similiter ex dolore cum positu hoc noscetur, si cum dolore mictio fiat. At quod symptoma sit in genere retentorum, vel excretorum immodice,

δυσουρία.

Quid per vrinæ difficultatem intelligendum sit.

Pars affecta.

Quis affectus, præter naturam.

lib. de diff. & 3. de causs. sympt. scriptum est. Ex eius quoq; excretionis modo liquere id poterit. Namque cum dolore, aut saltem cum difficultate fit mictio. Cum igitur parum & frequenter, siue guttatim & maturius, quam pro naturali excretione emittitur, stranguria; quando tempore conuenienti, sed cum difficili motu aut dolore, dysuria nominatur. Dysuria si dolorem pro symptomate habeat, caussa eius erit inflammatio, vel abscessus vel vlceratio, vt ab vsu medicamentorum acrium; vel spiritus flatuosus, vel inæqualis intemperies. Si vero difficilem aliquem motum pro symptomate habeat, tunc erit imbecillitas potētiæ excretricis, vt ob frigus vesicæ, aut colli: vel tumor præter naturam, vel obstructio a crassis & viscidis humoribus infarctis, aut adhærentibus ceruici vesicæ, aut vrinæ permixtis. Vide de his commentum Gal. *aph. 48. lib. 7.* Fernelius vero stranguriam sine dolore caussas easdem atque ischuriam obtinere volebat (*vt dictum est prius*) sed leniores, cum exsistat diminuta quædam ischuria: quæ cum dolore acri, tum ischuriæ tum dysuriæ permistas caussas habere dicebat. Quod autem guttatim stillet, ischuriæ: quod vero ardeat ac stimulet, dysuriæ rationem sumit. Dicebat idem Fernelius *dysuriam penis & vesicæ vt dysenteriam intestinorum, difficultatem esse: vrina quippe magno cruciatu atque dolore interdum affatim interdum guttatim redditur.* Caussa vel in vrina consistit, vel in vesicæ ceruice. In vrina, quod acrior euaserit, idque aut victu calidiore, aut bilis permistione, aut acrimonia puris ex rupto abscessu manantis. In vesicæ ceruice vel exulceratio vel inflammatio est, quam transiens vrina acrius ferit. Sic aliquando vna cum alia miscetur, etiam ex caussis permixtis. Sed nos nunc de dysuria agamus seorsim; quamuis Practici quidam supra Rhas. scribentes, de his tribus affectibus sub vno capite tractant.

Caussa. 6

Observatio VII.

De vrina difficultate, cum dolore, in sene calculoso.

1 Cornelius Bartholdi, vir senex, Graphiarius feudorum, vt vocant in Haga Comitis habitans, sæpe in difficultatem vrinæ incidebat, quamuis calculosus esset, cum in eius vrina sæpe arenulas inspexerim, nunc etiam pituita salsa matulę inhærente. Quare cassiam dedi, pauca immixta hiera picra. Curtius continuandum iubebat, vt senes præcipue assuescerent hunc bolum frequenter accipere: *℞ cassiæ recens extractæ ℥ ij. hieræ picræ Gal. ℈ j. fiat bolus.* dabat ad aluum senum ciendam ille doctissimus medicus Curtius statim ante cœnam, vt a fide digno in Italia accepi. Idipsum & huic consului, vbi dysuria, aut stranguria afficeretur; & vt simul ad difficultatem meiendi ius cicerum decoctum cum pauco croco assumeret. Hoc modo matronæ Bononienses etiam menses euocant. Et vbi magnus adesset ardor cum difficultate meiendi, dabam semel in mense cassiam *ad ℥ j. vbi bolum abhorreret, cum decoct. maluæ, althææ, pariet. & sem. quatuor frigid. maior.* Aliquando etiam dabam hoc decoctum sine cassia, *cum syr. ex infus. ros. & mell. ros.* Abstinebam ab oxymelite ob acetum. Et vbi crassior materia esset, magis obstruens, dabam *syr. de byzantiis sine aceto.* aquam vitæ, qua vtebatur ad calculum, inhibui; & omnia ex pipere confecta, & alio aromate, excepto cinnamomo, cum tenuium partium sit, & eius vis facile euanescat. Concessi *myrobal. chebulos, & conser. ros. vnius anni ad renes & ventriculum roborandum, & vinum Rhenanum, sed lymphatum cum decocto maluæ.* a vinis calidis vt abstineret præcepi: etiam Rhenano, si ardor vna cum difficultate mingendi vrgeret: & vt in iusculis suis vteretur lactuca & malua, etiam asparagis, & cinara sine pipere: & similiter mandaui, vt vteretur carnibus laudabilibus, phasiani, caponis, gallinaceorum, & similibus. Abstinendo a ceruisia, potissimum crassiore & recenti. Et vbi ardor magis infestaret, dabam *syr. viol. etiam Nicoli cum rhab. cum decoct. liq. mal & sem. quat. frig. maior. cum semine pap.* Sæpe etiam pro detersione vtebar *syr. capill. Ven. cum decoct. maluæ, cicer. & agrimoniæ;* quibus aliquo modo hic senex iuuabatur, quamuis in totum non fuerit liberatus, magis recurrēte tempore hyemali & frigido & niuoso. Interim tamen, si valde acribus medicamentis vteretur, magis afficiebatur hac molestia. Et ideo vbi natum cognoscerem ex vsu acrium & medicamentorum (*a quibus teste Rondeletio aliquando quoque fieri solet*) dabam tunc decoctum hordei mundati, *cum pauco syr. viol. aut zacharo.* Id enim (*vt refert idem ille doctissimus Rondeletius*) vtilissimus est ad exstinguēdam acrimoniam relictam in viis vrinæ, & ab acribus medicamentis inductam, vel lac mulsum, aut lac amyg. paratum cum sem. pap. adiicio & ego emulsionem 4. sem. frig. maior. quo & in infinitis magna cum vtilitate vsus sum.

2 3

Scholia.

Signa quidem demonstratiua difficultatis vrinæ per se nota sunt: at caussarum signa diligentius perscrutanda, cum eæ variæ sint, & varia ex iis resultet curatio. Nam vbi cum dolore fuerit, tunc ortum habet aliquando ex inflammatione, aut abscessu, vlceratione, inæquali intemperatura (*vt diximus*) aut spiritu flatuoso. Si vero motus duntaxat difficilis fuerit, aut propter potentiæ imbecillitatem, vel tumorem contra naturam (*indolorosum inquam*) excitabitur, *ex Galeni sententia præcitato aphor. 48. lib. 7.* Sed & dysuria similis est dysenteriæ. Nam frequenter vrina excernitur, & frequenter stimulatur æger. Fit etiam hæc affectio propter vsum acrium medicamentorum, vt empetri, laueris, & aliorum multum diureticorum, vt in hoc sene contingebat, quod & in aliis multis & fere sine numero cōspeximus; quæ postquam mouerūt vrinas, vrinæ difficultatem inducunt. Fit etiam hæc affectio ob frigidam intemperiem vesicæ, aut colli eiusdem. Ob crassos quoque & viscidos humores infarctos, aut adhærentes ceruici vesicæ, vel vrinæ permixtos. Contingit etiam dysuria propter hyposarcosin, quæ meatum claudit ex parte, & crassam pituitam retinet,

4 Caussa.

Signa caussarum.

vt

5 vt postea exemplis docebimus. Verum si dolor cum grauitatis sensu fuerit, quod inflammatione aut abscessu vesica infestetur, suspicandū est. Distingues autem inflammationem ab abscessu ex aliis propriis eorundem morborum indiciis. At si cum dolore pus quoq; excernatur cum vrina, citra grauitatem, sed cum vehementi rosione, vlcerationem in caussa esse iudicabis. Sed si absque grauitate, verum cum distensione sola dolor in vesica percipiatur, spiritum copiosum ac flatuosum difficultatis vrinę caussam esse suspicabimur, *Alex. teste* Vbi autem nullum tale affuerit indicium & cum dolore mictio fiat difficilis, ex inæquali eiusdem vesicæ intemperatura eandem vrinæ difficultatem oriri censeto. Verum quanquam ea & calida & frigida, & etiam sicca quandoq; esse possit, sępenumero ex frigida contingit: etenim vesica exanguis & frigida est, & propterea a caussis frigidis plusquam aliæ partes promtius afficitur, quemadmodum euenit in aquilonis flatu. Tunc namque vrinæ difficultates oriri consueuerunt *Hippoc. & Galen testibus aphor 53. lib.* Id autem percipere poteris, non solum ex aquilonis flatu, sed ex reliquis quoque caussis infrigidantibus, quæ præcesserunt, atque etiam ex ætate, temperatura, vrinæque tenuitate & albore, *ex Pauli auctoritate, & ex Scholio Obseruatio prima huius libri.* At si ex reliquis inæqualibus temperaturis excitari contingat cum dolore vrinæ difficultas (*quanquam non sæpius id contingat*) ex propriis earūdem indiciis, haud ægre percipi poterit: quemadmodum interim contingit in ardentissimis ac siccissimis febribus, *vt Aetio & Paulo visum est*, & nos quoque exemplo ostendimus *obseruat. 38. lib. 7.*

6 Ex eisdem quoque intemperaturis, licet non inæqualibus dolorem inferentibus, redditur potentiæ imbecillitas: ex qua citra dolorem cum difficultate mictio fit; licet præcipue ex frigida; quæ haud aliter cognoscuntur, quam prædictæ, quanquam vbi cum frigiditate simul pituitosus humor redundet, præter alborem vrina crassa apparebit, *Paulo teste.* Nec non & alia aderunt indicia redundantis pituitæ; potissimum, si in toto redundarit; & demum ad vesicam demittatur, eiusdem vesicæ ceruicem obstruens: ex tumore item quopiam præter naturā (*eodem Gal. auctore*) difficilis quandoque fit motus in vrinæ excretione. De eo tamen intelligendum est qui dolorem non parit. Nam de his iam meminerat inter eas caussas, quæ cum dolore faciebant vrinæ difficultatē. Sunt vero hi scirrhi & œdematosi tumores: qui quonam modo dignoscendi sunt, promte cuilibet patere poterit, ex propriis eorundem tumorum indiciis. Si sit propter apostema, vel inflammationem, signa aderunt eiusdem; *de quibus proprio cap. agemus.*

7 Si autem sit propter vlcus, vlceris præcesserunt signa; & si ob pus cohibeatur vel carnem collo vesicæ ingenitam, aut verrucam, vel ex sanguine concreto vel humore (*quæ non tantum vrinæ difficultatem adfert, sed sæpius omnino ipsam retinet*) cathetere immisso cognoscuntur. Sed hæc ipsa si exitum omnino impediant, pertinent ad ischuriam; *de qua suo loco.* Si ex parte difficultatem vrinæ inferant, tunc ad dysuriam pertinebunt. Ita & cathetere immisso modo pus modo sanguis eius fini adhæret. Si ex sola ventositate, adest dolor extensiuus, cum grauitate sese dispergens. Si materia, viscosa, simul cum vrina exit. At exemplis subsequentibus omnia hæc clariora euadent.

Observatio VIII.

De difficultate vrinæ, cum dolore circa pubem.

1 Mulier annos viginti nata, ex infima plebe, paupercula ac puerucula, a quinto die partus difficulter lotium reddebat, cum ingenti dolore circa pubem; & postea in totum retinebatur. Habitabat autem hæc Alcmarię. Ad quam anno 1553 mense Decembri, cum frustra multa remedia essent tentata, accitus fui. Sed hoc cataplasmate per me descripto, vt pectini apponeretur, incātamenti instar, cum eandem pro deplorata haberent, lotium libere reddidit; & ab eo dolore, qui pubem exercebat, fuit liberata: ℞ *parietariam ÿ. chærefolii m. j. ß. incisa ad mollitudinem decoquantur; adde butyri recentis ℥ j olei scorpionis ℥ j. ß. calide pectini applicetur:* & ita profuit, vt nullis aliis remediis opus fuerit. Suspicabar malum contractum ex solo frigore. Sola sæpe parietaria cum oleo scorpionis instar emplastri pectini apposita (*quod experimentum præceptoris mei Elidei erat*) profuit, & me raro fefellit, etiam vbi obstructio esset ab humoribus crassioribus: tamen glande vel clystere emollienti præcedente, si aluus resisteret, aut leni purgatiuncula prius propinata, siue ex frigore, siue ob ventositatē malum contractum esset. Memini in Clementia Foresta sorore mea, piæ memoriæ, cum diu decubuisset, & ex siccitate in difficultatem mingendi & retentionem vrinæ incidisset, parietariam similiter iuuasse, adiecto oleo sezamino, & butyro, cataplasmatis, aut emplastri modo pectini impositam.

Scholia.

2 *Signa prognostica.*

Malum minus graue est, si difficultas vrinæ dependeat ex caussa procatarctica seu primitiua: ab aere frigido, vel similibus: etiam ex intemperie sola; quamuis tamen si ex frigida intemperie excitetur, senibus periculosior est, veluti & ceteri morbi frigidi, vt diximus. Verum si vrinæ difficultas in ardentissimis ac malignis febribus fiat, mala est. Nam nedum vesicam affligi significat, sed indicium est, quod omnes neruosæ partes sint affectæ, *ex Aetii testimonio*. Ex siccitate, neque adeo bona esse potest, resiccatis neruis: verum ex aliis caussis vbi oriatur, tanto salubrior erit, quanto dolore magis vacabit. Nuda intemperies si malum procreat, melius curatur, quam si sit cum materia. Sed quouis modo, in decrepito difficulter curatur. Ex stranguria vel difficultate vrinæ ileos vel tenesmus, pessimum est; nisi leui superueniente ephemera febre. Et illa quæ est ex vlcere præcedente, difficulter curatur, cum acrimonia vrinæ & puris semper irritetur.

& in meatu ex carne vel verruca, magna ex parte incurabilis est, nisi cum maxima molestia, & magna diligentia, *vt postea exemplis docebimus*. In siccitatibus vrinæ dysuriæ fiunt, *aph. 16. lib. 3. & in autumno aph. 22. lib. 3.* Et mingendi difficultatem, stranguriam, vini potio & venæ sectio soluit. Incidere autem in talo interiores, bonum, *49. aph. lib. 7.* Et difficultas vrinæ ex sanguine coagulato pessima, & quæ venit ex renibus vel vreteribus, difficilius curationem recipit; & ex vteri inflammatione aut vlcere. Ex calculo in collum vesicæ impacto, si cathetere amoueatur, bonum est. Sed hæc iam dicta aliquando, vti calculus, ad ischuriam & omnimodam retentionem pertinent, vt etiam antea de calculo in vreterem impacto diximus. Nũc loquimur de iis caussis, quæ potius difficultatem meiendi faciunt, & non ita vehementes sunt, vt illæ, quæ ischuriam omnino adferunt; de quibus suo loco. Quod ad curationem dysuriæ attinet, cum varias caussas habeat, vario quoque modo eius curatio instituenda est. Si ex nuda intemperie frigida, calefacere oportet vesicam: si calida, refrigerare, *vt scholio primæ obseruationis huius libri ostendimus.* Si ob pituitam crassam & viscidam, e toto corpore defluentem, Rondeletius euacuat pilulis mitioribus, vt pilulis hieræ vel alephanginis. Deinde exhibet syr. attenuantes & incidentes, detergentesque, cum aquis, vel decoctionibus similibus. Mox etiam pilulis fortioribus euacuat, nempe cochiis, & aliis purgantibus pituitam, citra aliquam adstrictionem: in crastinum deinde vtilissime dat terebinthinam lotam cum vino albo ad ℥ ij. Quod si non facile excernatur vrina, tunc tuto dare possumus cientia vrinam, cum leui detersione, *vt syrupos attenuantes, cum decoct. fœniculi, apii, asparagi, betonicæ & aliarum herbarum diureticarum.* Si pituita in collo vesicæ detenta id faciat, iniicienda detergentia erunt. Si est sine vlcere, detergentia iniicienda & attenuantia. Si vlcus adsit, melicratum crudum, decoctum hordei & glycyrrhizæ, vel serum lactis cum pauco melle. Sufficiant hæc ad curationem. Quid præterea agendũ sit, exempla subsequentia docebunt.

3 — Curatio. — 4

Observatio IX.

De difficultate vrinæ, seu dysuria, ex caussa frigida.

1 SENI Delphensi cuidam dysuria frequenter oboriebatur ex vesica imbecilla reddita, ob caussam frigidam, simul cum materia pituitosa, adeo vt actio vesicæ lęderetur: vnde & difficultas vrinæ iam originem traxerat. Ad hunc vocatus, cum & antea sæpe hoc morbo affectus esset, præsertim in hyeme, dum aquilo flaret; quamuis illum plane pristinæ valetudini nõ poteramus ob senium restituere, attamen ne nostro officio deessemus, vt malum saltem mitigaretur, vt illis, de quibus nunc dicemus, diligenter obseruaret imperauimus, inprimis vt aerem eligeret ad calidum vergentem. Somno moderato ac exercitio etiã moderato vteretur iussi: & vt cibi in quãtitate modica, & boni succi, & in qualitate ad calidum vergerent; qui & vrinæ quoq; ciendæ facultatem haberent. Propterea concessi & *oreoselinum, apium, fœniculum, asparagum, daucum, & reliqua similia; quæ cum aromatibus, cinnamomo, garyophyllis, macere, galanga, zinzibere condiri possent.* Admisi vinum calidum, etiam illud, quod Hippocraticum dicitur, si eo vellet vti, aut aquam mulsam cum aromatibus quibusdam iam dictis paratam. Verum, quod ad medicamenta attinet, cum hic vna cum frigida intemperie simul pituitosi succi redundarent, non solum in vesica, sed in toto corpore, videlicet in sene, qui facilime pituitam etiam in stomacho coaceruabat; ideo illos succos præparare tum cõcoquere instituebam, antequam eosdem purgarem. His syrupis prius præscriptis: ℞ *mellis ros. colati, oxymel. simplicis etiam scyllini ana ℥ j. aquæ fœniculi, melissæ, betonicæ ana ℥ iij. fiat iuleb pro 3. dosib.* Deinde purgaui eundẽ hoc modo: ℞ *cassiæ fistulæ, diacatholici, diaphœnici ana ʒ ij. dissol. cum aquæ beton. ℥ iij. mellis ros. colati ℥ j. misce.* Postea etiam adhibui decocta calfacientia & vrinam cientia, *vt decoctum scordii, artemisiæ, pulegii, fœniculi, origani, & similium, adiecto syr. de byzantiis, & melle ros.* & pectinem inungebam oleo anethino, chamæmelino, rutaceo, nardino, & similibus, & Theriacam cum vino sumsit: quibus melius se habebat.

2

Scholia.

MAgna ex parte (*vt dictum est antea*) fit difficultas mingendi ex intẽperie frigida per se, vel etiam cum succis frigidis. Si ex nuda intemperie frigida contingat, victus ratio huic seni pręscripta, aliis quoque conuenit simili malo laborantibus: ita & medicamenta calefacientia & vrinam cientia, vt est decoctum suprascriptum vel hyssopi, thymi cum aqua mulsa: nec minus interdum theriaca, aut mithridatum, diagalanga, aut diacinnamomum, aut diacalamenthum, aut dianisum ad ʒ j. cum vini albi ℥ iij. aut tantundẽ prædictæ aquæ mulsæ, cum aromatibus paratæ. Extrinsecus quoque fouendæ sunt partes circa vesicam, *ex decocto pulegii, sampsuchi, origani & foliorum rutæ, calaminthæ, florum chamæmeli & fœnugræci.* Fiat autem quandoque decoctum non solum in aqua (*vt etiam admonuit Donatus*) sed etiam in vino albo, aut in duabus partibus aquæ, & vna vini, prout magis expedire videbitur. Ex quibus quoq; insessus parari poterunt, præcipue pro diuitibus, qui sumtus ferunt. Item eædem partes illinendæ oleis iam dictis in obseruatione præcedente, etiam irino, castoreo & similibus. Clysteres quoque iniiciantur *ex floribus chamæmelini, pulegii, furfuris, caricarum decocto, oleo rutaceo, anethino ana ℥ j. ß. adiect. & mellis ros. aut communis ℥ j. addita. & si sit materia admixta, spec. hieræ simplic. & cass. ac elect. de dactylis adiiciantur.* Nam vbi frigidi succi admixti sunt, præparati cum syrupis in obseru. positis, *cum decoct. vel aqua fœniculi, betonicæ*, & similium purgentur agarico, pul. hieræ simplicis; vel si mauis, *catapotiis fœtidis, de sagapeno, cum agarico permixtis.* Vbi autem in vesica dunta-

3 *Curatio mingendi difficultatis, orta ex frigida intemperie.*

4 *Si cum frigida intemperie frigidi quoq; succi redundent, curatio.*

duntaxat prædicti succi redundent, benefacit *etiam compositum oxymel & mulsa*, & decoctum radicis rhamni ac origani, quod mirifice iuuat, *vt inquit Alexander*. Item vtendum est hyssopi, pulegii, origani, vel thymi decoctis, cum aqua mulsa *ex Pauli auctoritate*: interim vtendum prædictis medicamentis; extrinsecus adhibitis iam dictis. Quod si ex flatuoso spiritu dysuria gignatur, medicamentis, quæ flatum discutiant, intus & extra exhibitis vtendum erit; quorum copiam requiras inter ea, quæ de colicis doloribus diximus. Ex ceteris item vesicæ intemperantiis, si excitetur, perpetuo eorum contraria medentur. Quapropter si in ardentib. ac malignis febribus fiat vrinæ difficultas, fouendæ sunt imi ventris, pectinis, inguinum & coxēdicum partes, cum oleis, superfusionibus, fotibus, ac cataplasmatis, quæ laxādi ac humectandi vim habeant, cum exiguo aut nullo calore. In quem vsum conuenit *oleum chamæmelinum, anethinum, oleum commune dulce, fotus ac superfusiones, ex maluarum, althææ fœnugræci decocto. similiter & insessiones: quæ etiam salubriter in hydrelæo fient, ex Pauli testimonio*. Exemplum huius posuimus *lib. 7. obser. 38.* vt non opus sit idem repetere. Et si aluus quoque adstricta fuerit, prædictorum decoctum oleo communi, anethino; aut amygd. dulc. addito iniiciatur. Si vero difficultatis vrinæ caussa fuerit inflammatio, abscessus, vlceratio, vel quiuis alius tumor præter naturam, ex eorundem vitiorum curatione, quorum postea in sequentibus mentionem quoque faciemus, curabitur.

[...]ratio. [...]uria ex [...]ritu fla[...]oso.

5 Vrina difficultas fiat [in] feb. ardēt. ac mali[gn.] [...]is curatio.

Observatio X.

De difficultate mingendi, ob callum carnosum, vel verrucam, aut excrescentiam carnis, intus in pene seu meatu vrinario innatam.

Gisbertus Pauonius seu Pauwius dictus, prætor in Pago Huysdunensi: at nunc Alcmariæ ob passionem, qua afficiebatur habitans, annum trigesimumquintum vel circiter agens, cum diu vrinæ ardore & difficultate mingendi laborasset, ad aliqualem vrinę suppressionem, seu potius maiorem difficultatem meiendi deuenit; vrina enim instar tenuissimi fili cū impetu aliquando exibat; idque propter callum innatum, seu carneam excrescentiam intus in ipso meatu vrinario obortam, vrinæ exitum impedientem non solum, sed si cum vxore alioqui pulcerrima concumberet, semen eiaculari non poterat libere; vnde neq; proles ex ea exspectans magna melācholia afficiebatur. Passus autē fuerat antea gonorrhœam, multis innumeris medicamētis vsus, & iniectionibus infinitis ab aliis medicis præscriptis, postea & caruncula innata semper peius habuit. Quare cum hoc grauissimo malo torqueretur, Delphos ad me venit, vt ab hoc carnificis malo liberari posset, consilium ac remedium postulat. Addebat tunc, se quidem nunc sine dolore & ardore lotium reddere, verum adeo tenue exibat, acus instar, propter meatum vrinarium obstructum: ac præ ceteris narrabat illud quoque potissimum sibi grauissimum ac molestissimum esse, quod semen in actu Venereo eiaculari non posset, cum & iuuenculam vxorem haberet, eamque formosam: cum aliquot annis hoc malo cum priore vxore, quæ nūc obierat, & nunc secundam duxerat, in magnum discrimen sæpe adductus esset, & alios medicos peritissimos frustra consuluisset: tandem ad me venit oratum, vt si quo modo possem, tanto malo succurrerem. Mouit me, fateor, cum res ipsa, quæ satis per se miranda videbatur, imo molestissima: tum vel maxime viri lacrymæ, ac nimium miserabilis obsecratio. Cœpi igitur mecum cogitare, an id forte ex caruncula, hoc est, carnis excrescentia collo vesicæ, vel vrinæ meatui innata euenerit, cum & statim mihi in mentem veniret similis casus Galterii illius Partinopolitani, qui describitur ab Amato *centur. 4. curat. 19.* de exstirpandis excrescentibus in collo vesicæ carunculis. Hic enim Galterius, vir nobilis & magnificus, annos natus quadraginta, quū iam diu gonorrhœam, hoc est, seminis profluuium pateretur, & nihil remedii contra malum inuenisset quoque, in vrinę aliqualem suppressionem deuenit. Hic cum accessisset Amatum, is quoque deprehendit carunculas esse in collo vesicæ & vrinæ meatui inesse. Omnia hęc huic Gisberto aderant, excepta egerendi cupiditate, qua Galterius ille apud Amatum etiam detinebatur. Quamuis autem certis coniecturis id mihi persuasum esset, tamen, vt adhuc certiores essemus, chirurgum Guilelmum de Dalen lithotomus, amicum nostrum familiarem, vocari iussimus, vt id candela cerea vel cathetere exploraret, num ita esset. Immisso cathetere omnia ita esse inuenimus. Quare vna hominem curandum suscepimus: & sic tribus mensibus apud nos Delphis egit, donec curatio ipsa perfecta fuerit, in hunc modum etiam auertendo & educendo humores, ne ad partem affectam ruerent, & maiorem obstructionem parerent, aut excrescentiam carnis in callum aut tophaceam naturam magis conuerterent, exceptis iis, quæ lithotomus adhiberet, communi quoq; nostro consilio. Ideo anno 1571. 27. die Augusti, cum ad nos venisset, hunc bolum primo deglutiendum dedi: ℞. *cassiæ recens extractæ* ℥ x. *cum zacch. candi dicto puluerisato, fiat bolus*. Deinde imperaui vt diebus sequentibus sumeret bis in die ex hoc apozemate: ℞. *rad. fœniculi, petros. ana* ℥ ß *agrimon. parietariæ, maluæ, chærefolii ana m. j capill. Ven. polytrichi ana m. ß seminis anisi, carui, dauci ana* ℨ j *semin. quatuor frigidorum maiorum ana* ℨ j. *gran. alkachengi num. v j. cicerum rub.* ℥ ß. *hordei mund. p. j. glycyrr. rasæ* ℨ vj. *coquantur in vino Rhenensi, & aqua communi in duplici vase ad horas quatuor, pro* ℔ j. ß. *colaturæ adde syrupi de byzantiis. de cichor. Nicoli, cum rhabar. mellis ros. colati ana* ℥ j. *syr. ex infus. ros.* ℥ ß. *misce. fiat apozema.* Rursus fuit reiteratum in fine Augusti & 3. ac 6. Septembris. Bolus quoque supra scriptus adhuc semel exhibitus. Et hic fotus circa pudendum, ad vias vrinarias ampliandas, *ex rad. althææ* ℥ iiij. *capitum liliorum alb. num. v.*

foliorum maluæ m. vj. florum meliloti, chamomill. ana m. j. pariet. m. iiij. summitat. anethi, absinthii communis ana m. j ß. seminis fœnug. ℥ j. sem. maluæ ʒ. ij. coquantur in aqua communi in duplici vase q. s. vt ℔. 14. remaneant, non solum pro fotu cum spongia, sed insessione. Qui fotus rursus reiteratus 21. Septemb. die. Die 1. Septemb. post fotum hæc olea præscripta, quibus & penis & perineum inungebantur: *℞ olei anethini, chamomill. ana ℥ j.* Decimotertio Septembris, ad maiorem apertionem mane cyathum vnum huius decoct. sumebat: *℞ seminis dauci, gemmarum ribes nigræ ana ℥ j. coquantur in ℔. iij. vini Rhenensis in duplici vase ad 2. horas.* Cum autem per duas tresve dies cepisset, maxime incaluit, & lotium prouocabat, ac sudorem. Verum lotium ex eo tingebatur, subsequente febre. Quare ab eo decocto abstinuimus ad tẽpus. Sed non redibat, cum tantum ephemera febris videretur. Postea aliquot diebus intermissis hoc decoctum præscripsimus iterum: *℞ seminis dauci, gemmarum ribes nigræ ana ℥ ß. coquantur in vino pro ℔ j. arom. cum ℥ j. ß. cinnamomi selecti, & dulcoretur cum Zacaharo, & fiat claretum.* Verum cum per duos tresve dies bibisset, iterum incaluit & febricitare videbatur: quare & tunc quoque a decocto abstinuimus, etiam a fotu propter calorem. Et cum amplius non febricitaret, lotiũ quod parum tinctum mingebatur, rediit ad pristinum statum, & bonum colorem. Interea mandauimus vt fomẽtis relictis, inungeret penem in balneo, oleis sequentibus: *℞ olei scorpionis ℥ j. olei amygd. dulc. liliorum, anethini, chamæmelini ana ʒ iij. misce.* atque illud oleum 16. Septemb. descriptum fuit. Interea per totum morbi decursum, si aluus durior resisteret, & sua sponte non flueret, balano vel clysteri saltem irritabamus, balano tamen potius, cum nostri omnes fere ægri in hac re nasuti, potissimum in nostra patria, clysterem auersentur. Verum, quod ad opus chirurgicum seu manuale attinebat, chirurgus lithotomus Guilelmus de Dalen candelas cereas albas, quibus parum terebinthinæ immixtum erat, paratas habebat, longitudinis 12. digitorum transuersorum, crassitudinis vero prout meatus vrinarius ferre posse videbatur. Eas autem pharmacopœus in rectum nostrum vsum parabat, quas chirurgus sequenti vnguento immergebat, vel oblinebat, & bis in die imponebat. Vnguentum illud erat ex libro primo pag. 20. *de secretis D. Alexii Pedemontani ad vlcus sanandum carnosum*, etiamsi fuerit inueteratum. Cuius hæc erat descriptio: *℞ feces ex melle destillato, vel his deficientibus sumito mellis ad iustam crassitudinem cocti: deinde ponito in ollam ad cremandum vel in figuli, vel vitriarii fornace, donec auri colorem assumat.* Hæc materia valet ad omnes plagas; nam carnem putridam atque mortuam consumit, postea mundificat & absque vllo dolore persanat. Qua de caussa ad sanandum plagas, multo melior est, quam æris flos præcipitati, quo plurimi chirurgi ad eundem affectum vtuntur: *℞ igitur huius pulueris ℥ j. stercoris canini ʒ ij. tartari albi ℥ ß. sacchari albissimi, aluminis vsti, tutiæ ana ℥ j. terantur omnia atque cribrentur.* Deinde, *℞ foliorum oliuæ recentium, contundantur in mortario lapideo optime, adiiciendo parum vini albi: postea bene expresso succo, addatur tantundem succi plantaginis, ponaturque ad ignem; infundendo paulatim prædictos pulueres, atque continuo miscendo: postremo parum ceræ viridis adiungatur, parum mellis ros. fiat vng. molle, atque in vsum seruetur.* Est autem valde pretiosum ad carnem consumendam, consistentem præsertim in locis valde sensibilibus, quæ fortia medicamenta respuunt propter dolorem. Modus vero vtendi huiusmodi est. Syringa parua vino albo impleatur, in quo rosæ siccæ & folia plantag. cocta, deinde parum lactis mulieris vel caprini adiectum fuerit, ponatur in virgam, quæ ex vino optime lauetur: deinde mucronem candelæ ceræ longæ ac paruæ; vt virgæ meatum ingredi valeat, sumito: in eius mucrone prædicti vnguenti parum affigito, atque in virgã candelam prius calefactam, ne frangatur, per paruum temporis spatium immittito, quousque ad vlcus pertingat, atque vnguentum ibi relinquat. Hoc bis in die faciendum, mane scilicet & vesperi. Atque cum hæc administrantur, ægrotus in lecto supinus recumbat; & sic admirabilem effectum videre licebit: nam paucis diebus absque vllo periculo æger sanabitur. Hoc vnguentum lithotomus Guilelmus parauit, & bis in die cum candela cerea, non tamen calfacta, imposuit: at non vtebatur decocto illo per syringã ex ros. siccis & foliis plantaginis: sed post septimanam, cum vsus esset illo vnguento antequam candelam imponeret. 10. die Septemb. per syphonem vel syringam ex hoc decocto semel, aut bis intus colluebat virgam, iniiciendo decoctum, quod in officina hoc modo fieri mandaui: *℞ agrimoniæ, betonicæ, foliorum lauri, centaurii ana m. j. florum ros. meliloti ana p. j. decoquantur in vino & aqua parietariæ pro ℔ j. colaturæ addendo alum. vsti, myrrhæ, tartari ana ℥ j. tutiæ ℥ ß. mellis ros. ℥ ij. misce.* Hoc reiteratum fuit 22. Septemb. Interim dum candela cereo vnguento intincta imponeretur, subinde cathetere prius inuncto oleo oliuarum tentabat, nunquid ad fundum colli vsque in vesicam transire & peruenire posset. Amatus autem catheterem inungebat oleo amygd dul. Ceterum bis aut ter cum dolore emanante pauco sanguine concreto, capiti vel fini inhærente ipsius catheteris, tandem catheterem in vesicam vsq; imposuit; deinde rursus ad candelã ceream redibat. Ceterum cum adhuc parum proficeremus, quamuis candela cerea magis intromittebatur, minusque resisteret, vtilius duxi, vt cerato Amati vteremur; cuius descriptionem cum chirurgo ostendissem, optime illi placebat: quare hoc ceratum pharmacopœo conficiendum commisimus. Paratur autem hoc modo. *℞ viridis æris, auripigmenti, vitrioli, aluminis rochæ ana ℥ j.* omnia hæc aceto acerrimo perfusa inter duos porphyrites lapides, quam accuratissime ducantur, in læuoremq; tenuissimum reddantur, & soli æstiuali exponantur. Hæc rursus sic exsiccata aceto affuso ducẽda sunt, & læuigãda, solique

solique exponenda, quousq; puluis subtilissimus euadat, & a medicamentis iis prorsus acrimonia exstincta sit: quod opus octo dierum spatio conficitur.

11. Hoc confecto & parato puluere. ℞. *olei ros.* ℥ *iiij. litharg.* ℥ *ij. ad ignem fiat coctura, quousque emplastri modo corpulenti adquirat substantiam seu consistentiam:* tunc ab igne deposito adde prædicti pulueris ℥ *ij.* & tudicula vel spatula misce, & ad ignem omnia tractato, quousque medicamentum duriusculum euadat: ita vt si candelæ cereæ, vel plumbeæ virgulæ hæreat, non diffluat, etiam si digitis tractetur. Imperauimus autem, vt dimidium huius pharmacopœus componeret. Ceterum chirurgus suo adhuc vtebatur vnguēto, cum candela cerea; donec aliud, quod nunc diximus ex Amato, præparabatur. Et ita 29. Septembris iterum imposuit: instrumentum argenteum, super quod calculi incidi solent, media parte excauatum, vsque in collum vesicæ; & cum maximo dolore eo penetrauit, & iussit, vt instrumentum ita intus permaneret per integram horam: eoque extracto vrina melius profluebat. Antea vero neque catheterem neque hoc instrumentum vsque in vesicam imponere potuit.

12. Ceterum instrumento iam dicto extracto, iterum imposita fuit candela cerea vnguento delibuta ad tempus permanens, eaq; extracta, antequam mingeret, non solum ramenta, sed & purulenta materia exire cœpit, & purulentia ipsi candelæ adhærebat. Post aliquot tempus iterum immissa candela: & vt diutius ea intus permaneret, vt etiam cum ea ambularet, eaque rursus extracta sæpiusque rursus imposita processit. Altero die, qui erat 30. Septemb. chirurgus iterum imposuit catheterem, & melius ingrediebatur: mox aliud illud instrumentum argenteum solidum media parte excauatum, vt diximus, intromisit: non tamen sine dolore, vt antea: sed non diu tunc retinuit illud instrumētum in meatu vrinario; eoque extracto, bis per syphonem collyrium antea descriptum iniecit, & ex acredine eiusdem æger sensit dolorem. Postea emisso collyrio iterum candelam more solito, ex nostro consilio imposuit, delibutam cum vnguento seu emplastro suo.

13. Primo die Octobris, cum ego peregre profectus essem in pagum quendam nomine Sassen, inter Leydā & Harlemum situm, ad Adamum Pynson ex febre syncopali laborantem: Chirurgus imperauit vt candelam ceream, (quam nunc immiscebat adhuc in suo vnguento, nunc deficiente) ipsemet æger imponeret. Sed cum deficeret eius vnguentum, ex decocto hoc ipsum, quod cum syphone immittebatur, nimis aquosum nunc redditum est ipsum vnguentum, quare minus candelæ adhærebat. Hinc imposita candela, cum diu per horam inhæsisset liquefacta, extrahi non potuit: quare accersito chirurgo, is tandem per funiculum candelæ iniectum & alligatum, candelam ipsam ceream extraxit, intus tamen aliqua portione ceræ eliquatæ remanente, quam tandem postea cum lotio eminxit. Verum tunc candelam ceream vix potuit imponere, ob ardorem vrinæ, quam contractum putabam ex puluere corrodente immisto, & decocto, tum etiam ob catheterem vno die pluries impositum.

14. Neque placebat mihi ista frequens impositio argentei instrumenti. Cum itaque reuersus essem, ad ardorem vrinæ tollendum, qui supra modum vehemens erat, mandaui per syphonem iniici *lac ouillum cum aqua ros. & aqua albuminis oui immixta.* Die secundo Octobris, post impositionem instrumenti inuncti [illegible] sequentibus. ℞. *olei ros. amygdal. dulc. ana* [illegible] etiam imposuit chirurgus candelam ceream vnguento non delibutam, sed tantum oleo suprascripto inunctam. At iusserat chirurgus, vt catheterem ita impositum æger tam diu retineret quam posset, & retinuit per duas horas. Et cum eo modo dolor ac ardor augeretur, vt illa mitigarentur, & meatus relaxari posset & ampliari, vt sequens decoctum omni mane sumeret præcepi. ℞. *rad. glyzyrrh. maluæ, ana* ℥ ß. *foliorum maluar. m ij. semin. quat. frigid. maiorum, ana* ℥ *j. coquantur in aqua communi pro* ℔ *j. colatura, adde mellis ros. colati* ℥ *iij. misce.* deinde decoctum sequens ad eandem intentionem ter quaterue vel pluries per syphonem iniiciebatur. ℞. *rad. maluæ* ℥ *j. rad. glyzyrrh.* ℥ ß. *fol. maluæ m. ij. sem. maluæ* ℥ *j.* ß. *sem. quatuor frigid. maior. ana* ℥ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔ *j. colaturæ adde syr. ex infus. ros.* ℥ *j. misce, pro syringatione.* Et tunc dolor mitigabatur.

15. Die sequenti, qui erat tertius dies Octob. cum Guilhelmus de Dalen chirurgus & lithotomus peregre profectus esset, ac negotium filio suo commisisset, is cum mane catheterem imponere vellet, non potuit; vnde per syphonem decocto suprascripto prius iniecto, candela cerea oleis prius intincta difficilius quoque immittebatur per filium. Quare cum post primam horam a meridie iterum tertio die Octobr. filius non satis dextre forte durius catheterem immisisset, ac per horam ægrum detinuisset, eo quidem extracto incidit in dolorem intolerabilem, adeo vt subsequuta sit ischuria, & nihil potuerit mingere. Quare cum subito ad illum accitus essem, ac ibidem ad manus reliquiæ ex fomento vltimo præscripto adhuc essent, herbas ipsas cum reliquiis contusas supra pectinem & perinęum calide imponi iussi. Nam ex dolore vehementi frigidum sudorem emittebat, & rigebat, vt sine febre non esset; etenim pedes ita frigebant ad genua vsque, vt calidis linteis impositis ac puluinari calido pedibus supposito, vix calfieri potuerint.

16. Tandem ex continua impositione cataplasmatis, & fotu rursus adhibito, cum dolore & maximo ardore minxit, adeo vehementi, vt in lecto permanere nō posset. Postea ad sedandum dolorem per syphonem decoctum superius scriptum iniici mandabam. At quamuis ex eo lotium redderet, dolor tamen post reiectum lotium permanebat: ita vt per catheterem fortius immissum, & diutius retētum corrosionem esse factam proculdubio coniectarem, ardore vrinæ adeo hominem infestante, vt syncopen & mortem vereretur. Quare cum hæc iniectio non satis iuuaret, lac muliebre, vt iniiceretur per syphonem, præcepimus. Cum neque

hoc quicquam iuuamenti adferret, *lacti adieci pulverem trochisc. alkachengi.* Sed omnibus istis dolor non mitigabatur. 17 Quare & in nocte ex lecto surgens vltro eum accedens, per os ad refrigerationem & dolorem consopiendum hordeatum sequens propinaui. ℞. *hordei mundati. p. j. amygdal. dulc. excorticatarum* ℥ j. *sem. quat. frig. maior. mund. sem. pap. albi, ana* ℥ j. *fiat emulsorium pro* ℔ j. *& zaccharo ad saporem dulcoretur.* Deinde etiam continuo frigide emulsorium quoddam sequens iniici per syphonem quoque iussimus. ℞. *semin. 4. frig. maior. sem. pap. albi, ana* ℥ j. ß. *contusa, cum aqua hordei mundati*, cui etiam incoxerint leuiter *sem. cotoneor.* ℥ j. *fiat emulsorium pro* ℔. j. *pro syringatione.* Quibus dolor paulatim cessabat, quamquam in mingendo ardorem aliquem & dolorem sentiret, sed nullo modo cum præcedente comparandum. Eodem tempore præcepimus, vt renes tum lumbi inungerentur *vng. ros.* & incepit dormire, dolore vtcumque sedato. Mane tamen die sequenti, circa tertiam horam rigorem quendam habuit, leui subsequente febre. Verum mane circa septimam horam, cum denuo illum inuiserem, qui erat quartus dies Octob. pulsus erat remissior, 18 ac etiam melius se habebat. Extollebat & valde commēdabat vltimam illam syringationem, tum hordeatum, ita vt diceret si iis non vsus fuisset, illum iam mortuum præ dolore repperissem. Quarto die Octobr. rursus sub noctem reiterauimus idem hordeatum. Et quinto Octobr. ne ex dolore materia aliqua ad locum affectum tum vias vrinales conflueret, ac denuo febris subsequeretur aut inflammatio, hunc bolum cassiæ dedimus. ℞. *cassiæ recens ex cannis tractæ* ℥ x. *pul. sem. anisi, trochis. alkachengi, ana* ℈ ß. *zaccharo candi dicto albissimo asperso, fiat bolus.* Quo optime excreuit, nec amplius febrem passus est, aut rigorem habuit, & dolor paulatim tum ardor vrinæ cessarunt. Die septimo Octobris, chirurgo iam reuerso, is denuo leuiter catheterem immisit, deinde singulis diebus immissa candela, linita cum vnguento Amati, quod nunc paratum erat, procedebat: & singulis diebus optima fiebat operatio; ita vt post tres dies optimam faceret corrosionem, carnem illam intus latentem spongiosam paulatim corrodendo & consumendo; ita vt æger deinde paulatim sorditiem valde copiosam cœperit emingere, per dies sequentes, vsq; ad finem curationis ita procedendo. Verum nono die Octob. euocatus fui Alcmariam ad Augustinum Teylingium, filium Florentii Teylingii sororii mei, & redii 15. die Oct. tunc iterum præscripsi *bolum ex cassia, cum pul. trochisc. alkachengi*, vt supra dictum est, ad mundificandum vias vrinales. 19 Decimo vero sexto die imperaui, vt sæpe ex syrup. sequenti sumeret. ℞. *syr. de limonib. ex infus. ros. rub. non autem pallid. an.* ℥ iiij. *capiebat bis in die cochlear vnum atque alterum.* Decimo octauo die Octobris, cum paulatim illius excrescentię fieret corrosio, ex candela sic immissa, vt pus exiguum semper per lotium redderet, ad lotium magis prouocandum, cum amplius neque ardore vrinæ neque dolore afficeretur, & ad ampliandum meatus vrinarios, & ad vlcus detergendum, sequens decoctum fieri mandaui. ℞. *rad. petros. fœniculi, glycyrrh. rasa, ana* ℥ ß. *charefol. petrosel. parietariæ, agrimoniæ, ana m. j. hordei communis non excorticati p. j. sem. dauci, fœniculi, ana* ℥ ij. *granorum alkachengi, num. vij. cicerum rub.* ℥ ß. *sem. quat. frigid. maior. ana* ℥ j. *coquantur in aqua communi pro* ℔. j. ß. *colat. adde syrup. de byzantiis sine aceto, syrup. ex infus. ros. syrup. de limonibus, ana* ℥ j. *misce. capiebat ter in die, mane hora vij. & hora iv. pomeridiana, & vesperi hora decubitus.* 20 Vigesimo Octobris die chirurgus iterum catheterem imposuit, & nullam tum sensit carnem spongiosam aut excrescentiam carneam, & libere ac sine vlla molestia catheter descendebat vsque in vesicam. Et ex decocto vltimo præscripto vrina optime reddebatur, ac libere exibat, meatu magis aperto, & non ita tenuiter ac strictim, vt prius profluebat; & vlcus quotidie magis ex eodem decocto detergebatur. Et tunc iussimus, vt idem decoctum rursus pharmacopœus pararet, addendo *rad. lappæ maioris & ononid. ana* ℥ ß. *aromatisando cum* ℥ iij. *cinnamomi electi, sine clarificatione*, vt magis detergeret, adiecto quoque vno exiguo *capite allii.* Chirurgus autem, vt referebat, solebat addere in similibus decoctis, *tria capita allii*, ad maiorem vrinæ prouocationem: & miraculi instar tale decoctum iuuabat. Nos tamen vno capite allii, eoque exiguo contenti fuimus, ne ex calore allii febris denuo accederet: nam prius ob dolorem in febrem inciderat. 21 Vigesimo primo Octobris iterum, idem decoctum paratum fuit; allii quoq; capite, vt prius, adiecto. Quod rursus eodem modo sumsit. Vigesimo-quarto Octob. hoc decoctum ad vlceris detersionem & repurgationem descriptū fuit, quod per syphonem iniiciebatur. ℞. *hordei non excorticati, agrimon. ana m. j. aristoloch. rotundæ* ℥ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℥ ix. *colat. adde mellis ros. colati* ℥ ij. ß. *misce. iniiciatur cum syphone.* Vigesimo quinto Octobris iterum *bolum cassiæ cum trochisc. alkachengi* exhibuimus; & per syphonem rursus decoctum iniiciebatur, & incepit vlcus optime detergi. Et tunc concessimus lac ouillum, etiam bubulum; & fuit probe curatus. Interea tamen cum domum iam sanus repeteret, si forte sordities aliqua iterum per penem cum lotio eiiceretur, dedi eidem in scriptis decoctum, quod per syphonem iniiceret, atque id negotium committeret cognato meo Ioanni Teylingo Alcmariano medico, qui etiam illum ante nos aliquando præ manibus habuerat. Deinde si opus esset, ad maiorem consolidationem & cicatricem inducendam, vt tunc decoctum sibi parari iuberet *equiseti plantag. cum melle ros.* & postea illud quod sequitur: ℞. *cerusæ* ℥ j. *lithparg. aluminis rochæ, an.* ℥ *ij. cum aqua caudæ equinæ, fiat decoctum.* 22 Eo vtitur Amatus, sed pondus non apponit: potest ad ℔ ij. vel paulo plus fieri, decoquendo ad medietatem, & per manicam laneam traiectum & colatum, vt sit magis clarum, & cum syphone iniici. Dedi quoque consultationem in scriptis, si forte materiam crassam aut fœtidam cum mictione reiiceret,

cum

cum dolore colli vesicæ aut renum, vt tunc vterentur destillatione a Montano commendata *Consultatione 82.* ad similem casum conferente. Quæ ita componitur. ℞. *pentaphylli cum rad. & fol. m. iiij. granor. alkachengi ℥ j.ß. agrimon. m. iij. verbenæ ros. siccar. ana m. ij. limonum minutim concisorum simul cum corticibus suis, num. iij. contundantur omnia grosso modo, & aspergantur cum ℥ viij. infus. ros. postea distillentur per alembicum vitreum, vel per balneum, deinde in vsum reseruetur, de qua dentur mane duo cochlearia, vel ℥ v.* vt Montanus facit. *Syrup. de cichorio Nicoli sine rhabar. syrup. myrtini ℥ j. misce.* vsus est pro materia crassa & fœtida per vrinam cum dolore renum exeunte. Si vrina fortasse rursus retineretur, & non satis profflueret, denuo redeundum ad decocta aperientia ex rad. lappæ, ononidis, &c. Verum postquam curatus esset, atque in patriam rediisset, nulla accidentia reuerterunt, & egregie sanatus permansit, & optima deinde fruebatur valetudine, ita vt non solum excrescentia carnis supradictis præsidiis fuerit ablata, & iam libere mingere posset, & hymenæo operam dare, obstructione excrescentiæ carnis in totum assumta, sed etiam ab omni dolore & vlceratione liberatus, vt vix eo domũ reuerso vxor etiam imprægnata fuerit, ac demum infantem pepererit, & deinde etiam annis subsequentibus plures proles, cum maximo gaudio & solatio, etiam superstites viderit. Laudetur Deus, qui seruos suos hoc dono sanationum condecorauerit & illustrauerit.

SCHOLIA.

Semper fere illi, qui gonorrhœam diuturnam patiuntur, in prædictis locis habere solent vlcera, quæ nisi cito curentur, in ipsis spongiosa crescit caro, vt aliis euenire percepimus vlceribus: quæ spongiosa caro, quo minus homo libere meiat & hymenæo operam det, sua obstructione in caussa est: ita enim vrinæ meatus seu penis carunculis iis obstruitur, vt vrina difficulter excernatur & semen non eiaculetur, vti huic nostro ægroto euenit, & apud Amatum Galterio Pattinopolitano, vt ad longum videre licet *curat. 19. centur. 4.* cuius emplastro etiam in nostro ægroto magna cum experientia & vtilitate recte vsi sumus, quod merito huius Lernæi & Herculei morbi claua exsistit, & hymnis multis & laudibus variis decantari meretur: nec solum huic morbo prodest, sed varios alios arcet & explodit. Nam polypos vnice curat, & extuberantes carnes in aurium meatibus & aliis locis repertas vnice exstirpat & resecat. At scribit Amatus septimo die in ægroto suo defecisse, & cognouit carunculas ex toto exstirpatas esse, ex tribus quatuorue signis: primo quod candela iam facile penetret. Secundo ex multitudine caruncularum & humoris purulenti effluentis: tertio ex vrinæ eiaculatione: facile enim & expedite, copioso ac recto tramite vrina emittitur, carunculis ipsis absumtis: neque minori facilitate semen genitale emittitur: quibus adde mordicationem, quam æger ob exulceratam particulam persentit. Et quamuis septimo die in ægroto Amati prius cognouerit ipse Amatus, ex signis iam dictis, defecisse carunculas: in nostro tamen ægroto, difficilime laborante, opus fuit remediis circiter tres menses vti, antequam ad perfectam curationem deueniremus, cum in nostro ægro malum inueteratum, & valde diuturnum fuerit: ideoque ægre admodum exstirpatum est. Non obstante, quod refert idem Amatus, *quod quidam Helias mercator, qui ex Aulone Anconam venerat, carunculas in vrinaria fistula patiens, & difficulter vrinam reddens, vt etiam illa virga curua ob morbum facta fuerit, vt liberis operam dare non posset, tamen per illum tractatus, intra sex dies ex emplastro iam dicto, libere & directe vrinam emiserit.* Noster quamuis tardius emplastrum opus faceret, belle tamen curatus fuit.

OBSERVATIO XI.

De Stranguria in ischuriam transeunte.

Stranguria, vt antea diximus, aliquando in ischuriam permutatur; quemadmodum euenit cuidam Gallo Pithuerensi, Anno 1545. mense Octobri, cum in Gallia praxin exercerem ex Italia reuersus. Plurima a vulgaribus tentata sunt remedia, quamuis frustra, cum iam quartus dies instaret, quod lotium non reddidisset. Post glandem iniectam, aluo soluta, hoc fotu adhibito, & emplastro apposito minxit. ℞. *nasturtii aquatici, parietariæ, furfuris in nodulo ligati, & inter coquendum sæpius expressi, folior. maluæ, ana m. ij. coquantur in vino albo,* quo iussimus, vt pecten fomentaretur: reliquiis decocti contusis cum butyro mixtis etiam appositis statim minxit. Alteri vero, cui feces duræ in intestino subsisterent, cum enema emolliens iniecissem, mox vrinam per duos fere dies retentam reiecit. Huic similem casum refert Dodonæus *cap. 47.* de vrinæ retentione propter feces in recto intestino hærentes. Retinetur quoque (*inquit*) vrina duris fæcibus in intestino subsistentibus: comprimitur enim ab his vesicæ ceruix, qua compressa vrina retinetur. Atque idcirco dum exoneratur aluus, vrina tum demum procedit, cum rectum intestinum liberum est. *Nobilis vir LX. annos compleuerat, cum triduo vrina illi via præcluderetur, nullo lotio succedente: huic balneum, mox enema profuit. Emollitis siquidem atque expurgatis alui excrementis, mox vrina successit. Et ita paucis horis est liberatus, cui vrinæ suppressio totum triduum fuerat molestissima.* Quando vrina supprimitur, & reddi nequit, sæpe non expedit, diuretica medicamenta propinare. Nam quo plures humores ad vesicam perueniunt, hoc amplius distenditur, & minus exonerare sese potest. Laxiores & patentiores vesicæ meatus reddi præstat, quod & fomentis & insessibus siue balneis efficitur. Quod si vero & feces intestino recto hæreant, has vel maxime educi enemate refert, quod non solum feces educit, sed & fomenti loco esse potest. Incumbit vesicæ colli superior pars recto intestino: proinde & hoc fecibus grauato, vrinæ via præcluditur. Si vero feces adeo duræ fuerint, vt enema immitti nequeat. primũ balneo vtendum; deinde nonnihil emollitis fecibus, enema adhibendum, veluti huic nostro ægro, tum

leni apud Dodonæum contigit: & præcipue huius senis feces adeo duræ in recto hærebant intestino, vt canaliculus clysteris immitti, priusquam balneo vsus esset, nequiuerit.

SCHOLIA.

3 DE stranguria ac dysuria satis diximus: verum quod ad ischuriam attinet, hoc symptoma vesicæ insuper velut vrinæ receptaculo ac meiendi instrumento superuenit, quod Græcis ἰσχουρία, a Latinis *suppreßio vrinæ* dicitur; quin imo ipsi soli proprium est, *Galeno teste 6. de loc. affect.* Quod vero ischuria (*vt etiam Donatus annotauit*) vrinæ suppressæ affectionem significet, ipsum nomen declarat. Ægris enim in totum in hac affectione vrina supprimitur, ac cohibetur, *vt liquet ex Aetio cap. 21. lib. 4.* Quamquam nos ex Galeni sententia vna cum Donato, non quamlibet vrinæ suppressionem, seu cohibitionem, ἰσχουρία appellamus, cum dixerimus, eam solius vesicæ proprium esse symptoma; sed illam duntaxat, in qua in vesica supprimitur vrina. Supprimi nunquam potest vrina, ipsa vesica haud quaquam affecta, sed renibus, vreteribus, *eodem Galeno teste 1. de loc. affect.* Verum hanc vrinæ detentionem seu cohibitionem, licet vulgus medicorum non secus ἰσχουρίαν vocet, ἰσχουρία tamen non est, si proprie loquamur, cum videlicet vrina in vesicam non veniat, *vt liquet ex Gal. 3. de causs. symptom. Permittendi tamen sunt* (vt ipse inquit) *ita nominare, cum propriam eius affectionis appellationem non habeant.* 4 Non tamen latere debebit amborum affectuum differentia: si quidem alter eorum est, cum vesica quidem est plena, sed nihil excernitur: de quo modo tractare intendimus: alter cum vacua est, nihil omnino in se continens. Ea de re diximus veram ischuriam esse omnimodam vrinæ retentionem vel cohibitionem in vesica, quæ sola & necessario in hac affectione laborat, quoniam propria eius actio, quæ est vrinæ excretio, oblæsa est: adeo, vt ab ea nihil excernatur, tumorque aliquis apparebit in pube satis euidenter in circumscriptione vesicam impletam esse ostendens, *vt liquet ex Galeno eodem 1. de loc. affect.* Quod vero symptoma sit in genere retentorum immodice, *testis est idem Galen. lib. de diff. & 3. de caussis symptom.* Bifariam retinetur ac supprimitur, *iuxta Galen. 3. de causs. symptom. ac 1. ac 6. de locis affectis.* Vel occlusum est eius os, vel si hoc se pro lege naturæ habet, ipsa ad se adstringendam, ac lotium foras extrudendum est imbecilla. Vel enim plena supprimitur, interim noxam propriæ functionis eius consequitur, quoniam præter eius imbecillitatem nō valet se ipsam contrahere, ac vrinam foras propellere: interim vero eadem illæsa existente, occluso tamen eius ore, efficitur, *vt postea de caussis clarius adhuc patebit.*

Quid per ischuriam intelligendum.

Duplex ischuria.

De qua hic tractetur.

Quæ pars in ea afficiantur.

Quis affectus præter naturā.

Caussa.

OBSERVATIO XII.

De ischuria quatuor diebus perdurante.

1 LVcas Theodorus Delphensis, quondam calcearius; at nunc apud Anglos aliquot annis hærens, factus erat mercator insignis. Hic equidem calculo laborans, subinde Anno 1567. circa mensis Nouembris initium, incidit in vrinæ suppressionem, partim ex materia muccillaginosa, pituitosa, partim etiam ex calculis collum vesicæ oppilantibus, & meatum vrinarium occludentibus, cum intolerabili dolore circa vesicam; eaque ita oppleta vrina, vt tumor satis euidenter appareret in pube, sua circumscriptione vesicam impletam esse ostendens, adeo vehementer, vt ad desperationem laborauerit: & nunc quartus erat dies, cum ego ad illum accitus fueram, ex quo lotium non emisisset. Tractabant illum & Cornelius Ericius meus collega, & Guilhelmus de Dalen lithotomus, *de quo etiam obseruatione præcedente mentionem fecimus.* Cum vero nullis remediis, & glande, clysteribus, ac purgatione tum aliis subsidiis, ab iisdem adhibitis lotium dimittere nō posset, hoc sequens decoctum tum inunctio ac sacculi communi consilio descripta sunt. 2 ℞. *rad. maluæ, glycyrrh. rasæ, ana ℥ vj. folior. maluæ, parietariæ, ana m. ij. fol. viol. m. j. ß. capill. vener. polytrichi, charefolii, agrimoniæ, ana m. j. sem. maluæ ℥ j. ß. sem. 4. frig. maior. ana ℥ j. cicer. rub. ℥ ß. hordei mundat. p. j. ficuum ping. num. v. iuiubar. num. vij. passul. ab arillis purgat. p. j. fiat decoct. in aqua communi pro ℔ j. ß. colat. add. syrup. de bizantiis ℥ ij. syrup. capill. vener. ℥ j. misce.* Pro apozemate capiebat bis aut ter in die. ℞ *olei de muccil. olei de meliloto, scorpionis. ana ℥ ß. misce.* inungatur pecten, perinæum, deinde sacculi in vino Rhenano decocti & expressi calide pectini vicissim imponantur. ℞ *rad. althææ ℥ iiij. folior. maluæ, viol. ana m. ij. parietariæ m. ij. florum chamæmeli, meliloti, ana m. j. ß. charefolii m. ß. sem. maluæ, althææ, ana ℥ ij. seminis fœnugræci & lini parum contusi, ana ℥ ß. concutienda concutiantur, & incidenda incidantur, & fiant duo sacculi quadrati intersuti, latitud. octo digitorum, & longitudine decem digitorum.* Verum cum neque istis remediis lotium redderet, ex dolore vehementiore ad maximam imbecillitatem deuenit. Quare & hoc condito præscripto communi consilio, vtebatur. ℞ *conseruæ borag. ℥ vj. conseru. capill. ven. ℥ iij. specier. lætific. Galeni ℥ j. ß. conseru. buglossæ ℥ ij. cum syrup. de duabus radicibus, fiat conditum.* Capiat sæpissime. 3 Sub noctem vero, cum iterum adhiberetur fotus cum sacculis, & inunctiones fierent ex oleis prædictis, & nihil iuuaminis inde subsequeretur, & in nocte grauiter cum intenso dolore affligeretur, & ne guttam quidem lotii reddere posset, ad eum nocte euocati sumus: Guilhelmus lithotomus immisso cathetere aliquid lotii, sed crassioris, prolectauit. Etiam mane octauo Nouembris die, paulo plus minxit: quamquam ilico rursus retineretur vrina. Ideo rursus adhibitis sacculis, etiam hoc apozema præscriptum est, & emolliens clyster iniectus. ℞. *rad. petroselini, fœniculi, brusci, asparagi, maluæ, glycyrrh. rasæ, ana ℥ ß. capill. vener. polytrichi, ceterach, betonicæ, agrimoniæ, maluæ, parietariæ, charefolii, ana m. j. seminis anisi, fœniculi, petros. ana ℥ j. ß. sem. saxifrag. milii solis ana ℥ j. sem. quat. frig. maior. ana ℥ ß. granorum alkachengi. num. iij. fiat decoctio in aqua communi, & vino Rhenensi partibus æqualibus, in duplici vase, pro ℔ j.*

℔.j. col. adde mellis rос. colati ℥ iiij. aromat. cum ℥ ij. cinnam. selecti, & fiat ad modum clareti pro quatuor dosibus. Sacculi iterum impositi sunt. Verum cum rursus vrina præ sua crassitie & materia viscosa, & ob arenulas detineretur, cathetere iterum immisso paulo copiosius vrina admodum crassa fluxit: quamquam postea iterum detineretur. Post duos deinde tresue dies admodũ debilis euasit ob continuos & præcedentes dolores: quare hoc ius restaurans præscriptum est. ♃. *caponem flagellatum, deplumatum, euisceratumq́; & incisum in minutissimas partes, capite abiecto, addendo conseru. borag. bugloss. ana ℥ ß. conseru. viol.* (quia febre non carebat, leui tamen, ob dolorem, vt arbitror) *℥ iij. manus Christi cum perlis ℥ ij. ß. cinnamomi integri valde odorati in frusta confracti ℥ vj. vini Rhenensis limpidissimi ℔ ß. aquæ maluæ ℥ iiij. decoquantur in duplici vase seu balneo maris, vt artis est, per octo horas,* & fiat ius expressum seu restaurans, quo vtebatur ad vires roborandas. Interea pro dolore, cum adhuc non bene nec libere mingeret, sequens cataplasma pectini impositum fuit: ♃. *foliorum maluæ m. vj. florum chamomill. meliloti, ana m. iij. summitatum anethi tantundem, parietariæ, mercurialis ana m. ij. rad. althææ, liliorum alborum cum foliis, ana ℥ ij panis lini ℥ iiij. decoquantur in s. q. aquæ: deinde contundantur, addendo oleorum lini, amygdal. dulc. lilior. ana ℥ ij. dialthææ ℥ iij. butyri recentis non saliti q. s. fiat cataplasma, secundum artem,* & pectini supra regionem vesicæ, *bis in die reiterando, continuo calide imponatur:* sed loco affecto prius inuncto oleis sequentibus. ♃. *olei lini, amygdal. dul. anethini, irini, ana ℥ j. olei scorpionis ℥ ß. misce, pro linimento.* Et iterum deinde immisso cathetere, libere tunc lotium reddidit crassum & muccilaginosum. Verum post diem, cum iterum cataplasma apponeretur, odorem non potuit ferre; adeo vt in syncopen fere præ dolore incideret: ideo cataplasmate ablato, mandauimus vt chirurgus lithotomus frequenter inungeret cum oleis suprascriptis; & continuando potionem supradictam, libere deinde semper minxit, neque lotium amplius detinebatur, ita vt victu deinde restaurante, ac emolliente & aluum mollem reddente curatus sit; renibus tamen inunctis cum *vnguent. ros. & infrig. Galeni,* cum in iis etiam calorem sentiret: & optime deinde habuit, licet ab astantibus pro deplorato habitus fuerat.

4 5

SCHOLIA.

6 *Caussa.*

IN ischuria prorsus vrina supprimitur; nec huius quicquam exit. Humor pituitosus & muccilaginosus ore vesicæ occluso hic in caussa erat vrinæ retentæ. Ischuria autem nascitur, obstructione meatus vrinarii; imbecillitate excretricis, intẽperie. Obstructio fit vel cum collum vesicæ tumescit, vel induratur extra naturam, adeo vt via vrinæ claudatur: vel cum ibi aliquid præter naturam generatur, vt tophus, caruncula, vel tuberculum, cuius exemplum posuimus *obs. 10. huius lib.* quamuis non ex toto vrinam retinuerit; sed si totũ meatum occlusisset, iam nihil vrinæ effluxisset: vel aliunde confluit aliquid in illam cauitatem, vt grumus, lapis, vel etiam crassus humor, vt hic erat. Occluso etenim eius ore, seu meatu, quem vrinæ fistulam vocant, vrinæ si suppressio fiat, in vniuersum tribus modis quidam fieri volunt: aut enim corpus ipsius in tantum tumorem attollitur, vt meatus inde occupetur, quemadmodũ si inflammatione, scirrho vel abscessu, vel alio quouis tumore fuerit affectum. Interim & clauditur propter meatus continentiam, ex nimia siccitate, aut aliquid ei præter naturam innascitur, velut caruncula vel callus. Aut a re quapiam obstruitur meatus, veluti a lapide, pure, grumo, vel crasso lentoq; humore. Imbecillitas est ab intemperie, morbo organico, solutione continui, sæpe neglecta meiendi occasione, velut euersa expultrice, ob copiã vrinæ immodicam: vnde etiam obturatur meatus. Sic nec vesica sese contrahere potest ad expellendum; nec si id fecerit, præcluso aditu vrina exire. Hinc quidam dicunt, quod vesica ipsa in lotio excernendo, imbecillis in has affectiones dupliciter reddatur: vel propter quampiam eius intemperiem, præsertim frigidam, vel obtuso eius sensu: ita vt laborans vesicam impletam vrina non sentiat, ob affectos eiusdem vesicæ neruos, citra tamẽ expultricis eius facultatis læsionem, cum videlicet proprie vesicæ nerui afficiantur. Tunc etenim immodice extenta ipsa vesica propter vrinæ multitudinem, quam in se contineri non sentit (inter dormiendum potissimum) se ipsam contrahere non valet, nihilq; excernitur, contractrice eius facultate læsa, propter immoderatam tensionem: Idq́ etiam interdum euenire solet aliis quibusdam sanis, cum vrgentibus negotiis, vel in cõcionibus, vel senatu, vel foro, vel conuiuio, vel propter aliquam similem caussam lõgo tempore vrinam retinuerint. Fuit etenim vesica ipsa velut quodlibet aliud naturale instrumentum neruorũ particeps, vt quæ molestiã sibi exhiberent, sensu quoq; velut reliqua dignosceret: quibus adeo affectis, vt torpeat vesicæ sensus, quod immodice repleatur, ac immoderate extendatur vesica, accidit: quapropter & contractrix eius facultas læditur, quoniam in se ipsam contrahi mediis transuersalibus fibris, quibus in tali actione vtitur, haud quaquã potest. Quo fit, vt vrina supprimatur, nec excerni quiquã eius possit: citra tamen expultricis facultatis læsionem: namq; ipsa expelleret vtique, si contractrix facultas, quæ excretionem præcedit, suum munus perficeret; quippe vesicæ officium (*vt patet 6. de loc. affect.*) vnicum est, contractio inquam. Imbecilla itaque redditur vesica in hac affectione, aut ad sese constringẽdam, aut ad lotium foras excernendum, eius corpore adeo affecto, vt quod in ea continetur, exprimere non possit. Verum primi caussa est immoderata extensio, propter immodicam repletionem, quinimo quantum amplitudo ipsius vesicæ expleta circumtenditur, tanto angustior se ipso fit meatus, *vt ipse inquit Aetius.* Reliqui vero caussa est intemperatura aliqua, sępissime autem frigida. Intemperies quoque a multa siccitate idem efficit, *vt quidam volunt,* vt in febribus ardentissimis & siccissimis.

Ex quibus & quot caussis vesica occludatur.

7 *Caussa imbecillitatis.*

Vesica bifariã in has affectione laborat.

8 *Ab intemperie.*

OBSERVATIO XIII.

De ischuria in puero calculoso.

1 PVer quintum agens annum, filius Petri Teylingii cognati vxoris meæ, diu molestissimo vrinæ stillicidio detinebatur, accedentibus plurimis calculis in vesica, a quibus sæpe lotium in totum supprimebatur. Post multa & varia tentata remedia, mater, vt mihi narrauit, *saluiam & galitrichum in vino Pictauiensi decoquebat: poculum vnum vini capiebat, & ad dimidium coquebat*: ex quo decocto colato puer bis in die capiebat cyathum vnum, mane & hora quarta pomeridiana: & mox a suppressione vrinæ liberatus reddebat arenulas, & materiam pituitosam & glutinosam. Neque alio deinceps remedio vtebatur, si puer in idem malũ recidisset: quo solo a difficultate & etiam retentione vrinæ semper euasit.

SCHOLIA.

2 *Cur caussæ sint diligenter considerandæ, & per earum signa distinguendæ.*

QVi supra Rhasem scripserunt, tam caussas illas, quæ proprio affectu ipsius vesicæ vrinam retinent, quam etiam illas, quæ aliorum membrorum defectu fiunt, vno & eodem modo explicant; vt & illas, a quibus vrina supprimitur, quæ omniũ primo inuestigandæ sunt, tum affectus ipse, a quo hæc fiunt symptomata, & quæ affectæ sedes sint, quæ & sæpe obscuræ sunt. Necesse est igitur hoc symptoma prouenire, vel quia non attrahitur vrina; vel quia in vesicam non excipitur, vel quia a vesica non emittitur. Aliquando tamen auersione ad alias partes fit, vt ante rigores vrinæ suppressio fiat, *vt 6. epidem.* In primo casu renum erit affectio, nempe cuius actio est, eius & symptoma, in secundo casu, meatuum deferentium: in tertio casu fistulæ vrinariæ dictæ. Sic etiam Fernelius de ischuria: *Vna, inquit, suppressæ vrinæ caussa est astrictio vel obstructio. Hacque vel vreterum amborum capita, vel vesicæ ceruicem opplet. Vtrum autem eorum in caussa sit, certis notis peruestigandum. Si alterius duntaxat vreteris via obstructa est, haudquaquam supprimitur vrina: per alterum enim elabitur: sed ambobus obstructis fit suppreßio.* Nos tamen contrarium vidimus fieri, vno vretere obstructo retentionem vrinæ obtigisse, *vt obseruatione 29. præcedentis libri ad longum contra Fernelium ostendimus*, in quo neque in pube dolor aut tumor sentiebatur, & vesica inanis ac vacua erat, adeo vt ne immisso quidem cathetere vrinæ quicquam emanaret. Quum vero obstructa vesicæ ceruix vrinam cohibet, assiduum meiendi desiderium premit, summusque sed irritus conatus est: pubes collectæ vrinæ copia distenditur, ac dolet: atque si catheter in vesicam inseritur, copiosior vrina impetu profluit, leuamentoque est. Obstructio, vt prius quoque dictum est, circa vreterum capita fere fit a calculis grandiusculis, qui pariter illis impacti sunt: raro vel ab humore crasso, vel a sanguinis grumo: rarius ab inflammatione & a pure. In vesicæ ceruice plerumque fit, vel ab inserto & hærente calculo, vel a tuberculo carnoso aut calloso, cuiusmodi ex virulenta gonorrhœa succrescit, *vt ante dictum est obseruat. x. huius libri: Hoc enim,* (vti quoque dictum est) *non diu subsistunt in via, sed facile vrina cursu ac impetu foras impelluntur.* Cuidam (*vt idem Fernelius doctissimus ait*) annum agenti trigesimum obstructa vesicæ ceruice, vrina affatim tamquam emictione ex vmbilico in multos menses profluxit: idque citra tumorem, citra vllam aquæ in abdomine collectionem, & citra valetudinem offensam. Quum hinc multi admiratione tenerentur, audirem vero recens in lucem edito male vinctum vmbilicum numquam coaluisse, exhincque semper nonnihil stillasse, existimaui necdum plane in eo inaruisse vrachum, & nunc illi perinde atque dum vtero gestaretur vrinam e vesica in vmbilicum refluere. Ceterum vt eo reuertamus vnde digressi sumus, si retineatur vrina, quia non attrahitur, *cur igitur renes non trahunt? an debilitata vi attractrice?* Inquit Iacchinus supra Rhasem. Hoc autem frigiditate fit maxime, vel ex intemperie, vel resolutione spiritus, vel ab apostemate, vel alia caussa dolorem inferente, vt obliuisci faciat naturam proprii muneris. In secundo casu, necesse fieri est obstructionem, vel ex humore, vel ex lapide, vel tumore tuberculi, vel alias supercrescente carne, vel astrictione, seu conniuentia: quæ fit ob aliquam inflammationem circa rectum intestinum vel partes vesicæ. In tertio casu similiter obstructio caussa erit, vel quia multitudine distenta se nequit colligere. Dubitat Galenus, num vesica resoluta fiat vrinæ suppressio, *vt quidam dixerunt*: respondet Galenus quod non. *Nullus enim, inquit, spinæ affectus vesicæ tantam imbecillitatem afferre potest, vt inde vrina supprimatur: quia opus naturale est, non voluntarium: itaque tolli non potest ex læsione virtutis, quæ a neruis, quoniam ab hac fiunt motus voluntarii.* Concludit igitur, *quod rosoluto musculo vesicæ, non vrinæ suppressio, sed inuoluntarius exitus eueniet.* Paulus vero contra cap. de vesica paralysin patiente scribit, *aliquando fieri suppreßionem vrinæ ex paralysi hac, aliquando inuoluntarium mictum, prout scilicet vel vesicæ corpus malum afficit, vel musculum, qui eius ceruicem ambit.* Meminit huius quoque capite de paralysi. *Ego vero* (inquit Iacchinus) *torpentem vidi vesicam ex opii potione, & suppressa prorsus vrina erat. Musculus vero ceruicem ambiens validus erat, & optime claudebat*: Et ratio dictat hoc fieri posse. Nam vbi molestiam vesica non sentiat, ablato sensu per resolutionem, non insurget ad expellendum: excipiet tamen vrinam perpetuo, sed supprimetur. Galenus quoque hoc fatetur paulo infra, cum ait: *Accidit, vt non reddatur vrina ob sensum vesicæ obtusum.* Responsio igitur est: *non negare hoc Galenum de vesica resoluta, sed de resolutione musculi*: attamen minus accurate scribit. Hæc rursus de caussis suppressæ vrinæ, quæ etiam & vrinam difficilem faciunt. Superest, vt sedes affectas inuestigemus, & signa. Primum igitur caussæ per notas sunt distinguendæ, vt sciatur, quæ modo affligat. Hic vero consulit Galenus primum *procatarcticas caussas omnes examinare: secundo, si qua antea visa sunt circa ægrum symptomata.* Dico autem procatarcticas caussas: *vt casum*

Marginalia:

3

Signa ceruicis vesicæ obstructæ.

Vreteres obstructi.

4 *Historia Fernelii de vrina vmbilico profluente.*

Renes nõ attrahentes vrinam.

Ex obstructione.

5 *Voluntarius modus vndi[...]*

Ex paralysi vesicæ.

6

Vrina suppressa signa.

casum & plagam circa dorsum, vt opii potum, vt frigidi validi occursum, vel retentionem nimiam vrinæ alia ratione. Memini studiosum quendam, cui opium exhibitum esset, in retentionem vrinæ incidisse: iuuasse vero & vinum generosum & theriacam. Hinc enim affectum, qui sit agnosces, & non parum affectam partem coniectabis: quæ vero antea in eo sunt, vt morbos vel symptomata præcedentia, febres, apostemata renum, vel vesicæ, vel vlcera, & quæ ab his descendunt, sanguis, grumi, pus: similiter & dolores circa lumbos, seu apostemate, seu obstructione crassorum humorum, vel arenarum euenientes: siue etiam in alia parte sint, qui attineant ad instrumenta vrinaria. In his postea excrementis iubet considerari quantitatem & mistionem. Nam multus sanguis, vel pus multum, non potest a vesica vel vreteribus colligi, ob exilitatem vasorum. Postea vero a renibus; mistio autem id monstrat, si magna sit, ex renibus: si parua, ex vesica. Sed melius est singulatim vnumquemque casum examinare. Sit igitur primum vitio attractiuæ renum; quomodo affectus & pars affecta distinguetur? Hic est etiam primus casus, quem & Rhases primum proponit, & sic coniectatur. *Si vrina supprimitur, neque tumor apparet in femine, aut grauitas, dolorue in renibus: per primum enim signum exclusit, quod ad vesicam vrina non descendit, neque per vreteres: per secundum exclusit, quod in renibus, neque obstructio a lapide sit, neque a pure, vel crasso humore, vel apostemate*: quare concludit esse imbecillitatem renum. Male expositores expultricis imbecillitatem aiunt esse; nam statim grauitas appareret. Male etiam conclusionem ad vesicam referunt, cum ad renes sit referenda: & est coniectura certissima, & affectus, & partes affectæ: præsertim si nouerimus renes, vel senio, vel longo morbo, vel a caussa refrigerante esse debilitatos: adsint & signa propria frigidorum renum, vt vrina alba, tenuis, *ex Paulo.* His adde ad maiorem coniecturam, quod nihil præcessit, neque casus, neque refrigerantia vesicam: neque visa sunt, quæ obstruere queunt, sanguis, pus, phlegma, arenæ; ad quam etiam coniecturam iuuabit, præcedens victus ratio omnis. Sic signa quoque aduentantis crisis excludes, cuius ratione aliquando vrina supprimitur, *6. Epidem.* Alterum caput ad meatus pertinebat: quorum est suscipere ac pellere. Peccant hi obstructione, vt diximus: priuatim vero vesicæ debilitate pellendi, quæ vel distentione fit, vel stupore. Primum ergo de obstructione dicamus. Hæc vel fit a pituita, vel thrombo sanguinis, vel arenulis, vel lapide, vel sanguine: quorum singulis propria curatio danda est: Agnitio vero affectuum tum ex præsentibus, tum ex præcedentibus fiet. Ex præcedentibus quidem, quia notæ lapidis vel arenarum nullæ in vrina præcesserunt, sed ea crasso sedimento, & muccoribus plena, caussam obstructionis significat. Si thrombus, sanguinis mictus præcessit: si sanies aut pus præfuit, apostema in renibus, aut mictus saniei, purgata alia parte corporis, vt gibbis iocinoris. Quamuis Galen. etiam ab aliis partibus prouenire posse dicat, tamen ad medicum nihil refert, dummodo nouerit obstructionem esse, & a qua materia. Sedem vero obstructionis, id est, in qua parte fiat, facile est coniicere. Si enim renum meatus obstructi sint, ea parte grauitas percipitur, & multa fit materierum cum vrina permistio: si in vreteribus, situs docet, qui ex anatome est petendus: si in vesica, eius repleta signa adsunt, quamuis sæpe non in vna parte sit obstructio, sed in pluribus. Altera caussa suppressæ vrinæ est *ex his, quæ adnascuntur maxime circa vrinariam fistulam.* Sunt autem ea, vel in ea adnata, & hæc proprie obstruunt, vel in coniunctis partibus, & hæc coarctant. Sic igitur vrina supprimitur. ex sedis inflammatione, vel vuluæ: quæ si accidant, propriam habent ex suo capite curationem. Si autem in vrinaria fistula fiat, vel tuberculum, vel post vlcus supercrescens caro, vrina obstructione supprimetur. Et hic secundus casus sæpe euenit. Appellant autem carnem callosam, vel tumentem: & est callosum vlcus. Cuius sunt signa, quod longo tempore præcessit malum, quod gonorrhœam dicunt, cuius exemplum obseruat. 10. huius libri posuimus. At re vera gonorrhœa non est, sed vlcus, *vt vult Iacchinus*, licet vulgus ob similitudinem non distinguit naturam saniei, a natura seminis. Tamen in nostro illo ægro gonorrhœa præcesserat male curata. Si ergo non bene curetur eius vlcus, quod etiam plurimum euenit ex coitu, equitatione, malo victu in cibo & potu, fit cacoethe & tandem callosum. Signum autem supercrescentis carnis est, fistula immissa, quæ dolorem ciet, & cruorem. Altera caussa vrinæ suppressæ *est lapis, qui vesicæ collo obuoluitur.* Igitur hic præcessisse, vel adesse lapidis signa est necessarium, de quibus etiam suo loco agemus, cum de vesicæ lapide dicturi sumus. De lapide renum satis dictum est *lib. præcedente*: At si vrina supprimatur ex paralysi vesicæ, necesse est præcedere caussas id facientes: vt si ceciderit (*quem casum aliquando vidimus*) vel aliter refrigerata nimium parte, ita vt sensus pereat, vel ex opii potu. Sed maxima nota est, quod sine dolore tumet. Hæc exemplis palam & aperte ostendemus.

Marginalia: 7. — 8. — *Obstructio quibus cognoscantur.* — 9. — 10. *Caussæ suppressæ vrinæ, circa vrinariam fistulam, & quomodo dignoscantur.* — *Vlceris callosi in fistula vrinaria signa.* — 11. — *Lapis vrinæ suppressæ caussa.* — *Ex paralysi vesica.*

Observatio XIV.

De ischuria ex nimia vesicæ distensione.

CVm autem ab externa aliqua caussa sanis suppressio vrinæ contingere possit, vt diximus, eo quod longo tempore ob aliquam vrgentiam detinuerint, facile ex loquela ægrorum id percipimus, cum nullus præcesserit præter naturam affectus, qui ipsam cohibere potuerit. Hoc mihi ipsi semel contigit proficiscenti ex Alcmaria Leydam versus, in curru, cum diu retinuissem lotium, postea valde vrgente, cum lotium non auderem in curru reddere, tandem descendens ex curru, non potui mingere, & vrina suppressa fuit. Verum cum ex distensione nimia hæc suppressio facta esset, compressione vtebar, & manibus calfactis vesicam continuo comprimebam, & bonis auibus libere deinde minxi.

Marginalia: 12.

SCHOLIA.

2. ANtequam ad curationem deueniamus, cum caussæ sint diuersæ, *vt iam dicere cœpimus*, ea de re omnes distinguere oportet, alioqui in curatione facile aberrabimus. Vt autem hoc fiat, omnia iam dicta percurrenda erunt; nec solum hoc distinguemus ex præsentibus symptomanibus, sed etiam iis, quæ præcesserunt. Præsentia ex te ipso inspicias oportet: præterita vera non solum a laborantibus, sed etiam ab ipsius familiaribus interrogando perdiscere licebit, *ex Galeni auctoritate 1. de loc. affect.* Vbi autem ex vesicæ imbecillitate orta fuerit vrinæ suppressio, sic percipies. Nam si hominem ita figuraueris, vt decliuis sit ceruicis vesicæ positus, ac manibus tumorem præter naturam compresseris, vtique expelletur vrina: quemadmodum si ita nihil profeceris, vrinæ fistulam constipatam esse cognosces. Verum numquid expultrix duntaxat facultas ipsius fuerit oblæsa, vel torpidus fuerit, ipsius vesicæ sensus, propter proprios eius neruos affectos, adhuc non liquet. Sed illud hoc pacto distingues. Nam si propter excretricis facultatis læsionem originem sumserit, cum fieri non possit, nisi propter aliquam intemperaturam; præsertim frigidam vesicæ, ideo illud propriis intemperaturæ indiciis (*quæ antea notauimus*) haud ægre dignoscere valebis. Quod si nullum tale affuerit indicium, præcesseritque læsio aliqua spinalis medullæ; vt verbi gratia, si fuerint ipsius ad externas partes vertebræ luxatæ eo loco, quo ad vesicam proprii nerui distribuantur: similiter si quomodolibet prædicti nerui fuerint affecti, ita vt animalis facultas ad vesicam non pertingat; ex obtuso seu resoluto eius vesicæ sensu caussari vrinæ suppressionem censeto, propriis vesicæ neruis affectis, atque ita vesica propter immodicam repletionem immoderate extensa. Si ob vrgentem aliquam caussam, iam signa diximus *in obseru. præcedente.* Ad quam etiam aliæ caussæ externæ referuntur, quæ ex relatu cognoscentur, *vt iam diximus.*

Si ex vesicæ imbecillitate oriatur suppressio vrinæ, signa.

3. *Si ex obtuso vesicæ sensu oriatur, signa.*

Caussæ externæ signa.

OBSERVATIO XV.

De ischuria seu vrina suppreßione ex limoso humore penem intus obstruente.

1. IVuenis annos sexdecim natus, filius hospitæ meæ, apud quam in Italia Bononiæ habitabam, per quinque dies lotium reddere non potuit: præsidiis multis a medicis præscriptis non iuuantibus, hospita obnixe orabat vt aliquo modo, si possem, filium curarem. Diligenter inspecto pene, animaduerti in meatu virgæ obstructionem quandam adesse ex materia limosa ac tenaci: arrepto igitur spinthere seu fibula, qua mulieres pepla sua capiti affigunt (*cum stylus argenteus mihi deesset*) leuiter sine dolore meatui vrinario indens, ac aliquo modo aperiens, hincinde tentando num humorem illum limosum dimouere possem, limus ille spintheri adhærens, materiam crassam instar filamenti concretam molliter tangendo & dimouendo illam viscositatem, quæ in meatu ipsius præputii inhærebat & intus in pene, subito vna in me erupit vrina, cum maximo impetu, vt me valde conspurcaret; & matulam apprehensam cum admouerem, tam copiose lotium excreuit, vt totam matulam impleret, ac alia vascula, vt hoc modo, matre admirante & valde lætante, filius sanitatem consequutus fuerit. Hæc mihi optime successerunt, & per me acta sunt, cum in alma vniuersitate Bononiensi medicinæ incumberem, & vna cum præceptoribus praxin obseruarem.

SCHOLIA.

2. MEmini puerum annorum nouem, in nostra vicinia habitantem, cum lotium reddere non posset, ex lapillo in meatus principio ipsius colis inhærente, cum ingenti dolore penis, exiguo tamen instrumento, cum non cederet, digitis dextre locum compressum per Theodorum chirurgum & lithotomum, amicum nostrum, cum puerum vna curaremus, a loco suo exemto & extracto, statim vrinam emisisse. Erant ambo isti affectus ex eorum numero, qui ex occlusa fistula vrinaria mingere non valuerunt: Vbi enim vrinæ cohibitio non ex corpore eiusdem vesicæ affecto, seu imbecillitate proueniat, sed meatu vrinario, vel eius ore occluso (*vt diximus*) figurato etiam ægro adeo, vt decliuis sit ceruicis vesicæ positus, ac manibus tumore præter naturam compresso, minime expelletur vrina. Occluditur autem vel ob inflammationem, vel scirrho, vel alio quouis tumore præter naturam: sed inflammatio, ex propriis eiusdem signis, tumore videlicet, dolore, ac febre dignoscetur: similiter scirrhus vel abscessus, aut alius quiuis tumor præter naturam. Si autem ob carunculam aliquam ab vlcere innatam vesicæ ceruix obstruatur (*vt antea diximus*) ex præcedentibus vlceris notis, & ex eo, quod immissa ænea fistula vel argentea (*alii catheterem vocant*) vrina vacuatur, intelligere possumus. Interim cum vrinæ excretione sequuntur & cruor, & carnis excrementa, *Galeno teste 1. de loc. affect.* Verum si fuerit tophus seu callus in ceruice vesicę innatus, præter id quod longo temporis spatio ex crasso lentoque humore paulatim nasci potest, neque forte vlceris signa præcedent, neque ortæ carunculæ signa aderunt. Quod si a lapide meatus obstruatur, ante vrinæ cohibitionem lapidis indicia apparuerunt; vrina videlicet aquæ similis, in qua subsident sabulosa quædam; insuper quod pudendum assidue scalpunt taliter affecti; postea vero vrina derepente supprimitur; aliaque signa præcesserunt generati lapidis, aut in renibus, quæ libro præcedente conscripsimus, aut in vesica, quæ postea conscribemus. At nulla lapidis nota retentam vrinam præcedente, si sanguis effluxerit, par est, vt grumus vrinæ fistulam obturet: quocirca demissa per colem fistula, paulum vrinæ reddunt: qua deinde extracta, in ipsius ore grumi indicium apparet: quamquam fieri possit, vbi vlcerata fuerit vesica, vt paulatim in ipsa grumus concrescat, vel non præcedente sanguinis fluore, *ex eiusdem Gal. sententia 1. & 6. de loc. aff.* Ad quos grumos, qui in vesica continentur, veluti etiam ad alios, qui in intestinis, ventriculo, atq; thorace, animi defectio & color pallidus sequi solet (*vt libro quoque*

Signa si ex occluso ore vesicæ vrina supprimatur.

3.

4.

quoque præcedente obseruat. 26. ostendimus) pulsus vero paruus, obscurus, frequensque apparet, & laborans ipse cum anxietate resoluitur; adeo vt mirari aliquis possit, quæ nam sit huius euentus caussa, *vt eodem 6. de loc. affect. scriptum est*. Probabiliter quoque conicies, cum pus eundem meatum obstruxerit, num renes, aut vesica, aut alia quæpiam pars, quæ per vesicam expurgari potest, ante affectu aliquo laborauerit; per quem tale tantumque pus colligi potuerit, tenueque pus prius cum vrina profluere visum est, quemadmodum vbi ob crassum lentumque humorem obstruatur, eiusdem humoris redundantis indicia aderunt, quæ nos antea abunde de difficultate vrinæ adnotauimus. Similiter ex præcedentium notitia in huiusmodi coniecturam inducimur, *vt etiam recte dixit Donatus*. Nam cibis crassis lentisque ac multis vsus est, & in otio educatus est æger. Neque negligenda erit vniuersi corporis dispositio. Conniuente autem iam dicto meatu ex immodica siccitate, exsiccantes quoque caussæ præcesserunt veluti contingit in ardentissimis ac siccissimis febribus, *vt in lib. nostris de febrib. quoq; diximus*, in quibus laborantem sæpenumero, neq; loqui posse videmus, nisi os madefecerit.

3.

OBSERVATIO XVI.

De ischuria perperam curata, & lethali.

2. SAcerdos quidam in Pago quodam Beaucommun dicto, cum Pithueris praxin exercerem, diu laborauit vrinæ ardore, & a multis cum frustra curaretur, tophus seu callus in meatu vrinario obortus est, qui adeo increuit, vt lotium omnino suppressum fuerit. Tonsor quidam, vt fere fit, pro chirurgo sese venditans, catheterem imposuit in meatum vrinarium, existimans lapidem esse in vesica, impedientem lotii exitum: eoque instrumento non transeunte ad vesicam, fortiter illud impellebat: vnde suborto fluxu sanguinis & dolore intolerabili, mox subsequuta est inflammatio & febris continua, deinde & ingens testiculorum inflatio: vrina in totum rursus, post sanguinis reiectionem, cum quasi guttatim vrinam redderet primo, suppressa est. Nihil autem iuuantibus remediis per temerarium tonsorem exhibitis, & cum animam miser ægrotus agere videretur, ad eum accitus fui. Cum aluum duobus vel tribus diebus non repurgasset, nec quicquam excreuisset, statim clysterem emollientem & sedantem dolorem ac inflammationem inijcere iubeo, quo quidem aluum deposuit, nihil tamen ex eo adiutus, nec topicis remediis, pectini impositis & testiculis supra modum inflatis, relaxantibus emollientibus & inflammationem auferentibus; facto prognostico antequam medicamenta vix apponerentur, quod æger statim moreretur, neq; calculum in vesica esse, vt tonsor iactabat. Eoq; mortuo ac inciso, cum propinqui mortis caussam hoc modo explorare vellent, tophus in fistula vrinaria tantum inuentus est, neque calculus in vesica repertus: ita vt ex violenta illa pertusione catheteris febre & inflammatione oborta & ingenti inflammatione testiculorum, vrina magis impedita, mors ipsa tonsoris inscitia subsequuta fuerit, ex mala eius curatione.

4.

SCHOLIA.

3. QVam magnam & eximiam vtilitatem præstet signorum dignotio; & rursus quam insigne damnum, imo quandoque & mortem, ipsorum ignorantia, aut imperitia, vel hoc vnico exemplo ostenditur. Ita quoque ex optimo prognostico medici honor: vt ex malo, eius infamia omnibus innotescit. Præscriptis igitur in duobus præcedentibus Scholiis signis caussarum, iisque diligenter perscrutatis, non minus ad prognostica nos diligentes esse debere, miseri huius sacerdotis casus nos admonet. Quamquam & tales laborantes, si recte tractentur, curari possunt, *vt in obseruat. 10. præcedente huius libri satis constat*. Porro vrinæ suppressionem, quæ ob sauciatam spinam, aut casum (*vt in illo contigit fabro lignario, qui cum a summis ædibus Iohannis Petri Pedemontani collapsus esset, spasmo correptus, & lotium non reddens, mox interiit*) aut vertebræ luxationem, aut ob lethales accessionum concursus suborta est, impossibile est curari: quare caute remedia adhibere oportet, vt *inquit Aetius cap. 24. lib. 11.* Idem quoque auctor citato loco dicebat, quod ex his, qui paralysi exsolutam vesicam habent, alii præter voluntatem vrinam emittunt, alii autem lotium non excernunt. Minus periculo sunt obnoxii, qui præter voluntatem eam emittunt; at magis hi, quibus detinetur. Nam lotio suppresso vesica & lumbi eius distenduntur, similiterque pecten: femora autem tumefacta habent, & cum non eiiciant lotium, subiecta membra mortificantur: neque ita longe post moriuntur, vt ipse inquit. Quod vero perniciosa sit vrinæ suppressio, ex concreto sanguine seu grumo, decretum reliquit *Galen. 6. de loc. affect.* Nam & putredo partium, & marcor ipsum sequi solet, vt ipse inquit, & licet nonnullis medicamenta exhibuisset pro eiusdem curatione, nihilominus omnes perierunt, vno quodam seruato solutis grumis, quos paulo post cum vrina excreuit. Ita nauta quidam Schiedamensis, cui circa perinæum instrumento ligneo intra femora resultante & compresso, lumbi statim distendebantur, similiter & pecten & femora tumefacta, lotio suppresso mortuus est, cum nulla remedia iuuarent; ad quem morte instante acciti eramus. Nō tamen semper suppressa vrina ex casu, spina sauciata, incurabilis est, vt patet ex illa historia Galeni *lib. 6. de loc. affect. cap. 4.* sic scribentis: *Igitur cuidam quum cecidisset, spina sauciata est: quapropter vrinam reddere non potuit.* Nam & id aliquando fieri solet, quemadmodum ab Hippoc. dictum est. Verum non ilico suppressa fuit vrina, sed perendie, ob afflictarum vertebrarum ad interna luxationem, inflammata vesica. Itaque dolebat in ea parte, vel nemine tangente, si quis manu eum tangeret. Atque hunc curauimus, inflammationi remedia adhibentes. Rursus alter luxatis ad externas partes vertebris, vrinam inuitus profudit, nullo infestante vesicam dolore: proinde spinam curare voluimus. Porro quamuis hic affectus, in sanis in conui-

Signa prognostica.

4.

5.

uiis diu permanentibus propter extensam vesicam, statim adhibita compressione, & aliis remediis aptis curetur, in senibus tamen hoc, si contingat, malum aliquando præsagit; *vti euenit Nicolao Verlanio seni septuagenario, Principi Auraico gratissimo*; apud quem, cum diu cum aliis nobilibus conuiuam ageret, & lotium diu retinuisset, alioqui calculosus, necausus esset surgere ad meiendum, domum postea reuersus non potuit mingere: & quamquam aptis præsidiis postea minxit, tamen incidit in febrem acutam & continuam cum aphthis, ita vt mors fuerit subsequuta. Quæuis quoque vrinæ suppressio ex calculo in renibus & magis in vreterem impacto, vel os vesicæ aut collum ipsum occludente, nisi transponatur, & optimis ac aptis remediis vera methodo resistatur, periculum decernit. Quæuis etiam vrinæ suppressio si duret vsque ad x. vel xj. dies, mortem plerumque infert: a quacunque caussa etiam pendeat, tales raro euadunt. Licet & ipse viderim, quibus ad septimum diem lotium retentum fuerit, & tamen superuixisse, quod & Gordonius, se quoque vidisse, testatur, & rusticum ad 10. dies non minxisse & superuixisse nouimus, *de quo postea historiam adferemus*. Ceterum vrina retenta in vretere aut renibus ad membra superiora regurgitat (*vt libr. præcedente diximus*) cum in vesicam non delabatur, coarctans membra spiritalia, & suffocat: ac ea ipsa vrina manens mixta cum sanguine in venis, inficit & corrumpit sanguinem, & fit caussa magnorum nocumentorum & tandem mortis. Retentio quoque vrinæ (*vt quidam asserunt*) ex verruca aut carne innata, in via ab hepate ad renes, vel in vreteribus, non recipit curationem, & non prosunt aliqua remedia, nisi fortasse tina (*vt dicunt*) & emplastra emollientia. In meatu virgæ, cum cautione tamen, melius curatur, *vt exemplum Obseru. 10. huius libri demonstrat.*

OBSERVATIO XVII.

De vrina per quinque dies suppressa, cum ingenti circa vesicam dolore.

IAcobus Caupo admodum facetus, mercator, Bisius communi nomine dictus, qui Alcmariæ ad fossam aqueam habitans, in ædibus, quibus pro symbolo & insigni Mundus cœcus erat, Anno 1547. Februario mense, omnimoda vrinæ retentione adeo graui correptus est, ac dolore ingenti circa vesicam, vt quintus ageretur dies, quod lotiũ non emisisset, & pro desperato habitus, multis vltro citroque a vulgaribus tentatus remediis atque frustra adhibitis, cum de vita anxius esset, me primum vocauit. Ego vero hinc inde discurrens, vt caussam huius atrocissimi mali inuenirem, intelligens quod calculo nunquam laborasset, suspicionem mihi dedit vita eius otiosa, cum apud contubernales hospitem ageret, molliter & delicata viuens, ac genio valde indulgens, cibisque variis ac potibus crassis vtens, præcipue autem ceruisia crassiore, hoc malum contractum ex humorum crassorum ac lentorum obstructione, recte coniectabam, quod vita antecedens indicabat, cum nullo exercitio vteretur, vitam desidiosam & sedentariam agens, cum potatoribus & hominibus gulosis. Quamobrem cum aluum non deponeret, & libenter eidem enema emolliens feces, & simul educens præscripsissem; idque tantum leniens: (*cum lenientia ipsa hic sola conuenirent, præcipue enemata, tempore doloris, & non diuretica, vt iam sæpe in præcedentibus exemplis ostensum est.*) At quum homo hoc ipsum nollet admittere, glandem saltem iniici iussimus; qua & aluum deponebat: mox fotum adhibendo ex rad. foliis sem. & flor. althææ, malua, parietaria & floribus chamomill. Et decoctum propinaui tandem ex malua cum radic. & semin. & emuls. sem. quat. frig. maior. cum melle ros. curationem incipiendo a mitigatione doloris, vitando solutiua fortia & diuretica, quæ in principio non conueniunt, cum exagitent humores, qui agitati magis ad vesicam deturbant humores ac dolorem augent, cum & diuretica humores ventriculi ad renes & vesicam deducant, dirigantque & dolorem augeant: vnde & Auicenna consulebat, vt omnium primo aluus mollior redderetur aliquo clystere emolliente. Sed cum aluus per se satis mollis maneret post inditam glandem, fotu præcedente, hoc decoctum incidens ac detergens sequens in die bis propinaui. ℞ *radic. asparagi, brusci, fœniculi, ana ℥ ß. sem. fœniculi, carui, fœnugræci, lini, ana ʒ ij. cicer. rub. ana m. ß. coquantur in aqua & vino Rhenensi tenui claro, pro ℔ j. colaturæ addendo oxymel. simpl. mellis ros. colati, ana ℥ j. ß. misce.* Deinde mandaui, vt oleo sequenti pecten & vesicæ regio inungeretur, ac cataplasma mox imponeretur. ℞ *olei amygdal. dulc. butyri recentis, olei scorpionis ana ℥ ß. misce.* ℞ *maioranæ, pulegii, origani, thymi, ana m. ß. concutiantur, & parum incidantur, coquanturque in modica aqua & vino ad liquoris consumptionem, leuiterque expressis adde butyri recentis ℥ j. pingued. anatis, axungiæ canis ana ℥ ß. olei scorpionis, vermium terrestrium, ana ℥ j. fiat ad modum cataplasmatis.* Hisque impositis pectini, magna in copia minxit. Die vero subsequenti hanc purgationem leuem quoque sumsit. ℞ *diacathol. ʒ vj. & ß. cassiæ recens tractæ, diaprun. lenitiui, ana ʒ j ß.* (lenientia præscripsi medicamenta, eo quod aluum tunc non bene deponeret) *dissolue cum decocto pectorali, in quo prius bullierant radic. maluæ ℥ iij. mellis ros. colati ℥ j. misce.* & accepit in diluculo & habuit quatuor sedes muccosas, & leuamento magno copiosius vrina fluxit. Deinde imperaui, vt bis in die ex decocto sequenti sumeret, mox & tribus pilulis descriptis deglutitis. ℞ *rad. glycyrrh. rasæ & mundatæ. radic. maluæ, corticum, rad. fœnicul. ana ℥ j. flor. omnium cord. p. j. sem. lini, maluæ, sem. 4. frig. maior. ana ʒ j. ß. cicerum rub. m. j. ß. hordei mundati m. j. fiat decoctio in aqua communi, pro ℔ j. ß. colaturæ addendo mellis ros. colati ℥ iij. butyri recentis ℥ ij. misce.* ℞ *terebinth. claræ Venetæ parum tostæ ʒ ij. succi glycyrr. pul. liquir. an. ℈ ij. fiant pilulæ ad modũ cicerum*: etiam subinde oxymel diureticum quoq; sumens: hoc enim medicamentum egregie confert, si a crassis & viscidis humoribus ischuria ortũ habeat: nam & in fine diuretica conue-

conueniunt, atque his præsidiis feliciter curatus fuit, cum ex orci faucibus in lucem reuocatus videretur.

SCHOLIA.

4. *[cr]assis & viscidis humoribus vrina retenta, quomodo curanda.*

CVrandi ratio non vna duntaxat est, cum plures sint eiusdem caussæ, *vt nunc diximus*, sed pro caussæ varietate diuersa quoque ineunda curatio. Si crassi humores in caussa sunt vel viscidi, illi ipsi præparandi sunt, incidendi & purgandi, quemadmodum de difficultate vrinæ prius docuimus, in quibus prosunt & balnea, insessiones. Ab his autem in totum abstinendum, quæ vrinam ciunt, nisi prius materia crassa euacuata fuerit, atque eodem modo curanda, vt dysuria, si a crassis & viscidis humoribus retineatur vrina. Eodem modo si ob renes obstructos a pituita, prius enemate iniecto emolliente, fotus emollientes tum insessus proderunt, corpusque vniuersum a pituita vacuandum, & ventrem ducere oportet hieris & electuar. indo, diaphœnico, therebinthina, sed non subito, neque ab initio, ne materia ad renes ducatur: postea & hæc iteranda, ob metum, ne obstructio maior fiat. Postremo ea, quæ incidant, cum diureticis miscenda, vt *oxymel simplex & scilliticum, cum decoctis superius dictis*: & balneis vtemur. Sed terebinthina vtrique prospiciet: nam & ventrem vacuabit, & renes deterget. His vero postremo aquatum vsus est idoneus, vt salsarum nitrosarum & sulphurearum. Quod si sit circa vesicam malum, primo relaxantibus vtemur fomentis, & cataplasmate, & enemate, quod per vrinariam fistulam, si opus est, iniiciemus, idque per syringam, vbi & præcesserint sessiones, qui humores crassos, illos incidant, qua semper & vti possemus in repleta vesica, etiamsi rhombi fuerint sanguinis, ad incidendum & dissoluendum, nisi apostema fuerit vel inflammatio, tunc enim proritatur locus, & ab iis cessandum. Quæ vero immittuntur sunt oxymel & lixiuium, de quo Rhases meminit. Verum vbi ardor vrinæ admixtus est, ab iis quoque abstinendum. Si a pure, curabitur detergentibus, vt de vlceribus vesicæ quoque dicemus. Vbi enim multitudo ac crassities puris vesicæ ceruicem obstruxerit, per eadem medicamenta mollientia ac relaxantia, nec non & incidentia, cura tentanda erit, intus & extra huiusmodi medicamentis adhibitis. Quod si neque his finem assequaris, modo dicta ænea seu argenta fistula immitenda erit, si non sit vlceratio præcedens, ne vlcus irritetur. Quomodo autem vlcera harum partium seu antiqua, seu recentia curentur, quod ad renes attinet, prius dictum est: & quod ad vesicam, postea latius dicetur. Nunc solum, si in fistula vrinaria aut in collo vesicæ, vel vesica ipsa lotium retineatur, & præcipue tunc quoque symptomati occurrendum, tentando num syringa penetrare possit: tamen cum cautione, *vt dictum est paulo ante*, ne idem contingat, quod tonsori imperito euenisse diximus: si non possit, infundemus oleum amygdal. tepidum, & ægrum in balneo ponemus, vel fomenta, inunctiones relaxantes adhibebimus, & minuemus potum, & omnia, quæ vrinam multiplicant. Quod si turberculum adsit, eius maturationi & citæ ruptioni est intendendum cum his, quæ extra apponuntur. Vbi enim ob callum retenta fuerit vrina aut carunculam, per emollientia ac relaxantia remedia, ac vrinæ fistulam dilatantia, curanda erit; & vbi ea non suffecerint, ænea fistula seu argentea demittenda erit, vulgus syringam vocat: atque eam, si possemus, cathetere minuemus, & altius immittemus; caute tamen, *vt ostendimus obseruat. 10.* vt dilatet meatum. Si vero propter inflammationem, aut alium quempiam præter naturam tumorem vrina supprimatur, ex propriis eorundem capit. curatio petenda erit. In phlegmone, vt alii volunt, sanguis ex crure mittendus: mox ex hæmorrhoidibus, & aluus lenienda, & localibus vtendum chalacticis, vt phlegmone exigit, *vt althææ, fœnugraci, seminis lini decocto.* Rhases hic sanguinem mittit ex basilica. Hoc forte bonum esset, vbi malum ex sanguinis spontaneo fluxu fieret, idque inter initia: sed vbi iam eo deuenit, vt obstruat, & fiat a caussa procatarctica, sæpius eueniet, vt fieri debeat ex crure sanguinis missio. Galenus hunc casum ponit, & se curasse dicit cum his, quæ phlegmonem sedant. Signum huius, inquit (*vt paulo ante quoque diximus*) quod a phlegmone, quoniam non statim difficultas erat mingendi, sed superuenit. Sed de his paulo postea. Sed nunc rursus aliud exemplum adferamus: nam ex hoc tum aliis subsequentibus, quomodo reliquæ caussæ curabuntur, facilius innotescet.

5. *Si ex inflammatione, quid agendum.*

[A] pure curatio.

Ex vlcere callo in fistula vrinaria, quomodo curetur.

OBSERVATIO XVIII.

De quodam rustico, qui per decem dies mingere non potuit.

RVsticus quidam in pago quodam Scermer dicto, anno 1554. mense Octobri, cum decem diebus vrinę suppressione grauiter laborasset, nec quicquam lotii reddidisset, ac frustra multa ac varia tentasset remedia, tandem vicinum suum consultandi caussa ad me misit. Sordidum hoc genus hominum, si vel bouem vel porcum aliquo vitio, aut quouis morbo affectum habeant, statim veterinarium medicum vocant; se ipsos autem ægrotantes negligunt: quod cum vicino dicerem, præstantius esse, vt apud ægrum præsens caussa diligentius inuestigata, melius eidem consulerem, tamen instabat vicinus, vt aliquod saltem medicamentum præscriberem: rogaui numquid sciret, quomodo in hoc malum æger incidisset, & quo vitæ genere, & qua victus ratione vsus esset, vt ita caussam morbi perdiscere aliqua ex parte possem. Dicebat ægrum septuaginta annos compleuisse, & circa aquam victum quæsiuisse, & perpetuo pisces anguillasque captasse, & vitam hactenus ita in Waterlandia vulgariter dicta, hoc est, in terra aquosa, produxisse, lacte atque piscibus pro victu vsum fuisse, & in potu frequenter lac acidum sumsisse, vt rustici eo in loco solent. Quibus intellectis, ex caussa frigida & humoribus frigidis viscosis lentisq;, in homine frigido ac sene, & in regione frigida aquosa habitante, hanc suppressionem vrinæ ortam esse coniectabam.

Quare eidem, licet satis inuitus, tale medicamentum præscribo; prius tamen glande aluo irritata, cum secessum non haberet, vti vicinus mihi dixerat. 2. ℞ *rad. fœniculi, glycyrrhizæ rasæ, ana ℥ ß. parietariæ, maluæ, viol.* (ad feces emolliendas) *agrimoniæ, summitatum ribes nigræ, ana m. j. sem. anisi ℨ j. ß. vuar. passul. ab arill. repurg. p. j. follicul. senæ ℨ j. granorum alkachengi, num. v. fiat decoctio in ℔ iij. seri lactis ad medietatem, bis in die sumebat ex hoc decocto.* Regionem vesicæ tum pectinem inungebat oleo amygdal. dulc. postea adiecto oleo scorpionis: etiam imposito hoc cataplasmate. ℞ *parietariæ, maluæ, charefolii, flor. chamom. ana m. j. cumini pulver. ℨ j. rad. althææ ℥ j. ß. coquantur in exigua aqua, ad mollitudinem pistentur, addendo butyri recentis ℥ ij. olei scorpionis ℥ j. misce.* Ex decocto cum sumsisset, aluus ei soluta est, & cataplasmate continuo imposito tandem minxit lotium copiosum: &, *vt postea relatum est*, subsequuta est mictio sanguinolenta. At finito decocto, cum amplius ex eo non biberet, denuo suppressa est vrina, quod forte contigit ex sanguine coagulato. Et hic stupidi homines non aliter quam asini reliquerunt miserum ægrum in illo statu, ita vt rursus per integram septimanam lotium non reddiderit: ac neque tunc me vocarunt: sed rursus quidam ex astantibus me accedens, cum tunc Alcmariæ praxim exercerem, consilium pro eodem ægrotante petebat. 3. Rursus præscribo hoc decoctum, tum fomentum sequens: ℞ *centaurii minoris, nasturtii aquatici, summitatum ribes nigræ, agrimon. viol. maluæ, ana m. ß. rad. liquir. fœniculi, ana ℥ ß. rad. althææ, ℨ iij. semin. petrosel. fœniculi, cimini præparati, ana ℨ j. sem. genistæ ℨ j. ß. sem. quat. frigid. maior. ana ℨ ß. granor. alkacheng. num. v. hordei mund. p. j. fiat decoct. in aqua commun. pro ℔ j. ß. colat. adde syrup. acetos. simpl. syr. de duabus rad. ana ℥ j. ß. misce.* ℞ *flor. meliloti, chamomill. ana m. j. folior. maluæ, parietar. viol. ana m. ß. sem. cumini ℨ j. sem. lin. fœnugræc. ana ℥ ß. rad. althææ, rad. brancæ vrsinæ, ana ℥ j. ß. fiat decoct. in aqua communi pro ℔ ij.* fiat fotus supra pectinem cum spongia, vt artis est. Deinde feces ex decocto cum butyro ad emplastri formam redigito, quod & pectini post fomentationem appositum fuit, & denuo minxit, primo sanguinem, postea & puram vrinam, omnibus admirantibus: & conualuit, quamquam senes (vt diximus ex Hippoc.) a vitiis vesicæ & renum difficulter curentur. Laudandus Deus omnipotens, qui humili suo seruo dedit scientiam curandi, & miseros ægros subleuandi.

SCHOLIA.

4. *Historia Amati.*

Qvamquam hominem non videram, in sene tamen & piscatore perpetuo in aqua versante coniectabam malum hoc a caussa frigida obortum esse. Refert Amatus similem casum, de puero, *centur. 4. curat. 10. Puer, inquit, illius, qui ad hortum prope murum habitat, in vrinæ omnimodam suppreßionem deuenit, adeo vt eius venter tumidus & eleuatus videretur: ex quibus puer ipse in vitæ periculum inciderat.* Ad quem vocatus ipse, hinc inde inquiro, vnde morbus originem forte trahere potuerit: tandem post longam inuestigationem, inuenio puerum hunc prope puteum diuersari, & pedes inde ex aqua madefactos contraxisse: quo audito, deprehendo a frigiditate aquæ illius, humorem aliquem inter collum vesicæ & pudendum contentum, concretum esse: vnde vrinæ exitus impediebatur, qui & sola frigiditate fieri poterat, non interueniente humore aliquo. 5. Proinde contra morbum sic ordior. ℞ parietariam oleo frixam, & eam calidam ad pectinem superimpone, vel inter anum & pudendum; vrinam enim cit: vel cæpam excauatam accipito, in quam infundito oleum anethinum vel commune ad cineres calidos, & pistam calidam supra prædicta loca imponito. Alliorũ & cæparum testa minutim cæsa & oleo frixa, atque admota iuuat: oleum lilinum idem præstat. Sed puer hic, cum multa essent tentata, ex oleo scorpionum inunctus, multa minxit, & liber euasit. At noster æger non solum ex simplici caussa frigida, sed etiam humore frigido cum laboraret, ex decocto illo cum sena & aluum deposuit & minxit. Multa sunt, quæ lotium prouocant, sed præcipue folia ribes nigræ: nam & his ad sanguinem vsque vrinam prolectabat. Verum non vna curandi ratio est, cum plures sint eius caussæ, *vt diximus:* sed pro caussarum diuersitate variatur curatio, vt dicere cœpimus.

Si ex imbecillitate vesicæ, quomodo curetur.

Qua de re si propter vesicæ imbecillitatem generetur, citra tamen casum: relicta victus ratione, quam superius de vrinæ stillicidio ad longum recensuimus, primo figurandus erit æger modo, quo iuxta sententiam Galeni diximus, ac manibus tumor præter naturam comprimi debet, ita vt vrina expellatur: musculi quoque abdominis, maxime medii, ægrotantis manibus seu alterius comprimantur, *iuxta Galen. præcepta 6. de loc. affect.* 6. Deinceps assidui insessus, seu fotus in fœnigræci, seminis lini, althææ, rutæ, samsuchi, ac artemisiæ decoctum cum oleis eis apparentur, & loci ex oleo rutaceo calido sæpe per diem & noctem, & maxime post insessus irrigentur & perfundantur. Cucurbitæ etiam locis affigantur, & cataplasmata imponenda ex cruda hordeacea farina ex vino dulci, & mulso, *vt testatur Aetius*; præsertim si obtusus fuerit vesicæ sensus. Insuper confert, si vnguento hoc irrigentur loci. ℞ *olei nardini, costini, & rutacei, ana ℥ j. olei de scorpionibus & irini, ana ℥ ß. masticheæ, florum stœchad. ana ℨ ij. castorei ℨ j. sagapeni & bdellii, ana ℨ ß. dissoluantur gummi in vino albo, & addita cera, fiat vnguentum.* In hunc etiam vsum confert vng. dialthææ dictum: & reliqua medicamenta ad difficultatem vrinæ descripta, tam intus quam extra adhibita.

Ex debilitate renum attractricis vel expultricis si fiat, curatio.

Et vbi propter debilitatem attractricis renum, vel etiam expultricis contingat, tunc vrina prouocanda, per ea, quæ facilem & fluxilem faciunt vrinam attractu, & quæ renes calefaciunt, quamquam hic casus admodum difficilis esse videatur. Paulus sic curam instituit: si frigida intemperies adsit, vinum calidum, quæ vrinam cient de cibis & medicamentis, & calidæ insessio.

Rhasis medicamentum ad ciendam vrinam efficacissimum.

Rhases medicamentum efficacissimum præscribit: rubiam scilicet, quæ etiam crassam & cruentam vrinam ducit. Semen iuni-

7. iuniperi est efficacissimum, & facile parabile. Similiter intrant cantharides præ omnibus, quibus vt inutiles abscinduntur partes excarnes: similiter ammoniacum, amygdalæ amaræ. Cantharides non sine cautione adhibendæ, *vt exemplo ostensum est, obseruat. 7. libri præcedentis, & obseruat. 29.* Sed mitiora sabinæ potus, & seminum iuniperi, & spicæ celticæ, & rusci fructus. Hæ potiones dandæ sunt, vbi æger in balneo fuerit, vel paulo ante balneum; sed minime vbi calculus in rene aut vretere hæreat. Si autem vesica debilitate pellendi laborat, quæ vel distensione fit vel stupore; & id ex paralysi vesicæ fiat, necesse est præcessisse caussas, vt casus, vel parte nimium refrigerata, ita vt sensus pereat, vel opii potu, vt diximus, & tunc sine dolore tumet. Tunc primum vacuanda, comprimenda vesicam; mox calfactoriis, fotibus, sessionibus curanda. Vel vbi propter ægrum vesicæ sensum contigerit, præter insessus ac irrigationes superius dictas, excitare eius actionem oportet, nitro aut nitri spuma ad meatum admotis, aut cimicibus contritis. Refert Gradus, *se vidisse quendam, qui pediculum foramini virgæ cum imposuisset, ex eius proritu vrinam prouocauit.* Alii vero pulicem, alii cimicem viuum immiserunt. Hæc autem iuuant motu vel titillatione, aut punctione, quibus vis expulsiua stimulatur. Quod si his non procedat lotium, ad catheterum vsum confugiendum:

(Paralysi vesicæ curatio.)

(Propter ægrũ vesicæ sensum, curatio.)

8 & ipso instrumento immisso vrinæ prolectandæ, *Aetio teste.* Vrinam ducentia nequaquam bibant, ne multitudine eius vesica distendatur: quibus etiam confert castoreum, itemque theriacam in potu propinare, & post euacuationes sinapismi tum pectini, tum lumbis optimi sunt, vt eidem Aetio visum est: a quibus cerata, quæ partes mitigent, & malagmata odora imponantur, vt ipse inquit. Viscera quoque erinacei terrestris exsiccata, ac suffita, ægro vnde quaque contecto vrinam suppressam sanant. Oportet autem ipsos sale condire, ac exsiccare: quin & in potu accepta viscera sicca trita, quantum tribus digitis apprehendi potest, ex vino iuuant. Vermes quoq; terrenos tres aut quinque tritos ex vino mulso aut aqua mulsa præbeto. *eiusdem Aetii præcepto.* Item forinsecus artemisiæ folia, cum myrrha trita, pectini, & imo ventri illinantur: seu perdicium herbam terito, & affuso oleo feruefacito, atque vesicæ imponito. Sed & sedes quoque his illinenda est, quibus obtusus est vesicæ sensus, ex decocto origani, thymi, anethi, ac centaurii, cum oleo rutaceo; pauco admixto castoreo, Infundimus etiam per colem oleum rutaceum, de scorpionibus, aut nardinum, seu irinum; etiam pauco admixto castoreo, vt vesicæ actio reuocetur. Si ob

9. debilem sensum retinetur, tunc iniectiones acres ex vsu sunt, vt irritetur vesica ad excretionem. Alii pediculos, *vt diximus*, immittunt: Rondeletio magis placet salem, vel ex melle immittere iniectionem, aut ex pauca hiera. In sanis autem, si accidat (*vt dictum est*) ob negotia nimis vrgentia, aut aliquod tale simile, vt lotium diutius retentum vesicam debilem reddat, auxiliari oportet ipsis,

(In sanis si accidat vrina retẽtio, quid faciendum.)

ambabus manibus supra imum ventrem admotis, vt vrina lente express (*vt iam quoq; diximus*) profluat. Et ita si distentio nimia facta sit, compressione vtemur, vel syringa: mox lenientibus dolorem, ex vino & oleo ac rosis. Vbi enim detinetur, ex vesica distenta, quæ ita claudit meatum, vt non possit in se ipsam contrahi, vrinamque propellere; tunc catheter immissus in vesicam confert, per quem aliquid vrinæ excerni possit: deinde dilatato meatu facile redditur, quod reliquum est in vesica. Non est etiam inutilis fotus aquæ calidæ, vel decocti maluarum cum apio, vel alio medicamento diuretico. Vesicam comprimere manu est etiam vtilissimum in hac caussa.

(Ex vesica distenta si contingat, curatio.)

Observatio XIX.

De ischuria & vrina retentione, ob calculum in collo vesicæ hærentem.

1. Franco Bartholomæus, prætor Delphensis, vir obesus, crassus, cacochymia tũ plethora laborans, vir senex, calculo vesicæ laborabat: qui aliquando in collum vesicæ collapsus, lotium retinebat; ita vt sæpe hac de caussa in suppressionem vrinæ incideret: & quamuis vna cum Cornelio Erico collega meo & Henrico Vergerio medicamenta apta præscriberemus, semper lapide ex collo vesicæ transmoto per catheterem, primo per Guilhelmum lithotomum immissum lotium reddebat, ita vt postea edoctus, & in hac re versatus, se ipsum semper lotio retento cum cathetere immisso lapide depulso curauerit. Noui ego iuuenem Roterodamensem, filium illius viduæ in præclaro hospitio, cui Diuus Martinus pro insigni erat, calculo laborantem; qui cum mingere non posset, ob calculos exiguos, vel materiam pituitosam obstruentem virgam aut collum vesicæ, suo ipsius marte, sine medico, ob verecundiam (*vt arbitror*) iuncum flexilem per meatum vrinariam immittebat, vsque ad vesicam ipsam, & sic sibi ipsi erat medicus, ac depulso lapillo, vrinam sæpissime prouocabat. Hoc tamen periculosum est, cum iuncus

2 vti candela cerea (*sed magis iuncus*) disrumpi possit, aut eius pars in meatu vrinario permanere, quod & candelæ cereæ aliquando contigit, *vt refert Amatus centur. 4. cur. 20.* de cerea candela per vrinariam fistulam immissa & intus manente. Præstat cathetere vti, sed cum cautione, & vbi necessarium est: cuius forma etiam varia esse debet: incuruus viris seruiens, modo quindecim digitorum, modo duodecim, modo nouem; fœminis vero maior, quidem nouem digitorum, minor sex tantum. Verum vt dextre fiat, præstat vt lithotomus hoc faciat, qui & aliquando digito in anum immisso lapidem transponit, & cognoscit, num paruus aut magnus sit: nam & ipsa vrina tam a calculo paruo retinetur, in meatu vrinæ contento, quam magno, & meatum occludente. Huic medendum est immissione fistulæ, qua in vesicam protruditur calculum, & ex ostio colli mouetur, & vrina redditur. Si autem multum infra collum vesicæ non est, vtile erit (*quemadmodum & Rondeletius dixit*) digitis comprimere, parte inferiore, & sensim deducere ad extremum vsq; pudendi. Ali-

quando ita est infarctus parti, vt neque intra, neque extra propelli possit. Tunc fotibus dilatantibus fouere partem oportet, & succum raphani cum pauco aceto extracti syringa iniicere, vt frangatur, vel succum limonum aut hyperici. Quod si hæc non proficiant, nouacula partem dissecare & inde extrahere. Sed hæc ad chirurgiam pertinent, & periculosa sunt.

SCHOLIA.

3. *Curatio si ex lapide vesicæ ceruix fuerit obstructa.*

DE calculo renum, & qui in vretere hæret, dictum est libro præcedente. De calculo vesicæ postea quoque in hoc libro dicturi sumus, quomodo is sit conterendus & curandus. Verum si ex lapide vesicæ ceruix fuerit obstructa, præter ea, quæ diximus obseruatione præcedente, vt lapis ex meatu recedat, supino figurato ægro, vt crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariam ipsum concuties: quibus peractis iube, vt æger vrinam reddere tentet. Quod si nihilominus vrina adhuc supprimatur, rursus concute: sed vehementius: atque si sic quoque permanserit, immissa ænea fistula seu argentea, simul & lapidem a ceruice repelles, & vrinam euocabis, *Galen. teste 1. de loc. affect.* At in casu deplorato, si in collo vesicæ adsit lapis, vel caro innata, ita obstruens meatum, vt nullis præsidiis remoueri possint, vt æger propinquus sit perditioni, neque vllo modo instrumento curari possit, & forte etiam adsit inflammatio, & catheterem ferre non possit, vt sacerdos ille, de quo diximus *obseruat. 16. huius libri* (quamquam in illo iam in mortis agone exsistente fieri non potuit) tunc, secundum Rhasem, iuxta collum vesicæ in latere eius locus scindendus est, & cannula imponenda ad emittendum lotium: Auicenna (*quod etiam a Serapione ponitur, & 10. continent. apud Rhasem*) scissuram efficit paruam inter anum & testiculos, & ponit in ea cannulam, vt egrediatur vrina; qui locus minus periculosus est, vt ex cognitione anatomiæ habetur. Sed cauendum, ne accidat nocumentum per incisionem, aut fluxus sanguinis, & per consequens fistula subsequatur, quę postea consolidari non posset, vt nos frequenter vidimus in iis, quibus lotium per fistulam regurgitabat, & non per penem. Attamen peius quidem est, si fistula succedat: at melius erit, quam vt æger moriatur: nam sic per fistulam longius adhuc vitam protrahet. De his instrumentis & hac operatione vide Albucasim *in 2. par. suæ chirurgiæ, cap. 58. 59.* & Paulum Æginetam *lib. 6. de chirurgia cap. 59.* Ceterum si calculus obstruat meatum vrinarium, & lotium impediatur, præcedentibus relaxantibus exterius admotis (*nam iuuat in hoc casu emollientia immittere & extra applicare*) deinde, si opus sit, ad incisionem virgæ veniendum, si in virga hæreat. Quidam deduxere nonnihil meatum glandis ferro, atque immissis teretibus forcipibus, e virga extraxere. Quandoque non ita magnus est, & elapsus ex vretere in vesicam impedit vrinæ emissionem, vel in vesica natus licet vrinæ suppressionem inferat, tamen aliquando cum iis, quæ vrinam ciunt lapis expellitur. Sic quidam cum intolerabilem dolorem pateretur in lumbis, & vesica, cum in omnimodam vrinæ retentionem incidisset, hanc potionem ebibens, non solum vrina fuit prouocata, verum etiam septem vel octo lapillos ad magnitudinem pisorum vna cum lotio emisit: ℞ *filipendulæ, vrticarum, viol. pentaphylli, passul. enucleat. aña p. j. sem. genistæ, gran. iuniperi, gummi cerasorum, ana ℥ ß. fiat decoctio in aqua viol. & fœniculi pro ℥ iiij. adde cassiæ recens extract. ℥ j. ß. sanguinis hirci præparat.* ℈ *j. misce.* Monacha quoque annum agens sexagesimum primum, cum similiter dolore in lumbis & ilio sinistro afficeretur, hac potione vsa, lapidem hac forma oblonga & rotunda reiecit. ℞ *plantag. pentaphyllonis, cum radic. foliorum seu extremitatum ribes nigræ, ana m. j. saxifrag. m. ß. granor. milii solis, sem. genistæ, pæoniæ, ana ℥ j. fiat decoct. in aqua commun. & huius accipe ℥ iij. cassiæ nouiter tractæ ℥ x. sanguin. hirci præparati ℥ ß. pul. specier. Iustini* ℈ *j. fiat potio.* Facto etiam fotu cum parietaria; addendo interea residuo decoctionis *syrup. de artemisia, de duabus radic. ana ℥ j.* & hoc decoctum sumens omni die, mane & hora quarta pomeridiana, cessante dolore, optime minxit, & bene habuit. Nihil æque expertum habemus, quam *foliorum ribes nigræ m. j. decoctis addere*, quamquam aliquando vehemens est, vt sanguinem simul cum lotio educat, quemadmodum antea de rustico illo diximus, qui decem diebus lotium reddere non potuerat, *de quo egimus obseru. 18. huius libri.* Sed & hoc quoque mirabile experimentum est, *quo vsus est Gisbertus quidam Alcmarianus tectorum refector, ex ischuria in lecto decumbens adeo vehementi, vt quinque diebus vrina suppressa maneret, qui cum nullis remediis curari posset, tandem duas tresue squibalas fimi equini, ponderantes vncias duas, vti mihi ostendit, cum vino calido Rhenensi colabat per pannum lineum: quam colaturam vna dosi, cum frustra multa tentasset remedia, sumebat, & ex incontinenti mingebat.* Eadem dosis antea propinata fuerat *patri Nannii Alcmariani professoris Latinæ linguæ apud Louanienses, quondam præceptoris mei, cum per duodecim dies non minxisset, vti Iusta Teylingia socrus mea, matrona me hercule fide digna, retulit mihi, cum ipsamet vidisset, quod ab assumto medicamento per tres aut quatuor horas copiose vrinam minxerit. Petrus quoque Gerardus Alcmarianus, Iunius dictus, cum laboret ex calculo & omnimoda vrinæ retentione, idque per plures dies, eandem potionem sumens, statim, miraculi instar, lotium excreuit, & vna conualuit.*

4. 5. 6. *Fimus equinus.*

OBSERVATIO XX.

De sanguine concreto, ex renis dextri vulnere, ischuriam inferente.

1.

IVuenis floridæ ætatis, robustus, annos viginti natus, cum in Pagi Schagensi, ab Alcmaria tribus milliaribus distante, cultro mensario vulneratus esset in lumbis, e regione renis dextri, vrina ei deinde per sex dies omnino suppressa fuit, cum ingenti pectoris dolore, & vesicæ: quæ etiam inflata erat, ventre tumido & admodum eleuato: quod proculdubio ex sanguine a rene vulnerato per vreterem in vesicam defluxo & in grumos concre-

concreto eueniebat. Chirurgus Ludouicus nomine, noster familiaris, eundem tunc tractabat, multaque adhibuit remedia. Verum cum videret ægrum in periculum vitæ incidere, eundem pro deplorato habens; vidensque rem ad restim deuenisse, vt prouerbium habet, cum iuuenis vulneratus iam sex diebus non minxisset, me in socium suæ curæ vocari iussit, cum ego eodem tempore, anno 1548. mense Octobri apud Dominum de Schagen, eiusdem pagi dominum hydrope laborantem agerem. Ceterum cum medicamenta ita ad manum non essent, statim iniecta glande, vt feces deponeret, excrementa communia eduximus. Deinde hæc subsequentia eidem præscripsimus. ℞ radic. apii, (incidebat quidem, & simul ad vulneris detersionem faciebat) *fœnicul. petros. ana* ℥ j. *chærefolii, folior. petros. communis & macedonici, maluæ cum toto, parietariæ, artemisiæ, agrimoniæ, caulium rubrorum, melissæ, ana m. j. valerianæ m. ß. scabiosæ, capill. ven. ana p. j. gran. vesicariæ seu alkakengi num. v. radic. glycyrr.* ℥ j. *sem. anisi, cumini, anethi, ana* ℥ j. *incidenda incidantur, & contundenda contundantur, & secundum ordinem fiat decoctio in vino Rhenensi* (nam hic, quod mirum erat, febris valida non aderat, imo quasi nulla) *& aqua communi pro* ℔ j. ß. *colat. adde* ℥ j. *aceti optimi* (oxymel quidem imposuissemus: sed ad manum non aderat) *dulcorabatur autem zacharo sufficiente. & posuimus* ℥ j. *rubeæ tinctorum, in puppa seu nodulo lineo ligatam, & exprimendam dum potio propinaretur.* Supra pectinem & vesicæ regionem sequens cataplasma, vt imponeret iussi: ℞ *chærefolii, petros. parietar. ana m. j. ß. florum maluæ flor. chamom. melil. post coctionem ad mollitudinem pistentur, & in patella parum frigantur, adiecto butyro recenti, & pauco puluere cymini: fiat cataplasma.* Dedissem *coagulum leporis*, sed non erat ad manum: verum (quod mirabile fuit) cum vix bibisset ex decocto supradicto, & cataplasma pectini calide impositum esset, plus quam quatuor congios vrinæ sanguinolentæ prius quasi sanguinis concreti parum, deinde mixtæ cum sanguine, & aquosi plurima minxit: &, quod magis portentosum videbatur, vulnus deinde subito detergentibus & mundificantibus, ac tandem consolidantibus probe curatum fuit.

SCHOLIA.

3. PRius dubitabam, num vulnus renem dextrum penetrauerat: sed cum omnia illa signa, quæ refert Cornelius Celsus animaduerterem, verisimile fuit vulnus ad intima renis penetrasse. Ita enim scribit idem Celsus lib. 5. de signis percussorum renum: *Renibus (inquit) percussis, dolor ad inguina, testiculos descendit, vrina difficulter redditur,* (imo hic in totum supprimebatur) *eaque aut est cruenta aut cruor fertur.* Sed vtrum vulnus hoc ad sinum anteriorem penetrauerit, aliquis & hic dubitare potest, cum eiusmodi vulnera ad sinum penetrantia (*vt & Tagaultius testatus est*) lethalia sint, sicuti & tenuium intestinorum & ventriculi & vteri, renum, vesicæ, folliculi, fellis discissiones lethales sunt. Quicquid tamen sit, constat hunc cruorem ad vesicam defluxisse a vulnere illato, eumque in grumum conuersum, & deinde lotium retentum fuisse: nam & eo sanguine dissoluto, hominem probe minxisse constat, & a vulnere deinde curatum. Et quamquam hic non aderant sæuissima illa symptomata concreti sanguinis, vel in grumum aut thrombum conuersi, vt refrigeratio, pulsus exiguus, & syncope (*qualia aderant mercatori, de quo diximus lib. præcedente obseruat. 26.* cum enim hic nulla nota adesset lapidis, vt ex eo retenta fuerit vrina, & quamquam sanguis non effluxerat, vt significaret grumum vrinæ fistulam obdurasse, vt in mercatore illo prius effluxerat: hic tamen facile coniectari potuimus ex vulnere renis læsi sanguinem defluxisse in vesicam & in grumum mutatum esse, qui fuit caussa retentionis vrinæ. Et quamquam demissa per colem fistula, vt diximus aliquando paulum vrinæ reddunt tales. (Hic tamen, cum deesset fistula, id per chirurgum tentatum non fuit) qua deinde extracta in ipsius ore grumi indicium est ac apparet: quamquam fieri possit, vbi vlcerata fuerit vesica, (quod hic non erat) vt paulatim in ipsa grumus concrescat, vel non præcedente sanguinis fluore, *ex eiusdem Galeni sententia 1. & 6. de loc. affect.* Verum hic sanguis ex vena renis aut eius substantia vulnerata ad vesicam fluxit, & vbi concretus in vesica continebatur: ad tales sequi solet animi defectio, & color pallidus, pulsus paruus & obscurus: quæ quidem aderant, licet nondum in animi defectionem incidisset, tamen maximo dolore circa vesicam valde intumescentem afficiebatur. Sed hic ex vulnere præcedente facile coniectari potuimus, ex sanguine fluxo ad vesicam & congelato id contigisse; cum etiam dixerimus *scholio obser. 26. libri præcedentis,* hoc etiam posse contingere ex vena in renib. aut vretere perrupta vel vulnerata, vbi & signa sanguinis in grumum conuersi, tum etiam curationem posuimus. Ita & Gal. *6. de loc. aff. cap. 4.* in illo, qui ceciderat sanguinem concretum caussam suppressionis vrinæ fuisse animaduertit. Vbi igitur grumus vesicæ fistulam obturet, medicamentum, quod lapidem terere possit, ex oxymelle, atque ipsum quoque oxymel per se in potu dandum erit, *præcepto eiusdem Galeni, lib. 6. de loc. affect.* sed quia hic deerat nos commode vrinam cientia dedimus. Valet & artemisia in potu sumta: & ideo nos in decocto illam posuimus, ita & rubiæ ac betę succus, leporis coagulum, aut hœdi, vnumquodque cum aceto mulso, *ex Aetii auctoritate, cap. 27. lib. 4.* Quod si hoc modo nihil proficiamus, necessitatem inducet catheteris adhibendi: per quem vbi vrinas eduxerimus, rursus prædicta in potu exhibeantur. Si vero neque sic grumi dissoluantur, intercapedinem inter anum & pudendum, περίνεον Græcis dictam, inferne dissecare oportet, *vt eidem Aetio visum est.* At Rondeletius a sanguinis grumo & sanguine concreto, satius esse ducit per syringam inijcere dissoluentia sanguinem, quam per os assumere, non nisi postquam coaluit vena. Carabe in retentione vrinæ (*vt idem sentit*) a crassis humoribus, sanguine concreto, & a pure retento; aut a vesicę imbecillitate, data cum

4.

5. *Historia Galeni, de sanguine concreto vrinã supprimente.*

Thrombi curatio.

vino, præsens est remedium. Cinis cancrorum marinorum, vel astacorum fluuiatilium, multum prouocat vrinam: & dari potest etiam cum præsentia vulneris, addito gummi prunorum, aut cerasorum. Fouere regionem vesicæ in omnibus his caussis valde est vtile, aut cataplasmata apponere. Conficiuntur autem ex relaxantibus & incidentibus, *vt ex radic. aperientibus, fœniculi, apii, petroselin. asparago, rub. maior. asaro. semin. calidis maior. ex aqua & vino.* In sanguinis concretione, si sanguis non defluat a vesica, vtile est etiam eadem decoctione fouere: vt etiamsi a renibus non defluat. Cataplasmata fieri possunt ex *residentia decoctionis, vel ex farinis lupinorum, orobo fabar. cum oleis incidentibus, aperientibus, vt cum oleo amygdal. amar. oleo scorpion. irino, vel de spica.* Si vrina retineatur ob vesicæ, aut aliquam partium vicinarum inflammationem, præter ea, *quæ diximus scholio Obseruat. 17. huius libri*, curanda erit inflammatio, sanguinis missione, vt postea suo loco ostendemus, & aliis remediis propiis, curandæ inflammationi conuenientibus: fieri potest cataplasma proprium, sic: ℞ *maluæ, viol. ana m. ij. bismaluæ ℥ iij. ficuum par. xx. omnia coquantur in aqua contusa, per cribrum transmittantur,* quibus adde *ol. liliorum, vel amygdal. ℥ iij. axungiæ porcin. cuniculi, gallinæ vel anatis ana ℥ j. butyri ℥ ij. misce,* fiat cataplasma, addendo parum farinæ hordei. Non renitetur vrina, nisi inflammatio in magnum tumorem peruenerit, pro tempore medicamentis digerentibus est vtendum, aut sedantibus dolorem. Si ab inflammatione, & potius a tumore frigido fiat, magis calfacientia & digerentia cum emollientibus miscenda erunt, & linimenta simili modo conficienda, vt quod paratur *ex bdellio, ammoniaco, cum multo oleo liliorum, vel amygdal. terebinth. & cera,* vel sic: ℞ *succi apii & fœnicul. marini recentis, vel aceto conditi ℥ j. olei scorpion. ℥ iij. coquantur ad consumtionem succorum cum ℥ j. pinguedinis cuniculi, vel felis.* Postea adde *asari, semin. petros. cymini, ameos seseli ana ʒ j. spica celtica, schœnanth. ana ʒ ij. tereb. abietis ℥ j. ceræ q. s. fiat vnguent. tempore inunctionis adde vini vel aquæ vitæ parum.* Si in ardentibus & acutissimis febribus hoc symptoma contingat; quæ *scholio obser. 9.* conscripsimus, reperies de vrinæ difficultate. De ischuria nunc satis dictum est. Quare ad affectum huic omnino contrarium accedamus, nempe ad vrinæ incontinentiam.

6. — *Ob vesicæ inflammationē si vrina retinetur.* — 7. — *A tumore frigido.* — *Ex febribus ardentibus.*

OBSERVATIO XXI.

De quodam vrinam continere non potente.

1. Religiosus quidam, septuagenarius, cum diu calculo renum laborasset, ac infinitis diureticis medicamentis vsus esset, in contrariam passionem incidit, vt vrinam non retineret, & præcipue noctu; quanquam etiam in die liber ab hoc malo non esset. Cum autem hic senex esset valde frigidus, & crassis succis redundaret, huic (*quamuis difficulter curaretur*) consuluimus, vt acciperet pilulas de hiera, ac iisdem vteretur, quæ ad resolutionem faciunt, musculi constringentis collum vesicæ, *lib. 10. obs. 29.* qualia & ibi *schol. eiusdem obs.* annotauimus, *ex lib. 6. Aetii, cap. 34. de vesica resoluta,* apponentes *rutam, cyminum, anethum, in oleo elixata, exiguo adiecto castoreo.* Consuluimus quoque, vt gallinæ guttur combustum cum aqua tepida sumeret ieiunus; hoc enim a proprietate valet, vti leucanthemi flores, vel leporis testiculus, tostus ex vino odorato. Potio item calaminthæ & myrrhæ ante cœnam salutaris est, *vt & Paulus docet,* præsertim, si cum vino odorato præbeatur, *Aetio quoq; auctore.* Sed his nequaquam, vt iidem auctores iubent, exhibenda, quæ vrinam ducunt. Commendabam & decoctum *saluiæ, & herbæ paralysis, myrtill. & gallarum, & nucum cypressi,* ex Valesco, *& medicam. Serapionis,* valde in hoc casu commendatum: ℞ *granor. myrti. gland. torrefact. corticis thur. cumin. cyper. ana ʒ j. fiat pul. detur ʒ j. cum vino decoct. thur. sumach. balaust. & cupularum glandium.* Commendabam eidem, *vt & ℈ j. castorei sumeret, & aliquando theriac. ʒ j.* Vtebatur & *vino rubro Gallico.* Quibus melius habere videbatur, quamuis in totum non curaretur.

SCHOLIA.

Sicuti vesica paralysi correpta, *iuxta Paulum, vt antea diximus,* ex musculis circumstantibus, nihil reddit: ita quoque si musculo fiat ceruicem ambiente resoluto, incontinentia sequitur vrinæ. In qua vesica affecta est, non secundum propriam eius essentiam seu corpus, sed secundum musculum eius ceruicem stringentem. De his vide latius *Galen. 6. de locis affectis, & Paulum cap. 18. lib. 3. & Aetium lib. 6. cap. 34. & Donatum ab Altomari cap. proprio, de his, qui in se ipsos mingunt, vel de his, qui vrinam continere non possunt.* Estque symptoma in genere excretorum immodice, perpetuo noxam functionis consequens, non naturalis facultatis ipsius vesicæ, sed animalis prædicti musculi, quæ neque male fit, diminute aut deprauate oblæsa, sed nullo modo fit: nihil etenim in retinendo vesicæ opitulatur, animali facultate motrice voluntaria omnino priuata ac destituta. Indicium autem eius est, quod vesica haudquaquam vrinam retinere potest; sed inuitis, & præter voluntatem, paucis omnino interuallis excernitur. Huius autem caussæ plures esse possunt, quas omnes alii ad externas vel internas referunt, vel ex frigore externo intemperiem frigidam in collo vesicæ aut musculo ceruicem ambiente inducendo, vt euenit sedentibus super marmora, aut lapidem, aut res frigidas, *quemadmodum narrat Valesc. de quadam matrona nobili, etiam ab eodem sanata;* quemadmodum & piscatoribus euenire potest, & natantibus in aqua frigida, casu, percussione, lapsu ex alto, tum aliis rebus, quibus resoluitur vesica, vel eius musculus, vt de resolutione & paralysi ad longum scripsimus: sicuti & musculi stringentis collum vesicæ incisione, dum lapidem extrahunt imperiti lithotomi, vel ex vulnere ipso, vt sæpissime in praxi quotidiana conspeximus, post incisionem male curatam, vrinam deinde retinere non potuisse, quibusdam & per idem foramen lotio per se emanante. Quod & aliquando accidit ex frigiditate, sed plurimum vul-

3. — *Incontinentia vrinæ.* — *Pars affecta.* — *Quid affectus præter naturā sit vrina incontinentia.* — *Caussæ.* — 4.

mum vulnere, vt in his, quibus lapis extrahitur, aut dolore multo, *vt in partu difficili.* Hoc casus & nos sæpe vidimus. Ex paralysi vesicæ ac totius corporis subinde fit, se vsque ad collum vesicæ extendente, vel ex caussa interna, antecedente, ex mala intemperie frigida vesicæ; vel etiam frigidis succis, ipsis musculis & neruis debilitatis, resolutis, mollificatis: quemadmodum decrepitis non solum debilitas contentiuæ euenit, etiam in somno prolixo, & in ebriis ob vehementem vini potationem lectum commingentibus, & pueris in lecto mingere consuetis ob neruorum mollificationem, & decrepitis ob superfluam humiditatem & frigiditatem, quam naturaliter tum accidentaliter possident, & propter vertebrarum impulsionem ad interiora, & prægnantibus quoque ob compressionem fœtus in vtero vesicam comprimentis, aut ob apostemata partium vicinarum.

5. *Signa.* Signa demonstratiua ægritudinis pro se sunt nota, vrina perpetuo vel per interualla emanante, cum vestes ac lectus facile fœtorem emittant, nisi continuo mutentur. Caussæ procatarcticæ ex infirmi sermone habentur. Et si ex mala intemperie frigida, calida iuuant, frigida nocent, corpus frigidum est: & si sit cum materia, ex dominio humoris prædominantis frigidi habetur. Si ex impulsu vertebrarum, visu & tactu discernitur. Si ex apostemate membrorum vicinorum, signa apostematis aderunt.

Prognoſ. In decrepitis plerumque incurabilis est, qui ob id hæredibus exosi filiis, ancillis, seruis, & vxori, propter abominationem. Infantes, quamuis iis non succurritur, ætate accrescente per se curantur.

6. Aliis ætatibus aliquando facilis est curatio. Prægnantibus potius conuenit bona victus ratio & vini rubri potus: neque fortia medicamenta intus aut extra, ne abortus succedat. Quare in istis tum in cunctis præuideat medicus, ne infamiam incurrat. Quod vero pueris maxima ex parte soleat hæc affectio incidere, *45. cap. 3. lib. Paulus scriptum reliquit.* sed ab externa caussa musculo infrigidato, citius curatur, quam læsis eiusdem musculi neruis circa os sacrum, *vt 4. de loc. affect. apud Galen.* ob ceruicis vesicæ vulnus aut casum, aut vertebræ luxationem, nulla his medicina prodest, *teste Paulo cap. 18. lib. 3.*

Curatio. Curationem vero iam diximus, *lib. 10. obseruat. 92.* si ex paralysi vesicæ fiat, ac scholio eiusdem, præter ea, quæ ibi diximus. Si sit ex ictu vel lapsu, missio sanguinis protinus necessaria est: cucurbitulæ, frictiones, ac ventris deiectiones prosunt, & quicquid materiam auertere poterit fluentem: si vero intrinsecus orta, ex caussa vires neruorum aut musculum resoluente, quæ supra dicta sunt de paralysi, de diæta, potionibus, & ventris deiectione, huc transferenda.

Vita institutum, & victus ratio. Et quia sæpius ex frigida prædicti musculi aut neruorum ad ipsum deuenientium intemperie affectio hæc originem ducit, interim per se, quandoque vero frigidorum succorum abundantia, propterea ad curationem eius, cum ex hac caussa excitetur, aerem ad calidum vergentem eligemus, somnumque modicum, & moderatas vigilias. Ocium ac desidiosam vitam declinabimus, ac moderato exercitio vtemur, & alui deiectionem singulis diebus procurabimus, natura vel saltem arte, glandibus seu clysterib.

7. Vitabunt & animi affectus, præter iram, quam aliqui conferre dicunt. Cibos eligent facilis coctionis ac boni nutrimenti, ad calidum vergentes: Nam esculenta omnia calefacientia esse debent, ac exsiccantia, vnde assa vel fricta conueniūt: fontes propterea calidi, ac marinæ ꝓsunt natationes, perq; interualla vomitiones, si concitantur, iuuant, venter enim eo modo pituita exoneratur. Eligendæ autem sunt *carnes auium paruarum, pullorum, gallinarum, perdicum, phasianorum, quæ perpetuo cum aromatibus condienda erunt: similiter in earum iure hyssopi parum, samsuchi, saluia, satureiæ, seu serpilli, fœniculi, seu oreoselini incoquantur.* Interim eisdem carnibus dictis, *vt paulo ante dictum est,* assatis vtantur. Nam sicci cibi eisdem competunt, *vt inquit Plinius.* Pro potu aqua mulsa exhibeatur, vel vinum subrubrum, astringens, potissimus eis, qui ab eo se abstinere non possunt: & (*vt summatim dicam*) vniuersa victus ratio calidior & siccior sit, *vt inquit Aetius,* nisi acriores & mordaciores appareant vrinæ.

Medicamentorum ratio. Quod vero ad medicamentorum rationem attinet, quoniam communia habet auxilia hoc vitium cum ischuria orta ex torpido vesicæ sensu, seu eius resolutione, *eodem Aetio teste ca. 34. li. 6.* idcirco iisdem commode vtare: & si resolutionis caussa frigidi & crassi succi redundantes fuerit, eis quoq; vtendum erit medicamentis, cum alterantibus, tum purgantibus, quæ *lib. 10. de resolutione* probauimus.

8. Purgationibus adiicere poterimus myrobalanos, cum post purgationem relinquant stypticitatem & roborationem. Vitanda itaq; sunt medicamenta, quæ refrigerant, potissimum ea, in quibus valida est hæc vis. Et calidis fouendi sunt ægri ac roborantibus potissimum. *Paulo auctore,* œnelæo calido, & similibus. Idem infundit oleum rutaceum commode, & oleum cucumerum erraticorum cū butyro & castoreo, & quæcumq; exsiccant & discutiunt, rutæ decoctum, agni seminis, & cumini. Valet & hic puluis: *glandis aridæ farinæ ℥ v. thuris masculi pollinis ℥ iij. myrrh. ℥ j. ß. sem. rutæ, acori, cyperi ana ℥ j. misce. fiat pul. detur ℥ j. cum vino rub. vel decoct. seminu myrti.* Aetius his, qui vrinam præter voluntatem emittunt per mordacia cataplasmata & malagmata & per rubefacientia ex sinapi apparata curat, & ex arenæ iniectione a sole feruefactæ, aquisq; naturalibus, & maxime sulphurulentis & bituminosis, primum quidem calidis, postea etiam frigidis, nec non & partes exercendæ & perfricandæ. Valet *oleum de been, cum pyrethro, pipere nigro, & cortice pini, & nucis cupressi, oleum cicinum,* inungantur circa radicem virgæ pectinem & perinæum. *Theriaca quoq; danda,* vt diximus, *vel methridatum.*

Observatio XXII.

De nobili puella quindecim annorum, ab ineunte ætate vrinam non continente, curata.

1. VBi vesica vrinam retinere nequit, quo symptomate affectos Paulus ἀκρατεῖς appellat, a

Galeno vero *6. de locis] affectis* ἀκούσιος ἔκκρισις τῶν οὔρων nuncupatur affectus hic: sed latinis vrinæ incontinentia, seu præter voluntatem excretio. Hoc malo admodum fœdo. Nobilis puella quindecim annorum, cum ab ineunte ætate in hoc vsq; tempus laborasset, vt huic vitio ac symptomati occurrerem, hæc infrascripta remedia præscripsi, quæ adeo iuuerunt, vt ab hac molestia liberata recte deinde valuerit. 17. Martii die, anno 1561. hic bolus omnium primo præscriptus est ℞ *cassiæ recens tractæ* ʒ vj. *rhabarb. optime pulueris.* ℈ j. *pul. sem. anisi* ℈ ß. *zacchar. candi dicto asperso, fiat bolus,* qui commode ventrem mouebat, fecibus communibus eductis, & egregie profuit. 19. Martii: ℞ *radic. acori veri, cyperi, ana* ʒ iij. *galangæ, xyloaloes, calami aromat. nucum cypressi, balaust. cortic. granatorum, granorum myrti, cupularum glandium, radic. sigilli Mariæ, radic. consolidæ maioris, radic. inulæ, ana* ʒ j. *gallarum, thuris, sem. agni casti, rutæ, ana* ℈ j. *cinnamomi selecti* ʒ ß. *omnibus puluerisatis & semel ebullitis cum vino rubeo styptico q. s. adiecto zacchato fiat claretum secundum artem. ad* ℔ j. ß. *capiat bis in die cyathum vnum.* ter reiteratum fuit. 29. Martii. ℞ *medullæ glandium exsiccat. vel eius farina* ʒ iiij. ß. *thuris* ʒ j. ß. *rasuræ eboris, spodii, galangæ, ana* ℈ ij. *cum* ℥ ij. ß. *syrup. menthacei,* fiat mixtura, cum eat dormitum: cum enim lectum commingeret quoque, capiat ad magnitudinem fabæ maiusculæ. Hoc quoque ter reiteratum fuit. 18. Aprilis. ℞ *equiseti, pentaphylli, plantag. cum radic. ana m. j. saniculæ m. ß. radic. acori veri, cyperi, enulæ campanæ, sigilli Mariæ, ana* ʒ ij. *galangæ, xyloaloes, calami aromatici, cupular. gland. ana* ʒ ß. *gallarum thur. sem. agni casti, rutæ, florum rosʃ. balaust. ana* ℈ j. *coquantur in vino rubeo q. s. aromatic. cum* ʒ ß. *cinnamomi selecti, & adiecto pauco zacch. fiat claretum ad pintam vnam cum dimidia.* Vicibus quatuor iterum fuit paratum. 6. Maii. ℞ *plantag. cum radic. pentaphyl. equiseti, buglæ, polygoni, saniculæ, vtriusque menthæ, ana m. ß. radic. acori veri* ʒ ij. *radic. consolid. maioris, radic. sigilli Mariæ, ana* ʒ j. *ros. rub. galangæ, xyloaloes, calami arom. incisi, nucum cypressi, cupul. gland. ana* ʒ ß. *sem. agni casti, rutæ, thuris, rasuræ eboris, cyperi, ana* ℈ ß. *fiat omnium decoctio artis ratione in vino rubeo pro pinta vna & dimidia, addendo cinnamomi electi* ʒ ß. *sacchari q. s. fiat claretum ad* ℔ j. ß. *addendo syrup. ex ros. siccis* ℥ j. ß. *misce.* quinquies innouatum fuit. Hoc enim clareto maxime delectabatur, & plus quam reliquis supradictis profuit: & ideo ad finem curationis eo vtebatur. 8. Maii. ℞ *menthæ, calaminthæ, flor. ros. rub. ana m. j. saluiæ, rutæ, origani, ana m. ß. radic. inulæ, calami arom. radic. acori, cyperi, ana* ʒ ij. *thuris corticum granat. sumach, cupul. gland. cupressi, balaust. ana* ʒ j. *coquantur in vino rubro Gallico styptico ad* ℔ j. ß. *misce pro fomento circa pubem.* Id enim, si quid aliud, summopere iuuabat. Bis autem reiteratum fuit. Post fotum circa inguina, pectinem, & pubem, & perinæum, fiebat inunctio cum vnguento infrascripto. ℞ *vnguent. Aragonis* ℥ j. *olei costini, spicæ, ana* ʒ ß. *misce.* 17. Maii. ℞ *medullæ gland. exsiccat. seu eius farina* ʒ j. *thuris* ʒ ß. *rasuræ eboris, spodii, cyperi, galangæ, ana* ℈ ß. *puluer. subtilissime & cribretur, & cum syrup. menthaceo* ℥ j. ß. *misce.* Cum aliquem calorem sentiret in renibus seu lumbis, hoc vnguento inungebat lumbos. ℞ *vnguent comitiss. olei myrtini, vnguent. infrig. Galen. ana* ʒ iij. *misce.* 10. Iunii. ℞ *medullæ glandium* ʒ ß. *flor. ros. rub. rasuræ eboris, spodii, cyperi, galangæ, ana* ℈ ß. *fiat pulu. subtilissimus, dissolue cum aqua equiseti q. s. adiecto zacchar. optimo, fiat confectio in tabul. secundum artem, bis in die capiebat* ʒ iij. *& sub noctem dum iret cubitum.* fuitque sexies reiteratum, & iisdem magno cum nostro honore fuit curata, puella nobilis & consiliarii filia.

2.

3.

4.

SCHOLIA.

5.

Simili fere modo adolescentem octodecim annorum, qui ab ipsa pueritia, lectum semper commingebat, curauimus: cuius historiam posuimus *lib. 10. obseru. 29. de vesicæ paralysi.* Paulus pueritiam eo vitio teneri affirmat, lacerti ceruicis vitio resoluti, quod pueris quandoque contingit etiam mingentibus in lecto. Hinc quidam sub vno capite de incontinentia vrinæ, & de mingentibus in lecto scribunt, alii seorsim de vnoquoque vitio agunt, vt Valescus facit, quamuis eædem caussæ, *de quibus Scholio præcedente diximus,* esse possunt. Auicenna tum eius sequaces ad duas caussas præcipuas illas reducunt, ad mollificationem musculi vesicæ, quam aliquando adiuuat acuitas vrinæ, & ad profunditatem in somno, in quo fiunt somnia a virtute imaginatiua, expultricem incitante. Et sic fit mictus in lecto non solum in pueris: sed & in iuuenibus & aliis, præcipue cum die præcedente vel nocte supra modum potui deditifuerint. Curantur calfacientibus & roborantibus collum vesicæ, *vt obseruatione tum Scholio præcedente dictum est.* Proprie vero ad eos, qui se in somno permingunt, conuenit, ex sententia Aetii, primo hœdi pulmo moderate assatus & citra panem large in cibo acceptus. Similiter leporis cerebellum siccum potatum ex vino, aut testiculum in vinum indito, & bibendum dato, *vt ipse refert.* Vesica quoque porcina per se vsta, & in potu exhibita iuuat: alii cinerem vesicæ fœminæ suis combustæ potandum dant: simili modo & ouilla vesica facit. Renes asini, (*vt quidam volunt*) in mero triti potique. Stelliones mire quoque prodesse traduntur, capite pedibusque interaneisque demtis: reliquum corpus inassatum, in cibo sæpius datur. At ego istis non libenter vtor. Interim vrina infantium (*vt etiam refert Benedictus Veronensis*) muribus elixis in cibo datis cohibetur. Ego hoc expertum noui a quibusdam muliérculis Delphensibus, quæ pueris elixos mures commode dederint. Idem confert, *si castorei* ʒ j. *in vino odorato in potu exhibeas,* pueris quidem grandioribus, non autem infantibus. Eandem vesicam ouillam seu caprillam vstam ex posca *Gal. 9. de compos. medic. secund. loca* præbat bibendam. Valescus magis laudat cum vino odorifero tepido tostam prius super tegulam ignitam vel laminam candentem torrefactam: nam vinum suo calore inquit, opus felicitabit: aqua enim & acetum membris ob-

De mingentibus in lecto.

6.

Ad eos qui se in somno permingunt.

bris obsunt, neruosis. Galenus quoq; leporis testiculum in vino odorato feruefactum, oblinereque iubet, pudendum cimolia terra, cum perdicii succo. Valescus cum cimolia, & felle tauri inungit pectinem & perinæum, alii pubem oleo rutaceo inungunt, & porcę vesicā laudant, vel tauri vel capræ ex vino nigro. Cum vero diuturnū & inueteratum fuerit hoc malum, veluti eos, qui præter voluntatem ob resolutionem vesicæ vrinā emittunt, hos curato. Differunt etenim ii ab illis, in eo ꝙ iis per somnū saltem hæc accessio cōtingit: illis vero, quibus ob musculi colli vesicæ resolutionem hoc accidit, etiam dum vigilāt eodem modo afficiuntur *ex sententia eiusdem Aetii. cap. 25. lib. 11.*

Observatio XXIII.

De puero decem annorum, calculo vesicæ laborante.

PVer decem annorum, cum vrinam crudam & colore subalbidam meieret, & sedimentum arenosum & sabulo simile conspiciebatur, & pudendum sæpe scalperet, atque id violenter & sæpe distentum haberet, atq; tunc magis cum ad vrinæ excretionem vrgeretur, deinde continue quoque vrinam propellens vexabatur, ex quibus signis, *quæ ab Alexandro & Paulo referuntur apud Alexand. lib. 9. cap. 7. & Paulum lib. 3. cap. 45.* intellexi puerum calculo vesicæ laborare, eoque magis, quod vrina de repente eidem subinde supprimeretur, præsertim vbi lapis in vesicæ ceruicem incidisset, cuius & Galenus meminit 1. de locis affectis. Cum autem hæc animaduerterem, & parentes a me consilium peterent pro puero, cum sectionem libenter non admitterent, ad quam, si non curaretur, deueniri oportebat, inprimis cum communem habeat hæc affectio curandi rationem cum calculo renum, ideo eandem victus rationem obseruandā esse mihi ipsi proposui, quam in libro præcedente fusius de calculo renum curando recensuimus. Præter illa, quæ ibidem diximus, imperauimus, vt puer sibi caueret a lacte, *ex Galeni decreto 6. de morb. vulg.* & per consequens ab omnibus lacticiniis, vel a lacte confectis & caseo, nec non ab aquis impuris, & multo limo refertis, ac vehementer frigidis, *vt & Aetius admonet.* De curatione vero omnium primo considerare oportet, nunquid puer sit in ipsa accessione, & dolor vrgeat, & lotium supprimatur ex calculo os colli vesicæ obstruente vel grauante, quo minus lotium reddere posset, vel supprimatur. Aliter vero tempore remissionis procedendum quoque est. Verum nunc loquimur de calculo vesicæ, quamuis etiam calculus prolapsus e renibus aut vreteribus in vesicam, permanens in ea mictum impedire potest, de quo satis dictum est, quomodo & is calculus curari debeat, qui aliquando in vesicæ capacitatē illapsus, si paruus est, paulo post facile mingitur: tunc quidem dolor cessat in renibus & vretere, a quibus prius illapsus erat: sed si rursus in vesica obstruat, iisdem remediis, quibus lapis ex collo vesicæ amouetur, vel per vrinam ducentia, cum emollientibus subinde emingitur vna cum vrina. At in vesica, si nouus sit, nec adhuc adeo magnus, præcessit crassi humoris & pituitosi mictus, adeo vt matellæ fundus tali pituita plenus appareat: hæc autem lapidis materia. Ipsius vero iam concreti signa clara sunt, cum vrinam supprimat, ex syringa, hoc aūt facit, cum minor meatum claudere exacte potest. Nam si magnus, potius grauando facit stillicidium vrinæ. Sed antequam syringa vtamur, videndum & aliqua signa, quæ & Rhases posuit ex Paulo: quoniam æger gestit sæpe penem contrectare, vt hic puer faciebat, & ipse penis sæpe erigitur: quod sane accidit & his, qui vlcus vel dolorem aliquem in eo sentiunt: nam dolore repletur & intumescit. At hic signa vlceris non erant. Quod si magnus sit lapis, & sępe in equitando dolorem percipiunt, & quasi pondus graue in vesica. Ceterum vbi puer in dolore erat, & fomentis dilatantibus & emollientibus ac dolorem sedantibus relaxantibusque vtebamur, etiam post ventris deiectionem ex glande, (*quamuis etiam clysteres molles iuuent*) adhibitis iis, quæ simul lubricarent & vrinam ducerent, ac lapidem comminuerent, *quorum exempla præcedente libr. posuimus, & paulo antea.* Quod si in totum vrina suppressa sit ex calculo, qui eiusmodi remediis, neque fomentis, neque balneis cederet, nec supino figurato ægro, vt crura reliquo corpore essent sublimiora, ipsum concutiendo, vt superius dictum est, quibus peractis æger iubendus est, vt vrinam reddat, & si neq; hoc modo amoueatur, id cathetere cum cautione tentandum. Verum tempore remissionis consuluimus, vt puer vteretur iisdem auxiliis, quæ ad calculum renum conferre diximus, postea etiam iis vtens, quæ paulo validiora essent. Tamen in puero commendauimus inprimis illud efficax auxilium ab extra, ab Alexādro comprobatum, longo tempore & experientia prius inuentum, caprillum seu hircinum sanguinem calidum extrinsecus illinitum, super vesicam impositum. Verum longe optimum esse fatetur, si in calido balnei aere ipsum illinas, atque ita deliges, id vero non modo semel, sed sæpe & per interualla. Dedimus & huic puero, sicuti & aliis, nostram destillationem de radice ononidis, de qua sæpius ante dictum est: quibus & hic puer, tum alii, vbi calculus exiguus esset, probe calculum cum lotio expulerunt. Sed illud quoque hic meminisse oportet, validioribus ibidem conscriptis, nempe libro præcedente, vti oportere, indicatione sumta a parte affecta & præsertim ab eius positu. Namque crassities, quæ potissima caussa (*vt etiam Donatus ex Aetio annotauit*) generationis calculi in vesica existit, per extenuantia remouenda est, ne multa materia crassa congregetur. Quapropter validis atq; efficacioribus medicamentis vtendum, de quibus quoque lib. præcedente ad longum diximus, cum de calculis renum ageremus. Peculiariter autem, vbi ea non suffecerint (*eiusdem Aetii auctoritate*) tanquam lapides vesicæ atterentia & vrinam ducentia pharmaca hæc competunt, fœniculi sylueſtris radix, graminis radix, artemisia, chamæmelum, amaracus, althææ radix & semen: sion quod

circa aquas nascitur, adianthum, smyrnii semē, rumicis radix, lapis spongiæ, lapis Iudaicus, qui tecolithos dicitur, asplenon herba, lithospermon lapis, qui ab ægris per lotium eiectus est tritus ac potatus, vermes terreni recenter cocti, triti cum vino, vitis lacryma. Horum vnumquodque (*vt ipse inquit*) cum vino albo datur decoctum, aut siccum inspersum, aut cum melle, seu cum quopiā ex vino & melle potu. Danda etiam in potu ea, quæ vrinam cient, velut est cucumeris semen, apii, petros. ac violæ albæ semen, & corporibus, quæ frigidiorem habent temperiem, meon, phu, acorum, ac reliqua calidiora præbeto. Poterunt quoq; varia medicamenta componi, ac prout vsus exigit exhiberi cum vino albo, aut aqua mulsa, seu decocto asplenii & radicis graminis, aut etiam oxymelite. Puero imperaui vt semel in hebdomada, vel singulis mensibus bis acciperet hunc bolum. ℞ *cassia recens extracta.* ℥ vj. *vel* vij. *olei amygd. dulc.* ℥ ij. *cum zacchаro asperso fiebat bolus, dabam lithonthribonis.* ℈ ij. ß. *cum* ℥ iij. *decoct. rad. apii. ononid. cicerum rub. & graminis.* Deinde imperaui, vt aliqua decocta fierent ex iam supradictis, quod si neque per hæc & similia lapis in vesica atteri possit, vbi meatum obturans vrinæ suppressionem induxerit, eo modo curari debent, *ex præcepto Galeni*, quæ ischuria orta ex calculo curatur, & vbi ex multifaria concussione curari quoque non valeat, catheterem immittere oportet, *vt paulo ante diximus.* Sed si neque hæc suffecerint, consului vt ad sectionem transiret eo modo, quo a Paulo *cap. 60. lib. 6.* docetur. Deinde extracto lapide, & cicatrice vlceri obducta, ea victus ratio constituenda erit, ne eos renasci contingat, quam etiam Aetius instituit *capit. 15. libr. 11.* Præstat hos a cœna vomere, neque quicquam feruens in cibo sumere, quod renes & vesicam excalfaciat. Cauere oportet cibaria substantiæ duræ, & quæ ægre manducatione atteruntur, & ea, quę multam substantiam habent, plurimumque nutriunt, & quæ aceruatim digeruntur antequam perfecte concoquantur: grauis item qualitatis, & quæ difficulter commutantur, ac supernatant, & ægre per aluum subeunt, ac inflant: item, quæ meatus obstruunt, aut alias diutius in corporibus insident. Ex huiusmodi enim cibis venter labore fatigatus, ipsos aut crudos, aut semicoctos ad hepar & renes digerit: atque ita quod crudum cumulatim allatum est, inepte præter naturam excolatur, & cum tumultu ad renes progressum, statim coactum inspissatur. Omne lac, præter asininum, vitet. Aetius calculosis heminæ mensuram præbet post matutinas deambulationes id præseruat a lapidis generatione. Dat *aquam calidam fontanam puram, leuem, aut vinum tenue, vrinam ciens, non valde vetus.* Dulcia vina, *vt etiam libr. præcedente diximus*, calculosis nocent. Porro, vt compendio dicamus, *omnis diæta in frigidiore temperatura præditis exquisite attenuatoria sit, in calidioribus vero inter attenuatoria & impinguantia media. Satietatem vero præ omnibus aliis vitare oportet dulcium præsertim, & ex caseo conflatorum ciborum: vnde & cruditatem infestissimam eis censere oportet: in quam si quando incidant, impastus & abstinere cibo manere decet, frigora magis quam æstus cauenda. In temperatis locis degant, in quibus anni tempora & hora nimio feruore non infestent. Assumantur etiam ociosa deambulationes, & exercitia moderata: segnities enim & ocium eis nocent. Ceterum ventrem prebe laxum habere oportet: hic enim, si bene subierit, puriora lotia prodibunt.* Hactenus Aetius, qualia & huic puero post incisionem, si ea vtendum esset, vt obseruaret, mandaui.

S C H O L I A.

Recte dicit Aetius *lib. 11. cap. 9.* quod etiam in vesica lapides generantur, pueris frequentius quā ætate prouectis. Voraces enim pueri sunt, & perpetui motus, & cibis vtcumque oblatis & nociuis vtuntur, neq; horam cibum capiendi seruant ordinatam, quin etiam prius quam prior assumtus cibus concoquatur, alium ingerunt, & cum vehementius a cibo moueantur, crudus & incoctus in venas cibus distribuitur. Mollia autem sunt illorum corpora, & quæ facile cedant eiusq; rei gratia obturationem circa renes non perferunt. Quum vero crassissima lotia in vesicæ amplitudinem perferantur, ibidem veluti vini fex & limus aquæ subsistunt, ac postea ex loci caliditate desiccata lapidescunt. Ceterum aquæ impuræ & multo limo refertæ, itemque duriores & vehementer frigidæ lapidum generationem adiuuant. Vesicæ lapides, *vt & Rondeletius contra Fernelium scripsit*, ex pituita multum viscida & crassa in vesica indurata augmentum recipiunt, veluti cortex quidam supra lapidem generatur, ita vt videantur ex multis tunicis, aut multis veluti ostrearum testis confecti. Ob id difficillime franguntur vel medicamentis, vel ferro. Est autem hic affectus præter naturam morbus in numero ac in excessu, vt antea de renū calculo etiam dictum est, toto etiam genere præter naturam *vt liquet 14. meth. med.* Et eius prima potissimaque caussa est vrinarum crassitudo, vt 6. de morbis vulg. a Galeno scriptum est, eaque in vesica collecta, & in vnum coiens cum semel aliquando non apto tempore excreta intus diutius remanserit, concrescendi coagmentandique initium capit: eo vero principio facto facile (*quod iam superest*) quicquid iterum crassi in vesicam delabitur, priori agglutinatur, maiorque inde tophosus calculus redditur, quemadmodum extra & in calidis aquis sponte nascentibus & innatis, vbi calefit aqua, quotidie lapis coalescere cernitur. Opitulatur autem nō parum in hoc vesica ipsa vt quæ frigida sit, neruosa, ac pauci sanguinis, nec non amplissima inferius concauitate inanis. Et sic vesicæ calculi in pueris magis, vt diximus, quam viris generantur, neque a tanta caliditate, sed materia potius crassiore, & ad generandos calculos, prompteq; ab insita caliditate concrescendos idonea. Atque caliditas ad coagmentandum lapidem etiam non parum operatur, licet non ipsa præcipue, sed materiæ qualitas ipsius compunctionis caussa exsistat. Et propterea quiuis calor, etiam mediocris, vt in pueris reperitur, ad huiusmodi materiam

Quis affectus præter naturam sit calculus in vesica.

Materialis caussa generationis lapidis.

Efficiens caussa.

11 *Cur senib. calculi non generantur.*

materiam inspissandum satis est, nedum ascititius ac igneus, namq; opus est, vt aliquid faciat ad coagmentandum lapidem, etenim senes humorem crudum non parum aceruant, quanquam non propter edacitatem, vt pueri, sed propter concoquentis imbecillitatem: quia tamen calorem adeo fortem non habent, vt ex ea materia crassa vaporem resoluens lapidem generet; propterea in eis calculi non generantur, *eodem Galen. auctore comment. aph. 26. lib. 3.* vel admodum rarissime, sed in renibus potius, idque in adultis magis, quibus materia tunc magis retenta in renibus minus cum vrina percolatur. Pueris autem in vesica ob caussam iam dictam, ex Aetio, ob crassissimas vrinas quas habent & edacitate, tum quod a cibo ludentes, prosilientesque mouentur, lactentibus vero & materia ipsa occasionem præbet, lac enim natura crassum est, & ad calculos creandos aptissimũ, vt liquet ex eodem Galen. *lib. 6. de morbis vulgaribus*, quod omnium medicorum consensu pro confesso habetur. In vesica enim igitur (*vt etiam a Donato longiore sermone ostenditur*) pueris magis quam in ætate prouectis calculus concrescere solet, ex communi sententia Græcorum fere omnium auctorum, quinimo hunc proprium esse puerorum morbum, Hipp. simul cum Gal. *26. aphor. 3. lib. & 2. de natura human.* testati sunt. Si autem accidat, quod genitus calculus in vesica per chirurgiam curari debeat, pueri vsque ad decimumquartum annum propter corporum mollitudinem facile curationem recipiunt. Senes, quod corpus ipsorũ contumax sit, vix consanescunt. Mediæ vero inter has ætates etiam medio quodam modo in hoc sese habent. Paulo auctore *cap. 60. lib. 6.* Et rursus (*vt ipse inquit*) facile sanantur, qui maiores calculos habent, propterea quod inflammationibus assueuerunt qui minores, difficulter sanãtur, contrarias ob caussas. Habentes ventres molles, raro calculo vesicæ vel renib. si fiat in senibus, difficilime curatur, aut admodum raro: caussam cum de calculis renum ageremus diximus, & quæcumq; ibidem dicta sunt huc transferri possunt.

Pueris cur magis quam adultis in vesica lapis generetur.

12 *Prognostica.*

Observatio XXIV.

De calculo vesicæ, per vulnus, in quo facta fuerat prius incisio longo tempore, sponte reiecto. Et de altero lapide post mortem in vesica inuento.

1 Lapis hic vesicæ ab vtraque parte depictus per vulnus, in quo longo tempore prius facta fuerat incisio, sponte reiectus fuit a iuuene quodam Delphensi in domo orphanorum agente, cui nomen erat Cornelius Florentii, ætate 16. annorum. Hic anno 1587. 28. die Aprilis nocte intra horam duodecimam & primam, cum ad mictionem sese præpararet, vltro hunc lapidem reiecit, ponderantem vncias duas mercatorum cum dimidia: siccatus vero vnciam vnam cum dimidia pendebat. Cum tertium annum ageret, facta fuit incisio per Guilhelmum de Dalen lithotomum. Rursus cum annum quintum excessisset, ab alio calculo re ita vrgente facta quoque est incisio. Et iam etiam tres anni præterierunt, quod etiam per vulnus alium lapidem seu calculum sponte reiecerit, nucis iuglandis magnitudine, ab vna parte cuspidem ob longam habentem. Ceterum Iohannes



Guilhelmi, subsecretarius Ordinum Hollandiæ, mense Augusto, anno 1594. cum multis annis calculo laborans miseram vitam traxisset, tandem mortuus est. Ad cuius cadauer incidendum in Hagam Comitis vocatus sum: chirurgo corpus incidente, in vesica inuentus est lapis ponderans vncias tres & ℥ ß. qui caussa mortis fuit: erat subrotundus, ouum magnum excedẽs, vesica quoq; reperta fuit vlcerata, ex collisione lapidis tantæ molis. Renes quoq; alterati & quasi vlcerati spectabantur, potissimum vero sinister.

Scholia.

Distinctiones: differentiarum lapidum.

Refert Gradus *multiplices esse lapidum seu calculorum differentias, alius enim* (vt iam prius quoque dictum libro præcedente, cum de calculis renum loqueremur) *in renibus præcipue noxam inferens, alius in vesica, alius vero in viis mediis nempe vreterum, alius in ipsa virga aut pene, vel fistula vrinaria. Quidam rursus durus, quidam mollis, alius frangibilis & substantia arenosa, & facilime dissolubilis, alius dissolutioni omnino resistẽs. Rursus hic magnus, alius paruus, alius vero mediocris: quidam rursus rotundus, alius oblongus vt hic erat, etiam magnitudine excedens, in iuuene prædicto: quidam angularis, spinosus quidã magis æqualis, modo vnus, modo plures.* Hinc Rhases 10. Continentis inquit. *Id iam penes nos certum est, quendam emisisse lapides septem modico tempore instar auellanarũ, alium autem habuisse lapidem ouo gallinæ maiorem, & rursus fuit in vesica numerus multus vsq; ad decem lapides: & erat lapis ad magnitudinem pomi, rursus lapis modo albus, rubens, cineritius, niger aut differ̃ter coloratus,*

modo in corpore pingui, macilento, aut malum hereditarium est, modo incipiens, modo lædens, modo confirmatus calculus, fixus, vel mobilis, aut periodos habens, & cum sæuissimis symptomatis, de quibus iam satis dictum est in præcedentibus. Caussæ autem lapidum, quod huius vel talis formæ sint, sumuntur ex parte loci, in quo generantur. In vesica plerunque rotundus, albus, aliquando cineritius in renibus rufus, aliquando asperi lædentes, in vreteribus parum oblongi, parui instar prunorum: modo sunt angulares, spinosi ob nitrosam vrinam transeuntem. Sed de his satis dictum est. Potiones vero ad calculum salutares, ex diuersis auctorib. collectas, tum simplicia & composita quæ ad calculos eiiciendos faciunt, vide ad longũ apud Alexandr Benedictum Veronensem, medicum doctissimum, *lib. 22. c. 43. 44. & 45.* in quibus latissimum campum remediorum contra calculos inuenies: *& commentarium Guainerii*, qui hanc materiam sua praxi, quamuis barbara egregie exornauit.

OBSERVATIO XXV.

De quodam cui post calculum vesicæ excisum vrina muccilaginosa permanebat, vt rursus metus esset de nouo calculo.

MArtinus Alcmarianus cui mercator cognomen erat, eo quod diuersas merces venderet, vtcunq; senes exsistens, cum iam 45. annum attingeret, & longo tempore calculum in vesica habuisset, & intolerabili cruciatu quasi excarnificaretur, tãdem eo deductus fuit, vt lithotomo accito lapis magnus eidem excisus fuerit. Hic tamẽ post aliquot annos, cum in vrinæ ardorem incideret certis periodis, & perpetuo vrinam muccilaginosam & albam redderet, metuebat sibi rursus de calculo. Cum itaq; ad me consultãdi caussa venisset, anno 1551. mense Iulio, cum mihi vicinus esset, ac in platea frumentaria, dicta habitaret, ne rursus calculo afficeretur, consului, vt corpus mundum a multitudine humoris pituitosi, ex quo lapis generari solet, teneret, & vt vitaret exercitium immoderatum post repletionem, atq; cibos crassos, pituitosos, flatulentos, legumina, lac, caseum, & ventrem quoq; molliorem sibi conseruaret, natura vel arte, panem azymum declinaret, mustum & ceruisiam crassam, & cibi satietatem: comederet vero carnes pullorum gallinarum, caponum, turturum, columborum, oua mollia, vinum biberet clarum, ceruisiam claram: a crassa & recenti vt abstineret iussi: & carnibus in bulliẽdo adderet rad. petros. pastinacæ, & vt ius cicerum sæpe sumeret consului. Quod ad medicamenta attinet, vt sumeret cassiam pro lenitione ventris, & si opus esset purgatione, vt acciperet *diacatholici, elect. lenitiui & diaphœnici*, propter pituitam *ana* ℥ ij. *cum* ℥ iij. *decoct. rad. fœniculi, maluæ, & cicerum rub.* Si quoque ad vomitum procliuis esset, vt raphani decoctum caperet, cum oxymelite, iussi: Nam vomitus ad pręcautionem est valde vtilis, & raphanus cum oxymelite etiam facit ad materiam viscosam phlegmaticam incidẽdam. Quod si ardor vrinæ illum etiam tunc fatiger, addendus *syr. viol.* is etiam relaxabit stomachum, vt melius vomat, & contemperabit vrinæ ardorem. Præterea consului, vt etiam medicamenta, vomitu præcedente (nam vomitus præter id quod ad præcautionem vtilis est, *vt modo diximus*, etiam facit ad ventriculi detersionem, & generationem & incrementum lapidis impedit) vel etiam ante vomitum dentur leuiter detergentia (*postquam antea cassiam sumpserit aut lenitiuum*) deinde detergentia & aperientia simul permixta: postremo, si lapis rursus increuerit, etiam incidentia & lapidem frangentia. Talem potionem commendauimus. *℞. rad. fœniculi, petros. glycyrrh. rad. maluæ, an.* ℥ *j. ficuum ping. ix. passul. enuclear.* ℥ *j. sem. anisi, fœniculi, ana* ʒ *ij. sem. quat. frig. maior.* (ob ardorem vrinæ) *ana* ʒ *j.* ß. *sem. milii solis.* ʒ *iij. betonicæ, cherefolii. an. m. j. coquantur in aqua communi pro* ℔ *j. adde oxymel. simplicis, syr. de limonibus, ana* ℥ *j.* ß. *misce.* Deinde iterum fuit purgatus potione suprascripta, vel his pilulis. *℞. pilul. de hiera.* ℈ *ij. rhab. optimi* ℈ *j. cum aqua betonicæ, fiant pilulæ vij.* Deinde capiat sequens. *℞. lithont.* ℥ *j cum aqua decoct. maluæ, rad. althææ, saxifrag. ononid.* ℥ *iij fiat potio.* Iussi quoque, vt frequenter adiiceret *olei amygdal dul. recenter expressi, succi limonum, ana* ℥ j. & si opus esset, vt nostra destillatione vteretur, *de qua sæpius dictum est.*

SCHOLIA.

POnunt autem medici celebriores tripliciter in vesica lapidem generari, *Ex arena*, sed raro, vnde fit tophus *ex lapide iam in renibus concreto, & ex fæce vrinæ.* Cum vero lapis iam vlcus excitauerit, aut carnem, signa confundi. Omnibus tamen (præter signa superius relata) certiora signa, digiti in rectum intestinum, cui vesica incumbit, immissio, & catheter, sed quæ non sine dolore adhibentur. Suppressa vrina corpore supino & concusso si prodeat, tunc lapis meatum occludit, vt ante ostensum est. Neque catheteri semper fidendum. Mercatori cuidam (*vt Hollerii interpres refert*) omnia calculi vesicæ signa aderant. Cathetere probari non potuit. Mortuo duo magni calculi inuenti sunt, singuli ℥ ij. ß. membrana inclusi, vtrique sita. Vbi concreuit in vesica, fere maior euadit, ob maiorem capacitatem vesicæ, nec nisi vi extrahitur. Refert Beniuenius de muliere calculo euulso sanata, sic scribens. *Calculum non in viris tantum, sed etiam in fœminis concrescere certum est. Monialis quædam duodecimo iam die vrinam non reddebat, propterea quod ipsius vrinæ iter calculo obstrueretur, quo etiam materia multa confluxerat. Quare cum neque ænea fistula, neque medicamentis aliis vinci hoc malum posset insolitum alioquin, sed tamen opportunum consilium capiens, vncum calculo iniicio, ne scilicet concussus iterum in vesicam reuolueretur. Tum ferramento priore parte retuso calculum ipsum percucutio, donec sæpius ictus in frusta comminuitur: & tunc omni qua potui diligentia, ne quid intus omnino læderetur, vncum ipsum pariter ac ferramentum reduco, ex quo simul vrina atque calculus remissus, statim sanata est mulier.* Vidi similem fere casum de muliere magnum ac insignem calculum habente, iam extra vesicam delapsum in tenui membrana pudendo inhæ-

Lib. de abditis caussis morb. cap. 10.

do inhęrentem, secat lithotomus membranam: & calculus excidit. Atque ita citra omne periculum a calculo matrona annos supra LXXV. nata liberatur, & qui alias spõte (*vt videbatur*) casurus erat calculus, ope atque auxilio sectoris prius cadit. Superuixit hæc pluribus deinde annis, sed vrinam continere non potuit.

Observatio XXVI.

De calculo magno vesica, qui incisus extrahi non potuit, vnde tandem ager post diuturnos cruciatus mortuus est.

IVuenis quidam annos 20. natus, cum calculum in vesica magnum haberet, multis tentatis remediis, etiam a Paracelsicis, qui iactauerant, se lapidem, quantumuis magnum suis arcanis posse resoluere in tenuissimum puluerem, cum nihil iuuamenti sentiret, acciuit chirurgum lithotomum: is quędam fragmenta extraxit, sed totum lapidem facta incisione ad se attrahere non potuit: vnde perpetuo cum intolerabili dolore tabe cõsumtus periit. Cadauere inciso nobis præsentibus, lapis ab vna parte primo præruptus, ad magnitudinem oui relictus in vesica repertus est: in renibus vero nihil lapillorum inuentũ. Hic & ante incisionem, & etiam post plurimos annos vitã misere protrahens, tabe consumtus obiit. Præstitisset, cum præ magnitudine lapis extrahi non posset, sectionem reliquisse: nam cum totum eum extrahere conarentur, occasionem mortis dedit.

Scholia.

IN calculo vesicæ licet fortioribus medicamentis sit opus, quam in calculo renum, prius tamen prouocata vomitione & purgatione (modo in collum vesicæ non sit impactus) & detergentia & aperientia & postreme fortiter incidentia & lapidem frangentia propinanda. Quod si forte obstruat ceruicem vesicæ (*vt istis diebus contigit in sene*) & vrina repente supprimatur, cum ex supina figuratione cruribus reliquo corpore sublimioribus, etiam concutiendo senem, lapis non exiret, statim iussimus argentea fistula lapidem ex ceruice vesicę dimoueri, ac lapide in fundum detruso, ægro mingente, & dolore sedato, pectinem & perineura fomentauimus *cum decoct. maluar. althææ, cum rad. anethi. chamæmel. melilot. sem. lini, & fænugræc.* inuncto loco cum *oleo amygdal. dulc. axung. gallinæ, oleo liliaceo, succo helxines adiuncto, & exiguo sang. hirci*: sumta etiam *caßia recenter extracta, adiect. pauco oleo amygdal. dulc. & iniecto clystere* exhibens *sanguinis hirci præparati* ℈ ij. *cum* ℥ j. *syr. capill. Ven.* Facit & iniectio per syringam *olei scorp. amygd. dulc. & liliorum.* His atque similibus ad tempus senex ille optime postea habuit. Verum cum ita vesicæ inhæreat, sicuti matula excrementa hærentia contrahit, ita & imbecillior vesica. Deinde imbecillitate vesicæ, & angustiis viarum impeditur exclusio. Hinc mors, quia febris & inflammatio sequuntur. In consilio secandi videndum qua parte sit, & an sine periculo eximi possit, an pertinaciter hæreat, an sit in meatu virgæ, & anfractu colli eiusdem. Cõtusio ab asperiore & longiore operatione inflammationem, gangrænam, mortem denique infinitis adfert. Sunt qui iniecto oleo scorpionum, & aliis per penem frangi posse contendant. *Interpres Hollerij vidit mulierem, qua inunctionibus & suctu penis multos liberauit.* Calculus aliquando si non sit magnus, vel in vesica, vel in ipsam a renibus collapsus ex vesica aliquando expellitur, vrinam retinendo in pene. Nam vrina sic retenta viam dilatat, & præparat ad calculi euacuationem, & concutiendo corpus, & affatim, cumque impetu reiiciendo vrinam. Sunt qui napo orbiculato oleum accommodatum immittunt. Napum coquunt: deinde ad modum emplastri pubi admouent. Alii dicunt, quod si in raphanum cauatum verettum immittatur, lapidem, nisi magnitudo obstet, trahet. Quidam in raphano excauato crocum adiiciunt. Nec solum calculi caussa hoc faciunt, sed etiam difficultatis vrinæ ob crassum, viscidum & glutinosum humorem, aut sanguinis thrombum meatum obstruentem. Sunt qui (*vbi nulla remedia prosunt*) aperto vesicæ collo, quomodo lithotomi faciunt, viam aperiant, nulla vi eiusmodi illata, quæ inferri solet a variis generis ferramentorum, vbi calculus extrahatur. Atq; ea ratione facta via, aliquando sponte natura calculus, nisi grandior sit, excluditur. Hoc in mulieribus facile, ob breuitatem & rectitudinem colli vesicæ administrari potest: vix tamen sine lęsione aut laceratione sphincteris: vnde sequitur inuoluntarius vrinæ exitus, vt superius quoque ostensum est. In viris difficilius, ob reflexionem, quæ fit in modum literæ S. Tutior tamen videtur hæc ratio. Sed si lapis grandior sit, instrumentis intra frangendus. Deinde sectio facienda paulo supra anum, qua parte est sphincter, secundum fibras rectus. Sed hæc ad lithotomos pertinent, quibus hæc cura, sed peritis, *ex Hippocrate*, committenda est.

Observatio XXVII.

De vesica inflammatione lethali.

NAuta infelix, quamuis robustus, Schiedami habitans, cum in vasto mari tempestate valida ingruente gubernatorẽ nauis ageret, malumq; eligeret, lignum istud versatile, quo in altũ malus ducitur, vi ruptum est, & nautam inter crura, fœmora ac perinęum ipsum in altum leuans, eundem fere extra nauem in mare proiecerat, & perinæum ac pectinem ita læsit, vt in inflammationem vesicæ non solum inciderit, verum & mortem deinde incurrerit, cum in naui chirurgus præsens ad manum non esset. Ceterum miserum hunc nautam & semianimem Schiedami ferunt: & tunc accitus chirurgus, neq; venæ sectionẽ adhibuit, sed testibus mirum in modum inflatis, emplastra: & pectini & perinæo apponit, & linimenta adhibet: & mox lotium in totum suppressum ac relictum fuit. Cum omnia in peius vergerent, re deplorata me vocarunt. Integer testium locus, & totius veretri, ex magna inflammatione, & inflatione supra modum ingenti, niger euaserat: ego ex esthiomeno mortem præsagiebam. Glande tamen iniecta ter aluum excreuit, quod prius facere non poterat. Continuo febricitabat, delirabat, vigiliis

tum doloribus consumebatur, at phlebotomia tunc adhibita nihil iuuaminis attulit, & cum lotium reddere non posset, neque fotus, neq; insessus, nec cataplasmata anodyna adhibita iuuerunt, neque catheter leuiter immissus, vt lotium prolectaretur, quicquã effecit, & quæcunq; per superius exhibebantur, non retinebat, omnia euomebat. Postea cum rursus ad eum accitus essem; dolor & inflammatio cum sæuis accidentibus augebantur. Iniecto clystere nihil profecimus, ita neque diuretica post emollientia, non admodum vehemẽtia ob inflammationem, profuere. Duo adhuc adhibiti chirurgi, post meum discessum. Sed facto prognostico quod æger moreretur, instante morte, cum & sextus dies ageretur a mali principio, vocatus est Guilelmus lithotomus de Dalen. Cum lotium non redderet, exclamabat miser vt chirurgi testes & veretrum abscinderent, quod in homine iam moribundo tutum minime esse dicebant. Mox infelix nauta misere cum clamore obiit, ad septimum diem fere vitam protrahens, cum magna atrocitate eam amittens.

SCHOLIA.

3 *Vesica infla mmatæ signa.*

HVius mors miserabilis erat: forte euasisset, vel saltem mitior fuisset, si medicus aut chirurgus peritus eidem adfuisset in naui. Præter alia sæua symptomata aderat hic vesicæ inflammatio, testabantur illam ipsam communia inflammationis signa, & quædam propria. Nam ardor, dolorque cum grauitate circa pubem ac inguina eundem molestabant, febris aderat, eaque continua, mentis alienatio, vomitio bilis syncere, & vrinæ reddendæ impotentia, imo postea, malo increscente, eiusdem retentio. Hæc quoque a Paulo numerantur. Vigilant quoque & delirantes aliena loquuntur, & durus fit eis pecten, & pubes, vna cum vehementi dolore, & egerendi appetentia, velut in tenesmo fieri solet: quod vero egeritur tenue est, & subsidentiam non habet: aliquando & inflationes sequuntur, & aluus adstricta est, intestino recto ob inflammationem vesicæ compresso, *Aetio teste.* Caussæ cum variæ sint, vt externæ & primitiuæ, vti hic erat ictus in nostro nauta, ita enim fit vulnere, obuiatione rei duræ, attritu, assidua equitione, potis pharmacis & vesica aliquando inflammatur, cum lapis importune eximitur, quod magnitudine, aut chirurgi imperitia contingit, qui lapidem quæritando excruciat, sed ex lapidis duri offensione: nam & lapis aut dolor ex eo succedens caussa antecedens esse potest, & affluxu humorum vt ceteræ inflammationes fieri possunt. Et ideo raro fit, *vt dicebat Rondeletius,* nisi præcedat magna quædam exasperatio, vel ob dolorem vehementem ab vlcere, vel a calculo, & post vsum medicamentorum acrium. Phlegmone itaque oriri potest in vesica, *vt Paulus scribit.* Vesica multas venas habet, & prope magnas venas sita est. Quare non minus inflammationem patitur, quam aliæ partes internæ posteriores raro vesicam circa ceruicem inflammari arbitrantur, alii vero, *vt Auicenna scribit,* vt plurimum apostema circa collum vesicæ fieri. Caussas coniunctas esse volunt Neoterici, vt Valescus, conculcationẽ humorum constrictorum in parte vesicæ, aut colli ipsius ibidem permanentium, & cum non euacuentur, nec a natura recte gubernetur, tumorem producunt, apostema & putrefactionem. Quidquid sit, inter omnes morbos; qui circa vesicam oboriuntur, grauissimus & maxime mortiferus inflammatio exsistit (*eodẽ Aetio auctore.*) Hinc sequitur, quod (*vt quibusdam visum est*) inter omnes inflammationes in vesica, ea lethalior sit, in qua vehemẽtior excitatur dolor, febris acuta magis, ac cum vrinæ, tum alui deiectionis omnimoda suppressio adest, e contra minus lethalis erit ea, in qua prædictorum signorum contraria apparebunt. Etenim febris ex inflãmatione vesicæ non absque ratione fit: & quanto illa maior est & grauior, tantum augeri febrem contingit, ex Galeni auctor. *comment. aph. 44. lib. 6.* Addunt alii in septimo mortem portendere, si sub ala panus ortus fuerit, periculosior quoq; si superueniat vlceri. Auicenna malum pronuntiauit, ob ingentem dolorem in membro neruoso & sensibili, & ob nobilem actionem toti corpori necessariam, quæ ablata & impedita mortem infert vel minatur, etiam ob malignitatem symptomatum, quæ succedunt Grauis quoque est vesicæ inflammatio, cur citissime conuertatur in gangrænam, ob magnitudinem.

Caussa primitiuæ. 4 *Caussa antecedentes.* *Caussa coniuncta.* 5 *Signa prognostica.*

OBSERVATIO XXVIII.

De vesicæ apostemate seu inflammatione.

1 VIr quidam ætate quadraginta annorum, tumorem supra pectinem habebat cum febre continua, & vrinæ retentione, ac alui excrementorum, adeo vt in sudorem syncopalem & deliquium animi quasi incideret, & vomitus biliosus subsequeretur, & magnus dolor circa vesicæ regionem: & quasi deliraret, & venter omnino illi sisteretur, vnde & inflatio ac ructus aderant: cui & breuibus aliquando & maioribus interuallis exacerbationes fiebant. Ad hunc ingressus, statim clysterem mollem, in hunc vel similem modum, etiam infrigidantem iniici iubeo. ℞. *folior. maluæ, viol. mercurialis, lactucæ, cucurbitæ. ana m. j. prunor. sebesten. recent. ana num. ix. sem. lini, maluæ. ana ℥ ij. fiat decoct. in aqua communi. pro* ℥ x. (aluus enim leniri debet pauca quantitate, ne intestina valde repleta vesicam extendant & magis comprimant) *in qua dissolue cassiæ recens extractæ* ℥ j. ß. (quia aluus nihil reddebat) *mellis viol.* ℥ j. *olei viol.* ℥ iij. *salis valde exiguum addatur, & statim iniiciatur.* Postquam 2 aluum deiecisset, cubiti venam internam secari iussimus, sanguine vtcunque extracto, reuulsionis gratia, & altero die subsequenti ex tali vena, rectitudine seruata, euacuationis gratia cum deriuatione, cum satis robustus esset, & egregie contulerunt hæ sanguinis detractiones: Statim post primam sectionem inunximus locum dolentem *vnguen. rosa. & oleo violaceo,* hoc etiam vel simili cataplasmate imposito. ℞. *radic. bismaluæ* ℔. *j. folior. viol. m ij. prun. dactyl. mund. ana num. xx. coquantur in aqua communi, contundantur, & transmittantur per setaceum, addendo de decoctione quantum poteris, adde farina hordei* ℥ *ij. olei ros.* ℥ *ij.*

rof. ℥ ij. *misce.* & cum lotium non bene redderet, fotum quoq; adhibuimus, sed leuem, ex decocto sem. lini, fœnugr. in hydrelæo: alii addunt paucum anisi & seminis dauci, & ægrum in eo decocto insidere faciunt. Nos iussimus per irrigationem fieri, vel potius in vesicis semiplenis admota, aut spõgiis. Et cum imbecilla esset vesica, ad expellendam vrinam, vt æger mingeret, iussimus vt ipse vel aliquis ex astantib. scite ac placide pectinem premeret, neq; id vltra modum, ne dolor inde intenderetur, *vt Aetius admonebat.* Cum morbus adhuc procederet, & dolor nondum mitigaretur, chalactica hunc in modum adiecimus: vt ℞. *olei amygd. dulc.* ℥ *ij. olei chamomill. & de sem. lini ana* ℥ *j. butyri recentis & pingued. porci ana* ℥ *iij. misce, fiat linimentum;* vngatur regio vesicæ. Idem præstat *vnguent. resumt. lotum in aqua hordei.* Deinceps quoq; modo vno modo altero vtens, etiam locos vesicæ irrigãdo *ex oleo chamamel. anethino, seminis lini, aut eo, in quo althæa rad. & folia fuerint incocta,* cœpit iis melius habere. Interea consului vt meatus vrinæ aliquo modo detergeretur, vt melius meieret, vel aliquid saltem vrinæ redderetur, & id quod a parte inflammata exsudat. Sufficit autem iniicere serum lactis (*vt Rondeletius facit*) cum pauco zaccharo. Si prædicta non satis fecissent suum munus, cucurbitam supra pectinem aut pubem vna cum scarificatione adhibuissem; vel melius, *vt alii faciunt,* lumbis & ilibus. Et vbi istis medicamentis malum non cedat, papaueris calicem simul cum oleo incoquunt, & adipem anserinum, & gallinaceum in ipso oleo eliquatum simul infundunt, *vt Aetio visum est:* qui & Ruffi auctoritate, vehementioribus exsistentibus doloribus, opiatis medicamentis vtitur, ex opio, modica myrrha, & croco composito medicamento, lanæque illito in podicem indit, similiter cataplasmatibus alii vtuntur, *ex crudo hordeacea farina, capitib. papau. hyoscyami foliis,* ac modico mandragoræ succo adiectis. Interim & illi quoque, si vrinæ suppressæ periculum vrgeat, necessario ad catheteris vsum confugiunt, non quod affectionis molestiam tollat, sed vt vrgentem vrinæ suppressionem corrigat, & a præcipiti periculo liberet, *vt liquet ex Aetio:* quamquam periculo non careat catheteris immissio in viris, vt supra diximus & exemplis ostendimus: mulieribus vero ipsum adhibere nihil absurdum. Breuis enim (*vt antea quoque retulimus*) ipsis vrinæ meatus exsistit, & recta situs, vt citra dolorem hoc molimen admittant. At post vrinæ prolectationem, rursus ad eadem mitigatiua auxilia accedendum, vsq; quo inflammatio soluatur, aut supputetur, *vt eidem Aetio visum est.* In declinatione vero per os dedimus leuiter detergentia, cum emuls. sem. 4. frig. maiorum quæ nõ sua acrimonia, sed aquea & tenui substantia vrinas mouēt. Et dolore iam sedato *cassiam* quoque exhibuimus in fine morbi, *scilicet* ℥ *j. cum aqua malua, vesicariæ* ℥ *iij.* & cum iam minus febricitaret, etiam vinum aquosum assumsit ad maiorem vrinæ prouocationem. In principio tamen quantum potuimus ægrum asseruauimus pauco cibo & potu; & a vino abstinuimus, eius loco exhibendo *aquam hordei, in qua cinnamomi valde exiguum erat decoctum:* & quantum ad alimenta, quæ parum nutrirent concessimus, & quæ refrigerarēt; *vt cremorem hordei, lactucam, viol. maluam;* & ex fructibus, quæ vrinas acres contemperarent, *vt pruna, poma, sebesten;* a pyris & adstringentibus abstinuimus, & ab iis, quæ multum detergunt, vt sunt ficus, passulæ, & reliquam victus rationem instituimus, quam in renum inflammatione scripsimus conuenire. Quibus præsidiis hic recte deinde se habuit.

Scholia.

Curatio inflammationis vesicæ, satis ex hac obseruatione constat. Ceterum fiunt iuxta recentiores in vesica vel eius collo, modo calida modo frigida apostemata. In calida, continua febris oritur, vesica vehementi dolore intumescit, difficultas adest anhelandi, sitis accenditur, bilis vomitus concitatur, dolor capitis adest, immodicæ vigiliæ, facies cum oculis rubore confusa, aliena loquuntur, lingua aret cum nigritie. Eaq; symptomata, *teste Oribasio,* in pueritia atq; adolescentia, quæ calidis diureticis exasperantur vel cataracticis acutis mordentibus, tum reliqua adsunt, quę *in obseruatione præcedente* diximus. Frigidi vero notæ contrariæ cernuntur: febris cum dolore, ac siti remissa cernitur, os non ita æstuat, neque tumor, sed grauis tantum sentitur, æger somniculosus est: pituitam vomit, facies pallet, lingua saliua madet. At suppuratis collectionibus, atque ruptis, vrina purulenta demittitur, grauiter olens, tumor residet ac dolor quiescit. Cum vero extrinsecus in anteriori parte rumpitur apostema, innocentius, quanquam intus in cauum erumpit, habetur. Huius curatio conuenit cum curatione inflammationis renum: sed minus astringentia & refrigerantia regioni vesicæ sunt admouenda, ne accidat ischuria, quod symptoma est valde frequens per se in hoc malo, & maxime molestum periculosumq;. Magis vero vtendum relaxantibus & dolorem lenientibus. Hic ergo præferuntur linimenta, epithemata, perfusiones, cataplasmatis & emplastris: quoniam hæc suo pondere partem grauant, ita, vt ea multo difficilius dilatari queat: vnde fit, vt dolor affligat vehementius. Inclinante autem morbo, cum iam dolor & tensio remissa sunt, cataplasmatis sine vllo incommodo vti possumus. Id quoque obseruandū, quod in apostemate vesicæ, sicuti renum, non oporteat vrinam prouocare, neque euacuatione, maxime in principio; neque clysteribus, sed lenibus emollientibus, minimeque attrahentibus vti. Et catheter in principio non adhibendus, neque syringa, sed in statu vbi vrget vrinæ suppressio: sed cum cautione. Ab initio si materia calida fuerit, protinus e cubito sanguinem demere oportet, vbi fluat; idque a dextro vel sinistro, prout tumor magis in vna parte, quam in alia adsit, deinde ex talo vel saphena. Leniatur aluus ante, etiam post, si opus est, clysteri emolliente, *ex viol. althæa, prunis, myxa, oleo viol. addita cassia, cum iure pulli, & similibus:* & vtatur hordeato satis liquido, & iusculis mitigantibus. Abstineat vino,

Frigidi apostematis nota.

Cautio.

Cautio.

diureticis, & mellitis: & vbi aluus resistat, clysteribus iam dictis leniatur. Et si sit materia calida, biliosa, in principio conueniunt refrigerantia, sine magna adstrictione, vt ℞. *succi viol. vel lactucæ, vel solani quart. j. olei rosſ. quar. ß. agitentur simul valide.* Hoc imbuti panni admoueantur. Vel, ℞. *olei rosſ. omphac.* ℥ *ij. olei viol.* ℥ *ij. aquæ rosſ. parum.* Sed istis frigidis non diu vtendum. Adiicienda, si metus sit ex frigore, etiam quædam lenia discutientia; vel cum vesica hydreleo plena locus fouẽdus, vel cum spongiis. Et ad sedandum dolorem, hoc, quod sequitur: ℞. *rad. maluæ, bismaluæ ana* ℥ *ij. viol. m. ij flor. chamom. meliloti flor. viol. ana p. j. sem. pap. albi* ℥ *ß. misce. fiat decoctio,* qua foueatur pars affecta. Efficacius erit medicamentum; si addas *farinæ semin. lini, & fœnugr. ana* ℥ *j.* post fotum fiat linimentum hoc: ℞. *muccilag. sem. psyllii & cydon. ana* ℥ *j. olei chamom. lilior. ana* ℥ *ij. ping. gallinæ, anseris, butyr. recentis ana* ℥ *j. farinæ hordei* ℥ *ij.* incorporentur simul, & fiat linimentum pro parte affecta. Accedente statu, miscenda sunt discutientia, vt farina fabarum, orobi, & similia. Præstat & fotus ad dolores; *ex anethi, fœnigr. althææ rad. decoct. lana succida infusa leuiterq; expressa fotu medetur,* etiam lac asininum cum psyllio decoctum iniici potest. Post septimum diem chamomillam, lini semen, fabarum farinam, cum sapa decocta efficaciter impone, quæ & dolorem sedant. Damus & *decoct. sem. 4. frigid. maior. & portulacæ, & maluæ, & althææ, cum syrup. viol. eodem tempore,* & in statu morbi *farina fabar. sem. lini, & chamomilla cum sapa cocta medentur:* si tamen nimium tumet, adde violam & maluam. Si fit ex materia non adeo calida, iuuat rapum, seu napi decoctum, vel in cinere tostũ emplastri modo impositum, & illa, quæ in statu valere diximus, & brassica cum hibisco decocta, & imposita, & balnea ac euaporationes, ex emollientibus & resoluentibus. Suppurante apostemate, decoctum infundimus *meliloti, chamomill. fœnugræc. seminis lini, cum oleo violæ luteæ:* nam & idem infusa spongia prodest impositum. Et emplastrum mitigatorium ex *meliloti farina, seminis lini, fœnugræci, chamomillæ, tritis cum arida ficu, adipe gallinaceo, ac anatino, oleo ex violis luteis.* Vbi enim ad suppurationem vergat, eadem iuuanda erit cum his, quæ in aliarum partium inflammationibus ad suppurationem vergentibus conscripsimus, & sæpe diximus. Et post maturationem, si non disrumpatur abscessus, eidem quoq; mature opitulandum est, pro eius disruptione; quo disrupto, quam præcipiemus mox in sequentibus, vlceris curationem conuenientem adhibebimus. Et si sit apostema frigidum, ex renum quoq; curationibus auxilium inuenies. Si apostema tandem in duritiem conuertatur, nec remediis cesserit antedictis, tum oleum amygd. dulc. ac siliquæ Ægyptiæ succum atrum cum aqua melonis, apii, fœniculi, & similium damus vtiliter: duritias enim mitigant apostematis: vtiles quoque potiones facit ius brassicæ vel seminis decoctum ex oleo amygdalino. Extrinsecus imponenda emollientia etiam balnea, *ex mal. alth. caulibus, & frequens insessio iuuat.*

Si ad suppurationem vergat.

Ad dura apostemata.

Observatio XXIX.

De vesicæ vlcere.

NOn raro contingit ipsam vesicam exulcerari: quod & Hippocrates *aphoris. 81. lib. 4.* docuit, his verbis: *Si sanguinem aut pus minxerit quis, ac squamulas, ac grauis dolor adsit, vesicæ vlcerationem significat.* Sic rusticus quidam ex oppidulo Schaga, anno 1558. 22. die Ian. vna cum lotio purulento ad me venit consultandi caussa: qui cum ardore vrinæ simul detineretur, & purulenta mingeret, & sub pube vehementer doleret, & in imo ventre, & cum difficultate stillicidium pateretur, & simul dolor pectinis adesset ac pubis, cum quadam duritie, & simul cum quadam egerendi appetentia, vt in tenesmo aliquando fieri solet, cum & vrina purulentum protinus destillaret, graueolens, in quo & veluti squamæ, furfuraceæ veluti laminæ discurrebant, & furfuracea in imo vitri residebant sedimenta, iudicabam vlcerationem vesicæ adesse, quanquam is putabat, se calculo laborare, ac lapidem in vesica habere. Cum vero nihil sabuli vnquam in lotio apparuisset (*illo testante*) neque signa lapidis vnquam adfuisse ex eius sermone intelligere potui, cum prius neque vrina cruda fuerit, neque colore subalbida. At quod vlcus in vesica esset, *ex dictis Pauli* facile animaduerti, qui ex dolore vehementi in pube, & imo ventre, vrinæque difficultate, & ex pure, quod vbi redditum est, subsidet, squamulisque fœdi odoris vel laminis similibus vesicam exulceratam indicari scriptum reliquit, *cap. 45. lib. 3.* Cognoui quoque quod vlceratio esset in vesicæ amplitudine: idq; ex perpetuo dolore, qui circa pubem sentiebatur. Verum antequam curationem instituerem, cum ex variis caussis fieri possit, (*de quibus latius in scholio*) cum non ex abscessu aut apostemate aut calculi asperitate originem haberet. (*nam paulatim ab acribus humoribus a toto corpore confluentibus ad vesicam originem sumsisse mihi videbatur, aliquo tempore prius etiam præcedente ardore vrinæ, quo & nunc etiam afficiebatur, cum vrina acris esset vna cum pure:*) Ideo cum grauis futura esset curatio, præsertim in rustico annum quadragesimum excedente, qui facile, tædio remediorum afficeretur, & vno quasi medicamẽto (*vt ceteri rustici solent*) putabat se posse curari, cũ scopus curandi diuersus esset, neq; vno remedio, sed pluribus opus esse indicaret; propterea vt hic in vrbe maneret donec curatio absolueretur eidem consului, alioqui parum nõ posse in tam graui ac difficili malo præstare. Ceterum cum illud illi integrum nõ esset, & ego post septimanam Delphos accedere cogebar, consultationem, vt petebat, sequentem eidem in scriptis dedi. Quod igitur ad methodum curãdi attinebat, duplex scopus sese nobis obtulit, vnus in curatione morbi, nempe vlceris, repurgandi primo, secundo consolidandi. Alter vero in curatione accidentis versabatur, sc. in mitigatione doloris, & ardoris vrinæ, & difficultate mitigandi. Vbi puris acrimonia contemperabitur, ardor citius cessabit: & si fortasse pus crassius fuerit, vt difficulter mingat, cum leuib. vrinam puocantib. & detergentib. curabitur, modo non

sint valde calida, vt vlcus irritent. Itaque cum hic vlceratio fieret ob acrium humorum fluxum, illi ipsi primum præparandi sunt & purgandi; deinde vlcus curandum. Dedi igitur hunc bolum cassiæ: *℞. cassiæ recens extractæ* ʒ j. *sacchàro violaceo asp rso fiat bolus.* Quo sumto duabus horis ante pastum, præcepi ne dormiret. Sumto enim medicamento leui ac debili solutiuo dormiendum non est, ne natura, quæ somni tempore intrinsecus est fortior, quam in vigiliis, tanquam nutrimentum medicamen in suam substantiam conuertat. Vbi autem medicamentum est acre aut forte, siue sit potio, siue bolus, siue pilulæ, eo sumto dormiat ægrotus. Solutiuum autem medicamentum non operatur, nisi reducatur de potentia ad actum a calore naturali, qui intrinsecus in dormiente fortior est, quam in vigilante. Minus autem dormiendum potione laxatiua sumta, quam bolo: minus vero sumto bolo, quam pilulis. Humores deinde acres vt præpararentur & contemperarentur, hoc decoctum, vt ebiberet, consului: *℞. decoctiones hordei mundati, sem. quat frigid. maior. lactucæ, capill. Ven.* ℥ *ix. syr. ex infus. viol. mellis ros.* (etiam ad detersionem) *ana* ℥ j. *misce. pro tribus dosibus.* Deinde rursus purgetur leuiter materia biliosa acris, quæ ex toto corpore affluebat ad vesicam: *℞. cassiæ recens extractæ* ʒ vj. *diaprunis solutiui* ʒ ij. *cum zacchàro asperso fiat bolus.* Præstat autem in huius mali curatione vti bolis, quam potionibus. Victum autem præscripsi talem, qualem conuenire antea scripsimus ad vlcerationem renum: & mandaui, vt pro detersione vlceris subinde mane acciperet cyathum vnum atque alterum seri lactis, quo rustici vti consueti sunt, & vt se in lecto componeret: & si decumbere non posset, (quod tamen Aetius *lib. 11. cap. 29* his verbis suadet: *Primum igitur persuadendus est æger vt decumbat, & in lecto quietem toleret, idque maxime, si febres simul adsint: deinde remedia febribus intermittentibus adhibenda*) saltem vt quietum se teneret, cum non ita febricitaret: & sumto quatuor vel quinque diebus sero lactis, ad potum lactis veniret. Maxime vero hic prodest lactis potus. *Neque scio,* inquit Aetius, *an post vllum aliud remedium secundo saltem loco id sit habendum: nam & asperitates lenit, & vlcerationes eluit, aliasque affectiones extergit.* Dedi autem ouillum, cum caprillum deesset, vel bubulum. Pro vrinæ ardore, sub noctem iussi, vt caperet hordeatum, *& lac amygdalatum cum emulsione semin. quatuor frigid. maior. & papau. albi, etiam ad doloris sedationem.* Iubebam quoque, vt cum syringa lac ouillum *cum emulsione seminis cucumeris, & interdum decoctum hordei non excorticati, foliorum plantag. & rad. glycyrrh.* iniiceretur: & propter acrimoniam adderetur *aliquid amyli aut seminis althææ, maluæ. cucumeris, vel fœnugræci cremor. interim etiam & seminis papaueris.* Alii in hunc vsum in vesicam infundunt mulsam dilutissimam, vel lac cum *pauculo mellis, aut cucumeris semine, seu albuminis oui liquore, cum pompholyge, vel similium medicaminum aliquo, ex Pauli sententia.* Nos vero & trochiscum vnum Gordonii sine opio, modo in lacte caprino, si inueniri posset, modo cum hordei decocto iniecimus: cuius hæc est descriptio. Vlcus purificat, dolorem sedat, & ardorem, & conglutinat, & habet virtutem ad omnia iam prædicta, quibus hic æger afficiebatur: *℞. quatuor sem. frig. mund. maior. sem. papau. albi, sem. maluæ, bombacis, sem. portul. sem. cotoneor. myrtill. drag. gummi arab. pinear. mund. fisticorum, candi, penid. liquir. mund. hordei mund. muccilagin. psyllii, amygdal. dulc. ana* ʒ ij. *boli armen. sanguinis dracon. spodii, ros. myrrhæ ana* ℥ ß. *conficiantur cum hydromelle, & fiant trochis.* & cum iis vti volueris, distemperetur vnus cum lacte, & exhibeatur: valet in vlcere renum & vesicæ. Et si fuerit vlceratio in vesica, distemperetur vnus cum lacte, & proiiciatur per syringam. Sint autem ponderis ʒ ij. qui cum vti voles, dissoluantur, *vt dictum est.* Hoc autem idem fecerunt aliquando Iason ille Pratensis eximius medicus, & M. Ioannes Tiengius, in Domina de Beueren simili malo laborante. Si vlcus sit satis purum, tunc trochiscum vnum cum lacte ouillo (*nam glutinat*) cum syringa in vesicam iniiciemus mane & vesperi. Si vero pus magis inhæret crassum, tunc vnus ex trochiscis in vesicam iniiciatur, *vt dictum est.* Hæc autem magis conducunt, quam sumta, quod ab ore ad vesicam longa sit via. Interea tamen consuluimus, vt per os acciperet eodem tempore, hunc bolum primo: *℞. cassiæ recens extractæ* ℥ j. *pul. trochis. alkachengi* ℈ j. *fiat bolus.* Valde hic conueniebant trochisci alkachengi seu haliacacabi, cum valeant ad renum & vesicæ vlcera, & natam inde dysuriam: & ideo aliquando vt ʒ j. caperet cum lacte ouillo iussi. Dedi & antea hoc decoctum, cum multis remediis vti posset, nam rusticus diues erat: *℞. rad. cichorii, pentaphylli, bistortæ glycyrrh. ras. maluæ ana* ℥ ß. *agrimoniæ, pentaphyllonis. plantag. portulacæ, equiseti, maluæ. capill. Ven. ana m. j. florum nenuph. viol. ana p j. sem. pap. albi* ʒ ij *sem. quat. frig. maior. portulacæ, anisi ana* ʒ j. ß. *sem. althææ* ℥ j. *iuiubar. sebesten ana num. xij. granor alkachengi num. v. fiat decoctum, in aqua communi pro* ℔. j. ß. *adde syrup. ex infus. rosar. commun. violar. mellis rosar. colati ana* ℥ j. *syrup. ex rosis siccis* ℥ ß. *arom. cum* ʒ j. ß. *trochisc alkachengi sine opio.* Capiebat & has pilulas sequentes: *℞. terebinthinæ Venetæ claræ, lotæ in aqua equiseti,* ʒ ij. *glycyrrh. pulu.* ʒ j. *succi glycyrrhiz.* ʒ ß. *fiant pilulæ instar cicerum, & dentur tres, & superbibat cyathum vnum decoct. suprascriptæ.* Postea & his pilulis, vt vteretur, mandaui, ad maiorem consolidationem: *℞. terebinthinæ lotæ in aqua plantag. mummiæ. trochisc. alkachengi sine opio, boli armen. veri ana* ʒ ß. *succi glycyrrh.* ℈ ij. *gummi traga.* ℈ j. *cum aqua equiseti fiant pilulæ ad modum cicerum, dentur vt prius.* Interea iubebam, si forte dolor ægrum valde vrgeret in meiendo, vt hunc in modum mitigaretur: *℞. maluar. radicis althææ ana m. j. chamameli, meliloti ana m. ß. radic. nymphææ, & semin. eiusdem ana* ℥ j. ß. *seminis haliacacabi* ℥ ß. *calami arom.* ʒ ij. *decoquantur in aqua, in qua calida madefacto filtro & expresso fiat fotus super pectinem.* Fotus autem spongia non faciendus, propter salsedinem quam a mari habet; nisi prius in aqua calida sæpe immersa salsedo extracta

7

fuerit, filtrum in hoc casu magis conueniens est. Post fotum inungatur vnguento sequenti: ℞. *olei amygdal. dulc.* ℥ j. ß. *olei viol. muccag. althææ, & fœnugræc. semin. lini ana* ℥ j. *seminis haliacacabi in tenuissimum puluerem redacti, semin. nymphææ ana* ʒ j. ß. *croci* (ingreditur enim omne medicamentum sedatiuum doloris) ℈ j. *adiecta cera fiat vnguent.* quo vngatur pecten & perinæum post fotum. Verum sedato dolore, iis non diu insistendum, ne relaxetur vesica, cum & vlceratio post puris detersionem exsiccantia maiora & consolidantia desideret: & tunc in decocto, & in eo, quo fit iniectio addenda radix consolidæ maioris, & herbæ saniculæ, & buglæ, &c.

SCHOLIA.

8 *Caussæ.*

CONtingit autem vesicam vlcerari, *teste Aetio lib. 11. cap. 29.* aut propter præcedentem abscessum, aut ob tuberculum, quod præcessit, aut ex ruptura, seu ob fluxionis rosionem, aut alia similia quapiam caussa. Exulceratur præterea propter scabiem, ob vsum cantharidarum, aut propter calculum asperum, aut propter pituitam aliquam salsam, aut bilem lotio permixtam. Ab apostemate, vel vasis disruptis, vel erosis ab acri humore, & calculo, *Paulo auctore.* Percussis quoque, *teste Galeno,* exemplo cuiusdam, in quo vehementer icto, triduo abstinentia vsus est; quarta die vesperi chirurgo curante, vrina, quæ antea substiterat, per os vulneris egressa est heminæ mensura, hoc est, ℥ 60. ac statim dolor sub pectine sæuus cum grauitate leuatus est. Ardor vrinæ diu perseuerans, vlcus producit, vel idem cum vlcere exsistens, vlcus irritat, vel ex pustulis intus ortis. Vlceratur autem vel in cauo, vel in carnosa ceruice. At nonnulli sub vno capite scribunt & de scabie & de vlcere vesicæ, & quæ in virga virili contingunt, *vt Bertrutius facit.* Alii seorsim id agunt, vel saltem hæc vlcera distinguunt. Iuniores ad caussas externas seu primitiuas referunt cantharides assumtas, aut medicamenta vel aromata acria (*quorum frequens vsus apud Polonos & Germanos superiores*) & ad cibos acres salsos, & omnia illa, quæ ardorem vrinæ inducere possunt; huius generis sunt collisiones, casus, vulnera, ictus, & similia. Ad antecedentes, apostemata, abscessus, humorum acutorum confluxionem, vel vrinæ acrimoniam. Dignoscitur autem vesica (*præterea quæ diximus obser. præcedente*) exulcerata, ex ea excrementorum qualitate, quæ partibus adhærentia essentiæ proprietatem obtinent: cuius generis est id, quod Græce ἐφελκὶς Latine *crustula,* seu *ramentum* dicitur, lamarum speciem referens, *Gal. 1. auctore, de loc. aff.* Similiter a dolore cum positu; nam vehemens tormentum in pube, imoq; ventre sentiunt ægrotantes. Fit etiam ex actione læsa, quoniam vrgebit vrinę difficultas, *vt ex Paulo quoq; diximus.* Sed quoniam non satis est, (*etiam Donato admonente*) ad affectæ sedis inuẽtionem, ea duntaxat symptomata, quæ in præsentia infestant, intueri, *vt idem Gal. fatetur 6. de loc. aff.* sed ex his, quę pręcesserunt subinde definimus. Ea de re id quoq; inuestigari debet, vt certior dignotio fiat; num videlicet æger circa vesicæ positum

Caussæ externæ primitiuæ.

9 *Signa.*

Ab excrementorũ qualitate.

A dolore cum positu.
Ex actione læsa.

Ab iis quæ præcesserunt.

simul cum horrore ac febre dolores præsenserit; interrogando. Cum quibus etiam indiciis nonnihil confert, si id quod excernitur, sit cum ipsis vrinis confusum, aut contra. Nam id aliquando quidem exacte commixtum videtur, aliquando mediocriter, interdum vel nullam habet mixtionem, vel quodammodo superfertur, vel solum excernitur. Quapropter Galen. non ab re *eodem 6. de loc. aff.* de vesicæ affectibus verba faciens, dicebat, *quod vesica suppurata, solum pus sine vrina excernitur,* licet *citato libro, cum de colicis affectibus loquitur, deprehendi manifeste, atq; secerni vlcus penis ab eo, quod in vesica ortum est præceperit; quoniam in primo protinus exitu, signum vlceris apparebit, vrinam præueniens si in pene sit ortum: quod vero a vesica egreditur, vrinæ admixtum videbitur.* Nono etiam de composit. medicamen. secundum locum, *discerni,* dicebat *corpuscula, quæ excernuntur ex exulcerato pudendo, ab eis, quæ ex vesica feruntur, quoniam illa statim circa primum exitum apparent: verum quæ in vesica, ipsis vrinis admixta sunt: quamquam interea, si ramentum, seu pus vrinæ admixtum excernatur, in vesicæ vlceribus, confestim tamen,* vt inquit Paulus, vbi redditum est, subsidet, licet interim eueniat, vt solum pus sine vrina etiam excernatur, vel nullam habens constitutionem cum ea, quemadmodum sæpenumero accidit in penis vlceribus. Et propterea, vt facilius vnum ab altero discernatur, addit Galenus, *quod assidue inter meiendum mordicus dolent pudendorum vlcera, præcipue cum vel crustula, vel sordibus solutis pura fuerint: id quod in vesicæ vlceribus haudquaquam fit, nisi iuxta collum eiusdem vlcera consistant, vt inquit Aetius:* tunc enim mixtionis tempore duntaxat, & maxime vbi mingere cœperint, aut cessauerint, dolor sentitur; atque id amplius contingit, si vrinæ sint acriores, *vt ipse inquit cap. 29. lib. 11.* Quare licet in vlceribus, quæ in pene fiunt, etiam sine vrinis & pus & sanguis exeat, vt plurimum (*eodem Galen. teste commen. aphor. 72. lib. 4.*) nihilominus & simul cum eisdem vrinis statim circa primum exitum, quandoque pus emittitur, etsi cum eis nullam habeat mixtionem, quemadmodum de vlceribus vesicæ diximus. Sic etiam in vesicæ vlceribus euenit interdum, vt vrinæ admixtum videatur id excrementum, quod vlcera comitari solet, confestim tamen subsideat, vt inquit Paulus; idque sæpius accidit: interdum etiam vel nullam habet mixtionem, vel quodammodo superfertur, vel solum sine vrina excernitur, *vt idem inquit Galenus.* Attamen vtra potius istarum partium fuerit exulcerata, dolor, qui in differentibus accidit locis, & proprietas eorum, quæ cum vrinis excernuntur, indicabunt, *quemadmodum idem Galen. scriptum reliquit comment. præcitati aphorism. 75. lib. 4.* Pro discernenda exulceratione renum, aut vesicæ (*quod quidem indiscriminatim Hippoc. in eodem aphorism. conscripserat, sic dicens: Si sanguinem aut pus mingat, aut renum, aut vesicæ exulcerationem significat*) saltem ex dolore cum positu, illud discerni poterit. Vel dicas, *aliud esse, si pus ex vesica excernatur eadem suppurata; & aliud, ramentum ex ipsius vlcere.* Nam primum

10

Ab iis, quæ excernuntur.

A pene si pus emanat.

A vesica.

11

Si vlcus sit in collo vesicæ, quæ signa adsint.

Quibus indiciis distinguendum sit vlcus vesicæ a penis vlcere.

12

primum relatione ad alias superiores partes suppuratas, quæ per vrinam expurgari possunt, solum sine vrina excernitur, *vt inquit Galenus*, licet non semper, quod in aliis superioribus partibus haudquaquam euenit. At ramentum, si ex eiusdem vesicæ exulceratione secernatur, collatione facta ad penis vlcera, vrinæ admixtum videbitur: præuenire autem consueuit vrinam in penis vlceribus, ac protinus in primo exitu apparere, quamuis etiam idem ramentum in vesicæ vlceribus, relatione ad alias exulceratas partes se ipsa superiores, interdum vel nullam habeat cum vrinis mixtionem, vel quodammodo superfertur, vel solum excernitur, *eodem Galeno teste*. Itaque relatione ad penis vlcera, vt plurimum vrinæ admixtum videbitur ramentum ex vesicæ vlceribus decidens, quia non protinus in primo exitu apparebit, aut vrinam præueniet, vt in penis vlceribus contingit. Verum collatione ad alias superiores partes facta, vel nullam habebat mixtionem, vel quodammodo superfertur, vel solum excernitur, *vt diximus*, quia neque exacte, neque mediocriter cum vrina permixtum videbitur, sed vel nullam vel exiguam cum vrina mixtionem habebit. *Hæc etiam Donatus adferebat ex Galeno, Aetio & Paulo*. Verum hæc multo clariora exemplis subsequentibus euadent.

Observatio XXX.

De vlcere in collo seu ceruice vesicæ.

1 IVuenis quidam, cum in agrum per vimen descenderet, quasi saltando, sub infima pube ita se læsit, vt in abscessum deuenerit colli vesicæ, subsequente vlceratione. Potest autem vesica, sicuti & collum eius, exulcerari multis de caussis, vt ante diximus; quæ equidem vlceratio accidit, modo cum inflammatione, modo citra inflammationem. Hic vero collum vesicæ seu eius ceruix ad vlcerationem deuenit, quod etiam facile cognitu fuit ex loco affecto, & ex iis, quæ præcesserant: nam tales tempore mixtionis tantum, & maxime vbi mingere cœperint, ac cessauerint, dolorem sentient; atque id amplius continget, si vrinæ sint acriores, *vt Aetius dicebat*. Erat autem hoc ipsum vlcus cum inflammatione, ideo curandum vt de vlcere renum diximus. Sed chirurgus qui eum tractabat, venæ sectione omissa; reliqua medicamẽta sine vlla vtilitate adhibuit: neq; fotus neq; iussiones, neque syringationes quicquam ægro profuere: ita, vt iuuenis hic non accersito medico breui obierit. At alteri, cui etiam vlcus ex fluxione materiæ acris cum repletione, & inflammatione ceruicem vesicæ occupauerat, commode secta fuit vena in talo, clysteres lenientes & emollientes ac refrigerantes vtiliter per nos adhibiti, & inunctiones ex *vng. rosf.* & *iniectiones profuere* ex lacte muliebri (*cum ardor adesset*,) & liquore albuminis oui instar aquæ concussi, *adiect. muccag. psyllii, cydon. extracta in aqua cucurbita vel viol. & maluæ* etiam ad detersionem ex decoct. hordei non excorticati cum sero lactis. Per os dedi cassiæ recens extractæ ℥ j. *trochisc. alkachengi pul.* ℈ j. *cum* ℥ *iij. seri lactis*. Postea iniici iussi lac caprinum, vt magis detergeret: postea ad maiorem consolidationem ouillum & bubulum, *adiecto exiguo amylo, & trochis. alkachengi*. Deterso satis vlcere prius cum sero lactis & saccharo, subinde iniicere iussi ad maiorem consolidationem sarcocollæ ℈ j. *amydi, cerusæ lotæ an.* ℈ ß. nutriãtur in lactis muliebris aut caprini aut ouilli ℥ *ij. fiat iniectio in virgam*, quæ ter quaterve in die repetatur. Quæ egregie iuuerunt. Sic quoque vesicæ vlcus curatur, si sit cum inflammatione, iisdem remediis, quibus vlcus renum cum inflammatione, nisi quod maiorem, (*vt Rondeletius iubet*) quantitatem syruporum aut aliorum remediorum sumere oportet, vt ad partem affectã peruenire possint. Possumus & quatuor sem. frig. maiora addere. Nam alia prouocantia vrinam non sunt ponenda, nisi sint ex numero eorum, quę adstringendo id faciant & exsiccando, vt herniaria, lingua passeris, cortex mali granati & hoc maxime post totius corporis purgationem. Si sine inflammatione sit, curatur eodẽ modo, quo vlcus renum sine inflammatione, nisi quod magis oportet resiccare, ob partis intemperiem, quia medicamẽ a multum infarcta & debilitata ad partem perueniunt. Tentandum est etiam per fistulam æneam aut syringam oblongam aliquid in vesicam iniicere; quod cõmodius fiet, si æger in dorsum decumbat, cruribus sursum elatis, & digitis propellendo vsq; ad perinæum. Iniectiones autem fiunt ex detergentib. sine morsu, vel ex decocto hordei, decocto corticis cucurbitæ & corticis fabarum in minori proportione, *vt ex herbis leuiter detergentibus, cum pauco melle rof.* Aliqui & decoctum guaiaci iniiciunt. Post detersionem addi debent, quæ magis resiccant, & cicatricem inducere possunt. Et ista sunt vtilia in vlcere sine lapide.

Scholia.

HIc autem erat vlcus in collo vesicæ: quod cognouimus ex dolore circa pubẽ inferiorem, & dolore in mingendo. Si fuisset in amplitudine vesicæ, dolor totam pubem occupasset: Si fuisset in pene, etiam pus exiisset sine vrina; *cuius signa iam diximus*. Ceterum cum vesicæ vlcus morbus sit in soluta continuitate, omni tempore dolor acutus comitatur ægros, maxime vero mictionis tempore, & excretionis puris: assidue etiã decumbunt, neque erecti stare possunt, neque reclinati quiescunt ægri, si quidem dolores acuti sunt, & vlcera iniucunda, partim quod vrina assidue ea contingat, partim quod ea natura acris exsistat, neque quamuis plurima excernatur, vniuersa vesica vacuari potest, sed semper ex vrina quippiam in ipsa relinquitur quod continue vlcera contingit; *vt ait Aetius*. Et si quidem sordida fuerint vlcera, fœculenta (*vt idem fatetur*) simul excernuntur, & muccosa, & quę crassam subsidentiam ad modum farinæ habent, aliquando autem & pelliculæ tenues ad modum foliorum & laminarum cum vrina excernuntur. Si vero serpendo depascant vlcera, subcruenta excernuntur, & saniosa, & fœtentia: ad hæc accedunt vrinæ emittendæ difficultas, & pudendi arrectio, & petulantia, & dolor non solum cum vrinæ meatus fuerit affectus,

3 *Signa differentiarum.*

Sordidorum vlcerum signa.

Vlcera depascentia.

4 sed cum tale quippiam in profundo exsistat. Ex pure licet de vlcere possimus iudicare, non nisi cum alia animaduersione de sede affecta. De qua re recurrendum ad ea, quæ de vlceribus renum, vreterum & aliarum partium superiorum diximus lib. præcedente. Vlcera renum sunt cum facilitate vrinæ: vesicæ vero cum difficultate. Et cortices in vlceribus renum sunt rubri: in vesica albi & crassi. Fœtor, squamæ, & odor grauis arguunt vlcera vesicæ, & difficultas, retentio, & pectinis dolor, eoque maior cum sit in membro neruoso. Si autem veniat pus a parte superiore ex abscessu aliquo, siue ex liene, siue ex pleuritide, dolor in illis locis id prius indicarũt. Si ex renibus, vide ea, quæ de renum vlceratione prius diximus: dolor adest in lumbis. Si in vretere, dolor in medio inter renem & vesicam hæret. Signa caussarum, quantum sunt ad vlcus vesicæ vel eius colli, ex propriis signis & indiciis percipies. Si enim a ruptura venæ, vel per calculum, vel ex ictu, casu, percussione, vel præcedente inflammatione, vel abscessu euenerit, ab astantibus facile dignosces, & ex iis, quæ præcesserunt. Si ab humorum acrium vel salsorum defluxione, signa humoris prædominantis aderunt, *de quibus sæpe dictum est*, vt eadem repetere non sit necessarium, cum & caussæ facile cognoscantur etiam ex iis, quæ postea de ardore vrinæ dicemus.

Vlcus vesicæ in quib. differat ab vlcere renum & aliarum partium.

Signa caussarũ.

Observatio XXXI.

De vlcere vesicæ, cum summa grauitate odoris in vrina, valde diuturno ac lethali.

1 VLcus diuturnum in ipsa vesica Melchior Gerardi vicinus noster habebat, cum tanto fœtore, vt vix apud eundem aliquis consistere posset: tradunt enim auctores, ex meatuum vlceribus superiorum vrinam nunquam grauiter olere, sed in vesica præcipue. Hic autem cum valde diureticis longo tempore vteretur, multo peius habebat, & vrinæ acriores reddebãtur, cum summo cruciatu, & ardore. Aliquod solamen ei præbebat decoctum *folio. maluæ, cum syr. viol. quod cum deesset, capiebam aqua maluæ ℥ iij. cum ℥ j. zacch. viol. vel iuleb viol. ℥ j. ß. lac amygdalinum ex amygdal. dulcibus, sem. quat. frig. maior. mund. & pap. adiectis paucis amygdal. amaris ad detersionem iuuabat.* Huic consului vt lacte ouillo cum zaccharo vteretur: vti & alteri mulieri, hoc eodem malo longo tempore laboranti, quæ tamen aliqua interualla subinde habebat; & quia vetula, licet adhuc superstes sit, difficulter curabitur, vti hic senex, qui tandem tabe & senio confectus ex hac malo eundem excarnificante mortuus est. Deinde & vetula post aliquot annos cum dolore vitam finiit, antequam hæc scripta in lucem prodirent.

Scholia.

2 OMnes autem fere qui vesicæ vlcere laborant (*quemadmodum & hic senex*) ab indesinente dolore, febribus, vigiliis & colliquatione perimũtur: alii quidem citius, alii tardius: & propter hoc ipsum & quoniam neruosa est vesica ipsa, insanabilia vt plurimum eius vlcera exsistunt: periculosiora autẽ sunt, quæ ex erosione sunt orta, & modica spes ea restaurandi, *vt eidem Aetio visum est.* Verum vlceribus exsistentib. in eius ceruice, quoniam non neruosa eatenus, & exsanguis est veluti eius cauitas, sed carnosa haud ita periculosa sunt, neq; ad curationem difficilima, quemadmodum de eius discissione comment. *aph. 18. lib. 6. Gal. sentiebat.* In summa, vesicæ vlcera difficilius sanantur, quam etiam ea, quæ in renibus fiunt: vesica enim neruosa est; ii vero carne constant. Ceruicis vero vesicæ exulcerationes facilius curantur. Sed quæ circa vesicam fiunt, potissimum in senibus, difficulter, imo raro aut nunquam curantur. Qua de re, tum propter hæc vlcera, tum etiam quoniam sępe pręter exspectationem quędam eueniant, cura aggredienda erit, per quam si nihil aliud, certe accessorii dolores minuentur, *vt etiam apud Aetium legitur.* Vlcera vero (*quod ad curationem attinet*) curamus hauddubio vniuersa, cum materiam prohibemus, cumque præparamus, aut alio auertimus, & cum vlcera demum repurgamus. Iis enim modis persanantur. Sed magnam partem ex antedictis renum remediis inuenies. Itaque a missione sanguinis (*potissimum si etiam adsit inflammatio vna cum vlcere*) e cubito, si per vires licuerit, curationem ordieris: postea etiam ex talo, vel si præterierit initium, etiam ex talo. Si id non expedit, acuta vel salsa materia præparanda est suis potionibus, ac victu quotidiano: dum damus, quæ materiam vrentem detrahunt & auertunt, tum vomitu, tum alui leui deiectione. *Syrupus viol.* ad intestina humores ducit, *& myrobalani citrini, indi, aqua viol. macerati*: sed & vtiliter *manna Syriaca, vel cassia: cum aqua fumariæ, aut lupuli liquefacta, syrup. ex infus. ros. pallid. etiam cum rhab.* Interea inflammatio seu dolor si adsit, iis prius succurrendum: deinceps vlceri, *vt obser. 29. tum aliis præcedentibus ostendimus.* Sic etiam vlcera si sunt cum lapide, non curantur, nisi lapis auferatur: cuius extractio valde periculosa est, propter vlcus. Cum enim distenditur vesicę collum, periculum est ne disrumpatur. Si vlcus iam fuerit profundum, tunc satius est vti cura palliatiua & vlceris & lapidis; vtendo quibusdam emplasticis & viscosis, vt lapidi inducatur quædam læuitas, quod fiet commode vsu lactis cum pauco amylo, aut aliis viscosis mane assumtis. Nam si læuis sit lapis, minus vexat ægrorum. Si vlcus a cantharidib. factum fuerit, & a principio neglectum, difficilius curatur. Si recenter assumtæ fuerint, (*quamuis lib. præcedente harum curationem diximus*) & fluxum sanguinis faciant, earum acrimoniam & vim exstinguere oportet, multo lacte asinæ aut alio: deinde fluxum sanguinis sistere, & ad vlceris curationem venire. Curatur iisdem remediis, exstincto veneno, quibus supra. Peculiare autem remedium est, terram sigillatam, bolum arm. *cum lacte amygdal. aut cum earundem oleo, vel cum lacte asinæ, vel capræ, vel vaccæ sumere.* Expurgat enim venenum, & partem resiccat sine morsu, & sanguinem constringit. Contra vlcera vesicæ habes egregia medicamenta *apud Rondeletium*, syrup. magistralem, opiata, lenientia, repurgantia, consolidantia & iniectiones: tum apud Aetium ex diuersis

3

Vlcera cum inflammatione aut dolore.

4 *Vlcera cum lapide.*

Vlcus a cantharidibus factum quomodo curetur.

uersis antiquis auctoribus collecta; ad quæ loca & auctores dictos lectorem relegamus. Breuiter, ad vlcerum abstersionem valet hordeacea aqua cum zacchraro pota & iniecta, vel mulsa dilutissima. Quibus addes & ea, quæ in obseruationibus dictis retulimus.

Observatio XXXII.

De vlcere vesicæ, concauitatem eiusdem occupante, valde diuturno ac lethali.

1 Nicolaus Dammius, prætor Haganus, longo tempore vlcus in vesicæ amplitudine habebat: cui & hæc signa aderant; dolor perpetuus circa pubem hærens: nam & in profundo vesicæ cum ægrum doloribus perpetuo affligeret, subinde pelliculas tenues instar foliorum & laminarum cum vrina excernebat, & semper dolorem, nec solum emictionis tempore, sentiebat; vnde & tabidus euadebat; magis macilentus, a chirurgis potu guaiaci ita tractatus, cum illum male indicarent morbo Gallico affectum: quibus macilentior indies factus, doloribus ingentibus ex vlcere admodum molesto conficiebatur. Tentatisque etiam multis remediis per excellentissimos medicos, tandem & per Ægidium chirurgum Traiectensem, cum & me vna consuleret, cumque scirem in sene malum incurabile esse, victum tantum commodum præscripsi, & leuia quædam remedia ad solamen tantum; iubens vt æstiuos soles, hyemem vehementer frigidam vitaret, lassitudines, etiam deambulationes, vectiones in curru, & equitationes: & ne humectantia loca incoleret: omnia enim hæc, vlcera fatigant; e contra loca montana sana habentur. Balnea quoque vitanda, & supinus incubitus, mollis pluma, venus, & inter cibaria acria, salsa, acetosa, & valde dulcia, vti & amara; vinum quoque multarum virium, & quæcunque difficulter concoquuntur, vel ignaui alimenti, vt raphanus, bulborum omnia genera, aromata vniuersa, & quæ iis condiuntur, & piperis & caryotarum vsus, caricarum & ficuum aridarum. 2 Lactis omnia genera commendauimus: ius quoq; gallinaceum & ptisanam hordeaceam, & lac cum amylo & zacchar. & cum similagine; & oua sorbilia. Inter aues *turdum, phasianum, perdices, attagenas, alaudas, ficedulas, merulas & similia, auesq; minimas & pinguiusculas, & cerebella: hædos quoque, agnos, vitulos, & eorum pedes: & cancros fluuiatiles.* Nonnulli & conchulas laudant, sed salsedo earum me terret. Palmulæ, passulæ, pineæ nuces non contemnuntur, & asininum lac, aut equinum, & obsonia assa quidem potius quam elixa, sine sale præparata, & vinum nullarum virium, multa aqua infractum, decocta vel ferrosa. In hac maxime iuuat *abstinentia, vel inprimis parcior potus*: æstiuis temporibus, in fortioribus, *cucumis, lactuca, cucurbitæ, melopepones, ingens cucumis, & eorum semen, vel papauerinum album duntaxat, lac amygd. hordeata, & pyra, mala cydonia vel condita cum puro sacchraro: cerasa sacchraro condita.* Aluus si resisteret, iussimus vt nil nisi mannam vel cassiam sumeret, cum sero lactis: & vt ab omni molestia sese liberaret consuluimus; in hoc enim affectu plurimum animi securitas valet. Et quia multis iniectionibus vsus esset *post hydromel dilutum, lac caprillum cum trochi. alkachengi,* & postea ouillum satis esse existimabam: & si venter durior esset, vt ex hac opiata vel confectione interdum caperet: ℞ *syr. ex infus. ros. pallid. mannatis selecti ana ℥ ij. fiat mixtura*, capiat subinde cochlear vnum. Hoc medicamentum hic valde vtile est. His quidem vtens, solamen aliquod habebat; quamuis senex ab eodem malo macilentior factus tandem, prognostico longo tempore prius habito, & hic quoque obiit.

Scholia.

3 Qvibus modis vlcera curentur, iam satis dictum est, nempe iis, quæ vlcera abstergunt, iisq; repurgatis etiam consolidantia adhibenda, vt de renibus exulceratis dictum est, vt est *hordei non excort. decoctum, cum glycyrr. & melle ros. etiam lac caprillum cum melle rosa. & alia iam supradicta.* Sed vbi eadem vlcera sordida fuerint, tunc pharmaca infundenda, quæ vim repurgandi maiorem habent; & augenda mellis, aut mellis rosacei quantitas; mordacitatis etiam tempore instante. Abstergunt vehementius mulsa, cum ficis aridis, aut furfuris marcor, vel decoctum. In intestinum quoq; per sedem ptisanæ succus infundendus est, & seminis lini succus, & cucumeris semen decorticatum tritum, cum lacte, rosaceo oleo ad singula instillato. Vbi vero vlcera putria & atra fuerint, aliqui lixiuiū, ex ficulneo cinere infundunt, *aut querceo vel abrotani decocto, vel adiecta mulsa.* Si vero minus putria fuerint, mulsa per se valet, aut serum casei recentis infusum. At si exulceratio serpendo serpat, subastringentibus medicamentis ab extra adhibitis vtendum est; atque his quidem calidis actu, vt ob calorem quidem partes circumdolitantes leniendo iuuent: ob potestatem autem ipsorum vicinos locos exulcerationem depascere prohibeant: sunt autem hæc, *vua passa, palmæ, gallæ, malicorium, alumen, acatia, hypocystis, & similia.* Singula autem ex his, aut palmis excipiantur, aut cataplasmatis ex loliacea farina. 4 Decoctio autem fiat in posca, *vt præcipit Aetius.* Similiter etiam in vesicam infundatur lac recens mulctum, per se aut cum amylo, aut rosaceum optimum recens tepefactum. Cum vero repurgata fuerint vlcera, adiuuare oportet vt ad cicatricem perducantur, atque id per insessus astringentes, & eiusdem facultatis epithemata. In quem vsum emplastrum ex ouis, hordeo vsto & cadmia, tripla eorum parte cum cerato myrteo aut rosaceo contemperata, commode superponitur. Paulus palmas imponi iubet, cum passula, galla, & acatia, hypocystide, ac alumine. Nec minus confert si medicamentum ex amylo, sarcocolla, & cerussa, pauxillo oleo rosaceo & cera additis, & cum lacte dissolutum iniiciatur in vesicam: generosiusque euadet, si vstum plumbum ac thuris corticem adiicias. Ceterum si ad multum tempus exulceratio perseueret, quemadmodum in plerisque fieri consueuit, tunc sane exacerbationes, & interualla siue remissiones ægros apprehendunt. Quare in exacerbationibus quidem cataplasmata, & fomenta, & irriga-

Ad vlcera putrida.

Ad nomas, & serpentia vlcera.

menta liniendi vim habentia adhibeantur. Remissionis vero tempore, ductu ad destruendum, (*vt etiam antea admonuimus*) malum apto vtendum erit; *quemadmodum ab eodem Aetio scriptum est, lib. 11. cap. 29. de vesicæ vlceribus, ex Rufo.* Habes ibidem veterum probata medicamenta, & Andromachi, & Asclepiadis, & Oribasii, & Olympii Sophistæ.

Observatio XXXIII.

De vesicæ scabie.

Vlcali vicinitate de scabie vesicæ aliqua subiungemus: ex peruersis enim humoribus generatur: aduritur enim vrina, quæ & furfuracea emittitur. Eo inueterato morbo contabescit corpus, Hippocratis testimonio, ac vesica intus prurit. Nam & vrina grauiter olet, & quod in imo residet, furfuraceum cernitur: & assidue æger mingit, & cruentam interdum vrinam, cum altius scabies penetrauerit. Sic quidam hoc malo laborabat, quamuis nondum eo peruenerat quod cruentum mingeret. Aderant autem ea, quæ ab Aetio *lib. 11. cap. 22.* de vesica scabiosa traduntur. Quibus enim vesica scabit, his pruritus, tum imi ventris, tum pectinis succedit, inque vrinis asperæ & furfuraceæ subsidentiæ deferuntur: progrediente vero morbo, vesica vlceratur, accessionesque ad vlcera præscriptæ inducuntur. Cum autem curationes huius communes sint cum his, quæ paulo ante de acutis vlceribus vesicæ diximus; ideo nos in cibo ptisanam hordeaceam frequenter dedimus, quæ acrem humorem mitigat, vti & oua sorbilia, ac tritici decocti ius, vel cibarium ipsum commanducatum: nam & lactis omnia genera valent: & ex quadrupedibus extremorum partes vtiles sunt, quia viscosæ & mucidæ, iuraque pinguia ex amygdalino oleo. Frequenter vero vt vteretur pulte hordeacea, cum lacte mandaui. Ex oleribus concessimus lactucam, betam, spinachium. Commendatur & atriplex, intubus, ac seris satiua, pruna acidula, cerasa acria, cucumis, melopepon, cucurbita, vel saccharo (*vt nunc fieri solet*) condita passula, amygdala dulcis vel recens potior, nuces pineæ, aquæ maceratæ & commanducatæ in potu hordeacea aqua. Detraximus humores acres salsos *cum manna, syrup. violæ. & ex infus. ros. & cassia.* Dedimus decocta *ex viol. lactuca, glycyrrhi. semin. quatuor. frigid. maior. portul. syrup. pap. iuiubino, viol.* Insessionem aquæ tepentis laudauimus, modo ex decoctis lenientibus, mitigantibus, & emollientibus, vt de vesicæ vlcere dictum est; & etiam lac muliebre cum rosa. infundi iussimus; pube inuncta *cum vnguent. ros.* Et si fortasse eo perueniret malum, vt sanguinem funderet, vlcere altius penetrante, vt hoc emplastrum sub pube poneretur consuluimus, ex rubricæ armeniacæ, rhois, acaciæ, masticis, ros. part. æqualibus trita, & cum aceto mixta. His solamen habebat; quamuis non omnino, cum & hic senex esset, malum tolleretur, hoc est, quod dicebat Aetius loco citato. Nosse igitur operæ pretium est, quod non penitus curabile sit malum: conandum tamen, vt pro viribus leniatur.

1 2 (margin)

Scholia.

Non alia ratione curatur scabies vesicæ, quam simili victus ratione ac medicamentis detergentibus atque exsiccantibus circa morsum, ac ipsæ vesicæ vlcera: Vnde & Aetius *libro 11. cap. 22.* iubebat *abstineri a mordacibus, quæ humores acriores redderent.* Exhibebat *vina dulcia, & lac, & gallinæ aut hœdorum aut agnellorum carnium iuscula, palmarumque cremorem & siliginem, & amylum, ac sorbitiones ex his apparatas, pisces molles carne; & omnes coctos. Ex oleribus quæcunque vrinam subducunt, nihil vero mordax in se habent, velut est, pastinaca probe cocta, crithma, fœniculum, apium, hipposelinum, asparagus, cucumis, & quæcunque eius generis exsistunt: nam & vrinam cientibus, mitioribus tamen, vesicam subpurgare oportet: periculum enim est ne fortioribus exulceretur, quod omnino peius exstat. Vrinam* (inquit idem) *commode cient cancri, & pinæ conchæ, & herinacei marini recentis caro exsiccata, & drachmæ pondere in potu accepta. Neque minus commodæ cicadæ censendæ, & vermes terreni tres ex passo potati. Non inconueniens item fœnugræci succum cum melle sorberi: id ipsum enim & intestini morsus obtundit: & si ad vesicam procedat, scabiem eius mitigat. Idem etiam tragacanthus facit. Iucundus est item baccarum myrti cremor, cum vino potatus; aut mali cotonei cremor, aut cuiuscunque alterius astringentis fructus. Hæc autem astringentia, inquam, pruritus quidem mitigant, affectionem vero non sanant. Diæta porro optimi succi sit, & per aliquot dies vomant. Sero autem lactis aluus subducatur. Mediocribus exercitiis moderate vtantur.* Hæc Aetius.

3. — Vrinam cientium periculum.

Observatio XXXIV.

De ardore vrinæ, cum diuersis symptomatis, per modum consultationis, pro magnifico D. Ioan. Dammio Rationariorum præfecto in Haga-Comitis.

Qvinque sunt affectus præter naturam, de quibus magnificus hic vir conqueritur. Dolor in rene dextro potissimum, deinde vergens ad imum ventrem, versus ilia & pectinem. Ardor cum deiectione materiæ mucilaginosæ & nitrosæ. Vrinæ impedimentum, ita, vt ea non libere exeat. Appetitus deiectio. Exanthemata in modum morsus culicum ad cutem expulsa. Huius domini intemperies seu temperatura ipsa est calida atque biliosa, exiguam sanguinis portionem commixtam habens. Renes huic calidi sunt: ita & hepar, licet ventriculo debiliore. Hinc humores crassi ex mala ventriculi coctione accumulati, crudi, ob hepar calidum attracti, & in renibus assati, materiam ad calculum aptam indurarunt. Antea enim & arenulas vna cum lotio emisit. Non solum hepar & renes calidi horum symptomatum caussæ exsistunt, sed & tempore iuuentutis valde fuit laboriosus, cum officium Procuratoris generalis ageret, deinde Graphiarius sedendo, scribendo vitam consumsit: mox a rationibus cum esset, & anno præterito, apud Westphalos & Frisios delegaretur, ob curruum insolitam celeritatem & equitatum totiusque corporis concussionem, renes plurimum laborarunt: ita vt tandem venæ apertæ sint, & sanguinem minxerit; vel forte vena dirupta ex calculorum fragmentis:

1.

tis: id medicus scire potuit, qui illum tunc curauit, cum vtrumque contingere potuerit. Mox corrosione subsequuta, renes tum vrinarios meatus lancinando, & quasi exulcerando, ardor vrinæ etiam nunc hominem fatigat, cum eiectu vrinæ muccillaginosæ & nitrosæ ac salsæ. A mictu sanguinis euasit ope Henrici Vergerii, medici doctissimi, piæ memoriæ, (qui & animi deliquio subito in mensa obiit,) quamuis tamen difficultas vrinæ, & ardor, & dolor renis dextri permanerent, quibus & nunc afficitur: atque horum caussa consilium a me petiit. Hic morbus est quasi hæreditarius: nam & frater eius Nicolaus Dammius, de quo ante diximus, calculo vesicæ laborans, deinde ex vesicæ vlcere tandem obiit. Hic tamen dolorem patitur, vt ab eo incipiamus, in reno dextro, & in vretere, & differt a colico dolore. Ardor deinde successit, vel ex concussione aut venis ruptis, vel ex fragmentis calculorum præcedentibus ac corrodentibus, vnde ardor vrinæ potius ex materia salsa muccilaginosa. Pus tamen non vidi in lotio quod subsidere solet. Sæpe autem pituita putris & salsa (vt in senibus) aut pus acre vrinæ permixtum, vrinam ipsam acrem reddit. Et quanquam nunc purulenta non viderim in vrina, potius antea post sanguinis eruptionem adfuit. Attamen, si ex vlceratio adhuc permansisset, ramento in lotio conspexissemus, & purulentiam. Pus enim præcedit dolor, cruor, grauius olet, minus viscosum est. Contraria in pituita: nam tunc raro dolor adest, nisi cum putris, salsa aut frigida fuerit. Hic erit salsa. Annotauit interpres Hollerii, Hollerium frequenter vidisse interceptam vrinam crassa pituita, quæ ardorem, & dolorem, vt in calculo excitaret. Vidit & intolerabili cruciatu aliquot diebus affectum, qui pituitæ partes, velut crystalli aut concocti sacci, quem gelatinam vocant, globulos colore aqueo pellucidos minxit. Duos item quibus pituita putrescens in vermes vertebatur, quos emingebant. Beancler Aduocatus post dolores renum magnum vermem eminxit. Quidam literas ad Hispanum scriptas ostendit, quibus consilium petebatur pro calculoso, cui eiectis calculis aliquot arenulis prodierant duo vermiculi acuto capite, corniculato, ventre & dorso testula inducto instar testudinis, nigri, nisi quod rubebant ventre. In quo videtur generatio quædam esse a putredine pituitæ, calore multo totius venosi generis eam pituitam ita conformante. Quemadmodum cum τριχίασις, id est, capillitium illud, de quo agit Galenus aphorism. 79. lib. 4. id est, pituita, quæ in longum diducta a calore exurente capillos repræsentat aliquando ad dimidium cubitum, ex vsu crassioris alimenti genita, quæ cum vrina crassa excernitur. Viscidior enim fit, & resiccatur, non omnino quidem, sed vt longitudinem produci possit. Aliquando animatur, vt cetera animalia, quæ ex putredine ortam habent. Archigenes fieri putauit a fluxione muccosa, vnde & foliacea est, & velut pili, aliquando implexi, breues, longi, & materia quadam e venis ad renes, vbi cogitur. Galenus scribit, in quibus talia exeunt, semper vrinam esse crassam. Contrarium experientia docuit. Quidam annis plusquam viginti tales vrinas cum capillitio emisit, ruffas, mediocri consistentia, non crassas. In præside Langueil pituita lenta, corrupta quam incredibili quantitate multis mensibus eminxit, & deiecit, quoties sumsit medicamentum cum vrina tenui, serosa, simili sero lactis. Opportunus erat arthritidi & calculo. Sed vtroque affectu liberatus, vigiliis, frequenti mictu dolorifico torquebatur. Malum modo remissius, modo acerbius, per frigora & humidum cœlum: modo stillicidium, mictus exiguus, & frequens, modo vrina largior, remittebatur dolor, tum acerbior redibat. Penis & crura condolebant. Vrina modo mordax, modo contra. Eadem omnino apparuerunt in Procuratore ad Paruum pontem. Vtrique ætas annorum circiter 52. hepar calidius, sitis multa. Sed Præses naribus nihil expurgabat: alter contra. In sacerdote Normanno multa muccosa per vrinam prodibant; sæpe emingebat. In his omnibus, cum pituita acris, salsa, putris, frigidior erat, dolor excitabatur. Creditur tamen pituita viscida & parum permixta, cum dolore excreta, & magno conatu in vlcere renum aut vesicæ calculo tantum emitti. In asthmate aut simili affectu, morbi vel magnitudinem, vel mutationem significat. Quæ omnino sine dolore exit, & in fundo crassiori farinæ similis apparet, crudus succus est: quem sæpe sequitur renum aut articulorum dolor, aut calculus, aut morbi longitudo, aut corporis consumtio. Pus resudat & effluit ab abscessu inflammatione, vlcere. Non semper sanguini permiscetur. Multi enim renum abscessus reperiuntur, in quibus pus solum, certis interuallis cum vrina excernitur, vt in duabus mulieribus, altera vxore senatoris consulis Claudii Fabri: altera vxore Vincentii Fabri negotiatoris. In aliis quoque, qui inde tabidi mortui sunt. Sanguinolentum aliquando, vtrumque exacte vrinæ permixtum, aut residens, sed post longum tempus, vrinæ etiam inde crassiore reddita, e renibus est, præsertim si dolor fixus in lumbis præcesserit, aut calculus reiectus fuerit, aut ex vreteribus vlceratis transitu calculi, vel in illorum cauitate orta post vlcus caruncula. Sed copiosius e renibus, quam vreteribus. Cito subsidens, viscidum, muco permixtum, cum squamulis minime carnosis, e vesica; si nullus dolor in lumbis, aut circa pubem grauitas præcesserit. Si vrina profluit e pene, vt diximus alias. Neque tamen e renibus, aut vesica semper exit. Ab omnibus enim fere partibus superioribus miro naturæ artificio, & per corpus confluxile facta ex sudatione modo in intestina, modo in vesicam exoneratur. Mulieri cuidam intolerabili cruciatu vrina purulenta profluebat. Mortua post quartum mensem, & dissecta, duo calculi in corde cum multis abscessibus paruis inuenti, renibus integris, & viis vrinæ. In qua verisimile est aut potius necessarium, pus acre per vrinas naturam expurgasse, quo ad fieri potuit. Verum licet in hoc magnifico viro, pituita salsa in vrina nunc appareat, & non purulentia, ea ipsa tamen potuit fuisse in principio, cum prius sanguinem minxerit, & subsequuta fuerit excoriatio; vel ex calculo. & iam etiam dolor in rene dextro est. Quicquid sit, oportet ardorem mitigare in homine bilioso, & acrimoniam eiusdem tollere, quouis modo hic ardor originem habeat; & imprimis oportet dolorem amouere, qui vires deiicit. Præterea ad calculum, cum fra-

gmenta aliquando reiecerit, oculum habendo, cum hic duæ caussæ exsistant; 6 prima hepatis ac renum caliditas, altera vero materia muccilaginosa, quæ facile in calculum mutatur: vtraque caussa submouenda, vt horum membrorum caliditas mitigetur, & humorum copia euacuetur cum his, quæ calorem non inferunt ob ardorem vrinæ, & horum denuo coaceruatio inhibeatur. Si enim simplex affectus esset, vnicam & simplicem curationem postularet. Nunc vero multiplex, multiplici curatione indiget. Materia acris ardorem inducens, ne vlcerationem inferat contemperanda, & mitiganda. Viscosa vero & crassa detergenda leuiter; & lotium, si ea ratione impediatur, cum lenibus prouocandum, quæ tamen non exasperent aut ardorem inducant. Calculi quoque, si impedimento sint, expellendi potius cum viscosis & lubricantibus, vt calculis inducatur quædam leuitas, vt sic melius expellantur, sine calore, minus acres vrinas inferentes, & per consequens ardorem vrinæ minuentes. Verum hæc omnia duobus instrumentis peragenda, nempe victus ratione & medicamentis. De priori prius dicemus; deinde posteriori. Sub victu etiam res non naturales intelligimus, omnes excessus aeris, tam frigidi quam calidi. Dominus vitabit ventos austrinos & boreales, cœlumque nocturnum, nebulas, niues, & reliqua eiusmodi, cubicula, porticus, stationes, eligendo temperata: declinando habitationes humidas terreasque, æstum, ac solem & hyemem. Neque in magnis æstibus sine stragulis aut nudus quiescat, aut in 7 sole deambulet, vel cum venti exagitentur. Capitisque operimenta ita moderabitur, vt neque aggrauetur caput, neque refrigeretur. Et ideo catarrhos destillationesque summopere cauere oportet, ne fiat defluxio ad renes & vesicam. Et quamuis nuper inspecto lotio, in eo non animaduerterim purulentiam, nunc vero Dominum sæpius inuisendo pus in lotio animaduerti, vnde & vlcerationem leuem metuo, quæ etiam vrinæ ardorem magis augeat, quam minuat; cuius etiam ratio habenda, tam in vitæ instituto quam ipsis medicamentis. Quamobrem reliquas corporis partes indumentis, siue noctu, siue interdiu, talibus munies, quæ nec nimis calefaciant, nec parum a frigoris iniuria tueantur. Renes præcipue tueberis, vt nullo qualitatis excessu laborent. Omnino renum affectus proprium est, vt pariter tam ab immoderato frigore, quam calore excitetur & exacerbetur. Ergo vtrumque vitare oportet, nec lumbos ad ignem calfacere, nec zona fortiter stringere, aut vestes pellibus circa dorsum obducere, nec impense refrigerare. Somnum meridianum, vt hostem, fugies: octo autem horas dormiuisse satis est. Interea non admodum vigilandum, ne humores acriores fiant ex siccitate. A cœna, non nisi post duas horas dormiendum censeo. Somnus quoque supinus euitandus: nam super lumbos dormire, vel in lecto plumis referto, renes inflammat. Exercitia superiorum partium potius quam inferiorum licet conuenirent, cum tamen debilis exsistat, ob varios affectus, potius corpore & animo quiescendum erit, multoque minus feret equitatum aut asperas vectiones. A cibo quiescat ab omnibus negotiis: stet aut molliter ambulet; sine labore tamen. Non scribat neque legat, nisi post duas horas: ea quoque legat, quæ voluptatem 8. coniunctam habent, neque hominem fatigent. Statim enim a prandio & cœna a seriis negotiis feriandum. Si qua tractanda, matutino tempore id commodius fiet. Ab his enim & coctiones deteriores fiunt, & feruor sanguinis præter naturam plurimum augetur. Magis autem ab ira se abstineat, omnique animi grauiore molestia, & perturbatione: a tristitia quoque corrumpente digestionem. Recte nos admonuit Galenus primo, de sanitat. tuenda, sic scribens: Oportet medicum, qui sanitati mortalium studet, pro virili operam dare, quibus aditus ægritudinis corporis pateat: quippe furor, fletus, sollicitudo, ceteraque id genus magis, quam par est, febrium morborumque ceterorum sunt principia. Tristitia autem; teste Salomone, etiam ossa exsiccat. A Venere, quantum potes, temperabis: nam ea excedens renes lancinat. Sit igitur moderata, & minime frequens per longa interualla, quæ ægrum non fatiget. Sed cum senes in eam non nimis inclinent, vix admonuisse opus est; quamuis in his morbis præstat ægros esse temperatissimos. Quod ad inanitionem atque repletionem attinet, singulis diebus operam dabit, vt alui excrementa sponte vel arte educantur (ob humores acres, & ardorem vrinæ, & renum caliditatem) cum iure pulli, in quo cocta fuerint malua lactuca, viol. mercurialis, adiecto zacchero rubro, vel saltem glande, cibisque leuibus, vt prunis & huiusmodi. Neque hic vomitus inutilis, nauseabundo tamen & cui facile succedat, diuertit enim materiam. Quod ad cibum attinet, panis sit probe coctus, & bene fermentatus, non adeo antiquus, sed duorum aut trium dierum. Vetus, iuxta Auenzoarem, desinit esse panis. A cineritio absti- 9. neat, pastillis cuiuscunque generis: a ferculis diuersis & in sartagine frixis, carnibus antiquis, salitis, fumo induratis, larido rancido, & similibus, salsis omnibus & acidis, & aromate conspersis. Ad cibum ne accedito, cruditate adhuc in ventriculo exsistente, sed sensum aliquem appetitus exspectes. Verum, cum is nunc aliquo modo prostratus sit, comedas in die more consueto, parcius tamen in cœna. Interea & ordinem comedendi obseruabis, vt initio mensæ iusculum aliquod vel liquidum edulium sumas, vt pruna damascena vino suffocata, & zacchar. aspersa. Mox ad solidiora deuenies, ex multis ferculis potius vnum, atque illud optimum, eligens. Nihil enim magis lædit, quam varietas ciborum in vna mensa sumta, vt carnes cum piscibus, aut fructus cum lacticiniis commiscere. In ventriculo cibi diuersarum naturarum admiscendi non sunt, & præcipue si illi, qui facile putrescunt, succedant solidioribus, vt lac aut fructus horarii carnibus. Maxime igitur vitabis cibari ex diuersis generibus confecta, quæ vulgus Tartas appellant. Ex ferculis potissimum conuenient puls hordeacea, hordeatum, lac amygdalatum, & lac recens mulctum, pro ardore vrinæ. Serum lactis dulce ad calorem mitigandum mane sumtum, & ad acrem vrinam contemperandam, oua recentia & mollia, carnium iura cum beta, borag. lactuca, spinachio. Inter fructus pruna matura statim ab arbore excussa, in prima mensa, vua passa; poma cocta, zacchero aspersa. A piscibus salsis, marinis, glutinosis, vt anguilla

Anguilla & similibus cauendum. Asellis vti licet ac saxatilibus, aut in aqua pura degentibus, lucio, perca, & similibus. Conueniunt & lepusculi, cuniculi, perdices, fasiani, turtures, palumbi, passeres, turdi, merulæ, alaude: & ex domesticis animalibus hœdi annales, vituli lactantes, pulli gallinacei. A bubula plane abstinendum. Potus sit vinum Rhenanum, subtile, minime potens. Ceruisia quidem, sed non recens, aut valde crassa aut acida. Hæc interim victus ratio aliquando immutanda, pro vrinæ ardore eiusque retentione. Vbi enim retinetur, conueniunt asparagi, & alia; vbi ardor vrget, cremor hordei. Quod ad medicamenta attinet, censerem omnium primo corpus euacuandum, vt tollamus materiam salsam & biliosam, quæ ardorem inferunt; & darem cassiam, quia lenit humorem salsum, diuertit eundem per intestina, & euacuat humores a renibus, etiam crassos, vt Actuarius testatur; & vt parum diureticum & abstersiuum, darem electuarium de sebesten (cum educat materias acutas a viis vrinalibus & vesica) & propter calculos & difficultatem vrinæ adderem parum hieræ, quia parum diuretica est, & pituitam muccilaginosam non tantum detergeret & parum incideret, verum etiam educeret: Darem quoque hos syrupos: *℞ syrup. ex infus. rof. viol. nymphææ, syrup. de fumoterra (propter morsus illos culicum) ana ℥ j. ß. aquæ end. cichor. maluæ, fumariæ ana ℥ iij. misce. pro quatuor dosibus.* Hoc enim contemperabit humores calidos, faciet ad calorem hepatis, renum & exanthemata illa. Et vbi ardor vrinæ vrgeret, exhiberem sequens: *℞ syrup. viol. nenuphar. pap. ana ℥ j. decoct. portul. semin. quatuor. frigid. commun. sem. pap. ℥ ix. misce. pro iij. dosibus.* Vel: *℞ aquæ malue ℥ iij. syrup. viol. ℥ j. misce.* Et si opus esset, rursus purgarem cum manna, aut cassia, cum aqua maluæ. Renes ac lumbos inungerem vngu. rof. & ad dolorem, si opus esset, fotum componerem *ex foliis maluæ, viol. parietar. cum melilot. & flor. chamomill. & semin. althææ, maluæ, & lini.* Quod si vrina esset, nimis muccilaginosa, impediens mictum, vel dolorem inferens, & fœtida, ac crassa, iuberem fieri eiusmodi destillationem: *℞ pentaphylli cum radic. maluæ cum radic. parietariæ, agrimoniæ ana m. iij. granor. alkachengi ℥ j. ß. semin. milii solis ℥ j. rad. ononid. ℥ ß. limonem vnum minutim concisum.* Aspergantur cum succo rof. & destillentur per alembicum vitreum, & vsui reseruetur. Huius capias *℥ iij. addendo ℥ ß. olei amygdal. dulc. recens expressi.* Vbi ardor vrinæ vrgebat, aliquando capiebat lac ouillum, & etiam tepidum, & recenter mulctum cum syringa in vesicam immittebat, aliquando & aqua albuminis oui cum lacte & oleo violaceo vtebatur: modo aquam albuminis concussi solum aut cum lacte capiebat. Hæc supradicta, cum illum sæpe inuiserem, iuuabant; quamuis malum non totum in sene auferebatur. Interea commendabam hunc potum præceptoris mei Benedicti Fauentini, ad omnia symptomata quibus afficiebatur conuenientem. Quo & præceptor meus post euacuationes conuenientes vti solebat in ardore vrinæ: *℞ aquæ fontis claræ ℔ x. cicerum rub. ℔ j. ß. bulliant simul vsque ad consumtionem tertiæ partis aquæ, deinde colentur: & colaturæ adde liquir. ras. subtiliter incisæ ℥ j. fol. maluæ cum rad. radicum althææ munda. rad. graminis, agrimoniæ, cassutæ, ana m j. iuiubar. sebesten recent. ana num. x. sem melonum mundat. ℥ ij. granor. alkachengi m. ß. granorum solatri ℥ ß. ossium mespilorum contusorum ʒ iij. mili solis ℥ ß. bulliant omnia vsque ad consumtionem tertiæ partis aquæ. Et vtebatur huius iuris decocti colati ℥ vj. cum ℥ j. ß. zacch. duarum costarum.* & dabat in diluculo, & iubebat, vt æger superdormiret per horam vnam. Hæmorrhoides quoque in consuetis eas habere commode aperiebat, cum earum apertio curet vrinæ ardorem. Et sic etiam huic magnifico viro, cum iis aliquando solitus esset laborare, vt eas fricando leuiter aperiret commendaui, ad hos omnes eius affectus valde vtile remedium. Habes apud præceptorum meum in sua empirica alia vtilissima remedia ad ardorem vrinæ.

10.

11.

12.

SCHOLIA.

ARdorem vrinæ aliqui vocant, & fere omnes, cum inter meiendum dolor sentitur; qui multos morbos sequitur, vt lapidem vesicæ, vlcus eiusdem, & renum, vel illarum partium inflammationem. Aliis dicitur ardor vrinæ, lotii acuitas, exacerbans vrinales meatus, præsertim renes, & ipsam virgam inter mingendum, cum tantus dolor & ardor in vesica vel eius collo sentitur, tanquam ignis transiret per collum vesicæ, virgam vel penem, vt ardere videatur, vnde nomen suum contraxit. Hinc Rhases & Auicen. huic capiti titulum *ardoris vrinæ* imposuere. Et quia plerunque contingit ex apostemate, abscessu, vlceratione renum vel vesicæ, ita, vt virulenta materia, purulenta, acuta, mordens, mixta cum vrina, vrinam reddunt mordacem; ideo post apostemata membrorum dictorum atque eorundem vlcerationem, adiungunt caput, *De ardore vrinæ.* Et sequitur subinde vlcus renum, vreterum, vesicæ vel penis; quod si non veniat ab horum membrorum iam dictorum exulceratione vel inflammatione, quod cognoscitur præterea, quæ diximus, ex ramentis carnosis, quæ a renibus soluuntur, sicuti furfuracea, a vesica, vt ante diximus, non tamen semper. In febre enim ardente & colliquante a tunica venarum exesarum acrimonia (quomodo in cutis superficie pituita salsa & mordente erosa fit) furfures redduntur. Aliquando in eadem febre ardente ab adusto sanguine, præsertim crassiore & melancholico ac veluti in cinerem resoluto. At in vrina mediocriter habente, ægroto non febricitante, a vesicæ scabie, pituita salsa, vel prurigine oriuntur Semé præter naturam & voluntatem effluit, vasis relaxatis, imbecillibus post coitum, colliquato corpore, vlcere irritante, frigidis flatus generantibus, ardore, semine retento ob contorsionem pudendi, parastatæ aut glandulæ semen retinentes, quæ sunt in vasis circulatoriis in parastatas desinétibus, aliquo præter naturam affectu laborant. Hinc quidam volunt esse ardorem vrinæ proprie inflammationem glandularum, seu adenum parastatarum, vel illarũ partiũ exulcerationé: & ob saniei acrimoniam, dolorem sentiant in extremitate penis; sequitur coitus immodicos, vel equitationes longas, &

13. *Ardor vrinæ quid.*

Caussæ.

14.

Ardor vrinæ ex inflammatione glandularum seu adenũ parastatarum.

15. celeres. Sed ob seminis potissimum aut illius serosæ substantiæ, quæ coitum præcedere solet, corruptionem, vel propter infectæ mulieris vitium, quod contactu contrahitur, idque potissimum, cum quis semen attractum retinet, & iam commotum. Affectus secundum alios multi esse possunt, vt inflammatio, vlcera, scissuræ; resiccatio. Inflammatio sine coitu a semine retento, & illic putrescente, puris reiectio, pudendi mador, erectio, aliquando etiam a partibus vicinis inflammatis, vt in hæmorrhoidibus: nonnunquam defluxu humorum post equitationem longam, celerem, acrium nimium vsum. In vlceribus maior puris quantitas, minor ardor, quam in inflammatione. In scissuris, solus vrinæ ardor absque puris emissione. Si post coitum, præsertim cum infecta, parastatæ aut glandulæ inanitæ & calfactæ halitum quendam tetrum contraxerunt: a concubitu efficitur ardor vrinæ, quem vulgo proprie vocant Gallice *Chaudepisse*. Erigitur veretrum, vrina cum maximo dolore redditur, sanies liuida, virescens, mordicatio in meatu. In erectione pudendi fit etiam contractio cum dolore, non in neruo cauo, vt nuper non nulli scripserunt. Nam sic erigeretur potius quam inflecteretur: sed ob plenitudinem, vel inflammationem vel inanitionem in meatu vrinæ. Vnde sæpe fit, vt qui tum vtuntur coitu, vt erecto membro illis scissura fiat, vel vlcus. Hinc vel exitus vrinæ quasi cuniculis factis per anum aut aliquam aliam vicinam partem vel carunculæ, tanquam fungi concrescentes, aut tubercula in anfractu colli vesicæ, aliquando in reliqua fistula penis; a quibus & ἰσχυρία & dolor grauis in meiendo. Oribasius calore loci scribit huiusmodi phymata celeriter suppurari, ex Hippocrate, *vti sæpe vidimus in praxi*, & postea etiam exemplis docebimus: Experientia tamen docet sæpius carnem absumentibus curari, vti quoque in pene intus delitescente, *vt in Pauonio illo superius ostendimus*. Sæpe hic decipimur specie calculi, vt nobilissimo viro referente interprete Hollerii, post vrinæ cruciatum in octauum mensem ambigentibus medicis & chirurgis de calculo, adhibitis frustra remediis, tandem apertio facta, *vt solent lithotomi*, liberatus omnino dolore, non inuento calculo, sed carne in collo vesicæ, quæ paulatim consumta est conuenientibus remediis. Sæpe tamen malorum omnium origo ab hepatis inflammatione. Ideo quidam ex Neotericis, *vt Leonellus*, ad quatuor caussas hunc affectum deducunt: & prima est humor acutus, acris, admixtus vrinæ, qui est vel bilis citrina vel pituita salsa, vel alius humor adustus; qui si vrinæ admiscetur; inducit ardorem & punctionem. Si autem venerit ex bile citrina, apparet vrina citrina. Et quando prouenit ex pituita salsa, vrina videtur alba, cum aliquali crassitie. Si autem ab humore adusto, tunc vrinæ sunt adustæ cinereæ. Ad secundam caussam referunt *vlcus in vesica, vel in ejus collo, vel in virga*. Ad tertiam adferunt *consumtionem humiditatis viscosæ, exsistentibus in carnibus glandulosis colli vesicæ, quia humiditas ibi exsistens remittit acuitatem vrinæ*. Et similiter etiam adhærent partibus illis neruosis, prohibent ne vrina pertingat membra neruosa. Caussæ vero procatarcticæ, quæ humores acres augent, sunt, *labor excedens, iter longum pedestre, tempore calido æstiuo, & quoduis exercitium longum, diuturnum, inordinatum, equitatus vehemens, violentus, in equo pessime gradiente, vel in curru aut quouis celeri motu: coitus quoque continuus superfluens & diuturnus, vsus aromatum; salis quoque, & rerum acrium, salsarum.* Antecedentes sunt, *humores acres supradicti, apostemata calida, abscessus, vlcera in renibus, vesica aut viis vrinalibus, calculi corrodentes, & humiditatis exsiccatio.* Horum signa satis constant ex præcedentibus, tum etiam iis, quæ modo *in obseru. præcedente* diximus.

16. [margin]

Caussa ardoris vrinæ ex Neotericis.

17. [margin]

Caussa primitiua.

Antecedentes.

Observatio XXXV.

De ardore vrinæ, cum variis accidentibus.

1 Simon Cornelii, Loripes dictus, longa difficultate meiendi laborabat, cum maximo clamore, & ardore vrinæ, dum lotium emitteret; aderat huic renum obstructio ex humoribus pituitosis, tandem caliditatem & salsedinem habentibus. Qui cum frustra ab empirico curaretur, *(qui tamen pro medico habebatur)* anno 1546. mense Maio, cum ex Gallia Alcmariã veneram, ad eum accitus sum; imperauique, vt victu conueniente vteretur, & vt a salsis & ceruisia crassa, tum flatulentis, & ab acribus abstineret: hunc bolum præscripsi: ℞ *cassiæ recens extractæ* ℥ j. *succi glycyrrh.* ʒ ij. *zacchar. candi asperso fiat bolus*; immediate superbibat (cum in lumbis doleret, & obstructio quædam quoque esset in renibus) ℥ iiij. *aquæ fœnicu.* quo quidem bolo quatuor vicibus aluum deposuit, cum facilis solutionis esset. Iisque humoribus euacuatis, appetitus, qui eidem longo tempore prostratus fuerat, rediit. Postea & ex hac potione sumebat, & pilulis deuoratis ex terebinthina Veneta, lota cum aqua fœniculi & viol. cum pul. liquiritiæ confectis, & adhuc semel cassia deuorata, a dolore in lumbis ex pituita renibus inhærente & ardore vrinæ curatus fuit. 2 Potio autem talis erat: ℞ *ciceram rub. rad. maluæ, glycyrrh. sem. quat. frigi. maior. an. m.* ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. ß. *col. adde mellis ros. colati* ℥ iij. *butyri recentis* ℥ ij. *capiat omni mane cochlear vnum; deinde pilulas dictas.* Lacte ouillo etiam vtebatur, & renes inungebantur vnguento rosac. Postea cum minus vrina flueret, renibus obstructis, iisque inunctis oleo chamomill. & scorp. dolore cessante & vrina melius profluente, deinde solo oleo ros. & chamomill. crassam pituitam per lotium reddidit, & a dysuria & ardore curatus fuit, renibus obstructis & repurgatis eiusmodi abstergentibus: & sic caussa ardoris vrinæ fuit ablata, quemadmodum & in vxore Theodori Isbrandi, quæ anno 1547. puerpera post decimum octauum diem a partu in lumbis dolorem sentiens difficulter vrinam reddebat, & inter meiendum ardore afficiebatur, hoc solo decocto sequenti curata: ℞ *rad. maluæ glycyrr. an.* ℥ j. *folior. parietar. virid. m. ij. sem. anisi, sem. 4. frigid. maior. pap. albi an.* ℥ j. *sem. hyos. albi* ℈ j. *gran. alkachengi nu. vij. hordei mundati m.* ß. *coquantur in aqua communi ad* ℔ j. *colatura adde mellis ros. colati* ℥ j. ß. *zacc. albiss. pro*

pro sapore; fiat apozema in quo pendeat hic nodulus: *℞ trochisc. alkachengi ℈ iiij fiat nodulus in panno lineo raro, pendeat in dicta decoctione, exprimendus dum cyathum bis in die biberet, mane hora 6. & meridie hora 4.* Atque ita liberata fuit ab illa molestia; neque aliis remediis opus fuit, nisi quod vt præcedentes, cremore hordei subinde vteretur, & ob ardorem aliquando lacte ouillo.

SCHOLIA.

ARdor vrinæ in decrepitis difficulter sanatur. Et si diu durat, etiam sine vlceratione, facile tandem vlcus inducit vesicę, aut colli eius, aut virgæ. Magis affligit in calculosis ob lapillos asperos & angulares. Qui vtuntur cibis salsis, & longo tempore diureticis, & senes præcipue macilenti, & nimio coitu vtentes, hoc malum facile incurrunt. Signa ex iis, quæ superius annotauimus satis nota sunt; etiam signa caussarum, ex humore prædominante, & prægresso vlcere in locis dictis, vlcere, scabie vesicæ vel colli eius, vel partium vicinarum, & ex ægri sermonibus. Iam & in iudiciis febrium acutarum bilis plurima aliquādo excernitur a natura; quæ si diffluit in vesicam, ardorem vrinæ facit. Vrina vero sero sanguinis & bile constat. Cum autem alterum acrius est, vel augetur proportio bilis, tunc ardor vrinæ fit. Vrina omnis acris est, sed multo maxime sentitur acrimonia si pars vlcerata est, qua effluit. Ad vesicam, vt diximus, glandulosa sunt corpora, quæ humorem reddunt; vnde vrinæ acrimonia temperari potest. Ea exsiccantur immodico coitu, morbo, aut medicamento: quæ caussa ardorem vrinæ gignit. Sanies quoq; acris (*vt iā diximus*) ex superiori corpore in vesicam defluit, quæ vrinę mixta ardorem facit.

Curatio.

Cognita caussa, de venæ sectione, purgatione & aliis remediis cogitandum. Sectio tum conuenit, cum calidius corpus est, vel inflammatio adest, e brachio. Purgatio & diuertendo & acriorem humorem repurgando conuenit. Sed prius videndum, an solum leniendum, an etiam detergendum. Vbi sola acrimonia humoris est leniendum solum: vbi vlcus etiam detergendum. Leniendo conuenit cassia, detergēdo terebinthina. Vtriusq; virtus augetur, aut temperatur iis, in quibus dissoluitur. Sic leniendo, cassiam, si non demus in bolo dissoluemus in decocto iuiubarum, sebesten, prunorum, & similium. Si detergendum simul & leniendum, in aqua hordei, sero caprino vel iulebo violato, quod simul lenit & detergit. Commode sæpe dedi *℥ j. vel ℈ iiij. rhab. cum ℥ vj. cassiæ, cum zacchro in bolum.* Remedia, quæ diximus de stranguria ab vrinæ acrimonia, huc quoque transferenda. Vrinæ acrimoniam leniunt *iuleb & syr. viol. maluæ bismaluæ & aquæ ex iisdem destillatæ, decoct. glycyr. rasi. passul. mund. prun. iuiubar. sebesten sem. commun. frigid. psyllii, cydonior. lac muliebre, oua & similia. vt ℞ aquæ maluæ ℥ iiij. iuleb. viol. vel syr. viol. ℥ j ß.* Vbi leniter detergendum, vtemur *syr. viol. ex infus. ros. rub. de iuiubis, de nenuph. de pap.* Et his quidem magis, si maior ardor est, & dissoluemus in decoct. supradicta, semina melonum excorticata (*vt Hollerius iubet*) & mundata ℥. pondere, aut ex iisdem sem. & cucum. cucurb. cum amyg. dulcibus lac amygdalinum conficiendo, vel amygdalis vteris in decocto prædict. seminum. Atque vbi vigebit ardor, *semen hyoscyami albi & pap. alb. & psyllii commiscebis, seminis lini althææ maluæ & cydon.* eidem vsui esse possunt, si parentur, *vt dictum est*, vt vel hordeatis, vel lacti amygd. misceantur. Detergit iuleb ex aqua sacchari: sed leniet magis si sit sacch. violaceum, laudatur iuleb viol. ℥ *iij cum ℥ j. trochisc. alkachengi.* Hocque vtendum, vbi maior adest ardor. Lac muliebre & bubulum leniens magis, caprinum, asininum detergens magis. Ouillum magis consolidat. Serum separatum ab his generib. lactis magis detergebit. Sed quia ardoris sensus magna ex parte sentitur ad collum vesicæ, & extremitatem glandis, propterea iniectionibus in collum, turundis quoque in foramen virgæ vtendum est. Leniendo lac muliebre iniiciendum: vel liquor tenuis albuminis oui agitati & despumati: vel ex *mucill. psyllii, cydon. extrac. cum aqua cucurb. viol. maluæ, vt ante diximus, vel lac muliebr. cum liquore oui.* In maximo ardore etiam pap. & hyosc. turundā ex cerato ref. Gal. adiecto grano vno atq; altero opii, & si extremitas virgæ vlcerata est, ex cerato refrig. cum succo plantag. Si detergendum iniectionibus supradictis addes saccharum, vel aquam hordei aut serum lactis cum zaccharo, vt etiam lenias ac detergas. Detersa vlcera consolidanda cum sar cocoll. *℈ j. amyd. cerussæ lotæ ana ℈ ß cum lact. muliebr. caprini (vt dictum est) vel ouilli ℥ j. in virgam iniecti.* Aliud: *℞ aluminis plumæ (scissile vocatur a Galeno) zacch. ana ℈ j. mellis ℥ j. ß. vini albi austeri tenuis ℥ ij. leniter bulliant. de colatura fiat iniectio.* Vel. *℞ succi virgæ pastoris depurati, succi plantag. ana ℥ j. boli armeni, mummiæ ana ℥ ß. misce pro iniectione consolidante: vel trochisc. de carabe, de terra sigill. bol. arm. tragac. trochisc. de spodio. drachmæ vnius pondere dissoluuntur in ℥ ij. succi equiseti, plantag. iuleb. viol. syr. myrtill. diluti, vbi consolidandum est.* Sed trochisc. de carabe in maiori ardore vtendum est. Hæc commendantur ab Hollerio.

OBSERVATIO XXXVI.

De ardore vrinæ ex sola caliditate acri vrinæ, ob bilem cum ipsa permistam.

1

IVuenis biliosus, Germanus, cum salsis ac acribus & diureticis, & vino albo tenui diu vsus esset, in ardorem vrinæ incidit, sine vlcere, & sine calculo, cum ex præcedentium vsu vrina non solum acris euasisset, sed bilem coaceruasset, quę etiam vrinam supra modū igneam reddebat. Cum autem vrina bili permista foret, ex illa quidem acrimonia facile in vlcerationem renū vel vesicæ incidisset. Ideo omnibus modis & salsa, & acria, & aromata, & vinum album, atque diuretica eidem interdiximus; iulebo sequenti statim exhibito: *℞ syr. viol. ℥ j ß. aquæ intybi satiui ℥ ij. aquæ portulacæ ℥ j. misce.* & quinque diebus repetatur. etiam hoc, cum ardor vrinæ magis augeretur: *℞ syr. de portulaca, de pap. de acetos. citri ana ℥ j aq. &*

nymphaæ malue, end. ana ℥ ij. *misce, pro duabus vicibus.* Purgaui bilem hoc modo: ℞. *cassiæ recens tractæ, mannati selecti ana* ℥ ß. *syr. ex infus. ros. pallid. cum rhab.* ℥ j. *aquæ acetosæ, cichor. end. ana* ℥ j. *misce.* In hoc affectu præstat vti medicamentis minime fortibus, nec acribus, nec compositis; quoniam maiorem acrimoniam inducunt: sed lenibus & simplicibus vtendum. Vacuato corpore, bilem reuellere studuimus leni frictione capitis, brachiorum & scapularum, ne ad renes desflueret. Etiam vomitu, sed leuiori, cum ad vomitum aptus videretur, *ex aqua tepida cum syr. viol. & oleo amygd. dulc.* Quod si etiam frictione subsequatur sudor, confert, cum ad cutem humoris biliosi fiat distersio. Operam dedimus, vt aluus quotidie solueretur. Vbi enim durior fiat, præstat his semel in hebdomada hoc enemate aluum emolliri, diuertendo quoque materiam biliosam ad intestima: ℞. *rad. althææ, cum foliis maluæ, viol. ana m. j. prun. num. xiij. coquantur in aqua ad tertias, huius accipe* ℔ j. *cassiæ recens extractæ* ℥ j. *olei viol.* ℥ iij. *iniciatur sine sale ante pastum.* Si enema admittere nolunt, in simili casu danda ℥ j. *cassiæ recens extractæ, baccar. oxyacantæ num. iiij. adiecto zacch. fiat bolus.* Etenim renes calidos habebat, ac hepar, quæ vrinam ad calidum alterant: epithema hoc vel sequens admouere iussi: ℞. *aquæ end.* ℥ viij. *aquæ acetos. ros. nymphææ ana* ℥ j. *santali albi & rubri, & corall rub. & albi ana* ℥ j. *spicænardi* ℈ j. *aceti* ℥ j. *fiat epithema*; hepati tepide mane & vesperi ante pastum adhibendum. Etiam hepate inuncto *cum vng. ros. & santalino.* Epithemata quæ hepati aut cordi refrigerandi gratia adhibentur, tepide tamen admoueri debent, & refrigerata auferantur, & rursus tepefacta admoueantur. Verum neque hæc, neque vnguenta refrigerantia, septum transuersum attingant, ne difficilis respiratio subsequatur. Lumbos inunxi & renes *vng. ros. & infrigidante.* Iussi quoque vt vteretur *triasant. & diatr. frig. cum conser. nymphææ viol. acetos. adiecto syr. nymphææ, pap. & viol. instar condit*; singulis diebus capiendo ad magnitudinem castaneæ. Cæterum cum bilis ab hepate cum vrina iam solita sit desfluere, & hepar quoque quantumuis temperatum sit, bilem generet, nec prohiberi possit, quin adhuc cum vrina aliquid bilis feratur, ideo medicamentis glutinosis & muccaginosis quidam vim humorum ad renes, vesicam, meatusque vrinales transeuntium recte obtundunt; hoc vel simili medicamento vtentes: ℞. *seminis althææ semin. mal. cotoneorum ana* ℥ j. *gummi trag.* ℥ iij. *macerentur in decocto rad. maluæ, althææ, seminis pap. albi & vesicariæ*; fiatque muccilago, de qua sumatur ℥ j. ß. prædicti decocti mane per dies octo aut nouem. Verum cum id bis sumsisset, sapor eidem non placebat. Iussi pro calore mitigando, vt quatuor horis ante pastum sumeret ℥ iiij. lactis ouilli acidi, a quo butyrosa pars separata sit. Iubebam quoque vt modo lac tepidum per syringam infunderetur, modo aqua albuminis oui diu agitati cum lacte & oleo viol. commista. Et vt loco subinde aquæ albuminis oui, in ardore magno muccago psyllii substitueretur; & vt pudendum in vas lacte plenum aliquantisper teneret, ad magnum ardorem mitigandum; & vt perinæum ac pectinem inungeret *oleo ros. nymphææ.* Quod si neque illa iuuarent, vt peciæ lineæ infunderentur in liquore sequenti calefacto, quæ expressæ super pectinem & perinæum ponerentur: ℞. *aquæ nenupharis* ℥ iij. *aquæ viol. semperuiui ana* ℥ j. *succi solatri, semperuiui ana* ℥ j. *lactis muliebris* ℥ j. ß. *misce.* Lac muliebre, & interdum vaccinum iniiciatur per syringam in virgam, vel vesicam. Albumina ouorum conquassata fortiter ad inuicem, & amota spuma aqua illa cum lacte muliebri portionibus æqualibus iniiciatur. Perseuerante ardore, lauetur irrigeturque in balneo *ex decocto maluar. viol. lactucæ, & florum nymphææ*: & detur *diapap. vel zaccharum viol. vel diatrium sant.* modo vnum modo alterum. Vsus quoq; emulsionis *quatuor seminum frigidorum maiorum*, per syringationem laudatur, aut per os; *addendo seminis pap. albi* parũ, quo & nos commode in hoc iuuene, tum aliis multis, vsi sumus.

SCHOLIA.

Curatio ardoris vrinæ ex humore acri.

SI ardor sit ex humore aliquo acuto, acri, mordaci ex bile vel salsa pituita, secundum aliquos duas exigit intentiones generales: quarum prima remouet materiam & caussam ipsius ardoris, & malam qualitatem humorum, & membrorũ hepatis & renum: secunda remouet ipsum ardorem & malam qualitatem. Alii vero quatuor scopis curationem perficiunt; primo, bilis purgatione per leniora cholagoga, ne ab acribus bilis acrimonia ea, aut salsa pituita augeatur: qua ratione etiam vitanda acria alimenta & vretica omnia. Secundus scopus est, acris humoris diuersio ad alias partes, quam vrinæ. Tertius est, alteratio hepatis & renum ad frigiditatem. Quartus, topicis remediis acrimoniam humoris acuti, & acris obtundere. Quod ad primum generalem scopum attinet, qui tres prædictos etiam sub se continet, materiam minorabimus, quæ ardorem infert, hoc vel simili medicamento: ℞. *sebesten. num. viij. iuiubar. num. x. prun. num. vj florum viol. nenuph. ana m. ß hordei mund. p. j bulliant in s. q. aquæ ad medietatem colentur. huius accipe* ℥ iij *cassiæ* ℥ j. *vel mannatis* ℥ j. ß *misce. fiat potio*: adde *syr. viol.* ℥ ß. *misce.* valent & syr. in obs. dicti viol. *cum aqua end. portul. syr. de portul. & de pap.* Deinde purgetur cũ cassia vel manna. Vel ℞. *myrob. citr.* ℥ ij. *infunde in aqua decoct. pass. facta in aquis end. & acetosæ per noctem.* Demum fiat expressio, adde *rhab. puluerisati* ℥ j. ß *syr. ros. laxat.* ℥ j. *misce. fiat potio.* Abstinendum a scammoneatis. Diuersio fiet per frictiones & vomitum, vt diximus in obseru. etiam clysteribus mollibus refrigerantibus, materiam per aluum deducentibus. Alterantia hepar & renes, per epithemata, sacculos, vng. *vt in obser. diximus. quæ & habes apud Fontanonum & Rondeletium*, quæ tum renes, tum hepar refrigerant, etiam dando *conser. ros. nymphææ, florum cichor. cum semine acetos. santal. adiectis trochis. ac camphora in exigua quantitate.* Non desunt, qui

qui camphoram omnino respuunt; ideo in opiatis relinquenda. Secunda generalis intentio erat ad ipsum ardorem vrinæ, qui erat quartus scopus apud Rondeletium: perficitur cum iis, quæ tam intus, quam extra adhibentur: quale erat illud per os sumtum ex muccillaginibus. Alii ex succo cucurbitæ, & succo portul. depurato, scilicet ℥ iij. facta residentia conficiunt syr. cum zaccharo. De liquoribus, qui iniiciuntur ex aqua albuminis cōcussi, lacte mulieb. & aliis, in duabus præcedentibus obser. & scholiis satis dictum est. Sed hic etiam annotanda illa historia, quæ contigit olim in Bonomēsi monasterio, ex ardore vrinæ a caussa primitiua, nempe veneno, quod etiam discipulus vidit in actu prædicto (*vt habetur apud Leonellum Fauentinum cap. 70. de ardore vrinæ*) cum suis præceptoribus, scilicet cum magistro Ludouico de Leonibus, & magistro Leonello, & hoc in Monasterio Sancti Saluatoris Bononiæ. Fratres enim comederant ranas in fine mensis Iulii, quæ se miscuerant cum bufonibus, vnde magnus factus est ardor vrinæ. Magister Ludouicus dedit eis ℥ j *cassiæ dissolutæ in aqua maluæ q. s.* M. vero Leonellus, dedit cassiam dissolutam in aqua sem. commun. frigid & aqua rutæ q. s. &c. Postea præscripsit talem potionem ad vrinam prouocandam, & renes mundificandos, & biberunt per tres dies. Et erat potio talis: ℞ *aqua maluæ* ℥ *x. iulebi viol.* ℥ *iij. misce.* Illud sciendum, quod pauci euadant ab illa ægritudine, cum impressionem fecerit, vt præceptor referebat. Vltimum & satis efficax remedium est, bibere aquam balnei, thermarum. Et si hoc non proderit, nil auxilii reliquum erit. Verum si ardor vrinæ contingat ex cantharidibus, tunc lac præbendum est, tum alia, quæ diximus in præcedentibus, de iis, qui cantharides sumserunt. Solet enim ardor vrinæ frequenter fieri propter vsum acrium & prouocantium vrinas, vt post cantharides assumtas, vel propter empetri aut laueris vsum, nasturtii, & aliorum, quæ affatim vrinam prouocant, vt est potus nimius ceruisiæ recentis, quæ nimis detergendo partes, quæ sunt veluti muco obductæ, ardorem vrinæ prouocant. Ista sola assumtione albuminis oui, aut cibi viscosi, vt decocti pedum veruecis, aut aliorum, facile curatur, *Rondeletii auctoritate.*

7 *Ardor vrinæ ex esu bufonum vel ranarum.*

8 *Ex cantharidib. vel aliis vrinam valde prouocantib. si originem habeat, quo modo curetur.*

Observatio XXXVII.

De nauta, qui cum pilulas præcipitatas accepisset, gonorrhœa laborans, & mingendi difficultate, in ardorem vrinæ duplo maiorem incidit.

1 ANno 1552. Martinus Petrus, nauta Alcmarianus, vir robustus, annos circiter xxxiij. natus, cum difficultatem mingendi longo tempore vna cum gonorrhœa pateretur, ac vrinæ ardorem experiretur, tonsorem adiit: qui cum eidem pilulam vnam atque alteram ex præcipitato dedisset, ardor vrinæ ita increuit cum reliquis accidētibus, vt in vomitum quoque enormem incideri, tum ventris fluxum, animi deliquio subsequente, vt pro mortuo haberetur. Ad quem accitus, aqua in faciem aspersa ab animi deliquio excitatus fuit. Tunc propter vrinæ ardorem exhibui decoctum hordei mundati, seminis maluæ, cotoneorum, & seminis pap. cum syr. viol. illud ad tempus cū bibisset, ardor vrinę plurimū mitigatus est. Post aliquot dies viribus vtcunque recreatis, exhibui ℥ *x. cassiæ, seminis dauci pul. & succi glycyrrh.* ʒ *j. trochis. alkach gran. vj. cum zacch. candi fiat bolus.* Ter ex eo aluum satis copiose deposuit. Cum autem lotium deinde valde crassum esset, & muccilaginosum: ne materia corrupta ipsius seminis ex gonorrhœa intus maneret ac putresceret: mandaui, vt sequenti decocto vteretur: ℞ *glycyrr. ras.* ℥ *j. rad. althææ, maluæ ana* ℥ *ß. rad. fœniculi* ʒ *ij foliorum maluæ, viol. capill. Ven. fumariæ fœniculi, scolopend. ana m j flor. cord. p. j. seminis anethi* ʒ *j ß sem. quatuor frigidorum maiorum, sem. pap. albi ana* ʒ *ij. seminis cumini præpar. ad exsicc.* ʒ *ß granor. alkachengi num. septem, vuar. pass. cum arill. p. j. cicer. rub.* ʒ *ij. coquantur in aqua communi pro* ℔ *j ß. colat. adde syr. viol. de fumaria ana* ℥ *j. mellis ros. colati* (propter lotium crassum muccilag.) ℥ *ß. misce.* capiebat bis in die ex hoc decocto. Verum, vt materia venenosa ex gonorrhœa expurgaretur decoct. adieci folia senæ, myrobalanos, polypodium & epithymum, & pruna damas. ex quo decocto duas quotidie habebat sedes, *senæ nempe* ℥ *j. polypod* ℥ *ij epithym* ʒ *j. & myrobal. omnium ana* ʒ *ß.* Dedi quoque serum lactis cum trochis. alkachengi & albumen oui agitatum dilutum cum aqua solatri; & iniici curaui, modo lac recens mulctum: quibus præsidiis curatus fuit, vt aliis remediis opus non haberemus.

2

Scholia.

3 SIcuti in gonorrhœa fit aliquando ardor vrinæ; ita etiam ob seminis potissimum, aut illius serosæ substantiæ, quæ coitum præcedere solet, corruptionem, vel propter infectæ mulieris vitium, quod contactu contrahitur, idque potissimum, cum quis semen attractum retinet, & iam commotum. Quod si ab ista caussa proueniat, aliqui iubent statim missionem sanguinis fieri e poplite, quæ citissime curat. In nostro nauta, cum iam diu durasset, id non fecimus. Quidam cōmendant vsum repellentium, modo in principio adhibeantur. Intus autem iniiciunt, quæ detergunt cum quadam refrigeratione, cum decoct. hordei & syr. viol. & ex aquis destillatis, cum syr. ros. laxat: ℞ *aquæ plantag. solatri ana* ℥ *iij. syr. ros. laxat.* ℥ *ß. misce. fiat iniectio,* quæ detergit semen illud corruptum, & id quod a parte inflammata resudat. Serum lactis id etiam præstat, nisi quod minus refrigerat. Conuenit in processu, ad detersionem *adiect. zacch ros. vel syr. ex ros. siccis.* Si dolor adsit, vel magna inflammatio, *albumen oui agitatum, dilutum aqua plantag. vel solatri iniiciendum, aut omne lac.* Cum autem multa sanies reiicitur, tunc adiungenda sunt detergentia magis, deinde veniendum ad ea, quæ detergunt & exsiccant; & eodem modo curantur, quo vlcera vesicæ. Inter alia, *aqua destillationis corticis malorum granat. & arantiorum multum valet, aqua peculi ros. myrtill. & potissimum cum litharg.* Coquantur in huiusmodi aquis. Post sanguinis missionem vtatur *cassia noua*

ter extracta, cū sem. berberis, vel cathol. vel diasebesten. Dantur syr. lenientes, leuiter detergentes, & refrigerantes, vt syr. viol. cum decoct. hordei assumtus; lenit ventrem, syr. nenuph. refrigerat, syr. rosl. laxatiuus laxat & deterget. Optimum est illis tertio vel quarto die dare talia medicamenta ad deriuationem: poma cocta, pruna & sebesten valent ad ventrem mouendum, ad humorum feruorem exstinguendum. *Muccilago sem. psyllii extracta cum aqua viol. vel cum decoct. prun. sebesten, pauco zaccharo & glyzyrr. ventrem laxat, & ardorem minuit.* Extrinsecus, fotus vel vnguenta magis penetrant, quam emplastra. Sed fotus quia calidi apponuntur, periculosiores sunt: satius erit vng. ex refrig. & resiccantibus paratis vti. Vt, ℞. *ol. ros. vel myrti, vel cydonior. ℥ij. aceti ros. ℥j.* vngantur renes, & locus perinæi & totius pubis; vel addita cera, fiat linimentum, vel ex metallicis succis herbar. & aceto fiat ad formam nutriti, vt ℞. *litbarg. ℥ß. cerusa lota, tutia ana ʒij. aceti & succi plantag. q. s. fiat ad formam nutriti*: quibus si addatur caphura, citius penetrabit, & erit efficacius. Iniiciantur clysteres refrigerantes, vt in mictu sang. superius dictum est, ex succis & decoctis herbar. refrigerantium & constringentium. Iniicienda autem parua quantitas, ne statim proritetur ad expulsionem, & non nisi post excrementorum reiectionem. Quod si aluus esset astricta, *ex decoct. mal. viol. tantum, prun. & quat. sem. frigid. maior.* paranda esset decoctio, *& in ℔ j. colatura dissoluenda cassia, vel mel. viol. vel zacch. rub. vel cathol. cum succo cicla, olei viol. pul.* descript. a Rondeletio cap. de vesicæ vlcere, ad exsiccationem conuenit in fine, *cum aqua cauda equina & plantag. vel cum albumine oui fortiter agitato.*

Observatio XXXVIII.

De ardore vrinæ vna cum dysuria, vrina salsa acri quasi purulenta, & muccilaginosa.

EMerētiana Kerckweruia, matrona nobilis, quā sæpe feliciter a multis morbis curauimus; progressa ad annum 27. his symptomatis, nempe ardore vrinæ vehementiore, dysuria, vrina muccilaginosa, salsa, acri, quasi purulenta corrosionem quandam inferente, afficiebatur. Vnde in Brielam vrbem, in qua habitabat, ad eam accitus sum. Alias hæc ipsa nephritide laborauerat, quod & arenulæ rubeæ in fundo matulæ ostendebant, & paulo antequam hæc symptomata eam apprehēderunt, dolor quoque renum præcesserat. Sed & nunc, præter iam dicta symptomata, mensium aderat profluuium continuum, dolor insignis circa pubem, ad inguina tendens, & in muliebribus quasi corrosio, ex vrina salsa subinde etiam retenta, aut ægre exeunte, mox rursus copiose effluente & stilante, non sine stranguria. Pulsus huic erat paruus, debilis satis, tam ob mensium fluorem quam dolorem, & ob vehementissimum vrinæ ardorem. Quamuis singulis 14. diebus, vel tribus septimanis ad minus, ante quoq; menses largiter fluxerant, & in fine menstruationis subinde quid carneæ molæ instar deiicit bat: tunc demum cessabant menses. Sed hæc ipsa, vti narrabat, cum ante mensem equo duriter incedente vna cum marito in villam equitasset, mictione tamen sanguinolenta post equitatum non subsequuta, mox accidentia supradicta & ardorem vrinæ incurrebat, quem tamen antea nunquam fuerat passa. Vel ob arenulas vel ob equitatum humores acriores redditi sunt, & ardor atque alia iam dicta symptomata eam ipsam vrgebant. His malis ita conflictata, per octo dies, nempe anno 1564. mense Iulio, me vocauit. Cui cremorem hordei & amygd. ac hordeatum statim præscripsi ad humores obtundendos, dolorem mitigandum. Quale etiam & hoc erat quod sequitur: ℞. *horde. mundati, viol. malua cum toto ana m. j. glycyrr. rasa ʒ vj. coquantur ad hordei crepaturam pro ℥ viij. addendo sem. 4. frig. maior. mund. ana ʒ j. ß. j. sem. pap. albi ʒ j.* bisque contusis, & facta emulsione cum decocto iam dicto, insuper addendo *syr. viol. pap. nenuphar. ana ℥ ß. misce pro duabus dosibus*, egregie contulit. Interim illam nutriebam lacte ouillo, cum febrem non haberet. Pro potu ptisana vtebatur ex decoctione hordei mundati & glycyrrhizæ. In fine concedebam vinum Rhenanum, aqua hordei dilutum. Sub noctem etiam ad somnum conciliandum, & dolorem consopiendum, hoc sequenti hordeato vtebatur.: ℞. *hordei mundati m. ß. amygd. dul. depillat. ℥ij. sem. 4. frig. maior. mund. ana ʒ j. sem. pap. albi ʒ ß. fiat hordeatum.* Demum menstrua purgatione per se cessante, ad renes expurgandos & vias vrinales, accepit *℥j. cassia recens extracta in bolo. zacch. candi dicto adiecto*: & sexies aluum excreuit. Rursus decocto supradicta vtens, renesque inungens hoc vng. ℞. *vng. ros. Mes. absq; opio, axungia porcina olei ros. ana ℥ ß. misce lauetur cum aqua ros. addendo cera alba parum. fiat vng. molle.* Atque his remediis egregie fuit curata, vt aliis remediis opus non fuerit. Post tres tamē dies incidit in fluxum ventris ac tenesmum; & excreuit muccilaginosa, & subinde cruenta ac purulenta: dixisses vlcerationem adesse. Rursus reuocatus sum, cum & simul ardorem vrinæ pateretur. Post lotium medicamentum, *ex decoct. hordei non excorticati, adiecto syr. ex infus. ros. rub.* rursus exhibui emulsorium *sem. 4. frig. maiorum, cum hordei cremore, pauco adiecto melle ros. & emuls. seminis pap. albi.* Et continuo vtens *lacte ouillo, modo amygdulato & hordeato*: ita vt abstersa acri materia fluxus ille cessauerit, remanente adhuc leui ardore vrinæ & excoriatione in muliebribus. Ea autem lauabat *decocto malua viol.* deinde lacte recenter mulcto, & solo oleo: mox oleo violaceo. Quibus magnum iuuamen sentiebat, vt referebat. Mox pro ardore vrinæ, stranguria, dysuria, bis sequenti decocto vtebatur in die: ℞. *malua, cum rad. m. j. liquir. ras. ʒ. iij. seminis malua cotoneor. ana ʒ ß. seminum quatuor frigidorū maiorum ana ʒ j. sem. portulaca ʒ ß. granor. alkachengi num. iij. sem. pap. albi, ʒ j. ß. bulliant leuiter in aqua communi pro ℥ ix. syr. iuiubini ℥ j. misce pro ℔ j.* Postea capiendo sæpe cochlearia iij. eiusdem decocti, *cum syr. ex infus. ros. commun. addendo semper*

semper ℥ ß. *trochis. alkachengi sine opio*; cumque id sexies accepisset, denuo ab ardore vrinę & reliquis symptomatis liberata recte deinde valuit.

SCHOLIA.

5 VIscosa egregie conferunt ad ardorem vrinæ: qualis est hæc muccilago; ℞. *psyllii* ℥ *vj. semin. coton.* ℥ *v. semin. quatuor frigidorũ maiorum ana* ℥ *j. sem. pap.* ℥ *j* ß. *conquassentur*, & fiat muccilago cum aqua hordei multæ decoctionis. Huius pars detur cum aqua hordei per os, & altera cũ syringa iniiciatur. Remouebit enim & remittet caliditatem in membro derelictam. Trochisci quoq; infrascripti mirum in modum commendantur pro alteratione, refrigeratione, & renis ac viarum vrinalium mundificatione, cum & vesicam ab humoribus acutis liberent: ℞. *sem. quatuor frigidorũ maiorum mund. ana* ℥ ß. *gummi arab. tragacanthi ana* ℥ *j* ß. *sem. portul. sem. pap. albi ana* ℥ *iij. santali rub.* ℥ *j* ß. *hyoscyami albi* ℥ *j. fiant trochis. cum muccilag. psyllii, detur* ℥ *j mane & ante cœnam, vel dum lectum intret æger, cum aqua hordei.*

OBSERVATIO XXXIX.

De ardore vrinæ, cum vesica vlcere.

1 SEnex quidam vlcus in vesica habuerat longo tempore, cum ardore vrinæ: qui quamuis difficulter curari posset, vt ex dictis patet, tamen, vt ardorem quouis modo mitigaremus, habita etiã ratione vlceris, cuius curatio cõsistit in vlcere repurgando, & demum in consolidando, consuluimus, vt modo aquam hordei cum zacchara optimo per os caperet, modo etiam per virgam in vesicam iniiceret, modo lactis serum cum zacch. albo etiam tepide iniiciendo cum syringa: aliquando per os etiam sumendo cum aqua hordei trochiscos supradictos. Postea pro aliquali etiam vlceris mundificatione iniicere iussimus lac vaccinum, idque tepide. Mitigat enim & mundificat ratione serositatis (vt loquuntur practici) & consolidat ratione caseitatis. Iubebam quoque vt per os sumeret infrascriptam mixturam: ℞. *loch de papau. diatrag. frig. ana* ℥ ß. *syr. viol.* ℥ *j. trochis. alkachengi* ℥ *j. misc.* Et vt magis consolidaret, loco trochis. potest addere quis ℥ *j. boli arm. veri.*

SCHOLIA.

2 CVratio ardoris vrinæ ab vlcere, siue vlcus exsistat in vesica, siue in eius collo, aut in pene, vel in eius meatu vrinario, a quauis caussa illud originẽ habeat, duplicem intentionem curandi exigit; scilicet mundificationem atque abstersionem, secundo consolidationem. Quæ vero vlcus mundificant & detergunt, per iniectionem præcipue id diximus, per iniectionem (inquam) aqua hordei, capiendo ℥ *viij.* & *Zacch.* ℥ *j. vel aquæ lactis* ℥ *vj. Zacch.* ℥ *j. tepide cum syringa iniiciatur.* Consolidatur vero lacte vaccino iniecto, vel hoc paulo fortiore: ℞. *albumina ouor. num. 4. conquassentur*, vt sæpe dictum est, *adde boli arm. sang. draconis ana* ℈ *ij muccilag. psyllii, lactis mulieris ana* ℥ *ij pulverizanda pulverizentur. misce*, & per syringam iniiciatur. Sed & illud ad ardorem vrinæ expertum habetur, etiam in dolore colis: ℞. *lactis seminum quatuor frigidorum maior. extracti cum aquæ solatri* ℥ *vj. muccilag. psyllii* ℥ *iij. olei nenupharis* ℥ *j.* Alii addunt *croci, opii, camphoræ, succi hyoscyami ana gran. iij. vel paulo minus.* Alii terunt *semen hyoscyami, & papa. albi cum aqua ros. addendo albumen oui:* & iniiciunt, *aut lac muliebre, addito grano vno aut altero opii.* Et cum indicatio consolidandi est, inungunt pectinem & perinæum hoc sequenti linimento: ℞. *ros. rub. cort. granat. balaust. sumach ana* ℥ *j* ß. *thuris* ℥ *j. boli armeni, sanguinis draconis ana* ℥ ß. *pulverisentur pulverisanda omnia subtiliter, & reducantur cum oui albumine ad formam linimẽti.* Vbi autem ob puris e renibus, aut aliunde descendentis acrimoniam, ardor vrinæ oriatur, pręsens remedium erit ante vrinæ emissionem (*quo & Rondeletius vtitur*) iniicere solum albumen oui fortiter agitatum: post emissionem vero lac; & vt cunque obtundere sensum partis in vehementissimo dolore. Nam, vt ex dissectione nouimus, sentiunt dolorem citra aliquem affectum in pene a salsugine & puris acrimonia. Sed quia, quæ sensum obtundunt, frigiditate maxima meatum cõstringunt, optimum erit vel in decoctione relaxante, vel in oleo aliquo illa dissoluere: ne propter constrictionem pus retineatur, vel maiorem moram faciat in transitu, ex quo sequitur dolor vehementior. Eligantur relaxantia, quæ succum lentum habent, vt abducant viam, vt minus vrina vel pus partem sensilem tangat: vt, ℞. *rad. bismal. aut consolidæ maioris* ℥ *j. cortic. mandrag.* ℥ ß. *misce & fiat decoctio.* Capita *pap.* in eadem decoct. possunt decoqui: & iniiciantur. Alii addunt, vt & ipse, si opus est, *aliquid opii.* Eadem in oleo *amygd. dul. vel viol.* dissolui possunt, & iniici. Vel oleum extractum *ex semine pap. vel ol. mandrag. misceantur lactis* vel decoctioni supradictæ, *vel muccilag. seminis lini, vel coton. vel psyllii.* Sed dilui debent muccilagines *multa aqua viol. vel plantaginis*, quo facilius infundi possint. Id in vehementissimo dolore faciendum est, & magna necessitate. Idem laudat *pulverem requiei*, secundum suam castigationem, in dolore vehementissimo.

Curatio ardoris vrinæ ab vlcere.

3

Si ardor vrinæ contingat ob puris e renibus aut aliunde descendentis acrimoniam, curatio.

4

Finis libri vigesimiquinti.

LIBER VIGESIMVSSEXTVS, DE PENIS AC VIRGÆ VITIIS.

OBSERVATIO I.

De abscessu penis in perinæo in fistulam abeunte, & in excrescentiam carnis, cum stillicidio, & dysuria, & vlcere renum.



GOdefridus Isbrandi, Zythepsa Delphensis, pro cuius ædibus, ac in cupis, cornu ceruinum pro symbolo erat, cum vltra semiannum deplorate decubuisset ex renum vlceratione, multorum Medicorũ opera venum vlceratione, multorum Medicorũ opera venitens, primo Paracelsici cuiusdam, sanitatem pollicẽtis; deinde Cornelii Eritii, collegæ nostri: postea persuasu quorũdã, in perditissimi illius Iudæi

& impostoris manus incidit, qui Lugduni Batauorum ob facinora publice, tum Mechliniæ anno 1551. flagellatus est. Hic multis calidis medicamentis adeo humorum acrium fluxionem irritauit, vt tandem abscessus factus sit in perinæo, in parte illa, quæ est intra anum & testiculos; atque is disruptus, in fistulam abiit, etiam carne increscente, vt stillando vrina per fistulam exiens, dolorem insignem & acrimoniam induceret. Ob vlcera renũ confirmata, per Iudæum Empiricum eo deductus fuit, vt ab omnibus Medicis tandem pro deplorato haberetur: ita vt neque ex lecto surgere, aut sese erigere posset, ob continuos dolores renum. Pus etiam vrinæ commixtum a renibus vlceratis defluens ad locum fistulæ, acrem vrinam, & ingẽtem acrimoniam inferebat; ita vt ex dolore præcedente, tum febre ac vigiliis ad tabem quasi, illis diureticis medicamentis per Iudæum descriptis, peruenerit; & corpus tabidum ac exsangue euaserit, cute rugosa exsistente, ossibus quasi solum relictis. Cum iam ad extremum malum deuenisset, omissis Empiricis omnibus, opem nostram implorauit; tantum a me id flagitans, vt saltem a dolore subleuaretur, vel si perpetuo in lecto illi decumbendum esset; atque etiamsi per fistulam cõtinuo vrina fluere deberet; dummodo posset a dolore lumborum liberari. Ceterum, *Dei omnipotentis auxilio*, diligentia magna adhibita, hominem non solum a dolore liberaui, sed in integrum restitui. Ad hunc accitus fui *18.* Aprilis, anno 1558. quo anno Delphos quoque accesseram. Quod ad cibum attinet, ad detersionem, & dolorem sedandum vtebatur *cremore hordei cum zaccharo: modo amygdalato hordeato, tum aliis, quæ de vlceribus renum scripsimus.* Verum cum hic opus esset maiori aliqua detersione, nam materiam crassam fœtidã per vrinam deiiciebat, cum dolore renum, 18. Aprilis hæc præscripsimus: *℞. rad. liquir. rasæ, rad. pentaphyllonis, cichorii, rad. ononid. seu arestæ bouis, ana ℥ ß. betonicæ viridis, agrimoniæ, folior. pentaphylli* (etiam propter fistulam & dysuriam) *plantag. cum rad. ana m. j maluæ cum rad. parietar. scolopend. ceterach, capill. ven. ana m. ß. flor. borag. viol. nenuphar. ana p. j sem. anisi, fœniculi, melonum, cucurbitæ, cucumeris, althææ ana ℥ j. sem. pap. alb. ʒ ß. prun. damas. num. vij limonem vnum integrum incisum* (vide distillationem pro syr. Magistrali huic decoctioni, haud absimilem apud Montanum consultatione 82. de deiectu materiæ crassæ & fœtidæ per vrinam, cum dolore renum) *granorum alkekengi ℥ j ß. fiat omnium secundum ordinem decoctio in aqua maluæ, althææ, ana ℔ j. aquæ fumariæ ℥ iij aceti vini albi ℥ ij. ß. aquæ raphani ℥ j. bulliant ad consumtionem tertiæ partis: colaturæ adde syr. de cichor. Nicoli, mellis ros. colati, oxymel. simplicis, syr. absynt. maioris descript. Mes. syr. de fumoterræ, ana ℥ ß. aromat. cum ℈ ij ß trochis. alkekengi sine opio. albumine oui depuretur*, & fiat potio clara. 21. Aprilis secundo descriptus est hic potus: *℞. cassiæ recens extractæ ℥ j. dissolue cum ℥ iij. potionis suprascriptæ.* Deinde rursus accepit sequens apozema: *℞. glycyrr. rasæ ℥ j. fumariæ, agrimoniæ, betonicæ, maluæ, viol. capill. ven. ceterach. pentaphyllonis ana m. j. florum buglossæ borag. nenupharis, ana p. j. seminis anethi, cumini, pap. albi, seminum quatuor frigidorum maiorum, ana ʒ j granorum alkekengi ℥ j. ß. cicerum rub ʒ j. fiat decoct. in aqua fumariæ, maluæ, althææ, ana ℔ j ß. ad consumtionem tertiæ partis: coletur & colaturæ adde syr. iuiubini, viol. oxymel. simplicis ana ℥ ß misc. pro apozemate.* Tertio: *℞. Therebinthina Veneta lota in aqua plantaginis, pulueris liquir. ana ʒ j ß. trochis. alkekengi, succi liquir. mumiæ, ana ℈ j. fiant pilulæ instar cicerum.* Capiebat mane tres, & post meridiem hora quarta superbibendo ℥ iiij. *vel v. decoctionis suprascriptæ.* Quarto: *℞. decoct. hordei mundati ℔ j. ß. qua vinum Rhenanum* (quo vtebatur ob virium imbecillitatem) *diluebat, pro maiori abstersione vlceris, & virium roboratione.* Quinto, cum diceret se habere tormina in ventre, & ventositates, libenter clysterem iniecissem: sed cum enemata abhorreret, cum sæpius per Iudæum nescio, quæ iniecta essent, a quib. referebat, se semper male habuisse; confectionem hãc in tabulis præscripsi: *℞. Cumini præparati & subtilissime puluerisati, ammios, trochis. alkekengi, specierum Diarod. abb. specierum diatr. frigid.* (ob hecticam, quam metuebam) *ana ℈ ij. dissol. in aqua althææ, adiecto zaccharo optimo q. s. fiat confectio in tabulis.* Bis reiterata fuit. Sexto scilicet 27. Aprilis: *℞. cassiæ cum manna ℥ ß. cassiæ recens ex cannis tractæ, confectionis hamech, ana ʒ j ß. diacatholici ʒ j. trochis. alkekengi, seminis anisi puluerisati ana ℈ ß. dissolue in ℥ iij. aquæ althææ fiat potio.* Sumsit in diluculo: optime excreuit, magno cum iuuamine. Septimo, nempe 28. Aprilis: *℞. hordei non excorticati, pentaphyllonis cum rad. ana m. j. granor. alkekengi num. v. fiat decoctio in aqua communi. cuius accipe ℥ iij. syr. myrtini ʒ j mellis ros. colati ℥ ß. trochis. alkekengi puluerisati ℈ ß misc. detur vnica vice.* Deinde adhuc bis cœpit. Octauo, nempe vltimo die Aprilis: *℞. rad. liquir. althææ maluæ pentaphyll. ononid. cichoreæ rad. consolidæ maioris ana ℥ ß fumariæ, absinthii Romani foliorum pentaphyll. ros. rub. plantag. cum rad. caudæ equinæ cum rad. capill. Veneris, scolopend. agrimoniæ, ana m. ß. florum nenuph. borag. ana p. j absinthii communis m. ß seminis pap. albi ʒ j. ß. seminis quatuor frigid. maior. seminis althææ coton. ana ʒ ß. seminis fœnug. anethi, cumini præpar. portulacæ ana ʒ ß. hordei non excorticati, m. ß granorum alkekengi num. ix. cicer. rub. ʒ ij. fiat decoct. in sero lactis ad ℔ j ß. stent per noctem supra herbas: mane fiat colatura: cui adde mellis ros. colati syr. myrth. ana ℥ j syr. de liquir. ex ros. siccis ana ℥ ß syr. absinthii communis, viol. ana ℥ ß. trochis. alkekengi ℈ iiij. trochis. subtiliter puluerisetur misc. fiat apozema: capiat bis in die ℥ v. vel vj: decoctio ob rad. ononid. & pentaphylli, habebat colorem rubeum egregium, ceruisiæ rubiusculæ instar.* Nono, finita decoctione, hoc modo denuo illum purgauimus: *℞. plantag. cum rad. maluæ. pentaphylli. parietariæ fumariæ, ana m. j. seminis anisi ʒ iij prun. damas. num. ix Vuar. pass. ab arill. repurg. hordei mund. ana ℥ j. follicul. sen. ʒ j. coquantur in ceruisia communi pro duobus cyathis, colat.*

6 *colat. adde cassiæ recent tractæ ℥ ij. misce, pro duabus dosibus.* Habebat ex eo decocto semper sedes copiosas muccosas, cum maximo iuuamento. Singulis quatuordecim diebus, prout nobis vtile videbatur, sumebat cyathum vnum illius decocti: quod valde commendabat. Decimo, scilicet die 2. Maii: *℞. mellis rosacei colati, syr. ex ros. siccis, syr. de fumoterræ ana ℥ ß. aquæ maluæ, fumariæ, nenupharis ana ℥ j. misce.* Hic syrupus sæpius fuit reiteratus. Per hæc decocta suprascripta fistula fuit optime mundata, pure bene deterso: ita, vt Guilhelmus de Dalen lithotomus, qui vlcus illud externum, inter ambos testiculos in perinæo in fistulam productum, tractabat, tandem cum minori negotio curauerit, quanquam deinde post mensem ibidem noua materia collecta fuit; vt denuo difficulter mingeret, ob carnem innatam intus in meatu vrinario circa fistulam, vt vrina subinde retineretur, etiam inflatione subsequuta: quæ cessauit *fotu florum chamomill. meliloti florum rosarum rub. & corticum quercus arboris, & materia ibidem collecta per resolutionem euanuere.* Præcedentibus remediis, dolore, qui erat in lumbis & renibus, paulatim mitigato, etiam vlcere renum optime deterso; ad maiorem consolidationem & mitigationem, lac vaccinum tepide dedimus. Verum cum rursus conquereretur de ventositate; vndecimo, nempe 4 Maii hæc præscripsimus: *℞. cumini præparati. semin. ammi ana ℈ j. trochisci alkekengi sine opio ℈ j. ß. specierum diarod. abbat. spec. diatrag. frig. ana ℈ ß. pulueris cinnamom. electi ℈ ß. omnib. puluerisatis & dissolutis in aqua althææ, adiecto zacchar o albissimo q. s. fiat confectio in tabulis.* 7 Duodecimo potiones fuerunt reiteratæ: etiam materia purulenta in lotio diminuebatur; ita vt iam ex lecto se mouere posset, quod antea non poterat: & similiter baculo innixus per cubiculum incedebat. Lumbi quoque inungebantur vnguento ros. & ad maiorem roborationem renum, & ad febrem hecticam, quæ latebat, & ad mundificationem & detersionem, tum consolidationem vlceris renum, conuenienti semper descripta diæta, de qua libro præcedente satis diximus. 14. Maii hæc infrascripta parata fuere: *℞. conserua rosar. florum nenupharis ana ℥ ß. conserua florum buglossæ, florum herbæ paralysis, conserua summitatum absinthii Romani, conserua medullæ limonis, seu citri, corticum citri cõditi ana ℥ iij zacchari violacei Zacchari rosarum, specierum diatrag. frig. ana ℥ j ß. trochiscorum alkekengi ℥ iij. seminum quatuor frigidorum maiorum mundator. ana ℈ ij semin. papau. albi ℥ ß. pulueris cinnamomi electi, succi liquir. ana ℥ ß. cum syrupo myrthino, de liquir. ana q. s. fiat conditum secundum artem.* Decimo tertio, videlicet 17. Maii: *℞. decoct. hordei non excorticati ℔ j. mellis rosacei colati syr. de cichor. N. coli, syr. nenuphar. syr. ex infus. ros. ana ℥ ß. misce.* Decimoquarto: *℞. conseru. ros. antiqu. conseru. florum nenupharis, bugloss. ana ℥ ß. conseru. summitat. absinth. conseru. florum herb. paralysis, corticum citri conditi, Zacchari viola. ana ℥ ij. troch. alkekengi sine opio ℥ iij seminum quatuor frigidor. maior. mũdat. ana ℥ ß specier. diatr. frig. ℈ j. pul. cinnamomi electi succi liquir. ana ℈ j excipiantur cum melle ros. syr. myrth. & liquir. ana q. s. fiat conditum.* 8 Decimoquinto, nempe 20. Maii, pro renum calore: *℞ cerati infrigid. Galen. ℥ j. inungantur renes.* Cum ab apostemate intra testiculos & anum in perinæo, vbi fistula erat, per chirurgum curatus esset, post duas tresve septimanas, sensit in eodem loco quandam duritiem. Pro qua sequens vnguentum præscriptum est; decimo sexto, nempe 21. Maii: *℞ olei chamomill. lilior. viol. ana ℥ iij olei rosacei, ammoniaci in aceto dissoluti, pinguedinis gallin. ana ℥ j. cer. alb. parũ, fiat vnguentum molle.* Decimo septimo, scilicet die 24. Maii: *℞ conser. ros. viol. nenupharis, absinthii Romani ana ℥ ij. corticum citri conditi ℥ j. ß. troch sc. alkekengi sine opio ℥ ij. specierum diatr. frig. trochisc. de carabe* (ad maiorem sigillationem vlceris renum) *trochis. de terra sigillata ana ℈ j. pul. cinnamomi selecti ℈ j zacchar. viol. ℥ ß. cum syr. myrth. iuiubino. de liquir. fiat conditum sumat cũ decoct. vltimo præscripto.* Decimo octauo, nempe 6. die Iunii: *℞. conser. ros. nenupharis, corticum citri cõditi ana ℥ ij trochis. alkekeng. sine opio ℥ j specier. diarod. abb. specier. diatr. frig. troch s. de terra sigill. zacch. viol. ana ℥ ß. cum syr. myrth. ex infus. ros. ana q. s. fiat cõdit.* 9 19 nempe 12. Iun *℞ f. m pentaph. capill. Ven. agrim. plantag. cum rad. hordei non excortic. ana m. ß rad. liquir. ℥ iij gran. alkeken. num. v. fiat omnium decoct. in aqua comm. pro ℔ j colet colatura adde mell. ros colat. syr. ex infus. ros. ana ℥ j. ß. misce pro quatuor dosibus.* Fuit reiteratum cum conditũ. Vigesimo, pro abstersione & consolidatione, tali potu quotidie vtebatur: *℞ plantaginis cum radic. pentaphyl. cum radice fumar. agrimon. hordei non excorticati, florum rosar. rub. ana m j. rad. liquir. ℥ ß. coquantur in ceruisia communi: & hac colatura vtatur bis terue in die.* Et istis sæpe reiteratis, optimam victus rationem obseruans, qualem antea pro vlcerib. renum & vesicæ commodam præscripsimus, miraculi instar, sanus euasit. Ex cuius curatione, cum ad Delphenses a Consul. vocatus essem eo tempore, haud exiguus honor nobis accessit; vt multis quoq; innotuerim. ita vt praxis deinde felicissime mihi succederet. Laudandus Deus, a quo donum omnium sanationum.

SCHOLIA.

10 PRæter vitia penis ac totius virgæ (*de quibus omnibus in hoc libro agere instituimus*) intus in pene non solum fit excrescentia carnis; vel verruca, aut aliquid callosum innascitur, *vt exemplo docuimus libro præcedente, Obseruatione* 10. Sed fit etiam intus abscessus; vt hic contigit in parte illa, quæ perinæon dicitur: vnde & fistula oborta est, atque caro supra fistulam excreuit, vt vrina per fistulam stillaret; quamuis subinde per penem exibat, non sine stillicidio; & dysuria aliquando. Quæ symptomata ab vlceratione renũ subsequuta, magno cum nostro honore non tantum cessarunt; sed ab omni dolore liberatus, ad tempus recte valuit: licet postea malum redierit, *vt sequenti Obseruatione dicemus.* Similem vero casum refert

11 *Amatus centur. 2. curat. 61. De vlceribus renum firmatis.* Quem & hic apponere libet, in gratiam tyronum medicorum: Leuiori nephritide corripiebatur apud Anglos Altarasius, vir probus, triginta natus annos: qui lucri gratia, quum Græciam, *nunc Turciam dictam*, intrasset, & Anconam se recepisset, ob labores habitos auctus est morbus, & sanguis illi per integrum annum (*quod tamen nostro ægro non euenit*) cum vrina effluxit. Cui malo nunquam curationem aliquam molitus fuit, aut præsidium adhibuit. Cessante vero sanguinis fluxione, lotium crassum, scabulosum, purulentum emittere cœpit: cum quo & obtusum quendam dolorem circa renum regionem persentiebat. Elapso vero nonnullo tempore, difficulter is vrinam mingere cœpit. Sed postea succedente adhuc morbo, inter anum & testiculos huic oborta est inflammatio, siue apostema, tactu molle, vrinæ eiaculationem omnino impediens. Sed non ob hæc febricitabat: grauiter tamen angebatur. Et merito sane: quia morbus periculum minabatur. Immisso igitur cathetere, nihil profuit: quum tamen aliis profuisse videramus. Et eade caussa concesso purgatorio medicamẽto hoc, ad topica condescendimus auxilia. Habet autem pharmacum sic: ℞ *syr. ros. solut.* ℥ *iij. decoct. senæ cũ glycyr. & fructu halicacabi, alkakengios Arabes dicunt, apparata* ℥ *iiij. diabenedict.* ℥ *uj. misc. & ieiuno stomacho bibat, & parum, si voluerit, desuper dormiat*: quo optime egessit. Topicum medicamentum: ℞ *axung. gallin. parum, desuper ponatur.* Aliud: ℞ *chamomill. malu. maluauisci ana m j. in aqua sufficienti fiat decoctio; facta colatura in mortario prædicta triturentur, quibus adde farin. chamomill. fabar. hordei ana p. j. & cum prædicto decocto q. s. fiat emplastrum; & in lineo panno admoueatur, & ligatura optime adaptata pro loci ratione ligetur.* At interim, dum hæc fiebant syr. sequentes ebibebat: ℞ *syr. capill. Ven. liquir. de absint. ana* ℥ ß. *aquar. alkakeng. absint. ana* ℥ *j. ß. misce.* Postea vero iterum ex pharmaco ab excrementis alleuiata aluo, inflammatio ad suppurationem vtcumq; peruenit: cuius pus contentũ, ne vesicæ collum roderet, ilico de illius extractione soliciti fuimus. Sed an candente ferramento, vel frigido incisorio, in dubium vertebatur. Demum hinc inde pro ratione addicto cauterio ignitio, apostema apertum fuit, quod forte contra rationem pro loci positura factum habebitur. Sed, vt postea experientia deprehensum est, perinde fuit: vt paulo post dicemus. Nam per prædictam incisionem vrina emittebatur: circa quam plura alia foramina sua spõte aperta sunt: per quæ omnia, vrina quoq; expellebatur; & illa quidem sanie infecta, sabulosa, subalbida, & interdum ad nigritiem declinans. Erant vero inferiora illa adeo flaccida, & corruptione infecta, vt ea ad consolidationẽ trahere impossibile videretur: per dictam tamen incisionem, syringæ eiaculatoria, medicamenta abstergendi, & vlcera exsiccandi vires habentia emittebantur. Per quod & tuberculum altero testiculo insitum, prædurum & contumax, dissolutum fuit. Nec enim vnquam mihi animus fuit, prædicta ad cicatricem trahere foramina: quia timor erat, si occluderentur foramina ipsa, & via lotio crasso & sabuloso interciperetur, ꝙ vlcera maligniora fierent; & per consequens, ipsum in obitũ traherent. Ceterum quum is per longum tempus sic affectus maneret, Ferrariam se contulit, vbi medicorum consilio ad balneas Calderias, postea ad Lucenses ferreas iuit. Vbi ipsarum medicatarum aquarum potu, vrinæ clariores & limpidiores euaserunt. Sed octo interpositis diebus, ad consuetam crassitiem & malignitatem sunt redditæ. Vnde iudicatum fuit, vlcera renibus substantiæ sordida infixa esse, quæ confirmata practici vocant. Contra quę Ferrarienses medici multa machinati sunt, sed frustra. Qua de caussa Anconam rediit: vbi ab epoto Guaiaci decocto paulatim marcore infectus, fluxu ventris superueniente, obiit. Sed noster æger, iis, quæ *in Obseruatione* recensuimus, probe curatus est; quamuis rursus anno 1560. ex carnis excrescentia in fistula innata denuo, omnimoda suppressione subsequente, fere mortem incurrerit: sed tandem ab hoc malo euadens, rursus curatus fuit; *vt sequenti Obseruat. declarabimus.*

Historia Amati.

12

13

OBSERVATIO II.

De omnimoda suppressione vrinæ, ab excrescentia carnis in fistula vrinaria circa perinæum, apostemate subsequente prope locum fistulæ, cum magno testium inflatione.

IDem Godefridus cum fistulam haberet in meatu vrinario, in tauro, seu perinæo dicto, inter testiculos versus anum tendente: (*quæ quidem fistula, cum ea septem iam annis, etiam ante primam curationem, de qua diximus, laborasset, modo fuit per Guilhelmum de Dalen lithotomum curata, modo rursus aperta*) cumq; per illam ipsam guttatim vrina stillaret, & semper quædam humiditas ex carne spongiosa fistulæ exsudaret: tandem circa eam caro quædam increuit; vnde neq; ipsa fistula, quæ prius videbatur curata, post aliquot annos consolidari potuit. Et cum illa excrescentia carnis per chirurgum dimoueri non posset, exsistens in loco admodum periculoso, colluuie eo facile defluente & retenta; non diu post, sub carnis illa excrescentia rursus factus est abscessus, vlceratione maligna subsequente. Quæ modo *decoctis detergentibus satis detersa*, curabatur per *iniectionem & syphonem, vel syringam*; & deinde consolidabatur: postea vero breui tempore iterum rediit. Ac eo tandem res deducta est, anno 1560. mense Aprili vt longo tempore nihil ex fistula exsudaret, facta retentione vrinæ & saniei. Idque ex malo vitæ regimine. Prius enim per nos, *vt diximus*, recte curatus fuerat. Incidit igitur nunc, non solum in omnimodam vrinæ suppressionem; verum etiam in febrem satis malignam & acutam, & herniam humorosam, ac in testiculorum inflationem adeo magnam, vt capitis humani magnitudinem excederet, & ad apostema deuenerit, cũ maxima duritie, nõ tantũ occupans scrotum & testes, sed vsq; ad anum perueniens; duritie præsertim perinæũ versus anum & meatũ vrinarium præoccupante, vt per

vt per penem nihil lotii exiret, neq; per fistulam. Catheter immissus, vt lotium prolectaret, ob vlcus callosum, & excrescentiam carnis, ad vesicam transire non potuit. Et ita ego 5. Aprilis die, anno 1560. cum pro deplorato haberetur, accitus fui. Quare & mihi vtile videbatur, cum apostema durum esset, vt aliquod emolliens, dolorem sedans, imo maturatiuum, statim apponeretur: nisi enim abscessus statim molliretur & maturesceret, actū fore de ægro: ex retentione enim vrinæ, & dolore intolerabili, spasmum, deinde mortem subsequuturam, cumq; illo die per se secessum habuisset, an clysterem, quod alioqui fecissem, non inieci. Antea autem aluus lubrica erat ex cassia & terebinthina, qua sæpe vtebatur ex nostro consilio, etiam post primam curationem. Nihilominus, cum clysterem nollet admittere, glande aluus rursus irritata fuit: præstabat enim tunc aluum per inferius ducere. Sed lotium non reddidit. Locum dolentem, & vbi fistula erat, fouebamus cum fomentis *ex melilot. flor. chamomill. folior. maluæ, viol. fœnugraci, aliisq; anodinis & emollientibus.* Hoc vero emolliens, resoluens, maturans, loco affecto, tum testibus apposuimus: *℞. rad. althaæ ℥ iij. foliorum maluæ m. iij. viol. flor. chamomill. meliloti ana m. j. ß. coquantur in modica aqua ad mollitudinem, pistentur: adde farinæ hordei ℥ j farinæ fabar. ℥ ß. olei chamomill. rosa. amygd. dulc. butyri recentis ana q. s. fiat cataplasma.* Decoctum sequens iniectum est syringa per meatum vrinarium: & reliquam partem per os dedimus: *℞. rad. liquir. ℥ ß. fol. maluæ cum rad. m. ij. sem. maluæ ℥ j. ß. sem. quatuor frigid. maior ana ℥ j. coquantur in aqua commun. ad ℔. j. mellis ros. colati ℥ iij. misce.* Septimo die accitus est Henricus Vergerius, medicus Haganus, & adhuc secundus chirurgus: facto prognostico, nisi breui lotium redderet, eundem moriturum, ob vehementem inflationem & inflammationem. Sed in dubium vertebatur, de venæ sectione peragenda, tam ob febrem, quam inflammationem. Sed quia apostema durum phlegmaticum conclusum erat, *fomentis iisdem insistendum, adiunctis corticibus exterioribus quercus,* conclusum est. Hoc lithotomus in hernia humorosa, aut aquosa, sæpe expertum habebat: *adiunctis,* inquam, *m. ij. & cumini ℥ iij. adiecta, cum superioribus iam dictis, etiam parietaria: & decoctis in vino Pictauien. fiebat fotus.* Cataplasmati prædicto etiam hæc adiungebantur, ad maiorem mollificationem & maturationem: *℞. rad. althaæ ℥ iij. lilior. albor. ℥ ij farinæ seminis lini, & fœnugraeci ana m. j. ß. furfuris frumenti exacte comminuti & cribrati m. ij. caricarum pinguium concisarum num. vj. cocta & traiecta colo addantur superiori cataplasmati, adiectis oleis lilior. albor. chamæmel. anethini ana q. s.* Apponebatur perineo, vbi fistulā erat, ac toti membro virili vsq; ad anum, vbi erat caro innata, & magna durities, quæ nec resolui nec maturari poterat. Testiculis post fotum & hoc cataplasma impositum fuit: *℞. parietariæ, absynthii, verbenæ ana m. iij. farinæ hordei m. j. florum chamomill. melilot. ana m. ij. farinæ fabar. m. iij. cumini exacte cribrati ℥ ij. musci quercu. m. j. ß. herbæ cum floribus & musco coquantur in vino Pictauiensi: & in fine prædicta in mortario triturentur, adiectis farinis, & oleo irino, chamæmelino, anethino ana q. s.* Hic etiam glans inditus est, ad vrinæ emissionem, & secessum: *℞. pul. hieræ picræ ℥ j salis communis ℥ j salis gemmæ ℈ ß. cum melle fiat suppos. longum,* quo aluum egessit: sed lotium non reddidit: & inflatio aucta est; similiter & dolor & vigilia. Vergerio tunc abeunte, & non redeunte, cum dictis chirurgis curationem tamē prosequuti sumus. Octauo igitur die Aprilis lotium necdum emisit, viresq; eidem deiectæ sunt, ac moribundus apparebat. Ter in die fotu vtebamur, & decoctum sequens præscriptum, partim per virgam iniectum, partim per os sumtum: *℞. Cicerum rub. ℥ ij. hordei mundati m. j. folior. maluæ m. ß. sem. althææ, maluæ ana ℥ j ß. semin. 4. frigidor: maior. ana ℥ j. liquir. rasæ ℥ ß. fiat decoctio in aqua communi q. s. & in fine emulsiones quatuor. semin. frigid. addantur, & huius fortiss. express. accipe ℔ j. addendo mellis ros. colati ℥ iij. misce.* Et iterum immisso cathetere per lithotomum, nihil profecit; & liquore iniecto cum syringa, nihil lotii subsequutum, regurgitante liquore, & meatu vrinario, obstructo propter excrescentiam carnium. Æger vero non dormiebat, & magis febricitabat. Nono vero die Aprilis, hoc cataplasmate resoluente, emolliente, & maturatiuo vsi sumus: *℞. rad. althææ mund. ℥ viij. rad. lilior. albor. ℥ iij. foliorum maluæ m. iij. viol flor. chamomill. meliloti ana m. ij. caricarū ping. concisarum nu. vij. decoctis in aqua commun. & contusis, ac colo traiectis, adde farinæ seminis lini, fœnugræc. ana m. ij ß. furfuris frumenti exacte comminuti & cribrati m. ij. olei lilior. alb. chamæmel. anethini ana q. s. fiat cataplasma secundum artem, & loco affecto & fistulæ apponatur.* Deinde: *℞. parietar. absinthii, verben. ana m. iij. flor. chamomill. meliloti ana m. iij. ß. coquantur in vino Pictauiensi ad mollitudinem: pistentur: adde farin. fabar. m. iiij farin. hordei m. j. cumini exacte comminuti & cribrati ℥ ij. olei irini, chamæmelini, anethin. ana q. s. fiat cataplasma secundū artem, testiculis apponendum.* Illud non solum valet ad resolutionem herniæ aquosæ & humorosæ, verum etiam ad testium inflationem in hydropicis. Locus affectus prius fomentabatur fotu supradicto; deinde primum cataplasma abscessui imponebatur; secundum vero testiculis: idq; mane & sero. Et tandem abscessus diruptus est in loco, in quo erat fistula, per excrescentiam carnis superexcrescentis nunc obstructa; & per fistulam exibat sanies; deinde vrina per locum fistulæ cœpit transsudari primo; postea etiam vrina per fistulam stillabat: mox copiose erupit per fistulam in perinæo existentem; & vrina amplius non exibat per penem, aut meatum vrinarium, sed tantū per fistulam; & dolor sedabatur vna cum febre, vrina sic paulatim emanante. Sed, quod apostema magnum esset, maximā partē occupans perinæi, chirurgi priusquam rumperetur, multū metuebāt ruptionē circa anū futurā, de corruptione sphyncteris,

7 Verum, Dei nutu, circa fistulam facta est eruptio, sanie paulatim emanante: vnde & melius sperarunt. Interea tamē, cum tumor immensæ magnitudinis esset, tam testium, quam loci apostemosi; procedebamus cum dicto cataplasmate, ad maiorem maturationem, & mollificationem. Ceterum cum tædiosum esset, semper applicare cataplasmata ob loca inferiora, cum & cogeretur habere brachiale, vt herniosi consueuerunt; apposuimus ceratum nostrum de ammoniaco, cuius descriptionem posuimus *lib. 20. Obs. 10.* Quo quidem materia scirrhosa partim resoluebatur, partim maturabatur, & partim emolliebatur: valet enim ad tumores duros & scirrhosos: quo & hic commode vsus sum. Antequam vero illud apponeretur, prius fiebat fotus more solito: & tandem vrina non solum per fistulam guttatim, sed & copiose reddebatur; & cum liquor sequens syringa iniiceretur per virgam, per fistulam exibat: per penem autem neque vrina, neque liquor emanabat. Ita & ex fistula sanies subinde concreta, imo subinde & pelliculæ inuiscatæ, carnosæ, ac induratæ erumpebant; quæ & eandem, tum penem ac meatum vrinarium obstruxerunt. Tandem tamen vrina erupit in magna copia, sed tantum per fistulam. Quamobrem ad maiorem detersionem vlceris & fistulæ, & ad vrinæ prouocationem, hoc decocto sequenti vsi sumus; cuius pars etiam per syringam iniiciebatur: ℞ *radic. liq. maluæ, fœniculi, petroselini, ana* ʒ ß. *rad. apii* ʒ j. *foliorum maluæ, m. ij. parietar. m. j. sem. maluæ, semin. quatuor frigid. maiorum ana* ʒ j *cicerum rub.* ʒ ij *fiat omnium decoctio in aqua communi q. s. pro* ℔ j. *colat. adde*

8 *mellis rosac. colati* ℥ i j. Omnia optime succedebant; singulis diebus & sanies exibat, & durities cerato mollior euadebat, & omnis sanies, tum pus per fistulam expurgabatur probe; & indies vrina commodius per fistulam, non autem per penem aut virgam, reddebatur. Hoc itaque decoctum 14. Aprilis præscripsimus: ℞ *rad. liquir.* ℥ j. *radic. maluæ* ℥ ß *foliorum maluæ fumariæ, agrimoniæ ana m. j sem. maluæ* ʒ j ß *semin. quatuor frigid. maior. ana* ʒ j. *cicerum rub* ℥ ij. ß. *fiat decoctio in aqua commun. pro* ℔ j. ß. *mel. ros. colati* ℥ iij. *misc. fiat apozema*, pro repurgatione & detersione vlceris & fistulæ. Et hoc per syphonem seu syringam iniiciebatur: ℞ *rad. apii, liquir. ana* ℥ ß *rad. petroselini, fœniculi ana* ʒ ij *agrimon. equiseti, plantaginis, cum radice* (pro aliquali consolidatione) *ana m. j. summitatum centaurii minoris* (pro maiori abstersione) *betonicæ ana m.* ß *semin. quatuor frigid. maior. ana* ʒ ß. *coquantur in aqua communi pro* ℔. j. *adde col. mellis rosac. colati* ℥ ij. *misce.* Ter quaterue in die iniiciebantur. Fotus neque cataplasmata pro testibus descripta relinquebantur; neque ceratum pro loco apostemoso. At vrina nondum effluente per virgam, pilulas sequentes sumebat, desuper sumendo cyathum vnum decoct. suprascriptæ: ℞. *terebinthinæ Venetæ claræ* ʒ iij. *pul. liquir. troch. alkak. sine opio ana* ʒ j *fiant pil. instar cic.* ℞ *rad. liq* ℥ ß *rad. apii, petros. fœn. ana* ʒ ß. *agrimo. m. j.* ß. *betonic. plant. cum rad. centaur. minor. ana m.* ß. *cic. rub.* ℥ ij. *semin. 4 frigid. maior. ana* ʒ ß. *fiat omnium decoct. in aqua commun. pro* ℔. j. *col. adde mellis ros. colati* ℥ ij. *syr. iniubini* ℥ ß. *misce.* 23. Aprilis pro hernia humorosa, hic fotus testiculis admotus fuit: ℞. *corticum exteriorum quercus, quibus vtuntur calcearii m. ij. cumini* ℥ iiij. *semin. anisi fœniculi ana* ℥ ß. *florum chamomill. meliloti, hyperici, agrimoniæ, centaurii minoris ana m. j. misce, & fiat fotus. Decoctio fiat in vino Pictauiensi ad* ℔. iij. eaque tam diu vsi sumus, donec tandem inflatio illa testium & scroti, tum hernia cessarunt. Sed & hac sequenti vsus est: ℞. *florum chamomill. pulu. cumini ana* ℥ iiij. *corticum quercus m. j.* ß. *coquantur in vino Pictauiensi pro* ℔. iij. Multum hoc decoctum valet in omni hernia aquosa, humorosa, hydrope; mirabileque est in omni testium inflatione ex caussa frigida: & raro nos hoc experimentum fefellit, modo abesset inflammatio: in qua minus calidis & exsiccantibus vtendum. Post fotum tam loco apostemoso, quam scroto, ceratum nostrum de ammoniaco apposuimus, & 27. Aprilis hoc decoctum præscriptum fuit: ℞. *rad. ononid. liquir. ana* ℥ ß. *agrimoniæ, saniculæ, bugulæ* (ad maiorem consolidationem fistulæ) *ana m.* j. *summitatum centaurii minoris, garyophyllatæ, hypericonis, equiseti, betonicæ ana m.* ß. *radic. consolid. maioris* ℥ ij *semin. quatuor frigidor. maiorum ana* ʒ ß. *fiat omnium decoct. in aqua commun. pro* ℔. j. *adde post colaturam mellis ros.* ℥ iij. *misce.* Antea nēpe 25. Aprilis hoc decocto vtebatur. ℞ *rad. liquir.*

10 *fœnicul. petrosel. maluæ ana* ℥ ß. *rad. apii* ʒ ij. *maluæ, parietariæ, agrimoniæ ana m. j sem. quatuor frigidor. maiorum ana* ʒ ß *fiat decoct. in aqua commun. pro* ℔. j. *col. adde mellis ros. colati* ℥ iij *misce.* 28. Aprilis, vt & hoc iniiceretur, mandauimus: ℞ *rad. liquir. ononidis, ana* ℥ j. *agrimon. pentaphyllonis summitat. centaurii minoris, fumariæ sanicul. vtriusq. garyophyllatæ, caudæ equinæ, bugulæ, brunellæ, hypericonis, betonicæ, valerianæ, ana m. j. rad. consolidæ maioris* ʒ iij. *infundantur per noctem in vino Rhenensi, & coquantur in balneo Mariæ: & huius col. accipe* ℔ j. ß. *addendo mellis ros. colati* ℥ iij *misce.* Egregie detergebat vlcus & fistulam, & melius vrina reiiciebatur per fistulam, sed nondum per virgam. Atque ita, cum fotu ac cerato processimus, donec tandem fomento relicto, cessauit hernio humorosa ac aquosa, & testes omnino detumere, inflatioque omnis recessit. At dolore oborto circa penem, & circa partem superiorem virgæ, ad id symptoma depellendum, prima Maii virgam inungi iussimus, sequenti vnguento: ℞. *dialth.* ℥ ß *olei verm. terrest. amyg. dul. ana* ʒ iij *ceræ par. fiat vng.* Chirurgi putabant, hunc dolorem procedere ex vasis spermaticis, cum ex applicatione cerati, pus maturum ex fistula emanaret: aliquando vero ex fistula pelliculæ eiaculabantur magnæ, exulceratæ, neruosiores quidem & albidiores, quæ & vrinam prius obstruxerant, *vt ante dictum est*: aliquando etiam partes carneæ prodibant, ab excrescentia carnis intus delitescente intra fistulam: quo factum est, vt per fistulam vrina liberius emanauerit. Chirurgi tamē adiuuātes forcipib. & tenaculis excrescen-

11 excrescẽtias illas, tũ partes neruosiores, cõmode attrahebant. At nondum per virgam lotium eiaculabat. Quarto itaque die mensis Maii, pro maiori detersione consolidationeque fistulæ & abscessus vlcerati in perinæo, & pro diminutione excrescentiæ carnis, etiam pro mundificatione & apertione meatuum vrinariorum, hoc sequẽs decoctum propinauimus: *℞. rad. ononidis liquir. rasæ, ana ℥ ß. agrimoniæ, equiseti, pentaphyllonis, plantag. cum radicibus, centaurii minoris, fumariæ, saniculæ, ana m. j. ß. cicerum rub. ℥ j. ß. semin. quatuor. frigid maior. ana ℥ ß. fiat decoctio in aqua communi ad ℔. j. colaturæ adde mellis ros. colati ℥ iij. misc. pro apozemate.* Septimo Maii, & antea singulis duabus septimanis, vel citius, vbi aluus non satis flueret, ita illum purgauimus: *℞. cass. recens ex cannis tractæ ℥ vj terebinthinæ electæ ℥ j. confectionis hamech. ℥ ß. addito zacch. fiat bolus.* eo sumto ad minimum semper quinquies aluum deponebat, & fuit fistula repurgata, & vlcus egregie abstersum. Octauo Maii, ad maiorem vlceris detersionem, & fistulæ mundificationem, hic liquor iniiciebatur syphone, & post iniectionem pus, sanies, ac vrina melius subsequebantur semper. Ter in die ad minus iniiciebatur etiam faciens nonnihil ad consolidationem: *℞ saniculæ, garyophyllatæ, agrimoniæ, caudæ equinæ, hypericonis, centaurii minoris, ana m. j. rad. consolidæ maioris ℥ ij. fiat decoctio in aqua & vino Rhenensi pro ℥ vj. mellis ros. colati ℥ j.* ter, vt dixi, ad minus iniiciebatur in die, atque indies vlcus & fistula paulatim detersa consolidabantur; quamuis nondum per meatum vrinarium vrina efflueret. Decimoquarto Maii, & hoc decoctum

12 iniiciendum mandauimus: *℞ saniculæ vtriusque, bugulæ hypericonis, caudæ equinæ, summitatum centaurii minoris, garyophyllatæ, agrimoniæ, ana m. ß. rad. consolidæ maioris ℥ ij. bulliant in vino Rhenensi ℥ vj. aquæ betonicæ ℥ ij. ad consumtionem medietatis fere; & colatura vsui reseruetur pro iniectione.* Decimosexto Maii, & hanc potionem præscripsimus: *℞. saniculæ vtriusque, hypericonis, summitatum centaurii minoris, garyophyllatæ, agrimoniæ, equiseti, betonicæ ana m. j. bugulæ m. ß. liquir. rasæ ℥ ß. fiat decoctio in ceruisia communi pro ℔. j. colatura zacharo dulcoretur.* Vigesimoprimo Maii & hoc decoctum præscriptum est: *℞. rad. ononid. liquir. rasæ ℥ ß. saniculæ vtriusque, bugulæ, agrimoniæ, equiseti, betonicæ, garyophyllatæ ana m. j. fiat decoctio in aqua betonicæ & vino Rhenensi in duplici vase, postquam steterint per noctem infusa pro ℔ j colaturæ adde mellis ros. ℥ j misc. pro syringatione; & reliqua pars per os sumatur.* Hoc igitur tempore fistula probe detersa cœpit consolidari, ita vt vrina tunc prius per penem, virgam & meatum vrinarium, eiaculari cœperit. Quod videns æger, magno gaudio perfusus lætabatur, optimam spem de sua salute concipiens; cum intra sex septimanas, & vltra, ne guttam quidem lotii per virgam reiecisset, vrina semper per fistulam exeunte. Quamobrem nec inde ceratum amplius apposuimus: verũ 25. Maii pro iniectione per syphonem hoc decoctum præscriptum fuit: *℞. agrimoniæ, equiseti, bugulæ, garyophyllatæ, centaurii minoris, ana m. ß. liquir. rasæ ℥ j. bulliant in aqua betonicæ & vino Rhenensi pro ℥ iiij. iniiciatur.* Eodem die ita illum pur-

13 gaui: *℞. cassiæ recens ex cannis tractæ ℥ j. terebinthinæ claræ ℥ j. cum zacc. cand. dicto subtiliss. pul. fiat bolus, hora septima manè sumsit, quo bene egessit.* Procedendo cum hac vltima syringatione, & decocto vltimum præscripto, tandem, præter exspectationem, fistula consolidata fuit, quę durauerat per 7. annos: eaq; nunquam post aperta fuit; nec amplius vrina per eam transudauit, aut distillauit, aut eiaculata est; sed per penem, aut virgam, vt in sanis fieri consueuit. Interim tamen, vt colophonem huic curationi imponeremus, pro sigillatione & maiore consolidatione, & aliquali detersione, ad meatus vrinarios etiam aperiẽdos, 27. Maii hoc decoctum adhuc præscripsi: *℞. rad. liquiritiæ, ononidis ana ℥ ß. agrimoniæ, pentaphyllonis, summitatum centaurii minoris, fumariæ, saniculæ vtr. vsq;, bugulæ, garyophyllatæ, betonicæ, equiseti, ana m. fiat omnium decoctio in aqua betonicæ. & vino Rhenano, postquam steterint per noctem supra herbas, pro ℔ ß. colaturæ addendo mellis ros. colati. syr. de liquir. ana ℥ j. misc.* Postremo imperaui, vt vteretur solummodo pro maiori consolidatione, ne fistula iterum aperiretur, *decocto ceruisiæ communis ex agrimonia, bugula, garyophyllata, sanicula vtraque, betonica, centaurio minore, brunella, & pilosella.* Quibus Dei gratia, omnibus, qui præsentes apud illum fuerant admirantibus, perfecte sanitati restitutus est, fistula consolidata ad finem vitæ permanente, & vrina per virgam optime emeante. Postea vero hic optime valens vsq; ad ann. 1576. pancratice vixit; quo tempore in Germania, (*quo paulo ante ob turbas & bellum, quod in hac patria agebatur, accesserat*) mortuus est.

Scholia.

14 De inflatione testium & hernia humerosa hic nihil dicemus, cum sequenti libro de vitiis testiculorum ac scroti acturi simus. Quod vrina hic non nisi consolidata fistula, per penem & virgam exierit, primo in caussa fuit excrescentia carnis super fistulam enata: quæ cum emollita in abscessum mutata esset, erupto, pus emanauit per fistulam, deinde & vrina. Dolebat postea & virga, sed inunctione dolor ille cessauit; neque subsequuta est inflammatio in pene. Quod etiam vrina fuerit suppressa ob caruncular innatam circa fistulam, vltra per penem exire non potuit; neque etiam in fine, donec in perinæo abscessus esset ruptus, pure excreto & repurgato, & fistula consolidata. Ceterum, quod ad penem attinet ac virgam, variis afficitur affectibus: nam & penis potest incurrere inflammationes, vlcerationes, cancros, inflationes, dolores, pruritus: de quibus omnibus in hoc libro dicemus. Namque hoc genitale membrum (*teste Aristotele*) homini foras propendet carnosum cartilaginosumque; & qua parte carnosum est, non tumet neque inflatur; reliqua vero pars subeunte spiritu intumescit excrescitque; hoc est, dum ad coitum a natura irritetur animal, turbinata carnosaque cum

Vitia virgæ & penis.

integenti cute pars, præputium dicitur: quod Iudæos a cæteris distinguit nationib. recutitos. Præputium autem, vna cum cole vel glande ablatum sæpe vidimus ex lue Venerea, *vt in libro de isto morbo* si Deus me superstitem fecerit, dicturi sumus. Nunc vero de penis vitiis sermonem producamus: qui quia foras propendit, multis de caussis offendi potest; præcipue vero ex nimia Venere, vt sequens exemplum ostendet.

OBSERVATIO III.

De inflatione & inflammatione Penis seu Virgæ, ac apostemate transeunte deinde in abscessum & vlcerationem.

1 QVidam nimia abutenti Venere, virga inflata est cum maximo pruritu, accedente deinde inflammatione & apostemate. Hic cum chirurgi opera vteretur, postea ad vlcerationem fere deuenit cancrosam. Cum vix apta remedia essent exhibita, ad hunc accitus, vt ei sanguis detraheretur imperaui, (*cum etiam ob dolorem in febrem incidisset*) ex vena basilica brachii dextri; aluo prius, nempe die præcedente, cum cassia & pulpa thamarindorum cum sero lactis soluta, inanita. Ad inflammationem sedandam, quæ adhuc adere, iussi vt lauaretur decocto hordei communis, solatri, plantaginis, adiectis succis earundem herbarum. Deinde, vt chirurgus vnguento apostolorum dissoluto in aqua solatri, *vt simul mundificaretur vlceratio*, ablueret imperaui; & vt putrida caro amoueretur, lauabat cum vnguento Ægyptiaco soluto in aqua plantaginis; vt soliti sumus facere in vlceribus penis inueteratis in lue Venerea. Ad exsiccationem commode quoque adhibetur vnguentum album; postea & diapompholygis, ad finem curationis. Sed in principio, cum etiam adesset pruritus, pro pruritu vt tale vnguentum (*quo & alius curatus dicitur quoq; a virga pruritu*) fieret iussi: ℞. *cerus. plum.* ℥ vj *sulph albi* ℥ j *opii gran.* iij *adiect. acet. fiat liniment.* Succus ebuli extract. & exsiccat. cum ol. rof. in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo ducatur ad spissitudinem vnguenti; quo pruritus tollitur, *vt expertum est.*

SCHOLIA.

2 *Inflammatio virgæ vel apostema.* SIcuti alia membra, ita & virga seu penis pruritum pati ac inflammationem potest, ex omni genere quatuor humorum; quamuis magna ex parte ex humoribus calidis fiat. Alii & apostemate frigido penem occupari posse, scribunt; vt Gordonius, qui & duplices caussas adfert: externas, ex casu, percussione; & ex concubitu cum muliere, cuius vterus est immundus, vel sanie aut virulentia repletus, vel ventositate, & similibus corruptis humoribus. Internæ caussæ sunt, humores corrupti & mali, descendentes ad virgam & partes inferiores. Signa sunt manifesta, cum membrum sit in propatulo, & externæ caussæ ab ægrotante facile dignoscuntur. *Signa.* Signa humoris peccantis ex dominio eiusdem facile habentur, vt sæpius nunc dictum est. Iam quoque in apostemate calido adest rubor virgæ, cum tumore & ardore, & febre continua. Ea si sit ex bile, ardor, dolor & calor magis infestant, & minus rubet, & tumor etiam minor. Ex sanguine fit e contrario. Signa vero apostematis frigidi hæc: adest tumor sine rubore, & dolor non adeo vehemens: ita ex pituita tumor albus mollis: ex melancholia durus, niger. Cete-

3 *Prognostic.* rum vitia pudendorum seu penis, vti & aliorum membrorum inferiorum, sunt difficilis curationis, eo, quod superfluitates facile decumbant & fluant ad loca decliuiora; deinde quod membra sint sensibilia, & dolorosa, vnde facile attrahuntur humores: præterea, cum sint membra frigida, neruosa, debilia, facilius coaceruantur superfluitates. Curatur vt reliquæ inflamationes, quiete, optima victus ratione, &, si particularia conueniunt, venæ sectione. *Curatio inflammationis virgæ.* Materia parata, veniendum ad purgationem, præmissa quidem euacuatione cum phlebotomia in caussa calida; in caussa frigida cum pharmaco conueniente. Quod ad topica remedia attinet, in principio aliqualiter emplastra & vnguenta repercussiua conueniunt. In augmento addantur resolutiua. In statu adhuc magis, & in declinatione pura resoluentia. In apostemate calido Gordon. accipit *fol. hyoscya. cocta in aqua, & contrita cum axungia porcina* applicat. In augmento huic emplastro adiicit *maluæ, bismaluæ folia*. In statu vtitur *ex fœnugræco, sem. lini, farina volatili molendini, & oleo communi.* In frigido decoquit *radicem maluæ, bismaluæ, & lapatium acutum in aqua conterit cum axungia porcina veteri*; paratque emplastrum. In augmento addit

4 *fœnugræcum, cum semine lini*. In statu adiungit *radicem liliorum*. *Ad dolorem.* In dolore vero virgæ *micam panis contemperat in lacte, adiectis vitellis ouorum, cum oleo rosaceo, croco & opio in exigua quantitate admixtis.* Illud emplastrum mitigat omnem dolorem, vbicunq; fuerit, corpore tamen prius mundificato. Et si calor sit admodum vehemens, *folia hyoscyami decoquantur sub prunis, & inuoluantur foliis caulium quibus postea abiectis apponatur.* Ad virgam inflatam & tumidam valet *emplastrum ex butyro, aqua rosacea ana* ℥ iij *adiecta hordei farina q. s. pro emplastro conficiendo.* *Vlcera quomodo fiant & curentur.* Apostema autem aliquando in vlcus transit, praeterea in si male curatum sit, quamuis plerumque facilis sit curationis, si Medicus in principio vocetur, & æger nullum errorem admittat, maxime vero si terminetur per resolutionem: malum vero, si per saniem: peius adhuc, si per schirrosin. Fit quoque vlcus, vti & pustulæ virgæ (*de quibus sub vno capite agit Valescus*) ex caussa primitiua, nempe ex vulnere, attritione, coitu cum fœtida & immunda muliere, vel cancrosa; ex femoralibus nigris, fœtidis, immundis. Vel ex caussa antecedente,

5 nempe materia spermatica, vel corrupta, aut retenta intra caput virgæ, & præputium, ex humoribus malis inficientibus ibidem retentis, & non euacuatis, qui corrumpunt locum, quem tangunt & vlcerant; vel, *vt diximus*, ab apostemate male curato; vel ex repletione, aut confluxu humorum acutorum & corrodentium, & calidam intemperiem inducentium ac corrumpentium, ac membrum virile exulcerantium. Et sic vlcera ac pustulæ fiunt in virga, quæ aliquando ex mala aut dia-

aut diuturna curatione fiunt cancrosa, in tantum quod aliquando virga perditur, vel eius pars. Aliquando exterius contingunt in pelle; vt plurimum vero intus, etiam ex excrescentia carnis innata intra penem, *vt antea ostendimus.* Et si intus delitescat vlcus, facile cognoscitur (*vt prius dictum est*) ex pure exeunte ante vrinam. Caussæ procatarcticæ ex relatione ægri manifestantur. Si exterius, signa manifesta sunt ex solo visu: & si ab apostemate præcedente, id quoque ex ægri sermone habetur. Dignoscuntur & ab humoribus præterea acutis, ex dominio eorundem, tum iis, *de quibus paulo ante dictum est,* inflammatione, seu apostemate. Auicenna de vlceribus, quæ in testiculis, virga, aut ano fiunt, prognosticum fecit, ea esse mala & ambulatiua (*vt medice loquar*) ex quibus facilis contingit putrefactio, cum sint in loco abscondito, declinante ad caliditatem & humiditatem, per quem excrementa defluant; vt hic vrinæ mordicantes, curationemque impedientes. Atque ideo illa sunt deteriora, quæ fiunt in musculo, qui est in radice virgæ, vti & in ano; vnde & vehementiori exsiccatione egent. Retardatur etiam curatio aliquando talium vlcerum, cum non libenter ea medicis peritis ostendant. Moriuntur aliquando cũ eo peruenerint, vt adeo sint putrefacta, vt necessarium sit, virgam abscindere, non absque periculo vitæ. Sic Valescus scribit de quodam, qui tarde medicum vocauit: *ita vt tota virga correpta vlcere cancroso cum duritie, efficeretur rotunda napi instar: & homo,* inquit, *erat semimortuus & discoloratus.* Tales enim vitæ periculum subeunt. Ideo nihil præstantius, quam statim his malis occurrere: vt etiam exempla quædam adhuc inferius dicenda ostendent. Verum hæc vlcera, tum pustulæ, quemadmodum & matricis, *vt refert Galen. in Arte parua,* indigent siccioribus medicamentis; quem & Paulus sequitur *lib. 3. cap. de pudendorum & ani remediis. Naturalium* (inquit) *anique vlcera circa inflammationem oborta, medicamentis indigent, quæ vehementer resiccant: cuiusmodi sunt ex charta combusta, anethum vstum, aridum, cucurbita concremata. At siccis recentibusq; vlceribus, etiam aloe præsens est remedium si arida in puluerem redacta applicetur. Porro omnium leuissimum est, & nihilominus efficax, pompholyx. At si humidiora euenerint vlcera, picea cortex per se & lapis hæmatites. Sin alte descenderint, manna miscebitur. Si pascendo serpant, lenticula cum malicortio illinetur.* Aetius quoque ad depascentias pudendorum fomentis vtitur astringentibus ex decocto myrti, rubi, rosæ, oleastri, malicorii, plantag. & cataplasmate ex lente elixata, cum modico pane, malicorio, & polygono. Vide plura apud eundem *lib. 14. cap. 16.* ad pudendorum depascentias *cap. 17.* Hoc vtitur ad carbunculos pudendorum: *Spuma arg.* ℥ iij. *cerussæ* ℥ j. *arug.* ℥ j. *omnia simul trita insperg ito, & panniculorum frusta applicato. Vel seuum caprinum cum passulis subactum illinito,* id enim sine dolore confert: deinde *adipem cum pice liquida apponito,* vel *caprarum pilulas vstas cum melle subactas* applicato. Habet idem & insignia remedia *lib. eodem cap. 18.* ad vlcera meatus vrinarii: ad quem lectorem relegamus. Vlcera aliquoq; supra caput virgæ exsiccantia magis, quam supra præputium indigent: nam caput virgæ est vehemẽtioris siccitatis & complexionis, *vt etiam a Valesco & Auicenna citatur:* Egent ista membra vlcerata nullo medicamento mollificante, nisi aliquando ad pellis præputii reuersionem intẽtio exsisteret. In principio igitur mundificetur locus, & refrigeretur *aqua ros. & plantag. Et,* si opus est maiori mundificatione, *lauetur cum aqua decoct. hydromellis cum bombace: vel cum aqua, in qua dissolutum est alumẽ de rocha vstum:* deinde rursus *lauetur cum vino & aceto mixtis,* in quibus decoquantur *gallæ aut nuces cypressi, & alumen; & panni linei antiqui inter caput virgæ & pellem ponantur, & præputium desuper deducatur, & cum minxerit, remoueatur, & alia pecia post mundificationem, reponantur.* Hæc frequentanda. At si magis sit desiccandum, vtendum *vnguento albo camphorato,* & lauetur cum *decocto balaust.* etsi multum præcipue valet, *diapompholyge vti;* qua & nos vsi sumus. Interea femoralia continuo mutentur, & sint munda ac alba. Si vlcera magis profundentur neque in principio bene mundata ac curata, post lauatoria supradicta, *puluis ex aloe* desuper ponatur, vel *plumbum vstum, thuria, & vnguentum diapompholygos, & litharg. nutritum, & cerussa,* iuxta Galenum, *& cinis chartæ combustæ,* vbi magna exsiccatione opus est. Valescus vsus est *fuligine nigra repert. in orificio furni.* Quod si in cole, *iuxta Paulum,* intra genitalis foramen vlcus delituerit; pus vel sanguis citra vrinam redditus, fatebitur. Curatur primum dilutiore mulsa collutum, mox lacte, postea collyrio Asteri lacte misto, aut albo pastillo. Penna tincta illinitur. Inde tenue linamentum tortile vnctum imponitur. Præstantissimum vero est etiam quod capit gallæ, pompholygis, & aloes pares modos, rosaceo & plantaginis succo maceratos.

Marginalia: 6 *Signa.* — *Prognostica.* — 7 — *Curatio vlcerum, penis & pustularum.* — *Ad pudendorum depascentias.* — 8 *Vlcera capitis virgæ.* — 8

OBSERVATIO IV.

De dolore Penis cum inflatione.

IVuenis quidam, cum supra modum incaluisset, ac Venere violenta vsus esset, incidit in totius penis dolorem, ac inflationem quandam sine inflammatione & febri. Iussimus, vt penem inungeret cum *oleo rosaceo & chamæmelino.* Deinde etiam cum *vnguento popul. & dialthææ simul mixtis.* Qua etiam dolor mitigabatur ex parte. Fouimus autem *cum decoct. maluæ, bismaluæ, florum chamomill. furfuris, meliloti, & seminis lini ac anethi.* Quib. præsidiis tumor ille ac inflatio cessarunt. Quibus remediis & alius ante nos commode vsus fuerat.

1

SCHOLIA.

RE cte dixit Valescus, quod vitia in pene magis contingunt in iuuenibus quam senibus, qualiacunq; illa fuerint. Et licet aliquis contrarium sustinere posset, senes scilicet magis superfluitatibus abundare, quam iuuenes, caloremq; habere debilem, facile proinde humores ad illa membra decumbere, atq; pruritus, apostemata vlcera, vel

2

dolores inde magis contingere iis, quam iuuenibus: frequentius tamen hæc iuuenibus potius eueniunt; primo, quod sint salaciores, & ad Venerem procliuiores; præterea sine delectu etiã concumbunt cum mulieribus impuris, habentibus aliquando vlcus in vtero, vel alio fœdo malo laborantibus: vnde etiam cõtagione facilius inficitur virga, pruritu, pustulis ac vlcere. Deinde iuuenum humores sunt multo calidiores, & acriores, & ideo iuuenes citius inficiuntur; quorum virga magis quoq; est parata, quam senum, suscipere corruptionem. Nerui quoque senum sunt duriores, solidiores, & non ita suscipiunt superfluitates, vt iuuenum nerui, qui magis sunt rari atque molles. Quare, (*quemadmodum & Gordonius dicebat*) virga iuuenum citius apostematur. Interea tamen illa apostemata, quæ fiunt per viam congestionis, fiunt potius ex materia melancholica, cum nutrimento eorum assimiletur. Si per viam deriuationis, tunc contingũt magis ex humoribus calidis, cum tales potius fluant. Quantum ad dolorem si sit cum ardore, apponatur emplastrum mitigatiuum positum Scholio *Obs. 3. praced.* Paulus, ad naturalium dolores, *butyri, resina paribus portionibus pulcre liquatis* perungito, vel ex *seminis lini succo, aequum myrrha & resina fricta pondus leuigatum* imponito. Si sic inflatio ex materia frigida pituitosa, vt in hydropicis contingit, fiant *fotus magis exsiccantes, & calidiores, & plus resoluentes*, quales scripsimus cõferre ad testes inflatos hydropicorum. Ad inflationem virgæ Gordonius iubet, *vt absinthium, anisum, & furfur, & pes columbinus, decoquantur in vino crassiore*, & vt deinde contrita desuper apponantur. Bertrutius adhibet *emplastrum resoluens ex stercore columbino, vel vaccino, florum chamomilla, ruta recen. sem. lini, anethi, ana p. j fermenti p. ß salis nitri, vel saponis quar. par. prius bull. in aqua vel oleo ros. & applicat cum lana succida.* Vtitur & ad testes inflatos. Sed videndum num etiam adsit dolor, vel ardor, aut inflammatio; tũc ab eiusmodi calidis abstinendum. Ad intumescẽtia pudenda, inquit Paulus, vitis foliorum tenerorum pondo denarii, cerussę pondo denariũ quinque trita applicantur. Ceterum fotu ex aqua marina frigida coles recreator, penisque deligator. Earum partium pruritum tollit lentis decoctum cum mali punici cortice. Et ad verendorum rhagades, & sedis, valet *resina frixa cum rosaceo contrita, vt sordium fiat spissitudo, adiecto etiam luteo oui, opioque, vel hedera foliorum combustorum cinis cum rosaceo in plumbea pila tritus admouetur.* Ad vulnera virgæ hoc commendatur: *litharg. cerussa lota, cadmia lota, myrrha, sarcocolla, tutia exstincta, tragac. thuris. pulueris ligni putrefacti, misceantur, fiat puluis. quotidie mundetur locus cum vino tepido, & desiccetur, deinde puluis aspergatur: vel ex dictis fiat vnguentum oleo ros. adiecto, & cera.* Ad fluxum sanguinis e virga: *℞ bolum arm. sang. dracon. hypocist. masticben, thus, pilos leporis minutissime contritos, cum aceto, emplastri modo, & appone.* Cuidam ex mentula sanguis egrediebatur, ob corrosionem vlceris in collo vesicæ; & is fuit curatus, primo diuertendo cũ ligaturis in brachiis; inde per os exhibendo hunc syrup. *℞ syr. de portul. myrthini, cotoneor. ana ℥ ß. trochis. de carabe spodio, ana ℨ ß. aqua portul. plantag. ana ℥ ij. misce.* Syphone & hoc iniiciebatur: *℞ vitrioli Romani ℨ ij. aqua communis ℔. j. fiat bona decoctio. Victus erat pullus bullitus in aqua ferrata cum sem portul. & plantag.*

Ad dolorem. *Ad inflationem.* *Ad pruritum & rhagades praputii & pudendorũ.* *Ad vulnera virga.* *Ad fluxum sanguinis e virga.*

Observatio V.

De Pene intus exulcerato.

Vlcera interna penis, quia vrina frequenter irritantur, tardius curantur, quia medicamenta partem minus constringunt, sine quo contactu curari non possunt. Sunt autem in inferiore penis parte, quando vrinam continere non possunt, &, si retineant, multum in reddenda vrina postea laborant. In aliquibus hæmorrhoides inflantur, dolet sphyncter ani per consensum. Intenditur penis, pus magis redditur cum vrina, quam separatim. Tali vlceratione quidam laborabat: cui consultum, vt frequenter ventrem leniret, vt eo deriuaretur materia, & vt poma cocta, prunaq; in prima mensa caperet; sæpius enim vẽtrem leniunt, & humores temperant. Exhibitus eidem quoque fuit syr. ros. laxat. Rondeletius talem opiatam in hoc casu commendabat: *℞ cassia recens extracta ℥ iij. tamarind. sebesten, ana ℥ ij. cathol ℥ j. cum syr. ros. laxat. fiat opiata. capiat ℥ j. in forma boli, vel cum decoct. hordei, aut prunorum.* Idem præstat diasebesten, *cathol. syr. ros. laxat.* Pro potu in principio vtatur *decoct. hordei mundati, deinde integri.* Iniectum frequenter serum lactis, ad detersionem, & *decoct. hordei integri*: postea etiam *lac addendo trochis. alk kengi*; atque id itidem frequenter. Et vbi dolor magis vexaret, iniectum *cum syphone modo albumen oui diu concussum aqua instar, modo lac. vel lac muliebre*: aliquando *& cremor hordei.* Adiecti quoque sero lactis (*modo lacti*) trochis. albi Rhasis; &, ad magis consolidandum, *vng. pompholygos cum albumine oui, liquore & aqua hordei, & sero lactis: in fine cum lacte*, ad magis *consolidandum.* Renibus quoq; inunctis, vt ardor vrinæ minueretur, *cum vng. a bo Gal. aut vero santalino, vel etiam nutrito albo Rhasis.*

Scholia.

Penis varia vlcera patitur in diuersis partibus, vt dixim⁹. Alia sunt interna, alia externa. Rursus externa, alia sunt in glande, alia in præputio, vel mentula. Interna vel in extremitate, vel infra radice, vel in medio. Hæc facilitate & difficultate curationis differunt, & medicamentorum formis facultatibusque. Quæ in externa parte, sunt putrida, phagedenica, & alia. Quare inuenta forma; recurrendum est ad aliarum partium vlcera, hoc tantum addendo, quod fortiter & sine morsu exsiccare debent hæc medicamenta. Illud genus horum vlcerum est, quod magna ex parte a lue Venerea initium sumit. Quod si communibus & propriis resistat remediis, ad vniuersalia remedia confugiendum, in vnguentis vel mercurium permiscendo; vt recte docet Rondeletius. *Si in interna praputii parte fuerit vicus, & citra*

Vlcera penis varia.

citra inflammationem, iisdem remediis curandum erit. Sin cum inflammatione, vel chymosi, medicamenta diluere oportet aquis, & syringa immittere. Quod si denudari possit, medicamentis fortiter exsiccantibus cito curabitur, *vt vnguento pompholygos, & cortice mali granati, vel cerussa vsta & lota, vel aloë lota, vel atramento scriptorum.* Pars facile fert talia medicamenta insigniter resiccantia; pannus detritus carminatus frequenter mutatus, caua vlcera curat. Quod si putridum sit, tunc auripigmento in aqua ros. dissoluto, & plantaginis, pars curanda, ne amplius serpat, vel lixiuio cum pauco ægyptiaco, vel apostolorum; deinde ad mitiora deueniendum. Postquam pars à putri carne mundata est, supradictis remediis curanda. Vlcera interna, *vt diximus,* vrina frequenter irritantur, pus redditur cum vrina. Si vero sit in extremo penis, sponte fluit & cum digitis premitur vel cum cerea candela immittitur, & dolorem sentit. Tunc considerandum, recens ne sit, vel antiquum. Si recens sit, cum quadam calfactione, tunc leniter oportet detergere & refrigerare: ob id iniiciuntur *aquæ plantag. solatri, nenuphar. myrtillorum: vel succi decoctiones, vt decoct. hordei tum alia vt iam diximus;* renibus quoque impositis refrigerantibus, & quæ ex oleis frigidis, leniterque astringentibus parantur. Si parum bibant, & parum meient, citius curantur: leniendo quoque ventrem, *vt dictum est.* In diuturnis vero vtilis est vsus *decoctionis Guaiaci,* prouocãdo sudorem. Euocat enim vrinam, & facit, vt siccetur vlcus. Vomitus frequens non parum confert ad huius curationem. *Trochisci alkekengi, cum aqua peculi ros. & hippur. prosunt.* Non facile curantur hęc vlcera, ob lotium acre, quod nimis detergendo vlcus exasperat. Vnguentum, quo curatus est Aguellioni Taurini filius, a Petro Bayro Taurinensi medico, qui habebat veretrum cancrosum, & magna parte corruptum, quo quidem breui tempore sanatus fuit: *℞. succi extremitatum mollium rubi, succi molliorum extremitatum plantæ rosarum, aceti ana ℥ ij. thuris, mastichis ana ℥ i j. lithharg. aurei ℥ j. vini maluatici optimi ℥ vj. succi semperuiui ℥ uj. aquæ vitæ ℥ iiij. viridis æris ℥ j ß. vitrioli, aluminis combusti ana ℥ j ß. thutiæ Alexandrinæ præparatæ ℥ ij. caphuræ ℥ j. olei rosac. ℥ vj. puluerisatis subtilissime puluerisandis, & cribro exceptis, coquantur omnia simul lento igne, excepta caphura, vsque ad consumtionem succorum & vini maluatici, donec debitam formam vnguenti decenter mollis acquirant, addita q.s. cera; in fine additur caphura.* De eo ponatur supra partes exulceratas extendendo super rasuram panni telæ antiquæ, & super ipsum ponantur paruæ peciæ, infusæ in aquis dictis: *℞. aquar. ros. plantag. & prunellorum syluestrium ana ℥ ij solatri ℥ ij. viridis æris ℥ ij. thutiæ Alexandrin. præparat. ℥ ß. caphur. ℥ ß. misce. & applicentur vt supra.* Intingere fimbrias, aut rasuram telæ veteris prædictam in melle rosaceo, & aspergere subtilissimo puluere aristolochiæ rotundæ, carnem mortuam corrodit, siue sit in vlcere, siue in fistula. Verum si pellis præputii non posset inuersari, & vlcera remaneant in capite virgæ; tunc sine apertione, propter præputii inflationem, mundificantia per syphonem immittẽda, *ex Auicennæ consilio.* Tarantanus vtitur hoc lauatoria: *℞ vini albi optimi ℔ ij. aluminis vsti ℥ j. ß. viridis æris ℥ j. & ista puluerisata mittantur in vinum, & tale vinum iniiciatur frequenter, & curabitur vlcus, & detumescet præputium, donec per se reuersetur.* Id sequẽs valde exsiccat & incarnat vlcus: *℞. thutiæ, aloës, sarcocollæ, thuris, lapid. hæmatitid. corticis cannæ combustæ, gallarum balaust. acaciæ ana ℥ ij. fiat puluis, & cum oleo rosaceo fiat vnguentum.* Illud commendatur tam ad vlcus internũ, quam externum. Nam & pul. aloes & sarcoc. curat vlcus virgæ non corruptum.

OBSERVATIO VI.

De Pene esthiomeno affecto, & ex corruptione radicitus excidente.

INflammatione penis laborabat sartor quidam, cuiusdam sartoris quoque filius, annum agens vigesimum nonum, vir procerus, niger, & robustus. Quam inflammationem cum ex Venere cũ muliere infecta contraxisset, primum hoc malum non magni faciens, habens vxorem, matri, *(quæ etiam medicastra erat)* vt secretum maneret, aperuit. Quæ eidem purgationem satis fortem, ex electuario de succo rosarum præbuit. Inflammatione, vna cum inflatione virgæ ac testium augescente, tandem chirurgum quendam adiit; qui calida, nescio quæ, admodum fortia medicamẽta membro virili cum apposuisset, intra tres dies totum veretrum ad esthiomenum peruenit. Chirurgus cum instrumenta omnia penes se haberet parata, vt membrum nouacula abscinderet, me tunc prius in consilium vocarunt. Ceterum cum ad ægrum peruenissem, *(decumbebat Delphis, in domo angulari plateæ Choreæ dicta)* & animaduerterem, esthiomenon totam virgam non solum occupasse, sed vsque ad testes peruenisse; verebar, si fieret totius membri abscissio, vt æger in manibus chirurgi moreretur. Ab altera parte, cũ corruptio adeo esset augmentata, vt penis appareret niger, & corruptus, & quasi mortificatus, *(vt medice loquar)* ac fœtens; sciebam, iubere in eo casu auctores, Guilhelmum de Saliceto, Guidonem, ac alios omnes, vt remoueamus totũ illud, quod denigratum ac corruptum est, cumq; illa ad formam naturalem reduci non possunt; atq; id cum ferro ignito, vel vngula, vel saltem cum causticis medicamentis. *Nam si hoc fiat,* (inquit Tarantanus) *totum membrum corrumperetur, ac marcidum fieret, & totum corpus tandem periret.* Verum totum membrum nunc corruptum, *(cuius corruptio etiam processerat vsque ad testes)* nouacula abscindere, vt chirurgus volebat, non satis tritus in ea arte, cum periculosum mihi videretur; consului, vt & collegam meum Cornel. Ertricium medicum, similiter vocarent, & Guilhelmum de Dalen, chirurgum lithotomum in hac arena versatum, vt sic vna cõcluderemus, quid faciendũ esset in re tam graui & periculosa. At confrater & collega, eo tempore leui apoplexia in

paralysin mutata decumbens, venire non potuit; 3 sed chirurgus lithotomus accessit. Hic, cum vidisset, esthiomenon adeo progressum fuisse, nullo modo membrum nouacula esse abscindendum nobiscum iudicabat. Ideo communi consilio, hoc cataplasma omnium primo appositum fuit: ℞. *farinæ hordei ℥ j ß. farin. fabarum ℥ j. decoque cum lacte ℥ viij succi semperuiuæ iniectis, ad consumtionem succi, adiiciendo pul. ros. rub. florum chamemill. ana ʒ ij. misce.* Quo cataplasmate inflatio & inflammatio sedabantur ex parte. Attamen membrum putrefiebat indies magis, febre quoq; increscente. Venæ sectio in principio nõ fuit adhibita; nunc adeo debilis ferre non potuit. Nam habuerat primo enormes quoq; secessus, ex medicamento, nempe de succo rosar. a matre perperam exhibito. Quare, vt iuleb sequens sumeret, præcepimus: ℞. *Aquæ fumar. boragin. cichor. end. lupul. ana ℥ j ß. syr. de acetositate citri, de fumaria, syr. nenuphar. ana ℥ j. arom. cum ℈ j. specierum triasant. & fiat iuleb.* Quia non poterat dormire, sub noctem vtebatur hoc emulsorio: ℞. *hordei mundati p. j. amygd. dulc. depilat. ℥ ij. semin. quatuor frig. maior. mundat. semin. papau. albi ana ʒ j. fiat hordeatum pro ℔ j. adiecto zacchar. albissimo, vt artis est.* 4 Ceterum esthiomenos erat adeo aspectu horribilis, vt paulatim totum membrum vlcere nigro affectum, in gangrænam transeunte, per partes putrefieret, cum tanto fœtore, vt nemo apud ipsum existere posset; & hoc in tam breui spatio: nam 28. die Februarii, anno 1571. ad illum prius acciti sumus. Dum itaque chirurgus Guilhelmus lithotomus putrefactas partes abscinderet, fœtor adeo increbuit, vt vix, *quod dixi*, apud eundem permanere quis posset, dum vlcera gangræna infecta resecarentur. Febris insuper magis aucta. & ex fœtore inflammatio gutturis & aphthæ subortæ fuerunt: pro quo accidente tertio die Martii hoc gargarisma descripsimus: ℞. *decoct. hordei mundati, & glycyrrh. ℔ j. syr. viol. ex ros. siccis ana ℥ j. syr. granat. ℥ ß. mis. pro gargaris.* Etiam & hoc sequens: ℞. *aquæ solatri, plantaginis ana ℥ viij. syr. viol. granat. diamor. ana ℥ j. mis. pro gargarism.* Pro siti ac alteratione capiebat hæc sequentia: ℞. *syr. viol. ℥ j ß. syr. granat. ℥ j. mis.* ℞. *syr. viol. ℥ j. syr. de limonibus, syr. boraginis, syr. granat. ana ℥ ß. rob. cerasorum ℥ j. manus Christi cum perlis ʒ vj. fiat mixtura.* Ex hac sæpissime capiebat, tam pro febre, alteratione, & vt corda putredine defenderetur: lumbis quoque inunctis; cum & ibidem dolorem sentiret, *vnguento rosato.* At febris ob putredinem ad tantam perniciem deuenit, vt per septem dies deinde singultum pateretur, & ab omnibus pro deplorato haberetur; ita vt nos hominem moriturum, & quicunq; illi adessent, existimaremus: pro quo accidente hic nodulus, in ceruisia tentus, quam bibebat, suspensus, exprimendus, præscriptus est: ℞. *sem. anethi ʒ ij. sem. pap. albi* 5 *℈ iij. manus Christi cum perlis ʒ j. fiat nodul.* Sexto Martii, ex hoc syr. sequent. sæpius sumebat: ℞. *syr. viol. ℥ iij.* Et hoc iulebo 7. Martii descripto, iã ad singultum & febrem faciente, vtebatur: ℞. *hord. mund. m. j. semin. 4 frig. maior. sem. pap. albi ana ʒ j. semin. portul. lactucæ ana ʒ ß. semin. anethi, anisi, fœniculi ana ʒ j. florum cord. p. j. glycyrrh. ras. ʒ iij. coquantur in aqua commun. pro ℔ j. coletur, & arom. cum spec. diatrag. frig. diarrod. abb. triasant. ana ℈ j. addendo syr. viol. ℥ j ß. syr. acetos. citri. syr. ex infus. ros. ana ℥ j. mis. & fiat iuleb.* Cum & tussiret, pectus, tam pro calore, quam tussi, inungi imperauimus, *cum oleo viol. & amygd. dulc. simul mixtis.* Postea febris desiit, & partes corruptæ a chirurgo lithotomo paulatim amputabantur, vel exscindebantur. Interea 9. Martii, his tabulis vtebatur: ℞. *specier. diatrag. frigid. ℈ iij. specier. triasant. ℈ j. dissolutis in aqua borag. adiect. zacch. albiss. q. s. fiat confectio in tabulis.* 6 Cataplasma supradictum continuo & veretro putrefacto & scroto similiter putrescenti applicabatur. Putrefactio erat ingentis magnitudinis, ita vt etiam ad testes vsq; procederet. Supra cataplasma pannum lineum duplicatum, & immersum in vino Rhenensi, ob fœtorem, Guilhelmus de Dalen apponebat; altero chirurgo, qui illum male prius tractauerat, non redeunte. Inciderat autẽ chirurgus ille in fluxum diuturnum sanguinolentum; ex quo & cachecticus obiit, cũ etiam asthmate iam pridem laborasset. Chirurgus igitur lithotomus, qui apud ægrum solum mecum remanserat, 10. Martii die partibus putrefactis abscissis, hoc digestiuum in locis bonis apponebat: ℞. *terebinthin. select. ℔ j. vitellos ouorum num. vj. mellis ros. col. ℥ ij. olei ros. ℥ iij. farin. hordei ℥ iij. fiat digestiuum secundum artem.* Decimo tertio Martii, etiam hunc puluerem incarnatiuum immiscebat digestiuo iam dicto: ℞. *sanguinis draconis ʒ iij. mastichis, thuris myrrh. ana ʒ ij. gummi elemi, bol. arm. veri, aluminis vsti ana ʒ iij. puluerisentur subtilissime, & per pannum lineum cribrentur, & puluis vsui reseruetur.* 7 Postea cum filamentis digestiuum per vinum tractum apponebatur. Deinde & 18. Martii, ad malam carnem consumendam, præscriptus est *hic pul. præcipitat. ad ʒ iij.* & fuit adhuc semel reiteratus pul. suprascriptus ad vsum iam dictum. Verum 28. Martii die, vt magis pul. suprascriptus exsiccaret & consolidaret, addebantur *ʒ ij. aluminis vsti.* Sed & 19 Mart. digestiuo hæc adiungebantur: ℞. *gummi elemi. sang. dracon. ana ʒ iij. aluminis vsti ʒ ij. fiat pul. subtilissimus.* Adiectus hic pul. fuit digestiuo, ad maiorem exsiccationem & consolidationem. Verum adeo putrefactio aucta est, vt totum membrum virile tandem ita putrefactum, cataplasmati adhærens, exciderit, & ablatum fuerit. Neque putrefactio scroti cessauit; quin imo ita processit, vt vnus testis carne denudatus, & carne scroti putrefacta, & ablata, corruptus videretur. Cum autem & febris & symptomata supradicta cessassent, & æger superstes in vita maneret, radicitus ad ventrem vsque virga ablata; præstitisset simul & testes ablatos fuisse, & eunuchum absque testibus vitam produxisse, quam irritæ, sine pene Veneris tentigini obnoxium remansisse. 8 Ad eum modum, licet scrotum corruptũ foret, ac testes denudati cernerentur, & virga tota vsque ad pubem ablata, vlcus profundum

profundum spectaretur; tamen natura istis reme-
diis adiuta, & optima chirurgi diligentia profun-
ditas illa carne tandem repleta fuit; & foramine
paruo permanente, per quod deinde mingebat,
carneque putrida prius amota, testes (*quod dictu
mirum est*) denuo carne noua accrescente vestiti
sunt. Hic autem æger egregie curatus, ex ventre
per foramen vrinam emittens, cum mentula ca-
reret, tentigine quadam Veneris, ob testes, qui &
postea sanati sunt, irritatus, & nescio quo furore
agitatus, aliam vxorem duxit; qua tamen vti non
poterat, nec Veneri sacrificare. Verum ille paulo
post, vna cum aliis, vt Harlemum ab obsidione li-
berarent, profectus, exstinctus est: atq; vxor, quæ
etiamnum viuit, alio deinde viro copulata, mul-
tas proles peperit.

SCHOLIA.

9 HOc certe exemplum admonet tam iuuenes,
quam viros, vt a scortis abstineant, ne in ta-
lia, vel peiora mala, ira diuina in eos iuste sæuiēte,
incidant. Verum de his vitiis latius agemus libro
de lue Venerea, si Deus nos superstites faciat. At
hoc fere omiseram, quod huic ex longo morbo
decumbenti (*nam intra duos menses prius sanus fa-
ctus est*) in nate facta fuerit excoriatio: pro qua
curanda *vnguentum de cerussa impositum fuit, &
pul. cerus. per pannum lineum cribratus insperſ.* de-
inde & hoc præscriptum, ad maiorem exsiccatio-
nem: ℞. *vng. cerus. ʒ ij. pul. lapid. calaminaris per
pannum lineum cribrati ʒ ij. misce.* Fuit quoq; a no-
bis ita purgatus; dum chirurgus eundem nobis-
cum curaret: ℞ *folior. senæ ʒ vij. rhab select. ʒ j. ß.
sem. anisi ʒ j. schœnanthi ℈ ß. infunde per noctem, fa-
cta prius leui ebull. in aqu. fumar. lupul. borag. ana
℥ ij aqu. end. scabios. ana ℥ j. ß. deinde fortiss. express.
adde syr. de fumaria ℥ j. mis. pro ij. dosibus matutinis.*
10 Accepit alternis diebus, cum minus febricitaret,
& satis copiose aluum deposuit. In fine curationis
incidit in dolorem coxæ & femoris, tandem & in
inflationem quandā: sed istis remediis & hæc ac-
cidentia cessarunt: ℞. *vnguenti dialth. olei vulpin.
lumbricorum ana ℥ ß. vnguent. Agripp. ʒ ij mis.* Et
impositum fuit *emplastrum de muccilaginib.* Cum
adesset inflatio quædam cum duritie; & hoc mo-
do adhuc semel purgatus: ℞. *confectionis hamech,
diacatholic. ana ℥ ß. dissolue cum aqua fumaria, sca-
bios. boraginis ana ℥ j. syrup. de fumoterr. de epithymo
ana ℥ ß. misce,* detur in diluculo; egregie, cum ab
omnibus pro deplorato prius haberetur, fuit cu-
ratus.

OBSERVATIO VII.

De præputio non potente reduci.

1 NOuimus iuuenem, cui, cum crebrius cum nu-
per ducta vxore Venerem lasciuior exercuis-
set, præputium, cole valde inflammato, reduci
postea non potuit. Aduocatus chirurgus fotum
adhibuit, ad inflammationem vtilem, & relaxan-
tem, *ex decocto malu. cotoneor. sem. lini. & malu. ac
viol. & hyoscyami:* cumq; cœpisset detumescere,
reducebatur: deinde leui strictura constricta ad
tempus tegebat glandē: donec tandem industria
ipsius chirurgi æger perfecte curatus sit.

SCHOLIA.

2 AEtius *lib. 14. cap. 15.* Inflammata pudenda, *in-
quit*, rosarum aut meliloti decocto fouebis;
vel folia betæ, in tenuissimas partes dissecta, & a-
qua feruefacta applicabis, quæ etiam ad præputia,
quæ reduci nequeunt, vtiliter admouentur. Ca-
taplasma vero e pane cum palmularum decoctio-
ne madefacto; aut malicorium in vino elixatum,
& cum pane tritum illinetur. Aliud. Hyoscyami
& lomenti (*scilicet. farin. fabarum*) singulorum
partes æquales in aqua, vel brassicæ folio in aceto
decocto apponito. In pene vero & alia passio con-
traria contingit huic, apud Paulum *Phymosis* di-
cta, cum glans a præputio denudari non potest,
ob præputii stricturam. Sic os vteri, quando ita
constringitur, vt virilem mentulam recipere non
possit, Phymosis quoque dicitur: quæ duplex est.
Aliquando enim est a naturali constitutione, quo
minus aperta sit vulua; vt Rondeletius vidit v-
nam in Italia, Romæ. Nos quoque vidimus filiam
obstetricis Alcmariæ, cui vulua adeo erat stricta,
vt quasi per paruum foramen vrina exiret. Sed
obstetrix, per me edocta, fecit leuem incisionem:
& ita curata fuit filia. Id etiam ferunt de medico
quodam doctissimo, quem nos nouimus, qui cū
duxisset vxorem & phymosi vxor laboraret, facta
incisione illam curauit; ex qua postea multas pro-
les procreauit. Altera Phymosis fit ob tumorem,
3 vel cicatricem contractam. Quæ naturali consti-
tutione minus est aperta, vel omnino clausa, no-
uacula aperire oportet. Quod si aperta sit, sed nō
satis, tentare oportet pessis, & spongia ad formam
pessi formata dilatare, vel radice gentianæ: quos
pessos ligare oportet filo, & indies crassiores im-
mittere, & partem oleo relaxare, vel decoctione
fouere vt facilius dilatetur. *Oleum amygdalarum
liliorum, irinum, conueniunt; decoctio ex radic. bis-
maluæ, vel cucumeris agrestis, ficubus semin. lini. fœ-
nugræc. & sæpe fouere.* Vnguentum hoc conficitur
in omnibus caussis valde vtile a Rondeletio, siue
in vitiosa constitutione, & a natura, siue a cicatri-
ce: vt ℞. *muccilag. ficuum & fœnugræc. ana ℥ j.
styrac. myrrhæ, ammoniaci dissoluti in oleo irino ana
℥ j. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum, vngatur pars.*
Pauperibus *adipes anseris, gallinæ, vrsi, porci. buty-
rum*, conueniunt. Vnguenta parata ad id pro-
sunt; *vt de adipibus, pectorale, resumtiuum, dial-
thæa, œsypus humida, pessaria ex massa emplastri dia-
chilonis conferunt.* Quo minus adhæreant, vn-
gatur prius oleo amygd. dulc. vel lilior. vel inuol-
uatur panno raro, & ligetur. Si merserint sensim,
coitu dilatatur satis, præterquam quod voluptas
dolorem tolerare facit, nisi mentula viri crassior,
& foramen tam angustum sit, vt nullo modo ca-
put mentulæ admittat. Paulus duplicem Phymi
4 caussam adfert *lib. 6. cap. 55.* Aliquando enim *in-
quit*, si glandem præputium tegit, ne nudari pos-
sit: aliquando retrorsum deductū reduci non po-
test. Hæc species proprie *Periphymosis* dicitur. Prior
itaq; differentia, aut ex cicatrice, qua in præputio
cōcreuerit, aut ex carnis incremēto, quę illic coa-
luerit. Altera genitaliū inflammationibus fertur.

Phymosis.

accepta, quoties deducto præputio glans intumuerit, nec vltra reducto operiri ea possit. Quomodo autem curentur per chirurgiam, vide locum citatum eiusdem Pauli.

OBSERVATIO VIII.

De ganglio penis, seu pudendi, ad Iohannem Duuium, Medicum.

1 AFfectus, quem vna, mi doctissime Iohannes Duuie, in Iodoco Augustino, fratre consulis Harlemensis, Harlemi diligenter conspeximus, est durities quasi scirrhosa, non solum glandem occupans, verum etiam neruum ipsius dorsi priapi; estque ex genere illorum, qua ad ganglia referuntur. Est autem ganglion nerui præter naturam coactio ac tumor: cuius caussa, *iuxta Galen. 6. Epidem. comment. 3. textu 14.* varia est, modo a frigiditate in neruis, modo natura inutile deponente in gangliis, vel ex ictu, lassitudine, & laceratione; vt in pudendo priapismo laborante, quod dum vi distorquetur, fit, vt neruus dorsum ipsius priapi percurrens disrumpatur. Pariter ob nimiam salacitatem ganglion succedere solet; vel refrigerando materiam in loco congestam; vel quando materia, quæ naturā sapit nerui, hoc est, pituitosa, tenax & per se frigida, fluit. Sūt & ganglia, quæ sapiunt naturam cancrosam, quando fiunt a materia atrabilari, quæ chirurgia minime sunt tractanda. Hoc est, quod Aetius dicebat *l. b. 15. cap. de ganglio, ex Philagrio. Ganglium est*, inquit, *nerui tumor, plerumq; a percussione, vel impulsione præcedente & raro sponte proueniens.* Non

2 dubito, quin hic aliqua impulsio præcesserit, membro quasi rigido, deinde etiam in meatu vrinario admodum angusto, circa colem seu glandē caruncula videtur innata, ex vlceratione præcedente, vti Lambertus chirurgus, qui illum diu tractauit, prius vidit, pure ex guo excreto ante lotium exeunte. Stranguria etiam afficitur, aliquot guttulis in fine mictionis subsequentibus, ex acrimonia materię eo facile confluentis, & dolorem inferentis. Quod ad ganglium attinet, licet manuum radices & palmas, pedumq; plantas frequentius occupet, rarius cubitum & caput (*vt Aetius refert, & Paulus lib. 4. cap. 16. & lib. 6. cap. 39.*) tamen in aliis partibus, etiam in ipso pudendo, fieri potest. Quantum ad notas attinet, *Aetio teste*, occurrit tumor inæqualis, stupidum sensum in compressu excitans; differtque a meliceride & atheromate tumoris inæqualitate, & renitentia, & quod sicut illa orbiculatim non transferatur, sed dextrorsum tantum & sinistrorsum pro nerui situ flectatur. Sic & Paulus *lib. 6. cap. 39. Hæ comites* (inquit) *sunt notæ, tumor concolor, renitens, indo-*

3 *lensq;.* At si violenter premas, stuporis sensum exhibet, non in alto, sed ipsa sub cute radices agens, & ad latera spectans. Sin autem vi adigas, tum ante, tum post, nequaquam id facit. Quod ad signa prognostica attinet, *A gangliis autem* (inquit Aetius loco citato) *chirurgicum opus arcemus, præsertim si in manibus aut pedibus euenerint; sed medicamentis tantum curabimus.* Idem refert Paulus *lib. 6. cap. citato*, inquiens: *Quæ igitur in cruribus, aut brachiis, aut summis partibus oriuntur, exscindere tutum non est: periculum enim, ne particula reddatur mutila.* At quæ caput aut frontem inuadunt, cute scalpello diuisa curamus; & si quidem parua fuerint, vulsella comprehensa ex basi præciduntur: si maiora, hamis trāsfixa excoriataque tolluntur. Oras suturis commissas medicamento ad cruenta apto persanamus. Verum si neq; in manibus, aut pedibus, chirurgia curetur ganglion, multo minus in pudendo; in quo etiā si sit curandum medicamentis, difficilis est curatio; in reliquis enim partibus non æque difficilis. Imo in pudendo, cum naturam cancri sapiat, & in cancrosam naturam facile mutetur (*vt ingenue dicam*) cum hic iam diu hoc malo laborauerit, nullam spem habeo, posse eum curari. Nā & ipse

4 noui *iuuenem Alcmarianum, qui, cum priapismo, & ganglio in pudendo, vt hic, laboraret, licet aliqui chirurgi curationem pollicerentur, longo tempore misere trahens vitam, tandem tamen mortuus est.* Idem vereor & huic viro euenturum; eoq; magis, cum etiam excrescentia carnea intus in meatu vrinario hæreat, vnde modo stillicidio vrinæ, modo dysuria, aliquando & ischuria tentatur. Ideo diligenti curatione opus erit; eaq; varia, ob variam affectionem, quamuis vinculum quoddam habeat, ac symptomata inter se concurrant, in membro tam sensili & delicato. Caruncula enim intus latens medicamentis aptis, vt inter nos cōuenimus vna cum chirurgo, demenda ac auferēda est, cum candela cerea iisdem oblinita; idq; per chirurgum dextre administrandum. Ego in simili casu, præcedentibus vniuersalibus remediis, vna cum lithotomo vsus sum remedio Alexii Pedemontani, descripto *lib. 1. cap. 20.* cui hic titulus pręfixus est: *Ad sanandum vlcus carnosum in virga inueteratum. ℞. feces ex melle destillato, &c.* Hoc tamen non iuuante, vsi sumus experimento ipsius Amati: (*describitur autem cent. 4. curat. 19.*) quo & feliciter curatus fuit æger: nec dubito, si iisdem hic recte vtatur, quin ab hoc symptomate liberandus sit. Verum quod ad curationem ganglii in pudendo attinet, hoc opus, hic labor est: quanquam ad ganglium Archigenes (*vt refert Paulus lib. 4. cap. 16. de ganglio*) calcem viuam, vna cum adipe anserino, & terebinthina imponendam censebat. Vtendum quoque medicamine, quod

5 lapidem achatem recipit. Ad ganglium in pudendo alii vtuntur frictione, sed leui; & deinde veniunt ad styrac. ad laminam plumb. & ad emplast. de muccil. hoc modo confectum: *℞. muccil. alth. fœnug. sem. lin. cid. ana ℥ j. ß. ol. amyg. dul. ping. gall. ans. ana ℥ iij. styr. sic. ℥ j plum. lot. cerus. lot. ana ℥ ij. ß. ceræ par. mis. & vtit.* Præstat autem hic vti medicamentis emollientib. dissipantibus & discutientibus; emollitionemq; tentarem cum ol. amygd. dulc. de muccil. & aliis. Cōuenit & ammoniac. emollit. cū cera & oleo, ac impositum. Item styrax sicca alba, emollita cum ol. amyg. dul. madefact. & imposita. Ad discutiendum Aet. hoc vtitur: *℞ cerus. olei antiq. resin. pini ana ℔ ß. cer. ℥ j. ammoniac. thymyama. galbani ana ℥ ß. cerussā cum oleo decoquit. donec non*

amplius

amplius inquinet: deinde *ammoniacum tritum*, postea *resinam & ceram*: tandem *galbanum præmollitum* adiicito. Eadem fere probat Oribasius apud Paulum *loco citato*. Hæc sunt, mi Duuie doctissime, quæ de morbo Iodoci Augustini censeo, ad quem vna acciti fuimus 23. Decemb. die, anno 1584. ad quem postea etiam cum Theodoro chirurgo & lithotomo vocatus fui. Vale.

SCHOLIA.

6 Excrescentia carnea intus latens in fistula vrinaria, vnde lotium minus reddere poterat, fuit quidem curata. Sed ganglium in pudendo in maiorem scirrhosam materiam cōmutabatur; quãuis primo nostris remediis aliquanto melius habere videretur. Verum postea in inflammationem, atque etiam febrem incidit: quare, post nostrum discessum, vt in morbo periculoso fieri assolet, ad diuersos chirurgos & empiricos, sanitatem ipsi magnifice pollicentes, se contulit. Malum interea semper in peius vergens, ad cancrosam, vt prædixeramus, naturam deuenit; factaque corrosione, & insuper fistulis, vti nobis relatum est, in pene obortis, biennium tantum, ægre vitã trahens, superuixit; ac tandem misere ab empiricis excarnificatus, doloribusq; & vigiliis consumtus, *vt longo ante tempore prædixeramus*, vitam finiuit. Animaduertant igitur Medici tum chirurgi, si in similem casum incidant, vt nō tam facile sanitatẽ, vti homines imperiti ac temerarii, polliceantur: quamuis enim prima fronte, vti in aliis locis, ganglion videatur curatu facile, tamen in pudendo non ita curatur, præcipue vbi malum protractum fuerit, vt in hoc Iodoco euenit, qui iamdiu isto malo laborauerat antequam ad eum acciti essemus.

OBSERVATIO IX.

De Priapismo.

1 Inter multa adeo (*vt recte annotauit Donatus ab Altomari*) atque admiranda instrumenta, quæ ad generis propagationem a natura sunt comparata, nihil minus admirabilem constructionem inspicias ipsius pudendi, seu colis: corpus siquidẽ neruosum, cauum, seu cauernosum & durum, ex ossi quidem emergens, non aliter, quam reliqua alia ligamẽta, eo duntaxat ab eis discrepans, quod cauum, atque cauernosum sit, propterea, quod eius vtilitas ita flagitabat, *vt 15. De vsu partium a Gal. scriptum est*. Cum namque libidinis impetu quispiam stimulatur, volentibus nobis pudendũ ipsum intendi debebat exacte, nedum coitus caussa, sed vt semen, quam longissime ab eodem iaculetur: propterea eius essentia talis est, qualis in nulla alia nostri corporis parte est videri: neruosum siquidem corpus exsistens (*vt diximus latius in Præfatione*) ac omniquaque fistulosum & durum excepta ea parte, quam glandem vocant: distenditur autẽ protinus vbi ad coitum animal insurgit a naturali facultate, quæ illum attollere potest. Nam eas actiones, quarum gratia a natura partes institutæ sunt, protinus ab initio citra doctrinam aggrediuntur, cum vsus requirit; *eodem Gal. auctore 6. De loc. aff.* Verum cum sic extensus fuerit a vaporoso spiritu ab arteriis influẽte, in tumorẽ attollitur. Atqui a spiritu in tumorẽ ipsum attolli manifeste patet iis, qui celeritatẽ eius, & cũ intumescit, & cũ iterum residet, perpendunt; spiritu eodẽ modo eius extensionẽ sequente, quemadmodum pulmo thoracem, ob eam quam habet ad motum ipsius sequelam. Et ob hanc rẽ replentis fistulosum neruum spiritus vim cum ad coitũ irrumpit animal non ad arterias proprie referre debemus; sed ad eiusdem nerui propriã actionẽ, quæ ex propria eiusdem partis essentia proficiscitur; *vt liquet eodem 6. de loc. affect.* Etenim probabile est, vniuersi corporis arterias eandem habere actionem, quippe cum eodem tempore totius animalis omnes inter sese similiter producantur. Itaque haud quaquam par esse videtur, vt arteriæ pudendis insertæ aliam quampiam habeãt facultatem, præter eam, quam antea in toto corpore habebant, nisi q̃ ampliora sint ipsis, quam ceteris arteriis ora: & quidem iure optimo, ad celeritatẽ sequelæ, ad id, quod euacuatur, sic præparata. Sẽper enim natura, quod vnicuiq; actioni vtile est, vndiquaque explere videtur. At quoniam quandoque euenit, vt nullo præcedente ad libidinem stimulo, atque desiderio, talis fiat pudendi, seu colis, extensio in longitudinem, atq; circulo quoque totus augeatur, propterea affectus quidam excitatur, qui a Græcis πριαπισμὸς, Latine quoq; *Priapismus* dicitur, deducta denominatione a priapo, quem ita finxerũt, atq; pictura descripserunt homines; quasi ei suapte natura huiusmodi coles esset; *eod. Gal. auct. citato lib. 6. De loc. aff.* Sic

2

3 quidam viator (*a Cicerone stator dicitur*) loco tempore, noctu præcipue, priapismo laborauerat, nõ tamen proprie dicto: nam in die liber erat ab hoc vitio: tamen per totam fere noctem rigidum manebat membrum, vt eidem molestissimum esset. (Interim hoc vitiũ & eodem modo curari debebat, cum longo tempore hoc malo laborasset. Sed de vero priapismo latius in Scholio dicemus.) Cũ hic alterius Medici medicamentis frustra vsus esset, me anno 1589. mense Maio consultandi caussa accessit. Huic consului vt victu attenuante vteretur; cum & pharmaca eiusdem facultatis attenuatoriæ citra manifestam calfactionẽ his cõueniant, *vt Gal. docuit De compos. medic. secundum locos*. Ideo & victum eidem præscripsi, qui & flatui aduersaretur, & siccaret, *ex mente Gal. vt ad longũ refert 14. Methodi medendi.* Quamobrem etiam consului, vt a cibis calidiorib. abstineret, qui materiam in spiritum resoluunt, aperiuntque arterias tendentes in pudendum. Et vt non solum ab eis abstineret, imperaui, verum etiam & ab his qui viscosum humorem pariunt, aut multum seminis efficiunt; *quemadmodum & Alexandro Tralliano visum est*. Nam & auctores in primis huius morbi diebus ad tres dies inedia eos asseruant, deinde cibum paucum generis frumentacei, qui leuiter attenuare valeat citra manifestam calfactionem, atque omnino nihil inflantem, exhibent (*vt Aetius quoque facit*;) eosque in aquæ potu continent, seu ea in qua coriandri semina præparata

4

fuerint incocta. Verũ cum iam diu hoc malo laboraſſet, tam ſtricta diæta opus non erat. Tenuem itaque ceruiſiam conceſſimus, modo a vino, præſertim rubro, & aliis nutrientib. abſtineret. Motu quoque, tum exercitio, vt vteretur, mandauimus. Commendant autem auctores, luſum paruę pilæ, & frictionem partium ſuperiorum. Præcepi quoque vt in latus decumberet, & vt in lecto ſubſterneret, quæ ſemen exſtinguunt; veluti viticis ſemen, vel folia & flores; cum credantur non comeſta tantum, ſed & in potu ſumta, & ſubſtrata, Venerem cohibere: nam & matronæ in Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, iis foliis cubitus ſibi ſternebant. Similiter vt a ſpectaculis, narrationibus, turpi conſuetudine, imaginatione, ac commemoratione eorum, quæ Venerem excitare queunt, vt penitus ſe arceret conſului, licet vxorem habens noctu magis hoc malo detinebatur, ſi ſupinus dormiret; & ſi ſe in latus volueret, facile tamen in ſomno in tergum vertebatur. Ideo vnice ſtuderet, vt in latus decumbere poſſet, admonui. Nam qui præter victum calidũ, ac humidum, quo ſemen rurſus gignebatur, etiam a turpibus deſideriis non ceſſarunt, hi quoq; poſt mortem rectum intentumque habere pudẽdum deprehenſi ſunt, *vt refert Alexander Trallianus.* Nulli etiam Venus prodeſt, niſi quibus ex huius abſtinentia ſemen abũdare coniicimus, *vt inquit Paulus*; quemadmodum cuidam amico Galenus conſuluit, modo poſt ſeminis excretionem, poſtea a narrationibus, ſpectaculis, ac meditationibus libidinem ſuſcitare potentibus ſummopere caueret, *vt ab eodem 6. De loc. affectis ſcriptum eſt.* Quod ad remedia attinet, cum hic faciem rubicundam haberet, & ſanguine abundaret conſului vt ſectionem venę admitteret ſtatim ex vena baſilica in brachio dextro, ſanguine vtcũq; extracto.

6 Nam quod ad medicamentorum rationem attinet, priuſquam ad medicamenta veniamus, totũ corpus vacuare oportet, modo id capax vacuationis ſit, ea tamẽ vtemur vacuatione, quam æger aptiſſime ſuſtinere poſſit: & quoniam iuuenibus magis, quam aliis ætatibus hoc excitatur vitium, *ex Gal. auctoritate*; ea propter his ſanguinis miſſio præcipue eſt ſalutaris; ceu nec ætate eorum etiam recuſante, *vt idem Galenus fatetur lib. eodem 14. Meth. cap. 7.* A principio itaq; ſtatim propter dolores & inflãmationes ab hac affectione prehenſis venam ſecare conuenit; potiſſimum ſi multo ſemine abundant, ac præter cõſuetudinem a Venere ſe abſtinuerint. Huic etiam, quamuis iam quinquageſimum annum exceſſiſſet, & licet iam principium præteriiſſet, tamẽ venæ ſectio moderata adiuuamento fuit. Commode vero ſecatur interna dextri cubiti vena; vtpote quæ celerrime, & plurimum ex iis quæ principes ſunt partibus, corpus vacuat, *vt quarto De rat. victus in morbis acutis a Galeno decretum eſt*: nec non & ab inferiorib. eadem promtiſſime reuellit. Præterea ad reuulſionem hoc vel ſimile vomitorium commendatur: ℞ *rad. aſari ℥ j. bulliant in ℥ x. aquæ ad conſumtionem medietatis, coletur; colaturæ adde oxymellis ſimplicis ℥ j. fiat vomitorium,* & *capiat tepide*; & poſt quartam partem horæ, iuris pinguis gallinæ ſumat ad vncias quinq; vel plures; & poſt exiguum ſpatium, digitũ in ore ponat, & ſibi ipſi vomitum prouocet. Vbi enim & vitioſi humores

7 in corpore redundarint, licet purgatione ſit vtẽdum, in priapiſmo potius vomitum Gal. 9. *De compoſ. medic.* & Paulus *lib. 3. cap. 57. De Priapiſmo,* commendant. Interea tamen in illis (licet vomitus auerſionis cauſſa fiat) qui vomitoriis vti recuſant, leuioribus quibuſdam medicamentis aluum ſubducentibus vti poſſumus, quæ vicinas partes fluxione haudquaquam infeſtent, cum neque id etiam Galenus, nec Aetius negarint. Sic etiã optimum duxit Aetius, *(ex mente Gal. lib. 11. cap. 32. De Priapiſmo & Satyriaſi,)* aluum ſubmollire per betæ & maluæ decoctum, pauco mercurialis ſucco admixto; concharum item decoctum in potu exhibendum: ab efficacioribus autem purgantibus pharmacis in totũ abſtinendũ. Conſului, vt mannam, ſeu mel aereum ſumeret: talia enim ſunt noſtro æuo quæ leniendo purgant; *veluti & Zaccharum violaceum, ſyr. ex pluribus infuſ. roſarum, vel violarum, & reliqua eiuſmodi.* Quamuis & clyſteribus lenibus emollire poſſimus, *& beta & malua decocto* vt iam diximus ex Aetio; nam acribus abſtinere oportet. Noſter æger maluit iſtis ſuperio-

8 rib. per os vti. Poſt leuem purgationem imperaui, vt decoctum ſequens ſumeret, in hunc modum deſcriptum: ℞ *rad. nymphææ cum floribus albis ℥ ß. portulacæ, lactucæ, menthæ ana m. j. rutæ ʒ iij. ſemi. agni caſti ʒ j. ß. flo. nymphææ albæ p. j. fiat decoctio in aqua communi pro ℔. j. colaturæ adde ſyr. menthacei, pap. ana ℥ j. ſyr. nenuphar. ℥ ß. miſc.* Valde id cõmendabat, & ideo ſæpius reiteratum fuit. Ea equidem ſunt præbenda, quæ naturali efficacia prædita per experientiam ſunt inuenta, veluti eſt nymphææ ſemen ac radix, viticiſque ſemen (*agni caſti noſtris dicti*) ac etiam rutæ: ea namque potui exhibenda ſunt. Leonellus probat ſyr. ex ruta confectum. Ruta etiam viridis obſoniis admiſcetur, ac ipſum rutæ ſemen copioſe comedatur: non tamen a principio hoc fiat, ſed poſterius poſt aliorum extenuantium vſum: nymphææ autem ſemẽ & radix a principio præberi poterit, ex ſententia eiuſdem Galeni præcitatis locis. Eſt namq; illud commune præceptum omnium ferme quos vitioſus ſuccus creat morborum, quod in fine calfacientibus & ſiccantibus ſit vtendum; quippe hæc quod reliquum humoris ſit, prorſus abſumunt, vt ipſe inquit. Præterea imperauimus, vt lumbos inungeret ſequenti vng. ℞ *vng. refrigid. Gal. roſ. vng. ſandalini, ana ℥ ß. miſc.* & vt totum priapum inungeret vnguento roſ. Sic Aetius quoque, loco citato lumbis admouet ea, quæ euidenter refrigerãt, *velut eſt ſolanum, portulaca, hyoſcyamus, & ſempernium.* Neceſſario etiam colem & intercapedinẽ,

9 inter anum & pudendum ex aliquo leniter refrigerante illinit; velut eſt argenti ſpuma, cimolia, & ceruſſa, ſi aceto aut poſca, aut aqua ſint diluta. Optime autem conducit, *iuxta eundem,* ex ſententia quoq; Galeni, ceratum ex roſaceo optimo apparatum,

ratum, & frigida aqua sæpe elotum, si tum pudendis tum lūbis imponatur. Sic & Paulus *lib. 3. c. 57. de Priapismo Notum vero, inquit est cuilibet, particulas non esse calfaciendas, sed leuiter refrigerandas e rato rosaceo cum aqua contuso, item chamamelino in genitali & lumbis imposito.* Aetius quoque irrigat *(idque post venæ sectionem)* ab initio pectinem & coxendices vna cum pudēdo ex lanis succidis vino & oleo imbutis. Nam & ipsi particulæ laborāti medicamentum, si ea calidior sit effecta, quod ad portionem caloris abundātis refrigeret imponendum: sin aliter, inter initia quidem omnino, quod modice refrigeret, postea vero id necesse non est. Pari modo & quæ circa lumbos sunt particulæ omnes eiusdem facultatis medicamento sunt comprehendendæ, *ex eiusdem Galeni mente, eodem 14. Method. medendi.* Valde namque frigida, præsertim, quæ astringunt, & torporem inducūt, cauere oportet, ne affectus difficilis ad discutiendum reddatur; *vt Alexander inquit lib. 9. c. 10.*

10 De Priapismo, præsertim vbi hoc vitiū ex flatuoso spiritu in cauernoso neruo orto fuerit excitatum: nam quæ siccant ac flatum discutiunt absq; valido calore hoc modo affectis adhibenda sunt. Ceterum huic nostro ægro etiam consului, vt cucurbitulas cum scarificatione natibus imponeret. Hoc & Aetius ex Galeno his verbis iubebat: *Quod si, inquit, diutius duret affectio, etiam cucurbitulæ cum scarificatione affigendæ sunt: & si amplius sanguinis multitudo adiacere videatur, hirudines adhibendæ in ipsum locum; cataplasmata vero imponenda sunt ex cruda hordeacea farina.* Idem Paulus etiam in satyriasi suadet *lib. 3. cap. 56.* At nihil æque in hoc ægro profuit, ac radix nymphææ decocta & pota, eo modo, *vt superius dictum est.* Sed cum ex toto non curaretur, denuo ad empiricum lapsus est.

SCHOLIA.

11 *Priapismus quid sit.*

PRiapismus, iuxta Paulum *lib. 3. cap. 57.* est firmum genitalis incrementum, quod in lōgum latumque intumescit, citra Veneris appetentiam. Vel est affectus *(vt Aetio placet lib. 11. cap. 32.)* tentigo pudendi, atque auctio in longum & spissum, citra rei Venereæ appetentiam, ex caliditate quadam acquisititia cum inflammatione quadam & dolore locorum consistens. *Galenus autem 6. De locis affectis,* Priapismum esse dixit, cum coles & in longitudine & circulo totus augetur, nullo stimulante ad libidinem aut desiderio, aut acquisititio calore, vt quibusdam accidere consueuit, qui supini decumbunt. Verum breuiori compendio *(vt ipse inquit)* dicere poteris, Priapismum esse permanentem colis, aut auctionem, aut tumorem. Idem *9. De compos. medic. secun. locos ait:* Priapismus est auctio pudendi stabilis in longitudinē ac orbem tumefacti, citra rei Venereæ appetentiam. Consulto autem ab eo *(inquit Donatus)* addita sunt verba illa, aut acquisititio calore: nā vbi ob supinum decubitum calfacti sunt lumbi adeo vt coles extendatur, etiam nullo stimulante ad libidinem desiderio, haudquaquam priapismus dicitur, sed par est *(vt idem Galenus inquit)* vt calfactis lumbis & arteriæ etiam calidiores reddantur, & propterea magis pateant earum ora; quam ob rem non exiguam tunc spiritus essentiam in fistulosum neruum effundant, qui paulatim impletus, colem extendit, stimulante ad libidinem ipso calore ob supinum decubitum acquisito: attamen neque firmum, neque stabile tale incrementum erit. Et ideo noster hic æger laborans

12 nocte erectione pudendi, in die nequaquam, proxime accedebat ad priapismum; & eodem modo, vt verus curari debebat. At iuuenis ille Alcmarianus vero priapismo mortuus fuit. Quam periculosum quidem hoc malum sit, priapo semper rigido & intento permanente, & nunquam flaccescente, postea de signis prognosticis dicemus.

Qua pars in priapismo afficiatur.

Quod vero priapismus colis, seu pudendi affectus sit, *ex Galeno patet 6. De locis affectis.* Ipse namque, siue præcipuo & proprio affectu, siue secundario & per cōsensum, afficitur, prout diuersimode affectio hæc generationem habet, vt dicemus: illudq; confirmari poterit ex eiusdem functione læsa: erat autem eius functio, vt protinus stimulato ad libidinem animali distenderetur naturaliter ab ci[illegible] naturali facultate: cum vero nullo præcedente desiderio, aut libidinis impetu, neque supino decubito ipse in[illegible] distenditur, eius distentio præter naturam exsistit. At ipse affectus morbus est in magnitudine seu quantitate: nam ex inflationum genere exsistit, *vt liquet ex eodem Galeno 14. Meth. medendi.*

Quis affectus præter naturam sit priapismus.

Præterea autem inuitam erectionem pudendi priapismo laborantibus dolores contingunt quales tetanici habent, & ii, qui reliquis membris distenduntur: etenim inflatum & distentum pudendum ipsum cōuulsionis modo afficitur, *vt testatur Aetius.*

Caussa.

Caussam vero Paulus dicit esse flatulentum spiritum, particulam in tumorem attollentem, humorum viscosorum crassorumq; sobolem, modici caloris beneficio. *Iuxta Aetium.*

31 Fit hæc affectio aut ob dilatata venarum in pudendo ora, aut flatu vaporoso iuxta antrorsum neruum, ipsum inquam pudendum, oborto. Mihi autem, *inquit Galenus*, propter vtrumq; fieri videtur; sæpius tamen ad dilatata venarum ora consequi. Aliquando autem propter abstinentiam a rebus Venereis quidam hac affectione apprehenduntur; atque hoc ipsis maxime eis, qui multo sanguine abundant, simulque præter consuetudinem a concubitu se abstinent, euenit, quū non per frequens & multum exercitium sanguinis abundantiam discusserint. Maxime vero hoc illis contingit, qui rebus quidem Venereis opus habēt, in imaginationem autem ipsarum perueniunt per visiones, quæ ipsos in rerum Venerearū recordationem impellere possunt: aliis etiam, qui mali succi alimentis ac acribus vsi sunt: atque etiam quidam vbi ante nequaquam cingi consueuisset, in hanc affectionem incidit, cum duobus mensibus peregre proficisceretur, *ex Gal. testimonio.*

Immediata priapismi Caussa.

Fatetur idem experientia & ratione se vidisse hunc affectum excitatum ob arteriarum iam dictam dispositionem, semel autem ob ipsius nerui præcipuum ac proprium affectum. Perpetuo

tamen halituosi spiritus impletio affectum hunc excitat: *vt 14. Meth. med. 3. de caussis sympt. & 9. De compos. medicament. secundum locos*, scriptum est: ex humoribus viscosis ac crassis per moderatam caliditatem interim genito eodem halituoso spiritu. Neoterici hæc addunt, *vt Rondeletius*: Præter id, quod fiat ob flatus neruum cauum distendentes, aut arterias calefactas, & orificia nimis dilatata, fit etiam interdum his, qui coitu incaluerunt; & tunc videtur lassitudo tensiua. Etiam frequentius ob penis vlcera, quæ cum calfactione sunt tuncque distenditur: vel quia inflammatio est in glãdulis parastatis, vel quia vlcus est in summo pudendo, ad quod curandum aliqua acria ponuntur. Idem accidit iis, qui Venerem sopitam in muliere volunt excitare, medicamentis, siue balano apposito. Alii fieri volunt sicuti & satyriasin (*de qua postea*) ex sanguinis aut spermatis multitudine: vel ex prurigine seminis, eiusque acuitate & caliditate: vel ex multitudine humiditatum præparatarum, vt vocant, vnde fiat semen: vel ex multitudine ventositatum erigentium virgam. Tarantanus vero ad vẽtositatem refert: nam humor non tam cito euanescit: & caussa antecedẽs, *inquit*, est pauca caliditas, quæ infert illam ventositatem: estque illa ventositas multa, crassa, non facile solubilis. Et caussa huius ventositatis materialis est multa humiditas in vasis spermaticis, vel locis vicinis. Signa autem priapismi sunt manifesta, quia tensio pudendi adest magna & terribilis, ita vt venæ ac nerui ita tendantur, vt dolorem inferant. Et si sit materia in vasis spermaticis a qua fiat ventositas, fit cum tremore, saltu, & iactigatione. Vel melius, *iuxta Galenum*, si sit in eodem fistuloso neruo flatuosus spiritus genitus, ex continua eiusdem, quæ præcessit palpitatione dignoscitur: quemadmodum e diuerso, vbi supra modum arteriarum ora, quæ ad pudendum deueniunt, fuerint patefacta, atque propterea affatim spiritus multitudo ad ipsum colem affluat, nullum tale symptoma præcedere solet. Incidit hoc vitium non sane multis, sed iuuenibus magis quam aliis ætatibus, *vt inquit Galenus 14. method. meden.* Neque ipsum despiciendum erit. Nam ex præcipiti perire solent, nisi confestim eis auxiliũ feratur, *Aetio teste*. Cum vero moriuntur, ventre inflantur, & frigidum exsudant: id quod & eis euenit, qui aliis conuulsionis modis perimuntur. Ita & Auicenna, Nisi cito succurratur, tetano afficiuntur, & vasa spermatica conuelluntur, & in pudẽdo, seu veretro, causabitur apostema, ob defluxionem & concursum humorum ad locum affectum, vnde & in mortem præcipitantur. Quod senes minus hoc vitio afficiantur, in caussa est, quod exiguum habent calorem, non sufficientem dissoluere talem humorem, a quo eiusmodi ventositas generatur. Curationem vero iam diximus *in Obseruat. præcedente ex Galeno, Aetio, & Paulo*. Neoterici quoque abstinent ab omnibus medicamentis, & alimentis semen augmentantibus & ventositatem generantibus; præscribunt vomitum ad diuersionem; & incipiunt a venæ sectione, de qua satis dictum est; & ventrem non soluunt medicamento solutiuo, ne cũ fluxu ventris materia inferius deriuetur; membraque superiora fricant & exercent, inferiora nequaquam: coitum inhibent, nisi necessitate compulsi, in iis, qui longo tempore a coitu abstinuerunt, atque eius caussa in hunc affectum inciderunt: præscribunt, quæ vi occulta prosunt; vt rutam, agnũ castum, licet calida, cum & ventositatem consumãt, & generationi seminis resistant; frigida vero, vt caphuram, portulacam, nymphæam, cum libidinem exstinguant: secant venam, *vt dictum est*, & vomitum incitant cum oxymellite, & vsu raphani, vel aliis: dant muccaginem psillii cum aqua nenuph. vel portulacæ: fouent virgam & genitalia cum aqua decoct. rutæ, & agni casti, & similium ad ventositates carminandas. Leonellus hoc fotu vtitur, si sit a ventositate: *℞. pulegii, calaminthæ, origani, ana m. ß. carui, anisi, ammeos, fœniculi, cumini, ana ℥ ij. bulliant in aqua q. s.* virga spongia fomentetur: sed hæc satis calida sunt. Si a nimia caliditate, vtitur frigidis & caliditatem exstinguentibus. Valet tenere virgam in aqua frigida, & inungere oleis frigidis, ros. nymphææ, adiecto modico aceto, & tenere membrum virile extra aerem discoopertum circa coxas; renesque & virilia inungere & fouere cum succis herbarum frigidis. In cibo vtendum portulaca cum aceto; & succum limonis sumere, & acetositatem citri, iisque cibum condire, vtile est: pectinem iis quoque inungere, vel eidem admouere. Consultum sit & laminam plumbeam, & cerata infrigidantia peni & lumbis applicare. Si sit ex multitudine spermatis, fiat venæ sectio, & vomitus. Si contingat (cum & vlcera sanguinem arteriosum & flatuosum trahant, quibus distenditur penis) ob copiam spirituum sanguinis & seminis, secetur (*vt Rondeletius consulit*) vena poplitis, aut saphena. Postea foueatur pars, & illi partes vicinæ aqua frigida, vel succo plantaginis, nenuph. vel aliorum repellentium. Et sic vbi erigitur virga ex multitudine spermatis, vitet illa, quæ augent & multiplicant sperma; & vtatur illis, quæ semen exstinguunt, ac minuunt. Et propterea si malum ortum fuerit ob medicamenta Venerem irritantia, abluantur aqua tepida, & foueatur posca, cessabitque affectus. Si vero ob medicamenta acria, auferatur repellaturq; a parte illa sanguis attractus. Si ob vlcus internum, abluatur & refrigeretur, iniecta aqua nenupharis, myrthi, plantag. vel solatri. Bibant omnes aquam, parum comedant. Quod si post immodicum coitũ id accidit, oleo ros. vel oxyrrhod. foueatur, & obambulet per loca frigida; quod in omni caussa est vtile; vt & frigida abluere pedes, & refrigerare renes. His enim partibus refrigeratis, nunquam penis distenditur, aut erigitur. Ob id vng. albo Galeni (*vt nos fecimus*) refrigerantur renes, perinæum, & plantæ pedum, vel vng. popul. vel cerato sandalino, vel vng. albo Rhasis ex cerussa; vel fiat tale: *℞. olei nenuph. ℥ iij. cerussæ ℥ ij. aceti ℥ ij. misce. fiat vt nutritum, vel huic adde caphuræ ℈ j. agni casti ℈ ß. vngantur partes.* Si perseueret morbus,

Rondo-

Marginalia: 14; *Caussæ ex Neotericis.*; *Signa.*; 15 *Signa caussarum.*; *Prognostica.*; 16 *Curatio.*; 17; 18; 19

Rondeletius etiam clysterem mollem refrigerātem iniicit, in quo dissoluantur *succi cicla* ℥ ij. *mel. viol. butyri ana* ℥ j. *olei viol. & nenuph. ana* ℥ j ß. Si medicamento opus sit, *detur cassia cum decoct. maluæ, & seminis agni casti.* Intus non est inutile dare tabulam vnam diagalangæ, superbibendo parum aquæ endiuiæ, ad discutiendos flatus, & alia plura præscripta De colica a flatibus, & tympanite, si ob flatus morbus fiat. Vbi pruritus spermatis, & acritas & caliditas in caussa sint, potus lactis acetosi conuenit, a quo extractum est butyrum, & lactuca, & portulaca. Quocunque modo hoc malo tentantur, abstineant ab flatuosis, & quæcunq; fomitem Veneri subministrant; *vt rapis, capis, eruca, eryngio, satyrione, lacte, dauco, & similibus.*

Observatio X.

De Satyriasi.

1 Monachus quidam salax, (*vt nobis relatum fuit Bononiæ, cum ibidem praxin cum præceptoribus obseruaremus*) incidit in satyriasin, cum imaginationibus Venereis valde indulgeret; adeoque tentigine, non sine dolore, in Venerem stimulabatur, vt furore quodā agitari videretur. Is, vt tentiginem illatam reprimeret, mentulam in ollam aqua frigida plenam immersit; sed ex vehementi motu cum veretrum moueretur, ollam in frontem impegit: accitus Medicus vti cicatricem inflictam curaret, rem gestam cum magno risu aperuit.

Scholia.

2 NVm hæc historia, satis certe ridicula, vera sit, penes illum, qui nobis narrauit fides sit. Verum quod ad Satyriasin attinet, vno capite auctores, *vt Aetius* de Priapismo & Satyriasi vna scribunt: sic & neoterici omnes, *vt Rondeletius, Donatus, & Tarantanus*, ac alii; cum eadem etiam sit curatio. In hoc enim tantū differt priapismus a satyriasi, ꝙ in priapismo mentula erigitur sine desiderio coeundi, ad differentiam tētiginis, quæ fit cum homo ad coitum stimulatur. Si palpitatio accidat, dicitur Satyrismus, vel Satyriasis. Neoterici, vt Tarantanus atque alii, licet sub vno capite tractent de hisce duobus affectibus; atq; adeo in aliquo conueniant; tamen etiam in aliquo differre fatentur: quia scilicet, *vt etiam idem Tarantanus ex Gerardo Cremonensi citat*, in priapismo non est concupiscentia coitus, nec per coitū mitigatur: in satyriasi vero est virgæ erectio sicut in priapismo: & insuper adest concupiscētia coitus, & per coitum, vt ipse ait, sedatur. Græci tamen simpliciter dicunt satyriasin in hoc tantum differre a priapismo, quod cum eodem colis tumore, seu augmento, eiusdem colis palpitatio contingat: *vt recte etiam docuit Paulus lib. 3. capite 56. qui seorsim de satyriasi tractat his verbis: Satyriasis naturalium palpitatio, quæ nonnulli seminis vasculorum inflammationi cum intensione superuenit: hæc nisi finiatur, eadem genituræ conceptaculæ in languorem resolutionemque, aut conuulsionem, ex hoc vitio solet præcipitare. Moriunturque ex conuulsione ista celeriter homines, cum tumore aluo & frigido sudore.* Quare & non minus malum est, secundum Paulum, quam priapismus. Satyriasis vero, vel Satyrismus, dicitur a Satyris, qui a poetis finguntur veretro extento ob lasciuiam.

Priapismus & Satyriasis in quibus secundum neotericos conueniant & differant.

Satyriasis quid ex Paulo.

3 *Curatio.* Curatur vt priapismus: quamobrem vno eodemq; capite de vtroque affectu agunt pleriq; Paulus tantum vt dixi, de satyriasi seorsum tractat. Igitur, iuxta eundem loco citato, sanguinem protinus dimittere conuenit, victu vti tenui, & abstemio, eumq; assumere quotidie, valenter nunquam, sed paulatim. Laudatissimum igitur est remediū beta, malua, & mercurialis momentum, & ius esculentum cochlearum: quibus Aetius (*vt Scholio præcedenti dictum est*) ad priapismum quoque vtebatur. *Nisi malo fuerit*, iuxta eundem Paulum, *etiam ex simplicibus clysterem ab inferiore parte iniicere. Quæ vero vrinam mouent potestates, & hic cauendæ sunt: lumbis refrigerantia quoque admouere oportet, vt solani succum, aut portulacæ, aut alterci aut cicutæ. Necesse vero est colem, pubemq; frigidorum quibus leniendi vis inest, aliquo demulcere; nempe argenti spuma, cimolea creta, cerussa, aceto dilutis, aut aqua, aut vino dulci, aut sapa. Supino cubitu quiescere nocivum est. Rursus confert bibere nymphææ radicem, vel semen, & adianthum. Rutæ vero succi potus profuerit, & seminis profluuio laboranti, & cui naturalia sunt arrecta. Cibus datur frumentaceus modicus; sitis indicitur. At si prorogatur vitium, cucurbitulæ cute ferro incisa defigendæ sunt. Si plenitudo adsit, etiam hirudinibus vacuare, & ventrem cruda polenta oblinere, alienum non est.* Hactenus Paulus. Ex quibus satis constat, quod eadē sit curatio cum priapismo.

4 Verum id hic quoque annotasse vtile est, quod hæc affectio, satyriasis & tentigo dicta, etiam accidat mulieribus: ad quam consequitur ingens pudendorum pruritus cum dolore, ita vt mulier locis assidue manus admoueat. Atque ideo intolerabili Veneris desiderio contabescit, & sasi ea humoris effluentis acrimoniam, ac mordacitatem percipit, lociq; vero vicini inflammantur; *vt liquet ex Aetio cap. 82. lib. 16.* Quanquam eis raro hoc malum accidat. Illud vero ardens coeundi desiderium sæuiorem reddit ægritudinem. Quum enim affectæ partes distensæ sint, neque semen excerni possit, quoniam meatus inflammatione obstruuntur; maior materiæ copia frustra ad locum attrahitur. Eis ergo statim, iuxta Aetium, a principio vena secanda est, (ex qua vena, non dicit, ex saphena fieri potest, vel in principio ex basilica) & alimentum contrahendum, pubique ac lumbis illinēda, quæ leniter refrigerandi contrahendique vires habēt: caput oxyrrhodino irrigandum; serum lactis potu exhibendum; sorbiliaque alimenta offerenda, quæ flatu prorsus ac vi excitandæ Veneris careant: duobusque diebus a sanguinis missione interiectis, cucurbitulæ locis cum scarificatione affigendæ sunt.

Satyriasis etiam mulierib. accidit.

5 Reliqua autem curatio eadem erit cum inflammatione vteri, *de quo suo loco dicemus. Hac passione satyriasi* (vt quidam Discipulus in Praxi Leonelli refert) *laborans virosa*

quædam Vestalis monacha, adhibito mutoniati cuiusdam monachi (pessi vice) *phallo, seu rutabulo, perfecte curata est. Id quod præceptor meus* (inquit ille Discipulus) *Tosetus Patauinus Medicus* (vt fuit homuncio facetus) *se consultore factum fuisse, palam testatus est.* Præstitisset tamen antea, vt huiusmodi, iuxta præceptũ Diui Pauli, matrimonium contraxisset, quam ita vri, & nõ se excusare postea *(vt refert Tarantanus)* si satyriasi cum appetitu ad coitum laborant. & dicere se a Diabolo tentari, vt dimittant castitatem.

Observatio XI.

De Gonorrhœa ex abundantia seminis.

1 IVuenis, alioqui robustus, gonorrhœa afficiebatur. Sed cum ei vires non debilitarentur, neque extenuaretur eius corpus, signum erat ob multitudinem seminis euenire, ex nimia repletione; nam plenus sanguine videbatur, & venæ valde apparentes: multitudo enim spermatis vniuersaliter causatur a multitudine sanguinis. Quare cum hic statim ab initio consulturus ad me veniret, videns ego corpus carnosum esse ac rubicundũ, & iuuenem sanguine repletum, consului, vt statim vena basilica brachio dextro aperiretur, sanguine ad vncias fere octo extracto; & vt victu satis tenui vteretur, atque simul ab omnibus iis abstineret, quæ sanguinem multiplicarent, aut semen augerent. Cum autem in vniuersum pro seminis profluuii curatione refrigerantibus, atq; exsiccantibus, tum cibis, tum medicamentis, vtendum sit; & potissimum in quibus cum seminis copia, & facultas retentrix infirma est, *vt testatur Alexander Trallianus lib. 9. c. 4. De seminis profluuio*; (est enim cura huius affectionis communis cum ea, quæ in omni fluxione adhibetur, *Aetio auctore lib. 11. cap. 33. De seminis profluuio, ex Galeno*) primum, inquam, in quiete, & pauco cibo, & aquæ potu, affectos adseruare oportet, & vniuersam victus rationem resiccatoriam & adstringentẽ constituere, & similibus quoque medicamentis vti.
2 Præcepi igitur, vt aerem eligeret siccum, atque ad frigidum vergentem; somnum moderatũ in cubili frigido, non valde molli; decubitum vero in latus dextrum, vel sinistrum, supinum cauendo; quibusdam etiam herbis arefactis substratis, quales, portulaca, nymphæa, solanum, vmbilicus Veneris, lactucæ, rosæ, ac viticis folia; modo hoc illi liceret, ob alios; cum non vellet aliis suum morbũ notum esse. Interim iussi, vt quouis modo in somno vitaret formã dormiendi supinam, ne lumborum arteriæ inde supercalfierent; & vt studeret quotidie alui excremẽta natura, vel arte cum balanis excernere; & vt pręcipue abstineret a spectaculis, & lectionib⁹, quæ Venereæ rei vsum in memoriam reuocare possent. Imo oportet, *vt Aetius loco citato admonebat*, omnem de rebus Venereis cogitationẽ excludere; & potius vtantur his exercitiorum generibus, q̃ per supernas partes fiant. Quod ad cibos attinet, imperaui, vt paucis contentus esset, atq; eis, qui ægre corrumperentur, & difficulter permutarentur, ac vim resiccandi haberent; *vt idem Aetius consulit.* Vitandi autẽ sunt flatuosi, ac etiam valde calidi. Nam velut semen
3 generant cibi, qui bene nutriunt & flatuosi sunt, ac totis substantiis familiares, & medicamẽta flatuosa & calida: ita exstinguunt ipsum desiccantia, & refrigerantia omnia, queq; totis substãtiis sunt contraria. Etenim quæ refrigerare sunt nata, tum edulia, tum medicamenta, semẽ cogentia, incrassantia, & stabile reddentia, vim habẽt ipsum supprimentem, non autem corrumpentem; velut est lactuca, blitũ, atriplex, cucurbita, mora, cucumeres: quæ vero resiccant, nec semen promittunt, vt nymphæa; vel etiam si calida sint natura, velut ruta; quemadmodum *Gal. lib. 5. de simp. medic. facul.* scriptum reliquit. Quia vero hic etiam semen & tenue & acre apparebat, quod emittebatur, infrigidantibus magis, quam resiccantibus, tum cibis, tum medicamentis vtendũ erat: nam hi contemperantia, refrigerantiaque exigunt, vt genitura, sensim crassior & temperata reddita, non amplius effluat: cum prædictis autem cibis viticis, aut canabis semen, præsertim tostũ, rutæ item semen, & caliculi, nymphææque radix ac semen præbendæ sunt. Quare cum eidem genituræ profluuium ex copia etiam proueniret, vtile præcepi a copiosis cibis esse abstinendum, & iis pręsertim, qui generant bilem, & ampliores flatus, irritantq; materiã, vt procliuius foras efferatur; *quemadmodũ & recte consulit Alex. Trall. loco citato.* Ab his igitur
4 abstinendum, vt sunt nuclei pinei, fabæ, ciceres, bulbi, eruca, rapa, & pręsertim semen eius, & dauci maioris semen: & vrticæ semẽ & costus, quæ ex mulso Venerem stimulant, & satyrion & styncorum partes, &c. Pro potu, quamuis aqua, præsertim pluuialis, vel ea in qua ferrum exstinctũ est, *laudetur ab Aetio*, cum hic iuuenis non esset consuetus bibere aquam, cõcessi eidem ceruisiam tenuem; sed imperaui, vt a vino abstineret, & ab omnium rerum acrium vsu. Quod vero ad medicamenta attinet, post venæ sectionem, cum viderem bilem etiam ex sanguine bilioso nõnihil adesse, exhibui altero die infusum Rhab. cum cassia, cum decocto myrobal. citrinorum. Et quia vrina acrimoniam contraxerat ex spermate acriori (nã cum ardore emittebatur) dedi syrupum sequentem: *℞. syr. ex ros. siccis, nenuphar. myrtini. ana ℥ß. aquæ portulacæ, nymphææ, plantaginis, ana ℥j. misc.*
5 bis terve reiteratum fuit. Ceterum ardor hic non erat magnus: alioqui, licet Medici & ægroti gonorrhœam etiam vocant, quando ob inflammationem illarũ partium, reiicitur cum dolore aliquid seminis boni vel corrupti, quod expurgat; potius id referri debet ad caput de ardore vrinę, in quo de inflammatione illarum glandularum etiam tractauimus. Dedi tamen post syrupum rursus hanc leuem purgationem cum adstrictione: *℞. cassiæ recens extractæ ℥j. rhabarb. optime pul. ʒß. in bolo.* Deinde consului, vt ad restrictionem caperet *pul. folior. rubi ℈. ij ß. ʒ. j. cum aqua plantaginis. in qua chalybs septies exstincta esset*, hoc enim simplici remedio feliciter Petrus Medicus Boloniæ vtebatur. Totam spinam & os sacrum (vt & is quoq; facere solebat,) inunximus vng. sequenti:

℞. vn-

6

℞ vnguenti sandalini, comitissa, ana ℥ ß. succi solatri ℥ ij. caphura ℈ j. olei nenupharis parum. fiat vnguentum, quibus bene habuit. Alioqui dedissem *℥ j. cum aqua mentha ex trochiscis sequentibus*, quos Leonellus ad gonorrhœam procedentē ex multitudine & acritate spermatis, post venæ sectionē, & purgationem ex rhab. & myrobalanis citrinis, in hunc modum paratos, commendat. *℞. trochis. de rosis ℥ ij seminis lactuca, cucumeris, an. ℥ ß. caphura gr. ij. ros. rub. ℥ ß. puluerisanda puluerisentur, & cum muccag. sem. cotoneorum fiant trochisci, quorum quilibet sit ℥ j.* Ceterum cum hic esset caussa calida & multa materia, si supradictis remediis malū non cessasset, consuluissem, vt hic iuuenis matrimonium in Domino contraxisset, *melius est enim nubere, teste* Diuo Paulo *1.* Corinth. 7. *quam vri.* Etiam nunc curatum idem, vt faceret admonui, ne in idem malum relaberetur.

SCHOLIA.

7 γονόρροια.

Vitium vero, quod circa seminis excretionem sæpenumero cōtingit, a Græcis γονόρροια, a Latinis *Seminis profluuium* appellatur, nomen siquidem compositum ex γόνη, quod *semen genitale*, & ῥεῖν, quod *fluere* significat, quasi *genitalis seminis profluuium* dixeris. Semen autem modo γόνη, modo γόνος a Græcis nominari solet, *vt liquet ex Gal. lib. 6. de locis affect. cap. 2. Est autem* (vt ipse inquit) *affectus hic seminis excretio inuita, quam etiam inuoluntariam nominare licet sed manifestius dixeris, seminis esse assiduam excretionem, cole haud quaquā extento*, quam descriptionem confirmauit Aetius *lib. 11. cap. 33.* cum dicit: *Profluuium seminis, excretio est eius præter voluntatem, citra pudendi tentiginem. Nomen autem habet ex eo, quod inuitis profluit semen.* Paulus quoque *lib. 3. 55. Seminis profluuium,* inquit, *est inuita ac præter voluntatem excretio, qua continue, naturalibus non intensis, ex retentricis natura facultatis imbecillitate prouenit, quod sine Venere, sine nocturnis imaginationibus sic fertur, vt interposito spatio tabe hominem consumat,* Celso auctore *cap. 21. lib. 4.* Propterea non ab re in hac affectione sola vasa spermatica affici manifestum est. *vt constat cap. 6. De locis affectis,* cum dixit Galenus. *Igitur gonorrhœa instrumentorum seminis affectio est, non pudendorum, quæ seminis genitalis via sunt, qua excernatur.* Id etiam confirmauit Aetius *loco citato.* In ipsis namque & generatur, & continetur naturaliter genitale semen. Quod vero symptoma sit in genere excretorum immodice, *3. De caussis sympt. a Galen. scriptum est.* Triplex tamen est Gonorrhœa, Galeno & veteribus olim ignota, vt egregie docet Ioannes Langius *epist. 5. lib. 2.* Vna ob feruorem renum, ac seminis copiam, mentisq; intranquilla somnia, pollutio dicta: iis qui hac laborant quæ refrigerant, adstringunt, ob vasorum imbecillitatem, & sperma exsiccant, sunt salutaria, altera est ob malorum humorum & phlegmatis, a cerebro & hepate, ad matricem & vasa spermatica alluuionem; simul enim phlegma cum semine exit putidum. Prædicta hic sunt noxia & perniciosa, namque hæc gonorrhœæ species non adstrictoriis & ingrossantibus frigore indiget, sed ob humorū cruditatem & putrilaginem, sui per vomitū, aut alui deiectionem, ablationē indicat, qua methodo, ausim deierare, solis purgationib. ac sobria victus ratione, plures sanitati restitui. At tertia ex lue Venerea gonorrhœa est, q̃ ob id fœdā virulentamq; appellant: in qua principio vigilanti pariter ac dormiēti virus albū, aut subcitrinum e vasis seminalib. sine sensu destillat, ac nō raro penis cannā exest. Ex hac virulenta lue accidit, vt quicquid in vasis coaceruatum fuerit, male oleat, & putredine acescat, ardor dysuriæ similis in emictione, & dolor in mentulæ tētigine, at si funis subtus penē extenderet, vlcus internū subesse produnt. Hoc virulento fluore prēter rationē suppresso, tum plerunq; abscessus colligit, alias quidē circa testiculū in epididymide (*vt istis dieb. iuueni cuidā euenit, qui a nobis tamē curatus est*) alias in perineo; quo rupto continuus fluor cōsolidationi obsistit ac postremo in fistulā desinit, per quā lotium tandē defluit. At hæc ex lue Venerea ichoris virosi eluuies, non melius quam ligni guaiaci decocto curatur. Eodem fere modo & Fernelius varias differentias gonorrhœæ facit, inquiens: *Gonorrhœa est inuita & nimia seminis profusio, citra Venerē, citra libidinis insomnia, leni quodā aut nullo oblectationis sensu titillatione ve facta. Sed & gonorrhœa species q̃dā est, quum occasione minima semē emittitur, vt in eo, qui sola clysteris perfusione semen eiaculari consueuit. Sed & quendā vidi, qui longa gonorrhœa consuetudine per insomnia, atq; etiam cogitatione sola, parum sanguinē, non minori voluptate, quam semen effunderet. Inuasit & hoc seculo in humanum genus ex lue Venerea quoddam vitium gonorrhœæ finitimum, quod idcirco & fœdam virulentamq; gonorrhœam appellamus.* Hæc Fernelius, qui & ea adiungit, quæ mox ex Langio attulimus. Sed hic de vera gonorrhœa agimus, qua hic iuuenis laborabat, ex abundantia seminis: nam probus & castus erat. Interea & alia adhuc, etiam rigido & extento quodammodo pudendo fit, & est velut conuulsio quædam, *teste Gal. 2. de caussis sympt.* Sed hæc omnia cum de caussis agemus & signis, latius patebunt, tum etiam exemplis subsequentibus.

Seminis profluuii quid sit.

8 *Quæ pars afficiatur in seminis profluuio.*

Quis affectus præter naturam.

Triplex gonorrhœa veterib. ignota.

9

Differentia seminis profluuii ex Fernelio.

10

OBSERVATIO XII.

De Gonorrhœa ex aquositate seminis.

1

Vir pituitosus, pallidi coloris, cum aliquanto tempore gonorrhœa laborasset, tamen vxorē habens, consilii caussa, me accessit. Verum vt recte huius caussam intelligerem, videns eius temperiem esse pituitosam, & intelligens quod victu humectante vsus esset, cœpi interrogare qualis nam color esset seminis q̃ ita profunderetur: dicebat autē sperma aquosum valde esse, & quod sine aliqua delectatione exiret, crudū valde, & sine vlla concoctione. Cum igitur intellexissem, illud genus ꝓfluuii seminis venire ex aquositate spermatis imperaui, *vt ex succo mentha cum melle cocto & despumato syrupus conficeretur, & vt huius ℥ j. ß. acciperet cum decocto myrthi & florum ros. ac cupularum glandium ℥ iij.* & vt tribus continuis diebus mane hanc dosin sumeret. Remouet enim aquositatem spermatis, & sperma similiter exsiccat. In-

terea imperaui, vt aquositas illa euacuaretur in hunc vel similem modum: ℞ *diacath.* ℥ ß. *turbith. boni & electi non correcti.* ℈ iij. *dissolue cũ aqua mellis* ℥ ij. *fiat potus*: detur in diluculo. Sciendum vero, *vt & Leonellus admonuit in sua Praxi cap. proprio de gonorrhœa ab aquositate & fluxibilitate spermatis*, quod turbith non correctum euacuat phlegma aquosum & subtile. Facta euacuatione, consului vt hoc vel simile decoctum sumeret. ℞. *menthæ, absinthij romani an. m. j. seminis agni casti, rutæ, myrthi, cupularum glandium, flor. ros. rub. ana* ℥ j. ß. *fiat decoctio in vino rubro Gallico, pro* ℔ j. *dulcoretur Zacch. & capiat omni mane cyathum vnum.* Et inungãtur renes hoc vnguento, vel eius æmulo. ℞. *olei mastich.* ℥ j *olei rutacei.* ℥ ij *olei menthacei* ℥ ij *seminis agni casti, urticæ, rutæ, ana* ℈ j *puluerisentur, addendo menthæ, garyophyl. pulu. an.* ℈ ß. *ceræ q. s. fiat vnguentum.* Deinde vt etiam sumeret omni mane ad magnitudinẽ castaneæ paruæ ex hoc electuario, præcepi. ℞. *conseruæ ros. antiquæ* ℥ j. ß. *conseruæ summitatũ absinthij romani.* ℥ iij *farinæ glandium, cornu cerui vsti, an* ℥ j ß. *lapidis hæmatitis, seminis agni casti, an.* ℥ ß. *menthæ siccæ, garyophyl. thuris, balaustiorũ. an.* ℈ j. *puluerisentur puluerisanda, & cum melle despumato fiat electuarium, vt artis est.* Quod si neque illa iuuarent, intus etiam illa exhibenda erant quæ semẽ exstinguunt, veluti viticis semen torridum, aut folia, seu flores similiter canabis semen, seu nymphææ semen, aut radix eiusdẽ cum vino nigro austero, *ex Tralliani sententia.* Atque hic tandem victu paululum incrassante & astringente æ[illegible] conualuit.

2

SCHOLIA.

3 *Caussæ.*

VAriæ caussæ huius seminis profluuij ab auctoribus referuntur. Aetius, vel ex facultate retentrice imbecilla in vasis seminariis, aut ex resolutione eiusdem facultatis fieri vult, *ex Galeni testimonio*, quam facultatẽ imbecillam reddere possunt excedẽtes omnes intemperaturæ, præsertim humida, aut calida, seu quæ ex his conflatur. Vel a copia ipsius seminis eandem retentricem facultatem vasorum seminariorum grauante, vt semẽ ipsum haud quaquam retineri possit, & sic inuoluntarie excernatur. Coaceruatur autem talis seminis copia eis, qui Venerem exercere consueuerunt, & crebriore vti concubitu, demum vero continentius, & purius innocentiusq; degant, *vt refert Alexander, lib. 9. c. 9.* Interdum autem ex seminis acrimonia, ac tenuitate, adeo vt eam continere non possit eadẽ contentrix facultas, etiam excitatur seminis profluuium. Aliquando etiam ex conuulsione violenta, vt in comitiali morbo, iam & effluuii caussa, *iuxta Fernelium*, est spermaticarum partium imbecillitas, qua vel non concoqui, vel non retineri semen potest tantisper dũ coquatur atq; crassescat. Quam ob rem frequens iis esse solet, qui impuberes, nec dum matura ætate, Veneri petulantius sese addixerunt. Nam imbecillæ partes euadunt, in quas longa consuetudine humores abundantius confluunt. Quum per insomnia libidinis, aut in attenta rei Venereæ cogitatione semen affatim procidit, non vt in vera gonorrhœa, crudũ id & aquosum, ac sine sensu, sed magna vtiq; voluptate exit. Effluentis huius caussa est, seminis vel exsuperantia, vel calor & acrimonia naturam proritans, vel ingens spermaticarum partium robur. At ex lue Venerea aliam caussam habet. Rondeletius potissimum fieri vult ob vasorum imbecillitatem, & flatuum copiam, vel ob compressionem, vel tensionem, vel succussionem membrorum, vt in conuulsione & epilepsia. Profluit interdum ob seminis aquosi & flatulenti copiam. Cum enim tenue multum est, a vasis contineri nequit, reiiciturq;. Et ita alii ad tres caussas referunt, alii ad quatuor. At quatuor reducunt, Vel ex parte vasorum spermaticorum, vel ipsius spermatis. Aut renum, aut ex parte principiorum. Ex parte autem vasorum spermaticorum, rursus in triplicem diuidunt: Vel ob debilitatem virtutis retentiuæ, aut robur expulsiuæ, Vel ob mollificationem ipsorum, vnde relaxantur vasa retinentia sperma, Vel ob eorundem vasorum spasmum, vt in epilepsia contingit. Ex parte vero spermatis, Aut ab eius multitudine, vt in robustis & sanguineis, (*& præcipue, vt sæpe obseruauimus, in monachis, Præ[illegible], delicate & in ocio viuentibus & monialibus seu vestalibus.*) Vel ex parte fluxibilitatis & aquositatis ipsi⁹ spermatis, sicut in phlegmaticis, & mollibus vt in hoc ægro nostro, de quo egimus in Obseruatione : Vel ex parte acuitatis spermatis, vt in biliosis, in quibus semen est acutum mordicans, stimulans virtutem expulsiuã vasorum seminalium, vnde & semen facile exit. Ex parte renum propter nimiam caliditatem eorundem attrahentium continuo spermatis materiam ad vasa spermatica, seu seminaria, vnde vasa dilatantur, & semen citius effluit. Ex parte principiorum, idq; primo ex desiderio & concupiscentia, coitus & actuũ venereorũ: nam ex concupiscentia desiderio, & imaginatione coitus, tũ actus Venerei, sperma mouetur, & emittitur: quandoque ex nimio & frequenti tactu, præcipue pudendorũ mulierum conuersatione. Sed & has quatuor caussas ad tres præcipuas rursus deducũt, ad multitudinem seminis, ad debilitatem virtutum vasorum spermaticorũ, & ad acuitatem, seu fluxibilitatem seminis. Denique alii has ipsas in externas, tũ internas, atque antecedentes transferunt. Externas primitiuas & procatarcticas esse volũt, frigus externum, infrigidans vasa seminalia, iis ipsis paralysin inferens aut marmori aut lapidi frigido insidere, vel aquæ frigidæ innatare, ictum quoq; & concussionem in vasis ipsis, aut origine neruorum. Internas referunt ad humores ipsos, vasa, testiculos, renes, tum membra ipsa nimis calida: ita & antecedẽtes ad intemperiem circa genitalia, & humorem nimis acutum, liquidum, sanguineum, vel biliosum quoque sperma. Has autẽ caussas, *vt postea dicturi sumus*, distinguere oportet, vt indicatio curandi melius inueniatur.

4

Tres præcipue caussæ gonorrhœæ, vel quatuor iuxta alios.

5

Caussæ externæ.

Internæ.

OBSERVATIO XIII.

De diuturna Gonorrhœa, & quomodo fuerit curata.

1

QVIDAM annos 45. natus, cum diuturna gonorrhœa afficeretur in Hagha Comitis, ac diutur-

ac diuersis remediis vsus esset, istis infrascriptis remediis per me probe curatus fuit. Quū autem vererer, quod malum contraxisset ab impudica muliere, atq; id confiteri, quod vxorem haberet, non vellet, hoc lenitiuum & purgans medicamentum prius dedi. ℞. *electuarii lenitiui, confectionis hamech. ana ℥ ß. aqua fumariæ. ℥ iij. syr. de epithymo, de fumoterra, ana ℥ ß. misc. & fiat haustus*, ex quo satis copiose excreuit, deinde vt tres pilulas ex his sequentibus sumeret, mandaui. ℞. *terebinthinæ Venetæ lotæ cum aqua ros. ʒ j ß. torreatur parum vt puluerisari possit, adde mastichis, trochis. alkekengi, ana ℈ j. mummiæ ℈ ß. pulu. liquirit. pulu. myrobal. citrinorum. an. ℈ j. cum muccagine gummi tragacanthi fiant pilulæ pisorum instar.* Cum autem aliquo modo & capite doleret, has quoq; pilulas sumsit. ℞. *pilul. de fumoterra ℈ ij. pilul. cochiar. aurear. an. ℈ ß. cum syr. ex infus. ros. fiant pilulæ vij. dentur longe a cœna.* egregie excreuit, & dolor sedabatur. Sed cum profluuium perseueraret, licet iam non ita citrinum & putridum semen efflueret, sed magis album & concoctum, & maciem contraheret, accessi ad magis restringentia paulatim, præscribendo iterū has pilulas, & puluerem sequentem, tum alia, quibus tandem, cum hoc profluuium per aliquot menses adhæsisset, cessauit. ℞. *sem. plantag. boli arm. veri, cornu cerui vsti. ana ℈ j. trochis. de carabe. ℈ j ß. cum muccagine tragacanthi fiant pilulæ ad modum cicerum, præbeantur tres, vt supra.* ℞. *sem portulacæ acetosæ, plantaginis, lactucæ, melonis, pap. albi, ana ℈ j sem. rutæ, agni casti an. ℈ ß. sem. coriandri præpar. sem. canabis torrefacti. sem. ros. cornu cerui vsti, sandal. rub. an. gr. v. rad. nenuphar. ℈ j.* (at cum radicem ad manum non haberet pharmacopœus, accepimus flores nenupharis albi) *fiat pul. subtilissimus: dosis erat ℈ ij. ß. cum vino rub.* Postea. ℞. *sem. portulacæ, acetosæ, plantaginis ana ℈ j. farinæ glandiū ℈ ij. cornu cerui vsti ℈ j. ß. lapid. hæmatitis subtilissime & cotem triti ℈ j. coralli rub. sem. rutæ. sem. viticis, seu agni casti an. ℈ ß. trochis. de carabe, ac terræ sigillatæ flor. nenupharis, ana ℈ ß. nucis moscatæ, sarcocollæ, ana gr. v. fiat pul. subtilissimus: dosis ʒ j* ℞. *vngenti ros. ℥ ß. vnguenti comitissæ, vnguenti sandalini. an. ℥ ij. misce.* inungantur lumbi. ℞. *mespilorum exsiccatorum* (nam fluxus perdurans deiiciebat vires) *farinæ glandium, radic. consolidæ maior. exsiccat. cornu cerui vsti, an. ℈ j ß. lapidis hæmatitis ad cotem contriti ℈ j sem. plantag. agni casti, lactucæ, an. ℈ ß fiat puluis subtilissimus, addendo conseruæ ros. antiquissimæ. ℥ ß michleta Nicolai, & diacodii. an. ʒ j. cum syr. cotoneorum. q. s. fiat conditū, moderate liquidum.* sumat mane ad magnitudinem paruæ castaneæ, fuitque in duplici dosi reiteratum, & profluuium seminis restrictum est, & nunc optima sanitate etiam fruitur, cum hæc recolligerem anno 1589. cum anno 1582. hoc malo admodum diu conflictatus esset.

2

SCHOLIA.

Signa gonorrhœæ.

QVod autem gonorrhœa hic laborabat, facile ex eo notum erat, quod semen aquosum profluebat, ac tenue exsisteret, quamuis postea etiam putidum, & excernebatur citra appetentiam coeundi, & vt plurimum citra sensum, licet quandoque tale cum voluptate quadam quibusdam promanare solet: corrumpebatur etiam sensim eidē vniuersum corpus, ac gracilescebat, præsertim circa lumbos, cuius etiam, de signis loquens Aetius, meminit. Os quoque ventris quibusdam resoluitur & toto corpore (vtrumq; huic contingebat) non solum relaxantur, imbeciliq; fiunt, sed etiam sicci, graciles, pallidi, cauisq; oculis cernuntur, *vt colligitur ex Gal. 6. de sanit. tuend.* Interea signa caussarum sunt distinguenda. Si enim imbecillitas sit in vasis seminariis, vel resolutio ex intēperie humida, aut calida, id ex propriis earundem intemperierum signis distingues, simul cū totius corporis natura, ac præcedentis victus ratione: Nam & importuna Venus, aut nimia abstinentia sæpe caussam ostendunt. Si autem propter multitudinem seminis contingat, ægri nō debilitantur, neque extenuantur, imo videntur retinere propriū colorem, ita vt neque æger maceretur, neq; sentiat grauedinem, & exundantiam indicat corpus satis viuidum, & in profluendo quædam voluptas subinde, sed exigua, & in emissione grauitas non sentitur. Vbi enim exit ob debilitatem retētricis, ex improuiso, & sine sensu hoc fit. Et si est ob fortitudinem virtutis expulsiuæ, effluit cum aliquali delectatione. Si autē est ex aquositate seminis, effluit aquosum, minus coctum, & absque delectatione aliqua. Vbi enim semen tenue est, nec in vasis retineri potest, decolores fiunt, & imbecilles, sensim corpus cōtabescit, circa lumbos dolorem sentiunt. Si sit ex acrimonia seminis, ex colore ac substantia innotescit; quoniam biliosius tenuiusque apparebit. Ad hæc prægressæ caussæ, tum victus, tum superior vita illud manifestabunt. Nec non mordax atque præcalidum inter emittendū semen sentiunt. Signa ex parte seminis ita innotescēt. Vbi enim semen aquosum est, facile exit minus coctū & tenue: Et tenuitatē indicat continu⁹ fluxus, vel humor in linteolo seruatus nō glutinosus, & panni parum maculis inficiuntur, nam & effluit, & non inhæret. Et vbi semen frigidum, sentitur frigiditas in exeundo, & in aliquibus accidit dolor capitis, & grauitas totius corporis. Vbi enim est ex acuitate seminis, vel ex caliditate eiusdem, calor sentitur in exitu, adestque præter calorē & rigor & mordicatio, idq; cum virgā transiit: facit & aliquando titillationem cum aliquali delectatione, & inter exeundū mordicat. Ex parte vero vasorū seminalium, ob imbecillitatem exit absque delectatione & erectione virgæ, nullamq; adferens tentiginem, & ob debilitatem retentricis; vt diximus, ex improuiso & sine sensu. Si enim contingat ex mollificatione vasorum spermaticorum, tunc paralysis membrorū præcessit, & semen exit insensibiliter, absque pudendi erectione. Si ob conuulsionem, seu spasmum, contractio adest in partibus illis, ac dolor in partibus vicinis circa sumen & pectinem. Et propterea si fiat ob passiones aliorū membrorum, indicabitur illud per dolorem & aggrauationem loci, ob paralysin membrorum fit sine erectione virgæ. Ob spasmū ner-

Signa caussarum.

5

Signa ex parte seminis.

6

Ex parte vasorum seminalium.

Ex passionib. aliorum membrorum.

uorum vel musculorum, cum dolore pectinis, & inguinum, vt in epilepsia, vel alia conuulsione. Et sic si ob aliquam dispositionem paralyticam, cole haudquaquam extento prouenit. Si ex cõuulsione, adest quædã conuulsio rigido seu extēto quodam modo pudendo. *Gal. teste 2. de caussis sympto.* Excitatur tunc, quasi conuulsioni quid simile instrumenta patiantur, *vt ipsemet testatur 3. de caussis sympt.* Euenit autē, vbi aliquis vel comitiali morbo, vel conuulsione violenter irruente fuerit correptus quamuis haudquaquam absurdum fuerit dicere, in seminariis vasis, & quidē solis, aliquando eiusmodi dispositionem excitari, quādo videlicet conuulsioni aliquid simile patiantur, *quod idem Gal. confessus est 6. de loc. affect.* quemadmodum alias partes aliquādo videmus, vt manus, aut pedes, aut digitos, conuelli, modo simul cum vniuersi corporis conuulsione, modo ipsis solis affectis. Percipies autem hanc differentiam gonorrhoeæ (*licet fere impropriè gonorrhoea dicatur, vt antea quoque diximus: ea propriè & vere existente, in qua cole haudquaquam extento semen præter voluntatem emittitur, vt diximus*) quoniam rigido & extento pene, licet inuoluntarie, semē emittitur: at vbi citra morbum comitialē, aut aliam vniuersalem conuulsionem id fiat, nullum dictarũ aderit affectionum indicium; sed ipsa vasa seminis duntaxat conuulsioni similem dispositionem patiuntur, quæ dispositio non alio modo generari poterit, quam conuulsio quæuis alia particularis, potissimum autem quæ a flatuoso spiritu ortum habet. Si propter calorem membrorum istorũ, tunc læduntur a calidis, & iuuantur a frigidis. Et si in summa glande mordet materia, vel renes calidi sunt, vrina viridis aut crocea acutum profluuium denunciat, & victus præcedens faciet fidem certam. Et ita signa gonorrhoeæ prouenientis ex caliditate renũ, adest manifesta caliditas circa lumbos & regionem renum, & semen profluens in exitu habet aliquid acuitatis, & mordacitatis. Ex parte principiorũ, cognoscūtur ex appetitu præcedente & desiderio coitus, ac cōtinuis imaginationibus rerum Venerearum, sicuti & quæuis aliæ caussæ primitiuæ habētur ex ægrotantium relatione, cum diligenti Medici inquisitione, tum etiam ex iis, quę præcesserunt: ita quidem ex concupiscentia, quia præcessit inordinatus appetitus ad coitum, amplexus & contactus mulierum plurimum impudicus, conuersatio multa cum iisdē, colloquia impura, & frequētes imaginationes, & cogitationes de re Venerea. Recte quidam dixerunt, quod ad signa prognostica attinet, (*de quib. nunc dicendum, postquam signa caussarum iã retulimus*) gonorrhoeam non solum damnum indiuiduo inferre, sed & omni speciei humani generis: nam si omnes homines paterentur gonorrhoeam, cito genus humanũ periret, cum materia ex qua generatur embryo, fluat & deperdatur. Præter hoc igitur quod turpissima hęc sit passio, est etiam generi humano noxia, qua etiam nonnulli pereunt, ob verecundiam, cum non audeant Medico hoc vitium reuelare. Quæ quidem si superfluat, & diu durat, perducit ægrum ad hecticã senectutis: nam semine plurimo profuso, spiritus quoque resoluuntur, & corpus infrigidatur. Quidã & gonorrhoeam lethalem pronunciarūt in iis, qui stomachũ frigidum & hepar calidum haberent: augetur enim his frigiditas, & laxitas, neque remedia intus administrata frigida malitiam stomachi tollere possunt. Ceterum seminis profluuium licet in omnibus ætatibus oriri possit, maxime tamen contingit pubertatem transgressis citra 14. annum, *vt inquit Aetius*, quod item non solũ viris, sed & mulierculis accidit, licet in foeminis ægre tollatur affectio, vt ipse refert.

7 — 8 *Ex caliditate renum.* — *Ex parte principiorũ & quomodo caussæ primitiuæ cognoscantur.* — 9 *Prognostica.*

Observatio XIIII.

De Gonorrhoea cum sæuissimis symptomatis.

PEtri Roberti Pistoris filius, qui ad fossam aqueam Delphis habitabat, cum gonorrhoea afficeretur, & nescio quas pilulas ex pscripto filii cuiusdam chirurgi accepisset, sanguinē per superiora euomuit, & in grauissima symptomata, tum syncopen incidit, vt pro mortuo habitus sit. Correpto eo deinde somno grauiore, me vocarũt: adhibitis aũt frictionibus manuum ac digitorum, mox expergefactus, paululũ ad se rediit. 17. itaq; die Augusti, anno 1577. ad illum accitus, cum valde sitiret, hanc sequentem ptisanam propinaui. ℞. *hordei mundati p. j. glycyr. rasæ ℥ iij. coquantur in aqua comm. pro ℥ vuj.* Id quoque valebat ad abstersionem medicamenti venenosi q̃ sumserat, & ad sitim. Sed & hoc eclegmate etiam vtebatur. ℞. *diatrag. frigid. in tab. recenter fusi ℥ ß. manus Christi cũ perlis ℥ j. syr. iniubini ℥ j ß. syr. myrthini, de portulaca an. ℥ ß. misc. sumebat cum spatula liquir. ad libitũ.* & capiebat pro siti & alteratione cerasa cōdita. Et qui tussiendo adhuc exspuebat sanguinem, pro tussi continuo sumebat ex tabulis diatrag. frigidi recenter fusis cum aqua vngulæ caballinæ. Vigesimo die Augusti cœpit vires recuperare, & melius habere: tunc iussi vt sæpe sumeret ex mixtura sequenti ℞. *syr. ex ros. siccis, syr. granator. ana. ℥ j. syr. nenupharis, myrthini ex infus. ros. an. ℥ j. misc.* capiebat subinde cochlear vnum. Cum iam vomitus sanguinolentus non rediret, nec sputum cruentũ amplius expectoraret, & symptomata, deinde & tussis ac sitis, consopita essent, remanebat gonorrhoea, qua diu antequam illas pilulas sumsisset laborauerat. Quamobrem 2. Septemb. die hoc apozema sequens illi præscripsimus, & a gonorrhoea hoc solo apozemate sanatus, perfecte conualuit. ℞. *rad. consolid. maior. mundatæ ℥ ß. plantag. equiseti, bellidis minoris polygoni, ana m. j. acetosæ m. ß. sem. plantag. ℨ j. sem. acetosæ, maluæ, an. ℨ ß. flor. ros. rub. p. j. vuar. passul. cum arill. ℥ ß. glycyr. rasæ ℨ iij. coquantur in aqua communi pro ℥ ix. col. adde syr. de portul. syr. myrthini, ana ℥ j ß. misce: fiat apozema pro ij. dosibus matutinis.*

1 — 2

Scholia.

QVod exsiccantibus & refrigerantibus, tum cibis, tum medicamentis, opus sit ad curationem, *diximus Obser. 11.* vbi & victum quoq; præscripsimus, cum & hic cōmunis scopus curandi sit cum

3 *Curandi Methodus.*

cum ea, quæ in omni fluxione adhibetur, ideo victus aliquantū etiam adstringens adhibendus. Et quod ad medicamentorum rationē attinet. Græci circa lumbos & pubem medicamentum ex rosaceo, maxime ex omphacino apparato, ac pauco vino, cum linteis apponunt, idque sæpius. Vel ex melino, aut œnanthino oleo, pauco addito vino: etiā spōgias posca imbutas adhibēt, & cataplasmata ex palmulis, malis, acacia, hypocistid. œnanthe, rhoe, & similibus, ac insessibus vtuntur ex lētisco, rubo, myrtho, & id genꝰ aliis, in vino austero, siue mero, siue diluto, aut etiam ipsa aqua, decoctis, *ex communi consensu Pauli & Aetii.* Quamquam vbi ob seminis tenuitatem atque acrimoniam fiat tale profluuiū, etiam temperatis balneis vti conuenit, *ex Alexandro*; quinimo ad lauationem frigidæ confugere non inconuenit, maxime si medicamentaria qualitate aqua prædita sit, velut sunt in albulis aquæ sapore subsalso, & tactu lactei teporis, *ex Aetii testimonio*: quale est apud Italos balneum Puteolorum, quod vulgus Balneolum appellat, modo eius actualis caliditas fuerit tepida, aut infrigidetur. Per interualla etiam vnguenta adhibēda sunt, ex cera, rosaceo, succo aliquo astringente, aut refrigerante, adiecto: quales sunt semperuiui, solani, vmbilici Veneris, sanguinariæ, nymphææ, portulacæ, &c. Verum ab assiduo eorum, quæ vehementer refrigerant, vsu, tum his, quæ forinsecus apponuntur, tum etiam his, quæ per os exhibentur, cauere oportet. Valet & laminam plumbeam lumbis apponere, tum eorum, qui in somno, tum qui alias semen profundunt, multum enim refrigerare consueuit. In his vero, qui plumbi duritiem ferre non possunt, ex prædictis herbis refrigerantibus quædā arefacta substernantur: quibus etiam viticis folia, rutæ, ac calaminthæ commisceātur, maxime vero & rosæ: prosunt enim hæc citra renum læsionē: nam vehementer refrigerationes eorū, quæ lumbis subduntur, renes iniuria afficiunt, *teste Aetio.* quanquam ante eum Gal. non modo hæc, sed nonnulla alia medicamenta *6. de sanit. tuenda*, ponit. Intus quoq; sumenda sunt, quæ semen exstinguunt, veluti viticis semen torridum, aut folia, seu flores: similiter canabis quoq; semē, aut lactucæ, seu nymphææ semen & radix, cū vino nigro austero in potu exhiberi debent: *iuxta Trallianum*: vel ex aqua præbeantur, præsertim in qua ferrum sæpe fuerit exstinctum, aut in qua fuerint decocta portulacæ, seu sanguinariæ folia, iis potissimum, in quibus semen biliosum ac acre reperitur: quib. etiam confert corticem radic. halicacabi cum eadem aqua calida bibendum exhibere. Valet quoq; peculiariter ad hoc non solum temperamento, sed tota ipsius substantia, licet calida sit, ruta, *vt idem Alex. inquit.* Sed hic, vt Neoterici recte admonēt, caussa ipsa prius consideranda: nisi enim caussa cognoscatur, difficulter curantur. Et ideo si fuerit ex caussis externis illæ remouēdæ sunt, vt corpus reducatur ad sanitatē, vt si sit ex caliditate, ea amouenda, ita & frigus, si ex frigore originē traxerit. Sic *Rondeletius nouit quendam nobilem, qui*

Medicamentorum ratio.

4

Cautio.

5

Caussæ ratio habenda ante curationē.

ab abscessu frigido renum diu hoc morbo laborauit, & semper multo deterius habuit, cum semen exstinguentibus frigidis vel calidis vteretur. Tandem instituit contrariam victus rationem, iussitque bibere vinum generosum, & vt vesceretur alimentis optimis exsiccantibus, non flatulentis, & curatus est. Is partes imbecilles habebat ex coitu frequentiore. Et ob tumorem renum frigidum, multos humores crudos colligebat, a quibus flatus multi generabantur. Hi vero dilatabant meatus spermaticos, distendebant, & irritabant semen, quod eiaculabatur noctu, post quam eiaculationem tam imbecillis erat, vt sese continere erectum non posset, aut ambulare, sed cogeretur in lecto decumbere, vel in cathedra, crurib. eleuatis. Talibus qui ob flatus laborant, danda sunt discutientia, & siccantia, parum alentia, & quæ non multos flatus gignant. Curabuntur ergo tales optima victus ratione, & medicamentis bonā concoctionem facientibus. Quare illa præscribentur, quæ ad inflationē, vel ventriculi cruditatem fuere instituta, vt pilulæ de arom. sabellinæ, ante cibum, de hiera. ex his capiet ℥ ß. semel in hebdomada, ante prandium. Vtatur etiam sequenti opiata. ℞ *confect. arom. ros.* ℥ j. *cineris intestinor. gallinæ lotorum cum aqua absinthii* ℥ ß *iridis flor. & semin. agni casti an.* ℥ ij. *cum syr. conseru. corticum citri fiat opiata.* Vtantur & puluere post pastum. ℞ *cineris intestinor. gallinæ, vel pellicul. stomachi,* ℥ j *anisi* ℥ ij *galangæ* ℥ ij. *corall. alb. & rub. vsti & loti* ℥ j. *agni casti* ℥ ß. *zacch. candi ad tertiam partem ponderis, capiat cochlear vnum ante cœnam vel post, non superbibendo.* Mane exerceat corpus, (*sed potius superiora, quamuis eius Rondeletius non meminerit.*) nō sero. Dormiat supra matalitium factum ex lana & foliis agni casti. Sobrie viuat, vitet cruditatem. Vtatur vino generoso, & alimentis non flatulentis. Fricet mane brachia. Abstineat a colloquio & lectione impudica. Occupet animū in rebus grauibus. Hæc sunt in omnibus caussis facienda, tum in his, qui ob seminis copiā id reiiciunt, nisi quod a generoso vino debent abstinere, & frequentius ieiunare, vtique pilulis. Quod si sanguinis plethora adsit, non erit inutilis phlebotomia e brachio, frictiones, exercitia, balnea calida, & quæcunque minuere possunt bonum habitum: quæq; seminis feruorem & acrimoniam exstinguere possunt, *vt flores nymphææ, semen lactucæ, cucurbita, portulaca, & olera, malua, acetosa, & aliæ herbæ.* Fructus frigidi, *vuæ suspensæ, poma.* Vnguenta, tum alia iam supradicta etiam *cap. De priapismo*, hic conueniunt. Si igitur sit ex abundantia & multitudine seminis ac sanguinis, curetur venæ sectione, & hoc modo, cuius exemplum curationis posuimus *Obs. 11. huius lib.* At si sit ex acuitate sanguinis, mundificetur sanguis facta prius venæ sectione, & euacuetur cum iis, q̄ bilē euacuant, nempe *cum rhab. myrobal. citrinis, vel cum cass. & rhab.* vti etiam diximus, *eadem Obseru.* & contemperetur bilis, & exhibeantur ea, quæ paulo ante diximus, *eadem Obser. 11.* dentur *lentes coctæ in aqua, & coriand.* & alia quæ exstinguunt semen, *vt portulaca, aqua lactis multum acetosa, a qua butyrum extractū,* adhibeantur

Historia Rondeletii.

6

7

Si ex abundantia seminis & plethora quomodo curetur.

Ex acuitate sanguinis, vel ex semine acri.

frigida emplastra, & adstringentia, & quæ experientia comprobata sunt semen minuere: qualis est syr. Donati, qui recipit. *Sanguinariæ, acetosellæ, plantaginis, ana p. j. portulacæ, capreolorum vitis, vmbilici Veneris, & rubi, an. m. j. ß. myrtill. sem. coriand. præpar. pap. albi. an. ℥ ß. folior. lactucæ, flor. nenuph. borag. & viol. an. m. ß. folior. rutæ, viticis, menthæ, calaminthæ siccorum, an. ℥ iij. bulliant secundum artem in aqua pluuiali q. s.* de qua ℞. ℔ ij. *deinde succi ros. rubear. granatorum, & pomorum acidorum, an ℔ ß. adijcito, & cum zaccharo exiguoq; aceto. fiat syr. quo vtatur æger sæpius singulis diebus ℥ ij. vel iij. absorbens.* Item præter pastillos. 1. *Obser.* descriptos, tales & hoc modo confici poterunt. ℞. *sem. rutæ, agni casti, vrticæ. an. ℈ ß. sem. lactucæ, portulacæ, plantaginis, & pap. albi, ana ℈ j. sem. coriand. præpar. & canabis torrefacti, an. gran. iiij. diacalaminthæ ℥ ij. cornu cerui vsti, sem. ros. sandal. corall. rub. an. gr. vij sem. melon. ℥ ij. zacch. dissoluti in aqua ros. q. s. formentur pastilli*: quorum vnum cum pauco vino rubeo astringenti, aut pauca aqua, in qua sæpius ferrum fuerit exstinctum, aut etiam eisdem simul permixtis, assumant pro qualibet vice. Hoc quoque vnguentum fieri potest. ℞. *olei ros. omphac. cytonior. nenuph. myrthini, ana ℥ j. cremoris seminis lini, sem. coton. extract. cum aqua ros. ana ℥ ß. folior. rutæ, agni casti, menthæ siccorum ana ℥ ß. succi polygoni, portulacæ, semperuiui. ana ℥ j ß. pul. corall. & sandal. rub. sang. draconis, boli arm. ana ℥ j. ceræ q. s. & aceti parum, misceantur, & fiat vnguentum.* Valent hæc ad acrimoniam seminis, & quemcunque fluxum ex debilitate virtutis retentiuæ, etiam vasorum seminalium. Si vero fiat ex longo decubitu, & vsu alimentorum euchymorum, minuenda hic sunt alimenta, & danda quæ minus nutriunt, & curatur eodem modo, vt ex abundantia. Rondeletius putat, iuuare iniectionem per syringam in anum exigua quantitate, super ventrem incumbente ægro. ℞. *rad. ireos ℥ j myrtill. folior. lentisci & cupressi, ana ℥ ij. ros. rub. & saluiæ, ana ℥ j. seminis agni casti ℥ ß. seminis rutæ, ℥ ij. fiat decoctio in vino. iniiciatur ℔ ß. pro vice reiectis prius recrementis.* Huius rationem apud illum vide *cap. 57. de Gonorrhœa.* Interea fouet regionem pubis, & perinæi, prædicta decoctione, & hoc vng. inungit. ℞. *olei myrtil. mastich. irini, ana ℥ ij. nucis cupressi. myrtill. ana ℥ iij. macis, garyophyll. agni, ana ℥ ij. ceræ q. s. fiat vnguent.* Tempore inunctionis adde *aceti albi parum*, ad penetrationem & contractionem partis. Quod si accidat ob compressionē, auferatur quod comprimit, & non retineatur vrina, vel stercus. Quod si alio tumore, curetur propriis remediis. Si proueniat ab aquositate & fluxibilitate spermatis, eius exemplum posuimus *Obs. 12. huius lib.* Fac. vt ibi dictū est, euacuetur aquositas, & adhibeantur eadē, quæ proprietate valent ad gonorrhœam, & quæ inspissant semen, & vnguentis roborantibus vti licet, & etiam adstringentibus. Si virtus contentina debilitatur a frigido, cum calidis rebus sperma minuentibus misceantur stiptica calida, vt est *thus, mastyx, cortex thuris, anisum torrefactū, ruta, origanum, & cyminum torrefactum, & vtatur vnguentis iam dictis.* At si contingat quod æger ex gonorrhæa diuturna exsiccetur, & macilentus euadat, ac ad tabem conuertatur, tunc exhibenda electuaria resumtiua, & cibi faciles digestionis & boni nutrimenti. Si ob renes calfactos, refrigerentur: & si adsint alia vitia renū, propriis remediis curentur. Ita quoque vbi rigido, seu intento pene seminis profluuium fiat, & propterea, quod morbo comitiali, aut alia vehementi cōuulsione æger laboret, eueniat, his opitulandū est cum his medicamentis, quæ prædictas affectiones curare valent, quorum copiam propriis locis studiosi reperient. Neque tamen prætereundum, circa lumbos, & pubem prædicta medicamenta adhibenda. Ita gonorrhœæ factæ ex spasmo curatio est similis curationi epilepsiæ, inungendo musculos circa renem & pectinem oleo costino aut castorino. At si particularē quampiam dispositionem conuulsioni similem seminaria vasa patiantur, & propterea seminis profluuium accidat, iis quæ De priapismo superius retulimus vtendum erit, potissimum si ex flatuoso spiritu eadem in eis excitetur affectio, quanquam lentium decoctum in potu sumtū, præter id quod semen exstinguat, membri etiam tentiginem remittere ac sedare valeat, vt quidam aiunt, ex Aetii testimonio. Tarantanus *cap. proprio De gonorrhœa, lib. 6.* inquit, *si contingat ob paralysin, aut spasmum vasorum spermatis, curetur sicut dictum est in propriis locis De paralysi & spasmo, & cap. De paralysi vesicæ.* In quouis loco fuerit paralysis, hoc vnguento inungit, ex qua origo mouentium neruorū illud membrum fuerit. ℞. *myrrhæ electæ, aloes hepaticæ, spicæ nardi, sang. dracon. thuris mumiæ opopanacis. bdellij, carpobalsami, croci, mastichis, gummi arab. styracis liquidæ. styracis rubræ, ana ℥ ij. ß. mosci ℥ ß. terebinthinæ ad pondus omnium. misceantur.* Hæc omnia puluerisata distillentur in alembico vitreo & reponantur in vase vitreo. Hanc distillationem vires olei balsami æquare scribit.

8

9

Ex longo decubitu & vsu alimentorum euchymorum.

Ex compressione.

Ob tumorē.

Ab aquositate seminis.

10

Si ad tabem inclinet.

Si ob alias ægritudines, quomodo curetur.

11

Observatio XV.

De Gonorrhœa in muliere.

1

VXor illius Iosephi, qui Alcmariæ pastillos cōficiebat, cum gonorrhœa laboraret, hoc vno decocto a pfluuio seminis, & vrinæ ardore, post vniuersalia remedia, adhibito, euacuatione prius præcedente, ex continenti per me curata fuit. Postquam enim & decoctionis hordei ℔ ß. *zacch. ℥ ij. & syr. myrthini ℥ j. ß pro duabus vicib. sumsisset.* Bis deinde in die hoc decoctum præbui. ℞. *glycyr. ras ℥ vj. seminis myrtill. coriand. præpar. plantag. agni casti, ana ℥ j. sem. pap. albi ℈ ij. sem. hyoscyami ℈ ß. hordei mund. m j acatiæ, sumach, ana ℈ j semina contundantur crasso modo, & omnia bulliant in aqua chalybeata pro ℔ j. ß. col. adde troch. s. a kekengi ℈ j. misc. & sumebat*, inquam, *cyathum bis in die*, neq; aliis medicamentis opus habuit. Benedictus præceptor meus Fauentinus in simili casu, magno cum successu & experientia vtebatur: si & gonorrhœæ adesset dolor & ardor, dabat septem diebus *lactis ouilli ℥ iij. aquæ plantag. vel succi eius. ℥ j. boli arm. ℨ j misc. & tepide dabat.*

Scholia

SCHOLIA.

2 Recte dixit Aetius *lib. 11. cap. 33.* quod gonorrhœa non solum viris, sed & mulieribus accidat: in quibus quamuis id ex mente Galeni dicat, quod ægre tollatur, tamen hæc mulier tam cito, & vnico quasi remedio, præcedentibus tamen vniuersalibus præsidiis, curata fuit. Quod autem mulieribus tale vitium excitetur, *lib. 2. de semine,* testatur Galenus, exemplo mulieris, quæ vteralibus morbis vexabatur, cui in vuluam prius, deinde ex ea foras, & copiosissimum & crassissimum semen effluere visum est: tale autem collectum erat, propterea quia diu vidua permanserat: tempore autem, quo ipsum emittebat, lumborum, manuum, & pedum, distensiones quædam eandem inuadebant; adeo, inquit, vt conuulsa esse videretur. Hæ quoque præ nimio pudore quandoque periclitantur; interdum ex nimia caliditate, addita humiditate membrorum, magisque si a venere diutius abstinuerint; aliquando & humoris inconcoctione. Etiam ex contagione viri

3 habuimus aliquando mulieres gomorrhœa infectas, quas & multas curauimus, prius ipsis optime purgatis, deinde assumto decocto guaiaci, deinde & constringentibus. Si sine infectione seminis profluuio mulieres laborant, his eadem remedia, quæ superius diximus, erunt instituenda, sed topica supra ventrem, vel circa renes, & maxime ad latera eo in loco, in quo testes mulieris siti sunt. Vbi autem ob earundem partium inflammationem tam viris, quam mulieribus reiiciatur aliquid seminis boni, vel corrupti, quod expurgatur, tunc recurrendum ad caput de ardore vrinæ, in quo de inflammatione illarum glandularum etiam dictum est prius. Si plura desideres de gonorrhœa, *videas Consultationem Banerii 82. de gonorrhœa, & Consultationem Montani 85. de gonorrhœa cum passionibus pudendi, ardore vrinæ, difficultate mingendi, & febr. erratica, & Consilium 197. de gonorrhœa.*

OBSERVATIO XVI.

De Gonorrhœa, & testiculi inflatione, ac genu, cum suspicione luis Venereæ.

1 IVuenis quidam, alioqui doctus nuper ex Italia domum reuersus, in gonorrhœam incidebat, cui & testiculus vnus inflatus erat, tum genu quoque inflatum; adeo vt hæc mihi suspicionem morbi Venerei præberent, quamuis omnia signa, quæ in lue illa apparere solent, nondum perfecte aderant. Huic autem statim exhibui cassiam, mox & confectionem hamech, deinde & pilulas de fumoterræ, etiam secta vena; aliaque medicamenta, quæ mihi apta videbantur administraui: & tandem hoc quoque decoctum. *℞. rad. inulæ fœniculi, apii, cichorii, buglossæ ana ℥ j fumariæ m. ij. borag. viol. scolopendrii, capill. Vener. summitat. lupul. herbæ paralysis, ana m. j florum borag. & florum herbæ paralysis, ana p. j. chamæpit. chamædr. stœchad. ana ℥ ß sem. fœniculi ʒ iij. sem. citri ʒ j omnia hæc infundantur per diem ac noctem in s. q. aquæ pluuialis, & aquæ fumariæ: quibus hæc addantur; myrobal. citrinor. chebul. indorum, ana ℥ ß. contundantur hæc leniter, & facta leui contusione, simul infundantur, addendo follio. sena Alexand. epithymi, polypod. querc. glycyrrh. rasæ, an. ℥ j. cortic. hellebori nigri ʒ j.* (in fortioribus pono ʒ j. vel ʒ j. ß. in hoc sufficiebat ʒ j. quod debilior esset ex gonorrhœa, quæ aliquo

2 tempore durauerat, cum & facilis solutionis esset) *rhab. selecti ʒ ß. schœnanthi ℈ j. infundantur simul, & decoquantur sufficienter ex arte, & linteolo crassiori colentur, & fiat potus longus pro ℔ ij. addenda syr. ex infus. ros.* ob hepatis caliditatem, *℥ j. syr. de fumoterra ℥ ß zacchari albissimi q. s. pro sapore delectabiliori.* Omni die ter quaterue secessus habebat cum tanto successu, vt non opus fuerit accedere ad decoctum ligni gaiaci: &, quod dictu mirum est, non solum a gonorrhœa, sed & aliis symptomatis curatus fuit. Ad gonorrhœam quoque curandam egregie commendatur *succus limonum ad ℥ iiij.* etiam ad vrinæ suppressionem ex humorib. lentis, cum cautione tamen, *referente Amato cent. 5. curat. 71.* cum impotentem hominem reddat aliquando, & ad procreandam sobolem inhabilem vt cuidam ex Principibus Italiæ superioribus annis, in bello Germanico euenit, eodem Amato testante.

SCHOLIA.

3 NVnc fere gomorrhœa indubitatum signum morbi Venerei exsistit, si vel vlla alia leuissima argumenta eiusdem morbi appareant, vt Amatus in Monacho illo Ordinis Prædicatorii ostendit *Centu. 4. Cur. 69.* ad longum. Hæc quidem gomorrhœa, vt paulo ante diximus ex Langio & Fernelio, differt a vera gonorrhœa, & curatur decocto gaiaci, vt lues Venerea. Verum non potius alio decocto vsi sumus, & plerumq; vtimur, *vti & Montanus suadet in Consultatione quadam de morbo Venereo recenti,* cum & is simili decocto vtatur, absque herbis supradictis cum infus. myrob. epithymi, polypodii, & helleboro, quo se testatur plurimos in initio morbi Venerei curasse; ac tale decoctum laudat ante ligni gaiaci exhibitionem. Sed & hoc decocto, etiam cum herbis feliciter vtimur, vbi vel leuis suspicio de hoc morbo sit, ante ligni gaiaci potum. Verum de his latius dicturi sumus *De Lue Venerea,* cum hæc gonorrhœa ad eã quoque pertineat, & ex fœdo icroto, aut muliere impudica, fiat. Pessime quidem faciunt, qui hanc gonorrhœam subito cum adstringentibus medicamentis curant, vti quidam Chirurgus facere solebat pilulis quibusdam ex terebinthina lotæ cum aqua ros. & puluere sarcocollæ, mastichis, nucis musc. & glycyr. simul mixtis, in modum cicerum paratis, quarũ exhibeat v. vel vii. ante purgationẽ. Verum iis, tũ aliis, post purgationẽ nos commode vsi sumus ad restrictionem, tã in hac, quã in vera

4 gonorrhœa. Sed oportet, vt corpus sit purum, & optime repurgatum. Nam impurum & putidum semen si restringatur, pessima aliquando inducit symptomata: ideo eiusmodi remediis nequaquã vtendum, nisi remediis vniuersalibus præcedentibus. Idẽ de topicis præsidiis intelligendũ, potissimum si impura sit gonorrhœa, vel semen crudũ impurum: illud enim subito non est retinendum:

sed vbi malum protrahatur, & vires deiiciat, ad adstrictionem veniendum.

Observatio XVII.

De seminis in somnis profluuio, vel pollutione nocturna, vt vocant.

1 Religiosus quidam singulis fere noctib⁹, paucis exemtis, patiebatur pollutionẽ nocturnam, qui cõsultandi caussa me accessit, vt ab hoc malo liberari posset. Cum hic iuuenis esset, robustus, pilis abundans, optima habitudine, colore subrufo, venis repletis, delicate ac in otio viuens, cibis ac potibus vtens semen multiplicantibus, nõ erat admiratu dignum, quod hoc malo laboraret: eoque magis cum salax esset, & nõ solum caussas in se complecteretur, quæ sperma mouerent, sed imaginationibus fœdis indulgens, noctu facile cũ quadam concupiscentia semen proflueret. Nam & concupiscentiæ receptæ, & vis imaginatiua, & speculatiua, & cogitatiua mouent virtutem naturalem expulsiuam, ad expellendã materiam spermaticam. Sic quidam non solũ (*vt dicebat Aetius lib. 11. c. 34. De seminis in somnis profluuio, ex mente Philagrij*) cum pudendi intẽsione, sed etiam cum quadam proposita imaginatione, quæ in somnis occurrit, inordinate semẽ profundunt. Fit enim corpus noctu in somno interius calidũ & humidum: quale id scil. *secundum Arist. 6. probl.* esse debet, si coitu vtendum sit: cum & sperma tale sit. Propter istã caussam de die raro accidit pollutio: quia in vigilia interius minus calidum & humidũ est. Leonellus tamen scribens, *de pollutione ex forti imaginatione & concupiscentia, reperisse & vidisse se quendam rusticũ iuuenem*, ait, *qui ex sola inspectione mulieris, incurrebat pollutionem in die.* Pueris vero non accidit pollutio, nec in die, nec in nocte: & caussa est, quia materia nutrimentalis eorum nõ superfluit pro generatione seminis. Nam nutrimentum ipsis est necessarium pro augmento corporum eorũ. Ceterum hic magis hoc malo tentabatur, cum vxorẽ non haberet, quam præstitisset eum habuisse, cum & viduis iunioribus salacioribusq; Diuus Paulus præceperit, vt in Domino nuberent. Verũ cum hic alia præsidia quæreret, eidẽ prohibuimus spectacula Venerisq; colloquia, lectiones impuras, imaginationes fœdas, & tactus impudicos somnum supinũ; ne in molli quoque pluma decũberet; suasimusq; vt ieiunaret in pane & aqua, si posset, & vt a cibis delicatis & iis abstineret, quæ semen augent, imo potius iis vteretur, quæ semẽ exstinguunt; vti sunt lentium decocta, viticis semen tostum, & ruta comesta, & aqua fabrorum ferrariorũ, qua ferrum sæpe exstinctum est; hæc enim assidue potata, *iuxta Aetium*, citra molestiam imminuit semen, *vt & folia salicis, agni casti, lectis substrata.* Præcepi, vt sub lumbis laminã plumbeã portaret. At illa lamina debet perforari multis foraminibus, ne intra vapores retineant, alioqui maiorem caliditatem introduceret, resolutionem vaporũ prohibendo. Et cum præcipua curatio consisteret in euacuatione materiæ, & diuersione (*ex abundantia enim seminis & sanguinis repletione, hoc vitium hic fiebat*) imperaui, vt sanguis illi satis copiose, vt robusto & viribus valido, detraheretur, & ad diuersionẽ vomitus illi concitaretur, *cum oxymel & decoct. rad. raphani.* Volunt enim auctores, vomitum in hoc casu vtiliorẽ esse solutione ventris; quãuis & clysteres lenes commendant. Interea, & vt iis vteretur iussimus, quæ similiter auertunt; vt sunt frictiones brachiorum vehementes. Præterea his ieiunia vtilia sunt, plurimumq; iuuant: vti & simplex aquæ potus, vt diximus paulo ante, & illa, quæ refrigerant, & calorem debilitant, & Venerem consopiunt, vt dormire supra folia salicum, & tenere solatrum supra se. Hæc & similia dicuntur pollutionẽ prohibere: nec minus supra agnum castum & rutam recentẽ dormire, *iuxta Rhasem*: nam & Auerrhoes *6. Collectaneorum* ait, *Salernitanos cum ad conuiuia irent, secum apportasse herbã agni casti, & super eam sedisse, vt in eis sopiretur & remoueretur Venus, ac coitus desideriũ.* Aeris quoq; frigiditas vehemens genituræ exundantiæ ex vi robusta calida, & humida, renum & membrorum genitalium, vel ex acuto semine, vel pruriente, summum est remedium. Sed & odorata frigidæ & siccæ virtutis, qualis caphura habetur, quæ castrare mares dicitur odore. Venus quoq; offenditur, si nudis pedibus quis ambulet. Galenus sterni tomentum recentibus rosis iussit, & eo modo intemperantiam coercuit. Libidinum quoq; imaginationes compescit lactucæ satiuæ semen, tritum ex aqua potũ. Nymphæa a ieiuno pota, & in cibo sumta, & illita radix genitalibus, inhibet non solum somnia Venerea, Veneremq; ipsam, sed & affluentiam genituræ prohibet. Ruta commanducata crebro per somnia Venerem imaginantibus prodest. Venerem quoque exstinguunt, cicutæ folia illita testibus citra pubertatem. Vt pollutionem itaq; hic noster arceret, consului vt prædictis vteretur. Vel imitaretur illud exemplũ, quo nobilis quidam, ex consilio mulieris, vt refertur apud Leonellum, cum per quatuor menses passus esset continuo pollutionem, curatus fuit. Quando dormitũ ibat nobilis, ligabat filum vel chordulã, ad collum, quæ chordula descendebat vsq; ad collum virgæ, & cum ea virgam ligabat, non multũ stringendo. Et quando in somno inflabatur & erigebatur membrum, propter ligaturam illius chordulæ dolorem virgę incurrebat, & sic excitabatur, vt semen in somno non reiiceret, & ita fuit curatus.

Scholia.

Aetius *lib. 11. cap. 34. de seminis profluuio, ex Philagrio, Semen*, inquit, *profundere dicuntur, quicumque dum dormiunt natura genitale semen emittunt: quod ipsum eis vt plurimum ob vitiati humoris materiam, aut materia multitudinẽ, aut partium seminalium robur, contingit.* Iam vero quidam & ob animi deliquium, aut inediam, per somnos præter consuetudinem semen excreuerunt: atq; id materię acrimonia irritati, non ob partium seminalium robur pertulerunt. Huiusmodi sane, qui videlicet animo linquuntur, aut inediam diutius pertulerunt, in totum fere nulla imaginatione præcedente, citra sensum etiam, in somnis profluit

profluit semen. Reliquis autem non solum cum gaudendi intensione, sed etiam cum quadam proposita imaginatione, inordinate semen profunditur. Raro autem id fit ex inedia, sed potius ex abundantia seminis, vt huic sacerdoti eueniebat.

6

Ceterum pessimus corporis habitus hic est, iuxta eundem Aetium, quum semen multum & calidũ aliqui generant, quod eos ad excretionem vrget, atq; postquam per coitum eiecerint, exsolutionẽ oris ventris patiuntur, & toto corpore exsoluuntur. Debilesque fiunt, & sicci, & tenues, & pallidi, oculos etiam cauos habent hoc modo affecti. Quod si a coitu Venereo abstineant propterea, quod ita afficiantur, capite discruciantur, itemq; stomacho, & æstu, fastidioq; anguntur, nihilque magnopere ex continentia iuuantur: contingit enim eis per somnum semen profundentibus consimilia perpeti offendicula qualia coeundo perpessi fuissent. Quidam vero ipsorũ mordax & calidum semen percipiunt in excernendo, veluti ipsi confitentur. *His, inquit Gal. consulere oportet, quo a cibis semen gignentibus abstineant: accipiant autem cibos, tum pharmaca, quæ semen exstinguunt, de quibus nunc diximus:* cum & eadem conueniant semen exstinguentia, de quibus in gonorrhœa prius dictum est.

7 *Caussa primitiua pollutionis.*

Habemus & apud Aetium loco citato, vnguenta, & refrigerantia, & alia, tum ea, q̃ ad seminis profluuium valere scripsit. Neoterici tres præcipuas caussas pollutionis referunt; primitiuas, antecedentes, & coniunctas. Primitiuæ sunt, crapula, nimia repletio ciborũ delectabiliũ, medicamenta, vel cibi semẽ augentes, & ad Venerem incitantes, frequens imaginatio ac cogitatio fortis circa Venerea & de coitu, amor diuturnus alicuius mulieris, cuius effigies vel species in mẽte conseruatur; quæ & aliquando a virtute imaginatiua in aliam transmutatur; vnde contingit, ꝙ aliqui somniando se polluant, nõ tanquam cum dilecta, imo vt cum alia.

Curatio pollutionis.

Inter easdem caussas enumeratur & lõgus somnus supinus supra dorsum, & decubitus renibus concalfactis, atq; vasis seminariis, ita vt semen eliquatum cogatur exire. Hæc ex ægri relatu cognoscuntur, & amouenda sunt suo contrario. Si fit ex crapula, iuuat ieiunium & abstinentia: cibi delicati, vel medicamenta incitantia Venerem, relinquenda, & ea quæ semen exstinguunt propinanda. Si somnus longus, vel decubitus in dorso, caussæ sint, vigilandum erit, & in latus alterutrum decumbendũ. Si ex amore vel imaginatione, studendũ vt potiatur sua amica, vxoremq; ducat. Iuuenibus enim lasciuientibus potius id præcipimus, quam vt Diogenis illius spurcitiem cum Galeno nostro ethnico, *lib. 6. de locis affectis cap. 5.* laudemus, cuius manus hymenæum celebrando meretricis aduentum præuenerat. *Non, inquam, pro castitate illud laudandũ, imo grauissime vituperandum, cum Christiani simus, scientes, quod neq; scortatores, neq; adulteri neq; molles, masturpatores, neq; qui concumbunt cum masculis, regni Dei hæreditatem accipient,* vt Diuus Paulus

8

1. Corinth. 6. scribit: qui & *vltimo cap. ad Hebræos* ait: *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Honorabile, inquit, est inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Vt igitur quis a nocturna pollutione liberetur, nihil præstantius est, quam vxorem ducere.* Sed de his hactenus.

Caussa antecedentes pollutiones.

Ad caussas antecedentes referunt, nimiam abundantiam sanguinis, & seminis, & humorum; vel acuitatem seminis, vel repletionem seminalium. Hæc satis sunt manifesta ex dominio humorum, & ex iis, quæ diximus de gonorrhœa. Vbi enim adest repletio, venæ sectio præscribenda, tum vomitus, ac abstinentia, & quæ semen exstinguunt, & refrigerant, vt satis dictum est. Si sit acuitas seminis, frigidis contemperanda erit, & ea quæ calorem exstinguunt seminque minuunt adhibenda.

Caussa coniuncta pollutionis.

Ad caussam coniunctam alii referunt materiam spermaticam existentem in vasis spermaticis. Si abundat, minuenda atq; exstinguenda. Si acris, contemperanda & consopienda. Non desunt, qui ad cohibendam hanc passionem, pro arcano habeant, *potum vini rubri austeri, cui iniectus fuerit cinis ranarum ad ℥ j. vel ℥ ß.* Eadem autem omnia fere valent, quæ de gonorrhœa prius descripta fuere.

OBSERVATIO XVIII.

De coitus diminutione & impotentia coeundi.

1

QVidam cum nuper vxorẽ duxisset, & ad rem Veneream præter exspectationem impotens effectus esset, (vir alioqui bene valens, & qui ante ductam vxorẽ Venere optime vti potuerat) de ea re apud me conquestus, auxilium petiit: atque ego non potui non huic viro succurrere. Equidem non minus sæui, quam impii diceremur, si pauperculis illis, qui nuper vxorem duxerunt, eisque potissimum quibus magistratus, aut regni amissio imminet, nec non & mœstis, male nuptis eorum vxoribus auxilia non præberemus, cum inefficaces ipsi in Venereis congressib. deprehenduntur, contrario vitio laborantes, q̃ priapismo & satyriasi. Istis qui afficiuntur, sæpe salaciores nimium propensi sunt in Venerem: hi vero impotentes ad rem Veneream exercendã, quamuis ea vti cupiant; quemadmodum huic viro contingebat. Vt autẽ ei recte consulerem, iis vteretur præcepi in communi, quæ Venerem concitant, & seminis copiam faciunt, & etiam membrum virile flaccidum erigere possunt: vt sunt cibi delicatiores, quiq; maxime alunt, ac vinum meraciusculũ, quale creticũ est dulce, muscum redolens, omniũ suauissimum.

2

Hic enim cõueniunt, cum seminis inopia adsit, (vt in hoc videbatur; nam paulo macilentior erat) tam alimenta, quam medicamenta calefacientia & inflantia: nec non & seminis gignendi potentia prædita esse debent, vt colligitur ex Aetio *lib. 11. c. 35.* Sunt autem talia, cicer, fabæ, halica, porri, bulbi, pastinacæ radix & semen moderatæ, nuces pineæ, ari radix cocta, itemq; dracunculi, vrticæ semen, erucæ tum folia tum semẽ, maxime agrestis, costus & piper cum vino mulso, satyrium, sesamum, horminum, amygdalę moderatæ, anisum, polypodes, & concharum genera omnia: perdicis item oua ad coitum excitant, & testiculus galli. Seminis vero multitudinem augent

omnia bono succo prędita: testes vulpis sicci triti, cochlear i mensura potati, innocuam, & minime vanam membri tentiginem faciunt: partes etiam renes scinci amplectentes ad tentiginem pudendorum excitandam bibuntur. Orchis herba est, quæ testiculi appellationẽ habet: eius maior bulbus cum lacte potatus tentiginem cit, minor vero cum aqua potatus, tentiginem remittit. In genere autem semen prouocant, quæcunque calida sunt, & flatuosa absq; desiccatione. Enimuero cũ seminis substantia ex bona superfluitate generationem sortiatur, sitq; etiam flatuosa: ea quæ bene nutriunt, & flatuosa sunt, semen certe procreare & coitum prouocare possunt. ex Galen. 5. de simplic. medicament. facult. Propterea mandaui, vt pro cibo carnes eligeret gallinarum, caponum, perdicum, phasianorum, iuuenum columbarum turdorum, merularum, passerculorum, nec non reliquarum auium montanarum; & vt rapis coctis cum lacte, pauco insperso pipere, vel zinz bere, vesceretur; & radice etiam siseris, & pastinaca in iure coctis, & caryotis, eryngioq; in montib. arenosis apud nos crescente (vulgo a venatorib. dicitur Hasenköl) vteretur. Noui ego quendam generosum virum, & stemmate valde illustrem, qui cũ multas concubinas aleret, quæ hominem fere exsugebãt, valdeq; macilentum efficiebant, verũ vt alacrior ad coitum esset, vtebatur illis radicib. eryngii crescentibus in nostris montibus arenosis, cum carne bullitis, loco pastinacæ, baucıæ, & caryotarum. Commendaui passerũ cerebella masculorum, vt frequenter iis vteretur, & vt fabas excorticatas recentes comederet in aqua coctas, deinde ablata aqua contusas, adiecto oleo amygdal. dulc. recenter extracto, pipere albo, & zinzibere exiguo immixto: nam hæc valde iuuant ad coitũ. Præterea vt sæpe quoq; sumeret ex electuario infrascripto. ℞ *zinzib. recenter conditi, radicum eryngii recenter conditarum, rad. pastinacæ condita, an. ℥ j. pinearum præpar. fisticorum, auellan. assatarum, diasatyrionis, an ℥ ß. sem. baucıæ, naporum, an. ℥ ij. testiculorum vulpis cerebellorum passerum, an. ℥ ß. cum syr. conser. zinzib. virid. fiat electuarium: capiat cochlear vnum, & superbibat vinum dulce.* Vel fiat hæc opiata a Rondeletio cõmendata. ℞. *testiculorum vulpis decoctorum in hydromelite ℥ j. contusis adde pinearum, & auellanarum infusarum in pauco lacte & melle. ana ℥ ß. carnis leutræ, stercoris muris, mosci, ana ℥ ß. cum syrup. conseru. corticum citri fiat opiata.* Iussi autem, vt & frequenter comederet castaneas molles, dactylos, erucam, & bulbum. Eryngiorum rad. conditæ cum melle, egregie huic profuerunt, vti & electuarium prius scriptum. Cum itaq; duobus ferme mensibus vxorem habuisset, optime Veneri sacrificauit, ita vt postea vxor illi etiam multas proles pepererit.

3 4

SCHOLIA.

5 *Qualis hic sit affectus. Quæ pars in eo afficiatur.*

EST autem hic affectus impotentia quædam ad rem Veneream exercendam, quamuis ea vti cupiant, *vt Aetius recte dicebat*, propterea quod ignaua & impotentia genitalia membra habent. Afficitur autem in hoc vitio pudendũ, cuius proprium munus est, vbi ad coitum insurgit animal, media eius naturali facultate, quæ ipsum attollere potest, vt protinus distendatur pudendum, iuxta Galeni sententiam. Attamẽ nos nouimus quendam iuuenem raræ & ficcioris temperaturæ, qui, cum nuper viduam duxisset, mihi conquestus est, (*vti & alii non pauci*) se cum coitu vteretur, veretro licet optime extento & rigido, semen tamen eiaculari non posse; quamuis ille, tum alii nonnulli, cum aliquo tempore in coniugio vixissent, vtẽtes iis, quæ semen augerent, ad Venerem exercendam deinde potentes fuere. Vtrum nimis cõcalfacti, vel nimio amore incitati semen minus eiaculari potuerint, posteaq; animo sedatiores id optime fecerint, considerandum. Attamẽ in hoc vitio magna ex parte afficitur pudendum, iuxta Græcos, vt dicere cœpimus. Affectio autem, secundum eosdem, symptoma est in genere noxæ functionũ naturalium, ac eiusdem pudendi propriæ ablatæ: nam neque hi in Venerem ruunt, & propterea ignaui fiunt, *vt inquit Paulus lib. 3. capit. 58. de particulis inefficacibus*; eoque animum perdunt. Caussa horum est, eodem teste, particularum resolutio, vel seminis inopia. Et ita excitatur, vt plurimum, vel ex pudẽdorum resolutione, quæ ob frigidam aliquam intemperiem in eis exortam efficitur, vel ob seminis inopiam. Quamquam etiam ob reliquas caussas quandoq; excitari contingat, renum præsertim occasione, aut reliquarum partium principum. Ob hoc Neoterici varias caussas adferunt: cũ & impotentia coeundi aliquibus accidat ob membrorũ generationis imbecillitatem, quæ ab intemperie, vel a conformatione dependent. Nã qui membra frigida habent, non possunt alimentum sufficiens attrahere, & in semen conuertere, vel ob penis breuitatem intromittere semen. Alii hoc morbi genere detinẽtur, propterea quod parce comedunt, nec sufficit alimentum ad corporis nutritionem, & ad generationem. Vel si multum comedant, alimenta sunt parui nutrimẽti, vt olera, fructus, &c. At quamuis caussæ diminutionis coitus, & impotentiæ eiusdẽ variæ exsistant, nonnulli ad tres magis principales deducunt: nam earum quædam se tenent ex parte virtutis; quædã ex parte instrumentorũ: aliæ vero ex parte materiæ. Rursus quæ fiunt ex parte virtutis, cum etiam ex variis caussis contingant; ad quinq; alias caussas reduci poterunt. Primo enim vel virtus concupiscibilis est diminuta, vel debilitata. Et hoc quia virtus imaginatiua & cogitatiua sunt distractæ ad alia negotia, vti contingit in religiosis, cogitantibus, & imaginantibus diuina; quemadmodum & assidue studẽtibus, vel hominibus negotiatoribus. Tales omnes distrahuntur a cogitationibus Venereorũ. Secundo, quandoque contingit, quod homo in actu coitus exsistens acquirit & incidit in alquam imaginationẽ turpem, & ad aliquem actum abominabilem, vnde remanet impressio in mẽte illius, & quotiescunq; venit ad exercendum actum coitus, recordatur illius rei abominabilis, & spurcæ, & tũc cessat a coitu. Vnde contingit aliquando, quod aliquis

6 *Quis affectus præter naturam sit.* *Caussa.* 7 *Tres præcipuæ caussæ diminutionis & impotentiæ coitus.* 8

quis paratus ad coitum, cum impetu fertur, & incipit Venerem exercere, animo deiicitur, & ille appetitus a virga erecta subito cadit, nec amplius erecta stat. Ita scimus quosdam, cum in Venere cõiugali essent, vel promtiores facta inter eos de re tristi mentione, ab opere imperfecto solitos desurgere, vt veluti inter mortuum clanguescere genitale membrum. Quosdam in coitu sordidum auditum verbum, de Venereo diuerticulo perturbat. Alios eo improba & nefanda Venus dũtaxat excitat, peruersa naturali voluptate. Verba quædam exstinctæ virilitatis speciem præstare nouimus, & quosdam maleficiis quibusdam quasi incantatos vxores nunquam cognouisse, subducto virilitatis spiritu; nec vnquã reuocatos. Alios rursus verecũdia tenet, nonnullos metus ipse: tot modis suspenditur cum animo coitus. Qui enim, *vt Tarantanus refert*, de aliqua fœmina verecundatur, nil boni cum ea operabitur, nisi cum ea frequenter assuescat, & familiaritatem ineat. Sic religiosis diuturna castitate virilia contrahuntur, & consuetudine segnities oritur: pariq; ratione nutricibus, sublato puerperio, mammæ resiliunt. Tertio, quandoq; contingit ex debilitate virtutis vitalis; sicut accidit in illis, in quibus calor naturalis est valde debilis, quemadmodũ in extenuatis. Ita & quidam naturali habitudine Venerem non amant, vt qui præparci sunt animi ac senes. Quarto, quandoq; ex parte virtutis naturalis debilitatis, vtputa quando in membris non fit bona digestio. Quinto, quandoq; ex parte virtutis animalis sensitiuæ: quia ad actum coitus omnia ista conferuntur. Quæ vero ex parte Instrumentorum (*quæ erat secunda caussa præcipua*) rursus in alias multas caussas, & infinitas quasi deducitur. Aut enim ex parte virgæ & membrorũ genitalium, aut ex parte membrorum principalium deseruientiũ eis tam præparatorie, quã delatorie, aut ex membris mediis inter genitalia & principalia membra. Ex parte virgæ, ob paucitatẽ inflationis virgę, sicut contingit in mirach, quando in illo non fit materia ventosabilis (*vt Practici loquuntur*) neq; etiam in intestinis; vnde non communicatur virgæ. Fit etiam ob malitiam complexionis in virga, frigidæ præcipue & siccæ; vel quod membra vitiata vel mutilata sint. Eunuchis spadonibusq;, & quibus in vniuersum sunt excisa genitalia, Veneris vsus ex omni parte sublatus est. Virga quoque nimis curta breuis atq; gracilis, coitum diminuit & proprie gignitiuum: quoniam sperma non deducitur in concauum vteri, qui est locus ei proprius; quare in collo matricis resoluitur & coagulatur a frigido continente, & sic effluit saliuatim. Aliquando contingit propter nimiam longitudinẽ virgæ, quæ aggrauat virgam, & virga nõ erigitur, nec potest sursum eleuari. Et si erigitur, statim iterum cadit, vel concidit. Ita & aliorum membrorum genitalium ratione, & testiculorum. Propter malam scilicet complexionem ipsorũ, cuiuscunq; generis sit illa mala complexio, maxime vero frigida & sicca: aut propter nimiam paruitatem eorũ, cum parum spermatis contineant: aut propter eorundem magnitudinem, vnde tunc virtus spermatis in ipsa contenta dissoluitur & dispergitur. Virtus autem vnita fortior est seipsa dispersa. Aut vero propter solutionem continuitatis factam in ipsis vel ab extrinseco, vel ab vlceribus intro. Sic in Venere segniores sunt, quibus spina, vel caput, atque ceruix percussa est, vel venæ, quæ post aures ferũtur, si incisæ fuerint: multo magis si hæc genitalibus contingant, ex percussione, offensione, vulnere, vel quauis alia læsione. Quandoque etiam contingit ex parte corporis totius, quando in toto corpore sunt paucæ humiditates ventosabiles, vt dicũt, quæ totius corporis debilitas est: vel quia est siccum & extenuatum naturaliter, vel decrepitum, vel fame plurimũ, vel vigiliis exhaustum, vel diuturna ægritudine consumtum, vel maceratione aut labore fatigatum. Ex parte vasorum seminalium, vel plurimum contingit ob oppilationẽ factam in eis, ab aliqua caussa oppilante: vnde nõ descendit sperma ab eis ad testiculos, qui sunt obstructa. Ex parte etiam membrorum principalium, dixi: & sic contingit, aut propter defectum materiæ ipsius, a corde scilicet, quando non transfunduntur spiritus a corde per arterias ad testiculos: vel ob animi debilitatem, vtpote quia passionibus pluribus anxiatur. Vel fit propter defectum materiæ spermatis. Et hoc contingit ex parte hepatis. Nam materia spermatis, est materia humoralis. Aut ex parte cerebri: nam maior pars spermatis decidit a cerebro: & sic cum deficit imaginatio ad coitum, etiam semen deficit, & hoc ex cerebro. Sic deficit desiderium & erectio virgæ, id euenit a corde. Præterea cum deficit appetitus coeundi, & concupiscentia, illud contingit ex defectu hepatis. Ex parte membrorum mediorũ etiam potest esse diminutio Veneris, & ex debilitate eorundem inter membra principalia, & genitalia: sicuti ex parte renum & stomachi, & ex debilitate istorum membrorum mediorum: nam & mala complexio renum & stomachi, vt plurimum ex caussa frigida, vel nimium calida, minuit coitum. Quibus enim stomachus inualidus, & renes infirmi sunt, iis tenuia crura cernuntur, facile semen minuitur, & proinde minus possunt vti Venere. Quod si salaciores ea re plurimum supra vires vtuntur, iis crura magis extenuantur; atque oculi interius resident. Nam inter omnia animalia, homo ac equus, libidine plurimũ dissoluuntur, quoniam plurimum seminis demittunt. Sed, vt eo vnde digressi eramus reuertamur. Caussa tertia præcipua erat, ex parte materiæ spermaticę. Id itaq; euenit ob paucitatem eiusdem, aut quietem & immobilitatem; aut propter priuationem mordicationis materiæ. Rursus ex paucitate materiæ, quando pauca quantitas spermatis generatur, vt in extenuatis, & macilentis, & senibus: vel propter aliquid aliud, vt ob ægritudinem variũ. Sic ischiadici & quib. nuper mariscæ excisæ sunt, minus coeunt. Profluuium item vrinæ, infirmitatem virilium efficit, nam pinguedinem renum ac robur absumit. Rursus ex parte quietis, cum sperma tarde ad membra mouetur genitalia; vel

9

Caussa ex debilitate virtutis vitalis naturalis, & animalis.

10

Ex parte instrumentorũ

11

12

13

Caussa ex parte materiæ.

14

quia exsistit crassum & fere congelatum. Vnde non mouetur sperma ad membra genitalia, nisi tarde & lete. Vel quia meatus, vel vię sunt aliqualiter strictæ & oppilatæ, per quas semen a membris debet decidere vsque ad membra genitalia. Denuo ex parte priuationis mordicationis materiæ, vt quando sperma non mordicat: hinc non incitat virtutem expulsiuam ad expellendũ. Has omnes tandem caussas in tres caussas rursus partiuntur: in primitiuas, antecedentes, & coniunctas. Procatarcticę, seu externæ, & primitiuæ, sunt indebitum vitæ regimen, scilicet sex rerum non naturalium, tendens ad frigidum & siccum, aut frigidum & humidum excessiue. Sic aer frigidus nos circundans & penetrans inducit paralysin in membris genitalibus, & nimia caliditas dissoluit & resoluit ventositates, & consumit materiam, & non permittit ventositatem generari. Sed & balneatoribus Venus semper infirma est; nimia enim humectatione læduntur. Ita & tabellarii longa equitatione, & qui cursu vel immodica succussione quatiuntur, offenduntur. Huc etiam referuntur, casus percussiones, vulnera in ipso cerebro, vel capite, & in membris genitalibus, aut principalibus. Ad antecedentes referuntur, quæuis mala intemperies exsistens in mẽbris principalibus, & eis vicinis, & intermediis, mala ventriculi concoctio, hæmorrhoides incisæ, & quæuis nocumẽta in viis communibus iuxta anum & virgam, & testiculos, vesicam, renes & vreteres, & vasa seminaria, & ægritudines præcedentes totius corporis, vel partium dictarum. Ad caussam coniunctam referunt eandem malam dispositionem exsistentem in membris genitalibus, præmissas etiam varias caussis ipsius diminutionis coitus, paucitatem & totalem priuationem rerum omnium, & materiæ seminalis, vel ventositatis erigentis membrum, appetitu coeundi ablato. De quibus omnibus nunc satis dictum est. Signa demõstratiua per se satis nota sunt, cum membrum nõ erigitur, vel, si rigidum fiat, semen eiaculari non possit, qualia & ex ægri sermonibus nota sunt. Si itaque Veneris vsus præter consuetudinem cuipiam eripitur, membra grauia redduntur, cum cibi tædio, sensus obtunduntur, sineque ratione iracũdus efficitur, sudoreq; membra madent, & in Venere lassescit, & cum sudore ab opere imperfecto exsurgit. Signa vero caussarum etiam diligenter perscrutanda, sine quarum cognitione non recte curantur. Si itaque fuerit ex caussis primitiuis & procatarcticis, facile cognoscemus ex ægri relatu: vt si fateatur, se in aere frigido transiisse per montes, aliaque loca niuosa, vel in capite fuisse percussum, vel partem caluariæ ablatam, vel præcessisse casum ab alto, & quod ab eo tempore vxorẽ amplecti nõ potuerit: ita & de aliis membris inuestigabimus, num aliquis læsus fuerit in membris genitalibus: *ita nobiles miles apud Tarantanum retulit eidem, cum pulcram vxorem haberet, in inguine se & peritonæo fuisse percussum in bello, adeo vt partes genitales ignauæ redditæ fuerint, & in coitu deinde admodum impotens factus sit, vt vxor deinde impregnari non potuerit.* Si sit ob animi debilitatem, metum, vel verecundiã, aut ob famem, aut vigilias præcedentes, ex præmissis ea quoq; facile intelliges. Caussæ antecedentes similiter indagandæ. Si enim ex habitudine frigida, semen abunde fluit liquidum, vel sponte interdum destillat, sine voluptatis nota, & tum infirma virilia sunt, frigidiq; renes. Si paralysis vitio contigerit, membrũ flaccidum manet, neque vllo erigitur modo, neque tactu manus mulieris; & genitura quandoq; per somnos etiam effunditur, sine vlla Veneris auiditate *vt Ægineta scribit.* Exemplo nihilominus constat, in ea genitalium resolutione, aqua frigida perfusa virilitatem ad Venerem concitatam; quamuis (*vt alii referunt*) nec in hac caussa, etiamsi ponatur in aqua frigida, virga contrahetur. Tum semen paulatim destillat, & faciem pallor occupat, & membra macie consumuntur. Vbi enim fit ex paralysi, seu frigiditate in neruis virgæ, semen est abundans, subtile, & facile egrediens, & desiderium constans, sed ad erectionem summa exsistit debilitas. At nonnulli ex aduerso nimia caliditate offenduntur, qua spiritus naturalis, priusquam prosiliat semen, ante corripitur. Siccitatẽ ostendunt, quod semen non emittitur, eiusq; seminis exiguitas, sine Veneris auiditate; & si quid emittitur, in parua quantitate, & cum maxima difficultate exit, idq; accidit plurimum extenuato corpore, & ex sanguinis paucitate. Verum melancholicos quosdam, *tradit Aristoteles*, venti affluentia in Venerem facile concitari: sed illos corporis macies & sanguinis inopia indicat, hos balnea iuuant, & quæ bene alunt cibaria. Distemperantiæ compositæ, frigidæ ac humidæ, notas ostendit, seminis aquosi ac liquidi affluentia: contrarias vero qualitates, contrariæ ipsis genituræ notæ demonstrant, tum corporis & victus precedentis ratio. At si vitio iecinoris & renum fuerit, vel ventriculi, ex propriis eorundem passionibus percipietur, nam si ob debilem coctionẽ stomachi, per dolorem & grauitatem eiusdem indicabitur, & ructus acidos atq; fumosos, perq; signa propriis in locis descripta, cibi fastidium aderit, ac faciei pallor, cum ceteris cachecticæ dispositionis notis, ex quibus macies sequitur: atque idem ex hepate, aut renibus, iuxta propria sua signa. Si debilitas fuerit ex debilitate cordis, vel cerebri, ex propriis locis facile colligetur. Ex cordis etenim origine frigida ac humida, penis nunquã intenditur: at si vitiosum fuerit & præparci animi, seminis nihilominus adest exsuperantia, verũ pulsus tenuis, ac mollis, frigidiusculumq; corpus apparet. Cerebri vitium adiudicamus, cum sine vlla ferme voluptate semẽ profluit: titillationis enim sensus deficit, nam & reliqua mẽbra stupore quodam tentantur, oculorum acies obtenebratur. At si membra superiora integra sunt, ac bene valent, cum seminis affluentia, ex calidiori ac sicciori qualitate vitium oritur; quam rem genitaliũ densa pilositas arguit, difficulter penis turget, atq; ad Venerem ægre concitatur, verum quæ inflant remedia, proniores reddunt. Interea si sit ex defectu ventosi-

Caussa primitiua. 15 *Antecedentes.* 16 *Caussa coniuncta.* *Signa.* *Quibus notis infirma genitalia cognoscuntur.* *Signa caussarum.* 17 18 *Intemperiei signa.* 19

ventositatis, cognoscitur ex manifesto defectu erectionis virgæ, aliis virtutibus saluis exsistentibus; & cum hoc adest appetitus coitus, & dũ tangit mulierem, exit æquositas, & liquor viscosus: Istis confert administratio rerum generantium ventositatem. Si autem ex defectu motus seminis, quando frigidum est, & phlegmaticum, non aptum vt exeat in hora coitus, tunc illud effluit post coitũ, liquidum, & in magna quantitate, frigidum. Et si fiat ex frigiditate testiculorum, adest paucitas pilorum in iisdem, nullus appetitus, semenq; tarde exit, & tactu frigidũ ac crassum erit. A caliditate testiculorum raro venit paucitas coitus: potest tamen euenire sterilitas: sed quando semen est calidum maxime, tunc isti sunt salaciores, & testiculi ac partes vicinæ sunt pilosæ, venæq; latæ, & semen cito expellitur, vt in siccitate (*vt prius dictum est*) paucumq; exit semen, & est habitudo sicca & extenuata. *Hæc latius inuenies apud Gal. in Arte parua, tractatu de testiculis.* Si vero est ex quantitate diminuta membrorum genitalium, visu & tactu cognoscitur, & relatu infirmi. Vidit aliquos viros Tarantanus, qui habebant virgam adeo paruam, vt aliquis puer duorum annorum. Si virilitas demum carmine (*quod aliquando fieri visum fuit*) aut veneficiorum iniuria intercepta fuerit, sine vlla id corporis iniuria, aut membrorum vitio, primitiuaq; caussa, euenire haud dubitamus. Quod ad signa Prognostica attinet, etiam hæc pauca adiungemus: vitia quæ in conformatione sunt, ægre curantur, potissimum quæ in defectu sita sunt: ideo si venit ob paruitatem genitalium, in viris ætate perfectis non recipit curationem. Hinc & nonnulli dicunt, quod ablatio similiter, & diminutio potentiæ coeundi, si fuerint ex generatione ob malam complexionem frigidam & siccam testiculorum innatam, curationem non recipiant: quoniam deficiente domina Natura, oportet & Medicum ministrum deficere. Item ablatio difficilius curatur, quam diminutio. Viri quoque cum multis mulieribus sese associantes vasa seminaria habẽt debilia in radice, ideo raro generãt, vel quod generant imbecille ac debile est. Quod dixerunt Medici, venas retro aures transuersim incisas homines steriles facere, id Tarantanus verum non esse, experientia se compertum affirmat, cum sectionem venæ in iis partibus in viris, & mulierib. fieri iusserit, qui postea tamẽ fœcundi apparuerunt. Veneris quoq; vsus, vt dictum est prius, spadonibus atque eunuchis, tum iis, qui testiculis carent, omnino ablatus est. Æstate præterea viri, fœminæ hyeme minus natura Veneri incumbunt, *auctore Hesiodo*: testes enim eo tempore languidi dependent, qui hyeme resiliunt. Vnde segniorib. in coitu viris, fœminæ per cauillum Euronoto eos afflari obiiciunt. Cõtra viris per hyemem, mulieribus per æstatem alacrior est Venus, quod viris calidior ac siccior natura sit; mulieribus autem frigida humidaq; exsistat. Pingues non sunt potentes in coitu; sicut nec extenuati, qui tamen citius deficiũt: caussa est, cũ pinguedo arguat frigiditatem; extenuatio caliditatem: ac calidi potentiores sunt frigidis, deinde macilenti habent vias latiores, ideo & materia citius potest fluere. Pueri quoq;, & decrepiti, & crapula affecti, & qui habent virgam nimis longam, & qui vtuntur nimio coitu, non generant, aut raro. Aristoteles tamen dicit in mentione senum, quod homo & equus generant, quã diu coire possunt. Interea si hæc passio senibus contingat, difficilime curatur, tã in senibus primis quam secundis. A coitu in propatulo, & sine verecundia, viri honesti deterrentur, neq; id facere possunt, verũ aliqui sunt tam turpes & malitiosi, ac cynici, vt quanto fœtidior est & turpior, tanto magis coitu delectantur. Istorum in Centiloquio fit mentio, eorumq; Saturnus in natiuitate dominatur.

20 21 22 Prognostica.

Observatio XIX.

De ignauis partibus genitalibus ob frigiditatem.

Vir quidam, qui alioqui pulcerrimam vxorem habebat, consultandi caussa me accessit; & conquestus est, quod virgam erigere non posset, & quod statim in principio, primoq; actu coitus, salivalis humiditas, sine delectatione, exiret. Pituitosus hic videbatur; nam & genitalia ei non erant pilosa, sperma quoq; frigidum esse significabatur, vt quod plurimum subtile, & aquosum esset: quare calida ei conueniebant tã in cibis, quam medicamentis. Quamobrem vsum diatrionpipereon commendaui: præterea & diasatyrion eidem præscripsi, & diagalangam. Solet autẽ frequentius contingere ob frigidam intemperiem illarũ partium, nempe testiculorũ. Quia itaq; erat defectus propter testiculos, & renes, & vicina membra præscripsi, vt diasatyrioni adiicerentur caudæ scincorum. Propter autem frigiditatem virgæ, simul etiam huic aderat paucitas erectionis, cum priuatione inflationis: cõsului ergo, vt cum cibis calidis etiam iis vteretur, quæ ad inflationem virgæ iuuarent; vt fabis videlicet vteretur, subinde pisis, & ciceribꝰ, phaseolis, & rapis, adiecto insuper pipere semper, etiã cœpis, & carnibus modo assis, modo elixis. Ob eandem partium frigiditatem, imperaui, vt tale vnguentũ sibi in officina parari iuberet. ℞. *olei castor. & de nuce indica, an.* ℥ j. *olei muscat.* ℥ ß. *castorei, euphorbii, an.* ʒ ß. *mosci* ℈ j. *alipta moscata* ʒ j. ß. *ceræ parum fiat vnguent.* quo iussi, vt inungeret mane plantas pedum, & regionem renũ, pubis, & perinæi: & vt in cibo suo sinapi vteretur, & eruca: illa enim commendantur a Rondeletio, quemadmodum & hæc opiata. ℞. *corticum citri, zinzib. virid. an.* ℥ j. *conser. eryng* ℥ ß. *carnis leutræ, & testicul. vulpis priapi tauri, vel cerui, ana* ʒ iij. *pul. diamosci dulc. & diambra, ana* ℈ j. *cum mellis* ... *quo* ʒ j. *cantharid. integrarum, prius maceratarũ in lacte, dissoluantur, fiat opiata:* capiat ad quantitatem auellanæ, superbibendo parum vini maluatici, duas horas ante cœnam, quæ pauca sit. Ego abhorreo cantharides, ob grauia accidentia, quæ inferunt; vt nos aliquando exemplo eorum qui eiusmodi vsi sunt ostendimus. Ideo postea parari sine cantharidibus. Interea vtere *radicib. eryngiorum, pastinacæ siluestris, & satyrionis, vel orchis,*

1 2

3 *in melle conditis.* Et si libet vtere *diamosco dulci, diambra vel mithridato, vel diasatyr.* cuiuslibet accipiendo ℥ j. cum pauco vino odorato. Valent & hæc nō solum in hoc casu, sed etiam in iis, qui ob particularem resolutionem, vel seminis inopiam hoc affectu laborant, dando ℥ j. *cum pauco vino odorato.* Vel conficiantur morselli in hunc modū.

℞ *seminis erucæ, vrticæ, anisi, ac fœniculi, pastinacæ, ana* ℨ ß. *nucis pineæ, amygdal. dulc. ana* ℨ j. *piperis, cinnamomi, ana* ℨ ß. *ramenti genitalis ceruini, ac satyrii, an.* ℨ j. *diambræ, seu diamosci, vel diasatyrii* ℨ j. ß. *zacch. dissoluti in aqua melissophylli, & ros. q. s. fiant in morsulis ponderis* ℨ j. & cum odorato vino fuluo, seu subrubeo præbeantur ante cœnam, vel etiam mane ante prandium. Eo vtebatur Donatus. Alii addunt renes stynchorū, cū præcipue huic malo cōferant. Sed stynchi veri nō adferuntur ad nos, *vt dicebat Rondel.* neq; qui Venetiis vulgo venduntur, veri sunt. Nostri vero quos pharmacopolæ habēt, sunt aquatici. At veri sunt terrestres crocodili. Rondeletius semel vidit vnicum duorum cubitorum. Iuuat optatus contuitus: suaue olens anhelitus, & vnguentis spiritus reuocatus Veneri fauet; elanguescentem eam inprimis excitant amplexus, quibus subinde grata & formosa blandaq; coniunx proniorem maritū excipiat: nam cū & talis tibi contigerit, vbi dictis remediis aliquandiu vsus fueris, aliis quoq; admi-

4 niculis Venus irritādа erit. Ita iocosæ fabulæ. Veneriq; cantus, & pro tempore voluptarii ceteri actus, (alioqui damnandi) maritos segniores ad Venerem stimulant; omne deniq; hilaritatis genus inter serta coronasq; abunde inuitat. Hæc nō porcis, adulterisque nec scortatoribus, sed maritis duntaxat dicta sint, quibus virilitas infirma sit, vt ita prolem suscipiant. Interea (quod inprimis est faciendum) cum vxore proba & honesta Deum precaberis, vt tibi prolem ad eius gloriam concedat, cuius præcipue gratia coniugium initur, voluptate nihilominus non exigua intercedente, a natura membris genitalibus, tam mulieribus, quā viris, inserta, ad generis humani conseruationem. Eoque magis coniugium probatum est ab ipso Iesu Christo, Seruatore nostro, cum & ipse nuptiis interesse voluerit, ac primo miraculo (*teste Diuo Ioanne cap. 2. Euangelii sui*) confirmauerit, ratumque habuerit, vt quas sua præsentia cōdecorauerit. Sed eo reuertentes vnde digressi, Lactis pondo cum cinnamomi vncia cominuis diebus quadraginta si bibatur, reficere id infirmitatem viriliū tradant, etiam consumtos Venere reficit. Tenuioris fortunæ oua cum cæpis & butyro frigūt. Sed regum impensa est, virilitatem opobalsamo, & renum partes cum mero diluto mosco inungere. Sed quia opobalsamo caremus, possumus naturalia oleo inungere, cui adiectum sit narcisci radicis momentum, coccique Gnidii, seminis vrticæ, & pyrethri. Vel hoc modo conficiatur: *Pyrethri* ℨ ij. *cinnamomi* ℨ j. *euphorbii* ℨ ß. *tunde cum oleo sesamino, adiecto exiguo oleo garyophyll. & mosci gran. v.* Pecten cum verendis illinatur, plantæque pedum bene confricari debent, demortuam enim Venerem suscitabit. Hæc sunt, quæ huic viro vtilia esse censui, & inscriptis dedi. Plura addere hic potuissem, sed cum de iisdem Paulus *lib. 3. cap. 58.* & Aetius *lib. 11 cap. 35.* scripserint, apud eos plura medicamenta, tū simplicia, tum composita (*apud Aetium præcipue*) inuenies.

SCHOLIA.

5 *Curatio.* PRout variæ sunt caussæ, etiam curatio hic variatur. Quare qui hoc morbi genere detinentur, propterea quod parce comedant, vt diximus, his imperandus est cibus largior in prandio, isque sit multus, nutriens, & semen generans, vt est *succus carnis, testes gallorum, vel vulpis, vel carnes leutrarum, castorei, polypi, ostrea, musculi, seu conchæ, & pinearum nuclei in lacte macerati,* tū dulcia quæcunque, & ea quæ cum lacte, vel melle, vel zaccharo parantur. At qui vino sese ingurgitant, ad somnum potius quam ad Venerem impelluntur. Qui alimentis parum alentibus vtuntur, immutent victus rationem in eam, quam ante diximus ita si fuerit ex caussa primitiua, vt ex metu, vel verecundia, & tristitia, illa auferantur. Verum si sit ex incisione vasorum spermaticorum, vel ob fracturā nerui tendentis ad virgam, vel ob ineptam virgæ ac testiculorum paruitatem, vel ob ætatem decrepitam, non oportet multum laborare: vbi enim instrumenta vitiata sunt, aut mutilata, nō curantur; & quæ in cōfirmatione sunt vitia, ægre curantur, potissimum, quæ in defectu sunt sita. Attamē quod ad breuitatem virgæ attinet, si haberi posset aliquo modo, & proprie ante tempus consistentiæ, & cum adhuc membra crescunt, tunc aliqui iubent, vt virga tota abluatur cum aqua calida decoctionis piperis, vel synapi, vel tithymali, fricando donec rubere cœperit, ac inflari; deinde inungatur oleis calidis attractiuis de costo, de

6 spica, vnguento Martiato, Aregon, dialthæa, vel Agrippæ, & post vnctionē imponatur emplastrū ex pice calida liquida, alba, munda, & ammoniaco æqualiter mixtis, & extensis super corium album molle. Idq; volunt fiat singulis diebus bis terue ad 40. dies vsque, vel plus. Hoc enim modo impinguatur membrū quodlibet, & corpus totum, & assidua tractatio virgæ com manib. iuuat, cum dilatatione & extensione, & frequentatio coitus cū fricatione leui perdurante. Contra si fuerit ob longitudinem nimiam virgæ, tunc masculus vel fœmina (*inquit Gordonius*) teneat radicem virgæ, strictam cum tota manu, & tota virga non intromittatur, vt semen in via non infrigidetur. Si autem fuerit ob mollificationem virgæ, tunc curetur sicut paralysis. Vbi enim fit a resolutione, quæ ad resolutionem sunt inscripta medicamenta, *teste Paulo,* conferunt. Valet inunctio virgæ assidua cum vngu. & oleis calidis descriptis *in capite de paralysi.* Si fuerit ob defectum membrorū principalium, vel etiam genitalium, vel renum, horum passiones prius curentur. Si ex debilitate cerebri, vtatur mithridato, nuce muscata, diamosco, & pliris cum mosco, & proprie si accidat ex debilitate cerebri, vel cordis, & diambra. Confert *aromaticum rosa. & diagalanga, & diatrionpipereon,*

pipereon, si ex stomacho: *& diaZinZiber, dialacca*, si ob hepar: *& diasatyrion cum cautis scincorum*, si defectus fuerit propter renes, testiculos, & vicina membra. Si adsit totius corporis debilitas, corpusq; exsiccatum, fame exhaustum, vel longitudine consumtum & tabidum; curatur totius roboratione & impinguatione, & regimine conualescentium, cibisq; multum nutrientibus, carnibus pullorum, hœdorum, agnorum, iusculis inspissatis, cum vitellis ouorum, ouis sorbilibus, lacte capræ. Iam si sit ex defectu seminis, valet & humectatio corporisq; impinguatio, & ea quæ semen ac sanguinem multiplicant, cerebella passerum, coturnices, capones, perdices, & alia iam dicta. Tota vero substantia semẽ gignunt coagulum leporis, testiculus eiusdem, & matrix, priapus tauri, cor leporis, cerebella passerum, phasianorum, perdicum, assa, aut condita cum pipere aut zinzibere. Si ex frigiditate, calida adhibeantur: & si adsit ventositas inflatiua pauca, dentur cibi inflantes, vt sunt legumina, ciceres, napi, & rapæ. Interea etiam illa, quæ proprietate sua Venerem incitant, de quibus iam satis dictum est. Maxime vero (*vt iam satis patet*) habere oportet rationem caussæ. Memini quendam nobilẽ, cum hernia laboraret, ac intestina in scrotum descẽdissent, fotibus multis adhibitis per chirurgum, & manu intestinis in locum deductis, postea minus Venere vti potuisse; cui & diasatyrion, tum alia medicamenta, descripsimus. Membra itaque, vt si cui ob renum vel vesicæ vitia, vrina nimium profluente, partes genitales ignauæ fiunt, ea ipsa roboranda sunt, & demum illa adhibenda, quæ ad erectionem virgæ iuuent & semen augeant. At senibus & decrepitis parum hæc prosunt. Hispano tamen cuidam seni, qui vxorem ambibat, hæc a Medico Antwerpiano præscripta fuere. ℞. *croci orientalis, piperis longi, cardamomi, pyrethri, ana ʒ ß. caudarum stynci cum renibus suis ℈ ij. galangæ ℈ iij sem. rapæ, pastinacæ, erucæ, vrticæ, linguæ auis, menthæ siccæ, ana ʒ j. porrorum, Zinzib albi, cinnamomi electi, ana ʒ ij. diasatyrionis descriptionis Mesuæ ʒ iiij. cum syrupo conseruationis Zinziberis fiat mixtura, & seruetur in vase vitreo transparante*: capiat ad quantitatem nucis vsualis mane & ante cœnam per horam, & desuper bibat haustum vnum vini dulcis; & inungat membra genitalia & plantas pedum cum oleo sambucino, lilior. nardin. Sed audi aliud libidinosi senis facetum exemplũ, quod ab Alexandro Benedicto Veronensi, *lib. 24. cap. 18.* refertur. *Quidam* (inquit) *a nobis nobilis Venetus quæsiuit, vt aliquo adiumento senectutis effœtam virilitatem reficerem: septuagenarium hominem demiror claudum, hemiplexia debilitatum, tam impudenter lenocinia adhuc per vicos perquirentem: roganti capulari seni diasatyrion concitatorium promisimus: at diaphœnicon medicamentum abstulit hilaris senex, quo assumto, inter meretricis amplexus, saliuariaq; oscula, pigritantem Venerem primum demirans, ac subinde damnans, turbato ventre ad sellam properare cogitur, non sine intestinorum tormentis: atque eo modo aluum decies stolidus homo exonerauit.*

7 8 9 Libidinosi senis facetũ exemplum.

Ferunt alii idẽ Monacho euenisse, at alio modo: *Medicamentum ad continentiam faciens exspectabat Monachus: alius eodem tempore sponsus, vtcunq; senex, medicamentum expostulabat ad Venerem concitandam: sed pharmacopolæ errore, contrarium Monacho exhibitum fuit: ita vt illa nocte tentigine Veneris supra modum affligeretur: contra sponsus nouæ nuptæ nihil hilaritatis attulerit.*

Observatio XX.

De quodam ex Veneris intemperantia mortuo.

1 Nouimus adolescentem nobilem Germanum, annum 29. agentem, cui vna nocte inter duas puellas lasciuienti, cum se prius vino impleuisset, & plusquã 13. amplexus expertus esset, subito vena in pectore perrupta fuit. Vidimus eum inde in febrem ardentẽ incidisse, nullisq; remediis iuuãtibus, inter quatuor, pluresve dies, misere obiisse, cum maximo delirio. Ita & quidã senex ex morbo conualescens inter amplexus vxoris interiit, vt ab vxore mortuus (*vt nobis relatum fuit*) vix a ventre depelleretur. Legimus apud Galen. quoq; cuiusdam exemplum, qui postquam ex acuto conualuisset morbo, post concubitum subducto spiritu, deficientibusque viribus, eadem nocte frequenti animi deliquio mortuus est.

Scholia.

2 Homini magis quam cæteris animalibus Venerẽ nocere.

Diximus ex Aristotelis Quæstionibus, *Venere hominem plurimum inter cetera animalium dissolui, quod plurimum genituræ spiritalis vno initu diffundat, atque ita salaciores laxari, breuiorisque vitæ fieri, passerum natura, quibus vita breuissima est.* Ex nimia (*vt constat*) non solum hi, sed & plures Veneris voluptate interiere. Exemplo cuiusdam Viturii senatorii ordinis, qui admodum senex in Venere obiit. Id malum congenitos spiritus subito subducit, propterea calculorum imbecillitatẽ facit, cerebrumq; extenuat. *Spiritus enim, vt refert Aristoteles, voluptatis Venereæ caussa est, vnde Aphrodite dicta est, a Democrito plurimum damnata.* Nam corporis vires (*vt quidam scribunt*) plus vno concubitu exhauriuntur: quam si quaterdecies tantundem ex missione sanguinis demtum fuerit. Mire enim genituræ materia corporis vires tuetur. Ea facile in homine grata ciborum alimonia iucundoq; vini potu restituitur, quod in brutis non contingit: nam & hominem inter reliqua animalia sanguificæ naturæ esse constat. Ex quo seminis materia haud difficulter comparatur. Qui importune coeunt, agricolæ imprudenti (*inquit Aristot.*) similes sunt, qui plantas solstitio euellit, & transfert, quæ subito languent: propterea membra frigidiora aridioraq; redduntur, cum plurimũ enim sudore diaphoretico corripiuntur: & si frequens admodum fuerit, renes inprimis afficit, qui protinus extenuantur, atque macrescunt, mox reliqua membra intempestiua senectus atque canities occupat. Iuuenes salaciores, fumeo vapore sublato hispidos fieri *Gal.* scribit, & cuidam dissecto corpore, cerebrum diminutũ resectores inuenisse: nam eo vitio capillorum barbę, superciliorum ac palpebrarum euenit defluuium. Neruis obesse pręcipue compertũ est,

Incommoda Veneris.

3

& præcordiis. Fatigata Venere aluus cita reddit, vitiata concoctione, & oris graueolêtia. Hinc renum & lumborũ dolores, spasmique, membrorũ lassitudo, vnde extenuari venter & ossa quoque creduntur. Conualescentibus extenuatis periculosa Venus est, somniculosum hominem reddit ac tremulum. Malæ præterea habitudinis corpora eo malo afficiunt, calidiora præsertim (*vt tradit idem Galenus*) ex quibus semen calidissimum effertur, tum macies, & oculi caui fiunt, pallor, & ictericꝰ color occupat faciem. At Veneris intemperantia oppositas superioris valetudinis affectui caussas habet; sed eadem quandoque principia sunt, sicuti qui diu sese a Venere abstinuerint, vel qui medicamentis stimulauerint: aut bene alentibus cibariis vsi fuerint; tum iis, qui ociis inuitantibus, frequenter de amore cogitauerint: fauet iis naturalis genitalium feruor, ac seminis ipsius vis quædam pruriens, ac spiritus quædam immodica concitatio, qua nerui supra modũ intenduntur; vt & de priapismo & satyriasi antea diximus. Ex ea Veneris inflammatione, oculi faciesq; rubore suffusa est, ardet præterea vrina, venæque in corpore turgent. Meatus tum seminarii (*inquit Gal.*) robustiores sunt, & intermissa Venere, aggeratis in venis humoribus, fauentibus ociis, vis illa intemperans hominem inquietat. Et ob eam caussam hypochondriaco morbo laborantes ex retento spiritu affligit. Fœminas ad insaniam rabiemque vertit is morbus, atque intemperantia, si membra seminaria principiis naturalibus robustiora genita fuerint, aut si circa naturalia ora humoris prurigo quædã orta fuerit, papularũ modo, quæ incessanter pruriunt. Verum ad coercendam eiusmodi intemperantiam, quæ faciant, satis superq; enarrauimus, de Priapismo, Satyriasi, tũ de ignauis partibus genitalibus, &c, agentes, vt eadem repetere superuacaneum sit. Verũ nihilominus eosdem nimia quoque temperantia lædit, vnde capitis grauitas nausea, & ventris fluxus oritur. Quosdam & intestinorum dolor ex incluso spiritu vexat. Ita & fœminis concitata Venere, si genitura retenta fuerit, non sine periculo spiritũ sæpe præcludit, & suffocantur. Temperatus enim coitus ad sanitatem vtilis est, vt Galenus *in Arte par. cap. 85.* docuit contra Epicurum, qui male censebat huius vsum non esse salubrem. Confert itaq; si modus adhibeatur, vt neque resolutio aliqua sentiatur, & ipse quodammodo leuior factus ac melius spirare sibi videatur: nam & semen si corrumpatur, retentum vertitur in venenum: magis vero mulieribus, quibus abstinentia plus nocet quam viris. Constat tamen multa morborum genera primo coitu finiri, sicuti potêtia fœminarum mense, aut si id non contingat, longinqua fieri, maximeq; comitiales morbos. Quin & a serpête & scorpione percussos, coitu leuari produnt; verum fœminas ea lædi, *auctore Plinio*. At nimia Venus primo nocet cerebro humido, catarrhum auget, eliquat eius humiditates, cæcitatẽ inducit, phthisin, epilepsiam, vel vertiginẽ: & ideo cordi quoq; nocet, quum & hecticam producat: hepati vero, dum inflammationem parit, ardorem, febres putridas, aut interna apostemata perniciosa, maxime si supra cibum fiat. Stomacho frigido ac laxo nocet, robur eius dissoluit, coctionem impedit, cibum fluctuare facit, suo motu conquassando calorem, & spiritum a centro ad circumferentiam distrahendo. Renibus inutilis, si excedat, macie eos conficit, vt in sanguinem emingentibus. Ideo moderata Venus tantum commendatur, *iuxta Hipp.* Cibus, potus, labor, Venus, omnia mediocria. Hinc versus:

Balnea, Vina, Venus, corrumpunt corpora nostra.
Ad vitam faciunt. Balnea, Vina, Venus.

Raritas tamen eius vtilior. Propterea cum ex ancipiti voluptate tot mala oriri videmus, abstinentiores esse debemus, nec ita temere Venus, nisi ad suscipiendã prolem, amplexanda est. Hac etiam de caussa a natura quodam pudore obseruari tradit Aristoteles. Nam abdita & occulta sæpe quæritat Venus, cum in cibo & potu, vel publicis symposiis in propatulo cœnæ fiant; quod hoc pro vitæ necessitate, illud pro generis propagatione fiat. Genitalium itaq; vitiis, ac penis affectibus absolutis, hunc librum finiamus, & in libro sequenti reliqua Scroti ac Testiculorũ mala explicemus, quæ etiam partes vbi ignauę sunt, vel laborant, temperatæ Veneri, quæ in coniugatis maxime prodest, ad prolem suscipiendam (*vt per transennam diximus*) etiam obsunt.

Finis Libri XXVI.

4 *Caussa intemperantia.* — *Signa.* — *Fœminarũ rabies.* — *Nimia Veneris temperantia, quos lædit.* — 6 — *Veneris nimius vsus noxius.* — 7

LIBER VIGESIMVS-SEPTIMVS,

DE SCROTI AC TESTICVLOrum affectibus vitiisque, ac de Ramicum diuersis speciebus.

OBSERVATIO I.

De Testium, aut Testiculorum, dolore, ac inflatione cum duritie, tandem inflammationem mutata, cum febre continua ex profluuio seminis intempestiue retento.

1



NICOLAVS Nauta, vir admodum robustus, annos vigintiseptem natus, qui ab aliis nautis cognomento Puer Iunior appellabatur, Alcmariæ habitans in platea Noua dicta, cum Anno 1548. mense Maio, gonorrhœa detineretur, tonsoris cuiusdam, quamuis elati, imperitia, seminis profluuium ei intempestiue restrictum fuit. Vnde incidit in duritiem quandam haud exiguam testium, & maximam inflationem, cum insigni dolore, vt astantes hominẽ præ dolore moriturum putarent, febre continua accedente, quantumuis lenta. Ad hunc cũ accitus essem, intolerabiliter affligebatur. Ego, post assumtum medicamentũ lenitiuũ ex cassia, quo & aluum deposuit, cũ & ea restricta foret, altero die venam basilicam secare iubeo, sanguine vtcunq; demisso; mox testiculos inunximus oleo rosaceo; quo remedio inflammatio aliquo modo sedari videba-

2

videbatur, febre quoq; mitiore facta, adeo vt vix febricitare videretur. Quamobrem ad inflationem & testium duritiem, hoc linimento præscripto, & insuper apposito cataplasmate sequenti, inflatio, ac durities cessarunt. ℞. *vnguenti dialth.* ℥ *vj. olei amygd. dulc. rof. ana* ℥ *ß. misce.* Deinde: ℞. *muccilaginis psillij, althææ, extracta cum aqua maluæ, ana* ℥ *j. muccilaginis seminis lini, fœnugr. ana* ℥ *ß. farinæ hordei, farinæ fabarum, an. p. j. olei rof. q. s.* ad consistentiam cataplasmatis, butyro recenti exiguo adiecto fiat cataplasma. Interea ex hoc decocto bis sumens in die, optime aluum deposuit quotidie, & non solum a febre, sed & reliquis omnibus accidentibus liberatus fuit, & probe sanitati restitutus. ℞. *glycyr. rasæ, radic. petrosel. ana* ℥ *vj. rad. maluæ: althææ, ana* ℥ *ß. folior. viol. endiu. fumariæ, agrimoniæ, bethonicæ, ana m. j. folior. senæ* ℥ *j. epithymi* ℥ *ij. polypod. querc.* ℥ *ß. sem. anisi* ℥ *j. ß. prun. damasc. num. xij. passul. mundat. hord. mund. ana m. j. fiat omnium decoctio in sero lactis pro* ℔ *j. ß. colatura dulcoretur zaccharo.*

Scholia.

3

SCrotum, & qui in eo sunt testes, tum dolent, tum labefactantur inflammatione, tum tumore duro, scirrhosoq; afficiuntur. Apostemantur & testiculi, & scrotum ipsorum, patiunturq; vlcera, pruritum, contractionem, & alia consimilia vitia, de quibus omnibus nunc agere instituimus.

Testium doloris caussa.

At omniũ primo de dolore agemus. Dolent itaq; supra modum testes ex calida vel frigida habitudine, vel vento, aut ictu, vel abscessu, quorum signa ex sæpius iam dictis, & sermone ægri quærẽda sunt. In testium epiphoris, vel percussione, aut tumor, aut inflatio apparet. Summouetur autem dolor, pro materiæ ratione: in calida namq; materia, & sanguinis demissio & deiectio alui laudatur, non vehemens, sed lenis: quæ & in nostro ægro egregie contulerunt. Ardores testium mitigat rosaceum, addito opio, & thure; etiam oleum hyoscyami, & alia, quæ mox dicturi sumus. Ex frigore oleo carthamino, euphorbio exiguo intus mixto, tumor leuatur, aut dolor discutitur: felle quoq; taurino cum melle, ac nardino oleo, vel anethino, addito castoreo, imponitur & trifolium syluestre. Prodest & id emplastrum, quod habet cymini, anisi, fabarum farinæ, passulæ pares portiones; cum melle subigi debent, exiguo croci adiecto. Verum dolorem testium leuat anserinus, gallinaceus, vel anatinus adeps.

4

Testes percussi, quomodo curantur.

At si percussi fuerint testes, mittere protinus sanguinem præcipuo & præsenti remedio est, & tum quæ discutiunt imponenda sunt, nõ adstringentia, qualis viola est, ac nymphæa, & cucurbita, mox altheæ & chamomillæ decoctũ, & similia propitia sunt. Pini quoq; effluens lachryma & myrrha ex aqua frigida pota valet. Nobili vero, cui ex ephippio equitanti testes intumuerant, & quasi contusi erant, post vniuersalia remedia, perfusis oxyrrhodino ad tumorem & dolorem, folia hyoscyami cum farina fabacea in lacte & oleo chamomillæ, & rosaceo, emplastri modo recte imposita sunt, q̃ egregie profuerunt.

Testes cõtusi.

Ceterum ex contusione sæpe testes intumescunt. Hi autem contusi subinde exsiccantur (*Rondeletio teste*) si oxycrato, vel oxyrhondino perfundãtur. Si vero adsit tumor cum dolore, & sine inflãmatione, sufficiet cataplasma ex farina fabarum & fœnugr. decoctis in oxymelit. Si vero ex contusione inflammatio oboriatur, curetur, vt supra monstratum est.

5

Ad inflationem scroti & testium.

Ille vero, qui inflationem scroti habebat cum testibus inflatis, sine febre, cum applicaretur fimus columbinus cum farina fabacea & axungia porcina cum vino mixta, statim ab inflatione liberatus est. Aliqui & addunt ad dolorem sedandum, & inflationem simul tollendã, folia hyoscyami. M. Ioannes Tiengius, Medicus Amstelrodamensis, pro arcano agrimoniam decoctam in aceto, vel vino, & contusam apponebat. Expertus est, a tota proprietate valere inflationi testiculorum, & remouet omnem dolorẽ etiam aqua illius decocti cum panno lineo admota. Valet & hoc cataplasma *ex rad. alth. sem. lini, fœnugræci, adiecto pauco cumino puluerisato, & farina fabacea, cum vino albo, aut oleo anethino admixto.* Vel: ℞. *florum chamomillæ, meliloti, fecum caprarum, vaccarum, baccarum lauri, ana* ℥ *ß. trita & probe mixta cum vino & oleo anethino, calide apponantur.* Alii addunt *ceram & terebinthinam*, & ad modum cerati super telam extensa apponunt. Aliud, quo & ego felicissime sum vsus. ℞. *furfuris tritici, crassi, subtilissime comminuti, & cribrati m. iij. farinæ fabarum* ℥ *j. cumini subtilissime comminuti, & cribrati* ℥ *ij. farinæ hordei* ℥ *ij. cum vino dulci, aut oleo anethino, fiat cataplasma.* Anno 1596. cum hæc rescriberem, quidam ad me venit consultandi caussa, qui in duritiem testis inciderat, cui solum ceratum de muccilaginibus suffecit ad duritiem tollendam. Fungebatur hic suo officio, etiam per plateas ambulando, sine febre, aut alio affectu.

Observatio II.

De tumore Testiculi sinistri, cum magna duritie, intra tres dies curato.

1

IVuenis ditissimus cum nuper vxorem duxisset pulcerrimam, nimium Veneri indulgens, incidit in tumorem vehementem, & duritiem haud exiguam testiculi sinistri, quã ingens dolor subsequebatur, sine febre tamen. Ex quo ad hunc accitus sum 14. Nouemb. anno 1578. subsequentibus his remediis intra tres dies perfecte curatus fuit. Prius enim loco dolente inuncto oleo sequenti, & cataplasmate deinde imposito, mox subligaculis & fasciis idoneis iniectis, statim testiculus detumuit, dolore similiter ablato. Hoc tamen & ante leniens medicamentum assum sit. ℞ *elect. lenit.* ℥ *j. dissolue cum* ℥ *iij. aqua fumariæ, syrup. ex infus. ros. rub. commun.* ℥ *j ß. misce.* ℞. *olei ros. chamom. olei de meliloto, ana* ℥ *ß. misce.* ℞. *rad. althææ mundatæ* ℥ *j. florum chamomill. meliloti, florum rosar. rub. ana m. j. coquantur in aqua communi, ad mollitudinem pistentur, addendo farinæ fabarum* ℥ *j. farinæ seminis lini, farinæ hordei, ana* ℥ *ß. furfuris tosti ad modum alcohol, & cribrati* ℥ *iij. olei chamomill. de meliloto, hyoscyami, ros. ana q. s. fiat cataplasma.*

SCHOLIA.

2 Hic nulla aderat febris; alioqui post leniens medicamentum sanguinem detraxissemus. Ceterum scrotum modo per se tumet, modo testiculi vna inflantur, vel indurantur, sine inflammatione: facile tunc curantur, vt huic Iuueni euenit. Verum vbi simul cum tumore aut duritie adsit inflammatio, aliter tunc curanda est, *vt Obseruatione praecedenti ostendimus.* Vbi autē tument per se inflammanturq; testes, vna & scrotum, vel nerui eos continentes, tunc afficiuntur impatibili interdum dolore, ac nō sine febre acuta, tum sanguis protinus mittendus est ex cubito, ac aluus subinde mollienda. Et si rursus alia vena secanda est, quae intra minimum & sequentem digitum in manu ferienda est; demū ex talo (*si opus est*) qua parte genitale dolet demēdus est sanguis: tum abstinētia magnam curationis partem continet; interea *linteolus aqua ros. acetoq; infusus* imponendus est, vel cum strychni, vel cucurbitae satiuae succo, cum oleo rosaceo crociq; exiguo addito. Aliter hordei & lentis farinam fabarumque ac violae pares portiones ex rosaceo imponuntur. At vbi vehemens dolor est, hyoscyami folia imposita dolorē sedant. Et si genitalia indurauerint, quae emolliunt & maturant superdāda sunt, qualia sunt, cum fabae farina chamomilla, althaea, lini seminis farina, vel eius muccilago, addita hordei farina, & melle. Item tritici farina ex mulso cocta cum cypressi puluere. Deinde quae emolliunt atq; discutiunt emplastri modo imponimus, passulis adiectis cymino & vino: aut brassicae folia cum foenugraeco decocta. Conferre etiam traditur *hordei farina cum vaccino fimo, & aceto, ac strychni succo, caphuraq; modico adiecto. Brassica item cinis ex ouo: cucumeris agrestis radix ex mulso cocta, deinde contrita.* Maxime proficere traditur *lactucae radix ex mulso cocta*, si durities diu inueterata fuerit, *cum hordei farina, aut foenugraeci semine liniq; cum coepae decocto.* Fex quoque vini cum hordei farina. Ex ictu quoque eadem ferme seruanda sunt. At si testis sola durities absque febre & inflammatione afficiat, (*quod a magno labore, & multum stando fit*) tale ceratum vtile est. ℞. *farina fabarum ℥ j. farina seminis lini ℥ ij. emplastri de muccilaginibus ℥ j. olei de meliloto ℥ j. ß. olei ros. hyoscyami, ana ℥ ß. seminis cymini pulueris. ℥ j. misce.* coquantur simul ad consistentiam cerati mollioris, vt artis est, & ducatur supra alutum, & testiculo indurato applicetur. Istud ceratum his diebus cuidam pannos tondenti commode adhibuimus. At de Scroti inflammatione nunc exemplum adferamus.

Ad testiū tumores curationes ex diuersis autoribus.

Si sit cum febre acuta.

Genitalia indurata.

3

Testis durities absq; febre & inflāmatione.

OBSERVATIO III.

De Scroti inflammatione.

1 Scrotum aliquando inflammatur sine testiculorum inflammatione, vt monuimus, & etiam latius scholio sequenti dicemus. Sic cuidam nuper ex calida fluxione scroti dextra pars inflammata fuit: quod equidem facilius cognouimus, quam si testiculus ipse inflammatus fuisset. Nam exterior pellicula dextri scroti calebat, rubebatq; cum quodam tumore. Aderat & huic febricula, sed leuis. Postquam illi aluus soluta esset clystere emolliente, basilica vena brachii dextri secta fuit, sanguine vtcunq; extracto Deinde statim a venae sectione cataplasma tale, vel huius aemulum, impositum, *ex succo plantaginis & solatri, cum farina hordei, & oleo rosaceo paratum:* scroto prius quoq; inuncto *cum vnguento nutrito ex litharg & oleo ros. ac aceto concinnato, exiguo adiecto succo plantaginis, aluo similiter soluta cum cassia & thamarindis.* Victu interea hic vtens tenui, & abstinens a vino, statim curatus fuit.

SCHOLIA.

2 Scroti inflammatio hisce agnoscitur notis: Locus leui contactu, quam primum indolescit, feruor, duritiesq; intensa apparet. Testiculo autem inflammationem sentiente, non ex leui tactu dolent affecti; sed impactis validius digitis, rubor & durities ipsius per summa minus exstare videntur; altius autem impressis illis, durities occurrit, & febris nonnunquam oritur. Sic quoque Aetius *lib. 14. cap. 20. de testium scrotiq; inflammationibus ex Leonida*, inquit, *Nonnunquam soli testes priuatim inflammari solent, nonnunquam, testibus ipsis bene habentibus, scroti textura patitur,* (vt in hoc nostro aegro) *nec raro testes simul cum scroto afficiuntur. Ita vero in his, sicut in reliquis corporis partibus, inflammatio, vel sponte confluentibus ad locum humoribus, vel a percussione, aut collisione, contingit. Solo itaque testiculo inflammato, scroti color secundum naturam est; ipse autem testis tumidior, durior, latiorq; tactui occurrit, ac dolor concomitatur pulsatorius, vsque ad renum loca progrediens. Sed si scrotum inflammetur, superficiarius tumor rubens, renitens, & tactu dolens, apparet.* Vtrisque vero testibus, inquam, & scroto, inflammatis, ex signorum incremento inflammationis magnitudinem discernemus. Sic etiam Fernelius: *Inflammationem accendit tenuis feruidusque sanguis praeter naturam in scrotum & testes profluens. Scrotum in tumorem distenditur, durities inest, rubor atque calor, dolor lancinans, qui leui contactu exacuitur, febris plerumque comes. Quod si inflammatio testem solum occupet, haec in profundo demersa sunt, tactu melius quam visu comprehenso: sin vero in scrotum effunditur, omnia foris exstant oculis obuia.* Quod ad curationem attinet, ex Aetii quoque sententia, cibi parsimonia & aquae potione per totū curationis tempus vti oportebit. Et si inflammationis vehementia coegerit. Praesertim in adolescente sanguineo, a cubito, si fieri possit, sin minus, a malleolo sanguinem mittes: nam & hanc venam secare, vbi multus sanguis non fuerit, prodesse consueuit. Sic etiam Paulus lib. 3. cap. 54. *Testiculorum inflammationibus proprie conuenit sanguis ex talo dimissus:* idem & ex recentiorib⁹ Rondeletius affirmat, cum inflammatio testium subito fiat ob frequentes venas ibidem existentes, & ob situm in parte inferiore. Fit autē vel ab ictu, vel vlcere, vel ob medicamenta acria ad curationem frigidi affectus adhibita, vel ob fistulam immissam, vel ob aliud quoddam instrumentū. Itaq; huic inflammationi

De inflammatione scroti testiculiq; ex Paulo & Aetio.

3

Curatio.

Sanguinis detractio.

mationi confert missio sanguinis. Quare sanguis detrahendus e brachio maiori copia, si vires ferāt. Sed hic (*vt sæpius diximus*) cum alii ex brachio, alii ex malleolo sanguinem detrahant, intelligere oportet, quod in principio, vbi repletio magna est, ex cubito: postea, vel vbi repletio minor est, ex malleolo. Sequenti autē die a sanguinis missione, *vti & Rondeletius iubet*, affigēdæ sunt cucurbitulæ coxis cū scarificatione, ad deriuationem. Quod ad localia attinet, communiter omnibus & cerata & cataplasmata imponunt, *vt dicebat Paulus*, Imponi igitur debent, iuxta eundem, *ex lomento diluta vini mixtione, cocto cum vuis pinguibus acinorū expertibus, & cumino, vel hastulæ regiæ radix incocta contritaq; miscetur polenta æquali portione illiniturque, vel lini semen ex diluto vino, vel fœnugræcum ex mulsa, vel lilii radix ex mulsa recentibusue vini floccibus cum pollenta polline.* Vel *senecion & coriandrum viride cum vuis, quibus acini sunt exemti.* Sin multus infestat ardor, *foliis aizoi cum triticea farina aut ciceris deliniuntur, vel calami foliis, vel cucurbita syluestri cruda.* Sed de topicis remediis postea latius, hac Obseruatione sequenti prius interposita.

Cucurbitulæ.

Localia præsidia.

OBSERVATIO IV.

De Scroti & vna Testis inflammatione.

1 VIr 30. annorum, Delfis scroti & simul testis inflammatione afficiebatur, sed in principio leui, & sine febre, cū cataplasma *ex rad. althææ (ob duritiem quæ aderat & inflationem) farina fabar. & lini foliis maluæ, & flor. chamomill. meliloti*, impositum esset, maior subsequuta est inflammatio, febre quoq; eundem apprehendente, cum maiore dolore. Corpore repurgato cū cassia, & sectione venę peracta in cubito, admoto solūmodo per aliquot dies cataplasmate *ex decocto folior. maluæ, deinde foliis contusis, adiecta farina hordei*, æger ab inflammatione, dolore, ac duritie liberatus sanitatem consequutus est. Habent enim illa folia aliquid pinguedinis ita decocta, & mox contusa, addita farina hordei ad consistentiam cataplasmatis concinnata, vt non opus sit aliquid olei addere.

SCHOLIA.

2 SAnguinis vero missio (*inquit Oribasius*) ad inflāmatos testes præsidium efficacissimū est, multoq; magis si vna & scrotum sit inflammatum. Interea & corpus prius repurgandum, mox ad topica deueniēdum. At pro localibus quoq; remediis & præsidiis, *inquit Aetius*, si testes sint inflāmati præcipue, quando simul suspensoria vasa compatiuntur, *lana oleo communi, aut anethino calido madefacta* totum affectum locum fouebimus, & cōmode ligabimus. Præstat autē semper, quæcunq; medicamenta applicentur, ligatura ad superiora tendat, vt testes minus pendeant, ita fluxio magis ad locū affectum impedietur, quo eo minus fluat. Ad has quoq; partes inflammatas, præsertim dolorem afferentes, egregie confert *verbenaca recta in oleo elixata, vini portiuncula adiecta, & scroto applicata, deinde lana superligata*. Subsequentibus vero cataplasmatis ad inflammationes soluendas idoneis subinde vtemur, Estq; præ cæteris admirandum, præsertim ad testium inflammationem, *cataplasma ex faba ægyptiaca.* Decorticatur elixa faba, postea cum modico melle subigitur & illinitur. 3 *Præcellit autem ad testium scrotiq; inflammationes ex puro pane cataplasma, quo ego iugiter vtor* (inquit Aetius) *interdum cum oleo & aqua, interdum cum mulsa confecto, confert etiam insigniter, quod ex passulis cum cymino torrefacto & trito, modico melle adiecto, præparatur.* Facit & *asphodeli radix cum polenta in vino elixata, & lini semen in mulsa decoctum, & senecio cum polenta, & cupressi folia priuatim eodem Aetio auctore, vel cum mica panis confecta.* Ceratum ad testium inflammationes efficacissimum. *Cera, resinæ pineæ, anethini & narcissini olei, an.* ℥ *x. cymini* ℥ *vi. asinini fimi pilas tres. Fimum asini torrefactum terito & cribrato, cyminoq; admisceto, deinde cum cerato liquefacto conficito, applica, ac super cataplasmate lanam narcissino, aut rosaceo madefactam apponito.* Nec parum confert emplastrū diachylon cum rosaceo dilutum. Perseuerante vero inflammatione, aqua marina calida vtilissime locus perfunditur, & cerata adhibentur, q̄ ad discutiendas inflammationes parari solent, qualia sunt ad inflammatas mammillas descripta. Inflāmatione aūt minime soluta, sed potius ad trāsmutationē conuersa, suppurationi cum cataplasmatis opitulari oportebit, perfectoq; iā abscessu, manuum operatio administranda est, cōmuniq; medicatione vtendū. Quod si depascentia superuenerit, hic quoq; eandē prorsus curandi rationē accommodabimus, quam superius ad sedis depascētias tradidimus. Neoterici vero, *vt Rondeletius*, ad testes inflammatos, si defluxio non constiterit, statim a sanguinis missione repellentib. vtuntur, & quæ ex succis herbarum frigidarū adstringētibus, vel earundē aquis parātur, addito aceto modico, vicinis partib. admouenda iubent. Iis aūt addere possimus repellentia crassa, *vt bol. arm. cortic. mali granati, & similia vt melius fluxio inhibeatur*, postea cataplasmatis ex repellentib. & discutientibus confectis vti, quæ parātur *ex succis semperuiui, vel plantag. vel solani, & farina hordei, cort. mali granati, & ros. & similib.* Fiat igitur cataplasma sequēs. ℞ *succi plantag. vel solani.* ℔ j *farinæ hordei.* ℔ ß. *ros. rub. cort. mal. granat. ana* ℥ j. *ol. ros.* ℥ iij. *fiat cataplasma, Solanum & plantago*, quia ob frigiditatem repellunt, & quodammodo siccant, magis conueniunt. Lithargyrū nutritum *in oleo ros. & aceto, vel succo plantag. digerit & refrigerat.* Si dolor oboriatur, mitigandus est iis, quæ maiorē vim relaxandi non habent. Pars enim ob copiam humoris, vel recremētorum, facile putrescit. Fiat igitur sic. ℞ *maluæ, viol. solani an. m. j furfuris p. ij decoquantur in sapa, & parti applicentur.* Si vero mitigandus est dolor inflammationis vergētis ad suppurationem, humidioribus vtendum. ℞ *maluæ, bismaluæ, an. m. j farinæ frumenti qr. j. farinæ fœnugræci, & sem. lini, an.* ℥ *ij. ol. viol. pingued. porci, an. qr. j decoq. & contusa per cribrum transmittantur, & fiat cataplasma.* Si hisce remediis parum profeceris, cataplasmate ex foliis hyoscyami vtēdū est. Decoquantur ergo *folia hyoscyami sub cine-*

Ceratum Aetii ad testium inflāmationes efficacissimū.

4

Ad testes inflammatos.

Repellantia.

Cataplasma.

Dolor quomodo mitigandus.

5

Dolorem sedans, & inflammationem naturā.

ribus, & contusa excipiantur axungia porci, reducanturque ad formam cataplasmatis. Dolorem sedat, & inflammationem maturat. Fit autem cataplasma sedans dolorem ex farina hordei & lacte. Si tumor resoluatur (*quod cognoscitur cum minuitur*) fiat cataplasma *ex farina oriza, vel cicerum, vel orobi cum oxymelite, vel sapa, vel vino, & applicetur*: vel emplastrum *ex calchytide reductum in formam cerati cum oleo antiquo, vel anethino, vel rutaceo, vel irino*. Si vero discuti non possit, sed suppuretur, vbi suppuratus fuerit, tum cuti ferro discissa, pus excernatur, vlcerique vt in omnibus aliis sordidis moris est, medeatur.

Observatio V.

De teste admodum indurato post inflammationem male curatam.

1 Sciendum quod male curata inflammatio testium, illis sæpe prædurum tumorem ex calore præpropere exstincto relinquit. Tum tubor, calor, & dolor absunt, durities vna persistit, cuius nonnihil plerumq; immedicabile permanet. Tale nuper contigit adolescenti, qui ad me consultandi caussa venit. Præcepi vt *ceratum de muccilaginibus* apponeret: quod cum diu fecisset, neq; ad rem faceret, iussi vt emplastrum meum de ammoniaco imponeret, quod equidē egregie profuit: maxime enim emollit, & digerit nonnihil. Eius exemplū dedimus in inflatione & duritie scroti illius ceruisiarii Delphensis, qui nec lotium reddere potuit. *Vide obser. 10. lib. 20. Obseruationum nostrarum*. Item huius libri secundam.

Scholia.

2 Difficile emolliuntur scirrhi testium, & carnosa hernia. Pars enim interna laxa est, ob id facile recipit excrementa, & recepta retinet inuolucris illis, quibus testes integuntur. Ea autem materia congelatione indurata, maximo cum negotio emolliri potest, & euacuari. Emolliūt fotus *ex oleis amygd. dulc. lilior. oleo dulci decoctis, vel in sapa, butyro recenti, vel axungia porci non antiqua exceptis*. Post emollientium vsum digerentibus vti conuenit. Digerunt *oleum amygd. amar. irinū, emplastrum de ammoniaco, oleum antiquum, dulce, rutaceum, nethinum*, possumus admouere in eundem vsum *emplastrum ceroneum*. Valent & *vngenta dialthææ, martiatum, si cum oleo amygdal. & viol. applicentur*. Quod si horum omnium vsu lōgo, tumor induratus emolliri non possit, tentandum est sequens cataplasma mirabile. ℞. *rad. mādragoræ recent.* ℔. ß. *hyoscyami, & alkek. an. m. j decoquantur in sapa, & per cribrum simul contusa mittantur, quib. adde radicis panacis* ℥ j. (*opoponacis loco rad. panacis, quē in decoct. macerare, liquare, deinde miscere oportet*) *& fiat ad formā emplastri, addendo ceræ parum, vel ad formam cataplasmatis addendo styracis* ℥ ß. Si post huius cataplasmatis

Emollientia duritiem.

Digerentia.

Cataplasma mirabile ad duritiem testium.

3 vsum durus tumor permanserit, de eius curatione desperandum, nisi per abscissionem, vel castrationem testis auferatur. Ceterum contingit, potissimū senibus, aliud vitiū scroto indurato omnino contrarium, nempe vt scrotum ipsum vna cū pene indecore pendeant. Solent enim iis, qui equo vehuntur genitalia lædi, ex materia frigida relaxante, aut ex longo & acuto morbo virium defectu pendet. Hic pituita primum digerenda est, ac repurganda, tum & astringentia illita iuuant. Vitanda sunt acetosa, lactuca, omneque olus frigidum. Et exsiccantia demū calida imæ spinæ, hoc est, ossi sacro, imponenda sunt, vnde nerui earum partiū ortū habent: ac in pube item si imponuntur, iuuant, nam & quæ Venerem excitant, huic vitio auxiliantur. Si ex nimia fuerit aeris caliditate, aut corporis defatigatione, in balneo frigido insidere genitalia restitui facit.

Si scrotum cum pene indecore pendeant.

Observatio VI.

De Scroti Apostemate ac Testium, ægri ignauia in corruptionem permutato, mox in gangrænam, hectica subsequente, & in mortem desinente.

1 Hæc membra, vt antea dictum est, facile inflamātur, & in apostema, ac demum in abscessum, transeunt, adeoque vlcerantur genitalia, vt & vitia quæ serpunt de facili oriantur. Putrefieri enim has partes facile contingit, qualia sunt quæ in humido fiunt: his accedit excrementorū & fœditatis propinquitas. Vnde & rustico cuidam, ac ignauo & sordido, cum tempestate valida ac pluuioso tempore equitaret, pluuia distillante & descendente in scrotum, atque ob ephippii duritiē molesta equitatione, suborta est ingens inflatio tam scroti quam testium, mox apostemate subsequente cum ingenti corruptione. Hic rusticus, forte paulo attentior ad rem, sui negligētissimus, ad longum tempus nullum admittit Medicū, donec corruptio subsequeretᵘ, mox & gāgræna succedente, adeo vehementi, vt carne corrupta ac mortua paulatim decidente, scroto putrefacto, tandē testes denudati fuerint. Tunc demum coa-

2 ctus, chirurgum ad se vocat Petrum Brielensem, nostrum familiarem amicum, cum rusticus prope Brielas habitaret. Chirurgus vero cū ægroto perpetuo adesse nō posset, vt æger Brielas accederet, vix tandem impetrare potuit. Accitus est Hugo Nieuenius Medicus Haghanus, qui & multa ac varia frustra adhibuit remedia, quantumuis optima, malo semper in peius procedente, hectica febre etiam subsequuta. Postremo & ego sub finem accitus sum, ægro nec tunc quidem victus rationem præscriptam obseruante. Quare tādem magna cum miseria mortuus est: quod fore, ab ipso discedens, prognosticum ante feceram.

Scholia.

3 Quomodo in his partibus sæpe oriantur inflammationes, seu (*vt Neoterici ac practici aiunt, qui Auicennam & Rhasem sequuntur*) apostemata, satis id ex supradictis liquet. Caussæ enim externæ, vt casus, percussio applicatio vnguentorum, & similium corrumpentium naturam, facile innotescunt, vt in hoc rustico, qui tempore pluuioso equitauerat: internę vero caussę ex fluxione humorum prædominātium habentur. Et quamuis ex omni genere humorum fieri velint, magis tamen ex calidis. Hæ enim partes plurima innata caliditate participant, nempe testes ipsi, ob spiritum gi-

Signa.

tum gignitiuũ. Interea ex frigiditate (*vt in iis qui testiculis priuantur, sicuti eunuchi, qui frigidi sunt & pituitosi, & in impotentibus per naturam*) ex confluxu humorum frigidorum. Si a sanguine, tumor & rubedo magis apparent. Ex bile ardor & dolor calor & febris, magis intenduntur. Si ex pituita, tumor mollior, & color ad album inclinans. Ex melancholico humore, tumor durus & niger. Signa vero caussarum primitiuarum ex relatione ægri dignoscuntur. Si in scroto & pellicula exteriori, facile innotescit. In substantia testiculorũ, non per visum, sed tactu, vt dictum est, depreheditur, tum ex maiori dolore ac sensibilitate. In scroto citius curatur, in testiculis etiã in principio, si æger errorẽ nõ admittat, & præcipue si terminetur per resolutionem, per saniem, malum. Curatio vero satis, ex superiorib. habetur, præmissa euacuatione vniuersali, & sectione venæ, in caussa calida, in frigida; cum pharmaco. Adhibeantur vnguẽta & emplastra, in principio ex repercutientibus, in augmento addendo aliquid ex resolutiuis: in statu præualeat resolatiua repercutientibus: in declinatione sola resolutiua satis faciunt. Vide de his practicos, Constantinum, Valescum, Gordonium, & Bertrutium, in quib. syluam medicamentorũ inuenies. Vbi igitur sit ex caussa calida, facta venæ sectione, vt antea dictum est, præcedente clystere leniente, mox humor calidus thamarindis & cassia expurgetur: loco affecto *argilla, vel cimolia terra, adiecto aceto ac oleo ros. vel herbis frigidis vna permixtis* imponantur. Si calor sit vehementior, fol. hyosc. mandr. papaueris addantur, victus tenuis & qualis febricitantium præscribatur. In augmento vtilis *farina fabacea, lentium, & muccilag. psillii, & oleum ros.* In statu *adiect. rad. altheæ, muccil. sem. lini.* In declinatione, *adiectis oleis lilio. cũ stercore vac. ino, & succo ebuli.* Reliqua vide apud Bertrutium, & alios antedictos. Si apostemata calida non resoluantur, & fiat suppuratio, ea acceleranda medicamentis iam sæpe dictis.

4 — *Prognostica.* — *Curatio.* — 5 — *Apostema caussa calida.*

Observatio VII.

De Apostemate frigido Scroti ac Testiculorum.

Nobilis tumorem durum habebat ex longa equitatione tempore hyberno, cũ ingens frigus esset. Frigidum hoc apostema esse, recte cõiecimus, cũ nulla adesset rubedo, & omnia accidentia remissa forent. Non solum scrotum tumidum erat, verum & tumor digitis compressus intus delitescebat, cum exiguo dolore, sine tamẽ punctura, calore, & febre. Huic aũt cũ aluus durior esset, clysterem statim iniici iussimus hoc modo paratum. ℞. *mercurialis, pariet. caulium rub. florũ chamomillæ, meliloti, summitatum anethi. an. m. j. seminis fœniculi, carui* (aderant & ventositates) *anisi, an. ℥ j ß seminis lini ℥ iij. fiat decoctio in aqua communi pro ℔. j. colaturæ adde benedictæ laxatiuæ, electuarii hieræ picræ, an. ℥ ß. diaphœnici* (nam pituitosus erat) *℥ iij. olei rutacei, anethini, chamomill. an. ℥ j vitellum vnius oui, salis gemmæ, & cõmunis, an. ℥ ß. misc. & fiat clyster.* Cum iam aluum satis deposuisset cataplasma sequens vt chirurgus, qui tunc aderat, loco affecto apponeret, mandauimus. ℞. *florum chamomillæ, meliloti, foliorum caulium ana m. j coquantur in aqua communi, ad mollitudinem pistentur, addendo farinæ fabarum ℥ j farinæ fœnugraci ℥ ß.* Postea, cum dolor aliquomodo augeretur, *adiecimus folia hyoscyami probe cocta & cõtusa, insuper addendo olei liliorum quantum sufficiebat ad consistentiam cataplasmatis, exiguo quoque olei chamomill. ad resolutionem adiecto.* Verum cum adhuc durum maneret scrotum vna cum testiculo, ceratum, vt apponeretur præcepimus, *ex amoniaco, & diachylon cum gummi, & de muccilaginibus concinnatum, quibus & seminis hyoscyami, & foliorum nõnihil incoctum esset.* Hoc autem cerato per aliquod tempus vtens ad perfectam sanitatem deuenit, facta resolutione, tumore paulatim liquescente.

1 — 2

Scholia.

In apostemate harum partium frigido ex materia pituitosa, conuenit purgatio ex diaturbith, si febris absit, & emplastrum ex farina fabarum, fœnug. aut cum cæpis liliorum, & foliis caulium, ac ficubus, inungẽdo frequenter cum oleo chamæmelino, liliorum, ac nardino, præcipue si scrotum apostemate frigido afficiatur, vel si posset resolui, resoluatur cum diachylone cum gummi, aut de ammoniaco, tunc enim resoluetur, aut breuius maturabitur. In apostemate frigido testiculorum Gordonius applicat emplastrum ex farina fabarum, ficubus, fœnug. sem. lini, foliis caulium, chamomill. farina ciceris, adipe renum. Si autem fortius requiratur, dissoluatur *bdellium in vino adiecto oleo sampsuchino.* Si in saniem apostemata testiculorum conuertantur, non sunt diu dimittẽda (*teste Valesco*) ne corrumpant substantiã testiculi, quæ multũ tenera & mollis est, & passibilis, & post corruptionem irreparabilis, vt de rustico egimus Obs. 6 huius lib. Et tunc statim, vbi vires cõstant, non est aliud remediũ, nisi totius testiculi ablatio, sicut fit in herniosis. Sed hoc in rustico nunc hectica affecto, & viribus cõsumptis fieri nõ potuit, in principio tamen corruptionis fieri potuisset, dũ vires constabãt. Si aũt sit apostema ventosum, fomentetur cum vino decoctionis rutæ, anisi, cumini, & similium. Si vero sia apostema aquosum, præcipue in scroto, vt in hernia aquosa, tunc conuenit fotus ex corticib. quercus, quib. coriarii seu calcearii vtuntur, quo fotu ego sæpissime feliciter vsus sum, vt de hydropicis diximus. Et in istis omnib. vel similib. fiant setones, si opus est. Si testiculus nimis in molem augeatur, emplastretur cũ hyoscyamo, & foliis coriandri recẽtis. Si paruus euadat, aut cõtrahatur versus interius, adeo vt aliquando non possit tangi, tunc foueatur locus frequẽter cũ aqua decoctionis calamẽti, & inungatur cum vnguento Aregon. Si fuerint ibi varices, curẽtur sicut apostemata dura: & si nimis prolongaretur, vt cadat versus inferius, tũ fomẽtetur cum stipticis. Si corrumpatur, abscindatur. Sed hæc ad hernias varicosas pertinẽt, de quib. lati⁹ suo loco.

3 *Apostema frigidum.* — 4 — *Apostema ventosum. Apostema aquosum. Testiculus si augeatur, aut contra quid agendũ.* — *Ad varices scroti.*

Observatio VIII.

De Scroti insigni pruritu, longo ac diuturno.

Iohannes Roeladus Delphensis, vir circa quinquaginta annos natus, anno 1581. cum scroti

1

insigni pruritu longo ac diuturno laborasset, ac nullo modo ab hoc fœdo malo curari posset, me deniq; accito, post vniuersalia remedia adhibita, mēse Martio, vena secta, & purgatione debite administrata, & corpore sæpi⁹ ab humorib. salsis repurgato, tandem hoc vnguento ad tempus commode vtens, a pruritu admodum molesto liberatus est. Ita habebat vnguentum. ℞. *vnguenti albi caphurati* ℥ j. *vngnenti diapompholygos* ℥ ß. *lithargyrii auri & argenti an.* ℥ ß. *terræ sigillatæ* ℥ j. *cretæ albæ* ℈ iij ß. *sublimati* ℈ j. *ducantur simul in mortario plūbeo cum pistillo plumbeo, admodum diu bene incorporando* (vt ita dicam) *fiat vnguentum.* Alias vt magis exsiccarent, in altero, cui ad scabiem humidam magis accedebat, huic vnguento adiecta fuit fuligo fumarii, vel cacabo adhærens.

SCHOLIA.

SCabies (*inquit Aetius lib. 14. cap. 19.*) quoque & pruritus, ex acrium humorum superficiem erodentium delatione, circa scrotum frequentissime exoriūtur: & si delati humores plures acriores fuerint, superficiem exulcerant, sin pauciores crassioresque concreti, squamulas gignunt, tunc magis pruritus, intenditur. Curatur id morbi genus congrua victus ratione, ac medicamētis, non nunquam, licet per quam raro, etiam chirurgia. Æger igitur ab acriū esu quā maxime abstineat, præcipue tamen ab oleribus: *olera enim mali succi sunt: omnia vero quæ offeruntur, bonum succum præstare oportet, qualis est potus lactis assiduus, ptisana, chondrus, gallinarum oua, porcellorum extremitates, ventriculi, vinum tenue dilutissimum & album.* Pro localibus vero præsidiis, præcipue squamulis vlceri adhærentibus, & dolore comitante, cataplasma e lomento cōuenit, vlcera enim simul mitigat & repurgat: lomentum autem propriè Ægyptiarum fabarum farina appellatus. Idem facit sesamum crudum, & eruina farina cum melle subacta, & apposita. Locis deinde repurgatis, & pruriēdi sensu hebetato, ad cicatrices inducendas properabimus, ꝙ in eiusmodi partibus optime facit misy cum sulphure viuo tritum, & myrthino cerato exceptum, & medicamentum quod e cadmia, quodq; ex hordeo cōficitur. Sed & hoc, iuxta Bayrum, egregie ad pruritum testiculorum, vel scroti facit. ℞. *cerussæ* ℥ vi. *sulphuris citrini* ℥ ij. *opii* ℥ j. *tere cum aceto & aqua, & vnge trib. vel quatuor vicibus.* Fomentatio *cum decoct. ebuli. applicare ipsa folia cocta calida, aut fomentare cum eis,* & abluere cum *decoctione saluiæ*, remouet pruritum testiculorum. Sal ammoniacum cum aceto est vltimum. At vbi leues exulcerationes, rosaceo & myrthino oleo inungimus, aut cerussa & rosaceo, addita gallæ farina. Exulcerationes vero vehementissimæ, quib. testes exesis tunicis denudati apparent, *rosa, santalis ac caphura, cum limoso rota, qua ferrum acuitur, sedimento, ex aqua strychni* restituuntur.

Egregie ad pruritum testiculorum, seu scroti faciens.

OBSERVATIO IX.

De Scroti Pruritu cum excoriatione.

VIr doctissimus, nobisque familiaris; sed admodum senex, octuagenarius, & fere decrepitus, incidit in molestissimam scroti pruritum, cū excoriatione epidermidis, cui vltro vrina ex lotii scaturigine in lecto effluebat, vnde & scabies pruriginosa exoriebatur, atque scroti excoriatio, ex lotii acredine. Hunc mense Aprili anno 1565. cū ad eundem acciti essemus, ab hoc malo, tædium haud exiguum inferente, vnguento subsequenti liberauimus. ℞. *vnguenti de cerussa.* ℥ ß. *lithargyrii* ℥ j. *olei rosacei, parum, fiat vnguentum.* Pannus lineus mundus hoc vnguento imbutus, frequētissime locis excoriatis & pruriginosis apponebatur, ac statim cōtulit: alioqui ad maiorem exsiccationem addidissem paululum pulueris lapidis calaminaris.

SCHOLIA.

EGregie etiam opitulatur (*teste eodem Aetio loco citato*) scroto in superficie extumescenti, cimolia terra cum aqua diluta, & illita, quam post illitionem exarefieri sines, deinde loco aqua tepida abluto, myrtum, aridam contritissimam, adiecta myrrhæ portiuncula, insperges: obducta vero cicatrice, nullaque iam molesta re, nec pruritu infestante, de curationis fine cogitari oportet. Sed si scabioso affectu sanato, pruriēdi sensus derelictus aut etiam exauctus sit, vel scrotum destillationem patiatur, nitrum cum vua taminia & alumine liquido, aceto rosaceo dilutum in balneo illini hortamur, deinde post balneū, albumen oui cū melle applicari. Ad vehementem autem intolerabilemque scroti pruritum, fex aceti arida cum vino irrigata confert, quam eodem prorsus modo adhibebis, sicut de alio medicamēto proxime diximus, illito postea oui albumine, cuius vires si intendi volueris, ipsam adurito. idē potest alumen cum melle affatim decoctum, ac reliqua, quæ ad pruritus prædocuimus. His ex Neotericis adiungere poteris tū ea, quæ scribemus de pruritu vuluæ, tum quæ inferius de pruritu & scabie.

OBSERVATIO X.

De Scroti vlcere ac Testiculorum.

AVctores fere pleriq; sub vno capite tractant de vlceribus virgæ & testiculorum, & quæ in ano contingunt, & Neoterici in hoc ipso potissimū sequuntur Auicennam. Paulus Ægineta idem facere videtur. Et ita vlcera quoque contingunt in scroto, & si vlterius procedant vsq; ad testiculos, fiunt multo maligniora, quemadmodum & alia vlcera maligna, quæ in virga ac ano (vt antea quoque diximus cum de iisdem vlceribus ageremus) sæpius fiunt depascentia, cum facile eiusmodi partes ob humiditatem corrumpantur. Potissimum vero, inquam, id in istis vlceribus testiculorum fieri consueuit, vt de rustico paulo ante ostendimus: sæpe adeo ad mortē terminātur, nisi præsto, peritus adsit Medicus vel chirurgus. Sic nuper cuidam omniū primo scrotum exulcerabatur, & breui ad testiculum vsque vlcus processit. Ad hunc cum chirurgo accitus, ne sua malignitate magis serperet, ante omnia purgationem exhibui, primo tamen medicamento leniente, ac minorante, ex cassia cum aqua fumariæ præcedēte. Post paratam materiam, syrupis conuenientibus epotis, eam ipsam materiam purgauimus *cum confectio-*

confectione hamech, & cum syr. ex infusione ros. pallidarũ, vt methodus exigebat. Chirurgus vero ad mundificationem peragendam procedebat cum *vnguẽ apostolorũ, pauco mox adiecto vnguento Ægyptiaco*. Et subinde ne vlcus ambulando magis serperet ac penetraret, tale vnguentum etiam paratum fuit. *℞ tutbiæ præparata, minii, plumbi vsti, antimonij. ana ʒ ij. puluerisentur, & cum oleo myrtino, q. s. pauca adiecta cera, formetur vnguentũ*. Modo redibat Chirurgus ad mundificationem cum vnguento apostolorum, adiecto quoque vnguento Ægyptiaco, iis vtcunq; administratis plus additũ est de vnguento Ægyptiaco: sic enim caro maligna postea facilius amouebatur, cum præsentia optimæ saniei, vel puris, vt deinde ad incarnationẽ perueniret. Deinde paulatim procedebat cũ incarnantibus: quale illud est. *℞ aloes hepaticæ sarcocollæ, anethi combusti, thuris, lapidis hæmatit. ana ʒ ij. aluminis vsti, acaciæ, floris æris, ana ʒ ß. puluerisentur, vt decet. & cum oleo rosaceo fiat vnguentum*. Lauabat etiam vlcus *cum decoct. ros. rubr. balaustior. myrtill. cum modico aluminis in vino rubro & aqua plantaginis decenter decoctis* cicatrisabat vltimo (*vt ita loquar*) *cum vnguento de minio*.

SCHOLIA.

Ad vlcera scroti & testiculorum quæ valent.

ADvlcera scroti ac testiculorum eadem valent, quæ de vlceribus virgæ scripsimus ac penis: atq; hoc vnguentum præcipue prodest, quo Gordonius vtitur. *℞ lithargyrij, cerussæ lotæ, cadmiæ, acaciæ, corticum granat. sanguinis draconis, tuthiæ ana ʒ ij. aloes, sarcocollæ, thuris, aluminis, ana ʒ j. puluerisentur, & addatur cera & olei ros. q. s. fiat vnguentum*. Hic tamen sciendum, quod in vlceribus & communis aliorum vlcerum scopus sit obseruandus, vt prius mundificentur, deinde consolidentur, ac cicatrisent, sed hic, vti alias sæpe diximus, siccioribus opus est. His adiunge ea, quæ de vlcerib. genitalium antea scripsimus. Quod si a sudorib. vlcera in scroto excitentur. Paul. *lib. 3. c. 54*. gallam detritam, vel alumen inspergit pingui & hircino felli, & perungit. Porro ad testes incensos, terrã cimoliam cum aqua prius illitam, finito siccescere, calidan aqua abstergito, myrtũ siccam, & smyrnii [illegible] in puluerem redactum applicato. Si caro in [illegible] culis excreuerit, cinis sarmentaceus nitro & [illegible] imbutus curat inductus. Pruritu scrotum irritante, nitrum, pedicularia, (*Græci staphydagriã appellant*) alumen liquidum, aceto contritum, rosaceoq; illinitur in balneo. Vbi laueris candidus oui liquor cum melle parti inungitur. Bertrutius vero ad vlcus & corrosionem in virga, aut testiculis, commendat oleum vitellorum ouorum, quod sic fit. *℞ oua 12. gallinarum recentia elixentur in aqua, donec indurentur, & deinde vitella ouorum frigantur in sartagine, donec quasi adurantur, & tunc succus, qui est in eis exprimatur cum spatula, vel destilletur in alembico sicut aqua rosacea*, quod melius est, corrosionem prohibet cum virtute. Idem facit *vng. album & citrinum Nicolai*. Nunc ad Ramices & Hernias descendamus.

Si caro in testiculis excreuerit.

Oleum vitellorum ouorũ valẽs ad vlcus & corrosionẽ in virga vel testiculis.

OBSERVATIO XI.

De Ramice inguinis, Græcis Βουβωνοκήλη dicto.

ANno 1549. mense Aprili, filia Iohannis Pynsonii. Præfecti de Wassenaer, puella annorum 12. quæ per semiannum hernia inguinali, laborauerat, neque a Medicis, quantumuis doctis, quorum opera vsa fuerat, sanari potuerat, ad me, cum Alcmariæ habitarem, consultandi caussa vna cum matre accessit. Huic inprimis victum conuenientem præscripsi, vt a leguminibus cibisque flatulentis abstineret, atq; vt hunc bolum omnium primo deuoraret præcepi. *℞. cassiæ recens ex cannis tractæ ʒ vij seminis dauci pulu. ℈ j. ß. zacch. asperso fiat bolus*. Inde bis aluum deposuit, & sic fecibus communibus hoc modo eductis, hoc fotu vsi sumus, vt commodius intestina prolapsa in suum locum reducerentur. *℞. rad althææ mundatæ ʒ ij. folior. maluæ, florum chamomill. meliloti, summitatũ anethi, an. m j. seminis lini ʒ ß. fiat omniũ decoctio in aqua communi pro ℔. j. ß.* quo quidem fotu hoc tempore sine magno negotio intestina in locum suum reducta fuere. Quare matri præcepimus, vt filia diligenti cura quotidie locum affectũ inungeret oleo ouorum, myrteo, & hyperici simul commixtis, & vt mox ceratum, contra rupturam applicaret per plures dies, & subligaculis ad hoc aptis vtens, recte cincta semper filia procederet. Præterea præcepi, vt interea perpetuo vteretur cerisia, in qua decocta esset radix consolidæ maioris, exiguo adiecto zacch. ad saporem. Et si venter aliquando constringeretur, cassiam recenter e cannis tractam ad vnciam vnam sumeret, ad aluum deponendam. Istis continuatis remediis, & victus rationem diligenter obseruans, qualem in scriptis, dederam, & optimum vitæ regimen ad eiusmodi affectum faciens, hæc tandem recte curata fuit.

SCHOLIA.

Κήλη. Ramex, Hernia, Ruptura, Crepatura.

KΗΛΗ Græcis, *Hernia*, seu *Ramex*, Latinis, *Ruptura & Crepatura* barbaris Medicinæ scriptoribus dicitur. Est enim κήλη nomen commune inflammationibus arteriæ, vmbilici, scroti, & inguinis, sed varias propter affectiones materiæ, siue partis accipit appellationes. Si enim in aspera arteria fiat tumor, vt plerisq; accidit ex potu aquæ ex liquefactis niuibus, quæ Alpinis & aliis montanis in vsu est, βρογχοκήλη Græcis *gutturis Herniã*, Gallis dicitur. Quando vero vmbilici ligatura laxitur, ὀμφαλοκήλη Græcis vocatur. Quod si intestinũ supra inguina exeat, βουβωνοκήλην Græci *Ramicem inguinis*, Latini appellant. Hæc *Hernia Bubonoceli*, seu *Ramex in inguine prominens*, virorum atque mulierum communis est, secundum enim inguinis partem fit, quam & *Bubonicã Herniam* vocant. Mulieribus sæpe accidit, cum laxatur foramen illud, per quod ligamentũ vteri ad internã inguinis partem descendit, aut disrumpitur peritonæum, propter fœtus magnitudinem aut multitudinem, vt in his, quæ duos aut tres pariunt, accidit aliquando. Contingit & puellis, ac pinguibus (*quemadmodum & huic puellæ contigit*) ex alia caussa quacunque violenta. Sed alias de caussis. Nunc de nominibus agamus. Illabuntur aut. in

Βρογχοκήλη. ὀμφαλοκήλη. Βουβωνοκήλη.

varia ex quibus Ramicum differentia statui solent. Cum, inquam, intestinum in scrotum infra delapsum est. *Intestini ramex.* Græce ἐντεροκήλη dicitur. Proinde si rupto peritonæo, omentũ duntaxat in scrotum descenderit, ἐπιπλοκήλη Græcis, *omenti ramex* Latinis dicitur. Si & simul omentũ & intestinũ quoq; delabantur, Græce ἐπιπλοεντεροκήλη, id est, *omenti intestiniq́; Ramex* nominatur. Si vero flatus vel aquæ huius affectus sunt caussæ, ab his nomẽ accipit hernia, vt si aquosus humor in parte aliqua corporis implicatus in scrotũ colligitur, ὑδροκήλη. *Hernia aquosa* dicitur. Si & alius humor prꝫter aquam in scroto continetur, vocatur & hæc a barbaris *Hernia humoralis*, seu *Hernia humorosa* Quod si flatus hunc affectũ gignit, πνευματοκήλη, id est, *Hernia ventosa, vel flatulenta, vel flatuosa*, vocatur. Sicuti ab aqua hydrocele dicitur, ita & ab adnata carne Sarcocele Nam & duæ sunt species prꝫter dictas: quarũ vna σαρκοκήλη Grꝫcis, Latinis vero, *carnosa Hernia* dicitᷣ, altera κιρσοκήλη, id est, *Varicosa*. Vbi itaq; venæ, quæ testiculos nutriunt varicũ more dilatantur, & vltra modũ repletæ glomerantur, Græci vitium hoc κιρσοκήλην, hoc est, *varicosum Ramicem* appellant. Aliquando etiam complicantur hi affectus, vt aqua cum spiritu descendat, aut simul cum omento, vt paulo ante diximus, intestinũ delabatur, tunc & nomina eorũ complicantᷣ, vt de Epiploenterocele dictũ est. Idem de aliis est iudicium vtriusq; appellationis nomina coniungentes. Ita & situ partiũ: sic *Bubonecele* dicitur, ꝙ in inguine fiat: *Oscheocele*, ꝙ scroto, & hæc ipsa hernia, quæ in scroto fit, virorũ duntaxat est. Hanc distinctionem præcipue Græci faciunt. Barbaram a. sectantes Medicinã, qui Auicennam & reliquos sequuntur. Practici dicti, Herniam in septem species seu differentias distinguunt, voluntq; Herniã ad rupturã & relaxationẽ nomen generale esse, tum ad Herniam humoralem, aquosam, varicosam, & intestinalẽ. Hoc nomen Herniæ quidã *vt Valescus*, deducunt ab hæreo, eo ꝙ fortiter adhæret ægris, in quo vocabulo demõstratur fortitudo adhæsionis & difficultas separationis. At melius Hernias (*vt inquit Celsus*) vocant a duritie pellis, quæ fit post intestinorũ descensum. Hernium n. durum & asperum dicitur, tractum a Sabinorum lingua, qui Hernia saxum vocant. Prima itaq; species est apud eosdẽ Neotericos, *Ruptura*, quæ *Auic. teste 21.3. cap. proprio*, proprie fit propter fissuram panniculi continentis zirbum, seu omentũ, & intestina, id est, peritonæi, postq̃ per foramen transit zirbus, vel intestinum, vsq; ad inguina, vel partes inferiores, & ista proprie dicitur Ruptura, quæ species herniæ, secundũ quosdam, rarius fit: quamuis etiam subinde frequenter fit, potissimũ in nautis & marinis. Alia species herniæ est, quæ huic assimilatur, quantum ad eminentiam, quæ dicitur *Relaxatio*. Vnde Relaxatio est dilatatio didymi vltra suã naturalem stricturã, cum descensu zirbi, vel intestini, per concauitatẽ eius ad partes subiectas, & aliquando vsq; ad testiculos. Hæc euenit frequentius, & potissimum in pueris, ob superfluam humiditatem eorum, & neruorum mollitiem. Istæ autem duæ species, *secundum Practicos*, sunt magis famosæ. Tertia species herniæ, secundũ eosdem, est *Humoralis*, quam alii proprie reuocãt ad apostema scroti, vel testiculorũ, de qua antea dictum est, atq; eius caussas recensuimus. Quarta est hernia *Aquosa*, quæ fit ab aqua descendente ad scrotum, vel ad vnam partẽ in folliculo, vt illi loquũtur. Quinta species dicitur *Varicosa*, cum multis crassis venulis circa oscheum inuolutis, quæ dicuntur varices. Sexta vocatur *Carnosa*, quia ibi generatur caro in eodem loco, aliquando in inguine, vt nonnulli volunt, sed rarissime. Septima species dicitur *Ventosa*, eo quod ventositas congregatur in scroto testiculorum. Hæc de nominibus. Vide Leonellũ *De morbis med. c. 72. de Hernia generib.* De quibus omnibus agemus, & primo exemplo hic interposito, de Hernia inguinali.

4 ἐντεροκήλη.

ἐπιπλοκήλη.

ἐπιπλοεντεροκήλη.

ὑδροκήλη.

Hernia Humoralis.

πνευματοκήλη.

σαρκοκήλη.

κιρσοκήλη.

5

Oscheocele.

Septem differentiæ Herniæ apud barbaros.

Ruptura.

Relaxatio. 6

Hernia humoralis.

Aquosa.

Varicosa.

Carnosa.

Ventosa.

Observatio XII.

De viro quodam Hernia inguinali laborante.

Solet autem Ramex inguinis, vel intestinorũ, accidere ex violenta quadam occasione præcedente, nempe ictu, aut saltu, aut clamore, aut immensæ molis sublatione, quod viro cuidam crasso & pituitoso euenit, cum pondus graue sustulisset, ita vt peritonæo perrupto, intestinum ileon descenderit, ac in meatu illo remanserit, nec ad scrotum peruenerit, & in bubonocelen inciderit, seu herniam inguinalem, in ipso nimirum inguine affecto consistente. Eminentia apparebat exterius ad magnitudinem oui: cumq; tempus tunc niuosum ac frigidum, & hyems asperrima esset, loco plurimum dolente, quod intestinũ fecibus tandem repletum minus impelli posset, quibusdam sacculis calidis appositis, dolor plus æquo auctus est, ita vt tandem ad hominẽ accitus fuerim. Cum igitur aluus illi resisteret, ac, ob excrementa intestino impacta, durior esset, ventositate quoq; impediente, statim præcepi vt clyster sequens iniiceretur. *℞. rad. althææ mund. ℥ j ß. folior. maluæ, althææ, brancæ vrsinæ, mercurialis, betæ, ana m j florum chamomill. meliloti summitatũ anethi, ana p j seminis lini, fœnugr. an ℥ ij. fiat decoct. in aqua commun. pro ℔ ij ß. libra vna & semis* [illegible] *pro fotu, altera ℔ pro clystere, in qua dissolue* [illegible] *bei, cassiæ pro clysterib. an. ℥ j. electuarij* [illegible] *℥ vj. olei chamomill. amygd. dul. olei commun. an. ℥ j. vitellũ vnius oui, salis commun. ℥ j salis gemmæ ℥ ß. misc. & fiat clyster. qui statim iniiciatur.* Ter aluũ deposuit, prius dura stercora, in fine liquidiora: mox, decenter cum spongiis adhibito fotu, intestinum prolapsum reductum fuit in locum pristinũ. Locus deinde inunctus vnguento infrascripto, vel huius æmulo. *℞. olei hyperici, abietini, ros. myrtin. cotoneorum, masticbini, an. ℥ ij. corticũ thuris, mastichis, mumiæ, boli arm. sanguinis draconis, sarcocollæ, an. ℈ ß. puluerisentur, & cum prædictis oleis probe cõmiscendo, adiecto ceræ exiguo, fiat vnctio & desuper ponatur emplastrũ de pelle arietina & compressionib. demum constringatur, subligaculis debite vinctis, vt artis est.* Illis præsidiis vtens, quiete se domi ad tempus continendo, recte deinde se habuit.

1

2

Scholia.

SCHOLIA.

3 *Qualis affectus.*

NOn desunt ex Neotericis, qui tantum duplicem Ramicem constituunt, *Mirachialem* & *Oschealem*. Est autem vnaquæque excrescentia & magnitudo scroti, vel partis mirach. Ex quib etiam patet quod hic sit morbus cõpositionis, quoniam est in quantitate aucta partis ramice affectę. Interea hic affectus habet caussam multiplicem, prout omentũ vel intestina in scrotum vel inguina descẽderint, ex relaxatione, mollificatione, aut solutione continui, aut ruptura: vel quod aquositas ex vitio hepatis, digestione eiusdem diminuta, ad scrotum effluxerit: vel ventositas, quæ genita fuit a cibis, & calore debili. Verum antequã caussas horum affectuum explicemus, primo præstat inquirere caussas rupturæ & relaxationis, deinde vniuscuiusque ramicis seu herniæ per se; vt & probe certis deinde signis vnaquæque species internoscatur.

Caussa rupturæ & relaxationis.

Quod vero ad caussas rupturæ & relaxationis attinet, quædam sunt primitiuæ, vel procatarcticæ, estque omne illud quod facit ad fortem expulsionem omenti, vel intestini, versus partes subiectas, vt sunt, casus, percussio, ludus, balistæ, vibraturæ, hastiludiũ, cursus, saltus, clamor, vociferatio, hinc concionatores, cantores, tubicines, athletæ, rupturam incurrunt: adhæc etiam, leuare & portare grauia pondera, lapidum iactus, equo celeri currere, lanceis sese exercere, vti nobiles ac milites; potissimum hæc ipsa tum vehementia exercitia, post repletionem.

4

Oritur quoque malum post coitum superfluum, inordinatũ, ac propter tussim fortem & laboriosam: & nihil æque nocet ac coitus super repletionem. Si fortes hæ caussæ fuerint, ac violentæ, magis rupturam inferunt. Si debiles, accedentibus aliis caussis internis, relaxationem inducunt; quamuis præcipua caussa relaxationis est humiditas excedens in partibus iam dictis, & humorum fluxiones ad easdem partes, præcipue debilitatas, defluentes, & quæcunq; remolliunt & relaxant, & quamuis humiditas sit caussa præparans, fortis tamen cõpressio omenti, vel intestini, perficiunt relaxationem.

Caussa ramicis intestinorum & inguinis.

Sed quod ad particulares caussas attinet vniuscuiusque speciei, iuxta eos, qui Græcos sequuntur. Ramices intestinorum, vel inguinis, fiũt, vel quod peritonæum plus æquo extenditur, vel quod rũpitur. Vtrumque (*vt iam diximus in præcedente obseru.*) ex violenta quadam occasione præcedente: nempe ictu aut saltu, aut clamore, aut immensæ molis sublatione, accidit. Aliæ caussæ nunc dictæ idem malum quoque inferunt.

5 *Caussa Ramicis aquosi.*

Aquosus vero ramex quandoque ex occulta, quandoque ex manifesta contingit caussa. Ex occulta quidem, quando exauctis vasis in scroto contextis, aquosus humor propulsus, & sanguini permistus, ad eas partes decubuerit. Ex euidenti autẽ quum, propter ictum collisis aut fractis vasis, sanguis subinde alimenti ratione defluens, in aquosam serosamq; substantiam mutatur. Sed de his latius cum de hydrocele exempla aliquot adferemus. Satis est nunc scire, quod inter erythroidem & testiculum, darton & erythroidẽ, aut etiam in scroto, aquosa sanies, aut aqua colligitur, vnde Hydrocele.

Caussa flatuosi Ramicis.

Id recens natis puerulis sæpe contingit, facileq; discutitur: vti etiam flatulentus Ramex; cuius origo quicquid flatum gignit, vt cibi omnes flatuosi, legumina, &c.

Carnosi Ramicis caussa.

Carnosus vero ex latẽte caussa nascitur, testiculo fluxionem experto, induratoq;, aut imperita post ramicis succisionem curatione. Reliquorum ramicum caussæ ex eorundem descriptionibus satis patent. Hæ autem caussæ clariores euadent ex obseruationibus sequentibus.

OBSERVATIO XIII.

De Ramice inguinis recenti, & facile curato.

1

AD iuuenem in inguine ex forti saltu dolẽtem vocatus, ex eminentia animaduerti, leuem esse rupturam in inguine, ad formã nucis iuglandis. Imperaui, vt se quietum teneret; & compressione facile subsidente ruptura, intestino etiã recedente, locus inunctus est oleo nepitæ, ouorum, & myrteo. Iussi deinde, vt ceratum contra rupturam apponeretur, fasciis latis supra inductis. Atq; is bono victu ac consolidante vtens, breui admodum fuit curatus.

SCHOLIA.

2 *Signa distinguentia rupturam a laxatione.*

CVm de caussis diximus, ad signa progrediamur, & primo de communib. signis agamus, & quantũ ad signa communia attinet, omni speciei herniæ est eminentia & additio augmentata. Differunt tamen omnes inter se multis modis. Enim vero distinguuntur a ruptionib. laxationes. Rupturæ enim in lateribus ilei fiunt post ictum, aut saltum vehementẽ, vt in hoc iuuene, vel corpus contorquendo: nec in his apparet magnus tumor in principio, sed progressu temporis. Magis enim ac magis peritonæum disrumpitur, & tumor immensæ magnitudinis, & in summa cute eminet, quod scilicet intestina extra peritonæum dilabantur, & a sola cute sustineantur. Has consequitur dolor pungens, & quasi lacerans. Relaxationes autem tantum eueniunt circa foramen per quod vasa & musculi cremasteres ad testes descẽdunt. Præterea distinguuntur ab inuicem relaxationes. In aliquibus magnus & inæqualis tumor: in aliquibus crescens & decrescens citra dolorem apparet.

3

Eadem fere considerat interpres Hollerii, an ruptum sit peritonæum, an relaxatum. *Ruptura*, inquit, *fit in lateribus ossis ilium, post saltum ictum vehementem corporis contorsionem. Initio tumor paruus, progressu temporis augetur: paulatim enim magis disrumpitur peritonæum, & prolapsa non sine dolore reducuntur: nam in ruptura fit dolor magis, si intestinum elabatur; quoniam membra habent sensum acutum. In relaxatione, etiamsi reducantur, non dolent, quouis modo contractetur relaxatio.*

Notæ communes ramicis inguinis & intestinorum.

Sed & notæ vtrique, intestinorum nimirum & inguinis ramici, communes sunt. Conspicuus enim in scroto, aut in inguine, tumor est, q in exercitiis, itinere, spiritus retẽtione, aliisq; occasionib. maior q̃ã ante euadit; cõpressus tarde quidem recurrit, celeriter autẽ rursus deuoluitur. Sed habent hæc, tũ reliquæ species etiã signa sibi propria.

Signa Enteroceles.

Nã Enterocele augetur vel minuitur ratione materiæ collectæ. Intestinũ, ægro quiescẽte, vel resupinato

rursum retrahitur, & in loco permanet, aliquādo pars altera in scroto residet: tumore vel cibi satietate crescit, frigore contrahitur: intestinū clamore relaxatur, scrotum relucet, & multum distentū apparet, & magis in vna, quam in altera parte. Aliquando tactu discernuntur excrementa indurata. Cum autem remouetur intestinum, & ad inguen retruditur, sentitur flatulentum murmur. Tumor autem sine inflammatione, si intestinum descenderit, non minuitur; modo increscit, si ambulauerint; mane detumescit, estq; sine dolore cū quiescunt: aut iacet ex toto interdū: pueris præsertim desidet: clamore, satietate, vel pondere crescit, frigore contrahitur, calore diffunditur; scrotumq; est rotundum, est & tactu lene; si comprimitur, ad inguen diuertitur seu reuertitur, dimissumq; iterum cum quodam murmure deuoluitur. Si autē ileon, vel omentum, in inguine exeat, rupto peritonæo, tumorque ibi remaneat, nec perueniat ad scrotum *Bubonocele*, vt diximus erit; in ipso nimirū inguine affectu consistente. In mulieribus (*vt antea quoq; retulimus*) fit ob fœtus magnitudinem aut multitudinem. Alioqui raro hernia laborant, quod peritonæum firmius continendo fœtui habeat. Epiplocele dignoscitur a tumore, qui magis in osse pubis fit, q̃ in scroto. Tumor autem permanens est, nec minuitur, sed semper perseuerat, siue ieiunet, siue huc & illuc corpus moueatur, aut quouis modo collocetur. Si vero retineatur spiritus, nō adeo increscit, tactu inæqualis, mollis & lubricus sentitur. At quāuis in Enterocele fit quoq; tumor mollis, & repente natus, augetur tamen, vt diximus, vel minuitur pro ratione materiæ collectæ: iam quoq; scrotum multum distentum apparet ac magis in vna quam altera parte: retruso intestino murmur percipitur: tū reliqua supradicta adsunt, atque insuper excrementa nonnunquam indurata per os reddūtur, vt in iliaca passione. De aliis signis aliarum specierum mox dicemus: nunc iterum exemplum adferamus, de infante lactente Bubonocele laborante.

Signa Bubonoceles.

Signa Epiploceles.

Differentia inter Epiplocelem & Enterocelem.

Observatio XIIII.

De Bubonocele in infante.

SOlet autem pueris, etiam infantibus, aliquando ex fletu eiulatuque modo bubonocele, modo enterocele cōtingere: imo aliquando ex repletione immoderata, & forti in egerendo expressione, & flatuū aliquorum plus iusto irrepentium superabundantia, quum eorum peritonæum sit tenerum, facile rupturæ obnoxium. Ita infans, qui nutricē adhuc sugebat, ad me delatus est, tumorem admodum exiguum in inguine habens. Hoc vero malū cum puerulis sæpe accidat, vti & enterocele, tanquam magis humidis, facile tamen aliquando curatur absq; manu medica impositiue medicamentorum, & commoda ligatione sola sępius curatur. Tamē, ne nutrix & mater pueri sine remediis a me discederent, consului, vt medicamentum ab Auic. & Gal. commendatum, (*quale etiam ponitur a Sebastiano Austrio in libello suo, De puerorum morbis,*) ammeos, inquam, semen cum oui albo nutrix aspergeret, atq; panno subtili inuolueret, demū ramici superponeret; aut lupini assati, cum myrrha friati, portiunculam cū vino cocti, sub æquali pondere denuo cum panno, emplastri modo inguini vtiliter apponeret. Quæ si non iuuarent, vt ad emplastrum ipsius Auicennæ venirent, quod & puerorum herniam consolidat. Habet *corticis granat.* ℥ x. *gallarum immatur.* ℥ v. *cum vino adstrictorio coquantur exactissime, intestinis vero prius ad interiora retrusis, atque cum aqua loco adfecto abluto denuo emplastrum hoc applicetur; neque deponatur, nisi unius hebdomadis, aut decem dierum, ad minus spatio elapso.* Plura vide apud eundem Sebastianum ex Auicenna, Galeno & Rhasi, tum Neotericis collecta.

Scholia.

ANtequam iterum ad reliqua signa perueniamus, sciendum quod tendo quidam membranosus sit, vtrinq; ab inguinibus procedens, in peritonæū exporrectus, cuius robore peritonæū confirmatur. Atque hinc omentum & intestina. Relaxatus herniam facit, descenditq; plus minusve intestinum & omentum, aliquando in inguina nonnunquā in scrotum, vt diximus, vnde nomina Enterocele & Epiplocele, & in inguine Bubonocele. Aliquando rupto peritonæo idem fit, *vt diximus.* Grauius malum est, vt postea de signis prognosticis dicemus, cum intestinum descēdit, intestinumq; in scrotum deuoluitur. Supprimūtur feces, regurgitātq; in ventrem. Testiculus crythroide tunica vestitur. Post hanc vero adnata est dartos. In superficiem extenditur folliculus genitalis, quod ὄσχεον Græci, *scrotum* Latini vocant. Ad ossa pubis nō perforatur peritonæum, sed productio quædam illius descendit in scrotū, per cuius meatū vasa spermatica, arteria scilicet & vena, perreptant ad testes, & per eundem locum eiaculatoria ascendunt, vt inserantur collo pudendi. In hac productione multi tumores fiūt, quos Græci (*vt diximus*) κήλας vocāt, modo in secroto, modo supra scrotū, qua parte in illud descendit. Quorū omnium caussa est (*vt de caussis latius retulimus*) vel flatus, vel aqua ibi contēta, aut caro, aut tumor venarū varicosus, vel delapsa pars aliqua ex his, quæ intra peritonæum continentur, vt intestinum & epiploon. Idq; fit vel rupto peritonæo, vel relaxato & hiante. Ex omnibus autem intestinis solum ileon (vt etiam probat Interpres Hollerii) in quo chylus semper continetur procidit. Nam rectū in anum cum relaxatur, descendit. Colum adligatū est renibus, & altius ascendit in ventriculum. Ieiuna & tenuia intestina, sublimiora sunt. Ileon itaq; tantum superest, vel cæcum. Neque enim de duodeno vlla dubitatio. Duo igitur in his affectibus statim initio distinguēda sunt, an sit aqua, vel flatus, vel caro, vel varicosus ramex: in mulieribus, vt paulo ante recensuimus, laxatio foraminis ligamenti descendentis ad internam partem inguinis, aut ileum delapsum, vel epiploon: nonnulli addunt musculos ruptos epigastrii. Deinde si quid descenderit, qua parte sit, & an ruptione, an relaxatione id fiat. Si aqua fuerit (*vt in Scholio Obseruatio. vndecima huius libri narrauimus,*) hydrocele

cele: si flatus, pneumatocele: si caro, sarcocele: si varices, cirsocele: si ileon, enterocele: si epiploon epiplocele nominatur. A situ vero partium bubonocele (*de qua nunc aliqua exempla protulimus*) in inguine: oscheocele in scroto dicitur. Quibusdam testiculus in inguen translatus imposuit, vt herniam crederent. Aliquando etiam hi affectus (*vt etiã prius admonuimus*) inter se complicantur. Sæpe vehemẽti imaginatione libidinosis colligitur semẽ inter tunicas testiculi, vt videatur quædã esse sarcocele aut hydrocele. In quibus omnibus cauendum, ne iudicando fallamur. De signis enteroceles & Ramicis inguinis ac intestinorũ, scilicet & bubonoceles, ac epiploceles, & de earũ inter se differentia Scholio præcedente diximus. Illud his quoq; addendũ, quod in epiplocele percipiatur veluti strophilũ molliusculum, lubricum, inæquale, præter alia nunc relata. Vtrumq; quoq; in his duobus fit, nempe in enterocele & epiplocele. Videndum autem inprimis an ruptũ sit peritonæum, an relaxatum: *quod & inuenies in principio Scholii obs. 13.* Nunc ad aliarum specierum signa progrediamur, iterum, ad maiorem enucleationem, obseruatione aliqua interiecta.

OBSERVATIO XV.

De quibusdam ab Hernia inguinali probe curatis.

BVBONOCELES, seu Herniæ inguinalis curatæ aliquot exempla recensebimus. Iuuenis quidam an. 1556. in principio mensis Maii Snello Nicolaus (*sic illi nomen erat*) filius Ioannis Præf. Neoburgii, auunculi vxoris meæ, annos triginta quatuor natus, cum fortiter equitasset equo duriter gradiente ab vrbe Alcmaria Harlemum versus, incidit in bubonocelem, seu inguinis ramicẽ. Ad quem statim accitus dum malum adhuc recens esset, & nõ adeo magnum (*nam vix ad magnitudinẽ nucis iugulandis ruptura in inguine apparebat*) reductis facili manus impulsione intestinis, locum inungere feci oleo myrteo, & ouorum; demum emplastro imposito contra rupturam, ex pelle arietina; ligaturaq; consueta, vt fieri solet, adhibita, deinde eundem per totũ tempus curationis supinũ in lecto detinuimus. Et quod mensis Maius esset, ac omnia viridia ad manus forent, præcepi, vt bis in die ex hac potione sumeret: ℞. *rad. consolidæ maioris, radicis sigilli Salomonis, rad. glycyrrh. ana ℥ ß. herbarum, viridium valerianæ, nepitæ, consolidæ minoris, osmundæ, plantaginis. flor. rosa. rubr. ana m ß. seminis anisi ʒ j. fiat decoctio in cereuisia communi pro ℔ j. ß.* Satis dulcis erat decoctio ob glycyrrhizam, vt non opus fuerit zaccharum addere. Fuit ter quaterue hæc potio reiterata. Pro potu vtebatur in cœna & prandio subinde vino rubro, & optimam victus rationem obseruabat: interea abstinendo ab omnibus flatuosis cibis, a lacte, fructibus, omnibusque leguminibus, rapis, aliis, & cœpis, & omnibus oleribus; ab omnibus denique cibis humorem crassum gignentibus, quales sunt res frictæ in sartagine, pisces, panis azymus, caro porcina bubula, caseus, vina crassa & dulcia. Mãdaui quoq; vt abstineret ab omni motu, saltu, & ne iã curatus scalas ascẽderet, aut montes; neque equitaret, potissimum in equo feroci, aut curreret, vel cito ambularet, neq; vt alta voce caneret, aut anhelitum fortiter retineret; ceratum vero contra rupturam non amoueret, neq; ligaturam aptã omitteret. Et ita perfecte curatus est, atque intestinum non amplius extra prosiliit. Alius vero Iuuenis Delphensis ditissimus, cum anno 1568. mense Octobri bubonocele etiam correptus in inguine sinistro esset, re similiter recẽti ad me consulturus venit: cui eadem quoq; consului, vel his similia. Quare loco inuncto cũ oleo ouorum, & myrteo, & insuper imposito emplastro contra rupturam, omnium primo intestino in locum reducto, & subligaculis debite adhibitis & hic quoque breui sanitati restitutus fuit. Hic vero antea consuluerat mulierem quãdam vetulam Frisicam, quæ Delfis multos pueros ac infantes curabat, præcipue autem diuitem, cuius multum hac in re felici curationi tribuebatur. Applicabat intestinis reductis cataplasma vulgare ex melissa & nepita, & similib. Vtebatur & alia etiam herba quasi stellata & aculeata quã quidam eryngiũ esse volunt. Crescit vero circa aggeres dirutos; & copiosissime eandẽ vidi crescentẽ apud Sgrauesandam; folia eius insignem amaritudinẽ habent: decoquebat autem illam in ceruisia, aut vino, & ita propinabat. Ego autem felicissime vtor *rad. sigilli Mariæ vel Salomonis.* Inter arcana quoque M. Ioan. Tiengii, quondã Medici Amstelrodamensis, & hoc erat, *quod quidam potans trib. septimanis ex decocto rad. sigilli Mariæ in vino, curatus sit a ruptura.* Ita & *folia acetosæ* mane comesta in magna quantitate: vti & *folia valerianæ cocta in vino albo, & ebibita*, curant. Sic & Benedictus Veronensis laudat *hippurim commanducatam.* Alii, *radicis consolidæ maioris abrasæ m. ij. cum melle pistos & coctos emplastri modo apponunt.* Monachus quidam Dionysius hac decoctione rupturam curabat: ℞. *herbæ osmundæ, garyophyllatæ, bugulæ, fœniculi, verbenæ, bethonicæ, agrimoniæ, pilosellæ, plantaginis, consolidæ vtriusq;, hyperici, caulium rub. tanaceti, summitatum canabis, millefolii, iaceæ nigræ, bursæ pastoris, ana m j. rubeæ maioris m. ij. coquantur fortiter, & bulliant in vna quarta vini albi ad consumtionem medietatis, addendo mellis q. s. fiat potus longus.* Aliquando & sequenti vtebatur: ℞. *rad. consolidæ maioris, sigilli beatæ Mariæ, rad. valerianæ, osmundæ ana ℥ ß. pimpinellæ, pilosellæ, agrimoniæ, ana ℥ ij. centaurii minoris ʒ j. fœniculi, bugulæ, polemonii, ana ℥ j. bursæ pastoris, artemisiæ, eupatorii, ana ℥ ß. fiat decoctio in ℔. vj. vini ad ℔. iij.* Loco rupto applicabat emplastrũ contra rupturam. Spiringius Medicus quondam Louaniensis insignis & magni nominis, cuius bibliothecam, quæ omnibus patebat, testamento scilicet publico studiosorum vsui legatam sæpius accessi, *semen nasturtii agrestis exsiccatum in patella, & puluificatum* dabat *cum ouo sorbili* omni mane. Gordonius prædicat idem *semẽ assum, & puluerisatum, cũ lacte cocto: curat,* inquit, *omnẽ rupturam a principio, & fluxum ventris; cõuenit autem præcipue pueris.* Radices quoque brusci minutim incisi pistæ in vino, & multis vicibus sumtæ,

5 laudantur. Alii dant flores calẽdulæ cum vino, vel ex ouo sorbili, & intra nouem dies, vt ferunt, percurant. Non desunt, qui decoquant sigillũ Mariæ aut Salomonis, peruincam, gramen, vtramq; cõsolidam, hepaticã, primulam veris eoque decocto vtuntur. Prodest & lãceolata herba, pilosella, millefolium. Matrona Cornelia Heutera, vidua D. Casparis de Halmale, dixit M. Ioan. Tiengio Medico, ꝙ infans ruptus hoc modo fuerit curatus: *Accipiebant tria vel quatuor frusta radicis osmundæ sex vel septem annorum, & decoquebantur in vino Rhenensi, bibebatq; mane & ante cœnam cyathum vnum, atq; bis in die inungebatur infans cum oleis de vitellis ouorum, mastichis, & terebinthina, ligaculo, vt artis est, loco constricto.* Cornel. Ioannis Flander habuit in sua familia multos ruptos a natiuitate, quos omnes ipse curabat, *dando mane per quatuor vel quinq; dies puluerem vermium terrestriũ, & supponebat oxycroceum, subligaculis consuetis iniectis.*

SCHOLIA.

6 *Signa sarcoceles.* Signa bubonoceles iam diximus: quomodo aliæ species sint interstinguendæ, nunc dicamus & primo de sarcocele. Dignoscitur hæc tumore, duritie, & colore vbiq; sui simili. Est enim tumor rotũdus, oblongus, durus, testiculi formam referens, & pedetentim auctus. *Quib. notis distinguitur sarcocele ab enterocele.* Quibus duob. ab enterocele distinguitur, quæ mollior est, & repente oborta. Fit enim (vt diximus) a carne duriore in aliqua scroti parte nata. Galen. ad scirrhum refert. Aliquãdo testiculi, aliquando nerui, a quib. testes dependent, indurantur, aut inter tunicas caro illa generatur. Caussæ, vt ante dictum est, sunt, fluxio, ictus, succisio ramicis non recte curata & similia, quæ scirrhos procreant. Carnea itaq; hernia tactu duro cognoscitur, &, vt alii dicunt, paulatim nigrescit, ac sine dolore est. Si autem tumor in scirrhum coalescat, nec color vllus, nec sensus adest: si maligni referat naturam, dolor vrget punctorius. Hic tamen videndum ne ob duritiem decipiamur. Sic Delphis Ioannes Cornelius, habitãs in Asino cœco, annos circiter 40 natus, testem vna cum scroto vltra quinque annos adeo durum habebat in modum scirrhi, paulatim in maiorem molem auctũ, vt chirurgus sarcocelem esse iudicaret; & ego etiam eram in eadem fere sententia, remediis nihil iuuantibus. 7 Tandem eo chirurgo mortuo, me rursus vocari iussit cum duobus aliis chirurgis, cum æque durus esset tumor, & magis auctus, & cum maiori quam ante dolore. Tandẽ impositis maturatiuis mollior euadebat tumor, & facto abscessu, magna copia aquæ, quæ intus latuerat, *impetu quodam erupit*; & mox detumuit scrotum, & etiam testiculus, ac præter mẽtem curatus fuit. Videbantur tamen longo tempore signa apparere, quæ in sarcocele describũtur, & nullo modo hydroceles: nã obiecta cerea candela non erat pellucida caro, sed semper dura permansit. Contingit tamẽ aliquando durities in hydrocele (*cuius signa postea latius declarabimus*) quæ plenitudine & tensione fallit, vt videatur esse carnosa, aut intestinalis: sed pelluciditas, inquit Interpres Hollerii, fraudẽ detegit. Hic tamen nulla, nec in principio nec in fine, apparuit pelluciditas: sed post maturationem, perrupto abscessu, aqua in copia effluxit. Oportet igitur, quod profundius intus latuerit. 8 *Signa cirsoceles.* Nunc ad cirsocelẽ, id est, varicolum ramicẽ veniamus. Est autem cirsocele, *vt antea dictum est*, cum venæ testiculum nutrientes intumescunt. Sentitur diuersitas tumorum & paruitas in epididymo & vasis spermaticis, quæ sunt veluti cõglomerata, & intorta. Paulus vasorum aut dartis dilatationem κιρσὸς, id est, varices simplici vocabulo appellat, eorum vero, quæ testiculum nutriunt, κιρσοκήλην. Celsus ex loci varietate quatuor differentias facit, omnesq; vno nomine comprehẽdit. *Signa hydroceles.* Quod autẽ ad hydrocelem attinet, seu herniam aquosam, primo in ea cognoscẽda omnis aditus lucis intercludatur, & obiecta cãdela cerea videatur nunquid pelluceat. Est enim durities, quæ plenitudine & tensione fallit, vt videatur esse carnosa aut intestinalis, sed pelluciditas raro non, *vt dixi*, fraudem detegit. *Differentia inter hydrocelem, enterocelem, sarcocelem, & pneumatocelem.* Sed quia pelluciditas etiam conuenit flatuosæ ad leuitatem respiciendum. Nã aquosa obscurior est & grauior quam flatuosa. Vbi vero cõstiterit de aqua, videndum quo loco contineatur. Qua in re Veteres satis perplexi, & cõfusi videntur. *Gale. de tumoribus scribit*, in tunicis, quæ testes ambiunt, cõtineri. Paulus, in corporib. scrotum implicantibus. Celsus, integris membranis colligi: alii, ruptis etiam & relaxatis. 9 Alii modo intra tunicas, modo intra membranas. Si inter tunicas, vel inter summam & mediam, vel mediam & imam. De loco certe, & ad prædictionẽ, & ad curationem non est ambigendum. Nam aliquando in superficiali scroto (*vt Interpres Hollerii annotauit*) continetur, aliquando profundius. Sed cum testiculus duabus tunicis insignibus inuoluatur, erythroide, quam sequitur dartos, fere semper hydrocele fit vel inter has duas, vel in toto scroto. Hic totum scrotum intumescit sine rugis, vesicæ inflatæ simile: illis tumor tantum in testiculo percipitur, videturque rotundus & tensus rugato & laxiore scroto; quod & in multis seorsim quoq; animaduertimus. Aliquando, *vt Paulus scribit*, peculiari quadã tunica humor ille comprehẽditur, quæ supernascitur, veluti atheroma quoddã, aut steatoma, vt videatur esse tertius testiculus. *Historia interpretis Hollerii de tertio testiculo.* *Quod hoc anno*, inquit Interpres Hollerii 1564. *mense Decembri, dum Lutetiæ hæc scriberemus, videre nobis contigit in puero Typographico, in quo omnes tertium testiculum esse existimarant. Aderat D. Gabriel Danagneus Belignaceus, vir doctissimus, & cui plurimum in his omnibus nos debere fatemur. Sunt tamen, qui asserant, quibusdam familiis, peculiare esse, vt tertium habeant testiculum.* Talem & ego quondam noui iuuenem Antwerpianum, cum Bononiæ Medicinæ operam nauarẽ, sed valde luxuriosum. 10 In mulierib. Aetius tumorẽ aquosum fieri scribit circa pudendi alas, inflationi similem, debilem, mollem, vt humor fluctuans appareat, modo in vna parte, modo in vtraq;. Sed illa ad mulliebres morbos pertinent, de quib. agemus libro sequenti. Aquosi igitur ramicis cõmunis nota est tumor dolore vacans, firmus ac stabilis in scroto, qua-

quacunq; tandem occasione, non euanescẽs; sed in iis, qui modicum continẽt humorem, cedens; in illis, qui copiosum habent, non itẽ. At in quib. erythroides tunica humore distẽta est, tumor rotundus paululũ & oui modò lõgiusculus apparet. His testiculus in conspectum nõ venit, vt qui vndiquaq; sit implicitus. Si extra erythroidẽ membranã sub darto habetur, per pauca corpora sublabitur, testiculusq; intra notas tactui occurrit. At si humor in membranã superadnata coierit, propter contractionem ex omni parte, & rotunditatem, tumor alterius testiculi imaginẽ præbet. Eadem fere habet Rõdeletius. Interea in hydrocele tumor cum grauitate est, & cachexia; & iis notis à pneumatocele distinguitur, de qua postea. Sed cũ & alius humor præter aquã ibidem cõtineri posset, ideo Neoterici his Herniam humoralem adiecerunt, quæ fit per modum congestionis & defluxionis. Ita & fieri volunt herniam sanguineam, quamuis raro, in criticis transmutationib. ægritudinũ sanguinearum; idque ex cibis calidis humidisque sanguinem multiplicantibus: cuius signa sunt, tẽsio notabilis in loco, caliditas humiditasq; quæ tactu percipiuntur, partium rubedo, & pulsatio, & fere semper fit cum inflammatione & apostemate. Vnde & Valescus de testiculorũ ac scroti apostemate, & hernia humorali, sub vno ca. *tract. De biliosa Montagnana* dubitat: ideo illã omittit, cum eam nunquã viderit; nisi forte ea fuerit apud Valescum cuiusdam militis, cui per incisionem aqua citrina effluxerat: sed illam potius ad herniam aquosam pertinere existimabat. Phlegmaticam admittit, & frequenter cõtingere asserit, potissimum in iis, qui sæpissime coitu vtũtur, præcipue post satietatem: cognoscitur ex frigiditate, ex foueæ remanentia, vt in œdemate, nõ translucente, & fixione continua partis eminentis. Atque in his de humoris natura cogitandum, an tenuis, an albugineus, an sanguineus, aut feculẽtus, vel alterius speciei, vt naturæ humoris remedia adaptentur. Sic si ægri vẽter tumeat, symptoma est hydropis. Ceterum non tantum colore indicatur, sæpe etiam & ex iis, quæ præcesserunt dignoscitur; magis tamen post incisionem innotescit. Ita in Helia Delphensi, qui organi spiracula follesq; ducendo mouebat, apparuit, post incisionem herniæ adeo magnæ, vt capitis magnitudinẽ adæquaret: quẽadmodum in mendicis solet, qui ad Templorum fores sedent herniosi. Hic cum multo tempore scrotum adeo immensum ac tumidum habuisset, & admodum graue, atq; multis annis hoc malum moleste miser gestasset, post, inquam, incisionem, non solum materia purulenta fœtidissimi odoris variiq; coloris, effluxit, sed & similia, quæ atheromata & steatomata continent, spectabantur. Post autem incisionem peractam a Valentino illo Restauratore, optime deinde habuit senex. Si vero sit hernia ventosa, vel pneumatocele, nõ magnopere increscit tumor, actuque sonum elidit, inæqualis est, mollis, ac lubricus, qui neq; pondere fatigat ægrum. Sæpe soli flatus hinc herniã repræsentãt. Id recens natis puerulis (*vt antea quoq; diximus*) sæpe contingit, & facile discutitur: est enim in ea quidam rugitus, & mouetur vẽtositas ab vna parte ad aliam. Breuibus, in pneumatocele similia sunt omnia, vt in hydrocele, nisi quod perspicuitas & leuitas maior adest, quia dilatatio fit a flatulento spiritu. Fit aliquando vel in quatuor vasis testiculos alẽtibus, vel in arteriis darton intercurrentibus. Ille durior, nec compressu digitorum euanescit, recipitque curationem: hic oppresso digito intro recurrit, & euanescit, vixq; curatur, periculo ab incessabili sanguinis profluuio imminente (*sed hæc ad signa prognostica pertinent.*) Fit sine hydrope & cum hydrope. Hæc de signis indicantibus, mox de prognosticis.

Margin: 11; Hernia humoralis, eiusq; caussa; Signa; 12; 13; Signa pneumatoceles.

Observatio XVI.

De Enterocele lethali.

Qvidam apud Fossam aqueam Delphis, cui cognomen Mutus Vicinus, enterocele, seu hernia intestinali cum laboraret, ac lithotomus intestinum in scrotum illapsum in locum suum vix vi intropellere posset, & nullis remediis iuuãtibus, febris singultuosa accessisset, haud diu post obiit. Alteri quoque, frumentorum baiulo, enterocele laboranti, cum circa mœnia tẽpore frigido & ventoso aluum deponeret, mox intestina in scrotum prolapsa sunt; cumq; statim remedia nõ adhiberet, refrigerata tandem illa in locum nunquam reduci potuerunt: ita, vt ileo sequente, deinde singultu superueniente, miserrima morte interierit, remediis nihil proficientibus.

Margin: 1

Scholia.

Cvm omnes notas ramicũ iam exposuerimus, nunc ad præsagia & prognostica veniamus. Omniũ specierum periculosissima est enterocele; præsertim si reduci nequeat intestinum. Sinistra parte adhuc grauior, vbi colum conuolutum desinit in rectum, & multa intestina tenuia incumbũt. Quibusdam inde singultuosæ febres, in quibus reposito intestino mors acceleratur; in aliis, non reposito gangræna. Experientia etiam docuit, paulo post mori, quibus vi reponitur; vt in primo ægro, cui per lithotomum vi intestinũ reductum erat. In altero cum neq; intropelli posset, idẽ & mortuus est. Et ita herniẹ quẹdã, aliẹ curantur, aliæ autẽ difficulter, aliæ vero, nullã admittunt curationem; vt carnosa, si sit insignis nullo modo potest curari, sed castratione testis auferendus est. Cirsocele, seu ramex varicosus, curationem item non admittit, verum nõ ita est molesta, vt epiplocele. Omenti ramex difficile curari potest; vix enim, ob tenuitatem & mollitiem, omentum reperiri potest, & cedit impellenti, si reducatur. Hinc, vt referunt quidã, epiploon ob mollitiem vix reducitur. Neoterici & barbari hæc adiiciunt. Ruptura siphach in pueris, & mulieribus; & omnib. humidam temperaturam habentibus per naturã, & proprie sanguineis, & carnosis, est facilis curationis: adultis vero, senibus, tum siccis per naturã, difficilis. Ruptura quoq; recens & parua, & in qua nihil descendit in oscheum, sed tumor solũ in inguinibus nuper accidit, facilis est curationis; (*vt iam aliquot exemplis bubonoceles & inguinalis*

Margin: 2 Signa prognostica; 3

ostendimus. Antiqua vero herni, & magna, in qua testiculi sunt inflati, atque inguina, difficulter curationem recipit. Aquosa vero subinde tollitur, subinde non, & prænuntiat hydropem ascitem, & in ea sæpe adest; vt alias de hydrope recensuimus, adductis aliquot exemplis. Ventosa vero subinde tympanitem præsagit. Interea aquosa est deterior ventosa, sicut ascites tympanite: nam & in hernia aquosa peccat secunda digestio: vt in ea enim hepar læditur, & rectificari debet vng. emplastrisq; calidis stypticis, ita stomachus in ventosa. Insuper hernia aquosa valde magna & excedens cũ vrina pauca, rubea, vel diuersos colores habente, secundum regionem infimam & supremam, mortalis est, *iuxta Bertrutium.* Gordonius hæc præsagia commemorat: *Omnes ruptura facile curantur in principio, maxime vero in pueris. Varicosa difficilis curationis est. De intestinali dico tantum; a qua, vbi adeo fuerit diuturna & antiqua, vt labia vulneris interius indurata fuerint ne conglutinatio fieri posset, nunquam vidi aliquem curari, nisi chirurgia; & tamen frequenter feci multa. Et licet multa promittamus, pauca tamen attendimus. Ideo vbi fuerint labia indurata & callosa, non possunt amplius vere vniri: Cum fuerim ego sedulus inquisitor, & nunquam tamen potui aliquã herniam curare, si ruptura multum processerat, & passio non erat in principio, sed manu chirurgica bene id vidi: multos interea etiam periclitari in manibus Restauratorum; quia perforabant intestina, vnde excrementa egrediebantur, & ægri moriebantur. A falsis igitur promissionibus caueamus.* Hæc Gord. Crepatura frequentius accidit pueris quo ad relaxationẽ, iuuenibus frequẽtius ex violenta tensione; senib. ex humorum superfluitate. Hoc & ego addam, vt experientia hactenus didici, quod potissimum contingat nautis, præcipue piscatoribus, & illis, qui in mari, seu Oceano piscãtur, eo quod perpetuo sint madidi, & maxime laborent cõmouendo corpus: quod quidẽ scientes Restauratores, pagos maritimos accedunt, cum ibi multos herniosos esse cognoscant. Valescus idẽ refert quod & alii, scilicet rupturam atq; relaxationem valde antiquã incurabilẽ esse, nisi chirurgi experti opere curetur. Recenti vero tam relaxationi quam rupturæ, & in principio facile succurritur. In relaxationis initio apparet in inguine ad modum nucis quædam eminentia: at quia tunc nullã infert noxam, aut aggrauationẽ, fit, vt fere nullus hoc malum Medico ostendat, vel, si ostendat, velit monita ipsius exsequi, aut tẽpus curationis exspectare, & sic quasi insensibiliter & pedetentim augmentatur, donec in verã herniã, aut rupturam, trãseat. Præterea omnis ruptus, aut relaxatus, perfecte consistit semper in periculo, si in tempore sibi non prouideat; eo quod intestinũ monoculum descendat in oscheum per foramen relaxationis, vel rupturæ; in quo si feces reuoluãtur, nunquam, vel raro, retrocedet; & sic moritur æger. Ruptura, seu relaxatio, in tenella ætate, cum cinctura apta, & requie in lecto, tũ desiccantibus, facilius curatur, quam in alia ætate; cum adhuc caro augeatur, & membra ætate procedente magis roborẽtur. Ramex intestinalis & zirbalis, ex mente Auic. difficulter curantur, licet exigui; aquosus facile, quamuis magnus. At ruptura supra vmbilicum mala infert accidentia, licet sit exigua, ac sine dolore in principio: quia illud quod in ea propellitur sunt intestina gracilia, quæ ibidẽ sunt compressa & coarctata; ideo semper retinetur, & quãdoque excrementa euomunt, vti accidit in ileo: hinc symptomata grauissima, vti de exomphalo & ileo diximus. Qui quoq; cacochymũ, imbecillemq; vel senẽ aut gulosum, aut intemperantem, præsumserit per incisionẽ curare, manifestissime desiderat homicida nũcupari. Interea hernia zirbalis non est tanti periculi sicuti intestinalis, quia non contingit zirbum sicuti intestina fecibus induratis impleri. Iam quoque licet incisione multi curentur, quamplures etiam periclitantur: ideo est dubia & affirmatoria curatio: quia aliquando superuenit spasmus & conuulsio (*vt istis dieb. adolescenti Antvverpiano, cui fiebat incisio;*) aliquando febris, subinde & fluxus sanguinis: quare plurimi in manibus cursorum (*inquit Valescus*) moriuntur. Quamobrem boni, probi, sapientesq; ac pii, & verecundi, timentes infamiam, talem curationẽ cursoribus relinquent. Id quoq; considerandum, quod scissi vel incisi, a quibus vnus aufertur testiculus, licet in iuuentute generent; in senectute vis eorum generatiua deficit: quia senes cum duobus testiculis modicum habent seminis, multo minus cum vno. Neque hoc omittendum, rupturam cuius descensus est inter pellẽ & didymum, nisi succurratur a principio intra 15. & 20. dies, post nõ curari. Et si in hernia aquosa testiculi diu remanẽt in aqua citrina malæ qualitatis acquisitæ, timendum est de corruptione, vel putrefactione eorum, vel vnius. Et quamuis melioratio cito appareat post oschei apertionem, & aquæ extractionem cũ ferro; tamen, nisi aliter prouideatur cum correctione malæ intemperiei, & remotione cacochymiæ, & frequentib. purgationibus, & debito regimine, cito alia post aqua priorem expulsam reuertetur. Atque ipsa, quæ nunc diximus, per exempla sequentia multo lucidiora euadent.

OBSERVATIO XVII.

De Enterocele admodum periculosa & tandem curata.

CHristianus Ioannis Bieselingius, pictor insignis anno 1590. mense Iunio enterocele grauissima ad desperationem laborabat: intestinum enim in scrotum collapsum ad magnitudinẽ capitis, in locum reduci non poterat, neq; fotu conueniente, nec manu chirurgi, præsente & collega meo. Æger frigidum sudabat, morte tanquam propinquante, cum vomitu quasi stercoris, ileo succedente. Glans indita dum clyster parabatur, (*altero Medico non redeunte*) nihil effecit. Clyster autem ita habebat: *℞. rad. althææ mund. rad. liliorum alborum, ana ℥ ij. foliorum mal. viol. mercurialis parietariæ, meliloti, chamomillæ, ana m. ij. seminis lini ℥ iij. seminis anisi, fœniculi, carui, ana ℥ ij. summit. anethi p. j. fiat decoctio in aqua communi pro ℔. ij. huius colatur. accipe ℔. j. addendo cassi. mund.*

Zacchari

zacchari rub. ana ʒ j. benedicta lax. ʒ ß. elect. hiera picra ʒ ij. olei amygd. dulc. anethini, chamomill. ana ʒ j. vitellum vnius oui, salis contriti ʒ j. salis gemmæ ʒ ß. olei anisi ʒ j. misc. fiat clyster. Cum altera parte decocti fiebat fotus: & cum secessum haberet post clysterem iniectũ, hoc cataplasma emolliens impositum fuit: *℞. rad. althææ mund. capitum liliorum alb. ana ʒ iij foliorum maluæ, viol. parietariæ, ana m. iiij. florum meliloti p. j. coquantur in aqua ad mollitudinem, pistentur, addendo farinæ lini, fabarum, hordei, ana ʒ ß. olei amygd. dul. & butyri recentis, ana q. s. fiat cataplasma molle.* Hæc ita profuerunt, vt tandem intestinum repositum fuerit per chirurgum. Ileo tamen, quo simul laborabat, non cessante, & febre satis continua, quæ eundem apprehenderat, nullo modo mitigata, & cum nisi semel per clysterem suprascriptum, ventrem deiecisset, hunc syrupũ propinauimus: *℞. syr. rosl. pallid. ex infus. ʒ j. ß. aquæ acetosæ ʒ ij. misc.* Tunc venter valde cœpit fluere, eratq; materia admodum biliosa, & simul pituitosa, ac varii coloris, subinde nigra, tandẽ & sanguinolẽta, & nõ diu post subsequutus est singultus, & de stomacho valde cõquerebatur. At hic nodulus in ceruisia tenui appẽsus, & expressus dum ceruisiam illam biberet, singultũ paulo post ademit, & egregie profuit: *℞. seminis portulacæ, papauer. albi, ana ʒ j. ß. seminis lactucæ ʒ ß. seminis anisi ℈ ß. contusa nodulo includantur.* Pro siti & fluxu, qui perseuerabat, capiebat *rob de ribes & syrup. cotoneorum, menthaceum, modo de vno, modo de altero;* stomacho quoque inuncto linimento sequenti: *℞. olei myrtini cotoneorum, ana ʒ ß. pul. corall. rub. ros. rub. ana ℈ j. hypocyst. ℈ ß. ceræ parum, fiat linimentum seu vng. molle.* Et fuit istis remediis ab Orco quasi in lucem reuocatus.

2

SCHOLIA.

3

DIximus enterocelen, præsertim si reduci nequeat intestinum, omnium aliarum specierum esse periculosissimam. Vidi tamen multos morti proximos, Dei gratia, per me cum emollientibus, manu paulatim reducto intestino, restitutos ac sanatos. Similiter & alios, in quib. remedia non iuuabant, neque remollientibus intestinum retrocedebat; vt tandem peremti sint, recrementis induratis per tres, quatuor, vel plures dies: quorum exempla etiam antea posita sunt. Ideo bonum est, vt præseruentur ægri a tali periculo, cum aliqua cautione, seu curatione, vel cum palliatiuis (*vt ita dicam*) continuo gestando cincturam ex ferro, vel argento pro diuitibus: qualis cinctura ex ferro egregie a quodam artifice Hagano admodum commoda, & huic rei apta paratur. Verum absolutis caussis signisque ramicum, nunc ad maiorẽ enucleationem accedamus, præmissis tamen quibusdam canonibus vniuersalibus, qui ad communem curationem faciunt, cum ordine naturali semper generalia præcedere debeant particularibus, *vt recte docuit Galen. 3. aphorism. Commento 6.* Inprimis omnes caussæ primitiuæ, vel antecedentes, vel etiam coniunctæ, a quibus ruptura peritonæi, vel didymi relaxatio fieri possent, in curatione semper sunt euitandæ

Curatio.

Canones vniuersales obseruandi in relaxatione & ruptura.

4

& amouendæ. Deinde omniũ ciborũ ac potuum repletio, satietas præcipue ventosa, & coitus post repletionẽ, aliaq; exercitia enormia, ruptis & relaxatis cũ diligẽtia & terrore sunt euitãda. Similiter ab omnibus cibis emollientib. oportet, vt relaxati abstineãt. Illud quod foras exit, vel propellitur, intromitti debet leniter & nõ violenter, & ne iterum exeat conseruandum & consolidandũ. Deinde nemo p̃sumat ruptum aliquem vel relaxatum incidi permittere, nisi per expertum chirurgum, illum scilicet quẽ sæpius viderit dextre id munus implere. Hernia quoque nisi antiqua fuerit, semper prius tentandum, vt commoda victus ratione & medicamentis curetur, antequã ferro vtamur. Præterea ante incisionem corpus laxante pharmaco vel clysteribus perpurgandum. Et maxime ver eligendum, vt ad hanc curationem tempus magis aptum: tunc enim corpora, *teste Aristotele*, vires resumunt, & sunt robustiora, vigetque bonus sanguis, & boni humores tunc in corpore generantur. Chirurgus quoque antequam se ad opus præparet, omnia habeat parata ad operationem recte perficiendam, vel scamna, manutergia, rasaria, vncinum, & alia, quæ ad discarnandum didymum faciant, setones, acus, cauteria, spongiam, aquam calidam, ne fluxus sanguinis operationem impediat, fascias, pannos, oua, puluerem restrictiuum, & alia quæcunque. Quod vero ad particularem curationem attinet, constringenda erit pars laxa frigidis & constringentibus, quibus etiam vtimur in intestinorum ramice. In vtraque specie imperanda est inedia, ne multitudo recrementorum impediat, quo minus reponi possit aut omẽtum aut intestinum. Quod si vacuanda sint recrementa in ramice omẽti, iniiciatur clyster. In intestinorum ramice aluus blande solicitetur. Si vero flatus & tormina adsint, inunctiones ex oleo rutaceo circa vmbilicum erunt ex vsu; & harum loco apponendus est sacculus ex milio, cumino, & sale paratus. Quod si ob flatus reductioni minime obtemperet intestinum, fotu magis relaxante vtendũ erit. Si stercora dura intestino impacta, emollienda ac educenda cum clysteri emolliente. Cruribus itaque elatis & diductis intestinum sensim reducatur, atq; reductum statim idoneis ligamẽtis vel subligaculo retineatur: & super subligaculum, detersa prius parte a fomentatione relaxante, foueatur pars decocto sequenti cum spongia noua calidissime & frequenter, potissimum post intestini reductionem, donec pars quodammodo contrahi videatur. Huic autem decoctioni, si flatus ventrẽ & alias partes distendant, addantur flatus discutientia sine relaxatione. Paretur decoctio sic: *℞ rad. bistortæ, rad. pentaphyllonis, rubeæ maioris, chelidoniæ maioris, ana qr. ß. rad. narcissi qr. j. herniariæ, polygni, & hippuris, ana m. j. cumini, nasturtii torrefacti, ana ʒ j. florum stœchad. anthos, ana p. j. florum rosar. centaurii minoris, ana p. ij. fiat decoctio in aqua & vino astringenti, vel lixiuio.* Post eius autem vsum admouenda sunt emplastra contra rupturam, siue de pelle arietina. Sed hæc minime administranda antequam sint reducta intestina. Re-

5 *Particularis curatio.*

6

media itaque adhibenda vacuato ventre a stercore & flatu blando clystere & medicamento, inunctiones, sacculi, ligamenta, subligaculũ, decocta, emplastra. At hęc omnia multo lucidiora fiet per exempla; tum & curatio particularis vniuscuiusq; speciei multo felicius succedet, iterum sumto initio a bubonocele.

OBSERVATIO X.

De Bubonocele.

1 PVella pulcerrima in leuem bubonocelem inciderat. Cum res adhuc recens esset, & in inguine sinistro eminētia appareret ad modum nucis maioris, cumque aluum non redderet, bolum cassiæ, vt sumeret mandaui, ad vnciam vnam, pauco puluere seminis anisi insperso: deinde, quia intestinum in suum locum facile resiliebat, post alui lenitionē, vt resupina iaceret præcepi, zona zincta bifurcata, vt fieri solet, transeunte per coxam cum scuto bombace repleto, comprimente eminentiā ne extra prorumperet, prius imposito emplastro de pelle arietina, vel contra rupturam. Interea se quietam contineret mandaui, & in lecto maneret, si posset: sin minus, cũ exigua esset eminentia, vt seipsam a cantu, clamore, tripudiis, choreisque custodiret, donec integre curata foret: optima interim victus ratione obseruata, abstinēdo a leguminibus, rapis, castaneis, musto, ceruisia feculenta, & nimis recenti; portans subligaculum ad eiusmodi eminentiā deprimendā aptum. Breui, & sine magno negotio hæc ipsa curata fuit.

SCHOLIA.

2 *Curatio bubonoceles, seu ramicis inguinalis.* AD bubonoceles curationē ea conferunt, quæ Aetius scripsit, *lib. 14. cap. 23. De inguinali ramice*, ita inquiens: *Inguinalis ramex ob interioris membranæ extensionem factus, in principio adstringentibus epithematibus interdum sanari potest, modo sit exiguus, alioqui magnus & diuturnus*, vt postea dicemus, vstione curatur. Sed illa ad Chirurgiam pertinent: de qua suo loco. Neoterici vero præscribunt, vt Benedictus Veronensis etiam annotauit, dum curatur hernia cauenda esse primũ, quæ inflant, qualia sunt legumina, lactaria, acetariaq;, poma, fici præsertim & vuæ recētes. Alii addunt & rapas, ac alia in Obseruatione dicta. Vide de his ad longum Valescum, & Montagnanam in suis Consultationibus, vbi de victus genere & regimine in omnibus herniis fusius tractatur. Maxime vero quies, silentiumq; imperandũ, aluusq; tenera esse debet, & fascia eius rei caussa sit, cui imo loco pila assuta est ex panniculis facta, quæ ad repellendum intestinum inguini subiicitur, deinde reliqua fasciæ pars arcte sub lumbis circumdatur sub sumine, sub qua sæpe & intus compellitur intestinum, donec inter se tunicæ ora agglutinentur. Imponi etiamnum solent emplastra, cerata, quibus iunctura solidescit. Constant enim *ex* 3 *galla immatura, cupressi pilula, ana p. ij. myrrhæ, cyperi, acaciæ thuris, gummi Arabici, singulorũ p. j. vino trita prius coguntur*. Similium copiam inuenies apud omnes auctores: quale illud est emplastrum de pelle arietina, vel contra rupturam; de quibus postea latius. Paulus Ægineta *lib. 3. cap. 53. De ramicum generibus*, multa componit emplastra conglutinantia, & varia glutinatoria describit, quibus indifferēter vtitur, reductis intestinis, tam ad bubonocelem, quam enterocelem; refertque, pueros, vtpote humidiores, facilioris curationis; tum alios multos, citra manus operam, medicaminibus impositis, & conuenienti ligatura, persanatos esse (*vt & hæc nostra puella*:) decimo die soluit ligacula, & 30. dies ægros in lecto continet, & exhibet cupressi decoctum cũ vino vel eius globulorũ tres obolos ex diluta vini potione, & glutinatoria apponit. Ceterum ramicem intestinorum & inguinum ita curamus. Ægro resupinato diductis cruribus, intestina sensim reducere, atq; reducta deinceps idoneis ligamentis retinere oportet. At si loca scroto aut inguini adiacētia vehementissimis doloribus cum inflāmatione affligantur, torminaq; & flatus superuenerint, atq; adeo intestina minus reductioni obtemperent, emollientia, ac inflammationem doloremque leuantia, & flatus dissoluentia, *fomenta, linimenta, balnea* adhibeantur: qualia sunt, *quæ ex malua, chamæmelo, anetho, seminibus lini, fœnugræci, carei, anisi, cumini, & similibus* componuntur. Lana quoque succida, vino & oleo madefacta, loca doloribus exagitata foueantur. Reductis intestinis (*siue extra in inguine propendent, siue in scrotum descenderint*) conandum, vt eadem idoneis vinculis retineantur, impositis primum ceratis aut emplastris constringentib. ac glutinantibus: quale est hoc, quod habet picis naualis, *mastichis, ana ℥ iij. thuris ℥ ij. hypocist. sarcocollæ, cassiæ ana ℥ j ß. lapid. hæmatitis san. draconis. aloes ana ℥ ij boli Armeni, rad. symphyti, gallarum, malicorii ana ℥ iij. visci quercini ℥ j ß. resinæ terebinthinæ & ceræ quod satis est, gummi prius in aceto aut vino dissolutis, formetur ceratum quod in pelle arietis impositum alligetur, nec ante diem septimum (vt alii, ante decimum) soluatur.* Vide alia apud Rondeletium. Cum hoc igitur vel aliud emplastrum contra rupturam, vel quod de pelle arietina dicitur, imponuntur. Idoneis vinculis desuper intestina retineantur, & non nisi post septimum diem soluantur. Interea æger in lecto per triginta dies maneat, a cibis flatuosis abstinēs vinoque copiosiore, motuque vehementi, cursu, saltu, clamore & cantu. Bibet quoque *decocta glutinantia, ex sanicula vtraque, solidagine Sarracenica, ophioglosso, nummularia prunellæ, plantagin. lanceolata, rad. symphyti maioris, & rad sigilli Salomonis, aliisque, quæ in vino rubro & aqua decoquenda sunt, & transfusa colo, zaccharo condienda, & huius decocti ℥ iiij. vel v. in aurora præbenda.* Hoc toto tempore curationis, si nimio conatu stercora excernantur, simul etiam intestina iterum prolabantur, vtendum iterum; fecibus prius eductis, (vt supra,) & intestinis reductis, conuenienti de ligatura, idque tum præcipue, vbi occasio aut necessitas motum exigit. Sed illud & hic meminisse oportet, quod in relaxatione constringentia; in fractura vero, seu ruptura, desiccantia, constringentia, & neruos consolidantia vsurpanda. Verum quia peritonæum est in proprio motu, ob epiga-

4 *Ramicis intestinorũ & inguinum curatio.*

5 *Ceratum.*

6 *Quæ in genere relaxationi, & quæ rupturæ conueniant.*

epigastri & musculorum motionem, & adeo tenue est, vt ruptum adduci non possit; vulneris autem labra nisi adducantur, nunquam id coalescere potest; valde hæc curatio videtur difficilis. Si quis tamen hanc tentare velit, vtatur sequentibus: ℞. *rad. bistortæ, narcissi ana ℥ j. rad. consolidæ maioris & minoris, quinquefolii, rubeæ maioris, ana ℥ ß. hipperid. polygoni, ana m j ß. sebesten num. x. dactylorum paria iij. myrobal. chebul. Indor. citrinorum ana ℥ j. seminis anisi, nasturtii, ana ℥ ij. florum rosa. anthos, cyperi, ana p. j. fiat decoctio in vino & aqua, & in ℔ ij. dissolue mellis rosa. & zacchar. ana partes æquales, fiat syrupus. aromatisetur cum ℥ ij. diagalang.* Capiat mane reiectis excrementis quinq; horis ante pastum ℥ iiij. Ad idem pilulæ illæ de bdellio valent, & ex conchiliis Veneris. Vel fiat opiata sequens, iuxta Rondeletium: ℞. *conseruæ ros. antiquæ, & symphyti, ana ℥ j. conser. florum saluiæ, & acori vulgaris colatæ ana ℥ ß. trochis. de carabe, vel de spodio, vel de bolo ℥ iij. blattæ Byzantiæ vstæ & lotæ in aq. caudæ equinæ ℥ ij. cum syr. cydon. Fiat opiata.* Capiat ad quantitatem nucis, superbibendo parũ vini rubri. Pulueres resiccantes *ex corallo rub. vsto, vel priapo tauri, vel cerui, præscripti cap. De paralysi apud Rondeletium,* sunt efficacissimi. Interea ad maiorem exsiccationem glutinationem, & consolidationem, æger vtatur alimentis crassis, viscosis, & constringentibus.

7 *Rupturæ umbilicalis.* — *Pilula.* — *Opiata.*

Observatio XIX.

De Enterocele cum Ileo grauissimo.

1 IOachimus, senex septuagenarius, monachus laicus (*vt vocant*) apud Minoritas Delphenses, herniosus, & longo tempore enterocele laborãs, ferreum gestabat instrumentum ad hoc deputatum, intestinum ne in scrotum delaberetur cõtinens, eoque cinctus incedebat. Tamẽ, tempestate oborta, ex nimio dolore in grauissimum ileon incidit, vt coactus fuerit me vocare. Verum iniecto clystere emolliente (*cum & feces duræ essent*) & ventositates carminante, aluo soluta, ab omni dolore, & ileo mox liberatus fuit.

Scholia.

2 *Ad enterocelem & epiplocelem.*

AD enterocelem & epiplocelem multa remedia sunt, tum, quæ per os sumuntur, tum quæ apponuntur. Sed inprimis habenda ratio (*vt nunc sæpe diximus*) vt quod decidit reponatur; quod & in bubonocele etiam prius obseruandum proposuimus: vbi enim ramex inguinalis esset, si intestinum in inguine foras ꝓdiret leniter imponatur. Ita & in enterocele, vbi intestinũ in scrotũ prolapsum est flexuosis torminibus infestantibus, protinus enitemur (*vt Aetius admonebat lib. 14. c. 23.*) decliui iacente ægro intestina sensim ad inguen deducere ac reducta idoneis ligamentis retinere. Si stercora obsint, aluus emollienda erit clysteri, vt iam sæpe recensuimus; & si reduci ob ventositatem vel dolorẽ non possent, fomentis vtemur. Vbi intestina introducta sint, ne rursus æger in pristina incõmoda delabatur, præseruandi gratia perpetuis ligamentis vtemur. Vide apud eundẽ egregia emplastra q̃ ramici intestinali conueniũt, loco iã citato, quale illud est apud ipsum Senioris emplastrum vocatum; & illud linimentũ cuidam adolescenti intestinalem ramicem patienti appositum; & alia quamplurima, ex Oribasio & aliis auctoribus, eod. cap. descripta. Eodem modo in epiplocele omentum si excidat, quemadmodum intestinum, in scrotum, omnibus modis & ingeniis iam dictis in locum proprium reducendũ est. Accidit enim aliquãdo tanta apertura, quod intestina, vel omentum, ita inferius prolabantur, vt neq; æger, neq; assistens, diligenti conatu in proprium situm repellere possint, dolore ingenti superueniente, per 12. horas, modo per diẽ naturalẽ, aliquando per duos dies, & plures, vt in mortẽ quasi ruãt: quemadmodum sæpe vidi in principio rupturæ, intestino, vel omento, in scrotum reuoluto; imo etiam aliquando in processu. Tunc conueniunt sacculi ex semine lini, maluæ, bull. in aqua calida appositi, vt in locum reuertantur; ac æger resupinetur, vt dictum est, vt ita intestina in locum suũ reponantur, coxis subleuando, capite depresso, cruribusque eleuatis; iisq; impositis, subligacula adhibeantur, insuper ceratum, seu emplastrum de pelle arietina, descriptum a Ioanne Matthæo de Gradi, *Consilio de ruptura siphach; & consolidantibus,* de quibus iam sæpe dictum est, epotis. Quæ equidem duabus subsequentib. Obseruationibus multo clariora euadent.

3

Observatio XX.

De Enterocele curata.

1 PVerilis apud nos ludus est, quo Bacchanalibus aliquot pueri, cupæ singuli insidentes, dependentib. vtrinq; pedib. cupaque ab aliis fune longiore protracta, inter se decertant, quis eorum incitato illo tractæ cupæ impetu galli inuerse pẽduli caput detrahat. Qui id præstiterit, Rex inter eos dicitur. Verum hoc modo teneriores in rupturã seu enterocelen facile incidunt. Sic fratri meo carissimo Ioan. Foresto, tredecim annos nato anno 1556. Alcmariæ ludenti, intestinum in scrotum descẽdit. Hic tamen, ne a patre meo carissimo obiurgaretur, illi persuadebat, hoc malum contractum ex cantu in Choro, in quo pueri cantare solebant. Cum autem hæc ruptura recens esset, & eum curare instituissemus, patrẽ inprimis rogauimus, ne amplius Chorum accederet, aut alta voce caneret, quod cum pater libenter illi concessisset, plurimum lætabatur, ab hoc iugo se liberatum.

2 Curam igitur aggrediendo tres mihi præcipuas curandi intentiones ob oculos posui: primam, *vt reduceremus intestinum in locum suum*: secundam, *vt intestinum reductum in situ suo cõuenienti retineremus*: tertiam, *vt cõsolidaremus id, quod ruptũ erat.* Primo itaque, cũ recens malum esset, intestinum collapsum in scrotum facile, eo ipso resupinato, diductis cruribus, sensim cum manu, absque vllo medicamento, in locũ suum retrusum est: vt neq; opus fuerit fomentis aut emplastris emollientib. & ventositatem, quæ id aliquando impedire solent resoluentibus. Reposito intestino, ad secundam intentionem progressi, illud retinuimus cũ ligatura debita, cũ subligaculis braccalibus, vt ita dicam, iniectis, pila etiam adiecta & insuta, locum

comprimente, ne intestinum iterum descenderet. Sæpius enim ad retinendũ & consolidandum sola ligatura profuit & satisfecit, maxime in infantibus, qui habent vim restaurativam vigentem, & in eis nõ difficulter fit talis consolidatio. Loculamenta, seu subligacula, non amouimus ante nonũ diem, fratre perpetuo in dorsum iacẽte, & quiete in lecto per totum tempus curationis permanente. Tunc illud Auenzariis *lib.24. Thesis*, de iuuene quodam scriptum, mihi in mẽtem venit, qui hoc malo laborabat, decubuitq; duobus mensibus in dorso suo, & cum bono regimine, sine medicinarum applicatione liberatus est. Vide *Consilium Joannis Matthæi de Gradi, De ruptura siphach.* in quo ponuntur singularissima remedia. Nos tamẽ ad tertiam intentionem, nẽpe consolidandi, peruenimus, vsuali emplastro imposito cõtra rupturam, loculamẽto etiam iniecto; præscriptis etiam potionibus consolidantibus, post debitam tamen ventris solutionẽ; *cassiæ scilicet recenter tractæ vncia vna, cum pulueris seminis anisi ℈ j. deuoratis.* Hoc vero decoctum consolidans, constringens, & incarnans, bis aut ter in die ad ℥ iiij. sumebat: ℞ *rad. consolidæ maioris, rad. sigilli Salomonis, ana ℥ ß. saniculæ vtriusque, nepitæ, valerianæ, plantaginis maioris, absinthii Romani, consolidæ minoris, ana m. j. sanguinariæ* (scilicet illius herbæ, quæ sanguinis instar emittit, si teratur) *m. ß. seminis anisi ℥ j. ß. fiat decoctio in ceruisia communi q. s. pro ℔ j ß. & dulcoretur zacch.* Eadem aliquando decoquebam in vino rubro Gallico, styptico, tenui, cum aqua communi. Atque hæc decocta per aliquod tempus continuando, vtens bona victus ratione, vitans omnia inflantia, legumina, rapas, tum alia, de quibus in præcedentibus diximus, egregie, Dei benignitate, qui regnat in perpetuum, sanus euasit, neque vnquam hoc malo reuerso, postea vxorem ducens, ætate progressa numerosam prolem ex ea sustulit. Multos & ego alios his vel similibus remediis perfecte curaui.

3 4

SCHOLIA.

5 *Duo scopi seu intentiones curandi herniam intestinalem & zirbosam.*

DVobus scopis, iuxta Leonellum præcipuis, seu intentionibus *Hernia Intestinalis* & *zirbosa* curantur. Primo cum medicaminibus pharmaceuticis; secũdo cũ operatione manuali. Prima vero intentio rursus trib. absoluitur scopis: principaliter cũ euacuatione: secundo, introductione intestini, vel zirbi, in ventrẽ: tertio cum claudentib. foramen per quod exit intestinum vel zirbus. Quãtum ad primum, perficitur euacuatione humorum aliquando pituitosorum, si adsint, vel etiam excrementorum in intestinis existentium & ventositatum, antequam intestina, vel zirbus, in locum suum reducatur. Atq; hæc euacuatio fit, vel per superiora sumẽdo per os; vel per inferiora clysteri leniente, cui addatur aliquid quod pituitam in intestinis hærentem educat; vt hoc modo: ℞ *decoct. communis ℔ j. in qua bullierint rad. althææ m. j. in ea dissolue Zacchari rubei ℥ j. ß. mellis ros. colati, cassiæ ana ℥ j. hieræpicræ ℥ vj. olei chamom. vel communis, ℥ vj. salis communis ℥ ij. fiat. clyster euacuans.* Si in intestinis sint feces, hoc leniente vtendum: ℞ *maluæ, betæ, foliorum maluæ, rad. althææ ana m. j. bulliant in s. q. aquæ ad consumt. medietatis, coletur, colat. accipe ℔ j. vel ℔ j. ß. in qua dissol. Zaccharo rub. ℥ ij. cassiæ ℥ j. olei communis ℥ ij. salis communis ℥ ij. fiat clyster leniens.* Quod ad secundam intentionem medicamentalem, videndum an intestinum fecibus sit repletum, aut ventositate, vt intestina, vel zirbus, immitti non possint: feces hic emolliendæ, vt oleo communi cum peciis calefactis, vel aliis iam dictis, tam diu impositis, donec feces mollificentur: iisque remollitis, tentandum per chirurgum, vt leniter impellatur intestinum, & non simul, sed pedetentim, & per interualla. Si ventositas sit impedimento, fotus fiant hoc modo: ℞ *florum chamomill. meliloti, anethi, parietariæ, ana m. j. semin. lini fœnugr. ana ℥ ß. bulliant in s. q. aquæ: fiat fotus cum spongia; & post fomentationem, oleo chamom. & liliaceo fiat inunctio, & intromittatur quantum fieri potest.* Tertium restat, formam claudere post introductionem. Præstabunt hoc consolidantia & restringentia per fotus hoc modo: ℞ *florum ros. rub. myrtill. sumachii, hypocist. gallarum, nucum cupressi & foliorum eius, ana m. j. vel ß. rad. consolidæ maioris & minoris, herbæ hyperici, arthriticæ, ana m. ß contundantur crasso modo, & bulliant in aqua plantaginis & vino rub. styptico æqualib. par. cum quarta parte aceti, ad consumtionem medietatis; & spongia quater quinquiesve foueatur,* & locus postea exsiccatus inungatur hoc vnguento: ℞ *olei hyperici, abietini, olei omphacini, myrtini ana ℥ ß. corticum thuris, mastichis, malicorii, mumiæ, boli arm. sang. drac. sarcocollæ ana ℈ j. puluerisanda puluerisentur; & cum prædictis oleis & exiguo cera fiat vnctio, qua inungatur locus.* Vel hoc emplastrum applicetur consolidans: ℞. *thuris masculi, sarcocollæ, aloes succotrinæ, mumiæ, aristoloch. rotundæ longæ consolidæ maioris, nucum cypressi, psidiæ, vermium terrest. ana ℥ ij. alias ℥ j lithargy. opopanacis, bdellii ammoniaci, galbani, mastichis, terebinth. ana ℥ j. sang. humani ℥ j glutinis piscium, visci quercini ℥ vj. alias ℥ ij. pellis arietinæ ℥ ß. depilatæ in aceto; & in aqua pluuia decoct. vsq; ad liquefactionem; dissoluantur gummi in aceto; puluerisanda puluerisentur; & in glutinibus liquefactis fiat emplastrũ pro ruptura.* Eadem fere habent Ioannes Arculanus supra Rhasem. & Valescus, & Montagnana in suis Consiliis. Qui vnum videt, videt omnes. Si hæc non iuuant, perueniunt ad chirurgiam, quæ erat secunda intentio principalis; *de qua postea.*

Clyster leniens & euacuans.

6 *Intestini vel zirbi intromissio.*

Consolidatio.

7 *Potus consolidans.*

Vnctio consolidans.

Emplastrũ consolidans.

OBSERVATIO XXI.

In qua agitur de Enterocele, per modum Consultationis.

1

THeodorus Teylingius, fororius meus, quæstor Domini de Egmont, vir quinquagenarius, cum stagnum illud Bergense prope Alcmariam, vt fundus fieret, aggere cingeretur, ocreis licet indutus terram illam limosam & aquosam transiens frequenter, pedibus in luto ita hærentibus, vt eos vix attrahere posset, inde in herniam intestinalem incidit. Ruptura prius in inguine ad oui magnitudinẽ apparebat; at postea intestinum in scro-

in scrotum delapsum, incrementũ suscipit. Cum
litteris, quãquam lingua Germanica scriptis, a me
consultationem peteret, ego Consultatiouẽ lin-
gua Latina hanc ipsam scripsi. Ramex huic erat
intestinalis & oschealis, peritonæo perrupto, in-
testinoque in scrotum dilapso : sed in homine
quinquagenario, debili & delicato, ferrum adhi-
beri non debebat. *Primo igitur consulo, vbi forte
exciderit, doctum chirurgum vocabis, vt suauissime,
quantum fieri possit, & commodissime manu in locum
reponat, subligaculis semper iniectis retinendo. Ad
hoc enim fiant fascia, seu loculamenta scroti, ex panni
culis ita compactæ, vt solidæ sint. Possunt quoq; fieri ex
ligno, ferro, aut aliqua solidiore materia: sed ita, vt in-
teriori parte, qua scrotum contingant & inguina, mol-
liori corpore inducantur (scribit Gatinaria, suo tem-
pore Ferrariensem fuisse quendam in Italia, in sancto
Ioanne in Castro, qui eiusmodi subligacula ferrea
componebat optimi & magni iuuamenti, nunc apud
Haganos est quidam artifex, qui eiusmodi ferreas
cincturas parat, quæ ita clauduntur, vt sine molestia
continuo portentur, ne intestina exeant aut relaban-
tur, vidimus nos istas cincturas polite fabricatas:
suntque iam apud Delphenses, tum apud Haganos in
vsu.) Interea in egerendo manum apprimas pubi &
scroto, ne quid recidat. Cum igitur hoc malum tuum
diu durauerit, vt scribis, ideo perfectam curam : quæ
fit manu chirurgica, seu ferro, hic in te tentare non
auderem: & ideo tutius ad alia me conferrem reme-
dia: quæ si forte non tollant malum, eo quod ruptura sit
satis antiqua, licet in primo senio te adhuc exsistente,
saltem augeri prohibebunt, eritq; cura palliatiua, imo
talis præseruatio, vt & consueta negotia transigere pos-
sis, & non in deterius malum procedat. Interim post-
quam intestinum in locum fuerit repositum, & per
fascias aut alias cincturas, in loco suo retentum : o-
mnium primo curabis, vt perpetuo te abdices, quan-
tum potes ab aere frigido, & quauis frigiditate circa
partes illas affectas, & quasuis alias corporis, potissi-
mum a frigore pedum. Propterea euitabis niues &
pluuias tempestuosas, imbres & quasuis tempestates,
ac ventos enormiter spirantes, & quæcunque vel ca-
put, vel alias corporis partes humectare & refrigera-
re possent. Cauebis quoque a quouis valido motu, & ab
exercitiis validioribus, maxime repleto corpore, a ve-
ctatione equorum duriter gradientium, & ab ephippio
angustiore ac duriore, a stapedis longius productis.
Quin omnibus modis non equitabis, nisi necessitate
coactus : idque non nisi equo paulatim prodiente, &
molliter incedente: nec hoc post cibum aut potum præ
sertim affluentius sumta. Si fieri possit, nauigio aut
curru iter instituere præstiterit. Abstinebis a coitu
vehementiore, aut intenso : neque vllo modo fiat post
crapulam satietatem, aut repletionem, ventre pleno
aut distento. Sobrietas hic plurimum potest. Cauebis
similiter a retentione anhelitus, a celeri cursu : montes
arenosos subito ascendere vel descendere, aut venatio-
ne intus esse noli. Neque stando scribas sed sedendo; o-
mnibusque modis quietem amplectare. Caueas quoq;
a nimia ventris compressione, sitque aluus mollior : si
resistat, glãde soluatur, prunisq; ac malis coctis vtitor,
tum iis, quæ aluum lubricam reddant. Absit clamor,
cantus, vociferatio, & quauis occasio tussis inferendæ
& sternutationis magnæ. Effugies autem, tanquam
pestem, compotationes & comessationes : nam taliter
affecti (vt omnes auctores referunt) debent esse
parci victus. Bis ergo tantum de die comedas, in pran-
dio & cœna, & tantum eo tempore bibas, minime ve-
ro post prandium aut cœnam. Cibaria quoq; sint sim-
plicia, vnius generis, minime flatuosa, sed boni nutri-
menti, & concoctu facilia, & tenuium partium. Pes-
sima sunt omnia lacticinia, pisces, legumina, & ole-
rum vsus frequens, allia, cæpe, rapa, pastinacæ, & quæ-
uis in sartagine frixa, castanea, vina dulcia crassa, no-
ua, quale mustum est. Abstinebis similiter a fructibus
horariis præcipue autem vuis & pomis cuiuscunque
generis crudis. Coctis quidem vel assatis licebit vti,
si venter non respondeat, adiecto fœniculi semine. In-
terea operam dabis vt saltem semel in die aluum de-
ponas: sin minus, glande laxes vt dictum est, vel cum
℈ j. pilul. aloes hora vna ante cœnam : vel cum tere-
binthinæ ʒ j. sumta tribus horis ante prandium. Vel
pilulas de hiera ter quaterve in mense, si aluus paulo
strictior sit, ad pondus ʒ j. hora vna ante cœnam su-
mito. Descriptio autem pilularum talis sit : ℞. cin-
namomi, croci, cub. bar. mastichis, asari, spicæ, ana ℈
ij. aloes optimæ ʒ j. ß. puluerisentur per se, &c. Quod
ad localia medicamenta attinet, intestino reducto
hoc modo, vt diximus, emplastroque contra ruptu-
ram, vel de pelle arietina, imposito fascia aut subli-
gaculis iniectis diligenter custodiendum, ne iterum
in scrotum relabatur, & non mutetur emplastrum,
nisi intra decem vel plures dies. Quod si rursus con-
tingat intestinum ad scrotum descendere, videndum
nunquid adsit quod reductionem impediat, hoc ipsum
statim & primo auferendum: siue quod in scroto re-
frigeratum fuerit, aut excrementa in eo indurata, vel
flatibus distentum sit: ex quibus si illico non succurra-
tur, dolor subsequi solet, deinde febris, postea & inflam-
matio, colicus item, vel potius iliacus affectus, tandem
& mors. Quæ vero refrigerata sunt, anodinis mode-
rate calfacienda: stercora indurata emollienda clyste-
ribus lenibus, & educenda: flatus dissipandi: febris,
tum alia symptomata, mitiganda: & dolori fotibus ac
anodinis resistendum & occurrendum. Vbi itaq; ma-
nu vel leui compressione sedatis symptomatis, intesti-
num retrocesserit, hoc sequenti linimento locus ruptus
inungi poterit: ℞. olei ouorum, myrtini, ana ℥ ß. o-
lei hyperici, mastichis, spicæ, ana ʒ ij. misce. Ante in-
unctionem licebit vti hoc fomento: ℞. rad. sigilli Ma-
riæ, bistortæ, caudæ equinæ, consolidæ maioris, penta-
phyllonis, tormentillæ, ana ℥ ß. folior. verbasci, bistortæ,
caudæ equinæ, pilosellæ, centaurii minoris, iaceæ nigræ,
ana m. j. florum ros. anthos. stœchad. ana p. j. cumini,
nasturtii seminis torrefacti, ana ℥ ß. semin. nigellæ ʒ.
j. coquantur in aqua & vino rubeo astringente, &
cum spongia foueatur locus ruptus calidissime : dein-
de vngatur oleis iam dictis, & hoc emplastrum appo-
natur: ℞. mastichis, sarcocollæ, sang. draconis, blattæ
byzantiæ, cort. thuris, aloes, boli Armen. gypsi, gallar.
psid. ana ʒ ij. ichthyocollæ & taurocollæ dissolut. in ace-
to ℥ ij. malaxentur, & fiat amplastrum. Vel addendo
picis derasæ a nauibus ℥ ij. colophoniæ ℥ j. malaxentur
cum oleo cydon. & reducantur ad formam cerati. Vel

excipiantur decocto pellis arietinæ, vel bullitæ. Vel fiat decoctio ex fragmentis pellium prædictarum, vel pergameni. Colæ enim satis faciunt, & eorum decoctum prædicto magis siccat. 7 *Sunt qui magnetem his ceratis admiscent, vt limaturam chalybis deuorandam dant, vt sic a magnete chalybs trahatur, & per consequens intestina. Verum illa Rondeletio parum prodesse videtur, nisi quid iuuent siccando, si assumantur, vel premendo partem, ob pondus. Sic enim parte depressa intestinum descendens, nec in altum nec foras prorumpere potest. Vel apponatur ceratum de pelle arietina vulgare, a pharmacopæis confectum. Mox supponatur ligatura iam dicta, ab artifice cōposita, vt firmissime adstringat; ita tamen vt nullum excitet dolorem, sitque leuissima & mollissima tactu, quantum fieri potest; eamque die ac nocte affixam loco tenebis, neq; solues subligacula ante nouem dies. Quidam* (vt doctissimus Montanus) *iubent singulis quibusq; quindecim diebus, aut saltem tribus septimanis, ceratum innouare. Hæc sunt, quæ ad præcautionem & possibilem curam mihi præstare videntur. Quib. & alii addunt potiones consolidantes; quæ potius in vere conueniunt, quam nunc in hyeme: potius etiam in adolescentibus, & magis in pueris, prosunt, quam in senibus. Attamen si libet iisdem vti ineunte vere, poterunt parari ex rad. symphyti, sigilli Mariæ Salomonis, brusci tormentillæ, foliis bursæ pastoris, polygoni, & pyrolæ, saniculæ perfoliatæ, consolidæ sarracenicæ, decoctis in vino rubeo & aqua, & colaturæ zaccharo adiecto ad saporem. Egregie hic valet radix hirundinariæ seu vincetoxici; cuius sola fomentatione, emplastratione, & balneatione puer vndeuigenarius curatus fuit. Idem remedium valet contra procidentiam hysteræ omphali, & etiam ani. Vale cariss. frater. Delphis 5. Decemb. an. 1565.*

Petrus Forestus Medicus, tuusque sororius ita sentiebat.

SCHOLIA.

8 QVomodo bubonocele, ac enterocele, & epiplocele, curentur, iam satis dictum est. Verum si istis remediis herniæ non curentur, vacuato scilicet ventre a stercore & flatu. Blandis clysteribus, aut medicamentis, inunctionibus, sacculis, ligamentis, subligaculis, decoctionibus potionibusq; consolidantibus, emplastris ac ceratis: tunc ad extremū remedium perueniendum erit, quod ferro fit; atque hoc diuersis modis. Alii aperiunt ventrē ad intestina, vt dissito retrahatur intestinū. Id fit supra ilia, via ad vasa spermatica, quæ proinde separantur, & peritonæi locus constringitur, non colligatur, ne impediatur generatio. Periculosum certe remedium & sæpe frustra tentatum; ex quo gangræna oritur, & mors, vt sæpe compertum est. Alii sectionem faciunt ad ilia, vbi alligant productionem illam peritonæi simul cum vasis spermaticis; deinde curant vulnus, callo illic obducto. Alii id faciunt punceto vocato aureo in ilibus, qua permeant vasa spermatica, acu ducta, & exceptis vinculo vasis illis & vicinis corporibus. Experimētum fit contrectato & deorsum tracto testiculo, vt intelligas an sit vas spermaticum. Et certe si quis vasis illis nō ligatis constringere posset peritonæum, neque testiculus excidendus esset, neque impediretur generatio. 9 *De his vide Celsum lib. 7. cap. 19. de testiculorum curationibus communibus, & primo de incisione & curatione inguinis, vel scroti.* Etsi omnes veteres intestinorum ramicis incisio inguine (*vt etiam notat Ronsæus vir doctissimus, & noster amicus, in eundem locum Celsi*) curationem moliti sint: Paulus tamen suo æuo, magis probatam dicit eam, quæ per vstionem fit; quam & ipse Aetius commendat, *vti videre licet libro 14. cap. 23. Nam tutissima*, inquit, *curatio herniarum, chirurgia & vstione perficitur, si peritus artifex contingat: tutior tamen ipsa chirurgia est vstio.* Quomodo vero intestinorum ramex curetur, *vide ad longum Paulum Æginetam lib. 6. cap. 65. & cap. 20. lib. 7. apud Celsum, De intestini curatione.* Ægineta eum tātum, qui ex intensione oritur intestinorum ramicem chirurgia curandum dicit. Alexander Benedictus Veronensis *lib. 24. cap. 36.* a se primum proditum curandi citra ferramentum alium modum describit: qui etsi manum chirurgicam omnino desiderare videatur, vnica tamen punctione constat, & nec sanguinis profluuium, neque vllam inflammationem comitem habet: eam curationem non solum in intestini, sed & in omenti ramice vtilissimam dicit. *Alii Medici* (vt idem inquit Benedictus Veronensis) *magna plaga nouacula aperiunt, nec id sine summo periculo fieri potest; nam dolores ingentes mouet, ac inflammationes, non sine venarum profluuio.*

Hernia secatur non sine periculo.

Quomodo autem inguinum ramex, seu bubonocele curetur chirurgia, *vide Æginetam lib. 6. capit. 66.* 10 At Celsus *lib. citato, cap. 24.* non solum a testiculis temperandum vult, sed & a peritonæo, quod id incisum magnum admodum periculum adferat. Sed de omenti curatione chirurgica, *vide eundem Celsum lib. citato, cap. 21.* Amatus *centur. 2 curat. 71. De enteroceles curatione* pueros aliquot, sectione inguinis facta, & per eam testiculo didymo dicto extracto, & forcipibus in epididymo presso, & candentibus ferramentis optime exusto meatu, & porcina pinguedine obtrectato, lineo filo tamē primo infima in parte ligato, sanitati a se restitutos affirmat. Benedicti tamen Veronensis operatio magis placet, quam ad longum loco citato lector perlegere poterit. Nam & doctissimus ille Iacobus Syluius Medicus *in suo Gatinaria*, quē *libellum publice prælegit*, maxime timet castrationem; additque: Exactum huius curandi modū describere minime grauarer, ni putarem id superfluū esse: quum nullus eū, vt in opus mittat, ex libris solis assequi poterit. Quod si quis ex lectione tantū opus hoc aggredi conabitur, is certe non minus quam ex cōmentariolo nauta dicēdus esset. Oportet igitur vt Medicus, iuxta Galeni præcepta, post methodum vniuersalem curatoriam, in particularib. se exerceat. Quicquid sit, tamen iste modus, qui fit sine castratione, merito præferendus est. Sed quia auctores tam veteres quā recētiores innumeri diuersos modos describūt, sat est, nos loca ostendisse; quamuis hæc ipsa ex visu potius, ac lōgo vsu, & certa experientia, quam ex libris, discenda sint.

Ob-

OBSERVATIO XXII.

De Epiplocele, seu Ramice omenti.

QVidam omenti ramice laborans me consilii caussa accessit: Iussi vt spiritum retineret; eoque retento, non magnopere increscebat, tactu vero inæqualis erat, mollis ac lubricus. Ex quibus signis cognoui, quod erat epiplocele, seu hernia zirbosa, *vt barbari vocant.* Quemadmodum enim dicebat Celsus, si descendit omentum, nunquam in scroto tumor tollitur, siue inedia adsit, siue corpus huc illucve conuersum, aut aliquo modo collocatum. Hæc cum adessent, difficilem curationem dixi, quod maximam partem scroti occupasset. Difficilime enim curatur: nam vix reperiri potest, ob tenuitatem, & mollitiem, omentum (*vt alias diximus*) & cedit impellenti, si reducatur. Hic ante me consilio chirurgi vsus fuerat, qui non poterat omentum in locum suum deponere. Iam quia eodem modo curatur, vt ramex intestinorum, *Leonello teste,* cum aluum semper strictiorem haberet, consului, vt aluus quotidie blande sollicitaretur cum lenitiuo medicamento nostræ descriptionis, quo vti soleo in iis, quibus excrementa facile indurantur. Quare huic consuluimus temperantiam, & inediam, quantum fieri posset, ne multitudo recrementorum impediret, quo minus reponi posset omentum. Et ideo si vacuanda aliquando forent recrementa, id clysteribus fieret, cum clysteres præcipue in ramice omenti conueniant. Quibus peractis, consului, vt peritum chirurgum rursus adiret, vt sic in locum deponeretur, mox subligaculis & aliis remediis aptis vteretur. Obseru. præced. descriptis. Iis si non curaretur, ad chirurgiam procederet.

SCHOLIA.

AVicenna, eiusque sequaces, sub vno capite tractant de curatione herniæ intestinalis, & zirbi, seu omenti; *vt videre licet lib. 3. fen. 22. cap. 5.* Rondeletius quoque eadem remedia scribit valere ramici omenti ac intestinorum, *cap. 78. De herniis.* Idem quoque facit Leonellus, cum scribat, curam herniæ zirbosæ & intestinalis perfici, primo cum medicinis pharmaceuticis, secundo cum operatione manuali: & quomodo istæ intentiones curandi perficiantur, *Scholio Obseruationum 20. ad longum recensuimus,* vt non opus sit eadem repetere. Quomodo vero ramex omenti curetur per chirurgiam, docet Cornelius Celsus *lib. 7. cap. 21. De omenti curatione.* Nunc ad alia exempla progrediamur, & ad reliquas hernias, oscheales dictas. Barbari ita appellant, quod in Græce dicto, *id est,* in scroto fiant. Cum enim scrotum tumet (*inquit Alexander Benedictus Veronesis*) quod a Græcis vocari diximus in Anatomia, communi nomine *Herniam* vocant, ac indecorum.

OBSERVATIO XXIII.

De Hernia carnosa, Græcis Sarcocele dicta.

THeodorus chirurgus Egmondanus, anno 1557. quinquagenarius, hernia carnosa laborans, me accessit consilii caussa, vt ab ea curaretur. Huic cum chirurgus esset, triplicem curandi viam, ab auctoribus peritis & chirurgis descriptam, proposuimus, iuxta communem modum. Primo vtuntur repercussiuis medicamentis; secundo emollientibus: quibus si non curaretur, tertiam addunt, operationem manualem. Ceterum cum ipsi adesset insignis durities, & malum diu durasset, principium proinde iam dudum præteriisset, solis repercutientibus vti non ausi fuimus, quin adderemus aliqua emollientia, vt hoc emplastrum, quod calide scroto applicaret: ℞ *radic. althææ mundat.* ℥ ij. *flor. meliloti, absinthii, ros. rub. florum chamomillæ, ana m. j. ß. coquantur in vino rubeo styptico ad maiorem roborationem:* istis decoctis & contusis *adde farinæ fabarum p. j. farinæ fœnugræci* ℥ iij. *pul. cumini præparati* ℥ ij. *baccarum lauri contusarum* ℥ j. ß. *seminis coriandri præparati & contusi in puluerem* ℥ ß. *cum oleo myrtino, rosa. liliorum, ana q. s. adiecto aceti modico, fiat emplastrum, & apponatur, prius corpore repurgato.* Hic autem, vt quinquagenarius, timebat ferrum. Quamuis ego libere dicebam cum hæc hernia carnosa diu durasset, & ad statum magno incremento peruenisset, difficulter esse curandam. Ideo sausi, vt chirurgum in hac re peritum accederet, neque volui me huic curationi intromittere; *iuxta illud Montagnanæ Consilium 227. De hernia carnosa, rubr. 4. qui ita scribit: Cum autem hac ægritudo pertransiuerit tempus primæ partis augmenti vniuersalis, valde difficilis redditur eius curatio; & proprie quando peruenerit vsque ad medium status inclusiue: tunc ergo propter mirabile eius augmentum tantum debilitata est virtus, & non potest regere medicinas locales sufficienter exsiccatiuas. Etiam repercußiuæ medicinæ hoc tempore non sunt necessariæ: eo, quod materia tota fluxit, & ægritudo iam transierit ad augmentum, imo plurimum aucta. Huic etiam malo parum aut nihil conferunt medicinæ digestiuæ & euacuatiuæ, propter prædictas caussas: quare localibus medicinis non oportet insistere; quia non conferunt etiam solum calefaciendo, resoluendo, & exsiccando: imo oportet eas esse causticas, raro & paulatim applicatas, vt succeßiue disponant magnificatas partes, oschei.* Ego ita legendum existimarem, *Vt succeßiue, seu, pedetentim, diminuat partes auctas oschei.* Mox ait: Ego enim diu *laboraui cum alternatiuis prædictis in hac ægritudine in Ioanne fratre Antonii apothecarii ab Angelo: secundo in nobili viro Fantino Bragandino: tertio in Paulo de Rustica. Cuiuslibet horum herniam carnosam transcenderat: quasi quantitatem humani capitis. Vana itaque fuerunt instrumenta omnia, nihilque vtrisque horum vsque ad hanc diem curam perfecit, secundum hunc modum. Igitur præmißis vniuersalibus euacuationibus & particularibus materierum, quæ poterant fluere ad particulam affectam, applicui hoc repercußiuum in inguinibus, & circumstantibus partibus superioribus oschei:* ℞ *boli armenæ;* ℥ ij. *terræ sigillat. amydi, ana* ℥ j. *farinæ volatilis molendini* ℥ j. ß. *sandarachæ, mastichis, ana* ℥ ij. *cum succo rosaceo fiat linimentum in mortario plumbeo, cum pistello plumbeo, & apponatur omni die bis.* Post hoc sequens adhibui: ℞ *saponis nigri* ℥ ij. *auripigmenti* ℥ j. ß. *sulphuris viui* ℥ ß. *calchanthi combusti* ℥ j. ß. Incorporentur omnia in mortario

cum aqua salis amnoniaci. *Hoc igitur cauterium* 4 *applicetur inferiori parti oschei, vt escheram faciat amplitudinis vnius ducati, & non dimittatur vltra horam, ne fiat eschara profunda pertingens ad vasa inuoluta, vel ad venas & arterias ibidem exsistentes: periculum enim essent spasmi, aut immoderatæ hæmorrhagiæ superuenientium. Cum autem facta fuerit eschara, procedatur ad mollificationem cum axungia & butyro recentibus, vsque ad casum eius. Postquam deposita fuerit eschara, procedatur ad curationem cum applicatione vnguenti Veneris, dicti Apostolici, descripti ab Auicen.* 5. cano. summa 1. tract. De vnguent. *Hoc enim eliquat & consumit carnes conuenienter. Deinde applicetur causticum prædictum superioribus, intermediis, & lateralibus partibus oschei; in tantum, quod in oscheo fiant sex vel octo rupturæ in diuersis locis, vt conuenienter possint applicari medicamina consumtiua secundum omnem differentiam positionis loci; omni tamen tertia aut quarta die semel liniendo partes vlceratas cum aqua secundi capitelli. Vbi per hæc videris consumtam esse carnositatem, quod apparet ex reductione oschei ad pristinam magnitudinem (quod non fit in spatio breuiori vnius aut medii anni) tunc procede cum consolidantibus: quorum magna copia ab auctoribus hinc inde perlegitur. Sis tamen in hac dispotione curanda solers & attentus. Ego enim, propter multitudinem & fortitudinem accidentium concomitantium hanc dispositionem, disposui deinceps hanc ægritudinem non pertractare; vnde multos, qui peruenerant ad me renuntiaui, & laborem fugiens, & præmii paruitatem.* 5 Hactenus Montagnana, cuius, quamuis barbare scripta, non puduit neque piguit eadem hic inserere verba; non ita curiosus sum, vt quidam, qui dedignantur practicos barbaros & indoctos (*quanquam in re ipsa insignes, & egregie in artis operibus exercitati sint*) perlegere. Non equidem eloquentia, *vt Celsus ille*, alioqui eloquentissimus, dicebat: sed peritia curantur ægri. Qui equidem eadem sentit *lib. 7. cap. 22. de carne, quæ inter tunicas testiculorum concreuit, & de neruo indurato. Caro quoque* (inquit) *si quando inter tunicas concreuit, nihil dubii est, quin eximenda sit; sed id ipso in scroto inciso fieri commodius est. At si neruus induruit, curari res neque manu, neque medicamento potest. Vrgent enim febres ardentes, & aut virides aut nigri vomitus: præter hæc ingens sitis, & linguæ asperitudo, fereque a die tertio spumans bilis aluo cum rosione redditur. Atque neque assumi facile cibus, neque contineri potest: neque multo post extremæ partes frigescunt, tremor oritur, manus sine ratione extenduntur; deinde in fronte frigidus sudor, eumque mors sequitur.* Propterea Ronsæus, noster amicus, hunc locum interpretatus ait: *Suadent propterea alii, vt ramicem hunc ceu deploratum, ac desperatæ salutis, omnino relinquamus prognosticis, ac repudiemus.*

SCHOLIA.

6 *Caussa herniæ carnosæ.* QVanquam caussas & signa sarcoceles, seu herniæ carnosæ aliquo modo attingimus Scholio *Obseruat. 12. huius libri*, sciendum tamen præter fluxionem ad oscheum, aliquando ex sanguine vnctuoso fieri in homine temperata complexione & sanguinea exsistente, virtute nutritiua magnam partem sanguinis transmutante, & coagulante in carnositatem. Nam & caliditas testium, attrahendo, apponendo, & vniendo sanguinem, est caussa augmenti huius carneæ molis: quæ quidem aucta membrum debilitans, per consequens generat carnositatem illaudabilem & superfluam, quæ licet ab initio generationis fuerat commoda & vtilis. Ad hoc tanquam caussæ externæ iuuant omnes cibi sanguinem procreantes, vti vitella ouorum, iura pinguia, vinum dulce, dactyli, zaccharum, & omnia, quæ valde nutriunt, & quæcunque ex iis condiuntur. Fiunt quoque, vt iam diximus antea, ex fluxione, aut ictu, compressione, & imperita post ramicis succisionem curatione. 7 Sic Doctor ille Hugho Nieuenius, Medicus Haghanus, cum antea in Burgundia habitans, Medicinamque ibidem faciens, frequenter equitaret, ad nobiles euocatus, ex ephippii duritie & crebra equitatione, vt postea nobis retulit, in herniam carnosam incidit; a qua, vbi per multos annos, dum etiam per aliquot annos in Hagha Comitis Medicinam faceret, durasset, tandem senex per incisionem egregie liberatus fuit, opera Guilelmi de Dalen lithotomi Delphensis, qui mecum vna in diuersis curationibus fidus Achates fuit, quantum ad chirurgiam attinebat, prout & sæpius ante eius meminimus. Signa iam ex parte quoque recensuimus *Scholio Obseru. 15. huius libri.* *Signa.* Præter illa signa, carnositas cognoscitur per absentiam doloris in loco, per caliditatem, licet tamen remissam, respectu eius, quæ percipitur in carnositate laudabili, per ruborem partis extensæ, & soliditatem quasi consimilem soliditati carnis laudabilis, per quæ eius augmentum velox, vt increscat aliquando ad capitis humani quantitatem, vt frequenter conspeximus. 8 Deprehenditur quidem a tumore rotundo, oblongo, duro, inprimis formam testiculi referente, & qui longo tempore pedetentim increscat. *Prognostica.* Difficile etiam in principio, & potissimum magis in incremento, vt in Obseru. præcedente diximus, curatur. At carnosa insignis non curatur, sed testiculus extrahendus. Quomodo causticis curetur, iam ex Montagnana in Obs. præcedente diximus; & quomodo chirurgia, *vide Cornel. Celsi. lib. 7. ca. 21. De ramicis curatione.* *Curatio.* Cognita vero, vbi recens malum est, hac dispositione ipsa, a principio vsq; ad primam partem augmenti, facile curari potest. Primo per sectionem venæ basilicæ, & venæ communis; & hæc ipsa, si opus est, erit reiteranda. Secundo distrahendo & diuertendo sanguinem, hæmorrhoides aperiendo cum fellis tauri frictione, aut lacte ficus, vel cum aqua decoctionis sulphuris viui. Tertio applicando cucurbitulas natibus, & carnosis partibus inferioribus coxarum & crurum. Quarto regimine cibi potusq; frigiditate & siccitate sua contraria generationi & sanguinis augmento. Quinto cum applicatione linimentorum & emplastrorum repercutientium cum exsiccatione notabili & stypticitate; quale hoc est: ℞ *granorum lentis, solani ros. folior. plantag.* ana

ana ℔ j. ℥ farina hordei ℔ j. albumina ouorum nu. tria, coquantur omnia in aqua cum quarta parte aceti; adiecta farina, fiat emplastrum, & tepidum applicetur toto oscheo, seu scroto, per quinque aut sex dies. 9 Hæc infrascripta a tribus Medicis, Ioanne Tiengio, Martino, & Gerardo quondam Medico Delphensi (*cuius ædes ego emi, aliter tamen exstructas ante incendium famosum illud Delphense*) descripta fuere anno 1529. in Septembri pro D. Ioanne Heutero seniore, qui patiebatur herniam carnosam, cum magna inflatione & duritie didymi: ℞ *maluarum, parietariæ, florum chamomill. meliloti, ana m. j. extremitatum absinthii p. j. fiat decoctio in aqua ad teneritatem; exprimatur perfecte, & contusis adde farinæ fabarum, orobi, ana ʒ iij. farinæ seminis lini, pulueris cumini, ana ℥ j. vini Rhenani, succi caulium, mellis ana q. s. decoquantur simul ad formam cataplasmatis.* Item: ℞ *ros. cum capitibus, myrtill. sumach, balaustiorum, corticum granatorum, nucum cupressi, ana ʒ ij. acaciæ, aluminis, ana ʒ j fiat decoctio in aqua fabrorum, adde aceti ℥ ij. pro ℔ j. ß. ℞. prassii, rutæ, florum chamomillæ, meliloti, ana m. j. maluar. parietariæ, ana m. ß. vsneæ, extremitatum absinthii, ana p. j. decoquantur in aqua vsque ad teneritatem, postea fiat expressio fortis, incidantur, contundantur optime; quibus addantur farinæ fabarum, orobi, ana ℥ ij. puluer. cumini, nucum cupressi, ana ℥ j. mumiæ ʒ ß. stercoris ouini ℔ ß. lixiuii communis, succi caulium, & mellis q. s. bulliant simul ad formam cataplasmatis.* 10. His subsequentibus quidam Hispanus septuagenarius dicitur curatus ab hernia quadam carnosa magnitudine capitis infantis. Primo adhibitum regimen debitum, & purgata materia antecedens, cum multo tempore durauisset. Deinde hæc subsequentia fuere applicata, modo vnum, modo reliquum; ℞ *cumini ℥ ij. semin. fœniculi, ammeos, ana ℥ j. baccarum lauri p. j. semin. lini, fœnugræc. ana p. ij. dauci m. ij. folio. calamenti, ros. rub. ana m. ß. flor. chamomill. meliloti, ana m. j. misce; contundantur crasso modo; & fiebat sacculus, qui ebulliebat in aqua & vino:* ℞ *farinæ fabarum ℔ ß. furfur. macri m. j. flor. chamomill. sem. anisi, fœnic. ana ℥ ij. cumini qr. j. ros. rub. ℥ j pulueriSentur subtilissime.* Deinde: ℞ *mellis pintam ß. cum vino & aqua fabrorum fiat cataplasma ad modum pultis, incorporando ad ignem.* Aliud: ℞ *nucis cupressi, gallarum, balaust. rof. ana ℥ ß. gummi arab. tragac. myrrhæ, sarcocollæ, thuris, ana ʒ ij. boli armen. litharg. ana ʒ iij. olei chamomill ros. ana ℥ iij. terebinthinæ ℥ ij. pulueriSentur pulueriSanda, & cum modica cera fiat massa extensibilis.* Aliud: ℞ *sepi arietini, ceræ citrinæ, ana qr. j. pul. ros. rub. mastichis, rad. ireos, ana ʒ ij. vnguent. popul. ℥ j liquefiant, & addantur pulueres, pisti, & intingantur panni linei, & fiat sparadrapum.* 11. Et nota quod emplastrum contra rupturam fecerit principalem operationem, quod ita erat paratum: ℞ *picis naualis, ceræ, resinæ, ana ℥ ß. galbani, ammoniaci, therebinth. bdellii, serapini, ana ʒ iij aloes, mastichis, olibani, mumiæ, myrrhæ, sanguin. draconis, vtriusque consolidæ, aristoloch. hypocistid. visci quercini, gallarum, acaciæ, spodii, balaust. corticum spinæ nigræ, sumach, hæmatid. sem. arnoglossæ, sem. nasturtii, lumb. terrest. ana ℥ ß. pilorum leporis ʒ ij. sanguinis humani ℔ ß. confice sic pellem arietinam recentem, pilis rasis vel extractis, tam diu coque donec dissoluatur, & cola fortiter cum sepi arietini qr. j. sanguinis humani, aceti, & succi plantag. ana ℔ ß. & cum reliquis secundum artem misceantur addendo vtriusque consolidæ ana ℥ ß. brusci m. ß. fiat emplastrum.*

OBSERVATIO XXIIII.

De Ramice varicoso, seu Hernia varicosa.

1 QVi varicoso ramice laborabat, consilii caussa me quoque accessit. Facile enim nobis hæc hernia innotuit ex signis superius descriptis, potissimum cum in superficie scroti appareret multitudo venarum & arteriarum, cum extensione magna totum scrotum inuoluente, sicut vitis arbori inuoluitur; & ideo ab Italis quoque vocatur Vitis. Materia huius, melancholicus sanguis exsistit, a superioribus partibus effusus, & ad scrotum per defluxum delapsus, vel critica transmutatione materierum melancholicarum, aut earundem ægritudinum terminatione. Aut fit ob splenem debilem in attrahendo feces melancholicas ab hepate; vel hepate minus expellente sanguinem melancholicum ad lienem: nam eo melius propellente, sanguis efficitur purior; alioqui crassior euadit. Hanc caussam internam etiam mouent, ac iuuant externæ sanguinem melancholicum multiplicantes; qualia sunt animi passiones contristantes, mœror, ac tristitia excedens, exercitia vehementiora, cibique melancholici, caro antiqua salsa, fumo indurata, vsus fabarum, lentium, leguminum, & similium. 2 Quamobrem, vt recte curaretur, imperaui, vt ab eiusmodi cibis, crassis & melancholicis, tum aliis rebus melancholiam producentibus, aut generantibus, abstineret, potissimum a cibis crassis & melancholicis. Inde præcepi, vt omnium primo fecibus communibus eductis, sanguis eidem satis copiose demeretur ex vena lienari: nam & hic in liene obstructionem patiebatur, & dolorem in hypochondrio sinistro subinde experiebatur (*splen enim huius mali magna ex parte fomes exsistit.*) Deinde vtentes decoctis sanguinem depurantibus, & obstructionem lienis tollentibus, atram mox bilem purgauimus; & vt hœmorrhoides prouocarentur, vel aperirentur, præcepimus, cum eidem aliquando fluxissent & nunc retentæ essent. Scroto vero, cui aderat etiam insignis durities, emplastrum nostrum de ammoniaco apponi iussimus. Quemadmodum nuper puero duorum annorum tophacea hernia laboranti commode emplastrum, de muccilaginib. imposuimus. Illud enim emplastrum, & proprie vigoratum cum quatuor gummis (*cum simul durities adsit*) videlicet opopanace, 3 serapino, bdellio, & ammoniaco. Quidam in hac hernia, commendant applicationem aquæ sulphureæ, asphaltinæ, ex quibus sæpe fiant encathismata. Intentio enim in hac dispositione est complicata ex applicatione resoluentium, exsiccantium, & lenientium medicinarum. Sed thermæ iam dictæ omnia hæc in se habent virtute naturali & conueniente, *Auicen. lib. 3. fen. 22. tract. 1. cap. 8. de cura herniarum carnea & varicosa sic in-*

quit: Curatio earum est curatio apostematum durorum: & multoties quidem sufficit in ramice varicoso inunctio cum adipibus lenibus & medullis. Vt itaque istis vel similibus remediis vteretur, consului; vel iis, vt alii iubent, quæ ad herniam carnosam valent: de quibus diximus Obseruat. præcedente & Scholio. Excepta id tamen sexta intentione de causticis remediis, quæ hic nullo modo conueniunt. Quod si hæc non iuuarent, remisimus eum ad chirurgos, qui & hanc incisione curant; *vt docetur a Paulo libr. 6. cap. 63. De varicoso ramice & ventoso.*

SCHOLIA.

4 VAsa in scroto, aut dartis membranis, dilatata, Varices simplici vocabulo nominant. Alia vero, quæ testiculum nutriunt, si varicum more dilatentur, Varicosum Ramicem Latini, Græcis Cirsocelen (*vt antea diximus*) vitium hoc nuncupant. Notæ horum euidentes sunt; quippe pars affecta tumidior, obliqua modice, vuæ in modum, & testiculi relaxatio apparet, tum aliæ adsunt nonnullæ difficultates, maxime in cursu, exercitio, & itinere. Quod ad remedia attinet, inprimis victus ratio describenda, quæ melancholiæ sit contraria, & quæ lieni prosit, cum sit fomes melancholiæ. Si opus, venæ adhibeatur sectio, tum alia Obser. præcedente dicta, præcedente purgatione ex confect. hamech, syrupis de epithymo, de pomis, de fumoterræ, de borag. & similibus, cum decoct. lupul. fumariæ, ceterach. Purgantur etiam cum decoct. senæ, epithymi, adiecta cassia, vel confect. hamech: deinde ad localia veniendum, quæ & herniæ carnosæ conuenire diximus, præter caustica. Est & altera quædam species herniæ apud Montagnanam, quæ dicitur Buris ab Auicenna. Fieri eam scribit ex sanguine 5 melancholico, nō solum multiplicato in oscheo, verum etiam in testiculo, partibus iisdem ita intumescentibus, vt mensuram aliquando capitis excedant, quales in pauperibus, qui circa templum sedentes eleemosynam ab intrantibus petunt, herniæ conspiciuntur, cum duritie, tensione, nigredine, cum frigiditate vehementi, absq; pustulis & corruptionibus: quæ tamen si adsint, a quibusdam vocatur dispositio proxime accedens ad lepram. At vero hæc ipsa proxime ad carneam accedit, vel ad herniam varicosam potius, cum fiat ex melancholico humore. Vidi ego in Ioanne Cantharopolitano, Priore in cœnobio Abbatiæ Egmodanæ, talem herniam, caput humanum magnitudine excedentem, vt maiorem nunquam viderim. Contraxerat is hoc malum ex continuo cantu in Choro, cum præcentor esset; & nihilominus vltra viginti annos hoc onus gestans superfixit. Montagnana idem vidit in quodam viro, qui talem herniam gestauit plusquam triginta annis. Quidquid sit, hic refertur vel ad varicosum, vel ad scirrhosum ramicem, vel herniam tophaceam; & tunc non adest sensus, aut dolor vehemens, sæpe nullus. Verum si maligni aut cancrosi naturam referat, dolor vrgebit pun-6. ctorius. Ac si hæc dispositio ad statum & confirmationem peruenerit, tunc curanda est cura apostematum, subtrahendo materiam melancholicam, si quæ fuerit in venis, vel in splene, sectione venæ basilicæ cubiti sinistri, vel in manu sinistra. Mox materia paranda cum decoctis & syrupis de epithymo, & aliis iam dictis, & purg. eradicatiua ex sena & confect. hamech, deinde materia coniuncta auferenda cum resoluentibus & emollientibus, *vt patet 14. Method. De tumoribus scirrhosis.* Montagnana vtitur mane & ante cœnam semicupio ex aqua decoct. rad. althææ, granorum sesami, fœnugræci, seminis lini; & post exsiccationem inungit cum oleo sesamino, amygdal. dulc. bdellio, inuicem dissolutis, & calidis scroto appositis, cum lana succida diligenter calfacta. Et ita, inquit, procedatur per septimanam. Deinde 7. fiat semicupium, vel encathisma in aqua cineris, in qua modicum bullierint chamomilla, fœnugræc. mox membro apponatur hoc emplastrum: *℞ radic. scrophulariæ, vel herba Mauri, secundum Neapolitanos, radic. bryoniæ, ana ℔ ß. meliloti, chamomillæ, sem. anethi assati, ana ℥ ß. farinæ orobi ℥ ij. furfuris macri ℥ iiij. croci ʒ ß. coquantur in aqua radices vsque ad mollitudinem, reliqua terantur subtilissime, & adiectis oleis amygdal. dulc. & lilior. fiat emplastrum, quo actu calido totum oscheum, seu scrotum, inuoluatur vsque ad inguina, & ligetur apte, vt adhæreat.* Deinde alia septimana sequente fiat ex magis resoluentibus, denuo ad applicationem emollientium deueniendo, vsque ad complementum curationis: singulis interea septimanis ventrem lenientibus medicamentis soluendo, si necesse sit cum diasene ex aqua lactis caprilli calida: reliqua semper obseruanda, quæ ad dura apostemata præcipiuntur ab auctoribus, iuxta & canones ab iisdem obseruatos.

OBSERVATIO XXV.

De Pneumatocele, seu Hernia ventosa.

QVi tympanitem patiebatur, in herniam ventosam incidit. Solet autem aliquando hernia ventosa, seu ramex ventosus, cum hydrope accidere, aliquando sine ea, *vt Rondeletius ait.* Sed non solum in ascite hoc contingit, vti aquosa hernia, sed magis ex tympanite, propter flatus. Interea & ventosus, inquam, ramex fit quoq; sine hydrope, vt sæpe vidimus, & frequenter in pueris, seu infantibus, qui facile curantur sæpe emplastris tantum ventositatem depellentibus, quibus vtimur in colicis dolorib. & in ventriculi inflatione. Quicquid enim flatum gignit, vt omnes cibi flatuosi, vt legumina, hoc malum producit; lac quoque, & piscium vsus frequens, fructuumque frigidorum, cucurbitæ, olerum frigidorū & humidorum, & aquæ vsus, & potissimum immoderata repletio. Ceterum cognouimus, herniam ventosam esse; eo, quod ventositas quasi ab vna parte ad aliam mouebatur, cū rugitu & dilatatione, cū flatulento spiritu, cū & aliquando tactu sonū edat. Cū autē huic tympanites adesset, curauimus eū, vt de tympanite scripsimus, & purgauimus cum diacarthamo solutiuo; & vtebamur iisdem remediis, quæ ad colicā ventosam valere recensuimus,

&ad

& ad ventriculi inflationem. Scrotum, vt hoc fotu foueretur imperauimus: ℞ *cumini, baccarum lauri, seseli, rut. ana ℥ j. fiat decoctio in vino leuiter astringente, & lixiuio foueatur pars*; deinde & hoc sequens cataplasma imponatur, quo & Rondeletius vtitur: ℞ *stercoris vaccæ ℔ ij. sulphuris & cumini, ana ℥ ij. misc. & addito pauco melle, fiat cataplasma; applicetur scroto.* Vel fiat ex farinis hunc in modum: ℞ *farinæ fabarum ℔ j. decoquito in vino addendo cumini, apii, petros. ana ℥ iij. fiat cataplasma*; applicetur parti affectæ. In altero eodem malo laborante sine hydrope, primo pituitam, quæ cruditatis caussa est & inflationis, ita purgauimus: ℞ *foliorum senæ ℥ vj. agarici fœminæ albi leuis ℥ j. ß. seminis anisi, fœniculi, ammeos, carui, dauci, ana ℥ j. ß. coquantur in decoct. communi q. s. & huius expreßionis cum per noctem steterit accipe ℥ vj. addendo syrup. e stœchade, mellis rosac. colati, oxymellis simplicis, ana ℥ ß. misc. pro duabus dosibus*: dabam deinde diacuminum. Parti affectæ fotus hic adhibebatur: ℞ *florum chamomillæ, rutæ, meliloti, origani, absinthii, artemisiæ, calaminthæ, saluiæ, ana m. j. seminis anisi, fœniculi, cumini, carui, ammeos, ana ℥ ij. coquantur in aqua & vino, pro fotu adiecto pauco aceto; fiat fotus cum spongia*; ac locus deinde exsiccatus inungatur oleis sequentibus: ℞ *olei rutacei, costini, chamomill. anethini, ana ℥ ß. misc.* Alii commendant, vt Catenaria, *oleum de carui, sambucinum*: quidam ad *oleum euphorbii* procedunt. At nos superioribus contenti, emplastrum de baccis lauri apposuimus, & æger a ramice ventoso curatus fuit.

SCHOLIA.

Curatio herniæ ventosæ a Neotericis duabus potissimum intentionibus, seu scopis, perficitur. Primo caussam antecedentem amouent fere cum iisdem, quibus hernia aquosa curatur, nempe euacuando materiam ex qua fit ventositas; ea materia magna ex parte phlegmatica est; quæ digerenda erit & purganda cum iisdem, quæ ad aquosam herniam valent, & describuntur ab auctoribus. Sicut enim in aquosa dominatur aqua super ventum (*vt dicebat Bertrutius Medicus de hernia ventosa*:) ita in ventosa dominatur ventus super aquam. Neque æstimandum est in corpore hominis alterum sine altero reperiri; cum eorum sit eadem efficiens caussa, scilicet calor diminutus, eademque materia, scilicet humor frigidus, vnde etiam facile ventositates causantur: ideo pituita purganda adiectis carminantibus ventositatem. Quare hic, *vt & Rondeletius annotauit*, euacuato corpore a pituitosis humoribus, vtendum corroborantibus facultatem concoctricem ventriculi: ea nimirum remedia sunt vtilia, quæ ad ventriculi inflationem, tum ad ascitem, sunt descripta; etiam illa, vbi ventositas magis abundat, quæ ad tympanitem valere diximus. Quæcunque igitur ventositates minuunt ac expellunt in superioribus membris congregatas, a quibus huius ægritudinis colligantia dependet, conferunt, quæ & stomachum tum hepar corrigunt, ne humores flatuosi generentur; adhibita commoda victus ratione, ne ventositates genitæ hoc vitium causent, vel augeant. Secundus scopus est, ad amouendam caussam coniunctam, consumendo & resoluendo ventositatem in scroto perceptam. Repurgato igitur corpore, vt iam diximus, hæc trita subsequentia remedia apte adhiberi poterunt; inprimis hic sequens clyster: *flor. chamomillæ, meliloti, summitatum anethi, ana m. j. sem. cumini, anisi, carui, fœniculi, ammeos, ana ℥ j. sem. rutæ ℥ ß. sem. lini ℥ ij. coquantur in aqua communi pro ℔ j. colaturæ adde (si aluus quoque restricta est.) benedictæ laxat. ℥ j. olei rutacei, anethini, ana ℥ j. ß. zacchari rub. j. salis gemmæ, salis Indi, ana ℥ ß. fiat clyster.* Secundo glandes *confectæ ex trochisc. albandal. ℈ ij. sem. rutæ, semin. cumini, ana ℥ ß. baccarum lauri ℈ ij. mellis bene cocti q. s. adiecto sale Indo, vel gemmæ, fiant supposit. duæ vel tria.* Tertio paretur *sacculus ex milio, furfure, floribus chamomill. & semin. rutæ, cumini, fœniculi, anisi, & similibus, satis magnus, quadratus, vt totum ventrem ambiat; calefiat in patella, & calide ter quaterve in die applicetur.* Membra vero flatum gignentia corrigantur; sumendo in diluculo ℥ j. *theriacæ veteris, vel confectionis mithridaticæ, cum ℥ ij. aquæ flor. chamomillæ, vel semin. rutæ*: vel, quod vehementius, ℞ *electuarii de baccis lauri, nempe spec. ℈ ij. cum succo rutæ fiant pilulæ iij. vel v. & dentur per tres horas ante cibum.* Interea victus ratio diligenter obseruanda, cauendumque ab omnibus caussis primitiuis, cibisque multiplicantibus ventositatem; a lacticiniis, pastillis, pane azymo, fungis, leguminibus, rapis, cerebris animalium & medullis, castaneis, vino dulci, fabis, ab aere frigido, ventoso, tempestuoso, caliginoso, locis subterraneis, paludibus; ab omni animi motu, & corporeo; a somno prolixo & meridiano. Secundus scopus, qui pertinebat ad caussam coniunctam, fit topicis remediis scroto admotis; ventositatem resoluentibus, vt fomentis ac oleis, & cataplasmate, descriptis in Obseruatione. Vel fiat tale, vel simile, fomentum: ℞ *origani, calaminthæ, absinthii, rutæ, chamomill. meliloti, summitatum anethi, ana m. j. seminis anisi, fœniculi, carui, ammeos, ana ℥ j. ß. vel ℥ ij. contundantur crasso modo, & bulliant in vino & aqua p. æ. ad consumtionem tertiæ partis. & cum spongia infusa in prædicta decoct. fiat fomentum*; & loco exsiccato inungantur testiculi, seu scrotum, cum oleo costino, sambucino, & euphorbii. In fotu addere poterimus aliquid olei anisi, ad maiorem penetrationem, & resolutionem ventositatum; & applicetur emplastrum de meliloto, vel de baccis lauri, vel quod in Obseruatione descriptum est. Ceterum hæc hernia non curatur incisione manuali, sicut curatur hernia aquosa, (*de qua mox dicemus*) aliis conferentibus remediis, licet aliqui velint, quod hæc hernia ventosa etiam possit incidendo curari, quemadmodum Guilelmus Placentinus asserit. At in infantibus, (*vt antea quoque admonuimus*) facilime tantum topicis remediis resoluentibus ventositatem curatur.

OBSERVATIO XXVI.

De Hydrocele, seu Ramice aquoso.

11. QVi ex hydrope Alcmariæ decumbebat, anno 1556. in hydrocelem incidit, cum ingenti ac incredibili scroti, testium, ac pudendi magnitudine, vir annorum triginta. Cum diu decubuisset, aquositas descenderat per didymum ad oscheon, seu scrotum: est enim hydrocele vel aquæ inter cutis symptoma, vel affectus scroti. Si autem sit cum ventris tumore, vt hic erat, danda est opera, vt aqua quæ in peritonæo continetur, frequentibus euacuationibus absumi possit. Frustra enim aquam in scroto contentam topicis remediis absumere tentamus, non euacuato prius peritonæo. Hinc etiam asciticus ille, de quo egimus *libr. 19. Obseruat. 38.* qui & hernia simul aquosa laborabat, aqua in scroto collecta, cum totius scroti tumore vltra magnitudinem capitis, corpore sæpius repurgato, tandem, nostro consilio, topicis remediis ab hernia aquosa curatus fuit. Quanquam idem postea hydrope recidiua obierit. At huic ægro, de quo nunc loquimur, totum scrotum ex aqua adeo tumidum erat, vt capitis magnitudinem æquaret: leucophlegmatia nempe laborabat. Casum huic similem habemus *apud Victorem Trincauellum sub finem Consilii xxxij. De hydrope.* 2 Sic ille scribit: *occurrit mihi hoc anno vir, ætatis quadraginta quinque annorum, hernia aquosa laborans, & leucophlegmatia. Cumque ad remedia exteriora, puta, ad cauteria scarificationesque, difficilem se præberet, talem ei dabam potum, quo aluus quater aut quinquies mota est; vrina autem plus quam centies & vicies, paulatim tamen & per interualla: & ex eo tempore sanatus est, ℞ brassicæ marinæ puluerisatæ subtiliter ℥ iij. ß. cicadarum puluerisatarum ℈ j. misce, & in iure pulli salis experte, in quo bullierit absinthii & adianthi coma, exhibeatur. Aliud experimentum bis hoc anno mihi occurrit. Primum quidem in Xenodochio De la vita, in puero decem annorum diu tympanite laborante, qui, tanquam derelictus a Medicis, in lecto se continebat. Cumque ad ea, quæ per os dantur, propter ætatem, & longum morbum, & virium imbecillitatem, non admodum aptus esset; tale iussi apponi emplastrum, quotidie affixis sine scarificatu cucurbitulis in abdomine: miraculoseque conualuit intra octo vel decem dies. ℞ radic. cucumeris asinini optime contusarum, & in aceto scyllitico per 24. horas maceratarum ℔ j. mellis despumati ℔ ij. misce. bulliant ad confectionem cerati, & in fine adde cumini subtiliter puluerisati ℥ iij. singulis diebus amouebantur emplastra, abdomine optime terso, cucurbitulæ affigebantur, deinde rursus emplastrum apponebatur. Quumque non sincerus esset tympanites, sed vna cum flatu aqua adesset, in modica tamen quantitate, paulatim vna discussus est flatus, & in habitum digesta aqua, sanatusque est.* 3 *Alium in hospitio De la vita, eodem modo curaui, ℞ brassicæ marinæ subtiliter puluerisatæ ℥ ß. rhabarb. mundi, & electi, & subtiliter puluerisati ℥ ij. spec. dialaccæ, specier. diacurcumæ, ana ʒ j. hepatis lupi præparati, limaturæ chalybis cum aceto scyllitico sæpius lotæ, ana ℥ ß. mellis despumati quantum sufficit, misc. fiat electuarium, cuius cochlear vnum per horas duas ante prandium sumat, & similiter ante cœnam. Inde aluus semel atque iterum mouebatur quotidie, quodque excernebatur, aqueum erat. Abdomen vnguento sequenti vngebatur: ℞ vnguent. Agrippæ, martiati, Aregon. ana ℥ j. olei de elaterio, anethini, ana ʒ j. semin. sinapi subtiliter puluerisati, absinthii, aridi, origani, farinæ lupinorum, ana ℈ ij. irrorentur pulueres aceto scyllitico; post omnia simul misce, & fiat linimentum secundum artem.* 4 Hæc Trincauellus. At noster æger, hernia aquosa ingenti laborans, duplici curatione indigebat; vna pertinente ad caussam antecedentem, altera ad caussam coniunctam. Cum enim caussa antecedens esset materia pituitosa & aquosa, originem habens prius ab hepate per viam indigestionis, vel, vt quidam autumant, per viam defluxus a capite ad spinam dorsi per nucham; pro minoratione materiæ has pilulas, vt sumeret, mihi vtile videbatur: *℞ pilular. de hiera simpl. aggreg. ana ℈ j. pulu. rhabarb. optimi, soldenellæ, ana ℈ ß. cum syr. de eupatorio fiant pilulæ v. vel vij.* dedi quoque *decocta ex rad. ireos, ebuli, agrimoniæ, soldanellæ, tum aliis, quibus in hydrope frequenter vsi sumus,* (vt lib. 19. cum de hydrope ageremus constat;) *adiecto syr. de eupatorio*; vt ibidem ad longum videre licet. Postea hoc modo, vel simili, eundem purgauimus: *℞ pilul. aggregat. Mes. pilul. de rhabar. Mesuæ, ana ℈ j. elaterii gran. j. formentur pilulæ v. vel vij. cum syru. de endiuia.* Post aliquot dies hoc modo, ad validiorem operationem: *℞ pilul. aggregat. ℈ ij. pilular. de rhabar. ℈ j. elaterii gr. j.* &, si non satis mouerent, *elaterii gr. ij.* Interea vitæ regimine descripto contra hydropem, cumq; per interualla decoctis hydragogicis eundem purgassemus, 5 peruenimus ad secundam intentionem, vt caussam coniunctam amoueremus: quæ, inquam resoluitur sensibiliter, vel insensibiliter, aut perforatione extrahitur. At satis fecerunt emplastra scroto admota ex flor. chamomillæ, meliloti, stercore bubulo exsiccato, farina fabacea, lini & fœnug. (*cum aliqua durities admixta esset*) puluere cumini, cum oleis chamomillino & liliaceo simul mixtis: postea & ex farina fabar. puluere libi lini, fœnug. flor. chamomillæ, ros. meliloti, cum oleo chamæmelino. Verum, quod pelliculo scroti excoriaretur, & quasi exulceraretur, chirurgum inungi fecimus cum vnguento exsiccante ex cerusa & lithargyrio, & ex aliis exsiccantibus composito. Et loco inuncto admouebatur emplastrum per aliquot dies. Vltimo fiebat emplastrum ex floribus ros. chamomillæ, meliloti, & puluere libi lini, & farina fabacea, ad spissitudinē coctis in vino Pictauiensi, absq; oleis aut pinguedinibus. Et sic fuit curatus, sine perforatione.

SCHOLIA.

6 QVibus modis hernia aquosa cognoscatur diximus *Scholio Obseru. 15.* & caussas huius adduximus *Scholio Obseruat. 12. huius libri.* Fit interea hæc aliquando cum hydrope, aliquando sine ea. Quod si aqua in scroto collecta sit, facile ex totius scroti tumore & magnitudine dignosci poterit. Si ab humore inter darton & erythroidem collecto alter testium, aut ambo tumeant, Valescus aquositatē hanc dicit modo totā oschei concauitatem occupare, & totum scrotum inflari, vti aliquando

accidit

accidit hydropicis, modo in folliculo illi adhærenti contineri. Caussa huius præcipua est error virtutis sanguinem generantis, & similis sero casei humiditas in scrotum delabens, maxime in hyposarca, vt nostro iam dicto ægro contigit. Vnde etiam frequenter cachexia, vel hac hydrope laborantibus euenit: qui egregie iuuantur a potus & cibi paucitate, & ab euacuatione superfluitatum euenientium ex mala hepatis & frigida intemperie. Si totum oscheum seu scrotum occupauerit, ex omni parte tumidum & inflatum euadit, cum quadam mollitie, & si ibidem sit multa aqua, luciditas adest, & in ingressu grauitas dolorq; exiguus, nec hernia per compressionem recedit, vti omenti vel intestinalis. Cum autem hæc hernia potissimum contingat humidis a natura existentibus, ideo illa intemperies præcipue corrigenda, si in tali ætate exsistat, quæ corrigi possit. Si lactentibus pueris eueniat, vt sæpe conspeximus, regimen nutricis corrigatur, siccis cibis vtatur, a fructibus & cibis humidis cauendo. Si fit in ætate adulta, idem regimen corrigatur, & vtatur medicamentis descriptis in cacochymia, & quibus cachexia laborantes cum hyposarca, curantur; ac ea adhibeantur, quæ vrinam prouocent, & egregie siccent. Deinde aqua illa, quæ scrotum vel testiculos occupauit, per emplastra, exsiccantia consumenda, in hunc vel similem modum: ℞. *baccarum lauri* ℥ *ij. chamomill.* ℥ *j. ß. piperis longi, baurac. ana* ℥ *j. ß. fiat puluis, & cum vuis ademtis acinis incorporando fiat emplastrum.* Vel hic fotus a Rondeletio descriptus adhibeatur: ℞. *lixiuii barbitonsoris* ℔. *iiij. in quibus decoque cumini* ℥ *ij. ceterach, vel petros. apii ana* ℥ *ß. salis* ℔. *j. foueatur pars.* Si imbecilliora videantur, adde *sulphuris* ℥ *ß.* foueatur mane & sero. Postea admoueatur sequens cataplasma: ℞. *stercoris capræ* ℥ *ij. cochlearum contusarum cum testis* ℥ *ij. sulphuris* ℥ *j. misce, fiat cataplasm. applicetur, & sæpe remoueatur.* Interea, *vt iam diximus*, vti poteris remediis ad ascitem præscriptis, ad hepatis corroborationem, & aquarum consumtionem. Proderit etiam vsus pulueris confecti ex cineribus, descripti ab eodem Rondeletio *capite de paralysi.* Porro, si hæc parum prodesse videantur, pungatur tumor, & curetur chirurgia, quam describit Paulus Ægineta *lib. 6. cap. 62. de aquoso ramice, seu hydrocele.* Benedictus Veronensis *lib. 24. cap. 38.* sic ait de hoc ramice: *Hydrocele iis, quæ hydropicis imponi diximus sanatur: verum cum aqua in imum scrotum descenderit, candenti ferro extrahenda est, vel alio medicamento erodente. Mox id cataplasma imponitur: mastichis* ℥ *ij. cupressi conus 4. tragacanthi, gummi Arabici, omnium* ℥ *ij. ex rosaceo, verruculoque calfacto coguntur, imponunturque.* Valescus in parte inferiori prope latus testiculi aperit scalpello, & paulatim sinit aquam effluere, non vnica vice, & emplastrum desuper ponit desiccans aquam, & ad defensionem loci, ex bolo Armeno, psidiis, & balaustiis, & cumino, torrefactis, & semin. nasturtii. Alii vtuntur cauterio, vt ibidem docetur. Veteres punctione vel vstione vtebantur.

Observatio XXVII.

De Hernia Humorali.

Neoterici vltimo hic addunt adhuc herniam humoralem: quam fieri volunt ex omnibus humoribus, excepta bile, vt Montagnana refert *Consilio 227. rubrica 3. De hernia humorosa.* Nos potius (*vt diximus scholio Obseruat. 11. huius libri*) reuocandam censemus ad apostema scroti vel testiculorum, cuius caussas signaque recensuimus *scholiis Obseruat. 6. & 15. huius libri.* Hic nihilominus vnum atq; alterum exemplum adiiciemus, ad totius tractatus de herniis complementum. Adolescens quidam patiebatur herniam humoralem, ex defluxu materiæ sanguineæ, ex coitu vehementiore post repletionem; cui aderat tensio satis manifesta in scroto, & humiditas quædam tactu sentiebatur, & earundem partium aderat rubedo, & pulsatio in locis prædictis. Quare huic statim præcepimus, vt vena basilica brachii dextri aperiretur, sanguine vtcunque, vt in adolescente sanguineo, satis extracto. Deinde ventrem fouimus *cum infus. rhab.* ℥ *j. ß. in aqua endiu. exiguo schœnantho adiecto, & syrup. ex infus. ros. pallid. ad* ℥ *j.* Mox scrotum inunximus oleo ros. & vnguent. ros. simul mixtis, & emplastrum commode admouimus ex farina hordeacea, & rosis siccis, & puluere florum chamomillæ, oleoque rosaceo debite concinnatum. Demum paucis adiectis resoluentibus, vt floribus meliloti, materia resoluta est. Nauta ex percussione ligni, quo malum in altum tollitur, intra crura scrotum ipsum attingente, ex nimio dolore incidit in herniam humoralem, scrotique tumorem valde magnum, cum inflammatione, & tandem in febrem acutam: cui, cum non satis tempori succurreretur, scrotum tandem cum testiculis ad gangrænam peruenit & corruptionem. Ad hunc in fine accitus, cum Guilhelmo de Dalen lithotomo, inuenimus eundem morti proximum, medicamentis nihil iuuantibus, ita vt paucis deinde horis, facto prognostico idem misere ex hac vita decesserit. Alius vir nobilis, cum ex febre diu decubuisset ad hecticam declinante, cumque mense Octobri a me curatus foret, sub finem mensis Nouembris iterum in febrem incidit, & postea in herniam humoralem; atque vnus testiculus fuit inflatus & inflammatus. Cum autem neque dormire posset, & febre conficeretur, in homine extenuato febre præcedente, & nunc denuo facta recidiua, venam secare ausi non fuimus. Verum vbi ex cassia, diapruno simplici, & electuario lenitiuo, aluus adstricta mollior non fieret; hic clyster iniectus plurimum illi profuit: ℞ *rad. althææ mundatæ* ℥ *j. mercurial. parietariæ, maluæ, foliorum althææ, violar. ana m. j. florum chamomill. meliloti ana p. j. summitatum anethi m. ß. seminis maluæ* ℥ *ij. coquantur in aqua communi pro* ℔. *j. Colaturæ adde cassiæ mundatæ pro clysteribus* ℥ *j. benedictæ laxat. diacatholici ana* ℥ *j. ß. olei amygdalar. dulcium* ℥ *ij. olei anethini, chamæmelini ana* ℥ *ß. vitellum vnius oui, salis communis* ℥ *j. ß. fiat clyster:* quo ter aluum excreuit, cum magna vtilitate, febre etiam valde sedata.

Testiculo autem inflato, cataplasmata ex malua & farina hordei, ac similibus, admota, & fomenta. Fomenta tamen potius oberant, ideo denuo ad cataplasmata redibam. Demum Guilhelmus de Dalen lithotomus, noster amicus, applicuit sequens cataplasma, ex vtriusque præscriptione, fasciis debite, vt fieri solet, iniectis: ℞. *foliorum maluæ m. vj. rad. hyoscyami, cum folia exaruissent, propter dolorem ℥ iij. florum rosa. rub. m. ij. farinæ hordei ℥ iij. seminis hyoscyami ℥ j. herbis decoctis, floribus, ac radicibus, vt erat artis, simulq; contusis, mox seminibus adiunctis, & tritis,* addendo, *olei ros. ℥ iij. fiat cataplasma, vt artis est.* Decoctum vero herbarum & semin. reseruabatur, & simul cum oleis coquebatur in patella supra ignem, oleo adiecto, & ita applicabatur. Post aliquot dies idem cataplasma reiteratum fuit, addendo *rad. althææ ℥ iiij. olei hyoscyami, viol. ana ℥ iij. farinæ fabarum ℥ iiij.* & applicabatur aliquot diebus, vt supra dictum est. Postea & illud emplastrum appositum fuit: ℞. *emplastri de muccilag. ℥ iiij. gummi ammoniaci, galbani dissoluti in vino ana ℥ ß. misce.* Non diu post emplastro supradicto, adiunctum est emplastrum *de meliloto ana ℥ iiij. olei hyoscyami, ros. meliloti, chamomillæ ana ℥ j. misce.* Verum cum illud vltimum emplastrum maiorem inflationem, & inflammationem, ac duritiem caussaret; quia plus iusto resoluebat, coacti fuimus, denuo reiterare, quod ante præscriptum erat, donec inflammatio rursus esset sedata. Vltimo admotum est emplastrum *de muc. capiend. ℥ iiij & adiiciendo gum. ammon. galb. dissol. in vino ana ℥ j. misc.* Et ita fuit etiam hic ab hernia humorali admodum difficili cum duritie curatus. Munifice se hic nobilis erga me, pro curatione, liberalem exhibuit: nec ego post, erga eundem ingratus exstiti.

SCHOLIA.

5 HErnia hæc, *iuxta Neotericos,* si a sanguine fiat, aut aliis humoribus, plerumque fit per viam defluxus in scrotum, rarius per viam congestionis. Interea fit in percussis (*vt Nautæ, de quo Obser. præcedente*) verberatis, vel iis, qui ab alto cadunt, & præcipue ex compressione facta supra nates, similiter ob concussionem, vel fortem spinæ compressionem, vel in portantibus onera grauia, vel ob distentionem in lumbis factam, quemadmodum in iis, qui balistas tendunt, vnde sanguis ex vena caua descendit in scrotum: Rarius tamen contingit per congestionem a materia sanguinea, frequentius vero a materia frigida, vti apostema frigidum. Si fiat a calida materia, potissimum a sanguine, adest tensio, vt diximus, rubedo, & pulsatio, & caliditas, quæ tactu percipitur. Curatur venæ sectione ex cubito, venæ basilicæ, aut mediæ, iis respondentibus, quæ ad sectionem requiruntur. Purgetur æger cum infuso rhabar. in decocto communi cum thamarindis, vel diapruno simplici: & hoc vel simile emplastrum applicetur: ℞. *solani recentis, si sit æstas, sicci in hyeme ℔. ß. flor. ros. rub. folior. plantag. ana ℥ ij. lentium coctarum in aceto ℔. j. farinæ hordei ℥ v. olei ros. q. s. fiat emplastrum, applicetur bis in die. Cucurbit. natibus cum scarificatione applicentur, sanguine ad ℥ iiij. vel plures extracto.* Regimen vitæ sit infrigidans & exsiccans, a vino vehementiore abstineat: oligophoro & leniter adstringente vtatur, vel ceruisia communi. Curatur hæc hernia facile in principio, sæpe in septem, vel paulo pluribus diebus, si medicus non sit negligens aut imperitus. Hæc autem curatio, vt breuiter dicamus, constat iisdem remediis, quibus apostema calidum, scrotum vel testiculos occupans curatur. Ideo ad eum locum recurrẽdum. 6 Si vero (*quod sæpius fit*) contingat a materia frigida, pituita prædominante, caussis hanc generantibus prægressis; sicuti magna ex parte euenit hydropicis, cachecticisque, tum aliis, qui cibis frigidis ac pituitosis, coituque frequentiore vtuntur, & qui inertia vitam consumunt; frigiditas tum in scroto sentitur, & fouea remanet diu in loco affecto, a digito comprimente, quod non contingit in aquosa vel ventosa. Hanc curationem quidam absoluunt quatuor intentionibus: Primam per euacuationem materiæ pituitosæ antecedentis, quæ muccilaginosa plerumque est cum turpetho, hoc modo: ℞. *turbith. elect. ℥ ij. zinz. ℥ j. zacchar. albiss. ad pondus omnium, & fiat puluis, & detur cum aqua absinth calide.* Secunda intentio est illa, quæ digerit materiam, quæ & medicinam iam dictam præcedere debet, vt: ℞. *aquæ meliss. bethonic. absinthii ana ℥ j. ß. mellis ros. colati ℥ j. ß. misce.* Et si fortius desideres, adde *oxymel. scyllit. vel acetum scylliticum cum zaccharo.* Et si sit in æstate, & virides herbæ reperiantur, ex iisdem fiat decoctum, & colatis addantur syrupi prædicti. Tertia intentio apud eosdem, est rectificatio membrorum naturalium, ne pituita generetur, vel ad scrotum aut testiculos defluat: atque hanc absoluunt, exhibendo in diluculo ℥ j. *theriacæ Andromachi ad minus 10. annorum:* recens nequaquam conuenit: quo vetustior, eo melior. Quarta intentio est materiæ coniunctæ consumtio cum resoluentibus: vel iisdem vti licebit, puta topicis, medicamentis, quæ valere scripsimus ad herniam aquosam. Hoc autem remedium tanquam infallibile commendatur: ℞. *sandarach. ℥ ij. sarcocoll. rubeæ ℥ j. cineris stipitum fabar. vel sarmentorum vitis ℔. j. pul. di. ℔. ß. aceti scyllitici ℔. ij. bulliant, omnia cum aqua capitelli 3°. vsque ad spissitudinem, & ex iisdem emplastretur calide scrotum,* & videbis mirabilia. 7 Eadem præterea topica & localia remedia conferunt, quæ prius recensuimus, de apostemate frigido scroti vel testiculorum, & ramicum, ad hunc librum 27. pertinentes, absoluimus. Hic tamen quidam addũt, quo pacto impuberes imberbesq; diu maneant, & particulæ naturales testesq; conseruentur. 8 Cimoliæ illi cretæ & cerussæ æquales partes alterci succo excipiunt, vt sordium spissitudo fiat, deinde oleo lentiscino q. s. adiecto, contundunt & vtuntur. Vide Paulum Æginetam *lib. 3. cap. 52.* vbi & psilothra reperies. Eum sequitur Benedictus Veronensis *lib. 24. cap. 32.* Sed iis omissis, sat est loca indicasse. Cum autem Neoterici nonnulli inter ramicum genera vmbilici procidentiam, seu eminentiam, recenseant; atque adeo

Qui pubertatem custodiant.

adeo herniam vmbilicalem nominent, ac de eo affectu statim post ruptiones pertractent; haud incongruum sit, de eo malo hic etiam agere; atque ita hunc librum finiemus. Non omittemus interea historiam hanc Fernelii: Neque, inquit, *præter institutum sit, eum virum producere, cui ex accepto ventris vulnere, præcisum tenue intestinum prodit, e quo alui excrementum nondum solidum aut cohærens, continenter emanat annos iam quindecim, ea via intercepta, quæ in anum ducebat.* Nunc ad exomphalon progrediamur.

Observatio XXVIII.

De Exomphalo.

1 Pveris & nuper natis puerulis vmbilici inflammationem contingere, Hippocrat. *aphorism. 3. Apho. 24.* adnuit. Cuius verba Galenus interpres eius corroborat, vmbilicorum, inquiens, inflammationes, non multo antea præcisorum, non sine ratione nouiter natis puerulis accidere, non secus, ac si alia pars foret vlcerata. Ob quam etiam item (*vt annotauit Sebastianus Austrius, in libello suo de puerorum morbis, Morbo 43. vbi agit de inflammatione vmbilici, vel eius augmento, iuxta Auicennam, nempe de exomphalo apud Græcos dicto, vmbilico prominente a Celso appellato, & prociduo a Plinio*) Auicenna *lib. 1. fen. 3. doct. 1. cap. 3.* asserit infanti accidere, proprissime tamen, quando vmbilicus incidatur: itidem Rhazes *in libro de puerorum affectibus, cap. 2.* vmbilici prominentiam pueris, quando plangunt, vel vociferantur, aut tussi concitantur magna, accidere adprobat. Hic vero obseruandum, vmbilici interdum augmentum, auctoritate Auicennæ, prouenire; quod Celsus vocitet prominentem vmbilicum; Plinius vero prociduum; adfectum scilicet non sub inflammationis, siue apostematis genere contentum, sed in ramicis siue herniæ, aut rupturæ, specie comprehensum: de quibus nunc singularis sermo faciundus. Ego vero pro vmbilico exstante, vel exomphalo, in puerulis nuper natis, quatuor rotulas ad formam stuferi rotundas in corio rubro conficio, oxycroceo obductas; & sindone rubro coopertas, vel sine sindonis coopertura. 2 Hoc autem expertissimum est remedium, vt expertus sum etiam in adultis. Vna autem rotula maneat affixa per quatuor pluresue dies, antequam amoueatur, deinde altera apponatur. M. Iohannes Tiengius, medicus percelebris Amstelrodamensis, accipiebat pecias tres rotundas ex panno lineo; primam magnitudinis denarii, secundam ad magnitudinem quadrantis; & tertiam ad magnitudinem medii stuferi; inungendo primo cum oleo ouorum, & ita rotulam vnam ponendo supra aliam, & vltimo emplastrum glutinans quale sequitur, ducendo supra alutam; & inungebatur omnibus tribus diebus semel, postea omnibus sex diebus; ac diligenter ligabatur, supra ponendo plumaceolum aptum supra ventrem, ita vt vmbilicus nullo modo eminere aut exire posset, vsque ad perfectam curationem: & ita puerum duorum vel trium annorum, affectum magna eminentia vmbilici, curauit. Nicolus *cap. proprio de eminentia vmbilici*, posuit aliqua emplastra huic malo propria, quæ partes relaxatas constringunt, & solutas conglutinant. Ex duobus vnum 3 hoc modo Tiengius parare iussit: ℞ *gummi Arabici, drag. mastich. boli Arm. sanguinis dracon. glutinis pisc. glutinis ex corio boum ana ℥ ij. thuris ℥ iij. picis Græcæ ℥ j. picis naualis ℥ ij. mumiæ ℥ iij glutin. carpentariorum ℥ ß.* Item, *contere semen psillii, infunde ipsum in aquam pluuialem, decoctionis caudæ equinæ & consolidæ, & dimittatur in ea, donec incrassetur & pinguescat, cui deinde superadde puluerem squinanthi, gallar. balaust. psidiæ, & nucum cupressi.* Item, *liquefiant pix naualis & Græca ad ignem, & cum liquefacta fuerint, addantur glutina; & eis calfactis*, postea adde *aquam psillii cum pulueribus; quibus incorporatis, deponatur ab igne, & cum infrigidari cœperint, fiant ex eis magdaleones, manibus prius oleo ros. inunctis, vel ceratarium.* Et cum necesse fuerit, extendatur ex eo in aluta talis quantitas, vt totum locum affectum cõtineat, & vltra circuitum comprehendat.

Scholia.

4 Ceterum vmbilici apostema, vel inflammatio, si pueris contingat, non sub genere ramicis continetur, nisi fiat relaxatio vel ruptura. Constat idcirco ex Galeni verbis; istiusmodi inflammationis caussam nonnullam obuenire ex præcisionis vmbilici incommodo; aut ex eiusdem aliquo dolore, aut ligatura perperam facta, ex quibus deinde humores facilime ad locum affectum confluant. Rhazes hic planctus, vlulatusque, & vociferationes, aut tussiculas immoderatas, item casus, percussionesque pro caussarum origine ponit. Sunt, qui vmbilicum tumere nonnunquam velint, propter otiosum aliquem humorem, siue materiam aquosam, delapsam ex ligatura & præcisione istic retentam. Natura enim, quæ pridem lotii materiam huc deferebat, fœtu adhuc in vtero exsistente, istiusmodi operis nondum oblita; nunc vero ob impedimenta modo dicta, id præstare non potest; quare locum illum nonnihil tumescere, in confesso esse omnium fertur. Idcirco mali huiuscemodi notæ nulli non sunt obuiæ, exactius etiam rem ipsam perpendenti, tum eius procatarcticas res consideranti. Contra ma- 5 lum hoc Auicenna vnum singulare excogitauit remedium, quo communiter vti liceat: recipitur enim *nardi Celticæ semiuncia, quæ contrita, & cum terebinthinæ resinæ ℥ iij. commista, deinde cum oleo sesamino, siue amygdalarum dulcium, aut in forma epithematis aut vnguenti administratur.* Nos possemus stuppiam eiusmodi rebus infusam vmbilico dolenti apponere. Sunt, qui in priori forma applicari doceant, aut emplastri vel epithematum vice composita, cerussam lotam, & lithargyrum, cum oleo sesam. & terebinth. resina. Rhazes lupinos amaros, & pecias panni linei, comburi docet, deinde vero cum vino profundi, atque stuppa iniecta vmbilico imponi. Vult præterea, flexilem vmbilicum iuxta oras eius cauterio curãdum esse; minime tamen hoc in loco flexili attentandum esse, ob nimiam cutis eius teneritatem. Hæc libuit, hic

Vmbilici tumor.

interserere ex Sebastiano Austrio de apostemate, inflammatione, & tumore vmbilici, qui tamen diuersus est affectus ab exomphalo, vel exomphalocele, de quo malo nunc agimus. Vmbilicus (*teste Paulo Ægineta lib. 6. cap. 51.*) indecore prominere solet, quod vitium Græce exomphalon dicitur; interim membrana, qua abdomē finit (*peritonæum appellaui,*) illic dirupta, ac procedente, aut omento, aut intestino; interim colluuie otiosi humoris sub vmbilico contracta; interim vero carne subnata; aliquando vero sanguine irrumpente, propter venæ, aut arteriæ rupturam, vt in aneurismatis; interdum non sanguine, verum spiritu solum irruente. Si igitur omentum prociderit, circa vmbilicum tumor concolor, mollis tactu, indolens & inæqualis apparet. Si intestinum prolapsum est, præter commemorata, etiam inæqualis magis tumor est, & digitis impressis cedit, euanescitque: nonnunquam strepitum elidens, balneis & distentionibus magis increscit. At si humor collectus est, mollis similiter tumor apparet; pressus autem non cedit, neq; decrescit, neque tamen augetur. Quod si autem accedat superiorib. signis, vt tumor sit liuidior, carneque subnata durior, etiam tactui renitetur, & eadem in magnitudine manet. Si ex inflatione eminet, tumor mollis ad tactum subsequetur, qui digitorum impulsu sonum quendam reddit, & pressus aboletur. Quomodo chirurgia curetur, postea docebimus. Quoniam vero nonnulli etiam medicamentis in naturalem statum redierunt, ipsa hoc loco dicemus. *Aluminis scissilis* ʒ *v. flocium vini, seu fecis vini* ʒ *viij. rosacei x. gallæ immaturæ* ʒ *ij. vino diluta, & in mellis spissitudinem redacta, loco affecto inducuntur. Extrinsecus spōgia posca madens superiniicitur, & fasciola deligatur.* Aliud. *Lomenti gallæ, balaustii pares portiones coquuntur in aqua: vbi dissoluta fuerint, tritaq; diligenter spongia,* vt prædictum est, *imponuntur.* Aliud. *Plumbi scobis,* ʒ xvj. *cicutæ, mannæ, cerussæ, hypocisthid. succi ana* ʒ j. *vino dissolutis, in modum prædictum vtitor.*

6 Vmbilicus indecore prominens. — *Signa.* — *7* — *Curatio ex Paulo.*

Observatio XXIX.

De vmbilico eminente ex multitudine ventositatum.

1 EMinet aliquando vmbilicus ex multitudine ventositatum, quæ congregantur inter superficiem conuexam intestinorum, & concauam ipsius vmbilici, quæ ibidem multiplicatæ vniuersæ atque coarctatæ in partibus vmbilicum integrantibus, propellunt eundem exterius, & vocatur a Neotericis Hernia vmbilicalis, quæ aliquando in tympanite fieri solet, vel ex alia caussa, in colico ventoso. Ita istis diebus quidam ventrem tumidum habens, vt ad tympanitem inclinaretur, vmbilicum valde prominentem habebat, & extuberantem, cui aderat mollis tumor ad tactum, quique digitorum impulsu sonum quendam reddebat, & pressu abolebatur. Eius enim aduentus, *vt alii referunt*, facilis est & festinus, ob ventositatis mobilitatem; cum & in partibus vmbilici sonitus & gurgulatio quædam percipiatur: facile enim fugit a comprimente, & facile redit ventositas in locum, vnde propulsa est. Remedia statim adhibui, qualia in tympanite scripsimus conuenire, quæ ventositatem resoluunt; corpore repurgato prius, cum diaphœnico soluto in decoct. florum chamomillæ; etiam appositis sacculis carminantibus vētositatem, quales retulimus de hernia ventosa. Sæpe infantes & pueri hoc malo tentantur, & facile curantur. Nam ex solo sacculo, parato ex furfure, milio, floribus chamomillæ, cumino, & ruta, ac calamentha, adiectis sem. fœnicul. petros. anisi. ammeos, curauimus.

2

Scholia.

QVinque species herniæ vmbilicalis ab auctoribus ponuntur, etiam a Paulo, vt iam diximus. Aut enim descendit intestinum, aut omentum, aut repletur vmbilicus aquositate, aut spiritu, aut caro innascitur. Possunt & simul commisceri, vt intestinum & omentum simul descendāt, & spiritu & simul aqua impleri, vt dictum est. Aqua vero & spiritu, vt in ascite & tympanite. Vidimus nos in duabus mulieribus hydropicis, quibus venter ex aquæ pondere prominebat, vt rupto vmbilico, inde aqua effluxerit; vna superstite manente, altera non diu post occumbente. Caussæ, quas vna cum aliis herniis participāt, ex supradictis patent. Accidit enim eminentia, vel tumor notabilis, propter humiditatem multam, remollientem ligamēta vmbilici; hinc relaxatio potius, quam ruptura; quæ tamen sua ponderositate & copia, vt in hydropicis, rupturam inferre posset. Ab aqua eadem signa sunt, quæ de hernia aquosa diximus: fouea non remanet ab œdemate; & vbi sola aqua est, manet fixa, curatur vti alia hernia aquosa, digestione, euacuatione, diuersione, & consumtione aquositatis, & rectificatione hepatis, & stomachi, & prohibentibus aquæ regenerationem; & recurrendum ad curationem ascitis. De hernia ventosa vmbilici iam diximus Obseruatione præcedente; in qua curanda, ad Obseruationem tympanitis accedendum. Tertia sequitur species eminentiæ, seu herniæ vmbilicalis, quæ contingit vel ob rupturam ligamentorum vmbilici, vel ob omenti, aut intestini, aut vtriusque in vmbilicum prolapsum. Signa iam diximus. Interea cognoscitur primo per dolorem euenientem tempore eruptionis ipsius, & quasi semper inseparabilem: secundo per tensionem & duritiem, in partibus perceptam: tertio per augmentum eius, ex retentione anhelitus, ad quam sequitur intumescentia intestinorum. Similiter etiam dignoscitur per difficilem impulsionem, ab extra ad intus: & hoc, quia intestina & omentum non ita facile retrocedunt, cum premuntur, sed redeunt statim, cum dimittitur compressio. Quarto remanet hæc dispositio, quasi semper fixa, in omni figura corporis, & reuolutione ad omnium differentiam positionnm. Et hæc quidem dispositio, quandoq; apostemosa est; & proprie quando in nouiter natis, in quibus necesse est, abrumpi ligamentum sustentans fœtus in matrice. Cum ergo obstetrices imperitæ sunt, velut in plurib. contingit, nescientes bene nodare, collocare, rectificare ligamētum, ex con-

3 Quinq; spec[ies] herniæ vmbi[li]calis. — *4 Caussa & sign[a] hernia umbili[c]alis euenient[is] ex ruptura li[]gamentorum umbilici.* — *Quomodo in ruptura umbilici sæpe inflāmatio, aut apostema contingatur.*

ex consensu materierum ad locum illum, ob dolorem inflammatur vel apostematur locus; & est eminentia vmbilicalis, a quibusdam apostemosa nominata, quartæ speciei. Quam quidem clare cognoscere poteris, per tumoris magnitudinem, per loci duritiem, per ruborem; quarto per pulsum in loco affecto perceptum; quinto per absentiam signorum arguentium aquositatis & ventositatis. Et huius quidem ægritudinis dispositio difficilima est curatu. Primũ tamen ingenium curationis pendet ex sedantibus dolorem: secundo ex diuertentibus materiam: tertio ex digerentibus & resoluentibus materiam antecedentem: quarto ex his, quæ apostema procurant, resoluendo, digerendo, & consumendo. De hac hernia & Auicenna mentionem facit, *22. a, h 3. cap. proprio De eminentia & ruptura vmbilici.*

Observatio XXX.

De Exomphalo in Ileon lethalem transmutato.

Dvæ mulieres de quibus diximus *Obser. 21. & 22. lib. 21 nostrar. Obseruation.* exomphalo laborantes multis annis tandem in ileon lethalem inciderunt. Prima mulier, si quę alia, pinguissima, septuagenaria, vltro 20. annos ruptura vmbilici affecta, omphalocelē duo capita fere humana excedētem, cuius magnitudinis non vidi hactenus, gestauerat misera. Tandem ter in ileon grauissimum incidit, stercora per octo dies vomitu reiiciens; demum ex ileo mortua est. Altera vero item, vt prior, mulier crassissima, ab vmbilici quoq; ruptura; quã etiam multis annis portauerat, in ileon incidens ter quaterue, atque ab eodem ileo curata, vt præcedēs, vomitu quoq; excrementa per os reiiciens, similiter ex fœtido illo malo obiit.

Scholia.

Qvanquam diu gestare possint rupturam vmbilici, quantumuis magnam, & mole excedentem, sicuti intestina prolapsa in scrotum, qui enterocele afficiuntur; plerunque tamen ex illis incidentes in ileum adeo grauem, vt stercora vomitu per os reiiciant, tandem moriuntur, vt longa experientia sæpe obseruauimus. Ceterum vbi ruptura vmbilici adeo excesserit, & multis annis medicamentis non cesserit, chirurgica manus adhibenda est. Vbi vero non sit adeo magna, neque antiqua, medicamenta admittit, & tunc curatur iisdem, quibus ramex inguinum; quanquam non vsque adeo vehementia requirat. Hoc modo Cornelius Celsus *lib. 6. cap. 12.* vmbilicum prominentem curat. *Ad vmbilicos*, inquit, *prominentes, ne manu ferroque vtendum sit, ante tentandum est, vt abstineant; aluus his ducatur: imponatur super vmbilicum id, quod ex his constat: Cicutæ & fuliginis, singulorum p. j. ✱ cerusæ elotæ p. iiij. ✱ plumbi eloti p. viij. ✱ ouis duobus, quibus etiam solani succus adiicitur. Hoc dilutius impositum esse oportet, & interim conquiescere hominem, cibo modico vti, sic, vt vitentur omnia inflantia.* Quomodo Neoterici hunc affectum curent, scholio Obseruat. XXIX. præcedentis diximus. Si enim tantum sit relaxatio, constringentibus, vt reliquæ relaxationes, curentur: ruptura vero etiam consolidantibus, vt de herniis antea copiose scriptum est, prius reductis intestinis, & omento, appositisque emplastris aptis, & subligaculis probe iniectis. Aliquando adeo sunt magnæ & antiquæ, vt sectionem requirant, & chirurgiam, modo eam ferre possint: at in decrepitis & senibus, eiusmodi curatio periculosa existit. Paulus Æginet. *lib. 6. cap. 51.* chirurgiæ hanc formam præscribit: Hunc, ait, in modum curabitur. Erecto homini iubemus, vt spiritum contineat, quo in omnem partem distendatur: deinde omnem vmbilici excrescentiam orbiculatim atramento scriptorio notabimus, resupinatoque homine, scalpello tumorem, qua nota atramenti est, exasperabimus: deinde medium hamo eleuatum, lino aut neruo, qua exasperatio est, circumadstringemus (*hoc enim pacto continebitur, ne deuoluatur*) ansula supra nodum ponentes, postea tumore constricto iuxta verticem adaperto, digitum indicem demittemus, tentabimusque diligenter, num intestini implexus, aut pars omenti simul fuerit constricta. Ac siquidem intestinum fuerit constrictum, laxata funiculi ansula, id introrsum pellemus: si vero omentum sit, eo retracto, quod superuacuum est, & amputabimus vase, quod (*vt verisimile est*) coincidit, deligato: mox duplici acu simplex linum ducentes, hiantia per incisionem cutis factam traiectamus, & ansulis linorum præcisis, *quemadmodum in aneurysmate dictum est*, ex quatuor initiis constrictionem moliemur. Vbi corpora lino deuincta computruerint exciderintque, medicamentis in linteolo illitis curatio absoluetur, si cauam magis cicatricem fieri semper cupiamus. *Hæc quidem ad omenti, & intestini affectum pertinent.* At si caro, aut humor, aut sanguis vitium crearit, tumoris medio circulatim præciso; deinde eo, quod incumbit extra peritonæum sublato, curationem in vmbilico carni generandæ dicatam tentabimus. Porro si vmbilicus emineat, aut ex venæ adapertione, aut spiritus interpositu, attingi non debet, quemadmodum etiam aneurysmata. His addemus historiam Beniuenii, medici expertissimi, de hernia carnosa vmbilicali curata, *in libello suo de abditis morborum caussis, capite 6. Commune*, inquit, *omnibus vmbilicum ad decorem prominere: monstrosum, si promineat vltra quam decens sit. Iohannes Binus filium habuit octimestrum, cuius vmbilicus digitis quatuor excreuerat ad penis similitudinem, coles enim testiculorum tunica iunctus videbatur, a quo etiam spiritus erumpebat interdum. Hunc cum plures Medici inuisissent, & ex his alii intestinum eo erupisse indicarent, alii omentum, alii humorem, nos in carnem in illo loco increuisse dicebamus. Cui sententiæ pater cum inhæsisset, puerum curare cœpi. Sed quod auctoritate eorum mouebar, qui propter spiritum, quem inde erumpere interdum diximus, intestinum illud esse dicebant, resecanda ne mihi esset caro illa, & idipsum ferrone, an igne potius faciendum, plurimum addubitabam. Verum certa tandem ratione subnixus, vinciri carnem decreui: singulisque diebus arctius deligans, non prius destiti, quam ea ipsa præmortua penitus exciderit; ac puer subinde integram valitudinem*

Exomphalon apud Æginetã quomodo chirurgia curetur.

Historiæ quatuor ex Beniuenio.

nam recuperauerit. Idem cap. 5. *Mulierem vidimus sexagenariam, cuius intestina ex vena vmbilicali subito prolapsa sunt, nullo præsidio conferente tertio die vitam finiisse. Vidimus & aliam, de cuius vulua pariter disrupta intestina omnia profluxerunt, paucis item diebus occubuisse. Insuper & tertiam nouimus, cuius intestina perfracta eorum tunica, a summa vmbilici cute, tanquam in sacculo, dependebant in vuluam. Hæc autem miseram quidem, sed tamen longiorem, vitam ducens, vna cum hoc malo consenuit.* Nunc tempestiuum est, vt huic libro finem imponamus, transeuntes ad librum Gynæciorum, hoc est, de affectibus, tum morbis mulierum, grauidarum, parientium, & puerperarum; atque hinc ad vteri affectus, generandiq; rationem, & quæ conceptus iuuant, ad morbos mulierum peculiares progrediendo.

FINIS LIBRI XXVII.

LIBER VIGESIMVS OCTAVVS, DE MVLIERVM MORBIS ET AFFECTIBVS.

OBSERVATIO I.

De mensibus, seu menstruis purgationibus retentis.

1 ATRONÆ nobili annorũ 25. cum longo tempore menstruæ purgationes essent retentę, corporis grauitas superuenit, ac nausea & cibi fastidium: quæ cum somnolenta euaderet, & ad omnem modum segnis, a pituita copiosa & venarum ora obstruente conieci, menses tam dudum constitisse. Nam colore candida apparebat; subinde & plumbei coloris; pituitam assidue exscreabat; &, vt ac eadem intellexi, etiam eandem aliquando euomebat; vrina insuper erat aquosa. Hæc cum in ea animaduerterem, & consilium a me peteret, vt consueto more fluere possent, cum iam tribus annis eas ipsas non experta esset; & ad cachexiam inclinata esset, temperamento naturali etiam pituitosa, curationem hoc modo institui a pharmaco materiam pituitosam minuente: ℞. *pilul. de hiera simplici, pilul. mastichinar. de agarico, ana* ℈ j. *excipiantur aqua artemisiæ, & fiant pilulæ vij. quæ circa noctis dimidium sumebantur.* Deinde bis in die capiebat ex hoc clareto: ℞. *rad. petros. fœniculi, apii macerat. in vino albo* (acetum nocet vtero) *ana* ℥ j. *rad. rubiæ tinctorum, seu erythrodani, valerianæ, ana* ℥ ß. *rad. pæoniæ* ʒ iij. *artemisiæ, pulegii, chamæd. chamæpit. melissæ, calaminthæ, ana m. j. thymi m. ß. florum rorismarini p. j. anisi, dauci, fœniculi, ana* ʒ j. ß. *seminis carthami* ʒ ß. *polypodii querc.* ℥ j. *coquantur in aqua communi pro* ℔ j. ß. *colatura adde syrupi de artemisia, de byzantiis sine aceto, de eupatorio, ana* ℥ j. *adiecto sacchario albis.* pro sapore delectabiliori, aromatizetur ʒ iij. *cinnamomi selecti*, & fiat clareti instar. Cuius ægrotus

2 bis in die capiebat cyathos duos, vnum mane, & meridie hora quarta alterum. Deinde illam purgaui cum pharmaco sequenti, quo magis se delectari dicebat, quam pilulis: ℞. *benedictæ laxat. elect. hieræ picræ, diaphœnici, ana* ʒ ij. *agarici trochis.* ʒ ß. *dissolue cum decocto artemisiæ, pulegii, ad* ℥ iij. *addendo syr. de artemisia* ℥ j. *misce.* Sumsit summo diluculo, & septies aluum excreuit. Die sequenti in diluculo exhibita fuit ʒ j. *theriacæ veteris cum* ℥ ij. *vini albi.* mane, inquam, sex horis ante cibum. Cum humor ille vnica purgatione expurgari non posset, rursum mense proximo sequenti claretum repetiuimus, ac eandem purgauimus hoc medicamento sequenti: ℞. *diacatholici* ʒ vj. *elect. indi maioris* ʒ iij. *syr. capill. ven. de artemisia, ana* ℥ ß. *cum* ℥ iij. *decocti melissæ, pulegii, artemisiæ*, fiat potio sumenda mane hora 4. matutina: qua & aluum copiose deposuit. Post geminam purgationem, consului, vt altero die sequenti balneo se lauaret: ℞. *artemisiæ, folior. lauri, conyzæ, origani, maioranæ, melissæ, nepitæ, chamæd. chamæpit. thymi, pseudonardi, seu lauendulæ, rorismarini, ana iij. flor. chamæmeli, meliloti, flor. rorismarini, sambuci ana p. ij. baccarum iuniperi, lauri, ana p. j. sem. lini fœnugræci, ana* ℥ j. *coquantur in aqua q. s. pro balneo*; in quo sedeat, & aliquam portionem

3 herbarum, tum reliquiarum dictarum, ponat in sacculum, quem supra ventrem intra vmbilicum & pectinem detineat. Illudq; balneũ continuetur mane per quatuor aut quinq; dies; & in eo moretur optime calfacto, si potest, per horam vnam. Et cum ex eo egredietur, vngantur venter infra vmbilicum, inguina & pecten, parsque posterior ei opposita, & renes, calido hoc vnguento: ℞. *olei lilior. amygd. dul. butyri recentis, medullæ crurũ vituli, ana* ℥ j. *olei irini, amygd. amar. muccag. althææ, sem. lini, fœnugræci, ana* ʒ ij. *succi rutæ, artemisiæ, ana* ʒ ß. *ceræ q. s. fiat vng. molle.* quo vngantur partes dictæ, seque mox in lecto componat; ac sumat rursus tunc theriacæ veteris ʒ j. cum iure cicerum. At cum illa se a lotione in balneo excusaret, imperaui, vt saltem dicti decocti fumum per infundibulum reciperet. His peractis, appetente tempore eruptionis, nempe primo quadrato lunæ, consului, vt venam in talo incideret. Obseruatum enim est, ex quadrato

4 lunæ motu fœminas pro ætate purgari: primas purgationes quadrato primo ex adolescentia: vltimas ex quadrato vltimo, desinentibus mensibus; reliqua media ætate pari modo ex secundo & tertio expediri menstruas purgationes. Ex quib. naturalis collectio excipitur, iuuenibus nouilunio missio sanguinis vtilis est; senibus vero senescente luna conuenit. At cum hęc mulier albidior ac carnosior esset, venæ non apparebant. Ideo, vt infra femora adhiberentur cucurbitulæ cum scarificatione, iussi. Vbi frigidi abundãt succi, & frigida sit corporis intẽperies, cum crassis & frigidis humoribus; post præparationem & purgationem, etiam

5 hic sanguinem emittere ex malleolis cõuenit. Nõ tamen in multa copia, vena incisa, vel adhibitis malleolorum scarificationibus; potissimũ si mulieres albidiores ac carnosiores fuerint. Eæ enim paruas in cruribus venas habent, & sanguinem asseruare tenuem solent; *iuxta Gal. sent. lib. De curat. per venæ sect.* Post adhibitas illas cucurbitulas, alias iam dictis remediis præcedentibus, menses aperti

aperti fuere. Ego in his, quæ albæ sunt, & pauci sanguinis, quoties inciderunt in eam obstructionem, vt suppressi vel imminuti sint mẽses, vtor sacrificatione crurum, & corniculis trahentibus: nec parum conferre vidi. Si hic non iuuisset, deuenissem ad decoctum ligni Indici, admiscendo dictamnum. Sic alias Iacchinus doctissimus lignum Indicum coxit, & dictamnum adiunxit; vnde mulieri toto quinquennio non purgatę, ac sterili, purgationem euocauit; vt & deinde conceperit.

SCHOLIA.

1 ...ri sympto-ta, & varii ...ctus ac mor...

HActenus de membris genitalib. maris dictum est, & de eorum symptomatis & affectibus: nunc vero de membris generationis in fœminis disserendum est, deq; vteri symptomatis & morbis. Habet enim & sortitur vterus varia symptomata, quæ eidem propria sunt. Vt, mensium suppressio, profluuium, stillicidium; albus fluor vterinus; gonorrhœa duplex; vteri strangulatus, ascensus, descensus, prolapsio, & conuulsio; hinc furor, dolor: adhæc quoq; sterilitas, abortus, aliaq; vterũ gestantis incommoda. Iam quoq; varii alii morbi vterũ obsident; mola, inflatio, hydrops, calculus: & in ceruice rhagades, condylomata, & hæmorrhoides. Frequentissimum malum est, cum menstrua subsidunt, aut intempestiue abundant. Album quoq; profluuium crebro eas consumit, aut saltem odiosas reddit. Omnium periculosissima sunt vuluæ dolores, inflammationes, vlcera, carcinomata, vomicæ, atq; epiphoræ: conuersiones letiferæ sunt, quas strangulationes vocant, & quotidiana tormenta. Vulua interdum contrahitur, vel concitata misere procidit. Vulneratur eadem interdum.

2

Quæ omnia ex mala fere membri habitudine contingunt. De iis omnibus in hoc libro dicemus; & omnium primo de mensium suppressione. Ceterum vterus, idem *mater* ab Aetio dicitur, & *hystera*. Mater quidem, quod omnia animalia inde tanquam a matre oriantur: hystera autem, quod omnibus visceribus hystera, *id est*, posterior sita sit. Iacet enim vterus inter membranam peritonæum vocatam & vesicam, rectumq; intestinum. Sed hæc ad anatomen pertinent, tum situs eius ac figura, tum reliqua, quæ ad totum vterum pertinent. Vide Gal. *de vsu partium*, & quæ Aetius breuiter recenset. Vterus ad concipiendũ, ad vsum Venereorum, ad semen recipiendum retinendumq;, fœtus incretum, atq; perfecti enixum, opportune ventri subiectus fuit: vt ad lõgum legere possumus apud Gal. *14. de vsu partium*. Et quia mulier viro frigidior, ideo easdem partes ad generis instaurationem intus habet, quæ in viris extra sunt fabricatæ. At excrementa, quæ in ipsis mulieribus redundant, seu redundans sanguis, ad omnium infirmissimas partes (*quæ genitales sunt*) feruntur.

Quare vterus matrix vel mater dicatur. Vide Aetium lib. 16. cap. 1. de situ, magnitudine, ac reliqua vteri formatione.

3 *Vnde mẽstrua...*

Mittuntur namq; menses in venas, quæ vtero committuntur, & non attrahuntur: nimirum cum vterus ad delationem eorum nihil conferat, *vt 5. de simpl. medic. facult. testatur Galen.* Qui quidem sanguis fœminis ipsis, antequam concipiant, singulis mensibus purgatione salubri eiicitur: vbi vero iam concepere, alimentum fœtibus accommodatum euadit. Diximus paulo ante, quod mulierum natura frigida & humida præ virorum esse debuit: hoc certe ad generationem conducebat; vt vnde alterum principium, quod maxime pro materia est, deciditur. Sed & in societate maris & fœminæ alterum foris, hoc est, marem negotiari oportuit; alterũ domi, hoc est, fœminam, liberos alere, & rem familiarem seruare. Ob has igitur caussas, facile fœminæ copiam crudi sanguinis & excremẽtosi aceruãt; vt, qui per exercitationes non absumatur, & per naturam ob caloris infirmitatem, plurimus gignatur. Hinc prouida natura viam quãdam inuenit, qua corpus sese exoneraret, statis quibusdam temporibus, id est, lunaris cursus spatio: sæpius vero ipsa decrescente, *vt annotauit Aristoteles.*

4

Sed vt solet natura, cum excrementa purgat, etiam iis in aliquam vtilitatem interim abuti; sic & vterus interim eo sanguine nutritur, quicquid in eo alimenti est hauriẽdo, reliquum vero pellendo. Rursus & ad conceptionem vtitur. Hinc enim alterum principium habetur, vnde concipitur fœtus, augetur & alitur, dum est in vtero. Ex quibus fit, vt si hæc purgatio præter naturam sistatur, mulieri multa mala eueniant; testante Hipp. *5. aphor. 57.* cum scribit: *Mulieri si menstrua defecerint, mala insequuntur.* Sunt autem hæc, primum vtero propria, mox & communia vniuerso corpori. Eueniunt autem non modo, si supprimantur, sed etiam si minuantur plurimum. Ac primum destituitur conceptione: hæc enim vna est e caussis sterilitatis maxima. Vnde quibus per ætatem, aut non adhuc accedunt, aut desiere non concipiunt. Dum autem fluunt, quantum ex hac parte, semper possunt concipere. Aristoteles tamen voluit, mulieres quasdam esse, quæ concipiant, etiamsi non fluant menses; vt quibus non plus sit sanguis, quam aliis, restet a purgatione. Sed haud scio, an id ex principiis Galeni admitti queat. Constat tamen, multas concepisse, antequam passæ essent menstrua.

5

Præterea vteri strangulatione vexantur, vt de caussis eius dicemus; & scirrhoso tumore, & cancro, & erysipelatis; & aquositate replentur; & flatibus, & vlceribus prauis gracilescunt; & quædam præter modum; vt mulier illa, de qua Gal. scribit *6. Ep. 3. 29.* mutantur in viros fœminæ. Adde partes, quæ in consensum veniunt: caput primum *6. Epid. 1. aphor.* & oculi, & ventriculus male affectus; demum & iecur; vnde & hydrops aliquando consequitur. Sed de his suo loco latius. Fluere autem incipiunt mulierum plurimis menses circa 14. annum, iuxta Aetii & Pauli sententiam: paucis vero ante decimum tertium, aut duodecimum: plerisque autem post decimum quartum erumpunt, & eiusdem Pauli testimonio. Quo etiam tempore & pubescunt mulieres, & mammæ ipsis intumescunt. Et sic mensis purgatio est naturalis: (*nisi vel quantitate excedat, vel præter statas periodos effluat*) & stato tempore incipiunt & desinunt, secundum naturam. In aliis, vt dixi, citius erumpunt duodecimo, decimotertio, vel decimoquarto anno; aliis rursus non ante vigesimum, ob

Quando menses fluere incipiãt, & quando desinant.

6 pituitam & sanguinis paucitatem. Aliquibus nunquam, *vt Aristoteles meminit*. Desinunt vero 40. aut paulo post; idque in aliquibus. In aliis non ante 60. & hoc pro copia vel defectu sanguinis. Quæ enim multo sanguine & calido abundant, citius frequentiusque purgantur. Quæ vero crassum, vel lentum, vel paucum habent sanguinem, tardius & partius purgantur. Iam quoque maiorem copiam efficiunt ratio vitæ plenior, otium, temperamentum frigidius, tenuitas sanguinis, vel acrimonia; amplitudo vasorum, quæ plurima & maxima ad vterum perueniunt. Aliis singulis mensibus, nonnullis vno aut plurimis mensibus intermissis, quibusdam sæpius vno mense redit purgatio. Non tamen cunctis eodem tempore, eademque mensura, & per totidem dies prodeunt. Nam multis ad duos tresve dies, non paucis vsque ad quintum profluunt: aliis etiam vsque ad septimum: raræ vero ad duodecimum purgatæ sunt. Quæ plus habent sanguinis, ad quinque vel

7 septem dies purgantur. Plerisque etiam minus duarum heminarum mensura quatuor dierum spatio, interpositis duobus viginti diebus, aut ad summum triginta, singulis mensibus deferuntur. Sanæ igitur mulieri (*inquit Hippoc. de morb. mulierum*) sanguis menstruus exit victimæ iugulatæ sanguini similis, rubens. Effluit autem duarum heminarum Atticarum mensura. Quæ non, *vt Fuchsius Aphor.30.lib.5.* olei mensura æstimanda est, sed sanguini; vt redeat circiter ad tres semisextariolos Lutetianos; *vt refert Hollerii interpres*: natura tamen, ætate, & similibus perpensis, idq; diebus iam dictis. Initio vero & fine pauciores & tenuiores sunt purgationes; intermedia purgatione, plures & crassiores, præsertim vbi multæ fluunt. Aristot. *cap.2.7.Histor.animalium*, moueri scribit, decremento lunæ; & hac crescente colligi: vnde cauillo sexum fœmineum lunæ tribuunt. Aliter tamen sæpe experimur. Iunioribus vero, vt alii volunt, ad lunæ plenilunia; aliis vero decrescente. Hinc versus:

Luna vetus veteres, iuuenes noua luna requirit.

8 *Quando incipit primo occurrere purgatio menstrua.*

Solent autem erumpere plurimis, cum vbera ad duos digitos prominent, & vox in grauiorem mutatur; quo tempore ad vsum Veneris maxime incitantur: sunt enim per id ætatis nubiles; nempe 14. anno, aut 11. vel 12. vt diximus: Sed hæ sunt vitæ breuioris; vt quibus erumpunt tardius, viuunt diutius. Testatur tamen Sylvius, se ex Iohanne Capella, seniore medico Francisci Regis, vndequaque doctissimo, intellexisse, visam ab illo puellam annorum nouem vterum gestasse. Simile etiam affirmat Sauonarola. At iuxta Paulum & Aetium 14. anno primum fluere, antea dictum est. Porro, inquam, desinunt menses plerisque anno quinquagesimo: paucis vero vsque ad sexagesimum durant: nonnullis, præsertim obesis, a trigesimo quinto anno menses cessare incipiunt; *vt eisdem auctoribus visum est*. Ceterum sanguinis qui profluit copia paulatim vsque ad vigorem ætatis augescit: deinde aliquandiu æqualitatem seruans, paulum penitus crescit, aut minuitur. At vbi ad finem tendit, paulatim rursus minuitur, donec in totum desinat; *eodem Aetio teste*. Dici-

Quando desinit.

9 mus itaque, præter naturam sisti, aut imminui, quoties primum extra statuta tempora hoc accidit: quæ tamen terminos certos non habent; sed pro naturarum varietate euariant. Sed postremus terminus cessationis est, annus quinquagesimus: vnde & in eo aliquæ etiam nostra ætate pepererunt. Breuiter, aliis aliter naturalis purgatio cessat, 40. 45. 50. aut 60. ætatis anno; pro copia videlicet, *vt dictum est*, vel defectu sanguinis. Quod si vel post decimum quartum incipiant, vel ante annum quadragesimum quintum cessent, ex aliqua caussa præter naturam id fieri, censendum est. Fit vero etiam varietas multa, non in celeritate apparendi solum & duratione; sed & in copia effluuii maiore, vel minore: idque ex naturarum diuersitate. Dicebat enim Hippoc. *6. Epid. 1. aph. 7.* aquosis mulieribus diu menses durare; & ni crebro fluant, intumescere: per aquosas mulieres intelligens pręhumida pręter naturam corpora; quę sæpenumero frigidiora etiam sunt. His igitur, inquit, diu purgationem hanc durare; seu intelligas, per multam ætatem fluere, seu quod singulæ periodi multum temporis occupant. His ergo, cum secundum naturam fiant abundatiores, colligendum est, quod contrario modo affectis, id est, calidis & siccis, partiores fiunt. Horum vero

10 ratio est, ex his, quæ ab initio posuimus, quod illæ plurimum sanguinis aceruant, & cum eo plurimas cruditates; hæ vero minimum. Et quidem ita fieri videtur, vt viragines & calidæ mulieres quam minimum purgentur, præsertim si multo vtantur exercitio: contra vero humidæ, siquidem omnia secundum naturam se habeant. Quod addo, quoniam calidæ siccæ, vt etiam Iacchinus doctissimus dicebat, si bili multa abundent, & ita cacochymia teneantur, ob sanguinis acuitatem & tenuitatem, plurimum purgantur: quoniam non absumitur in corporis alimentum: contra vero humidis sæpe venæ obstruuntur; itaque aut non, aut ægre purgantur. Subdit Hippocrates: *Et nisi crebro profluant, intumescunt.* Sic clarius legitur, Iacchino teste, *quam celerrime*: volens significare, vnum ex morbis, qui his naturis succedunt, esse hydropen, *vt supra explicauimus.* Tum & pinguibus per naturam exigua purgatio fit, quia angustas habent venas, & pauci sanguinis, vnde & non concipiunt. Sed cur, *dices*, ante 14. non fiunt? an quia magna copia in augmentum absumitur? vnde & aliquibus, quæ diu augentur, plurimum etiam tardant; & illis forte tarditas non erit præter naturam. Hoc nosse oportet, vt sciamus, & quæ sint corpora, quibus noceat tarditas, & quibus prouocationem tentare debeamus, ne imprudenter tentemus id, quod fieri non possit. Cur vero post quinquagesimum annum, vt plurimum non fiant, caussa est caloris diminutio, ob quam & sanguis non adeo abundat in venis; & si abundet, non est ea vis naturæ, vt per longinquas partes possit expurgare, & per venas angustiores trudere, earumque ora aperire. Vnde quibusdã ad sedem effluit.

Quare ante 14. annum purgatio menstrua non fiat.

11 *Cur non post 50. annum.*

quibusdam

quibusdam ad aliam partem, si forte per naturam redundet: & sunt eæ viæ faciliores. Cum itaque mulieres menstrua purgatione omnino carent, vel naturale est, vel præter naturam. Naturale quidem, quantum ad ætatem attinet (*vt diximus*) si vel infra 14. vel vltra 50. annum. Tum & aliis modis: nam prægnantibus secundum naturam menses supprimuntur, quoniam absumitur in fœtus alimentum omnis sanguis, qui abundat. Quamobrem & mẽses tunc effluere præter naturam est, & debilitas fœtus significatur, & abortus, *vt Hippocrates 5. aphor. testatur*. Quamuis quibusdam sæpe sanguis sine noxa effluat, vt si abundet: nec obstat, os vteri eo tempore prorsus esse occlusum. Id memini euenisse vxori Domini Præsidis Hollandiæ Cornelii Susii, quæ tamen non est passa abortum: potest enim ex vteri ceruice effluere. Aliud tempus cessationis est a partu. Multæ enim duas vel tres periodos intermittunt: quod accidit ex multa purgatione in partu facta, vnde corpus est copia inanitum. Nam & mulieribus lactantibus supprimuntur menses, citra noxam aliquam. Similiter & cantatrices & saltatrices, quoniam quicquid in eis superfluum est, nimia exercitii vehementia consumit, non purgantur: & in summa (*vt inquit Aetius*) mulieres calidioris naturæ & temperaturæ, & fortibus exercitiis vtentes, & agrestes, parum purgãtur. Supprimuntur etiam secundum rationem, vt extenuatis, longam inediam passis, longosque morbos. His ergo non est, quod tentemus prouocationem. Atque facile cognoscimus? an secundum naturam menses supprimantur; quoniam mulier nulla inde molestia, vel totius corporis, vel vteri, afficitur, *vt inquit Aetius*. Atqui non de hac, sed de ea mensium suppressione nos proprie loqui intendimus, quæ præter naturam exsistit in quapiam præternaturali caussa orta, vel totius corporis vitio, vel vteri & partium eius proprio; vt exemplis etiam subsequentibus ostendemus.

[Margin: Supprimuntur menses quibusdam secundum naturam.]

[Margin: 12]

Observatio II.

De menstrua purgatione subito retenta.

[Margin: 1]

Anno 1581. Margareta Godefridi, Delphis, cum sororis eius filius, quatuor aut quinque annorum, in aquam incidisset, & viri adstantes statim puerum non extraherent, ipsa in aquam saltauit, & fere cum puero aqua obruta ac suffocata fuit, nisi duo viri tam illam, quam puerum extraxissent. Ad hanc euocatus sub noctem 14. Maii, cum ipsa circa præcordia valde afficeretur; (nam & menses ei profluebant dum in aquam saltaret; atque illi tunc subito restricti præcordia valde infestabant) statim, vt sudor prouocaretur, decoctum sequens propinaui: ℞ *decoctionis aquæ florum chamæmeli* ℥ *ij. oxymellis simplicis* ℥ j. *misce*. calide cum ebibisset, in lecto vestibus bene cooperta egregie per totam fere noctem sudauit, & vna menses suppressi statim debite fluxerunt; ita vt deinde aliis remediis opus non fuerit. At famula cuiusdam zythepsæ, seu ceruisiarii, paulo plus quam annos viginti nata, cum consuetas purgationes menstruas haberet, & nudis pedibus pauimentum aqua detergeret, tum scopis purgaret (vt hic sæpe fieri assolet, quia nostræ Batauæ muliercułæ valde munditiei intentæ sunt, & curiosæ, vt omnia niteant) subito menses eidem retracti fuere, & longo deinde tempore consuetis periodis non fluxere: vnde & nauseabunda cibos fastidiebat; & circa lumbos tandem, tam scapularum capitisque & totius corporis dolore, tum grauitate corripiebatur. Hæc cum lotio consultandi caussa me accessit, quod crudum erat: & ideo de inappetentia, & nausea, ac cibi fastidio, tum dolore circa ventriculum iudicaui. Sed caussa ab eadem intellecta, quod menstrua purgatio hoc modo retenta esset, neque aliquot periodis fluxisset; cum viderem, famulam hanc nequaquam opulentam esse, vt sumtus ferre posset, atque Galenus nos docuerit *6. De medic. compos.* quod secundum ægrotantis possessionem, opulentiam, aut pauperiem, medicamenta pretiosa, vel parui valoris a Medico sint præscribenda; ideo potius decoctum mihi præscribendum proposui longum, quod simul digereret, præpararet materiam pituitosam (cum talis ex obstructione in illa coaceruata esset; atque adeo pituitosa ipsa erat) & expurgaret, in quo omnes scopi curandi continerentur, & subtiliandi, & digerendi ac euacuandi simul: nam hoc modo fere aperiuntur menses. Tale itaque decoctum præscripsi: ℞ *rad. apii, petros. valerianæ, fœniculi, ana* ℥ j. *melissæ, artemisiæ, calaminthæ, pulegii, matricariæ, ana m.* j. *sabinæ m.* ß. *florum chamæmeli, rorismarini, ana p.* j. *sem. anisi, carui, dauci, ana* ʒ j. ß. *sem. nigellæ* (egregie menses educit, vti & eius farina in panno ligata, & supposita; vt & Gradus ac Gatenaria testantur) ʒ j. *folior. senæ* ʒ vj. *agarici fœminini albi leuis* ʒ *ij. zinzib. albi* ʒ ß. *glycyr. ras.* ℥ ß. *vuar. pass. ab arillis repurg.* ℥ j *fiat omnium decoctio in aqua communi pro* ℥ *viij. stent infusa per noctem: mane fortiß. expreßioni adde, syrup. de artemisia, de quinque rad. ana* ℥ j. *misce pro 2. dosibus*. Deinde imperaui, vt hoc modo purgaretur: ℞ *pilul. fœtidar. aggreg. ana* ℈ j. *agarici trochisc. pilul. mastich. ana* ℈ ß. *cum syrup. de artemis. fiant pilulæ vij. dentur post mediam noctem*. Egregie enim conferunt semel in hebdomada eiusmodi pilulæ mastichinæ cũ agar. vel de hiera simpl. cum agaric. Istis enim diuertitur materia ad intestina, ne amplius ad vterum cõfluant, aut in eo coaceruentur. Deinde paulo ante tempus mensium iussi, vt sanguis extraheretur ad vncias tres quatuorve, vel paulo plus, ex saphena seu talo, cum in poplite nostri chirurgi non soliti sint venam secare. Sumta etiam ʒ j. *pul. dominarum, adiecto* ℈ j. *pul.* sabinæ cum vino Rhenano, mensibusq; ita apertis, recte se habuit. Pulueris dominarum hæc erat descriptio, qua tunc vtebamur; & in officina nostra Delphis apud Theodorum Clutium, qui cognatam vxoris meæ duxerat, parata habebatur: ℞ *seselios, cumini, marathri, ana* ℥ *ij.* ß. *curcumæ* ℥ *iij. nucis muscatæ, calami aromatici, ana* ℥ ß. *galangæ, zedoariæ, cassiæ ligneæ, macis, caryophyll. anthos, ana* ʒ *ij. cinnamomi* ℥ ß. *croci* ʒ j. *misce*. Sed & hoc modo ab aliis paratur. ℞ *cin-*

[Margin: 2]

[Margin: 3]

[Margin: 4]

namomi electi, curcumæ, zacchari ana ℥ ij. zinziberis, caryophyl. macis, nucis muscatæ ana ℥ ß. baccar. iuniperi, lauri, galangæ ana ℥ ij. sem. zedoariæ, croci ana ℥ j. misc. fiat pul. Alius pul. dominarum: *℞. rhab. ℥ ij. ß. galangiæ ℥ j. rad. zedoariæ, sem. sileris montan. cinnamomi, nucis muscatæ ana ℥ vj. macis ℥ ß. caryophyl. ℥ ij. cumini, fœniculi, calam. arom. granor. iuniperi, baccarū lauri, anisi ana ℥ ß. zacchari candi ℥ ij. fiat pul.* Amstelrodami apud quosdam in vsu erat hic vltimus. Sed primus mihi magis placet, quo commode frequenter vsus sum.

SCHOLIA.

5 *Quæ pars afficiatur in mensium suppressione.*

SEmper sane ipsi vtero tribuenda affectio videtur, eo vel primarie, vel secundarie, & per consensum affecto; etiamsi totius corporis vitio fiat: recte enim dicemus, vterum ipsum affici, cum non perueniant ad eum ea, quæ antea, cum secundum naturam se haberet, venire solebant. Quod vero hoc vitium sit symptoma, in genere retentorum immodice, *liquet apud Galen. lib. de differ. & 3. de caussis symptom.* Cum igitur inutiles suppressiones curare volumus, a quibus de malo metus est, inuestigabimus caussas omnes, quibus supprimantur vel minuantur. Porro minutio est, vt vel periodi raræ sint; vel si in tempore, vt exiguum sit, quod profluit. Caussæ igitur aliæ sunt ex ipso vtero, aliæ ex totius affectu. Ex ipso quidem vtero, vel quia sanguinem non suscipit; vel si suscipiat, non expellit. Ex toto vero, quoniam sanguis ad vterum non pellitur. Quod vero non pellatur, aut penuria est, aut crassities eius, aut auersio in alias partes; adde & rectricis naturam opus destituere, quoniam occupatur animi vel corporis morbo. Sic multis ob mœrorem ingentem, & timorem, suppressi sunt menses: sic ob dolorem aliquem corporis obortum. Ex parte autem vteri, quod sanguinem non suscipiat, venarum affectio est, vt siue frigido densentur, siue sicco squaleant & conniueant. Quod vero non pellat vterus, obstructio in caussa est, siue a crassis & viscidis fiat, siue tumore præter naturam, siue cicatrice obducta post vlcus, siue sua debilitate, ex intemperie frigida oborta, aut pinguetudine. Fit & obturatio contorsione oris vteri. Vnus quoque & præcipuus vteri affectus retentionis mensium caussa, eius densitas atque duritia exsistit; siue a natura corpus eius tale conditum fuerit; siue certo tempore vterum occupauerit: angustia item venarum vteri statim a principio congenita; vbi scilicet hac parte fœmina male est formata, aut eorundem vasorum compressio, ex his, quæ circum iacent, facta est, cum videlicet corpus immodice pinguescit. Nec non & eiusdem vteri intemperies, vt paulo ante diximus, quædam tum natura, tum sub quibusdam affectibus orta, suppressionis mensium caussa exsistit. Interdum quoque menses retinentur ipsius sanguinis occasione, quoties, quod vacuatur, vel crassum est, vel glutinosum. Quin etiam si ipse sanguis menstruus sine vitio sit, sed ipsius potius inopia fiat retētio, & menstrua supprimantur, aut quia alio auersa copia vacuatur, nihil inde mali suspicandum est euenire: Proinde, neque hac ratione curam ciendorum mensium suscipimus. Nisi quia concipere nequeunt, ideo tanquam sterilitatis caussam tollentes, menses euocamus. Ceterum in vasis, quæ ad vterum pertinent, si obstructio quædam, vel obseratio prius facta sit, sic quoque menstruum retinebitur; *vt Galenus testatur 3. de caussis symptom. & Comment. aphorism. 28. lib. 5.* Vitio itaque, vel propriæ substantiæ ipsius vteri, vel vasorum, quæ ad ipsum pertingunt, aut eiusdemmet sanguinis, qui ad ipsum deuenit, contingit menses supprimi. Nos autem cum Donato ab Altomari, cunctas has caussas vteri vitio prouenire, fatemur: quemadmodum etiam, si ob robur vasorum eiusdem vteri sanguine ipso ad alias particulas delato, contingat menstruum detineri, eidem vtero vitium tribuimus. Sic si ob inflammationes, seu eius ceruicis distorsiones, aut peruersiones, seu callos, aut carnis excrescentias istic exortas, aut pinguedinis copiam, mensium purgatio prohibeatur, ad vteri vitium referendum erit: nec minus, si pellicula aut circa collum, aut osculum vteri fuerit adnata: quemadmodum his accidit, quæ imperforatæ appellantur. Siue etiam vlcerum cicatrices, quæ vasorum oscula in vtero excœcarunt, *(vt cicatrix obducta post abortum, ob quem vteri os fuerit exulceratum)* menses detinebunt, etiam vteri occasione id fiet. At totius etiam corporis culpa aliquando prorsus, *vt diximus*, non purgabitur fœmina, tum propter plura exercitia, tum propter tenuem victus rationem, tum propter succorum ad alias particulas inclinationem: & cum hæc ipsa mediocria sunt, minus, quam pro naturæ debito purgabitur, *vt eodem 3. de caussis sympt. a Galen. scriptum est.* Nos vero cunctas, tum externas, tum internas suppressionis mensium caussas totius corporis culpa dinumerabimus, ab externis orientes. Assiduæ igitur curæ, immodicus timor, ac mœror ingens, menses supprimunt *(teste Aetio)* item alimenta, vel infra, vel supra modum ingesta: nam modicum alimentum statim transpirat; multum vero meatus obturat, & excretionem intercipit. Cibi quoque frigidi & crassi, & potus aquæ frigidæ, incrassant sanguinem, & calorem naturalem hebetiorem reddunt. Et sicuti nimius calor exterior exsiccat menses, ita & frigus constringit. Nimia quoque exercitii vehementia *(quoniam quicquid superfluum est, consumit)* menses supprimere valet. Item, quemadmodum magnus labor, & exercitium continuum; ita & plurima euacuatio, præcipue sanguinis narium, & hæmorrhoidum menses supprimit, hinc mulieres agricolarum & laboratorum partius purgantur. Contra rursus nimia tranquillitas, & vita supra modum otiosa, & exercitii omnino demissio, sanguinem incrassant, & calorem naturalem exstinguunt: hinc minus per venas vteri sanguis fluit. Internæ vero caussæ sunt, calidiores aut frigidiores totius corporis temperaturæ: calidiores siquidem hoc excremētum discutiunt ac consumunt, frigidiores vero crassiorem ac tenaciorem sanguinem gignunt, vasa vteri obstruentem.

Habitus

Marginalia: *Qui affectus præter naturam sit mensium suppressio.* — *Caussæ.* — *Ex parte vteri.* — 6 *Ex parte vteri.* — *Ex vitio sanguinis.* — 7 *Ex vitiis vasorum.* — 8 *Ex parte totius corporis caussæ.* — *Externæ caussæ.* — 9 — *Internæ.*

Habitus quoque graciles, aut obesi nimium: graciles, *inquam*, quoniam nihil penitus superflui sanguinis habent: obesi vero, seu pingues, propterea, quod reliquis magis exsangues sunt, minimasque venulas habent. Nam sanguis, qui in ipsis est paucissimus, fere in pinguedinem transit: & propterea tales minime omnium concipiunt, *inquit Aetius, auctoritate Ruffi & Aspasiæ*. Ob diuturnũ etiam aliquem morbum (*vt & prius dictum est*) fœminæ extenuatæ non purgantur; vel propter præcedentem per nares aut sedem, aut quampiam aliam partem, sanguinis euacuationem: etiam per venę sectionem immodice factam, potissimum ex cubiti venis, vt quodam exemplo post ostendemus. Hæc enim sanguinem ad superiores corporis partes retrahens, menstruas purgationes comprimit; *Galeno auctore de cur. ratione per vena sectionem*: Nec minus & reliqua excretionum genera; velut est multus dolor, assiduus vomitus, alui profluuia, pustularum omne genus per cutem erumpens, morbique acuti & magni; menses supprimere possunt, *vt liquet ex eodem Aetio*. Quædam etiam (*vt ipse inquit*) ob plenitudinem non purgantur. Hactenus de caussis: iam de signis, hoc prius interposito exemplo, agemus.

Lib. 16. cap. 12. de mensium retentione, ex Ruffo & Aspasia.

Observatio III.

De Mensium suppreßione, sanguine ad alias partes delato.

Puella rustica tonsorem adiuit, mense Maio, vt ex consuetudine quadam, sed peruersa (*vt apud nostros fieri solet*) sanguis ex brachii dextri vena ipsi extraheretur, cum flores suos haberet, vel tempora. Vulgares enim, suo idiomate, menstruas purgationes vocant, tempora, quod statis quidem temporibus prodeant, ita & flores appellant: quoniam, *inquiunt*, vt flos fructum antecedit; sic mulieres non concipiunt, antequam menses fluxerint. Copioso itaque sanguine ex vena detracto, menses ilico retracti fuere, & substiterunt: & semper, cum periodus rediret, neque menstrua purgatio subsequeretur, in brachio eodem tempore palpitationem quandam, eamque satis molestam sentiebat: cumque id ter quaterue contigisset, eo tempore, cum menses redire solebant, tandem consilii caussa me accessit, & quomodo menses ex venæ sectione illi restricti essent, narrauit, symptomate illo, nempe saltus & palpitationis, singulis mensibus eam infestante. Imperaui, vt mense sequenti, cum illam palpitationem persentiret, venam in talo (*saphenam vocant*) incidere iuberet, & sanguinem ad vncias quinque, vel plures effluere sineret; cum rustica, & satis robusta esset. Ea sectione peracta, menses statim fluere cœperunt, symptomate illo ablato; singulisque periodis exinde redierunt more solito, & recte curata fuit. Eodem modo & monacha illa seu sororcula apud diuam Vrsulam, de qua egimus *De vomitu sanguineo*, cum singulis mensibus & statutis periodis sanguinem, seu menstruas purgationes sanguineas euomeret, sanguine ex talo seu saphena detracto, a fœdo hoc malo liberata est, & singulis periodis optime menstruæ euacuationes redierunt, quæ quidem, cum hæc rursus colligo, anno 1589. adhuc viuit, &, libertate hic orta, virum deinde duxit, prolesq; ex eo, numero quinq; excepit. At alteri puellæ, quæ Delphis apud sartorem habitabat, & per nares statuto tempore, menstruis purgationibus restrictis, sanguis effundebatur. Verum & huic, cum nostro consilio saphena secta esset, menses deinde debito suo tempore fluxere, & probe sanitati restituta fuit.

Scholia.

Caussæ cum sint variæ, variantur curationes; vt postea aliis exemplis quoque docebimus. Verum cum caussas iam omnes dinumerauimus, signa hic quoque prius explicabimus, antequam ad methodum curationis deueniamus. Signa vero ægritudinis sunt per se manifesta; cum matronæ vel puellæ plangant, & conquerantur, se flores non habere. Nuptæ quoque mulieres, cum purgationes ordinarias aliquando habuerint, si restrictæ sint, id quoque aperiunt, & quod non possint concipere. Quibusdam interea, cum instat periodus, exiguum valde signum menstrui albi vel rubei exeuntis quandoque apparet: tamen post tres vel duos dies ægrotant, plangunt ac conqueruntur de ventre, capite, pectore, & sequuntur symptomata a Galeno *6. de loc. affect.* enarrata. Iam & hæc signa occurrunt, vt habetur de harmonia gynæciorum, grauedo cum tensione lumborum & dolore, & supra pectinem & inguen, capitis etiam & ceruicis, cui & bases oculorum consentiunt: frequentius & anorexia eis succurrit, sonitus aurium, feruor, cum rubore vultus, mammillarum etiam inflatio, partiumq; muliebrium siccitas: quæ omnia occurrunt diebus purgationis. Et si diu suppressi sunt menses, si a medico non purgentur, tumor aliquibus in ilibus, & phyma in extrema illum parte exoritur, qui tumor suppuratus longo tempore vix sanatur. Indicio autem est ex internis partibus, quampiam esse inflammatam. Nonnullis etiam in extrema ilium parte panus excitatur, *vt loquet ex Galeno lib. 6. de locis affectis*. Quod igitur præter naturam menses detenti sunt, ex pluribus indiciis dignoscere valebis: primum autem ac maximum est Hippocrat. *34. Aphorism. 5. lib.* cum dixit: *Si mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.* At nullo apparente in mammis lacte, *vt refert Galen. 6. de locis affect.* hæc indicia aderunt: grauitas totum corpus molestat; fastidia cibi incidunt; horror inæqualis cum febre quandoque: & si vteri os claudatur, cum quadam id erit duritie; propter quod differunt ab his, quæ conceperunt: quibusdam dolor cum grauitate in vteri regione accidit, modo in vna, quandoque in altera parte. Quin etiam in coxam dolor transit, ac crus ipsum, quod e regione est, per incessum claudicat: præterea lumborum; colli, & sincipitis dolor (*vt paulo ante diximus*) qui etiam oculorum fundamenta infestat, sequi solet, item febres ardentes, & vrinæ nigricantes cum rubra quadam sanie, perinde ac si aquæ, ex qua nuper mactatæ carnes ablutæ fuerint, fuliginem quis miscuisset:

Signa demonstratiua.

5

quemadmodum refert Donatus ab Altomari, sæpius se in illustrissima domina Maria Sanseuerina, comitissa Nolæ, talem vrinam inspexisse. Quibusdam etiam vrina aut difficulter redditur, aut omnino supprimitur. Signa vero specierum & caussarum, tam totius, quam ipsius vteri propria, ex propriis earundem indiciis, ægrotantium sermonibus, corporum habitibus, ac ex præcedenti victus ratione, haud ægre dignosci queunt. Primum ex mittentibus etiam signa, quibus caussæ distinguuntur, capiemus, & debilitatem eorum coniiciemus: eo, quod excrementis scatent, & morbus aliquis toti communis adest, vt intemperies: & priuatione aliorum, vt quia sanguis adhuc mediocris est quantitate & qualitate, neque obstructionis notæ adsunt, aut alterius mali vtero proprii. Auersio vero & penuria sanguinis signa habent euidentia, tum ex præsentibus, tum his, quæ præcesserunt circa ægram. Ita facile cognouimus in istis tribus puellis, quod retenti essent menses, cum alio sanguis flueret; vti scilicet per nares, alteri per vomitum, & priori ex venæ sectione sursum purgatione rapta. Sanguinis vero qualitas, *id est*, crassities & lentor, coniectaratur, primum victu præeunte, qui contrarius extenuanti fuit, tum in cibo & potu, tum in exercitationibus, vel animi, vel corporis Sic puella quædam anno 1589. cum æstus ingens esset dum menstruas purgationes experiebatur, in maxima copia bibit aquam frigidissimam. Vnde non solum menses restricti fuere, sed mox symptomatis grauioribus eandem apprehendentibus, lotium plane restrictum fuit; & incidit in syncopen tanquam ex sanguine concreto; ita, vt nulla remedia, quamuis apta, a me adhibita, profuerint, ac ipsa, vix quatuor aut quinque diebus superuiuens, exstincta fuerit. Hæc decumbebat apud ceruisiariam viduam, in cuius cupis malleus pro insigni erat. Alia coniectura ex his, quæ in corpore apparent, & sunt pituitosi sanguinis soboles: de colore albo, vel plumbeo, de tactu frigido, de mole corporis subtumida, somnis profundis, pigritia, fastidio cibi. Rursus quod & serius incipit purgatio, & cum multo labore vix quicquam proficit. Sed hæc communia magna ex parte sunt affectui proprio vteri, id est, obstructioni, quæ a crassis & viscidis: & sæpius hi affectus coincidunt; vt scilicet & totius sanguis talis sit: vt & si grauitas & tensio circa dorsum & pubem sentiatur, & si quid excernitur, pituitæ potius attinet colore & consistentia. Quibusdam harum & perpetuo aliquid pituitosum educitur: appellant album fluorem. Sed de eo proprio capite agemus. Sic igitur frigidiores temperaturas dignoscemus, *iuxta Aetium libro 16. capite 55.* somnolentiores sunt, ad omnemque motum segniores; colore candidiores, seu plumbeæ; venulis subnigrescentibus, lotio aquoso; pituitam fugiter exscreant; interdum & pituitosos humores euomunt. Si corpora ob immensum calorem exarescunt, calida temperatura, tales mulieres, *eodem Aetio teste, libro citato cap. 52* sunt omnino viriles, colore fuscę, compactæ neruis, robustæ, venosæ, lumbos & nates ampliores habent, pectore & humeris latioribus, & pilosis: talis vt virago nihil prorsus, vel paucissime expurgatur. Pinguiores autem facile cognoscuntur ex habitudine. Alii vero affectus obstruentes noti esse debent ex propriis signis, vt pinguedo vteri ex totius pinguedine: durities sentitur tactu, & œdema, & phlegmone: erysipelas vehementem infert calorem: conuersio ad latus, obstetricis digitis sentitur, & propria signa habet. Signa a caussis primitiuis vel externis per inquisitionem facile habentur, siue in aere, vel aqua versata fuerit mulier: ita quoque si percussa fuerit, vel vulnus ei sit inflictum, aut vlcus in vtero, ipsamet enarrabit. Refert Tharantanus, Dominam quandam, cum sepem transiret, palo seu stipite per ipsam vuluam in matrice vulneratam fuisse, plurimumque inde sanguinis promanasse: sed, vulnere curato, ob relictam indidem cicatricem menses restrictos, vt vix postea quid suis temporibus egesserit, neque deinde imprægnata fuerit. Et sic de aliis casibus potest fieri interrogatio, nunquid sustinuerit multos labores, vel tenui victu vsa fuerit, vel morbi præcesserint, aut aliæ euacuationes: quæ omnia ex relatione ægræ, tum diligentis medici inquisitione cognoscuntur. Ita & caussæ internæ. Si humores calidi, biliosi abundant, vrina est intensa, paucæ quantitatis, pulsusque velox, mulier macilenta, biliosa, iracunda, velox in motu, coitus appetens, sitibunda, & agilis in suis actionibus: apparent labia fissa, magis si comitatur siccitas, estque colorata. In frigidis omnia contraria, discolorata, somnolenta, vrina remissa, sitis nulla, cruditas & grauitas in stomacho, egestiones & superfluitates pituitosæ, mulier phlegmatica, pinguis, non appetens coitum. Quæ ratione vteri fiunt, vel saguinis, vel vasorum, aut totius corporis, iam diximus Quod ad prognostica attinet, etiam hæc adiungemus. Quod igitur mulieribus, quæ non purgantur consueto more, sanguinis reiectationis ac siderationis periculum immineat, seu apoplexiæ, *testatur Aetius capit. 52. lib. 16.* Et quædam in melancholicum atræ bilis morbum aut insaniam delabuntur. Talem aliquando nos puellam præ manibus habuimus, quæ in insaniam incidit ex mensibus suppressis; quæ tamen a nobis fuit curata, venæ sectione ex talo: eius historiam posuimus, cum de cerebri & capitis affectibus ageremus. Quapropter proroganda euacuatio eis non est. Quippe cum menstruorum oppressio offendat, maxime si a partu supprimantur, nam non abundantiam modo, sed insignem etiam humorum pariunt prauitatem; *vt 3. De morbis vulgar. testatur Galenus.* Quibus autem vlcerum cicatrices oscula vasorum in vtero excœcarunt, & propterea menses fuerint detenti, penitus incurabiles sunt: quemadmodum curari quoque non possunt, vbi pellicula quædam circa collum statim a principio, aut osculum vteri, fuerit adnata; nisi illa perforetur, aut resecetur; *vt liquet in eodem Aetio.* Graue malum est, si diu retineantur, & hæc

Margin notes:

Signa specierũ.

Coniectura artificiales.

6 *Ex sanguine.*

Ex multo aquæ potu gelidissimæ menses restricti & inde mors subsequuta.

Ex iis quæ in corpore apparent.

7

Ex temperatura frigida.

Ex calida.

8 *Affectus obstruentes alii quomodo cognoscantur.*

Caussæ externæ, quomodo dignoscantur.

9 *Caussæ internæ quomodo cognoscantur.*

Signa prognostica.

10

hæc symptomata subsequuntur: priuatio prolis, mania, epilepsia, vteri suffocatio ex materia coaceruata & corrupta; tensio, vteri tortuositas, vteri inflammationes, apostemata, dolores intolerabiles in vteri regione, grauitas totius corporis, mala coctio, appetitus deiectio, nausea, ructus, tussis, difficultas anhelitus, hydrops, vrinæ & fæcum retentio, anxietas ac tristitia, cephalalgia, dolor oculorum ob colligantiam, & febres ob oppilationem, podagra, color fœdus, impetigines; furunculi, vertigo, tum alia antedicta Scholio primæ Obser. huius libri, tandem mors. Muliere vero sanguinem vomenti menstruis erumpentibus solatium fit. Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens bonum. Mulieri menses decolores, nec per idem tempus semper venientes, purgationem indicant esse necessariam. Si menstrua plura fiunt, accidunt morbi; & si non fiant, ex vtero morbi contingunt. Vrina lactis modo alba & densa, aut obscura linensq; mensium suppressorum, aut locellorum affectorum, argumentum est. Vrina albescens ruffescensq; cum squamosis resolutionibus nigricantibus, eadem arguit, modo mensium suppressorum reliquæ adsint notæ. Quibusdam ex mensibus diu suppressis, accedit syncope, tremor cordis, & subita mors. Si coitu assuetæ, eo non vtantur, suffocatæ aliquando miseræ mulierculæ pereunt. Virginibus quoq; barba innascitur, formæ corrumpuntur: & si curationem non admittunt, vel recipiunt, moriuntur. Ideo his omnibus tempestiue succurrendum est.

II. Hipp. aph. 32. aph. 36. & 39.

Observatio IV.

De Suppressione mensium, plenitudinis ratione.

1 Gertrudi Bartholdi, mulieri Alcmarianæ, si quę altera boni habitus, viduæ, sed valde formosæ, facie admodum honesta cum rubore decenti, temperatura sanguineæ, tempore quo menses fluerent consueto more, foras profectę, cum tempestas valida oborta esset, & tempus admodum ventosum ac pluuiosum, subito menstrua purgatio restricta fuit. Ab eo tempore melancholia hypochondriaca laborauit, & sæpe capitis dolore, cum faciei rubore, alioqui bonæ habitudinis; nec postea plenitudinis caussa purgabatur. Congruo autem menstruorum tempore (*vt talibus fieri assolet, ex Aetio lib. 16. cap. 59. De curatione earum, quæ plenitudinis ratione non purgantur*) magis grauabatur, doloresque circa lumbos & sumen percipiebat, flatuque replebatur; quem & saltus, distensiones, horroresq; totius corporis necessario subsequebantur; plethora vero hoc malum augebat, & huius caussa potissimum exsistebat: quod præcipue cognoui ex insigni venarum tumore. Hæc cum mea cognata esset, & me vocasset, vt hoc malo liberari posset, & iterum debito tempore purgari; cumque aluum non redderet, ventre prius subducto ex bolo sequenti: ℞ *cassiæ recens extractæ* ℥j. *elect. hieræpicræ* ʒj. *fiat bolus*: altero die secta fuit vena basilica in brachio dextro, vsq; ad

2 vncias octo. Eiusmodi enim copiosa sanguinis missione sanantur, *iuxta Aetium*, (*cubiti*, inquit, *ac malleoli venas secare oportet*;) tum ipsa optime ferebat, & consueta erat venæ sectioni: *de qua latius in Scholio*. Postea & hoc decocto loco syrup. præparantis & incidentis, & ad melancholiam hypochondriacam & menses facientis, vt vteretur consului: ℞ *radic. petrosel. fœniculi, apii, valerianæ, ana* ℥j. *radicis buglossæ* (ob melancholiam hypochond.) ℥ß. *pulegii, calaminthæ, melissæ, fumariæ, artemisiæ, verbenæ, summitatum lupul. matricariæ, betonicæ*, (quia sæpe dolebat capite) *ana m. j. florum chamameli, rorismarini, ana p. j. seminis anisi, ammi, apii, seseli, ana* ʒj. ß. *polypodii quercini* ℥j. *fiat decoctio in aqua communi pro* ℔j. ß. *colaturæ adde syrup. de quinque rad. de artemisia, syrup. de epithymo, ana* ℥j. *syrup. de fumar.* ℥ß. *clarificetur & arom. cum* ʒiij. *cinnamomi selecti, & fiat ad modum clareti, quo bis in die vtebatur*. Postea huic decocto addidi *foliorum senæ* ℥j. *agarici fœminini electi albi* ʒj. ß. *epithymi* ʒij. *rhab. selectissimi* ʒj. *schœnanthi* ℈j. & fiebat decoctio pro ℥ix. & imperaui, vt per noctem relinqueretur in infusione, & mane expressioni forti adderent *syrup. ex infus. ros. & de epithymo. ana* ℥j. *pro tribus dosibus matutinis*. Capiebat omni mane,

3 vel secundo quoque die, prout aluus mouebatur. Deinde redibam ad decoctum præparans primo præscriptum; eoque finito illam rursus purgaui, *in* ℥v. *eiusdem decocti infundendo folior. senæ* ʒiij. *sem. anisi* ʒj. *epithymi* ʒij. *semel ebulliendo mane, forti expreßioni addendo confectionis hamech. diacatholici, ana* ʒij. *agarici trochisc.* ℈j. *syrup. de epithymo* ℥ß. *misce*. Et detur in diluculo: quo plusquam septies aluum deposuit. Deinde cum tempus instaret mensium, imperaui, vt rursus ex talo vena aperiretur, extrahendo circiter vncias quatuor. Tempus autem secandi venam non erit multum ante statum mensium tempus, sed tribus quatuorve diebus consuetos mulieri circuitus anteuertens; *vt Galen. inquit*. Deinde dedi ʒj. *pulueris dominarum cum vino Rhenano*: & aperti sunt menses. Hoc modo hic pul. in officina paratus Alcmariæ habebatur: ℞ *sem. seselios, ammeos, cinnamomi, ana* ʒij. ß. *cumini* ʒiij. *sem. fœniculi, apii, carui, nucis muscatæ, calami aromatici, galangæ, ana* ʒj. ß. *zinz. macis, caryophyl. ana* ʒj. *croci* ʒiij. ß. *fiat puluis*. Hæc sequentia

4 magna cum laude quondam exhibita fuere Dominæ Bredenrodianæ, post vniuersalia medicamenta ad menstruas purgationes prouocandas, in dolore splenis & vteri ex obstructione: ℞ *corticum tamarisci* ℥j. ß. *rad. petros. apii. fœniculi, an.* ℥ij. *agrimon. end. cichorii, betonicæ, artemisiæ, matricariæ, mercurialis, costi vulgaris, absinthii, abrotani, saluiæ, menthæ, hyssopi, an. m. j. capill. ven. recen. m. ij. polytrichi m. j. baccarum lauri, iuniperi, an.* ʒiij. *sem. petros. anisi fœniculi, an.* ℥ß. *ammeos, caui, seselios, an.* ʒij. *aristolochiæ longæ* ʒiij. *rad. ireos* ʒj. *sauinæ m. j. ß. cum vini pintis quatuor, mellis despumati* ℥vj. *sacchari* ℥viij. *fiat potio*. Erit delicatior si addatur cinnamomum, & in modum clareti componatur.

Scholia.

5 Cvm suppressorum mensiū caussæ tot sint, pro earum diuersitate curationem quoque variari contingit. Et ita cum hæc mulier ob plenitu-

Si ob plenitudinem menses supprimantur, curatio.

dinem non purgaretur, licet subito prius fuerint menstruæ purgationes restrictæ, iamque quatuor periodi præteriissent, quod menses non fluxissent, & tunc prius consilium peteret; tamen cum viderem plenitudinem in caussa esse (erat enim boni habitus) ideo, aliis consentientibus, iuxta Aetium, tum cubiti primo, deinde tali venam secundo aperire iussi. Hanc eandem sanguinis detractionem Amatus quoque approbat *cent. 1. curat. 41.* ex Matthæo de Grado & Nicolo Florentino; vt qui in muliere, cui prius secta fuerat vena basilica, cum hyeme ad eam accitus esset, sanguinem ex saphena misit. At *centur. 1. curat. 15.* in virgine illa decem annorum, & octo misit sanguinem in brachio ex vena communi: neq; Galeno ita adstrictus fuit, (qui venas in cubito, *lib. de curat.* per venæ sectionem, hic non admittit, sed in poplitibus aut malleolis, cum reuellere purgationem assolent) quin Pauli sententiam & Aetii sequutus sit, qui in plethoricis primo ex cubito, deinde ex talo sanguinem mittunt: quos postea Auicenna imitatus est, & deinde ceteri practici.

Vena sectio.

6. Nec enim necessarium est in verba Galeni iurare, vel ipsius exemplo, qui in libello De libris propriis, seruos eos vocat, quicunque se vel Hippocraticos, vel Praxagoricos, vel alios alterius sectæ appellari volunt. Quicunque igitur siue Romanus, siue Græcus, vel Arabs, aut Iudæus optime loquutus fuerit, illi quoque fides adhibenda est. Et ideo nos quoque, ratione Practicorum excellentium moti, in hac nostra cognata, plethora laborante, prius sanguinem in cubito, deinde ex talo demisimus. Possunt tamen conciliari iuxta Donatum ab Alto mari. Nam Aetius magnam supposuit plenitudinem, quæ cum copiosa euacuatione indigeret, vires, aut reliqua haud quaquam permitterent: quapropter cubiti venas primo, deinceps eas, quæ in talo secari iussit, vt ex vtrisque simul tanta possit sanguinis copia euacuari, quantam vnica sectione plenitudo requirebat. Galenus vero non adeo magnam plenitudinem inspiciens, & ex aduerso vires robustas in mulieribus plenitudine laborantibus supponens, eandem in poplitibus, seu tali venis venæ sectionem fieri, decretum reliquit.

Conciliatur Aetius cum Gal. De vena sectione.

7. Et cum dixit, quod sectæ in cubito venæ mulierum reuellere purgationem assolent, ac purgationes menstruas comprimunt, ad superiores corporis partes sanguinem retrahentes, tanquam verum admittendum, vbi post eas poplitis seu tali venæ non incidantur. At vbi non ex plenitudine laborant, tunc sufficit sola incisio ex tali vena, quemadmodum fecimus Obser. 2. præcedente in famula zythepsæ. Sic etiam fecimus Obs. 3. in aliis tribus puellis, quæ ex mensium suppressione laborabant, sanguine ad alias partes delato. In his etenim, a quacunq; parte fluxerit, sanguis est reprimendus, & ad vuluæ iter congruis præsidiis reuocandus, ne forte inde repulsus ad aliquod nobile membrum (*teste Aetio lib. 16. c. 42.*) vertatur. Ideo venæ sectio in talo profuit puellæ tempore mensium restrictorum sanguinem euomente; & illi, quæ ex naribus sanguinem profundebat, ac alteri puellæ, cui per venæ sectionem in cubito menses retracti erant.

Quibus sola incisio tali venæ suffficit.

Quibus sanguinis euacuatio a loitinere auertitur, quomodo succurratur.

8. Iubet idem Aetius in his & sudoribus, vomitu, reliquisq; huiusmodi excretionibus corpus euacuati. At vomitus minus conuenisset Sororculæ, quæ vltro sanguinem tempore menstruorum euomebat. Sic igitur si auersione (si quidem ad superna) suppressi sunt menses, erit vtendum eisdem frictionibus, cucurbitula pubi affixa, & coxis, vena tali secta, quo ad vterum materia retrahatur. Et hæc est cura earum, quæ sanguinem vomunt, vel exscreant. Sed si per sedem auertitur, difficilimum erit; vt si per hæmorrhoides. Siue enim trahentibus vtaris, ea & ad sedem trahunt: siue ad sedem astringentibus cohibeas, ea vicinitate cohibent, & quæ feruntur per vterum. Quamobrem vbi illis, quæ trahunt vsus fueris, localibus ad vterum erit vtendum; de quibus priuatim paulo post dicetur. Sed in iis, quæ ob sanguinis copiam id patiuntur, qui non transfluit, sed ad alia loca vertitur, copia minuetur ex vena tali, & fiet auersio ad vterum. Hæ menses cient, superiores vero potius cohibent. Illud vero noscendum (*vt dicebat Aetius*) haud multo affici nocumento, quæ ob tales caussas non purgantur; sicut nec ob alimenti penuriam, vel ob laborum excessum.

9. Concipere tamen nequeunt, cum vteri purgationes defecerint. Sic Sororculæ cum graue esset malum, quod singulis periodis sanguinem quasi menstruum per superiora emoueret, secta vena tali, menstrua purgatio retracta ad vterum, eaq; postea suis periodis fluēte & purgata, deinde vbi viro nupsit, non semel, sed pluries concepit, vt antea dictum est. Verum vti & prius admonuimus, non perpetuo venam scindere mulieribus necesse est; sed quibusdam malleolorum scarificationes, vel crurū satis esse queunt euacuandæ superfluitati; vt mulieribus albidioribus, ac carnosis, quibus paruæ sunt venæ, & quæ sanguinem tenuem aceruare solent. Sic ego in Obseruatione prima, & nuper in puella carnosa pingui, in qua venæ non apparebant, circa talum, & alteri inter femora commode cucurbitulas cum scarificatione apposui: & pariter in aliis quoq; albidioribus. Recte autem illi (*vt retulimus*) qui tali venam malunt, quam poplitis secare. Paucis enim mulieribus sub poplite apparet, nostriq; chirurgi raro eam incidunt. Ideō circa talum eligenda erit, quæ maior, quæq; pedem perreptat, & facile tunditur. Debent autem euitari loca tendinum; & optime vtemur in hoc casu (*monente Iacchino*) phlebotomo, non lanceola.

Non semper vena secanda.

10. De tempore secandi venam diximus Obseruat. præcedenti. Quantitatem autem nedum plenitudinis quantitas, sed virium robur metietur: Et, vbi quippiam non vrgeat, eandem sectionem venæ iterare tutius erit, quam semel vniuersim vacuare; aut in eodem crure, vel in altero, vt videbitur. Conducit etiam nedum istis diebus, in quibus sanguinem vacuas, verum & ante eos quatuor aut quinq;, vt extenuantem victum procures; *eodem Galeno teste*, tenuis, inquam, victus eisdem exhibeatur, veluti est ptisanæ succus cum aceto præparatus, & olera

De quantitate sanguinis educendi.

ad hunc etiam vsum idonea. Erit enim exercitiorum, victus, reliquorumque ratio omnis ad copiæ diminutionem faciens. Sanguine vero euacuato, medicamenta, quæ menses prouocare possunt, adhiberi debent: de quibus postea: etiam iuxta Aetium potiones & fomenta (*de quibus suo loco dicturi sumus*) adhibendo: & cucurbitæ pubi & inguinibus affigendæ sunt: siquidem menses euocant; *vt liquet 13. Meth. medendi. Vbi vero menses effluere inceperint, mulieri,* inquit Aetius, *omnimoda quies imperanda est, & in lectulo continenda: ac primo quidem die a balneis & cibis arcenda; proximo autem ptisanæ cremor cum anetho paratus pro cibo exhibendus; deinde olerum, quæ huic vsui idonea videbuntur portiuncula. Tertio die lauanda, ac consueta victus ratione regenda erit.* Hæc Aetius: quamuis præstabit a balneo abstinere cum menses fluunt, ni forte calido vti velit ad promotionem. Et ita curatio earum, quæ plenitudinis ratione non purgantur, abunde ex his industrio lectori constare poterit.

Observatio V.

De Medico imperito, qui menses nitebatur euocare in puella plane extenuata.

Empiricus quidam in puella extenuata, ex longo morbo, cum valetudinaria permaneret, mensesque deficerent, nitebatur frustra consuetas ante morbum purgationes, nunc in extenuata retentas, prouocare cum calidioribus, etiam venam pertundendo in talo, licet sanguis non efflueret. Hæc cum ad nos consultandi caussa accessit, atque vbi illam plane aridam & exsanguem vidi, venit mihi in mentem historia illa, quam refert Gatenaria, quam hic referre libet: *Quando,* inquit, *in corpore mulieris non est sanguis superfluus, tunc si per menstrua non emittatur, non est mirandum: quia natura intendit corpus restaurare, vt multoties accidit in mulieribus cum patiuntur diuturnas ægritudines, vel febres diu perdurantes: quia tunc natura intendit sanguinem retinere pro corporis conseruatione & restauratione: & ita tunc sanguis non superfluit, nec per menstrua emittitur: vnde tunc prouocari non potest; sicut accidit* (idem inquit) *cuidam scholari nouiter practicanti; cum vellet menstrua prouocare in quadam muliere extenuata ex quartana, quam longo tempore passa fuerat; vnde nunquam potuit: quare misit ad me mulierem, qui eam videns, dixi, nunquam posse prouocari, donec mulier esset bene restaurata. Quare & ego huic nostræ puellæ consului, vt vberioribus cibis reficeretur.* Nam quæcunque (*vt ait Aetius lib. 16. cap. 40. De curatione earum*) ob innutritionem non purgantur, vel gracilitatem, siue id morbo, siue id alia ratione contigerit, eas primo reficere oportet, & corpori carnem congruo exercitio moderatoque labore, ac vberioribus cibis restituere. Si enim carnosæ euaserint, maxima inde spes erit, menses sponte erupturos. Quod si non euenerit, tunc eos commodius potionibus & pessulis prouocabimus. Ideo huic puellæ extenuatæ consuluimus, vt cibis restaurantibus vteretur, & vbi magis carnosa euasisset, si tunc debito more menses non fluerent, rursus me accederet, vt tunc commoda remedia adhiberemus.

Scholia.

Cum autem varias caussas esse suppressionis prius dixerimus, licet curatio earundem suppressionum mensium in remotione caussarum easdem inferentium constet cum contrarietate; tamen in hoc sæpe contingit error, tam in regimine vitæ (*vt vocant*) quam in ipsis medicamentis menstruas purgationes cohibentibus vel restringentibus: nam calefacientia, & subtiliantia, & aperientia, caussam aliquando augent; & ita victus ratio calida exsiccans & extenuans. His igitur cognitis, videndum quomodo menses suppressos moueas. Cauendum inprimis, ne his tentes euocare, quibus non debes, vel quibus est impossibile. Nam constat, in vanum laborari in his, quæ omnino extenuatæ sunt. Et ita frustra eas mulieres cruciant, quæ post longam sanguinis euacuationem factam per nares aut alias regiones, qui menses prouocare volunt; aut post diuturnum longumque morbum, ad quem sequuta etiam sit atrophia, vel extrema extenuatio. Et ita non omnis retentio statim indicat sui ablationem & prouocationem: nam a caussa naturali, (*vt diximus*) in prægnante, in anicula, in puella nondum ad ætatem iustam deuenta, in saltatricibus, viragine, (quæ omnes molestia non afficiuntur) neque extenuatis a longis morbis, menses prouocandi sunt. Ex quibus quoq; sequitur, in vanum laborare, qui ante vel post tempus purgationis, menses volunt prouocare. Sicut etiam in his, quæ parum habent sanguinis ob cachexiam, quæ veram & perfectam sanguinis generationem impedit. Et ideo neque quibusdam etiam, licet fiant a caussa non naturali, vt ab extenuatione humorum, paucitate cibi, & sanguinis in toto vel in vtero, quæcunque caussa fuerit, in his, inquam, non debent irritari, sed solum regimen resumtiuum præscribi; vt apud probatos auctores videre licet. In cachexia videlicet malum illum habitum corrigendo, vt multus ac bonus sanguis generetur. Sic & in atrophia, & sanguinis penuria, alimenta, quę multum sanguinis generant, danda sunt. Interea quæ ob penuriam sanguinis fit, si ex formatione euenerit, vt in frigidis siccisque, curam non habet. Si vero ex temperamento calido & sicco, curam habet per contraria, refrigerantia scilicet & humectantia: semper in memoria habendo, quomodo temperamenta sensim mutentur, idque victus ratione maxime in omnibus sex generibus: quod sane fieri ob conceptionem requirimus. *Rectius,* inquit Aetius auctoritate Ruffi, *quidem foret ad integram sanitatis tutelam, victus rationem excogitare, a qua ita mulieris corpus desiccaretur, vt menstrua purgationis non indigeret: sed hoc conceptioni prorsus aduersaretur.* Caussa ergo concipiendi, & quoniam omnes fere mulieres inconsulto victitant; purgationes sunt necessariæ: propterea congruit curationem quoq; subscribere, qua menses intercepti euocantur. Calidiores itaq; & plurimum exerci-

Error multorū.

Quando frustra prouocantur menses.

Si ob cachexiā vel atrophiam veniat, quomodo curanda.

Ex sanguinis penuria Cautio.

Si ob nimiam caliditatē menses supprimantur curatio.

ratas mulieres, quam maxime humectare oportet, dulcium aquarum balneis, vberiori humidioreq; cibo ac potu; quales ptisanę & chondri sorbitiones sunt, & quæ ex lacte præparantur, & ex oleribus, lactuca, cucurbita, & huiusmodi. E carnib. agni, hœdi, ac nouelli sues, præsertim cicures, & fœminæ: e piscibus quicunque teneras carnes habent: ex auib. altiles: e fructib. ficus recentes, vuæ maturæ, pepones, cucumeres: e potionibus vinũ tenue, candidum, non adeo antiquum, & dilutũ.

6

Tales itaq; maxime humectabimus, quacunq; ratione calidiores fuerint, siue ex naturali temperamento, siue ab exercitiorum excessu; aeremq; humidum eligemus, ac paulo ad frigidũ vergentem, somnoq; lõgiori vtemur: quietem imperabimus, & iubebimus vt exercitium vitent: & immodicos affectus, iram, mœstitiam, timorem; & vt supradictis vtantur; cremore ptisanæ, ex lacte parato: & præter iam dicta, carnibus gallinarum, caponum, & pullorum, & iure carnium, lacte, & recentib. ouis gallinarum, &, vt summatim dicam, renutritoria victus ratione. Talia & extenuatis conueniunt.

Si ob frigidam corporis intemperiem menses supprimantur, curatio.

Si ob frigidam corporis intemperiem menses nõ profluãt oppositam curationem instituemus. Nã calidiorib. cum cibis, tum medicamentis vtemur, & fortioribus exercitiis, ac plurib. laboribus, *iuxta eundem Aetium*; vino item fuluo, odorato, veteri, ac minime dulci. Inter medicamenta vero ea eligemus, *eodem Aetio auctore*, quæ calore suo sanguinem dissoluunt; veluti est thymum, pulegium, calamintha, dictamnum, abrotanum, & alia huiusmodi multa apud eundem descripta.

Lib. 16. c. 43. & 55.

Ita & curabimus illas, quæ nimio otio non purgantur, *iuxta eundem*, quas laboribus addicemus: labores vero, qui mulieribus maxime congruunt, deambulationes sunt, & a iumentis gestationes aliquanto vehementiores.

7.

In ceteris vero tanquam frigidæ & pituitosæ curabuntur; atq; omnino, *vt Hippocrates ait*, opposita dabimus iis, quæ sanguinis delationem impediunt. At si eueniat, vt aqua frigida & cruda bibita offendat, aliam optimam perquiremus, quam cum vino albo & tenui commiscebimus; cibariaq; pro frigidis, calida; pro crassis, attenuantia offeremus.

Aetius lib. 16. cap. 53.

Pinguiores autem mulieres victus ratione regemus; quæ summas (*inquit Aetius*) attenuandi vires habet; atq; ea adhibebimus, quæ idem *lib. 3. De alimentorum facultatibus* scripsit, & *De macie corpori reddenda*.

Curatio earum, quæ ob nimiam pinguedinem non purgantur.

Neq; tamen interim fomenta & potiones prætermittemus. Si enim materia inferius declinabit, haud ęgre euacuabũtur, & corpus gracilius euadet: & quamuis per inferiorem aluum purgatio non admodum tuta sit, cum inde corpus labefiat, mulieri tamen ita se habenti hæc quoq; adhibenda est. Sæpe enim sola purgantis medicamenti potio menstruis euocandis suffecit. Catarctica acerrima, qualia ab Aetio referuntur, pinguibus idonea fuerint, & suppositoria, tum fomenta & epithemata, qualia scripsit ad temperaturas frigidiores conferre.

In gracilibus & extenuatis curatio.

Contra in gracilibus & extenuatis (*vt etiam antea diximus*) contrario modo instituenda curatio, siue ex fortibus exercitiis, vel morbo præcedente, vel ex fame aut ieiunio, aut aliis euacuationibus magnis originem habeat: vtendum enim cibis multum nutrientibus & humectantibus, tum iis, quæ auctores præscribunt ad corpus gracile restaurandum.

8

Ex paucitate sanguinis.

Et ita quoq; ex paucitate sanguinis, vt paulo ante admonuimus, præcipua curatio consistit in victu resumtiuo, humectante, & sanguinem multiplicante.

Ex copia.

Si vero ex copia sanguinis, hæc ipsa copia minuenda erit venæ sectione, vt Scholio præcedente docuimus; exercitiis & cibis tenuibus, & reliqua victus ratione omni ad copiæ diminutionem faciente.

Ex qualitate sanguinis frigida, crassa, & viscida.

Quæ vero ob qualitatem sanguinis frigidam, crassam, viscidam; hæc corrigenda erit contrariis. Sed quia communis est curatio his, quæ ex obstructione venarum matricis id patiuntur, ideo simul hæc tractanda. Quæ igitur obstructiones in venis his patiuntur, quas etiam solas docet curare Galenus, *in lib. De venæ sect.* sic tractantur ab eo. Incipit antea per dies decem corpus totum parare, & obstructiones tum eius tum vteri tollere.

Ex obstructione venarum matricis.

Hoc autem est (*teste Iacchino*) corpus fluxile reddere. Id primum victus ratione extenuante facit, id est, quæ tenues succos, fluxilesq; efficiat: id qualitate ciborum, & potionum fit: & præterea condimentis, quæ sale, aromatis & herbis acribus parantur, cuiusmodi est origanum, satureia, thymum, cuminum, anethum: tum exercitationibus fortioribus, & vigilia.

9

Hoc posito, medicamentis rem aggreditur, & primum quæ humorum copiam crudorum extenuant per totum corpus, & parant, vt purgari possint: vt oxymel & simplex & scilliticum cum decocto betonicæ, vel thymi, vel alterius incidentis, & extenuantis, & incidentis. A qua potione, picræ potum propinat. Inest autem picræ vis primum purgandi venas a pituita, extenuando & extergendo: inest & vis tollendi obstructiones, per incidentia medicamenta, quæ longe penetrare possunt. Eligit autem maxime purgantem, vt est hiera plurimum aloes recipiens: nam variis modis paratur. Hoc ergo medicamento vteris decem diebus illis bis aut ter. Interim medicamenta exhibenda, quæ menses ducunt, vt sabina, dictamnum, pulegium, &c. Modus exhibendi, in melicrato a balneo statim cum adhuc calent. Intentio igitur est obstructiones tollere: idque primo facit humores respiciendo, parando, purgando, vacuando. Præparatio per extenuantia, calida, sicca, acria, amara, fit, modo fortiora, modo debiliora.

10.

Tempus præfigit decem dierum; quod accipit Paulus. Sed hoc ridiculum, cum pro varietate humorum, variari vim medicamentorum oporteat: quibusdam ergo vix quindecim, aut viginti sat erunt. Purgationem per hieram facit: non negat tamen, quin & aliis, maxime agarico: quoniam vis inest illi extenuans, & admiscetur aromatis. Sed & diaphœnicon ad hoc facit, & hiera ex colocynthide, & Archigenis. Vltimo adhibet venæ sectionem in poplite, vel potius in talo, idque per duos dies, parum trahendo quotidie, quo a supernis ad inferna maior attractio fiat; vel vt sanguis obstruens, iteratis tractionibus melius

lius deriuetur a parte. Vult fieri vtrinque ob cathexin, si forte in vno magis obstructio sit. Sed cur postponit venæ sectionem? An quia non potest vacuari sanguis obstruens e venis vteri, nisi dissectus & paratus sit, & imminuta ex parte obstructio? Hoc igitur facit postremo: quoniam venæ sectio paratiorem sanguinem exigit, vt possit educere a loco: quoniam non fortiter, sed solum vacui ratione. Verum de venæ sectione, de cucurbitulis, & scarificatione, satis prius dictum est. De remediis vero, quæ bibuntur, quæ Galenus scribit, experta sunt eo modo quo scribit. Rhasis trochisc. de myrrha multam vim habet: potio item ex herbis in vino insolatis: recte vtimur & aqua porretana. Omnia methodo inuenta remedia, experientia comprobata. Expedit autem & localibus vti, quam partem Galenus omisit: vt sunt sessiones in balneis, quibus vis insit dissoluere & extenuare crassa, ac venas dilatare; qualia sunt sulphurea, & quę arte parantur ex stœchade, chamęmelo, anetho. De his superius quoque egimus. Mox & pessus & suffitus. Nam iuxta Hippoc. *lib. 5. aph. 28.* muliebria educunt, id est, menses. Caussam ponit Galen. extenuationem, quæ fit ab eo fumo. Vsus est, per sellulam perforatam obducta omni perspiratione per vestes. Non trochiscis ex gallia vtimur. Similiter conueniunt pessi ex ladano & aliis, vt postea dicemus: pro diuitibus moschum & zibettum adiungimus. Hæc autem exemplis subsequentibus clariora euadent.

Observatio VI.

De puella ex sola refrigeratione, vel nuda intemperie frigida, menses restrictos habente, & de altera muliere, mensium suppressione laborante, a succo pituitoso venarum vteri ora obstruente.

Puellæ annos octodecim natæ, cum in hyeme, aere frigido, linteamina lota extra vrbem in pascuis (*vt fieri solet*) exposita aeri, rursum inde ablueret, menses restricti fuere ex frigiditate & nuda tantum intemperie, absque humore. Vrina inspecta, quæ alba erat, & cum ipsa in vteri fundo manifestam frigiditatem sine pondere aut grauitate sentiret: statim imperaui, vt vinum generosum biberet, & vt hoc decocto vteretur eo tempore quo menses solebant fluere: ℞ *dictamni cretici, matricariæ, artemisiæ, sabinæ, ana m. j. florum chamæmeli. p. j. cicerum rub.* ℥ *j. melissæ m.* ß. *coquantur in vino Rhenano pro* ℔ *j. dulcoretur parum sacchARO, arom. cum* ℥ ß. *cinnamomi selecti, & fiat claretum.* Et menses optime fluxere. Accessit ad me, consultandi caussa, & altera mulier pituitosa, quæ ex pituita copiosa, & succo crudo ac frigido, menstruas purgationes vltra dimidium annum non viderat. Imperaui, vt victu extenuante vteretur, & humores incidente, eo modo, quo paulo ante diximus Scholio pręcedente. Deinde cum scopus huius curationis esset subtilitate digerere, & demum euacuare, & tandem menses euocare; omnium primo ad materię minorationem pręscripsi id, quod sequitur: ℞ *elect. lenitiui* ℥ *j. diaphœnici* ℥ *ij. cum* ℥ *iij. decoct. pulegii, artemisiæ, betonicæ, fiat potio*, capiat in aurora, & dormiat per horam; postea surgat & ambulet. Die sequenti sumet hunc syrup. ℞ *syrup. de artemisia, de duabus rad. oxymelitis simplicis, ana* ℥ *j. aquæ decoct. betonicæ, artemisiæ, pulegii,* ℥ *vj. misce, pro duabus vicibus*: capiet mane hora vna ante auroram dimidium calide; & super id dormiat ad lubitum. Hora quarta pomeridiana sumat alteram dosin. Diebus sequentibus capiat hunc syrupum: ℞ *syrup. de eupatorio, de duabus radic. syrup. de artemisia, ana* ℥ *j.* ß. *aquæ decoctionis hyssopi, pulegii, calaminthæ, origani, artemisiæ,* ℥ *ix. fiat syrup. pro tribus dosibus.* Istis syrupis finitis, denuo purgetur: ℞ *electuarii lenitiui* ℥ ß. *diaphœnici* ℥ *ij. electuarii ind. maioris* ℈ *iiij. dissolue cum decoct. artemisiæ, capill. ven. seminis anisi, fœniculi & passul.* ℥ *iij. mellis rosac. colati* ℥ *j. detur calide hora ante diem*: tamen cum incipiet operari, non amplius dormiat. Post quatuor horas a sumto pharmaco capiat hoc lauatiuum: ℞ *iuris cicerum rub.* ℥ *vj. sacchar. rub.* ℥ *j.* ß. Deinde vno atque altero die intermisso, cum pilulis delectaretur, etiam has pilulas præscripsimus: ℞ *pilul. fœtid. aggregat. agarici trochisc. ana* ℈ *j. cum syrup. artemisiæ fiant pilulæ vij.* habuit inde vij. sedes copiosas. Deinde accessi ad illa, quæ menses prouocarent. Ideo iussi, vt tempore congruo cum menses fluere solebant, sanguinis missio fieret ex vena in dextro pede, vel sinistro, secundum quod magis vena appareret, & tumentior in vno pede, quam in alio esset. Et si vena in nullo pede appareret, vt poneret super ipsam duas vel tres sanguisugas, ℥ iiij. extrahendo. Hoc enim tempore iuuant illa, quæ sanguinem circa vterum trahunt; vt sunt dolorificæ ligaturæ in coxis factæ, vel frictiones sanguinem ad partem trahentes. Vtile quoque est partes illas prius fouere aqua tepida, vel decocto maluarum vel liliorum, vt partes illæ relaxentur; ob quod sanguis ille facilius descendit. Ista etiam conueniunt, si multus sanguis sit in corpore, aut lentus, aut ob venarum obstructionem vteriue densationem suppressus; adhibitis nihilominus remediis, quæ obstructionem tollunt. Interim, inquam, & illa apponenda, quæ sanguinem ad vterum trahunt: qualia etiam conuenire diximus in iis, quibus multus sanguis ad partes superiores fluit, & per nares vel per sputum; aut vomitum reiicitur. Nam vbi præcesserint remedia iam dicta, etiam hoc tempore vtile erit frequenti cucurbitularum appositione supra emunctoria sanguinem circa vterum trahere. Apponuntur sine scarificatione his, quibus non est nimius sanguis: in quibus autem est multus, scarificatio facienda est. Nam cum sanguini patet exitus, facilius ad illam partem fluit; sed multus non est trahendus. Euacuatio enim sanguinis copioso aliam euacuationem impedit. Aufertur copia propter quam expultrix illum sanguinem expellit, vt supra monstratum est. Verum in hac muliere consuluimus, vt sanguis paulatim deduceretur ad vterum cum ligaturis & frictionibus, & sectione malleoli seu tali. Sed hæc nō facienda (*vt etiā antea admonuimus*) nisi quo tēpore solebāt mēses fluere

aut quibus nunquam fluxerunt, ad finem mensis; vel in principio quibusdam iunioribus. In qua parte humores liquefacti aut rarefacti videntur aucti, linimenta ex modice calfacientibus & relaxantibus sunt adhibenda. Ideo etiam imperaui, vt vngerentur partes inferiores ventris, inguinum, & renum, post fotum: *℞ exungiæ gallinæ, anseris, & anatis, ana ℥ j. olei amygdal. dulc. chamæmel. lilior. ana ℥ j. ß. aristol. vtriusque, iridis, asari ana ʒ j. ceræ nouæ q. s. fiat vnguentum.* Insessus non parauimus, cum in hyeme essemus, sed ʒ j. huius pulueris dominarum exhibuimus cum vino Rhenano albo: *℞ cumini ʒ j. curcumæ ʒ ij. cinnamomi, nucis moschatæ, granorum paradisi, calami arom. galangæ, zedoariæ, semin. fœniculi, leuistici, apii, carui, aristol. rotundæ, baccarum lauri, sem. nigellæ, ana ʒ j. fiat pul.* Parantur diuerso modo isti pulueres, cum magistrales sint; qualis & hic est: *℞ cinnamomi ʒ vj. cumini, anisi, leuistici, carui, ana ʒ ß. myrrhæ, rad. dictamni, curcumæ, ana ʒ ß. lupinor. apii & nigellæ, ana ʒ iij. calami aromatici, pulegii, aristol. longæ, ana ʒ ij. croci ʒ j. asari ʒ ij. sabinæ ʒ ß. misce. fiat puluis.* Si menses non fuissent aperti, dedissem ʒ j. *trochis. de myrrha*; quib. in robustiorib. feliciter sæpe vsus sũ.

4

SCHOLIA.

5 *Vbi frigidi redundarint succi, curatio.*

VBi cum frigida corporis intemperie, crassorum ac frigidorum adsit redundantia succorum, qui sanguini admixti mensium purgationem impediunt; vt in hac muliere secunda contingebat; ipsas prius decenti medicamento purgare conuenit, donec concocti & præparati fuerint: deinde, quæ menses prouocare possunt, adhibenda sunt. Parentur autem (*vt antea quoq; diximus*) tum extenuanti victus ratione, cibis semper ac potibus aliquid odoratum admiscendo; tũ etiam extenuantibus ac incidentibus medicamẽtis; vt melle ros. & oxymelite; modo vterus, aut quæpiam alia neruosa pars affecta non sint, propter acetum. Valent syrupi de tribus, aut duabus rad. de hyssopo, cum decoctis hyssopi, pulegii, calaminthæ, orig. abrotani, & similium. Concoctis iam humoribus ac præparatis, purgatio adhibenda cum hiera, agar. in pilulis. Quando multa pituita in corpore collecta est, vbi partes inferiores quoq; cum vnguentis sint præparatæ, *vt in Obser. præcedente ostendimus*, tunc dabimus pilul. de hiera, & aromaticas. Ventriculum & intestina purgant, humores attenuãt, & præparant corpus ad assumtionem syruporum aperientium, aut acrium medicamentorum. Duabus aut tribus horis dandæ sunt ante pastum, vt in exitu e lecto. Deinde syrupi incidentes & attenuãtes sanguinem, aut humores mixtos cum sanguine, dandi sunt; vt syr. de rad. de artemisia, & alii antedicti. Dantur cum decoct. herbarum item paulo ante dictarum, vel iringiorum, aut quinq; rad. aperientium, vel cum decocto sabinæ aut artemisiæ, aut leucoi. Si multa pituita in corpore collecta fuerit, euacuãda est multum ante tempus purgationis mensium, & id leniter, ne redundantia humorum auferatur. Sed sufficit dare pilulas supradictas, addito agarico, vel asaro, aut carthamo: vel pilulis benedictæ; vel bolum dabimus cum hiera vel diaphœnicone. In robustioribus pilulas fœtidas, de sagapeno, aggregatiuas, aut de agarico. A purgatione sanguinem ex malleolis mittere conuenit, vt diximus; aut scarificationes adhibendæ, si venæ non appareant. Deinde medicamenta, quę detentos menses euocant conscribenda sunt: & primo facilibus, postea mediocribus, vltimo fortibus vtendum. Verum cum plures circa medicamenta menses prouocãtia hæsitent, sæpeq; audiamus ab auctoribus, & sæpissime a Galeno, mentionem fieri medicamẽtorum menses educentium, ideo quęrendum est, quæ ea sint, & quomodo id operentur. Igitur *quinto De simp. 21.* scribit, ea quę menses mouent, in hoc ab vrinatiuis distare, quod cum vtrumque genus calidum sit, quæ tamen vrinas mouent longe sint sicciora, id est, quæ priuatim nomen diureticorum meruere. Nam menses ducentia calida sunt, sed modice siccant. Caussa est, quoniam quæ siccant, crassiorem sanguinem reddunt, vnde & purgationem non facilem. Dubitabatur circa hæc. Nam non videtur hæc esse differentia: siquidem ea, quę valentissime vrinam cient, vim etiã habent menses ducendi, vt exemplo particularis materiæ patere potest: Sabina, pulegium, asarum, cinnamomum, calamintha. Ea sunt Gal. exempla. Rursus certum est, hæc sicca tertio ordine esse: ergo non hoc distabunt, quod magis siccent, quę vrinas ducunt. Dubitatur iterum: *Hæc vrinam cient, ergo menses non mouent.* Nam quæ ad vias vrinæ deducunt, deriuant ab vtero: *quare & profluuium per vterum imminuunt.* Sic in profluuio, vt dicemus, ad sistendum vtimur vrinatiuis. Arguitur etiam eo loco Galenus (*teste Iacchino*) de insufficientia. Quomodo enim vult, calida hæc & sicca menses mouere, quasi semper ex vna caussa supprimantur, vt ex crassitie? Hic enim solum conferre possunt. At scimus aliis nocere; vt si ex penuria: item si ex phlegmone, vel scirrho, vel ex plurimo calore naturalis temperamenti. Respondetur primum ad id, quod postremo est obiectum, *non esse mentem Galeni illam solum esse caussam; sed illam respicit maxime, quoniam & maxime euenit.* Est enim frequentissima ex obstructione, quæ ex humoribus. Vnde & ab huius curatione menses ducentia nominauit. Ad id vero, quod prius quærebatur, dicimus, menses cientia, etiam quæ proprie dicuntur, respectu scilicet huius generis caussarum, esse in duplici differentia. Vel enim solum sanguinem crassiorem & frigidiorem liquant, & fundunt, & erunt modice calida & sicca; vel præterea obstructiones tollere possunt, quæ impediunt. Primum genus diminutos iuuat, augendo sanguinis motum nonnihil: secundum genus oblæsos, & prorsus defectos. Ea igitur, quæ sanguinem fundunt solum, proprie menses ducentia dicuntur: quia per se naturam in opere mittendi iuuant ea ratione. (Facilius enim pellitur, quod tenuius.) At reliqua, quodammodo ex accidenti magis, quatenus iuuant potius obstructiones tollendo, propter quas detinebatur sanguis. Dices, *Nonne ipsa quoque fundunt & liquant?* Respon-

6

7

Menses educẽtia quomodo differant a diureticis & vrinatiuis.

Dubium.

Aliud dubiũ.

8 *Arguitur Galen. de insufficientia.*

Responsio.

Proprie menses ducentia quæ dicantur.

9

Obiectio.

Respondeo: *Quæ vehementer talia siccando cogunt, non liquant; ideo quod ad hanc rationem attinet, essent incommoda, sed iuuant propter obstructiones.* Sic igitur ad obiecta respondetur, non dici ea, quæ vehementer cient vrinam, menses ducentia; propterea quod siccant & cogunt, nisi forte ex accidenti hoc faciant. Quod si Galenus exempla eorum posuit, transiuit a menses ducentibus vere dictis, ad ea quæ obstructiones tollunt. Quod vero dicitur, vrinam ducentia auertere ab vtero ad vesicam, concedimus, si proprie talia sint, id est, vehementer calida & sicca: sed si moderata, tunc vtrumq; faciunt præparando sanguinem, natura vero eo beneficio pro exigentia in vtraque parte vtetur: ad vrinas renum attractione, ad vterum pulsione, quam procurat & commodi gratia in hoc corpore, & propagationis ratione. Alia vero immodica iuuabunt modico vsu, aperiendo & extenuando. Sed hæc cogunt sanguinem, inquit Gal. Respondetur, si quis multis vtatur, non si modice. Eadem fere habet Montanus, cum dicat, quædam per accidens prouocare menses: vt si paucitas sanguinis in caussa sit, alere corpus, quæ sanguinem generant: si humores crassi ratione caliditatis adurentis, frigida & humida, qua ratione Diosc. lactucam menses prouocare dixit, plurimam ambiguitatem legentibus afferens, cum id improprie dixerit. Iam si sanguis crassus, viscidus, cum multa pituita, eget incidentibus & calefacientibus, quæ potius sunt diuretica, tamen in hoc casu iuuant ad prouocationem mensium. At si ob meatus & orificia obstructa, tunc vere menstrua prouocari dicuntur. Arabes tres ordines horum medicamentorum ponunt. Primum faciliorum, vt decoct. phaseolorum, cicerum rub. fœnic. apii, cauliū, anethi, chamæmel. asparag. melissæ. Mediocrium secundū mentastrum aquaticū, cuminum, stœchas, ammi, satureia, flores schœnanti, spica, absinth. petros. amomum, leuisticum. Tertium denique fortium, vt rubia tinctorum, iuniperus, sabina, nigella, myrrha, pæonia, castorium, cassia lignea, euphorbium, & similia. Quædam insuper sunt simplicia, alia composita: (*vide Plinium, Paulum, Aetium atq; Galen. & Neotericos*) vt sunt trochis. de myrrha, aliiq; pastilli & pulueres dominarum præter alia localia remedia, vt exemplum sequens latius docebit.

Responsio.

10. Per accidens menses prouocantia.

Observatio VII.

De vidua longo tempore menses suppressos habente ex pituitosiore sanguine.

1. Maria Gerardi, vidua Alcmariana, annorum 36. minus quidem pituitosa, cum purgationes menstruas longo tempore non habuisset, in inguine tum coxa valde afficiebatur: cumq; muliercularum tentasset remedia, sed frustra, & dolor in coxa & inguine accresceret, ac metueret apostema, anno 1557. mense Decembri, cum ingenti ex suppressa menstrua purgatione dolore affecta, de nocte me vocauit. Cum feces non deponeret, clysterem libenter iniecissem, sed non admittebat. Balneo igitur aluus soluta *ex pul. hier. ℈ ij. & diag. colocynth. an. gr. iij. mellis crud. ℥ j. & salis parum.* Bis excreuit, ventositatibus emissis, cum iuuamento aliquo, vt referebat. Ad materiæ præparationem hoc apozema descriptum est. ℞ *cort. rad. fœniculi, apii, petros. rad. dictamni albi, valerianæ, an. ℥ ß. agrimoniæ, cassutæ, capill. ven. artemisiæ, florum chamameli. an. m. j. sem. anisi, sileris montani, ammi, fœniculi, an. ʒ j. ß. cicerum rub. p. j. coquantur in aqua communi, pro ℔ j. ß. col. adde syrup. de artemisia. ℥ ij. syrup. de scolopend. de cichor. cum rhab.* (aderat enim obstructio quædam in hepate & liene) *an. ℥ j. misc.* Sumebat mane hora 7. cyathum vnum, & hora 4. pomeridiana. Hæc quarto Decemb. die præscripta fuere. Sexto vero, quod sequitur. ℞ *cassiæ mundatæ ℥ vj. diaphœnici, confectionis hamech. an. ℥ j. aquæ artemisiæ ℥ iij. syr. de artemisia ℥ ß. misce.* Quinquies aluum deposuit, & cœpit dolor mitigari. Deinde & hoc apozema descriptum est. ℞ *rad. fœniculi, ireos, asparagi, an. ℥ ß. rad. cappar. tamarisc. an. ʒ ij. sabinæ, artemisiæ, menthæ, nepitæ, calaminthæ, florum chamameli, centaurii minoris, pulegii, satureiæ, prassii, melissæ, verbenæ, an. m. j. sem. anisi ʒ ij. cumini præparati ʒ j. fiat omnium decoct. in duplici vase in aqua artemis. lilior. albor. & vino Rhenensi. pro ℔ j. ß. arom. cum ℥ ß. cinnamomi, & dulcoretur cum saccharo.* ℞ *sabinæ exsiccatæ ʒ j. ß. caryophyll. nucis moschatæ, ana ℈ j. ligentur in nodulo, & pendeant in dicta decoctione, & exprimatur dum potio sumatur.* Deinde 13. Decemb. ita illam purgaui. ℞ *pilul. de hermod. ʒ ß. pilul. mastich. ℈ j. agar. trochis. ℈ ß. pulu. rhab. gr. iiij. diag. gr. j. fiant pilulæ vij. cum aqua artemisiæ, dentur in diluculo.* Septem sedes inde habuit: deinde extractus est sanguis ad ℥ iiij. in pede dextro ex saphena. Et 17. Decemb. hoc decoctum rursus præscriptum est. ℞ *rad. fœniculi, ireos, rubiæ tinct. an. ℥ ß. melissæ, verbenæ, absinth. florum chamæmeli, chamæpit. sabinæ, maluæ, prassii, an. m. j. sem. fœnugr. anisi. an. ʒ ij. folior. senæ ℥ j. ß. prun. damas. num. ix. ficuum ping. num. iij. coquantur in duplici vase in aqua artemis. & vino Rhenensi, pro ℔ j. saccharo dulcoretur, & cinnamomo condiatur* nodulo sequenti in eadem decoct. pendente. ℞ *trochisc. de myrrha ʒ j.* Bis in die sumebat, aut semel, iuxta medicamenti operationem. Pro dolore inguinis, mane & vesperi inungebatur calide vnguento sequenti. ℞ *olei cheirini, chamamel. anethini, lilior. alb. an. ℥ ß. misce.* Deinde statim instante mensium tempore accepit pul. sequentis ʒ j. cum cyatho vno decoctionis sabinæ & artemisiæ. ℞ *pul. dominarum,* descripti Obser. 6. præcedente. ℈ *ij. trochis. de myrrha. ℈ j. misce.* Sumsit calide, & aperti sunt menses, ac dolor coxæ etiam cessauit, remanente tamen duritie quadam in inguine dextro, & illa parte vteri duritiem adhuc sentiebat. Iussi itaq; vt inungeret sequenti vng. ℞ *olei lilior. alb. cheirini, an. ℥ ß. butyri recentis, olei amygd. dulc. axungiæ gallinæ, pinguedinis vituli, emplastri de meliloto, dialthææ, an. ʒ ij. muccilag. althææ, fœnug. an. ʒ iij. ammoniaci in aceto dissoluti ʒ ij. vng. alabast. olei anethini, chamamel. an. ʒ iij. aliptæ moschatæ ʒ j. pul. sem. dauci, cinnamomi, an. ℈ ij. ß. ceræ q. s. fiat vng. molle.* Et cum menses tardius ac parcius fluerent, præcepi quoq; , vt ex hoc clareto biberet. ℞ *rad. galangæ, rubiæ tinctorum, pæoniæ an. ʒ iij. ca-*

2

3

4

pill. ven. sabinæ, iuæ arthriticæ. an. m. ß. sem. pæoniæ, iuniperi, ammeos, anisi, leuistici, cumini. an. ℥ß. rad. dictamni albi, blattæ bizanziæ, cubeb. cassiæ ligneæ, rasuræ lapidis dactylorum, an. ℈ ij. croci orientalis ℥ß. sem. althææ, lini, fœnugr. an. ℥ j. trochis. de myrrha ℈ j. seminis dauci, iuniperi, an. ℈ ß. bulliant in vini Rhenensis ℔ iij. & sacharo optimo q. s. dulcoretur, & arom. cum ℨ j. cinnamomi select. Capiebat omni mane cyathum vnum, & intensius more consueto, ac largius fluxere: & belle fuit curata. Post hoc tempus reliqui Alcmariam, & Delphensium stipendio decoratus, praxim ibidem exercui, & cum hæc rursus recolligerem, 38. annis reipublicę Delphensium Medicus ac Physicus fueram.

SCHOLIA.

7 Materia pituitosa præparata, & demum expurgata, vt iam diximus, exemplisque iam suprascriptis ostendimus, & vena in talo secta, vel cucurbitulis adhibitis, ea exhibenda sunt medicamenta, quæ menses euocant. Eiusmodi autem sunt, quæ excalfaciunt, non tamen valenter desiccant, vt testatur *Galen. 5. de simpl. medic. facult.* Cuius farinæ sunt (*vt ipse inquit*) *pulegium, calamintha, sabina, anethum, dictamnum, asarum, costus, casia, cinnamomum, aristolochia, iris, & eius generis reliqua.* Hæc enim (*vt refert*) absolutas vteri purgationum retentiones sanant. At *lib. de curandi ratione per venæ sectionem*, menses abunde prouocare asserit nepitam & pulegium, si in melicrato cocto exhibeantur, aut contusa arida, cribroque subtili discreta, ac rursum trita vsque dum pollinem tenuitate referant, & inde in melicrato inspersa. Conuenientissimum autem tempus sumendi est a balneo inuolutis adhuc linteo. Verum hæc eiusdem auctoritate, mitia sunt. His autem violentiora exsistunt sabina & dictamnum, quorum vsus sit antedictis similis, quo etiam tempore medicamentum datur, quod proprie amarum appellatur. Confert namque mulieribus quæ non probe purgantur, *si ℨ j. exhibeatur cum aqua calidæ cyathis tribus*, vt eidem Gal. visum est *2. de compos. med. secundum loc. & lib. de cur. per venæ sectionem.* Duo autem tempora commoda sunt ad talia medicamenta accipienda, *vt refert Aetius*: alterum appropinquante purgationis tempore, alterum, vt post vnctionem fomentaque, ac balneum, statim bibant comedantque cuncta supra a nobis commemorata. Ac insuper conueniunt *decoctiones thymi, rad. asphodeli, corticum rad. mori, mercurialis, carpesiæ, floris iunci odorati, spicæ nardi, ac celticæ, similiter acori in vino albo veteri, quod excolatum calidum exhibeatur*, & quæ supra pro his quæ frigidam temperaturam habent. Probe item facit *opopanicis, sagapeni, myrrhæ, aut castorii, ℨ j. si exhibeatur.* Idem quoque prosunt, *cumini, fœniculi, oreoselini, dauci, ammeos & ciceris decocta*, vt idem auctor refert. Paulus præter hæc helenii rad. decoctum, artemisiæ, saluiæ, absinthii, sem. apii, seseli, approbat, quæ omnia non solum in vino (*vt inquit Aetius*) aut aqua mulsa, *ex Gal. auctoritate*, verum etiam in aqua decoqui possunt, prout magis vel minus mulieres fuerint natura frigidiores. Qua etiam ratione habita, magis vel minus calefacientia medicamenta eligi possunt, tum eorum quæ hic conscripsimus, tum aliorum, quæ ab aliis commemorantur, quorum copia magna est, adeo vt si quis omnia auxilia in hunc vsum commoda recensere velit, ei multo otio opus fuerit, *vt Aetius inquit.* Commendantur *pastilli e myrrha ad ℨ j. cum aqua mulsa, & puluere dominarum de quibus supra egimus.* His adiungenda topica, *vt insessus balnea mineralia, quale in Italia Puteolis repertum*, Syluianæ balneum *appellatum.* Nos artificiale conficiemus, vel hunc insessum, quo Bettus olim in Italia Bononię vtebatur. *℞ saturiæ, sabinæ, artemisiæ, pulegii, rad. aristoloch. rotundæ, ireos, cucumeris asinini, cyclaminis, rutæ, lauri, an. m. ij. coquantur in aqua pro balneo.* Fiunt quoq; suffitus, vt paulo ante dictum est, ex aromatibus, quæ & muliebria ducunt, auctore *Hippoc. lib. 5. aph. 28.* ex cassia lignea, cinnamomo, rubia tinctorum, & gallia moschata, in puluerem redactis & carbonibus inspersis, & fumum per embotum (*vt medice loquar*) suscipientes. Sic fiunt & sacculi ex herbis iam dictis, qui calefacti in latere irrorati, ex pauco vino applicentur, partesque iis circa vterum foueantur. De vnctionibus iam quoq; dictum est. Pessis quoq; vtendum vbi opus est, primo mitioribus, ex anserino seu gallinaceo adipe, saccharo rubeo, & pauco croco, adiectis herbis contusis, mercuriali, ruta, artemisia, vel sabina & pulegio. Si validioribus vtendum, *ex succi mercurial. ℨ iiij. adiect. puluere gentianæ, nigellæ, & calocynthide, vel sumendo myrrham, galbanum, styracem, aristolochiam, rubiam tinctorum, abrotanum, calaminthiam, sabinam, pulegium, resinam terebinthinam*: ac reliqua eiusmodi adiicienda sunt: *eisdem prius contusis, ac linteo serico, aut lineo tenui ad formam digiti humani inuolutis, oleoq; irino aut liliaceo prius infusis, mulieris pudendo immittantur, adeo vt os vteri attingant*, ligentur tamen ad crura vt promtius, vbi opus fuerit, auferri valeant. Plures formulas vide apud Rondeletium *cap. 61. de mensibus retentis.*

Medicamenta quæ menses euocant.

8

Topica.

9

OBSERVATIO VIII.

De muliere vtcumque biliosa, ex bilioso sanguine menses detentos habente.

10 Mulieri annos 28. habenti, vtcumque biliosæ, menstrua purgatio restricta erat, sentiebat circa vterum duritiem quandam cum siccitate ac calore, & dolorem pungentem: coitum valde appetebat, & eo plurimum delectabatur, quamuis non conciperet, ob menses restrictos: erat autem rubra. Hæc quidem signa menstruam purgationem retentam ex sanguine bilioso, seu materia biliosa, notabant. Quare consilium petēdi consuluimus, vt victus ratione vteretur, qualem Scholio Obser. 5. præcedentis conferre diximus. Nã quia non concipiebat eo quod non purgaretur, ideo cibo ac potu humidiore & vberiore humectanda erat. Deinde venam cubiti dextri internam, vt incideret mãdauimus ad vncias tres vel quatuor tantum. Postea hunc syrupum pro materiæ præparatione præscripsimus. *℞ acetosæ simplicis ℥ ij. oxymel. simpl. ℥ j. ß. syr. capill. ven. ℥ j. aquar. cichorii, artemisiæ, buglossi, ana ℥ iij. misce.* Per triduum

dum ieiuna in diluculo bibebat, vna sumendo, ℥ ij. diarod. abb. in tabul. Deinde præscriptū vt hoc leniente medicamento vteretur. ℞ cassiæ recens extractæ ℥ j. aquæ artemisiæ ℥ iij. syrup. viol. ℥ ß. misce. Mox & hoc vel simile apozema. ℞ rad. cichorii, dentis leonis, graminis, fœniculi, petrosel. macerat. in aceto. ana ℥ ß. rad. valerianæ, ℥ j. artemisiæ, chamæd. chamæpit. capill. ven. folior. salicis, cichorii, acetosæ, melissæ, summitatum lupuli. ana m. j. sem. petros. apii, dauci, ana ʒ ij. semin. quar. frig. maior. ana ʒ j. ß. flor. sambuci, trium florum cordial. ana p. j. hordei mundati p. j. vuar. ab arill. repurg. ℥ j. coquantur in aqua communi pro ℔ j. ß. collat. adde syrup. viol. ex succo cichorii, de byzantiis. ana ℥ j. sacchari, ad dulcedinem inducendam, q. s. depuretur, & cum ʒ ij. cinnamomi selecti, & ʒ j. pulu. specierum diarod. abb. iucundiore odore & sapore reddatur. Rursus & hanc purgationem ebibendam proposuimus. ℞ diacathol. ʒ vj. elect. de succo ros. ʒ ij. confect. hamech. ʒ j. syrup. viol. ℥ ß. cum ℥ iij. decocti suprascripti fiat potio in diluculo sumenda. Deinde consuluimus, vt omni mane acciperet cochleat vnum atq; alterum ex syrupo sequenti. ℞ syrup. de artemisia ℥ iij. syrup. viol. syrup. capill. ven. ana ℥ j. misce. Denuo vt ad has pilulas deueniret, præcepi. ℞ pilul. aggreg. ʒ j. cum aqua cichor. fiant pilulæ v. & circa noctis dimidium sumantur. Et post tres dies hoc balneo vel simili, si vellet, lauaretur suali. ℞ artemisiæ, matricariæ, nepitæ, pseudonardi, foliorum lauri, thymi, ana m. vj. folior. cichorii, folior. salicis ana m. ij. folior. maluæ, mercurialis, melissæ, an. m. j. radic. valerianæ ℥ iij. rad. apii, petroselini, fœniculi, ana ℥ ij. flor. sambuci pani. pug. iij. flor. chamæmel. p. j. coquantur in s. q. aqua, & fiat balneum, seu insessus, atque bis sese lauet, mane & vesperi ante pastum, & ponat super pectinem sacculum artemisia repletum: sedeatque in dicto balneo super saccum iis omnibus, quæ decocta sunt plenum. Præcepi autem, vt per tres vel quatuor dies continuaret, & cum ex balneo egrederetur, vt venter inter vmbilicum & pectinem, & pars posterior ex aduerso, tum renum regio sequenti vnguen. inungeretur. ℞ muccaginis althææ, sem. maluæ lini, fœnugræc. extractæ cum aqua maluæ, ana ℥ j. olei amygdal. dulc. medullæ cruris vituli, butyri recentis, axungiæ, gallinæ, anseris, ana ℥ j. ß. adiecta cera fiat vnguent. partesque dictæ calide eo inungantur. Consului quoque, vt eodem tempore sumeret trypheræ magnæ sine opio. ℈ ij. conseruæ flor. cichorii & capill. ven. veri, an. ʒ j. ß. commista cum iure cicerum rubror. ex balneo egressæ exhibeantur. Et quidem cum tempus adesset, quo menses habere solebat, hæc agerentur præcepi, & vt mox die sequenti ex saphenis ambabus incisis altera post alteram, vno die interposito, tantum ℥ ij. sanguinis, vel ad summum tres demitteret. Quibus præsidiis menstrua purgatio, si non subsequeretur, commendabam pessum ex descriptione Aetii lib. 16. cap. 58. quem ad biliosas mulieres valere scripsit, ex elaterio cum carica pingui, aut cyclamine cum vino puratum.

SCHOLIA.

SI ex temperie calida menses supprimantur, aut etiam ex bile, cum non ea ratione lædantur, vt dictum est prius, conceptionis tantum gratia prouocantur. Qualia autem his, quæ ex nuda temperie laborant, conferant, & qualis victus ratio, superius quoque diximus. Eadem etiam conferunt, si bilis in caussa fuerit, vna cum intemperie biliosa. Interea tamen humor biliosus abundans commodis medicamentis purgandus, vt manna, rhab. infuso, syr. ex pluribus infus. ros. viol. & similibus, præcedentibus tamen syrupis etiam quibusdam digerentibus, & decoctis, vt in Obseruat. præcedente ostendimus, quales etiam sunt, viol. ros. e succo cichorii, & boraginis, atque vbi talis quis pluries fuerit exhibitus, purgatio adhibenda, eo humore expurgato; pubi & inguinibus etiam quidam cucurbitulas affigunt, vincula infernis partibus, tum cruribus ac tibiis, adhibent, quæque sanguinem ac vterum alterare possunt medicamenta tum intus suscipiunt, tum foris imponunt. Aetio etiam iubente, balneum etiam laudant aquæ dulcis, & insessum ex herbis iam dictis, malua, viol. althææ foliis, hordeo, chamæmeli floribus, pubem ac inguina vnguentis inungunt, qualia in Obseru. præcedente diximus, vel hoc aut simili. ℞ olei amygd. dulc. & amar. ana ℥ j. olei viol. de cucurbita. ana ℥ ß. adipis anseris, butyri recentis. an. ℥ ß. ladani ʒ ij. fiat vng. Pessi quoq; conficiuntur ex contusis malua & althææ rad. mercuriali, hordeo decocto, saccharo rubeo, adipe anseris, gallinæ, & similibus omnibus contusis, ac simul permixtis, & serico linteo veteri inuolutis: prius tamen antequam immittantur, oleis iam dictis intingūt. Eodem tempore & cremorem sem. 4. frig. maior. cum hordei aqua vna cum corticibus parata, aut aqua capill. ven. vel glycyr. exhibent, tum & pastillos ex iisdem sem. adiectis aliis parum calidioribus. Ista si non sufficiunt, ad ea progrediendum, quæ menses euocant: de quibus, tum etiam aliis topicis medicamentis, superius plusquam satis dictum est.

Si bilis in caussa sit, eiusdem curatio.

OBSERVATIO IX.

De menstrua purgatione retenta ex melancholia.

VIdua quædam ex mariti obitu ita tota mœsta & melancholica euaserat, vt in maniam fere inciderit, adeoque vt sanguis crassus multus melancholicus, ob crassitiem humoris eiusdem, non solum vteri vasa obstruxerit, quo minus menses fluerent, verum etiam in toto corpore abundare cœperit, lienis obstructione accedente: quod & dolor in hypochondrio sinistro perceptus indicabat, maxime quod tempore autumnali ad me consultum veniret, quo videlicet tempore humor ille magis abundare consueuit. Ideo vt recte illam curaremus, præcipimus vt totius vitæ institutio ac victus ratio ad calidum & humidum inclinaret, magis tamen ad humidum: cum & hic humor magis cum sicco, quam frigido participaret. Deinde hanc potionem minoratiuam, ad feces communes expellendas, quę & vterum quoq; respiceret, præscripsi. ℞ cassiæ recens tractæ ℥ j. confectionis hamech ʒ ij. cum ℥ iij. aquæ artemisiæ. syr. de pomis ℥ ß. fiat potio. Deinde cum animaduerterem sanguinem melancholicū illum in toto abūdare, etiam splene obstructo, in cubito sinistro ex vena

lienari iussi, vt vnciæ quinque sanguinis, vel paulo plus, extraherentur: qui sanguis valde crassus & niger erat. Deinde materiam ipsam præparaui decocto sequenti. ℞ *fumariæ, summitatum lupulorum, melissæ, artemisiæ, borag. bugloss. ceterach. chamapit. chamæd. capill. ven. polytrichi, ana m. j. radic. cappar. tamarisci, ana ℥ ß. vuar. passul. ab arill. repurg. ℥ j. florum cordial. p. j. polipodii quercini ℥ j. epithymi ℥ ß. glycyrr. ras. ʒ iij. sem. fœnic. petros. ana ʒ j. semin. citri ʒ ß. fiat omnium decoct. in aqua commun. pro ℔ j. ß. colat. adde syrup. de pomis, de epithymo, de pugloss. ana ℥ j. syrup. de byzantiis cum aceto ℥ ß. misce.* Bis in die ex eo sumat, mane in diluculo, & hora quarta pomeridiana. ℞ *diamoschi dul. ʒ j. capiat ʒ iij. cum decoct. iam dicto.* Si mulieres simul laborant morbo vterino, a diamoscho abstinendum. Deinde vt hanc purgationem sumeret iussi. ℞ *diacatholici ʒ vj. confectionis hamech ʒ iij. ß. syrup. de bugloss. ℥ ß. dissolue cum ℥ iij. decocti communis adiectis epithymi ʒ j. ß. folliculis, senæ ʒ ij. fiat potio, sumatur hora matutina.* De subsequenti a purgatione dedi ʒ j. *theriacæ cum vino Rhenano exiguo.* Mox descriptis iisdem balneis, biliosis conuenientibus, & vnguentis iam supradictis, etiam adhibitis prius frictionibus, vinculis, ligaturis dolorificis in extremitatibus inferioribus, vt tali quoque venam in pede sinistro aperiret præcepimus, at pauco extracto sanguine adhibitis præterea etiam potionibus menses cientibus, cum puluere aliquo dominarum: de quibus in præcedentibus Scholiis tum Obseruationibus egimus: Istis si nondum menses fluerent, consuluimus, vt & cucurbitulas quoque fœminibus & poplitibus cum scarificatu affigeret, & metenchryta vteretur ex decocto balnei suprascripti in vterum iniecta, hoc etiam pesso. ℞ *tryphera magna sine opio. ʒ j. myrrhæ ʒ ij. galbani, ammoniaci, ana ʒ j. excipiantur succo parietariæ vel mercurialis, aut artemisiæ, fingaturq; pessus ex panno lineo raro, qui filo coxa alligatus demittatur in vterum.* Talis enim vtilis est non solum retentis mensibus a melancholia, sed & a bile.

SCHOLIA.

4 *Si melancholia aut atra bilis redundarit curatio.*

SI menstrua purgatio ex melancholico succo retineatur, prout melancholia naturalis, vel magis adusta sit, ea erit purganda. Præparato itaque prius humore peccante *pluries assumto syrup. de pomis de succo borag. aut fumariæ, aut etiam de epithymo,* deueniendum demum *ad epithymi ac senæ decoctum, in quo misceatur ℥ j. cassiæ fistulæ, vel ʒ vj. vel plures electuarii leuitiui, vel ʒ vij. diacatholici, aut ʒ iij. confect. hamech.* Nec etiam iuxta quosdam, *inconuenit ʒ j. agarici in prædicto decocto adiicere.* Vel prius dentur *oxymelitis simplicis ℥ ij. syrup. acetos. de rad. ana ℥ j. aqua aspargi florum sambuci, pimpinell. an. ℥ ij. pro ij. vicibus, cinnamomo adiecto, pro sapore delectabiliori: repetatur donec materia digesta sit.* Purgetur deinde vt supra. Quidam in purgationibus infundunt myrabolanos: sed quia stypticitatem relinquunt, præstat mea sententia superioribus vti, vel etiam *syrup. ex infus. ros. cum foliis senæ, quo & ego vtor.* Humor expurgato possemus & congruo tempore venam in malleolis incidere: potissimum vbi graciliores ac nigriores mulieres fuerint, ac magis si magnas habere venas appareat. Hæ enim crassiorem sanguinem, ac magis melancholicum colligunt, vt liquet apud *Galen. de curat. per venæ sectionem.* Post hæc medicamenta, quæ detentos menses euocant, topica adhibenda erunt, de quibus in præcedentibus plus satis, vt non opus sit ea rursus repetere. Quod si diminute fluant, easdem caussas habent cum retentione, sed imbecilliores aut pauciores. Proin eadem postulant, sed remissiora, remedia, & clementiora: de quibus quoq; supra dictum est. Sic Iusta Teylingia, cognata mea, apud me habitans, valde venusta, cum in minuta quantitate purgationes consuetas haberet, & circa præcordia doleret, appetitu deiecto, tanquam hypochondriaco malo affecta, præsumtis pilulis mastichinis, eo tempore cum menses fluerent hoc decocto largius fluxere, quo factum est, vt bene deinde haberet. ℞ *artemisiæ, melissæ, flor. chamamel. an. m. j. infundantur per noctem in ℔ j. vini Rhenani, facta prius leui ebull. addendo cinnamomi & sacchari q. s. pro sapore, claretum fiebat.* Altera lunatione addidi aliquid pulegii, & belle deinde habuit. At filia Gertrudis, in caruo nigro Delphis, 18. annorũ, cũm motus epilepticos aliquando pateretur ex mẽstruis suppressis, quæ ijs eidẽ nunquã fluxerant, aperta vena circa malleolũ, & purgatione debite adhibita, aliisq; remediis aptis, licet melius habere videretur, nõdũ tamen menstruæ purgationes procedebant. Quare consului, vt ex hoc decocto quinq; cochlearia omni vespere sumeret, etiam mane. ℞ *sabinæ, cardui benedicti, borag. buglossæ, rutæ, abrotani, absinthii communis. an. m. j. fiat decoctio in vino Rhenensi.* Hoc remedio tandem menses aperti sunt, nec amplius passa motus epilepticos, probe conualuit. Vtebatur vero quotidie hoc solo remedio ad 3. menses vel 4. Verũ cũ sæpe tonsillas inflãmatas haberet, imperaui, ne cõtinuo, sed potius per interualla, hoc remedio supradicto satis calido vteretur, & vt idem apozema decoqueret non in vino, sed in ceruisia communi. Quæ deinde bona valetudine vsa, post aliquot annos nupta, nunc mater multarũ proliũ est. Verũ his absolutis, nunc tempestinũ erit, vt ad immodicas vteri purgationes curãdas accedam⁹, ab obseruatione, more solito, initium sumentes.

OBSERVATIO X.

De muliere ex longo mensium profluuio laborante.

CVm ex Italia reuersus, Parisiis aliquot mensibus medicinam facerẽ, antequam Pithureas accederem, mulier quædam quatuor mensibus in lecto detenta, continuo menstruo profluuio ad Pontem diui Michaelis laborabat. Sicuti Clinicus Medicus, qui curat medicamentis, dictus a lectis ægrotantium, quos frequenter frequentare solet, quasi lectularius: (*sic filiam Clinici, id est, Medici Martialis appellat.*) Ita & Clinici dicuntur, qui tantopere morbo affecti sunt, vt surgere e lecto non possint. Sic Petronella Clinica apud diuum Petrum dicta, cum probato decumberet, quem Græci κλίνη vocant. Hoc modo & hæc mulier ex lecto

lecto surgere nō potuit. Ad hanc ab hospita mea, cuius affinis erat, deductus præscripsi victus rationem conuenientem, quę restauraret, & simul alia, quæ ad menses sistendos facerent. Turturē quoque accepi moderate pinguem, ab intestinis & fecibus repurgatum, eum deplumatum lauari iussi in vino rubro constringente & aqua ros. Deinde vnciam vnam mastiches in vētre ponebam ac assuebam ne elabi posset, atq; ita veru ad ignem rotabam, & inter assandum, loco butyri, aceto rosaceo aspergebam, pinguedinemq; ex eo defluentē colligebam, & vsui reseruabam. Post perfectā assationem, turturem ab igne ac veru depositum, in ollam nouam vitreatam conijciebam, luto philosophico obthuratam, & in furnū calidum demittendo, vt turtur perfecte exsiccari posset, vna cū ossib. & carne in pollinē tenuissimum redigebam. Huius pulueris magno cōmodo dabam omni mane cochlear vnum, modo cum aqua plantaginis, modo cum alio decocto constringente: & pinguedine reseruata inter rotādum exstillata, imum ventrem, tum pectinem, inguina, & regionem renum quotidie vt inungerent, mandaui. Erat hoc vnum ex arcanis præceptoris mei Elidei, apud Bononienses practici clarissimi. Puluere hoc eum vti vidi felicissime in multis matronis nobilibus, omnem enim diarrhœam sanat, ventris diuturna profluuia, omnemq; humiditatem consumit, album tum rubrum fluxum mensium restringit, sedat matricis dolorem. Venit & tunc mihi in mentem illius mulieris Romanæ, quæ in Nosocomio Mariæ consolationis longo tempore ex eodem malo decubuerat: nec sanari potuerat, donec tandem, consilio vetulæ, *nouem vicibus ℥j. pul. ossium humanorum ex vino rubo assumta*, sanata est. Id medicamentum a Cornelio Roterodamo Medico habui, qui ante me Romæ huic Nosocomio, quod apud Capitolium situm, inseruierat. Post hunc enim ipse Romam veni, & eodem præceptore, nempe Gisberto Horstio, huius Nosocomii protomedico, familiariter vsus sum.

Scholia.

NVnc de immodico fluxu menstruorū dicturi sumus. Proprius hic quoque vteri affectus est, sicut recentio, de qua paulo ante egimus: quæ quidem affectiones, caussæ etiam multarum aliarum affectionum exsistunt. Moderati sunt menses in omni muliere si sana sit, vt duarum heminarum Atticarum mensura (*vt antea quoq; diximus*) secedant, aut paulo plures, vel pauciores, atq; hoc ad duos aut tres dies, *Hipp. auctore lib. de morbis muliebribus*: longius autem tempus, vel breuius morbosum & sterile est. Albis & mollibus mulieribus, quod multus tenuisque sanguis in eis colligatur, diutius permanent (*quod ad ætatem & dies attinet*) nigris vero, duris, ac gracilibus contrarium euenit, *ex Gal. senten. 6. de morb. vulg.* Cum itaque solito sunt menses plures ac copiosiores, tunc nimiam eorum purgationem appellamus, Græci περικάθαρσιν αἱμορραγίαν ὑστέρας vocant. Profluunt vero immoderate menses, modo quidem vno impetu plurimo sanguine euacuato: nunc vero sensim profluente, sed diutius quam oportet, nec tempore menstruo obseruato. Vtrumque enim fieri videtur. Sed & in partu modum aliquādo purgatio excedit, quæ secundum naturam fiebat. Tunc vero menses immodice profluere dicimus, quando sanguis profluit. Si enim alii sint humores a sanguine, alias habent appellationes, vt vteri fluores: qui quidem etiam colorum diuersitate euariant, vt modo albi sint, modo virides, modo tenuem saniem serosam referentes, nunc pituitam: de quibus postea, nunc de immoderato sanguinis profluuio per vterum agimus. Id trifariam fieri volunt, vel collatione habita ad priores circuitus, ita vt sanguis copiosior, quam consueuerit, & per plures dies prodeat, vel a partu, vel etiam abortu, ad quos plurimus sanguis insequatur: quanquam in hoc veluti & in reliquis naturalib. excretionibus non quantitas duntaxat pro scopo proponenda est, vel qualitas, aut genus substantiæ, *vt lib. de differ. sympt. ca. vlt. scriptum est.* sed si tempestiue, vel intempestiue fiant, ad animalis commodum, vel incommodum. Quapropter tunc nimiā vel immodicā dicemus (*vt & Donatus annotauit*) proprie mensiū purgationē, cū ea amplius non tempestiue, neq; ad animalis commodum fiat, sed potius intempestiue, & noxa ac nocumentum ex ea mulieribus consequatur. Nam quandoq; plus iusto purgabuntur absq; earū læsione, propter longā desidiam, & victū liberaliorē. Tamen si vltra modum fluat in partu, abortu, vel sine his, collatione habita ad priores circuitus, vt diximus, etiam lædit. Et sic menses dicentur quoq; redundantes, quando purgatio naturalem modum excedit, & euacuatur multus & optimus sanguis, vel post abortum, vel post partum naturalē, vel post vsum medicamentorū aperientium orificia venarum, & post pessaria acria & corrodētia, & alias caussas, (*de quibus postea*) quæ sanguinē mouere possunt. Ita & Fernelius: Immoderate autem, inquit, mensium purgatio vltra naturæ vitæq; modū est, qua aut copiosior sanguis, quā pro multitudine, aut diutius profluit, aut crebrior, aut non stato circuitu redit. Quod vero in hac affectione vterus oblæsus sit, nemini in dubium venit. Nam mittuntur in venas, quæ vtero committuntur menses, (*vt prius de retentione mensium dictū est*) tanquam ad omnium infirmissimas partes, qui eisdem mulieribus valentibus exsistentibus, antequam concipiant, salubres fiūt purgationes. Qua de re si immodice profluant, ipsum vterum affectum esse indicabunt, aut per se solum, vel simul cum toto corpore, vel aliquibus partib. eius. Affectus vero symptoma est in genere excretorū immodice, non tamen toto genere præter naturam, veluti reliqua sanguinis profluuia. Nam præter eam quæ mulieribus per vterum erumpit, ceteræ sanguinis plusculæ vacuationes toto genere præter naturam sunt: illæ vero sola multitudine seu quantitate, vt liquet *ex Gal. 3. de caus. sympt.* Fernelius duas differentias constituit, *immoderatam*, vel *crebriorem purgationem, illam* ἄμετρον κένωσιν τῶν καταμηνίων, *hanc* ἄτακτον καὶ συχνοτέραν κάθαρσιν: Alii

Quid per immodicam mensium purgationem intelligendum sit.

Pars quæ afficitur.

Quis præter naturam affectus sit mensium profluuium.

Profluuium mensium duobus modis euenire potest.

Differentia. alium constituunt naturalem commodam & vtilem, etiamsi consueta purgatione sit maior, ob cibum & potum largiorem, sed quia non lædit, ideo neque restringendam: Aliam vero superfluam & lædentem. Atque hæc rursus iis diuturna, aut recens, ante periodum veniens, vel diutius durans, vires deiiciens, vel post euacuationes, sanguinis narium fluxum, aut hæmorrhoides, superueniens, magisq; debilitans, vel sine vlla harum ægritudinem præcedente. Alia quoq; differentia ex parte sanguinis: qui vel purus laudabilis, niger, feculentus, fuscus, albus, aut citrinus exsistit: & ex parte substantiæ crassus, viscosus, subtilis, liquidus, mediocris, aut coagulatus. Hæc sane atq; alia ad curationem prosunt, vti & caussæ ipsæ, quæ licet variæ esse possint, sunt tamen eiusdem generis cum sanguinis mictu & reliquis sanguis profluuiis. Erit enim Anastomosis dicta, cum maiora vasa aperiuntur, vel Diapedesis, cum minora: vel Diæresis, cum soluitur continuum. Ita & Galen. *Fluit sanguis e venis* (inquit) *ob earum corrosionem, vel propter osculorum apertionem, aut resudationem: diapedesin vocant.* Anastomosis easdem habet caussas, quas & per naturam habet: nempe expultricem vim proritatam. At proritatur molestia quanti, vel qualis. Sed in eo, quod præter naturam, non solet sola quantitas vrgere, vt Iacchinus quoque dicebat, at maxime qualitas, salsa, nitrosa, acris. Huiusmodi enim sanguinem vitiosum aliquæ naturæ congregant, *vt in libro de atra bile,* Galenus scribit, & experientia monstratur, cum sanguis venæ sectione extrahitur. Sic ergo gracilibus & biliosis mulieribus fieri aliquando istas fluxiones videmus, sic & in partu eueniunt. Quod si dicas, *Si vitio vel quantitate irritatur natura, debuit igitur cum primum purgatum est vitium, aut imminuta quantitas, sponte sua sisti: quod si fieret, nihil haberet præter naturam, vel morbosum, sed vtile: purgante scilicet natura excrementa, vnde cacochymum corpus reddi posset, & tollente multitudinem, vnde mala multa eueniunt: Cur est ergo vt superfluat*: Respondet Iacchinus: *Vt in superpurgatione vel superpurgantibus contingit, vt irritata natura non pellat modo excrementa propriorum humorum, quæ a medicamento trahuntur, sed præterea & vtilia simul: sic & hic euenit, vt incipiat quidem expurgare inutile, sed ex proritatione quasi furibunda opere expellendi excedat.* Sic igitur naturale opus symptoma euadit. Quod si Anastomosis a caussa procatarctica fiat, vt a medicamento venarum ora reserante, non veniet hic fluxus ad immoderationem talem. Poterit tamen & hæc caussa addi, quasi profluuium præter naturam faciat, id est, extra tempus & ordinem naturæ, & medicamentis egebit apertionem corrigentibus. Diapedesis vero fit ex apertis minoribus vasis, vnde resudare sanguis dicitur, id est, sensim stillare, non, vt in anastomosi, confertim. Accidit & incontinentia, vnde facile eæ venæ onerantur, & repleri respuunt: sed sensim remittunt, nec continent. Accidit & ipsius sanguinis tenuitate, ob quam resudat ab venarum osculis. In diæresi, vel in solutione continui, caussa est prima procatarctica, vt venas disrumpens, seu dilacerans, quod in partu difficile solet euenire. Fit & ex corporea caussa excedente, vt ex vlcere, & erosione vel arrosione. Arrosio venæ fit nonnunquam per pessaria acria, vel alia medicamenta caustica & acria, quæ vlcerationem aut excoriationem excitauerant: non deprehendetur, si antea vsæ fuerint acerrimis medicamentis. Fit aliquando & atrosio a caussa interna, a bile quoque aut sanguine acri, aut pituita salsa. Eroduntur denique a succo vitioso & mordaci, sanguine corrupto, aut aliis humoribus misto. Rumpuntur sanguinis copia, aut onere aliquo leuato, a fœtu grandiore, partu difficili, aut abortu. Vasa vulnerantur imperita manu obstetricis, aut chirurgi fœtum mortuum extrahentis. Contunduntur sæpe percussione & casu. Referuntur hæc ipsa ad caussas externas quoq; aut internas. Externæ vero sunt, *seu primitiuæ, dictæ, vt percussio casus, obuiatio rei duræ, vulnus, cursus, saltus, chorea longa ac violenta.* Ita Dominæ cuidam apud Valescum, ex pedestri itinere, venæ ruptę fuere, nec potuit restringi fluxus menstruorum, vt inde mortua fuerit. Huc referuntur vsus diuturnior ciborum acrium, aromatum, vini albi, & medicamentorum, ac omnium eorum, quæ sanguinem tenuiorem gignunt. Caussæ internæ seu antecedentes, vt *locorum calor exuberans, sanguinis redundantia, facultas expultrix valens, retentrice imbecilla, vteri intemperies sanguinea, humores acres, subtiles, salsi, biliosi, sanguisque subtilis, humorum abundantia, partus ineptus, multitudo aut fœtus magnitudo, exitus inconueniens, vteri apostema, vlcus.* Gordonius ad tres caussas eas refert, ad *virtutem, membra, humores.* Vt virtus expulsiua fortis, contentiua debilis, membrum rarum, molle, laxum, latum, apertum: humores quantitate vel qualitate, *calidus, subtilis, acutus, salsus, mordax, putridus, venenosus, aquosus, frigidus.* Hæc & similia exemplis subsequentibus illustriora fient: cum caussæ variæ varias curationes quoque postulent.

Marginalia: 8 — *Caussa.* — 9 — *Anastomosis.* — *Obiectio.* — *Solutio Iacchini.* — 10. — *Diapedesis.* — *Diæresis.* — 11. — *Arrosio.* — *Ruptio.* — 12 — *Caussæ externæ.* — *Caussæ internæ.*

OBSERVATIO XI.

De superfluo mensium profluuio, cum insigni virtutis debilitate.

CORnelia Ioannis mulier, si quæ altera, pulcerrima, cum duobus mensibus integris continuo superflua mensiū purgatione laborasset, admodum debilis euasit: ita vt ex virtutis debilitate hunc fluxum fieri coniectarem. Hęc erat prius rubicunda facie, nunc ob fluxum pallidi & mali erat coloris hepate quoq; debili existente, pigra erat, & parum aut nihil remittebatur fluxus: nam etsi ex debilitate contentiuæ virtutis guttatim quidē & paulatim inordinate flueret, tamen quod id incessanter fieret, macilenta plurimū euasit, verum inter exeundum ardorem nullum vel puncturā, aut dolorem, aut aliquam adustionē percipiebat. Hæc cum animaduertissem, & cum ad eam, annum 39. agentem, Alcmariæ in via Prætoria dicta, anno 1549. mense Octobri accessissem, quod ex virtute debili contentiua hunc fluxum pateretur, omnibus modis studui hunc fluxum constringere,

Marginal: 1

stringere, præscribendo confectionem hanc in rotulis: ℞. *trochisc. de carabe ℈ ij. flor. ros. rub. exsiccat. balaust. seminis myrtill. plantag. sem. sanguinariæ nostræ vulgaris, ana ℈ ß. pulu. marg. perforat. & non perfor. fragmentorum omnium lapidum preciosor. ana gr. iij. redigantur omnia in pollinem, & dissoluantur cum aqua menthæ, ros. q. s. adiecto sacch. fiat confectio in rotulis ponderantibus ʒ ij.* Iis vtebatur bis aut ter in die, supersorbendo cochlear vnum ex syrup infrascriptis. ℞. *syrup. myrtini, cotoneorum, rob de ribes, ana ʒ ij. syrup. menthacei ʒ j. misce. pectine, inguinibus & regione renum inunctis cum oleis mox sequentibus.* Aliquo modo restringebatur fluxus. Verum cum aliquãdo quasi sanguis congelatus & thrumbosus exiret, has tabulas denuo præscripsimus. ℞. *sem. agni casti, sem. coriandri præparati, ana ℈ j. trochisc. de carabe, cinnamomi optimi* (ob sanguinem trumbosum) *nucis muschatæ, an. ℈ ß. in pollinem redacta, & in decoct. aquæ plant. & melissæ soluta q. s. adiecto saccharo fiat confectio in tabulis, vt artis est*, qua ad libitum vtebatur. Verum cum profluuium magis vrgeret, hoc sequens conditum præscripsimus: ℞. *conser. ros. antiquæ ʒ iij. pul. ros. rub. carabes* (dicitur enim sanguinem dissoluere & constringere) *trochisc. de spodio cum sem. acetosæ, ana ʒ j cum syrup. myrtino q. s. fiat conditum.* Capiebat ad magnitudinem castaneæ ter quaterue, vel pluries in die. Si aluum non redderet, glande sola irritabamus, & hoc ceratum supra ventrem inferiorem apposuimus. ℞. *vnguent. comitissæ ʒ ß. vel ʒ j mastiches ros. rubrar. exsicc. acac. balaust. coralli rub. cornu cerui vsti, ana ʒ j. in puluerem redacta cum oleo ros. q. s. & cera, ac parum ladani, simul vniantur, & fiat ceratum secundum artem supra corium, seu alutam, vt vocant: & supra ventrem inferiorem, tum dorso, applicetur, iis prius inunctis cum vnguet. comitissæ.* Fiat in duplici forma, vna pro ventre inferiore, altera pro dorso, ac renibus. Verum omnibus istis supradictis menses non sunt restricti, & quia plus æquo fluerent, & metus esset de syncope ac morte. id quod sequitur, dedi vnica vice & vnico haustu cum vino rubro styptico. ℞. *boli armen. veræ ℈ ij. trochisc. de terra sigillata ℈ ß. pul. carabes lapid. hæmatitid. fragmentorum omnium lapidum pretiosor. ana* gran. *iij. redigantur in pollinem: & cum sumsisset menstrua purgatio cessauit.* At paucis diebus aluus restricta manebat; vnde etiam dolor capitis aliquantulum cum vigilia eandem infestabat. Sed *sumto diapruno simplici in bolo ad ʒ vj. tantum, pauco saccharo adiecto, aluum bis deposuit.* Fronti epithema admouit ex *aquæ plantag. ʒ ij. aquæ flor. chamamel. ros. ana ʒ j. aceti parum & olei ros. deinde inunxit vnguento alabastrino:* & pro vigiliis & siti cepit ex mixtura sequenti. ℞. *syr. viol. pap. ana ʒ ij. syr. de succo acetosæ ʒ j. rob de ribes, & ex manu Christi perlata* (vt vocant) *pro virium roboratione.* Ita hæc accidentia omnia cessarunt, & mensibus non amplius fluentibus, hæc, Dei optimi nutu, sanata est.

2

3

SCHOLIA.

4

NOn solum caussę diligenter sunt perscrutandæ, sed & signa ipsa, antequam curationem recte incipiamus. Ita exemplo præcedente ostendimus, cum fluxus hic esset sine dolore ex virtute contentrice imbecilla, vnde, cum diu durasset hęc purgatio menstrua, statim illam restringere oportebat. Sed quod ad signa attinet, cum illa varia quoque sint, præsagientia inprimis perlustranda, quæ ad præuisionem & imminentem affectum quoque vtilia sunt: atq; hoc generale & proprium habent, quod caussæ primitiuæ, seu procatarcticæ dictæ, plures, vel saltem aliquæ præcedant: ita mulieribus choreas ducentibus tempore mensiũ, prædicere poterimus superfluam purgationem subsequuturam. Sic iuuenculis impraegnatis vix 14. annum excedentibus, ex partu difficili, aut fœtu maiore, vel abortu, ruptis cotylidonibus, fluxus maior subsequi solet: & his quibus vrina nigrior apparet in multa quantitate, cum sedimine nigro, menses mox fluxuri sunt. Sic istis diebus in vxore ceruisiarii, cum talis vrina appareret, & circa pectinem valde doleret, abortum futurũ prædixi, & quod magnus fluxus consequeretur: vti euenit: quamuis hæc ipsa a nobis curata fuit. Quantum ad signa demonstratiua, licet hæc ex relatu mulieris cognoscantur; statim etiam laboranti, ex *1. lib. Cleopatræ & Mosch.* sequitur lassitudo corporis, & tenuitas, fœdus pallidusq; color & fastidium, &, iuxta Syluium, pedum mollis tumor, virium corporis prostratio, coctio vitiata, & ciborũ cupiditas; atque in totum omnia quotquot immoderatam sanguinis euacuationem, siue ex hæmorrhoide, siue alio quopiam sanguinis fluore eueniente, sequi cõsueuerunt; vt hydrops & conuulsio, qualia & Galenus ait fœminas infestare accidentia. *lib. 6. de loc. affect. cap. 5. & 2. De facultat. natur.* Alii addunt, adesse & dolorem pectinis, vel subsequi, ancharum quoque, & grauedinem crurum & coxarum. Vt autem rite (*quod præcipuum est*) diuersæ caussę huius immodicę excretionis inuestigentur, primum consideranda est erumpentis sanguinis multitudo & delationis modus. Ex his namque perdisces, num ex vasorum ruptura, reseratione, aut erosione fiat. Nam amplioribus vasis ruptis aut apertis, magna sanguinis copia cõfertim profluit: minoribus vero, vice versa, vt inquit Aetius. Ita anastomosis copia exitus confertim facti: & eo magis, si in corpore affectus præcesserint, cacochymiæ soboles. Idem coniiciendum, si signa cacochymi sanguinis adsunt, vel morbus præcesserit, qui per crisin sic finiatur: quamquam de profluuio dictum est de febr. sæpius. Si enim critica illa purgatio fuerit, modo non sit superflua, vt ibidem sæpius diximus, non est inutilis, nec constringenda. Ex his iam dictis scimus, si cum copia & confertim fertur, certo anastomosin esse. In diapedesi vero sensim excernitur sine dolore, & sanguis tenuis ac dilutus est. Ab erosione factus fluxus dolorem habet adiunctum, virusque & sanies vna emittuntur. Fit hoc vel circa ceruicem, vel in ipsa vteri cauitate. Iam quoque si ea, quæ præcesserunt, consideres, num ex ruptura, vel apertione vasorum sanguis profluat? promte perdisces. Nam eis disruptis, aut

Signa præsagientia.

5

Signa demonstratiua.

6

Quæ animaduertenda sunt pro caussarum cognitione.

Signa, si fit ex anastomosi.

Si ex diapedesi.

Ab erosione.

A diruptione vel apertione signa.

vehemens frigus, aut vehemens motus, vel sanguinis abundantia præcessit; vt nunc diximus: aderitque interim aliquis dolor. Apertionem autem eorum non frigidæ, sed e contrario calidæ dispositiones præcedunt; veluti si multis, eisdemque calidis balneis mulier vsa fuerit, atque terram seu regionem inhabitet calidam, fueritq; antecedens tempus eiusmodi; similiter quoq; alimenta, & potiones; nullusque dolor aderit. Ab erosione si sanguinis profluuium prodeat, dignosces ex supradictis; quod non cōfertim quoq;, sed modicus ac paulatim, & cum maximo dolore defertur, *Aetio quoque teste lib. 16. cap. 64.* Quod si erosionis caussa redundantes in toto corpore vitiosi succi fuerint, biliosi, inquam, aut pituitosi salsi; tum ex reliquis eorundem humorum propriis indiciis, tum etiam ex colore eiusdem, qui profluit sanguinis mēstrui percipies, iuxta Hippoc. sententiam lib. de morbis muliebribus. Ita ex parte materiæ: nam si sit fluxus sanguineus, vel sanguis in toto corpore prædominetur, totius habitus erit carnosus, eritque mulier rubicunda, nequaquam male colorata; nec ita debilitabitur; vrina erit quoque rubra & crassa: præcessit otium, vita quieta, vsusq; ciborum sanguinem multiplicantium. Talis nō est restringendus, nisi abundet. Si a putrefactione, sanguis fluēs erit corruptus, mali coloris, fœtidus, & subinde exiens cum punctione & dolore. Ex sanguine bilioso maiorē ardorem, dum exit, sentiet mulier in labiis vuluæ, eritque ea ipsa macilenta, citrina, & plurimum debilitatur; vrina vero est subtilis, citrina: vsus aromatum præcessit, *synapis, allii, piperis, cibi quoque ac medicamenta acria*, labor quoque tum exercitia vehementia præcesserunt: in exitu sentitur caliditas, ardor; & velociter emanat, at in parua quantitate: sitibunda erit, & labia ob calorem quandoq; findentur. Si sit sanguis pituitosus, mulier quoque pituitosa erit, & humidæ habitudinis, mollis, pallida, male digerit, & ventriculus humiditate superflua abundat, & omnia illa adsunt, quæ pituitam notāt & eam adaugent. Ex colore sanguinis, vt ex Hippoc. paulo ante diximus, etiam notæ habentur. Sic panni linei intincti sanguine, & demum exsiccati in vmbra, ex quo humore fiat, nobis declarant, *etiam teste Rhase ac aliis Medicis.* Albus pituitosum, citrinus biliosum, liuidus melancholicū, purus sanguineum. Ex parte membri: Si a ruptura venarū vteri, multus est & subito eueniens: ex ꝓfundo niger. Quod quidem verum si a materia adusta: tunc enim denigratur: minus niger magis profundatur in matrice, idq; ob corrosionem: vbi corrosio diuturna, etiam fœtet. At si arteriæ corrodantur, subtilior est, & clarior, & calidior, exiens cum maiori impetu, & minore interuallo, quam ex venis. Fit autem magis trumbosus ob calorem, perueniens ad partes frigidiores. Si arrosio sit in collo, tactu percipitur sæpe. Si sit ex corrosione venarum vteri, paulatim cum dolore exit. Caussæ vero externæ & primitiuæ facile habentur ex relatu ægri, si casus, saltus, & alia præcesserint. Internæ vero, vt iam constat ex iis quæ diximus, diligentiori animaduersione egent. Si sit ex virtute forti in toto repletionis signa aderunt, totiusque corporis aggrauatio: talis fere criticus est. Si vero ex debilitate virtutis, ea aderunt, quæ *in Obseruat. præcedente diximus.* At qualis sit materia & humor ex prædominio, diligentiore examine, tum ex colore, *vt nunc paulo ante recensuimus* inuenietur. Siue autem in collo, siue in profundo vteri hæreat malum, ex dolore etiam percipietur. Hæc omnia ad curationem faciunt. Quod & exempla adhuc dicenda manifestabunt. Sed antequam ad prognostica signa serio veniamus, exemplum hic de muliere interseremus, quæ ex abortu purgatione nimia subito syncopen incurrens, non diu post mortua est.

[Margin: 7; Signa erosionis quomodo cognoscantur.; Signa ex materia desumta.; 8; Signa ex parte coloris.; 9; Ex parte membri.; Caussa externa facile cognoscūtur.; 10; Caussa interna difficilius cognoscuntur.]

Observatio XII.

De ingenti ac lethali menstrua purgatione ex abortu.

QVod ex abortu mulieres maxime periclitentur hoc nimio profluuio, in caussa est, quod abortus violenter separat chorion membranam a venarum osculis, & abrumpit. Itaq; eadem caussa, quæ violenter agit, etiam impetum facit in pellendo sanguinem: quia vero violenter separat, ora aperit vasorum, vnde sanguis cum tanto impetu fluit, vt statim vires dissoluat. Ita euenit mulieri in parte septentrionali prope ædem diui Georgii Delphis, cui ex aborsu adeo subsequebatur sanguinis menstrui purgatio, vt in syncopen incideret: a qua licet nostra industria euaserit; subsequēte tamen febre, remediis, & ad fluxum aptis, nullo modo inhiberi aut sanari potuit, vt tandem, viribus deficientibus, occubuerit. Aliæ nihilominus non paucæ, simili malo laborantes, a nobis curatæ fuerunt.

[Margin: 1]

Scholia.

TAles quidem fere omnes cum difficultate curantur: quamuis multas etiam post aborsum curatas vidimus. Ideo qualiscunque fuerit menstruæ purgationis immodica vacuatio, haudquaquam spernenda est. Nam etiamsi subito non moriantur, tamen nonnullæ, cum vteri nimio sanguinis profluuio laborarunt, hydropem accersiuerunt, vt antea quoque diximus, *Galeno auctore 2. De naturali facult.* Id quod etiam timendum diximus in omni menstruæ purgationis cessatione, vt idem inquit, cum vtrumque ad extremam frigiditatem mulierem ducat. Quæ vero mensium profluuia grādiores partus consequuntur, haud ita periculum minantur; quinimo etiam plerumque sua sponte cessant, *vt inquit Paulus, cap. 62. lib. 3.* At si abortiui fœtus caussa fiant, repentinum plerumque periculum inducunt, *vt liquet tum ex Aetio quam Paulo.* Vti & in hac euenit. Verum ex quacunq; tandem caussa fiat mensium profluuium, vbi fuerit immodicum, animi deliquium minatur & syncopen, *vt patet 1. de art. ad Glauc.* Quare etiam quamuis naturalem partum consequatur, mortem infert nonnunquam, velut in reliquis accidit immoderatis sanguinis profusionibus. Magna quoque cum difficultate curatur; præsertim si ab vlcere, & si diuturnum fit proflu-

[Margin: 2; Signa prognostica.]

profluuium: quamuis & nos tales aliquando etiam curatas vidimus. Sed & illud quoque aduertendum, quod Hippocrates ait: *Si prægnanti fluunt menses, non posse fœtum sanum esse*: hoc enim Galenus *6. de loc. affect.* verificat: *si multus effluat ex venis vteri.* Solutis enim acetabulis id fieri necesse est. Sed euenit aliquando ex venis ceruicis, idque exiguum; vnde nihil nocet: quemadmodum contigit nobilissimæ Matronæ Schoonhoniæ vxori Domini Cornelii Zuzii Præsidis Hollandiæ. Interea tamen menses immoderati non solum dierum numero, vt si continenter fluant vltra dies quatuor, quinque, sex, septemue consuetos mulieri, sunt æstimandi; sed potius vacuati sanguinis quantitas tibi (*inquit Syluius*) obseruanda ex mulieris plenitudine, habitu, viribus tolerantia, colore. Nam si talia & tanta euacuentur, qualia & quanta vacuari oportet, confert, & leuiter ferunt mulieres, nec ante est cohibendus hic fluor, quam vires collabi incipiant, & color viuidus perdatur, symptomataque eius alia leuiora impendeant: grauiora enim ne expectes. Si namque menstrua (*teste Hippoc. aphor. 58. lib. 5.*) plura fiunt, accidunt morbi; scilicet appetentia prostrata, coctio omnis imbecilla, vitium omnium deiectio, totius refrigeratio, decoloratio, emaciatio, ex morbo senium, sterilitas, pedum inflatio, hydrops, bilis feruor, febres biliosæ, hecticæ, cachexia, lipothymia, syncope, mors senibus repentina: iunioribus tandem superueniens. *Vide Rochevm.* Mulieri quoq; (*iuxta Hippocrat. aphorism. 39. lib. 5.*) menses decolores, per idem semper tempus venientes, purgationem indicant esse necessariam. Mensium fluor redundans iuuenibus molestissimus, senibus autem, vt plurimum lethalis. Si longo tempore durant, tandem aquas cutem subeuntes inducunt, & animam subinde agere cogunt. In fluxu enim muliebri si cōuulsio & animi defectus aduenerit, malum. Non confestim sanguinis impetum localibus remediis reprimere conādum (hæc etiam ad curationem faciunt:) nam multa sequerentur incommoda, nempe hydrops, neruorum aut oris ventriculi, aut capitis, pathemata. Si per eclipsin solis aut lunæ fluant menses, sisti non possunt, vt visum Apoleio Platonico, neque si iam diu fluxerunt, quia vasorum ora occalluerunt: id quod sæpe accidit propter mulierum verecundiam; maxime si cacochymiæ; aut potius cachecticæ fuerint, ac etiam vetulæ & excrementosæ, nisi sæpe purgentur, & vi[illegible] euchymo succi malignitatem emendent. Fluor mensium criticus, aut corpus plethoricum expurgans, nō sistendus, donec sit quantitate præter naturam. Si magis exuberat in fine veris & æstatis tempore, nempe in principio æstatis, ob sanguinem sit prædominantem: in fine æstatis & autumni principio, ratione bilis: in fine æstatis & autumni principio, ob melancholiam adustam in fine hyemis & principio veris, ob pituitam, quamuis tamen quouis tempore euenire possunt. In corpore sanguineo, iuxta quosdam subito restringendus, ob plethoram: liberat enim ægram a suffocatione vteri, lepra, phthisi, feb. putrida & apostematibus perniciosis. At mulieri sanguinem euomenti, *iuxta Hippoc.* mensibus erumpentibus, solutio: & post hæmorrhoides in sana muliere euenientes, virtute constante, bonum. In die critico non perdurantes, vtiles, & in iis, quæ synochum patiuntur aut febr. sanguineam putridam; *vt in nostris obseruationibus de feb. multis exemplis ostensum est.* Signa mala sunt si symptomata superius enumerata succedant. Nunc ad curationem accedamus, prius hoc sequenti exemplo in medium producto.

Observatio XIII.

De superflua menstrua purgatione ex anastomosi.

MVlieri cuidam cum impetu sanguis menstruus copiose & confertim emanabat, venis magnis apertis, ex anastomosi. Ad hanc cum venissemus, victum ei instituimus, qui nihil commoueret, sed quietem faceret: & primum cum satis robusta esset, inediam quandam ipsa ferre posset imperauimus; sed quia hæ non ita ieiunium ferre consuetæ sunt, iussimus, vt actu frigidum ac potestate esset quod sumeret, & vt cibus eligeretur quantitate moderatus, & qualitate astringens, bonique succi, similisque potus. Sic enim Aetius circa initia micas panis ex posca exhibebat, vbi præsertim ieiunium tolerare nequirent, aut oryzam ex posca, aut ouum sorbile, molle, frigidum, in quem vsum etiam similagine, amylo cum posca, vt vteretur concessimus, atq; omnia actu frigida & potestate. Frigida enim densant & immobile faciunt. Vt vino omnino abstineret præcepi: Nam, *vt Paulus admonet*, vinum omnino pro potu vitādum est. Sed aqua pluuiali secundum eundem vtendum, in qua etiam ignitum ferrum fuerit exstinctum; aut aqua in qua oxalidis, polygoni, seu plantaginis folia fuerint decocta, aut myrti fructus, seu cydonia: ipsa item posca pro potu vti conuenit, non quidem frigida, sed tepida, *vt Aetio visum est.* Ego iuleb rosatum cum aqua pluuia commode admisi: & pro cibo etiam postea carnes syluestres potius, quam domesticas; quibus, vbi opus esset, magis assis vteretur, quam elixis; vt phasianorum, sternarum, perdicum, merularum, turdorum, aliarumque paruarum auium montanarum; e quadrupedum genere, leporum, cuniculorum, seu capreolorum, si reperirentur. Cum eisdem assis vteretur, in eadem iure polygoni, plantaginis, aut oxalidis folia decoqueret, aut etiā fructus astringentes, vt myrti, seu cydonia. Præterea imperaui, vt aerem eligeret temperatum, aut parum ad siccum frigidumque vergentem, & vt somno, temperato vteretur vel etiam lōgiore, cum omnibus modis prouocandus sit, si quæ minus dormire posset. Præterea consuluimus, vt omnibus modis caueret a motu, atq; exercitio, & vt animi affectus immodicos vitaret, præsertim iram; & quietem amplecteretur. Nam si motus vitandus, ne humorum impetus augeatur; quanto magis dolor, qui valde humores commouet in eas partes, quæ laborant? Quod ad reliqua præsidia attinet, cum adhuc satis valida foret, statim ex

vena basilica dextri brachii, vt sanguis euacuaretur, nobis vtile visum fuit. Altero die sequenti eadem quoq; fuit sectio iterata, at pauco tamen sanguine extracto. De qua venæ sectione in Scholio latius. Pro purgatione exhibui, quod sequitur. ℞. *myrobal. citrinarum ℥ ij. infunde per noctem, facta leui ebullitione in aqua plantag. mane vbi tepuerit, manibus confricetur, & sumantur huius express. ℥ iij. adde rhabarb. optimi parum tosti ℥ j. pulpæ tamarind. diaprunis lenitiui, ana ℥ ij. syrup. de ribes ℥ ß. misce.* Bene excreuit, quia facilis solutionis erat. Altero die dedi syrup. sequentem: *℞. syrup. de ribes, syr. gran. syrup. coton. ana ℥ j. aquæ acetosæ, plantag. bursæ pastoris, ana ℥ ij. misce pro ij. dosibus.* Præterea ad auersionem, cum adhuc cum impetu flueret, & magis debilitaretur, adhibuimus frictiones partium superiorum, & brachiis vincula recte iniecimus. Paulatim venimus ad astringentia, & dedimus *terræ lemniæ veræ ℥ j. cum decocti plantag. & polygoni ℥ iij.* egregie iuuabat. Quicquid enim citra mordacitatem resiccat, & glutinosum quid habet, veluti est terra lemnia, sphragis appellata, & samius aster, (*Galen. auctore 7. de compos. medic. secundum locos*) quæ veluti ad sanguinis spuitiones vndecunque natas conferunt, eadem vi sanguinis ex vtero profluuia, & vocatum fluxum mulierem iuuant: *vt liquet ex eodem auctore 9 de simpl. medic. facult.* Postea adhibui *℥ j. trochisc. de carabe cum ℥ iij. aquæ plantag. & syrup. myrtini: lumbos ac ventrem inferiorem, pectinem, inguina, & dorsum inungendo cum vng. comitissæ, adiecto pauco vng. ros. sine opio.* Et cum videretur postea paulo debilior, concessi vinum rubrum stypticum cum aqua plantaginis destillata in balneo, & non in plumbo. Atque ita cum menses vltra tres fere septimanas fluxissent, commode hæc curata fuit, vtens subinde & condito concinnato ex conf. rof. antiqua, diacotoneo, pulu. trochisc. de carabe & spodio, cum semine acetosæ, adiecto etiam syrup. myrtino.

3

4

SCHOLIA.

5

HÆc curatio pertinebat ad anastomosin, in qua, sicuti & in aliis menstruis superfluis curandis, semper caussa ipsa consideranda est, num hic fluxus statim sit reprimendus, nec ne: nam is, qui criticus est, corpusq; plethoricum expurgat, non est sistendus, nisi vires plane deiiciantur, nec mulier vltra tolerare possit: tunc enim sicuti omnis fluxus superfluus (*vt & paulo ante meminimus*) restringendus est. Neque is constringendus statim, qui ex repletione abundante, & sanguine in toto exsistente, nisi metuatur virium deiectio, & sensibilis debilitas; & qui venit per viam mundificationis, vt vocant, ob repletionem nimiam, cum bona tolerantia, constringi non debet. Aliquando enim caussam respicimus, quæ prius abscindenda est. Et ita si fiat ex repletione vel abundantia sanguinis, eandem venæ sectione & tenui victu remouemus, inhibendo vinum, oua, carnes, & similia quæcunq; sanguinem augent. Alias respicimus fluxum, vt eundem, vbi vires deiicit, & reprimamus, & cõstringamus. Etiam ad symptomata, quæ obruere possunt, vt est syncope, tum alia, quæ fluxum excedentem sequi solent. In anastomosi itaque, cuius nunc exemplum protulimus, vbi reliqua non prohibuerint, venæ sectio, reuulsionis gratia in cubito facta confert, præsertim internæ: exiguaque sanguinis quantitas auferatur, & si opus sit reiteretur. Auersio enim impetum humorum retardat, & fluxuros in aliam partem conuertit. Sed dices: de venæ sectione non meminerunt, nec Paulus nec Aetius. At in lib. de venæ sectione, vtitur ea Galen. sed in narium profluuio. At eadem est ratio, inquit Iacchinus doctissimus: consuluit autem ibi, vt non exspectetur vsque quo vires multum debilitatæ sint; sed dum adhuc perstant, & impetus profluentis sanguinis adhuc persistit. Quamobrem venam secare opus erit superiorem, sicut ad hæmorrhoidas plus iusto fluentes Galen. facit *in lib. de ven. sect.* Sic Benedict. Fauentinus, præceptor meus, etiam in vena petrupta, in principio secat venam basilicam lateris dextri. Alii parum, & secundo die iterum exiguum, vt nos fecimus. Præceptor in sua Empirica tribus continuis diebus, sed parum mitti vult. Sicut nos in quodam Consiliario sanguinem exspuente, vna cum Nieuenio Medico Hagano, & Cornelio Ericio, meo collega, egimus. Verum licet Aetius non faciat mentionem *lib. 16. cap. 66.* attamen *cap. 68.* meminit. *Mulierem* (inquit) *rubro fluore vexatam curaturi, primo ad sanguinis missionem vertemur, quæ non tantum materiæ ad vterum confluenti aduersatur, sed detentionem, constrictionemque tutam efficit: nam multa sequerentur incommoda, si repente sanguinis vel cuiusq; defluxum impetum localibus præsidiis reprimeremus: ita vt quidam inde in hydropem, alii in neruorum morbos, aut oris ventriculi, vel capitis improbos affectus inciderint. Igitur si nihil obstiterit, id est, si quæ obstant non valde fuerint insignia, sanguis mittendus est: præcipue si ætas venæ sectionem non prohibeat. Sed paulo supra docuimus iuniores fere rubro fluore vexari: ablationem vero sicut in iis, qui sanguinem exscreant, partiri oportebit, vt paulatim prolixiore tempore reuulsio perseueret: dilataque vena cubiti sectione, a fronte, vel a naribus, vel a scapulis sanguinem trahemus.* Hæc Aetius. Idem præceptor meus Benedictus Victorius, quod venæ narium incisæ menses retrahunt & diuertunt, dicebat. Iam quoque auertuntur, si supernas partes ligemus; quas & fricare non inconuenit. Nam, *vt habetur 5. method.* frictio contra oppositæ partis, iuuat. Quamobrem etiam consulit Hippoc. ad retentionem, sub mammis cucurbitulam affigere *5. aphor. 50.* Sunt enim pectori ad genitalia venæ communes. Habent nimirum magnam colligantiam cum vtero, perque eas demandantur menses in mammillas prægnãtium, vt conuertantur in lac, & per ventosas iisdem applicatas ab vtero fit diuersio. Verum oportet sint magnæ, & diu debent adfixæ esse cum multo igne, vt vehementior fiat attractio: nam, vt referebat Auicenna, retinent sanguinem in hora vna. Ponuntur autem ad radices mammillarum, vel in pectore, eleuatis mammillis. Hinc & Gradus. Mammillis appone, vel sub iisdem, eas eleuando an-

6

Vena sectio.

7

Vincula, ligaturæ, frictiones

8

Cucurbitula sub mammis

Ventosæ.

do, antequam apponantur ventosæ. Alii scapulis vel spatulis apponunt; nonnulli & hepati ac lieni: sed non diu retinendæ, ne phlegmonem pariant. Quod vero suadet Paulus inguina vinciri, id est, crura ea parte (*vt interpretatur Iacobinus*) quem in omnibus sectatur Aetius, dubium habet; nam hoc menses euocat. Sed potius vincula superius artubus iniicienda, donec dolorem cient, idque sæpe renouando. Inguina igitur vinciri tutum non esse arbitratur, cum est magnus impetus, sed in diapedesi, vbi sensim fluat, & longo tempore, non ita inconuenire putat. Attamen præceptor meus iubebat sanguinem deriuare ad partem vteri propinquam; nempe hœmorrhoides prouocando appositis sanguisugis: hoc enim menstruam purgationem restringere affirmabat. Ita & hic alii laudant vomitum, sed leuem, in paratis & facile vomentibus, ad diuersionem quoque: sed talis adhibendus, iuxta eosdem, qui violentia sua humores non commoueat. At fluxus sanguinis narium si irritetur, vel sponte veniat, vtilis habetur. Auicenna commendat vrinæ quoque & sudoris prouocationem in tenui & aquoso sanguine. Id tamen aliis non placet, etiam materia licet imminuta, cum subtiliando humores magis moueant. Secta itaque vena, etiam aliis auersionibus adhibitis, prout res postulabit, vtilis est. Deinde vero etiam si ob vasorum apertionem sanguis profluat, per ea quæ obturant, curare oportet: quemadmodum si ex eorum vasorum ruptura contingat, quæ conglutinant adhibenda sunt. Atqui obturatur osculum dilatatum per astringentia: conglutinatur autem ruptum per eadem, & quæcunque ipsis (*vt dictum quoque est prius*) in compositione miscentur citra mordacitatem resiccantia, & glutinosum quoddam habentia, vt de terra lemnia diximus. Inter medicamenta sistentia Rhases vtitur trochisc. de carabe. Fiunt & hi sine opio. Aliqui vtuntur cum opio: nam somnus maxime has excretiones sistit; quoniam proritationem & molestiam omnem tollit, & velut immobilitat: quare in magno metu illis vtuntur cum decocto astringente. Ante hæc vero medicamenta in potu etiam illa exhiberi possunt, quæ in mictu sanguinis sunt dicta, id est, plantag. & polygoni succus. Reliqua omnis curatio partem affectam respicit. Sed primo Paulus & Aetius in potu dant *balaustum ex posca, aut hypocisthidis vel acaciæ succum, siue lycium, vel etiam vuæ acerba succum siccum. Sesamum quoque posca maceratum & mollefactum edendum præbent, aut loti ramenta, & eorundem decoctum, & corallorum ℥ ij.* (vt Aetius refert) *& succum polygoni, aut plantaginis, etiam ex posca, & ℥ j. cornu cerui vsti, vel tantundem corall. rub. lapidisque hæmatitidis ℈ j. cum posca, vel ℥ j. vel ij. radicis symphyti, cum eadem posca, quæ semper tepida exhibenda, & vbi hæc non suffecerint, ℥ j. trochisc. de spodio, aut de succino vel carabe, vel terra lemnia non posca.* Curatio partem affectam respiciens topicis medicamentis perficitur: primum medicamentis sistentibus lumbis appositis & pubi: cuiusmodi est, quod *ex cytinis, ex galla, hypocisthide, ex colla, quæ ex pelle bouis posca dissoluta:* secundo insessionibus, quas etiam in dysenteria diximus conferre, quibus & in hoc casu multa vtilitate vtimur *ex folior. myrti, ros. plantag. polygoni, symphyti, virgultorum rubi, ac lentisci, decocto:* etiam prius inguinibus, & pectine, & regione renũ, inunctis vnguẽto comitissæ, aut alio adstringente. Vtuntur & pessis astringentibus confectis, *vt ex punici putamine, & galla, & thure, liquore styptico exceptis.* Etiam succos supradictos clystere infundunt, sicuti Galenus docuit *5. Method.* & se liberasse casum difficilem ea ratione dicit. Interea antequam illa adhibeantur, caussæ ratio adhibenda est, etiam si malum pausat, ne paulo post reuertatur. Et sic vbi cacochymia caussa est, ea ipsa erit prius tollenda: si sero acri, vel salso, plenus sit sanguis, vnde tenuis & acris appareat in corpore abundare, tum medicamentis bilem ducentibus vtendum erit, quæ etiam aquosos humores purgent; vt est *electuar. de psyllio cum turbith:* tamen cum cautione: *vel rhabarb. & agaricum, vel myrobalani genera contrita, & infusa.* si exustæ sanies, *confect. hamech cum myrobal. indis & fumaria*, victusque ratio adhibenda, quæ dulces succos efficiat & temperet: quod etiam potionibus medicis fiet, *vt decoctio cichorii, lupul. acetosæ*, tum aliis, vt subsequentia exempla docebunt. Hæc de anastomosi.

Margin notes: 5 — Potius vincula inguinibus iniicienda. — Hæmorrhoidũ prouocatio: quibus vtendum. — Vomitus auersionis causa adhibendus. — 10 Medicamenta, quæ conglutinantia adhibenda & sistentia & conglutinantia. — Quæ in potu adhibenda sint. — 11 Topica. — 12 Caussa consideranda antequam topica adhibeantur, vel etiam menses sistantur.

Observatio XIV.

De menstruis superflue fluentibus ex apertione vasorum.

VXori meæ Euæ Teylingiæ, mihi admodum caræ, ex nobilissima & antiquissima familia Teylingiorum ortæ, ora vasorum vteri aperta fuere, anno 1553. mense Septembri, cum sese in horto, amicis colludentibus & inuicem aqua aspergentibus, nonnihil fatigasset. Cum impetu quoque mensibus apertis, subsequuta est fluxio, non tamen adeo vehemens, vt mulieri de qua mox diximus Obseruatione præcedenti. Tamen ipsa fluxio tribus mensibus perdurauit, antequam magna nostra diligentia sisteretur. Et conualuit istis præsidiis subsequentibus, victuque conuenienti. Venam in valde meticulosa non secuimus; cum & sanguis biliosus esset, & postea etiam cum minori impetu fluens: in fine nigrior effluebat, & quasi thrombosus: nam hæc subinde tristis melancholiam aliquam ex longo fluxu perdurante contrahebat. Primo exhibuimus hunc syrup. ℞. *syr. ros. ex ros. sicc. myrtin. ana ℥ j. aquæ lupul. plant. acetos. ana ℥ ij. misce. fiat iuleb pro ij. dosib.* Purgauimus autem leuiter *cum infuso rhab. myrob. citrin. cum decoct. folior. acetosæ, lupul. plantag.* Deinde vt ex sequẽti condito vteretur mandauimus. ℞. *conser. ros. antiquæ ℥ ij. diacydonis, sine speciebus ℥ ß. myrob. citrinarum parum tostarum & puluerisatarum, & indarum, ana ℥ j. addendo rob de ribes, syrup. menthacei, an. q. s. fiat conditum.* Capiebat ad magnitudinem castaneæ. Renes autem inunximus hoc vng. vel simili. ℞. *vng. ros. olei myrtini, cotoneor. ana ℥ j. succi plantag. ℥ ij. coquantur ad consumtionem succorum.*

Margin note: 1

adde coralli rubei, semin. plantag. myrtill. ana ℥ j. *hypocysthid. boli armen. an.* ℈ ij. *ceræ q. s. fiat vnguent.* quo inungebatur, adiecto aceto ros. subinde etiam adiecto vng. comitissæ. Cum autem quotidie debilior euaderet, etiam hoc clareto vtebatur, ℞. *flor. ros. rubear. p. ij. santali rubri pulueris.* ℈ ij. *spec. arom. ros. sine moscho* (nam debilem stomachum habebat) *spec. diarod. abb. ana* ℥ ß. *cinnamomi electi* ℥ iij. ß. (vt etiam thrombi aliquo modo dissoluerentur) *cum aqua plantag. fiat claretum ad circiter* ℔. j. ß. *adiecto pauco sacchara ad saporem.* Postea idem claretum ad libram vnam cum vino rubro stiptico conficiebatur, tribus tantum drachmis cinnamomi adiectis, eo delectabatur. Interea etiam sumebat subinde ex mixtura sequenti. ℞. *conser. ros. antiqua* ℥ ij. *boli armenæ veræ, mastiches, eboris, sanguinis draconis, omnium subtilissime puluerisatorum, ana* ℈ j. *trochisc. de spodio cum semine acetosæ, trochisc. de carabe, puluerisatorum, ana* ℥ ß. *fragmentorum lapidum preciosorum omnium in pollinem redact.* ℈ ij. *cum syr. menthaceo & myrtino fiat conditum*, fuitq; hoc conditum adhuc semel reiteratum. Et cum nondum fluxus constringeretur, istis pilulis assumtis tandem menses restricti sunt. ℞. *mastiches, trochisc. de carabe, ana* ℥ ß. *trochisc. de spodio cum sem. acetos.* ℈ ij. *scobis eboris, myrobal. indarum pulueris. ana* gran. vj. *coralli rub. flor. ros. rub. ana* gr. v. *in pollinem redigantur, & cum syrup. menthaceo fiant pilulæ ix.* Sub noctem tres capiebat; & his præsidiis belle curata fuit.

3

Scholia.

4 Hic quoque oscula vasorum vteri aperta erant per anastomosin, quamuis non tanto impetu, vt in alia muliere, *de qua Obseruat. 13. diximus.* In principio licet venam non secuimus, eo quod vxor mea meticulosa esset: vinculis tamen statim ab initio brachiis iniectis tum frictionibus vsi fuimus. Et post infusum rhabarb. & myrobalan. ad astringentia deuenimus, quæ & sanguinem incrassarent, & eiusdem acrimoniam obtunderent. Talia etiam intus exhibita prosunt; *vt album oui fortiter agitatum, & calfactum, & per se tantum assumtum, vel cum puluere gummi tragac. aut arabici, mucilago cotoneorum, dissoluta in aqua pecul. ros. vel plantag.* Valet *& syrup. de pap. iuiubinus, & de ros. siccis.* Hæc enim sanguinis acrimoniam exstinguunt, & fluxum retinent a quacunque caussa. Supra partem emplastica frigida cum astringentibus posita iuuant, *vt bolus armen. rubrica fabrilis, terra sigillata, ac albumine oui excipiuntur & apponuntur.* Vel succi herbarum astringentium & refrigerantium excepti farina tritici, vel amylo, inspissatique, & parti appositi, fluxum sanguinis retinent: quibus si adiungantur adstringentia, fortius repellunt, & sanguinis impetum sistunt. Hæc si non prosint, Rondeletius *stercus porcinum* capit, *reductum ad formam cataplasmatis, addendo pul. ros. vt fœtor minuatur.* Præter vnguenta, e quibus exemplum posuimus. Obseruation. præcedente, etiam extrinsecus loca vteri perfunduntur seu fouentur *tepida posca, aut oleo rosaceo, melino, seu myrtheo, pauco vino admixto.* Item prosunt

Topica.

5

Fotus.

cataplasmata ex hordei fabarumq; farina, symphyti radice, polygoni, ac plantaginis foliis, acacia, alumine, & hypocisthide ex posca composita: aut ex palmulis, malis, cydoniis, malicorio, balaustiis, alumine, gallis, acacia & hypocisthide, teneris rubi seu lentisci virgultis, cum eadem posca cataplasma fiat. Vel *ceratum ex vnguent. comitissæ, pauco adiecto aceto.* Efficaciter quoq; prodest *taurocolla aceto macerata, donec dissoluatur, deinde valido linteolo inducta lumbis, agglutinetur*, ex decreto Pauli & Aetii. Huc pertinent insessus, de quibus diximus Scholio præcedente, & pessuli: nam pessulorum vsus haudquaquam contemnendus est, qui ex foliis plantaginis, seu polygoni succo, aut myrtillorum symphytique rad. contusis pauca addita manna, thure, hypocisthide, ac balaustiis, cum eiusdem plantaginis, seu polygoni succo conficiuntur. Interim gallarum puluis, ac aluminis scissi, nec non acaciæ succus cum ouorum tostorum luteis adiici poterunt; & quandoque cupressi folia, aut rubi, pariterque & cytrini. Cum vero vsus exigit *(vt etiam Donatus admonet)* linteo serico, aut linteo tenui excipiantur; & ad formam humani digiti redacti in rosaceum intingantur ac subdantur. Infunduntur quoque (*vt paulo ante diximus*) per instrumenta ad hunc vsum parata in vterum, quæ Μυλεγχύτας Græci vocant, plantaginis, polygoni, seu solani succi. Similiter acaciæ, vel hypocisthidos, vel decoctum in aqua pluuiali malicorii, gallarum, balaustiorum, hypocisthidis, ac foliorum lentisci, cum polygoni seu plantag. succo, aut etiam acacia. Sic Galenus ex vtero sanguinis profluuium; quaternis iam diebus profluens, cum nullo alio potuisset sisti remedio, plantaginis succo vtens prosus sanauit.

Cataplasmata.

6

Pessuli.

Quæ per instrumenta infunduntur.

Observatio XV.

De purgatione menstrua vltra 9. menses perdurante ac lethali ex reseratione vasorum vteri.

Vxor doctissimi illius viri Magistri Adriani Leonini, Pensionarii Delphensis, incidit in mensium profluuium ex reseratione vasorum vteri, eo tempore cum maritus hectica febre laboraret, a qua etiam mortuus est, cuius mentionem fecimus *lib. 4. Obser. nostrarum de febre hectica.* Nam ipsa sæpe noctu surgens, fatigata stillatim mensibus fluentibus in continuo seruitio mariti ægrotantis, mulier admodum curiosa, satisq; biliosa, & viro admodum obsequiosa, fluxum hinc parui faciebat. Admonita insuper sæpius per Henricum Vergerium, Medicum doctissimum, vt remedia apta adhiberentur, & victu constringente vteretur, suæ sanitatis negligens; per me quoque postea admonita, nulla adhibuit medicamenta: tandem post multos menses hoc profluuio laborans extreme debilitata, marcore quasi confecta, etiam in hecticam incidit. Tunc demum acciuit Cornelium Medicum seniorem quendam Delphensem, cum eodem tempore ipse ægrotarem. Hic senex apud templum nouum habitabat, & huic nobilissimæ matronæ cõmendatus erat, quod felicissime menstrua fluentia curaret, & belle cohibere sciret.

1

2

Verum

Verum cum hic nihil proficeret, eius pertæsa tonsorem quendam Haganum seniorem, ad se vocat, qui eidem pollicebatur quadam quinta essentia, se illam perfecte sanaturum. At aliter euenit: nam hecticæ febri mox & putrida ac acuta febris accessit, simulq; aphthæ obortæ sunt fauces, quasi præocludentes, vt iam suffocari videretur. Accitus tunc est Cornelius Ericius collega meus, cum iam vltra nouem vel plures menses hoc fœdo affectu ad extremam maciem euasisset. Postea cum ego a morbo conualuissem, vna fui vocatus: atque vna ingressi inuenimus illam extreme debilitatam, vt nulla spes salutis superesset, neque vlla restaurantia, aut medicamenta commoda illam iuuarent. Atque ita ab hectica, tum fluxu illo menstruo exstillante, plane consumta, & quasi cadauerosa, etiam ante maritum proba admodum matrona & pia obiit.

SCHOLIA.

3 HÆc erat diapedesis, quia sensim stillabat sanguis, vasis minoribus apertis. Quamuis autem prima fronte non ita hæc superflua purgatio menstrua videbatur periculosa, tamen cum nulla remedia adhiberentur, in muliere biliosa continuo per multos menses stillante, ob tenuitatem sanguinis, vires sunt deiectæ. Deinde in hecticam incidit: & quod eiusmodi calidis vteretur, nec victum obseruaret, tandem & quintam essentiam illam calidissimam sumeret; putrida febris, eaque satis acuta hecticæ superuenit, ac non diu post ipsa e vita discessit. Si enim hæc in principio remedia adhibuisset, proculdubio (nec enim erat anastomosis, in qua cum impetu sanguis fluit copiosus; neque sane tam diu substinuisset illum fluxum) facile sanitatem consequuta fuisset; cum a diapedesi subitus timor non sit, & ideo leniora remedia exigat. Et quia hæc erat biliosa, & sic etiam ex vitio sanguinis biliosi tenuis affecta; si corpus prius leni purgatione fuisset euacuatum, mox astringentibus malum facilius cessasset, additis etiam iis quæ acrimoniam sanguinis obtundũt, incrassant, & constringunt: qualia Scholio præcedente valete diximus. Sic enim humores illi biliosi erant cõtemperandi & purgandi leniter rhabarb. & myrobal. vel tamarindis, & aliis; prius quoq; sanguinis fluxionem inhibendo, si paulo magis fluat. Si vero sanguis per diapedesin fluat, ob eius tenuitatem, & seri copiam; oportet (*inquit Rondeletius*) iisdem medicamentis euacuare, quibus si ob bilem euenerit; quibusdam additis aquas vacuantibus, vt brassica marina, sena orientali, decocto fumariæ, succo rof. & aliis purgantibus sine magna calfactione. Victus ratio incrassans & inspissans hic quoque iuuat, vt vtendum pedibus animalium, alica, vel amylo, iusculis coctis, omnia, quæ ex farina non fermentata parantur, sunt in hoc casu ex vsu. Medicamenta etiam hic conferunt astringentia superius dicta, tum topica ipsa. Ita quoque si ob venarum raritatem fiat, tunc adstringentia & condensantia conuenient: qualia sunt, quæ ex aquis myrtill. peculi rof. parantur. & aliis adstringentibus, vt bolo armen. terra lemnia, *vt diximus*, rad. bistortæ, spongiæ bedeg. & similibus. Infusiones facimus, cum vena intus latitat. Si commode remedia possent extra adhiberi, pulueres inspissati albumine, supra partem affectam ponantur. Eadem etiam curant anastomosin: tum iis quæ ad anastomosin recensuimus, etiam hic vti possumus. Puluis ossis sepiæ cum vino datus fluxum sanguinis retinet. Item carabe, trochisci eorum, de spod. sang. draconis appositus aut assumtus sanguinem erumpentem a quacunque parte retinet. Conser. rof. symphyti, cydon. caro, & aliorum fructuum astringentium conditorum ad id vsurpantur. Fiuntque ex his opiatæ vel condita. vt hoc modo. *℞. conseru. ros. antiq. ℥ ß. conser. symphyti ℥ j. trochisc. de carabe, aut terra sigill. ℥ j. boli arm. ℥ ij. sang. drac. ℥ ß. syr. de ros. siccis vel myrtill. q. s. fiat opiata.* Vel: *℞. symphyti, & carnis cydon. condit. sacchara, an. ℥ j. conser. ros. antiq. ℥ ß. pul. oßis. sepiæ ℥ ij. trochisc. de spodio, & de terra sigill. an. ℥ j. pul. diamar. frig. & diapap. an. ℥ j. syrup. cydon. q. s. fiat opiata.* Capiat ad quantitatem auellanæ, superbibendo aquam bursæ pastoris. Si his non addantur syrupi, sed ex conser. & saccharo parentur, tunc condita esse volunt, vt Rondeletius.

Curatio diapedesis. — 4 — Si ob tenuem sanguinem, curatio. — 5 — Ob venarum raritatē si fiat, curatio.

OBSERVATIO XVI.

De mensium profluuio venis vteris perruptis ex graui pondere subleuato.

MVlieri ex graui pondere subleuato, venis vteri perruptis, menses largiter fluxerunt, ad quam accitus, cum ingentem dolorem in lumbis haberet, & nunc tribus quatuorve diebus durasset, vt vena basilica in brachio tunderetur, nempe dextro, iussi: (nam in dextra quoq; parte vteri dolorem tũ in lumbis sentiebat) ad vncias quatuor. Deinde imperaui, vt dorsum ac pubem inungeret oleo myrtino, puluere quoq; myrti & rof. rub. inspersо. Deinde hunc puluisculum quoque propinaui. *℞. rhab. pul. ℈ ij. ß. mummiæ ℈ ß & exhibui cum ℥ ij ß. aquæ plant.* Deinde aliis constringentibus & glutinantibus per os assumtis, & intra vterum iniectis per obstetricem, curata fuit. Quod si non iuuisset, adhibuissem illud experimentum, quo matrona quædam a Guainerio fuit curata, quæ ob eleuationem grauis oneris diu talem fluxum patiebatur. Dabat enim *℥ j. tribus vicibus stomacho vacuo, ac ieiuno cineris stercoris caprarum cum aqua pluuiali,* & fuit curata, etiam vetula quinquaginta annorũ, atque sanata permansit. Alteram etiam curauit asinino stercore, quod a proprietate sanguinem stringere scribit. Succum ex eo recens excreto exprimebat, & dabat cum syr. myrtino & aqua plantaginis aliquot vicibus.

SCHOLIA.

1 IN solutione continui, si ex casu vel leuato pondere, statim viribus adhuc valentibus venæ sectio conuenit, & vincula brachiis iniecta, & frictiones, & cucurbitæ in spatulis. Et si non restringatur, etiam mammæ dextræ vel sinistræ, prout dolor magis in vna parte quã altera infestet. Postea vtimur remediis iam dictis anastomosi, quod ad conglutinantia & astringentia attinet. Vel si in caussa fuerit ruptura venarum, procedimus cum

Curatio, si ex solutione continui aut ruptura venarum.

iisdem, quæ valent in fluxu ab acuitate sanguinis, infrigidando sanguinem, & inspissando, & constringendo meatus. Sic etiam in solutione continui, quæ fit a partu, vel abortu, iisdem remediis vtemur, vbi rem vrgere videamus: nam tempore cohiberi non expedit. Vbi tamen vires deiicit, & syncope subsequatur, tunc cohibendus est. Sic anno 1588. 6. Iulii die ad puerperam ex violẽto profluuio sanguinis ab vtero laborãtem de nocte accitus, cum in syncopen valde diuturnam prolapsa esset, & pro mortua haberetur, adhibitis frictionibus brachiorum & vinculis iniectis, vbi ad se rediisset, vt continuo ex sequenti mixtura sumeret ad libitum, præcepi. ℞. *conser. rosf. veteris* ℥ j. *diacydonii sine speciebus* ℥ ij. *rob de ribes* ℥ ß. *pul. fragmentorum lapidum pretiosorum* ℈ j. *manus Christi cum perlis* ℥ iij. *syrup. de ribes, fiat mixtura*: qua quidem viribus recreatis fluxus quoque enormis substitit. Vulgares mulierculæ experimentum habent ad hoc sanguinis profluuium & nimiam euacuationem in puerperis, nempe nucem iuglandem exsiccatam in puluerem redigunt, & tribus vicibus cum ceruisia aut vino rubro exhibent, quo remedio fluxum enormem restringunt. Hoc modo Matrona Rotallera nobilis in Haga comitis dicitur curata. Phoca Iohannis (*sic enim mulieri Alcmariana nomen erat*) 36. annum agens, anno 1549. mense Nouembri post abortum incidit in fluxum copiosum menstruorum, vt astantes de vita desperarent, adhibita vltima inunctione per sacerdotem, vt in moribundis fieri solet. Ad quam cum accederem, dolorem quoque vteri patiebatur, ac inflationem quandam. Sed cyathum vnum capiens ex hoc decocto, inflatio cessauit & dolor. ℞. *flor. chamæmeli p. j. sem. coriand. præparati, seminis myrtill. ana* ℥ j. *sem. anisi, ani casti, an.* ℈ ij. *coquantur in pinta dimidia ceruisiæ communis*. Huius acceptis subinde tribus cochlearibus, dolor sedatus est & inflatio, fluxu etiam nonnihil diminuto. Sed cum perseueraret, linimento circa pubem, & confectione in tabulis assumta, mẽstrua illa vehemensque purgatio simul cessauit. ℞. *olei mastichini, myrtill. ana* ℥ ß. *olei chamæmeli* (ob dolorem in vtero) ℥ ij. *pul. corall. rub. rosf. ana* ℥ ß. *ceræ parum: fiat linimentum*. ℞. *trochisc. de carabe* ℥ j. *spec. triums. diarod. abb. ana* ℈ ß. *pul. margar. perforat. & non perforatar. ana* ℈ j. *cornu cerui vsti, coriandri præpar. ana* ℈ ß. *redigantur in pollinem, & soluantur cum aqua rosf. & mentha, adiecto saccharo q. s. fiat confectio in tabulis*. Nostræ mulierculæ in fluxu post aborsum hoc pro arcano habent: carnem fumo induratam ad minus vetustate annum excedentem, quam minutissime concisam in patella terrea supra ignem torrent & exsiccant, vt in puluerem redigatur; dant cum vino rubro styptico, vel alio liquore constringente; feruntque hoc remedio deploratas mulieres ex fluxu enormi post aborsum restitui. Hoc remedio Domina de Roon pro deplorata habita dicitur conualuisse. Bononiæ post partum & aborsum a Medicis hæc præscripta in fluxu enormi belle profuere. ℞. *pilul. de bdellio, trochisc. de terra sigill. de carabe, ana* ℈ j. *cum syr. myrt. fiant pilulæ*: exhibitæ sunt mane, & superdormiuit ægra. ℞. *margarit. non perforat. spodii, ana* ℥ j. ß. *coriand. præpar. cornu cerui vsti, an.* ℥ ij. *cortic. medianor. castaneæ* ℥ iij. *sem. rosf.* ℥ ij. *lapid. hæmatitid. pilorum leporis combustorum. an.* ℥ j. *facch. rosf. ad pondus omnium, cinnamom. quantum placet pro sapore*. Sumatur bis in die cochlear vnum.

Qua valent in fluxu enormi post partum vel abortum.

3

4

5

Observatio XVII.

De menstruosa superflua euacuatione ab arrosione.

MVlier biliosa, ex acribus humoribus ad vterum confluentibus, superflua menstrua purgatione laborabat; quod & dolor indicabat, & subinde etiam sanies cum sanguine menstruo effluens. Diximus enim, arrosionem aliquando fieri a caussa interna, a bile, aut sanguine acri, aut pituita salsa. Cum hic ex sanguine bilioso fieret in muliere admodum biliosa, quoque bilem & humores acres redundantes hæc affectio contineret, habitum ego corporis respiciens, & recrementa reiecta, omnium primo symptomati occurrendum esse duxi, deinde ad erosionem & eius caussam veniendum. Ideo ante omnia consului, cum a me curationem postularet, vt parum sanguinis detrahere in brachio dextro ad reuulsionem, ad vncias tres tantum vel quatuor; & iubebam, vt apertio fieret exigua ipsius venæ, vt ita longiori tempore & minori quantitate sanguis expurgaretur, & vires ex larga apertione minus conciderent; id nimirum tantum ad sanguinis difflationem faciebam: nam copiosa sanguinis missio hic nullo modo confert. Interea etiam præcepi, vt fierent frictiones fortes brachiorum & ligaturæ. Postea ad biliosorum humorum, tum acrium purgationem perreximus, vt qui erosionem augebãt. Vbi enim succi vitiosi in toto corpore redundant, & erosionem augent, nulli dubium est, quin illi prius sint purgandi, antequam ad medicamenta veniamus, quæ sarcotica appellantur, & carnem gignentia, *vt 7. de compos. medic. secundum locos constat*. Verum vt illi humores etiam contemperentur, possumus etiam aliquos syrup. conuenientes adhibere (vbi detur occasio) antequam ad purgationem veniamus. Quare vt prius hunc syr. sumeret mandaui. ℞. *syrup. ex infus. rosf. ex succo myrtino, & succo acetosæ, ana* ℥ j. *aquæ plantag. polygoni, acetosæ, ana* ℥ ij. *misce pro duab. dosib.* Dedi etiam oxysacc. cum aqua plantag. deinde, vt talis vel similis purgatio exhiberetur consului. ℞. *tamarind.* ℥ ß. *cort. myrobal. citrin.* ℥ iij. *fiat decoct. in aqua plantag & acetosæ, & huius accipe* ℥ iij. *syrup. ex infus. rosf.* ℥ j. *rhab. optimi pulueris. sine spica* ℈ ij. ß. *vel* ℥ j. *misce, fiat potio*. Deinde iussi, vt perueniret ad topica medicamenta: & prius tamen, cum fluxio paulo vehementior esset, quamuis subinde sine sanie & virulentia; vt applicaret duas ventosas sub mammillis, ad maiorem restrictionem, & auersionem: & mandaui, vt bonis cibis & boni succi, qui erosionem contemperarent, præcipue vteretur, alica, amylo cum lacte, & amygdalato, & emuls. seminis quatuor frigid. maior. mundat. & hordeato; & vt succum plantaginis iniici per obstetricem curaret;

1

2

raret: huiuscemodi enim profluuium supprimere valet, si cyathi mensura iniiciatur, vt Aetius inquit. Verum etiam aliquando fortius aliquod admiscendum erit, alias aliud, pro affectionis respectu. Nam si vas illud quod corroditur, vnde profluit sanguis, magnum & amplum fuerit, austeris medicamentis opus fuerit, vt balaustio, acacia, hypocisthid. gallis, malicorio, & similibus. Si vero paruum, conferrent aloe, manna thuris, cortex pinus, terra lemnia, lapis hæmatites, & reliqua huiusmodi; quæ nedum cum succo plantaginis, verum etiam vino austero nigro, aut senecionis succo subdita, & iniecta conferunt, ex sententia eiusdem Aetii. Et (*vt summatim dicam*) quæ mediocriter, & sine morsu detergunt atq; exsiccāt, commoda sunt, vt quæ carnem generent; *vt liquet tum 3. method. medend.* tum 2. de composit. medic. secundum genera. Vbi igitur sordes vna cum sanguine emanarent, tunc obstetrici iussimus, vt etiam aquam hordei iniiceret cum succo apii, melle etiam pauco adiecto, & ad restrictionem & refrigerationem addendo succum plantaginis. Postea succum plantaginis vna cum lacte cocto iniici præcepimus. Et vbi solus sanguis, magis tamen cum ardore, efflueret, solummodo succum plantaginis iniiciebat, aliquando adiecta exigua portione trochisc. de terra sigillata; quos etiam sumebat per os cum aqua plantag. addito syr. myrt. Interea, vt & ventri apponeret ceratum comitissæ, cōsuluimus. Ex his bene habuit, cum corrosio ad maiorem vlcerationem non peruenisset. Verum mulier illa Alcmariana, quæ extra portam, in qua facinorosi incarcerati detinebantur, habitabat, ex erosione & vlcere diuturno, longa menstrua purgitione laborabat: & cum Empiricorum ac tonsorum opera vteretur, neq; in principio bonos Medicos consuluisset, licet languida diu superuixerit, facie admodum fœda, pallida, & cadauerosa, tandem cum vix corpus protrahere posset, diuturna cachexia affecta obiit.

SCHOLIA.

Dictum est prius, quod si fiat erosione cum vlcere, & si diu perseueret, talis superflua menstruorum purgatio, plerumque esse lethalem: quemadmodum in secunda muliere euenit; multoque magis si quando ab imperitis tractetur. Si vero sit erosio circa os ceruicis, melius curatur: quod non solum per saniem, sed etiam per tactum cognosci poterit, *vt Galenus docuit 6. de loc. affect.* Si vero sit profunda, quod quasi per æruginem exeuntem (*vt dicebat Valescus*) cognoscitur, difficilius curatur. Interea tamen adhibenda sunt remedia apta. Si itaque sit ex erosione, tunc purgato corpore, remediis localibus vtemur, optima tamen instituta victus ratione. Primum remedium est succus plantaginis iniectus, prætertim si valde sordidum vlcus non fuerit. (nam si sordes adsint, extergentibus erit vtendum: exempli gratia, succo apii melle admisto, vel prassii, vel brassicæ) secundum remedium aqua hordei: tertium lac: & demum omnia, quibus ad dysenteriam vtebamur. Quod si dolor vehemēs sit, & ardor, etiam decoctum hyoscyami, & papau. cum astringentibus iungemus, (fere enim in vlcere cruēto est maior) & tandem optatorum medicamentorum aliquid immittemus cum suprapositis succis. Iuuant & adstringentia balnea in cruento vlcere. Valescus vero inquit: *Si fluxus menstruorum fiat a corrosione, vel vlcere: id quod scitur per exeuntem virulentiam cum sanie, aliquando sanguine mixtam, & ex dolere in loco, exitque illa virulentia & sanies cum fœtore, & aliquando ad modum fecis vini, tunc vero facta ab initio parua phlebotomia, & mundificatione corruptorum humorum, & supposito bono regimine, administrentur hæc medicamenta per partes inferiores cum traiectorio, vt sunt aloe, thus, & cortex eius, & sanguis draconis, corallus, carabe, myrrha, crocus, lycium, menitha, amylum, plumbum vstum, terra sigillata, bolus armen. & similia. Et aliquando melicrato mundificentur, cum iis, quæ stringunt & mundificant vlcus.* Vt: *℞. galla adusta exstincta in aceto, charta bombacina combusta, conchlearum vstarum & cornu cerui adusti q. s. inde fiat pulu.* Vel hic apud eundem magni est iuuamenti. *℞. lapid. hæmatitid. sang. dracon. carabes, corall. aluminis iameni, balaust. boli armen. terræ sigillat. sem. portul. ana p. æ. fiat pul. & cribro excipiatur. dentur ℥ ij. cum aqua myrtyll. aut arnoglossæ, & si vis excusari,* inquit, *a laboribus, accipe trochisc. de terra sigill. qui describuntur cap. de hæmoptoica pass. & da cum succo arnoglossæ,* vt ibidem docetur, *vel cum succo arnoglossæ cum traiectorio iniiciantur. Iuuant enim post mundificationem vteri cum hydromelite, & sunt admodum vtiles.*

Curatio, si ex erosione.

OBSERVATIO XVIII.

De immodico mensium fluore ob sanguinis tenuitatem, caliditatem & acrimoniam.

Fluor autem immodicus mensium magna ex parte contingere solet a sanguinis caliditate, tenuitate, & acrimonia: quemadmodum istis diebus contigit mulieri iuuenculæ supra modum biliosæ. Quæ cum ad me consultandi caussa venisset, vt hæc ordine fierent mandauimus. Primo vt aluus clystere sequenti leniretur. *℞. folior. maluæ, violarum, parietariæ, mercurial. ana m. j. prunor. damasc. num. xiij. coquantur in aqua communi pro ℔ j. colaturæ, adde olei viol. ℥ ij. cassiæ pro clysteribus ℥ j. sacchar. rub. ℥ ß. vitellum vnius oui, salis parum, fiat clyster.* Quod si bolo magis delectaretur, hoc vti suadebam. *℞. cassiæ recens tracta ℥ j. sem. berber. puluerisati ℈ ij. fiat bolus.* Deinde: *℞. syr. ex ros. siccis, agresta, de succo acetos. ana ℥ j. ß. aquar. acetos. portulacæ, ana ℥ iij. misce. ieiuna per triduum in diluculo sumat. ℞. elect. triumsant. ℥ ß. vtatur cum syrupis,* purgetur autem hoc modo. *℞. folior. acetosæ, portulacæ, ana m. ß. prun. damasc. iuiubar. sebesten recent. ana ℥ ß. flor. nymphææ, vio. bugloss. ana p. j. coquantur in aqua communi. & huius colatur. accipe ℥ iij adde syrup. ex infus. ros. pallid. ℥ j. ß. pul. rhab. selecti ℈ iij. misce. detur in diluculo. ℞. pilosellæ, bursæ pastoris, ros. rub. cum capitibus, caudæ equinæ, plantag. ana m. j. rad. consolidæ maioris, rad. sigilli beatæ Mariæ, lentium excortic. ana ℥ j. cupul. glandium, balaustii, sumach, granorum myrti, nucum cupressi, ana ℥ j.*

Summi arabic. acac. hypocisth. ana ℥ ß. contundantur, fiat decoct. in aqua plantag. pro ℔ ij. dulcoretur frequenter cum saccharo. Hoc aliquando exhibitum fuit Dominæ de Cruningen laboranti ardore vrinæ, & copioso fluxu menstruorum. Item istud. ℞ *farina glandium ℥ ß. ossium cap. caponum, faucium lucii combustorum, ossium dactylorum, ana ʒ j. coriandr. præpar. rosi. siccarum, anisi torrefacti, rad. nenuph. citrinæ, ana ʒ ij. rasuræ eboris ʒ j. sem. plantag. acetosæ, ana ʒ ß. pulueriſentur.* Vel capiat sequens: ℞ *conserua rosi. antiquæ, conseru. rad. symphyti, ana ℥ j. coralli rub. lapid. hæmatitid. cornu cerui vsti, acaciæ, hypocisth. ana ʒ j. diacydonii sine spec. ℥ j. ß. corticis ouor. ʒ j. cum syrup. myrtini excipiantur;* & fiat ad modum elect. mollis. capiat ad magnitudinem castaneæ paruæ duabus horis ante cibum, mane & vesperi. Hoc deglutito, parum vini rubri chalybeati bibat. Quod si neque iis constringatur fluxus, tunc consulerem, vt sequens acciperetur. ℞ *syrup. myrtini, cotoneorum, ana ℥ ij. succi stercoris asinini recentis ℥ iij. aquæ plant. ℥ vj. misceantur,* & ieiuna per triduum in diluculo bibat. Interea extrinsecus inungat ventrem ab vmbilico ad pectinem, & regionem renum mane & vesperi. ℞ *olei myrtini, rosi. cotoneorum, ana ℥ ß. boli armen. lapid. hæmatitid. acaciæ, hypocist. coralli rub. mummiæ, ana ℈ ß. ceræ modicum; fiat vnguentum.* Detur ʒ j. *pul. putaminis ouorum, vel testarum, ex qua pulli gallinacei exclusi sunt, vel cornu cerui, vel rad. nymphææ, vel rad. eius, ad ʒ j. cum decocto vel aqua aliqua astringente, vt bursæ pastoris, vel plantag.* Si his non restringatur, cucurbitulæ magnæ subter mammas affigantur, ante pastum, & per horam dimidiam hæreant: fricentur brachia, & pessus indatur; vt: ℞ *micbletæ, tryphereæ, ana ʒ j. ß. equiseti, acaciæ, ana ʒ j. spicæ nardi ʒ ß. (sistit enim menses) commista hæc linteo raro inuoluantur, fingaturque pessus, qui filo coxæ alligatus; in mulieris pudenda immittatur.* Vel loco pessulorum (quoniam mulieres non facile admittunt pessulos) lanam accipito, & cum succo plantaginis imponito. Insessus quoque fiat in hunc vel similem modum. ℞ *polygoni, rosi. rub. plantaginis, bursæ pastoris, pilosellæ, ana m. ij. folior. symphyti, balaustiorum, equiseti, ana m. j. gallarum, sumach, malicorii, cupul. glandium, gallarum, foliorum cypressi, vel nucum eiusdem, ana m. ß. florum & foliorum verbasci, ana m. j. decoquantur in aqua chalybeata, aut aqua pluuia, in qua ad vmbilicum vsque se irriget.* Balneum egressa inunget se vnguent. supradicto, vel vngu. comitissæ, & renes, & ventrem, ab vmbilico vsque ad pectinem, partemque posteriorem ei oppositam; & vtatur elect. iam dicto. Aut loco balnei, ex iisdem fiat fotus; aut ipsius decocti fumum per infundibulum in vterum recipiat. Et quoties aluus sua sponte excrementa, vt conuenit, non deiiciat, sumat ʒ j. *pilul. de bdellio circiter xj. noctis horam:* id quod commode facere licebit semel aut bis in hebdomada. Vt autem hæc omnia ordine fierent, consului præsenti domestico Medico, cum apud nos manere non posset, vt rite perageret.

SCHOLIA.

Accidit aliquando huiusmodi fluxus superfluus propter nimiam debilitatem, aut & caliditatem sanguinis (*vt diximus*) quæ fit a bile mixta sanguini; vnde hæc bilis acris sanguinem exacuit & subtiliorem reddit, & orificia venarum aperit, ob mordicationem, quam tunc facit. Idcirco remouendo caussam eius, oportet bilem ipsam euacuare, & incrassare sanguinem, vt hoc modo. ℞ *syrup. de end. myrt. ana ℥ j. ß. aquæ plantag. portulac. end. ana ℥ ij. misce.* vel detur syrup. quo nos vsi sumus; deinde eodem purgetur. Postea ea, quæ intus exhibentur per os & per vterum, & reliqua topica adhibeantur; vt iam satis dictum est. Si plura de his desideres, vide Leonellum cap. proprio: Ita quoque si salsa pituita fuerit caussa huius superflui fluxus, vel per apertionem, vel erosionem, syrupus e corticibus citri conueniet, vel mel rosaceum cum syr. myrtino, vel ex absinthio, & purgabimus hoc vel simili modo. ℞ *cor. myrob. cb. bul. ʒ iiij. agarici trochisc. ʒ j. fiat decoct. in aqua plantag. in quo ℥ j. ß. syrup. ex infus. rosi. pallidarum dissoluas, & fiat potio.* Postea constringatur cum iis, quæ nunc dicta sunt. Quale & hoc decoctum est, quo puerpera cum enormem fluxum mensium pateretur vsq; ad syncopen, commode vsa est. ℞ *sigilli beatæ Mariæ, millefolii, bursæ pastoris, rosar. cum toto, pilosellæ, ana m. j. sem. acetosæ, plantag. gran. myrti, sumach, ana ʒ j. lentium excortic. gummi arab. ana ʒ ij. radic. nenuph. citrin. ʒ iij. nucis moschatæ, schœnanthi, ana ʒ ß. rad. consolidæ maior. exsicc. ʒ ij. decoquantur in ℔ ij. vini rub. & ℔ j. aquæ plantag. exprimatur & dulcoretur decenter saccharo.* Sumebat autem cum paruo cochleari istum puluerem. ℞ *rosi. rub. been albi & rub. spodii, ana ℈ j. ossium capitis caponis, farinæ glandium, coriand. præpar. ana ʒ ß. margar. corall. rub. ossu de corde cerui, hyacinthorum, sem. antheræ, ana ℈ ß. cinnamomi electi, ʒ j pul. & misce cum saccharo ad pondus omnium.* Inungebatur ter quaterue lumbi hoc vnguent. ℞ *olei rosi. myrtin. cydon. ana ℥ ij. decoct. bursæ pastoris, sem. plantag. sem. acetosæ ℥ j. vnguent. comitissæ ʒ ß. bulliant simul ad consumtionem aquæ decoctionis, & cum modico ceræ fiat vnguentum.* Quibus hæc curata fuit. Ceterum hic meminisse oportet, quod plerumque, vt de signis prognosticis diximus, in diuturnis menstruis fluxionibus subsequi solet hydrops: quemadmodum euenit vxori M. Theodorici, quæ prope Templum nouum Delphis habitabat. Hæc enim cum per tres annos mensium profluuio laborasset fere continuo, licet diuersis remediis, vt germine ouorum, modo albumine ouorum cum aqua plantag. ad cõstrictionem, tum aliis infinitis, iisq; variis; etiam a me exhibitis, interdum constringeretur; sæpius tamen eodem fluxu redeunte, ad extremam debilitatem deuenit, inde ad cachexiam; mox ad hydropem, fluxu tandem restricto: ita vt pro deplorata haberetur, cum & pedes valde intumescerent, & tãdem incedere non posset. Vt illud symptoma, post tam diuturnum fluxum relictum, curaremus, multis adhibitis remediis ad hydropem & leuco-

Si fiat ex salsa pituita, quid faciendum.

leucophlegmatiam, qua ad extremum laborabat, facientibus, post vniuersalia remedia, quæ aquam educerent per vias vrinales, vtebamur modo dialacca, modo diacurcuma. Et tandem per lotium multam materiam aquosam continuo effudit. Demum ad pedes tumidos, in magnam molem auctos, & œdematosos, balneo sequenti vsus sum.

7

℞. foliorum sambuci, sampsuchi, florum chamæmeli Romani, foliorum rorismarini vna cum floribus, saluiæ, foliorum lauri, ana m. vj. cumini, salis, ana p. ij. fiat decoctio in aqua & aceto acerrimo adiecto. aqua hæc in magnam cupam reponatur, vimine intertexto & cancellato superimposito & pedes nudi super eodem ponantur, vestibus vndique circumcincti, fumum ex ea aqua calida recipiat, atque sudor omni mane ita prouocetur. Postea & in eodem balneo pedes imponantur; idque omni mane per plures dies, ventriculo ieiuno. Hoc præsidio tandem incipiebant detumescere crura; tum fasciis circumligabantur: idque continuando per plures dies, a leucophlegmatia, tum hydrope miraculi instar, curata fuit. At Matronæ cuidam. Quæ fluxum muliebrem & menses copiosos ita habebat, vt in syncopen quasi incideret, nec vllis modis restringi possent, mulier quædam exhibuit tria cochlearia aquæ plantag. cum tribus cochlearibus vini rubei, adiiciendo vitellum vnius oui, leuiter tandem ebulliendo. Singulis diebus omni mane totum sumebat, super dormiendo. Vix duobus diebus, aut tribus, cum sumsisset, fluxus ille enormis cessauit, & sanitati restituta fuit. Hoc eodem remedio postea & plures a fœdo illo malo liberatæ sunt per me, Deo adiuuante. Hæc satis sint dicta de menstrua purgatione rubra. Nunc ad fluorem muliebrem accedamus, quem alii menstrua alba appellant.

Observatio XIX.

De fluore muliebri, aut menstruis albis.

1

VXor illius Cornelii Alcmariani, in platea frumentaria habitantis qui vascula conficiebat, vltra decem annos cachexia affecta, facie admodum pallida & cadauerosa, per vndecim annos fluore muliebri, vel menstruis albis, detinebatur. Cum autem in patriam essem reuersus, & apud patrem tunc agerem, hæc quidem vicina nostra me consulendi caussa accessit: cui inprimis adhibuimus medicamentum, quod aluum & simul aquam duceret: deinde diuretica propinauimus: mox ad illa confugimus, quæ ad hydropem valere scripsimus; quibus etiam melius habere visa est. Verum cum tenuioris fortunæ esset, paulo post curationem reliquit, ac suo more viuens ad hydropem deuenit, & cum tunc pro deplorata haberetur, in maxima copia ebibit ceruisiam Gedanam, qua quidem casu & bona sua fortuna aluus supra modum soluta est: &, tota aqua cum maximo impetu per aluum effusa, præter mentem curata fuit. Cum autem hæc illi contigissent, hortabar, vt nunc aliquibus medicamentis vteretur, quæ hepar roborarent, ne rursus eiusmodi superfluitates aquosæ regenerarentur. At mulier sui negligens, suo more vixit; quamquam ei eadem medicamenta proposuissem, quibus Galen. in Boethi vxore (*de quibus suo loco*) vsus fuerat. Proin post duos tresue menses iterum in consuetum muliebrem fluorem incidit, neque tunc nostro consilio, aut aliorum medicorum celebrium vti volens, paucos post annos denuo in hydropem lapsa est; nec vllis præsidiis vtens, ex eadem hydrope mortua est.

Scholia.

2

FOEmina aliquando totius corporis culpa non purgatur (*vt in præcedentibus, cum de retentione menstruorum ageremus, diximus*) aliquando parcius aut liberalius, *vt iam mox ostendemus.* Ita quoque interdum malum quippiam per vterum excernitur, *vt liquet ex Galen. 3. de caussis symptom.* Quæ quidem affectio vocatur a Græcis ῥοῦς γυναικεῖος *vt patet ex Galen. citato loco, & lib. de diff. sympt. & 6. de locis affectis.* quem secuti sunt Paulus *lib. 3. cap. 73.* & Aetius *cap. 65. lib. 16.* A Latinis vero *Muliebris fluxio*, seu *Profluuium muliebre* appellatur; ab aliis *Superfluitas alba.* Is fluxus maxime mulieribus laxis carnibus & pituitosis accidit; vnde albos flores vulgus vocat, alii *Menstrua alba.* Est vero totius corporis recrementi destillatio, *vt inquit Paulus.* Vel vteri destillatio diuturna, *vt Aetio visum est.* Vel vniuersi corporis per vterum expurgatio, ipso haudquaquam affecto: vt ex Galeno colligitur locis citatis: ita vt nec alicuius determinatæ corporis partis affectio hæc dici possit. Iuxta alios modo est ab vtero solo, modo per consensum aliorum membrorum: interim ea ipsa est symptoma in genere excretorum immodice, præsertim in qualitate: nam vitiosum est quod expurgatur, *vt eodem lib. De diff. & 3. de causs. sympt. scriptum est.* Fluunt enim ex vtero aliæ humiditates a sanguine, modo permistæ, nunc sinceriores: atque vario colore, aliis albæ, aliis virides, aliis fuliginem imitantes, aliis flauæ. Sed inter albas differentia est substantiæ. Aliquando enim pituitam lentam imitatur, aliquando tenuem & aquosam. Ex qualitate etiam quoniam alias acris est & mordax, quod plurimum euenit; alias mitior. Corpus enim per hanc partem, vt diximus, sese expurgare tentat; idq; per excrementa varia, pro natura humoris qui abundat. Sic itaq; mulieres reddunt per vterum quædam excrementa serosa, quam purgationem muliebrem appellant, quod illis sit peculiaris & propria. In quibusdam quotidie, in aliis post mensium purgationes, nonnullis euenit inter duas purgationem tantum. Aliquibus hoc vitium a toto corpore dependet; in reliquis ab affectibus vteri, *vt Rondeletius quoque censebat.* Generatur autem hic fluxus muliebris, vel ex complectendi functione imbecilla, vel expultrice immodice concitata, vel ambabus simul læsis, aut quod totus sanguis tenuis, serosusque est redditus, *vt lib. de diff. sympt. a Gal. scriptum est.* Atqui sanguis talis fieri potest, vel ex sanguificæ facultatis operis frustratione; vel ex eius, quæ tenue & serosum separat, seu idem excernit. Incidere etiam aliquando potest ex retentricæ ipsa immodice opus suum vrgente, & cute inspissata & renib. occlusis;

Muliebre profluuium quid sit.

Quæ pars affecta.

Quis affectus præter naturam sit.

3 *Differentia.*

Caussa.

ex eiusdem Galeni decreto. Vel ambabus simul læsis ob copiam & sanguinis qualitatem. Et ita secundum quosdam a tribus quoq; caussis potissimum procedit. Primo a toto sanguine aquoso transmisso ad vterum, quo fluxu subinde sequitur totius alleuiatio, modo non superfluat & diu adhæreat; idque etiam ab hepate: quando nimirum a toto prouenit. & hepar debilitatur in significando, vt non possit probum ac bonum sanguinem generare. Secundo a capite, humiditatib. in cerebro per viam indigestionis collectis, vel ex vaporibus eleuatis ad caput seu cerebrum, vbi conuertuntur in aquosam materiam, quæ descendit per nucham vsque ad vterum, & euacuatur ab eodem. Tertio ab vtero ipso, quando vterus proprium suum nutrimentum non digerit, & id in humiditates multas mutatur, quas natura propellat foras. Ita & Syluius dicebat: *Albus hic fluxus fit ab imbecilla coctione ventriculi, & corporis totius, ex mœrore, vel vsu ciborum pituitosorum.* Sic & Fernelius: *Caussa autem*, inquit, *quæ corruptum humorem assiduo gignit, alias in vtero, alias in principibus partibus consistit.* Grauiter proinde hallucinantur, qui omnium ex vtero prodeuntium, quemadmodum & omnis suppressionis mensium, caussam ab vno requirunt vtero. Etenim quibus mulieribus viscera refrigerata, vel obstructa, vel scirrho dura, cruditates, malum habitum aut leucophlegmaticam inuexerunt, corruptus humor in varias partes effusus, sæpe in vterum procumbit, &, illac decurrens, corpus expurgat; quod quibusdam per renes aut per aluum fieri diximus. *Sic mulier*, apud eundem Fernelium, *hydropem mensibus singulis per vterum expurgabat.* Altera caussa ex vtero quidem rarior exsistit: eaque vel intemperies est, fereq; frigida; vel imbecillitas ab vteri gestatione, a partu, cōtusione, aut ab alia externarum caussarum vi contracta, vel erosio; vel exulceratio ex inflammatione, aut ex abscessu derelicta. His quippe caussis oblæsus vterus, & proprium alimentum male conficiens, excrementa multa progignit, quæ foras elabuntur & excidunt. Hæc illustrabuntur exemplis viuis subsequentibus.

Observatio XX.

De menstruis albis, per modum consultationis.

Generosæ cuidam & nobili matronæ ab vtero continuo humiditates effluebant, ita vt hanc ob caussam sterilis permaneret, & si conciperet, ad felicem partum non veniret. Erat enim muliebre profluuium, quod menstruum album vocant: plurimum pallebat, cibos fastidiebat, ægre deambulabat, tumebant genæ & totum corpus flaccidum erat, quasi ad leucophlegmatiam inclinata esset. Et quantum ex iis notis, quas etiam enarrabat vuluæ rheumatismus, erat id ex vniuersi corporis humore defluente ad vterum, fluxioque erat alba, pituitosa, & serosa; nam & fasciæ siue panniculi in vmbra exsiccati, album colorem præferebant. Non concipiebat propter humiditatem vteri, qui ob continuam defluxionem semen non retinebat; & si concepisset, partus facile ante tempus excidebat: vti etiā eueniebat mulieri cuidam crassæ ceruisiariæ apud Delphēses, quæ plusquam octies abortum ex leui caussa passa fuerat. Raro enim vuluę habitudo humida sine rheumatismi vitio euenit, & superabundantis humoris capax est: veluti enim nauis carina, corriuantium humorum locus est. In hac nobili muliere contingebat tam ex debili concoctione ventriculi, quam hepatis mala sanguificatione, totius corporis humore ad vterum profluente. Quamobrem vt huic recte consuleremus, animaduerso iam profluuii modo, intelleximus similem fere casum esse cum vxoris Boethi, cuius historiam Galenus posuit in libro de præcognitione: & hic casus difficilis quidem est, & ideo particulatim recte proponitur a Iacchino, viro doctissimo, & diligentissime examinatur. *Medici*, inquit, *ante Galenum cogitabant de curatione, atque eam in duobus scopis ponebant.* Primus erat *siccare totum corpus, & partes, quæ circa vterum:* secundus, *astringere & roborare eas partes, quæ a toto suscipiunt.* Hæc enim sunt communes intentiones in morbis e fluxione, vt respiciamus mandantes partes & recipientes. *Sed hac via*, inquit Galenus, *cum processissem, nihil est profectum: sed res in deterius labebatur.* Attamen meliorem curationem hac nemo inuenire audebat, cum neque Rationales per methodum, neque Empirici per experientiam meliorum inuenissent. Cum ergo sic dubii essent, tumor circa ventrem apparuit, ita vt grauida crederetur. *At Medici hoc non suspicabantur*, inquit, *quoniam caussam tumoris cernebamus, id est, aquosum humorem, qui ex parte quidem excernebatur, sed maiori sua parte retentus, tumorem fecit.* Hic ergo videtur Iacchino erratum fuisse, scilicet astringentibus intempestiue adhibitis, id est, non bene antea siccato corporis habitu. Erratum post ab obstetricibus, cum lauarent, & victum prægnantium instituerent: id est, non respicientes humidum affectum. Rogabat igitur Boet. rursus, vt mulieris cura haberetur: sed persequi tutum non videbatur, inquit Galen. nemo tamen hunc modum reprehendere audebat, inde omnes hæsitabant. Tandem ipse cogitans super ea re noctu, in mentem reuocauit symptoma quoddā, quod est mollities musculorum, qui circa hypochondria sunt siti: appellat autem mollitiem, talem carnis tactū, qualem in hyposarca affectu sentimus: tumor scilicet laxus & mollis, qui digitis adeo cedat vt carnem ipsam dissoluere te posse videaris. Hic est tumor œdematodes, soboles pituitosi sanguinis, qui per vniuersam carnem est dispersus. Tale quid sensit circa hypochondria, vnde coniecit, affectum hunc esse intemperiem frigidam & humidam, cum humore pituitoso plurimo aggenitum ex viscerum intemperie, quibus debetur concoctio, peruenientem vero ad vterum pellente natura: qua expurgatione prohibita, vterus intumuerat, & viscera ipsa eo humore plena, vicinas partes & sibi incumbentes affecerant: inde mollis tumor. Iam igitur nosse poterat in quo prior curatio defecisset: nempe quod respexerat solum superfluam humiditatem siccando: (*nam de siccatione*

solum meminit) oportuit autem adiicere, & calefacientia. Sed alia ratione reprehendendus modus ille veniebat; quoniam astringentibus vtebantur intempestiue; vnde retentis excrementis, tum venter, tum hypochondria frigida & humida intemperie magis affecta erant, atque aquoso humore intumuerant; ac proinde de hydrope mulier periclitabatur: vt nostra quoque hæc matrona, quæ neque grauida erat. Huius secundi erroris non meminit Galenus: sed innuit, inquit Iacchinus. Postquam secundo loco curam instituunt, nihil astringentium meminit: non quod prorsus damnanda essent, vt videbimus; sed quia intempestiuus vsus eorum damnandus est: hoc est, priusquam corpus egregie sit expurgatum. Instituit igitur calfacere, vt & siccare: & hoc per arenam marinam excalfactam, in qua ægram volutari iussit, & operiri, ac victum potumque instituit perexiguum, ad siccandum, & frictionibus vsus est ad siccationem & extersionem eorum, quæ circa cutem, & vt excrementa plurima ad cutem auertendi gratia ferrentur. Confert enim in his affectibus e fluxione, vacuatio, quæ auersione fit. Sed & potiones, quæ deriuent adhibet, tum per aluum, tum per vrinas. Pro exemplo facit mel coctum probe, mox refrigeratum ita, vt speciem præbeat aquæ fontanæ per æstatem, id est, tunc cum æstas viget tali temperie, melle vteremur. Nam frigidum prorsus noceret affectui, & non posset fricatio ex eo fieri, quod densatum hæreat, neq; extendatur. Hæc ad corpus vniuersum fieri præcepit. Nam si vellet referre frigido fontanam aquam, quali frigiditate est per æstatem, esset vsus incommodus. Hæc diebus septem peracta: quæ cum conferre visa sunt, ausus est Galenus solus petere curam mulieris. Primum ergo aquam ducente per aluum medicamento est vsus; qualia sunt, quæ supra de hydrope posita sunt: secundo propinauit aquam, in qua asarum & apium erant incocta; ac postridie medicamentum rursus aquã ducens propinauit, vt ita assuesceret natura ad vrinas, & per aluum excrementa deducere, quæ antea in vterum confluebant. Vsus quoque est quotidie fricationibus ex linteis; primum mollioribus, mox asperis, demum ex melle iam dicto. Itaq;, inquit, post dies 15. nihil affectus restabat. Hæc, si aquosus & frigidus humor sit collectus, prosunt. Hac muliere curata, Boethus quadringentos aureos ad Galenum misit. Consului ego itaq; cum Medici domestici præsentis consilio, vt hæc ipsa matrona nobilis, præter victum exsiccãtem & excalfacientem, etiam medicamentis aquã & humores aquosos per aluum educentibus, vt diacarthamo & similibus, vteretur: deinde iis, quæ per vrinam tales humores educere valent: & tertio etiam iis vteretur, quæ per cutem eos humores euocare possent. Suasi insuper vt ea ipsa crebrius repeteret, quo, corpore toto ita probe repurgato, & humiditas vteri cum exsiccantibus caloremque eiusdem vigorantibus corrigeretur, ac retentiua vis matricis simul roboraretur & constringeretur; vt non solum fluxus ille diminueretur & cessaret, verum etiam, vt semen recipere posset, ac receptum retinere. Imitabar scilicet consilium illud 207. Montagnanæ pro Domina cuiusdam strenuissimi militis, ad fluxum vteri ab immoderata humiditate, cuius caussa sterilis esset. Tandem ad ea deueni, quæ fluxum illum album simul constringunt, & humiditates albas tollunt; qualia etiam apud eundem Bartholomæum de Montagnana referuntur ad longũ consilio 204. 211. 214. 215. 216. 217. in quibus consiliis multa & apta remedia inuenies ad menstrua alba: quæ nunc breuitatis caussa omittimus, eadem etiam tunc domestico Medico perlegenda dedimus, quibus etiã immutatis pro suo iudicio vti posset.

SCHOLIA.

7. *Signa demonstratiua.*

Signa vero profluuii muliebris demonstratiua facile innotescunt, ægram interrogando & inspiciendo ea ipsa, quæ ab vtero prodeunt, præsertim si mulier sentiat tales humiditates ab vtero emanare. Sed antequam ad curationem procedatur, diligentiore examine opus est, non solum ex qua caussa & humore ortum habeat, verum etiam quomodo caussæ distinguantur, & quibus modis ab aliis affectibus & inter se differant.

Signa profluuii muliebris.

Nam fluxus muliebris, *vt Aetius refert lib. 16. cap. 67. ex Archigene*, licet diuturna sit vteri destillatio, ab eruptione tamen sanguinis differt, vt in qua sincerus sanguis emanet: hic vero fluxus corruptus apparet; diuersorum tamen colorum, pro diuersitate reduntantis succi, vt dicemus, qui etiam citra dolorem prodit. Quapropter loci (*teste Paulo*) continuo madent humoribus colore variantibus: laborans decolor est, cibum non sentit, eumque fastidit, in obambulatione difficulter spirat, oculos habet prætumidos, nunc cum dolore, nunc citra dolorem.

8. *Fluor muliebris quibus modis differat a menstruum profluuio.*

Fluor muliebris inquit Fernelius, *differt a mensium profluuio, quod non sincerus sanguis, sed corruptum quiddam prodeat, idque continenter, aut nullo ordine, nulloque circuitu. Est autem id modo liquidum & albicans, lactis sero, aut ptisanæ cremori persimile, modo citrinum; modo pallidum, adeo acre fere & adurens, vt quascumque partes attigerit, erodat haud leuiter: atque id rursum modo tetrum est & graueolens, modo odore nullo molestum.* Ita & Aetius loco citato: *Hic fluxus corruptus apparet, atque interdum ruber, estque ipsius sanguinis sanies: interdum albus. cremori ptisanæ similis, a sanguine videlicet pituitoso excolatus, interdum pallescit, vbi bilis amara redundauerit, sæpe aquæ modo liquescit, quod a seroso excremento fit.* Inferre quoque solet hic fluor inenarrabilem tristitiam, & pedum tumorem: & in aliquibus perpetua distillatio perseuerat, in aliquibus per interualla quædam redit, vt ex eodem constat. Paulus *lib. 3. cap. 63.* dicebat, fieri nunc cum dolore, nunc citra illum, aut cum exulceratione, aut sine illa, aut inflammata, aut sordida, aut pura. Verum aliquibus hoc vitium a toto corpore aliquando dependet, vt nunc ostendimus; in reliquis vero ab affectibus vteri.

Quomodo ab vlcere vteri distinguatur.

Hæc cum vlcere vteri conuenit fere, ob id distinguenda est. Distinguuntur autem ex consistentia recrementorum redditorũ. Nam

quas vlcus infestat, pus reddunt crassis, fœtidius, albius: purgatio autem muliebris est velut ichor, aut serum. Differt etiam, quod mulieres, quæ vlcus in vtero habent, maxime si in collo fuerit, congressum viri non patiuntur, aut si patiuntur, irritatur vlcus. Quæ vero menses tales patiuntur, nullam sentiunt in coitu molestiam. Quantitate etiam differunt. Maior enim copia serosæ substantiæ emittitur, quam puris. At si purus sanguis, qualis ex dissecta vena, profluit & cum dolore, vteri erosionem indicabit, de qua antea sermonem habuimus: nec tale profluuium muliebre appellari debet: nam in eo vterus nequaquam affectus est, in hoc proprio morbo laborat; qui erosio seu exulceratio exsistit: item hic corruptus fluxus qui in muliebri profluuio ruber apparet, ceu sanies sanguinis fit, vt paulo ante diximus. Differt quoque, *iuxta Benedictum Veronensem, lib. 26. cap. 11.* a gonorrhœa, seu seminali spontanea excretione, cum hæc non sine titillatione & voluptate aliquando fluat, vel ex debilitate vuluæ contingat, *vt de incontinentia seminis refertur*, seminalibus vasis imbecillibus: quod enim tunc fluit, album & limpidum est, substantiæ mediocris, sine graueolentia: ac minus abundat, quam rheumatismus hic vteri; magisque membra consumit, ac ozyus exterminat. At ex rheumatismo, seu fluore muliebri, *vt paulo ante dictum est ex Paulo*, genitale ipsum semper humore madidum est: ex seminis incontinentia non semper humescit. In eiusmodi rheumatismis vteri, turbulenta quoque & graueolens vrina demittitur, crasso humore permixto. Purgatio itaque hæc muliebris serosa est, quandoque bilis serum aut ichor, quandoque pituitæ, & id frequentius quam sanguis. Raro fit a melancholia, aut si fiat, tandem cancer excitatur in vtero, vt aliquando in praxi vidimus in muliere Bononiæ, cum eam vna cum præceptoribus inuiseremus. *Prodeuntium odor* (inquit Fernelius) *color, atque substantia fluoris speciem commonstrat.* Nam perpetuo id, quod euacuatur, tale specie est, quale est, quod in animali redundat, *vt liquet 3. de causs. symptomat.* potissimum autem id, si mulier laxis sit carnibus, & pituitosa, *ex eiusdem Galen. sententia 6. lib. De locis affectis.* Qui itaque exquisite colorem præ se fert aliquem, is redundantem humorem facile indicat. Et ita cognoscitur, cuius sit humoris ichor, aut serum, a colore, qualitate, & totius corporis cacochymia. Nam si a bile fit, color est subflauus, & pallidus, humor acris, quam acrimoniam mulieres potissimum sentiunt in parte proxima externæ, & in pterygiis. Et color quidem totus bile redundare videtur; maxime, quando per consensum totius corporis fit: quod etiam ex moribus & victus ratione deprehenditur. Quæ enim acribus vescuntur alimentis, & quæ natura sunt negotiosæ, hanc affectionem patiuntur. Sin a pituita, color totius corporis albidus est, & magna quantitas defluit, sed minus acris; vt in hac matrona, de qua nunc diximus Obseruatione præcedente, eueniebat. Sunt autem & tales otiosæ & desides, quæ hunc affectum patiuntur. A sanguine fiunt tales purgationes plerumque, *vt Rondeletius sentiebat*, tantum cum mulieres vterum gerunt, vel quando suppressi sunt menses, tunc aliquando natura loco mensium serosum excretum reddit, quod vtrumque rubescit, & tale est, quasi esset aqua pauco sanguine tincta. Tamen & aliis contingit, vt animaduertimus, quibus nec menses restricti essent, nec quæ vterum gerebant. Si corpus sit plenum sanguine atro, erit purgatio fusca; vel si cancer iam factus sit, purgatio illa non multum differt a sanguinea, nisi quod magis fusca est. Si vero obscurum colorem habeant, caussam horum ita perscrutabimur: linteum eo inquinatum arefactum, simplici aqua eluemus, & inde a maculæ colore redundantis humoris notionem capiemus, inquit Aetius. Si autem fiat sanguificæ virtutis vitio, vel eius, quæ tenue & serosum separat seu excernit, id cognosces ex iis, quæ de hepatica affectione, aut de renum affectibus conscripsimus. Inspissatam autem cutem probe ex te ipso percipies; neque magno labore retentricis, aut expultricis, facultatis læsionem, seu vtrarumque reperies. Rarius autem diximus ex vteri vitio fieri: si ita sit, cognoscetur si reliquæ partes bene habeant, & præcessit retentio mensium vel immodica purgatio, vel alia vteri affectio. Internoscuntur autem caussæ, ex solo vteri affectu venire, *iuxta Fernelium*, si fluor sit parcior, & eius affecti adsint indicia. At si ex viscerum totiusue corporis affectu fluor sit, erit copiosus, nec male affectorum viscerum notę desunt. Ceterum, quod ad prognostica, ætate vigentes mulieres rubra fluxio fere comitatur, *ex auctoritate Archigenis apud Aetium*: declinantes autem candida, quarum vtraq; si suis ætatibus contigerit facile curatur; sin alienis, difficulter. In omni vero defluxu os vteri aperitur, & veluti relaxatur. Quibusdam etiam vterus ipse decidit, vt vsq; ad muliebre pudendum progrediatur; vt vetulæ cuidam Delphensi longo tempore albo fluxu laboranti. Quamobrem magna cum diligentia curanda est affectio hæc, neque localibus auxiliis fluxus confestim reprimendus erit. Nam aliquæ inde in hydropem, aliquæ in neruorum affectiones, aut oris ventris, aut capitis, vexationes collapsæ sunt: *vt liquet ex eodem Aetio.* Corpora equidem inuadit, quibus plurimo partu & coitu partes illæ laxiores factæ sunt; quamobrem rarissime virginibus. Nihilominus tamen hic affectus non ætate maturas tantum, verum etiam virgines, quas pallor decolorat inuadit; quo & puellam octauo ætatis anno Fernelius obsessam vidit, ac diu postea grauiterque afflictam. His quoq; accidit, quæ praua viuendi ratione vtuntur, luxuosa quidem, sed minime exercitata. Vnde & nunquam visæ agrestes mulieres id pati, sed vrbanæ: & inter eas, quæ sunt magis muliebri habitu, & quæ sedentariam vitam perpetuo degunt. Diligentes in hac curatione esse debemus, cum sæpe mulieres etiam ditissimæ consilium a nobis petūt, ob multa incommoda, quę inde sequuntur. Nam & coitu lædunt virile pudendum, & steriles sunt: quoniam

Marginal notes:
9 — *Quibus modis differat a mulierum seminali spontanea excretione.* — 10. — *Signa causarū, & quales succi dominentur.* — 11. — 12 — *Si vitio sanguificæ virtutis fiat, signa.* — *Signa ex vitio vteri.* — *Ex viscerum aut totius corporis affectu.* — *Prognost.* — 13 — *Muliebre profluuium rarissime virginibus accidit.* — *Quibus autem potissimum.*

quoniam per humidas partes (*vt de muliere praecedente diximus*) semen defluit, & laxius redditur os vteri continuo affluxu, & minime validum ad trahendum semen, aut etiam continendum. Sed vlcerum periculum est, & foeditatis. Saepe etiam & pulcrae mulieres hoc solo foedantur. Adde quod faciem dehonestat, & corpus vniuersum: intumescit, facies, & oculi praesertim: pallet mulier, gracilis euadit, moesta, sine appetentia; pigritia adest immensa, lumborum grauitas & dolor: maritis nullo sunt oblectamento. Atq; hae affectiones difficilime curantur, quia pars illi prompte recipit aliarum partium excrementa, tum ob situm inferiorem, tum ob multitudinem venarum eo pertingentium, tum etiam propter consuetam illam naturalem purgationem. Post tales purgationes solent fieri vlcera in vtero, & ab vlceribus fluxus immodicus sanguinis. Si vlcera fiant arrodentia vel virulenta, a biliosa materia; si putrida & sordida, a pituitosa; carcinomata a melancholica magis eueniunt. Nulla frequentior mulieri molestia affluit, nisi quod viris & sibi hoc pudendorum madore perpetuo displicet. Non raro tamen ex putredine in corpore, aut vtero, vel ex mista bile flaua, aut seroso excremento, acrimoniam acquirit, & partes vteri vrit & vlcerat, & tandem doloris impatientia & atrophia enecat, & ob aliquem vteri affectum, alium ex vtero deprauatum infert. Vtrumq; autem conceptum impedit: quia semen vel corrumpit, vel lubricando elabi compellit.

Observatio XXI.

De fluore muliebri post naturalem mensium purgationem.

Vxori meae carissimae, post mensium naturalem purgationem, contigit aliquando vt fluorem muliebrem modo tendentem ad naturam sanguinis, modo ad bilem, experiretur: & quia saepe facies rubore inficiebatur, & venae turgidae essent, sanguinem bis aut saltē semel, in vere detraximus; & egregie iuuabat. Et hoc est, quod dicebat Aetius *lib. 16. cap. 64.* Mulierem rubro fluore vexatam curaturi, primo ad sanguinis missionem vertemur, quae non tantum ad vterum confluenti aduersatur, sed detentionem constrictionemque tutam efficit: nam multa sequentur incommoda, si repente sanguinis vel cuiuscunque fluxus impetum localibus praesidiis reprimeremus, quemadmodum etiam de mensibus profluentibus diximus: nam ita quaedam in hydropem vel neruorum morbos, aut oris ventriculi, vel capitis, inciderunt, *eodem Aetio teste.* Et sic item in hoc casu, si nihil obstiterit, *id est*, si quae obstant non valde fuerint insignia, sanguis mittendus, aetate consentiente. Et ita vena basilica secta, pauco extracto sanguine, aliquando etiam partita non solum in mea vxore, verum in aliis egregie profuit. Purgauimus deinde eandem *cum decoct. myrobal. citrinar. & puluere rhabarb. adiecto syrup. ros. ex infus. ros. rubrarum apertarum.* Et quia in lumbis saepe dolebat, loca renum frequenter inungi iussimus *vnguent. ros.* sed non ante purgationem totius corporis: nam vbi habitus vitiosus est, omnium primo castigandus est, & in suam naturalem constitutionem reducendus. Curato corpore, ad vterum veniendum: nam quemadmodum oculorum affectus non perfecte curantur, nisi corpus vniuersum curatum fuerit, sic neque vterus. Ideo bilem purgauimus cum medicamentis ad bilem facientibus, aliquo modo astringentibus, *vt est rhab. myrobal. succus ros. & earum syrup.* & quae bilis acrimoniam frangunt. Dedi etiam aliquando *pilulas ex rhab. & myrob.* frequenter maceratas in succo ros. nam pilulis magis delectabatur. Conficiebam autem hoc modo. ℞ *rhabarb. electi frequentissime irrorati succo ros.* ℥ ij. *myrob. citrin. chebul. indarum infusarum in succo ros. an.* ℥ j. *mastiches* ℈ j. *spicae* ℈ ß. *cum syrup. ros. laxat.* de quibus sumebat semel in hebdomada, in lecti exitu, duas vel tres, vel quatuor ad summum. Postea cum modice distillaret, succida lana vino & rosaceo madente fouimus, summitatesque superiores, nempe brachia, vinculis deligauimus. Quae praesidia non solum in principio post venae sectionem adhibet Aetius, verum etiam post aliquot periodos ante accessionem; in ipsa adeo accessione adhiberi possunt. Constat autem, mulierem coxis accliuibus collocandum esse, cruraque ad partes vteri colligendas extendenda & inuicem complicanda. Quod si sanguis copiose deferatur, coxas, pectinem, & lumbos spongiis posca madefactis, *inquit idem Aetius*, cooperiemus, si modice, iam dictis fouebimus. Sed & leuiter vrinam prouocantia, & simul bilem contemperantia propinauimus, vt hoc vel simile decoctum: ℞ *rad. cichorii cum toto, end. summitat. lupul. borag. fumariae, an. m. j. lactucae m. ß. iuiubar. sebesten recent. an. nu. vij. capill. vener. polytrichi, an. p. j. sem. anisi* ℥ ij. *sem. 4. frigid. maior. an.* ℥ j. ß. *flor. ros. rub. p. j. sem. pap. albi* ℥ j. *fiat decoctio pro* ℔ j *coletur & sacch. dulcoretur, & arom. spec. triumsant.* ℥ j. ß. *misce.* Deinde bibebat vinum rubrum stypticum Gallicum; & recte habebat. Dedi quoque ex hac mixtura, vel simili, ad magis restringendum: ℞ *conseru. ros. antiq.* ℥ j. ß. *diacydon. sine spec.* ℥ ß. *conserua florum cichorii* ℥ j. *pul. triumsan. corall. rub. vsti & loti, an.* ℥ j. ß. *cum syr. cotoneor. fiat mixtura.* Vtero etiam abluto decocto hordei & lentium, cum pauco sacchаro, postea etiam adiectis ros. siccis, adhibito insuper in fine fotu magis adstringente, tandem recte habuit, optimo victu vtens. Maxime iuuabat in fine collutio adstringens, moderate refrigerans; quale illud est ab Aetio commendatum: *succus plantaginis, polygoni stratiotae, cydoniorum & mespilorum. Eiusmodi*, inquit, *collationes non sunt omittendae.* Vnumquodq; istorum, iuxta eundem, rosaceo aut myrtino oleo perfundatur, fiatq; insessus in myrti, radicum rubi, malicorii, & similium decoctis. Sed quia alia iuuabant, insessionibus opus non fuit; neq; etiam pessis, tum aliis praesidiis, quae ab eodem cap. iam citato lib. 16. recensentur.

Scholia.

Qvomodo autem aquosus & frigidus humor collectus (si caussa huius mali sit) curetur,

iam ex parte diximus Obser. 20. præcedente, ex mente Galeni. Sed si alterius generis excrementum in caussa sit, quomodo erit curandum? Respondet idem Iacchinus: Erit abstinendum a calfacientibus, & purgandum corpus vniuersum, & ea, quæ vrinas ducunt propinanda. & frictiones totius cutis adhibendę, & victus instituendus, qui maxime ei humori repugnet. Semper tamen multa aquositas cum his admiscetur, & plerumq; frigida, quæ tamen vel mistione, vel putredine acquirit acrimoniam. Ideo in vxore, cum etiam bilis abundaret, vsi sumus rhabarb. & myrob. nam & hic conueniunt, quæ bilis acrimoniā frangant, quæq; aquam illam biliosam purgent: atq; etiam hic ex parte conueniunt illa, quę scripsimus superius conuenire immodicæ purgationi mensium ex bile corrodente, aut venarum arrosione. Sic bile flaua redundante, hiera cum rhabarb myrobal. citrin. decocto, ac syrup. ex pluribus infusionibus rosſ. purganda erit ægra. Sed hic abstinendum vult Rondeletius diureticis, vel aperientibus, nisi in declinatione, aut curato corpore, & cum volumus ad vrinas eos humores deriuaret: tale apozema nobis commendat idem Rondeletius. ℞ *cichoreæ, end. scariolæ, lupul. fumariæ, ciclæ, mercurialis, lactuc. borag. an. m. j. folior. brassicæ marinæ, m. ß. passul. prun. sebesten, ana par. xx. senæ orientalis & medullæ carthami, ana* ℥ ij. (sufficiet ℥ j. vniuscuiusque) *flor. cord. p. j. anisi* ℥ j. *quat. sem. frigid. maior.* ℥ ij. *tamarind.* ℥ j. *fiat decoctio in sero caprino, vel in aqua in* ℔ j. ß. *dissolue succi rosſ. syr. end. simpl an.* ℥ iiij. (sufficient ℥ ij. vniuscuiusq;) *sacchari parum, fiat apozema mediæ decoctionis*, capiat in quatuor matutinis, vel iuxta quod aluum moueat. Purgat enim aquosam materiam biliosam, & simul per renes. Si mulier sit delicata, aromat. cum sant. rub. Finitis syrupis, potest hæc potio sequens sumi. ℞ *decoct. glycyrrh. ponendo* ℥ ß. *& polypodii* ℥ j. *myrobal.* ℥ ij. *coquantur leuiter in vna parte apozematis, in quartario vno colatura dissol. cathol.* ℥ j. *vel* ℥ vj. *syrup. rosſ. laxat.* ℥ j. *misce.* In ditioribus loco *cathol.* accipe *rhab.* ℥ j. ß. Vel sumantur pilulæ in obseru. præcedente descriptæ. Conuenit & tryphera persica diasebesten. Et reiterari possunt syrup. vel apozemata, & purgatio. Sed in processu purgationis, quæ purgant & simul adstringunt magis conueniunt, quia minus deducunt recrementa ad partem affectam, & eandem corroborant & siccant. A purgatione, ea medicamenta exhibeantur, quæ proprie οὐρητικὰ, id est, vrinam cientia dicuntur, quorum sylua a Galeno scripta est *lib. 5. de simpl. medic. facult.* calida, inquam, ac sicca existentia. Sed hic quæritur, quomodo faciant ad vsum, quæ vrinas cient? Siquidem omnia cient menses. Mouebunt ergo hoc profluuium, non sistent. Respondebimus: Ea quæ proprie vrinatiua dicuntur, non mouent menses, vt ex Galeno accepimus; sed potius cohibent, dum sanguinem siccant & crassant. Quod si ad ducendos menses aliquando vtamur, hoc est ex accidenti, quatenus obstructiones, quibus detinebantur, tollunt. Contra, (*inquit etiam Iacchinus*) si vrinas ducunt liquando vel separando aquosum, vt Galenus vult, ita ergo sanguis liquatus, & aquosus humor, feretur ad vterum, sicut ad vesicam: quare augebitur affectus. Respondendum, Non fertur ad renes, humor ille, sed trahitur, prout liquidior sit: ad vterum autem, neq; sponte fertur, nec trahitur, sed truditur a natura, facile ergo auerti potest in partes alias. Et sic ab his (*vt etiam dicebat Donatus*) sanguis non extenuatur duntaxat: sed & funditur, ac secernitur; non secus atq; lac, quod coagulatur; seroso videlicet, & tenui seorsum segregato, crasso vero in sese coeunte; siquidem quo facilime ad se attrahant renes, quod in sanguine aqueum, tenueq;, ac serosum est. Vtraq; hæc conferunt, nempe totius sanguinis primum fusio, deinde segregatio; quorum neutrum absq; valido calore peragi queat. Hæc itaque peculiariter ab eodem Galeno ibidem Vretica, siue vrinam mouentia appellantur, non quia solum moueant vrinas, sed quia solas absq; vi, etiā menses, aut lac, inter quæ apium, atq; asarum eligens, mulieri, de qua antea dictum est, eorundem decoctum in aqua exhibuit. Hæc namq, per vrinam humorem, qui per vterum expurgabatur, deriuando etiam euacuant, vt ipse testatur, cum hoc quod neq; menses ciunt, vt quibusdam Arabicis falso visum est, & renes occlusos liberant; si id quoq; talis affectio, vel muliebris profluuii caussa fuerit: nec minus & per totius corporis frictiones humor quoque euacuandus est. Et si ex cute spissata adhuc talis affectio fuerit orta, iisdem frictionibus rarefiet; quæ primo mollibus linteis, demum asperis faciendę sint, *vt ex Galeni mente antea ex lib. de præcogn. ad Posthumum, diximus.* His quippe medicamentis vniuerso corpori adhibitis, intacto quidem vtero, huiusmodi muliebres fluores Galenus sanauit, *vt 6. de loc. affect. scriptum est.* At in biliosis minus calidis vreticis vtendum est, vt iā ex Rondeletio quoq; ostendimus, nisi in fine, aut corpore saltem repurgato, & humoribus acribus ac biliosis contemperatis & eductis. Quæritur etiam hic, num astringentibus vtendum? Respondetur quod sic; dum tempestiue vtaris, postquam corpus vacuatum fuerit, & per ea quæ reuellunt, & deriuant. Tunc enim assuescit natura per conuenientes regiones quotidiana excrementa mittere: quare non lædent retenta. At inter initia vti, incommodum: neque vehementer iis vtendum. Nam via est naturalis purgandi, ne forte supprimantur menses. Et ideo vbi hæc non suffecerint iam supradicta, & muliebre profluuium perseuerauerit, ea exhibenda sunt, quæ de mensium profluuio scripsimus ad retentionem conferre, quorum latissimum campum habes etiam apud Aetium *libr. 16. cap. 68.* Potissimum tamen ea eligantur, quæ non admodum efficacia existunt; item portulaca commanducata, succusque ipsius potus præsidio est: balaustium, rubi fructus, *vt inquit Paulus*, nec minus & equisetum sistit rubrum fluorem (qualis hic subinde erat in vxore mea) potum ex aqua aut vino vel hypocisthid. aut lentisci fructus torrefactus

Bile redundante, quid faciendum. 6 7. *Num vrinam cientia hic conueniunt.* 8 *Vretica.* 9 *Quæ medicamenta a purgatione competūt.* 10.

fe factus cum vino. Samius aster, terra lemnia, sphragis appellata, coagulum leporis aut hœdi, aut ouis, aut vituli, aut cerui, confert: vnà immatura sicca, piceæ cortex & myrti, & peoniæ grana pallida quindecim assidue pota, aut coral. ℥ j. e vino nigro, aut vinacea trita cum vino, aut corticis loti arboris decoctum, *Aetio teste*, præcipue ad fluorem album aut serosum; &, iuxta Galen. 10. de simpl. med. facult. leporis coagulum, si cum aceto ebibatur, sanat profluuium muliebre. Quod si cũ dolore fluxus deferatur, asininum lac, præsertim asinæ per pascua pratorum nutritæ, quicunq; fuerit succus, præstat. Confert etiam (*vt antea quoq; retulimus*) stercoris eiusdẽ asinæ succus; similiter & alicæ aut ptisanæ succus, & rosaceum quoq; vel per se, vel cum lacte infusum. Ne vero ab humore transeunte vlcus excitetur, sanies profluens assidue calida aqua eleuatur, & ipsis locis moderate astringentia adhibeantur quę simul abstergendi vires habeant: deinceps rosaceum aut myrteum aut melinum oleum illinatur, & aqua etiam pura, nihil adstringens habens admixtum, in principio præsertim, adhibeatur, ob influentis humoris acrimoniam: nec non, & ob eandem caussam & alicæ, & orycæ succus infundatur, *vt eiusdem Aetii consilio*. Ceterum vbi fluxus cessauerit, a veloci ambulatione, a multis pectinis ac lumborum frictionibus, ab acrium esu, a calefacientibus, flatuosis, & ab his, quæ vrinam prolectant, diu abstinendum est; & balneis raro vtendum; neque venter mouendus est, neque spiritus retinendus. Hæc enim omnia malum reuocant, vt idem inquit Aetius. Quæ forte præcepta (*inquit Donatus*) Boethi vxori Galenus instituit, postquam ab eodem affectu ipsam vindicauit, ne in posterum amplius eo morbo ægrotaret, ab eodem Boetho rogatus, prohibens, ne illi simile, quod vacuauerat, in futurum aliud gigneretur. Nunc vero tempus est, vt ad alia exempla earum, quæ a nobis curatæ sunt, porro progrediamur.

OBSERVATIO XXII.

De proflunio muliebri in muliere admodum biliosa.

MAtrona admodum biliosa, bile prædominante magis, quam in mea vxore, menstrua alba patiebatur, quæ calore flauo etiam linteolum inficiebant. Primo igitur materiam communem aggrauantem hoc medicamento leniente eduxi: ℞ *cassia recens extractæ* ℥ j. *pulpa tamarindorum* ℥ j. ß. *myrobal. citrinar. subtiliss. puluerisatarum* ℈ j. *sacchharo asperso fiat bolus. cœpit in diluculo.* Deinde hunc syrupum quinque diebus continuis propinauimus. ℞ *syrup. de succo acetosæ* ℥ j. ß. *syrup. ex ros. siccis, syrup. myrtini, mellis ros. colati, ana* ℥ ß. *aqua plantag. acetos. end. ana* ℥ ij. *misce pro duabus dosibus.* In istis syrup. tria complectebamur, alterando videlicet intemperiem calidam totius, ac hepatis præcipue generandis bilem; etiam corrigendo materiam aquosam, & quasi pituitosam per mel rosaceum, quæ semper nonnihil peccat, etsi a subdominio in his superfluitatibus biliosis, tertio, vt quædam stypticas in membris & humoribus relinqueretur, propter fluxum biliosum; nam eiusmodi tres intentiones hic erant spectandæ, *vt recte etiam Benedictus Fauentinus præceptor meus in sua Empirica cap. proprio annotauit.* Deinde illam ita purgauimus: ℞ *diacatholici* ℥ vj. *elect. de succo ros.* ℥ j. ß. *rhab. elect.* ℈ ij. *sine spica* (nam magis aperit) *myrob. citrin.* ℈ ß. *cum* ℥ iij. *decoct. commun. florum & fructuum, addendo syrup. ex infus. ros. pallid.* ℥ ß. *misce, fiat potio.* Deinde ablata iam caussa antecedente, syrupis adhuc semel reiteratis, & sumtis pilulis in præcedente Obseruatione dictis, iniectoque cremore hordei cum succo plantag. & muccilag. contoneor. (nam ex acrimonia bilis sentiebat ardorem in collo vteri) & exhibita emulsione semin. 4. frig. maior. & pap. propinaui & illud quod erat secretum præceptoris mei, quo multas curauit mulieres. Præcepi nimirum, vt ieiuua hunc priusbolum per sex horas ad minus ante cibum sumeret: deinde potum per 15. dies. ℞ *albuminis oui recentis, & non cocti nu. ij. thur. masculi, boli armen. terræ sigillatæ, an.* ℥ ß. *puluerisentur puluerisanda, & misce.* ac patienti exhibeatur. ℞ *vini rub. styptici exstinctionis chalybis pluries in eo* ℥ iiij. *gummi arab. tragacant. an.* ℥ ß. *misce, & fiat potus.* detur in diluculo. Hæc erant præcipua ex suis arcanis & secretis: & egregie sæpe iuuabant.

SCHOLIA.

CVm ex bile, & præcipue ex biliosis mulieribus hæ superfluitates contingunt; his quidem omnia sicca magis quam humida conueniunt: frictiones loco exercitii, antequam surgant, vtiles sunt. Biliosus humor contemperandus est, tum expellendus ac euacuandus remediis iam sępe dictis. Conueniunt *syr. de ribes. myrtill, cotoneorum cum aqua end. portul. & plantag.* conuenit & ℥ j. ß. *rhab. infusi in aqua hordei, & expressi.* Intus verò panni linei infusi in aqua decoct. aluminis Iameni; tum alia in Scholio præcedente dicta. Inueni in arcanis M. Ioannis Tiengii, quondam Medicum Amsteldamensem anno 1538. suam vxorem curasse in fine mensis Maii, cum laboraret fluxu menstruorum alborum in tanta copia, vt vires deficerent, cum multa inflammatione ac sudore copioso, hunc in modum: Primo descripsit *pullum decoctum cum herba acetosa & sem. eius, & cum* ℥ ij. *sumach ligatis in nodulo.* Quod ius paratum cum vino rubro & vitellis ouorum sumebat pro virium restauratione. Vtebatur etiam vitellis ouorum frixis in patella cum mentha, gallitrico, nepita, & costo vulgari, herba acetosa, tam in prandio quam cœna: diu prius sumendo vitella ouorum. Mane capiebat vinum rubrum & ceruisiam Hamburgensem vel Collibegensem, cum duobus vitellis ouorum simul cocta, pane modico intrito. Quod ad medicamenta attinebat, inprimis sumsit hanc infusionem. ℞ *rhabar. selecti* ℥ j. *agarici optimi* ℥ ß. *zinzib. parum, minutim incidantur, & infundantur in aqua end. & lupul. & post horas xij. fiat expressio*: cui addantur *medullæ cassiæ recens extractæ* ℥ ß. *oxymellis simplicis* ℥ ij. *misce, fiat potio.* Eduxit quinquies. Omni quoq;

Historia profluuii menstruorũ alborũ curati.

mane & vesperi per horam vel duas ante cœnam sumebat cochlear vnum istius pulueris permixti cum saccharo. ℞ *farinæ glandium* ℥ ß. *ossium capitis caponum, & faucium lucii combustorum, ossium dactylor. ana* ℥ j. *sem. coriand. præpar. ros. siccar. anisi torrefacti, radic. nenuph. citrinæ exsicc. ana* ℥ ij. *rasuræ eboris* ℥ j *puluerisentur subtiliter. Detur cum cyatho vno istius potionis.* ℞ *pilosellæ, rorismarini, lentium excortic. caudæ equinæ, rosar. cum capitib. melissæ, menthæ, bursæ, pastoris plantag. ana m. j radicis consolid. maioris, radic. nenuph. citrinæ, radic. sigilli beatæ Mariæ, ana* ℥ ij. *semin. agni casti, carpobalsami, schœnanthi, gran. myrti, radic. cyperi, sem. acetosæ, sumach. ana* ℥ j. *contundantur crasso modo, decoquantur in vino rubeo & aqua acetosæ pro* ℔ j. *pro quatuor vicibus.* Postea exhibuit hancinfusionem: ℞ *corticum myrob. chebul.* ℥ ij *citrinor.* ℥ j. *tragac. gummi arab. ana* ℥ ß. *infundantur in aqua plantag. & acetosæ per horas 18. postea fiat expressio, cui addatur diacathol.* ℥ ß. *&* eduxit bis satis copiose. Deinde iterum vtebatur 6. vel 7. diebus potione & puluere. Et denuo sumsit infus. myroba. & spina dorsi tota inungebatur mane & vesperi hoc vnguent. ℞ *ros. cum capitib. sumach. semin. acetosæ, plantag. bursæ pastoris, granor. myrti, ana* ℥ j. *contundantur crasso modo, bulliant in aqua plantag. & acetosæ pro* ℥ ij. *exprimatur, cui addantur oleor. ros. myrtini, ana* ℥ j. *bulliant simul ad consumtionem aquæ, & cum modico ceræ fiat vnguent. molle.* Postea iterum dedit hanc infusionem. ℞ *rhabarb. electi* ℥ j. *corticum myrobal. chebul.* ℥ ß. *infundantur in aqua plantag. acetosæ, post 18. horas, fiat expressio.* Et re vigente hoc cataplasma vmbilico appositum est, vndique ad latitudinem manus, quo maximum sensit leuamen, & sanari cœpit. ℞ *gypsi* ℥ j. *boli armen.* ℥ ß. *puluerisentur subtiliss. & cum albumine oui & aceto, fiat cataplasma,* quod ponatur supra stuppam cum mediocri spissitudine, & applicetur, & cum exsiccatum fuerit, iterum humectetur. Est Bartholomæi de Montagnana.

Observatio XXIII.

De fluore muliebri aquoso & pituitoso.

Mulier pituitosa, alba & pallida, menstruis albis supra modum inficiebatur ex materia pituitosa & aquosa: in qua & metus erat de leucophlegmatia: nam & illud quod emanabat, a pituita originem habebat. Hæc cum consultandi caussa ad me accederet, vt hoc ordine medicamentis vteretur, consului. Primo vt materia hoc modo concoqueretur post leuem euacuationem seu minorationem materiæ. ℞ *diasebesten lenitiui* ℥ vj. *diophœnici* ℥ ij *aquæ artemisiæ* ℥ iij. *mellis ros. colati* ℥ j. *misce.* Syrupus talis sit: ℞ *syrup. de eupatorio, de artemisia, de radic. ana* ℥ j. ß. *aquæ artemisiæ, agrimoniæ, nepitæ, ana* ℥ ij *misce pro duabus dosibus, adiecto cinnamomo ad* ℥ j. *& puluì. spec. diamoschi dulc.* ℈ j. *ori suauius reddatur.* Eoque finito: ℞ *pilul. de hiera, agarici trochisc. ana* ℥ ß. *cum melle ros. fiant pilulæ vij. dentur in exitu lecti.* Fiat & tale apozema: ℞ *radic. petrosel. fœniculi, cyperi, valerianæ, rubiæ tinctorum ana* ℥ ß. *absinthii, hyssopi, artemisiæ, melissæ, nepitæ, menthæ, ana m. j. pulegii, cassutæ, valerianæ. ana m. ß. semin. anisi, carui, fœniculi, dauci: ana m. ß. brassicæ marinæ m. ß. spicæ nardi* (exsiccat enim humiditatem) ℥ j. ß. *cicerum rub. m. ß. stœchados. florum chamæmeli, rorismari, ana p. j. coquantur in aqua communi pro* ℔ j. ß. *colaturæ, adde syrup. de absinthio, de eupatorio, de artemisia, ana* ℥ j. *sacchari parum ad saporem, depuretur, additis* ℥ ij. *cinnamomi selecti, &* ℥ j. *spec. diambræ, iucundiore & odore & sapore reddatur.* Vtatur diebus quinque appetente diluculo. Postea purgetur cum ℥ ß. *diacarthami in tabulis.* Vel si pilulis delectetur. ℞ *pilul. aggregat. cochiar. de agarico, ana* ℈ j. *cum aqua betonicæ fiant pilulæ vij. altero die sumat mithridaticæ confectionis, theriacæ, ana* ℥ ß. *scobis eboris,* ℈ ß. *misceantur, & postridie post purgationem mane sumantur sex horis ante pastum.* Potest etiam sumere decoctum apii & asari, vt Galenus faciebat. Vtatur deinde condito seu electuario sequenti. ℞ *conseruæ rorismarini* ℥ j. ß. *conseruæ florum betonicæ, stœchad. si haberi possint, ana* ℥ ß. *puluer. diarod. abbat. arom. ros. sine moscho, dialaccæ, diacurcumæ, ana* ℥ *cornu cerui, corallis rubri, vsti, ana* ℈ iij. *conchar. marinar. vstarum & lotarum in vino* ℥ j. *cum syrup. conser. corticum citri q. s. fiat elect. molle, capiat ad magnitudinem paruæ castaneæ.* Conuenit hic etiam vti balneo naturali, vt sulphureo aut aluminoso, mane & vesperi ante pastum per dies decem. Verum vbi non sunt, tale parari potest. ℞ *folior. lauri, origani, calaminthæ, pulegii. menthastri, sabinæ, ana m. iij. artemisiæ, melissæ, nepitæ, betonicæ, sampsuchi, ana m. iiij. radic. rubiæ tinctorum, cyperi, ana* ℥ ij. *radic. rusci, asparagi, ana* ℥ ij. *spicæ nardi, iunci, odorati, ana* ℥ ij. *semin. rutæ, dauci, anisi, fœniculi, seselios, ana* ℥ ß. *radic. valerianæ* ℥ ij. *coquantur in aqua pro balneo, quo irrigetur & se lauet.* Videndum tamen, quod si valde fluant humiditates albæ, ne concitatior fiat fluxus, vt styptica magis addantur. Aliquæ lotionem recusant: & si hæc matrona idem faciat, calentis decocti prædicti fumum per infundibulum in vterum recipiat. Quod si his remediis fluor non vincatur, rursus semel in hebdomada accipiat has pilulas. ℞ *pilul. mastich. agarici trochisc. ana* ℥ ij. *cortic. myrob. chebul.* ℈ ij. *excipiantur melle ros. &c.* ℥ j. *fiant pilulæ vj. dentur iij. pro vice.* Fiat & pessus ad vteri repurgationem. ℞ *artemis. sampsuchi, dictamni, absinth. ana* ℥ ß. *corticis olibani* ℈ j. *puluerisatis & exceptis cum succo mercurialis, fiat pessus demittatur in vterum.* Quod si forte magis fluat, tunc astringentibus vtendum tam per os, quam etiam intus muliebribus impositis, vel infusis. Et vbi hæc affectio inclinauerit, quod ex humore perquam pauco effluente cognoscetur, vt prorsus exsiccentur, sequenti pesso vtetur. ℞ *acaciæ, balaustiorum, cucullarum glandium, menthæ, olibani, spicænardi, ana* ℥ j. ß. *excipiantur succo polygoni, aut millefolii, aut plantag. vel sanguinariæ:* hisque omnibus, linteo raro inuolutis, fingatur pessus, qui filo coxæ alligatus in laborantis pudenda immittatur; mutetur que quotidie, recenti alio imposito. Succini farina cum sorbili ouo detur. Hæc sunt, quæ ad album fluorem prosunt, & præcipue hic puluis, quo multę matronę nobiles, post vniuer-

vniuersalia remedia, sanatæ sunt: ℞ *faucium lucii, capitis caponis exsiccat. in furno ana* ℥ ß. *ossium dactylor.* ʒ ij. *coriand. prapar. semin. anisi torrefact. ana* ʒ j. *rad. nenuph.* ʒ ß. *zacchar. ros.* ℥ iij. *datur* ʒ j. *cum vino rubro.* Hæc nobili viro, pro eius vxore curanda, pro consultatione dedimus, vt iis vteretur cum medici sui domestici consilio.

Scholia.

5 Curatio muliebris profluuii ex pituita.

His vero vniuersa victus ratio ad caliditatem, & siccitatem, & potus paucitatem, inclinare debet, abstinendo ab humidis, vt iusculis, & multo potu, & ab his, quæ humorem aut serum generent. Præterea iisdem curantur, quibus vxor illa Boethi, de qua prius dictum est. Et sic si sit a toto, deponendo, secundum alios, seu minorando materiam noxiam, secundo digerendo & eradicando illam: tertio hepar confortando, vt possit bonum sanguinem generare. Minoratur hoc modo: ℞ *pilul. aggreg.* ℈ ij. *agarici trochisc.* ℈ j. *fiant pilul. v. dentur ante diem per horam.* Digeratur hoc modo: ℞ *syrup. de eupatorio, mellis rosacei colati ana* ʒ vj. *syr. de end.* ʒ ij. *aquæ absinthii, capill. Veneris cichorii ana* ℥ j. Purgetur hoc modo: ℞ *diacath.* ʒ v. *diaphœnic.* ʒ j. ß. *elect. indi maioris* ʒ ij. *dissolue in* ℥ iij. *decoct. flor. & fructuum melissæ, absinth. passul. ab acinis repurg. liquir. ras. sebesten iuiub. adiect.* ʒ ß. *mell. ros. colati.* Vel: ℞ *pilul. indar.* ʒ ß. *aggregat.* ℈ ij. *fiant pilul. v. vel vij.* Si a capite, minoretur materia hoc modo: ℞ *pilul. fœtid. cochiar. ana* ℈ j. *hieraparum fiant pilul. v.* dentur hora secunda post cœnam. ℞ *syrup. e stechade, mellis ros. colati, oxymell. simplic. ana* ʒ ß. *aqua betonica, melissæ, bugloss. ana* ℥ j. *misc.* Eradicetur hoc modo: ℞ *pilul. fœtid. cochiar. agar. trochis. ana* ℈ j. *cum syrupo e stechade, fiant pilul. v.* Vngatur nucha oleo costino, cum lectum sero intrabit, & hic pulu. capiti inspergatur: ℞ *corticum thuris, mastich. sandaraca, stœchad. arab. cubeb. ros. rub. ana* ʒ ß. *fiat pulu. subtilissimus.* Si ab vtero: ℞ *pilul. fœtid.* ʒ ß. *pulu. bened.* ℈ j. *fiant pilul quinque;* dentur mane. ℞ *syrup. de artemisia, mell. ros. colati, oxymel. simplic. ana* ʒ ß. *aquar. artemis. melissæ. adianth. ana* ℥ j. *misce.* ℞ *pilul. fœtid. aggreg. pilul. de benedict. ana* ℈ j. *trag. gr. j. fiant pilul. vij.* Istis intentionibus peractis, mundificetur vterus, & roboretur p[essis] *ex herba mercuriali, adiecto melle; vel solo melle cum bombace, vel abluendo hydromell.* ℥ vj. *mell. ros. colat.* ʒ ij. *& sumen & pectinem inungendo oleo liliaceo, spicato, & costino, simul mixtis.* Alii hoc modo fluxum muliebrem aquosum ex pituita curant, primo purgando, medicamentis pituitam purgantibus, *vt agar. carth. elect. de cit. sol. diac.* & concoquunt materiam, & modice calidis, *vt mell. ros. syrup. de artemisia.* Post primam euacuationem, *syrup. de absinthio,* & aliis quibusdam leuiter adstringentibus, vt in hunc modum: ℞ *pilul. de hiera, vel de arom. ana* ʒ j. *agar. trochisc.* ʒ j. ß. *cum melle ex* ʒ j. *fiant pilulæ vj. vel. vij. in exitu lecti capiat.* Postea tantum iij. vel iiij. Deinde: ℞ *mell. ros. colati* ℥ ij. *syrup. de stœchade, de artemis. ana* ℥ j. *aquar. beton. hyssop. absinth. ana qr. j. misce, arom. cum* ʒ j. *diarod. abb. vel arom. ros. usque finitis,* ℞ *pilul. aggreg. fœtid. cochiar. ana* ℈. j. *cum aqua artemis. fiant pilu-*

A toto.

A capite.

6 Ab vtero.

Alia curatio pituitosi fluxus muliebris aquosi.

læ. ℞ *decoct. hord.* ℥ iij. *mellis ros. colati* ℥ j pro abstersi. medicamenti, & altero die capiat ʒ j. *theriaca media ætatis vel mithrid. v. horis ante prandium.* Si serosus humor abundet, purgetur *pilulis ex hiera, & agarico, vel potione myrobal. chebul. syr. multipl. infus. ros. rub. vel persicarum.* Quod si neque vna purgatio satis sit, iteranda quoque eadem erit, in minori tamen quantitate; quemadmodum Galenus in vxore Boethi fecit, primo (*vt diximus*) medicamento vtens, aluum educente, secundo eis, quæ vrinam educerent, tertio, quæ per cutem humores aquosos euocabant; quibus remediis (*vt paulo ante diximus*) quindecim diebus cum vsus fuisset, prorsus prædictam mulierem a morbo vindicauit, & proinde Boethus quadraginta aureos ad illum misit. Rursus si pituitosus fuerit sanguis, nedum hiera, agar. & myrobal. purgare conuenit, verum etiam reliquis insignioribus medicamentis, pituitam per aluum educentibus, vt catapotiis fœtidis, ex sagapeno aut agarico compositis, vel etiam iis, quæ ad hydropem facere conscripsimus: prius tamen ea sunt adhibenda medicamenta, quæ iam dictam pituitam concoquere ac præparare valeant. A purgatione ad vretica deueniendum, de quibus satis dictum est, & ad topica remedia, etiam in fine adiectis adstringentibus, si fluxus perseueret, vt iam satis docuimus scholiis præcedentibus. Quidam & hic post purgationem laudant stuphas, sudorem euocando humiditatem trahendo ad cutem, vt Rondeletius, qui & vomitum ante cibum vel a cibo commendat, multoque magis, quam euacuantia; cum fiat auersio in contrariam partem. Si sit ex materia melancholica, & habeat aliquam acrimoniam, velut biliosa curanda est; nisi quod in euacuationibus vti oportet purgantibus melancholiam, vt epith. cuscuta, thymo, folliculis senæ, decoct. mercurial. & aliis, vt etiam syrup. fumar. cum syr. de end. qui magis conueniunt: nam syr. alii melancholicam concoquentes, calidiores sunt, quam vt hic conueniant. Supra partem addi possunt metallica, quibus in carcinomate palliando vti possimus *vt vnguent. ex pomphol. cerussa, tutia, antimonio, lythar. nutrito, & similibus;* ex his conficiendo *vng. empl. cum oleo myrt. & aceto.* Si nulla sentiatur acrimonia, vsurpari possunt remedia ad pituitam præscripta, *id est,* quæ calfaciunt & exsiccant. In omnibus caussis pilulæ de bdellio conueniunt: sed quia multæ sunt descriptiones, accipienda est ea, secundum Rondelet. quæ conchas Venereas recipit. Hæ pilulæ exsiccant omnia vlcera interna, neque laxant, sed potius constringunt. Vincæ peruincæ decoctum ad fouendas partes multum conuenit, & in pituitoso, lixiuium in principio; in processu lixiuium cum pauco alumine magis prodest. Balnea omnia naturalia ad id sunt vtilia, vel quæ arte parantur ex alumine, sale, vel chalcitide, vel ex lixiuio, & decoct. herbar. rad. & flor. resiccantium. Vt: ℞ *lixiuii parati ex cineribus ilicis, vel quercus, vel ficus, vel cannar. q. s. ad encathisma conficiendum, in quo decoque radic. bistortæ & lapathi acuti ana* ℔ ij. *corticis*

7. Purgatio, si serosus humor vel fuerit serosus abundauerit.

Si pituita abundet, purgatio.

8

Si ex materia melancholica.

9. Quæ in omnibus caussis prosunt.

maligranati, gallarum, suberis ana ℔ j. rosᷓ. rub. p. ij. fiat decoctio, in qua dissolue salis communis ℔ ij. aluminis ℔ j. chalcit. ℔ ß. fiat encathisma: quod & valebit ad procidentiam ani & vteri. Vtantur potius encath. quam balneo, quando constringendum est: balneo autem, quando sudor prouocandus. Et post omnia alia remedia, vtatur hoc encat. longe a mensium purgatione, ne retineantur. Idem encathis. valet in fluxu sanguinis seroso, vel immoderato fluore a raritate venarum per diapedesin. Sit tepidum tantum, & diutius sedeat in eo, reiectis excrementis alui & vesicæ. Potest etiam fieri lixiuium ex cineribus concharum vstarum, vel sarmentis, vel pyro syluestri, vel aliis arboribus astringentibus, vt sorbo, corno, & similibus.

10.

Ad menstrua alba.

Ad menstrua alba hæc commendantur a Rondeletio: *℞ folior. clemat. daphnoidis ana m. j. herbarum vatipicri, & hederæ ana m. ß. fabar. integrarum num. x. hordei integri leuiter torrefact. p. j. ros. rub. p. ß. fiat decoctio in aqua artemisiæ, vino rubro, & aqua cisternæ, ad ℔ ij. misce.* foueatur locus, vel fiat iniectio in vuluam, & hoc remedio sistentur menstrua alba.

11.

Proderit tamen vti suffumigio sequenti, post fotum vel iniectionem: *℞ galliæ moschatæ, & aliptæ moschatæ, ana ʒ ij. ladani, hypocisthid. ana ʒ j. styracis, beniouini, ligni aloes, santal. omnium ana ʒ j. nucis moschatæ, macis, caryoph. ana ℈ j. muccag. gummi tragac. q. s.* fiant trochisci, addendo *modicum carbonis salicis*: & post exsiccationem *inungantur oleo muschatelino, vel nardino,* & recipiat *fumum per embotum,* post tractam purgationem menstruam. Deinde apponatur emplastrum sequens: *℞ emplastrum pro matrice ʒ iiij. rad. bistortæ, musci quercus ana ʒ ij. fiat emplastrum rotundum,* applicetur regioni vteri, post exactam purgationem menstruorum, vsq; ad tempus purgationis, quod tunc auferatur. Oboritur autem ob virosum hunc humorem circa pudenda fœtor quidam, propter quem vxor a viro plerumque fastiditur, vulua quoque lubrica fit, & dilatatur, quo fit, vt genitale profluuium retineri non possit. Vtrique autem affectioni in hunc modum succurrendum: *℞ symphyti, balaustiorum, rhois obsoniorum, seu sumach. baccarum myrti, aluminis, boli armen. ana q. v.* horum pars vna in puluerem redigatur, pars altera decoquatur in vino adstringente, & pauco aceto.

12

Decocto calido vulua sæpe foueatur, puluere vero post fotum insperso: deinde linteum madefactum in vino, quo dicenda proxime excepta sint, admoueatur: *℞ galliæ moschatæ, nucis moschatæ ana ʒ iij. caryophyl. ʒ j. ß. moschi ℈ ß. excipiantur vino, in quo calfacto linteo madefiat, fiatque vt dictum est.* Præterea gossypii lanugo, aut linteum in prædicto vino madefactum, in vterum, in modum pessi, demittatur per noctem, mane auellatur. Hæc dicta sufficiant de superfluitatibus albis matricis & corrigendis, & sanandis.

OBSERVATIO XXIV.

De muliere laborante gonorrhœa.

1

MVlier valde formosa, cum ab aliis existimaretur, fluore muliebri laborare, a me iudicata fuit, gonorrhœa affici: nam semen album, limpidum, mediocris substantiæ, sine graueolentia emanabat, subinde, non continuo; & membra citius ac ocyus consumebantur, quam in vteri fluore. Ideo præscriptis iis remediis, quæ vasa seminaria roborarent, & simul materiam spermaticam infrigidarent, exsiccarent, & incrassarent; non certe cum iis procedendo, quæ sperma multiplicarent, sed potius ea propinando, quæ semen manifesta qualitate imminuerent. Et quia vtcunque biliosa erat, hoc inprimis minoratiuum exhibui: *℞ cassiæ recens extractæ ℥ j. elect. de succo ros. ʒ j. ß. pulpæ tamarind. ʒ j. fiat bolus.* Deinde syrup. incrassantibus his vtebar: *℞ syrup. myrt. cotoneor. de portulaca ana ℥ ß. aquæ plantag. portulacæ, acetosæ. ana ℥ j. misce.* Iis ter quaterue repetitis, hanc purgationem exhibui: *℞ seminis plantag. sem. acetosæ, agni casti, coriand. præparati ana ʒ ij. myrobal. citrinor. ʒ iij. bulliant in aqua chalybeata, & in ℥ iij. adde syrup. ex infus. rub. ℥ j. rhabarb. selecti ʒ j. misce,* detur in aurora. Ter excreuit. Postea quia ardorem sentiebat, aliquot diebus intermissis, cepit *℥ iij. lactis ouilli, & succi plantaginis ℥ ß. prius ebulliti, ac chalybeat.* addendo *ʒ j. boli armen. veræ.* Vtebatur & hoc electuario, vel hac mixtura, capiendo mane *ʒ ij. ℞ conseru. ros. ℥ j. cornu cerui vsti, farinæ glandium, gallarum, lapid. hæmatitid. seminis agni casti. ment. exsiccatæ, sem. lactuc. ana ʒ j. puluerisent. subtiliss. & cum mell. adiect. pauco zacch. ros. fiat mixtur.* Lumbis prius inunctis *vnguent. ros.* apponebat *laminam plumbeam.* Quibus optime habuit. Sed non diu lamina plumbea vtebatur; & non, nisi prius repurgato corpore.

2

SCHOLIA.

3

QVod mulieribus etiam contingat gonorrhœa, id in *obseru. 15. lib. 26.* ostendimus, agentes de pastillificis cuiusdam vxore, idque ex Aetio & Galeno. Ita & Fernelius gonorrhœam dicebat affinem esse muliebri profluuio, sed ab eo differre (*vt diximus scholio obseru. 20. huius libri*) quod nec assidue, neq; quotidie, vt in vterino fluore, sed quibusdam interuallis album, nec graueolens fluat. Atq; eandem caussam cum virili gonorrhœa habens. Et ita gonorrhœa commune vitium est, viris & mulieribus, iisdemq; de caussis eueniens. Semen enim, *vt antea diximus lib. 26.* excernitur, sine coeundi desiderio. Vbi enim non est excernendi desiderium, ibi neq; voluptas: siquidem voluptas fit excretione eius, quod vehementer angebat. Caussas iam diximus, cum *li. 26. de penis ac virga vitiis* ageremus. Est tamen huic affectui similis quodammodo exulceratio pudendorum, adeo vt medici hoc non distinguentes, confundant omnia, & gonorrhœam dicant. Similitudo vero est ex defluxus colore, scilicet albicante, cuiusmodi est pus effluẽs. Vtrũq; vero sensim stillat. Sed manifesta distinctio est odoris. Sanies enim nõ sine fœtore est: at illud caret fœtore.

4

Sanies præterea colore ruffescit, aut liuescit necessario ex transmutatione, aut cruentũ quid admistũ habet: at semen candicat prorsus. Sed & ex his, quæ consequũtur, scilicet dolore & inflammatione, quæ circa partẽ exulceratam fiunt; quib. caret gonorrhœa.

gonorrhœa. Quæ etiam sequuntur, gonorrhœam euidentem faciunt, vt contabefactio corporis vniuersi: quoniam illud excrementum est vtile; quod natura ob generationem resarcire properat, & semper eo sanguinem transmittit; adeo, vt multi sanguinem seminis vice coeundo excreuerint. Sed & lassitudo, & alia, quæ debilitatem facultatum sequuntur. Putat Iacchinus, quod Paulus & Aetius confundant hunc affectum cum Veneris insomniis, & male, vt ipse existimat. *Hic enim*, inquit, *frigiditatis vel humiditatis nimiæ germen est: illud caloris & acrimoniæ. Rursus ibi ducentium vasorum est: hic vero in seminis qualitate.* Quamobrem curæ scopus ibi est refrigerare lumbos, & pectinem, vt docet Galen. *6. de loc. aff.* & qualitatem seminis temperare: hic vero siccare cum modice calidis, vel omnino temperatis. Verum hic frigidis opus fuit in muliere biliosa: sed vt magis temperata essent cauimus, & quæ proprietate ad semen minuendum conferunt quædam frigida selegimus; iisq; ipsis adiecimus mentham exsiccatam in puluerem. Habet tamen gonorrhœa diuersas caussas, atq; inter eas a lue Venerea, *vt docuimus li. 26.* & iuxta easdem modo frigidis, modo siccis, modo calidis, vel omnino temperatis curari debet: vt non sit opus denuo curationem longiore sermone prosequi, cum in variis ibidem locis, libro iam citato, hæc ipsa ad vnguem explicata sit.

OBSERVATIO XXV.

De vteri suffocatione in vidua ex semine retento.

VIdua annum 44. agens, soror Laurentii Ahenarii, Pastoris in pago Soechtwouda dicto, præceptoris mei in iuuentute, quæ quidem Alcmariæ habitabat prope gruem, anno 1546. mense Maio, grauissima vteri suffocatione laborabat. Cumq; pro mortua haberetur, & quasi syncope afficeretur, subito ad eam vocatus fui. Erat autem suffocatio ex semine retento. Mulierculæ præsentes faciem vino aspergebant, naresq; ad tempora oblinebant, putantes hoc modo illam posse a syncope excitari; sed hoc modo malum magis augebant. Excitantur quidē hac ratione a paroxysmo syncopis, aut etiam epilepsiæ, vt spiritus conuertantur ad exteriora. Verum in hoc casu nullo modo conueniunt, neq; aromatica superius adhibita, aut naribus admota. Quare & Gradus supra textum Rhasi, ca. proprio de suffocatione vteri, hūc errorem vulgarium his verbis taxat: *Contra hunc textum, inquit, sæpe committitur error ab indoctis: nā in paroxysmo mulieri suffocatæ succurritur communiter per astantes cum aspersione & irroratione vini aromatici supra faciem infirmæ: ita vt odor ille suauis naribus communicetur, & tandem matrici, quæ talibus adoramentis delectatur, & per consequentiam vterum disponit ad maiorem ascensum: & sic non tollitur paroxysmus, sed aggrauatur* (vt huic viduæ eueniebat.) *Sed e contra oportet naribus admouere male olentia, vt est castorium, sulphur, assa fœtida, ac plumæ perdicum combusta, & similia; eo, quod vterus fœtidis contristetur, & ea fugiat, vt olentibus delectatur, iisque magis sursum rapitur.* Ita Plato vim olfaciendi vtero, tanquam animali attribuit. Sed potius illi est hæc vis propria, quemadmodum spleni ac hepati proprietas est, dulcia appetere. Quamobrem ego hic, vt ab irroratione, tum aspersione, ac frictione vini abstinerent, iussi; & vt proprios pilos combustos olfaceret, (*cum plumæ perdicis ad manum non essent*) eosque pro odoratu continuo naribus admouebam; tum frictiones dolorosas pedum adhibebam, præcipue sub volis cum sale & aceto fortiter fricando: sua enim acuitate & punctione (*eodem Grado teste*) conuertunt superfluitates ad inferiora, & excitant a paroxysmo. Adhibeamus quoque ligaturas fortes circa coxas, modo relaxando, modo constringendo. Nam hæc omnia, cum dolorem inferunt, etiam deturbant materiam ad inferiora, & inhibent ascensum vaporum ad superiora. Dum hæc fiunt, necessitate cogente, obstetricem accersiri iussimus, vt intus fricando cum digito muliebria sequenti oleo inungeret: ℞ *olei liliorum ℥ j. moschi, croci, ana gran. iij. vel quinque.* Atque hoc modo præter spem a paroxysmo excitata est. Talis autem titillatio cum digito ab omnibus medicis, vt Galeno ac Auicenna, tum aliis, commendatur; præcipue in viduis, & caste viuentibus, ac monialibus, vt asserit Gradus: minus tamen iunioribus, & elocandis, vel maritum habentibus; cum excellentius remedium sit, vt viro copulentur. Id tamen non, nisi re valde vrgente, aliis præsidiis non iuuantibus, faciendum duco; & multo minus illud sordidum exemplum (*quamuis a Galeno 6. de locis affectis laudatum*) ipsius Diogenis cynici, cuius manus hymenæum præuenerat, cum Campegio, viro pio, probare possum, cum id mollitiem sapiat. Impudicum quoq; consilium illud est, cuiusdam mulierculæ, vt pili pudendi vellicentur, quo suffocatæ ad se redeant. Id quidem factum a chirurgo nimis impudenter, dum famula quædam subito suffocata solo prostrata iaceret, multis præterea in cubiculo exsistentibus, vidimus; & illa mox cum verecundia excitata, ridentibus aliis, discessit sanata. Ceterum nostræ viduæ iam belle habenti, ne in idem malum incideret, præcepimus, vt ab omnibus dulcibus rebus quoque abstineret: nam, præter vteri suffocationem, solebat etiam ictero malo esse obnoxia. Ideo vt & decocto centaurii, & marrubii, ac absinthii sæpe vteretur, præcepi. At, suffocatione vteri non amplius redeunte, sana permansit.

SCHOLIA.

MAtrix, seu vterus, cum supernis eisq; principibus partibus communicat, cordi siquidem per arterias, cerebro per spinæ membranas, & iocinori per venas. Non mirum igitur, si, cum in eo affectus quidam oritur, omnes vel quædam prædictarum partium consentiant. Affectus hic a Græcis ὑστέρας πνὶξ, ἡ ὑστερικὴ πνὶξ, a quibusdam ἄπνοια ὑστερικὴ dicitur. Latini autem *vteri strangulatum*, seu *vterinam suffocationem*, vel spirationis ob vterum *priuationem* vocant: volentibus tamen ipsis vtraque appellatione vnum quemdam affectum

explicare, nomen assumendo, tum a parte ipsa læsa vel affecta, tum a superueniente symptomate. Alii & *præfocationem*, vocant, *vteri*. Galenus *Vterina symptomata* appellauit, volens generaliori vocabulo omnia comprehendere. Ceterum affectus hic, Paulo auctore *cap. 71. lib. 3.* est vteri recursus ad superiora, modo sursum, modo in latus; *etiam Galen. teste 6. de locis affect.* quamuis Aetius quoque fateatur, quod in hac affectione vterus velut ad supernas partes ascendisse videtur. Nec ob id, quob vbi ita per corpus vterus errauerit, ad septũ transuersum perueniens, respirationem impedit, idcirco strangulatio fit. Sic & falsa est eorum opinio, qui asserunt, vterum exsiccari, vbi suppressi sunt menses, deinde humectari, cupientem vsque ad viscera ascendere; cum vero ascendendo nonnunquam septum transuersũm contingat, idcirco animal spiratione priuari. Etenim tanquam erroneæ prædictæ opiniones a Galeno *eodem 6. de locis affectis*, impugnantur & refelluntur. Caussa igitur alia huius retractionis, seu recursus, inuestiganda erit, prius tamen parte affecta explicata, & affectu ipso. Quod vero vterus primo, ac præcipue in hoc vitio afficiatur, omnium Medicorum consensu liquet. Sed non ita liquet, qualis sit affectus. Interim tamen, si cum eius retractione seu peruersione fiat, nulli dubium est, morbum esse in situ, seu figura ipsius vteri, *prout Hippoc. & Galen. 3. de articulis scripserunt*. Citra eiusdem peruersionem, tum immodice intemperie frigida quidam vterum laborare dicunt: licet oriri haud quaquam possit, quomodolibet generationem habeat, nisi intemperies hæc principib. partibus impertiatur; cordi, *inquam*, aut cerebro, seu vtrisque primum, & deinceps ab eis vniuerso corpori. Præsertim in prima ac præcipua eius specie, seu differentia. Perpetuo itaque (*vt Donatus quoq; sentiebat*) intemperie, eaque nimium frigida, in hac affectione vterus laborabit. Qua de re morbum hunc non inflammationem, sed flatuosam perfrigerationem esse, Soranus dicebat. Interim autem simul cum ea male situatus, seu figuratus erit, pro diuersitate, seu magnitudine caussarum, ex quibus originem duxerit. Caussæ autem referuntur in semen retentum, vel in menstrua cohibita. Neoterici addunt fumos vaporesq; corruptos a materia corrupta in vtero existente eleuatos, cor & pulmonem petentes, & anhelitum coangustantes, ita vt mulieres strangulari videantur. Vapores illi inflant corpus matricis, & propter talem inflationem putant, eos attingere diaphragma, vnde & officina spirandi coarctatur: & volunt, quod isti humores ascendant ad pulmonem, cor coangustando, tum meatus illos ac vias efflationis, vnde & præfocatio oritur. Modo ascendunt ad cerebrum, & inducunt quasi vertiginem, & sepænumero epilepsiam. Modo petunt stomachum (*vt Leonellus dicebat*) & inferunt nauseam, & inclinationem ad vomitum; & tamen non fit vomitus: sed vt plurimum subsequuntur ructus, propter quem vapores illi exhalant. Aliquando iidem vapores ad gulam ascendunt; & videtur tunc, mulier strangulata interitura. Et quandoque inflatur guttur; (*vt nuper in puella nobili vidimus*) & dicunt tunc vulgo mulieres, vterum ad guttur ascendisse. Sed hoc fieri nequit, quicquid garriant vetulæ, & anatomiæ ignaræ blaterent. Quin potius vapores in caussa sunt, eleuati ab vtero stomachum & modo dicta membra impetentes. Conuenit igitur inter omnes medicos, *vt idem asserit Gal. 6. de loc. aff.* hunc affectum magna ex parte viduis euenire; hisq; maxime, quę cum antea probe purgarentur, ac parerent, atque virorum concubitu gauderent, iis omnib. priuantur, ex quib. coniicere possumus, quod ob retenta menstrua, vel ob semen cohibitum, mulieres vteri suffocatione seu strangulatione cruciantur, idq; fortasse magis (*vt idem Gal. inquit*) a semine retento contingere potest, vtpote magnam vim obtinente, vt est enim in mulierib. humidius, ita & frigidius. Semen etenim in vtero paulatim coaceruatũ, aut etiam sanguis menstruus, vitiosa redduntur, ac perfrigerantur; quib. perfrigeratis, vterus quoque taliter afficitur; a quo demum ad cerebrum ac cor frigiditas transmittitur, paulatim tractu temporis; a quib. deinceps vniuersum corpus celeriter alteratur, ac refrigeratur, (*ob eam caussam corpus hystericarum mulierum refrigeretur*) & symptomata iam dicta inferunt, vel tenui quadam substantia, veluti aura, ab iisdem incrementis ad iam dictas partes principes ascendente, vel continuitate partium traducta alteratione, per quandam veluti qualitatis diffusionem mediis corporibus, cum quibus vterus ipse prædictis principibus partibus communicat. Neq; mirum videri debet, si vel ex minima humorũ mole tanta consequantur symptomata (*de quibus latius de signis dicturi sumus*) etenim a phalangii quoque ictu totum corpus affici videtur, exiguo veneno per minimum foramen iniecto: & longe maiori admirationi est scorpionis ictus, quod breui admodum tempore grauissima infert symptomata, quanquam exiguum sit id, quod iniiciatur, aut nihil omnino, nullo apparente foramine in ipsius aculeo: nec non quod canis rabie capti solum sputum (*vt antea de morsu canis rabidi diximus*) si corpus humanum tetigerit, rabiem excitare possit, ex eiusdem sputi qualitate aucta quadam corporis dispositione, ita, vt post 6. menses, quando ad magnitudinem notatu dignam peruenerit, discerni possit (*vt de hydrophobia viuis exemplis aliquando ostendimus*) item similibus quoque affectibus infestari possumus iis, qui pernitioso epoto veneno eueniunt, corruptis in nobis ipsis adeo humoribus, vt veneni, tum qualitates, tum vires æquent. Vitiatum itaque semen aut menstruum cum retinentur corporibus, potissimum vt afficiantur idoneis, paulatim tractu temporis principalium partium aliqua consentiente, a qua deinceps vniuersum corpus celeriter alteratur, cum totum corpus refrigerare valeant, prædicta grauia symptomata inferre possunt: & alias aliæ quoque accidentium species oriri salent, pro multitudinis qualitatisue ratione, tum menstruorum, tum seminis. Et ita recte Gal. dispu-

Quid sit strangulatio vteri.

6

Pars affecta.

Quis affectus præter naturã.

7.

Caussa.

8

Vetularum nugamenta reijciuntur.

9.

10.

Gale. disputat transmutari posse in veneni naturam. Quod suppositum monstrat aliis experientiis, quod in corpore nostro possit gigni venenosus humor, qui æquet vim externi veneni. Proinde in phrenetico illo descripto *3. par. Epid.* admiratur, nō adeo quod gigni is humor venenosus possit ex transmutationibus quæ putredine fiunt, vel corruptione; sed quod latere diu possit (*non enim subita est generatio, vt nunc diximus*) & postea tamē adoriri ac occidere. Caussa videlicet latet, quousque a natura dimoueri incipiat: & tunc, caussa mota, vel inde plus imprimit; vel partem aliquam attingit, quam antea non attingebat; vel vaporem ex se mittit, quem antea non mittebat, vnde subito accidentia infert. Vterus igitur primus est, qui persentiscit malum, & pellere nititur; vnde violenter per corpus mouetur, quod veteres errare dixerunt: vel refugit noxam eam, vnde sursum retrahitur. At hæc multo dilucidiora cernentur in viuis exemplis sequentibus.

OBSERVATIO XXVI.

De vteri præfocatione partim ex menstruis retentis, partim ex semine intus remanente.

NOuimus puellam, alioqui pulcerrimam, sed obesam, & paruæ staturæ, vtcunque pituitosam, cui nomen Aleida Theodorici, quæ ad pontem lapideum Alcmariæ habitabat, quæ cum in grauissimam vteri præfocationem incidisset anno 1553. mense Iul. adeo grauiter laborabat per diem integrum & noctem, vt a paroxysmo nullo modo a mulierculis, multis tentatis remediis excitari posset. Ad quā accitus, ex matre intellexi, quod, incerto ordine, a mensibus non purgaretur. Erat & iuuencula salax, nubilis, & vnica filia, ita vt non solum ex mensibus retentis, sed & semine intus recluso hoc malum oriri existimarem, ob grauissima symptomata, quibus apprehendebatur. Videbatur semimortua; audiebat quidem, sed non poterat loqui. Quia videlicet materia non trahitur, aut extra mittitur sufficiens ad vocem, aer qui trahitur inspiratione, idem & reiicitur exspiratione, ob dilatationem & compressionem thoracis. Ob id enim non loquuntur, quia aer is satis non attrahitur, aut extra propellitur. Alii referunt ad frigiditatem humidi & frigidi seminis totum corpus refrigerantis, vt sic transpiratio illis vix sufficiat: *de qua re latius in Scholio.* Videbatur igitur hæc tam ex menstruo suppresso, quam semine retento, laborare ex tetro vapore sursum elato per spinæ membranas & neruos cerebrum. Modo enim sine sensu mortua iacebat, modo haud dissimile morbo comitiali, quid patiebatur, modo cū stupida permaneret, crura tantum videbantur conuelli, sed non diu. Et licet non loqueretur, subinde plorabat, rursus ridebat. Venit mihi tunc in mentem illud exemplum ipsius Benedicti Veronensis Medici doctissimi *lib. 26. cap. 16. de suffocatione matricis*, ex Galeno, cum ita scribat: *Vidimus vxorem fratris in præfocationis cuiusdam motu in delirio ridentem atq; collacrymantem, cum plumæ perdicis sub naribus cum carbonibus admotæ essent, incaute pruna ingens ex batillo in pectus excidit: at illa tam diu stetit, donec omnino exstinctus carbo videretur: eoq; die sine dolore fuit: sequenti die de inusto tantum pectore conquesta est, vt ingens adhuc cicatrix videatur.* Hoc est quod etiam interpres Hollerii refert: *Quibusdam risus*, inquit: *aliis lacrymæ, aliis vtrumq;*, vt Dominæ de Rochepot, quæ cum varicosa esset, eo affectu corripiebatur cum delirio, risu, lacrymis, contractione oculorum. Alteri risus, deinde perturbatio mentis, hinc lacrymæ, a quibus etiam monitæ non cessant. Sed nihil admirabilius, quam quod duabus filiabus Præsidis Rhotomagensis contingere solebat in motu sursum vteri, quo ex interuallis laborabant. Risu enim longo ad horam, & horas duas, imminente paroxysmo, capiebantur, quem neque metu iniecto, neque hortatu, neque aliis artibus poterant compescere. Parentibus interrogatæ & obiurgatæ respondebant, se non posse continere risum. Aliis prius lacrymæ, deinde risus mouetur in eodem affectu, vt sæpe vidimus. Quibusdam lacrymæ tantum, aut risus. At hæc puella diu lacrymabatur, aut ridebat. Sed postea taciturna tanquam mortua permanebat. Astantes mulierculæ varia adhibuerant remedia, sed frustra. Cum vero pro deplorata habebatur, vt fieri solet, ad eam accitus fui. Vt igitur vapores illos venenosos ad inferiores partes retraherem, membra extrema inferiora continuo fricari imperabam; tum coxas & crura ligari, iis modo solutis, rursus fortiter constrictis. Naribus admouebam plumas caponis, cum perdicis ad manum non essent, quæ tamen valde expertæ sunt: nam postea memini cum Nordwici ad nobilem essem vocatus, famulam quandam in iisdem ædibus consuetam malo vterino grauiter detineri, adeo vt etiam pro mortua haberetur, cum nullis præsidiis excitari posset a paroxysmo, plumis perdicis combustis naribus admotis ad vitam, quasi a nobis reductam. Præterea & huic nostræ, de qua nunc agimus, globulum assæ fœtidæ sindone obuolutum naribus ad adorandum obiecimus. Gatenaria commendat fumum corii combusti ex calceis detracti, & refert mirabilem historiam, hoc modo viperam in stomachum per os delapsam, cum nec lacte ad os attraheretur, eius fœtido odore per anum egressam & expulsam. Quod vix credere possumus, ob venenum viperæ, talem non fuisse ex eius intus latentis morsu exstinctum. Sed cum hæc omnia non iuuarent, coacti fuimus suadere, vt aliqua mulier digito in hoc liquore immerso vuluam intus confricaret. *℞ olei lilior. ℥ j. moschi optimi, gran. v. ambræ gr. iij. croci orientalis gr. ij. cauendo ne odor ad superiora tenderet.* Hæc enim, vti alia odorata, valent; *sicut zibet, seu ciueta, bombax moschatus, aut cotton. moscho conspersum, oleum moscho perfusum, gallia moschata, alipta moschata, caryophylli, & similia.* At oleo supradicto imposito, excitata fuit. Cum ad se rediisset, exhibui parum castorii cum ceruisia vel aqua chamæmeli, & purgaui cum pilulis sequentibus. *℞ agarici trochisc. pilul. de hiera. ana ʒ ß. agni casti, castorii, ana gr. iij. fiant pilul. vij.* saphenæ venam secassem, si ex

solis mensibus suppressis malum ortum fuisset. Sed quia in puella salaci, licet pituitosa, semen abundaret, consului matri, vt viro collocaret.

SCHOLIA.

6 *Signa præsagientia.* Signa præsagientia vteri suffocationem diligenter examinanda, vt mulieres ex huic malo obnoxiæ præseruari possint, antequam proximus inuadat. Sic mulieres viuidæ, si ipsis menses retineantur, facile incurrunt in hoc vitium: quamuis & aliis vacuato vtero fieri solet, vt per immodicam mensium fluxionem (*quemadmodum & sæpe vidimus*) aere tunc vterum implente, atq; ita inflante conniuente collo. Sic de puellis valde salacibus, quæ non purgantur per menses, quamuis ea purgatione egeant, præsertim cum viri appetentes ex natura sint, & bene habitæ, de talibus, inquam, possumus prædicere, quod facile in tale malum incident. Id quotidie experientia monstrat in his, quæ ex voto monastico violenter castę detinentur, & inter crates ferreos cohibentur, ne furore vterino percitæ viros adoriantur. In quibusque enim ditioribus monasteriis, & in puellis nobilioribus, otiosis, delicate viuentibus vsu id crebro euenit, vt, dum choreæ iuuenum nobilium agantur, & obiecta potentiam moueant, & semen copiose generetur, neque expellatur, huic malo sæpius obnoxiæ sint. 7. Ita & possimus prædicere in muliere viro orbata, quæ consueta erat coitu vti, & nunc ab actu venereo abstinet: quæ licet in continentia viuat, interim non mutat vitæ institutum consuetum, sed in quiete ac deliciis agens, opipare apparata conuiuia sequitur, quæ quoque libenter & sæpe fabulatur de coitu. Idem contingit quibusdam mulieribus potentibus, & magnificis relictis a suis viris, etiam nobilioribus, quorum mariti in bello versantur; ita vt a complexu cogantur abstinere. In talibus certe exspectare ac prædicere possemus vteri præfocationem; multoque magis in iunioribus, & aliis consuetis incurrere paroxysmos certis periodis: quos & tempore autumni, *teste Rhase*, magis quam aliis temporibus exspectabimus; cum tunc magis corrumpantur humores, simul concurrente aliqua restrictione pororum cutis. Ita quoque si præcesserit apostema in vtero, & male curatum ad carcinoma deductũ; nã id cum vlceratur, tetros vapores emittit, a quibus talia exspectantur. *Imminentis signa.* Cum iam instat strangulatus (*teste Paulo libr. 3. cap. 71.*) grauis sopor premit, quæ cataphora dicitur, mens desipit, sensuum instrumenta deprehenduntur, impediunturque, vox obmutescit, crura contrahuntur, deinde maxillæ rubere incipiunt, faciesq; repletur. 8 Comitatur, inquam, torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, pallida facies, aspectus oleosus. Alii & hæc addunt. Cum magis instat paroxysmus, sentiunt quid in gula tanquam glandulosum hærere, aiuntque tunc mulierculæ, vterum eo ascendere, nocumento diaphragmati communicato, inobedienti iam facto in dilatatione, vnde principium præfocationis. Impendentem ab vtero suffocationem ostendunt symptomata eadem, quæ præsentem, sed leniora, vt respiratio & pulsus difficilis, cordis palpitatio, dolor capitis, sæpe cum rubore labiorum, faciei & oculorum; qui etiam interdum clauduntur, vt aperiri nequeant; interdum tristis est aspectus, modo vertigo scotodinos, a vapore putri ad cerebrum elato, spiritum visorium & sæpe animalem reliquum perturbante; vt etiam delirium leue accedat, nunc apprehensionis, nunc ratiocinationis, nunc vtriusque, per quod affecta secum dicenda, tacenda loquitur; interdum veluti attonita stupet. 9. Ex his plura antecedere solent paroxysmum; & præter perturbationem mentis ac intellectus, & anhelitus difficultatem, etiam in toto & in cruribus potissimum debilitas, & dolor ab vmbilico ad muliebria vsque, subinde & aphonia. At signa demonstratiua cũ alia genus ipsum ac morbum præsentem indicant, alia vero specierum & caussarum differentias ab affectibus similibus. *Signa demonstratiua.* Signa igitur generis & paroxysmi præsentis sunt hæc: casus subitus, sicut euenit epilepticis & syncope laborantibus; & fit cum eo defectus saltem sensus exterioris, & anhelitus quasi ablatio, tenetque manus compressas supra ventrem, tanquam prohibitura ne adscendat, & genua reflexa habet, hypochondria inflantur, tamquam quid pectus & gulam occluderet; etsi nomine proprio vocetur, licet intelligat, respondere tamen non potest, quamuis quoq; post paroxysmum omnia recordetur; sensu deniq; & motu priuata vt mortua sæpenumero iacet. 10 *Varii affectus in præfocatione.* Varii enim sunt, inquit Galenus, præfocationis in mulieribus affectus: quarum quædam sine voce, sine sensu, & sublato venarum pulsu, iacent, mortuis similimæ: aliæ quidem sentiunt, & mouentur, ac memorantur, quibusdam & sensus intercipitur, non sine anhelandi difficultate: quibusdam crura, & brachia distentione comitialiter torquentur: nonnullis modo pulsus parui, ac debiles fiunt, aliis penitus intercipiuntur; quibusdam autem neque respiratio sensibilis permanet: aliquæ vero, aliis actionibus integris manentibus, magnam respirationem ex hac affectione habent; stomachi etiam dolore vexantur, & saliuam vomunt, si in stomacho aut capite humiditas sita sit. Interdum etiam sic exanimat, vt tamquam comitiali morbo prosternat. *Signa inclinantis accessionis.* Inclinante vero accessione, corpus firmari incipit, malæ rubescunt, ac oculi post multam grauitatem attolluntur; & vbi iam malum ægram relicturum est, humiditas quædam ex locis muliebribus excurrens, tactu percipitur; intestina murmurant, ac ipse vterus paulatim laxatur, atque sic exsurgens ægra intellectum & sensum recipit, *vt liquet ex Aetio, & Paulo.* 11 Obstetrices quoque seu Medicæ, quæ ipsas exquisite tetigerunt, fatentur circa vterum notas quasdam apparere. Nam ceruix eius inclinata videtur, interdum veluti sursum retractus sit totus vterus, interdum veluti si ad latus. Nam simul cum vtero, ceruicem quoque ipsius retrahi necesse est, *Galen. auctor. 26. de loc. affect.* *Symptomata varia multum [illegible]* Sunt autem hæc symptomata varia multum & grauia. Non tamen ii esse debemus interim, vt mulieribus adulantes, quicquid affectus illis con-

illis contigerit, in vterum caussam referamus, seu caput doleat, seu ventriculus flatuosus sit, seu venter doleat, seu respiratio difficilis fiat, cum possint hæc aliis de caussis fieri. Primum igitur omnium est circa respirationem symptoma, quando sæpe adeo vitiatur, vt nihil maius excogitari possit de infrequentia, de tarditate, de paruitate. Verũ nunquam adeo exigua fit, vt prorsus tollatur, vel exigua linquatur, & prorsus insensilis reddatur. Læditur hinc vox adeo, vt nihil eloqui possint, etsi velint. Alia ad cerebrum attinent, cum sensus & motus aufertur, vel cum furore capiuntur, vel cum conuelluntur toto corpore, quando aut cerebrum aut spina laborat. Alia ad cor pertinent, vt animi deliquia, syncope: alia ad ventriculum, vt morsus ventris, eructatio plurima. Quæ omnia cum ex propriis affectibus earum partium fiant, quarum sunt symptomata, non temere, vt dixi, in vterum referenda sunt: sed inquirendum cui parti adscribi debeant, quod fiet, si consideratis illis partibus, laborare eas priuatim aliqua ratione cognoscemus? vel contra noxa esse vacuas. Tunc enim fieri per consensum credendum erit, atque in vterum auctorem referentur. Quomodo vterus hæc faciat, semper difficile fuit intelligere. Plato enim sursum ferri ait, & spiritus meatum obstruere. Sed quamuis verum sit, retrahi vterum modo ad superiora, modo ad latera, ex hoc tamen censenda hæc caussa eorum symptomatum non est. Quid enim tale eius retractio & vitiatus situs potest efficere? vt Galenus disputat. Sed neque vno modo semper situm mutat: quod Rhases & Paulus censere videntur, sed varie. Contingat autem, vt hæc situs mutatio fiat ab eisdem caussis, a quibus & cetera accidentia, ita vt simul cum illis eueniat, sed eorum caussa non sit. Caussam ergo, *vt prius diximus*, Galenus inuenit, quem & alii sectati sunt, vel ex suppressa purgatione, aut retenta genitura, ita vt nunc castæ fere nisi detinerentur (*vt Iacchinus dicebat*) intra crates ferreos, viros adorirentur. Sed tamen simulationem mulierum cauere oportet. Sępe enim talia mala simulant, quo cogant ad coitum viros: hinc In illam caliditatem ludit auctor vulgati versiculi:

Histericam vitulo se simulat esse marito.

13 Caussa autem varietatis accidentium, est ex qualitate, vel quantitate eius, quod detinetur veneni. Qualitas autem fit primum ex materię, ex qua est genitum, transmutatione. Vidit igitur Galenus, quod ex seminis retenti transmutatione deteriora fiunt symptomata, quam ex menstruis retentis: & hoc est verum. Quod si contingat aliquando retentis menstruis talia fieri, hoc est rarius, & vna euenient ob coitus diminutionem. Veniunt quidem ex illis dolores capitis grauitates, vertigines, & cetera quæ diximus. At apnoææ, conuulsiones. potius ex retento semine, vt syncope & subitæ mortes. Neque Iacchino placet in reddenda huiusmodi ratione Galenus, cum omnia in frigiditatem referre vult: cuius ratione animal non egeat respiratione, & pulsu, proinde his priuetur. Hæc enim caussa facit, vt non lædantur ita, si careant respiratione. Sed respirationis caussa esse non videtur, quoniam sæpe crebram facit, velut præfocati, & paruam. Potius ergo voluntarium motum tollere dicemus, neruorum origine affecta: idque ex natura veneni, cuius est modo vnam principem partem, modo aliam afficere: vt patet per venena discurrendo, e quibus alia cor lædunt, alia cerebrum, alia alias partes nobiles. Sic igitur spina affecta, conuulsiones, & apnoeæ eueniunt: cerebro vero affecto, furores, sopores graues, epilepsiæ, sensus & motus priuatio: corde vero affecto, pulsus mutantur, & omnino eius robur concidit, adeo vt syncope premantur, & aliquando subito mox pereant. 14

Observatio XXVII.

De muliere præfocata, & pro mortua habita, tandem in vitam reuocata.

PLuribus diebus strangulationis deliquio aliquando iacent mulieres, vt pro mortuis habeantur. *Huc pertinet*, inquit Plinius, *nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis septem diebus fœminæ exanimis ad vitam reuocata, fœminarum*, inquit, *sexus huic malo maximè videtur oportunus: conuersione vuluæ, quasi corrigatur, spiritus restituitur. Ad tertiam vsque diem fœminam ab eo malo non efferri, clamat omnis schola.* Ego memini, mulierem, cum Pithueris in Gallia praxin exercerem, hoc malo detentam 24. horis in paroxysmo permansisse, frigidamque exstitisse, vt pro mortua haberetur. Ad quam & nos acciti, id quod Hollerius etiam annotauit, inprimis cum mulier viueret, diligenter cognoscendum rati sumus, nam sæpe fit, vt idem ait, vt grauiore accessione intereant, aut non aliter iaceant quam mortuæ. Pulsus huic adeo paruus & obscurus erat, vt non sentiretur: & cum respiratio nulla appareret, ori & naribus speculum tersum bene ac perpolitum admouimus, quod exspirationis vapor crassus in respirante velut obnubit, & maculat (*vt & Sylvius ex Gainerio ponit*) nota vitæ certissima: vel ori aut naribus subdito carpræ & pexæ lanæ flocculos, aut pennam mollissimã, quæ motum ac respirationẽ eius testentur, modo assidentium exspiratio hæc mouens tibi nõ imponat: item cyathum aqua plenum ori ventriculi imponito. Vult tamen Hollerius, infidele signum esse, quod floccis naribus admotis, vel vase pleno aqua imposito regioni stomachi, colligetur. Sternutatoriis potius, inquit, cognoscendum. Ceterum admoto hic speculo, certo viuere cognouimus. Adhibuimus itaque frictiones infernas cum peplis calidis, & ligacula cruribus iniecimus, & odorifera intus per mulieres imponi iussimus, quale est thymus instar pessi in vuluam positus: nam hoc modo noui aliquas etiam puellas, huic malo frequenter obnoxias, esse excitatas. Conducunt etiam zibettum & alia. Naribus male olentia obiecimus, & adhibito sternutatorio, hæc tandem ad vitam reuocata a paroxysmo excitata fuit. Vbi iam aliquid sumere potuit, exiguum castorii dedimus cum aqua chamæmeli. Pessaria vero, qualia & hic potissimum conue-

niunt, postquam incipiunt loqui, & melius respirare, imponi mandauimus ex attrahentibus, vt si semen aliquod corruptum esset, vt hic erat, ex parte traheretur & euacuaretur. Conueniunt vero maxime ea, quæ ex discutientibus flatus parantur, vt ex benedicta, hiera, cumino, semine rutæ, & similibus, *vt & Rondeletius quoque docuit.* Atque his, vel similibus remediis miraculi instar hæc mulier curata fuit.

SCHOLIA.

3 CVm vteri strangulationis differentias, pro efficientis caussæ magnitudine, vel pro specierum quarundam varietate inter se differētes, plures esse dixerimus, quia in earum aliqua omnino spiratio perditur, vt huic mulier euenit, non ab re quæreret quispiam, quomodo viuere tales possint, quæ nihil omnino spirant? Cum in confesso sit, spirationem a vita, & vitam a spiratione superare non posse: adeo vt viuentem non spirare, & spirantem non viuere sit impossibile: quinimo vbi cor respiratione priuetur, ilico hominem perire necesse est, *vt liquet 5. & 6. De loc. affect. & lib. De vtilitate respirationis.* Quare Heraclidæ posteriores (*vt Donatus quoq; refert*) iis experimentis iam dictis explorabant num ęgrotans viueret, cum tamen aliquando sublata penitus oris ac narium respiratione animal viuere posse constet, modo ea supersit, quæ in toto corpore ab arteriis & corde perficitur: id quod in latentibus animalib. manifesto apparet, nulla apparente in ipsis spirationis nota: hęc enim per totam hyemem mortuis similima in cauernis latitant, per arterias tantum totius corporis transpirantia. Pari item ratione in vteri strangulatione fieri potest, vt toto corpore frigefacto, (*id enim manifeste videtur*) nulla prorsus prodeat ab ore spiratio, supersit autem ea, quæ a corde & arteriis fit. Est enim maximus & præcipuus respirationis vsus (*vt sexcentis locis a Gal. decretum est*) vt intimus calor & refrigeratione & ventilatione seruetur. Qua de re exiguus ille calor in hystericis mulie[r]ibus derelictis, arteriarum cordisque officio conseruari poterit, quæ actio a quibusdam Medicis transpiratio dicitur, quamuis (*vt diximus*) quæ fit ab ore & naribus respiratio omnino fuerit abolita, licet etiam adeo parua esse possit, vt sensum lateat nedum respiratio, sed etiam transpiratio ipsa illudque clare constat, non solum in Gal sed etiam Aristotelis doctrina, qui *lib. 1. de natura animalium cap. 11.* talia protulit verba: sed datur viuendi facultas, etiamsi desit spiratio. Quanquam itaque perfecta animalia, quæ temperate calida sunt, præsertim dum sanitate fruuntur, citra spirationem haudquaquam viuere possint, *vt liquet ex modo citatis Galen. locis:* attamen quę frigida suapte natura sunt, vt latentia, aut ex accidenti vniuersum eorum corpus tale redditum est, vt in hystericis conspicimus, citra respirationem non inconuenit, vt in vita seruentur, modo arteriarum cordisq; officium eis conseruetur, nec propterea his, quæ de apoplexia scripta sunt, contradicimus. Vel dicendum quod refrigeretur corpus ob frigidum semen in venenum transmutatum, & in scorpionis & phalangii ictibus præcedente Scholio contingere diximus.

Quomodo viuere possint, quæ vteri suffocatione laborant, etiam si nihil omnino spirent.

4

5 Ceterum cum symptomata huius mali enarrauimus, quę & aliis affectib. quasi similia contingere diximus: sæpe enim vteri suffocatio similis esse videtur lethargo, apoplexiæ, epilepsiæ, syncopi, catalapsi & lumbricis: differunt tamen ab iisdem. Habet aūt maximā affinitatē præcipue cum syncope, catalapsi, apoplexia & epilepsia, ita vt quãdoq; epilepsiam faciat. Conuenit cum his affectib. quod repente obmutescant, & cadant, aut nō possint consistere. Dissidet tamen a syncope, pulsu. Nam in syncope & animi defectu pulsus cessat, in suffocatione vteri pulsus remanet, sed exiguus, rarus, & lāguidus. In syncope sudor apparet frigidus, & color pallidus admodum est, similis colori mortui: in suffocatione pallidæ quidem redduntur, sed minus. Differunt etiam propter caussas antegressas seu antecedentes. Solet enim suffocatio vteri prouenire, post largam mensium euacuationem, quia aere repletur vterus, vel ob seminis putrefactionē, & retētionem in vtero, quia cum putrescit, eleuātur multi fumi, qui postea distendunt vterum. Decimus cū Rondeletio, in vtero semen putrescere. Nam in vasis spermaticis nō putrescit, sed conseruatur, vel absumitur ad nutritionē vasorum, vel quando est in maiori quantitate, facultas expultrix in vterum reiicit inter somniandum. Neq; valet eorum ratio, qui ducunt sanguinem putrescere in venis, ergo & semen putrescere posse in vasis spermaticis. Non enim similia sunt, Sanguis enim putret, quia minus coctus est, & plus habet humiditatis excrementosæ ac aliorū recrementorum. Semen autem coctum est perfecte & assimilatum, & ab excrementis repurgatum ac redundans, benignumq; dicitur, ob quantitatē, non qualitatē. Quod aūt non p̄misceatur semine virili, & a vulua non alteretur ad conceptum, putrescit, tum etiā ob alia recremēta in vtero collecta. Ergo quibus semen defluxit in vteri cauitatem, & in ea retinetur, vt viduis, quæ defectu coitus os interius vteri clausum habent, frequenter fit suffocatio vteri. Argumento est, quod viduæ difficulter curentur ab accessione, & iis recurrit frequēter, nisi pesso, aut alia ratione, aut medicamento alio reiiciatur semen putrefactū. Fit etiam suffocatio ob gratos odores naribus attractos, ad quod vterus natura mouetur. Et in hoc differt a syncope, quod odores grati syncopen potius sedent, recreando spiritus: his suffocantur mulieres, nisi parte inferiore adhibeantur. Rhases vero comparabat suffocationem fortem & pessimam ad syncopen non fortem. Id quidem Auicenna intelligit ad pluralitatem accidentium, quæ sunt in suffocatione: tamen in syncope per essentiam cordis sunt difficiliora accidentibus præfocationis, licet nō tantum duret paroxysmus syncopis. Ab apoplexia distinguitur stertore, qui hic nō sentitur, deinde quod partes resolutas non habeant, neque sensum amiserunt, quamuis obtusum habeant. Nam cum pili extrahuntur, vel punguntur, sentiunt, & manu adhibita circa collum indicant se suffocari, quod in apoplexia non fit, & apoplecticæ stertunt cum runcatio-

Signa quibus differat suffocatio vteri ab aliis affectibus.

Differentia a syncope.

6

7 *Ab apoplexia.*

funcatione. Cum epilepsia conuenit, sed etiam differt, quod non conuellantur partes, nisi quando suffocatio vteri epilepsiam facit. Tunc enim conuelluntur. Ab epilepsia quoque distinguitur spuma circa os; quæ si adsit, signum est vtrumque iungi symptoma, & sæpe difficilis est distinctio, ob similitudinem: sed vultus declarat, qui tumet & rubet in præfocatis, pallet in his: & hoc etiam a syncope frigidisq; humorib. vteri distinguitur, vt diximus: Adde semper generale signum retractionis vteri ad superiora, & quod præcessit in vtero affectus suppressorum mensium, vel retenti seminis. Differunt quoq; a lethargicis, cũ lethargicæ semper cum febribus sint, hystericæ ea non laborant. A catalepsi vero, quod qui catalepsin siue cõprehensionem patiuntur, quasi rigidi & refrigerati remaneant, oculis apertis, non audiunt neq; vident. A lumbricis, secundum Moschionem, & Cleopatram: nam illæ, quæ lumbricis laborant, & in intestinis punctiones sentiunt, & matricem sanam habent. Et quamuis propter silentium similes sunt caducis & apoplecticis, & quæ lumbricos habent, lethargicis quoque & catalepticis, in hoc separantur, quod apud caducas & epilepticas, & quæ lumbricos habent, matricis nullæ querelæ præcesserint, & ipsa matrix suo loco reperiatur. A caro, q; in eo non vterus sed cerebrum afficitur, nec excitari possunt a somno. Quandoq; post accessionem insaniunt & aliena loquuntur, nec ad interrogata respondent: & tũc videtur potius mania per consensum vteri, aut melancholia. Nam melancholia fit epilepsia, & contra: & melancholia fieri potest per consensum, vt mesenterii, splenis, & aliarum partium: vnde hypochondrica est dicta. Differt etiam suffocatio a furore vterino, *vt Aetius ex Sorano, lib. 16. cap. 76. hunc in modum scripsit:* Vterinus furor est vteri intemperies ad passionis consensum cerebrum trahens, quem rabidum delirium consequitur, ab vteri suffocatione differens primo caussa: neque enim hic retractus vterus aliquod membrum nobile ad affectionis consensum ducit, vel compressione, vel punctione, vel vapore, sed eodem ipso loco persistens per spinalem medullam, aut alias sibi insertas propagines, deprauatam qualitatem, quæcunque fuerit, ad cerebrum mittit, deinde etiam signo ab vteri suffocatione distat: quoniam ægrotæ minime in hoc sicut in illo affectu mutæ ac sine sensu decumbunt, quin potius garrulæ, iracundæ, & inquietæ redduntur. Differt etiam a furore non per consensum, sed primarie cerebrum impetente: nam istarum amentia tota in Venere est, nihilque aliud vel imaginantur, vel loquuntur, quam de concubitu, pruriuntque frequenter loca pudoris, quorum attactu mirum in modum gaudent. Accidit id morbi genus temperatura calidis, ætate vigentibus, ac castitatem seruantibus, quæ optimis cibis vescuntur, atque in delitiis & animi iucunditate versantur, præcipue si alias libidini, Veneriq; assueuerint: tunc enim maxime infestantur; nam nihil aliud huiusmodi ægritudo est, quam ardor & incẽsio vteri, cerebro, ac toti corpori earum communicata. Ita nouimus nobilem puellam, succulentam, carnosam, & in delitiis viuentem, quæ nobilis cuiusdam iuuenis amore capta, deinde nihil quam de rebus Veneris somnians, loquens, hoc vteri furore affecta fuit, & cum delirio mox maniam incurrens, vt a duobus viris contineri non posset, frustra ab Æmilio Medico ante me Alcmariæ agente, curatione tẽtata, breui admodum exstincta est. Verum nos quoq; paucis ab hinc annis iuuenculam virginem formosam & honestissimam præ manib. habuimus eodem malo laborantem. Impudice admodum de Venere loquebatur, tãquam si in prostibulo enutrita foret, sed paulatim insana facta est, cum nulla remedia admitteret, quę ad intemperiem calidam vteri faciunt, & insanię congrua, quæ huc transferenda e loco De mania: vt sunt irrigationes capitis, & alia præsidia furori accommoda, *de quibus egimus lib. 10. nostrarum Obseruationum.* Sed peculiaris est pastillus trygonis apud Aetium & alios, & potus hydrosati. Diacodium aceto aut solani succo admixtum & impositum ardorem exstinguit. Quod si ob deprauati seminis abundantiam affectus contigerit, nitrum & cardamomum cerato assumito, & pudendis subdito: quiddam enim saliuę simile elicitur & morbus sedatur. Ruta vero & castorium cum myrtino cerato supposita, genituram contrahunt, & furorem leniunt. Hæc satis de signis distinguentib. vteri suffocationem ab aliis affectibus.

Ab epilepsia.

8 A lethargo & catalepsi.

A lumbricis.

A caro.

9 Ab insania & melancholia.

A furore vterino.

10

Historia de furore vteri.

11

Observatio XXVIII.

De muliere, quæ ex ira frequenter præfocationem vteri patiebatur.

MOntanus, Medicus doctissimus, refert *Consult. 89. De præfocatione matricis*, quod hæc ipsa aliquando veniat ex ipso animi affectu: vt si aliqua mulier præ zelotypia viri irascatur, & animus valde afficiatur, quod tunc aliquando fiat eiusmodi præfocatio. Addit se nouisse tales mulieres, quæ ita irascebantur, & afficiebantur a zelotypia, vt statim caderent in hunc morbum, & perpessæ sint grauissima accidentia. Ita & ego nuper habui præ manibus mulierem, alioqui diuitem, quæ ex leuissima ira, huius mali paroxysmum incurrebat cum grauissimis symptomatis, præsertim quoque si dulcibus vteretur syrupis vel aliis iulebis. Quod vltimum quidem multis contingere vidi, tam puellis quam nuptis. Ita eueniebat vxori cuiusdam ceruisiarii Delphensis, quæ adeo dulcibus offendebatur, vt si vel ea gustaret tantum ilico iterum paroxysmum incurreret: quare & ante paroxysmum, & post paroxysmum, & in ipso paroxysmo, amaris semper vti cogebatur. Et ideo hoc notatu dignum, quod raro admodum sint præfocatæ, quæ dulcia ferre possunt: quemadmodum enim odore suaui, ita & sapore dulci facile vterus sursum rapitur. Decoctum absinthii his conueniebat, & pilulæ ex castorio, & assa fœtida, dando ℈ j. & post paroxysmum eas euacuando cum hiera picra, fœtida naribus admouendo, & odorifera inferius supponendo. Primum enim videndum, quid in accessione agendum sit, seu conuulsionibus ægra tentetur,

1

2

seu strangulationem patiatur, seu animo defecerit. Hæc enim tria sunt symptomata, quæ maxime vrgent, & opem Medici exigunt. Sunt autem remedia communia, quoniam & caussa communis est, vnde & communis scopus. Si igitur ex retentis mensibus, seu aliter, seu semine fiet, vnus est scopus, vacuatio eius, quod in vtero præter naturam continetur. Sed id commode non fiet, nisi vterus in naturalem suum situm reuertatur, ita vt ceruix recta inclinet ad externa, itaque & facile profluant. Vnde succedit his secundus scopus: ob ea peragenda inprimis male olida naribus admouebimus, cuius contrarium in reliquis syncopis fiebat. Et quandoquidē hic ex ira vapores in vtero exsistentes paroxysmum forte mouebant, vt vterus ascenderet, ideo olida recte naribus obiecimus. Ita & vtero bene odorata offeremus. Hæc Galenus 1. ad Glauc. Eius rei mira est proprietas, caussam autem postea dicemus. Facile igitur parabilia accepimus, vt pennas combustas, corium vetus, capillos vstos, cornua animalium cremata, & castorium. Odorata subtus admouebam, vt hoc, vel simile. ℞. *alipta moschatæ* ℈ ij. *ligni aloes, caryophyl. ana* ℈ ß. *moschi, ambræ. ana* gran. *iij. excipiantur oleo de spica, & cum cotone, imponatur aut cotton. per se moscho conspersus, aut oleo moscho, perfusum.* Cum autem excitata esset a paroxysmo, quia videbatur humore crasso & pituitoso laborare, exhibui ℥ ij. *pulu. hieræ p[ic]ræ.* Dum autem in paroxysmo esset, etiam frictiones adhibuimus, & vincula cruribus iniecimus: & hypochondria fascia ligauimus, eaque moderate constricta, vt vterus minus ascenderet. Extra paroxysmum, quod dulcia abhorreret, imperaui vt ceruisiam absinthii biberet, qua delectabatur, & a paroxysmo præseruabatur.

3

S C H O L I A.

4

Signa autem specierum & caussarum diligenter sunt examināda, antequam ad curationem accedamus, non minus quam prognostica ipsa. Hæc enim mulier (vt & alia) ex ira in hoc malum incidebat, ex commotione videlicet vaporum vel humorum, qui in vtero exsistebant & ascensum inferebant. Fernelius, Galeni auctoritate motus, nonnunquam putauit vterum nihil aut perexiguū e sua sede dimoueri: at ægrotarum mulierum modo querimonia, modo precib. adductus, hunc sæpe tactu deprehēdit instar globi cuiusdam in ventriculum efferri, eumq; grauiter opprimere. Hinc & sæpe manu depressus est, manifesteq; in ꝓpriam sedem propulsus. Id quoq; sæpe vidimus a muliercculis in hac re exercitatis fieri. Aliquādo ex ascensu duntaxat premitur mulier quodam præcordiorum dolore, spirandi difficultate, aut animi defectione, at sine metu, sine delirio, aut alio symptomate grauiore, vt etiam vidimus. Interea, si strangulatus accedat, etiā grauissima symptomata succedunt. Licet enim aliquādo primum exigua malis sit caussa, ex vtero sublatus vapor viscera ventriculumq; feriens, mox tamen sublatus in diaphragma thoracisq; partes, respirationem crebram & breuem infert: inde cor obsidens defectionem animi inducit, & ad arcem cerebri conscendens soporem, veternum, desipientiam, & alia iam supradicta. *Hæc tamen symptomata,* vt Fernelius etiam putat, *non semper a menstruo, vel semine retento suscitantur: quum & eas, quæ bene purgantur, & vterum gestant, & viri consuetudine fruuntur, plerunq; fatigent: quumq; contra supra quingentas eorum cœnobio* (inquit Fernelius) *degere videamus, quæ diu consuetum Veneris vsum intermiserunt, nullo hysterico symptomate oppressas.* Et ita quiuis humor (etiam præter semen aut menstruum retentum) hoc modo in vtero corruptus, eius generis vaporem ex loci natura venenatum exspirat, & vnde vita illinc & summa veneni pernicies exoritur. Hinc fit vt tametsi viris diu hæmorrhoides suppressæ sint, aut Veneris Vsus sit intermissus, nulla tamen hystericis similia symptomata contingant. Hæc quoties grauia incidunt, noscuntur quidem facile, leuia difficile, quod melancholicis aut cardiacis non admodum sint dissimilia. Sed quomodo ab iisdem distinguantur, dictum est. Si itaque fiat suffocatio vteri ab aliis humoribus corruptis, hæc aderunt signa: Mulier certis periodis habet suas purgationes, insuper virum aliquando habet ac coitu vtitur. Item, an tales humores maligniores facti vna cum sanguine peccent, vel crassi pituitosique, aut melancholici sint, id etiam ex propriis signis sæpe dictis innotescet: biliosi equidem fortiora producunt symptomata, sæpe mentis perturbationem & rationis permixtionem, syncopen, ob cerebri tum cordis consensum. Declarabunt autem & vitæ institutum, victus præcedens, anni tempus vrinarum dispositiones, tum reliqua, num adsit plethora vel cacochymia. Si autem vapores maligni ex apostemate vteri, vlcere, vel cācro vlcerato, aut non vlcerato, præfocationem inferunt, aut humores, putridi ab iis exhalantes, ex propriis locis indicia sumentur. At si ex mensium suppressione vteri strangulatio excitetur, perueniente quidem ad vterum ipso sanguine menstruo, sed ad interna ipsius ingredi non potente, aut quia crassior est, quam vt per ora vasorum possit penetrare, aut quia claussa sunt ora, propter quod multiplicatus in venis, eas extendit, atq; vicina ipsis vincula madefacit, id citra eius peruersionem non erit, quoniam plenitudo repletorum corpora & in latum, & in profundum extendit, sed longitudinem abbreuiat continuo, propterea vterum retrahi necesse est: ob quam caussam vel sursum, vel ad latus retrahatur oportet. Quo fit, vt si æqualiter vndiq; trahatur, recta erit & sine inclinatione ipsius transmutatio: si vero inæqualiter, ad partem vehementius trahentem: vasorum itaque ad ipsum vterum peruenientium & plenitudo & suspensio, caussa est, ob quam vterus in ipsius strāgulatione vel sursum, vel ad latus trahatur: id quod semper euenit, quando eadem affectio ex mēstruorum retentione originem habet, & præter id quod purgationes eisdem supprimuntur. Spiratione tamen non priuantur, neque animi defectu, nec aliis modo dictis symptomatis valde laborare videntur. Id igitur cognoscemus an symptomata sint leuiora, & menses

Signa ascensus vteri & strangulatus.

Signa a vapore vel quouis humore corrupto.

5

6

Ex aliis caussis.

Si ex mensium suppressione fiat vteri suffocatio signa.

7

menses præter consuetudinem suppressi fuerint, perseuerante victus ratione eadem, mammæ tumentes lacte ex sanguine in ipsas regurgitate, corpus totum graue, oculorum, colli & partium aliarum dolores. Quod mammæ intumescant, fit ob sanguinem, consuetum fluere per menses, ad eas reflectentem: sensus iis sunt debiliores, & subinde in febrem incidunt. Sed insignia symptomata raro a mensibus retentis & suppressis contingunt: Interea affecta sentit pōdus circa pectinem, & hora qua solebat mensibus laborare, percipit torsiones doloresq; circa partes vteri. Si vna cum menstruorum retentione adsit dominium alicuius humoris, illud ex eiusdem malignitate apparebit: nam si sit sanguis, apparet plenitudo & pondus grauans circa pectinem. Sin bilis, erunt symptomata paulo vehementiora, & motus promptiores: nam & atra bilis affert alienationes, ob fumos cerebro communicatos, vt in melancholia mœror & timor exaggerantur. Si pituita, corporis pigritia, albedo, & laxitas, & sputi copia aderunt: sicuti in bile e contra minus sunt quietæ. At vitiato semini maior quidem quam menstruis vis adest ad noxam vniuerso corpori inferendā, ex eiusdem Gal. sententia, & proinde magis spirationis ac pulsus abolitiones eo redundante apparebunt, conuulsiones, animi defectiones, ac alia paulo ante dicta symptomata: & sæpius viduis (*vt prius quoque retulimus*) monialibus, atque aliis similibus, ex tali caussa prouenit vteri strangulatio, etiam vel si optime purgentur, præsertim si naturaliter multo semine abundauerint, aut affatim a cōcubitu, quo antea creberrime fuerant vsæ, abstinuerint. Sæpenumero citra vteri peruersionem tales fiunt strangulationes, cum videlicet tenue, ac non multum fuerit semen retentum: quandoque enim cum eiusdem peruersione, seu retractione, cum videlicet semen ipsum plurimum fuerit (*vt etiam Donatus annotauit*) ac crassum, eodem modo, quo sanguis menstruus, tum vasa, tum vincula implens, extendens ac madefaciens. Quemadmodum accidit in muliere vidua longo iam tempore, quæ præter cetera mala, neruorum quoq; distensione vexabatur, cui cum manibus tractarentur partes muliebres, adhibitisq; calidis medicamentis, oborta titillatione cū labore ac voluptate, veluti per coitum vsu venire solet, crassum plurimumque semen excreuit, atq; ita a molestia sua liberata est, *vt idem Gal. testatur lib. 6. de loc. affect.* Huic etenim vterus retractus erat, sic obstetrice dicente. His itaq; & symptomata grauia & magis repentina eueniūt, & mox apnœa prehendit, & crura sursum contrahuntur & aliquid ab vtero ad os ventriculi attolli præsentiunt. Minusque dubitandum, si mulier sit virosa, & iam diu continens, aut virgo, sed Venerem appetens, corpulenta, multi sanguinis, victu calido, humido, flatulento vtens in otio viuens cum Veneris irritamentis & si menses illi non sint suppressi, vino generoso vtens, multisque delicatis ferculis Venerem incitantibus & sperma generantibus. Verum, *teste Aetio*, cum hæc affectio etiam oriatur, vel vtero perfrigerato dum menses prodeunt, vel propter abortum, vel sanguinis eruptionem ab vtero ab aliquo repente suppressam, id promte ex astantis loquela percipiemus. Nunc adhuc restant signa prognostica, de quibus mox dicemus, hoc rursus interposito exemplo.

[Margin: ...m si fiat ex ...e semine.]

[Margin: 9 Historia Galeni ...dem præfo...]

[Margin: ...vtero ...gerato dum ...enses prodeūt, ...el ex abortu, ...na.]

Observatio XXIX.

De præfocatione vteri lethali ex semine retento.

Recte dixit Aetius *lib. 16. cap. 70.* de vteri suffocatione: *Si paroxysmus inuadere assuescat, epilepsiæ more chronicus efficitur, omnino quidem tutus apparens, singulis tamen accessionibus praceps periculum afferens, vt non eodem tantum die, sed intra paucas horas interimat, tuncq; pulsus ab ordine suo primo ad frequentiam permutantur, deinde inordinate trepidant: postremo subfrigida quadam humiditas cutis superficiem irrorat.* Sic & Paulus *lib. 3. cap. 71.* Nonnullæ in ipsis accessionibus perierunt subito, quibus pulsus quidem crebriores & inordinati collabuntur, id est, intercidunt. Idque multis contingit in accessione vehementi & longa, quemadmodum nuper pulcerrimæ mulieri, quæ Delphis in delphine habitabat, quæ crebræ præfocationi obnoxia, nullis remediis iuuantibus, cum accessio etiam diuturna ac vehemens esset, subito vitam in mortem commutauit, quod breui fore, spuma ad os sublata indicauerat. De ea præcipue timendum est, *iuxta Guainerium, cum adsit intensio cum paroxysmi longitudine, si spuma ad os defluat, maxime,* inquit *si spermatis corruptionem prouenire cognoueris.* Ideo & nos mortem mox affuturam prædiximus.

Scholia.

Vbi igitur respiratio tollitur & pulsus, sunt grauissimæ præfocationes, vti huius mulieris erat. Nam ab his de vita periculum est, idq; ob affectum cordis iunctum. Suffocatio quoque vterina seminalis est tanto acutior & periculosior, quam menstrua, quanto semē prolificum tenuius, ac in generatione actuosius est & efficacius ipso sanguine menstruo. Dixerunt aliqui: si remedia optime adhibita secundum artem, post diem primum non contulerint, ęgras esse derelinquendas: quod tamen minime faciendum est. Nam & tandem plurimas curatas vidimus, & ipsi curationem tum pium esse ducimus, vt quouis modo succurramus etiamsi res deplorata nobis videatur. Non ignoramus interea, quanto magis retentio menstruorum vel seminis diuturnior fuerit & diu præcesserit quod tanto periculosior fiat hæc affectio. Quod vero grauior & molestior sit vteri suffocatio ex retento semine orta, quam ex suppressis mensibus, maiorem noxam, ac maiora symptomata inferens, *ex Galeno liquet 6. de loc. affect.* Quemadmodum etiam quod periculosior sit ea, in qua tum spiratio, tum pulsus abolentur: quam primam eius speciem, siue differentiam nominauimus, etenim nonnullæ ex talibus pereunt, licet quædam etiam seruatæ videantur. Accidit hæc affectio omni quidem tempore, sed hyeme præcipue ac autumno, præcipue autem iunioribus salacibus, ac sterilibus, maxime si tales per medicamēta fuerint. Fit quoque magis corporibus delicatis,

[Margin: 2 Signa prognostica.]

otiosis, & strictas venas habentibus, quam laborantibus, & quibus est amplitudo venarum. Magis etiam mulieribus sanguineis, aut pituitosis, ex multitudine materiæ. Ita memini, me sæpius in curatione habuisse puellam admodum crassam & obesam, bene habitam, quæ Delphis habitabat ad pontem Auenarium, quæ multis annis huic malo obnoxia fuit, & sæpius a me curata: cuius parentibus consului vt viro eam copularent. Melancholicis autem accidit ex debilitate, magis tamen in hyeme quam in æstate, etiam præcipue in autumno. Suffocatæ iuuenculæ, vel aliæ, a semine, si coeant, paratissimæ sunt ad impregnationem, & prompte concipiunt. Ita cognata mea Eua Teylingia in Haga Comitis habitans, cum nuperrime virum duxisset, statim a suffocatione ilico post coitum concepit: de qua etiam postea agemus. Memini me in curatione habuisse pulcerrimam iuuenculam, quę sępe pro mortua habebatur. Consului vt parentes eam viro locarent, quod postquam contigit statim impręgnata fuit & admodum fœcunda copiosam prolem, deinde ex marito sustulit, ac nunquam eo malo fuit in posterum detenta. Cum vero deficiunt menstrua, & semen superabundat, tanto molestior & prolixior est ægritudo, maxime quando partes occupat altiores: Grauidæ tamen, *iuxta Galenum 6. de loc. affect. cap. 5.* licet iis diu menses supprimantur, tamen in symptomata hæc nunquam aut raro delabuntur: quod horum parte puriore fœtus in vtero nutritur, reliquum crassius in vasis ad vterum pertinentibus, ad secundarum in partu expulsionem, seruatur integrum, aut non ita corruptum, nisi aliunde, vt ex febre magna, putredinis occasio accesserit. Grauidas nihilominus vidi hoc malo tentari, *vt postea exemplo docebimus.* Suffocatio a pituita putri grandæuis, & mensium ac seminis annos egressis, vt sexagenariis & septuagenariis est familiaris: & iuuenibus victu prauo vtentibus, & potu largo, & intempestiuæ aquæ potu aut vini, aut esu fructuum crudorum. In his vel in capitis dolorem duorum trium quatuorue dierum, vel cynanchen, vel peripneumoniam, vel spinæ, vel genu tumorem, vt quidam sentiunt, magna ex parte degenerat. Accidentia leuia paroxysmi breuitatem significant: vehementia & diuturna periculum notant, & sæpe mortem cum grauissimis symptomatis. Fortis enim non est vilipendenda, cum multæ perfocatæ in paroxysmo suffocentur. Quædam vt mortuæ iacent etiam per duos dies, quos si excedunt raro resurgent: & ideo non est festinandum ad sepulturam: imo ne post tertium quidem diem, vt quidam volunt, cum calor naturalis tanto tempore in interioribus corporis occultari possit. Sed post hoc tempus nulla visa est suscitari. Præfocatio vteri cessatione mensium naturali, 43 anno, vel 50. vel cessat, vel ingrauescens interficit. Si menses vel humiditas seminis effluant ad os matricis in suffocata, mitigatur inde passio statim. Mulieri, quæ vterinis molestatur, aut difficulter parit, superueniens sternutatio, bonum est, *vt liquet ex Hippocrate aph. 35. lib. 5.* quo loco per vterina, suffocationes vteri intellexit Galenus, & bonum tum signum, tum caussam esse sternutationem, fatetur.

Observatio XXX.

De præfocatione vteri in prægnante, & de altera in ipso partu eueniente.

PAulo ante dictum est, grauidas nunquam pati vteri præfocationem, vel admodum raro. Attamen cum hæc recolligerem anno 1589. mense Octobri, vxor nostri pharmacopœi, secundo a conceptu mense vteri profocationem incurrebat, cum motu quasi epileptico modo sub noctem, modo in nocte, non sine febre, tanquam certa periodo, idque per quatuor aut quinque vices, sed paroxysmi non diu durabant, male olentia naribus admota parum iuuabant. Infernis non ausi fuimus odorata subiicere, ne abortus sequeretur. Syrupus ex absinthio adhibitus, propter amaritudinem, vt existimo, valde iuuabat. Secunda vero vxor Petri Opmeri, quæ annum 42. agebat cum illam duceret (nam virgo annosa ea erat antequam matrimonium iniret) anno sequenti, mense Augusto primipara, cum noctu pareret, atque obstetrix infantem suscepisset, & valde intenta esset in puero mundando, ipsa interea in vteri suffocationem incidens mox exanimis reperta est, & pro mortua habita. Ad quam & ipse accitus in nocte, assam fœtidam pro odoratu naribus applicabam, & emplastrum contra matricem supra alutam seu corium rotandum, paulo amplius dalero, extensum, & in circuitu galbano obductum, vmbilico apponi iussi: quibus duob. tantum præsidiis ad se rediit, & ilico a paroxysmo excitata est, atq; ab illa molestia etiam mox liberata cum magna astantium admiratione. Cum iam a paroxysmo excitata foret, imperauimus vt emplastrum amoueret: & cum bene purgaretur in partu, postea belle se habuit.

Scholia.

SCribit Auicenna, quod vteri profocatio non contingat in partu, seu tempore partus, cum motus ille sit laboriosus, & ad inferiora expellat superfluitatem deorsum: & quia est operatio naturæ, ideo in ipso non præcedat vapor venenosus ad membra superiora. *Et verum est*, inquit Gradus, *in pluribus, non tamen semper. Vidi enim, ait, quod in actu pariendi, vel post partum, de proximo euenerit ex euaporatione etiam ad superiora de materiebus, quæ mouentur in partu, etsi earum materierum fluxus sua corpulentia moueatur ad inferiora.* Idem contigit huic secundæ mulieri. Primæ quoque grauidæ existenti: licet hoc etiam raro contingat. Ambæ istæ mulieres erant facie rubicundiore, & calidioris temperaturæ, quales magis hac ægritudine lædũtur, & in maiori periculo versantur, quã in pituitosa aut melancholica temperatura, quæ ceteris paribus, est minoris malitiei. Ratio per se manifesta est quia diminutio vel quasi prohibitio anhelitus citius fit ad mortem, vel periculo non vacat, ceteris paribus, in muliere calidæ temperaturæ, vbi est indigẽtia maioris euentationis, quam in opposito modo disposita.

OBSERVATIO XXXI.

De vteri suffocatione post menses fluentes orta.

1 EVa Teylingia, cognata vxoris meæ, in Haga Comitis habitãs, nuper nupta, post mensium purgationem, anno 1561. sub fine anni morbum vterinum seu præfocationem passa est, ex frigore, vt opinor, & ventositatibus: vt aliquando etiam aliis contigisse animaduertimus: erat enim tunc asperrima hyems: quo tempore magis (vt antea diximus) fieri id solet. Theodorus Hoogherbetius Hornanus Medicus, tunc temporis agens in vicinia apud sororem, noctu ad eam vocatus, assam fœtidã naribus applicuit, & exhibuit tres pilulas paruas ex assa fœtida & puluere dauci compositas: quibus nõnihil sese remisit paroxysmus. Altero die aduocatur Hugo Nieuenius Medicus Haganus: is naribus castorium adhibet, & subtus vuluam cotonem ex moscho seu globulũ imponere iubet; quibus modo leuabatur paroxysmus, modo denuo redibat. Paulo post cum se remitteret paroxysmus, pro purgatione propinauit diaphœnicum, & hieram picram; sed in exigua dosi. Tertio die ego vocatus sum, cum magis augeretur, & medicamentum non operaretur, & glande indita vtcunque acuta, copiose aluum deiecit; & paulo post cessauit paroxysmus. At noctu rediit vehementior. Tum vna præscripsimus emplastrum ex galbano, ꝙ supra corium leuigatum ad palmæ manus magnitudinem supra vmbilicũ ponebatur. Illud ceratum de galbano, est secretum Montagnanæ in morbo vterino. Vide apud eundem alia cerata in suo Antidotario, quæ idem applicat vmbilico. Galbanum dissoluimus cum modico aceto, & in corio rotundo extendimus, ac vmbilico mulieris apponimus. Quo remedio infinitas profocatas curauimus, & a paraxysmo excitauimus. 2 At vero etiam nostram hanc cognatam prima fronte iuuare videbatur: postea tamẽ, vt asserebat, ferre non potuit. Quare sacculos duos quadratos intersutos, ex ruta, artemisia, calamintha, origano & matricaria cõcinnatos, circa ventrem inferiorem paululũ calefactos apposuimus, modo vnũ, modo alterum, & tandem bene se habuit. Interea tamen altero die rursus glandẽ ex hiera, cumino, ruta, melle & sale paratam, imponi iussimus, qua & aluum probe reddidit, multis ventositatibus simul emissis. Verum, ꝙ pene omiseram, cum in paroxysmo validiore esset, & quasi paraphrenesin incurreret, fronti pannum lineum aceto & oleo ros. inculcatũ, apposuimus, ad malignos vapores reprimẽdos; & egregie contulit: tum præcipue ligationes & frictiones crurũ, ad inferiora materiã & vapores malignos diuertendo. Atque istis præsidiis restituta fuit, bene habita, & ad Venerem inclinata. Cum autẽ haud ita pridẽ nupsisset, viro a me tacite inquirente, num coitus vtilis esset cum apud eam lecto incumberet, annuebam, id vnicum & optimũ remediũ esse, vt omnis schola Medicorum testatur. Me itaque abeunte Venerẽ cum egregie exercuisset, statim quoque ab eo tempore impragnata est, & non amplius vteri præfocationem passa est. Nam suffocatæ ab vterino malo, si coeant, (*vt Scholio obs. 29. diximus*) promte concipiunt.

SCHOLIA.

3 *Curatio accessionis.* QVoniam vero hæc affectio duplicem curationis modũ requirit (*vt paulo ante dicere cœperamus, & obseruationes præcedentes idẽ ostendunt*) vnũ accessionis tempore, reliquum vero eadẽ non vrgente; propterea ea, quæ accessionis tempora adhibenda sunt, primo cõscribunt auctores, victus ratione derelicta. Nam accessionis tẽpore, ac etiã vbi eadem conquieuerit, cibum nullum, aut paucum, præbere oportet, *vt liquet ex Paulo.* Iubent itaq; ægram ceruice, ac scapulis accliuibus collocari, ac inguinib⁹ decliuibus: extremas partes deligari, ac fricari; crura præsertim, & pedes: & quẽadmodum in multo effluxu cucurbitas mammillis imponunt, sic quib. sursum, aut in latus tractus est vterus, inguinib⁹ & coxis adhibent. Communibus n. remediis est vtendum, cum iis, quibus ad excitandam sopitam naturã, vti solemus: cucurbitulis, inquam, ad pubem & inguina, & ad coxas, & vinculis ad summas coxas, & crurũ frictionib. ex acribus factis, vt ex sinapi cum aceto. Scopus n. est ad inferna reuellere humores & vapores, qui sursum tendunt. Sunt mox clamoribus excitandæ, compellãdo proprio nomine, pilos vellicandos, ac nares trahẽdo. Et sic communis ratio curandæ suffocationis est, vt ad id ꝙ magis vrget, nempe ad suffocationem nos totos cõuertamus, neglecta ad tempus caussa, vt miseras præfocatas suscitemus: *Quæ naribus admouenda.* naribus quidem ea admouentes, quæ fœditissimum odorem habent; vtero autem odorata, & ea etiam, quæ laxare ac calfacere possint, medicamenta adferemus; *iuxta Gal. de ar. cur. ad Glauconem. Sed nemo*, inquit Iacchinus, *caussam dixit, nisi forte & illi sensum odorum inesse dicas, vt refugiat tetros, & ita recurrat deorsum; & vt sectetur gratos.* Hæc quæstio duas habet partes. Prima est, 4 *Cur vterus tetros odores refugiat.* cur tetris odoribus narium recedat? Quod sane malum inde mutet vterus, forte vndiquaque verum non est. Sed quod a paroxysmo excitantur, idq; vehementi facta concussione in cerebro, vnde & in toto corpore, id sane fit ex tristitia obiecti. Hoc esse verum patet, quia non fœtida modo offeruntur, sed & acuti odores euigilãtes, *vt apud Aetium*, ruta, & thymus cum aceto, & acetũ acerrimum in quo pulegium, calamintha, origanum, conyza tenuis, & reliqua eiusmodi acria decocta sint. Hæc enim crassos vapores in cerebro detẽtos incidere & attenuare possunt, ac simul frigiditatẽ depellere, thoracemq;, pulmonem, & quę stomacho attinent expurgare. Eiusmodi v. acetum (inquit idem) naribus admouendum est. Hæc enim facile parabilia sunt, vt ruta ex aceto & thymus, vti & pennæ combustæ, capilli, corium vetus: post hæc castorium, assa fœtida: hæc enim cũ ad sopores & epilepsiam faciant, nil mirũ si etiam ad hoc malũ, vtpote simile. Thymo tamen sine aceto, & pulegio, tum odoriferis solis, nõ libenter ego vti soleo. 5 Memini enim ꝙ illustrissima vxor D. Principis Auraici, cum primipara Delphis in partu esset, ex odore florũ redolentium in hoc malum

incurrerit: cui naribus admotis male olentibus, & amotis floribus e cubiculo, cautoq; e meo consilio, vt pedissequæ vestib. ex moscho redolētibus nō vterentur, facile ab hoc malo liberabatur. Nā omnia fœtida sunt efficacissima olfacta, aut naribus admota, vt galbanum, assa fœtida, opopanax, bitumē petroleum, oleum ex gagate (quod nō multum differt a petroleo: nam & petroleum & gagates bituminis cōcreti species sunt: quare stultum est emere quod nō magis efficax est viliore) odor lucernarum extinctarum: nam & Paulus *lib. 3. c. 17.* linamentum ex lucerna exstinctum, lanasq; laciniasque combustas naribus admouet. Valet & fumus fœtidus, qualis eleuatur ex plumis vstis, aut corio, herbarum fœtidarum, vt rutæ; quæ omnia suo ingrato odore, vterum deorsum pellunt. Et ita, inquam, nares suffiendæ, castorio, galbano, sagapeno, sulphure, aut funiculo lucernario recens exstincto, aut pennis vstis, seu soleis antiquis, aut ceparum aliorumve corticibus, aut capillis ipsius propriis exustis. Quidam etiam matulam vrinariam inueteratam, & pannos sulphureos incensos naribus admouent: sinapi item tritum cum aceto naribus adhibeatur: aut rutam viridem manibus contritam suffito: aut eadem cum melle lana excepta in anum indatur, *ex Gal. auctoritate 9. de compos. medic. sec. locos*, qui etiam, quæ iam diximus adfert, addens picem liquidam, & cedrinam, item cornu cerui. Hoc etiam tempore, *iuxta Aetium*, sternutationes excitabimus, castorium, piper, struthium, specilli nucleo naribus admouendo: osque patientis aperiemus, ac medium digitum ad vomitum prouocandum intromittemus: & super hæc omnia (*vt paulo ante diximus*) mulier magnis vociferationibus excitetur, aut vocetur. Vterum vero seu pudendum ipsum aromaticis & odoratis suffiemus. Quemadmodum enim fœtida sursum apposita, vterum deorsum propellunt, sic odorata vtero vel coxis alligata, deorsum trahunt. Ista & secunda pars quæstionis erat, cur iuuent bene odorata? Galenus inquit, odorata & quę calfacere ac laxare possunt, hac ipsa ratione iuuant, quod calfaciunt: quæ vero calfaciunt, extenuant & laxant: vnde fit, vt quod retinetur præter naturam crassum, & difficile mobile, extenuatum mox per apertos meatus facile expurgetur. Habent etiam id, vt flatus discutiant; quibus sæpe infestantur. Hinc suffitus aromatum educit muliebria, *5. aphorism.* Sed quæstio adhuc est, cur ad hæc, si aperiant solum. Sunt enim & alia, quæ laxare, & calfacere possunt, vt ipsa, quæ diximus male odorata: quibus tamen auctores non vtuntur in hoc casu, quasi ab his refugiat vterus, & adstringatur. Forte quæ pessime odorata sunt, vim quandam deleteriam, & inimicam visceribus habent; vnde lædantur, non qua sic odorata, sed proprii temperamenti ratione. Exempla vero eorum quæ immittuntur, primum sunt pessi ex gallia moschata cum oleo moschato, aut iasminio, aut benzoino, aut de nuce moschata, aut zibetto compositi, & impositi. Vel vterū inferne per pudendū odoratis suffias, styrace, cinnamomo, cassia, costo, amomo, ligno aloes, ac similibus. *Suffiendus*, inquit Aetius, *vterus aromaticis, quæ simul remittendi, calefaciendi, flatumq; educendi vires habent:* quale est quod enneapharmacum apud illum appellatur, & cetera huiusmodi a veteribus ad vteri duritiem descripta, amaracino, glaucino, irino, ligustrino vnguento diluta, ac adiecta etiā rutæ acumini portiuncula: quę quidem obstetrix digitis capiens vsq; ad os vteri immittet, leuiterq; ac multum defricabit, vt eo irritamento crassus humor, qui seminariis vasis adhæserit, prouocatus ac quadantenus calefactus excernatur; inque ipsum vterum clysteri vterario amaracinū, gleucinum aut foliatum vnguentū calidum iniiciet. Sic Paulus vnguenta odoratissima in vuluam infundi iubet, vti est amaricinum iam dictum, vel malabathrinum. Et sic intra pudendum per obstetricem ea illinantur, quæ laxant, calfaciunt, & flatus dissoluunt; veluti est oleum irinum, nardinum, rutaceum, aut in quo cuminum, aut anisum fuerit decoctum. Pessi item parentur ex his, quæ eandem vim habent calfaciendi, laxandi, & flatus discutiendi; quorum formulas loco, De mensium suppressione inuenies, nisi quod odorata quædam iniicere poteris, lignum aloes videlicet, casiam, cinnamomum, costum, moschum, & interim ea, quæ a vulgo ambra canis, & zibet appellantur: testudinis item terrestris hepar tritum in pesso subditum ad ℥ j. namque ad vteri strangulatus ac dolores confert. Vel in hunc modum: ℞. *galliæ moschatæ* ℈ *ij. cinnamomi, folii macis, carryophyl. ana* ℈ *j. ambræ, moschi, ana gr. iij ladani, styracis, ana q. s. cum aqua rosata, moschata, fiat veluti suppositorium, quod indatur genitalibus.* Pulueres eiusmodi aliquando inspergimus oleo costino, de spica, de lilio, vt inde intinctis digitis obstetrix affricet os vteri in virginibus: in aliis etiam interiora. Postquam autem incipiunt loqui, & melius respirare, nonnulli tunc quoque in vterū pessaria trahentia immittunt; vt si semen aliquod corruptum sit, ex ea parte trahatur & euacuetur: aut si aer, vel spiritus quidam in ea parte conceptus, aut conclusus, is absumatur. Potissimum autem ex discutientibus parantur, vt ex benedicta, hiera, cumino semine rutæ, & similibus. Hoc etiam tempore in sedem glandes indantur ex ruta, cumino, agarico, sale gemmæ, hiera, ac melle præparatæ; aut ex cumino, ruta & caricis eadem parentur. Sæpe enim per hæc sensibiliter crassus humor effluit. Propterea etiam proderit, vbi hæc non sufficerint clysteribus stercus subducere, *vt inquit Paulus*, quorum copiam apud eum *capit. De coli dolore* reperies. Et ideo, cum magna ex parte plenæ sint ventorum, glandulis, clysteribusque iam dictis, tum vnctionibus, quæ flatus discutiunt, vtendum erit ex capite, *De colico dolore*. Præcordia item fasciis vinciantur, & distentis manibus os vteri comprimatur; illinanturque imus venter ac inguina: & sacculi in eisdem locis adhibeantur; *prout eodem capite, De mensium suppressione docetur*. Aliqui hic (vt Rondeletius) eodem tempore cucur-

Marginalia: 6 — Cur inferius iuuent bene odorata. — 7 — Suffitus. — Vtero quæ immittenda. — 8 — Pessi. — 9 Quæ per sedē iniicienda.

cucurbitulam ponunt supra regionem vteri, id est, inter os pubis & vmbilicum, magnam, & cum multo igne: postea emplastrum ceroneum supra eandem partem ex lacrymis: id digerit, calfacit & materiam absumit. Conficiendum est illud emplastrum ad formam scuti, & in parte illa acuta, dum apponitur parti inferiori, gratum odorem inspirat intra ipsum vterum, & vterum retrahit, aut retractũ retinet. Non vult, vt apponatur emplastrum de matrice, cum in id aliqua astringentia intrent. Nos tamen sæpissime, & collega meus Cornelius Heydius, magna cum vtilitate emplastra contra matricem (*vt exemplis subsequentibus adhuc dicetur*) commode vsi sumus; supra alutam ducendo ad rotunditatem, & in circuitu galbano obducendo, ac vmbilico imponendo. Componuntur etiam emplastra ex solo galbano & assa fœtida, *iuxta Rondeletium*: Sic etiam Iacchinus: *Quod si, inquit, non præfocatione, sed conuulsionibus, aut torminibus & inflationibus capiatur, præter hæc optimum est emplastrum e galbano appositum imo ventri: nec solum sic iuuat, sed & preseruat a morbo inuasuro.* Hæc inquit idem Iacchinus in accessione: *Ea si dolorem facit, colicis remediis vtemur omnibus: præcipue vero iuueni expedit semen imperatoriæ & radicem bibere ex mulsa; & pilulas sumere, quæ ex assa & castorio & ruta componuntur. Terebinthinæ potus vtilis, & aquarum sulphurearum, & castorii cum decocto artemisiæ; & infusio chamæmeli. Et vbi facultas detur, insessiones quoque parentur in decoctis baccarum, & foliorum lauri, pulegii, calaminthæ, marrubii, artemisiæ, conyzæ, sabinæ, centaurii, dictamni, samsuchi, fœnugræci, althææ, chamæmeli, aristolochiæ, iridis & serpilli*, ex eiusdem Aetii sententia. Verum insessionum tempore cerebri cura non relinquatur; sed rosacco & aceto caput irrigetur; & in aceto etiam spondylium, serpillum, ruta & interdum castorium decoquatur; ac naribus quoque prædicta odoramenta assidue adhibeantur; præsertim castorium cum aceto, vt ipse inquit. Post hæc ad castorii potionem transibimus: quod assidue potum sæpe penitus ab hoc malo liberat, dandumq; est quotidie ʒ j. pondere, aliquando cum aqua mulsa, aliquando cum artemisiæ decocto, *Aetio & Paulo testibus*. In accessionibus tamen insessionibus difficulter vti possumus. Sacculi melius applicari possunt, quibus nos commode in muliere præcedente vsi fuimus. Hæc autem iam dicta in accessione conueniunt: qualia autem præsidia adhiberi debent, vbi accessio conquieuerit, postea dicturi sumus. Nunc rursus aliud exemplum curationis proferamus.

10 — Insessiones. — 11

OBSERVATIO XXXII.

De vteri suffocatione ex semine retento.

1 ANno 1565. mense Ian. famula Henrici Moermersterii pharmacopœi nostri Delphensis, in grauissima symptomata præfocationis incidit, idque ex semine retento: nam quatuor integris horis perdurabat paroxysmus admodum vehemens, idque de nocte. Cornelius Ericius, collega noster, Medicus doctissimus, emplastrum contra matricem (quo & nos quoq; vti solebamus, forma rotunda, ad magnitudinem fere palmæ manus supra alutã extensum, & in circuitu galbano, obductum) sub sinistro hypochondrio ponebat, in quam partem vterus extollebatur & sursum ascendebat. Famula vero exclamabat, vt altera iuuencula astans manibus depelleret vterum ad inferiora, cum se suffocari sentiret. Forte fortuna eadem nocte officinam ingressus sum, vt pro alia etiam eodem malo laborante nonnulla remedia præscriberem, collega dudum domum reuerso: Cumque viderem virginem misere torqueri, imperaui, vt emplastrum dictum a loco illo amouerent, & pudendo muliebri apponerent: q cum fecissent, ilico ad miraculũ cessauit vteri suffocatio. Vbi ad se rediit, dixi vxori pharmacopœi, vt rogaret num menses tempore debito fluerẽt: quod cum ita se habere dixisset, procul dubio hoc malum ex semine retento esse conieci. Nam apposito emplastro statim relaxabatur vterus humiditate quadam seminali ex locis muliebrib⁹ excurrente: atque vtero mox relaxato, ægra exsurgens bene se habuit. Non diu post hæc ipsa marito copulata, belle deinde ac sane vixit; erat enim boni habitus, & satis salax, vt videbatur. Hæc est eiusdẽ emplastri descriptio: ℞. galliæ moschatæ, alipta moschatæ, styracis calamitæ, ladani purissimi, mastiches, ana ʒ j. xyloaloes, xylobalsami, carpobalsami, galangæ, cyperi, ana ʒ ij. rosar. rub. ʒ j. ß. ceræ nouæ ℔. ß. puluerisanda puluerisentur, & cũ s.q. terebinthinæ fiat emplastrum, vt artis est. Huius accipio ʒ j & obduco in circuitu galbano, in forma rotunda, atq; appono vmbilico, vt alias diximus. Et inuenimus sæpe magnam vtilitatem quotidiana experientia. Est & alia descriptio emplastri pro matrice in Methodo miscendorum medicamentorũ Ioan. de Boys, pharmacopœi Parisiensis, c. 22. ita descripta: ℞. rad. bistortæ ʒ iij. ligni aloes, santalũ moschateliai, nucis moschatæ, berberis antheræ, ana ʒ ij. cinnamomi, caryophyllorum, schœnanthi, florum chamæmeli ana ʒ. j thuris masculi, seu olibani, mastiches alipta moschatæ descript. Præpositi, galliæ moschatæ styracis calam. styracis rub. an. gr. xv moschi gr. iiij. (alii legunt ℈ j. g. v.) ceræ citrinæ ʒ iiij ß. ladani puri ℔ j. picis naualis ʒ ix. fiat emplastrum. At nos superiori descriptione semper vtiliter vsi sumus. Eodẽ fere tempore, mense Februario, alia quoq; in vico Nosocomii Delphensis grauiter ex eodẽ malo decumbebat, postridie a nuptiis, adeo vehementi, vt per tres horas pro mortua haberetur. Ad quã vocatus, licet in cubiculo calido & lucido esset, quod quidem probatur, statim imperaui, vt stramenta altiora fierent ad caput, vt quasi erecta sederet, & spina recta collocaretur, vt ita facilius spiraret; & vt statim laquei pectoris & ventris soluerentur: nam vestibus constrictis iacebat: & voce alta, vt nomen eius ad aures inclamaretur, iussi, ac vt pili temporum conuellerentur: (auctores quidam, sed satis impudenter, iubent vt obstetrices pilos pudendorum vellicent) deinde vt pedes primum sursum, postea in medio & imo vinculis dolorificis vincirent, & simul pannis asperis fricarent, &

2

sub volis pedum frequentius ac asperius, etiam cum sale & aceto acerrimo: alii & plantas pedum oleo nardino inungunt. Hoc enim modo, tum calore valentius reuellebam'. Coxas igitur super genu strictissime ligauimus, modo & tibiis vinculis iniectis. Nodulum vero infrascriptum naribus obiecimus: *℞ assæfœtidæ ℈ j. castorij ℈ j. in sindone fiat nodulus.* Tum emplastra matricis, forma circulari & in circuitu galbano obducta, vmbilico applicari iussimus. Quibus & hæc incantamenti instar a paroxysmo, pręter omnium mentem statim liberata est. Aliquando tamen, propter odorem, galbanum omittendum; potissimum si pudendo apponendum sit emplastrum. Obseruandū nihilominus, vt instar scuti sub vmbilico applicetur, &, quod ante quoque monuimus, in parte illa acuta, quæ tangit vuluam, imponenda sunt aliquot grana moschi; ob caussas Scholio præcedentis obseruationis dictas, ex Rondeletio; qui ceroneum emplastrum præfert, vt & ibi videre est.

3

SCHOLIA.

4

NOn desunt qui emplastrum sequens ponunt inter vmbilicum & pectinem: *℞ emplastri ceronei, emplastri pro matrice, ana ℥ j. galliæ moschatæ, aliptæ moschatæ, ladani, ana ʒ j. subigantur cum oleo nardino & fingatur emplastrum rotundum, quod inter vmbilicum & pectinē applicetur.* Solum emplastrum ex galbano vmbilico appositum nobis sępe suffecit ad excitationem. Aliquando etiam non omnia ista, sed sola linimenta odorata vel alia pessi modo in vulua imposita profuerunt. Quædam solo odoratu assæ fœtidæ per nos excitatę sunt: vt Maria Gerardi, Delphis in foro frumentario habitans; quæ cum vltimo mense imprægnationis valide morbo vterino correpta, anno 1561. sub finem Decembr. ex præfocatione corruisset, olfacta solūmodo assa fœtida sindone obligata, præter spem multorū hoc solo remedio excitata fuit. Similiter euenit aliis quamplurimis. Interea tamen, præter communia remedia iam superius dicta, aliquando propria quædā requirunt, quibus a paroxysmo excitentur: nil iuuantib. assa fœtida, castorio, & eiuscemodi aliis. Sic contingit in illa virgine, q̃ Delphis circa aqueam fossam vterino symptomate detinebatur: quæ neque emplastro contra matricem, neq; male olentib' naribus admotis, licet aliquādo eodem malo ante laborans, iisdē fuisset a paroxysmo liberata, excitari potuit. At Cornel. Ericius collega meus, egoq; simul vocati, cum tandē plumas perdicis vstas naribus admouissemus, mox ad se rediit: deinde postea, eodē malo subinde recurrente, semper iisdē remediis fuit restituta. Idem alteri puellę cum Noordtwici ad curationem cuiusdam Bronchorstii vocatus essem, euenit. Tales igitur plumæ a quadam proprietate iuuant. Quare cum aliæ plumæ combustæ idem tam efficaciter non pręstent, ideo has semper deinceps paratas habere voluimus. Memini nihilominus, matronam nobilem, cui ex vteri præfocatione subito syncope superuenerat, adhibitis fortibus ligaturis & dolorosis in coxis tibiisq; tum pedum plantis fortiter fricatis cum sale & aceto acerrimo, mox plumis caponis combustis ad nares admotis, subito reuixisse. Sed cum postea sentiret tumorē vteri cum dolore, hoc vnguento mox cessauit: *℞ vng. de ammoniaco ℥ j. olei lilior. de cappar. ana ℥ ß. misce.* Memini & vxorē Theodori Teylingii, adfinis mei, ab vterino malo excitatā *(vt antea quoq; narrauimus)* solo pesso subdito ex florib. rorismarini cum panno lineo ad digiti formam. Sic aliæ puellæ nubiles, pesso ex thymo eodem modo subdito, a paroxysmis ilico restitutæ sunt: quamuis rursus aliis id vidimus nō profuisse. Nouimus alias sola masticatione seminis leuistici, & semen paulatim deglutiendo, a paroxysmo fuisse liberatas. Sed & illud pro mirabili secreto & experimento accepimus, valens & ad secundinam extrahendā, ad menses suppressos, ad vteri suffocationem, tam ex semine retento, quam ex mensibus suppressis, ad molam quoq; & fœtum mortuum extrahendum vel educendum; atq; expertum dicitur in iis, quæ per 14. dies vel plures secundinā a partu retentam habuere, quæ neq; vllis modis ab ea exonerari poterant, vt extrema inunctione inunctæ animam exhalaturæ viderentur, donec hoc secreto ab obstetrice, quæ id a Iudæo Medico, cui pro famula inseruierat, se accepisse referebat, curarentur. Sumebat folia leuistici viridia, contundebat, & succum exprimebat cum vino optimo Rhenensi; eius cyathum vnum propinabat. In hyeme vero contundebat semina eiusdem & modice in vino ebulliebat, demum colabat cum expressione; vel in aqua artemisiæ bullita atq; expressa exhibebat quam felicissime. Ego tamen sæpe obseruaui dum eiusmodi, seu pulueres, exhiberentur cum vino, quod vterus magis ascenderet: & ideo potius talia exhibeo vel cum aqua artemisiæ, vel cum ceruisia & non cum vino. Noui mulierem admodum exiguæ staturæ, valde prolificam, Delphis habitantem, in vua pensili in foro, satis obesulam, quæ vel leui occasione aborsum patiebatur. Huic familiare malum erat vteri suffocatio, ad quam etiam sæpe nocte, cum quasi pro mortua haberetur, euocati fuimus. Hæc autem primo & secundo mense imprægnationis hoc malo detinebatur. Præsentiens paroxysmum, sola radice ostrutii in ore retenta, & parum masticata, a suffocatione liberabatur; nec alio remedio quam hoc ipso solita erat hoc malū a se depellere. Superbibebat tamen vel absorbebat parum aceti vini optimi; vnde ructib. emissis, semper restituebatur; quamuis etiam stomacho imbecilliori esse videretur. Scribunt tamen Medici, acetum neruis, membrisque neruosis, tum vtero, minime conuenire. Recte igitur dictum puto a Galeno, cuiusque naturam propriam Medicū nouisse debere. Sed cum vniuscuiusque *(vt idem Galen. 3. Meth. med. recte dicebat)* naturæ proprietas ineffabilis sit, nec vel exactissima scientia cōprehensibilis, ac præterea cuiusq; hominis propria curatio habeatur; is erit optimus cuiusq; particularis ægritudinis Medicus, qui iam etiam methodum comparauit, ex qua & digno-

Mulier in vltimo mense imprægnationis, solo odoratu assæ fœtida curata.

5 *Pluma perdicis vstæ excitant a proprietate a paroxysmo.*

6 *Secretum.*

7

Historia prægnantis, quomodo ab vteri suffocatione liberata.

8 & dignoscere naturas possit, & coniectura consequi, quæ sint cuiusque propria remedia. Et licet quidam dicant acetum nõ conuenire, scilliticum nihilominus ab aliis commendatur; quare nõ est mirum, hic acetũ cum radice ostrutii conuenisse. Interea ratio impraegnationis habenda, ne subtus aromata supponantur, aut alii pessi, ne abortus subsequatur. Mulierculæ Delphenses sequenti puluere vtuntur ad vteri suffocationem: *℞. granorum iuniperi, calami aroma. rad. gentianæ, sem. pastinacæ ana ℥ j. fiat pul. subtiliss. a ℈ ij. ad ℥ j. dabant cum vino.* Sed vinum cum boni sit saporis, vterũ per se ascendere facit. Præstat vti cum ceruisia, aut alio liquore conueniente. Idem pul. valet ad ventositates expellendas, & ad ventriculi roborationem, eoq; sæpe vsus sum, & multas restitui, exhibendo cum ceruisia.

Observatio XXXIII.

De vteri vehementissima præfocatione ex semine retento.

1 Puella annos *20.* nata, filia illius, qui in Speculo in foro frumentario habitabat, *15.* Septembr. die, anno 1579. sub vesperam grauissimam præfocationem vteri incurrit, cũ tussi valida, vt mox suffocari videretur. Cum globulum ex assa fœtida & castorio ꝓ odoratu naribus admouissemus, & hunc puluerem sequentem sumsisset cum ceruisia exigua, eodẽ vesperi accessio illa, licet grauior, cessauit: *℞. rad. gentianæ, semin. dauci, ostrutii, ana ℈ ß. fiat puluis subtilissimus.* Sequenti die vtcunq; habebat. Pro tussi tunc pectus inunximus; & capiebat frustum vnum aliquando ex rad. inulæ saccharo conditæ. Habebat enim aliquid amaritudinis, ideo minus nocebat profocationi. Dulcia autem plane ferre non poterat. Et quia macilenta erat, tanquam tabida, fusca, citrina, & quasi ictero affecta, cõtinuo sumebat ceruisiam, in qua decoctum erat marrubium. 17. die Septemb. melius habuit, ita, vt vlteriorem curationem relinqueret, ac parentes mihi soluerent. At 18. die sub vesperam reuersa est vteri suffocatio, durans per quatuor horas, adeo violenta, vt pro mortua haberetur: anhelitum trahere nõ poterat, frigidum exsudabat, totumq; corpus quasi conuellebatur, vtero ad superiora retracto; mulieribus tamen non sentientibus ascensionem eiusdẽ, vt aliquando fieri assolet: sed putridus vapor ascendens guttur & pectus occludebat adeo, vt astantes illam in

2 agone esse existimarent. Dedi ℥ j. pulu. matricalis, qui ita describitur a Leonello: *℞. rad. dictamni, sem. dauciæ, ana ℥ j. cinnam. electi, cass. ligneæ, melissæ ana ℈ ij. croci orientalis ℈ ß. castorii pinguis & recentis ℈ j. misce: fiat pul. dosis est a ℥ ß. ad ℥ j. cum aqua vrticæ vel chamameli.* Dedimus ℥ j. cum ceruisia. Semper sub noctem redierat quasi febricula adiuncta fuisset. At nunc adeo violenta, vt neq; puluis iuuaret, nec odor assæ fœtidæ & castorii, nec plumæ perdicum vstæ, quæ omnia tamen sæpe iuuare solebant. Sororius eodem tempore accessit cũm tonsore iactabundo empirico, qui sanitatem pollicebatur. At huius consilium adhibitum non fuit, nec nos admittere voluimus; nec enim originem ex semine retento cognoscebat. Adeo a. violentus erat paroxysmus, vt in vita talem non viderim, duab. horis infestans. Imperaui, vt mater sequens emplastrum vmbilico apponeret, & in oleo sequenti digitũ intinctum clam in vuluam imponeret: *℞. emplastri contra matricẽ ℥ ß.* ducatur supra alutam rotundam paulo ampliorem dalero, & in circuitu obducatur galbano. *℞ olei lilior. ℥ j. moschi gr. v. sibetti gr. ij. misce.* Vix digito imposito in vuluam cum confricatione, ad miraculũ, ad se rediit, & ab orci faucibus quasi reuocata est. Sed ne amplius redirent paroxysmi,

3 imperaui, vt emplastrum per duos dies retineret. Interea dedimus postea ℥ j. rhab. cũ decoct. marrubii; atq: etiam globulũ ex iisdem, nempe rhab. & marrub. exsiccato, adiectis croco exiguo & speciebus diarod. abb. propter icterum, & febriculã quã habere videbatur. Hæc igitur astantium admiratione euasit. Ceterũ ne morbus rediret, quoniam tales præseruari debẽt, cum hic morbus periodos habeat, quia ex semine originẽ trahebat, consului vt potius nuberet. Interea, si hoc integrum non esset, consuluimus vt iis vteretur, quæ nonnihil semen exsiccare possunt, idque victu & medicamentis; vt cannabis semine, aut viticis, & radice nymphææ. Iniunximus autem victum extenuantem, & maxime siccantem, cum exiguo potu, multum exercitationem atq; inambulationem. Sed de his latius in Scholio.

Scholia.

4 *Vbi accessio non vrgeat, curatio.* Quomodo accessio curetur, iam diximus. Verum vbi ea conquieuerit, ac si ab eadem præseruari velit ęgra, aut diuturnus factus fuerit affectus; videndũ nunquid ex semine retento fiat, vti hic erat. Quamobrem singulis medicamentis admiscenda sunt, quæ semẽ minuunt ac abolent; de quib⁹ antea diximus, cum de iis ageremus, qui in venerem procliues essent, & ex seminis profluuio laborarent. Talia sunt viticis, rutę, cannabis semina. Castorii quoq; ℥ j. assiduo potet, modico aniso adiecto, *vt Aetius suadet ex Philagrii auctoritate.* Interim quoq; diambra, diamoscho, ac antidoto mythridatica vti poteris. Celsus castorium, vel gith, vel anethũ potui dandũ præcipit. Patet etiã cauendas esse contrectationes, fabulas, aspectus, lectiones impudicas, cantiones, ceteraque, q̃ Venerem excitant: quamuis alii ea commendent. Interea quoque supra relata insessiones ac pessi

Topica. conducent. Postremo vero ad naturalia balnea, eaq; calida, confugiendũ, quæ etiam ab Ægineta commendantur: post quæ vnctiones quoq; approximentur pectini, inguini, ac lumbis, ex oleo liliaceo, irino, rutaceo, & nardino, viticis ac rutæ semine, costo, ac casia, cum pauxillo ceræ paratæ. Interim quoque saluiæ, aut calaminthæ contusæ, seu seminis cannabis quidpiam admisceto. Mul-

5 tum etiam conferunt deambulationes matutinę, gestationes, quæ in curru, vel naui, vel iumento adhibentur. A motu vero gestationis, prodest vociferatio, & lectio clara, modulata, ac concinna. Item vnctio, frictio & exercitatio, per congrua interualla repetita, *vt Aetius admonet.* In vniuersũ,

vbi ex redundante potissimum semine generatur hæc affectio (*vt etiam Donatus ex Aetio, Paulo, Galeno annotauit*) tum victus, tum medicamenta cõferunt, quæ resiccandi vim habent, siue calida, siue frigida fuerint: similiter & his vtendum (*de quibus mox diximus*) quæ totis substantiis semen exstinguunt. Ad vteri strangulatus conuenire inquit Gal. 9. *De compos. medic. sec. locos.* agarici ℨ j. in potu acceptum ex vino: item plantaginis semen, & succum cum vino. Nec minus confert onyx ex conchylio potatus, & acetum scilliticum absorptum, *vt ipse inquit.* At frequens coitus hic magis iuuat. At cum prægnantibus semper clementer agendum, *vt iam antea quoq; dictum est.* Quod ad phlebotomiam attinet, suspectum remedium est, nisi cũ suppressi sint menses, vt exemplo sequenti docebimus: tunc enim conuenit, si ex mensibus retentis malum oriatur.

Observatio XXXIV.

De vteri præfocatione ex menstruis retentis.

1 MAtrona nobilis de Bombergen Antwerpiana, vxor Iacobi Persinii, ad Montẽ Piscinæ, in Haga Comitis habitans, ex menstrua purgatione retẽta, symptomate vterino cũ correpta esset, ad eam vocatus fui, anno 1566. 16. Martii die. Statim pro accessione curanda, narib. obieci globulum ex assa fœtida, vt odoraretur. Emplastro contra matricem, circulari forma, & in circuitu galbano obducto etiam vmbilico imposito, & oleo liliaceo cum granis aliquot zibetti in vuluam per obstetricem digito indito, cum ad se parum redisset, semen leuistici cũ ceruisia exhibui, ex quo belle habere visa est. Deinde cum a suffocationis accessione libera esset, 18. Martii die, ita illam purgaui: ℞. *diacatholici* ℨ ß. *diaphœnici* ℨ j ß. *pulu. hieræ picræ* ℈ j. *cum decoct. artemis. & melissæ* ℨ ij. *fiat haustus.* Septies aluum deposuit cum multis ventositatibus. 19. Martii ad menses euocandos: ℞. *florum chamæmeli, foliorum sabinæ, ana m. ß. semin. dauci* ℨ j. *bulliant in aqua communi, & huius decocti accipe* ℨ iij. *Adde spec. diacalaminthæ, diacumini, ana* ℈ j. *castorii,* ℈ ß. *pul. dominarum gr. iij.* calide vnica vice sumebat: ℞. *olei rutacei, anethini, chamamel. ana* ℨ ß. *misce.* inungatur venter inferior. Fiebant etiam frictiones & ligaturæ crurum in principio, ad diuersionem. Redibat adhuc semel paroxysmus, sed leuior. 21. Martii sequens dedi: ℞. *Decoct. florum chamameli* ℨ iij. *in ceruisia decocti, pulu. cumini* ℨ j. *sumsit vnica vice.* Bis fuit reiteratum, & profuit. Sacculus quoque paratus ex floribus chamæmeli, absinthii, artemisiæ cumini, ventri inferiori calide apponebatur. Sed non potuit ferre. Rediitque denuo paroxysmus; qui tamen suffitu plumarum perdicum combustarum cessauit. 23. Martii propinaui hanc purgationem: ℞. *elect. lenit.* ℨ ß. *elect. de dactylis* ℨ ij. *elect. hiere picræ* ℨ j. *cum* ℨ iij. *aqua artemisiæ. addendo syrup. de byzantiis sine aceto* ℨ j. *misce.* & ex eo habuit quatuor sedes. Interea & hoc condito vtebatur: ℞. *conser. absinth. com. flor. borag. ana* ℨ j. *confect. mithridaticæ, theriacæ diatesseron, ana* ℨ ij. *diacumini* ℨ ß. *misce.* capiebat ad magnitudinem paruæ castaneæ, & optime deinde se habuit. Aperuissem eo tempore libẽter venam tali, vt menses melius fluerent: sed noluit admittere. Tamen continuando conditum, bene se habuit. Reliquã curationem commendaui viro; cum Venus hic valde conueniat. Postea & menses debite fluxere, & curata permansit. At puellæ illi pituitosæ, valde crassæ, ad quam vocatus fui 21. Nouembr. anno 1588. quæ circa pontem Auenarium Delphis habitabat, emplastro matricis etiam vmbilico imposito, & oleo liliaceo cum zibetto subtus indito per mulierem, cum ad se rediisset parũ, hunc puluerem exhibuimus: ℞. *rad. gentianæ, sem. ostrutii, dauci, ana* ℈ j. *fiat pul.* detur cum pauxillo ceruisiæ, non autem cum vino. Memini cum in Hagam Comitis accitus essem ad filiam præfocatam insignis illius Aduocati Coci dicti quod alius Medicus propinasset theriacæ ℨ j. cum vino, maiorem eam incurrisse accessionem vterinam. At cum puluerem supradictũ dedissem cum ceruisia, admotis etiam castorio & assa fœtida ad nares, statim restituta fuit a paroxysmo. Ceterum huic puellæ crassæ postea exhibui hanc purgationem: ℞. *syrup. ex inf. ros. pallid. cum foliis senæ* ℨ j. ß. *elect. hieræ picræ, diaphœnici, ana* ℨ ß. *aqua cardui benedicti* ℨ ij. ß. *misce.* Egregie excreuit. Postea, cum aliquo modo febricitaret, adhuc semel eam hoc modo purgauimus: ℞. *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ* ℨ j. ß. *elect. hieræ picræ* ℨ j. *diacatholici* ℨ ß. *aqua cichorii* ℨ ij. ß. *misce.* Deinde vena tali secta fuit; &, mensibus erumpentibus, hæc fuit curata. Ita etiã sanata fuit filia pulcerrima Valkensteniæ cognatæ nostræ, castorio & assa fœtida naribus admotis, & emplastro matricis vmbilico imposito & puluere suprascripto exhibito, ac subtus imposito olei amygd. dulc. ℨ ß. cum moschi optimi gr. iij. & zibetti gr. ij. &c.

2

3

Scholia.

4 DIctum est paulo ante, vbi accessio conquieuerit, & non amplius vrgeat, ne ægra rursus in eandem incidat, præseruari debere; & tunc curationẽ aggredimur pro ratione caussæ. Nam si ex mensiũ suppressione, ii ducendi sunt modis quos supra diximus: & sic pleriq; initium sumunt a venæ sectione: ex talo enim venam secant; quæ tamen minus cõuenit: si ex semine retento, vt paulo ante retulimus. Deinde ad alui purgationem seu euacuationẽ progrediemur. Sic etiam Aetius in eo affectu, qui iam chronicus euasit, a sanguinis missione incoat, præcipue si menstruæ purgationes detentæ fuerint. Secatur autem, vt dixi, tali vena. Purgatio vero fit ex hiera, ex aloe confecta, picra dicta, quam & Aetius valde commendat. Verum si cum mensium suppressione crassi etiam ac frigidi succi redundabunt, iidem prius concoqui ac præparari debent, & deinde purgari ex eadem hiera cum agarico, seu pilulis fœtidis, aut sagapeno cum eadem hiera & agarico, & (*vt summatim dicamus*) eisdẽ medicamentis vtimur, quæ antea ad menses suppressos conscripsimus: a quibus diaspolitico pharmaco assidue vti debet, & eo quod ex tribus piperis generibus constat, ac etiam

Vena sectio.

Purgatio.

Si cum mensiũ suppressione etiam succi crassi abundant, quid faciendum.

A purgatione qua tribuenda.

etiam eo quod ex calamintha appellationem habet. Si autem humores corrupti in vtero sunt, euacuentur, minorando, deinde digerendo, post eradicando, postremo roborando matricem, vt: ℞. *pilul. hieræ* ʒ ß. *fœtid.* ℈ *j. fiant pilulæ v.* ℞. *syr. de artemis.* ℥ *j.* ß. *decoct. matricariæ, melissæ, artemisiæ, ana* ℥ *j. misce, & in* ℥ *iij. decoct. eiusdem diss. diacath.* ʒ *v. elect. indi maior.* ℈ *ij. diaphœnici* ℈ *iiij. misc.* detur deinde lauatiuum ex iure pulli cum saccharo rub. roboretur cum aroma. rosa. & diamos. in tabulis. Iungitur aliquando suffocatio vteri cũ epilepsia per cõsensum: vti euenit Barbaræ Brunonis Delphensi, annos 24. natæ, anno 1568. 27. Nouembr. Erat leuis cũ palpitatione in malis ac facie; postea concidebat fere, sed non semper. Hoc decocto epoto, per integrum annum, malum deinde non rediit: ℞. *maioranæ artemisiæ, pulegii, saluiæ, melissæ. ana m. j betonicæ m.* ß *flor. stœchad. p. j folio. senæ* ℥ ß. *agarici fœminini* ʒ ß. *sem. anisi* ʒ *ij. rhab. selecti* ʒ *j. schœnanthi, Zinziber ana* ℈ ß. *vuar. pass. ab arill. repurg.* ℥ ß. *glycyr. ras* ʒ *iij. coquãtur in aqua communi pro* ℥ *vij fort. ss. express. adde syr. de artemis. e stœchade, ana* ℥ *j misce pro duabus dosib. matutinis.* Aluum egregie deposuit, cum multis ventositatibus: & intra annum postea non rediit malum, nisi ann. 1569. die 16. Septemb. tunc iterum exhibita fuit eadem potio adiectis aliquot seminibus pæoniæ: & malum non reuertebatur. Sed, quod fere omiseram, menses consuetos semper habebat. At ex vtero videbatur vapor ascendere ad superiora, tandem in genis & facie palpitationem inferendo, mox casum, sed non semper. Plura de vteri strangulatu vide apud Alexandrum Benedictum Veronensem, *lib. 26. a cap. 16. vsq; ad cap. 23.*

Historia epilepsiæ cum suffocatione vteri. 6

Observatio XXXV.

De vteri procidentia, per modum consultationis.

1 Procidere vterum dixit Aetius *libr. 16. cap. 78.* quando ita euertitur, vt exterius emineat: neque enim vterus, vt imperiti suspicantur, a suis solutus propaginibus totus decumbit: nam si ita procideret, restaurari minime posset. Ita & Paulus lib. 3. 72. *Quidam*, inquit, *& totam vuluam prolabi memoriæ produnt: quod a vero longe abest. Vterus enim ligatur parte inferiore duobus fortissimis ligamentis, qua illum retinent, ne superiores partes comprimat, & neque in dextram aut sinistram contorqueatur, & meatum vel cornu, vel os interius dilatans. Quod si alterum ligamentorum relaxetur, aut contrahatur, trahitur ad partem dextram vel sinistram. Parte superiore vterus firmatur, & ligatur vasis spermaticis, & venis in superiorem vteri partem peruenientibus. Et quia venæ & arteriæ facile rumperentur, nisi firmarentur firmissimo aliquo vinculo; natura peritonæo muniuit & venas, & arterias, & totum vterum. Si peritonæum relaxetur, deuoluitur, & decidit in partem inferiorem, aliquibus magis, aliquibus minus. Nam quibusdam extra apparet, alijs in collo sentitur.* Alii vero (*vt Fernelius*) distinguunt descensum vteri a prolapsu. Descensus vteri apud eos appellatur, quum in inferas partes prouoluitur. Percepit obstetrix hunc pudendo obuium; laborans vero ipsa, si erecta steterit, grauitatis pondus in pudendum incumbere; sin autem vel sedeat; vel supina iaceat, vel aluum exoneret quasi onere rectum intestinum premi; sin prona iaceat, vrinæ difficultatem nasci, vt etiam viri congressum pertimescat. Prolapsus vero descensu grauior est, quod euersus vterus procidat eiusque fundus promineat, & manu attrectetur, anserini saltem oui magnitudine. Hinc Aetius loco citato: *Quod vero procidit, ouo struthiocameli simile est, maioris tantum, aut minoris ratione differens, prout euersionis violentia coegerit.* Fernel. ad huius differentiam addit etiam conuulsionem. *Conuulsio*, inquit, *est, cum vterus in alterutrum inguen. contorquetur.* Inguinis, ac sæpe coxendicis, vehemens tum dolor exercet, qui si atrocius excandescat. vteri furor appellatur; de quo ante egimus ex Aetio: crus totũ maximeq; femur torpescit ac friget. *Tam varii*, inquit, *motus & errores iis duntaxat obtingunt, quibus vteri appẽdices laxiores, idq; ex graui vteri gestatione, vel ex casu, atq; contusione, vel ex copiosi humoris perfusione, euaserunt. At prolapsus non ex leuioribus hisce caussis, sed ex vehementiore solum pariendi conatu, quo vterus fœtum secundasve cum impetu excludit, seq; inuertens præcipitat, consequitur. Interdum & imprudentis obstetricis temeritas vterum cum fœtu aut cum secundis inuertit detrahitque, vt non aliquando fieri cognouimus.* Sunt & aliæ caussæ vehementiores, iuxta Aetium & Paulum locis citatis. *Ab alto enim mulier si in coxarum vertebras deciderit, disruptis membranis quibusdam, quæ vuluam cum vicinis membris connectunt, eo morbo corripitur. Nec minus corripietur ob violentam loculi expulsionem, quod præcipue in aborsibus accidit. Nimia præterea spiritus detentio, aut immensi ponderis eleuatio, aut percussio vteri procidentiam inferre solent. Sæpe & ob humoris plurimi ac tenacis defluxum, partuumq; frequentias, laxantur soluunturque appendices profundo vtero superius inhærentes. Ob vehementes etiam animi affectus; vt si filiorum interitus, vel hostium incursus nuntietur, vel in maximam pelagi tempestatem inciderint; toto corpore mulieres exsolui solent: ita, vt vulua quoque elabatur & procidat. Nonnunquam & sine vlla istarum caussarum debilitantur corpora, vt, membranis musculisq; vuluam sustinentibus exsolutis, affectus contingat, quod decidente ætate fieri solet. Hæc Aetius.* Easdem fere caussas ponit & Paulus. Ideo quærendæ sunt caussæ antequam ad curationem veniamus. Sic rustica mulier, cui vterus relaxatus propendebat, cum Alcmariæ adhuc praxin exercerem, me consultandi caussa accessit. Cum autem hæc mulier valde alba & pituitosa esset, perpetuo circa aquam versari solita, (*nam ex Waterlandia ad nos venerat; & nudis pedibus in campis versabatur frequenter cum vaccas emulgeret, & aliquando per aquam ad illas cogebatur accedere*) cumq; adeo vterus sæpe procidat ob relaxationem factam ex sequenti & diuturna mora in aquis: sane quod ex humiditatibus mucaginosis laxantibus appendices matricis, hoc malum ortum suum haberet, ilico co-

2 · 3 · 4

gnoui; testāte & id mulieris habitu, tum copioso humoris fluore. Nā similiter cōfitebat͂, se quoq; longo muliebri profluuio laborasse; & tota cōstitutio eius erat pituitosa: ideo & resiccantib. & restringentib. curanda erat. Licet igitur hic materia pituitosa prius concoqui deberet, & deinde euacuari, atq; id multis remediis, vt nos antea lōgiore sermone docuimus; tamē cū apud me manere non vellet, ne sine præsidiis a me discederet, (etiā præhabita prædictione, q̃ non tam facile curaretur, nec vnico remedio) imperaui, vt septimo quoq; die tres pilulas hora vna ante cœnā caperet: *℞. pil. de hiera simplici, agarici trochis. ana ʒ j. ß. corticū myrobal. chebul.* ʒ j. *cum melle ros. fiant pilulæ vj. e* ʒ j. Postero die vt caperet ʒ j. theriacæ optimæ cum vino ad minus quinq; horis ante cibū; idq; semel in hebdomada, post pilulas assumtas. Cū bene esset repurgata, iussi vt ʒ ij. vel iij. aliquot diebus caperet ex rotulis spec. diamoschi dulcis, idq; ter quaterve in hebdomada. Deinde partem vteri exterius eminentem lauaret simili decocto: *℞. foliorū lauri, & baccarū, menthastri, menthæ, artemisiæ, sampsuchi, rorismarini, ana m. j. coquantur in vino adstringente.* Vngatur post lotionē mucagine sem. cotoneorum & inspergatur pul. sequens: *℞. acaciæ ʒ ij. baccar. myrt. ros. rub. ana ℈ ij. cornu cerui vsti ʒ ij. ß.* redigantur in tenuem puluerem, quo post fotum & vnctionem inspergatur vterus per obstetricē, vt dictū est. Interea, priusquā in suum locū vterus per obstetricē imponatur, si in recto intestino durum stercus fuerit, illud educendum erit. Aetius clystere vtitur: nos poterimus in hac rustica vti balano, nam clysterem nō admitteret. Hoc autē tempore, *vt etiam admonet Rondeletius,* abstinendum erit a iusculis, nisi cum aluus protitanda erit, quæ sæpe & propter decubitū, & vsum astringentium constringit͂. Quare huic symptomati occurrendū erit cassia vel prunis, vel clystere detergēte, & proritante leuiter facultatē. Neq; imponēdæ maluæ, aut aliæ emollientes herbæ, ne pars relaxetur. Sufficit herbam mercurialē & ciclam in decoctione ponere, betonicam, artemisiam, vel absinthium. Neq; oleum ponendū est. Nam si astringat, actionem clysteris impediet: si emolliat, partem lædet. Quamobrē satis erit citra oleum parare. Dum hæc quoque peraguntur, decumbendum est, & sobrie edendū. Simili modo, si in vesica lotium collectum fuerit, studendum, vt prius reiiciatur: sin minus, fistula vesicaria euocandum, *iuxta Aetium.* Euenit enim plerumque, vt idem testatur, vt eorū detentione vterus, qui inter vtrumque, rectum, inquam, intestinū & vesicam medius statuitur, compressus, & intra locorum angustias coactus, in prolapsu suo impediatur, ne repelli & in proprium situm reduci queat. His autem rite peractis, ægram supinam obstetrix collocabit, coxis accliuibus seu altioribus, reflexis poplitibus, & cruribus disparatis seu inuicem dilatatis: deinde prolapsam vteri partem, oleo tepido, vel butyro, vel betæ, maluæ, althææ, fœnugræci, seminum lini, aut similium decocto affatim fouebit; hastulamq; lanceā præparabit, vel lanam conuolutam, crassitudine & figura muliebri pudendo conformē, cui tenuissimum purissimumq; linteolum exterius circumuoluet, ac deinceps acacia aut hypocisthide vino dilutis intinget; tum vteri partem sensim reprimens in propriū locum statuet: postea hastulam laneam in sinum pudoris subiiciet, atq; inde lanā vino adstringenti madefactam superponet, & totum pectinem lana aut spongiis e posca, expressis operiet, & alligabit; cruraq; mulieris extensa insertim collocabit, vt alterum alteri inequitet aut incumbat: tutius tamen erit pedes simul vinciri, fasciam vsq; ad genua deducendo. Nonnulli vterum qui nuper deciderit, cucurbitæ domesticæ & betæ decocto cum vrina fœtida, aut aceto acri, vel aliqua re fœtenti colluunt. At si prolapsus vterus temporis diuturnitate intumuerit, plurimoque humore infarctus fuerit, ita, vt tumor reductionē impediat, betarum decocto ipsum irrigamus; deinde acetū circumfundimus, salque tenuissimum inspergimus: postea, vbi detumuerit, eodē decocto colluentes, sicut prædiximus, repellimus; deinde cucurbitulas vmbilico & vtrisq; ilibus cum plurima flamma affigemus, & odorata naribus iugiter admouebimus. Tertia vero die, lana adhuc in pudendo persistente, mulier in vino nigro austero quadantenus tepefacto, aut in myrti, lentisci, rubi, malicorii decocto insidebit. Ac peracta insessione, rursus supina accliuib. coxis locabitur, sublataq; e pudendo priori lana, noua iterum eodem medicamento madefacta imponetur. Suminique imponant͂, cataplasmatis modo, palmulæ, polenta, malicorium, lenticula cum oxymelite: & alternis diebus, vsque ad exactam curationē, permutetur. Atque hæc, tribus diebus interpositis, rursus fient, quoad perfecte vitium discusseris: enimuero vbi vteri crebro prolabuntur, posca abluantur, in eademq; mulier diutius insideat, & deinceps omnia relata fiant. Hæc autē, vt per obstetricem fierent mandaui. Vbi iam in locum vterus reductus esset modo dicto, cucurbitulas duas iam dictas in ilibus figeret, & vnam magnā supra vmbilicum, suasi; & vt sequēs emplastrum inter vmbilicum & pectinem applicaret: *℞. emplastri ceronei* (confert frigiditati matrici) *emplastri pro matrice, ana ʒ j. galbani, ammoniaci, ana ʒ j. ß. gummi dissoluantur in vino, fingaturq; emplastrū rotundum, quod ventri inter vmbilicū & pectinem admoueatur.* Interea odorifera iugiter narib. admoueantur, fœtida vero inferius. Obstetrix quoque vti poterit tali pesso: *℞. assæ fœtidæ ʒ j. picis colophoniæ, mastiches, ana ʒ ij. inuoluātur linteo raro, fingaturq; pessus, qui filo coxa alligatus in vterū dimittatur.* Cunnus deinde decocto sequēti foueatur: *℞. balaust. gallar. rhois opsoniorū, ros. rub. ana q. v. decoquantur in aqua chalybeata vel cisterna, & in vino astringente: fiatq; vt dictū est.* Ei quoq; puluis paulo ante dictus inspergatur, quo vterus exterius eminens inspergēdus dicebatur. Interea oportet, vt ipsa a vociferationibus, sternutationē mouentib. ac tussim, aliisq; immodicis motib. abstineat, ita, vt quiete ac tranquille viuat; & vtatur tenui

victu,

victu, ne multa recrementa in intestinis colligantur: vtatur itaq; cibis boni succi, & odorato vino ac tenui, sed quia rustica, etiam ceruisia absinthite. Post curationem abstineat a coitu nimio, saltatione, ira, clamore. Quod si his remediis nō curabitur, erit incurabilis. Plura vide Consultatione 222. apud Montagnanam, De exitu matricis.

SCHOLIA.

7 *Pars affecta.* QVicquid sit, siue vterus decidat, prolabatur, exeat, aut in partem aliam moueatur, semper vterus afficit & laborat morbo in situ. Et sic affectus pręter naturam pertinet ad morbum in situ. Caussas a. multas etiam in Obs. praeced. esse diximus. *Caussa externa.* Externae videlicet sunt, si ab alto delapsa sit mulier, vel ex violenta secundinae extractione, ex abortu, vel foetus inartificiosa extractione, ex spiritu detento, oneris leuatione, vel vteri plaga, offensione, vulnere: ob vehementes animi affectus, liberorū amissionem, hostium incursum, periculosam nauigationem; ex frigore, mora in aqua, & similes. *Interna.* Internae, humoris plurimi ac lenti defluxus, partuum frequētia, membranis aut musculis vterū sustinentib. resolutis. *Signa.* Signa demonstratiua satis patent, quia vterus extra ppendet, vel a loco suo motus est: vt in Obs. praecedente ostendimus. Nam & illud quod procedit struthiocameli ouo simile est, iuxta maioris aut minoris differentiam, prout violenta euersio contingit. Iuxta Aetium, in principio plurimus sanguis erumpit: deinde cōsequitur dolor praecordiorū, lumborū, imi ventris, ac pudendorū; & periculū est, ne, perfrigeratis locis, conuulsio inferatur: quamuis progressu temporis, vbi affectio inualescit, & loci callosi facti sunt, neq; cōuulsionis periculū imminet, neq; dolor infestat, eod. Aetio teste. *Caussarum dignotio.* At caussarum dignotio haud aegre quoq; haberi poterit, partim ex te ipso, partim ex aegre vel astantium sermone; praesertim caussae externae. Internae quoq; vt si ex humore putri vbertim ex locellis defluit humor. Iam quoque mulier pituitosa est, desidiosa; prius quoq; saepe vsa fructibus, piscib.

8 *Prognostica.* Verum ex quacunq; caussa fiat: cū adhuc recens est affectio, conari oportet, vt vterus ipse contrahatur: in principio n. facile dirigitur, & recte locatus permanet, praecipue in vigore aetatis. In aetate prouectiorib. contrahitur quidem, sed ex leui occasione rursus prolabitur: *ex eiusdē Aetij testimonio.* Si ad latera tendat, facile curatur. Si extra os vuluae exit, vix curatur, secundū quosdam. Si longo tempore prociderit, nūquam. Si ex succis corruptis, putrefactis, & praecipue ipsa matrice putrefacta, vel ligamentis putrefactis, frustra curatur. At si processu temporis id quod prolapsum est, computruerit, idipsum auferetur nullius metu periculi. Etenim vniuerso vtero ablato, vbi putrefactus fuisset, mulierē nihilominus superuixisse narrant Aetius & Paulus, quorūdam auctoritate.

9 *Historia Gradi, de muliere sine matrice viuente. Beniuenius c. II.* Refert Gradus, se mulierem Papiae ex nobili prosapia, a qua tota matrix putrefacta frustratim deciderat diuersis tēporibus, cognouisse, & eandem aliquot annis superuixisse. Idem refert Beniuenius de muliere pernicioso vlcere vexata ipsius vuluae, ita, vt corrupta vulua, & frustulis cōminuta descendens, nō ante fluere destiterit, quam tota putrescens deciderit & tamen ipsam 10. ann. sine vulua superuixisse. *De abditis caussis morborum.* At ob caussā externā, vt occursum aeris frigidi, vel aquae frigidae, si in variū pellatur sitū vterus in corpore sano, remediis calfacientib. vtero admotis, & vētositates carminātibus, facile in locū reducetur: ita quoq; ab humiditate curari poterit. At ex difficili partu, aut foetu extracto, vel secūdina ab obstetrice ignara, aut quacunq; ex caussa violēta ruptis ligamētis, nō speratur curatio. Si cancro similiter, cū non speretur remotio caussae. Quomodo curetur, iam ex parte diximus ex Aetio: quib. videlicet modis impellatur, faecib. prius eductis, & vrina euacuata.

Curatio. Attamē caussae prius inquirendae. Nam vbi ob relaxationē, quae ab humiditate fit, curatur resiccantib. & astringentibus: ita quoq; si ex diuturna mora in aquis tales ob humiditatē non cōcipiunt. Nouit tamē Rondeletius pagum in Prouincia, in quo omnes fere mulieres vteri procidentia laborant, & tamen cōcipiunt. Erunt igitur curandae eo fere modo, quo & ani procidentia. Si ob humiditatē, *inquam*, nimiam relaxatio fiat, exsiccandus est habitus corporis pilulis & medicamentis, quae facile aluū deiiciunt & sine nixu. Nā dum magna intentione redduntur alui excremēta, 10 propellit etiā vterus. Quare vomitio frequēs multo esset vtilior, quia nō solū pituitam euacuaret, sed & vterū sursum attraheret: nam siccat. Quemadmodū vterus in coitu deorsum mouetur, vt semē tanquam manu recipiat: sic pars ventriculi inferior ad superiorem contrahitur, & mouetur, vt id, quod in fundo est, expellat. Et dū ventriculus sese contrahit, & peritonaeū distenditur, vterus, & quaecunq; illi alligata sunt, quadā consecutione retrahūtur, sed ante quā retrahatur, oportet intestina vacua esse excrementis, *vt diximus*, item vesicā: deinde partē extra ppendentē hac vel simili decoctione fouere: ℞. *cort. pini* ℥ ij. *cort. thur* ℥ ß. *cort. querc.* ℥ ij. *betae hederae absinth. an. m. j. ros. rub. balaust. flor. stoech. ana p. j. fiat decoctio in aqua ferrata, & vino astringente.* Cum decoctione foueatur pars, si appareat: vel immittatur syringa, vel alio instrumento in partem interiorem vteri. Deinde pessario vel baculo pannis inuoluto leuiter & suauiter suo loco reponatur. Quod si odores foetidos in summitate pessi aut baculi inuoluti posueris, & odorata narib. exhibueris, mouebitur facilius, & retrahetur in partē interiorē. Retractione facta, vtendū est fumigio, quod partē resiccat & ad superiora eleuabit sic: ℞. *musci arbor. siue vsneae in clibano exsiccatae, & collectae in quercu vel ilice, m. ij. absinth.* ℥ ij. *ros. rub.* ℥ j. *cort. thuris. pini, ana* ℥ j. ß. *caryoph. ladani puri & hypocist. ana* ℥ j. *auripigmenti rub. & galbani, assae foetida, ana* ʒ ij. *excipiantur terebinthina, & fiant trochisci magni, & per embotū magnū fumum recipiat, vel canali in vterum deducatur, ipsa in lectum decumbente.* Nam postquam vterus repositus est suo loco, quiescendum est: in dorsumque recumbendum, partibus pudendi altius collocatis. Emplastra cataplasmataque constringentia & resiccantia multum supra regionem vteri & renes

ponenda; vt ℞ *vsneæ m.ij. foliorum myrti, vel lentisci, vel summitatum rubi, vel quercus, vel pyri agrestis, m.j. corticum querc. mali granati, ana ℥ iij. gallarum, spongiæ bedegaris, bistortæ, & quinquefolii, ana ℥ ij. centaurii minoris ros. rub. florum anth. stœchad. saluia, ana p. j. fiat decoctio in aqua cisterna & aceto:* qua foueatur pars cum spongiis nouis sero & mane, addendo die quinto vel sexto fomentationis *salis aluminis, & vitrioli, ana ℥ j.* Cum cessabis a fotu, accipe residentiam decoct. & pone in sacco, & applica supra renes & ventrem: quibus addere oportet polygoni & herniariæ, *ana m. ij.* Hunc fotum, *iuxta Rondeletium*, continuare oportet ad quadraginta dies: postea emplastra adstringentia continue gestare; qualia sunt, pro matrice, de pelle arietina, & de mastiche, addendo spongiæ bedegaris, & radic. bistortæ, & pul. herniariæ, ana ℥ j. in ℥ iij emplastri. Et frequenter pars est fouenda vteri interior fotu prædicto.

12 Aliquando pars vna vteri relaxatur, quæ dicitur mitra vulgo, apud Gallos, *la landie*, & extra vterum procidit; quod semel vidit idem Rondeletius: & sic curatum fuit malum: ℞ *rad. bistortæ & narcisci, ana ℔ j. foliorum hederæ m. iij. summitatum myrti, consolid. absinth. plantag. costi, ladani, polygoni, herniariæ, ana m. ij. ros. siccarum, florum anthos & stœchad. ana p. iij. matric. & artemis. ana man. j. fiat decoct. pro balneo. in vltimo adde aluminis ℔ j. salis communis ℔ ß.* Radices contundantur; postea ad formam cataplasmatis reducantur; & applicetur parti affectæ. Quod si ob tensionem ligamentorum inferiorum decidat vterus, non erit inutile, inguinibus apponere vnguenta relaxantia, quale est vnguentum de adipibus, vel resumta vel dialth. dissoluta portiuncula galbani in his & assæ fœtidæ, vt partes relaxentur, & fœtore vnguenti vterus (*vt dicebat idem quem supra citaui Rondeletius*) sursum retineatur, neque vltra procidat.

Observatio XXXVI.

De quibusdam vteri præcipitatione laborantibus.

1 PAuperculæ mulieri, cui vterus procidebat, vt galbani cerato vteretur, mandaui. *Quibusdam enim*, inquit Benedictus Veronensis, *multos per annos vulua procidit, ac per vrbem, vt nouimus, ambulant, nec alio vtuntur remedio, quam galbani cerotario.* Sed & alteri cui aduersa vulua erat, iussi vt digito obstetricis corrigeretur: *facile n. cognoscitur: nam nec ori nec ceruici locorũ situs respondet, dolorque ac grauitas in altero sentitur latere; quam cucurbitula cõtrario latere corrigit, imposita a balneis duntaxat.* Et ita iussi vt cucurbitulã in cõtrario latere poneret: hoc enim modo reducebatur ad suum situm. Verũ mulieri, cui vterus deorsum tendebat, quamuis nondũ exitum manifestum fecerat, consului vt male olentibus subtus suffumigaretur, quo sic sursum traheretur; & vt superius ad olfaciendum odorifera narib[us] obiicerentur: & iubebam fieri ligaturas dolorosas in brachiis; & supra vmbilicum ponebam ventosam sine scarificatione. Guainerius vero in mamillarum radicibus ponere iubet, & versus quodlibet latus alteram, & in medio aliam, ita, vt supra ventrẽ tres ventosæ simul sint: & tam diu ista fieri iubet, donec vterus in proprium locum reducatur; quod ex accidentium remissione cognoscitur.

2 At alteri mulieri vterus magis solutus, ex materia mucosa, plus extra pendebat: quod cum plurimum accidit, vt antea quoque dictum est. Quare, vt humor pituitosus hoc modo digereretur, præcepi: ℞ *syr. e stœchade, de matricaria, oxymelitis simpl. ana ℥ j. ß. decoct. saluia, maioranæ, chamæpit. artemisiæ, calaminthæ, menthastri, ana ℥ vj. fiat syrup. pro ij. dosibus.* adhuc semel reiteretur: deinde ita venter soluatur: ℞ *pil. fœtid. cochiar. ana ℥ ß fiant pilulæ vij.* vel si potione delectetur: ℞ *florum stœchados, borag. anthos, matricariæ, melissæ, ana m. ß. passul. enucleat. ℥. ß. semin. anisi ℥ ij. fiat decoct. in aqua communi, & in ℥ iij. dissolue diacathol. ℥ ß. electuarii indi maior. ℥ ij. diaphœnici ℥ j. elect. elescoph. ℥. ß. mellis ros. colati ℥ ß. misce. fiat potus.* Postea exhibeatur *theriacæ vel mithridatii ℥ j.* Deinde abluatur vterus *cum decocto puleg. calaminthæ, origani, matricar. meliss. nucum cupress. & fol. rhois opson. malicorii.* Potest etiam postea venter spongia immersa super regionem vteri fomentari. Inde, prius cum oleo mastichino & ros. inunctus, in locum naturalem reponatur. Si inditus fuerit, subdatur pessus ligneus, aut candela molli vellere inuoluta, oleo liliorum, irino, vel cyprino, intincta, quatuor digitorum mensura, pro longitudine ceruicis. Alii hunc puluerem inspergunt: ℞ *thuris, mastich. bol. arm. myrtill. sumach. gallar. omphacitid. cupulorum, ros. acaciæ, ana ℥ ß. fiat pul. subtilissimus*, quo vterus aspergatur. Deinde obstetrix inungat manum suam, & suauiter impellat eundẽ, muliere ita situata, vt prius dictum est ex Aetio. Postea ventosa magna sumini apponatur per quartam partẽ horæ. Qua remota, ceratũ sequens apponatur, pilis tamen pube tenus prius derasis ac tonsis: ℞ *boli arm. sang. dracon. hypocist. sumach. ana ℥ ß. corall. rub. glandium, ros. rub. myrtil. ana ℥ ß. puluerisentur, & cum pice & resina pini q. s. fiat ceratum in forma quadrata in corio vel aluta, & vteri regioni applicetur.*

3 Moretur in lecto, & cum non amplius prosilierit vulua, femora arctius ligaturis contineat. Et si aluus constringatur, vtatur clysteri vel balano. Et vbi iam curata fuerit, vitabit deambulationes, equo aut curru vehi, aut iactari: hæc n. plurimum obsunt; vti & balneorũ vsus, ac coitus. Quidam tamen balnea sulphurea commendãt, vel ferrosa, qualia nunc celebrantur in agro Veronensi Caldariana dicta. Abstineat a cibariis frigidis & humectis, vẽtosis, quales pisces sunt, olera, rapæ, & similia. Vinum nigrũ seu rubrum bibat ex pluuia aqua. Et sicuti Venus illis importuna est, ita & sternutamenta, vociferationes, tusses, ac magno conatu aluum comprimere obest. Atq; his optime habuit: tum aliæ plures.

Scholia.

4 *Curatio, si in latus descendat.*

DIctum est prius quod descensus vteri sit vel cum exitu, vel sine. Si igitur in latus declinet, cognoscitur ex dolore: id etiã ob caussam in suffocatione

focatione ab vtero dictam contingit interdum: nonnunquam vero ob flatus impellentes. Si a flatibus fiat, cucurbitula magna primū lateri opposito affligatur, in ipsumq; laborans mulier cubet. Sequens deinde clyster iniiciatur: ℞. *parietariæ, althææ, mercurial. ana m. j origani, calaminthæ, an. m. ß. sem. dauci, carui, anisi, fœniculi ana ℥ ij. sem. lini, fœnug. ana ℥ iij. flor. chamameli, rorism. meliloti, ana p. j. coquantur in s. q. aqua ad tertias: eius accipe ℔ j. cass. sacch. rub. an. ℥ j. bened. ℥. ß. mellis anthosati ℥ j. ß. olei chamamel. ℥ iij. fiat clyster ante pastum.* Deinde vtatur rhombis sequentibus: ℞. *pul. diacumini, diacalaminthæ, an. ℥ j. ß. sacch. soluti in aqua melissæ q. s.* fiat elect. solidum, in rhombis ponderantibus ℥ iij. detur vnus mane ante pastum, quater in hebdomada. Vbi nōdum extra descendat, naribus quoque, vt dixi, apponunt aromatica, vt moschum, ambram, spicam, styracem, & similia: inferius fumigia e reb. male olentibus. Iliibus vero cucurbitulas imponunt, etiamsi excidat, aut vmbilico. Experimento constat gallinaceum ouum vetustum mire conferre, quo nihil grauius olet. Rupto cortice lana colligitur molli, & ita vuluæ apposita mire corrigit procidentem vuluam, vel in veteri vitio: sed cauendum est, ne odor ille grauissimus corripiat nares mulieris. Id tamen alii cū cautione faciendū esse volunt in mulieribus delicatis, & in quibus viæ ac meatus sunt satis ampli, & quorum virtus sensitiua matricis est multum acuta & sensibilis. Quibus & ob eam caussam subita concidunt vires, & syncopen incurrunt, vel dolores tales incurrunt: in talibus ab iisdē abstinebimus, & semper incipiemus a fœtidis debilib. paulatim ad fortiora: & primo potius imponendo, quam suffumigando. Sed vbi cōtenta est materia in locis angustis & inter panniculos, tunc præstat vti suffumigiis, q̄ magis penetrant: primo ex therebinthina iniecta, vel plumis perdicis cōbustis. Fortius est assa fœtida: & fortissimū omniū iam dictum de ouo. Postea tale, vel simile, ceratum optimum & expertum a Bayro apponatur super vmbilicum, diu tenendo: ℞. *mastiches, ladani, ana ʒ ij. galbani ℥ j. gummi styracis ℥ ij.* confice in mortario cum pistillo calido, extende super corium subtile & rotundum. Si matrix descendat, & foras exeat, idem Bayrus applicat auenam calefactam in sacculo. Deinde iubet fieri pessarium ex therebinthina abietis, medullæ cruris vituli recēs liquefactæ & colatæ, opii, croci, rosa. ana pauxillū; imponendum discrete ab obstetrice. Si non propter partum, sed ex alia caussa, spongiam in aceto infusam applica, & statim restringet egressam. Folia vrticæ viridia loco emplastri apposita, matricem exeuntem cohibēt. Ita & suffumigium ex foliis & ramis buxi per inferius valet. Sed & bubulum fimum appositum laudant, ac aiunt etiam esse procidenti aluo peculiare remedium. Vteri vero procidenti si a casu, aut saltu, aut percussione, aut ob difficilem partum fuerit, prædicta omnia fiunt, quæ antea Obseruat. 35. ex Aetio tum aliis diximus, purgatione excepta. Id vitium tamen, vt dictum est antea, in senectute nunquam fere restituitur, si malum præsertim vetus est: in iuuenibus restituitur, si recens fuerit. Sic cum Maria Theodori, vxor cuiusdam ceruisiarii Brasserii dicti, valde annosa, & quę iam multas proles ex marito susceperat, quæq; difficulter parere solebat, plurimis annis vteri prolapsu laborasset, cumque ex me consilium peteret, hanc ego curationem in vetula, vt impossibilem aggredi non ausus fui. Nonnulla tamē præsidia proposuimus, vt saltem mitius malum ferret, si nō integre restitui. Quod si in principio accitus fuissem, eadem tentassem, quibus Amatus in vteri procidentia ex pondere leuato aliquando vsus fuit, quæ hic pro egregio exemplo adferre libet. *Pudicissima (inquit) & honesta vxor vicini, nata annos vigintiquatuor magnū imprudenter attollens pondus, in vteri procidentiam incidit. dolor lumbos inuadit grauamen circa ἧτρον, id est, pubem vel pectinem, magnum persentiebat, adeo vt deambulare non posset, lotium continuo mittebat: sed primo die multo sanguine mixtum. secundo minus sanguinolentum: tertio vero sanguine alienum, tanquam pus in eo misceretur, in quo tunc eam febris corripere cœpit: quarto in eo multum puris apparuit. Semper sitiuit, multum fuit anxia, & grauiter omnia ferebat, vt vix in cubili perquiescere posset. Ad quam quum primum perueni, obstetricem accersendam curaui: quam doceo, vt leniter matricem, quoad fieri posset, ad locum reducat, deinde ilico locellos hos dicendo lauacro proluat, quod habet: ℞. ros. rub. foliorum plant. corrigiolæ sanguinariæ dictæ, ana m. j. in aqua fiat decoct. quousque aqua subrubea fiat. facta colatura, adde mell. ros. colati parum misce. & fiat lauacrum, quod calidum per infectarium eiaculabatur. Non minus caput decline, & crura maxime eleuata habeat semper, suadeo. Sed & moschum & Zibettum galliamve moschatam, ac res bene olentes naribus, vetuti graueolentes pudendo admouendas mando.* Graueolentia siue fœtida medicamenta sunt galbanum, pennarum vstarum fumus. Iis tantum duobus primis diebus peractis, & fœcibus per clysterem depositis, tertio die sequenti mel rosaceum colatitium prædicto decocto in maiori quantitate addo: nec enim potentioribus medicamentis astrictoriis opus erat, ob apparens pus: timor enim erat ne obclusum vlcus malignius inde redderetur, ob incarceratam materiam. Quarto vero die multū puris in vrina exiuit: sed quinto minui cœpit. Proinde tunc fomentū ex balaustiis, myrto hypocist. ros. rub. & sem. sumach, in vino rubro austero parare feci, quo vterus optime lauabatur, & spongia eo imbuta pecten & pudendum fouebantur. Et intus quoq; in sinu lana vino illo imbuta adaptabatur. Octauo vero cucurbitulas magnas duas vmbilico multa flamma ignitas affigendas iussi: post quas ilico ceratum hoc descriptum subuentri, id est, pubi, apponendū curaui, quod habet: ℞. *mastiches. thuris ladani. sanguin. draconi. ana ʒ ij. galliæ moschatæ, ℥ j. terebinth. ceræ, resinæ ana parum*, & ad ignem fiat ceratū, & super corium alutam dictum extendatur, vel melius super pannum cocco intinctum, & calidum admoueatur. Quibus recte habuit. Ceterum a motu:

Margin notes: ...x ventositate. — 5 — ...male olenda. — ...antio de male olentibus. — 6 — partu. — ...b alia caussa. — 7 — 3 — *Centur. 1. curat. 14. Historia procidentia vteri ex pondere eleuato.* — 8

& rebus sternutamentum irritantibus, illi per quindecim dies interdiximus: veluti a vino, & rebus calidis: nam victus rationem subtilem præscripsimus. Porro ab aquæ potu, quantum possibile erat Hippocrat. consilio, eam arcebamus: sed primis diebus halycacabi (alkekengi, Officinæ, Mauritanica voce appellant) aquam bibendam propinauimus.

OBSERVATIO XXXVII.

De vteri stillicidio cum imbecillitate ac intemperie frigida & humida eiusdem.

1 MVlier Alcmariana, extra portam qua Harlemum itur habitans, valde pallida & cachectica, multo tempore vteri stillicidio laborabat, cum eiusdem imbecillitate & intemperie frigida atque humida. Cui cum vtilissima remedia præscriberem & non statim ab eo malo liberaretur, ad varia etiam tonsorum remedia confugit, & illius itidē Iudæi Empirici, qui ob facinora deinde Leydis flagellatus fuit. Ceterum hæc tandem, remediis ad malum non facientibus, ad vteri vlceratione deuenit, qua multis annis adhærente, tandem misere vitam finiit.

SCHOLIA.

2 *Menstruorū stillicidium.* SAnguis in hac muliere stiriatim excernebatur: ab Aetio id dicitur etiam menstruorum stillicidium; quando videlicet cum grauissimo dolore intimas partes opprimēte, sanguis ita stiriatim excernitur. Pubi apponit lanam vino & rosaceo madefactam, vel vesicam oleo calido plenam, sæpe & fomenta ex lentibus confecta, & in principio, si dolor perstiterit, & vires ferant, cubiti venā secat: cataplasma, si perseuerat, e sem. lini, pane & aqua mulsa paratum applicat. Insessiones exalth. sem. lini, fœnug. anethi, rutę, artemis. adhibet. Si inueterauerit, pectini atq; inguinibus cucurbitulas cum scarif. imponit, & balneis naturalibus vtitur, *vt apud eum videre licet, lib. 16. cap. 65.* Habet enim aliquam similitudinem cum stranguria & dysuria. Iam quoque vt aliæ partes, ita & vterus debilitatur, *vt ex eodem constat, lib. citato, cap. 75.* Accidunt iis, *Sorano attestante,* Veneris fastidium, flatuosi spiritus excretio, menses exuberantes, bis aut ter singulis mensibus inordinate delati nigri & aquosi; neque semen viri iniectum diutius detinetur, sed a concubitu defluit, aliis confestim, aliis post aliquot dies; quædam trimestrem fœtum abortiuntur: quæ vero non abortiuntur, gracilem imbecillemq; fœtum generant. Hæc ipsa certe cum & humidam & frigidam intemperiem haberet, nunquā concepit: quod etiam contingit illis, quæ vterum resolutum habent; quamuis ob multas caussas; sed præcipue, *vt idem Aetius refert ca. 77.* ob frequentius repetitos abortus: cuius curationem similem etiam ait cum menstruorum stillicidii; & præcipue cōfert castorii assidua potatio. At de intemperie frigida & humida postea agemus, cum de conceptione dicturi sumus. Sed cum hæc nacta esset Medicos imperitos, vteri subsequente vlceratione, ex remediis minus aptis, vt arbitror, tandem misere periit. Nō mirum, cum grauia essent accidentia, quæ Medicum peritum, vt recte curari posset exigebant. De vteri vlceribus postea dicturi sumus.

Vteri imbecillitas.

Vteri resolutio.

3

OBSERVATIO XXXVIII.

De spiritu in vtero collecto cum grauissimo dolore.

1 VXor mea carissima, Eua Teylingia, post consuetam mensium purgationem, cum se non bene tueretur, vterus eidem spiritu impletus est cum intolerabili cruciatu & dolore; qui a pectine, ob vteri inflationem, imoq; vētre ad septū transuersum & inguina excurrebat, vt pene dolore enecaretur, nec posset vel crus, vel seipsam in vllā partem mouere. Eo dolore mense Iunio, an. 1560 suborta, & adeo increscente, vt fere pro mortua haberetur, sanguineum, licet Paulus & Aetius hoc suadeant, ausus non fui detrahere, ob debilitatem. Depositis vero excrementis per glandem, quod ægre admisit, *decoctum florum chamameli, pulegii, & sem. dauci anisi, carui, fœniculi, artemisiæ, pauco iniecto oxymel. propinaui & sacculum ventri apposui concinnatum ex floribus chamameli, meliloti furf. cumino. ruta. paratum.* Clysterem iniicere non potui: nam si leuiter se moueret, in syncopen cadebat, a qua cum excitata esset, ac proba matrona Heutera, eius cognata, de nocte ad eam venisset, chirothecas habēs perfumatas moscho; mox prę- focata pro mortua habebatur. Sed ilico remotis chirothecis (*matrona enim me hercle proba statim eas reiecit*) plumisq; cōbustis ad nares appositis, & cerato ex galbano vmbilico apposito reuixit. Dolor tamen in imo ventre, neq; vng. emplast. ex baccis lauri, nec fomentis sedari potuit. At quia aluum non deponebat, *dedi ℥ j. ß. manna selectiss. cum iure pulli, & optime excreuit*: & quod mirabile erat, vti & in aliis animaduerti, ex pudendo spiritus erumpebat. Tandem, miraculi instar, sacculis denuo admotis, & sæpius diacumino & diacalamintha deuoratis, præter omnium opinionem vxor mea dulcissima sanitati restituta fuit. 2

SCHOLIA.

3 *Caussa inflationis.* VVlua, inquit Aetius *lib. 16. cap. 80.* interdum a partu refrigerata, spiritu impleri solet, siue os eius claudatur, siue grumescēte sanguine obstruatur. Idem & Paulus refert *lib. 3. c. 70.* Alii addunt, & post vsum balnei aut stuphæ, aut mensium purgationem, posse fieri; vt vxori meæ contigit; aut quia flatus in toto corpore collecti sunt ob calorem imbecillem. Post partum vero, si emisso partu, ventrem non comprimant, nec ab aere se tueantur: ita & post purgationem. Ob id mulieres nostræ fasciis se constringunt, vt vterus in sese cōcidat: nec recipiat aerem. Post balneum, si sese aeri exponant: ita & post stupham. *Alias spiritibus,* inquit Paulus, *in concauo ipsius spatio conceptis, alias vteri corpore rarefacto, tumor pubis & imi ventris comitatur, cum dolore pulsatili, qui ad septum transuersum vsque ad stomachum inguinaque pertingit, ac sonitus digitorum impulsu tympani modo redditur.* Idem fere habet Aetius. *Spiritus,* inquit, *sæpe in vteri cauitate colligitur: sæpe in sinu, qui sensui patet, nec raro inter cæcos meatus coercetur. Affectum sequitur pectinis totiusque seminis tanquam tympanice*

4 *Signa.*

panitæ hydropis, tumefactio sequitur; doloresque punctionis sensum inferentes, qui vsque ad stomachum & septum transuersum perueniunt, ac nihilominus vtrinque in lateribus extenduntur: sæpeque alteri inguini, interdum vtrique, interdum & vmbilico, lumbisq; ac pectini dolor communicatur, cui caput quoque assentitur: nonnunquam spiritus efflatio per muliebre pudendum erumpit, vt ab ægris percipiatur. Si ergo spiritus in vteri cauitate collectus fuerit, gurgulationes ac sonitus quidam in corporis flexu audiuntur; quales intestinis accidunt, quæ torminib' vexantur; impulsuq; digitorum sonus tympaniticus redditur. At vbi flatus intra cœcos totius vteri meatus aggregabitur, dolores vehementiores, ac curatu difficiliores infestant. Flatus enim in cauo locellorũ sinu contentus facilius discuti digeriq; potest, quam ille, qui in angulis ipsorum consistit. At qui locellorum villis & substantiæ hæret, difficilime curatur. Quod si a partu fit, & cito succurratur, facile sanatur. Alioqui si non statim succurretur, difficulter. Scribit Valescus, multas se vidisse mulieres, quæ adeo magnos ventres ob flatus in vtero collectos habebant, vt hydropicæ viderentur. Auxiliatur ergo primum, *iuxta Paulum*, sanguis demissus, si nihil obstat, ac nisi ætas & anni tempus *secundum Aetium*, obstiterint. Mox in accessionibus inedia vteris, & olei dulcis calidi irrigatione, in quo rutam & anethũ decoxeris; vel oleo rutaceo, insessioneq; ex rutæ, pulegii, artemisiæ, cassiæ decocto, vel calaminthæ, prassii, thymi, artemisiæ, althææ, & calycarũ, *iuxta Aetium*. Iuuant & cataplasmata ex semine apii, cumini, fœniculi, anisi, ammeos, farina lolii. Ad hæc cucurbitulæ tum leues, tum cute incisa affixæ. Ac si diutius vitium se prorogauerit, purgatio ex hiera picra vtilis est, vel Ruffi, Archigenis; etiam ex Aetio: dropaces, synapismi, & aquæ naturales. Obstetrix autem prius digito peruncto inserto grumum incumbentem, si contingat, auferet, leuiter ipsum dissipans; rursusque admouebit cataplasma ex ficu, nitro, & absinthio. Reliqua vide apud Aetium & Paulum locis citatis, & quales pessi sint adhibendi. Interea & alimenta attenuantia & flatum discutientia exhibebimus, & diospoliticon, & diacalaminthum. Sed clarius ex exemplo sequenti innotescent.

Prognostica. 5 *Curatio.*

OBSERVATIO XXXIX.

De vteri inflatione cum insigni dolore post abortum aborta.

1 MVlieri Alcmarianę, cum abortum passa esset, purgatione subito restricta, cum se citius vento exposuisset, venter inferior ita in tumorem eleuatus est, vt de hydrope, aut tympanite metus esset, cum tanta torsione & dolore acerbissimo, qui inguina & totum ventrem occupabat, vt ipsa colicum dolorem esse putaret. Sed ego omnib' animaduersis, spiritum flatulentum in vtero exsistentem, horum symptomatũ caussam esse percepi. Quare cum aluus etiam restricta esset, clysterem statim iniicere iubeo: *℞ florum chamæmeli, meliloti, summitatum anethi, artemisiæ, parietariæ, ana m. j. maluæ, m. j ß. semin. fœnugr. anethi, anisi, ana ℥ ij. semin. dauci, cari, ana ℥ j ß. rad. althææ ℥ j. fiat decoct. in aqua communi pro ℔ j. colaturæ adde benedictæ laxat. hieræ picræ, ana ℥ ß. olei anethini, chamæmel. rutacei, ana ℥ j. salis ℥ j. ß. fiat clyster.* Quo egregie cum ventositatibus emissis aluum deposuit. Cum residuo decoct. fotus cum spongia fiebat circa pectinem & inguina; etiam loco inuncto oleo rutaceo, liliaceo, & anethino, postea etiam cheyrino: deinde exhibui diacuminũ. Etiam purgata ex hiera, adhibui, quæ menses euocarent, & simul flatus discuterent. Sacculis quoque ventri imo appositis ex pulegio, artemisia, matricaria, meliloto, & floribus chamæmeli. Etiam per os accepit diacurcuma: & tandem bene habuit. Alioqui dedissem, vti præceptor meus Elideus mulieri exhibuit, *tryphera magna ℥ ß aqua matricariæ ℥ viij.* Dedit autem duabus vicibus, & dolor ac inflatio cessauit, quæ eidem euenerant post quartum mensem a partu mortuo, cum non esset bene purgata. Venam tamen tali incidit: primo tamen duabus cucurbitulis in tibiis positis cum scarificatione, quod cum non satis efficax esset præsidium, saphenam aperuit; & dolor cessauit, mox fluentibus menstruis.

2

SCHOLIA.

PRo caussa quæ hanc inflationem vteri gignat, præsidia adhibenda. Quibus enim flatus ob cruditatem sensim in vtero generantur, vel in toto corpore, licet ii minus molestare solent, tamen statim expedit in hac specie pituitam euacuare, aut crudos succos frigidos, a quibus eleuantur flatus, & corroborando calorem naturalem ventriculi, & omnium partium naturalium; discutiendo deinde flatus genitos & collectos in hunc modum: *℞ mellis ros. colati, syr. e stœchad. ana ℥ j. syr. de artemisia ℥ ij. aquæ absinthij, artemis. apij, petros. ana qr. j. fiat syr. arom. cum ℥ j. diagalangæ.* His pilulis vel similibus purgetur: *℞ pilul. aggr. cochiar. ana ℈ j. agar. trochis. ℥ ß. fiant pilulæ cum syrup. de byzantiis.* dentur post mediam noctem cum custodia. Altero die capiat ℥ j. *theriacæ vel mithridati;* & inungat ventrem & inguina *cum oleo nard. rutaceo, anethino, & apponatur emplast. de baccis lauri,* quo Galenus vtebatur: & fiant sacculi ex milio & sale torrefacto. Flatus absumunt & discutiunt, *adiect. sem calidis maioribus & minoribus.* Si autem a partu fiat, non opus est purgatione per pilulas, aut alia medicamenta; quia sufficit illa purgatio naturalis, quæ fit per vterum: quæ si non fuerit, est prouocanda, & iuuanda pessariis attrahentibus; & cucurbitulis appositis in coxis, aut aliis remediis præscriptis ad menses retentos. Et si veniat ex retentione menstruorum, etiam ii prouocandi erunt. Pessaria ex benedicta & aliis flatus discutientibus sunt valde ex vsu, & constrictio ventris per fascias. Cataplasmata conducunt ex stercore ouis vel vaccæ, vel capræ, additis quibusdam flatus discutientibus. Sic, *℞ stercoris vaccæ ℔ j. cumini ℥ ij. seminis apii, petros. ana ℥ iij. mellis cocti parum, vini maluatici q. s. misce, fiat cataplasma.* Iam si post bal-

3 *Si ex cruditate sensim in vtero fiat flatus, quomodo curentur.*

Si a partu fiat.

4

neum aut stupham fiat ex aere frigido, aliquando motus adest, aliquando quies. Et cum mouetur huc & illuc, potissimum sursum, suffocationem vteri facit: tunc succurrendum erit remediis præscriptis ad præfocationem, vt in vxore mea fecimus. Aliquando quoque, si a balneo vel stupha id accidat, sterilitatem adfert, propterea, quod partes relaxatas (*vt Rondeletius dicebat*) aer frigidus condensat, & internam vteri regionẽ, & ora claudit, per quæ semen a testiculis descendit in vterũ, per eius cornua. Etiã a partu, absoluta mensium purgatione, optimum erit iniicere clysteres, qui fiebant ad sedationem doloris colici, & ex oleis discutientibus flatus, & ex decoct. sem calid. maior. & erit vtilissimũ parum exhibere ex confect. arom. ros. & tabul. vnam diagalangæ, & decoquere piper in eius iusculis, & alia, quæ dicta sunt loco De colico dolore & flatibus. Si fiat a balneo, eodem modo curari oportet, discutiendo flatus topicis remediis descriptis. Quod si opus esset aliqua euacuatione, ob cacochymiam, vel cruditatem ventriculi, dentur pilul. de arom. vel hieræ simpl. In omnibus his caussis maxime conferunt pulueres flatus discutientes & resiccantes, si post eorum assumtionem, parum vini maluatici bibatur. Sumendi autem ante pastum potius, quam post. Item cucurbitula magna cum multo igne (*facta prius euacuatione recrementorum alui per clysterem aut pilul. aut aliter*) si non adsit suffocatio vteri, supra vmbilicum adhibita, plurimum prodest. Quod si suffocatio adesset, admoueatur inguinibus cum multo igne, vt & reuocetur, & flatus absumantur.

Si suffocatio accedat.

5

Si fiat a balneo.

In omnibus caussis.

Observatio XL.

De intenso vteri dolore.

1

CVm intenso vteri dolore ex frigore contracto mulier laboraret, nihil quicquam huic magis profuit, quam *castorii ℈ ij. cum vini Rhenani exiguo sumti.* Sed & alteri puellæ, cui cum dolore ventositas admixta erat, *pulueris rad. gentianæ ad ʒ j. cum vino generoso.* Nihil enim æque dolori subuenit, vt recte dixit Benedictus Veronensis *libr. 27. cap. 2.* quam castorium, si ex frigida fuerit caussa, siue potum, siue illitum: ita & gentiana trita mire prodest ex vino calfacto pota, si ex vento fuerit: nam & imminentem arcet dolorem. Præceptor meus Benedictus Fauentinus in sua Empirica, vbi dolor vehementior infestaret mulierem, & timor esset de debilitate virtutis futura, sequẽs remedium sedare dicebat dolorem matricis: ℞. *philonii Romani ʒ j. diacumini, diagalangæ, ana ʒ ß. misce. & fiat bolus,* qui detur patienti, qualibet hora doloris. Sed oportet habere rationem caussæ, vt in Scholio latius. *Plura vide apud eundem loco citato.*

Scholia.

2

Varius vteri dolor.

DOlet fœminarum vterus aut ex mala habitudine, aut vento, vel inflatione maxime, (*vt iam dictũ est*) vel spiritu incluso, aut humore extendente, aut erodente, vel si ex eo vapor intus progeneretur, eo modo, quo in colicis fieri solet. Id vitium vetulis, ac præpinguibus sæpe euenit; vel contra ad maciem nimiam tendentibus. Tum inguina, & ilia, & crura, cum spina dolent, & præcordia, imo quoq; venter, male habent ac sinciput ipsum dolet. Vidit aliquando in eo affectu Benedictus Veronensis nigredine dimidiam linguam tinctam diu perseuerasse: ischiadicos item dolores haud dubie excitasse affirmat. Curabitur hic dolor iuxta caussam: si cum ventositate, vti inflatio. Si adsunt humores, illi quoq; parandi & educendi; si erodentes contemperandi, & mox leuibus educendi, iam quoq; ex vtero per decocta infusa conuenientia iucunde extrahendi, prout frigidi vel calidi sint. Id quidam *cum tripoli, Zinz. cassiæ. cinnamomi, ana ʒ j. cum artemisia decocto epota faciunt.* Vel *lana apposita illi decocto intincta, vel elleboro (sed forte est) aquas inde trahunt.* Si ex caliditate procedat, *muliebri lacte ex lana imponunt & mitigant.* Vel, si opus est fortiori medicamine, *cum hyoscyami decocto, vel succo, infecto sedatur: vel papauerino, vel malua decocto.* Iuuant & insessiones. Vtiliter supponitur *ouum ex lacte equino, exiguo croco addito.* Ladanum quoq; Galeni emollit & dissoluit, & suauiter astringit. *Oleum lentiscinum, lilinũ, violaceum, luteum,* probantur. In frigidis *castorium,* vt dictum est, & *bacca iuniperi matura in potu, cinnamomi galanga, Zedoaria ex vino ʒ j.* Salutares insessiones fiunt ad locorum cruciatus, quæ habent *maioranæ, ocymi, artemisiæ, abrotani, fœnug. brassicæ sem. lini, meliloti, chamameli, omnium pares portiones: eas ex aqua feruefacito,* Sed & *nepitæ, pulegium, lauri, bacca & folia maiorana, artemis. fœnug. semen vel herba, lini semen. Sed lauri folia per se imbrice calefacta sacculo subdita valent.* Aliqui prioribus fomentis addunt *anethum & altheam, sesami semen.* Dolores vero a partu sedantur *schœnantho ex aqua decocto,* donec dimidium supersit, ita vt loci foueantur, & decoctum bibatur ternis cyathis. Addi iubet Dios. *ficus præpingues, vel carycas cum fœnug.* nam & alia vuluæ vitia sanant. Dolores ex vento discutit semen cumini aceto maceratum, deinde torrefactum *cum ammeos sem. ac Zinz. & castorio.* sumuntur singulis diebus obolorum duum pondere. Reliqua vide apud præceptorem meum Benedictum Fauentinum in sua Empirica cap. proprio. Quibus addas supradicta de vteri inflatione. At vteri vulnera, quæ etiam dolorem inferunt, ad Chirurgiam pertinent. De his vide harmoniam Gynæciorum, cap. 31. quæ ex Moschione & Cleopatra decerpta sunt.

5

Observatio XLI.

De vteri inflammatione.

MVlier quædam ex infima plebe, cum a viro calcitrone supra imum ventrem circa vteri regionem egregie percussa esset, paulo post valde doluit, ita vt lotium difficulter redderet, febrisq; ingens mox suborta est. Sanguinem tamen per vuluam non demittebat: dolebat autem capite; ceruicis nerui, digiti, collumque pariter distendebantur; & dolor ad ventriculum vsque eleuabatur,

batur, pulsusque paruus ac freques aderat, & plurimum vniuersus vterus dolebat. Ad quam aduocatus, hæc animaduertens, dum excrementa alui etiam detinerentur, inflammationem vteri esse percepi: ideo ilico venam axillarem in cubito incidere iussi, iuxta Arabum & etiā Græcorum decreta, (*de qua re latius suo loco*) cum ægra satis robusta & sanguine repleta foret. Cumque aluum non deponeret, mox clysterem mollem præscripsi ex decoct. maluæ, viol. lactucæ, prunis, cū cassia & oleo violaceo. Interea vterum & locum dolentem & pubem cum oleo ros. myrteo, & modico aceti fouebam. Altero die, cū difficulter meieret, & lotium tinctum esset, dolore increscente, sanguinem quoque ex saphena, vt chirurgus me præsente detraheret imperaui. Interim tenuissimo victu cōtenti, solo hordeato, & potu ptisanæ vulgaris, iulebo sequenti vtebamur: ℞ *syr. de end. ex infus. ros. rub. ana* ℥ *j. ß. syr. viol. nymphææ, ana* ℥ *ß. aquar. borag. cichor. end. lupul. ana* ℥ *iij. misce pro 4. dosib.* Interea primis diebus, dum in principio essemus, ad repellentia accedebamus; etiam ad iniectiones, quæ citius parantur, quam cataplasmata, *ex oleo ros. myrteo,* (*vt diximus*) *cum aceto, adiecto pauco succo plantaginis.* Postea & cataplasma tale imponendum duximus quo & Gal. vtebatur *2. ad Glauc. ex succo semperuiui, sapa, vino austero, farina hordei, & balaustiis, vel ex cortice mali granati.* Et ita in partem internam iniecimus, præter iam dicta, etiam aquam plantaginis, vel solatri. Deinde quia aliquid resudat a parte inflammata, his admiscuimus decoctum hordei, vel parum sacchari ros. & infundere iussimus per metrenchytram per obstetricem. Sic & serum lactis ad detersionem, & lac recens mulsum ad doloris sedationem facit. Cum in augmento essemus, cataplasma digerens & repellens & dolorem sedans apposuimus, prius quidem ex mica panis cum lacte cocti & oleo chamæmel. paratum; deinde sequens, quod dolorem sedaret & digereret: ℞. *rad. althææ, folior. maluæ, viol. ana m. j. florum viol. chamæmel. meliloti, ana p. j. fiat decoctio. contundantur herbæ & rad. & per cribrum transmittantur, his aliquid decoctionis addendo & farina hordei qr. j. seminis lini qr. ß. olei ros. qr. j. misce. fiat cataplasma.* Postquam constitisset defluxio, & dolor vtcunq; remissus esset; quæ potentius digererent supra partē apposui, cataplasmati suprascripto addendo *farinam fabarum*, vel has herbas vtero destinatas: ℞. *rad. liliorum & bismaluæ ana qr. j. maluam. j. artemisiæ vel matricariæ m. ß. florum meliloti, anethi ana p. j. fiat decoctio, vt supra dictum est, contundantur; quibus postea adde farinæ fabarum & hordei, ana qr. j. pinqued. porci* ℥ *iij. butyri recentis* ℥ *ij. olei chamæmel. & liliorum ana* ℥ *j. ß. misceantur; & fiat cataplasma.* Tunc enim magis detergentia admiscemus, quia id, quod resudat a parte affecta, si retineatur, maiorem inflammationem excitat. Et quia hæc pars facile scirrhum patitur (*quod caro eius densa sit, & defluxiones acceptas pertinacissime seruet*) diutius non est vtendum (*vt Rondeletius quoq; recte admonebat*) repellentib. s, ne ob congelationem scirrhus fiat. Proinde in declinatione malactica addenda sunt; vt emolliatur, & crassum discutiatur & euacuetur. Supradictis igitur adiecimus farinam seminis lini & fœnugræci. Aetius farinam hordeaceam cum fœnugr. & lini semine in aqua mulsa coctam imponit, aut carycarum decoctum adhibet, ac pessos subdit, si calorem ferre possint, ex œsypo, butyro, medulla ceruina, adipe anserino, oleo anethino, chamæmelino, seu irino, & cera, compositos. Ceterum butyrum, medulla & adeps, omnia recentia ad pessos deligenda: etenim antiqua dū liquantur, nidorosa sunt, ac calidiora euadunt, & inflammationes exacuunt, *vt liquet ex eodem Aetio.* Post hæc remedia, emplastra digerentia ex lacrymis multum laudantur, vt quicquid est in parte discutiant & euacuent. Nos emplastra *de meliloto, de muccilag. & ammoniaco in fine apposuimus*; & facta est resolutio, nulla duritie permanente. Sed, quod fere omiseram, post quartum diem cum febris atq; dolores mitigarentur, pro purgatione dedi ℥ *j. cassiæ recens extractæ dissolutæ in aqua viol. borag. artemisiæ, ana* ℥ *j. syr. viol. ex multipl. infus. ros. ana* ℥ *ß.* quibus probe aluus reddebatur. Nam hic nullo modo medicamēta laxantia, quæ attrahūt, danda sunt, vt quæ ad partem affectam magis trahant. Sufficit enim his (*non tamen in principio, sed postquam dolor aliquo modo mitigetur*) syr. viol. ex multis infus. ros. cassia, vel manna, & lenientia tantum sine attractione. Atq; his sanitatem recuperauit.

2

3

SCHOLIA.

VElut reliquæ corporis partes, ita quoque vterus inflammatione laborat; idq; pluribus ex caussis, vt referunt, Paul. Ægineta *lib. 3. cap. 64.* & Aetius *lib. 16 85. De vteri inflammatione ex Philumeno*: nempe ex ictu seu percussione, mēsium retentione, frigore, & inflatione; adeoque ex abortu; item ex fœtu sinistre edito; vlceratione, cōcubitu metas rationis excedenti, sellæ nimis duræ insessione, lōgissima intensissimaq; deambulatione; sæpe & transpiratione ob frigus prohibita, vteri inflammatio contingit. Est enim multum vterus inflammationibus obnoxius, cum eo multus sanguis fluat ad mēsium purgationes, vel post partum, qui retentus parit inflammationem. Retinetur autem propter aeris circumstantis frigus, aut propter frequentem cucurbitularum appositionem supra vterū. Fernelius phlegmonem fieri ait tenui feruidoque sanguine e vena caua per tenues venas, non in vteri capacitatē, sed in illius substantiam effuso: qui collectus accensus ac putrescens phlegmonem parit. Caussæ itaque sunt, vel externæ vel internæ. Externæ, velut ictus, siue percussio, multitudo coitus, vel laboriosus ex mēbro inepto, pessus acutus, abortus, partus violentus, aut innaturalis, vel sinistre editus fœtus, obstetrix inepta, ventosa posita supra inguina vel regionem vteri; corpore impuro existente, nullaq; diuersione prægressa, durioris sellæ insessus, longa intentaq: ambulatio, flatus frigiditasq; ast ingēs. Internæ vero, vt mēsium suppressio, totiusq; corporis plenitudo, vt dictū est, & vteri exulceratio.

4 *Caussa inflammationis vteri.*

5 *Externa caussa.*

Interna.

Neoterici volunt, ex omnibus humoribus fieri posse, modo per collectionem, modo per defluxionem ad vterum. Verum ad partis affectæ dignotionem vt accedamus; comes huius inflammationis est, iuxta Paulũ loco citato, febris acuta, dolor capitis, tendinum, basis oculorum, brachialis, digitorũ, & colli conuulsio, inclinatio in aduersum, stomachi ex consortio dolor, oris vuluæ conniuentia, pulsus exigui crebrique. Febris autem hanc inflammationem sequitur, vt in aliis inflammationibus internis, propter maximum consensum cum corde per arterias. Hanc etiam indicabunt, inquit Aetius, mulie brium locorum, pubis, suminis, lumborumq; ardentes dolores; & si digitus in os vteri imponatur, occurrit tangenti durum, clausum, feruidum, retractũ; præsertim si in ipso, aut in collo fuerit inflammatio. Nam licet oris vteri compressio commune signũ conceptionis, & tumoris præter naturam sit; id tamen ex duritie distinguitur. *vt patet apud Hippoc. & Gal. aph. 51. & 54. 5. lib.* Molle siquidem est grauidis & secundum naturam, durum vero, in quibus præter naturam est tumor. Cum itaq; os vteri inflammatio affligit, in abdomine dolor est, digitoq; immisso, os occurrit durum ac rigidum. Plerumque etiam vterus in eam partem declinat ac retrahitur, qua inflãmatus est, & ob eam caussam os & collum eius auertitur. Et vbi cauitas, seu fundum vteri fuerit inflammatum, in vmbilico potissimum dolor cum tumore infestabit, vt ne cõtactum quidem foris admittat. Differt autem ab ea, quam superius vteri retractionem proprie appellari diximus, quoniam cum inflammatione vehemens est febris, & ardor intensus. At si non vniuersus vterus, sed pars eiusdem aliqua inflammatione fuerit obsessa, in ea magis dolor intenditur & sentitur. Nam si posteriora eius, iuxta eundem Aetiũ, inflammatione laborant, dolor lumbos affligit, ac spinam magis; & stercus recto intestino (compresso eo) retinebitur. Anteriore autem parte inflammata, dolor pubem occupabit, & stillicidium, aut vrinæ difficultas (*pressa vesica*) excitabitur. Lateribus vero vteri inflammationem expertis, inguina tenduntur, & crura grauantur, ac ægre mouentur, & quibusdam crus ipsum, quod e regione est, per incessum claudicat: quin etiam in coxam dolor transit; eiusdem quoque partis dolor cum grauitate nonnihil significare potest, *Galen. teste De locis affect.* Comitantur autem vteri inflammationem, præter iam dicta, tumor ac dolor eiusdem haud validus, si languida fuerit inflammatio; vehemens vero, vbi valida fuerit; eritque is dolor, vt diximus, quem percipiunt ægrotantes, pulsatilis, Paulo teste; secundum vniuersum, vbi vterus totus fuerit inflammatus; aut secundum partem, si pars ipsa fuerit affecta; tum illa, quæ paulo ante diximus. Iam vbi magis augeatur cõsequuntur, animi deliquium, exsolutio, singultus, pedum torpor, genuum perfrigeratio & extremarum partium exsudatio, vrinæque ac stercorum recrementa supprimuntur, & dentibus frendent ægrotantes, & febres magis augentur, præsertim sincipitis dolor. *vt ab Hippoc. & Galen. 6. De morb. vulgaribus scriptum est.* Eadẽ quoque habet & Aetius. Cum nimirum inter omnes corporis partis, plurimas grandissimasque venas vteri habeant, phlegmone vtcunque ipsis orta, calidas vehementesque febres accendi opus est; adeo, vt inter synochorum species connumerandæ sint: cum ex putrido sanguine excitentur, ex quibus calentium vaporum copia ad caput subuolat (vt recte etiam Donatus censebat) quo dictorum vaporum plene, grauitates, & maxime in sincipite, ægram vexant, tum quoniam recta in sinciput per infundibulum arteriæ deducuntur, per quas calidi illi vapores ascendunt, tum ꝙ etiam sanitatis tempore tenuia, & halituosa excremẽta cerebri maxime per sinciput difflari solent, cum in ipso suturæ laxissimæ sint, caluaria subtilissima, plurimisque meatibus peruia. Ad hæc & multa sensibilia corpora per suturas euadunt, tum membranulæ, quæ crassum inuolucrũ pericranio connectunt, tum etiam multitudo tenuium conceptaculorum per suturas exsiliunt: & propterea cum sensibilior sit locus, hinc ab inferentibus dolorẽ caussis magis cruciatur. His itaq; de caussis in sincipite magis dolores fiunt, *ex Gal. sententia eodem 6. De morb. vulg.* Caussæ autem externæ facile ex sermonibus ægræ dignoscuntur, aut astantium. Internæ vero ex prægressis caussis, ex corporis plenitudine, vel si menses suppressi fuerint. Signa quoque prædominantis humoris, vt iam sæpe diximus eam ostendent; vel si vlceratio adsit, vel præcesserit, vel abortus, aut partus difficilis, & similia. Verum exemplis subsequentibus hæc iam dicta manifestius apparebunt.

Signa. — 6 *Signa si os vteri inflammetur.* — *Si vteri cauitas fuerit inflammata, signa.* — *Posterioris vteri partis inflammatæ signa.* — *Anterioris signa.* — *Signa si latera fuerint inflammata.* — 7 *Signa in languida vel valida inflammatione.* — *Augescentis inflammationis signa.* — *Cur febres vehementes hic fiant, & dolor capitis in sincipite.* — 8 *Caussæ quomodo dignoscantur.*

Observatio XLII.

De inflammatione seu apostemate vteri calido.

Mulieri Delphensi plenitudine laboranti ex prædominio sanguinis inflammatio vteri oborta fuit, quod istis signis percepimus apostema calidum esse: nam oculorum subsequebatur dolor, & matrix intus palpitabat, & in ventre sub vmbilico sentiebatur calor, tumor quoq; ac grauitas, eratque dolor magis acutus arguens materiam calidã, occupans spinam, inguina, & ad præcordia ascendens, modo etiã in vtroq; coxendice dolebat. Cum enim sanguinea esset, magis ex sanguine, ꝙ bile ad vterum defluxo hoc malum originem cœpisse animaduertimus. Cum scilicet rubedo faciem & oculos occuparet, lotiũ quoq; rubrum & crassum esset, non erat ex mensib. suppressis, neq; ob partum, aut abortum, atq; ictum, sed ex humore calido sanguineo ad vterũ defluxo. Ideo cum plethora adesset, vti in præcedente muliere, venã in brachio dextro ex basilica secari iussimus: nam & in vteri parte magis dextra dolebat. Emolliente quoque clystere hunc ectante & refrigerante prius iniecto, cum aluum non deponeret, & hunc syr. propinauimus: ℞ *syr. ex infus. ros. rub. de end. acetos. simpl. ana ℥ j. aquæ acetos. portulacæ, end. ana ℥ ij. misce. fiat syrup. pro duabus dosibus.* Interea cum in principio essemus, hoc vnguento

1

locum

locum dolentem inunximus: ℞. *rof. rubear. myrtill. sumach. hypocist. boli armena, ana* ℈ j. *olei rof. myrtei, ana* ℥ vj. *cera parum, fiat vng.* Fiebat & hic vel similis fotus: ℞. *rof. rub. balaust. sumach. hypocistid. chamameli ana m. j. contundantur crasso modo, bulliant in* ℔ ij. *aqua ad consumt. mediet.* Deinde spongiam infunde in dicta decoct. & expressam pectini superpone; & vbi cœperit tepefieri vel calfieri, inde remoueatur. Postea in augmento repercussiua cum resolutiuis apposuimus, repercussiuis tamen vincentibus. Nempe in principio augmenti hoc sequenti vel huic simili vtebamur: ℞ *florum chamamel. meliloti, summitatum anethi, rof. rub. balaust. sumach, ana m. j. conquassentur crassiuscule. & bulliant in s. q. aqua secundum artem, & fiat fomentum.* Deinde inungatur cum oleo rof. & oleo chamæmel. In statu apposuimus resolutiua temperata. Vt: ℞. *florum chamameli, summitatum anethi, meliloti, sem. lini fœnugraci, artemisia, matricaria, melissa, ana m. j. bulliant in aqua, vt supra, & fiat fotus*; mox vtero quoque inuncto, vnguento hoc vel simili resolutiuo: ℞. *olei liliacei, chamamel. ana* ℥ ß. *pulueris matricaria* ℨ j. *adipis anserini, medulla ceruina, ana* ℨ ij. *cera exiguum, fiat vnguentum*: postea etiam adiecto oleo cheyrino; quibus materia resoluta fuit. Interim post duos dies a sectione venæ basilicę exhibui hanc potionem minoratiuam & lenientem: ℞. *cassia recens extracta* ℨ vj. *elect. lenitiui* ℨ ij. *dissolue cum* ℥ iij. *aqua artemisia, syr. viol.* ℥ ß. *misce.* Deinde adhuc iuleb fuit reiteratum. Post quartum diem, dolore vtcunq; sedato, ita eandem purgaui: ℞. *diacatholici, cassia recens extracta, electuary lenitiui, ana* ℨ ij. *electuary de succo rof.* ℨ j. ß. *cum* ℥ iij. *decoct. flor. & fruct. cord. addendo syr. viol.* ℥ ß. *misce. fiat potio.* Quibus egregie excreuit. Capiebat deinde ad roborationem, diamarg. frig. & triumsant. in tabulis. Quibus materia resoluta, vt iam diximus, sanitatem consequuta est.

SCHOLIA.

Signa prædominantis humoris diligenter perscrutanda in vteri apostemate vel inflammatione, antequam curationem ineamus, vt hoc exemplum calidi apostematis ostendit: nam hic febris acuta & continua aderat vehementior, capitis dolor, tremor, ac spasmus quasi membrorum digitorumque & ceruicis; oculorum radices dolebant & interior vulua, vnde & vniuersum corpus languescebat. Refert Benedictus Veronensis *lib. 27. cap. 5.* se Iudæam quandam in eo affectu secasse. Supra enim inguinem, inquit, plurimum intumuit, imo ventre: nam diu locorum vitio laborauerat. Miro modo tumor ille dimota vulua interdũ latescebat, interdum in mucronem conspicuus cernebatur, iamiam me & chirurgum sæpe delusit ferramentum & medicamina apparantem. Ad maturitatem emplastris perduximus, mox manum deniq; non effugit: & sanata est, ac exinde concepit. Altera pariter Iudæa (*addit idem Veronensis*) ex eodem vitio sanata est, quam secari ex improuiso iussimus tãta odoris grauissimi fœditate, vt Medicos & necessarios omnes domo propelleret: is tumor immobilis erat, annexo peritonæo. Sicuti & Permarenæ nobili filiæ. Si a sanguine fit, *iam diximus Obseru. praced.* Si a bile, febris est magis acuta, dolorq; acrior, sitis, lingua sicca, vigiliæ, tum alia omnia intẽsiora. In frigido apostemate genua torpere sentiuntur, tum pulsus tenuis est ac exilis. In vniuersum stomachus languet, ac singultũ patitur: tum & sub occipitio dolor insidet: in maxillis & supra frontẽ dolent. Sine dolore aliquando tumor est, qui grauis est, & extenditur. Iam & extrema molliora redduntur ac tumentia, & ægra minus insomniculosa est, ac minus sitit, sine linguæ nigredine, pulsuq; minus frequenti, & vrina minus rubens, genæ tument. A pituita etenim febris est mitior, dolorq; magis grauans, non tamen multũ intensus, vrina minus colorata, pulsus mollis, inordinatus. Melancholici vero apostematis notæ sunt, tumoris durities; nec dolet durities, *inquit Galen.* nisi in carcinoma mutatum fuerit. At cum venter supra modũ turget, hydropis similitudinem gerit, tum pedes tument, crura extenuantur communicatione iecoris vitiati; sic aluus sistitur, ac vrina importune supprimitur, ac menses cessant. Ita a melancholia, secundum alios, febris lenta, dolor mitis, pondus in vtero grande, liuescentes venæ omnes, maxime autem saphenæ; vrina interdum subtilis, ad plumbeitatem declinans, nonnunquã tamen tenuis atq; alba; pulsus inordinatus, durus, paruus, & tardus. Ex atra bile id vitium sæpe oritur, aut phlegmone cum induruit, subito materia euanescente: id communi vocabulo Sephyros vocitãt, & cumplurimum in orificio contingit; atque vt cancer lapideum inuenitur sine vllo dolore. Si calidi apostematis dolor paucis diebus non quieuerit, sed grauitas ac magnitudo perseuerat, tum inuicta sequitur durities, quæ medicaminibus vinci nequit: facile enim, si vincere conamur, in exulcerationem interdũ mutatur. Et sic, in summa, inflammatio aut apostema ipsum, aut ex toto dissoluitur, aut maturatur, aut indurescit carcinomatis modo. Si maturetur, inflammatione in abscessum transeunte, dictæ quidẽ notæ inflammationis superius descriptæ intẽsiores erunt; dolores etiam circa puris generationem ipsis agũtur, ac febres, quæ cum humore, plerumq, ad vesperam ingruunt; ac inordinatæ accessiones ipsis obueniunt, primis quidem temporibus intensæ, cum doloribus ad vltimum: vbi suppurauerit, aliquantulum remittunt, *vt inquit Paulus capit. 65. lib. 3.* tumor attollitur, dolor punctorius adest, aliquando vrina, aliquando stercoris recrementa supprimuntur, aut vtraq; simul, Aetio teste: alias tumor in pube eminet, & veluti exsudationis, cum abscessus maior fuerit, *vt liquet ex eodem Paulo.* Dum vero neque ipsa inflammatio soluta est, neq; in abscessum transmutata, adhuc perseuerant, in scirrhi naturam transmutabitur, idque inde percipies. Febris, ac dolor, & reliqua leuiora symptomata remittuntur, tumore tamen & renitentia permanentibus cum grauitate, & ægro motu non solum crurũ, sed totius corporis;

Marginalia: 3 — 4 *Signa prædominantis humoris.* — *Historia Benedicti Veronensis.* — *A bile.* — *Nota apostematis frigidi.* — 5 *A pituita.* — *Signa melancholici apostematis.* — *Ex atra bile.* — *Sephyros.* — *Signa inflãmationis in abscessum transeuntis.* — 6 *Si in scirrhũ permutetur, signa.*

ac segnitie ad omnes vitæ functiones; *vt liquet ex eisdem Aetio & Paulo.* Signa etiam temporũ, propter curationem dignoscenda. Sic principium est vbi incipit. Malo augescente augmentum. In vigore exsistente, status. Dum inclinat malum, declinatio. Differt quoque a pleuritide: quod imperiti Medici ægre distinguunt, ob septi transuersi compressionem. Si enim magna est inflammatio, sequitur vteri suffocatio: si minor, magna difficultas spirandi, & ad latera & costas ꝓtenditur dolor. Hinc existimant pleuritidẽ esse, ignorantes consensum vteri cum septo transuerso, & cum clauicula. Integitur enim peritonæo, & eo solo firmat', ac retinetur a parte superiore. Quare si distendatur affatim, & in maiorem molem accrescat, distenditur peritonæum, & hyposicota, ob illam vnionem, quæ fit in septo transuerso, ex peritonæo & hyposicota. Restant adhuc signa præsagientia, tum mere prognostica. Si caussæ externæ plures in muliere fuerint & effatu dignę, inflammationẽ vel apostema in vtero exspectare possumus. At mere hæc subsequentia signa prognostica sunt: scilicet, quod deterior inflammatio ea est, quæ plures vteri partes occupat, quam, quæ pauciores: similiter quæ os, aut ceruicem fatigat, minus periculosa exsistit quam ea, quæ fundum, seu cauitatem, quoniam promtius curationem admittit. Si vero vterum gerenti erysipelas in vtero fiat, lethale est, *inquit Hippocrates, aphor. 43. 5. lib.* Quanquam de vera inflammatione proprie dicta dubitet Galenus, num fœtus possit aliquando viuere: id quod negari haudquaquam debet, eadem exigua exsistente, ex qua nedum maligna, verum etiam nec acuta febris gignitur: necessario etiamsi in iocinore, ventriculo aut septo transuerso orta sit; *vt liquet ex Galen. 2. Prorhet.* Ex erysipelate autem semper acuta febris generatur, & sæpenumero maligna. In hoc vitio vrina alba & tenuis malum minatur. Et quum reliqua accidentia incalescũt, & sudor affuerit malignus, cum ventris inflatione ac animi defectu frequenti, ita vt non loquantur, spei locus nullus est. Inflammatio apostema, abscessus, vel suppuratio in vtero, *iuxta Auicen. & Arabes,* si in ore vteri, inquiunt, possibile est, vt sanentur; at si in profundo, minime; Gradus addit, valde difficile. Si induretur, lethale: si in pus mutetur, difficile. Id tamen cum fluit, sine odoris grauitate nimia erumpit: nam & in colore album est vniuersum pus, & salutem pronuntiat: vti in muliere illa, quæ Delphis habitabat in insigni capitis aurei, vxore pistoris: cui subito ruptum est intus apostema, & copiose effluxit sanies alba, & minime fœtida: ac nostra industria hæc euasit, Dei benignitate. Eius historiam Obseru. 44. ponemus. Quod si illud pus quod effluit, teterrimi sit odoris ac virulentũ, perniciem minatur. Si excrementa in vteri inflammatione, seu apostemate, & vrinæ retineantur, atque dolor ad vltimum extendatur, neque per se, neque per artem subito minoretur: lethale: quemadmodum fuit in Adriana Gerardi Alcmariana vicina nostra, muliere quidem pulcerrima. Cui cum secundo difficilime pareret, & fœtum mortuum cum violentia quadam peperisset, neq; bene tractaretur post partum, nec diligenter custodiretur, ingens deinde in vtero obortus est dolor, febre continua accedente, cum vteri inflammatione ac apostamate calido; ita vt lotiũ primo difficulter redderet, postea & in toto suppressum fuerit, vt in grauiore inflammatione fieri assolet. Hic obstetrix plane imperita, & muliercule astantes nasutæ, vt huic pessimo symptomati occurrerent, multa calida pectini admouere; etiam filum coctum in lixiuio, vt lotium prouocarent: & ita apostema augentes, tum febrem ipsam, aptis non adhibitis remediis, nec me quidem licet vicinum vocarunt, aut consilium petierunt, & ægram in mortem præcipitarunt. In fine quidem Gallum Medicum Harlemensem vocarunt: sed & is nihil profecit, ac ipsa paucis deinde horis exstincta est. Recte dixit Bertrutius *in suo Collectorio tract. 9. sect. 3. capite 10. De apostem. & cancro matricis, Consueuit hic,* inquiens, *superuenire accidens timorosum scilicet retentio stercoris & vrinæ, cui succurrimus: ægram ponendo in balneo aquæ dulcis, vel in aqua decoct. viol. althææ, chamæmeli, fœnugr. seminis lini; cum ventrem lentat, vias elarget, & dolorem sedet.* Difficulter quidem talia in puerpera adhiberi poterant: fotus tamen vel cataplasma ex iisdem parari potuisset, vt aliquando in puerperis, quibus vrina detinebatur, commode fecimus. Hæc enim inflammationem aut apostema non augent. Iam quoque frigiditas extremorum, vel sudor frigidus circa frontem & tempora, lethale: arguit enim magnitudinem apostematis seu inflãmationis, & virtutis naturalis angustiam. Alienatio quoque fortis & instantia vigiliarum, quæ per artem remoueri non possunt, infra diem quartum, vt quidam volunt, lethale. Apostema tempore impregnationis eueniens in vtero, interficit matrem, vel fœtum, vel vtrumque; & proprie si fuerit confirmatum, vti euenit cuidam mulieri iuuenculæ, ad quam accitus sum, iam per sex septimanas quasi hectica febre consumtam. Dolore in regione vteri semper torquebatur, & ægre lotium reddebat, cum stranguria videlicet, ob crassam residentiam, quasi purulentam, ita vt ab vlcere vteri ac renum: nam in renibus etiam dolebat. Sed præcipue ex apostemate præcedente videbatur abscessus esse in vtero. Erat iam in septimo mense prægnans, vel in principio octaui mẽsis (*si bene memini*) cum ad ipsam accersitus fui. Ante meum aduentum hactenus alii Medici præsentes illam tractauerãt, licet ægre remedia admitteret. Cum ad illam venissem, accersita obstetrice, cum conamina partus adessent & insignes dolores, de abortu metuebam; & animaduerti ex certis signis infantem per tres dies ad minus mortuum fuisse, nam ab illo tempore fœtum non sentiebat. Et cum valde angeretur, neque aluum deponeret, vt a fœtu mortuo liberari posset, cum leniens clyster & emolliens iniectus esset, multis precibus ægra inducta, mox peperit filium omnibus membris perfectum, & satis

Signa temporum.

Imperitorũ Medicorum error.

Signa præsagientia.

Prognostica.

7

8

9

magnum, sed mortuum, qui etiam ante tres dies saltē mortuus fuisse videbatur. Post tres dies cū rursus in regione vteri valde doleret, & purgatio non bene subsequeretur, exhibito puluere ad illā promouendam apto, peperit molam carneam. Et postea melius habere videbatur. Post duos vel tres menses dolore iterum ingrauescente, cū dysuria & vrina crassa, ex eodē apostemate in vlcus transmutato, mortua est. Apostema igitur vteri in prægnantib. semper est periculosum. Et qualecunq; etiam illud fuerit in aliis mulieribus, etsi non sint grauidæ. Quemadmodum hoc anno 1596. contigit in muliere Alcmariana pulcerrima, quæ per annum prius apostemate vteri laborans, postea eo in vlcus malignum transeunte, mortua est magna cum miseria. Alii eam calculo laborare putabant: ego autem vlcus esse in vtero semper iudicaui. Et facta incisione post mortem, marito iubente, vlcus, vti prædixeram, in vtero repertum est. Qualecunq; igitur apostema sit in vtero, non est contemnendum: imo diligenter curandum, cum ex eo facile abscessus fiant, sæpe & scirrhus, cancer rimæ vteri & rhagades ac condylomata. De quibus etiam suo loco dicturi sumus. Atque hæc de signis dicta sufficiant. Curatio erit ex subsequentibus exemplis luculenta.

Observatio XLIII.

De oris vteri inflammatione.

1 Mvlier, cum in abdomine valde doleret, atq; etiam febricitaret, os vteri inflammatū iudicabam: quamobrem Adrianam Biezelingiam, quæ mulieres curabat, vocari iussi, vt immisso digito experiretur, num os occurreret durum ac rigidum; quod & clausum dicebat, ac feruēs, ac retractum. Id signum erat (*vt antea quoq; diximus*) in ipso ore vteri & collo inflammationem esse. Quare vt recte curationem aggrederemur, ægrā in domicilio obscuro collocauimus & moderate tepido, & somnum moderatum præcepimus, cum vigiliæ etiam conferant in principio magis quam somnus: prohibent enim phlegmonem augeri, cum in visceribus generatur; *vt patet 6. De morb. vulg. & Comment. aph. 1. lib. 2.* Interea imperauimus, vt quietem amplecteretur, etiam omnem crurum motum interdicentes. Cum autem ægre aluum deponeret, molli clystere infuso excremēta euacuauimus. Et sic, clysteri iniecto, mox venam secari iussimus ex vena basilica in brachio dextro; quod fortis esset, ac in morbi principio adhuc essemus. Iussimus quoque vt immodicos animi motus vitaret. In principio parum cibi dedimus, nisi hordeatum, aut hordei cremorem. Paulus iubet *lib. 3. cap. 64.* per triduum cibo abstinere, & curationem, post venæ sectionem, absoluit chondro ex aqua mulsa, vel pane, vel ouis sorbilibus, vno die interposito. Sic & Aetius *li. 16. ca. 85.* 2 Chondro e mulsa, aut pane abluto, aut ouis sorbilibus patiens alenda, esseq; oportebit, quicquid cibo exhibetur, quantitate moderatum. Et sic nostram alebamus pane loto, aut ptisana, seu eius cremore, aut etiam alternis diebus ouis sorbilibus. Pro potu aquam hordei dabamus, siue in qua & hordeum mundatum & glycyr. incocta erant. Alii sem. coriandrorum præparatorum decoctum, seu ipsammet aquam modice calidam dant, nos & ceruisiam tenuem concessimus, a vino abstinentes, & iussimus, vt artus & extremæ corporis partes, manuum præsertim, auersionis gratia, perfricarentur. Quod ad medicamenta attinet, fotum ex œnelæo vel vino rosaceo, *iuxta Paulum*, super pubem adhiberi iussi, hapsis ex lana puriore atra deligaturā. Interea exhibui quoque, *iulebos ex syr. viol. nimphææ, cum aquis lactucæ, end. cichor. acetosæ, & similibus.* Tertio die purgaui cum manna & cassia, quia delicata erat. Interea quoque cataplasma apposui *ex farina hordei, sem. lini, fœnug. vitellis ouorum assatis cum rosaceo & decocto capitum papaueris & meliloti, ac exiguo vino seu aceto, composita.* Sic & Aetius feruescente inflammatione, *lanam succidam vino & oleo, aut oxyrhodino madefactam, summi ac pubi applicat, aut palmulas in vino decoctas, aut mala cydonia simili modo in vino decocta.* 3 Post quintum diem applicui id, quod à Paulo etiam commēdatur; nempe *cataplasma ex polline farinaceo, semine lini, fœnugræc. ex mulsa, in qua papauerum capita decocta proiiciantur, & ex oleo, paratum.* Et quia calor erat magnus, *aquam rosaceam cum succo plantag. & portulacæ per modica interualla pudendo affundi iussimus.* Vbi dolor magis excruciaret, *iuxta Paulum*, lacrymarum papaueris valde exiguum, (*tria videlicet aut quinque grana*) cum lacte muliebri & succo fœnugræc. apponendum consulebam. Et si dolor non cessasset, insessus adhibuissem, quos & Paulus per totum morbi decursum vtiles esse dixit, *ex decocto fœnugraci, seminum lini, maluar. artemisiæ, & olei,* præcipue post principium. In iis autem, quæ calorem non sustinent, & maxime circa initia, ex aqua modice calida rosaceo superfuso insessus fiant. At mitigata inflammatione, *lana oleo calido & ros. chamæmelino & irino imbuta pubem fouimus*: & magis declinante, cataplasma summi & pubi apposuimus *ex farina hordeacea confectum, fœnugræ. & lini semine, cum decocto althææ, carycis etiam adiectis.* Aetius ægrotam *in fœnugræc. althææ, semin. lini, interdum pulegii, marrubii, saluiæ, artemisiæ decoctis,* sedere iubebat: & cataplasma simile iam dictum in aqua mulsa coctum apponebat. Sed, si grauitatem cataplasmatum & colorem ferre non possent, in aqua tepida sedere iubebat, & loca rosaceo inungebat, pessosque imponebat, qui moderate refrigerarent, ex adipe gallinæ, rosaceo & vino confectos. Iis quæ calorem ferunt, ceratum nardinum illinetur, collutionesque & pessi adhibebuntur, ex œsypo, butyro, medulla ceruina, adipe anseris, vnguento susino, & cera. Sed, quod pene omiseram, quarto die, cum nondum dolor cessaret, iussimus quoque, vt in muliere robusta, vt vena tali secaretur, sed in exigua quantitate, quia prius vena secta fuerat ex basilica. Huius rationem explicabimus Scholio sequenti. 4 Deinde vtebamur topicis iam supradictis,

Verum do'o eiam mitigato, & curatione procedente, tunc, *iuxta eiusdem Aetii sententiam*, tenuē viuendi rationem, tum cibi paucitatem auferebamus. Et, cum iam manifesta declinatio facta esset, vinum concessimus, & cibos reficientes. Atq; his remediis iam dictis inflammatio probe resoluta fuit.

SCHOLIA.

5 *De venæ sectione.*

QVod venam hic ex basilica primo secari iussimus, id auctoritate tum Pauli tum Aetii egimus. Vbi enim, *inquiunt*, vehementior inflammatio infestauerit; si neque ætas, neque habitus, neque anni tempus obstiterit, neque inflammatio post aborsum, aut immensam sanguinis euacuationem superuenerit, cubiti vena secanda est, ac sanguis pro virium ratione educendus; licebitque in secunda quidem, venam incidere, in tertia vero, sanguinis missionem repetere. Sed hic dubitatur (*vt etiam Donatus longiori sermone refert*) cum Galenus *De venæ sectione. lib.* poplitis & malleoli venam secare iubeat, vtero, renibus vel vesica affectis, etiam *13. method. meden.* Sed hoc facit, sumta indicatione a parte affecta, pro euacuatione, cum deriuatione eius, quod in parte inflammata continetur, & non pro auersione eius, quod influit. Si enim in generatione est, per contrarias partes & longissimas facit; *13. method.* & sic initio venas superiores etiam Arabes mittunt. Deinde, vbi opus est, pro deriuatione & euacuatione, a talo. Exigua vero exsistente inflammatione, valentibus viribus, potissimum vbi corpus totum plenum non fuerit, & inflammatio iam facta sit, tali vena incidatur, & si opus est, eadem iteretur, rectitudinem perpetuo seruantes. A venæ sectione, si eadem inflammatio cum erysipelate præsertim participet, vbi quodammodo mitior fuerit reddita (*non autem circa initia*) leui quadam purgatione vti conuenit, etiam pro deriuatione facienda; *vt cassia fistu'a, manna, zacchara viol. syr. ex infus. ros. pallid. diacatholico.* Deinde imo ventri ac pubi & lumbis fotus, irrigationes, seu epithemata, ex iam dictis in Obseru. adhibemus. Et si erysipelatis naturam participauerit (*quod ex igneo calore percipies*) intubum, & vmbilicum Veneris, sedum, polygonum, portulacam, plantaginem, ac vitis pampinos cataplasmati cum polenta apponito: vel quopiam earundem herbarum succo, cum rosaceo, aut melino oleo, lana madefacta in sinum pudoris, *iuxta Aetium*, mittenda est: Pessi quoque ex succis herbarum dictarum subdendi. Quod si cataplasma a locis non toleretur, aquam rosaceo admixtam, ex modicis interuallis iugiter infundimus. In exacerbationis declinatione ægra in aqua tepida vsque ad lumbos insideat. Deinde pessi imponendi ex aliquo vnguereto leuiter astringente; sicut rosaceo, melino, lentiscino, œnanthino, adiectis ouorum vitellis crudis aut assatis, & croco; interdum ex memoratis succis addendo. Mitigata inflammatione, præter pessos in Obseruatione dictos, cucurbitulas idem Aetius affigit in lumbis; magnoque exsistente tumore, etiam cum scarificatione. Idem componit & pessos ad sedandos dolores inflammationum vteri, fœnugræc. madefaciens, primam ac secundam aquam abiiciens, deinde vbi in tertia, quæ dulcis, puraque sit decoctio, per colum traiicit, & decocto admiscet adipem anserinum recentem, vel gallinaceum, ac permittit simul super ignitis carbonibus colliquari; postea, vbi refrixerit, concretum adipem aufert, & seruat; quem vsus tempore spatula specilli in manu subactum, pesso excipit, & supponit. Alius dolorem sedans: Papaueris capitula in passo decoquito, donec flaccescant, deinde exprimito, & decocto trāscolato medullam ceruinam liquatam admisceto; & vtere: & si medulla ceruina defuerit, vitulinam sumito. Habes apud eundem innumeros pessos valde conuenientes. Sed hic cauendum, ne in extensionibus & inflammationibus vteri menses eliciamus: magis enim loca extenduntur, & cum ob inflammationem occlusa sint, sanguinis transitum intercipiunt. Sed & tetrapharmacum ad inflammationes vtiliter imponitur, aut infunditur. Quod si inflammationi vlcus adiunctum fuerit, cerato rosaceo, ex cera alba, cum tertia anserini adipis parte confecto, albumen oui. Quantum capere poterit, instillato; & vtere. Idem & in declinatione balneum admittit. Neoterici hæc addunt, vbi calidum apostema est: Ægrotam in cubiculo frigidiusculo collocant, quietem imperant, & vt famem sustineat, parum bibat hordeaceam aquam pro siti. Inclinante morbo, vires recolligunt sensim, pullus detur in cibo, ouum sorbile, atriplex, spinachium, malua. Ptisana iuuat, nam totam curationem complet. Imbecillioribus far hordei, aut alica dari potest, *vt diximus*; panis aqua elotus, aut subinde coctus. Interdum auiculæ conceduntur, aut pulli lactuca præparati, vel perdices cum cucurbita, vel cum seminibus frigidis, vinum cauendo; singulis diebus aluum emolliendo clystere, vel manna, vel cassia, vel zaccharo viol. si opus est purgatione. Initio quidem calidi apostematis, discutientia & refrigerantia apponuntur; etiam leuiter astringentia: talia sunt, rosa, lens demto cortice, balaustia, plantago, vitis pampini vel folia, strychnum, seris satiua, portulaca, virga pastoralis, temperuiuum, cucurbitæ ramenta, ac hordei farina. Insidere in aqua, cum oleo rosaceo, plurimum iuuat, & hoc emplastrum, in materia sanguinea: Farinæ lentis excorticatæ, hordeaceæ ana ℥ij. succi plantaginis, semperuiui, strychni, virgæ pastoralis, olei rosacei, vel omphacini q. s. linteolis tam imo ventri, quam in spina imponatur. Bilioso apostemati magis frigida conueniunt; syrup. viol. de endiuia, acetos. simplic. cum aqua endiuiæ, solatri, acetos. & leuis purgatio ex cassia, pauco adiecto electuario de succo ros. Roborentur cum diamarg. frig. zaccharo viol. diatrium santal. Topica sunt, qualia superius diximus conuenire erysipelati. Probatur & hoc in bilioso: Farinæ hord. ℥iiij. rament. cucurbit. succum lactu. nymphææ, hyoscyami, pap. alb. plantaginisq; rosaceo infuso, feruefacito, & apponito. Vbi vero phlegmaticum fuerit

Marginalia: *Dubium de venæ sectione.* *Solutio.* *Aliorum medicamentorum ratio.* *Purgatio.* 6 — 7 — *Cautio.* 8 *Calidi apostematis curatio.* *Astringentia topica.* *In sanguineo.* *Biliosi apostematis remedia.* 9 *Phlegmatici cura.*

fuerit apostema, cubile calidiori loco constituendum est priori contrario, & vigilandum est; calidiuscula & exsiccantia offeruntur. Materia digerenda cum syr. matricariæ, de duabus rad. oxymel. simplic. & aquis artemis. fœniculi, & similibus, vel decoct. artemis. puleg. melissæ, aliisque: prius quoque minorata materia, secundum aliquos, cum ℈ ij. pil. fœtid. deinde leuiter purganda cum elect. indo, agar. & diacathol. Et cum primum ortum fuerit, componatur cataplasma; vt farinæ lentium, & fabaceæ, ac ciceris ana ℥ ij. mastich. aloes, mannæ thuris farinæ fœnugræc. flor. chamæmeli ana ℥ ß. cum oleo chamæmel. absinthino, rosac. componantur. Si sit melancholicum durum, in humecto loco locanda est ægra: somnus hic iuuare creditur. Humor melãcholicus & atra bilis, digerenda cũ boragin. meliss. chamæd. chamæpit. & bugloss. decoct. & syrup. de epith. boragin. viol. & purganda cum sena, epithymo, diacatholic. Cui & emollientia ac pariter dissoluentia, quam cito sit possibile, imponenda sunt, nec differenda: vt ex farina hordeacea, lini, ex meliloti decocto, addita sapa, & oui luteo tosto, & per interualla iuuant insessiones in meliloti decocto, cum lini semine, ac althæa vel maluæ floribus vel semine. Prodest &, per se œsypum subdere, vel cũ anatino adipe, cum croco, & meliloti seminis farina. At cum sanguineum increscit apostema, superiori emplastro, quod initio apponitur, fœnugræcum, melilotum, & chamæmelum adiicito: ac frequenter in eo decocto insidere, iuuat, in quo plantago, lens demto cortice, ac rosa cum malua, & althæa decocta sint. In bilioso vero eadem malua, & althæa, semperuiuum, lactuca, nymphæa, viola, cum meliloto imponi debent. Infunditur subinde violaceum, ac gallinaceus adeps. In phlegmatico item calamum arom. adiici opus est, ac myrrham. Ex atra bile, galbanum addi potest. In statu pariter sanguinei abscessus, artemisia ac calamus arom. admiscetur: in bilioso lini semen: in phlegmatico, palmulæ medentur, carycæ, menthastrum, ac calamintha. In melancholico demũ quæ valde emolliunt ac dissoluunt, imponenda sunt. Inclinante apostemate, & mitigato dolore, e chamæmelo, meliloti, althæa, & semine lini, cum oleo violaceo, ac cera, cataplasmata conficies, & in vterum violaceum luteum infundito, ac lilinum: tum enim quæ maxime dissoluunt, imponi debent, sicuti sisymbrii succus, ac maioranæ, & foliorum tenerrimorum lauri. Aliqui ea damnauere, veluti nimium excalfacientia, sed butyrum, adipem anatinum, cerui namque medullam commisceri volunt, ne qua apostematis pars lapidescat. Inclinante bilioso, althæam, maluam, melilotum, lini semen, ac chamæmelinum adiiciunt. In phlegmatico, decocto menthastri & calaminthæ insidere, iuuat, addita ruta, roremarino, maiorana, & lauri foliis. Sed & eximium per se valere, creditur. Imponitur & emplastrum ex erui, lupinorumque farina. cum oleo nardino, rutaceo: imponunt aliqui linteolum aqua ardenti madens. At illud cum cautione faciendum, pe-

Melancholico apostemati quæ conueniunt.

In augmento quæ conueniunt in apostemate sanguineo.

In augmento apostematis biliosi, phlegmatici, & atrabilaris.

In statu.

In declinatione.

In sanguineo.

Bilioso.

Phlegmatico.

to. Inclinante melancholico, oportet magis emollire, quam dissoluere, donec ex toto tumor discutiatur. Ego commode in iis vtor emplastro de muccilaginibus, & nostro de ammoniaco dicto.

Melancholico.

Observatio XLIV.

De apostemate vteri frigido in abscessum transmutato.

AGatha Petri, filia illius Petri Aromatarii Hagani, istis diebus nuper nupta pistori cuidam Delphis, in insigni capitis aurei commoranti, anno 1569. 26. die Octobris, incidit primo in vteri suffocationem grauem, cum conuulsione & moto epileptico, vt & caput simul conuelleretur, adeo vehementer, vti ad sellam, in qua sedebat, idipsum illideret: Erat enim adeo fortis paroxysmus, vt vix humerum & caput magna violentia continere cogeretur. Aderant & duæ mulieres, quæ manus detinebant; nam & digitos atque pollicem in manum contrahebat, vt vix in rectum deduci possent. Tertia quoque mulier astabat, quæ ventrem vi comprimebat: adeo enim vterus sursum rapiebatur, vt pene suffocaretur. Durabat autem hic paroxysmus adeo atrox circiter quinque aut plures horas, quibus per remedia ab astantibus & mulierib. adhibita, a paroxysmo excitari aut subleuari non potuit. Tandem sub noctem ad eam accitus sum. Eo tempore, ad diuersionem, crura fricabam fortiter, & ligaturas adhibui circa coxas vehementiores, & simul emplastrum sequens vmbilico apponi, iussi: ℞. *emplastri contra matricem* ℥ ß. ducatur supra alutam rotundam, paulo ampliorem dalero, & in circuitu obducatur galbano. Nodulum in se complectentem assam fœtidam naribus pro odoratu obiiciebam. Sed nondum in toto a paroxysmo excitabatur, quamuis leuius ferebat, subinde scilicet per interualla redeunte, non tamen ita acriter, vt prius. Tandem rutam manibus confricatam, naribus, vt continuo olfaceret. obieci, & a paroxysmo plane liberata est. Verum altero die, cum tempus ventosum esset, nimium cito sese acri committens, domo exeundo, in maximum dolorem vteri incidit; atq; 28. die me rursus reuocarunt. Mulieres astantes incusabant, emplastrum nimis diu fuisse retentum supra vmbilicum; cum potius ex aere frigido spiritum flatulentum concepisset. Dolore magis increscẽte, per totum ventrem inferiorem, & potissimum circa pectinem & pubem, cum tumore apparente, cœpi ego metuere de apostemate vẽtoso, vel potius phlegmatico & frigido in muliere admodum pituitosa, alba, & pingui. Sed cum aluum non deponeret, vt glans sequens subderetur, mando: ℞ *pul. hieræ picræ* ʒ j. *salis parum, pulu. cumini* ℈ ß *mellis q. s. fiat glans seu suppositorium.* Antequam imponeretur, emplastrum ab vmbilico detraximus: nihilominus dolor, quem ex emplastro male originem habuisse dixerant, æque persistebat, neque vllo modo mitigabatur; nec imo ventre etiam inuncto hoc oleo: ℞ *olei lilini, de meliloto, chamæmel.*

anethini ana ℥ ß. *misce.* Ex suppositorio squibalas tantum duras reiecit. Clysterem libenter iniecissem (*quod melius fuisset*) sed non admittens potionem sequentem ebibit: ♃ *artemisiæ, flor. chamameli, ana p. j. seminis fœniculi, carui, ana* ℨ j. ß. *folior. senæ a stipitibus repurg.* ℥ ij. *vuar. passul. ab acinis repurgatarum* ℥ ß. *fiat decoct. in aqua communi q. s. cuius expressionis accipe* ℥ iij. *in aqua dissolue elect. lenitiui* ℨ vj. *diacatholici* ℨ ij. *misce.* qua ter aluum deposuit, nec dolor tamē sedatus est. Adhibui hunc sacculum: ♃ *herbar. sicc. matricariæ, artemisiæ ana m. j pulegij sicci, absinthij, calaminth. rutæ, melissæ, omnium herbarum exsiccat. ana m. ß. seminis anisi, carui, ana* ℨ j. *florum chamameli, meliloti, ana m. j. incidenda incidantur, & contundenda cōtundantur, & misceantur in linteolo puro quadrato, & fiat sacculus intersutus secundum artem;* & *calide ventri apponebatur.* Dicebat, simili sacculo se aliquando curatam fuisse, cum similem dolorem passa esset. Sed dolor ex sacculo mitior factus non est. Die sequenti, qui erat 29. Octobris, Haganus Medicus, me iunior accitus fuit, qui eandem alias præ manibus habuerat: is solam inflationem vteri esse putabat ex præfocatione precedente. Ego tamen verebar, simul cum ventositate apostema adesse ex frigida materia pituitosa, & quod facile abscessus fieret, cum tumor appareret cum quadam duritie circa vnam partem vteri magis, & e regione illius partis etiam coxa doleret, præcipue cum illa non iuuissent, quæ ad vteri inflationem valent, magis de abscessu timebam: & ideo potius ad maiora emollientia, (cum durities cum tumore magis adesset, non sine febre, licet exigua & lenta) deueniendum esse proposui. Ille vero vrgebat, vt emplastrum de baccis lauri toto ventri apponeretur, ad flatus discutiendos: ego autem eius caliditatem metuebam, ob febrem, licet lentam. Verum ægra illud emplastrum esse apponēdum annuebat cum & ipsa ventositates esse diceret. Hæc igitur præscripta sunt: ♃ *pul. Leonelli contra matricem descripti Obseru. 33. huius libri,* ℈ iij. *pul. rad. paoniæ.* (ob motus epilepticos, qui præcesserant) & *seminis paoniæ, ana* ℈ ß. *misce. fiat pul. pro duabus dosibus;* & vna statim fuit exhibitus *cum aqua flor. chamameli & artemisiæ ana* ℥ j. ß. & *emplastrum de baccis lauri supra alutam toti ventri appositum fuit.* Trigesimo Octobris, cum hic Medicus non amplius rediret, ac dolor semper in peius vergeret, magis timebam adhuc abscessum, cum perfecte sentirem duritiem quandam vteri, eoque magis cum difficulter tandem lotium redderet: & cum suffocatione vteri prius laborasset, matri clam consilium dederam, vt marito diceret, vt cum illa concumberet, ne vteri suffocatio rediret. Verum cum ipsa coitum ferre non posset, vti mater postea mihi narrauit, maiorem suspicionem habui de vteri apostemate frigido; at, dolore ita perseuerante, quod facile ad abscessum tenderet. Quare, emplastro de baccis lauri admoto, vt talis inunctio fieret, præcepi: ♃ *muccilagin. althææ extracta cum aqua maluæ* ℥ j. *pingued. anatis, gallinæ, vituli, ana* ℥ ß. *ammoniaci in aceto dissoluti* ℨ ij. adiectis oleis suprascriptis, adiectaq; cera exigua, fiat linimentum. Et, post inunctionem, hoc sequens cataplasma infimo ventri applicetur: ♃ *rad. althææ mundatæ* ℥ ij. *foliorum maluæ, parietariæ, florum chamameli, meliloti, artemisiæ, ana m. j. cherefolij* (vt & melius lotium redderet) *m. j. coquantur in aqua ad mollitudinem. pistentur; adde farinæ seminis lini, fabarum, ana* ℥ ß. *furfuris subtilissime triti & cribrati* ℥ ß. *cum butyro recenti, oleo amygdal. dulc. liliaceo, chamamel. ana q. s. fiat cataplasma;* quo & dolor nonnihil mitigabatur. Interea cum ventrem non deponeret, hoc decocto vtebatur: ♃ *artemisiæ, matricariæ, melissæ, ana m. j. florum hyperic. chamameli, ana m. ß. parietar. maluæ, viol. ana m. j. seminis dauci, carui, cumini, ana* ℨ j. ß. *seminis pastinacæ, agni casti,* (quia aderant simul ventositates) *ana* ℨ ß. *foliorum senæ* ℨ vij. *agarici fœminini albi leuis* ℨ ij. *Zinzib. albi* ℈ j. *coquantur in aqua artemisiæ, chamameli, q. s. pro* ℥ xij. *fortiss. express. adde syrup. de artemis.* ℥ ij. *syr. de calamintha* ℥ j. *misce pro tribus dosibus matutinis.* quo decocto modo quinquies, modo sexies aluū deiiciebat. Hoc tamen apozema non conuenit in apostemate calido, nec in principio in frigido: sed quia minus dolebat, & venter valde strictus esset cum ventositate, & cum clysteres nō admitteret, id præscripsi. Multas inde ventositates simul cum stercore reiiciebat: & quia iam malū processerat, minus hæc purgatio nocumenti inferebat. Imo ex ea se leuari quoq; dicebat. Cataplasma autem continuo apponebatur: & quia tumor mollior fiebat, paulatim fiebat maturatio apostematis, adiectis adhuc ficubus, & vno atque altero capite liliorum cum oleo liliaceo. Id vero percepimus ex sedatione doloris. Tandem itaq; nono die abscessus intus ruptus est, & effluxit sanies copiosa alba, & ab omni dolore liberata est. Eo tempore, emplastro amoto, oleo amygd. dul. inunximus; & antequam rumperetur, lanam succidā cum medulla ceruina & butyro recenti, vt in vuluam imponerent, iussimus. Verum post eruptionem, sanie copiose effluente, iussimus, vt decoctum hordei communis & cicerum rub. & glycyr. biberet, ad vlceris repurgationem, etiam adiecto melle ros. collumq; vteri, vt eo lauaret. Mox vlcere per se consolidato, conualuit.

3 4 5 6 7

SCHOLIA.

8 *Quomodo apostemata vuluæ maturantur.*

PRæter veterum remedia ad emolliendam vteri duritiem facientia, Recentiores emplastrum laudant, quo abscessus maturantur: habet *farinæ tritici arist. althææ ana* ℥ ij. *farinæ fœnugr. seminis lini, ana* ℥ j. *palmularum caryicarum, rad. liliorum ac passularum q. s. decocto feruefiant:* addatur item *oleum lilinum, carthaminum cum gallinaceo ac anatis adipe. Decoctum althææ ac maluæ, meliloti, fœnugr. cum acantho, insidentibus medetur.* Vbi igitur inflammatio non potest discuti, sed ad suppurationem vergat, suppurationi auxilium prædictis emplastris ac insessionibus ferendum est; cataplasmatis imo ventri, ac lumbis impositis ex lini semine, fœnugræc. farina hordei, caricis decoctis, althææ rad. ac terebinthina: quo etiam tempore

pore pudendi sinus per spongiam assidue foueatur, & vapores per arundinem operculo ollæ perforato, insertam intra pudendum recipiantur. Demum insessiones frequentes fiant decoctis in aqua his, quæ vim attractoriam habent; velut est pulegium, marrubium, laurus, saluia, artemisia, dictamnum, centaurium. Maturant caricæ, lilii radix, cum fimo columbino. Item, pessuli indantur ex terebinthina, myrrha, œsypo, anseris pinguedine, & butyro compositi: aliquando etiam columbinum stercus, cum oleo & melle pro cataplasmate, adhibebimus, vt ruptio fiat. Interea ad ruptionem facit gressus aduersus scalas, aut rheda vehi, vel equo, vel saltus, vel manu comprimere: eo enim modo sæpe pus erumpit. Si vero abscessus in conspectu fuerit, ficu, sinapi, ac columbino fimo facile rumpitur, nec ferramento opus est: si versus vesicam vulua suppurare videtur, quæ modice vrinam cient, danda sunt; vt est semen melopeponis, cucurbitæ, & cucumeris. Disrupto autem abscessu, quibus medicamentis deinceps vtendum sit, mox de vlceribus vteri curandis dicemus. Si versus vesicam erumpit, laudant decocta melopeponis, & psillii cum tragac. & zacchar. & succum glycyrrhizæ. Si versus aluum, ius lenti decorticatæ decoctæ, cum rosis ac balaustiis, oryza, & similibus infusum. Si sanies exeat, carnis recentis loturæ similis, & grauis odoris, infundunt decocta astringentia. Quidam protinus rupto pure, mulsa colluunt frequenter. Mox vomicam persanamus trochisc. qui ex succino fiunt, si in potu sumantur. Colluere iuuat sero caprino, ac melle despumato. Repurgato vomicæ sinu, infudenda sunt, quæ vlcera persanant; de quibus mox dicemus. At si non in abscessum ac suppurationem inflammatio aut apostema transeat, sed ad duritiem vergat, emollientibus pugnandum medicamentis, tum intus, tum extra adhibitis; quorum syluam reperies locis de scirrho cum lienis, tum iocinoris, & quæ nunc adferemus, de vteri scirrho.

9 *Quæ ad ruptionem iuuant.*

10

Observatio XLV.

De vteri scirrho.

1 VTerus, inquit Aetius *lib. 16. cap. 86. ex Sorano, interdum quidem nullo prius indicante signo, repente induratur.* Ita & Paulus *lib. 3. cap. 68. Scirrhum contrahit vulua, alias repente, vt nulla caussa euidens præcesserit.* Id euenit mulieri Delphensi, de qua nunc agemus. Plerumque tamen, *iuxta eosdem*, præcedente inflammatione, quæ neque discussa fuerit, nec in abscessum mutata. Ita aliquando & male curatas inflammationes sequitur, vel intempestiuum repellentium vsum, vel constringentium in principio, vel in fine fortioribus remediis discutiendo quod tenue est, & quod crassum, siccando. In hac itaque muliere durus tumor aderat sine febre, & tactui renitebatur; nullus, aut obscurus aderat dolor; si staret, graue pondus (*quod in aliis tumoribus obtingit*) quasi prolapsurum incumbebat in pudenda: vbi vero sederet, aut decumberet, sua grauitate intestinum rectum premebat; incessus aliquo modo difficilis erat, & segnities totius corporis aderat, non tamen eius magnitudinis deuenerat, vt totum vterum deprehenderet. Erat hæc mulier melancholica & subfusca; ita, vt ex humore crasso & terreno, paulatim vteri substantiam occupante, sine inflammatione præcedente initiũ sumserat. Cum hæc robusta esset, & subnigriuscula, & venas satis latas haberet, cumq; non ita diu hoc malo laborasset, ex vena lienari (*nam in sinistra parte vteri tumor durior erat*) sanguis vt extraheretur, mandaui, iuxta Aetium, qui in principio, si nihil prohibeat, neq; ætas, aut vires repugnauerint, mediocrem sanguinis copiam a cubiti vena auferre iubet. Idem & Paulus facit: atq; vterq; purget materiam crassiorẽ *cum hiera Archigenis.* Ego prius exhibui *syr. ex infus. ros. pallid. cum foliis senæ, adiecto pauxillo elect. de hiera.* Deinde apposui emplastrũ de muccilagin. & de meliloto, postea & emplastrũ nostrum de ammoniac. prius inuncto hoc vel simili linimento: ℞ *muccilagin. semin. lini, fœnugræc. altheæ, maluæ ana ℥ v. succi ireos ℥ ij. pinguedin. anatis, gallinæ, anseris ana ℥ vj. olei cheirini ℥ j. ß. bulliant ad consumtionem succorum deinde adde croci ℥ ß. cum cera fiat vnguent.* Commendatur a Nicolo. Iis remediis hæc optime habuit. Hoc quoque emplastrum sequens pro nobili Abbatissa de Toorn, pro vteri duritie descriptum est: ℞ *galbani electi in aceto dissoluti ℥ j. bdellii mollis & subalbi ℥ ij. pulueris matricariæ ℥ j. ß. myrrhæ ℥ ß.* Vbi dissoluendum dissolutum fuerit & colatum, addantur reliqua puluerisata, & fiat emplastrum, seu ceratum, formæ sphæricæ, latitudine sex digitorum. Valet & insessus ex fœnugræco, ficubus coctis in aqua hordei: deinde eadem quoq; apposita prosunt.

2

Scholia.

QVamuis Benedictus Veronensis, Medicus doctissimus, de callo & duritie vuluæ ex Æginata, sub vno nomine tractet; callus tamen a duritie, seu scirrho, differt, *ex Moschione*, quod callus in totum nihil sentiat; in duritie exiguus est sensus: & ita scirrhus vix sentiens, est durities. Scirrhum enim ex Galeno nominamus, tumorem durum, qui sine dolore est, non tamẽ omnino sine sensu. Scirrhus exquisitus est tumor præter naturam, sensu priuatus, durusque: non exquisitus, qui non sit omnino insensilis, quamuis valde difficulter sentiat. At callus maiorem duritiem habet, quam scirrhus. Fiunt certe diuersi tumores in vtero. Tumet quidem inflatione, de qua ante dictum est: sed impulsu digitorum sonitus tympani modo redditur, tumorque pubis & imi ventris comitatur cum dolore pulsatili; aliter quoque hic tumor curatur, quam scirrhus. Tumet etiam vterus hydrope laborans, *vt capite octagesimo primo, libri decimi sexti apud Aetium constat*: quem affectum sequuntur, tumor amplus, laxus, flatuosus, gurgulationes, tanquam intestinorum, in ambulando grauitas, & anhelitus difficultas, alui fœtida excretio, menstruorum & conceptuum detentio, & quæ deferuntur, nullo seruato ordine excreta: vbi vero

3

Callus differt a scirrho.

Libr. 14. de morb. cur. & 2. Ad Glauconem.

Tumores diuersi quomodo a scirrho vteri distinguantur.

Inflatio vteri.

Vteri hydrops.

violenter excernuntur, fractis interdum paruis corpusculis, quæ vesicæ assimilantur, vt scida quædam, aquosaque erumpunt. Ita & Fernelius: *Tumet & nonnunquam vterus aquarum copia; qui certe hydrops est vterinus.* Inflationis signa adsunt; sed grauitas maior, & sonus quasi fluctuantis aquæ. Huius, quemadmodum & ascitæ efficiens caussa est iecoris aut lienis vitium: aqua tamen ex abdominis capacitate, cæcam & inusitatam viam sibi parat in vterum. Interdum etiam vena caua solum sanguinis serum eodem instillat. *Mulier quædam hoc hydrope correpta, quoties appetebat menstrua purgatio omnem aquarum colluuiem ex vtero per ceruicem profundebat, peluesque 6. aut 8. implebat aqua citrina feruentissima, dum venter totus subsideret. Mox deinde menses insequebantur ex naturæ præscripto. Collecta proximo mense par colluuies, stato dein tempore profluebat. Hæc tandem persanata vterum gestauit: peperitq; bene vitalem fœtum.* Tales autem Aet. curat, decubitu, quiete, vomitu, & validis collutionibus ac pessis; *vt apud eundem ad longum videre licet.* Post aquarum eductionem, exercitiis, sudoris prouocantibus, validisq; frictionib totius corporis, sed præcipue suminis vtendum iubet. Sed & vteri œdema tumor quoq; consequitur in pallido candidus, sublaxus, tactu mollis; digitorum pressioni cedens, nec; rursus paulatim attollens, cutisq; alui manu apprehensa, facile attrahitur. Loca igitur oleo communi calido, aut irino, aut ligustrino irriganda, Aetius iubet; pessisq; vtendū, ait, ac reliquis præsidiis, *quæ superius diximus de spiritu in vtero collecto, seu vteri inflatione.* Huius curationem etiam vide apud Fontanonum *De morb. interiorib. cap. 27. De œdematis vteri curatione.* Ab omnibus his tumoribus iam dictis differt scirrhus. At scirrhorū genere comprehenditur, *iuxta Paulum*, etiam durities, quam σκλήρωμα Græci vocant, circa vuluæ ceruicem potissimum obueniens. Aetius appellat scirrhoma. Habet autem similem tumorem, sed tactui renitentem, & moderate affligentem: Plurimumque, *inquit*, in vteri ceruice scirrhomata eueniunt, quæ immissis digitis percipi possunt, ac plerumq; vuluæ collum versus scirrhoma auertitur. Vbi vero scirrhus vteri fundum inuaserit, tumor vehemens, & tactui renitens occurrit, grauitatem, motionesque difficiles non tantum crurum (*vt diximus*) sed totius corporis, & segnitiem ad omnes vitæ functiones afferens. Caussas iam diximus. Fit enim ex humore lento, crasso vteris infixo, & statim in principio congregatus paulatim, & augescit: crebrius vero medicorum imperitia paratur, quum vehementer erysipelata & inflammationes adstringunt, & infrigidant, & si quis medicamenta vehementer dissolutiua adhibeat: in summa, in vtero repente fit ex humoribus iam dictis, vel inflammatione præcedente, & male curata. Cum autem duplicem esse diximus scirrhum, verus & exquisitus, sine sensu, incurabilis est: at alter, cum aliquo sensu, curari potest, sed ægre. In vtero vero diutius si perseueret, deprauatꝰ corporis habitus, & decoloratio subsequuntur, interdum & moles aquosa. Iuxta Auicennam, in interiore spatio vteri, incurabilis est; in vteri ore, aut ceruice nec omnino sensus expers, curari potest. Ita & Aetius: *Quæcunq; scirrhomata circa os & collum vuluæ constiterint, facile curantur: quæ vero circa fundum, difficulter.* Accidit insuper & non recte tractatis habitus aquosus. Nam Rhas. 9. Continent. Apostema durum & non cancrosum (*hoc dixit, quia facile scirrhus in cancrum transit*) si diutius prolongetur, inflantur pedes, & extenuantur tibiæ, & cessabunt menstrua. Et Add. Auic. Magnificatur venter, & subsequitur aliquando verus hydrops: ideo scirrhus vteri cum magna diligentia curandus est. Curatur autem in principio, si vires admittunt, *iuxta Paulum & Aetium*, vena secta, vt diximus Obseruatione præcedenti, & purgatione ex hiera Archig. Valent ea, quæ de apostemate melancholico diximus; purgatio ex epithymo, sena, conf. ect. hamech. Habes apud Aetium insessus plurimos, pessos varios emollientes, & cerata, fotus, emplastra. Vtitur insessionibus e fœnugræc. sem. lini, pulegii, artemis. & foliorum cucumeris agrestis, decoctis. Vterum cœluit susino oleo, narcissino, irino, gleucino, adipe anserino, gallinaceo, porcino recenti, alicui vnguento admixto, lacte bubulo aut caprino, cum anserino adipe. Cataplasma sumini illinit e carycis, hyssopo, nitro, absinthio; cucurbitulasque cum scarificatione affigit; & postea vtitur medicamento polyarchio, emplastro diachylo, cum oleo susino, pessisque mollitoriis. Atque horum copiam apud eundem inuenies *lib. 10. cap. 86. De scirrho ac scirrhomate, ex Sorano.* Verum licet scirrhus etiam præscriptis medicamentis, pro declinatione inflammationis, curari possit; tamen cum sine febre fit, possumus & vti fortioribus ad partem emolliendam; quale illud est a Rondeletio descriptum: *℞. radic. lilio. bismalu. cucumer. agrestis ana qr. j. artemisiæ, vel nepitæ tertiam partem m. j. ficuum paria xx. semin. lini, fœnugræc. ana ℥ ij. florum chamæmeli, viol. meliloti ana p. j. fiat decoct. in aqua & oleo dulci.* Ex decocto foueatur regio vteri. Ex residentia pista & transmissa fiat cataplasma, quod applicetur supra partem post fotum. Deinde vtatur sequenti vnguento: *℞ butyri recentis, axung. porc. ana ℥ j. pingued. gallinæ, anatis, anseris ana ℥ j. ß. olei amygdal. dulc. & olei liliorum ana ℥ ij. muccilagin. semin. fœnugræc. extract. cum vino albo ℥ j. terebinth. ceræ q. s. quo vtatur post vsum fotus.* Et post vsum istius vng. rursum redeat ad fotum, & iterum ad vnguentum. Similibus præsidiis aliquando vsus sum commode, in vidua quadam Alcmariana, in qua durities maior erat, quam in muliere præcedenti, ita, quod totum fere vterum occupauerat. Sequens quoque valde vtile est: *℞. oppopan. bdellii. ammon. ana ℥ j. styracis, myrrhæ ana ℥ ß. propoleos veræ ℥ j. radic. iridis ℥ j. croci ℥ ß. dissoluantur lacryma in oleo lilior. & amygdal. & vino maluatico, & depurentur: quibus adde parum terebinth. & ceræ: fiat vnguentum.* Emplastra, diachylon, vt diximus, ex gummis & ireatum, partem illam induratam emolliunt.

Huius

[Marginalia: 4 — *Historia apud Fernelium, de muliere vteri hydrope laborante.* — 5 — *Oedema vteri.* — *Scleroma. Scirrhus.* — *Nota.* — 6 *Caussa.* — *Prognostica.* — 7 *Curatio.* — 8]

Huius partis emollitionem plurimum iuuat *fotus ex eadem decoct. vel oleorum de lilio, amygdal. de myrrha, de styrace.* Hæc enim partem contingunt. Vtilissimum etiam est illis, encathismate vti ex decocto fotus præscripti, & diutius in illo sedere. Iniectio etiam clysterum emollientium, & relaxantium ex ole. plurimum conferet. In declinatione herbæ digerentes poni debent in encathismate maiore quantitate; quales sunt, *nepita, pulegium vtrumque, artemis. calaminth. flor. anthos stœchad. sambuci*: quia hæ herbæ decoctæ in multa aqua minus siccant, & digerunt sufficienter. Radices cucumeris agrest. & bryon. in eodem encathis. addi possunt. scirrhus enim fit a materia congelata; quam ob caussam medicamenta calida & dissoluentia sunt ex vsu, permixtis quibusdam humidis, malacticis, ne id quod tenue est, discutiatur, & crassum remaneat. Radix mandragoræ in vino & oleo amygd. & axung. porci decocta & contusa partes induratas emollit; maxime si pauca quantitas oppopan. cum ea misceatur.

Observatio XLVI.

De vteri cancro vlcerato & lethali.

1 Mulier Alcmariana vuluam carcinomate adeo corrosam habebat, vt particulatim excideret: quam cum Chirurgus tractaret, & nos ad eam acciti essemus, licet longo tempore palliatione vsa fuisset, malum lethale esse pronuntiauimus: quæ quidem cum magna fœditate & dolore aliquandiu vitam protrahens, tandem misere obiit. Venit mihi tunc in mentem casus ille, quem aliquando, Bononiæ in Italia exsistens, vna cum præceptoribus ægrotantes inuisendo, vidi in muliere, quæ cancrum in vtero habebat etiam vlceratum. Conuocatis Medicis eo tempore illustribus, vt Elideo præceptore meo & Luca Chini, & Passino, facta est consultatio: concluserunt, mulierem morituram, ad tempus tamen vtentes palliatione. Et illa cum magna miseria, vt hæc nostra ægra, tandem obiit. Longo tempore his duabus præcesserat scirrhus, qui facile in cancrum vertitur. Caussam adfert Rondeletius: Nam in partibus, quæ scirrhum patiuntur, si materia vratur, in cancrum vertitur scirrhus, ob materiæ similitudinem. Fiunt enim isti duo affectus a materia melancholica, cancer ab adusta, scirrhus a crassa frigida nondum adusta, & a pituita crassa. Cognoscimus scirrhum mutatum in cancrum, si cum prius esset sine dolore, ob materiæ frigiditatem siccitatemque; dolorem iam sentiat, ob caliditatem & humoris acrimoniam facientis cancrum. Sentitur durities in vtero, qualis erat in scirrho, & citra magnam vteri molem. Est autem cancer duplex; vlceratus, & non vlceratus. Vterque incurabilis est, quia abscindi non potest. Cum incipit negligitur, quia magnam molestiam non adfert, quo tempore posset prohiberi incrementum medicamentis, & optima victus ratione. Satis a nobis fit, si prohibeamus vlcerationem, & vlcerati incrementum. Verum cum istæ duæ mulieres primum neglexissent curationem, non magnificantes malum, nec Medicos in principio vocantes, vbi eo malignitas progressa est, vt cancer vlceratus accesserit, etiam ipsa palliatio non admodum diu vitam conseruare potuit, quanquam ad menses aliquot protraxerit. Vera enim curatio hic locum non habebat (*vt in Scholio latius dicturi sumus*) & si blandiendo caueatur ne vlterius procedat vlceratio, & vita prolongetur, tamen moriuntur: cum vera curatio consistat in vrendo & abscindendo, quod hic fieri non potest.

Scholia.

3 *Cancer vteri.* Cancrorum vulua *alii, inquit Paulus lib. 3. cap. 67. cum exulceratione, alii citra vlcus inuadunt.* Sic & Aetius lib. 16. cap. 96. De cancris vteri, ex Archigene: *Quidam cancrosorum tumorum vlcerati, quidam non vlcerati sunt*; quemadmodum in loco de mammillis prædiximus. *Vlceratus. Non vlceratus.* Non vlceratus magna ex parte, *vt Rondeletius censet*, fit in corpore vteri; vlceratus in collo vel in orificio interiori. *Caussæ.* Caussas iam diximus; cum fiant ex humore atrabilario, qui intus vi caloris efferatur & excandescit. Et ita ex atra bile oritur, *vt Galenus lib. De diff. morb.* ex se etiam, *vt dictum est*, vel a scirrho. *Nota non vlcerati.* Hoc si non vlceratum est, moles pondere grauis percipitur, tumorque durus colore sublinido. *Cancri ergo non vlcerati* (inquit Aetius) *huiusmodi notis indicantur: tumor induratus circa os vteri inuenitur tactui resistens inæqualis, crepidinosus, colore fœculentus, ruber, sublinidus, vehementes dolores inferens, vsque ad inguina, sumen, pectinem, & lumbos, progredientes, manuumque attrectatione, & medicamentorum varietate excitatur.* Eadem habet & Paulus. 4 *Signa vlcerati.* Exulceratum vero carcinoma, vt nomis, malignum est, ita præter ceteras notas, labra habet prætumida & dura, atque ex concreta illuuie sordida, & liuida: sanie quoque id manat graueolente tenue, & nigra, vel etiam fulua. *In exulcerato, inquit Paulus, præter dolores, duritiestumoremque, vlcera erosa ac inæqualia conspiciuntur, plurima ex parte sordida, labris prætumidis, albicantia, concreta, colluuie humorum ingrata.* Eadem fere habet & Aetius. Erosæ enim sunt aut defossæ inæqualesque vlceratæ partes: per speculi artificium percipiuntur, quarum pleræque sordidæ sunt, crepidinosæ, albescentes, præter vehementiam doloris, tumorem & duritiem: quibus si medicamenta repurgando idonea applicentur, antiqua quædam fœculenta, rubra, sanguinolenta, deferuntur. Ab vlcere autem sanies tenuis aquosa, nigra, ignea & fœtida iugiter excernitur. Loca enim muliebria ad defluxum nata sunt peculiariter. Reliquas notas quæ vterum affectum sequi solent, paulo supra de inflammatione recensuimus. Eadem & Paulus adiungit. *Differentia ab inflammatione & scirrho.* Ab inflammatione tamen hic affectus seiungitur, quod diuturnus sit, dolorque minus lancinans, & febris non perinde ardens. A scirrho, quod calore doloreque fatiget. Malum id, *vt Aetius simul ac Paulus referunt*, teste Hippocrate, insanabile est; abscindi enim non potest. Cancros enim occultos, at potissimum confirmatos, aut vlceratos, melius est

5 Curatio seu potius palliatio

non curare: quia in quibus non curantur, diutius viuunt: *vt Galen. in Comment. 38. lib. 6. aph.* Lenire tamen possemus iuxta Paulum & Aetium, in sessibus ex fœnugræc. malua, ac cataplasmatis similibus, quæ & leniunt solanturque in accessionibus, ex malua aut althæa in mulsa liquefacta, & rosaceo paulum leuigata illitaque: vel ex carycis seu ficis siccis, meliloto, ruta, thure, bunia de herba diligenter cum oleo contusa: vel ex palmulis in passo coctis, quibus adiecta sint ouorum lutea, polentaque. Idem possunt pap. capitula trita & cribrata cum polygoni, vel seridis, vel coriandri succo: vel solani tenera folia cum lacte muliebri apposita: vel solanum in rosaceo cerato exceptum. Hæc in doloribus vsui sunt. Deinde ceratum iniiciatur cum rosaceo aut myrteo, cum palmulis in passo decoctis. Priuatim maleficis vlceribus conuenit (*teste Aetio*) quod e fæce in cortinis ahenis balneorum calidam continentibus inuenta conficitur. Ea enim fæx sub prunis, quousque ignescat occulitur, deinde teritur & in rosaceum ceratum assumitur. Hæc igitur extra sinum ad vteri orificium apponitur; in ipsum vero sinum muliebre aut asininum lac, aut plantag. succus leuiter tepefactus, præcipue si ab vlcere sanguis erũpat, vel polygoni succus cum modico thure infunditur. Medicamentum ex cancris tribus vel quinque (impares enim esse volunt) sub prunis vstis cum oleo ligustrino tritis, cum penna illinitis. *Reliqua vide apud Aet. & Paulum.*

OBSERVATIO XLVII.

De Cancro vteri.

1 ADriana Nicolai, mulier annorum 50. proles octo numero habens, multis mensibus Delphis decumbebat. Primo inciderat in longum & diuturnum menstruorum profluuium rubrum; deinde etiam in album, seu muliebrem fluorem: quibus tandem & hæc symptomata accesserunt: Dolores circa inguina & coxam adeo atroces, vt multis deinde diebus neque dormire neque inambulare potuerit. Hęc autem quatuor mensibus continuis alterius Medici opera vsa fuerat, qui omnibus modis menstrua constringere & compescere, ac omnino stupefacientibus dolorem intensum sedare studuit. Exhibuerat *aquam nenupharis & plantag. cum syr. nenuph. ac pap. adiecto ℈ ß. opii.* Vnde sensu obstupefacto ad tempus, per vnum diem dolor quidem consopiebatur, sed paulo post multo vehementior redibat. Vsus certe opii mihi semper fuit suspectus. Nam cum & alteri in Nosocomio decumbẽti opium exhibitum fuisset, altera die mortua inuenta est. In hac autem muliere dolorem quidem sedabat, sed caussam morbi augebat. Vnde & Galen. *lib. 2. De compos. medicamentorum sec. loc. disputans contra Appollonium,* dixit, *non debere exhiberi opium nisi in doloribus, in quibus vel mortem vel syncopen exspectamus, ad quam syncopen sequitur mors. Et ego vidi quendam,* inquit Montanus cap. de Doloribus cap. supra Rhas. lect. 5. *ex opio exhibito interiisse. Periculosa, ait, sunt ista stupefacientia, præsertim per os exhibita: quoniam nihil aliud faciunt, nisi mortificare. Vnde nunquam ad pholonium accedit Galenus, nisi cum timet mortem; sed ad theriacam nouam & diaspermaton, neque vnquam vsus est opio. Ab eo mortuus est ille infelicissimus Cassius Gymnasii Patauini splendor & decus. Ita & Auicenna prouocaturus somnum, non transibat papauer album. Rhases proponit opium: at præstat eum non sequi. Sed in hoc potius imitemur Galenum, qui in inflammatione aurium, accipit opium correctum cum duplo castorii; & nunquam administrauit opium, nisi cum medicina calida.* Hæc fere Montanus. Ceterum ad mulierem vt reuertamur, cum dolor rediret, & perpetuo eidem adhæreret, tandem mense Octobri anno 1563. Medicus prior incidit in morbum articularem, & amplius eam inuisere non potuit, & sic ego ad ægram vocatus fui. Eam inueni tunc laborare ex prægressis aliis caussis, his symptomatibus præsentibus; tumore præter naturam, & in vtero perfecte cancrum vlceratum habere, ex dolore continuo in pube, & duritie manifesta; quam exterius percipiebam magis in inguine sinistro, cum intenso dolore coxæ. Febricitabat quoque nonnihil sub noctem: nam & vigiliæ immoderatæ aderant, & aphthæ subsequutæ sunt, & profluuium illud aquosum, seu muliebris fluor, retentum erat; sed manifeste emanabat sordities & colluuies ingrata, pessime olens, etiam nigra, acrimoniam & dolorem exedendo adferens. Quatuor, inquam, mensibus ante me vocatum decubuerat. Erat igitur hic cancer vlceratus ex melancholia adusta: quod & sanies nitrosa acris effluens ostendebat. Et ita huius mali procatarcticam caussam hanc esse putabam; præterque cibum & potum, ac alias res non naturales procreantes melancholiam adustam, ignem calidum etiam ad hoc iuuisse: perpetuo enim exercebat artem culinariam, ita vt iugiter foco ac igni adhæreret, etiam dum sana existeret: in ea enim domo habitabat, ad quam carnes assandæ deferebantur: vnde & præ ædibus intersignium artis culinariæ, seu assatoriæ propendebat. Ex illa caliditate puto in principio purgationem menstruam fuisse concitatiorem; tum ob continuos labores, & continuum motum apud ignem. Et quia fluxus ille fuit diuturnus, tandem hepar forte refrigeratum fuit ex longo fluxu, & ventriculus affectus: hinc & succi aquosi generati sunt; atque huius consequio fluxus quoque muliebris aquosus obortus etiam diuturnus. Tandem eo constricto, materia fuit inculcata & incinerata, ex atra bile forte post tumorem scirrhosum: vel sane ex se ipso cancer vlceratus tandem obortus est. Quem quoque incurabilem esse pronunciauimus, vt calumniam declinaremus. Interea palliatione tantum vtendum esse diximus. Quare ne vlcus magis procederet, & vt dolor, quantum possibile esset, magis mitigaretur, inhibuimus omnem cibum melancholicum sanguinem gignentem. Sanguinem non detraximus, quia ipsa debilis, & principium iam diu progressum erat. Verum materiam melancholicam leuiter & frequenter primo minuendo, inde eam concoquendo & vacuando,

in hunc

4 in hunc vel similem modum palliationem instituimus: ℞ *elect. lenitiui, diacatholici, ana* ℥ *ij. confect. hamech* ℥ *j.* ß. *cum sero lactis fiat potio breuis.* Deinde concoquatur hoc modo: ℞ *syr. de bugloss. de fumaria, de epithymo; syr. viol. ana* ℥ *j. aquarum borag. lupulorum, solani, intybi, ana* ℥ *iij fiat iuleb pro quatuor dosibus.* Commendatur a quibusdam hoc sequens: ℞ *quinque herbarum capillarium, herbæ Roberti, chelidonii minoris, verbasci, buglossi cum rad. summitatum lup. salictarii, fumariæ, ana m. j. foliorum solani,* (proprietate occulta discutit humorem cancri) *intybi satiui latioris, non loti ana m. j.* ß. *vuar. passul. mund.* ℥ *j. trium flor. commun. ana p. j.* ß. *polypodii quercini* ℥ *j. folior. senæ oriental.* ℥ *vj. epithymi* ℥ *iij.* (hæc humores vstos mundificant) *decoquantur in s. q. aqua ad vsque dimidii consumtionem; accipiatur iuris decocti lib. j.* ß. *sacchara dulcedo inducatur, fiatque syrup. mediocriter coctus; depuretur, & adiectis* ℥ *ij. santali citrini, &* ℥ *j. pul. diarod. abbat. suauioris & saporis & odoris reddatur.* Eo vtetur ieiuna mane diebus quinque. Est autem hoc apozema ad humores accommodum. Cum autem sæpius purgata esset a Medico præcedente, cumque hoc tempore dulcia non ferret, infundi iussimus *folior. coluthea* ℥ ß. *epithymi* ℥ *ij. seminis anethi* ℥ ß *in aquis fumariæ, buglossa aut borag. & solatri*: cuius medietatem cum accepisset, dictu mirum, cum facilis solutionis esset & debilis, octo secessus habuit. Et capiens omni mane

5 cyathum vnum seri lactis, satis faciebat etiam ad acrimoniam humoris contemperandam. Si ita debilis non fuisset, iterum purgassem *cum diacatholico exiguo, adiect. confect. hamech, vel pilulis indis.* Sed quia nonnihil febricitabat, serum lactis, etiam exiguo subinde epithymo iniecto vel infuso, satis ad rem faciebat. Interim pro aphthis os abluebat *decoct. hord. plantaginis, mal. & sem. coton.* & facile curabantur. Sed, quod præcipuum erat, ad mitigationem doloris, totus fiebat per chirurgum Petrum Fredericum, compatrem meum, & cognatum ipsius ægræ, cum spongia madefacta ex malua, fœnugræco, althæa, foliis solani in lacte decoctis, etiam adiecto subinde lacte muliebri: nam cum perpetuo decumberet, insessu vti non poterat. Subinde & succo solatri in mortario plumbeo, cum pistello plumbeo ad consistentiam linamenti humidioris, intus mulier ipsa muliebria illinebat, & cum lacte muliebri mixtum subinde infundebat. Ad duritiem & dolorem exterius imponebatur pectini *cataplasma ex rad. althææ, foliorum maluæ, floribus & foliis meliloti, & foliis solani, cum farina hordei, & sem. lini, & oleo viol. ac ros.* ad flacciditatem prius decoctis. Chirurgus per speculum matricis conspexit in orificio vteri adesse magnam duritiem, & intus rimas quasdam corruptas, ex quibus modo materia alba, modo nigra fœculenta copiose cum pessimo odore emanabat. Tandem tota matrix affecta est dura, cum tanto dolore, vt similem nunquam viderim. *Ex muccagine sem. fœnugræc. maluæ, & cremore hordei, adiecta axungia recenti caponis, gallinæ, anatis, anseris, butyri recentis, cum oleo cheyrino, amygdal. dul.*

6 *& cera alba fiebat linimentum molle,* ad duritiem ac dolorem, & cum bombace imponebatur subinde. Modo & hoc vnguento molliori vtebatur: ℞ *plumbi vsti, thutiæ præparatæ ana* ℥ *j.* ß. *cerusæ ablutæ* ℥ *ij. succi solatri* ℥ *iiij. succi granat.* ℥ *j. camphoræ* ℈ *j. olei ros. & ceræ albæ q. s. ducantur in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo ad modum vnguenti mollioris.* Sed cum omnibus parum proficeremus, & viro dixissemus, quod tandem moreretur, licet dolor iisdem remediis subinde mitigaretur; posthabito nostro consilio, me reliquit, & totam curationem Empirico cuidam glorioso, sanitatem promittenti, commisit, qui, prius extortis aliquot nummis, pactum cum ipso inierat, vxorem breui ad sanitatē se deducturum: quamuis vix paucis postea diebus, hæc ipsa misere cum intensissimo dolore, vt prædixeramus, mortem obierit. Idem contigit calcearii vxori, prope templum antiquum habitanti, quæ & cancrum vlceratum in vtero habebat: quæ cum infusionibus aptis ad palliationem vti non vellet, ex nostro consilio, etiam morbum incurabilem prædicenti, cum fidem mihi non haberet, me reliquit Ei Empiricus lithotomus postea sanitatem promittens, ab ea extorsit 12. florenos; quamuis non diu post etiam moreretur. Quemadmodum & vidua illa Leonina, Franconis dicta, quæ multo tempore aliis Medicis vsa fuerat antequam me vocaret: & hæc quoque misere obiit, multo ante tempore hoc malo afflicta, & omnino mac[illegible] confecta ac doloribus fatigata. Neq; hæc adie[illegible]ones admittere voluerat, vti præcedens.

Scholia.

7 Vterque cancer (*vt diximus*) siue non vlceratus, siue vlceratus, in fundo vel imo vtero exsistens, incurabilis est, quia abscindi non potest. Cum incipit, vt ante quoque recensuimus, negligitur; quia in principio subinde magnam molestiam non adfert, quo tempore posset prohiberi incrementum, medicamentis & optima victus ratione. *Satis a nobis fit* (inquit Rondeletius) *si prohibeamus non vlcerati exulcerationem, & vlcerati incrementum. Prohibemus autem cancri generationem sanguinis missione e brachio, vel ex poplite, apertione hæmorrhoidarum, vt auertamus in partem proximiorem melancholicum sanguinem: frequenti insuper purgatione, quæ non multum calefaciat, & euacuet atram bilem, aut crassam pituitam:* Medicamenta denique quæ cap. De fluore muliebri a melancholia dicta sunt, erunt valde opportuna. Extrinsecus & intrinsecus frigidis medicamentis & adstringentibus eius incrementum prohiberi potest; *vt oleo ros. omphac. myrt. vel succis solatri, plantaginis, cum pauco aceto.* Permiscentur succi cum oleis, & fiunt embrochationes, vel vnguenta; vel excipiuntur farina, & applicantur supra partem, vnguenti modo. Aquæ vel succi herbarum iniiciuntur. Si autem exulceratio fuerit, *metallicis est vtendum, & vngu. diapompholygos, emplastro de cerusa, emplastro nigro,* & quæcunque parata sunt *ex antimonio, plumbo, cerusa, thutia, vel*

Quibus modis prohibetur cancri generatio & incrementum.

pompholyge: &, vt breuiter dicam, quaecunque citra morsum refrigerant & exsiccant. Quare neque lacrymae neque alia medicamenta aut attrahentia, aut digerentia admiscenda sunt; *vt thus, myrrha, galbanum, assa fœtida, cinnamomum, spica, & huiusmodi*. Sunt diligenter leuiganda, *vt collyria*, deinde abluenda diligentissime, & ex illis vnguenta paranda *cum succis, oleo, & cera alba, vel seuo hirci*. Nam aliae axungiae putrefaciunt. Attamē Aetius vtitur adipe porcino in hunc modum: ℞ *spumae argenti lotae ℥ vj. thuris masculi, oesypi, adipis porcini recentis, butyri noui, ana ℥ ij. rosacei ℥ iiij.* seruatur medicamentum in plumbea pyxide: quod si exaruerit, rosaceo diluitur. Sequens autem iniectio vlcerato cancro maxime conuenit: ℞ *herbae Roberti, verbascae, scabiosae, cheledonii minoris, anethi, stercoris humani ana q. v. comburantur: de cinere autem accipiantur ℥ iij. aquae solani ℥ vj. excepta in mortario plumbeo, pistillo plumbeo agitentur; deinde in vterum iniiciantur*. Oleum ouorum frequenter ductum & agitatum in mortario plumbeo, donec spissius reddatur & plumbi colorem contraxerit, efficacissimum est medicamentum. Cinis cancrorum fluuiatilium lotus in aqua solani permixto pul. ex plumbo, vel antimonio, vlceratum cancrum curare dicitur, & creditur. Quod si non curat, saltem mitigat, exsiccat, & depascentem cohibet. Nam difficillimum est partem iam induratam emollire, & pristinae sanitati restituere. Sed metallica omnia partim repellendo, partim digerendo, citra morsum morbum leniunt. Haec est cura, quam vocant palliatiuam. Cibus dabitur, *iuxta Paulum*, qui facile in corporis membra queat distribui, boniq; succi, vinum paucissimum, aquosum: acrium esus, & repletio omnis vitanda est, vt quibus cibi promte corrumpantur.

Chelidonium minus, alii scrophulariam appellant.

Observatio XLVIII.

De vlcere matricis.

Matronae nobilissimae ex vtero sanies effluebat, cum ardore & inflammatione; & cum subinde leuem febrem sentiret; cognouimus, in ea vterum exulceratum esse: nam in affecta parte punctorium dolorem percipiebat; & per interualla, humor diuersus cum magno dolore excernebatur, modo paucus, cruentus; modo feculentus: qualia videlicet inflammato vlcere Paulus apparere dicit *lib. 3. cap. 66. De vteri vlcere*. Igitur cum hic ardor, calor, & inflammatio aliqua simul adessent, prius assumta ℥ j. *cassia in bolo, adiecto pul. sem. berberis ℈ j. sacchăroque asperso*; cum in vere essemus, & sanguis videretur nonnihil abundare, sanguinem detraximus ex vena basilica; & altero die ex saphena, sed in pauca quantitate; ob febrem, *inquam*, & inflammationem, cum non diu laborasset. Arabes vero in vlcerum locellorum principio sanguinem demunt ex vena axillari, altero die ex saphena. Id tamen faciendum iudicio oculati Medici, potissimum vbi calor & inflammatio simul adsunt cum vlcere. Aetius tamen nec Paulus de venae sectione mentionem faciunt. Vnde quoque, si ex apostemate vlcus fit, & prius facta est missio sanguinis, tunc minus conuenit; & multo minus in vlcerato inueterato, nisi mulier admodum sanguine laborare videretur. Postea autem cum hic sanies exiret cum acrimonia, & materia esset acuta corrodens, syrupos praescripsimus bilem contemperantes & acrimoniam restringentes: ℞ *syr. viol. nymphaea, ex infus. ros.* (propter abstersionem) *ana ℥ j. decoctionis solani, lactucae, intubi, lupulor. fumariae, ℥ vj. fiat syrup. cum ij. dosibus*. Deinde ita illam purgaui: ℞ *folior. senae ℥ ij ß. rhab. optimi ℥ j. epithymi ℈ iiij. sem. anisi ʒ ß. schœnanthi ℈ ß. infunde per noctem in ℥ v. aquae solani, facta leui ebull. mane fortiss. express. adde syr. ex infus. ros. pallid. ℥ vj. fiat potio. & aluus satis fuit soluta*. Deinde ad ardorem & intemperiem atque acrimoniam tollendam imperaui, vt succum bursae pastoris & plantaginis aliquando iniiceret cum lacte muliebri, & exterius cum iisdem succis lauaret, vel cum panno lineo applicaret. Nam supposito ibidem calore & dolore, Valescus vtebatur aqua frigida: *Noui enim*, inquit, *aliquas mulieres sentientes se habere eiusmodi vlcera: lauabant ea cum aqua frigida, mundabant deinde, & cum pannis lineis exsiccabant, & in matricem mittebant frequenter: atque iisdem praesidiis saepe mutatis, haec ipsa saepe per se ad integram curationem sufficiebant*. Ablata intemperie calida, & febre iam diminuta, ad vlcera detergentibus & exsiccantibus curanda accessimus, corpore etiam cum manna & cassia adhuc semel repurgato. Multum autem hic resiccare oportet, tam ob partis naturam siccam, quam ob recrementa, quibus pars illa abundat; *vt latius in Scholio dicemus*. Inter medicamenta detergentia vlcera, in quibus acrimonia puncturaeque sentiuntur (*vt hic erat*) cum sine morsu esse debeant, optimum hoc sequens mihi esse videbatur, quod primo solummodo ex sero lactis constabat cum pauco sacchăro; quod vt iniiceretur, iubebam, ad vlceris detersionem; postea etiam abiecto melle & syrupo ex ros. siccis. Aliquando vt etiam iniiceret, consului decoctum lentium & plantaginis; quibus aliquando adiiciebant folia myrti, oleae, vel oleastri, ceterach, agrimoniae, in decocto praecedente: nam hae herbae, tum aliae amarae, sine magna calfactione iuuant. Quare absinthium, & similes herbae calfacientes, hac in caussa conuenire non possunt; sed potius in sordidis vlceribus, quibus alia mulier magis afficiebatur: ad quam curandam, iussi muliercalae Adrianae Bieselingiae, quae tales curabat, vt post purgationes aptas totius corporis, pituita salsa & materia crassiore sordida prius digesta, deinde euacuata cum decoct. senae, epithymi, agar. pauco adiecto diaphœniconis, vt, inquam, iniiceret hydromel cum decocto ireos, absynthii, agrimoniae. In vlceribus certe sordidis & pituitosis tales iniectiones fieri possunt, ex decoctione apii, centaurii minoris, fabarum, lupinorum, orobi; quae magis detergunt. In iis aliquando etiam dissoluimus parum Ægyptiaci, vel

vel vnguenti Apostolorum in principio, cum vlcus obductum est multo pure & carne putrida.

4 Ceterum in hac prima muliere, de qua nunc agimus, cum & vlcus per aquam hordei & melle rosato satis abstersum foret, neque sordidum vlcus esset, mandaui, vt vnguentum conficeretur ex thutię ablutę, & præparatę, partibus duabus, cadmiæ, litharg. argenti, sarcocoll. ana p. j. cum oleo rosʃ. vel cum aqua plantaginis inungatur, & pars eius aliqua iniiciatur. Ita, vlcere sufficienter deterso prædictis iniectionibus, commode dissoluimus myrrham, aloem, iridem, & alia sarcotica, trochis. albos Rhas. Demum ad vnguenta partem resiccantia est deueniendum, vt ad vnguentum pompholygos, de cerusa, de plumbo, & de aliis metallicis insigniter resiccantibus. Et sic nos imperauimus vt collum vteri vlceratum inungeretur vng. diapompholygos; &, vt etiam ad fundum perueniret, vt aliqua pars cum decocto rosʃ. rub. & plantag. iniiceretur. Egregie illis medicamentis, cum non diu hoc malo laborasset, curata fuit. Si vero eiusmodi medicamentis non possunt talia vlcera euinci, tunc alii iubent, & tentandum esse scribunt, vt fumigio pars exsiccetur. Faciendum autem id est ex sarcoticis, & fuliginem generantibus, vt lacrymis resinisque, aliis quibusdam permistis, vt sandaraca, auripig. cortice thuris, ladano, hypocisthide. vt: ℞ *thuris, mastiches, ladani puri, myrrha, styrac. rub. ana* ℥ *iij. marcaʃ. & lapidis pyritis, auripigmenti rub. ana* ℥ *ij. excipiantur terebinthina, & fiat fumigium.*

5 Quod si mulier fœtorem ferre non possit, optimum erit parare aliud magis odoratum hoc modo: ℞ *alipta moschata* ℥ *j. benioin. styrac. ladani puri, ana* ℥ *iij. mastich. thuris, & cort. eiusdem, ana* ℥ *ß. cum muccilag. gummi tragacanthi fiant trochisc.* quibus vtatur, vt dictum est. Ioannes Tiengius, Medicus Amstelrodamensis, cuius secreta a genero ipsius mihi aliquando communicata fuere, nobilem se matronam hoc modo ab vlcere vteri satis restituisse dicebat. Dabat ex præscripto Placentini de quarto in quartum diem ℥ v. decoct. senæ, epithymi, rosʃ. rub. myrobal. Indarum, sacchato dulcoratæ. Et clysterem subinde in partem affectam iniici mandabat ex aqua tepida decoct. senæ, epithymi, fumariæ, florum chamæmeli, rosʃ. cui terebinthina exigua, mel rosaceum & hordei farina iniecta erant. Deinde pessos in vterum, seu os vteri ponebat: ℞ *mellis rosacei* ℔ *ß. farina lupinorum, siliginis, fœnugraci, sarcocollæ, an.* ℥ *ß. fiat pessi.* Si pruritus aut ardor adesset, iisdem addebat *semen papau. hyoscyami & caphuram.* Atq; hæc etiam soluta subinde in vterum per obstetricem iniici iubebat, vel cum aquis cõuenientibus. Facta repurgatione & mũdificatione, commode hoc medicamento vtebatur, quod incarnabat, & exsiccabat, & consolidabat; valet enim ad hæc omnia post vniuersalia remedia, corpore prius ac vteri vlcere repurgatis: ℞ *aloes, thuris, lapid. hæmatitid. pul. carta combusta, pul. cucurbitulæ combusta, an.* ℥ *ij.* puluerisentur, & cribrentur, cum pessis imponantur, aut cum aquis appropriatis iniiciantur.

SCHOLIA.

6 *Caussa.*

EXulceratur subinde vulua ex infelici partu, aut fœtu excusso, aut corrupto, vel ex medicamentis acribus, vel fluore, vel abscessibus diruptis, aut fluxione erodentium succorum; *vt & Paulus & Aetius testantur*; quandoque etiam ex abortu, vt Erotis *cap. 9. De passʃ. mulierum* refert. Sic igitur fiunt vlcera post alios morbos, vt inflammationem, vel abscessum; vt antea etiam ostendimus, & post fluxus muliebres acres, & post medicamenta acria apposita vel iniecta, & pessos acres in vuluam subditos. Fiunt aliquando per se incipiendo, ex materia calida acuta corrodente, vel ex phlegmate salso, adusto, aut aliis humoribus adustis; vel consequuntur apostemata vteri, post suppurationem & rupturam; etiam aliquando præcedente solutione continui ex vulnere, percussione, aut casu. Fiunt & hoc tempore etiam vlcera ob contagionem luis Venereæ; aut propter recrementa retenta, & putrefacta circa pterygia vteri. Deprehenduntur facile a dolore, recrementis & pure reiecto. Ex Aetio dignoscemus vterum esse exulceratum, quoniam pars ægra & affecta dolorem percipit punctorium; & ex interuallis fœtidi ac saniosi humores ab vlcere sordido prodeunt; & consequuntur etiam alia vtero affecto peculiaria symptomata; velut est capitis, ac præsertim syncipitis dolor, vt de inflammatione vteri prius dictum est: item dolor ligamentorum & radicis oculorum, qui ad manus vsque ad digitos se extendit; & reliqua supra de inflammatione relata, *ex Aetii testimonio cap. 88. lib. 16.*

Signa vteri exulcerati.

7 *Signa colli vteri exulcerati, et quando in profundo hæreat.*

Quod si promta in conspectum exulceratio venerit, specillo oriculario, quod διόπτρισμον vocant, deprehenditur: sin alte desederit, vel in loco recondito, ex recrementis. Humor enim diuersus excernitur inflammato quidem vlcere (*vt præcedente Obseruat. quoque diximus*) paucus, cruentus, aut fœculentus, cum magno dolore euacuabitur: at si sordidum, copiosior humor & sanięs cum miro cruciatu profluit: si depascens, fœtidus, niger, cum doloribus vehementioribus, aliisque inflammationis signis. Præterea quæ laxant medicamina, hoc irritant, contraria leniunt.

Signa sordidi vlceris.

Si ab inflammatione, signa adsunt communia inflammationis, dolor, pulsatio in vtero, & effluxus saniei & virulentiæ, apostemate aut abscessu perrupto.

Ab inflammatione.

Si vero per se incipiant, aderit priuatio signorum inflammationis, aut apostematis in matrice.

Signa a se incipientis.

Ceterum licet caussas ipsas singulas iam dictas facile ex loquela, vel earumdem ægrotantium percipiemus, partim etiam ex nobismet ipsis ea, quæ præcesserunt & quæ comitantur considerantibus: tamen prius distinguere oportet vlceris naturam; quam deprehendere poterimus ex caussis non tantum, quæ præcesserunt, verum etiam ex victus ratione, & totius corporis natura: num etiam a lue Venerea factum fuerit. Quæ post abscessus frigidos fiunt, solida esse solent: quæ post inflammationem a sanguine, & quæ post erysipelas, virulenta & de-

Signa caussarum.

pascentia fiunt: si post scirrhum gangrænosa: quæ post luem Veneream dysepulotica & chironia. At hic quoque animaduertenda sunt signa, quæ vicus vteri ab aliis affectibus distinguunt: quoniam si vlcera sint in matrice, apparebunt recrementa exeuntia separata ab vrina, & dolor sentietur in profundo pectinis, & minorabitur color albus. Si vero sint in vesica, apparebunt exeuntia mixta cum vrina, & dolor sentietur magis apud anteriora vuluæ, & multiplicabitur color albus in rebus exeuntibus & concurrent alia accidentia superius scripta de scabie vesicæ, eiusque vlcere. Iam quoque cum vlcus est in vtero, adest ardor in vulua, & sentitur cum pruritu, primo quidem titilloso (*vt ducebat Bertrutius*) quemadmodum & in satyriasi: postea, dum fortificatur, est cum pruritu acuto & pungitiuo: & si tunc nihil egrediatur, tum potius dicuntur rhagades & fissuræ; de quibus postea. Et si egreditur sanies nigra, viridis, liuida, cœnosa, fœtens, tunc vlcus appellatur: si vero sanguis niger & crassus, tunc hæmorrhoides matricis, seu vteri, vocantur. Quod ad signa prognostica attinet, nullum vero vteri vlcus contemnendum est, sed quam primum fieri potest curandum Nam cum vterus totius corporis recrementa excipiat, atque neruosæ substantiæ sit, haud facile curationem eius admittunt vlcera; præsertim si diuturna fluant. Ex iis tamen ea, quæ in conspectum veniunt, promtius, quam quæ in profundo sunt recondita; & quæ pura, aut etiam simpliciter sordida exsistunt, facilius quam depascentia, medicamentis cedunt. Rarius vero, secundum quosdam, fiunt consequendo; vt plurimum autem per se incipiendo. Sollicite statim sint curanda: nam si perdurauerint, fistulam periculosam, imo hecticam febrem inducunt, vt sæpe vidimus, & tandẽ mortem. Vlcera quoque matricis in principio prohibent conceptionem; & si prægnanti superuenerint, abortum inducũt, nisi ilico succurratur: quoniam scilicet virtutẽ expulsiuam stimulant, quemadmodum & tenesmus. Quouis modo fiant, ægre semper curantur, quia pars illa, vt diximus multa recrementa colligit, quæ vlceris consolidationem retardant. Si igitur inflammationem experitur vlcus, iis quæ ad illam scripsimus *sub finem Scholii Obser. 44. huius libri*, tum quæ apud Paulum *lib. 3. c. 65. De vuluæ abscessu* scripta sunt, vtendum est. Si vero ex redundantibus, & vitiosis ac erodentibus succis exulceratio vteri fuerit orta, purgantibus medicamentis prius erit vtendum, præsertim vbi alterati, ac præparati fuerint, qui redundant humores: & deinceps ad vlceris curationem confugiendum. Interea quantum ad principalem huius morbi curationem, diæta sit ciuilis, sine mœrore atque animi solicitudine quiescat ægra, atque somnum capiat moderatum, in contrariam vlceris partem. Planum effugiat locum, humidum præsertim, balnei vsum, crurumque frictiones. In cibis acria & amara vitanda sunt, vel salsa, nimiumque dulcia, vt quæ ex melle & sacchаro conficiuntur. Vetustiora vina & dulcia damnantur, sicuti & aquæ purus potus. Panis siligineus vtilis est sine sale, auiculæ & hædina caro. Siti ac fame vincitur id malum (*vt quidam asserunt*) modo debiles non sint: humida esca inutilis habetur. Frigida igitur ac sicca prosunt, & initio quæ abstergunt eliguntur; demum quæ cicatricem inducunt offerenda sunt. Et, vt summatim dicam, ea victus ratio instituatur, ac eadem exhibeantur medicamenta, quæ in reliquis exulcerationibus, renum potissimum & vesicæ, a nobis fuere conscripta. Quantum vero ad topica medicamenta spectat, si purum fuerit vlcus, leniter astringentibus atque exsiccantibus medicamentis vtendum erit: quod vbi conspicuum erit, eisdem illinatur vlcus. Si vero profundum exsistat, infundere ea oportet per instrumentum ad hoc appositum: quare rosaceum aut tetrapharmacum basilicum cum butyro recenti infundatur, iuxta Paulum. Eluantur item loci decocto rosarum aut lentium, aut ptisanæ seu plantaginis succo: præstabit etiam portulacæ, aut polygoni decoctum cum rosaceo. Verum vbi sordidum fuerit vteri vlcus, detergentibus medicamentis vtendum erit; veluti est ptisanæ cremor cum melle, vel mulsa in qua fœnugræc. sit decoctum, aut malua, aut furfures, aut lenticula cui cortex sit detractus. Porro, quo magis expurgetur, etiam marrubium, aut eruum, vel melli adiuncta erui farina, vel iris, vel alumen rotundum, vel aliquid simili iniiciatur. Hæc ipsa etiam extrinsecus ex mulsa macerata illinantur. Peculiarius est medicamentum crocus leuigatus, cum lacte muliebri, deinde exceptus cerato rosaceo, cum adipe anserino: inungitur linteolo. Atque hoc efficacius ad dolores. *Capita papaueris in passo temperato madescunt diebus tribus, deinde incoquuntur donec emollescant, postea teruntur cum folior. rof. ℥ v. croci ℥ iij. iure capitis pap. admisti, inde ceræ cum rosaceo liquatæ denarii duo ipsis superfunduntur, ac pessulo apponuntur in rosaceo tincto.* Et illud salutare est, *ex ouis, croco, rosaceo, adipe anserino, cerui medulla, præparatum.* Vtendum quoque ad sordida vteri vlcera eo medicamento, *quod ex melle, terebinthina, rosaceo, & butyro, constat.* Cui aliqui etiam *parum croci* addunt. Efficax est *& iris imposita cum melle*; & *aristolochia decoctum per se, vel cum melle infusum, teste Aetio.* Vbi pascendo serpunt vlcera cum inflammatione, illinitur panis egelida maceratus *ex hydromelite, oleo, althæa, fœnugræc. palmulis pinguibus.* Ceterum *plantaginis succus, solani, polygoni, sereos, indetur, primum per se, mox cum vino austero, aut aceto.* At citra inflammationem serpentibus robustiora iniicientur, *veluti decoctum malicorii, rosar. summitatis oleæ, capressi, malorum cotoneorum, rubi, myrti, lentisci fruticis, rhus coriarii, ex vino astringente:* postea vero *aluminis, acaciæ, lycii, hypocisthid.* Ex eisdem vero *decoctis, iubente eodem Paulo*, parabitur etiam insessus. Si nihil proficiunt, non alienum fuerit ex carta medicamen cum posca primum demittere, deinde cum aceto, aut anthera iisdemque liquoribus & ceteris, quæ dysentericis congruunt.

8 *Quibus differũt vlcera vteri a vesica.*

Signa prognostica.

9

Curatio.

Purgatio.

Victus ratio.

10

Topica.

Si vlcus purũ.

Si sordidũ fuerit vlcus curatio.

11

Vlcera serpentia, seu depascentia, cum inflammatione, quomodo curantur.

Citra inflãmationem serpentium curatio.

OBSER-

OBSERVATIO XLIX.

De antiquo vteri vlcere & lethali.

1 MAria Iacobi, mulier licet crassa, satis tamen prolifica, quæ in paruo Speculo apud pontem cespitarium Delphis habitabat, vteri vlcere admodum maligno, cum insigni dolore, vsque ad profundum vteri procedente, cum aliquandiu laborasset; ex Chirurgi consilio variis vtens remediis, semper peius habuit. Ad quam tandem & ego accitus, animaduertens, quod vlcera essent depascentia & efferata, post purgationes totius corporis conuenientes, imperaui ex auctoritate Aetii, vt iis topicis medicamentis vteretur, quæ ipse ex Aspasia *libro 16. capite 94.* ad vteri depascentias collegit. Inprimis, vt vlcera asinino lacte, vel equino, recenter mulcto ablueret, & hoc ipsum ad duas heminas recens coctum, mellis heminа dimidia adiecta, & quatuor drachmis iridis farinæ inspersis, calidum, vt sæpius singulis diebus per mulierem Medicam infunderetur, præcepi: interdum & aqua mulsa, in qua absinthium aut chamæmelum incoctum erat. Et vbi quod infusum esset, fuisset excretum, vt protinus folia maluæ decocto eluerentur; deinde pessus subderetur ex farinæ, erui, iridis, ana ℥ij. cum melle subactus. Ceterum nullo modo voluit admittere iniectiones, vel alia a nobis apta præscripta remedia: ita vt misere diu superuiuens, cum vehementi cruciatu tandem, viribus consumta, cum aliquot mensibus hoc malo detenta esset, interierit.

SCHOLIA.

2 NEoterici hic quosdam canones ante vlceris vteri curationem præponunt; vt: Quanto vlcus vteri fuerit humidius, tanto medicamenta sicciora adhibenda, & apponenda, cum & siccius medicamentum per se eidem conueniat. Voluntque, remotionem materiæ antecedentis & peccantis cum catarcticis, & victum optimi succi, haud minimam curationis partem in se continere. Iisdem itaque inprimis conueniunt abstergentia, detergentia, & mundificantia, & consequenter exsiccantia: sub finem vero incarnantia & consolidantia. Tam internas, quam externas partes colli vteri mundas tenere cum pannis lineis puris, & albissimis, & ab omni sorde immunes ac securas, conuenit. Si itaq; ab humore acri, materiam digerimus, seridis, cichorii, lupuli, lactucæ, solani, aquis, vel decocto, addita viola, nymphæa, ac tribus santalis; syr. etiam viol. pap. nymph. aliisve adiectis. Præparatam materiam euacuamus manna vel cassia, vel syr. ex infus. ros. pallid. Phlegma salsum præparamus decoctis & syr. e bugloss. fumaria, polytricho, adiantho, scolop. chamæpit. chamædr. & rad. apii, petros. fœniculi, polypodio adiecto cum saccharo, & vino malo punici. Digestam materiam subducimus diaphœn cum agar. epithymo, & senæ, fumariæq; decocto. Ab his, si corpus sanguine sit repletum, cubiti venam & tali, si opus est, secamus. Et vbi expedit, digerentia & catarctica repetimus. Alii qui & vomitum laudant ad auertendam materiam. Ab his, quæ vlcera abstergunt infunduntur; mox quæ persanant. Interea si qua inflammatio fuerit, quæ calorem mitigant imponimus. Syr. ex pap. iuiub. damus. Iuuant & insessiones, ac vnguenta refrigerantia; vel tepidum id infusum ex quatuor ouorum albis quassatis, succo seminis melon. pepon. cucurb. cucumeris rotundi ac magni, ex aqua viol. addito muliebri lacte. In vehementi cruciata, ℞ *aquæ virgæ pastoris, siue polygonii, aquæ hordeaceæ, ana* ℔ß. *in ea semen psillii maceretur, & panniculo compresso; addatur ouorum candidum cum pup. & hyoscyami seminis succo, ac muliebri lact.* &, si opus est, in ea mixtura *exiguum caphuræ, opii, croci, addatur.* Extrinsecus solanum imponitur, vel cotyledon, vel lactuca, pap. aut hyoscyamus. Quæ vero repurgant subinde iniicienda sunt; vt caprinum serum, & aqua hordeacea in qua glycyrrhiza incocta sit, vel saccharum. Alii oleum cucurbit. viol. cum amylo & cera confecta, soluta cum lacte muliebri aut asinino iniiciunt. At deplorata vlcera mitigatoriis (*vt diximus*) infusionibus mitigantur. Putria vero mulsa prius purgantur; mox adiecta iride ac aristolochia absterguntur. Vetustati vlcerum vehemétiora conueniunt; vt decoctum iridis, hyssopi, aristoloch. rotundæ, artemisiæ, admixto melle, & virili vrina. Repurgato vlcere, sanandum erit medicamento litharg. cerussæ, sarocollæ, ex oleo ros. & cera composito; tum aliis glutinantibus & consolidantibus, superius dictis; quæ ex aloe, myrrha, draconis sang. sarocoll. ac thure cum plantaginis succo bene trita imponuntur. Tunc etiam ægra boni succi cibis vinoque refici debet, quo caro statim procreetur, ex Pauli sententia. Deinceps his vtendum, quæ ad cicatricem perducunt; primo mitioribus, deinde efficacioribus; etiam deforis adhibitis, abdomini videlicet & vteri regioni. Nam quemadmodum cataplasmatum, ita etiam emplastrorum facultas per latentes meatus traducitur, *vt idem inquit Paulus.* At vteri fistulæ sanari non possunt, sicut & quæ in aluo sitæ sunt. Si autem vlcera vteri a lue Venerea facta fuerint, vtile erit malam illam morbi qualitatem in toto corpore euincere & auferre, prouocando sudorem vel stuphis, vel iniectionibus, vel vsu guaiaci, vel similibus, & vnguentis prædictis argentum viuum addere, & fumigio parato ex cinnabari vti. Tunc videlicet fumigiis dictis Obseru. 48. sub finem addenda erit ℥j. cinnabaris, & per embotum, vt ibidem dictum est, fumus recipiendus. In omnibus his vlceribus vsus stupharum est vtilissimus, quia corpus vniuersum exsiccat. Sic post decoctum guaiaci, aliquando curaui vlcera in vulua vnguento Ægyptiaco soluto cum aqua plantaginis, etiam leuiter attingendo ea, quæ in ore vel in parte exteriore conspicua forent. Vidi Chirurgum cum pluma attingentem cum aqua plantag. aut solani, iniecto exiguo puluere præcipitati; tamen non sine magno dolore. Verum de his latius, de lue Venerea, suo loco.

Marginalia: 2 Canones obseruandi in curatione vlcerum vteri. — Ab humore acri. — A phlegmate salso. — 3 Abstergentia. — Topica. — Putria vlcera. — 4 Consolidantia. — Fistula incurabilis. — Curatio vlcerum vteri a lue Venerea.

Observatio L.

De pruritu vuluæ.

1 VEtula mulier Alcmariana, cum pruritu vuluæ intolerabili afficeretur, ex materia biliosa, acri & salsa, multum que pungente, ad me consultandi caussa venit anno 1555. Quæ equidem paupercula exsistens, istis remediis ab illa molestia liberata fuit. Eramus in æstate: ℞ *fumariæ, acetosæ, lapathii acuti, cum radic. summitat. lupul. buglosſ. cum floribus ana m. j. coquantur in sero lactis, adiectis xv. prunis, eoque bis vtebatur in die.* Deinde, vt magis purgaretur, adieci ℥ j. *foliorum senæ, seminis acetos. & anisi ana* ʒ ß. Vt vuluam lauaret præcepi cum aqua plantag. quæ cum non satisfaceret, hoc decoctum præscripsi: ℞ *Folia plantag. lapathii acuti, cum radic. coquantur in aqua plantag.* Post lotionem, hoc linimento inungatur: ℞ *lithargyrii auri per diem ac noctem in acerrimo aceto macerati* ℥ j. *olei viol. q. s. fiat linimentum molle.* Ita a fœda illa passione liberata est. Fuit hoc secretum præceptoris mei Elidei, Medici insignis; modo accipiendo ʒ ß. *litharg. ita in aceto acerrimo macerati, addendo olei viol. modo* ℥ j. *modo* ℥ ß. Hoc eodem remedio per me curata fuit, & alia post vniuersalia remedia, a pruritu vuluæ vna cum satyriasi, anno 1560.

Scholia.

2 GVainerius *in Commentariolo suo De ægritudinibus matricis, capite vndecimo,* sub vno capite tractat de pruritu matricis, & priapismo. Forte intelligit pro priapismo satyriasin. Pruritus tamen matricis potest esse etiam absque satyriasi. *Priapismus.* Priapismus vero est proprius morbus mentulæ, vt ad longum docuimus Obseruatio. 9. libro vigesimosexto, & in eiusdem Scholio; & satyriasis similiter, *Satyriasis.* vt Scholio Obseruatio. 27. eiusdem libri ostendimus: quamuis inter se modo conueniant, modo differant, vt ibidem ad longum explicauimus. Satyriasis tamen, vt ibidem quoq; diximus, etiam mulieribus accidit, ex mente Aetii libro decimosexto capite 81. ad quam etiam sequitur ingens pudendorum pruritus cum dolore; ac eadem adsunt signa, quæ ponit Guainerius de pruritu matricis. Potest tamen aliquando esse pruritus ex humore bilioso, salso, adusto, sine desiderio coeundi. Satyriasi, vti Moschio capite quarto, Harmoniæ Gynæciorum, tum Aetius referunt, a Satyris nomen antiquitas dedit, quod illi, vt in fabulis est, procliues in Venerem essent. In mulierum certe satyriasi adest partium pudendarum prurigo cum dolore, ita vt impatienter manus suas illuc mittant, cum insatiabili & stabili virorum desiderio, amissa scilicet omnis pudoris verecundia. *Moschio.* Si quidem enim res hæc, quæ matricis consensum habeat, & verecundiam eis confundat ac tollat, & aliquantulum eas delirare faciat. Hæc Moschio. Noui ego vetulam quandam, cuiusdam sacerdotis famulam, hoc vitio adeo impudicam, vt satiari non posset coitu, quo imo magis inflammabatur; quæ ad hecticam febrem, quasi perueneraat antequam curari posset. Huius mali curationem diximus ex Aetio Scholio Obseruatio. 27. libro vigesimosexto. Addit Moschio, curam eandem esse cum feruore. *Curatio pruritus.* Potest tamen, vt dixi, esse pruritus, absque desiderio coitus. Interea si a bile vsta, quod ex colore luteo seu citrino cognoscitur, ea ipsa contemperanda cum syrup. viol. nymphææ, & aliis cum aquis refrig. vt dictum est sæpe, & cum infus. rhabarb. oxyphœnico, & syrup. ex infus. ros. purganda. Si ex sanguine, color erit rubeus, fiat venę sectio si sang. sit adustus. Si sit pituita salsa, contemperetur similiter & euacuetur cum cathol. & diaphœn. Deinde topica remedia adhibeantur. In materia calida succus solani, aut lactucæ, portulacæ, iniiciantur; vel eo vterus lauetur, vel hoc: ℞ *succi foliorum salicis, succi lactucæ, ana* ℥ iij. *stercoris muris* ʒ ij. *misce, & in vterum mittantur; vel betæ succus. Et si adest simul satyriasis, pulu. nymphææ* ʒ j. *excipiantur syrup. de pap. aut succo foliorum salicis, & ante pastum bibatur: vel succi portulacæ cum sacchаro & similibus fiat syrup.* Lauentur *cum decocto lapathii acuti, fumariæ, maluæ, oxalid. solani, scabiosæ, betæ, & penthaphylli.* A pituita salsa, valet hoc vnguent. ℞ *litharg. cerusæ lotæ, ana* ℥ iiij. *plumbi vsti. scoriæ argenti, ana* ℥ j. ß. *mastichis, olibani, ana* ʒ j. ß. *puluerisentur in mortario plumbeo, & pistillo plumbeo agitentur, adiectis oleo ros. & aceto albo, non simul, sed alternis repetitis vicibus, donec vnguent. formam induat:* deinde quidam addant *argenti viui, hominis ieiuni saliua exstincti,* ʒ iij. *stercoris muris* ʒ ij. Accipiatur huius vnguent. ℥ ß. *stercoris muris* ʒ iij. *dissoluantur in* ℥ vj. *decocti suprascripti;* eo pruritus lauetur, tum vulua ipsa; &, si opus est, in vterum iniiciatur, vt pruritus simul & satyriasis, si illa adfuerit, tollatur. Renes quoque inungantur cerato albo, adiecta exigua portione caphuræ, & lamina plumbea perforata super renes feratur; & vitex, tum alia per cubiculum spargantur, quæ ad compescendam Venerem scripsimus valere: &, si simplex sit pruritus, absque desiderio coeundi, vtere vnguento illo ex lithar. cum oleo viol. vt nos vsi sumus.

Observatio LI.

De vuluæ excoriatione.

1 MVlieri excoriationem vuluæ habenti, cum ardore, post exhibitam cassiam cum sero lactis, mandaui, vt folia salicis, maluæ, viol. & solani decoqueret cum lacte, & eo sæpe loca excoriata ablueret, & deinde vnguent. ros. & de cerussa & albo caphurato simul mixtis inungeret; continuo bibendo lac ebutyratum cum foliis acetosæ coctum. Quibus cessauit. Alteri ex lotione sequenti intra biduum cessauit: ℞ *caprifolii, bursæ pastoris, caudæ equinæ, plantag. semperuiui, saniculæ, bugulæ, ana m. j. trag. gummi arab. ana* ʒ ij. *spodii, granor. myrti, ana* ʒ ij. *sem. & cort. pap. albi* ʒ ß. *fiat decoctio in aqua plantag. caprifolii & scabiosæ.* Valent & ea, quæ mox de rhagadibus & fissuris vteri dicturi sumus.

Scho-

SCHOLIA.

Excoriatur vterus, *teste Gilberto Anglico lib. 7. sui Compendii, cap. De excoriat. eiusdem*; interius. Imo etiam aliquando exterius, ex bile lateribus eiusdem inhærente: & aliquando in eius concauitate; vt per puncturas & ardores resudante humiditate citrina cognoscitur. Imo patitur subinde & scabiem ac pustulas; vt pruritus indicat, tum superfluitates ab vtero emanantes aut vulua. Digeratur *oxysacch. & purgetur elect. de succo ros. & fiat balneum ex herbis refrig.* & si opus est, vena saphenæ secetur; & temperetur lycium cum lacte; ac immittatur. Vel *pap. alb. gummi Arab. trag. terantur, & fiant trochisc. ponderantes* ʒj. *vnum dissolue in lacte, & iniice.* Quæ ad vesicæ excoriationem valent, & hic locum habent. Adiici poterit medulla vituli & ceruinæ; & ita scabies pruritusque soluetur. Interea studendum vteri repurgationi, ne post istas iniectiones sempiterna inducatur sterilitas; & ideo a violentis iniectionibus abstinendum. Si exterius sit excoriatio, fotus & vnguenta iam dicta ad pruritum vuluæ, exterius exhibenda. At si vulnus sit in vtero, vtuntur *retentibus succo arnoglossæ, solatri, cum album. oui & succo portulacæ; & in venis corrosis, succo centaurii, sanguin. dracon. bolo armeno, aristoloch. rotunda, lycio, acacia & similibus; & pessis ex litharg. caph. & albo oui & oleo ros.* Sed de his satis. Nunc ad rhagades, quæ similem fere curationem obtinent, accedamus.

OBSERVATIO LII.

De vteri rhagadibus ac fissuris.

1

Mulier alioqui honesta & pudica, ex defluxu acrium humorum in orificio vuluæ rhagadas seu fissuras patiebatur. Adhibita purgat. Ex infusione rhabarb. cum syrup. violaceo, commode oleum rosaceum cum vnguent. de cerussa adhibuimus, prius tamen ablutis locis cum sero lactis. Ita & Rhas. vbi calor adest cum acuitate, oleum rosaceum, cum vnguent. de cerussa capit. In altera & hoc nutrito commode vsi sumus: *olei myrtini, rosacei, ana* ℥ j. ß. *succi plantag. & consolidæ, vel pol polygonii, ana* ℥ j. *lithargyrii* ʒ iiij. *cerusa lota* ℥ ß. *plumbi vsti, antimonii, boli Armeni, ana* ʒ ß. *triturentur subtilissime, & reducantur ad formam nutriti.*

SCHOLIA.

2 *Rhagades.* *Caussa.* *Nota.* *Differentia.*

In vuluæ ostio rimæ, quas Græci rhagadas vocant, ex enixu violento fiunt, *teste Paulo libro 3. capite 75. & iuxta Aetium libro 16. capite 109.* Etiam circa os vteri, ob acrium humorum defluxum, loca effringentem & exurentem, fieri solent. Primum sane latent, iuxta eosdem, cum recentes adhuc ex partu sunt dolores: Postea vero paulatim percipiuntur; alias manu, alias in coitu. Nam & propter affricationem cruorem reddunt: certius tamen speculo deprehenduntur: sinu enim dilatato, diruptiones fissuræque in ostioli circuitu oculis patent, vel in ambitu oris vuluæ visuntur. Et sic rhagades proprie sunt fissuræ, quæ fiunt in collo vteri, recto intestino, & labiis aliquando, ob ariditatem, vel ob condylomatum inflationem; & inflammationem; quamuis condylomata a fissuris, vt postea dicemus, differant; licet quidem aliquando simul, aliquando seorsim spectentur. Et sic quoque rhagades vlcera sunt vteri & sedis diductæ in fissuras. Sed alia humida & saniosa, alia callosa, quædam cancrosa sunt. Humida & saniosa detergentibus & exsiccantibus citius curantur; callosa difficilius; cancrosa sunt maligniora. In eiusmodi ergo (*iuxta Aetium*) muliebribus locis chirurgiam, atque omne mordicans medicamentum effugere oportet: nam talia inflammationes & conuulsiones afferunt: ergo simplicioribus, etiam Paulo admonente, insessionibus pessulisque vtemur, velut ad vlcera superius memorata. Prodest etiam tetrapharmacum dilutum. Ad rhagades quoque vtitur Aetius hedricis medicamentis, præcipue iis, quæ e pompholyge, stibio, & plumbo vsto conficiuntur Asclepiadæ. At nos etiam hoc vti poterimus: ℞ *vnguenti pompholygos* ℥ j. *aluminis* ʒ j. *misce.* Si saniosa, abluuntur a quibusdam sero lactis, deinde tetrapharmaco dissoluto in rosaceo illinuntur. Postea vtuntur medicamentis consolidantibus, quæ parantur ex lithargyrio. Si fiant ab humoribus acribus, purgandæ sunt medicamentis præscriptis ad fluorem muliebrem a bile, & optima victus ratione acrimoniam temperare oportet, & illas humectare cibo & potu; atque illos fructus edere, qui acrimoniam humorum frangunt, vt pira, poma, iuscula cum lactucis. Supra partem vnguentum resiccans, vt in vlceribus, applicandum, quale iam diximus. Dum curantur abstineant a coitu, & pars diligentissime obtegatur, ne ab aere frigido lædatur. Callosæ egent mollientibus, œsopo, radice lilii, terebinthina, admista parte iridis Florentinæ; tum veniendum ad ea topica, quæ scripsimus Obseruat. 10. lib. 23. De ani affectibus, & in Scholio eiusdem Obseruationis. Vide plurima remedia etiam ad rhagades callosas apud Paulum & Aetium locis citatis. Si cancri suspicio sit, valent & illa paulo ante descripta ad cancrosos vteri affectus; & diapomphol. cum cerato liquido rosaceo.

3 *Prognostica.* *Curatio.* 4

OBSERVATIO LIII.

De condylomatibus vteri.

1

Condylomata (*de quibus etiam diximus Obseru. 8. & Scholio eiusdem, lib. 23.*) sunt velut hyposarcoses, quæ in collo vteri, etiam in sede fluunt, post aliquam vlcerationem, vel inflammationem; *quemadmodum & Aetius lib. 16. cap. 108. ex Aspasia annotauit.* Condyloma, inquit, est rugæ excrescentia: rugæ enim circa os vteri exsistentes, dum inflammationem patiuntur, incuruantur & indurantur, & euersionem quandam & crassitudinem in locis efficiunt, præcipue vero in mensium excretionibus, & post partium turbulentias attolluntur, facileque tactu noscuntur. Eiusmodi excrescentias duplicatas & complicatas in vuluæ labiis, versus collum vteri, mulier quædã patiebatur. Cum autem caro esset fungosa, & vrticis marinis similis, adhiberi iussi fomenta exsiccantia &

astringentia ex decocto gallarum, aluminis, & malicorii. Memini me quoque felicissime vsum fuisse vnguento Ægyptiaco & Apostolorum, vt arroderentur & detergerentur. Aliquando etiam sumsi sublimatum in aqua ros. vel puluerem præcipitatum cum decocto plantag. infundendo elychnia, & pannum lineum in ea decoctione, & supra partem adhibendo. Aetius recte iubet, vt fomenta astringentia adhibeantur; & eiusdem facultatis suppositoria applicentur, quæ supra ad sedis condylomata memorauimus; maxime, quod e malicorio & butyro, aut quod e lycio Indico, & œsypo conficitur.

2

SCHOLIA.

3

Dictum est prius, quod in vtero fiant rhagades & condylomata, modo simul, modo seorsim. Curantur vero primum condylomata, dein de scissuræ, si simul fiant, vt fiunt magna ex parte. Imo scissuræ veteres, seu rhagades, aliquando in condylomata degenerant: quod vbi contigerit, exscindere iubet Paulus, atq; ad cicatricem duci. Cum enim condyloma sit hyposarcosis, siue carnis additio, ablationem sui indicat, tanquam aliquid redundans a toto genere præter naturam. Sed quia condylomata sunt in vna tantum parte, veluti verrucæ pendentes, filo ligantur, & sic alimento destitutæ decedũt, vel abscindũtur nouacula. Sanguis sinendus est aliqua parte fluere, vt pars leuetur sanguine crasso attracto, ex quo fiunt condylomata. Cum autem fiunt in circulo ani, (*de quibus antea dictum est*) vel in circuitu ani totius, eminentiora & maiora sunt auferenda chirurgia: minora vero, si ferre possunt, medicamentis facile resiccantibus, cum quadam astrictione. Vel si hæc non proficiant, arrodentibus sunt auferenda, vt emplastro diachalcitidis dissoluto in oleo rosaceo, reduplicata quantitate chalcitidis. Pulueres autem videntur magis conuenire ad exsiccationem, qui parantur ex resiccantibus, arrodentibus, constringentibus; quia hæc caro flaccida exsiccanda & constringenda est. Quod si dura esset, & ad naturam durarum verrucarum accederet, abscissione est potius curanda, vel emollientibus; & postea detergentibus exsiccanda, vt facere solemus in scirrho. Sed magna ex parte caro illa est fungosa. Ideo pulueres actu sicci & facultate meliores sunt. Vt: ℞ *salmæ exsiccatæ, & tenuiss. puluerisatæ* ℥ *j. hermodact. vstorum & myrtill. vstorum, ana* ʒ *iij. chalcitid. aluminis, ana* ʒ *ij. auripigm. rubri* ʒ *j. reducantur in tenuissimum puluerem, qui supra partem adhibeatur.* His pulueribus nonnunquam vtile est, vt in collyriis, admiscere parum rad. mandrag. aut opii, ob sensum partis, quæ medicamenta exsiccantia cum morsu aut arrodentia difficile fert. Laudat & hic Rondeletius, vbi magna copia sanguinis apparet, prius mittere sanguinem e brachio, deinde e poplite; aut cucurbitulas in coxis, vel natibus applicare, cum profunda scarificatione in natibus, & leui in coxis, ad sanguinis deriuationem, in ea parte redundantis. Ait quoque vomitum esse conuenientissimum, & purgationem leuem, aut lenitionem

4

ventris. Huc etiam pertinent scirrhomata miliacea vteri, *ex Aetio 16. libro cap. 110.* pudendo innata, quæ tactui occurrunt, vel certius speculo deprehenduntur, solentq; Veneris præcipue confricatu menses & conceptum intercipere. In his aluus primo purganda, deinde linteolo locus abstergendus, & ex carne caricarum pinguium & alumine scissili imponenda, vel pessus ex alumine & felle, aut medicamenta maturandis discutiendisq; panis idonea illinenda: collutionesq; ex aqua mulsa, aut quopiam aromatum decocto, faciendæ. Iam quoque in pudendo & vteri ore (*eodem auctore cap. 111.*) scabiosæ pustulæ exoriuntur furfuraceas squamulas emittentes, pruritumque inferentes, & calidæ aquæ perfusione gaudentes: aduersus quas aluum asinino lacte purgare, a cœna vomere, in balneo sudare, aquam calidam ingredi, vino cum nitro calfacto, & post vinum, aqua calida collui oportet, locisque licium Indicum; aut amurcam, aut butyrum cum sulphure, aut ceratum myrtinum cum spuma argenti, aut alumen rotundum cum melle, aut malicorium cum myrtino oleo & melle, illinere. Squamas autem & formicas exterit cyclamini radix cum melle illita. Ceterum ab omni acri, salso, acido, in alimentis cauendum.

5 *Scirrhomata miliacea.*

Scabiosæ pustulæ vteri.

OBSERVATIO LIV.

De sycosi vteri.

Diximus *libro vigesimotertio, Obseruatio. 9. de sycosi & thymis.* Iis rustica mulier in pudendo laborabat ex lue Venerea: quamuis etiam eiusmodi excrescentiæ etiam sine ista lue contingere possint: quemadmodum euenit matronæ nobilissimæ, quæ ficus nonnullas habebat in orificio exteriori ipsius vuluæ, cum intensissimo dolore, ita vt quiescere non posset. Huic consului, quo ab hoc fœdo malo liberaretur, cum non esset grauida, vt ex talo vena secaretur; vt ita sanguis fœcalis, etiam digesto humore melancholico, deinde ater ille humor, expurgaretur. Venit mihi in mentem historia Guainerii, qui ita mulierem, post vniuersalia remedia, curauit: Capiebat picem Hispanicam, & puluerisabat in terreo vase, supra quidem latidum ignitum inflammatumque guttatim stillare fecit, vt sic pix liquefacta in formam vnguenti coiret: eo oblinebat vteri hæmorrhoides, & ficus, ac dolorem sedabat. Modo accipiebat butyrum recens, & in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo ad formam vnguenti cogebat, eoque mirabiliter dolorem sedabat; etiam apposito succo herbæ Sancti Petri dictæ. Et vbi ardor insignis esset cum dolore, hoc vnguento commode vtebatur: ℞ *vnguent. popul.* ℥ *iij. croci* ʒ *ij. opii* ʒ *j. vitellum vnius oui recentis*: incorporentur simul & locus affectus inungatur. Magna admiratione dolorem sedat. Consului, vt hæc matrona iisdem remediis vteretur.

1

SCHOLIA.

Gvainerius *in Commentariolo suo De ægritudinibus matricis,* sub vno cap. nempe 12. tracta. de hæmor-

2

hæmorrhoidibus matricis, moris, & ficis, clauis, siue verrucis, & carne addita. Alii de his seorsim tractant. Huc etiam pertinent thymi, excrescentiæ turgidæ, *de quibus diximus Sholio Obseruatio 9. libro vigesimotertio*, a corymborum montanæ herbæ similitudine sic dictæ sunt, *vt etiam refert Aetius libro decimoquarto, capite quarto*. De thymis, sycosi, formicis, verrucis, clauis, reliquisque eminentiis ani, quæ etiam in pudendo mulierum fiunt. Quibus autem a se inuicem differant, *iam diximus Scholio Obseruatione 9. lib. 23.* vt non opus sit eadem repetere. Ibi etiam de curatione harum eminentiarum egimus. Reliqua vide apud Aetium loco citato qui curationem longo sermone prosequitur. Ceterum quod ad præsens negotium attinet, moros seu ficus, ex fœcali sanguine ad hæmorrhoides etiam vteri Guainerius refert; & etiam verrucales ex melancholico humore; vesicales vero & vuales, etiamsi in ano apparuerint, ex phlegmate vel sanguine pituroso fieri vult. Carnem autem additam ex successione vlcerum rhagadiarum. Refert, excrescentias tales modo in profundo, modo in collo vteri seu orificio, originem sumere. Profundæ vero nec comprehenduntur, nec curantur: attamen cognoscuntur apparentes, vel tactu vel visu; honestius ex relatu infirmæ. Verrucæ difficulter, aut nunquam, iuxta eundem, sanantur. Ceteræ curationem recipiunt, & magis si ex retentione menstruorum fiant, sanguine melancholico emanante. Aliquæ serico filo ligatæ decidunt. Inungantur eæ oleo seminis lini ex nucleis persicorum; & pul. pineæ combustæ inspergatur, & cortex querc. spongia, aristolochia rotunda æquis partibus in olla furno imposita exsiccentur, ac puluere tali locus affectus cum melle inungatur, puluere super asperso, vel hic, qui fortior exsistit: *℞ foliorum vitis, fistis, & ficuum immaturarum, ana m. j. viridis æris ʒ j. simul ponantur in olla ad furnum, & fiat pul. quo locus oleo de semine lini perunctus aspergatur.* Succus thapsi barbati cum oleo de semine lini istas verrucales excrescentias egregie curat. At Aetius *capit. proprio De hæmorrhoidibus vteri, ex Aspasia, lib. 16. cap. 99. Hæmorrhoides*, inquit, *quandoque in ore vteri, quandoque in collo, quandoque in ipso vase, nonnunquam etiam, licet raro, in pudendo contingunt; quæ quidem interdum tactu, melius tamen speculo deprehenduntur; eademque omnino accidentia inferunt, quæ reliquæ in sede euenientes inferre solent; ac præterea sterilitatem, lumborumque grauitatem purgationis tempore inducunt.* Varicosas igitur & maleficas prætermittere oportet: reliquas non aliter curabis, quam quæ in sede oriuntur: duras quidem & modicum cruorem emittentes, neque vasis annexas, confestim amputando. Quæ vero cruorem affatim fundunt, eas circa basin orbiculatim scarificabimus, deinde volsella suspendemus, scarificationique nodum innectentes constringemus; quas postea paulatim extensas amputabimus; atque inde antherum medicamentum aridum applicabimus. Quod si absque chirurgico opere malueris hæmorrhoidas arefacere & excæcare, huiusmodi arida appones: spodium, ros. siccas terito, & inspergito: vel acaciam cum vino austero subactam, vel Lemnium sigillum cum aceto illinito. Si plura desideres remedia, eundem consulito. Idem capit. sequenti facit mentionem de calculo vteri. Sed quomodo is extrahatur, potius ad chirurgiam spectat. De thymis & formicis vteri, & de verrucis, quomodo tales excrescentiæ cum chirurgia & sine chirurgia curentur & de nymphotomia, & cauda vteri, quæ similiter ad chirurgiam spectant; vide apud eundem Aetium libr. 16. cap. 105. 106. & 107.

Thymi, sycosis, seu ficus, formicæ, verrucæ, claui.

Rita.

Curatio.

Hæmorrhoides vteri ex Aetio.

Calculus vteri.

Observatio LV.

De vtero imperforato.

Qvædam a natiuitate (inquit Aetius libro 16. capite 98.) imperforatum vuluæ meatum habent, idque tripliciter contingit. Quibusdam enim extrinseca figura solida validaque membrana, vel carne agnata conglutinatur; aliis sinus ipse; aliis vteri os obstruitur. Hanc membranam ipse specillo dissecat, donec figuram ad naturalem dimensionem duxerit, postea linamentis, quæ ex diuulsi linteoli filis conficiuntur, sectionem replet & apte deligat; tum curationem puri generando idoneam, & cataplasmata aliquot diebus adhibet; & reliquam curationem aptis medicamentis absoluit, vt loco citato videre poteris: mulierem interea supinam, puluinar intra femora habentem, vsque ad cicatricem inductam, seruat. Si in sinu sit caro innata, quomodo ea manu chirurgi curari debeat, ibidem docet. Sic filiola illius obstetricis Quirinæ dictæ Alcmarianæ, cum naturalibus fœminarum clausis nata erat: quæ septem annos cum nata esset, mater pro re monstrosa id mihi ostendit. Pinnacula autem sibi cohærebant, & erat parua rima, per quam lotium reddebat. & videbatur tantum membrana coaluisse, quæ facile incidi poterat. Consului, vt ensiculo acuto & paruo aperturam faceret; deinde, quæ ad cruenta valerent medicamenta adhiberet. Mater tamen medicastra & obstetrix eo tempore non ausa fuit incisionem tentare. Sed tandem post aliquot annos filiolæ suæ miserta, incisionem fecit, & filiam viro aptam reddidit: vti postea Delphis Alcmariam redeunti mihi narrauit, insignes quoque gratias agens, quod incisionem eidem commendaueram. Cum autem hæc puella ad me veniret, memini ilico puellæ illius, quæ naturalibus quoque clausis incisione a Beniuenio curata fuit, *vt habetur capite vigesimooctauo De abditis caussis morborum*: e qua, membrana incisa, statim tanta tam ingenti impetu nigrior materia profluxit, vt grande lumen, quod tunc minister admouerat, exstinxerit. Nam menses intus retenti fuerant, fuitque dextre ab eo curata. Hæc autem natu maior erat, quam nostra puella.

Scholia.

Tales e Moschione dicuntur Atretę. Fit tribus modis pinnaculis sibi cohærentibus: vel, ipsis

ἄτρηται.

patentibus, in medio sinu muliebri pulpa vel membrana innascitur: vel etiam sinu patente, orificium vteri clauditur. Vbi pinnacula cohærent, ad tria officia mulieres impediuntur; ad vsum Veneris, purgationem, & conceptum: si in medio sit clausura, communicationem viri & conceptum; siquidem menstrua liquari possunt per cauernam, qua etiam vrina concluditur: si orificium fuerit clausum, non purgantur, nec concipiunt, virum tamen sustinent: si vero cauerna, conceptus fit, partus tamen denegatur. Secundum eundem, clauditur & feruore; aliquando cicatrice, præcedente scilicet vulnere, aut durissimo callo. Dicitur & phymos, vel phymosis *iuxta Æginetam lib.3. cap.73.* Muliebrium locorum clausura; quæ etiam in pene fieri potest, *vt alias diximus*: cuius, & exemplum apud Amatum habes *curat. 24. cent. 1.* de quodam cui glans penis non erat a natiuitate perforata, sed circa testes foramen, per quot vrinam reddebat. Iam & ano clausa natos quosdam Beniuenius refert. Ita quandoque vitia quædam hominibus connascuntur, quæ arte subinde corrigi queunt: vt in hac puella, tum illa muliere apud Beniuenium euenit. Quandoque tamen corrigi nequeunt, vnde Paulus loco citato: Loci muliebres circa ipsorum os clauduntur, vel ex præcedente exulceratione, vel durata illis inflammatione. Curabuntur tunc insessibus, qui emolliant, ex hydrelæo, & fœnugræc. decocto, consimilibusque cataplasmatis & pessulis. Porro si malum inueterauerit, suffimentis vaporibusque aromatum vtendum erit. Iam vero soluit etiam hoc vitii, si nihil aliud sit, quam vuluæ ostioli astrictio, pessulus ex hyssopo, nitro, resina & therebinthina. At si pinnacula sint clausa, vel membranæ, facile curari possunt, vt in priori puella. Membrana enim facile tollitur & aperitur incisione, & sanguinis meatum non habet, nec aliquando renasci potest. Sed durissimæ pulpæ cum ingenti difficultate præciduntur, moleste sanguinant; & si non sollicite fuerint curatæ, cito renasci possunt. Harum curationem vide chirurgicam per incisionem apud eundem, & Aetium loco citato. Quemadmodum fit clausura vteri, vel vuluæ quoq; nimia arctitudo: ita fit & nimius hiatus ostii vteri. Et quæcunq; ad hiatum vteri commendantur, eadem valent ad violatas ne cognoscantur: quale est per clysma ex Prisciano, alumen scissum, galla cum vino & ammeo trita ac decocta. Vel si eadem trita feruefeceris, suffitu mentiri virginitatem efficit, *vt docet Galenus*. Alii corticem mali Punici in vino nigro austero decoquunt, alumen quoq; adiiciunt, & lar[illegible]pe ssimodo indunt. Sic Erotis cap. 35. De modo coarctandi matricem. Nisi de restrictione amplitudinis vuluæ propter honestam caussam liceret tractare, nullam de ea mentionem faceremus: sed cum per hanc impediatur aliquando conceptio, necesse est tali impedimento subuenire hoc modo: ℞ *sang. drac. bol. armen. corticis mali granati, aluminis, masticheś, gallarum ana* ℥ j. *in pul. redige, & omnia simul in aqua calfacta conficiantur; & de hac cōfectione pone in matricē.* Vel hæc, aut similia coquantur in aqua pluuiali, & hac decoctione pudenda fomententur. At quib. modis virginitas cognoscatur, lege Gilbertum Anglicum. Virginum quoque probatio habetur in libro matricis, ex lapatho trito carbonibus iniecto & suffumigato: si se comminxerit, virgo est.

Vteri clausura seu phymos.

Curatio.

Ex Moschione, in parte Harmoniæ posteriori, cap. 15.

Hiatus ostii vteri.

Ad virginitatem post stuprū mentienda.

Observatio LVI.

De puella ab hernia inguinali curata, si nupserit, num sterilis sit futura, per modum Consulationis.

QVæritur a me, nunquid puella 22. annorum nubilis, statura mediocri, bona habitudine, quam tamen non viderim, si nupserit, sterilis sit futura, ob herniam inguinalem probe tamen curatam? Et, si non sit futura sterilis, nunquid etiam ob eam caussam in partu periclitatura sit? Omissis aliis caussis sterilitatis, tam viri, quam mulieris, pro hoc tempore, quæ si abfuerint, quantum ad herniam curatam, videtur mihi, quod ob eam caussam solam non erit sterilis: quia illa incisio non peruenit ad matricem, aut collum eius, nec ad membra generationi deputata; vt constat ex Aetio, lib. 16. cap. 103. de inguinalis ramicis curatione per chirurgiam. Ideo cum membra iam dicta in tali operatione non læduntur, nihil obstat, quin concipere poterit: & cum cicatrix in puella trium annorum cum ab hernia curaretur, iam dudum coaluerit, & recte sit curata, non rumpetur. & per consequens, vbi conceperit ob hoc non periclitabitur in partu. Non tantum ratione id constat, sed etiam experientia; cum tales mulieres & proles conceperint, retinuerint & feliciter sine periculo pepererint. Id multis herniosis contigisse, non solum nos nouimus, sed & mecum vidit Nannius me senior, Medicus ille insignis quondam apud Amsterdamenses, mihi quoque intimus & familiaris. Et, quod magis admiratu dignum est, nouimus nos mulierem quandam Alcmarianam a fratre transfossam per ventrem paulo supra vmbilicum, vt totum ventrem cultro aperuerit, adeo, vt intestina per vulnus propenderent, factaque per chirurgos maiori incisione, vt viderent num intestina essent læsa, iisque recte repositis in locum, quæ quidem virago ipsa conspiciebat; eandem, inquam, recte conualuisse, & post annos aliquot viro nuptam, & tertio anno filiam quoque peperisse; nec ea in partu periclitata est: quanquam hæc quasi virago post filiam illam non amplius conceperit. Hæc igitur caussa de qua quæritur, conceptionem non impediet, neque periculum etiam in partu adferet. Quamobrem me puto huius viri doctissimi ac consularis, qui hanc quæstionem mihi proposuit, postulatis puellæ nomine satisfecisse. Faxit Deus Opt. Max. vt illa ipsa mater fiat multarum prolium, tam ad corporis, quam animæ salutem. Delphis, ex nostro Museo, anno 1558. 19. die Aprilis.

Petrus Forestus Medicus ita sentiebat.

Scholia.

FOEmina (*inquit Galenus*) mare imperfectior est, quoniam & frigidior: etsi interea partes genitales cum venis & arteriis omnibus, perquam similes

similes esse videantur, ea videlicet dundaxat differentia, quod hæ intus illæ foras promineant. Nulla sane prorsus in viris pars est, quæ in seminis eadem per resectionem non videatur: verum imperfectiora omnia membra exsistunt, minusq; calida. Et quamuis mas & fœmina principium conferant generationis: tamen initio generationis, sicut maribus contingit, non prodiere partes ipsæ mulieri, virtutis imbecillitate. Sed expedit vniuerso, imperfectum cum imperfectiori copuletur, ex quibus alii progenerarentur. Ita a summo Creatore constitutum est. Nam si fœmella natura calidior esset, maris semen protinus feruor absumeret: quod in bonum propterea cessisse videtur, ad generis humani propagationẽ. Et quia membrum id intus collocatum est, ob eam rationem & testiculos habent & minores & frigidiores; vnde semen frigidius ac humidius prouenit, ac pariter imperfectius. Sed matricis situs intus est cauus, vt semen virile suscipiat, atq; contineat: propterea in viris colis figura oblonga est, vt semen longius emittat; quod crassum & calidum esse constat. Hinc duo motuum principia cernuntur: nec tamen alterum sine altero, hoc est, maris semine efficere potest; sed ea pariter misceri atq; confundi necesse est: etsi de cetero agere, donec animal perficiatur, tum sanguine menstruo opus est, ad conceptus nutritionem. Fœmininum semen per se perficere semen nequit, & ex ambob. motibus, vnus exsultat communicans motus. Est hoc (inquit idem autor) in gallinaceis conspicuum: concipiunt enim oua, quæ hypneumia dicuntur, hoc est, subuentanea, vel Zephyrina inania oua, sine galli semine orta, quæ fœtum nunquam excludunt, sed incubatu corrumpuntur ocyus: album enim ac luteum ex fœmella habetur: deest tantũ gallinacei seminis calidioris perficiens virtus. Ex albo pulli membra constituuntur; ex luteo, quo perficitur animal donec excludatur, alimentum capit. Sic in muliere conceptus mensium facultate, donec in lucem edatur, nutritur. Nã & quas molas vocant *de quib. postea* in fœminis carnis frustra inertis naturæ informia, ouis subuentaneis similes esse putant: ad id vsq; adeo procedere fœmininum semen volunt. Quod natura, si fieri potuisset, maxime optasset suum opificium esse immortale, nemini in dubium venit: verum cum per materiam non liceret (*nam quod ex arteriis, venis, neruis, & ossibus, ac præterea carne est compositum, incorruptibile id esse non potest*) subsidium quod potuit ipsi ad immortalitatem est fabricata. Propterea mirabilem quandam rationem inuenit, quomodo in demortui animalis locum, nouum aliud sufficeret, quo nullum animalis genus pereat, sed incolume semper sit, & quasi immortale. Qua de re omnibus animalibus concipiendi instrumenta natura instituit; ad generis, inquam, instaurationem. Hæc cum communia sint, cum viris, tum mulieribus; ea propter, eisdem quandoq; oblæsis, contingit, aut viri, aut mulieris, aut vtriusq; ratione, conceptionis impedimentis; quod quidem sterilitas appellatur. Nam nihil aliud est sterilitas, quam priuatio conceptionis, tempore potissimum quo eandem perficere deberet. Pars igitur genitalium, tum etiam membrorum generantium, tam in viris quam mulieribus hic affecta esse potest. Sic etiam in muliere vterus afficitur tamquam concipiendi instrumentum: quod ex eiusdem vteri propriæ actionis seu vsus læsione cognoscitur: ita quoque vt si partes genitales virorum generationi deputatæ fuerint oblæsæ. Et sic affectus præter naturam sterilitas est symptoma in genere noxæ functionum ablatarum, vel in membris generationis virorum, aut mulierum, aut vtriusq;. Et sic omnino abolita est propria ipsius vteri tanquam instrumenti actio; concipiendi, inquam. Atqui cum sterilis est, non concipit eo tempore, quo concipere debet. Ita quoq; sentiendum de membris viri generationi deputatis, si eorum actio fuerit læsa & abolita. Cum & plures huius affectionis caussæ esse possint, *teste Aristotele 2. De generat. animal. cap. 5.* Nam & a primo ortu naturæ locis ad coitum commodis oblęsis, & mulieres & viri redduntur, vt alteræ non pubescant, alteri non barbescant. Aliis in processu ætatis idem accidit affectus, aut propter corporis nutricationem pleniorem, aut ex morbo. Viris humidum, frigidumque emittitur semen, mulieribus purgationes vitiantur. Sic & Aetius *lib. 16. cap. 26.* Sterilitas aut viri, aut mulieris, aut vtriusque ratione contingit. A viro quidem est, cum semen eius vel feruidum, & veluti torrefactum, vel frigidum, vel tenue, aquosum, languidum, quale decrepitorum est, vel crassius quam oportet, emittitur; vel quod viri semispadones sint, penemque breuissimum habeant, vt in vuluæ recessum semen iaculari nequeant. Quod etiam interdum nimia obesitate contingit: tales enim adeo ventricosi euadunt, vt seminis iaculatio ad profundiores vteri partes impediatur. Iam & qui immodico pene longissimoque procreati sunt infœcundiores esse traduntur; *teste quoque Aristot.* Ceteris quibus mediocris, propterea quod semen frigidum infœcundum est: refrigeratur autem, quod longe admodum fertur. Sic etiam Paulus *lib. 3. cap. 74.* Neque pingues liberis procreandis sunt idonei, eo quod genitalibus mutuo se contingere haud possint commode, tum quod momentum seminis emittunt. Neque tamen nimis extenuati liberis operam dare feliciter queunt. Ita ex Cleopatra & Moschione: *Masculi valetudinarii, partes conceptui necessarias impeditas habentes non concipiunt; neque frigidi, quibus semen exstinguitur; nec nimium calidi, aut luxuria ac frequentiore Venere eneruati, & sine viribus, ac ebriosi.* Erotis quoque: *Semen viri nimis tenue infusum matrici, liquiditate sua, inquit, foras labitur: & viri testiculos habentes frigidos, raro aut nunquam generant. Ita & spado factus & testiculis carens, non generat.* Et sic caussæ internæ sterilitatem inferunt, testes vitiosi, aut colis vitium, testium abscessus, & simile quid; vlcus, calculi renũ vel vesicæ extracti, & inde natum vlcus, colis longitudo, breuitas, foraminis obliquitas, penis mollities, cõuulsio, vlcus, verru-

Sterilitas quid. — 6 *Pars affecta.* — *Quis affectus præter naturã sit sterilitas.* — *Caussæ secundum Aristot.* — 7. *Caussa cur viri & mulieres nõ generant.* — *Caussæ sterilitatis viri.*

ca in meatu virgæ, vt semen eiaculari non possit, qualis a me curatus fuit, vt superius dictum est. Sic quoq; noui pistorem, cui penis a natura adeo breuis, vt pollicem non excederet, nunquam is genuit. Tumores itaque præter naturam & penis & testium sterilitatem quandoq; adferunt. Sed inter omnia membra, cerebri infirmitas, iecorisque, aut renum, sterilitatem adfert, & quibus post aures venæ persectæ fuerint, vesica tum aliis membris communicatione læsis non generant, & qui caphuram quoque ebibunt, aut hyoscyamo cicutaue testes illitos habent, sterilescunt. Ita & virile semẽ, si nimium vitiatum fuerit, mulieris temperamentum corrumpit. Nam vtriusque sexus nimia distemperantia conceptum inhibet: qui si forte disiungantur, copulata quadam cum aliis naturæ germanitate, prolem facile suscipiunt. Fœcunditatis primariam prærogatiuam possidet naturæ æqualitas & temperamentum. Senectus quoque modo non generat, quod & sexagesimo anno plerumque contingit. Tempestate tamen nostra, *inquit Benedictus Veronensis, libro vigesimo quinto, capito vndecimo,* quidam Germanus nonagenarius prolem suscepit ex casta coniuge, quem vidimus. Eadem de Masinissa accepimus. Glaciales aquæ gelidæ conceptum inhibent, *auctore Aristotele.* Sic caussæ externæ multæ, aerque frigidus, aut calidus impense, exercitium vehemens, animique affectus, mœrores, gaudium, coitus superfluus, tum aquæ potus, ac alia innumera aliquo modo sterilitatem inferre possunt, vt latius apud Medicos tum veteres, tum neotericos, videre liceat. Sed nunc præcipuas caussas adferamus, quæ peculiariter ad mulieres pertinent. *Mulier* (inquit Aetius loco citato) *sua ipsius ratione non concipit, quod vterum habeat vel calidum & igneum, vel frigidum & humidum, vel squalentem & aridum, vel carnosum & pinguem, vel excarnatum & gracilem, vel debilem, vel angustum, vel breuem, aut quod vasa eius clausa obstructaque sint, aut cicatricis superuentu excœcata: aut quod membranæ ostium vteri obstruentes nullum foramen relinquant, aut quod eiusdem vteri ceruix in obliquum ducatur, aut quod ostium sit vel nimis angustum, vel nimis amplum,* aut quod quispiam alius affectus eorum, de quibus superius diximus, & qui infra dicuntur ab ipso Aetio vuluam impediat. Sed & inuiti concubitus inanes ac steriles sunt: amor enim genituram conciliat: ideo fœminæ amantes creberrime pariunt. Noui nihilominus aliquas per vim stupratas, semel tantum coeuntes, prima vice inuitas concepisse. Sic Cleopatra: *Corpus habentes siccum, & tenues exsistentes, ac macilentæ, & phthisicæ, & contra pingues, crassæ & iracundæ, furiosæ, non concipiunt*: partibus autem mulieres impediuntur, quoties non purgantur, aut orificium matricis obductum habent, vel contortum, aut membrana, vel aliqua re aliena clausum, aut callositatem, aut duritiem, aut vulnus, aut si in communicatione viri semen non emittunt. Erotis quoque inquit: *Habentes matricem leuem & lubricam, semen receptum non retinent: suffocat quoque semen viri aliquando sua humiditate.* Verum enimuero in ipsis mulieribus nonnullæ ipsius vteri præter naturam dispositiones possunt esse caussæ sterilitatis, & præsertim eiusdem intemperaturæ, quemadmodum & ab Hippocrate & Galeno aphoris. 62. 5. libr. scriptum est. Namque bene temperati vteri ad conceptionem sunt idonei: male autem temperati si parum a bonitate recedant, difficulter concipiunt: si vero nimium, mulieres steriles fiunt, & proinde mulieres esse fœcundas sine ambabus bonis temperaturis est impossibile, *vt inquit Galenus in Comment.* Appello ambas bonas temperaturas, mediocres scilicet, tum ex calidi & frigidi, tum etiam ex humidi & sicci commixtione, cum fieri possit, vt secundum vnam oppositionem bene temperatus sit vterus, secundum alteram vero male: propterea Hippocrates dicebat: Quæcunque vero ex vtrisque mediocrem habent temperaturam, eæ fœcundæ sunt. Nam ne mulier concipiat, potest altera efficere intemperatura, vt inquit Galenus, modo nimium a bonitate recedat. Hæc enim vbi frigida fuerit immodice, adeo quod ex eo vterus spissior efficiatur, sterilitatem efficit. Nam angusta quidem erunt supra modum ora vasorum, quæ ad ipsum pertingunt vterum, adeo vt neque secundæ possint adnasci ad iam dicta ora vasorum: neque si hoc fiat aliquando, potest bene nutriri conceptus, cum vel nullo modo fiant hisce mulieribus purgationes, vel omnino paucæ, & eæ ipsæ vitiosæ, solo tenuiore ac aquosiore sanguine perlabente. His item eadem ora facile obstruuntur, & propter natiuam angustiam, & quoniam magna ex parte hæ mulieres humorem aggregant pituitosum, siquidem corpus totum fere est vtero simile. Ad hæc in talibus vteris contingit etiam maris semen refrigerari, nisi natura sit calidissimum. His itaque de caussis vteri nimia frigiditas conceptionem omnino impedit, ac mulieres steriles facit. Ex nimia quoque humiditate vteri mulieres non concipiunt, vt paulo ante dictum est, cum genitura in his exstinguatur, quemadmodum in terra palustri cerealia semina ex Galeni testimonio præcitato aphorismo: calida quoque, veluti calidæ terræ, si semina committantur, vt in æstibus sub cane, iuxta eundem. Item sicciores vteri non concipiunt: nam in ipsis tale quid accidit, quale vbi aut arenæ, aut argillosæ terræ, aut petrosæ mandantur semina, *eodem Galeno teste.* Pingues nec macilentæ concipiunt. Accidit quoque ex vitiosorum humorum abundantia, quod mulier non concipit, ob cicatricem inductam si vasa fuerint excœcata, ob vlcera membranam osculum vteri obturantem, vel eiusdem angustiam, vel amplitudinem, vt dictum est. Si etiam menses mulieri non omnino prodeant, aut pauciores quam debent, aut plures quam oportet, non concipiunt, *ex Hippoc. auctoritate li. de sterilibus.* Flatus quoq; in vtero exsistentes impediunt conceptionem, & assumtum pharmacum, coitus inuiti & inanes. Ætas etiam vel iunior, vel prouectior conceptum intercipit. Propterea nunc primum

Margin notes: 8; 9; *Caussa sterilitatis mulieris.*; *Erotis*; 10; *Ex Hip. & Gal. caussa sterilitatis.*; 11

primum pubescentes a Venere arcere oportet, ita vt vir trigesimum annum, mulier decimum octauum attingat. Præcipue vero inepta mulieris forma sterilitati occasionem præstat. Fœcunda enim mulier habere debet proceritatem corporis moderatam, lumborum & suminis latitudinem, nates eminentes, commodam alui molem, pectus angustum, mammillas amplas, eiusmodi mulieres fœcundæ. His vero oppositæ steriliores sunt. Potest quidem, præter enumeratas caussas, alia quæpiam magis recondita superesse, sed totidem fere sunt quæ noscuntur. Et sic mulier infœcunda est propter affectus eosdem vteri præter naturam, tum seminis sui, tum testiculorum in vltimis cornibus sitorum: si semen sit calidius, frigidius siccius, humidius, ob similem corporis totius & partium principum, & potissimum testiculorum. Sic & virago, mulier barbata, audax, virilis, voce graui, infœcunda est: quia calor multus sanguinem dissipat. Meretrices, quibus attritu multo partes sunt callosæ, non concipiunt, vel raro, cum & lubricæ sint partes, vnde vasa spermatica infirma fiunt. Omnes vteri affectus superius descripti, phlegmone, erysipelas, vlcus, abscessus, cancer, vteri procidentia scirrhus, fluores muliebres, & alia antedicta conceptionem impediunt, & semen viri ac mulieris diuerso tempore emissum. Intempestiuus etiam congressus caussa sterilitatis est, cum conceptionis tempus sit, vel incipientibus vel cessantibus menstruis. Reliquo autem alio tempore toto expurgationis, licet aperta fuerint vteri venarum ora, non tamen tunc concipere mulier vllo modo potest, cum semen nequeat in vulua remanere, sed ab influentis sanguinis copia eluatur. Cessantibus autem, vel incipientibus mensibus, & ora aperta sunt, & menstruum non multum, neque vniuersum, sed paucum & paulatim effluit, vnde efficitur, vt ob asperitatem vuluæ semen adhæreat, satisq; alimenti ex sanguinis confluentis paucitate habeat, ante etiam quam menses veniant, conceptus fieri propterea non valet, quia & alimento caret semen, & adhærentiam nullam inuenit, cum eo tempore occlusis vasis leuis vulua relinquatur: defluit itaque semen, neque vniri cum tunica eius potest: siquidem aspera magis idonea sunt quam leuia ad coalescendum, ex sententia Galen. lib. de dissectione vteri, vt etiam a Donato citatur. Nam si leues fuerint vteri, mulier in ventre non concipit, quoniam licet genituram suscipiant, foras tamen emittunt, vt testatur Hippocr. *eodem lib. de sterilibus.*

Observatio LVII.

Num vir aut mulier sterilis sit, per modum Consultationis.

Cum variæ sint caussæ, vir nobilissime difficultatis impregnationis, vel sterilitatis, quæris ex me, eo quod ab vxore tua generosa prolem non suscipias, quamuis ipse ante coniugium proles ex concubinis susceperis, nunquid caussa hæc ad te vel vxorem sit referenda. Intellexi autem ex te, coniugem tuam nobilissimam multum iam pridem vteri fluori, seu muliebri, fuisse obnoxiam, etiam aliquot annis, ita vt illa ipsa, doctissimorum Medicorum consiliis, thermas naturales accesserit, licet nondum aliquid commodi ex iis acceperit. Ego tamen ex vsu aquæ Porretanæ, nobilem Matronam Bononiensem ex consilio Elidei præceptoris mei carissimi, ob humidum vterum sterilem exsistentem, noui tandem concepisse. Ideo verisimile mihi videtur, quod ob phlegmaticas humiditates matricis (vt magna ex parte fieri solet) vxor tua carissima non concipiat, & quod caussa sterilitatis potius penes Dominam sit, quàm penes te. Nam & humidum vterum habet, in quo genitura facile exstinguitur, multoque magis cum fluore vteri laboret. Hanc autem temperaturam humidam vteri, indicant, teste Paulo Æginetà, in coitu humor destillans tenuius, & copiosum menstruum, multoque magis album profluuium. Ideo ait Benedictus, Medicus Veronensis insignis libr. 25. capit. 12. De sterilitatis & fœcunditatis notis, quod illæ quibus alba profluuia fiunt, raro concipiunt. Et propterea cum generosa tua vxor iis fuerit remediis vsa, quæ ad fluorem muliebrem conferant, nec ab iisdem adhuc probe curata fuerit, in dubium vertitur nunquid ab ea sterilitatis caussa amoueri poterit. Et quia hæ caussæ potissimum impedientes conceptionem valde sint diuturnæ, ideo & curatu difficiles. Mulier enim facile lassatur in sumendis medicamentis, & victus rationem stricte obseruando. Nam iisdem ad minus per annum esset insistendum, & nunc maxime coniux tua tædio medicamentorum affecta est, quia iam variis & multis vsa est remediis, etiam Medicorum excellentium, quæ nihil tamen profecerunt. Attamen iisdem adhuc esset insistendum, si recte curari vellet: nam continuata viget, intercisa vero pereunt. Ideo inprimis fluor ille albus esset curandus. Natura enim humens a mulieris purgatione ac lubrica si fuerit non concipit, nam facile semen excidit. Præterea ante curationem quidam certis experimentis periculum faciunt, num mulier sterilis, sit, necne. Et ita sterilitatis, vt tradunt, indicia deprehenduntur. In olla hordei plena vrina coniicitur, decimo die quod erumpit fœcunditatem arguit. Alii furfures imponunt, & vrinam infundunt, vbi vermes progeniti fuerint, sterilitatem indicant. Mulier pariter circumpositis vestimentis, subditaque fumigatione, si ad nares nidor defertur, fœcunda creditur ab Hippocrate, ob apertas videlicet naturales vias. Nam & virginum futura fœcunditas eodem modo speratur. Verum vt sterilitas amoueri queat, caussa omnium primo auferenda erit, præter ea quæ ad fluorem muliebrem valere scribuntur. Hic itaque & vteri ratio huius nobilissima Dominæ habenda est, & ideo cum eius humiditas caussa sit, quo minus concipiat, aridioribus alimentis (vt Aetius etiam docet) vti oportebit, plurimum exerceri ac perfricari: & euacuationis auersionisque caussa interdum pransam, interdum ieiunam euomere: & cibi parsimonia desiccari, carnesque potius tostas vigentium ætate animalium, quam elixas, ac pisces solidiores comedere vinumque potens, meratius quidem, sed partius bibere. Arida præterea fomenta crebro,

at balnea perquam raro adhibenda sunt. *Qui vero statim a principio desiccantia & adstringentia vtero apponunt, non parum lædunt. Cohibita enim materia ad principes partes recurrit. Sed vbi totum corpus purgatum fuerit, tutius deinceps vero adstringentia & firmantia medicamenta applicabimus. Verum cum & his adsint pituitosi humores, laboribus quidem, vt etiam Paulus suadet, vacuare, sudoribus & vomitu, vel per inferiora, expediet. Et sic materiam pituitosam prius paratam cum decoctis calfacientibus, mox educemus cum diaphœnico, agarico, & similibus, vel pilulis fœtidis, & de agarico, ana ℥ ß. vel cum Indo maiore. Deinde post euacuationes conuenientes, danda erit ℥ j. theriacæ, & conueniunt medicamenta descripta apud Guainerium & Fontanum lib. 3. morb. inter capit. 27. De œdematis vteri curatione. Quæ valde calfaciunt, & potißimum quæ exsiccant, egregie his conueniunt. Nam & Paulus ex medicamentis epithymum, euphorbium quoque, piper, dauci semen, petroselini semen, omnia contrita denarium duum pondere potui dat. Sed modum pro corporis viribus, propter euphorbium, obseruandum putamus, nam humorem alui turbat, & vterum valide calfacit. At medicamentum ex aloe picra satis erit, etiam a Galeno commendatum ad fluorem muliebrem, vel dentur turpeti selecti ℈ ij. ß. sacchar. ℥ ij. redigantur in puluerem, qui iure cicerum rubrorum exceptus appetente diluculo sumatur. Valent & hic, quæ ad hydropem vteri valere Veteres scripserunt. At corpore bene purgato, resiccantia ac astringentia commode vtero applicantur. Huiusmodi sunt, inquit Aetius, lentisci decoctum, item myrti, ros. foliorum rubi, vel tenerorum virgultorum rubi, rhus coriarii, mali punici, florum & gallarum, pillularum cupresi: ex quibus insessus irrigationes, fotus, cataplasmata, iniectiones, pessi formari poterunt. Adhibet idem & mala cotonea similiter palmulis excepta. Ad nimiam quoque vteri humiditatem huiusmodi potiones conueniunt. Myrti baccas, aut malicorium punici dulcis cum vino terito, & exhibeto: aut auellanas nuces vstas, cum vino tritas propinato, ex eodem auctore. Interea vtendum iis, quæ proprie ad conceptionem faciunt, quibus antiqui vtebantur, vt pastinaca erratica foliis, vel semine. Leporis vterum aridum tritum vtrique dari iubet idem Aetius, quin ad vuluæ fluxiones seminisq; incontinentiam cerebrum leporis assum assumunt. Iam & leporum coaguli, ac eiusdem fimi pares portiones ex melle coguntur in pessos. Donatus pro remouenda sterilitate pluribus vti consueuit, potißimum vbi orta sterilitas non fuerit ex immodico vteri calore, id quod perrarißime accidit: quorum primum est. ♃ testiculi apri syluestris exsiccati in vmbra, scobis eboris, ana ℥ j. testiculorum vulpis. ℥ j. ß. matricis & coaguli leporis. ana ℈ ij. semin. melon. ℥ iiij. cum saccharo dissoluto in aqua ros. & melissæ fiant morsuli. Vel ♃ semin. seselios, scobis eboris, & matricis leporis in vmbra exsiccatæ, ana ℥ j. diambræ seu eclegmatis de xyloaloe, ℥ j. ß. cum saccharo in aqua ros. dissoluto figurentur morsuli quibus vtatur mulier cum pauco vino albo, aut aqua melissæ, seu florum citrangulorum, per plures dies, ante viri congressum, quo etiam tempore pessi adhibeantur ex coagulo, matrice & stercore leporis, caryciis pinguibus, adipe anseris, pauco croco, aut moscho, figurati, qui etiam in linteo serico inuoluti, & oleo irino, seu liliaceo intincti subdantur. Habemus & potiones, & pessulos, & suffumigia innumera apud Aetium, libr. 16. capit. 33. Sed hæc pauca remedia nunc dicta sufficiant. Interim vngula aromatica, spica, aut cyperus eisdem permisceri poterit. A quibus desinentibus iam mensibus tempore (quod tempus optimum est) medio, mutuo amore (nam amor genituram conciliat, vt inquit idem Aetius) venus ineunda est. Sed & virum strenuam operam nauare oportet: interimque a Venere abstinuisse, & boni cibi succi nutritum esse, ex eiusdem Aetii decreto, corporisque temperies tum viris, tum mulieribus seruanda, & sine omni excessu. Atque his puto me satisfecisse tuæ petitioni, Vir nobilißime. Faxitque Deus optimus maximus, vt his remediis aptis vxor proles ex dulcibus amplexibus, quippe Venerem & amorem incitant, assequi poßit. Vale, 10. die Februar. anno 1570.*

Petrus Forestus, reipub. Delphensis Medicus, tui obseruantissimus,

SCHOLIA.

Signa sterilitatis, quæ ex viris sumuntur.

CAussis sterilitatis Scholio præcedente enucleatis, harum signa diligenter excutienda sunt, antequam vera curandi methodus instituatur. Verum cum aliquæ caussæ ad virum pertineant, aliæ vero ad mulieres, de viris sterilibus, & quomodo cognoscantur? primo dicemus: deinde vero de mulieribus. Effœminatum virum sterilem iudicabimus eum, qui timidus exsistat, actusque muliebres plurimos habeat, & vocem muliebrem, quales eunuchi sunt, barba carentes, & frigidum temperamentum habentes, quod partes circumpositæ testibus glabræ commonstrant. Sterilitatis plerunque indicia sunt, si semen genitale frigidum sentiatur, & tardius exeat, pauca adsit voluptas, nullaque coitus appetentia. Nam quibus colis vix tumet, aut erigitur, totumque membrum sit remissum, pilique sunt exiles, vel glabrities est circa testes, quique rubore in cœtu mulierum suffunduntur, imberbes, tales intemperiem frigidam testium habent. Quibusdam testiculi conuulsi sunt, paralytici, vlcerati. Aliis maligna aliqua ægritudo præcessit. Quibus & venæ circa aures præcisæ, aut qui in principe aliquo membro ęgritudinem tibi notam habeant, vel antea passi sint, vel quibus nimis breuis est virga, vel nimium extensa, aut foraminis adest tortuositas, vel ex quibus lapis chirurgia extractus, testesque intus latent, vel partes genitales ignauæ sunt, quæ omnia visu, vel relatu ægri ignosces, quæque ex penis ac testium, (*de quibus antea dictum est*) propriis locis petenda sunt, ij, inquam, nunquam, aut raro generant. Sterilem vero, qui ex forti aut potenti calore suo generationis materiam exterminat, ex habitudine eiusque robore comprehendes: ac eum pariter, qui pinguedine nimia sterilis factus est. Nam ab excessu sex rerum non naturalium, tum ex ægri ac astantium

tium sermone, diligenti examine plura innotescent. Calidius siquidem temperamentum viri facile deprehenditur ex pilorum copia, potissimum vero nigrorum in partibus genitalibus, & omnibus quæ circumstant, supra quidem vsq; ad media femora. Petulca est etiam hæc temperatura, & ad libidinem prona: statim vero satiatur. Reliqua vide *de testium temperatura, apud Galenum in Arte parua, & de sanit. tuenda, & Method. medendi.* At vero mulier sterilis dicenda, *cuius crassa vox est, pilique multi, & duri rigidique pubem obsepiunt, mystacem mentumque barba circumdat: quaque plurimorum virorum amplexus experta est, neque concepit.*

Signa ex parte mulieris.

Signa vteri frigidi.

Vterorum frigiditatem coniectamus ex suppressis mensibus, neque enim præ nimia crassitudine commode feruntur, sed & stupidus sensus circa pectinem, lumbos ac crura percipitur, aliquæ etiam crurum impotentes sunt, victus quoque præcessit frigidior, ac crassi succi. At si prorsus perfrigeratæ fuerint, ne Venerem quidem appetunt, vteri osculum contractum habent, *vt ex Aetio capit. 27. libr. 16. & Paulo cap. 78. libr. 3. liquet.* Menses his aut supprimuntur, aut parce fluunt, suntq; decolores, & menses albicantes, non rubri, fluxiles & aquosi, a liquidiore pituita.

9 *Calidi.*

Coniectatur autem vteri caliditas ex reliqui corporis caliditate, & ex mensium paucitate cum dolore prodeuntium, ita vt pudenda mulieris exulcerent, sed & quæ prodeunt nigriora sunt, & ob nimiam puncturam nullum ordinem seruant. Sequitur etiam ad hanc temperaturam insignis salacitas, & totius corporis siccitas, celeris excretio seminis: his adest audacia, ira, sitis inexpleta, & ad omnia promptitudo, pulsus celer, vrina flaua, menstrua pauca, crassa, calida, flaua, aut ex adustione nigricantia.

Humidi.

Signa humidi iam diximus Obseruat. præcedente, & quomodo curetur. Adest videlicet hic sæpe vterinus fluor, frequens lumborum & pubis grauitas, Arabes addunt pilos molles, Venerem sopitam, quæ si conceperint, in incremento fœtus aborsum patiuntur, habentque oculos lachrymosos assidue, vt Erotis ait. Cum enim matrix cerebro per neruos alligata sit, necesse est, vt cerebrum matrici compatiatur. Vnde si matrix nimiam in se habet humiditatem, ex ea cerebrum impletur, quæ ad oculos redundans, eas inuoluntarie cogit emittere lacrymas.

Sicci.

At in vtero sicciore humor in coitu ex eisdem haud quaquam destillat: exiguum quoque ac crassum erit menstruum, aderitque totius corporis exsiccatio. Paucus enim adest mensium fluxus, os siccum, labra scissa, coitum appetunt, vt sicca terra rorem; facile irascuntur, corpore tenues sunt, in actu Venereo nihil fere seminis emittunt. Si quando vero prædictæ simplices temperaturæ inuicem misceantur, ex earundem indiciis manifesta erit earum commixtio.

10. *Frigidior & humidior vterus.*

Et ita frigidiorem & humidiorem ostendet reliquum corpus molle, tactu frigidum, alsiosum, fluxus muliebris, perpetua vuluæ humiditas in coitu, plurima, & viro molesta, semen aquosum, quod nequit continere, menses multi fluxiles, aquosi, facultas retentrix imbecilla ob frigiditatem & humiditatem, vnde facile abortiunt, *teste Hipp.* Frigidiorem & sicciorem indicant menses pauci, rari, crassi, semen paucum, appetentia coitus maior, quam in præcedente, os vteri collum siccum, & ob siccitatem rhagadibus obnoxium, *vide aphorism. 57. lib. 5.*

Ex abundantia humorum.

Si simul ex abundantia humorum vitiosorum, dignosces ex iis, quæ de mensium suppressione scripta sunt. Breuiter, si ex sola caussa calida sine humore, id per calorem in fundo vteri, per punctiones oculorũ, palpebrarum & amaritudinem oris, sitimq; continuam percipies, & per exiguum menstruorum eductionem, per appetitum coitus & delectationem. Si cum humoris vitio, aderit pondus & grauedo, & ita in reliquis ex grauitate, cum signis prædominantis ipsius humoris, de quibus ad nauseam iam sæpe dictum est.

Signa si a pinguedine, vel nimia macilentia.

Si enim ex pinguedine, vel nimia macilentia, ex te ipso dignoscere valebis. Pingues enim, *vt diximus ex Paulo*, liberis procreandis non sunt idoneæ, eo quod genitalibus mutuo se contingere non possunt. Macilente momentum seminis tantum emittunt, neque extenuatæ materiam habent. Crassarum habitudo facile nota est: e pinguedine enim comprimuntur, & eorum orificia clauduntur.

11

A flatu.

A flatu vteri etiam conceptio impeditur, quem insequitur pectinis, & imi ventris tumor, extensio, dolor pungens, etiam ventus inde erumpens *vt antea, de spiritu incluso dictum est prius.*

Ab assumto pharmaco.

At si per aliquod assumtum pharmacum, vel pessos iniectos mulier non concipiat, ex eiusdem mulieris loquela, aut astantium, percipies.

Ex vitio locellorum ac vteri.

Si locellorum vitio eueniat a carnis excrescentia, tuberculo, resolutione, conuulsione, vlcere, apostemate, aut quouis alio vteri vitio, ex propriis locis cognoscuntur. Ita quoque si ob membranã osculum vteri obturantem fiat, vel ob nimiam eiusdem angustiam, vel amplitudinem, vel quod ceruix vteri obliqua sit, ex obstetricum relatione tum mulierum querimonia percipies. Quibus addas experimenta per aromata, *iuxta Hippocratem præcedente Obseruatione dicta, & apud Galenum Comment. aphorism. 62. libr. 5.* Vel alium expurgatum pessi modo dormituræ subdatur: si odor vel sapor ad os pertingat fœcunda est, sin minus sterilis. Hæc ad prognostica pertinent.

12 *Signa prognostica.*

Si medicamenta sterilitatem inducentia, vasa vteri exerceant, incurabilem plerumq; affectionem faciunt: licet quædam potiones cæcitatem curabilem inducant, cui si protinus subuenias mederi possis, ex Aetii testimonio. Quod vero quæcunque præter naturam crassæ sunt, priusquam extenuentur non concipiunt, quod omentum iis os vteri comprimat, *constat ex Hippocrat. auctoritate aphorism. 64. libr. 5. & aphor. 44. libr. 5.* Præterea menses iis pauci feruntur, quod potissima alimenti pars in pinguedinem conuertatur, vt Aetius refert. Quæcunq; præter naturam tenues exsistentes vterum gerunt, abortiunt priusquam crassescant. Quapropter prius eas reficere oportet. Atq; hos duos habitus præter naturam sterilitatem efficientes ex te ipso facile dignosces. Similiter ex Galeno liquet, quod male temperati vteri, si pa-

4. rum a bonitate recedunt, difficulter concipiunt, si vero nimium, mulieres steriles fiunt. Si vlcera in vteris fuerint etiam oborta, & si menses, sano modo prodeunt, plerunq; incurabilia sunt: & propterea in ventre tales non concipiunt, quam diu vlcera habuerint, *ex sententia eiusdem Hipp. citato lib. de sterilibus*. Mulier puerpera, vel quæ vterum gerit sæpe sanior est, *iuxta Auic.* sed imbecilla & cito senescit. Sterilis contra est valetudinaria, vegeta diu & florens. Similiter post menstruam purgationem humida manet, in vtero lubricat semen. Quæ vteros habent calidos, frigidos, humidos, siccos, non concipiunt, nisi ex contrario semine *aph. 72. lib. 5.* Nec viri, qui semen habent calidum, frigidum, humidum, siccum, generant nisi in contraria vteri temperatura. Galenus tamen hunc damnat aphor. asseritq; non esse Hippo. Sterilitas ex occœcatis orificiis vasorum in vtero, & in vteri paruitate, penis breuitate, longitudine insanabilis. Ex lapide dissecto curatu difficilis, nisi roborantibus partem emendemus. Os vteri durum, callosum, cōpressum, quia claudi exacte nequit, conceptum impedit, aut si clauso eo conceptus fit, partum, quia dilatari nequit, supprimit. Durum autem fit, aut a tumore præter naturam, *vt dictum est ex Hippo.* Quibus os vteri durum est, &c. aut a frigore, ex mora longa in aqua frigida, aut sessione longa supra lapidem: aut a cicatrice, post continuitatem solutam: a partu difficili, vel defloratione puellæ iunioris: a balano penis enormiore. Quæ duos aut tres menses a Venere abstinent, conceptui aptiores euadunt, & viri continentes aliquamdiu generationi. Ait Gordonius, si semina vtriusq; proiiciantur in vas plenum aqua frigida: si supernatet, sterilis est, si fundum petat, fœcunditatem arguit. Hæmorrhoides & excrescentiæ in vtero non videntur recipere curationem, nec foraminis tortuositas virgæ virilis, & paruitas virgæ notatu digna curationem non admittit. Mulier quoque cicatrice e vulnere obducta non curatur: & si concipiat, metus est de morte matris, cum collum dilatari non possit in fœtus exitu, ita vt oporteat chirurgia operire, non sine vitæ periculo. Sterilitas vel difficultas impraegnationis ex verruca, apostemate duro, cancro, non curatur; quia caussa remoueri non potest. Sed ob fluxum menstruorum assiduum, vel retentionē, curatur per eorundem curationem: Quæ ex lubrica vulua, difficulter concipit, ex leui caussa abortit. Vidi tales, quæ quatuor vicibus admodum breui tempore abortum passæ sunt. Caueant sibi a statione, multa vociferatione & forti, a pondere eleuando, cibis vnctuosis, vtantur exsiccantibus. Ad sexagesimum annum mares plurimi gignunt. Compertum tamen est (*vt superius diximus*) ad septuaginta, nonnullos ad septuaginta quinq; & octuaginta sobolem procreasse, sed perpaucos, & valentissimos. Quin etiam Masinissam regem post 86. annum filium, quem Methimathum appellauerit, Catonem Censorium octogesimo exacto e clientis sui filia Salonii, generasse clarum est. Mulieres vero ad 45. magna ex parte fœtificant: etsi nonnullæ annos sexaginta natæ, validiores tamen, pepererint. Noui mulierem, cum in Gallia essem, quę anno ętatis quinquagesimo tertio, peperit, quæ adeo fœcunda dicebatur, vt 23. proles pepererit. At viri (teste eodem Aetio) qui ob deprauatam viuendi rationem semen corrumpunt, ad magis compositum salubrioremque victum conuersi genituræ fœcunditatem acquirūt. Verū qui alienis fœminis oblectati cum propriis vxoribus non conueniunt, seruata pudicitia generabunt. Qui seminis fluore laborant, curati fœcundi fiunt. Sic nouimus mulieres alias sexdecim annis viris copulatas, alias octodecim annis quasi steriles, tunc prius concepisse. Ita noui & honestam matronam, quæ cum ex primo viro non cōcepisset, postea alteri valde fœcundo nuptam, neque tunc fœcūda fuerit: verum tertio marito copulata, tunc demum concepit. Quod ad curationem attinet, vnicuiq; caussæ sua propria debetur curatio. Si ex mala intemperie, ea ipsa auferenda erit contrariis, eaque inclinanda seu flectenda ad oppositum temperaturæ sui paris. Si simul adsit humor, isq; concoctus, purgandus erit. Si vero aliud vitiū vteri fuerit, hoc ipsum propriis remediis remouendū. Nudæ intemperiei sufficiūt, alterantia & roborantia. Iam dictum est, quomodo curantur, si ob humiditatem vteri non concipiant. Si ex frigiditate, vniuersa victus ratio ad calidum vergat: cibi sint boni succi, attenuantesque, ac omnibus alimentis admisceantur, quæ purgationes irritare possunt; veluti sunt olera odorata & acria, scandix, inquam, crythmon, fœniculū, gingidiū, apium, smyrnium, tū alia: ac speciatim victū præscribendo, qualē diximus de mensiū suppressione ex frigidis succis. Reuocabimus & calorē fomentis, & potionibus, *iuxta Aetium lib. 16. cap. 26.* ex castorio, cumino, aniso, pulegio, & lumbos inungemus irino & amaracino vnguento, & pessis vtemur e myrtha, ruta, galbano, & castorio. Vel validioribus etiā, felle bubulo adiecto, molli lana inuolutis, vt sine corporis erosione attractionem perficiant: neq; difficile est eorum quantitatem metiri. Pro affectuum magnitudine, & diuturnitate medicamentorum, vires augebimus, eisdemque insistemus, vel contra minuemus, breuique tempore applicabimus. Sunt tamen sæpe caussæ impedientes conceptionem, vt plurimum diuturnæ: ideo obnixe persuadendum, ne mulier, aut vir, si in caussa sit, cito medicamentorum tædiis afficiantur aut lassentur, & curandum, ne Medicus in iis administrandis deficiat. Nam res aliquando eo deuenit, vt per integrum annum vel duos, vterque desistere non debeat, vt Valescus recte annotauit. Verum vbi frigidi etiam & crassi succi cum frigida vteri intemperie redundarint, post eorum coctionem ac præparationem, purgante medicamento vacuandi sunt: quorum copiam etiam loco iam citato inuenies, *tum apud Aetium loco citato, & c 31.* Laudat is & vomitum per interualla: postea adhibet iam dicta: qualia & Paulus etiam præscribit, *vt ad longum videre licet, libro tertio, capit. 74.* Verum si caliditas vteri sit in caussa

Marginalia: 14 (left, at "vt dictum est ex Hippo"); 15 (left, at "gignunt"); 16. Curatio. (right); Frigidi vteri curatio. (right); 17. (right)

ex caliditate [illegible] curatio.

18

caussa, humidiora alimenta conueniunt; vt maluæ, lactucæ, bliti, cucurbitæ, atriplex, portulaca, cucumeres, vinum album & dilutum, somnus, ac dulcium aquarum balnea. Lumbis vero ac sumini, refrigerantia adhibenda sunt; vt solani aut vmbilici Veneris succus rosaceo admixtus, ac lana exceptus; quem etiam in sinum pudoris vtiliter imponemus: mercuralis præterea lumbis & pubi illita calidioribus vteris confert. Idem potest spuma argenti; & cerussa, si ex aqua terantur: quorum omnium quantitatem, *inquit Aetius*, recte metieris, si semper singula queq; multum posse arbitreris: ita enim refrigerationis nimietatem cauebis. Quod si cum calida vteri intemperie, calidi ac vitiosi redundarint succi, iidem etiam prius purgandi sunt, concoctis ipsis ac præparatis, seu a natura deuictis; vt exemplo mox ostendemus. Nam quoad menses, morbosi fuerint, siue biliosi, siue pituitosi exstiterint, mulier nō cōcipit, *vt liquet ex Hippoc. eodem lib. de sterilibus.* Mulieri vero, quæ ob vteri siccitatem non concipit, *constat ex Aetio lib. 60. c. 30.* humidiora alimenta offerenda esse: toto enim corpore humefacto, vterus quoque eiusdem qualitatis particeps erit. Valentque balnea, inunctiones, cataplasmata, insessiones, & omnia humectandi vim habentia. Sed antequam ad alias caussas amouendas procedamus, exemplum sequens interponamus.

[illegible] propter vteri siccitatem non concipiens, cu[illegible]

Observatio LVIII.

De difficultate impregnationis in duabus mulieribus, vna pituitosa, altera biliosa.

1 QVidam differentiam faciunt (*vt Guainerius*) inter sterilitatem & difficultatem impregnationis. Voluntque, sterilitatem esse dispositionem quandam, a generatione vel tempore acquisitam, per quam vir siue mulier, ad producendum sibi simile impotentes sint. Impregnationis difficultatem, *aiunt*, esse dispositionem, in viro aut muliere ex tempore aut a principio generationis acquisitam, per quam, etsi eo tempore ad sibi simile generandum impotentes fiant; tamen beneficio medici, vel alia re, talis impotentia remoueri potest. Videmus enim aliquando, quod habitudinis dissociato, sterilitatis, vel potius impregnationis difficultatis, principalis caussa exsistit. Hinc, *vti diximus*, bis coniugio copulati viri, aut mulieres, primo sæpe sunt steriles: si inde vir cum secunda copuletur, generabit aliquando; aut mulier secundum nupta concipiet. At quamuis propter caussam corrigibilem, difficultatem impregnationis vocant, easdem tamen caussas cum sterilitate ponunt; vt Guainerius facit in suo commentariolo, de ægritudinibus matricis: de quibus nunc satis, tam ad virum, quam mulierem pertinentibus, diximus. Interea tamen, si vtrumque sterilem nouerimus, procreandæ prolis, nulla spes habebitur: eorumq; curationem relinquimus: quamuis vna haberi potest, si fiat coniugii mutatio, vt contingit in maleficiatis. Quod si sola mulier in caussa fuerit, diligenter eandem considerabimus. Ita istis diebus mulier pituitosa, cum ob humiditates, & succos pituitosos impregnari non posset, consultandi caussa me accessit. Signis iam probe inuestigatis, cum intemperies minime simplex, frigida & humida, vteri adesset, verum etiam cum humoribus pituitosis; consului, vt hoc apozemate digerente, vel simili, primo vteretur: ℞. *rad. brusci, asparagi, fœniculi, cyperi, rubia tinctorum ana* ℥ j. *artemisiæ, betonicæ, sabinæ* (quia aderant humiditates pituitosæ, instar fluoris albi) *menthæ, melissæ, maioranæ, ana m. j. rad. inulæ, asari ana* ℥ ij. *sem. anisi, seselis, dauci ana* ℥ j. *flor. anthos, stœchados arab. ana p. j. calom. arom. incisi* ℥ ij. *passul.* ℥ j. *glycyrrhiz.* ℥ ij. *fiat decoct. in aqua communi pro* ℔ j. ß. *dulcoretur sacchare & melle; fiat ad modum syrup. longi & arom. cum pauco cinnamomi & nucis moschatæ.* Materia parata purgetur cum *pilulis fœtidis, dando* ℥ j. *vel cum diaphœnic. & electr. Indi ana* ℥ ij. ß. *cum aqua artemis.* ℥ ij. Vel *detur diacarthami soliti* ℥ ß. *in tabulis.* A ventris deiectione quidam & hic balnea naturalia commendant: quæ, si desunt, fiant ex herbis iam dictis, & radicibus; vt de superfluitatibus humidis matricis, & fluore muliebri ante diximus. In exitu *detur* ℥ j. *theriacæ.* Et vbi non amplius fluunt humiditates, tunc vtendum exsiccantibus, adiectis in balneo balaustiis, mentha, corticibus olibani, mastiche: fiantq; pessi ex myrrha, alumine, aloe, & storace calamita. Deinde veniendum ad ea, quæ matricem præparant ad conceptionem, vt fumigia ex ladano, myrrha, galbano, baccis lauri: quorum copiam inuenies apud Guainerium, de iis, quæ extra admota ad conceptionem præparant. Habet idem multa remedia, sed superstitiosa. Etiam eo tempore, quæ ad coitus delectationem faciunt, non omittenda: qualia diximus ad Venerem sopitam conuenire, & virgæ erectionem; vt sunt *oscula suauia, suctio labiorum, amplexus iucundi*, & alia apud eundem Guainerium descripta *cap. 24.* Quibus etiam simplicia Venerem instigantia addere possemus, vt apud eundem medicus domesticus legere poterit. Omnia hic recensere non opus est. Ideo & hic auxilia tam viris, quam mulieribus communia adhibenda, vt corpora in quodam temperamento, cibo, exercitationibus seruentur. Iuuant calfacientia; ex oleribus, eruca, erysimon: vitanda ruta & calamintha. Prosunt & redolentia olera, scandix, marathrum, apium, smyrnium. Conceptus adiuuare creduntur pastinacæ erraticæ folia & semen, & caucalis potus. Marem præterea concipi putant, si vulua leporis in cibo sumatur, & testiculis & coagulo epoto. Altera vero mulier biliosa, cum difficulter impregnaretur, me quoque consuluit. Hæc enim propter humiditatem biliosam, cum acrimonia ex succis biliosis, concipere non poterat. Cum leuiter plethora, sed exigua laboraret, vt venam ex talo seu saphena incideret, iussi, sed in exigua quantitate. Ast si sanguinea fuisset, & maiori plethora laborasset, venam prius basilicam, deinde ex talo incisam, magis commendassem. Qualia autem sanguineis conueniant,

2

3

quæ difficulter imprægnantur, *vide apud Guainerium lib. citato cap. 27.* Ceterum in hac muliere, vt materia biliosa, victu humectante & refrigerante, moderate contemperaretur, præcepimus: iis adhibitis quoque, quæ præcedente Scholio diximus, caliditati vteri conuenire. Interim cum syr. & decoct. ex viol. lactuc. end. scariola, & similibus, materiam paratam euacuari iussimus, cum cassia & manna & syrup. ex infus. ros. pallid. cum rhab. modo etiam cum pilulis de rhabarbar. & aggreg deinde & corroboratione facta cum tribus sant. & similibus. Etiamsi balneo vti vellet, quale descripsimus de fluore bilioso, concessimus; & vt hoc pesso vteretur, qui proprietate sua abundantem in superfluitatibus biliosis matricem ad conceptionem præparat: ℞. *medulla cruris vituli, cerebri cerui, butyri vaccini, adipis caprarum, seminis mercurialis ana ʒ ß. acaciæ, hypocist. sandal. rub. storacis liquidæ, cornu cerui vsti ana ʒ ij. cum oleo ros. incorporentur, & fiant pessi filo appenso, vt extrahi possint.* Deinde adhibeantur ea, quæ ab auctoribus descripta sunt, valere ad conceptionem. Hoc tamen semper præmonito, quod mulieres, quas ad conceptum facilitate volumus, sint curandæ euacuando medicamentis leuiter laxantibus, abstinendo ab opiatis, resiccantibus, multum & semen absumentibus. Sunt autem nutriendæ alimentis Venerem excitantibus, quæ tardiores sunt. Hoc tantum (*vt dicebat Rondeletius*) remediis addere oportet, quod eis pessaria alia conficienda sunt, post exactam vteri purgationem, os vteri interius dilatando (*minus tamen in biliosis, vbi acrimonia humorum adest*) exterius constringendo. Dilatatur autem vterus vnguento ex adipibus a *Rondeletio descriptis cap. de mensibus retentis*, aucta dosi radic. iridis, & additis ʒ ij. styracis, & ʒ j. tereb. abietis. Sed magis in frigidis, & post vsum illius vng. vtitur nascali, seu pesso ex fellibus hirci vel lupi cum moscho, castorio & zibetto. Hæc enim omnia laxant, & vterum deorsum trahunt, calfaciuntque, Venerem stimulant, vt & stercus murium. Minus tamen, vt diximus, in biliosis. Exterior pars constringitur fotu parato ex rad. herbis, floribus, & aliis constringentibus odoratis. Vt: ℞. *rad. bistortæ, quinquefolii, & cyperi ana qr. j. ros. rub. cum calicibus, corticis mali granati, & balaustiorum ana ʒ j. suberis ʒ ß. hederæ m. j. fiat decoctio in aqua & pauco vino adstringente.* Foueatur pars in introitu lecti. Post mensium purgationem, & vsum aliorum remediorum, paulo antequam congressura sit cum viro, quia magna ex parte mulieres non concipiunt, cum semen non trahunt: aut tractum non retinent, emplastra supra vterum & renes ponenda erunt. His, quæ non trahunt semen, emplastrum ceroneum, & alia, quæ ex gummis, aliisq; attrahentibus conficiuntur, erunt ex vsu. His vero, quæ non retinent, emplastra constringentia, vtcunque calida, quale est, *comitissæ, pro matrice, de pelle arietina, de mastiche, additis rad. bistortæ ʒ ij. ladanæ, hypocistid. ana ʒ j. misce, fiat emplastrum*; quod gestent, donec appetat tempus alterius purgationis. Eo enim tempore amouenda sunt emplastra astringentia, ne menses retineant; nisi in quibus maior sanguinis copia fluit, quam pro corporis habitu conueniat. Si mulier non concipiat, ob salacitatem, & nimiam ad Venerem propensionem, quod ob acrimoniam seminis, & caliditatem fit, vt in hac vltima nostra muliere, alenda est crassis alimentis, quæ sanguinem inspissent, & semen crassius reddant. Vsus fructuum ex vtilis; vt pirorum, pomorum, castanearum, quæ crassos humores, & crassos gignunt flatus, impetumque illum retardant. At stuphis vtuntur mulieres humidiores; balneis vero durum habentes vterum, aut frigidum: sed his vtendum paulo antequam fluant menses. Si mulieres sint valde obesæ, extenuandæ sunt vsu medicamentorum calidorum, & incidentium, & aperientium, & tenui victu diu, antequam vtantur remediis supradictis. Postea illas optimis cibis, multumque sanguinem generantibus, oportet rursus nutrire; & imperare frictiones cucurbitas, aliaque remedia, quibus vsi sumus ad singularem deorsum trahendum. In illis constringitur os vteri, si credimus Hippocrati ab epiploo, quod ad os vsque pubis descendit. In frigidioribus ergo & humidioribus mulieribus, vt in priore hac nostra muliere, vtile erit vti hac opiata, siue humiditas sit in toto corpore, siue in vtero tantum: ℞ *conser. tring. & cort. citri ana ʒ j. conser. anthos, zinzib. conditi ana ʒ j. ß. cineris priapi tauri, & cineris vteri leporis ana ʒ ß. puluer. diagal. diamoschi dulc. vel diambra ana ʒ ij. pinear. & auellan. ana ʒ iij. zacch. parum, cum syr. conseruat. cortic. citri fiat opiata*: de qua capiat ad magnitudinem auellanæ longe a pastu, cum ibit dormitum. Hæc opiata magis conuenit frigidis & humidis toto corpore. Nam si vterus tantum frigidus & humidus sit, & totum corpus calidum & siccum, satius erit, fumigio per embotum recepto exsiccare, ex odoratis resiccantibus, & leuiter adstringentibus, vt: ℞. *nucis moschatæ, macis, benioini, styrac. ana ʒ ij. castor. ʒ ß. aliptæ moschatæ, vel galliæ moschatæ ʒ ij. cariophyl. ladani puri ana ʒ j. zinzib. cinnamomi, folii spicæ nardi ana ʒ ij. excipiantur omnia terebinth. & fiant trochisci*, quibus fumigetur mane & sero post mensium purgationem. Illis opiata vtilis erit, si augeatur dosis pinearum & auellan. in lacte simul, & pauco melle mixtis, subinde remouendo lac, ne acescat, & recens infundendo. Talis reficiet corpus exsiccatum, & copiam seminis generabit. In istis opiatis adduntur multa alia exsiccantia, quæ si per se sicca assumerentur, potius impedirent quam iuuarent. Sed quia permiscentur syr. & rebus dulcibus temperantur, conueniunt: & rasura eboris, & cornu capræ, semen seselli, medulla seminis fraxini (*linguam auis vocant:*) addentur & passerum cerebella, quamuis magis in cibo sint assumenda, quam vt præmissis misceantur. Nam iuuant, quod multum seminis generent: id non possunt facere, si in pauca quantitate assumantur. Satius erit cerebellum porcelli, & porci,

porci, diligēter coctum cum pauco origano, postea frixum in sartagine, edere. Multum enim nutrit & semen auget. Opiata ad mulieres salaciores confici debet ex leuiter astringentibus, & copiam seminis generantibus, parum calidis. Vt: ℞. *myrob. condit. embl. & cheb. ana n. ij. corticis citri conditi cum saccharo* (in aliis melle) ℥ j. *pinearum infus. in lacte, seminis fraxini eodem modo infusi, ana* ℥ ß. *syrup. de pomis redolentibus fiat opiata, additis ras. eboris & cornu capræ. ana* ʒ ij. *capiat ad quantitatem auellanæ.* Quæ minus propensæ ad Venerem sunt, gestent ambram vel moschum, vel chirothecas odoratas: & maxime noctu habeant sub puluinariis, nisi obnoxiæ sint suffocationi vteri. Tunc enim melius esset illa odorata coxis alligata habere; vt egregie iam pridem Rodeletius admonuit.

SCHOLIA.

Satis iam constat, quibus modis intemperies vteri simplex, vel cum humore, si caussa sit sterilitatis vel difficultatis impraegnationis, sit curanda. Intemperie itaque illa, & humoribus purgatis, ad remedia quæ proprie ad impraegnationem faciunt accedimus. Eorum alia id qualitate præstant, vel per delectationem vteri in actu coeundi adferendo; vel actiuam vim eiusdem excitando: alia quidem id præstant quadam stipticitate roborando vim retentiuam ad conceptum. A proprietate valent, vt etiam ante dictum est, coagulum leporis, stercus vulpis, medulla ossis cerui vel vituli, vterus leporis, & alia multa a Medicis descripta. A qualitate vero conferunt, vterum delectando, & vim attractiuam excitando, cinnamomum, cubebæ, masticata & cum saliua virgæ inuncta: zibettum, moschus, foramini virgæ imposita ante coitum, & oleum balsami, si habeatur. Quæ autem vterum qualitate roborant, exsiccant, retinent, sunt balnea stiptica, aromatica, & fotus, ac fumigia, quorum exempla plurima, præter iam dicta, apud auctores inuenies. In omni curatione oportet, vt caussa amoueatur: quæ cum varia sit, tam in viris, quam in mulieribus, ea ipsa semper corrigenda. Ita in viris si longo morbo detineantur, nisi ab illo curentur, non possunt generare. Sic aliquem noui, qui, cum duobus annis ex quo vxorem duxerat valetudinarius fuisset, curatus postea singulis annis ex vxore prolem suscepit, vsque ad numerum vigesimum. Si igitur debilitas corporis in caussa sit, corpus cibis resumtiuis reficiatur, &, si adsit frigus neruorum virgæ, eiusque mollificatio, curetur, vt paralysis: alioqui si sperma ipsum vel genitalia frigore laborant, vtantur vnguentis calfacientibus. Si adsit paucitas inflationis, quæ Venerem incitent & inflent, vt fabæ, præscribantur. Si siccitas sit in caussa, humectentur; & si caliditas, infrigidentur. Et si virga nimis curta est, (*non enim turpe est Medico teste Auicenna cap. 44. de his loqui*) in coitu ipso crura mulieris eleuentur, vt semen recipiatur. Frictio in adipibus calidis, & cibus multiplicant sanguinem, magnificat virgam. Si nimis magna, vt tota virga non immittatur, iubet Gordonius, vt mulier strictam cum manu teneat, ne semen in via refrigidetur. At si adsit phymosis, quomodo curetur, prius dictum est. Ita in muliere, si collum vteri clausum est, vel callosum, relanxantibus pessis emolliendum: de quibus videas *Cleopatram cap 3. de Harmonia gynecíorum.* Si adsint alia vitia in vtero ex supradictis, prius tollenda, Angustia ipsa insessionibus, fomentis, persusionibus curanda cum emollientibus. Nimia apertura constringenda. Ita & Aetius *cap. 31. lib. 16. de diuersis affectibus vteri curandis, quorum ratione mulieres non concipiunt*, inquit: *Clausos vteros odoratorum persusionibus, & mollitoriis ex anserino adipe confectis aperire oportebit:* prius tamen a mollioribus insessionibus & ablutionibus incoabimus, sicut e fœnugræc. sem. lini, oleo probo, interdum & melle præparatis. Postea ad validiora pergemus, vt artemisiam, conyzam, calaminth† , pulegium, amaracum; his etiam adiicientes irinum ligustrinumque vnguentum: & mel, myrrha, aut troglodytica, terebinthina, nitrum, cassia, carycarum carnes, vnguentum amaracinum, & huiusmodi, supponantur. At his quæ ob vterum, seu vteri os nimium fatiscens, non concipiunt, aridus victus, aridaque fomenta conueniunt, medicamentaque adstringentia, quæ supponantur, vt hians ostium occludatur: qualia sunt gallarum decoctum, cytini, lentisc. rub. myrr. & eiusmodi. Postremo vteri auersiones mollientibus fomentis dirigemus: id enim fomenta maxime possunt. Sed & mollitorii pessuli vtiliter supponuntur. Imo specillo & digito correctionem interdum tentabimus. Præcipue vero pulegii, & artemisiæ, decocta, & castorium e posca bibitum, vtero auerso conferre solent: omninoque tota curatio declinationis huic vsui accommodabitur. *At si ob humorum crassitudinem mulier non concipiat, humorem* (Inquit Aetius) *spectare oportet: ad mordicantem quidem seri lactis heminas quinque paulatim exhibendo contemperabis, cibosque boni succi offeres: vomitumque ex interuallis prouocabis. Pituitam vero & aquositatem laboribus exercitiisque plurimis, & in sudorem resoluentibus, crebroque vomitu absumes: atque ægræ interim sufficiet castorium ingiter bibere, ac suffimentis foueri.* Sed quoniam flatus quoque vteri conceptionem impediunt, & flatus ab imperfecta coctione fiunt; primo quidem parcitas cibi adhibenda est, deinde quæ expellendo flatui conueniunt, sicut ruta, cuminum, ac reliqua consueta semina & aromata: quæ etiam supponi possunt, præcipue ruta cum melle & modico nitro: atque ex iisdem fomenta confici possunt, & cataplasmata, ac cerata, pubi applicanda. A leguminibus autem, dulcibusque eduliis, & flatuosis omnibus abstinendum. Sed si medicamentorum violentia sterilitas inducta fuerit, eius medicamenti facultas noscenda est, nunc quid attractione semen eluerit, an flatuum multitudine eiecerit, an multa astrictione os vteri obstruxerit, genituræque aditum interceperit;

Caussa difficultatis impregnationis seu sterilitatis omnium primo amouenda.

10

11

Ad vteros clausos.

12 *Ad vteri os nimis dehiscens.*

Ad vteri auersiones si non concipiant.

Si mulier ob humorum crassitudinem non concipiat, quid faciendum.

13 *Si a flatu vteri conceptio impediatur, quid faciendum.*

Sterilitas a medicamentorum violentia inducta, quomodo curetur.

& inde singulis erroribus occurrendum, perfusionibus & insessionibus, prout vnicuique congruunt: quæ præcipue vtiles erunt, si forte os vuluæ & acetabula adstricta sint. Pinguia etiam cuncta & fomenta adhiberi oportet, ac quæcunque humiditates attrahere possunt. Medicamenta sterilitatem inducentia, si vasa vteri excæcent, insanabilem plerumque morbum efficiunt. Ea tamen mendicamenta non statim omnes penitus vires adimunt: quędam enim potiones locis demtilem cæcitatem afferunt, cui si protinus occurras, interdum mederi poteris. Quemadmodum enim lethalia venena statim vomitu, aut clystere, aut congruo ad eos vsus medicamento exsoluuntur; temporis vero progressu nullo consilio emendari queunt: ita quæ valde sterilitatem inducunt, si ilico aggrediaris, licebit quandoque depellere; sin diutius perseuerauerint, insanabilia reddentur. Hæc quoad istas caussas. Vlcera autem vuluæ, & inflammationes quemadmodum curare oporteat, & quomodo carnis excrescentias, thymos, & tuniculas auferre, singula in propriis locis feriatim declarauimus. Proin superuacuum est eadem sæpius repetere. Si vero nulla re infesta, vel in vtero, vel in reliquo corpore apparente, incompertum sit, cur mulier non concipiat, eam asinino lacte purgabimus, cibisque boni succi alemus, ac fomentis, suffumigiisque odoratis; & pessulis os vteri aperiemus, & sanguinem euacuabimus, Veneremque per duos aut tres menses (*inquit idem Aetius*) prohibebimus. Ita & de aliis omnibus caussis statuendum. Si habitus sit gracilis, reficiatur: si sit obesus, extenuetur; si sit vlcus, cicatrix, membrana os vteri obturans, mensium suppressio, seu immodicus fluor & intempestiuus, curentur singula, vt propriis locis dictum est. Nos multas vidimus mulieres, quę ob menses retentos non concipiebant: sed iis ex consilio nostro arte, vel natura apertis facile impraegnabantur. Ita quoque quædam iisdem nimium fluentibus restrictis, tandem conceperunt.

14 *De his, qua non concipiunt ob medicamentum ad sterilitatem inducendam assumtum.*

15 *Curatio earum, in quibus nihil infensum apparet.*

Observatio LIX.

De dubia conceptione, vel impregnatione.

1 Mulier annos 34. nata, in pago Egmondano, Houæo dicto, prope Alcmariam, multis symptomatibus affecta decumbebat, anno 1557. Alii grauidam esse, alii vero non concepisse, dicebant: aderant & qui molam in vtero habere suspicabantur. Cum ad eam 14 Aprilis accerserer, quatuor iam vel quinque diebus suppressione vrinæ laborauerat, cui & ventris tumor ac pedum aderat, & facies inflata: quæ licet in prægnante aliquando adesse solent, sunt tamen etiam in mola vteri, quam iecore refrigerato, hydrops subsequi solet. Et ipsa quoque ad hydropen tendere videbatur. Constanter tamen modo se grauidam esse dicebat; postea rursus dubitans, idem negabat. Afficiebatur intensissimo dolore, circa imum ventrem, vrina in totum suppressa, vt per 5. dies neq; dormire, neq; quicquam edulii sumere potuerit; licet minime febricitaret. Sed & hoc malum accesserat ab obstetrice imperita, quæ medicamenta per os, nescio quæ, exhibuerat, vnde & vomitus enormis processerat. Quartus erat mensis, quod se rursus grauidam esse diceret. Sed pectini apposita parietaria, decocta cum vino Rhenano, pauco adiecto oleo scorpionis, & assumto decocto parietariæ, maluæ cum radicibus, adiectis granis aliquot alkekengi, & cumino, cum liquir. minxit & dolor sedatus est. Et quanquam Oribasius ex Galen. dicat, cuminum menses prouocare, hic tamen prius maceratum in aceto grauidæ mulieri obesæ & pituitosæ nihil obfuit. Postea tamen iterum rediit dolor 21. Aprilis, ac me rursus vocauit. Præscripsi clysterem in hunc modum: ℞ *maluæ m. ij. meliloti m. j. cumini, sem. lini, fœnugræc. an.* ℥ ß. *carui, ammeos ana* ℥ ij. ß. *fiat decoctio in sero lactis* (nam feces erant valde induratæ) *pro* ℔ j. *adde olei oliuar.* ℥ j. ß. *zacchar. rub.* ℥ ij. *duo vitella ouor. salis communis* ℥ j. ß. *tepide iniectum fuit*; &, multis ventositatibus reiectis, liberius mingere potuit, dolore etiam iterum sedato. At postea curationem reliquit, cum paupercula esset. Verum post aliquot dies iterum iisdem doloribus affecta, cum illam inuisere non possem, Alcmariam venit, vt integre curari posset. Fœtum tunc nullo modo sentiebat, putabatq; esse mortuum, vel molam esse, ventre, tum cruribus magis intumescentibus. Sed inuestigatis signis fœtus mortui, cum ventrem duriorem, sumenque calidum more solito haberet, vt tactu percipiebam, neque anhelitus eidem fœteret, nullo modo fœtum mortuum esse referebam; neque molam vteri adesse, cum antea perfecte motum fœtus sensisset. Verum vt hæc certo mihi constarent, obstetricem peritam vocari iussi; cui mandabam, vt digito molliter os vteri contingeret: quod cum molle diceret, mulierem concepisse, *vt latius in scholio dicturi sumus, de signis conceptionis*, dixi. Obstetrix addebat, fœtum ad ostium vteri subsidere: quod neque credebam: facile enim abortus subsequutus fuisset. Atque adeo mirum erat, aut fœtum non mortuum esse, aut abortum non subsequutum; quum prior obstetrix medicamentum vomitorium mulierculæ propinasset atque illi imperasset, vt anhelitum eo tempore comprimeret, vnumq; pedem supra alium poneret. Abhorrendum profecto cōsilium. Sed ego priore experimento contentus eram: cum os vteri occlusum esset, & molle. Alius tamen medicus accersitus dicebat, illam minime grauidam esse, & proposuit, medicamenta esse propinanda, quæ euocarent menses, & abortum facerent, cum molam vteri esse, contenderet. Ast ego rationibus firmis persistebam, illam grauidam esse, cum & mammillæ manerent duræ. Quare vsus sum lenioribus remediis, ad cachexiam valentibus, vt radicib. & seminibus fœniculi, cum parietaria, cherefolio & alkekengi, cum difficulter meieret, in vino Rhenano decoctis: quibus tandem facies, tum crura detumuere & vrinam libere reddere potuit; licet ob imbecillitatem fœtum non ita sentiret. Tandem ita procedendo, vsque ad mensem Maium, paulatim omnia accidentia

2 3 4

dentia dicta cessarunt, & fœtum viuum naturaliter se sentire dixit; & dolor in totum ablatus est, & ctura pristinæ sanitati paulatim restituta, vt nunc recte inambulare potuerit, quod antea facere minime poterat: atque ita, etsi grauida exsistens, omnibus admirantibus, perfecte curata fuit, & nono mense completo feliciter peperit.

SCHOLIA.

5 Cum mulier concipiet.

CAput allii integrum depurgatum ac derasum ad vterum quidam apponunt; & postridie vident an per os oleat; & si oluerit, concipiet; sin minus, non. Si vero velis cognoscere, an mulier concipiet, vel non, butyrum & lac mulieris masculum alentis bibendum dato, & si eructauerit, concipiet, sin minus, non. Item anisum in aqua tenuissime tritum bibat, ac dormiat, & siquidem pruritus ipsam circa vmbilicum corripuerit, concipiet; sin minus, non; *vt liquet ex Hippocrat. in lib. de steril. bus.* At si velis dignoscere, num prægnans sit mulier, mel & anisum tenuissime terito, deinde in aqua diluito, ac exhibeto, & dormire sinito: & si quidem tormen ipsi fiat circa vmbilicum, prægnans est; sin minus, non est, *vt liquet ex eodem, citato loco.* Item cum dormitura est, aquam mulsam potandam da, & si alui tormina patietur, concepit; sin minus, non concepit, *vt liquet aphoris. 41. lib. 5.* At conceptionis notæ erunt, iuxta Aetium, si os vteri claudatur, & desiccetur, atque a pudendo recedat. Imo peritiores fœminæ post seminis ingressum, vterum moueri percipient. Mouetur enim genituram circumplexurus. Quibusdam ilia exsultant, aliis cordis dolor & exsolutio cum quadam voluptate superuenit. Nec paruum, præter reliqua, indicium est, si mulier quopiam vrinæ stillicidio vexabitur: quod præcipue patiuntur, quæ tunc primo concipiunt, & quæ menstruas purgationes integre non exegerant: quamuis idem ceteris quoque vsque ad VII. diem quadantenus accidat. Post septimum vero obscura quædam picæ signa oboriuntur, acidorum salsorumque desideria, vertigines, pallor, somni longissimi. Constat & eodem tempore menses sine molestia detineri. Ita ex Moschione: Quoties in fine coitus horror quidam mulieri accidit, ipsumque orificium vuluæ concludi & conduci sentitur, nihilque reliquum seminis sinum mulieris humectat, & valde modicum remanet. Secundum Priscianum, si collum calidum & dorsum frigidum habuerit, concepit; si vero æquale est corpus, non differunt tamen inter se, conceptio, generatio & imprægnatio: Nam conceptio est attracti a locellis seminis commistio, in sanguinis menstrui puriori parte, in quam locellorum calor natiuus ita agit, quod viuificato, demum fœtus generatio sequitur. Moschio autem interrogatus. Quid est conceptus? inquit: Ingenti corporis labore & tormento perfertur: successione autem plusquam necessarius; vnde & retentio perseuerat: animal vero aliud, cum naturali ratione & necessitate efficitur. Embryonis vero, vel, vt alii, fœtus generatio, & virilis seminis cum menstruo sanguine tam diuturna actio, quo ad materia illa formam recipiat humanam. Imprægnatio tãtummodo ex parte mulieris se tenet, quæ est aliud nihil quam conceptio, & embryonis generatio. Simulac genituram intra se vterus traxerit, vniuersum alueum, se supra duo semina colligens, ac vndiq; ea comprehendens, ita contrahit, vt nulla penitus, siue multum, siue parum seminis iaculatum fuerit, vacuitas relinquatur: atque adeo os sigillat obsepitq;, vbi etiamnum deductissimi corporis acies neutiquam ingredi queat: quod Hippo. (quem ceu alteram rebus humanis lucem Deus dedisse videtur) ita prodidit. Sed primis sex dieb. lactis similitudinem semen vtero detentum refert; nouem diebus sequentibus in sanguinem vertitur; duodecim aliis diebus caro efficitur; decem tandem & octo diebus reliquis membra omnia formantur.

[Margin: ...num mulier prægnans. — 6 — ...conceptio. — ...generatio. — Embryonis vel fœtus generatio. — 7 Imprægnatio. — Hipp. li. 5. aph. — Ægidii versus, qui a Guainerio recitantur.]

Sex in lacte dies, tres sunt in sanguine ternis,
Bis seni carnem; ter seni membra figurant.

Vel: *Iniectum semen sex primis certe diebus*
Est quasi lac, reliquisq; nouem fit sanguis; at inde
Consolidat duodena dies, bis nonaque demum
Effigiat, tempusq; sequens producit ad ortum.

9 At Erotis: Primo mense fit purgatio sanguinis; secundo fit expressio sanguinis & corporis; tertio vngulas & capillos producit; quarto motum, & ideo nauseant mulieres; quinto accipit fœtus similitudinem patris vel matris; & sexto neruorum constrictionem; septimo ossa & neruos confirmat; octauo mouet natura, & infans rerum beneficio repletur; nono a tenebris procedit in lucem. *De his plura vide apud Ludouicum Bonaciolum, Muliebrium lib. 2. cap. 3.* Animæ autem creatio a Deo est: sed quo tempore corpori infundatur, furor est ac stultitia id inquirere, tum quomodo in corpus descendant animæ, & qua parte cœli descendant; ac denique in iis, quæ cum indiuisibilia atque materia prorsus immunia sint, nullo situ clauduntur, situm inquirere, vesanum est. Sat nobis est cum Augustino, animam a Deo vnico procreari & infundi. Triginta igitur dierum spatio efformatus est. Iis sexaginta adiectis, nonaginta (tres constituentes menses) soles consurgent: hoc ipso mouebitur tempore: & sic variis pro efformationis varietate, temporum impendiis compos fiet, sic Hippocrat. *lib. de pueri natura.* Puerulum dierũ triginta tractu, fœmellam quadraginta & duobus confingi, pronuntiauit. Huic quidem quartum sui motus mensem, illi vero tertium præsignauit. Et sic quidem mares circa quadragesimum solem, fœminas circa nonagesimum moueri, complures diligentissime exploratum habuere. De his varias vide opiniones auctorum, & cur septimo mense nati viuant; & qui octauo, moriantur. Astrologi octauum mensem ascribunt Saturno. Tamen octauo mense natus aliquando vixit, *auctore Aristotel. lib. histor. animalium 2. De partu septimestri & octimestri, vide Hippocratem.* Quia autem nono mense partus naturalis est, ideo aliqui duos partus generaliter dixerunt, vt Censorinus; alterum minorem, quem vocant septimestrem: alterum maiorem deci-

[Margin: Quo tempore infans moueatur. — De die natali, cap. 12 ex Pythagora.]

mestrem, qui edatur die 274. Mensis tam, vt Ophusius, præceptor meus Mathematicus, auctoritate Cardani, & aliorum Astronomorum, referebat, ad Lunam refertur. Primus & tribuitur Saturno, secundus Ioui, tertius Marti, quartus Soli, quintus Veneri, sextus Mercurio, septimus Lunæ, & tunc perfectus est fœtus, & viuere potest, octauus Saturno, & moritur si producatur; quanquam, iuxta Aristotelem, aliquando viuat: nono mensi Iupiter præest, vitæ amicus, quamobrem partus ille laudatissimus censetur. Mars decimo mensi dominatur, vna qualitate amicus vitæ: natus igitur in hoc mense puer interdum viuet. Sol rursus vndecimo præest, & vitam nato influit; sicque in ipso natus viuere potest. Si ad duodecimum mensem pueri natiuitas protēdatur, quamuis nunquam id viderim, iuxta illas rationes, quia Venus dominatur, aliquando viuere posset: sed rara auis. Appellamus autem mensem lunarem, reditum Lunæ ad eundem locum; numerando, vt habetur apud Cardanum Segm. 1. aph. 47. dies per reditus Lunæ ad circulum horizontis, diebus viginti sex, horis nouem, minutis 30. & secundis 15. Vel crassiori calculo capimus mensem pro diebus viginti octo; vt quatuor septemanæ mensem constituant. Nam vt secundum ipsum, Luna primo mense materiam conceptionis præparat, & membra adaptantur, vt deinde secundo mense a Mercurio formam accipiant, & tertio mense a Venere sexum virilem, tum fœmineum fœtus acquirat; quarto mense a Sole vitam, quinto a Marte robur: (nam is firmat creata, potissimum neruos, suo robore) deinde sexto mense Iupiter gubernans fœtum disponit, omnia confortando; deinde ad Saturnum septimum mensem referebat: qui tamen computatione incidebat in sextum mensem Medicorum. Sed eorum opinione, qui octauum mensem attribuunt Saturno, *vt dictum est prius*, isto mense vel mortuus producitur infans, vel non diu vitalis: Septimo vero viuit, iuxta Astrologorum rationem. Medici, vti & Auicenna, aliam rationem adferunt: *Fœtus, aiunt, septimo perfecte completus, auræ seu nutrimenti defectu petit exitum; quod si tunc in radice fortis fuerit, nascitur, & viuit. Si autem virtutis impotentia, aut cotyledonum resistentia, nasci non possit, maxime debilitatur: quare si in octauo tunc nasci contingit, eidem aduenit, quod, qui laborem secundo aggreditur, a primo nondum releuatus: etiam in tantum in secundo illo motu debilitatur, vt natus viuere non possit.* Sed eadem ratione nec in decimo mense, aut vndecimo natum posse viuere argui queat. At Astrologi moras fœtus in vtero distinctas inuenerunt; maiorem scilicet, mediam & minorem. Maior siquidem exsistit 288. dierum, qui menses nouem & dies 18. constituunt. Media dierum 273. exsistit, quibus perficiuntur menses nouem & dies 3. Minor dierum est 258. menses octo, & dies 15. perficientium. Sed hæc ad Astrologos pertinent. Istis ergo omissis, diligenter oportet distinguere notas conceptionis, & impræ-gnationis, ne error contingat: cum aliquæ mulieres virgines se fingant, licet grauidæ sint, vt medicos decipiant: *quod aliquando euenit Medico licet peritissimo, qui puellam grauidam, hydrope fingentem se laborare, curabat, etiam adhibitis multis medicamentis. Ad hanc ego noctu euocatus, animaduerti, quod conceperat. Cum autem famula esset, neque domina ipsius aut astantes grauidam eam esse, suspicarentur, ipsa acriter id negabat. Ego nihilominus perstabam, & obstetricem accersendam dixi. Qua præsente, feliciter peperit, dolo iam omnibus aperto.* Tam scelesta est hæc puellarum quarundam impostura, vt etiam medicos, maxime nihil tale suspicantes, fallat. Præter autem signa conceptionis iam dicta, statim hic post conceptionem vteri os retrahitur & occluditur, vt diximus, etiam Veneris actus prægnanti languescit, & menstrua purgatio præter consuetudinem subsistit. Nec tamen hoc postremum stato tempore procedit: si enim vteri acetabula secundarum adhæsu obturentur, & os ipsum interius conniueat, nihil sanguinis ex vteri capacitate elabitur: At quibus fortasse sanguis primis mensibus, aut etiam postremis effluxit, ex iis venis, quæ ad vteri ceruicem pertinent, quemadmodum & virginibus, emanat, citra vllam fœtus offensionem. Mense secundo, etiamsi menstrui aliquid profluat, qui tamen prouida solersque natura sanguinis nonnihil reponit in mammas, superioresque sedes, pectoris venæ impleri, mammæ vtero turgere ac durescere incipiunt. Fœtu grandescente, latera lumbique expanduntur, dilatanturque, ac venter citra manifestam grauitatem intumescit. Quibusdam tum temporis in facie citrinæ vel liuidæ maculæ, vt in puella, quam medicus pro hydropica curabat. Iam & lentigenes quoque efflorescunt, vel oculorum ambitus liuescit, aspectu languido; & alia symptomata vrgent; de quibus dictum est prius. Quibus & illa addere posses, quibus virgines probari diximus. Plura de his habes apud Bonaciolum lib. 1. muliebrium, cap. 1. Quo examine grauida cognoscitur. At signa ex vrina sola desumta sæpe fallunt, quamuis aliqui, vt Fernelius, & Guainerius, & Auicen. velint, esse subsidentiam tenuem, disiectam carminato gossypio perquam similem. Verum illud, vt in lib. nostris de incerto vrinarum iudicio, contra Vromantes, patet, sæpe medicum fallere potest. Sed quibus modis fœtus & gestatio discernatur a mola, mox dicemus. At qui putant, a parte vteri dextra semper mares constitui, in sinistra fœminas; ex animalium resectionibus (*inquit Benedictus Veronensis lib. 25. cap. 7.*) facile redarguuntur: tum sæpenumero euenit, vt eadem in parte vteri gemini, mas & fœmina generentur. Idque satis inspeximus in viperis pedestribus. Quod igitur mares semper in dextra, & fœminæ in sinistra parte concipiantur, mera somnia sunt. Nam cum etiam gemini gestarentur, mas & fœmina, marem in læua, fœminam in dextra contineri conspectum est. Qui vero testem dextrum, marem generare arbitrantur,

10

11

Ratio medicorum cur septimo mense fœtus expulsus viuat, & octauo moriatur.

12 *Signa impregnationis cur diligenter notanda.*

Quomodo prægnantibus sanguis effluere potest ex vteri ceruice.

13

14 tur, facile, inquit Aristoteles, serpentum argumento conuincuntur, qui testibus carent; in quo genere & mares & fœminæ conspiciuntur; sed a partibus dextris vel sinistris, qualis exeuntis seminis non sine aliqua ratione calidius, ex quo mares progenerantur. Alii, si a parte dextra auulsum semen est, & descendit in vuluam, aut locos, masculus gignitur: fœmina, cum id, quod a sinistra: alii propter propriam seminis commistionem, vel propter caliditatem, vel frigiditatem gigni. Calidius vero semen marem progignit, frigidius fœminam. Gemelli & tergemini secundum aliquos, generantur propter calidum semen in locum contractum, atque ibidem decisum. Alii autem comprehensiones caussantur. Nos vero dicimus, quod si decisum sperma defluxerit in locos binos, tunc gemellos; si in trinos, tunc tergeminos nasci. Alii quædam experimenta addunt, dum fœmina masculum vel fœminam gerat; vt ad longum videre poteris apud Guainerium: vide & ea, quæ Priscianus & Erotis in Harmonia Gynæciorum scripserunt. At Aetius inquit: *Hippocrates ceterique asseruerunt, marem futurum indicari, si prægnantis color iucundior, faciliores que motus fuerint, & dextra mamma amplior tumidiorq; ac præcipue pupilla, apparuerit. Contra pallidus color, mammaq; sinistra & pupilla tumidior fœminam indicat.* Sed & in maris conceptu, dextræ partis vasa, venæ, inquam, & arteriæ, magis intumescunt, præsertim quæ sunt in lingua: sicut in conceptu fœminæ oppositum conspicamur. Certissimum vero ac minime fallax masculi fœtus indicium est, si prægnans dextræ manus pulsum validiorem, velociorem, maiorem, duriorem que habuerit: ac fœminæ, si talis sinister fuerit. Nunc ad molam nostra vertatur oratio.

Gemelli & tergemini.

15

Num mas vel fœmina sit futurus.

Observatio LX.

De vteri mola.

1 RVstica mulier in Waterlandia, cum Alcmariæ medicinam adhuc facerem, multo tempore carneam molam gestabat in vtero, aliquot etiam annis, plus minus sex; ita vt tandem in hydropem conuersa fuerit; doloribus tandem superuenientibus: Iis illa tamen remediis, quæ ad menses euocandos faciunt, tum hydropem, a me curata fuit, carneamque molam excreuit. Ita etiam per me curata fuit, cum praxin in Gallia Pithueris exercerem, & altera mulier, quę prope Pithueros habitabat, quæ per triennium molam gestauerat. Neq; illud admiratu dignum, cum & Dodonæus, amicus noster referat in suis Obs. cap. 49. viduam quandam in vtero olim gestasse molam annis plus minus quindecim. Existimabat vterũ prolapsum, quod in ostio vteri propendere aliquid sentiret: profluebant statis temporibus menses (*quod tamen nostris agris non contingebat*) & subinde copiosiores, quam par erat. Tandem quodam tempore, superuenientibus nonnullis partus doloribus, rudem excreuit, & informem carneam molem, pedem fere longam, latam semipedem, tres quatuorue digitos altam.

Scholia.

2 EA est naturæ prouidentia, vt calor opifex & formator eorum, quæ operantur, nunquam sit otiosus; sed quamlibet materiam in opus aliquod miro artificio ducat, qualecunque tandem sit. Sic ex putredine Aristoteles vermes generari scribit. Sic ex materia, quam pro arbitrio tractare non possit, quia aut copiosior, aut minore copia, aut ex diuersis generibus constans, minusque sequax est, monstrum generat, siquidem aliquid perfectius non licet. Ita materiam tractabilem si repererit ex vtriusque semine, in vtero fœtum pulcerrimum ad vtriusque exemplar diuinitus fabricatur, aut vni magis quam alteri similem, pro ratione materiæ & viribus imaginatricis facultatis, tanquam optimi moderatoris. Si vero ipse imbecillior sit, materia autem subiecta qualitate, quantitate, consistentia, aut mixtione alicuius extranei, vt sanguinis crassi, aut alterius succi vitiosi, ineptior ad tantam perfectionem, aliquid tamen, ne nihil, generat, siue animatum, siue rude & expers vitæ. Sic Hollerii interpres vidit mulierem, quæ cum nouem mensium spatio vterum gestasset, omnibus, quæ in legitimo partu euenire solent, mirifice respondentibus, tandem nihil aliud præter animalia quædam ranis haud absimilia, cum multis purgationibus cruentis & corruptis, in lucem edidit. Refert & de alia cui carnea moles informis cum fœtu, veluti superfœtatione quadam, exiit. Et ego mulierem rusticam noui, quæ cum grauida putaretur, animalculum peperit instar limacis. Dominus Valeriola multas habet & admirandas in eiusmodi partu obseruationes, curationemque pulcerrimam de mola, cui partus quatuor mensium erat alligatus, cum ipsa iam pro vero fœtu nouem mensibus in vtero latitasset. Ceterum mola, de qua nunc dicere cœpimus, diuerso modo sumitur: nam molam vteri, quidam omnem rem præter naturam quæ pondere grauat, & mole extendit vterum, nominant; vt Rhases, vt videantur caput de falsa conceptione fecisse. Sed Auicenna etiam extensionem flatuum sic nominari vult, dummodo cum suppressione malum sit. Paulus lib. 3. capit. 69. De mola, omnem duritiem comprehendit, vt & scirrhos: sic enim scribit: *Mola quoque induratus est tumor, interim in vuluæ ostiolo, interim in tota quoque prominet, vnde in tophaceam quoque duritiem occalescit, tum ea quæ superiacent contrahuntur.* Nam & inter propria quoque vteri vitia connumeratur, id quod a Græcis Μύλη, a Latinis Mola nuncupatur, nomen sumens a motus, tum difficultate, tum grauitate, vt Aetius refert *cap. 80. lib. 16.* Nam veluti mola ipsa grauis atque difficulter mouetur; ita & affectus hic mola appellatur ad eius similitudinem, & grauat & difficulter mouetur; licet non nisi per accidens, vt dicemus; quemadmodum & ipsa mola. Hanc molam induratam esse vteri tumorem, qui modo in vuluæ ostiolo, interim in tota ipsa prominet, Aetius citato loco, & Paulus *cap. 69. lib. 3.* fatentur; etsi idem Paulus in fi-

Historia mulieris parientis animalia ranis similia.

3

Mola vteri diuerso modo sumitur.

Mola vnde dicta.

4 ne citati capitis aliorum quorundam auctoritate asserat, molam carnem esse informem, ipsis vuluæ tunicis adhærescentem, ac fœtus modo in lucem edi. Barbaram sectantes medicinam cum etiam triplicem molam faciunt, nonnulli & quadruplicem, carneam, humoralem, ventosam, & aquosam. De mola ex flatu exstat apud Valescum exemplum, *libr. 6. capit. 15. Ego*, inquit, *tempore pueritiæ meæ dum addiscerem artes liberales Vlissopona, vidi quod quadam Iudæa credidit se prægnantem, cui fuerunt præparata omnia, quæ sunt necessaria, & dum obstetrices matricem tractarent, tanta ventositas sine vllo alio liquore exiuit à matrice, quod fuit mirum: & hoc per totam ciuitatem Vlissopona, & per totum studium fuit diuulgatum.* Id quoque à Dodonæo scribitur obseruatum *cap. 49.* & eiusmodi inflationem efficaci remedio ab ipso curatam, prodeuntibus per pudendum, veluti per anum excerni solent, ventis. Aquæ collectionem ipse etiam in vidua quadam vidit; quæ, defuncto marito, cum se grauidam relictam æstimaret, nouem mensibus adimpletis, superuenientibus partus doloribus, non nisi aquosos humores enixa est, à quibus liberata, lacte vbera repleta habuit, haud aliter, quam si fœtum peperisset. At eodem quoque auctore in Scholio, hæ quidem molæ ventosæ & aquosæ cognominatæ, à Græcis & veteribus Medicis pro molis non agnoscuntur. Flatuum in vtero collectionem

Barbaram sectantes medicinam, multiplices molas faciunt.

1 ἐμπνευμάτωσιν τῆς μήτρας, Inflationem vteri, & posteriores inflationem matricis nominant; de qua dictum est antea; & curatur, vt vteri inflatio. De aquosi humoris in vtero collectione meminit Hippocrat. in libro de natura muliebri; tum & Aetius, qui vteri hydropem appellat; de qua prius quoque diximus. Hippocrates aquæ in vteris collectionem grauidis superuenire affirmare videtur: Aetius tunc humoris copiam in vterum confluere, quando menses suppressi sint, & imprægnatio impedita. *Vtrumque nobis*, inquit Dodonæus; *obseruare contigit: memini enim nonnullis vna cum fœtu copiosum aquosum humorem ex vtero processisse, fœtu debili ac non vitali.* Id etiam nos aliquando vidimus. Sed vidua altera, de qua scripsit, quæ existimabat grauidam se relictam, solum aquosum in vtero gestauit humorem. Sed & Neoterici quidam barbaram facientes medicinam, ipsi Molæ quoque varia nomina & diuersa imposuere. Nam à Gordonio cum sit frustum carnis informis & sine figura, vocatur Pecus; alii vero vocant Fratrem Lombardorum; quem, inquit Gilbertus, mulieres Salernitanæ tempore viuificationis nituntur occidere potu succi apii & porrorum. Sed apium fœtui epilepsiam generat. Alii, *eodem Gordonio teste*, vocant *Harpyiam*. Intelligendum enim, inquit, quod vermes, reptilia, harpyia, & frater Lombardorum possunt generari in vtero. Sed vermes raro: quia in intestinis generantur ex superfluitate multum impura, rarissime autem in matrice: sed aliquid enorme, vt mola seu harpyia, ex semine mulieris corrupto, & ex carentia spermatis viri, & ex calore innaturali. Sed frequentius in mulieribus Lombardiæ (*hinc forte quoque nomen Fratris Lombardorum assumsit*) aut quia magis laborant, vel magis subiectæ sunt, propter corruptionem nutrimenti, sicuti in Apulia. Vnde communiter dicitur, Italas mulieres pessime viuere ex fructibus & herbis, at se bene induere. Azaranius Molam ad similitudinem lapidis molaris dictam putat, ex pondere & grauitate contingente in ventre mulieris, tanquam ibi lapis molaris esset; etiam ex motu huius materiæ per ventrem, dum mulier se reuoluat; vel quod ventrem comprimat ad similitudinem lapidis se mouentis. Et Valescus dicebat ex pondere aggrauante dictam esse. Verum cum alii triplicem molam faciant; melius tamen est seorsum curationis variorum affectuum ponere, neque confundere; & molam eam solam & proprie appellare, quam dixerunt talem veteres, Aristoteles & Galenus, sic definientes: Mola est caro inutilis & informis in vtero genita: quæ & aliquando breui emittitur, aliquando vero diu durat per annos. Et ideo, quidquid præcitati auctores afferant, nos cum Iacchino & Donato Galenum sectantes, dicimus cum eo, *Molam esse carnem informem, quæ in mulieribus vtero gestatur, vt 14. method. medend. ab eo scriptum est.* Vel: *molam esse carnem quandam inutilem atque informem*; eiusdem *Galen. sententia 14. de vsu part.* Quapropter non omnem induratum vteri tumorem molam esse fatemur, *vt Paulus & Aetius sentire videntur*; sed inutilem illum conceptum carnosum atque informem, qui etiam vtero gestatur. Inutilis namque est, cum sit à natura aliena caro illa, nec vtilis mulieri, cum & ipsi grauet, ac laborem inferat, impediatque mensium purgationes. Nec etiam vtilis pro generis propagatione, veluti naturalis conceptus est. Est idem informis caro hæc, cum artificiosa forma & humana careat, licet quandam figuram contineat: quinimo diuersas figurationes suscipit, pro diuersitate materiæ ex qua generatur, similiter & agentis, à quo figurationem recipit. Quod vero sub conceptu mola contineatur, licet idem imperfectus, atque inconcoctus sit, *confirmatur ab Aristotel. 4. de generatione animal. cap. 7. dum dixit: Cum igitur ex humore concoctu difficili conceptus consistit, tunc gignitur, quod mola dicitur: afficitur enim conceptus eo modo, quo ea, quæ inquinari dicimus cum elixantur. Portatur etiam seu gestatur vtero conceptus hic, qui mola appellatur, & non est vteri tumor induratus in eius substantia ortus, quoniam interdum fœtus modo in lucem editur.* Pariunt enim quandoque mulieres carnem hanc, quam molam vocamus *vt testatur idem Aristot. eodem loco.* & Aetius aliud, quorundam auctoritate, confirmauit citato loco, cum dixit; *Quidam vero tradunt in quibusdam mulieribus carunculas ad iuglandis magnitudinem per pudendum excretas esse, aliquando singulis mensibus, aliquando bimestres, aut trimestres.* Præterea Galen. *eodem 14. de vsu part.* scriptum reliquit, molæ conceptum ouo proportione respondere, quamuis

Diuersa Molæ nomina.

6

Mola est caro informis atque inutilis in vtero genita.

Mola quid sit ex Galeno.

7

quamuis non perfecto, sed subuentaneo: at oua animalium partes non sunt, nec eorundem tumores præter naturam, sed proportione respondent iis, quæ adnascuntur, *vt liquet ex eodem Galeno 11. de simpl. medic. facult.* Quare & mola in numero eorum, quę adnascuntur exsistit, non tamen familiarium; & vtero gestatur, at non ipsius induratus tumor est. Hinc quoque patet eorum error (*vt paulo ante diximus*) qui volunt molam esse in multiplici differentia. Nam præter hanc, quæ carnosa exsistit, quampiam etiam flatuosam esse fatentur: quoniam nisi caro sit inutilis, atque informis, quæ in mulieribus vtero gestatur, haudquaquã mola appellari debet; *vt paulo ante recensuimus ex Aristot. & Galen.* Quod vero vterus afficiatur in hoc vitio ex mensium suppressione, præter naturam tumore, ac ipsiusmet vteri dolore percipitur. Affectus vero morbus in compositione, speciatim in numero, ac inter eos, qui toto genere præter naturam exsistunt; velut est lapis in vesica, *iuxta Galeni sententiam eodem 14. Method. medend.* Quamquam Aristot. velit, quod nec perfectam, nec alienam omnino habeat naturam mola ipsa. Atqui Galen. propterea toto genere pręter naturam eam esse fatetur, veluti in vesica calculus, hypochyma, & myrmecia. quoniam omnia talia tanquam molesta, & inutilia, in totum submouere properamus; & non quod in eius generatione seu substantia nihil sit eorum, quæ secundum naturam sunt, qua de re ab Aristotele non discrepat. Sed hæc exemplis subsequentibus multo clariora patebunt.

Error quorundã de Mola.

Quod vterus afficiatur.

Quis affectus præter naturam sit mola.

Observatio LXI.

De mola reiecta quasi oculos multos habente, & de aliis diuersa forma.

ANNA Iuonis, vxor Bartholomæi Simonis Mercatoris dicti, mulier si quæ altera valde obesa, attamen fœcunda, quæ Alcmariæ habitabat, in platea vulgo *Houtil* dicta, cum aliquot mensibus sese putasset grauidam, postea cœpit dubitare: cuius caussa me vocauit. Ex signis dictis animaduerti illam mola laborare; ex tumore videlicet duro circa vteri partes detractione, seu contractione partium superiacentium; deinde, cum illa ex natura crassa & obesa esset, quod corpus gracile euadebat, deinde appetitus prostratus esset, mensesque non solum suppressi, sed & colore vitioso afficeretur; & quamuis mammæ intumescerent, manus tamẽ pedesq; molliores gracilescebant, incessus grauior erat, ac oculi labiaq; tumebant, & facies pallescebat, stomachusque subuertebatur, lumbi grauabantur, venterque attollebatur; adeo vt primum conceptus veri de se signa præberet: quod etiam peritissimis imponere potuisset: verum temporis progressu apertius discernebatur; cum & dolor punctorius adesset, nec motum vllum sentiret: nam molam dolor punctionis sensum inferens subsequitur, nec in ea motus vllus, velut in vteri conceptu percipitur, nisi quod per compressionem dextra & sinistra mouetur, cum manibus mola comprimitur, & ex accidenti quoq; cum mulier de vno latere in alterum vertitur. Cum hæc adessent, & postea, toto corpore imminuto, venter ampliaretur, existimauit se hydrope laborare. Præfert quidem per se postea hydropis imaginem: tamen ab illa discernitur per tumoris duritiem, & quod tumor hic ad digitorum compressionem, ac pulsationem non cedit, neq; tympani sonum veluti in hydrope edit; & quod neque ad manus contactum vlla fluctuatio percipitur; quamquam temporis progressu (vt sæpe vidimus) quandoque hepate perfrigerato hydrops ei superueniat, vt liquet ex Paulo & Aetio. Quod igitur hic neque tympanitis modo venter sonabat, neque ascitis modo ad manus contactum fluctuabat, molam esse percepi ex signis iam dictis. Primo autem nostris monitis non auscultans, multa ac varia remedia apud illam tum diuersa tentata fuere, tam per obstetricem quam per alias mulieres. Verum cum non proficeret, denuo me vocauit. Cui vt minus tædio medicamentorum afficeretur, vt nostra tum remedia tum præcepta diu diligenterque obseruaret, neque a curatione desisteret, vtilis fuit hæc historia Gradi de Medico, qui breui tempore molam se curaturum promittebat. Noui, inquit, ego Medicum præstantis famæ, qui mulieri patienti molam a multis mensibus, promittebat, intra duas vel tres horas curationem. Verum ipsa animaduertẽs, quod emitteret fructum carneum magnum durum, idque per duas horas quibusdam medicamentis adhibitis; prudentior ipsa admodum apposite & facete suo Medico respondit: Bone domine mi, si ista materia crassa per tot menses generata est in ventre, seu vtero, & continuo etiam augmentata in tanto tempore, quia iam transiit annus & amplius, quod hac mola laborauerim, quomodo tam exiguo tempore poterit educi, nisi cum maxima violentia? Ego, inquiens, non volo liberari tam subito & repente cum medicamentis ita violentis: nam timerem, quod citius me interficerent, quam curarent. Et ita cum prius hunc Medicum virum doctum & peritum esse existimabat, eundem nunc minime doctrina præditum iudicabat. Verum hæc nostra ægra tandem totum negotium mihi commisit; donec ab illa molestia, & graui malo liberari posset. Ideo cum aluum lenem non haberet, omnium primo exhibui lenitiuum medicamentum ad vnciam vnam, & quamuis hic sanguinem mittere iubent, si adsit plethora, & mulieres ferre possunt, vt adimatur alimentum; tamen hic non conueniebat in pituitosa & crassa muliere, frigidis & crassis humoribus abundante. Iis itaq; prius præparatis & purgatis, eodem modo quo faciendum docuimus ad menses suppressos; medicamentis deinde tam intus quam extra, quę laxandi ac molliendi & mitigandi vim haberent, vsi sumus; etiam subinde aluo irritata, si illa durior esset, per glandes acutiores. Inprimis ventrem imum oleis dictis sæpe foueri iussimus, anethino, chamæmelino, & liliacea, tam ob dolorem quam emollitionem. Hoc quoque decoctum sæpe ebibit.

℞. rad. brusci, asparagi, ana ℥ j. maluæ cum rad. parietariæ, viol. (*ad emollitionem*) *sabinæ viridis, stœchados Arab. flor. chamæmeli Romani, cassutæ, fœniculi virid. saxifrag. cum rad. pulegii, artemisiæ, ana m. ß. glycyrrh. ras. ʒ vj. rutæ, anethi, ana p. j. sem. anisi, carui, fœniculi, ana ʒ ij. coquantur in aqua & vino Rhenensi pro ℔ j. ß. stent per noctem supra herbas, colaturæ addendo syrup. e stœchade, de artemis. de calaminth. ana ℥ ß. mellis ros. colati ℥ ij. ß. aromat. cum ʒ iij. cinnamomi electi: fiat apozema ad modum clareti*, bis eo vtebatur. Ruta & anethum hic maxime commendantur. Sic Philosophus, (*teste Aetio lib. 16. cap. 82. de mola*) *Detentis, inquit, vxoris amici menstruis, primo eam concepisse, arbitrabar, postea exaucto magis tumore, hydropem suspicari cœpi, quod totum corpus ac pedes tumefieri cernerem: at tandem vbi id esse morbi genus deprehendi, quod alii Plinthum, alii Molam appellant, rutam & anethum in vino antiquo ruffo odorato decoxi, atque inde herbis abiectis vinum calidum propinaui prope aquæ loco huiusmodi offerens, statimque mulier, excreta cruoris copia salutem adepta est.* Sed vt reuertar ad nostram ægrotam, postea dabam has pilulas subsequentes. *℞. trochisc. de myrrha ʒ j. euphorbij* gran. j. *cum syrup. de artemesia, fiant pilulæ j x. dentur iij. omni vespera.* Postea decocto suprascripto addebam *foliorum senæ ℥ j. & ʒ ij. agarici optimi, & zinzib.* ℈ j. Deinde iterum pilulas dedi, ventri cataplasmate sequenti imposito & pectini ipso. *℞. rad. althææ mund. ʒ iij. folior. maluæ, althææ, & rad. maluæ, ana m. j. coquantur in aqua communi, ad mollitudinem pistentur, adde muccilag. fœnugræc. sem. lini, ana ℥ ß. pul. sem. anisi, fœniculi, ana ʒ j. farinæ seminis lini, fœnugræc. ana m. j. butyri recentis, olei liliorum, ana ℥ j. olei chamæmelini ℥ ß. fiat cataplasma.* Alii addunt aquam mulsam & paucum vinum odoratum, & inde cataplasmata conficiunt. Pessis quoque vtebamur ex œsypo, butyro, adipe anserino, medulla, cum oleo samsuchino, & intus oleo liliaceo oblinebat. Aetius & ex iisdem pessos subiicit; vel ex medulla aut cerebro ceruino, melle, caricis pinguibus passulis, cum oleo antiquo ligustrino, irino, samsuchino, susino. Verum cum nostra mulier etiam interiora vuluæ digito inunxisset sequenti linimento. *℞. olei lilior. ℥ j. moschi optimi* gran. *vij. croci orientalis* ℈ ß. tandem, his remediis reiteratis, molam carneam reiecit, quasi multis oculis refertam, rotundam, multo ampliorem palma manus, imo ad duas fere excedentem. Noui & aliam mulierem, quæ nullo modo nec medicamentis poterat curari, & valde de vita periclitabatur, cui consultum fuit a vetula, vt fumigium ex anetho & cumino super prunas iniectis sub vestibus fieret, vel sub sella perforata: illudque recipiens, molam cruentam & satis magnam excretam excreuit, & conualuit. Ita & alia, cui emplastrum ex fimo bouillo pectini appositum fuit. Venit & mihi eo tempore, quo præcedente mulierem præ manibus haberem, in mentem historia Antonii Betti, Medici Bononiẽsis præclari, quam ex Cronenburgio Medico Coloniensi, qui ante nos Bononiæ eundem Bettum subinde in praxi sequutus fuerat, accepimus. *Anno videlicet 1538. mense Februario, vna cum Betto Medico, vidit mulierem, quæ mense tertio abortiit, & vna cum fœtu humano perfecte, & rite figurato molam carneam ad magnitudinem fere gallinæ, eiecit: in qua caput erat configuratum cum rostro in similitudinem aquilæ, sed aduncum non erat: rictus cartilagineus vtrimque diduci poterat, oculorum loca expressa erant informia, a latere membranæ carnosæ, cuiusmodi in effigie sculpta quoque erant. Cronenburchius cum condiscipulis caussam inquirentes, quæ huiusmodi figuram, seu formam materiæ impressisset, offenderunt in cubiculo, vbi decumbebat puerpera, ad focum in camino sculptas monstrosas imagines, inter quas duæ sibi ex aduerso sculptæ, exquisite, perfecteque capita ad humores vsque isti monstro a puerpera edito similia præferebant. Iudicauit cum illis præceptor, vehementem earum imaginum in phantasia impressionem, caussam fuisse, vt in semen virile copiosa materia menstrua monstrosam formam induxerit; aut virtute formatiua seminis virilis debili exsistente.* Hoc ipsum confirmat Galenus, *libro De theriaca ad Pisonem pag. 77. historam narrans de deformi quodam puellam pulcram procreare cupiente, qui depinxit in lato ligno elegantem puellam, dicebatque mulieri, vt inter coeundum in illam inspiceret.* Bettus huic mulieri ad secundinam prouocandam dedit hanc compositionem: *℞. pul. cassiæ ligneæ, cortic. interioris cassiæ fistulæ, rubiæ tinctorum, croci semin. porri, trochisc. myrrhæ, ana ʒ ß. misce. dosis erat ʒ j. in iure gallinaceo, aut carnium, & contulit. Eiecit autem postridie molam dictam, quum hunc puluerem ad secundinam depellendam sumsisset. Tandem compositionem in pilulas formauit, ad eliciendos menses, atque in 12. pilulis formato puluere, dedit & mane tres ante potum cum decocto cicerum & capill. veneris.* Vidimus Cydone, *inquit Benedictus Veronensis lib. 25. cap. 34. De mola ex Aristotele*, mulierem quæ octauum ante partum gestauerat, & cum insequenti se etiam concepisse putasset, & iam decimum mensem attingeret, vna nocte ei sanguis congii mensura rubicundus effluit. Vidimus mulierem, quando eo trepido profluuio omnes territi fuerant: eius labra animaduertimus tumentia, ac oculorum genas, facie de cetero pallescente; brachia præter consuetudinem macilenta videbantur: ventrem deinde detumuisse, & in eo pondus molestum sentire se aiebat: proinde in vtero molam esse omnino adiudicauimus. Obstetrix clausam esse naturam nuntiauit: coniectis inuicem tribus pessis ex galbano, bdellio, opoponace compositis, iam naturalia ora patefacta sunt, miro naturæ opere: modum subinde extraxit obstetrix in tria frusta discerptam, quæ subinde consuta molam integram rotundam constituere, superstitione quadam, ad auertendam talem molam, & infumari camino iusserunt. Ea informis erat, cute humana obducta, intus materia sine ossibus, sine corde, sine iecore ac intestinis; sed

confusa quædam caro erat mollis, venis consper-sa pluribus, cucumeris magni rotundi modo; ea duritiem nullam adhuc contrahere poterat. Huius rei infinita pene exempla sunt. Vidimus Genuensem mulierem ad vitæ vsque exitum gestare ventosam: ac aquosam pariter ad quintum decimum mensem; cumque omnia ex ratione conceptus veri venissent, præter quod in ventre punctiones crebras submordentes patiebatur, soluto demum exiguo aquæ, cetera per se subsedere. His tamen vera mola & carnea non erat. At vera mola, *vt idem refert lib. citato, cap. 36. De mola generibus & signis*, Apuliam infestat, ac ora maritima Italiæ circa Pisanum agrum; plures enim molas simul parere visuntur. Nam quibusdam in locis superfœtant, bubonis similitudinem, & animal dirum pariter cum partu humano edunt. Interdum harpyiæ (vt dicunt) forma viuere subinde, eas dicunt, ac per cubiculum volitare, quæ sæpe in vtero partum necauere, aut rostro infesto, aut compressu. *Et ego audiui* (inquit Gradus) *mirabilia, sed non vidi, de animali generato in vtero cum alis, quod cum exiret matricem, volauit: multa tamen dicuntur, quæ non semper sunt vera.* At Benedictus Veronensis inquit: *Eam vim astro attribuunt incolæ philosophantes: propterea fera illa belua appellatur.* Vidimus & retentis menstruis, ad quintum decimum vterum gestasse mulierem, quæ medicatis locis spirauerat, vno & continuato profluuio exonerata est, vnde molam sanguineam vocabant. Filia Gualtheri, nuper nupta, apud Amatum, cum omnium opinione prægnans diceretur, loco fœtus quatuor animalia ranis similima peperit, & optime valuit; sed postea circa pectinem dolorem sentiebat, quem paucis adhibitis remediis sedauimus, & pulcerrime viuit. Similiter mulier Dionysii Pinti, cum puerum optime peperit, inter secundas animal ranæ similimum eiecit, & ipsa & puer pancratice habent. Mercatoris quoque, qui ex Anglia venit, vxor abortiuit, & secundo die post abortum simile quoque animal peperit; vt multis aliis euenisse vidimus, præcipue Anconitanis. Debet vero animal hoc inter molæ genera adnumerari, quale etiam illud, quod altera post abortum pepererit frustum quoddam carnis galli cristæ cum rostro gallinaceo similitudinem habens.

8

9

10

SCHOLIA.

ARistoteles igitur ait, *molam esse incoatam fœtus formationem, sed nunquam absolutam vt carnis genere deficiat generatio, ad genus vero animalis peruenire nequeat. Hæc ergo aut breui paritur, aut tota vita tempore seruatur, atque interim durescit adeo, vt nec ferro quidem discindi possit*: vt nos aliquando etiam spectauimus. *Quod vero possit diu durare, caussa est, quoniam non prorsus præter naturam, vt corrupta: est enim incoata actio. Quod vero durescat, materia cruda est in caussa. Caussa autem cur ad perfectionem non ducatur, est debilitas agentis, qua materia generationis non bene concoquitur, sed semicocta remanet, vnde & opus imperfectum facit, rerum instar, quæ ob debilitatem perfici nequeunt. Cur vero hoc in aliorum animalium fœminis non accidat, caussa est* (inquit) *quod mulier plurimum abundat menstruis, & efficitur vtero, id est, patitur affectus, a quibus impeditur actio concoquendi. Vnde massa semicruda permanet.* hæc ille. Et est eadem ratiocinatio, qua de menstruis agit *4. de generat. animalium 3.* Cum enim agens non superat, motum non attingit: sed vel extraneum a similitudine parentum gignit: vel etiam animal solum, id est monstrum, vt paulo ante dictum est; vel etiam carnem informem, id est, non animal, sed viuens. Galenus eadem via ingressus *14. de vsu part.* & cuncta in agentis debilitatem refert. Primum igitur generationem hanc similem facit, vt paulo superius dictum est, generationi oui subuentanæi: hoc vero vno discrepare ait, quod illud sine maris consuetudine gignitur; at mola non nisi mulieribus concumbentibus. Aliis enim nunquam (vt & Iacchinus testatur) visa est euenire. Vnde concludit Galenus, in hac conceptione, dimidium agentis, & imperfectius concurrisse, id est, semen fœminæ: at quod viri est, minime; vel protinus restinctum. Agit itaque concoquendo sanguinem menstruum, & in quandam carnis speciem ducendo, seu animal delineare nequit sine ope maris. Relinquitur igitur corpus viuens, & vegetans caro, quæ in nulla specie erit, nisi vt imperfectum ad genus perfecti reducitur, id est, ad genus carnis humanæ, sicut & embryo ad genus hominis. Coitus autem non iuuat ad hoc, vt semen maris in generationem deducat: sed quia in coitu ob voluptatem mouetur naturali motu semen mulieris ad vterum, atque admiscetur sanguini menstruo, vnde & concipit. Quod vero durescat, mora forte in caussa est, vna cum materia cruda & crassa, *vt Aristoteles dixit.* Ita & Fernelius molæ caussam efficientem dixit esse non solum saguinem menstruum, aut muliebre semen, sed viri semen, idque corruptum, aut quouis modo inualidum, quod alimentum quidem trahere, nihil vero conformare potest. Rondeletius putat, tam informem carnem, quam durum tumorem esse in actu (*iuxta Aetium & Paulum*) fierique primum ex semine veluti duram tunicam, & e sanguine crasso spissoque calore concreto, quæ nullam formam habet, & velut parenchyma quoddam vtero alligatur, & quod sic tumor apparet, ob inuolucri duritiem, ideoque tumorem durum dixerunt, informem autem, quia nullam animalis figuram habet. Fit autem secundum ipsum a semine & a sanguine multo crasso, spisso & concreto, quem immodicus calor cogit & in carnis formam transfert. Nam id euenit, quando plus sanguinis menstrui influit, quam sit necessum pro fœtus formatione. Spiritus autem genitiuus, aut qui opificis vires gerit, *vt ait Galenus*, non potest tantum materiæ elaborare, & ex ea fœtum formare. Nam ad fœtum vtrumque semen sufficit. Sanguis vero menstruus ad nutrienda illa semina vel augenda trahitur. Donatus tamen *aliam generationem suscipere*, ait, *secun-*

Fœmina aliorũ animalium ab homine non patiuntur molam. 11

12

Caussa.

Cura Aetium.

13 *dum quosdam, & quod hæc non* (vt Aetius asserit) *aliquando progressa inflammatione succedit : nec aliquando post locale vlcus, cui caro supercreuit, velut ea, quam ipse tumorem vteri induratum appellat : nec ex seminis muliebris, & plurimi sanguinis menstrui affluxu, ac in vtero retentione, quem cogit calor immodicus, ac in carnis formam transmutat, generationemque suscipit : sed aliam tum materialem, tum efficientem quoque caussam habet, vt ex Hippocr. Aristotel. & Galen. auctoritatibus* (inquit ipse) *demonstrabimus.* Ait enim Hippocrates lib. de sterilibus: *Molæ porro conceptus caussa hæc est, cum multi menses modicum & morbosum semen conceperint, neque conceptus recte fit, & venter plenus est, velut prægnantis : quibus verbis clare ostendit, materialem caussam ipsius molæ esse menses multos cum modico & morboso semine commixtos; semine, inquam, maris, & non fœminæ. Nam si de fœmineo semine intellexisset, frustra modicum & morbosum adiecisset; quum quantulumcunque & qualecumque tale semen esset frigidius & humidius exsistens, atque imperfectius viri semine, molæ conceptus non sequeretur.* Addidit etiam. *Neque fœtus rectus fit; quasi imperfectus conceptus sit in mola ex paucitate & vitio seminis ortus: namque ex eius mediocri multitudine ac salubritate fœtus rectus generatur, si cum moderatis mensibus fuerit permixtum.* Quod vero idem sentiat Aristot. (*addit Donatus*) *lib. 4. de generat. animal. clare patet.* Nam quærens, cur ceteris animalibus mola non generetur, nisi quid admodum lateat, sed mulieribus duntaxat? respondet, eam inter animalia affectionibus vteri obnoxium esse, & menstruis abundare : quibus verbis menstruorum copiam necessariam esse pro molæ generatione fatetur. Quod vero necessarium quoq; sit viri semen, eodem loco ostendit, cum dixit: Iam accidit cuidam mulieri, vt cum concubuisset, & se concepisse putasset, primum ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent: quæ demum difficultati intestinorum implicata, eoque modo periclitata peperit carnem, quam molam vocant. Quid clarius, quod semen viri simul cum sanguine menstruo concurrat in molæ generatione? Galenus autem *lib. 14. de vsu part.* aduersus eos, qui volebant fœminæ semen conferre ad fœtus generationem tamquam motus principium quoddam, hæc protulit verba: Si igitur eo vsque volunt semen fœminæ progredi: primum quidem, quod parum artificiosam actionem ei tribuit, quæ vtique vel soli menstruo forte affuerit, nemo est, qui ignoret: secundo autem, quod mentiuntur etiam in his, quæ accidunt explorandis. Non enim sicut gallinæ sine maribus oua pariunt, ita mulierem aliquando viderũt sine viro, vel molam, vel huiusmodi quippiam aliud concepisse. Cum igitur in fœmineo semine nullum adsit motus principium, neq; perfectum, neq; imperfectum, licet ad animalis generationem aliquid conferat, aut saltem si quid haberet, non nisi cum maris semine habere putandum est; *vt in eiusdem Galeni doctrina sæpius legitur:* absque controuersia censendum erit, neque perfectum fœtum, neque etiam molam citra viri semen posse generari, vt quidam ad pauca respicientes falso putarunt. Ceterum quod efficiens molæ caussa non sit immodicus calor, sed potius eiusdem caloris imbecillitas, ab eodem Aristotel. citato loco scriptum est. Loquens enim de molæ generatione sic ait: *Afficitur enim conceptus eodem modo, quo ea, quæ inquinari dicimus cum elixantur: nec per calorem, vt quidam volunt, sed potius propter caloris debilitatem. Natura enim de vita certare videtur, nec posse perficere, finemq; apponere generationi,* & demum subdit : *Caussa namque duritiæ cruditas est, quippe cum inquinatio quoque cruditas quædam sit.* Nam loquens de ouis, quæ subuentanea nuncupantur, quibus proportione molæ respondent, asserit, ea propterea esse imperfecta, & ex ipsis animal gigni non posse, veluti ex aliis ouis, quoniam vt perficiantur a masculo solam desiderant caliditatem. Ergo veluti ex diminuto calore subuentanea fiunt oua, ita & mola, quæ eisdem proportione respondet, ex imbecillo & non immodico calore ortum ducit. Erit autem eius generationis modus talis, quod cum in concubitu multa copia sanguinis menstrui in vteri cauitate contineatur, proiecto a mare modico, eoq; morboso semine, ac eidem sanguini menstruo commixto ex imbecillitate caloris, præcipue ipsius seminis, & secundario forte ipsius sanguinis menstrui, vtroq; tamen in vnum motum tanquam vno principio conspirante non potẽte eandem materiam perficere, ac concoquere, cum sit humor concoctu difficilis, vt inquit Aristot. neque finem generationi apponere, carnem hanc inutilem atque informem, quam molam vocant, idem imbecillus calor procreat, quę interim per annos tres aut quatuor, quandoq; tota vita perdurat, adeo vt consenescat, *vt inquit Aristot.* Hæc satis de caussis molæ veræ. Nunc aliud exemplum proferamus. Sed illud prius addere libet, quod Amatus *centur. 4. curat. 3.* idem sentit. Cum enim monacha ex iis, quæ religiose & secrete a turba viuunt, male haberet, & intra corpus motum præsentire se diceret, vnde ceteræ monachæ illam molam intus habere contendebant, & cum illud fieri non posset, consuluit Amatus, vt rem aut occultarent, aut alterius morbi genus asseuerarent. Quod Auerrhoes testatur, ex semine viri in balneo relicto mulierem prægnantem fuisse, quod & ante eum Hebręi testantur, qui ex filia Hieremiæ Prophetæ natum esse Benzyram tradunt, virum doctissimum & sapientissimum, id Galenus *7. Method. medend. cap. 6.* & aliis locis non admittit.

Materialis caussa molæ.

15 *Efficiens molæ caussa.*

Concluditur modum generationis molæ.

14

16

Observatio LXII.

De mola, instar accipitris caput rostratum habente, eiecta.

GErtrudis, mulier si quæ altera procera & pulcra admodum, & fœcunda, quæ Delphis pro ædibus corui insignium habebat, cum se grauidam putaret, vndecimo mense peracto, molam se habere suspicabatur. Quanquam aliquando contigerit, post decimum & vndecimum mensem peperisse; *vt etiam Amatus refert centur. 1. curat. 27.*

de partu

de partu decimestri, & de molæ generibus ac matricis varietate. 3 *Anna, inquit, consanguinea, Stephani Pyrrhi vxor, cum exacte conceptionis tempus obseruaret, post decem menses & vndecimi tres exactos dies puerum optime peperit: vterum enim gessit decem mensibus, & vndecimi tribus diebus.* Vnde Plinium verum dixisse lib. 7. naturalis historiæ cap. 5. *deprehendi,* inquit, *vbi præter Lucii Papirii prætoris opinionem affirmantis, hominis nullum esse pariendi statutum tempus, homo vsque ad initia vndecimi gignitur mensis. Vndecimo vero ab hora conceptionis mense Salomon Hebræorum sapientissimus in lucem prodit,* vt ipsemet testatur cap. 7. *Primogenitus quoq; Domini Herculis Ferrariæ illustrissimi Ducis decimestris est,* vt omnes ibidem norunt, & Brasauola scripsit: quem terminum Hippoc. tantum lib. De natura pueri prope finem signare videtur. Sed de iis, & eorum caussis, Leonardum Fuchsium Germanum legere est, qui Amati sententia, præ ceteris melius & accuratius lib. 6. Epid ea disseruit. Ceterum mulier illa, de qua nunc dicere cœpimus, cum non amplius se grauidam esse putaret, molam caput rostratum instar accipitris habentem cum vi quadam & maximis torminibus peperit, quam molam vidimus, adeo duram, vt ferro incidi non posset. & post eam reiectam subsequutus est ingens fluxus menstruorum, ita vt omnino ad deplorationem decumberet. 3 Mulierculæ vulgari nomine hanc beluam appellabant *een zuyger,* verum vbi carnea est quidem spongiosa, & non ita dura, cum oculis referta, & mollior, solent suo idiomate appellare lingua Germanica, *een manendracht,* quamuis eadem etiam mola exsistat quæuis caro informis. Ceterum fluxu enormi adeo subsequente, vt ipsa in syncopen inciderit, hoc præscripto condito, seu opiata, viribus refocillatis, & fluxu paulatim inhibito, cum pro mortua satis haberetur, præter opinionem astantium conualuit. ℞ *conser. ros. antiquæ seu veter.* ℥ j. *diacydon. sine speciebus* ℥ ß. *trochisc. de carabe, de terra sigillata, de spodio, cum sem. acetos. cornu cerui vsti, an.* ℈ j. *manus Christi cum perlis* ℥ ß. *rasuræ vnicornu. gr. iij. cum syr. cydon. & menthacco q. s. fiat conditum.* Eoq; cum vteretur ad libitum, tandem fluxus cessauit.

Scholia.

4 *Signa molæ & quibus modis differat a conceptione, & in quibus cum conceptione communicet.*

Signa molæ iam ex parte diximus Obs. 61. præcedente, & quibus modis ab hydrope & conceptione distinguatur, & quod deprehendatur grauitate vteri, & tensione maiore, quam in vera imprægnatione: sequiturque mensium suppressio, decoloratio, appetentiæ deiectio mammarum inflatio, &c, vt breuiter rursus dicam, omnia quæ in vera impregnatione solent accidere, nisi quod grauitas corporis, decoloratio, & appetitus deiectio diutius durant. Quod vero accidentia eueniant conceptioni similia, in caussa est, quod vterus occluditur, non secus ac super fœtum, non discernens initio vtile ab inutili, vnde retinentur menses. Sed post tractum temporis, cum solent fœtus copiam absumere, mulieres melius habent: hic vero semper deterius, quoniam semper caussę male habendi, abundent inagis, id est, retenti menses, vnde & cachexia fit, & tandem hydrops. Signa vero distinguentia sunt a conceptione, saltem post tempus: quoniam vbi concipiunt, leniri in vtero solent, hic ingrauescunt, & multo deteriora fiunt de grauitate, colore. Ex motu quoque, quoniam velut pondus iners debilitatur, quod si moueatur initio, at non consequitur augendo corpus in tempore, quo fœtus augeri solet. Addunt Arabes, menstruis propriis ordinate fluentibus imprægnatio vera fit, mola nunquam. Ante mensem tertium, motus in matrice sentitur in vera inprægnatione nunquam. Quod aliqui dicant, molam viuere etiam post partum, id ego non vidi: at Gradus scribit bis aut ter se vidisse, frustum carnis, quod mouebatur, vixisse per horas, cum tamen mulier se credebat prægnantem vere, sed eo emisso cessauit prægnatio cum accidentibus eius: quanquam alii etiam harpyias volitasse scripserint, vt ante dictum est, easque partum necasse aut rostro infesto, aut compressu. Verum hæc nostra mulier, de qua nunc diximus, solam illam molam rostratum peperit sine fœtu alio. Præterea distinguitur mola ab iisdem, quod in ea aluus citissime in tumorem tum venter attollatur, & velocius incrassetur, imo sæpe in tempore non perceptibili: fœtus quoque dextrorsum sinistrorsumque mouetur: contra mola, nisi comprimatur, aut mulieris motu excitetur, non mouetur, vel compressione violenta manu, eaque amota, ad pristinum locum redit. Fœtus quandoq; ex tali compressione mouetur, quandoque minime. Prægnans quoque agilior quam molam gerens, in mola aluus tactu durior reperitur, in vteri gestatione tractabilior. Quamuis his modis cognoscatur, vt apud Guainerium ad longum quoque docetur, tamen aliquando ita signa obscura sunt, vt sæpe fallant etiam Medicos peritos, vt contigit Grado in propria sua vxore, cuius historiam hic libet adferre. *Vxor mea (inquit) ætatis annorum 33. vel 34. bona habitudine, sanguinea, bona etiam compositione, postquam habuisset prius, dante Deo tres filios, at filiis postea orbata, & tali, tertio nempe filio. annorum 14. mediocris ingenii & bonæ spei, adeo vehementer mater præ tristitia continua per tres quasi continuos menses, quasi amens & debilis discursus affecta est. Tandem ei successerunt signa veræ imprægnationis, vnde incepit leniri de afflictione mentis ob defunctum filium, incepit quoque in operationibus animalibus & naturalibus rectificari, restrictis mensibus venter paulatim intumescebat, & increscebat, cum bonitate coloris matricis. & æquali quasi pondere ventris & dorsi, & cum reliquis accidentibus, quibus ipsa olim prægnans afficiebatur, saluo quod in singulis temporibus debita suæ menstruationis ordinate parum & valde modice sanguinis & menstrui manifestabatur. Cum tamen ante apparitionem signorum imprægnationis copiose multum menstruabatur. Succedente tertio mense ad finem, vel in principio quarti, percepit ipsa motum quasi concepti, vt alias consueuit tempore prægnationis, cum accidentibus reliquis, & appetitu, & bonitate coloris ad melius conuersis: &*

Signa distinguentia a conceptione.

5

6

Historia Gradi quomodo fuerit deceptus in propria sua vxore, in falsa imprægnatione.

ita successiue indies amplius manifestabatur motus, ita quod 7. & 8. mense, & manifestius in 9. mihi sæpe palpanti manibus supra ventrem eius obiiciebatur motus velut infantis, cum inspissatione, aliquoties impetuose sub manu comprimente, & amplius sæpe etiam, ipsa & iacente & aliquoties stante, manifestabatur visu sensualis motus rei globosæ in vtero, a dextro aliquoties versus sinistrum, & quasi depressio, crescentibus semper in ea accidentibus ad bonum, & de appetitu & bonitate coloris: crescente sola grauitate ex pondere circa partes inferioris ventris, & inhabilitate ad motum progressiuum, vt in reliquis communiter vero prægnantibus euenire solet in dictis mensibus. Ipsa tamen aliquoties leuiter dubitante de vera prægnatione, propter id solum quod singulis suis temporibus parcissime menstruabatur, cum tamen alias, cum esset prægnans, nullo modo menstruaretur: hoc tamen & mihi & aliis quibusdam doctissimis viris ad augmentum fidei prægnationis faciebat, vt idem faciet tibi, si considerabis quæ dicta sunt. Et ita his signis confirmatus sum in opinione veræ prægnationis, cum iudicio etiam multarum matronarum in his expertarum. Ipsa etiam annuente, accepimus in domo vnam nutricem in principio noni mensis, quæ erat proxima ad partum, & infra octo dies peperit vnam filiam, & eam tradidi, vt nutriretur sub alia nutrice, sustinendo lac enixæ cum aliis aduentitiis lactantibus & sugentibus lac eius, hoc fine tantum, vt purgato lacte eius tempore partus vxoris fœtus haberet sibi nutrimentum conueniens. At tandem transiuit 9. mensis, 10. & 11. cum continua exspectatione futuri proximi partus tandem transiuit 12. & 14. continuatis semper accidentibus apparentis veræ impragnationis, & reseruando nutricem in domo, vt dictum est. Post XI. tamen cœpit spes minui, & diffidentia intendi: ita quod expedito 14. mense, sublata mihi omni spe, dixi ego consorti meæ, non amplius sperandum de prægnatione, nusquam legissem veram prægnationem vltra 14. mensem extendi posse, imo raro vltra 9. & rarius vltra 10. licet aliquoties mulieres cum sunt mola affectæ in primis mensibus, aut duobus vel tribus mensibus, si imprægnantur post vera impregnatione, quod possibile est, sicut possibilis superimpragnatio, de mente Philosophi & aliorum: & tunc cum pariunt in 9. mense, & simul cum partu naturali emittitur sola mola, saltem si fuerit menstrualis, dicunt tunc mulieres se peperisse in 12. licet partus in veritate fuerit in 9. Verum tandem sic nos delusi de ista prægnatione, at ex vna parte dubitabam de mola vera animata, & sic quasi de impossibilitate curæ: ex alia parte, cum operationes omnes essent in ea incolumes, & naturales, & animales, præter motiuas insurgebat dubitatio, quod ibi non esset aliquid tale innaturale. Nam in tanto tempore debuisset communicare nocumentum hepati & reliquis membris, &c. Et ita in facto fuit: quoniam intra mensem, sine medicinis aliquibus acutis, sed cum solo vsu pilularum elephanginarum, semel in hebdomada, remota est omnis detumescentia ventris, & inhabilitas motus, & remansit perpetuo sana. Neque verecundor ego dicere, me casum illum non intellexisse: quoniam & sapientiori Medicorum Auenzoari, cui non essem dignus soluere fimbrias calciamentorum, idem contigisse legitur de quadam prægnante. Nam vt ipse refert 36. Theisis, erat in domo Haly filii Ioseph mulier, quæ conceperat, quod mihi erat incognitum, vt dixit, cui dedi medicinam mirabilis fortitudinis, in qua nullus posset existimari euadere, sine aborsu, bibendo etiam paruam eius mensuram, & tamen nihil perturbationis & malitiæ pertulit, & in debito termino peperit infantem a lesione immunem. Dolui errando, quod illi dederim medicinam talem, contra mandatum artis: sed feci deceptus, id est, ignorans. Subiiciamus ergo ceruices nostras, & superbiam nostram: neque existimemus nos omnia posse scire, non propterea desistamus a studiis continuis. Hactenus Gradus. Diligentes igitur simus, vt recte molam a conceptione distinguamus. Verum quod ad alias species attinet, quæ proprie non sunt molæ veræ, etiam doctiores de iis mentionem faciunt, vt Benedictus Veronensis. *At aquosus* (inquit) *interdum sanguis vitio iecoris in matricem transmittitur, vnde aliud molæ genus concipitur, venter grauidarum more tumet, sed mollior: præcordia plurimum veluti hydrops hyderos supprimit, vnde difficulter anhelant, & cum supina mouentur, sonitum intus cum murmure seu fluctuatione edunt.* Simili modo & ventus concipitur, qui per naturalia ingreditur, quod percussione quandoque euenit, frigore, cibo inflante, vel crasso in vtero humore, qui in spiritum versus inflat, is sæpe per crepitus emittitur, tum tympani modo sonat percussus venter, vnde tympanica hyderos a nonnullis putatur, nam præcordia, ilia, inguinaque non sine cruciatu extenduntur. Prima pertinet ad hydropem vteri, vt diximus: secunda ad vteri inflationem. Nam in vera mola carnea pondus maius, quam in prædictis sentitur, & motus est ex compressione ad latera in aquosa est maior grauitas, quam in ventosa, sed durities minor & quasi nulla, quamuis in vtraque venter vtrique extendatur, & ita grauantur partes diuersæ, sed in ventosa pondus extendens & grauans dorsum. Hæc rursus distinguuntur ab hydrope: quoniam in vera hydrope inter intestina & peritonæum colligitur aqua, & motu sentitur, ex fluctuatione: ita in tympanite vndique venter inflatur. Verum cum hæc non sit vera mola, recurrendum ad ea, quæ de inflatione vteri diximus, & de hydrope matricis. Restat vt sola signa prognostica de vera mola addamus. Cum ergo intenditur hic affectus in aquam subtercutem degenerat, nonnunquam etiam insanabilis magna ex parte redditur: quibusdam & sanguis erumpit, Paulo auctore. Hanc affectionem alii velut incurabilem penitus reliquerunt, alii incipientem tantum curari posse confidunt. Negligenda eius curatio non est, sed omnia, quæ conuenire videbuntur facienda, vt asserit Aetius. Quanquam Hippocrates *libr. eodem de morbis mulieribus sic de ea scripserit: Hanc igitur maxime quidem ne curato, aut certe cum prædictione.* Addunt Neoterici, si initio deprehendatur, non exspectandum tempus partus, sic enim sæpe incurabilis

Mola vera distinguitur a non vera, nempe aquosa & ventosa.

Signa prognostica.

rabilis est, aut onere grauata natura propulsatur, sed exeundo interficit, aut dolores acerbissimos, symptomataque periculosa inuehit. *Perpiniani* (inquit, interpres Hollerii) *vidimus mulierem nobilem interiisse, cum molam gestasset duodecim mensibus.* Omnis inquam, *mola* (*teste Guainerio*) *siue pauci siue multi temporis difficulter curatur: nam plurimi medici, dum dubitant de signis impragnationis, timentes aborsum, partus naturalis tempus exspectant: itaque de caussa forte in principio curationem facile recepisset, nunc autem cum difficultate curatur.* Alii vero qui præter carneam molam veram, alias species constituunt, dicunt humoralem difficilius curari ventosa, carneam difficilime. Iam & mola innumeros Medicos aberrare fecit. Antiqua hydropem ascitem inducit lethalem, vt postea exemplo docebimus: tympanitem quoque periculosam, si inflatio perdurantis vterum infestauerit: sed illa vera mola non est, vti diximus. Post molam raro rursus impraegnantur, & si conceperint, facile abortum patiuntur, aut morbosum fœtum pariunt, propter vteri vehementem debilitatem post molam relictam. Mola quoque indurata, siue id per congelationem acciderit, seu per adustionem, difficilime emittunt.

Observatio LXIII.

De Mola post fœtum perfectum reiecta.

1 Margaretha Cornelii, vxor Harweri mercatoris Delphensis, quum anno 1559. nono mense peperisset, eam eo tempore a secundina relicta liberauimus. Hæc ipsa rursus anno 1561. 29 die Maii, qui Veneris erat, cum feliciter peperisset masculum, bene deinde habuit. Die autem Dominico (*qui erat vltimus Maii*) subsequente, cum paulum vini sumsisset, horrorem experta est, ac parum febricitauit, & capite dolebat. Die vero Martis magis febricitauit, in ventre ac lumbis admodum torquebatur, molamque carneam reiecit. Et tunc ad illam vocati sumus. Mola autem, vt vidimus, erat instar volæ manus rotunda, dura, carnea, qualem etiam tertio die a partu nobilissimam matronam reiecisse vidimus, vt antea dictum est. At hæc mola, de qua nunc loquimur, erat partu quasi secundo vel secundina interuestita, ita vt pars superior magis neruosa propenderet instar secundinæ, adeo vt mulieres astantes secundinam ipsam membranam fœtum inuoluentem esse putarent, & obstetricem inculparent, quod puerperam a partu secundo seu secundina reliquerit. Sed ea aduentante, Heyla nomine, aut arte obstetricandi gnara, vt sæpe vidimus, molam quoque esse affirmauit, nobiscum sentiens, nec secundinam esse, licet membrana secundinæ instar carnea illa mola vestita erat, cum in principio partus secundinam ipsam vna cum partu excepisset. Cum autem molam hanc pareret, plurimum angebatur, cum ventris dolore ac lumborum acerbissimo. Sed quia purgatio non satis subsequebatur, nisi sordido quid ac male olente emanante, ventrem vndique inferius inungi iussimus oleo liliaceo, & pro febre quæ tunc continua erat, ptisanam ex hordeo & glycyrrhiza pro potu bibendam concessimus: nam cereuisia ad caput ferebatur, & facile paraphrenitidem induxisset. Sub noctem vero Cornelius Leydius, collega meus me senior eo tempore, vna ad eam vocatus fuit: sed nescio, qua de caussa noluit venire. Quare vt glans iniiceretur iussi, cum aluum non deponeret: at cum & Hugo Nieuenius, Medicus Haganus, eius mariti sororius, exspectaretur, id distulerunt in diem sequentem. Mane sequenti summo diluculo Hugo accessit vna cum Cornelio Heydio. Communi consilio tunc glans indita fuit ex *puluer. spec. hier.* ℥j. *salis exig. cum melle parata*, atque conclusum, si aluus a glande non solueretur, potionem sequentem exhibendam esse. ℞ *electuarium lenitiui* ℥vj. *cum decoct. cicerum rub. propinetur.* Verum a glande copiose satis aluum 3 deiecit, ac dolore ventris nonnihil sedato, potio exhibita non fuit. Interim vt purgatio magis succederet, & menses magis fluerent, ac in partu probe purgaretur, excrementis communibus nunc a glande eductis, pulu. hic descriptus est ℞ *nucleor. persicarum, rasura dactylor. ana* ℈ij. *cinnamomi electi* ℈j. ß. *sem. viol. commun. seu cærulearum,* ℈ij. *misce, fiat pulu. & diuidatur in ij. partes.* Hic enim puluis nec febri oberat, & post partum febricitantes puerperas egregie purgat, & menses in febricitantibus euocat, vt sæpe experti sumus: ac idipsum pro arcano habemus. Vnam dosin mane dedimus, alteram hora quarta pomeridiana. Menses satis fluxere, & a partis optime purgabatur, & febris minuebatur. Hordeatum pro cibo dedimus. Sub noctem vbi rediuimus, venter minus dolebat, & lumborum dolor magna ex parte cessauerat: licet in vertice capitis nonnihil doleret ad frontem & oculos dolore tendenti. Quare hic sacculus capiti appositus fuit. ℞ *flor. nymphææ. m. j. ß. corticum cap. pap. albi* ℥ij. *flor. viol. m. j. coriand. præpar. & modice contusi* ℥j. *in sacculum coronalem, vt artis est redigantur.* Die Iouis febris multum sese remiserat, & omnis dolor in ventre ac lumbis sedatus est, nec amplius caput dolebat, ac bene in partu purgabatur: hoc tantum restabat, quod nocte non dormierat, & hoc ex hordeato venisse putabat, inquiens, si lac acetosum vel ebutyratum cum ouo bullitum comedissem, vt in puerperio alias solita fui, bene dormiuissem. Tunc iterum iniecta glande, & vt illud lac sumeret admisso, amplius non febricitauit, sudauitque egregie, & purgatione menstrua optime procedente, septimo die a partu computando, a febre libera, recte deinde valuit.

Scholia.

4 Quibus modis mola vera curetur, exemplis dictis, & postea etiam vno subsequenti, satis constabit. Attamé pro eius curatione, si nó sponte reiiciatur, curabimus vt ægra decumbat in domuncula angustiore, minus luci exposita, modice perflata, cubili immobili, sed ita vt pedes habeat elatiores quietosque. Motus enim quamlibet flu-

Curatio molæ.

xionem concitat, vt testatur Paulus. Itaque aer temperatus in actiuis, aut modice ad calidum & siccum vergens eligatur somno moderato vtantur, exercitium potissimum partium infernarum fugiant, quandoq; vero moderata deambulatio confert: si aluus lenis quotidie & immodici animi, affectus omnino vitentur. Cibi tribuantur quantitate moderati, ac boni succi, sicque vini odorati, optime diluti potus: cum quibus interim ea quæ laxandi viribus prædita sunt, permisceas, & ea etiam quandoque quæ extenuandi vim habent. Vbi corpus plenum, in principio, vt diximus, venam secare iubent Paulus & Aetius, ac alii, si nihil prohibeat, venamq; cubiti secant: interim quoq;, præsertim circa initia huius affectus, malleolorum venam secare conuenit, multo sanguine abundante post sectionem venę cubiti. Alii inprimis corpus purgare iubent cum propriis præparationibus, respiciendo excrementa, quæ magis abundant, ne copia trahatur ad vterum: quo facto, si ferat ægra, venam secant tali, ob has cucurbitulas cum multa flamma pubi apponunt. Haud tamen multa copia sanguinis extrahenda est, quin potius, vbi opus fuerit reiteranda. Verum si frigidorum crassorumq; humorum copia adsit, ij parati purgandi sunt, vt alias diximus de suppressis mensibus. Deinde particularem curationem absoluemus, iuxta Aetium & alios, per cataplasmata relaxandi vires habentia, fomenta, collutiones mitigatorias, pessos mollitorios, qui ad durities vteri ante descripsi sunt, insessiones eiusdem facultatis, cerata ex althæa & diachylo supponemus, deinde (*vt Aetius inquit*) cucurbitulas cum scarificatione apponemus. Hæc quidem in ipsis exacerbationib. admittere oportet, in interuallis auté corpus reficiemus iis, quæ ad hunc vsum conueniunt vt gestatione, deambulatione, balneis, idoneis cibariis, ac vini potione. Partibus etiam affectu dropaces illinemus, & nitrum cum sale inspergemus, easdemq; insolabimus, & medicamento e sinapi & carycis rubificabimus: mollitoriis præterea e seminibus, & baccis lauri & polyarchio ac similibus vtemur: suffiemusq; vapore marinæ aquæ. Primo tamen sessionibus emollientibus locos, vt facile mola excutiatur, iis vtemur, quæ etiam ad partum facilitandum postea dicemus conducere, atq; iisdem, quæ valere diximus ad ostium vteri clausum relaxandum & aperiendum, quemadmodum etiam vtilia scripsimus in virginibus, in quibus de angustia vteri nobis suspicio erat, vt sunt decocta althææ, fœnugræci, ficuum: e quibus etiam emplastra imo ventri conuenientia parari poterunt. Sed sessiones magis sunt vtiles, etim ex decoct. maluarum, althææ, chamæmeli, sem. lini, fœnugræc. meliloti, anethi, in aqua vel hydrelæo. Osculo præterea vteri cerata mollentia vnctionesq; admouebimus, vt œsypi ceratum, adipes, & medullas, & cataplasmata apponemus qualia posuimus, *Obseruat. 61.* & pessos mollitorios ibidem descriptos imponemus. Temporis processu lauri folia vel baccas, pulegium, hyssopum, thymũ, saluiam, marrubium, dictamnum, scordium, polium, centaurium, iisdem miscebimus, vel ex decocto. Olla autem cuius operculo perforato arundo commode inserta fuerit, sellæ supponetur, atq; inde per arundinem vapor excipietur. Ex eorundem quoq; decocto, exiguo vino albo addito, fotus cum spongiis fiant: post quos imus venter, pecten, & inguina infrascripto vel simili vnguento perungantur. ℞ *olei irini, lilior. albor. anethini, chamæmel. ana* ℥j. *butyri recentis, adipis anseris, ana* ℥ß. *ladani* ʒ *iij. ceræ & vini odorati parum, fiat vnguentum.* Adiici poterunt cremor sem. lini, fœnugræc. althææ, ammoniaci, aut bdellii dissoluti in vino pauxillum, & pessi subiiciantur ex œsypo, butyro, adipe porcino, medulla aut cerebro ceruino, melle, carycis pinguibus, passulisq; cum oleo antiquo ligustrino. Perseuerante vero malo, acrium eduliorum vsus est admittendus, iisque fontibus calidarum aquarum, & marina, *iuxta Aetium*, est innatandum, atque a sumtis raphanis euomendum. Pessos tamen acriores & insessiones acriores euitare oportet, ne loca assidua eorum vsu vlcerata maleficum morbum efficiant. Quibus peractis frequentissime plurima atri & grumescentis sanguinis copia repente excernitur, & morbus dissoluitur. Neoterici hæc addunt, *quod eadem ratio curandi hunc affectum, & intentio sit mouere menses, plane vt si deberet extrahi fœtus mortuus medicamentis, vel cum retinetur secundina a partu.* Omnia enim quæ venas aperiunt, & impetum humorum faciunt ad inferna, possunt hęc tria facere, sicut & facerent aborsum. Priuatim vero in mola tentabimus id potionibus trahentibus ad inferna copiam sanguinis, præcedentibus prius purgationibus & remediis vniuersalibus, & demum aperientibus localibus, seu pessi sint, seu balnea, vel emplastra, vel inunctiones: tamen iisdem prius relaxantibus mitigatoriis, emollientibus vtendo, vt diximus, deinde magis aperientibus, menses euocantibus, & fœtum mortuum educentibus: nam postremo loco potionibus rem agemus, & pessis & balneis valide prouocantibus, de quibus etiam diximus in mensium prouocatione. Ad molam igitur, vt nos fecimus, trochiscis de myrrha vtemur. Sed qua intentione? mouendi menses. Sic Rhases propinat in potione trochiscos, quos etiam propinabat supra in mensium suppressione. Etiam priuatim hos trochiscos cum adipe aliquo miscebimus, & pessum conficiemus. Quod si fortius facere libeat cyclaminis radice vtemur, modis omnibus parata & in pesso, & in balneo, & emplastro pubis: scilla cocta & imposita cum adipe. Iuuant vero & quæ commotionem multam faciunt, vt sternutamenta, & quæ tussim mouent. Vnde Hippoc. Si secundam procidere vis, sternutamenta moue. Est autem his omnib. vitiis vtilis aristolochiæ vtriusq; radix, quocunq; modo vtaris. Nam ad facilitandum partum eius potione vtũtur, sic & ad secundam extrahendam, & fœtum mortuum. Iuuabit & insessus. Sed secunda sæpius retinetur (*de qua suo tempore latius*) quoniam in partu vterus est inflammatus, ideo extrahi nequit, ni prius inflammatio

Ratio victus. De venæ sectione. 5 Purgatio. 6 7. 8

matio soluatur, vena secta, & fotibus, & inedia, & balneis. Solent autem hi affectus periculosi esse ob acutas febres, quæ hinc sequuntur. Ex compositis etiam laudatur in hoc vsus elleborus albus suppositus cum styrace liquida vel ladano. Rursus sabina herba bibita, simul & supposita naphtha. Iuuat in his omnibus casibus item hoc. ℞ *opopanacis, fellis taurini, ellebori albi, q. s. misce. Aliud ex scammonio & agarico & hiera mistis. Aliud simplex, borax dictus ad* ℈ ß. Modus emplastri supra pectinem, cum colocinthide & cyclamine, & succo rutæ. Sic & Rondeletius ad molam vtitur aperientibus & fœtus mortuos aut secundinam reiicientibus, de quibus multa propriis capitibus. Componit has pilulas, quibus frequenter vtantur mane. ℞ *boracis* ʒ j. *carabes, asari, cinnamomi, nigellæ Romanæ, & vulgaris, sabinæ, an.* ʒ j. *galbani, assæ fœtidæ, opopan. bdellii, ana* ℈ ij. *cum melle scillitico: de quibus capiat* ʒ j. (textus corruptus est, qui habet ℥ j.) *duabus vicibus, deinde* ʒ ß. *postea bibat parum vini hippocrat. aut syrup. quem describit cap. De suppressis mensibus.* Vtatur frequenter in cibo apio, aliisq; herbis aperientibus, & incidentibus, vt sanguis concretus dissoluatur eliciaturq;. Non esset inutile, inquit, cutim, si in orificio appareat, nouacula, aut alio instrumento dissecare, deinde ea ratione curare, qua vsi sumus in secundina adhærente, ex putrefacientibus, vel arrodentibus, iuxta eundem Rondeletium. Addam hic casum (qui satis erit per exemplo curationis) Iohannis Tiengii Medici quondã Amsteldamensis, qui anno 1518. in fine Augusti hoc modo mulierem Dauentriensem curauit a mola quam per annum gestauerat. Primo exhibuit ʒ j. *turbith. & zinz. cassiæ ligneæ, cinnamomi, an.* ℈ ß. *cum decoct. artemis.* Post quatuor dies idem dedit, deinde omni mane cyathum vnũ clareti, quo solitus erat vti pro partu facilitando: attamen prius dederat iuleb descriptum a Nicolao cap. De retentione menstruorum. At claretum ita parabatur. ℞ *capill. ven.* ℥ ß. *verbenæ, artem. beton. pulegii, sabinæ, rad. pæon. & sem. eius. an.* ʒ ij. *corticum cassiæ, galliæ moschatæ, an.* ʒ j. *nucis moschatæ, rasuræ lapid. dactylor. sem. althææ, fœnugr. caryophyl. ana* ʒ j. *croci* ʒ ß. *dictamni, baccar, lauri blatta byzantiæ, cubebarum, ana* ʒ j. ß. *cinnamomi electi* ℥ ij. *bulliant in vini Rhenensis optimi ac puri* ℔ iij. *vel iiij. cum* ℥ iiij. *sacchari, &* ℈ j. *de corde cerui, fiat claretum.* Deinde iussit, vt inungeret locellos ilia, & pectinem vnguento suo molliente, mane & vesperi, ita parato. ℞ *olei lilio. amygd. dulc. viol. ping. anseris, gallinæ. an.* ℥ j. *olei chamæmel. aneth. ping. anatis, mucilag. fœnugr. lini & althææ. an.* ℥ j. ß. *olei cheyrini, medullæ cruris vituli, butyri recentis. an.* ℥ ß. *vitellos duos ouorum cinnamomi electi, galliæ mosch.* ℥ ß. *puluerisentur,* vt docet, & fiat vnguentum secundum artem: quandoq; addebat parum pulueris pæoniæ. Deinde aperiri iussit venam saphenæ pedis dextri. Et omnibus 4. diebus dabat turbith modo iam dicto. Postea dedit ʒ j. confectionis suę de assa fœtida cum cyatho vno succorum verbenæ, prassii, mixtorum cum vino Rhenensi. Hæc est descriptio valens ad fœtum mortuum quoq; educendum. ℞ *assæ fœtidæ* ʒ ß. *sem. rutæ cassiæ ligneæ, rasuræ lapidis dactylorum, boracis, an.* ʒ j. ß. *croci* ʒ ß. *myrrhæ, theriacæ diatessaron. an.* ʒ j. *Misce dabat aliquando* ʒ j. *cum aqua sabinæ.* Cum eo (vt idem refert) *curauit mulierem quandam, quæ prius pepererat infantem viuum, sed relicto deinde altero mortuo, cuius caput & brachium detracta ac abscissa erant, reliquiis remanentibus, cum clausum esset os sacrum, & cessassent accidentia partus.* Dedit mane & vesperi ante cibum ʒ j. donec ab omnibus repurgata & curata fuerit. Idem quoq; dedit (*vt asserit*) aliquando cum decoct. artemisiæ, modo cum succo verbenæ, & prassio mixtis cum vino Rhenano, & hoc auctoritate Nicoli, modo etiam cum vino decoct. verbenæ & prassii, & semper (*inquit*) gratia Dei, bene successit. Sed præter hæc iam dicta, etiam huic mulieri molam habenti dedit omni vespere ante cœnam *per horam* ʒ j. *trochis. de myrrha, cum cyatho vno clareti suprascripti.* Deinde etiam peracta phlebotomia, & sumta confectione ac potione, etiam pectinem fouebat, ac loca dicta, fotu sequenti. ℞ *maluæ, parietar. branchæ vrsinæ, mercurial. an. m. j. pulegii, sabinæ, artemis. an. m.* ß. *sem. fœnug. lini, althææ, anethi, an. m.* ß. *fiat decoctio, & fotu peracto, & corpore repurgato, vngebat vnguento suo emolliente dicto.* Quibus præsidiis fuit a mola liberata & curata. Ac iisdem remediis, vti addebat, curauit illustrissimam Elisabetham reginam Daciæ, & consultatione ad eandem præscripta.

Observatio LXIIII.

De mola aut sanguine crassiore, quem hydrops subsequebatur, deinde mors.

VXor D. Guilielmi Cripii, viri consultissimi, & vrbis Delphensis Pensionarii, cognata D. Viglii, cum ventrem tumidum a puerperio haberet, post duos menses, tumore perdurante, & magis increscente, ego & Cornelius Heydius, collega meus, anno 1563. 10. die Augusti ad eã curandam, acciti fuimus. Signis igitur præcedentibus, tum præsentibus animaduersis (*vt postea latius dicemus*) cum a tempore partus præcedentis tumor remaneret, & non satis purgata esset, imo omnia statim retenta essent, ventre tumido perdurante, vel molam, vel saltem sanguinem crassiorem, huius mali caussam esse existimauimus. Ideo operæ pretium esse duximus menses aperire: cum relaxantibus & emollientibus; etiam vnguentis per interualla, & quæ simul flatus discuterent. Primo, adhibitis quoque purgationibus aptis, cum aluus siccior nequaquam responderet, etiam externis appositis quoq; emollientibus linimentis, & vnguentis: habita semper ratione ad fontem illius mali, nempe vterum. Nam ex eo reliqua symptomata oriebantur, vti cachexia, & postea superueniens hydrops, hepate refrigerato, per consensum, tandem etiam incrementum maius malum cœpit. Decimo itaque die Augusti, vtriusque consilio, pro fecum communium eductione leniens medicamentum præscriptum est. ℞ *elect. lenitiui* ℥ j. *dissol. cum* ℥ iij. *decoct. pectoralis.* Mane sumsit hora septima, & fecibus communibus eductis 11. August. potio sequens exhibita

fuit. ℞ *corticum radicum fœniculi, petroselini cichorii, asparag. ana ℥ ß. semin. fœniculi, petrosel. carui, dauci, ana ʒ j. semin. 4. frig. maior. ana ʒ ß. matricariæ, calaminthæ, arthemisiæ. ana m. ß. capill. ven. polytrichi, cetarach. ana p. j. vuar. passul. ab acinis repurg. ℥ j. folior. senæ ℥ ß. rhabarb. selecti ʒ j. schœnanthi. ℈ ß. fiat omnium artis ratione decoct. in aqua communi ad ℥ x. collat. addendo ℥ ij. syrup. capill. ven. syrup. de calaminth. ana ℥ j. arom. cum ʒ iij. cinnamomi electiss. & fiat claretum pro duabus dosibus, fuitque ter reiteratum.* Ventrem inunxit cum oleis emollientibus, vt liliaceo, & pinguedinibus anseris, gallinæ, & similibus. Postea & hoc linamento. ℞ *olei sabinæ. ℥ j. olei lilior. irini, vnguentum Agrippæ. ana ℥ ß. misce.* Die 17. Augusti. ℞ *spec. dialaccæ, diacurcumæ, ana ʒ j. spec. diacucumini ʒ ß. dissolutis in aqua artemisiæ, adiectis ℥ ij. sacchar. fiat confectio in tabulis,* diuidatur in partes sex: capiat vnam ante meridiem, & hora quarta pomeridiana alteram partẽ. Ventre modo etiam inuncto oleo liliaceo, & irino postea etiam suprascripto, & post aliquot dies sumebat rursus quod sequitur. ℞ *calaminthæ, pulegii, nepetæ, sabinæ, ana m. j. ceterach. polytrichi, ana m. ß. semin. fœniculi, dauci pastinacæ, ana ʒ ij. folior. senæ, ℥ ß. agar. albi fœminini leuis, rhabarb. elect. ana ʒ j. zinzib. albi, schœnanthi, ana ℈ j. fiat decoct. in aqua & vino Rhenensi, vsque ad ℥ viij. cola. adde syrup. de arthemis. ℥ ij. fiat apozema pro ij. dosibus matutinis, clarificetur, & arom. cum pauco cinnamomo ad formam hippoc.* 3 Semper ter eo ad minus ventrem deponebat. Eodem tempore accitus est Hugo Nieuenius, Medicus Haganus: & rursus communi consilio fuit repurgata, & puluere diacumini, dialaccæ, diacurcume, diagal. rursus exhibito & lenitiuo, & medicamento purgante vsi sumus ac vnguent. emollientibus insistebamus, eosdem pulueres, vel similes, cum vino maluatico exhibentes, etiam lotione pedum vtentes ex flor. chamæmeli, meliloti, artemis. pulegii, sabinæ, matricariæ, maluæ, altheæ, fœnugræc. cumino, & pastinacæ sem. in vino & aqua decoct. vt materia deorsum detraheretur, & vterus aperiretur, etiam subinde claretis supradictis reiteratis, radic. iridis adiecta, tum aliis, vt foliis senæ, agar. & rhabarb. vt prius in maiori dosi. Tandem etiam post emollitoria, hoc sub vestibus suffitu vsi sumus. ℞ *myrrhæ, cumini, ana ʒ ij. calami arom. cinnamomi, galangæ, macis, aristoloch. long. ana ʒ j. fiat pulu.* crasso modo contusus in tres partes diuisus: proiiciebatur vna pars supra carbones ignitos, & fumum ac odorem sub vestibus recipiebat, & capiebat hora 4. matutina tres pilulas infrascriptas. ℞ *trochisc. de myrrha ʒ j. cum syrup. artemisiæ fiant pilulæ ix.* Ex istis medicamentis continuatis tantum semel visi sunt menses, sed iis rursus restrictis, nihil subsequutum. Vnde tædio affecta, omnia remedia respuendo, vlterius progredi recusauit. Postea anno sequenti 1564. iterum ego & Cornelius Heydius vocati fuimus, cum per annum curationem intermisisset, & rogatu Domini Pensionarii, eius mariti, hanc epistolam a me tum Heydio scriptam ad medicos Brabantinos, vt Dominus Viglius a Pensionario efflagitauerat, misimus.

S. P. 4 *IAm integer annus elapsus est, quod nos ad vxorem Domini Pensionarii vocaremur, vt præsentes omnia contemplantes commodius ac firmius eius incolumitati pro ratione consuleremus. Deprehendimus insignem quendam ventris cum duritie quadam tumorem. Ex domini Pensionarii matre didicimus, hebdomadas aliquot ante peperisse, vel potius ob fœtus immaturitatem abortum fecisse: & propter partus accelerationem obstetricem non adfuisse in tempore, atque diutius hæsisse in secundarum extractione. Additum est quoque, in puerperio non satis fuisse expurgatam, & subito omnia fuisse retenta. Hinc collegimus, crassum aliquem sanguinem, in matrice suppressum, & in eo viscere impactum esse, cum admixtione humorum flatulentorum. Et quia negotium nobis videbatur, non sine periculo, vocatus est tertius Medicus Dom. Hugo Hagensis, vt communi consilio inuestigaremus, quid vtile factu foret. Primo, vsi sumus aperientibus, incidentibus, & flatus dissipantibus. Deinde moderate purgantibus, atque incidentibus, per interualla. Tandem ad ea peruenimus, quæ exterius applicata emolliunt, per os interea administrando ea, quæ menses euocare queant, immixtis semper iis, quæ flatus discutere debeant. His remediis effectum est, vt semel visi sint menses. Ad extremum tædio affecta, & medicamentorum vsum respuens, vlterius progredi recusauit: tum quod belle se habere videretur, tum quod vterum gerere se suspicaretur. Id quia nobis non apparebat, ægerrime tulimus, quod a bene cœptis desisteret.* 5 *Interea temporis vterus cum ventre toto molem illam sibi seruauit in hunc vsque diem. Veritus igitur Dominus Pensionarius, ne malum accresceret, ac tandẽ ad desperatam aliquam valetudinem deueniret, denuo nos vocauit ad diem Augusti decimum, vt diligentius omnia peruestigando de morbo vxoris, tractaremus necessaria ad salutem. Inuenimus tumorem paulo maiorem quam anno præterlapso, cum aliqua corporis macie, sine vllo tamen pedum tumore. Venter circa sinistra hypochondria ad ilia vsque nullam præ se manifestam duritiem ferebat. Totus autem versus dextram intumescebat, & tribus quatuorue locis disiunctos in scirrhi modum nodos animaduertebamus. Bene tamen concoquit, & nullum prorsus sentit vllius membri, aut visceris dolorem. Hoc tamen patitur, quod consueto more diuturna exercitia ferre nequeat, nam solito citius lassitudinem, ob spiritalium partium præ vteri distentione, coarctationem sustinet. Etiamsi insignis durities circa hepatis regionem reperiatur: vrina tamen optimam indicat tam colore, quam substantia ac hypos[illegible] concoctionem. Pulsus minor, crebrior, ac cum [illegible]dam tensione, quam olim duriore. Suasimus igitur, vt rursum eadem remedia qua alias, & si res postulet, vehementiora pro virtutis ratione adhiberi permittat.* 6 *Nobis autem vsus eorum, quæ flatus dissipent & menses euocent, placent. Balnea emollentia, aut saltem fomenta meatus recludentia non erunt inutilia, adhibitis etiam, si opus est, metrenchytis. Si hæc omittantur, veremur ne temporis tractu in asciten, ac tandem in mortem incidat. Non dissuaderemus interea, vt peritiores*

aliquot

aliquot medici super hac ægritudine consilia sua patefacerent, priusquam res ad actum deducatur. Nos autem accuratissime omnia perpendimus, & pro arte ac conscientia nostra hæc facienda duximus. In rei veritatem ac fidei confirmationem, nostrum consuetum chirographum apposuimus. Delphis 16. August. anno D. M. D. LXIIII.

Cornelius Ericius. Petrus Forestus.

Antequam ad reliqua remedia veniamus, quibus denuo vsi sumus, libet his subiungere scriptum ipsius Corneli Gemmæ Medici Louaniensis.

Consilium in casu vxoris clarissimi D. Pensionarii.

QVantum ex narratione vestra, celeberrime Dom. Pensionari, & signis omnibus oratione expertissim. Dominorum Doctorum luculenta atque erudita admodum descriptis, consequi licet, omnes sane mecum, vt coram disserui, tum in morbi ratione, tum medendi methodo, atque vniuersali quadam consequendi scopi notione pulcre conueniunt. Symptomata etenim præcipua sunt, ventris immodicus tumor; abscessus quidam scirrhodes in ipso epigastrio cum duritie quadam, tensio quoque sub hypochondrio dextro, ac mensium suppressio nimis diuturna; quæ tamen non tam symptoma, quam mali caussa merito recenseri debet. Verum, quia circuitus quidam inter caussas & effectus apparet, dicimus, factum ex suppressione mensium, vt ipse vterus inciderit in intemperiem frigidam & obstructionem validam; fierique rursus, velut per circuitum quendam, vt ex flatu & intemperie frigida iam vterum occupante, caussis quoque morbificis robur accedat, ac menses ipsis magis magisque indies obstruantur. Caussas externas omnino in aeris externi iniurias reiici, forsan & in intempestiuam victus rationem, non improbo. Locus affectus omnino in vtero est, si de fonte mali quæstio fiat: quanquam & per consensum verisimile est, vt, paulatim ad hepatis regionem affectus & intemperiei noxa pertingente, paulatim quoque in corpus vniuersum deriuari possit, atque (vt clarissimi Domini Doctores referunt) etiam in tympanitem; atque inde in asciten atque hyposarcam permutari. Posset tamen ipsum abdomen istiusmodi scirrhis corripi: aut etiam aquoso tumore repleri non affecto hepate; vt aliquando accidisse memini. 8 *Verum tunc potius afficitur ea capacitas, quæ est inter abdominis musculos & peritonæum, ni humor aquosus abscedat. In hoc enim casu videtur ab vtero refrigerato per venas eo pertingentes paulatim ad venam cauam atque arteriam aortam intemperies frigida processisse: inde vero propagines proximæ venarum atque arteriarum ad abdominis regionem protenduntur. Et quia non ab ipso fonte sanguificationis, sed alia parte minus principe venæ refrigerantur; ideo nec æqualis tumor, nec æqualiter diffusus, sed, per modum adhuc virtutis valide expellentis, in scirrhos degenerat, exundante eo quod inutile est, & aquosum per orificia venarum in abdomen; vbi rursus a frigore circumfuso concrescit, &, digesto eo solo per cutem quod tenue est, reliquum magis indurescit. Iam & ex vtero affecto, vt dictum est, hepar affici possit; vnde timenda ascites, vt Doctores eximii quoque timent, si remedia apta omittantur. Imo, si rem omnem ingenue fateri liceat, iam & ipsius hydropis potissimum ascitis, rudimenta ex scirrhoso tumore satis elucescunt: quæ tamen sperarem in ipso mali exordio, si, vt cœperunt eruditissimi Domini Doctores, tum medicaminum conuenientium, tum victus probe rationi obtemperet, omnino comprimi & extingui posse. Caussam materialem vniuersim flatus nomine comprehendo: etsi hic ipsius paulatim, maiori oborta refrigeratione, in aquam transmutetur.* 9 *Caussa formalis est distensio vteri a flatu. Cui vt caussa continens adiuncta est alteratricis facultatis imbecillitas in venis vteri. Morbus autem ipse obstructionis nomine est comprehendendus, cui annexa est caussa continens, temperies frigida. Cui vt occurratur, omnino in rem fore existimo, vt Doctorum virorum consiliis, quæ experta sit hactenus, audacter obsecundet: sunt enim Methodici, atque experientiæ non paruæ, quantum ex scriptis elicere potui. Sed vt particulariter aliquid ex me depromam, quo humanitati vestri satisfaciam, mihi sane non inutile videretur, si lenitiuo medicamento ex rhabarb. & agar. & foliis senæ prius exhibito, etiam, si opus videbitur, adiecto pauxillo elect. de succo rosar. aut consimilis medicamenti, quod eius vim suppleat; ad potum ligni Indici cum vino Pictauiensi, & aqua decocti iuxta rationem quæ commodissima videbitur, velut ad salutarem anchoram, confugiat. Merito enim huiusmodi medicamentum exhiberi debet, quod continua transmutatione corpus afficiat, ac partes affectas vna corroboret, ipsique minimum fastidii pareat. Hæc omnia puto esse in ligno Indico: aperit enim potenter cum adstrictione moderata, atque frigidam intemperiem, partium maxime, ad natiuum calorem reuocat, si pro natura & morbi conditione exhibeatur.* 10 *Quæ si paulo medicandi ratio asperior videatur, habetis & radicem chinæ, cui etsi molliori, non minores tamen vires attribuunt Neoterici. Verum de his vberius atque exactius D. D. Doctorum esto iudicium, quibus illam quotidie coram intueri, ac singula definitius examinare datum est. Ego suaderem, vt semel in mense vteretur hoc infuso: ℞ rhabarb. selecti ℥ ij. agarici optimi ℥ j. foliorum senæ ℥ ij. anisi, spicæ, zinzib. ana ℈ ß. colligata in puppulam macerentur in ℔ j. decocti, in quo sint pruna vj. numero, cuscutæ, agrimoniæ, eupatorii, ana m. j. rad. asparag. ℥ ß. radic. iridis Illyricæ, gentianæ, cappar. tamarisc. cyperi, ana ℥ ij. coletur. adde sacchar. optimi q. s. vini Rhenani parum: fiat potio pro iij. dosibus matutinis: puppula infusa per noctem & expressa valide, quod si minus sit efficax, addatur elect. de succo rosar. ℥ j. Inde vero confugiat ad potum ligni guaiaci præparati secundum artem; vel hoc modo, si consultum ceteris videbitur: ℞ ramentorum ligni sancti ℔ j. ß. minutim concisa macerentur in ℔ xij. aquæ fontis per 20. horas, inde bulliant in duplici vase bene cooperto, adiectis ℔ iiij. vini Rhenensis, circa finem decoctionis, bulliant per duodecim horas, colentur; atque ex eo bibat mane hora sexta, & post me-*

ridiem hora quarta. Rursus super iisdem ramentis fiat altera decoctio, adiecta simili quantitate aquæ ac vini; adiiciantur & anisi ℥ ij. bulliant omnia per duodecim horas. Vtatur eadem decoct. loco potus familiaris. Sequatur hanc rationem, si possit, per sex septimanas; sin minus, per quatuor. Quod si ab hoc curationis genere prorsus abhorrebit, suaderem illi vsum huius puluisculi, aut non absimilis: ♃ rhabarb. electißimi ʒ ij. seminis bismaluæ. liquir. rasæ, anisi, ana ʒ j. rosa. rub. corticum radic. cappar. cyperi, ana ℈ j. granorum paradisi, macis, semin. leuistici, sileris, montani, baccarum, lauri, galangæ, rad. irid. Illyriæ, gentianæ, salis gemmæ, an. ℈ ß. cinnamomi optim. ℈ ß. sacch. diatr. frig. ʒ j. fiat pulu. dos. ʒ j. semel in die sub auroram, cum medico vini Rhenensis diluti aqua cocta, in qua sit medicum sacchar. candiæ. Communiter suaderem & hoc elect. frui, præsertim horula vna ante cibum: ♃ anisi, seminis bismaluæ, glycyrrhiz. rasæ, melon. florum viol. ana ʒ ß. granorum paradisi, corticum arantiorum, ligni aloes odorati, ana ℈ j. galangæ maioris, baccarum lauri, ana ℈ ß. seminis plantaginis maioris, ℈ j. croci, mastiches, cinnamomi, rosa. rub. ana granor. vij. calaminthæ, ℈ j. sacchar. albiss. dissoluti in aqua ros. q. s. adiecto modico vini granat. fiat elect. in tabulis. Vnguentum quo vteretur ad emollitionem & digestionem moderatam, sic parari iuberem: ♃ vnguent. resumt. opt. ℥ ij. olei mastichini, viol. olei de cappar. ana ʒ ij. mucilag. cydon. ℥ ß. comæ absinthii pontici ʒ j. florum viol. ʒ ß. styrac. calamitæ ℈ ß misce. Aut si malit. emplastrum: ♃ comæ absinthii pontici ʒ ij. florum ros. ʒ j. vnguent. resumt. ℥ j. adipis equinæ testibus detractis, aut alterius magis emollient. ℥ ß. styrac. calamitæ ℈ ß. ceræ parum, mucilag. cydon. ʒ ij. misce, fiat emplastrum molle. Vtatur familiariter seminis anisi, fœniculi, etiam radic. eringii conditis, quarum ego vim in hoc modo non leuem expertus fui; accedit quod admodum sint delicatæ. Caueat a vehementer diureticis, nisi adiuncto rhabarb. aut aliquo solutiuo, quod crassiorem materiæ partem ad intestina trahat. Vinum illi potißimum Rhenense exhiberem; sed quia diureticum est; potius cum offula darem excalfactum; idque pro ientaculo. Vina fulua putarem non obfutura, etiam quæ moderatam astrictionem obtinent. Imo ego vidisse memini, quæ solum epoto vino Hispanico, quod tincturam vocant, omnino liberarentur, expulso copiosissimo lotio, & mensibus prouocatis; sed tantum vtebantur dimidia vncia post meridiem aut a cœna intinctis offulis. Facit id compressione quadam & partium corroboratione; nec est quod aluum obstructam iri metuamus. Caueat sibi a caseo, lacte, pinguibus & viscidis cibis, pane recenti, ceruisia male cocta aut crassiore, vino crassiore, terrestri, nimium adstringente, austero, vel acerbo, fructibus omnis generis tanquam a peste, lactucis & omnibus olerum generibus, salsis omnibus, & carnibus porcinis, anatis, anserum, & id generis crassi succi, a frixis in sartagine, aut bis coctis, piscibus lentis, viscidis, duris, atque crassi succi, pastillis, aut leguminibus. Vtatur carne potißimum vitulina, agnina, verucina, pullorum, perdicum, coturnicum, &c. Vtatur in cibis calamintha, hyssopo, saluia, maiorana, radice siseris, thymbra, granis paradisi, cinnamomo, macere, nuce myristica, sed moderate tamen. Vitet omnem animi ægritudinem; lætetur, otium vitet; fruatur Venere tempestiua & moderata, &c.

Ex animo tuus

Cornelius Gemma.

Secunda vero nostra epistola ad D. Pensionarium transmissa, hæc continebat.

S. P. Scribis ad nos, Clarißime Domine, Dom. Matthisium optare plurimum, vt symptomata explicatius paulo a nobis enucleentur, quo firmius iudicium de vxoris tuæ valitudine ferre valeat. Aperte matricarium esse morbum, & notos illos (qui maioris pilæ magnitudinem, quod olim non indicauimus, superant) non in musculis, sed intus in vtere, ob sanguinis crassioris suppressionem latere significauimus: vnde nullo negotio poterat aut molam esse, aut sanguinem concretum induratumque (vt malit) colligere. Hypochondria sinistra olim quidem molliora, sed nunc propter abdominis distentionem prorsus indurata sunt. Necdum omnia nobis apparent magnorum vasorum oppilationis indicia: veremur tamen ne propter lienis præsentem duritiem breui adsit. Vniuersi corporis habitus, excepto abdomine, ad frigidam quandam siccitatem inclinare videtur: priusquam tamen nobis innotesceret, calidæ ad humidum parumper vergentis temperiei fuisse putabamus. Hæc sunt, quæ paucis, ob tabularii festinationem, ad T. D. exarare potuimus: pluribus egissemus tecum, si per confratris mei ægritudinem licuisset. Existimamus equidem hæc satis fore, modo accuratius olim a nobis scripta examinare voluerit. Ego Cornelius, cum hoc mane Domicella coniunx tua mihi a te scriptas redderet litteras cum multis lacrymis, ad misericordiam, si tamen ea sic appellanda sit, inclinatus sum: vt plane nihil attentare audeamus sine Domini præsentia, quia visa est omnino fugere medicamentorum vsum diuturniorem. Obsecramus igitur D. T. vt quam citißime, ne præterlabatur occasionis opportunitas, ad nos huc redeat. Id quod enim præter naturam est, siue mola sit, siue sanguis concretus, statim amoueri oportebit, ne in hydropem, vt antea scripsimus, vxor tua carissima incidat. Nam ad eam iam tendere videtur. Bene valeat Excellentia tua.

Corn. Ericius Petrus Forestus.

Missa fuit hæc epistola in principio Septembr. anno 1564. ad Dominum Pensionarium, qui apud Viglium Præsidem Brabantiæ agebat Bruxellis.

Consilium Matthisii, Medici olim Imperatoris Caroli Quinti.

Domine Pensionarie, legi ea, quæ a Doctoribus Delphensibus priori subscripto addita fuerunt. Mihi verisimile non fit, molam esse qua vxor tua laborat. Mola enim ex viri semine, aut corrupto, aut alioqui ad formationem inepto ac inualido, gigni solet; quaque ea laborant, cibum fastidiunt, ad incessum grauiores sunt; artus gracelescunt; extrema œdematosa fiunt; denique omnes functiones imbecilliores fiunt: venter sæpe compungitur, & quasi pondus pendet, quod in decumbente impetu quodam in quodcunque latus se vertat deuoluatur; tum etiam venter du-

ter durior est, quam si legitimus inesset fœtus. Ex scripto animaduerto, aliquam esse corporis maciem, sed sine vllo pedum tumore. Scribitur etiam solito citius lassitudinem quandam sentire, sed bene concoquere, & vrinam optimam ostendere concoctionem, tam quoad substantiam, quam quoad hypostasin. Posterius scriptum addit, nodos sentiri in vtero pilæ in modum ob sanguinis crassioris suppressionem; & hypochondria sinistra æque ac dextra distendi, & circa lienem non secus ac circa iecur duritiem sentiri; adeo vt vereantur, breui adfore vasorum magnorum obstructionem ac oppilationem. Ex his colligo, functiones naturales probas esse, & in prima ac secunda concoctione nihil desiderari: verum animales, quod lassitudo illa facile indicat, imbecilliores esse. Et quod primum scriptum habeat, pulsum minorem, crebriorem, & solito duriorem esse in præsentia, videtur vitalis facultas non admodum esse robusta. Sunt hæc difficilia iudicatu, & quæ præsentiam ægræ omnino requirunt: alioqui vix est, vt accurate aliquid aut certo statui possit. Secundum tamen ea, quæ proponuntur, ita iudico, vim illam naturalem, etiamnum vigentem, in ægra omni diligentia esse conseruandam in suo robore, & nihil propinandum esse medicamenti, quod ipsam possit prosternere. Siquidem hac iacente, nihil proficietur. Itaque si quid medicamenti est exhibendum, vt per interualla omnino opus est, sit illud clemens, naturam non admodum fatigans, quale possit esse rhabarb. aut agarici dilutum, senæ infusum, & syrupus ille rosa. medicamentosus, & qui de cichoreo Nicoli nuncupatur. Cibi interim offerantur medicamentosi quidem aliquid obtinentes, sed gustum non offendentes; qui cuiusmodi sint, non est necesse doctissim. Medicos docere. Nouerunt enim ipsi, incidendi, attenuandi, & abstergendi quapiam vi præditos debere esse; & temporis longinquitatem constante functione naturali, morbum euicturam esse. Quæ licet sit molesta, est tamen tuta, & hic, vt existimo, necessaria in ægra, quæ medicamentorum vsum auersatur. Nodos & scirrhosos illos tumores quos Medici in vtero statuunt, ego autem dubito an non potius in mesenterio aut pancrea subsistent, cum emollientibus & discutientibus oppugnandos esse censeo. Quæ emollientia & discutientia ita temperabuntur, prout ipsorum in progressu vsus indicabit. Fotus eiusmodi & illinitiones non est mihi necessum adscribere. Sic illas hypochondriorum durities tractandas esse putarim: & externis auxiliis maxime est fidendum, non neglecta, vt antea memini, recta victus ratione; sine qua in vanum omnino laboratur. Et cum dico rectam victus rationem; omnia ea complector, quæ Medici non naturalia nominare solent. Equidem scio, vterinos morbos, & præsertim chronicos, difficiles plurimum esse: atque ea propter ægra adhortanda est, vt pertinaciter consilio sibi adesse & opitulari velit. Nam vbi tria sunt, morbus, natura, & Medicus naturæ minister; si victoria speranda est, necesse est, vt ægra naturæ, eiusque ministro faueat, & adsit. Alioqui si ægra morbum fouet, & Medicum naturæ inseruientem, & manum adiutricem porrigentem non audit, verendum plurimum est, ne natura subsidio destituta, vt vndique compressa concidat. Vides, mi Domine Pensionarie, me quoque in externis auxiliis multum spei ponere, atque in iis potius, quibus Medici quoque tui probant esse insistendum, quam in iis, quæ per os solent magna cum instantia, & ægræ stomacho, obtrudi quotidie. Non quod horum aliquando, sed clementiorum, non sit vsus; sed cum prudentia per interualla ipsorum auxilium sit inuocandum. Reliqua Medici præsentes pro suo iudicio & rerum vsu moderabuntur. Ipse autem Deus Opt. Max. suo fauore & gratia pro sua erga nos φιλανθρωπία cuncta secundabit. Bruxellis 14. Septemb. 1564. raptum & perfunctorie.

D. T. paratissimus H. Matthisius.

Ceterum Cornelii Gemmæ consilium, tum Matthisii quoque scriptum Dominus Pensionarius nobis tradidit. Quod autem Matthisius molam ob hoc esse non putaret, quod semper a viri semine corrupto aut inualido gignatur, id quidem & nos facile admittimus. Interea fieri potest vti vir validus, optimo semine præditus, molæ caussam generet, quemadmodum contigit in muliere illa valde prolifica, de qua paulo ante diximus, quæ tamen postea rursus impregnata, præter fœtum etiam molam peperit. Antea quidem semen in viro ipso fuit validum: at nunc cum molam conciperet, non est dubitandum quin tunc semen fuerit vel inualidum, aut nimis frigidum, aut nimis calidum, aut nimis paucum, aut nimis multum, vnde mola generata, & post partum quoque reiecta. Ita & hic fieri potuit. Nam, vti ex obstetrice etiam postea intelleximus, licet tempore pariendi fœtus, non tempestiue adfuerat, tamen in secundina parienda adfuit; post partum æque tumido permanente ventre: quamuis primum putabat fœtum secundum adesse; postea vero cum partus [illegible] non subsequeretur, & statim purgatio non procederet, & omnia retenta manerent, existimabat vel molam adesse, vel sanguinem concretum, aut aliud quippiam etiam purgationem solitam impediens. Quod si mola non fuerit, saltem sanguis ille menstruus concretus & crassus in vtero procul dubio aderat, ita, vt verisimile sit, totum mali fontem ex vtero venisse; eoque refrigerato, reliqua viscera postea læsa fuerunt: vnde & hydrops metuebatur; cuius rudimenta iam aderant, quasi, quæ & molam subsequi solet diuturnam; postea quoque crure dextro œdematoso superueniente; licet bonis remediis, vt dicturi sumus, detumuerit. Sanguis autem ille ex consueta purgatione retenta, si non fuisset adeo crassus, facile educi potuisset remediis ad menses euocandos valentibus. Ideo forte ob suam crassitiem quasi molam sanguineam contraxisse, verisimile quoque esse videtur; vnde durior, & minus putredini obnoxius consistentiam parenchymatis acquisiuit. Nã mola aliquando, vt Rondeletius refert, quemadmodum & superius diximus, ex sanguine crasso spissoque calore concreto, quæ nullam formam habet, velut parenchyma quoddam vtero alligatur, & sic tumor

apparet durus: qui etiam hic in principio in regione vteri sentiebatur. Potest & talis sanguis si menstrua purgatio non subsequatur, frigore concrescere & durior euadere. Quanquam memini filiam seniorem Domini Comitis de Egmont, quæ nupserat Domino Houtekerchio, dum in puerperio exsisteret, & suffocatione vteri aliquando laboraret, a qua tamen subsequente mediocri purgatione menstrua vtcunq; curata fuerat, vt me relinqueret, postea diebus aliquot intermissis syncope prehensam dum in Haga Comitis ageret, subitoque exstinctam fuisse, vt tempus me rursus vocandi non superfuerit. Verum cadauere postea dissecto, dum balsamo, per me & Huernium, Medicinæ professorem, cadauer conditetur, sanguis adhuc leuiter concretus in vtero inuentus est, quasi putrefactus, ex quo forte vapores ad cor ascendentes, caussa syncopis, deinde mortis fuere. At in hac nostra ægra cum, vt verisimile est, durior & crassior fuerit sanguis in vtero, minus corruptus, talia accidentia non adferebat. Ideo quamuis Matthisius, Medicus excellentissimus, subtubitabat sanguinem concretum, vel nodos illos scirrhosos, potius in mesenterio seu pancrea subsistere, & non in vtero; minus credere potuimus, ob consuetam purgationem in vtero retentam, quæ post partum subsequi solet. Interea tamen vna sentiebat, qualiscunque is tumor esset vel sanguis, semper iisdem remediis quibus nos vsi fueramus, eundem amoueri debere, & emollientibus & discutientibus. Ita & Cornelius Gemma nostrum processum curationis non solum laudauit; sed quod iisdem remediis insistere deberemus consuluit: quod etiam expertissimus ille Medicus senior fecit Baesdorpius, quondam etiam ipsius Imperatoris Caroli Quinti Medicus, quem & consuluerat P[illegible]onarius. Et ideo cum morbus ex ipso vtero fontem haberet, prius curandus erat; aliis visceribus per consensum tandem oblæsis minime quoque neglectis. Quare hic sanguis retentus & concretus, vnde totius mali origo, siue in molam conuersus, siue aliter, tum emolliendus; tum dissipandus erat, etiam per ea, quæ menses euocant, exterius remediis iam superius dictis, tum aliis, quæ per interualla per os exhiberentur, minime postpositis. Quamobrem Cornelius Ericius me senior, tum ego iterum, cum per annum curationem intermisisset, eoque malo ob diuturnitatem temporis in peius labente, vocati fuimus anno 1564. vt diximus, mense Septembri. Iisdem autem remediis, quibus prius vsi fueramus, insistebamus, lenitiuo prius propinato, & aliis vnctionibus exterius adhibitis; hoc quoque apozemate rursus præscripto: ℞ *chamæmel. chamæpit. matricariæ, artemisiæ, ana manip. j. ceterach, polytrichi, pulegii, origani, calaminthæ, ana m. ß. sabinæ, trium flor. cord. ana p. j. radic. brusci, asparag. apii, ana ℥ ß. seminis anisi, fœnicul. carui, dauci, pastinacæ, ana ʒ j. folior. senæ, ℥ ß. polypod. quer. ʒ vj. rhabarb. selecti, agarici fem. ana ʒ j. schœnanthi, zinzib. albi, ana ℈ ß. passul. enucl. glycyrrh. rasæ, ana ʒ vj. fiat decoct. in aqua ℔ ß. & vini Rhenens. ℔ j. ad ℥ x. colatura addendo syr. de calaminth. de artemis. ana ℥ j. ß. clarificetur & arom. cum ʒ iij. cinnamomi: misce pro iij dosibus.* Interea tabul. suprascriptis denuo vtebatur, & imum ventrem cum oleo liliaceo & irino inungebat. In Octob. decoct. præscript. adiectæ sunt *℥ ij. folio. senæ & polypod. & hagioxyli artificiose leuigati ℥ j. ß. decoct. in ℔ j. vini Rhenens. & ℥ viij. aquæ puræ ad ℔ j. sacchəro dulcorabatur, & cum ʒ ß. cinnamomi aromat. ad modum clareti*, ventre hoc linimento iuncto: ℞ *olei lini, lilior. ana ℥ j. ping. anat. gallinæ, butyr. recentis, ana ʒ vj.* Ventre æque tumescebat, & durus erat; vt de hydrope magis suspicio incresceret; postea & vmbilico magis eminente, vti in exomphalo. Appositum est vmbilico emplastrum *ex oxycrocei ʒ ß.* supra corium rotundum firmiter ligando, ad aliquot dies retinendo; quo & vmbilicus subsidebat, capiendo tunc ʒ j. ß. *vel duas ex rotulis spec. diacum. dianisi, diacinnamomi, & specier. diarod. abb. omni mane*; & in Nouembr. ex syrup. magistrali hagioxyli sequente ita parato: ℞ *calaminthæ, orig. artemis. nepitæ, sabinæ, pulegii, ana manip. j. rad. brusci, asparag. apii, ana ℥ j. radic. ireos, inulæ, pæoniæ, fœnicul. ana ʒ vj. seminis anisi, fœniculi, dauci, pastinacæ, ana ʒ iij. foliorum senæ ℥ ij. agar. fœmin. ʒ j. rhabarb. electi ʒ vj. zinziber. albi ʒ j. spicæ schœnanthi, ana ʒ j. ß. liquirras. passul. mund. ana ʒ x. hagioxyli ℥ iiij. fiat maceratio secundum artem, ad spatium 24. horarum in ℔ iiij. aquæ, & coquantur in duplici vase, & artis est, ad ℔ j. ß. & fortissim. expressioni adde sacchari q. s. & coquatur ad consistentiam syrupi magistralis*: & huius capiebat subinde cochlear vnum alternis diebus, ne tædio medicamentorum afficeretur. Interea & ventrem inungebat, ob tumorem durum, sequenti vnguento: ℞ *gummi ammoniaci dissoluti in aceto ʒ ij. oleo liliorum anethini, ana ℥ j. olei sabinæ, vnguent. Agrippæ, ana ʒ vj ceræ exiguum; fiat vnguent.* alioqui, vbi opus erat, apozemati superiori adiectis *℥ ij. hagioxyli, cum foliis senæ, agar. rhabarb. & polypod. etiam addita radic. irid. & inulæ*: & post colaturam seu expressionem addebantur *syrup. magistralis prius descripti, de eupat. de artemisia, ana ℥ j. cum ʒ iij. cinnamomi electi, ad formam clareti.* In Decembri adhuc eodem, vel simili vtebatur, etiam pro tribus vicibus pilulas sequentes accepit: ℞ *pilul. de hiera simplici ℈ ij. pilul. mastichinar. trochisc. albandal. ℈ j. fiant pilulæ xv.* quinque pro vna dosi dabantur. Hoc quoque cerato toto ventri apposito, excepta regione hepatis, in corio ea parte exciso, ne hepar attingeret: ℞ *mucilag. radic. althææ, radic. lilior. alborum, semin. fœnugræc. & lini, ana ℥ iiij. axungiæ porcinæ recentis, butyri non saliti, ping. gallinæ. caponis, anseris, ana ℥ j. ß. œsypi humid. ℥ j. quibus adde pulu. fol. maluæ, florum meliloti, chamæmel. anethi, ana man. iij. cum s. q. ceræ, fiat ceratum secundum artem*; & cooperiatur sindone, cum interbastatione (vt ita dicam) vt artis est. Eodem tempore capiebat subinde cochlear vnum ex syr. sequentibus: ℞ *syr. hagioxyli, de calamentha, de eupat. ana ℥ ij. misc.* Anno 1565. adiecimus syrupis dictis subinde *syr. de artemisia & de prasio*: & sumebat subinde iterum *ʒ ij. confect. in tabul. ex*

diacur.

diacur. dianis. & rursus decoctum superius descriptum, addendo, si opus esset, *folia senæ, agar. & rhabarb.* vti & in Februario sine iisdem, etiam condito *ex cons. flor. rorismar, absinth. Rom. adiect. spec. plirisarcot. sine moscho, addito syr. de calamenth. & artemis.* Fuitque imo ventri appositum aliud ceratum *ex diachylo cum gummis, & mucilag. & empl. de melilot.* etiam assumto subinde *syrup. de eupat. & & artemis.* cochleari vno atque altero *cum spec. dialacca, & diacurc.* idque bis in die. Hoc tempore cœpit totum crus dextrum a femore vsque ad talum intumescere, totumque crus durum euasit, non sine œdemate, vt iam de hydrope magis metus esset. Pro hoc symptomate totum crus balneo sequenti imposuit per duas horas, simul etiam fricando: ℞ *florum chamamel. summitat. anethi, centaurii, absinthtii communis, ana m. 4. florum genistæ p. j. salis nitri, cumini ana ℥ ß. incidenda incidantur, & contundenda contundantur; coquantur in aqua communi pro ℔ vj. adiiciendo m. ij. salis communis.* Confert hydropi & œdemati, vt alias experti sumus; & hic adeo contulit, vt totum crus breui detumuerit. Rursus deuenimus ad decocta superius descripta *ex calamentha, puleg. sabina, & aliis,* iam *adiect. seminis ruta, rad. paon. rhabarb. sena, & agar. vt supra;* postea sine iis, vt hoc clareto vtentes: ℞ *calament. puleg. sabina, artemis. ana m. j. cap. ven. ceterach, polit. ana m. ß. semin. iuniperi, carui, seselios, ruta, pastinac. ana ʒ ij. semin. genista ʒ j. rad. ireos, brusci, aspar. ana ℥ ß. liquir. ras. ʒ vj. coquantur in ij. par. vini Rhenens. & vna parte aqua communis pro ℔ j. colatura adde syrup. de calament. & artemis. ana ℥ j. ß. syrup. de eupat. ℥ j. clarificetur & arom. cum ʒ iij. cinnamomi selecti, & ventre inuncto hoc vnguent.* ℞ *dialthaa ℥ j. olei lilior. ping. gallina, olei menthini, ana ℥ ß. pingued. anatis, medulla ceruinæ, exungia caponis, ana ʒ iij. misc. & denuo apposito cerato;* etiam pessis ex iisdem pingued. mollitoriis vtero impositis. At istis omnibus remediis nihil profecimus, nec aperti sunt menses, nec vterus aut venter detumuit. Ideo Pensionario proposuimus, vt denuo Hugo Nieuenius Medicus accerseretur. Qui cum adesset, & præscripta remedia laudasset, conclusum fuit, vt iisdem insisteremus, & simul localibus remediis propriis ac pessis. Proponebam & ego eo tempore infusiones emollientes, deinde pessos. At pessi magis placebant & Cornelio & Nieuenio. Clareto autem superiori addebatur rub. tinctorum, ad menstrua magis euocanda, ℥ j. adiectis passulis mundatis. Pessi & hoc modo præscripti mense Martio, anno 1565. ℞ *sabina, pulegii regalis, origani Hispanici, florum rorismar. omnium exsiccat. ana p. j. trochisc. de myrrha spec. dialacca, diacurcumæ, ana ʒ j. fiat pulu. vt alcohol. & cum melle q. s. fiant duo pessi,* in quorum cuspide ponantur gran. ij. moschi, & sindone rub. cooperiantur, & filum sericum inseratur, vt ad libitum extrahi possit; circumlinantur oleo sabinæ & spicæ, antequam per vetulam quandam honestam imponantur: idq; in diluculo mane, stomacho ieiuno, quam fieri potuit magna cum diligentia, in orificium ipsius vteri vsq; ad fundum, per tres quatuorve horas ibi relinquendo. Sequenti die iterum impositum; deinde quoque adhuc semel sub noctem, ad sex horas ad minus relinquendo, vel per totam noctem. Sed vetula, vt imperauimus, prius intus vuluam digito hoc sequenti liquore inungebat: ℞ *styracis, benzoini, ana ʒ j. cinnamomi electi, nucis moschatæ, galangæ, ana ℈ j. moschi gr. iij. fiat puluer.* vt alcohol. & incorporetur cum oleo spicæ ad vnguenti liquidi formam. Alias ego commode vsus sum in altera vna cum Cornelio collega, prius vtero inuncto cum oleo liliaceo, adiecto moscho, eodem tempore & hoc pesso imposito: ℞ *trochis. de myrrha ʒ j. ß. gentianæ, baccarum lauri, aristoloch. vtriusq; an. ʒ j.* cum suff. melle fiat pessus sindone inuolutus, & filo alligatus, vti ex diatessaro theriaca, ita dicta a quatuor rebus e quibus constat: ℞ *gentiana, baccarum lauri, aristoloch. rotunda, an. ℥ ij. mellis despumati ℔ ij.* Sed & hoc feliciter vsus sum ex succo mercurial, ℥ ij. salis nitri, gemmæ, ana ʒ j. ex præcepto Benedicti Fauentini præceptoris mei conuenit & hæc metrenchyta: ℞ *succi sabina ʒ iij succi ebulli ℥ j. croci ʒ j. aqua matricaria ℔ ß. fiat metrēchyta.* At in ægra hac os vteri quoq; oleo sequenti, tū pessum, antequā imponeretur, iussimus inungi: ℞ *olei sabina, liliorum sesamini, ana ʒ j. moschi gr. j.* Interea rursus vtebatur hoc clareto: ℞ *pulegii regalis, calaminthæ, artemisiæ, melissæ, sabinæ, maioranæ, ana m. j. ceterach, capill. ven. polyt. chamapit, ana m. ß. radic. fœnic. apii, brusci, asparagi, ana ℥ ß. radic. inulæ, paoniæ, ana ʒ iij. seminis anisi, fœniculi, carui, ammi, pastinac. dauci ana ʒ j. ß. liquir. rasæ ℥ ß. coquantur in 2. partibus vini Rhenensis & vna parte aqua pro ℔ j. colatura sacharo dulcoretur & arom. cum ʒ j. specierum diacalamentha & cinnamomi ʒ j. ß. & fiat claretum pro tribus dosibus matutinis.* In Aprili pessi ter reiterati, & decoct. long. cum sena, agar. & rhabarb. cum suis correctoriis, & herbis supradictis; & hoc linimentum rursus descriptum: ℞ *olei irini, liliorum, lini, de meliloto, ana ℥ j. mucilag. fœnugrac. althaa, ana ℥ ß. pingued. anatis, gallinæ, ana ʒ vj. ceræ modicum;* fiat linimentum molle pro toto ventre, rursus apposito cerato mense Martio descripto. Paulo post pessi duo adhuc præscripti: ℞ *sabina manip. ß. calamenthæ, nepetæ exsicc. ana p. j. trochisc. de myrrha ʒ ij. styracis calamita ʒ ij. ß. rubia tinct. ʒ j. ladani ℥ ß. gum. ammon. dissoluti in vino ℈ ij. trita cum s. q. mellis fiant ij. pessi, vt supra* Tunc denuo visi sunt menses, & vtcunq; fluxere; at venter non detumuit. Postea rursus decoct. aperitiua descripta, etiam quæ ad hydropem facerent, adiect. radic. ebuli & aliis in vino, cum rubia tinctorum; & sub finem Aprilis pessi inditi. Denuo menses visi sunt in maiori copia. In Maio rursus decocta longa, vt supra, cum rhabarb. agar. sena, clareti instar descripta, & tabulæ ex speciebus diacal. diacurcu. dialaccæ, arom. rosa. exhibitæ. At in mense Iunio magis ad hydropem inclinabat: & inter nos conclusum fuit, vt adderentur non solum ea, quæ aperirent & menses ducerent; verum etiam, quæ ad hydropem facerent iisdem commiscerentur. Et ad maiorem emollitionem abdominis

tum ventris inferioris, & vt commodius menses quoque euocarentur, conclusum fuit vti balneo artificiali, quo in hyeme præcedente, ob aerem frigidiorem, minus vti poteramus. Interim cum Dominus Pensionarius Bruxellis esset, apud Viglium præsidem, facta est mentio de fonte quodam acido, qui in Spa visitur, de quo Limborchius Medicus libellum scripsit, quem & nos perlegimus. Sed reuerso Pensionario, atq; rursus Bruxellas petente, is nobis iniunxit, vt quid de balneo sentiremus, eidem scriberemus. Nam animus erat eo mittere vxorem. Non diu post Dominus Viglius suam misit famulam Delphos, vt vna Domicellam ægram Bruxellas deduceret. Postridie litteræ a nobis scriptæ ad Pensionarium per me missæ sunt, omnium nostrorum nomine, cum reuersus essem Brilis: cuius hæc erat inscriptio.

28

Prestantissimo ac Doctissimo viro Domino Guilhelmo Cripio, Iurisconsulto prudentissimo, & Pensionario Delphensi.

29

QVandoquidem a nobis flagitauit Dominus Pensionarius, vt quæ nostra esset de fonte in Spa sententia, perscriberemus: quemadmodum & Nieuenio nostro hinc discedens iniunxerat; Anne eius vsus Domicellæ vxori suæ prodesse queat, ac an inde perfectam morbi sui solutionem assequi posit: visum est nobis pro ratione respondere, fontis illius naturam nulla alia vi notam nobis esse, quam quatenus scriptis & sermonibus aliorum nobis innotuit. Cum igitur nouerimus, tam lienis, quam vteri scirrho laborantes eius vsu curatos; non videretur nobis alienum si & illa quoque experiretur: modo prius balnei emollientis ac calfacientis vsum tentaret, quam ad exsiccantia animum applicaret: cum videlicet fons ille ex minera ferri & sulphuris constet. Nam si tum aquam hanc assumeret, melius omnia succederent: quia (vt auctor quidam enarrat) egregie vrinam proritat; & per consequens ea, quæ vrinam solent euocare, matricis obstructioni quoque succurrere, tum menses educere consueuere.

Huc vsque literas conscripseramus: & antequam obsignaremus, alias a Domino Pensionario & Matthisii Doctoris sententiam de Spa simul accepimus. Quare epistolæ nostræ hoc accessorium sequens adiecimus.

30

Dubitamus tamen, non satis fore potentem ad abdominis & vteri duritiem depellendam, nisi simul emollientibus cum menses euocantibus vti studeat. Ceterum vbi inter nos conuentum esset, accepimus & legimus tuas & Domini Matthisii Medici litteras, quæ scrupulum quendam animo nostro iniecerunt; quia idem ille Dominus Matthisius fontis esse affirmat eluere, aperire, atque nimium ab obstructionibus excalfacta refrigerare. At vxor nimio ac vehementi calori non est obnoxia: sed potius duris ac concretis in vtero ac frigidis humoribus vexata; qui potius hepar ipsum a iusta sua temperie ad frigiditatem, ac tandem, si vel exiguus comitatur error, in hydropem deducent. Ab vsu igitur huius balnei existimamus ac statuimus e re vxoris esse, si bituminosa illa ac sulphurea balnea inuisat tandem, qualia sunt balnea Aquisgrani. Nam inde speramus multo maiorem fructum, quam ex vllo alio remedio; modo ea, quæ prius scripsimus de emolliente balneo, præcedant. Hoc tamen nulla ratione negligi debet, vt corpus tum paretur, tum vniuersaliter expurgetur. Cui rei non dubitamus Dominum adhibiturum peritum aliquem, ac in arte nostra versatum Medicum, qui pro ratione ac rerum vsu moderabitur omnia recte. Quod Dom. Pensionario maturius non scripsimus, caussa est, quod cum vxore mentem nostram transcribere volebamus, quæ cum discederet, nemo nostrum aderat. Doctor Hugo Nieuenius apud D. de Somerdijk, Cornelius Heydius Roterodami, ego Brilis, agebamus. Erant tamen litteræ paratæ, præter hoc accessorium litteris tuis adiectum. Hisce vale. Raptim, Delphis 19. Iunii, anno 1565.

31

Hugo Nieuenius. Cornelius Heydius.
Petrus Forestus.

Litteræ vero Cripii ad nos scriptæ, ita sese ad verbum habebant.

Clarissimis ac Doctissimis viris D. D. Cornelio Heydio, & Petro Foresto, ciuitatis Delphensis Medicis Pensionariis, Dominis suis atque amicis singularibus.

32

S.P. *CLarissimi Domini Doctores, Dom. Præses Viglius mandarat Domino Matthisio Medico, vt virtutem Aquarum earum Leodiensium, quarum tam celebris fama est, paucis describeret, vt ex eo vos qui longius ab iis abestis, num salutares eæ vxori meæ futuræ sint, statuere possitis; quod ipse cum ægris aliquando eo profectus, vires earum & efficaciam perspectas habere videretur: in qua quidem re ille minime se difficilem præbuit. Sed quantum angustia temporis patiebatur, paucula vobis, sufficere existimabat, quæ in hanc quam vobis mitto schedulam: coniecit. Rogo itaque vos, vt perpensa diligenter aquarum earum vi, morbique natura, num profecturæ illi videantur, dispiciatis. Et si, quod futurum existimo, vtiles futuras iudicetis, illi diligenter persuadeatis, ne se difficilem ad proficiscendum præbeat. Decreuit quoque D. Præses post earum aquarum vsum, si eæ vel nihil vel non omnino eam iuuent; inde ad thermas Aquenses mittere. De hoc quoque vestrum iudicium perscribatis velim, idque primo quoque tempore. Valete Clarissimi ac Doctissimi viri, & & D. Hugoni Nieuenio, lectissimo atque clarissimo viro, plurimam a me salutem nuntiate, atque in deliberationem, si, quod futurum credo, apud vos sit, vel alioqui profectio vxoris moram patiatur, adhibete. Bruxellis postridie Idus Iunii, anno 1565. Vester, si quis alius,*

Guilhelmus Cripius.

Hæc erat schedula Matthisii ad nos missa.

33

AQuarum acidarum in Agro Leodiensi scaturientium natura ferrea est a prædominio cum parte sulphurea, & non sine suspicione quadam chalcanthi, si eius sapor accuratius expendatur. Itaq; facultas earum est aperire, eluere, refrigerare quoq; nimium ab obstructionibus excalfacta, corroborare; ita tamen, vt progressu temporis excalfacere nonnihil & siccare valeant. Euacuant præterea alios multo sudore, nonnullos crebris deiectionibus,

pleros-

plerosque vomitu, & plurimos copioso lotii profluuio, prout subiectum corpus ad hoc aut illud euacuationis genus magis est propensum. Omnibus certe vtiliter bibitur, quibus aliquid ex prædictis contingit. Illis tamen obest, quorum meatus adstringit & quando permeare nequit. Vnde patet, si cum recta vitæ ratione & corpore præparato ad potationem, bibant, multa inde sequi postea commoda, quare ipse rei euentus declarabit, pro ipsius potantis ὑδεωσυλιεργία. *Quare in hac re prolixior esse nolo, vt cui satis fuisset dixisse ferreas esse a prædominio, cum subdominante sulphure, & fortassis chalcantho. Nam qui horum vires expendit, & facultates inde enascentes, probe animaduertere valet (potissimum si cum his conferet proprium & priuatum corporis temperamentum) is facile iudicare potest, cui affectui prodesse aut obesse valent. Bruxellis, 1565.*

Matthisius.

54 Matthisius hic doctissimus Medicus nihil noui nobis scripserat, præter ea quæ fere ad verbum Lymburchius Medicus in libello De eodem fonte habet. Quare cum epistola nostra supradicta scripta propemodum esset (*vt diximus*) præter accessorium quoddam, quod post acceptas literas Domini Pensionarii, tum hanc schedulam, adiunctum fuit, & ita misimus. Est itaque Domicella hæc Bruxellas profecta, deinde ad fontem acidum in Spa. Ceterum ea ipsa sub finem Septembris, anno 1566. domum rediit, neque ab iisdem fontibus vllo modo in melius profecerat, neque Matthisii opera alioqui præstantissimi Medici Bruxellis venter detumuit. Qui Matthisius, certe in artis operibus exercitatissimus & magni nominis Medicus, eodem fere tempore cum hanc nobilem matronam curaret, ab equo calcitrone inopinato percussus (*vt nobis relatum est*) misere, proh dolor, vitam finiit. Quare cum neque alii Medici Bruxellenses, alioqui in re Medica versatissimi, in curando Cripii nostri vxorem quicquam proficerent; cum morbo multo validiore quam antea, etiam hydropica, domum reuersa, nullam adhibens postea curationem, octauo die Decembris ad septimam fere horam noctu cum animam ageret, ego, vtpote vicinus, subito accitus sum, sed morte instante, eaque a me prædicta, eodem tempore, anno 1566. obiit, proba me hercle matrona, cum multis lacrymis ipsius mariti.

Observatio LXV.

De citta, pica, malacia, prægnantium.

1 VXor Augustini Teylingii, Iusta dicta seu Iodoca, matrona admodum honesta, socrus mea, mulier admodum fœcunda, quæ & viginti proles peperit, hæc ipsa cum grauida esset, ac Amstelrodamum nauigio iret cum suo marito, cumque ad pagum *Saradamum* dictum peruenissent, maritus nautam interrogauit nunquid edulii penes se haberet; qui cum obtulisset aliquid halecis iam nouiter saliti, vxor ipsa duodecim comedit, nec quicquam inde mali sensit. Erat autem hæc citta circa cibum haud innaturalem: quemadmodum alteri mulieri etiam Alcmarianæ contigit, quæ ad forum veniens, anguillam coemtam statim crudam deuorauit: alia vero (vt nobis quoque relatum est) etiam pellem ouillam vna cum lana detractam deglutiuit. Altera quoque picem liquidam cochleari excipiens, nec offensi quicquam accepit. Eua Teylingia, vxor mea carissima, filia Iustæ suprascriptæ, cum grauida esset, domi seorsim sportulam cerasis plenam habebat, quam & sæpissime salutabat, atque ex ea carptim subinde cerasa clam, ne quis animaduerteret, sumebat. Sed hic appetitus non ita innaturalis erat, vt quarundam mulierum, quæ & carbones, cretam, aliaque absurda comederunt.

Scholia.

2 QVomodo citta non solum prægnantibus, sed & viris quoque, tum aliis etiam puellis contingat, diximus cum de malis ventriculi ageremus, *lib. 18. obseruat.* 7. & Scholio eiusdem: vbi & huius symptomatis caussam, signa & curationem recensuimus, vt non opus sit denuo repetere. Verum tamen cum nunc de mola sermonem absoluerimus, pauca hic quædam de citta aliisque symptomatis, quæ grauidis euenire consueuerunt, interserere libuit, qualia hæc præcipua sunt: citta, cibi fastidium, flatus, atque ventriculi dolor ex flatu, cibique eiectio, cordis saltus, syncope, crura inflata. Vrinæ difficultas, eiusque destillatio & incontinentia, renes ex calore debiles, ac alui suppressio; quibus & addunt pilorum defluuium aut incrementum insolitum: lac in grauidis effluens; mensesque grauidarum, & superfœtationem, citta (vt etiam alias diximus) ab hedera dicta existimatur, quæ quicquid inuenit, fortiter amplectitur; mulieres mollitiem seu malaciam vocarunt. Secundo mense prægnantibus incipit, modo citius, modo tardius, Moschione teste, quibusdam ad partum perseuerans. Galeno a 2. mense & 3. & quod quarto quiescit, partimq; vomitionibus humoribus vitiosis expurgatis, partim concoctis. Si fieri potest, interponenda est vnius diei abstinentia: sin minus, parcus cibus detur. Moschio aquam prius dat, deinde vinum, ciboque constringentes. Os inungit oleo mastich. ex coroneis, adiectis pul. caryophyl. menthæ, corall rub. & similibus cera exceptis. Dat acida; & post cibum pira, cydonia, & ventriculum roborat. Vide quæ lib. 18. scripsimus Scholio obs. 7. Fastidium eo tempore prægnantibus, quo fœtus germinat capillos, cōtingit: tollitur cibis austeris, acidisq;, & sale modico cibo adiecto. Conuenit panis sine fermento, auiculæ. Pinguia detestantur. Noui ergo prægnantes aliquas adeo cibum proprium fastidientes, vt alienos tantum vel emendicatos ederent. Valent pruna, sorba, pira, coronea, mala punica, oleæ albæ ex duramuria, & cappares cum aceto. Flatus in ventriculo & alibi discuties, ilia & aluum inūgendo oleo lilino, seminibus fœniculi, anisi, cumini, & aliis etiam dolorē ex flatibus tollentib. Cibi reiectio, punicis coniectis vel cydoniis in vino, vel sorbis assumtis curatur. Cordis saltibus, vt quidam volunt aliqua calida vbertim pota opitulatur. Ego commode ad palpitationem cordis vtor conserua me-

Symptomata quæ prægnantibus euenire solent.

Citta prægnantium.

3

Fastidia.

Flatus.

Cibi reiectio.

Saltus cordis.

lissæ. A syncope releuantur sale in os posito. Hoc modo Margareta Nannia, mea mater carissima, quæ septemdecim proles peperit, semper restituebatur. Nam si altius sederet, ea corripiebatur. Pedum tumores Æginetа illinit cimolia cum aceto mixta. Aetius perfricat cum rosaceo & aceto, sale etiam adiecto. Brassicæ folia late distensa vel cocta cum vino & aceto emplastri modo imponito. Ad vrinæ difficultatem prægnantium millefolium tritum ex aceto, iuxta quosdam, bibitur. Ad incontinentiam vrinæ, vngulæ apri vel suis cinis potioni inspersus iuuat; leporis cerebrum ex vino potum, vel eiusdem testiculo tosti si edatur; anserum trium linguæ in cibo sumantur. Si renes ex calore debiles sint, inungantur vnguento rosa. detur conserua rosa. Ad alui suppressionem, pruna ieiunis edantur; iura pinguia sumantur, cochleæ & ostrea saxatilesque pisces, panisque fermentatus. Si pili defluant, valet adeps vrsinus, & quæ de alopecia diximus. Si grauidis lac vltro effluat, fœtum imbecillum esse notatur ex Hippocrat. & timendus est abortus, ideo fœtus roborandus, & ea præscribenda, quæ aborsum impediunt; de quibus suo loco dicturi sumus. Ita quoque si menses grauidis fluant, fieri non potest vt fœtus bene valeat: tunc enim menses, si fieri potest, retinendi sunt, ne abortus subsequatur. Restabat superfœdatio, quæ tamen vteri symptoma non est; sed res potius naturalis, teste Aristotele. Nam & vtero grauidas superfœdare, neque fabulosum, neque nouum est; quoniam omnium maxime animalium mulier & equæ grauidæ initum nouere. Cetera (vtpote quorum natura more leporis superfœtare recuset) vbi grauida exstiterint, mares contemnunt. Verum equam haud vnquam superfœtasse cognitum est. At mulieri, quamuis raro interdum, vt superfœtet, euenit. Ob id qui longioribus temporum impendiis, post concepti sunt (*altero iam pridem concepto*) nihil quicquam proficere queunt: sed dolorem, quo & ipsi, & primus partus intereat, præmaturius concinnant. Olim vt vnde tredecim, superfœtata puerperia, corruptione peracta ederentur, incidit. At vero si a primo conceptu secundus proxime secutus sit, paulumque temporis inter eos intercesserit, quod superfœtarit (*quasi gemini nasci videantur*) absolui edique potest. Quomodo & Herculem & Iphiclum conceptos esse fabulantur. Sed id etiamnum ex adultera quadam, quæ alterum marito, alterum adultero per similem peperit, compertum est. Et item Pronconnesia ancilla eiusdem diei concubitu; alterum domino, alterum procuratori eius perquam similem egessit. Insuper quum geminos quædam ferret, tertium superfœtauit, quumque iustum pariendi tempus instaret, primos vitales edidit, secundum qui obiter diem suum obierat, mense quinto elusit. Altera quum primum inuitalem mense septimo peperisset, mox geminos mensium numero vitæ compotes enixa est. Et adhuc alia iusto partu vnam, alterum quinque mensium emisit. Compluribus etiam id euenisse liquet, vt si octauo mense concubuerint, partus mucore oppletus exierit.

Pedes inflati.
Vrinæ difficultas, incontinentia.
Ad renum calores.
Ad alui suppressionem
Ad defluuia pilorum
De lacte grauidarum effluente, & de mensibus grauidarũ.
Superfœdatio.
Hercules & Iphiclus nati ex superfœdatione.

Observatio LXVI.

De muliere quinto mense menstruas purgationes habente, grauida, in qua metus erat de aborsu; per modum consultationis.

Nobili matronæ ad quintum mensem grauidæ exsistenti menses in copia fluxere, quæ alias leuissima ex caussa etiam primo, secundo & tertio mense conceptionis abortum passa fuerat; de quo etiam nunc magis metuebat: ideo obstetricem ad nos misit, vt abortus impediri posset. Huic igitur idem consuluimus quod etiam aliquando filiæ Ioannis Theodori Harpardi, Consulis Delphensis, quam etiam colore difficilima laborantem cum metus esset etiam de aborsu, curauimus; *vt videre licet lib. 18. obs. 48.* Consuluimus, inquam, vt quieta se teneret, & in deliciis versaretur, & vt graueolentiam sonitusque horribiles euitaret, & res immundas a conspectu arceret, & odores graues: nam & abortum facere tradunt nidorem exstinctæ candelæ aut lucernæ: tanta est natalium nostrorum imbecillitas; quibus & obest formido, subitusque metus, intemperataque iracundia. Recte enim iussit Aetius *lib. 16. c. 12. de studio prægnantibus adhibendo ex Aspasia.* Vbi prægnantes nuper conceperint, obseruabimus ne timore mœrore, neve vlla validiore mentis perturbatione afflictentur. Curruum præterea gestationes, violentaq; exercitia, vehementesq; spiritus detentiones & coxendicum percussiones prohibebimus; nec graue onus tollere, nec saltare, nec duris sellis insidere permittemus. Sed nec acria flatuosaque edulia, nec clysteres acutos, nec cibi & potus vel indigentiam vel redundantiam cõcedemus. Sanguinis etiam defluxus siue a narib. siue ab hæmorrhoidibus, siue ab alio quocunque loco prægnantibus periculum affert: ideo non sine ratione metuebat hæc matrona nobilis ob menses fluentes: nam menstrua purgatione, ita & fluxionibus albis fœtum in vtero sæpe dimoueri vidimus; vti & saltu, petulanti coitu, sternutamentis, luctu, & similibus. Sed de his latius in Scholio, cum de omnibus caussis agemus. Alimentis (vt idem Aetius refert) ergo videndum moderatis, & stomacho congruis, lecticæ gestatione, leui deambulatione, molli frictione, lanificio circa octauum mensem, qui omnium molestissimus est; alimentum contrahere oportet, & vehementes motiones prohibere: & si aluus detineatur ob intestini recti angustias, edulia offerenda erunt ventri subducendo idonea, veluti prisanæ succus, rumex elixus, malua, lactuca; & mense nono, relaxandi corporis gratia, balneo frequentissime vtemur, omninoque prouidebimus, vt paritura futuros dolores validissime toleret. Hæc Aetius. Sed quia hic in quinto eramus mense, fluentibus menstruis, maximus metus erat de abortu: ideo eam in quiete detinendam esse imperauimus: & ab omnibus iam dictis, casu, percussione, pedum eleuatione, aut brachiorum nimia extensione sese caueret iussimus: nam nostræ Batauæ mulieres

nimis

nimis ædibus purioribus conseruandæ deditæ, & tabularum frictionibus, & vt telæ aranæorum, tum alia amoueant, curiosæ sunt. A publicis item choreis, balneis, nisi in fine, tum tussi caueant; & a frigore externo rebusque vaporulentis custodiendæ, ne in destillationes, raucedines, sternutamenta incidant. Ceterum cum huic Dominæ menses fluerent, & alias solita esset abortire, præstabat hanc potius esse sellulariam, quam vt ambularet. Sed quod ad præsentem huius matronæ affectum attinet, & auctores, *vt Gordonius*, si plethora adest in sanguinea minus obesse scribunt, nec statim menses esse constringendos, vbi prægnans nõ debilitetur, aut mammillæ graciles non fiunt, neque motus immutetur: in tali, inquam, casu nihil faciendum volunt. Verum cum hæc nobilis Matrona valde debilitaretur, referente obstetrice, & mammæ extenuarentur & menses copiose fluerent, nec motum pueri, vt antea sentiret: consului cum Medici præsentis moderatione, vt menstrua cohiberentur atque restringerentur. De meo hic addam quæ alias in casu prægnantis quinto mense fluxu quoq; laborantis, vbi metus erat abortus commode præscripsimus, abortu impedito: *℞. coralli rub. boli armen. vera, ossium dactylorum, ana ℥ ß. detur cum ouo sorbili duabus vicibus*; renes tum imus venter inungantur vnguento Comitissæ, adiecto oleo myrtino, & pauca bolo armen. ad vnguenti consistentiam. Comedebat dactylos pingues maturos; & sua viscositate abortum inhibebant. Puluere suprascripto adhuc semel cum vino rubro, exigua mummia adiecta, fluxus restringi cœpit; nec abortus subsequutus est. Vel si velint ea sequi, aut processum, quo aliquando Bononiæ præceptor meus Elideus in fœmina vterum gerẽte iam per sex menses, cui vehemens quoque mensium fluxus oboriebatur, vsus est, eundem quoque hic addam. Primo apposuit partibus infimis mammillarum duas cucurbitulas; nam sanguinem mittere non audebat, *iuxta Galenum lib. De curandi rat. per sanguin. missionem*, etiam Hippocrate vetante *5. aphorism.* propter aborsum. Ex iis statim menses suppressi sunt, & sanguis fluere cœpit e naribus. Exhibuit tunc haustum vnum aquæ portulacæ cum sacchar. rosa. exiguaque portione philonii Persici admixta, *cuius descriptio est apud Auicen. lib. 5. summa 1. tract. 1.* Atque hoc ad refrigerandum & incrassandum sanguinem & restringendum, & cessauit fluxus. Victum incrassantem constituit, & postea eduxit coleram cum rhabarb. potione. Cucurbitæ vero sæpius appositæ sunt: sed illa conquerebatur de conuulsione mammarum: iussit itaque poni in regione hepatis. Hæc mulier neque passa est aborsum, & tempore postea pariendi completo feliciter peperit. Et illud non prætereundum, quod Medici aliquando in fluxu isto venam basilicam inducũt cum foramine exili & paruo, vt pedetentim sanguis exeat; deinde quoque ne virtus concidat, & in modico sanguine exeundo magis fiat diuersio. Quomodo autem etiam in febricitantibus aliquando sanguis mitti posset, & etiam lenis adhiberi purgatio, aut saltem leniens medicamentum, alias ad longum scripsimus *in lib. nostris, De febribus.* Iam quoque cum hæc consulerem, accessit ad me alia obstetrix cum rustico consultandi caussa pro sua vxore grauida etiam menstrua copiose habente; cui ne fieret aborsus, imperauimus, vt renes vngeret *vng. ros.* imum ventrem *vnguento comitissæ*, & vt etiam hac mixtura frequenter vteretur: *℞. conser. antiqua, diacydon. siue specieb. ana ℥ j. trochisc. de carabe, de terra sigillata, de spodio, ana ʒ j. manus Christi cum perlis ℥ vj. cum syr. cydon. q. s. fiat conditum.* Hæc supradicta satisfacere ad rem puto. Quæ si diligenter obseruentur, speratem, hanc nobilissimam matronam, Dei nutu, minime ab exorsu periclitaturã, quodque purgationes menstruæ superfluæ cõstringentur, & fœtus retinebitur.

4 5 6

Scholia.

Omnia illa, quæ a prægnantibus vitanda esse diximus eadem & caussæ abortis esse possunt, quemadmodum sunt incommodæ saltationes: nam & pleræque abortum fecere: sicuti scalarum lapsu, vel ictu, fulgure, tonitru, subitoque tormentorum sono fit, ac terræ motu; qualis anno 1511. vniuersam Italiam, teste Benedicto Veronensi; a septimo calendis Aprilis vltra quadraginta dies percussit. Pondere item, ac nimia Venere, aut petulanti, partus colliduntur: sanguinis præterea larga missione, vehementique ventris deiectione, albis fluxionibus, aut spiritu incluso disrumpente (*vt Paulus demonstrat*) vulnere item, narium vel hæmorrhoidum profluuio, ventris fluxu vel tenesmo. Sæpe abortum fieri vidimus ardente febre, imbecillitate partus vel puerperii, vel puerperæ, vel secundarum angustia, quibus partus strangulatus exit. *Vidimus*, inquit idem Benedictus Veronensis, *anno præterito nobilem Venetam Dianoram Georgiam septimo mense quo partum gestauerat polypum peperisse monstrificum, quem nos dissecuimus: in medio masculinus fœtus integer palmi magnitudine repertus est, quem monstrum illud in sese genitum inter eas angustias accrescere non patiebatur, annexus tamen erat vmbilicus polypo.* Fame præterea, vel siti aut crapula, Galeno auctore, aut mœrore, plurimas abortum fecisse non dubitamus: balneo item calido, vel nimium gelido partus sæpe eliditur. Si gemini præterea in vtero sunt sexus diuersi, facile ambo periclitantur, vel saltem, quæ fœmina est, nam imbecillior est: sed plerumque altero enecto, altero pariter menstruali profluuio eiicitur defunctus, vt aliquando vidimus. *Abortus vel ab euidentibus (inquit Fernelius) vel ab interioribus fit caussis. Euidenter alia fœtum enecant, vt syncope, timor & tristitia, & halitum quædam toto genere exstinguunt, vt quæ vel suffitu, vel odore, vel substantia venenata sunt. Alia cibum subtrahunt, vt inedia, immoderata purgatio, sanguinis e naribus, ex hæmorrhoide aut aliunde reiecto, mulier enim sanguine misso abortum facit, idque magis si fœtus auctior est. Alia vero acetabula dissoluunt, per quæ fœtus alimentum capessebat: vt violenta exercitatio, saltatio, durior equitatio, aut vectio, gra-*

7 *Caussa abortus.*

8 *Exemplum abortus & monstrifici partus.*

Caussa euidentes.

9 uioris oneris gestatio, casus violenter concutiens, aut ventris ictus fœtum contundens, quibus adhuc clamorem, cursum, coitum ineptum, petulantem immoderatum. Interiores vero caussæ sunt cibus immoderatus, & plethora fœtum suffocans, aut exstinguens, mucosus humor vteri implens acetabula, & ligamenta ita remolliens ac dissoluens, vt fœtum continere non possint. Et huius rei (quemadmodum addit Rondeletius) multæ possunt esse caussæ. Aliæ enim os vteri minus claudunt & constringunt, & ob nimiam humiditatem relaxantur. Aliæ ob sanguinis feruorem nimis copiose menses patiuntur, & fœtui adimitur alimentum. Aliæ vterum habent minus amplum, aut quia non potest dilatari vterus pro incremento pueri, vnde reiiciunt fœtum, aliæ tertio, aliæ quarto, aliæ quinto mense. Iam quoque cibi mali succi (teste Fernelio) & inde nata cacochymia, ob quam fœtus alimenti benignitate destitutus sensim languet & emoritur. Morbus acutus, febris vehemens, tum alia, quæ sæpe fœtum in grauius discrimen, quam matrem coniicit, aliquando simul matrem cum fœtu. His addere poterimus vteri affectiones, inflammationes, erysipelata, abscessus, & vlcera Quæcunque igitur

Interna.

10 mulier citra euidentem caussam abortire consueuit, vel totius corporis, vel vteri totius vitio laborat. Id quoque vel ad vterum vel fœtum referendum quandoque est: nam penuria, si cotyledones vtero allegatæ, aut indispositione vel impotentia seminis debiles procreatæ, & non firmiter ligati fœtus vel cotyledones abrumpũtur; & fit aborsus, vel ratione vteri ob caussas internas, vel oris ipsius; *vt ad longum videre licet apud Guainerium in suo commentariolo, De ægrit. vteri, cap. 38. De caussis & signis aborsus.* adde quæ in Gynæciorum harmonia habentur. Attamen Bonaciolus videtur distinctionem facere inter corruptiones, effluxiones, aborsus, abortus, vel eiectiones. Effluxiones tum corruptiones intra diem septimum incidere ait: tantisper enim genituræ instar lactis elabuntur. Aborsus primis mensibus conceptu exorso fiunt. Abortus prope pariendi tempus euenit. Quanquam hæ quidem (grandiore iam fœtu) eiectiones vel eiecticiæ vuluæ dicuntur: illas vero, quæ intra quadragesimum a conceptu diem contingunt, abortus, illustriores appellitare solent. Hinc apud Medicæ rei professores hæ voculæ plerumrumque confunduntur. Galen. lib. 3. De facult. natural. triplicem caussam aborsus statuit. *Hæc quidem, inquit, est aut moles nimia, aut pondus aliquod, aut morsus. Moles, vbi amplius distendi vterus non tolerat, pondus, cum supra vires eius sit quod continet: morsus, vbi vel humores, qui prius in membranis continebantur, his ruptis in vterum ipsum sunt effusi, vel etiam totus partus corruptus & putris, ac in noxiam saniem dissolutus, vteri tunicam eius occasione irritat, ac mordet.* Signa aborsus præsentis, & quæ aborsum demonstrant, quamuis sint per se nota; aborsum præsagientia interim consideranda sunt antequam abortus oboriatur, vt sic aborsum deflectamus. Ideo recte dicebat Bonaciolus: *Caussæ, quæ maturius abortum valide proritare queunt, eundem si præcesserint, futurum indicant.*

Corruptiones.

Effluxiones.

Aborsus.
Abortus.
Eiectiones.

11 *Triplex caussa aduersus, iuxta Galenum.*

Signa aborsus demonstrantia per se nota.

12 Etenim si mulier saltibus inhumanis iactitetur, desultetque immodice, ac potissimum si resiliat, poneque saltet, aut, vt libuerit, corpore sine ratione & modo moueatur, si immaniter & vaste clamet, si obirascatur, si parcitas cibatum abliguriat, si extenuetur, ac præcipue vẽter, si in balneo calidę aquæ vel frigidę moram traxerit; hæc tum alia superius addicta si adfuerint & increscant, abortus subsequetur; multoq; certius si iam auctæ mammillæ detumescant mollesque fiant, si immites & sine misericordia dolores prægnantem rapiant, si vigor aut horripilatio eandem interdum deprehendat, doleatque caput & potissimum oculorum radices: quod si talia quidem satis remissa fuerint, tarde aborsum patietur: si intensa valde, & menstrua copiose erumpant, ilico venturum exspectato: Lacte ex mammilla continue effluente: ego in muliere aliquando prognosticum feci, quod hoc argueret fœtus debilitatem, paulo post abortum passuram, vti etiam euenit. Futuro aborsui (*inquit Aetius*) aquea primo euacuatio, deinde saniosa, ac cruenta, & tanquam carnium lotura præcedit: vbi vero clare exsolutio, purus sanguis, postea grumi, ac demum fœtus ipse vel formatus, vel informis excernitur, plurimis etiam lumborum coxendicumque grauitas sequitur, nec minus summis capitis, oculorum dolor, stomachi erosio, extremorum refrigeratio, animi deliquium, febris horrida: quibusdam conuulsiones opisthotonicæ, & epilepticæ superueniunt; vt nuper vidimus in vxore pharmacopœi abortientis: quanquam & hæc præcipue, *iuxta Aetium*, contingunt medicamentorum violentia aborientibus: nam quæ sine medicamentis abortiuntur, præueniunt iis, sicut testatur Hippocrates, mammillarum gracilitas præter rationem eueniens, femorum refrigeratio, grauitas lumbos & femora obsidens: omninoq; minus læduntur aborsu, quæ saniores, & quæ alui natura laxiores fuerint, & quæ vteri partes humidiores habuerint, quæque frequenter magnos infantes sine molestia parere consueuerint, atque ætate prouectæ pauci sanguinis & minime pingues: sed etiam hæc ad prognostica signa pertinent, vti & hæc subsequentia. A coitu si sternuerit mulier, abortiuum est. Ceterum effluxionum prognosticon censetur, si oris vuluæ labra leuia exstiterint, proxime enim seminale excrementum delabi ac effluere præmonstratur. Mulieres solertes post mictionem introrsum agunt, labris liquida pice illitis: fœtore namque vterus resiliens attollitur, quo fit, vt ostiolum coerceatur, sigilleturque. Abortus vero index equidem euidens vberum præceps extenuatio, Hippocrat. sic dicente: *Si mulieri vtero graui mamma subito extenuantur, abortus sequitur: ob defectum alimenti*, inquit Galenus in Commento. *Communes quadam vena sunt mammis ac vteris, quæ vbi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas ostendunt: inedia enim nonnunquam fœtum perimunt, vel ad excretionem excitant.* Et ideo in libro, De natura fœtus: Alimentum atque auctio a matre veniens

Signa præsagientia aborsum.

Aetius lib. 16. aph. 19.

13

Signa prognostica effluxionum.

Prognostica aborsus. 5. aph. 37.

niens non adhuc est sufficiens infanti, quando decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit: trahit enim a sanguine id quod dulcissimum, simul autem lactis parte aliqua fouetur. Vbi vero hæc illi rariora fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus cibi requirens, quam illud quod adest, calcitrat, & membranas dirumpit. Ita quoque mulieri vterum gerenti, si altera mamma gracilis fiat, geminos habenti, abortit: & siquidem mamma dextra gracilis fiat, marem: si vero sinistra, fœminam. At quemadmodum extenuatis mammillis infans perditum itur; sic & perditum iturus est mammis gracilibus existentibus, *Hippocrate monente:* Mulieri vterum gerenti, si lac multum e mammis effluat, fœtum imbecillem significat: si vero mammæ solidæ fuerint fœtum significant saniorem. Quæ corrupturæ sunt fœtus, his mammæ extenuantur. Si vero rursus duræ fiant, dolor aut mammas, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit & non corrumpet. *Vide Galenum in Comment.* Ita quoque si mulieri grauidæ mensium purgationes prodeant, fieri non potest, vt fœtus bene valeat. Mulieri vterum gerenti si tensio superuenerit, facit abortum: si videlicet circa intestinum quod rectum nominatur, tensio fit, seu tenesmus; ita & in difficultatibus intestinorum. Nec mirum cum & aliis doloribus & motibus soleant abortiri. Ex tempestatibus etiam indicia eleganter trahimus. Etenim si hyems australis & pluuiosa fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres quibus partus ad ver inest, ex quacunque occasione abortiunt: quæ vero parient, imbecilles & morbidos infantes parient: quare vel statim intereunt, vel tenues & valetudinarii viuunt. Caussa a Galeno explicatur. Ita & mulier vterum gerens, sanguine emisso ex vena, abortit; & magis si fœtus sit maior. Intelligitur de magna euacuatione. Sed de his latius diximus in libris nostris, de febr. num sanguinis detractio aliquando conueniat, & quando noceat. Ita & de purgatione hunc quoque aphorism. explicauimus. Mulieri vterum gerenti si aluus plurimum profluat, periculum est ne abortiat. Et quod quarto mense sint purgandi. Mulierem quoque vterum gerentem, ab aliquo morbo acuto corripi, lethale; idque propter febrem fœtum occidentem, & quod tunc ex longis interuallis cibus datur, vt Galenus longiore sermone prosequitur: propter morbum acutum scilicet, vt attonitum, & alios, ob magnitudinem morbi & acutiem, abortiunt. Sic si mulieri grauidæ in vtero sit erysipelas, lethale; nec mirum, cum etiam inflammatio id præstet: Rursus quæcunque præter naturam tenues existentes vterum gerunt, abortiunt secundo mense, priusquam crassescant. Quæcunque mediocriter corpora habentes, abortiunt secundo aut tertio mense sine occasione manifesta. His acetabula plena mucoris sunt, & non possunt præpondere fœtum continere, sed rumpuntur, sine caussa manifesta, vt sine febre vehementi, alui fluxu, tum aliis dictis, etiam sine caussis prouocantibus. *Vide Commentum Galeni.* Acetabula autem sunt ora venarum & arteriarum, quæ feruntur ad vterum. Vide Soranum. Certo tempore mulier concipit aut incipiente semine, aut deficiente. Saltus in primis septem diebus perimit semen & locellis eiicit. Infans nisi latum locum habeat, quo nutriatur, agitetur, crescat, macilentum fieri necesse est; vtpote qui satis amplum locum ad incrementum non habeat. Eadem ratio est cur modo parui, modo magni nascuntur infantes. Quemadmodum cucumeres & arbores, & alia quædam germina, si comprimantur, & in angustis creuerint locis, partim mutila, partim tortuosa perueniunt: ita & fœtus in vtero; iuxta ea, quæ matri contingunt, vel mutilatur, vel non recte crescit. Mulier cum concepit, semen extra locellos non exsilit; menses non defluunt, siquidem fœtus sanus futurus est, præterquam pusillum primo mense. At quæcunque vterum gerentes a febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt, sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum facientes periclitantur. Accidit videlicet quibusdam grauidis, in quibus vitiosi humores priusquam conceperint sunt aceruati, vt nonnunquam a febribus vehementibus corripiantur, ita quod ex necessitate abortiant: nonnunquam vero mediocribus; sed hæ cum non purgentur, aliquid superest reliquiarum humorum in corpore vitiosorum, ex quibus febres ab initio sunt constitutæ, vtpote non potentibus Medicis mulieri grauidæ aliquod forte auxilium adhibere, neque exquisita victus ratione in ipsis vti. Ob hanc igitur caussam febris in ipsis frequenter reuertitur, & magna temporis parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur fœtus aliquando nequit obsistere, sed ex febre, & vitio humorum corrumpitur: nonnunquam vero perdurat quidem vsque ad tempus partus, sed quum & ipse valetudinarius sit, vt qui longo tempore laborauerit, & quum matrem habeat imbecillem, non sine periculo paritur. Nam ad bonum partum, duorum corporum vigore est opus, & grauidæ mulieris & infantis. Numerositas conceptuum, *vt recte dixit Bonaciolus,* præterea abortum cit. Nam quandam duodecim, alteram duodeviginti, septuaginta alteram (omnibus efformatis) abortiuos abegisse, fabulosum non est. At, quod penitus incredibile censebitur (*quamuis Medicæ rei professus non ignobilis prodiderit*) nobilis quædam mulier vna centum & quinquaginta efformatos vitæ compotes, secundis obuolutos, præmature abortu egessit: quæ cum vermiculos se peperisse arbitraretur, Medicum accersitum iri iussit, quo præsente diruptis secundis, magnitudine minimi digiti (*compluribus motum habentibus*) centum & quinquaginta partus connumerati sunt. Sed inter miracula non sine magna superstitione, Lolduynæ apud Batauos nostros, prope Hagam Comitis, ostenditur, comitissam peperisse tot proles, quod numero dies annus complectitur. At cum hoc fabulosum videatur, iis omissis, in Italia (*inquit Bonacio-*

14 | 5. aphor. 38. | 5. aphor. 52. | 15 | 5. aphor. 60. | 7. aphor. 27. | Ibidem. | Quo tempore abortus frequentior. | 5. aph. 12. | 5. aph. 31. | 5. aph. 34. | 16 | 5. aph. 30. | 5. aph. 31. | 5. aph. 44. | 5. aph. 45. | 17 | Soranus, Hipp. lib. de fœtu. | Hipp. lib. de natura pueri. | 5. aph. 55. Gal. | 18 | 19 | Numerositas conceptuum caussa abortuum. | 150 partus minimi digiti magnitudine.

ku) septem, & aliam] tres (*quod & assidue accidit*) quam etiamnum nos ipsi nouimus, abegisse certum est. Sed, quod iam etiam in prodigiosam miraculorum admirationem accessit, viperam mulier prægnans si transcenderit, abortionem sequi produnt: Item amphisbænam mortuam duntaxat: nam viuam habentes in pixide impunes transire, etiamsi mortua sit. Et, quo magis miremur, si non esseruatam grauida transcenderit, innoxiam fieri, si protinus asseruatam transcendat. Quum etiamnum corui grauidis cauendum cõstat, quoniam transgressus abortus asperas molitur. Simili modo castorium fibrumve grauida supergrediente, abortum facere dicitur, periclitarique partus si superferatur. Tantum inest semini draculi virus, vt olfactum grauidis abortum inferat. Plura vide apud Plinium etiam de radic. cyclaminis, & quod neutra filix danda sit prægnantibus; quoniam non solum abortum, sed sterilitatem inducit. Ceterum quod mola quoque, vt antea dictum est, etiam abortum frequẽter inferat, non opus est illud repetere. Noui aliquas mulieres humidas habentes matrices, decimatertia vice ex tenuissima caussa abortiisse: quod etiam aliquibus contigisse nouimus, quibus acetabula muco referta erant. Hoc est, quod Aetius, *lib. 16 cap. 21. De his, qui bimestrem aut trimestrem abortiunt*, dicebat; Quæcunque temperati corporis mulieres bimestrem aut trimestrem, sine manifesta caussa, abortiuntur, his vuluæ acetabula muco referta sunt: ideo fœtus retineri nequit, sed elabitur, vt Hippocrates inquit: Tales antequam concipiant, purgandæ medicamentis pituitam educentibus; &, toto corpore prius purgato, deinde & vtero, victus ratio adhibenda est calfaciens & exsiccans, moderata exercitia, & frictiones concedendæ, omnisque refrigerandi modus euitandus, vt si ea ratione quoque steriles sint, concipiant. Et vbi conceperint, ne amplius fiat abortus, ea quæ semen tum fœtum retineant, etiam exterius ad vteri constrictionem & roborationem adhibenda. His vero, quæ ob naturalem retentricis facultatem imbecillitatem obortiuntur, innata quadam proprietate erinacei terrestris corium crematum opitulatur, si aqua aut vino dilutum propinetur, & pudendi mulieris orificio illinatur. Idem potest & marinus, ac mitulæ viuentes vstæ. Item myrti baccæ e vino lentiscinove oleo aut susino illitæ: rubi etiam, myrti, & similium decoctis loca vtiliter irrigãtur. Aetites præterea lapis super ventrem gestatus prægnantes fœtusque conseruat, nec sinit vuluam emollescere. Item tritici granum, iuxta eundem Aetium, quamuis superstitiosum, intra panem inuentum sinistro brachio alligatum. Vel sardonius lapis prægnantis sumini, vsque ad pariendi dolores, cum filo suspendatur; & vbi partus accesserit, auferatur: vel lapis in vulua aut corde, aut intestinis ceruatum repertus pro amuleto gestetur: est enim ad retinendos fœtus remedium efficacissimum. Easdem vires habet lapis trunco arboris cunei more impactus.

Quæ [illegible] abortum [illegible]

Vide Plin. lib. 23. c. 16 li. 24. c. 16. & lib. 27. c. 12. & lib. 21. c. 4. lib 87. c. 9

Quæ abortum inhibent.

Observatio LXVII.

De prægnante vomitum enormem habente, vnde abortus metuebatur: & de altera alui profluuio laborante.

MVlieri prægnanti cum vomitum enormem pateretur, ne abortus fieret, de quo erat metus, omni mane cochlear vnum atque alterum syr. de ribes, modo de agresta exhibuimus; ita, vt statim sanata, nullo modo abortierit. Alteri quoque prægnanti cum aluus multum flueret, & periculum abortus immineret, (*ex mente Hippocr. & aphor. 34. lib. 5. superius citato*) commode alicam in lacte caprino coctam dedimus, & panem siligineum nauticum, tum pira immatura exhibuimus, & caseum vetustum, iecur gallinaceum assum (*quod vtiliter in cibo datur*) & merulam, & palumbum fœtum ex posca coctum, ouaque dura, & mala cydonia: iis aluus sistebatur, abortu minime subsequente.

Scholia.

CVm variæ sint caussæ ex quibus abortus subsequi possit; quantum ad curationem attinet; duplex hic scopus in vnaquaque caussa tollenda statim exoritur, primo prohibendo, ne aborsus fiat, si possibile sit. Et hic scopus in se continet prægnantis optimam gubernationem & conseruationem: de qua ex parte diximus, Obseruat. 66. præcedente, & de victus ratione & quibus modis illa ipsa ab aborsu custodietur. Enimuero acrem temperatum inhabitabit, in primis mensibus sese custodiendo a laborioso exercitio, ne ligamenta debilia abrumpantur, & somno temperato vtetur. Et si aluus restricta fuerit, non nisi manna aut clystere ex iure pulli cum oleo communi vel saccharo laxanda: accidentia animi omnia fugienda: pretiosos lapides apud se portet, saphyrum, hyacinthum, adamantem & turchesiam; fugiendo cibaria acuta, de quibus diximus. Et quia in prægnante materiæ corruptæ detinentur, & ad stomachum fluunt, nauseam inferunt, & vomitum & inappetentiam; ventriculi ratio habenda, & is roborandus, *vt Scholio Obser. 65. huius libri diximus*, vbi egimus quibus modis & accidentia prægnantium sint corrigenda & tollẽda. Roboratur stomachus, vt ibidem diximus, oleo mastich. cotoneor. adiect. pul. corall. rub. menthæ, & similibus, cera pro vnguento adiecta; & diamargariton, iuxta Auicen & quæ simul ad pedum inflationes faciunt in prægnantibus, ibidem docuimus, & ad renum debilitatem, quibus potissimum prægnantes afficiuntur. Secundus scopus potius pertinet ad fœtum mortuum; tunc enim aborsus iuuandus esset, vel ob matrem, vbi de eius morte timetur: sed de eo postea. At primus scopus, de quo nunc agimus, maxime nobis vtilis est, vt, cognitis caussis, ob quas abortiri solebat, eas ante impprægnationem quouis modo tollamus, ne ob eas caussas imprægnata amplius abortum patiatur. Deinde ea ipsa imprægnata ne aborsum faciat præseruetur. Si igitur mulier propter extenuationem aut debilitatem abortire consueuit, omnibus modis, tum vitæ institutione ac victus ratione, ante imprægnationem

Præseruatio [illegible] atq; curatio ab[illegible] ortus ab exte[illegible] nuatione vel [illegible] debilitate.

nem erit impinguanda & roboranda. Eadē quoque impraegnata, si metus sit aborsus ob eandem caussam, vel ob inediam & famem, resumtiuo victu vtatur. Oportet enim pro caussarum varietate remedia inuenire; quibusdam quidem ante conceptum, aliis verò post. Si ex nimia amplitudine vteri, quomodo is sit coarctandus suo loco diximus. Si ex intemperie aliqua vteri; nam calida absumit nutrimentum, quo foetus ali debet, multoque magis sicca; frigida congelat & debilitat foetum, humida nimis relaxat; quomodo istae intemperaturae corrigantur, iam diximus prius, quando de sterilitate loqueremur. Si a ventositate, quomodo euitari debeat aborsus, dictum est prius de spiritu in vtero retento & vteri inflatione: cauendo tamen ne valde diuretica exhibeamus, vt superius ostendimus exemplo mulieris impraegnatae a nobis curatę, cum tormina ventris pateretur. Cum enim aborsus in tribus primis mensibus saepe contingat, inquit Alboali filius, a ventositate, tunc in cibis vtantur specieb. dictis: *℞ cinnamomi electi ℨ j. caryoph. nucis moschatae, cardamomi, ana ℨ ij. zenzib. ℨ ß. piperis ℨ j. croci ℨ ß.* Ventositas vbi multiplicetur, ita vt aborsus metuatur, vtatur diagalanga. Et vt ad caput ascensus vaporum prohibeatur, fructus stipticos, vt pira, cotonea, mespila, & similia in fine pastus semper assumat; vel ex cōfectione diacydonite, vel de coriandris sacch aro modice incrustatis aliquid capiat. Si vitio vteri aborsus metuatur, ex eiusdem vlceribus, abscessu, inflammatione, erysipelate, ob vterum paruum aut densum, ex propriis locis curatio petenda. Ad erysipelas, vel ignem sacrum, terrenos vermes quidam ex aceto illinunt, aut oua cocta trita cum oleo imponunt, & ouorum trium calidum pari mensura amyli. Ad densum quidem & constrictum vterum ea, quae dilatant, vt balnea quidem relaxantia, conueniunt. Sed id vbi in vtero gestant, *vt dictum est prius ex Rondeletio*, cum animaduersione, ne talia laxando abortum faciant: ideo subinde adstringentia addemus, vel iis per interualla vtemur, vti est oleum mastichinum, lentiscinum: emolliunt ista quidem, sed simul adstringunt. At mulieres, quae ob nimiam humiditatem foetum retinere non possunt, eas ante conceptum pilulis ex hiera, & de aromatibus purgabimus, & vterum exterius quoque exsiccabimus, pituitam digeremus & purgabimus cum pilulis alephanginis. Insessiones praeterea vtiles sunt, quibus conceptus futurus custodiri potest, & balnea quoque iuuant, qualia in agro Patauino sulphurata, ac bituminata, vel in agro Bononiensi, vel Alexandrino in Liguria: iis certe abortus euasere plures foeminae. Periculum abortiendi initio & fine est maius: a quarto mense ad septimum vsque non metuit Hippoc. neq; potiones; ita quod & quartus & septimus a formidine non sunt tuti: ternis intermediis mensibus, obnixe radicatur foetus, & secundarum exstantes carunculae acetabulis haerent. Quarto mense vsq; ad septimum si materia turget, purgare licet, *iuxta Hippocrat.* sed non fortibus. At vtrum aliis prioribus mensibus purgatio conueniat, etiam in vltimis, tum venae sectio, quaestionē hanc *libro 2. nostro de feb. obseruationib. 28. & 29. & Scholiis earundem* ostendimus. Posse scilicet fieri, auctoritate aliorum, & praeceptorum nostrorum experientia, cum mitiora habeamus pharmaca, vt mannam, pruna, tamarind. rhab. quib⁹ & nos, tum alii, re vrgente, frequenter vsi sumus sine periculo, semper cum cautione. Sed a cassia abstinemus, cum a renibus purget, *vt alias diximus.* Quare licet Hippocrates & Galenus, eo, quod vena secta in vterum gerente, aborsus fiat, a venae sectione, abstinendum dixerunt; videmus tamen nostro seculo peritissimos Medicos non solum in quinto & sexto mense venam feliciter in praegnantibus secuisse; sed etiam in primis & in vltimis: quod & nos non semel, sed saepius fecimus, in pleuritide, angina, peripneumonia, & aliis grauioribus morbis, non modo, vt abortum nō perpessae fuerint, sed euidentissimam vtilitatem ex vena secta senserint. Confirmatur proinde auctoritas Benedicti Fauentini praeceptoris mei, & Elidei, ac aliorum quoq; illustrium Medicorum, Amati ac Iacchini, *vt in lib. nost. Obs. De feb. ad longum ostendimus.* Adhibenda tamen semper cautio, ne vires deiiciantur praegnante, maxime in principio & fine. A quarto ad septimum minus vereri oportet, sanguine tamen in minori quantitate extracto, quam in aliis. Vide Iacchinum de acutorum morborum curatione, qui hanc rem egregie tractat. Quamobrem si ob sanguinis acrimoniam foetum reiiciant, inquit Rondeletius purgetur ante conceptum rhab. myrob. syr. ros. Vtatur victu incrassante sanguinem, & obtundente acrimoniam. Post conceptum inungat partem renum vng. sequenti: *℞ olei ros. omphac. cydon. ana ℥ iij. cerusae lotae in aqua ros. ℨ ß. rad. bistortae, corall. rub. ana ℨ ij. seminis berberis ℨ j. cerae albae q. s. fiat vnguentum pro renibus.* Hoc ceratum etiam probatur ab aliis: *℞ mastiches ℨ ß. ladani ℨ ij cerae citrin. ℥ ij bistor. nucum cupressi, hypocist. acaciae, sang. drac. terrae sigillatae, ros. rub. boli arm. ana ℨ j. ß. fiat ceratum, adiecto oleo myrt. & tereb. vt melius adhaereat.* Valet etiam si ex caussa timeatur aborsus. Emplastra tamen hic seu cerata minus conueniunt, quia magis calfaciunt minusque refrigerant. Quae nimium sanguine abundant; quia natura grauata quantitate, aperit orificia venarum & multum sanguinis reiicit, deinde foetus ob penuriam alimenti vel moritur vel reiicitur; his ergo quae propter hanc caussam solent abortire, vtilissimum est sanguinem trahere ex vena cubiti interna; & vt minus plena victus ratione vtantur, praescribere. Vngantur renes & regio vteri vnguento praescripto ad sanguinis feruorē, vt partes refrigerentur, quae ob nimium sanguinem incalescunt. Sanguinis etiam missio in eius feruore & acrimonia fieri potest, sed minori quantitate, pro ratione habitudinis & sanguinis. Si mulier multum sanguinis consueuerit reiicere tempore mensium, plus sanguinis trahere oportet; id tamen non vnica vice, sed interpositis 10. aut 15.

4 *Ex nimia amplitudine vteri.* *Ab intemperie.* *A ventositate.*

5 *Ad sursum humorū vapores prohibendos.* *A vitiis vteri.*

6 *Ex nimia humiditate vel ex fluore albo.*

Vtrū in grauidis purgatio vel vena sectio fieri possint.

7

Si ob sanguinis acrimoniā fiat aborsus, quid faciendum.

8

Si ex nimio sanguine abortus fiat.

diebus, aut mense vno vel duobus; idq; 4.5.6.7. mense, quamuis Hippocrates a quarto tantum mense vsque ad 7. vterum gerentes purgari posse scribat; quod in morbis acutis faciendum dixit. Neq; etiam formidandum, quod Hippocr. mulierem abortire ob sanguinis missionem dixerit; quod est intelligendum de mulieribus habitantibus parum sanguinis, aut imbecillioribus. Nam experientia constat, mulieres, quæ sunt frequenter passæ aborsum, hoc remedio retinuisse fœtũ. Non solum autem ad retentionem fœtus (*inquit idem Rondeletius*) sed etiam in his, quæ difficile pariunt, sanguinem misi cum summa vtilitate. Nam cum fœtus abundat multo sanguine, in magnam molem crescit, maxime his, quæ amplum vterum habent, & postea ob magnitudinem exire non potest. Sed de difficili partu plura suo loco.

OBSERVATIO LXVIII.

De fœtu mortuo cum intentissimo dolore ventris inferioris, cum stranguria & dysuria.

Elisabetha Henrici, vxor Magistri Ioannis cognomento Buggen, apud Delphenses ceruisiarii, pro cuius ædibus trifolium insigne erat, hæc ad quintum mensem fere grauida exsistens, incidit in diuturnum fluxum menstruorum. Pro quo symptomate depellendo consuluit Cornelium Ericium collegam meum; & tandem fluxus ille paulum videbatur repressus; paulo post rediens, mox iterum constrictus. Ea vero debilis exsistens ex naturali intemperie, in domo perflatili, vtero iam aperto per continuam mensium purgationem, circa illos, qui ceruisiam ferebant, valde laboriosa, multos flatus in vterum excepit, ita vt vehementissima tormina oborta sint, vt abortum metueret, statim quoque accersita obstetrice. Sed cum partus non subsequeretur, dolores paululum sese remiserunt; attamen motum fœtus, vt antea non sentiebat. Quare cum Cornelius Ericius peregre profectus esset ad 11. Octob. diem, anno 1569. hæc ipsa me vocauit. Aderat tunc dolor rursus intentissimus in imo ventre & vteri regione, & simul stranguria ac dysuria; ita vt de aborsu futuro, vel potius de fœtu mortuo suspicio esset; quanquam illa hoc tempore dicebat, motum se exiguum infantis sentire, at vix effatu dignum. Sed cum aluum non deponeret, neque medicamentum aliquod adhibere audebam, glandem sequentem ad aluum irritandam subiicere iubeo: *℞. pul. hieræ picræ ℈ ij. pul. cumini, ob ventositatem, ℈ ß. salis exiguum fiat glans seu suppositorium.* Pectinem pro dolore & dysuria inungebat oleo anethino, parte vna, & parte dimidia olei amygd. dulc. quibus dolor paululum mitigatus est, & liberius vrinam reddere potuit. At 13. die Octob. cum rursus lotium cum dolore redderet, potu sequenti vtebatur: *℞. rad. maluæ ℥ ß. foliorum maluæ m. j. seminis anisi ℥ j. ß. hord. mund. p. j. semin. quatuor frigid. maior.* (ob vrinæ acrimoniam) *sem. pap. albi, ana ℥ j. coquantur in ceruisia communi pro ℔ j.* Dulcia hæc plane abhorrebat, ob metum suffocationis vteri, qua solita fuerat laborare. Ex eo decocto dolor nonnihil mitigabatur. 14. die cum rursus aluum non redderet, glande leuiter soluebatur. Sed cum in ventre inferiore duritiem quandam perciperem, hoc linimento, vt pecten inungeretur mandaui: *℞. olei amygd. dul. viol. pingued. gallinæ, ana ℥ ij. olei rosſ. ℥ ij. misce.* Eodem die sub noctem rediit collega, & is iterum vocatus fuit. Eidem, tum mihi suspicio erat de fœtu mortuo, cum motum infantis amplius non sentiret. Ad dolorem tamen sedandum, qui rursus vehemens erat, præscripti sunt sacculi duo: *℞ maluæ m. iiij. flor. chamæmel. meliloti ana m. ij. seminis lini ℥ ß. parietar. artemiſ. ana m. j. misce.* Fiant sacculi duo quadrati intersuti latitudine 8. digitorum, & longitudine 10. Sed eo tempore non vsa est sacculis. 15. Octob. cum valde doleret in lumbis, eos vng. rosſ. inungi iussimus. Nulla aderat febris. 18. Octobr. valde debilis erat, & menstrua plus æquo fluxere: exhibita est conser. rosſ. At dolor quotidie magis intẽdebatur, & maiorem suspicionem concepimus de fœtu mortuo vel corrupto; & cœpimus inter nos disserere, nũ prouocandus esset; eoq; magis, quod aquosa materia, quæ partum præcedere solet, & mucosa in lotio conspiceretur. Et liquor sanguineus effluxeret. Et ita cognouimus, quod abortiendi tempus instaret, cum aqua primum saniosa, pfluebat loturæ carnium similis, deinde cruenta; hinc purus sanguis, postea grumi; qualia diximus Scholio Obs. 66. huius lib. abortũ iamiam instantem præcedere. Postea cœperunt omnia ingrauescere, ita vt de fœtu exstincto vix dubitaremus. Quũ enim exstinctus est fœtus, & diu in vtero subsistit, commemorata omnia, quæ superius de futuro aborsu sunt dicta, magis ingrauescũt, adsuntq; stomachi morsus, animi deliquium, capitis & oculorũ dolor, frequẽs horror febrilis (*qui aderat hoc tempore, & prius nõ adfuerat*) spiratio fœtida & graueolens, venter grauis, & quasi procidens, & qui etiam admota manu frigidus percipitur. Imo hic obstetrix immissis digitis frigidam animaduertit vteri ceruicem. Interdũ conuulsiones oboriuntur epilepticis finitimæ. Sed & secundum Guainerium, fœtum mortuum cognosces, eo quod motus eius non percipitur amplius, ac oculi mulierum profundantur, & fusca eorum albedo fit, & circa vmbilicum dolor atrocissimus ad pectinem vsque vrget (*vt in hac erat*) & cum a fœtu ipso mortuo inferiores partes comprimantur, strãguria (*qua & hæc laborabat*) & tenesmus accidit; sæpe rigent, & interdũ aures ac narium extremitas, vt labia denigrãtur, tumescit facies; & venter, si forte non detumescat, mollis fit tamen. Quod si ventrem, super latus prægnans dum iacet, manu compresseris, rem duram de latere in latus, quæ mouetur percipies. Similiter & sumen pectinemque, qui antea calidus erat, nunc frigidum inuenies: & si fœtus putrefactus sit, eidem anhelitus olei multum: cum quo si mulier diebus quatuor, vel vltra in partu laborauerit, certior multo fies, ceteris signis præscriptis diligenter animaduersis. Cum igitur mucosa & cruenta

cruenta exirent in hac muliere, & liquor sanguineus efflueret; ideo statim sacculos supradictos, in vino coctos & expressos, vt apponerent suasimus: sed antequam decocti essent, paulo post sub meridiem pars caluariæ infantis cũ maximo dolore, vna cum fluxu vehementiore, prosiliebat; indubitatum signum non solum fœtus mortui, sed etiam corrupti. Ideo, adhibitis sacculis, & potione sequenti propinata, totũ fœtum mox corruptum peperit, vel abortiuum corruptum: ℞. 6 *pulegij regalis m. j. cinnamomi electi ℥ j. ß. doronici Romani, cassiæ ligneæ, vna ℥ ß lapid. dactylor. ℥ j. ß. intern. lapidum persicorum ℈ ij. seminis viol. ℈ j. terantur modice, & bulliant in ℔ j. vini Rhenani optimi pro ℥ ix.* capiebat statim cyathum vnum, & sub noctem alterum; atque hora nona sub noctem reiecit fœtum mortuum & omnino corruptum. At remansit secundina: quam cum parere non posset, decocto suprascripto adiecimus *sabinæ m. j* Et decimonono die sequenti, post eiectum fœtum, cum adhuc secundina remaneret, addebamus *m. j foliorum dictamni cretici.* Verum secundinam adhuc parere non potuit. Eo tempore Heyla, obstetrix bene exercitata, nobis narrauit de puerpera, cui post partum remanserat secundina, quod per partes sine remediis paulatim corrupta exierit, maiore tamen parte in vtero remanente; quæ tamen ipsa postea ex puerperio repurgatæ, & tempore puerperii absoluto templum adeunti, inter eundem ad templum, excidit. Ita & huic e- 7 uenit. Sumens enim ex potione suprascripta, tandem per partes corruptam secundinam reiecit. Sed eodem tempore Cornelius Ericius collega noster, narrauit, *Traiecti mulierem prægnantem fuisse, quæ per nouem annos ossium particulas tum fœtus corrupti reddiderit*, *vt a Medicis fide dignis accepisse se affirmabat.* Neque minus admiratu digna historia memorabilis, quæ annexa est sub finem libelli Obseruationum Remberti Dodonæi, *de muliere, quæ annis tredecim in vtero gestauit fœtum mortuum, vel potius sceletum fœtus mortui, quod tactu cum ab ipsa matre, tum ab omnibus illi præsentibus percipiebatur:* eaque narratio scripta est ad Matthiam Cornacem ab Ægidio Hertogio Medico. Similiter & altera historia adiecta est, ab Achille Grassato ad eundem Cornacem missa, *de gestatione fœtus mortui, post integrum annum, tempore partus iam præterito.* Vtraq; tamen postea superuixit. Nostra quoque, de qua nunc loquimur, recte sanata, etiamnum cum hæc rescriberem, anno 1589. mense Decembri, recte valebat, & nunc cum recenseo, anno 1593. bona vtitur valetudine.

SCHOLIA.

8 VBi timore matris, aut fœtus, vel propter mortem fœtus, aliquando cogamur aborsum prouocare, vel fœtum corruptum aut mortuum depellere; id nunquam faciendum est nisi re vrgente in tali casu. Hinc recte Priscianus dixit, *Abortiuum dare nulli fas.* Enimuero vt ipse Hippocrates attestatur, tam diri reatus conscientia, Medicorum innocens officium non decet maculari.

Theod. Priscianus.

Sed quãdo matricis vitio, aut ætatis propriæ, frequenter eueniat vt partus aut fœminæ periclitẽtur: expedit prægnantib⁹ in vitæ discrimine constitutis, vnius partis sæpe iactura salutem alterius mercari certissimã: sicut arboribus arescentium ramorum accommodatur salutaris abscissio: & naues pressæ onere, cum graui tempestate iactantur, solum habent ex damno remedium. Sic quo- 9 que Guainerius ob duas tantũ caussas Medicum aborsum facere iudicat; quando metus est de matris morte, vel vbi fœtus iam mortuus est: tunc enim excusatur Medicus pius ab ipso Hippocratis iuramento. Alioqui fas non est fœtũ corrumpere, aut abortum procreare. Infinita autem præscribuntur a Medicis medicamenta, quæ abortũ faciunt. Eadem enim quæ fœtum corrumpunt, & mortuum educunt, abortire faciunt. Fœtum corrumpentia Aetius libro decimosexto capite decimooctauo, ex Aspasia annotauit, opposita offerens iis, quæ de studio prægnantium egit, vt fœtus retineri possit. Hic videlicet contrario modo iubet, vt vehementissimis motibus agitetur, vt saliat, vt grauissima onera gestare enitatur, vtq; decoctis vrinam & menses cientibus, atq; aluum subducentibus iugiter vtatur, & acrioribus clysteribus ventrem abluat, in balneo etiam sumen & pubem singulis diebus perfricando, in labro tepidiori aqua pleno diutine immorando, in fœnugræci althææ, artemisiæ decocto. Emplastra adhibet ex cyclamine, artemisia, elaterio, & similibus: & caryças cum nitro, aut simile quippiam, in sinum pudoris ponit; violæque albæ semen, nitrum, & absinthium in vino decocta præbet: tum alia, vt apud eundem, & Guainerium, tum alios videre licet; & quæ a Moschione, Cleopatra & aliis scripta sunt in harmonia Gynæciorum. Hæc enim nõ nisi peritis Medicis cognita esse debent, vt fœtum emortuum expellere sciant, vbi opus est. Quibus illa addere possumus, quomodo corrupti fœtus eiectioni auxiliari oporteat, *ex eodem Aetio libro 16. capit 20.* Vbi fœtus abruptus fuerit, si in vteri collo detineatur, ligustrino oleo terebinthinæ admixto in totum corpus, sed præcipue in partes vtero adiacentes perfundi oportet: eodem ligustrino oleo, etiam excreto fœtu assidue loca irriganda sunt. Si vero id parum successerit, mulier aromatum decocto insidebit, atque interim sternutare cogetur, ac resina arida, bitumine propoli & cancris fluuialibus aridis suffietur. Hæc & alia huiusmodi facienda erunt, si inflammatio non obstiterit: nam ea infestante, intra sessiones, quæ remittendi, mitigandiq; vires habeant continebimus; & si fœtus detineatur, quod vterus absque inflammatione occlusus persistat, papyrum quoq; & spongias exarentes, pessuli modo, primo tenuiores, postea crassiores, imponemus, atque extrema opoponace, vel radice eius e melle vel terebinthina trita illinemus. Excreto autem fœtu, si loculus adhuc non abscesserit, violenter euellendus non est, neque tamen vmbilicus incidendus, & loculus dimittendus: summæ enim suffocationes & cer-

Quomodo corrupti fœtus eiectioni auxiliari oporteat.

ta pernicies, si id feceris, consequetur. Sed si tam graue incommodum protrahatur, vmbilicum incisum femori mulieris alligare oportebit, omniq; studio conari, vt locus abscindatur, quemadmodum inferius idem de sectione fœtus docet. Verum cum hæc ad chirurgos pertineat, id peritis relinquendum est. *Cuius doctrinam quoq; si videre libet, lege filium Aboali 21. tertij.*

OBSERVATIO LXIX.

De partu facilitando, in nobili Domina etiam ictero laborante.

DOmina de Schagen, cum prægnans in nono mense esset, ac tempus legitimi partus instaret, & simul ictero laboraret, sine febre tamen; ad eam in pago in arce sua Schagensi agentem, anno 1548. cum Alcmariæ tunc habitarem, accitus fui. Hoc itaq; clareto seu vino Hippocratico assumto mane & meridie hora quarta, quinto deinde die post assumtum claretũ feliciter peperit, & simul ab ictero liberata est. Claretum, inquam, tale erat: *℞. capill. ven. verbenæ, artemisiæ, prassij, pulegij, ana p. j. calami arom. incisi ℥ j. ß. croci orientalis ℈ j. cinnamomi electi ℥ ß. cum vino Rhenensi puro, addendo sacchari ad saporem q. s. fiat claretum secundum artem, pro pinta vna.* Illud autem ad partum facilitandum non adhibuissem, nisi Luna noni mensis præteriisset, iuxta præceptum Benedicti Fauentini, carissimi mei præceptoris, qui ita in sua Empirica cap. 45. ad facilitandum partum, & ad mitigandum dolorem eius, nobis scriptum reliquit: Ad facilem partum reddendum consulo, quod nullus Medicus se intromittat, nisi posteaquam prægnans egressa fuerit lunam noni mensis suæ impregnationis.

Nota

SCHOLIA.

2 Morbi multi cum partu finiunt.

MVlti morbi (*vt hic icterus*) cum partu finire solent, quemadmodum & Amatus refert cent. 2. curat. 51. de muliere vterum gerente dysenteria laborante, quæ cum gestationis nonum mensem aggrederetur, dysenteria lethali corripi cœpit, quæ nullis præsidiis domabatur. At quum pareret illico dysenteria restricta est, & illa paulatim sanitatẽ consequuta fuit. Alteram nouimus, inquit idem, prægnantem sex mensium, quę cum dysenteriam patiebatur, abortiuit, & sana facta est. Dysenteria ante partum salubris ab Hippocrate iudicata est: quod verũ esse historiæ Amati testantur. Ita & ego aliquando etiam Dominam de Harnes prægnantem dysenteria laborantem habui, quæ etiam restituta fuit. Ita enim Hippoc. lib. 7. de morbis popularib. memoriæ commendauit: *Epicharmi vxori ante partum dysenteria, dolor, alui egestiones subcruentæ, mucosæ: vbi peperisset, statim sana erat, diuersionis forte ratione.* Ita & huic nostræ Dominæ de Schagen euenisse puto icterum solutum post partum, viis iam solutis ac apertis per diuersionem, materia deinde per vterum euacuata. Ad facilitandum partum præceptor meus commendat hoc condimentum alternis diebus sumtum in cœna: *℞. gran. iuniperi, granor. lauri, ana num. vij. cassialignea ℥ ß. cinnamomi integri ℥ j. omnia simul ponantur in ventre turturis pinguis & carnosi, deinde coquatur in veru cum pinguedine pulli, & patienti mulieri pro esu dabis.*

Ad facilitandum partum.

Memini, quod ego anno 1554. die 15. Nouembr. Christianæ vxor Ioannis Philippi de Eide Flandri, Mathematici insignis, cum vir a me cõsilium peteret pro partu facilitando, partu instante, consilium dedi, vt quinq; aut sex grana iuniperi cum ficubus darentur: quibus cum quinquies aut pluries vsa esset, mox, vt ipsa mihi retulit, conamina partus apparuere, adeo (quod & dictu mirabile est) illa ipsa cum maxima facilitate gemellos feliciter pepererit, & ego eo tempore vnius de fonte susceptor fui. Habes apud eundem præceptorem meum Benedictum Fauentinum vnguenta relaxantia, linimenta, fomenta quoque ipsius pectinis, vt apud ipsum ad longum videre possitis. Facilitant quoq; partum ea, quæ ad difficiles partus præscribuntur, vt exemplis subsequentibus clarius innotescet.

OBSERVATIO LXX.

De partu difficili ex magnitudine fœtus.

VXor Ioannis Reyneri, mulier Alcmariana, cum anno 1549. mense Martio in partu periclitaretur, & ob magnitudinem fœtus parere non posset; quod id & aliis annis præcedentibus eidem contigerat semper dum pareret, ab ipsa, tum astantibus mulieribus intelleximus. Nam & hoc notatu dignum a mulierbus longo vsu obseruatum, quod viri, qui humeros latos habent, plerumque magnos fœtus generant. Hinc Iodoca Teyhngia, seu Iusta, socrus mea, quæ viginti proles ex marito susceperat, filias suas collocare nolebat viris humeros latos habentibus; vti maritus huius mulieris habebat, vir etiam crassus. At vero propter raritatis & improuisæ magnitudinis partuum, Medici aliam caussam referunt, vt postea latius in Scholio dicturi sumus. Ceterũ ad hanc, cum parere non posset ob magnitudinem fœtus, accitus sum. Cum itaque aluum duriorem haberet, glande eam soluebamus. Mox ad ampliandum vterum & relaxandũ, vt oleum sequens per obstetricem infunderetur, & vt intus atque exterius eodem oleo inungeretur, præcepi: *℞. olei amyg. dul. seminis lini, lilior. viol. ana ℥ j. ß. misce.* hoc cataplasmate etiam ventri post inunctionem admoto, ac pectini ipso: *℞. farinæ hordei m. j. ß. mucilag. sem. lini, fœnug. althæa, maluæ ana ℥ ij. olei amygd. dul. lilior. viol. ana q. s. fiat cataplasma*; & cum decoctione earundem herbarum, addito fœnug. & sem. lini, aliisque vnctuosis, fiat fotus: quibus partes vteri relaxabantur, & partes inferiores magis subsequentes fiebant. Sunt autem inungendæ partes perinæi & caudæ. Nam eas dilatari ad meatus amplificationem oportet; non autem os pubis, quod firmiter per cartilaginem ligatum est, & per ligamentum transuersum parte inferiore positum. Sed cauda cum osse sacro articulata est, vt extra moueri possit, ad ani & vteri amplificationem. Quam ob caussam mulieres non

non debent inniti illa parte, sed lumbis vel coxis, vel debent sustentari viris fortiorib. per brachia. Nostræ Delphenses obstetrices habent mulieres fortes ad sustentationem destinatas, vt prægnantes in sinu sedeant, vel potius libere sustineantur, vt sic facilius parere possint. Nam cum sedent vel decumbunt, illius ossis (*vt recte quoque Rondeletius dicebat*) amplificatio impeditur. Vtilissimum est etiam, rectum intestinum vacuum esse omnibus recrementis: Quare si mulier non exonerarit aluum, balanis sollicitanda est potius (vt nos in hac fecimus) quam clystere, quia vterum constringere posset. Sed balani acrimonia facultatem expultricem mouet, & stercus ac fœtum aliquando propellit. Sic mihi sæpe euenit, vt solo balano indito mox fœtus subsequeretur, & parerent: vti vxori Assueri Chirurgi Delphensis. Cum itaque loca iam dicta, perinæum & cauda, oleis pinguibus dictis inungerentur ac fouerentur, sternutamenta quoque incitauimus, vt vi illa commodius pareret, & vt potionem infrascriptam simul per os sumeret mandaui: ℞. *ceruisiæ Anglicanæ, qua delectabatur, cyathum magnum, butyr.* ℥ ij.ß. *olei amygd. dulc. recenter expressi* ℥ j. *aquæ chamameli, lilior. albor. ana* ℥ j.ß. totum tepide cum ebibisset, maximam partem euomuit: ac reliquum cum cõtinuisset, non diu post peperit feliciter, cum violentia tamen, infantem magnum ac sanum, & salua euasit; etiam locello vna excusso seu secundina: in puerperio porro optime habẽs, recte deinde valuit.

SCHOLIA.

Inter partũ naturalem & abortum quæ sit differentia.

Inter partum naturalem & abortum differentia est. Partus nominatur quando fœtus absolutus ac consummatus tutus emittitur, vel quando hoc ex naturæ commodo fit: quando vero non naturæ sponte, sed violẽter incidit, abortus prouocatur, *vt liquet 3. De facult. nat.* Appello autem abortum imperfectam fœtuum emissionem vtcunque factam, *cum Gal. 6 De morb. vulg.* E diuerso autem naturalem partum nuncupamus eorundem fœtuum consummatorum, ac perfectorum naturalem emissionem: qui, vt inquit Hippocrates lib. De natura pueri, hoc modo fit: Vbi enim adeo auctus infans est, vt alimentum, & augmentum, quod a matre descendit, non amplius ei sufficiens sit, copiosius alimentum apperens calcitrat, & membranas disrumpens initium partus matri affert. Fœtus itaque vehementissimis motibus succedunt partus, ex Hippoc. sententia. Hoc etiam tempore vteri, qui amplius fœtus grauitatem, ac eorum distentionem ferre nequeunt, (*Gal teste eodem 3. De facul. natural.*) nec minus & sentientes interim se morderi a qualitate humoris in se ipsos effusi, qui eos molestat, facultate propultrice media abiicere properant: nec non & a se ipsis patienter in hoc præstant opus, non mediis vteris, sed musculis, qui in abdomine existunt: qui ad deiectionem etiam, tum ad reddendam vrinam, nobis sunt auxilio. Fit itaque partus hoc modo. Verum quo tempore fiat, non admodum liquet, *vt etiam superius diximus.* Modo enim 10. imprægnationis mense, *iuxta Hippocrat. vel iuxta Aristot.* 10. quoque mensibus, vtque longissime. Quamuis & 7. mense & 8. & 9. (*quod generaliter fit*) parere possunt. At fœtus, qui maturius, quam in septimo mense prodeat, nullo pacto vitalis est: qui septimo, vitalis quidem hic plurimum erit, sed magna parte infirmior, vt etiã Hippocrates de partu septimestri scripsit Galenus 9. mensibus perfici scribit, & hoc 3. *De nat. facul. & 2. De causs. sympt.* confirmauit. Atq; hæc fiunt prout alimentum perfecto & consummato fœtui, ac augmentum a matre suppeditatur. Diuersimode enim in diuersis vterum gerentibus se habet, si maiorẽ vel minorem sufficientiam considerabis, prout sufficientes vel paucos menses demittere consueuerunt. Similiter & inter se non parum dissident fœtus: nam prout maiores vel minores exsistunt, aut robustiores vel imbecilliores, plurimo aut pauciore alimento indigent, etiam dum perfecti ac consummati fuerint. Propterea Hippocrates horum haud ignarus, eodem lib. De natura pueri talia verba protulit: Quin etsi alimentũ a matre prius aduenit, & ante 10. mensem puer prodit; & hoc perpetiuntur magis mulieres primiparæ: deficit enim pueris alimentum, vt ad 10. vsque mensem sufficere non possit. Et demum: Quæ vero menses paucos demittunt, eæ etiam puris postremo tempore, vbi iam maturi fuerint, alimentum rarius exhibentes, ipsos calcitrare faciunt, vt & ante decimum prodire festinent: modicus enim sanguis a iuuenculis ac nouellis matribus procedit. Longissimum itaque terminum naturalis partus cõscripsit Hippocrates esse 10. mensem; quamuis non neget citius contingere posse, vt qui & 7. 8. 9. mense mulieres asseruit parere posse, & nonnullis 11. attingere. Et ita puer septimestri partu natus, pro ratione natus est & viuit: octimestris autẽ natus nullus vnquam vixit: nouem vero mensium & decem dierum partus fit, & viuit. In eandem quoque sententiam deuenit Galenus. Nam licet nouẽ mensibus pariendi tempus præscripserit; illud plerisque mulieribus contingere asseruit, & forte quia sic sæpenumero obseruauerit, haudquaquã negãs in decimo posse euenire: quin imo admittere illud videtur ex eiusdem Hippo. auctoritate Comment. aph. 37. 5. lib. ac aliis quoque mensibus, pro prædictorum varietate. Cum igitur consummatus & perfectus prodeat, siue 9. siue 10. mense id contingat, & cum adeo mirãda pro eius emissione requirantur; euenit (idque non raro) vt difficulter edatur in lucem fœtus, & sic difficilis fiat parientibus partus. Hunc quidam rursus naturaliter prodire volũt capite prius exeunte, facie versus terram prolapsa, deinde collo egrediẽte, mox humeris, brachiis, deinde extẽsis supra latera procedentibus: innaturaliter vero vbi exit resupinus, aut pedibus primo, aut manibus exeuntibus, vel secundum latera: difficulter, vel partum difficilem vocant, quando non potest exire, & laborat mater, & angustiatur, ac moriatur in illo labore & anxietate longo tempore. Alii vero partum

Quomodo fiat partus naturalis.

De tempore prius dictum est. Sed hic conciliatur Gal. cum Hipp. & Arist.

Alias distinctio partus naturalis, innaturalis, & difficilis.

7 *Qui affectus sit partus difficultas.*

innaturalem etiam ad difficultatem partus referunt: & ita partus difficultas symptoma est sub genere contentorum immodice: sunt etenim fœtus non vtero gerentium partes; sed proportione respondent iis, quæ adnascuntur, familiarium, inquam, quemadmodum & oua, & fructus, nimirum ad generis propagationē a natura creati; *ex Gal. testimonio 11. De simpl. medic. facultatibus.* Et propterea vbi detineantur tempore, quo edi in lucem debent, præter naturam detinentur. Consequitur autem hæc eorum præter naturam detentio, quod ad noxam alicuius facultatis naturalis, retentricis, inquam, aut expultricis, siue ipsius pueri, siue prægnantis. Interim vero citra noxam earundem facultatum, ad alias consequitur caussas, seu præter naturam dispositiones. Sed antequam ad omnes caussas veniamus; cum hic vnam tantum in medium produxerimus, nempe, quod hæc mulier nō poterat parere ob magnitudinem fœtus; caussam prius proceritatis seu magnitudinis vel improceritatis partuū dicamus; quanquam aliqua ex parte prius diximus, exemplo cucumeris & arboris, *Scholio Obs. 66. huius libri*, de iisdem. At nostræ vulgares mulieres, ex longo obseruatione dicunt, prægnantes magnos fœtus parere, quæ nactæ sint maritos platonicos humeros latos habentes. At Bonaciolus lib. 1. mulieb. ca. 4.

Ad quam noxam sequatur.

8 *Proceritatis, improceritatisq́ꝫ partuū caussa, & de mira quorundam proceritate.*

inquit: *Quosdam præstanti corporis magnitudine partus, alios pumiliones, nonnullos proceritate insignes, improcera facie alios, obesos plerosque, alios graciles, quosdam inter hos omnes medios, pro locorum capedine, recrementorum seminalium quantitate, alimentariæ materiæ inopia, vbertate affluentiave, gigni compertum est.* Etenim si vteri spaciositas angusta fuerit, non amplum, sed angustum, quod in ea procreatur, esse necessum est: instar fructuū, qui quanquam sua vi suapteque natura grandiores adolescant, in angusto arctioreque vasculo in suæ generationis primordio coacti ac coerciti excrescere vltra vasculi limites (eo impediēte) neutiquam possunt: planeque præpetibus hominum inuentis prodigiosis naturæ virib. abrogatis (cui nihilo secius imperari audacis est credere) exolescunt. Identidem & de incoati hominis magnitudine facile est cuique arbitrari. Quo fit vt nani pumilive degeneres admodum in lucē prodeant. Subticeo Pygmæos ad extremos Indiæ fines, ternos longitudine dodrantes non excedētes, quos etiam a gruibus infestari Homerus prodidit: eosdemque fama est, sagittis armatos arietum caprarumque dorsis insidentes verno tempore ad mare vniuerso agmine descendere, & oua tum pullos quoque earum consumere, ternisque eam expeditionem mensibus perficere: alioquin fieri, vt futuris gruum gregibus resistere nequeant. Contra, si vuluæ aluecus vastior exstiterit, modo parentes vberiores genituras suggesserint, ac deinceps alimentaria muliebria tantisper affluentiore affatim suppetant, maiusculum procul dubio puerperium efficietur. Sin cauea intercapedoque medium obtinuerit, medios quoq; infantes (modo cetera respondeant) gigni, credi par est. Hinc breuiores quosdam partibus partus euasuros discas licebit; æquiualentes nonnullos, longitudine magis euectos proceriores que alios: tametsi raro admodum (seminum vbertatem exustione consumēte) eam ætate nostra fortunam indepti sunt. Quandoquidem & Homerus vates ille iam ante annos probe bis mille & sexcentos, minora mortalium corpora, quam prisca vsque in id tempus conqueri non cessauerit. Nonnullos tamen patribus maiores exstitisse creditur. Quemadmodum olim ille fuerat, cuius corpus (*terramotu in Creta rupto monte*) stans quadraginta & sex cubitorum inuentum est. Et adhuc Orestis corpus (*oraculi refossum iussu*) septem cubitorum fuisse traditur. Sub diuo etiamnum Claudio, Gabbara procerissimus homo, nouem pedum & totidem vnciarum ex Arabia aduectus visus est. Et sub diuo Augusto Pusonius & Secundilla duo ii priori semipede addito exstitere. Quantos eorum parētes fuisse, nusquam proditum est. Plura vide apud eundem loco citato. Nunc ad alia exempla difficultatis partus properemus.

Observatio LXXI.

De partus difficultate ob innaturalem positionem fœtus, ac humore elapso.

Qvæuis quantitas cuique in vtero fuerit, in semet conglobatus homuncio sic gestatur, vt nasum inter genua, super hæc palmas, super hæc ocellos, aures extra genua habeat, cui caput primum sursum, facie ad spinam matris versa tergoread sumen est. At cum increuerit, exitumque appetit (*vt paulo ante etiam diximus*) deorsum reclinatur. Egressus huius gratia, rerum parens (*quippe qui in caput commodius ederetur*) sic situandum in vtero duxit. Si aliter exeat, difficilis fit partus, vti euenit anno 1557. mense Ianuario Mariæ Iohannis, vxori Iacobi Teylingii, sorori meæ, nam capite retrorsum ad scapulas mento incumbebat vt exire non posset, vti obstetrix nobis ad prægnantem vocatis narrauit. Membranis vero diruptis, humore effuso & enixu partus deficiente, ob longam moram & debilitatem, matrix minus lubrica partum adiutare non potuit. Quare consului, vt obstetrix ad humectationem oleo amygd. dulcium pinguissime vterum oblineret, & quod circa clauiculam aut os pectoris digito inuncto leuiter cum oleo eodem paululum subleuaret, vt sic caput ad os vteri recte descēderet. Quod vbi fecisset, & artemisiæ decoctū cum vino Rhenano, adiecto puluere cinnamomi calide propinassem, (*quanquam prius ebibisset cereuisiam cum oleo amygd. dul. & butyro, quam etiam euomuerat, fœtu nondum egrediente*) ilico peperit, deinde post partum bene purgata, optime deinde habuit. Erat autem prius valde meticulosa, eo, quod octauus partus esset, cum mater eiusdem ex octauo partu obiisset. Illa quidem imaginatione impressa, magis sibi metuerat. Sed schemate optimi partus in rectum diductu, feliciter peperit. Eodem etiam plane modo, meo consilio, rustica feliciter enixa est, in pago ad Mosam sito.

SCHOLIA.

2 *Causs. externa.*

CAussæ autem difficilis partus variæ sunt, Interea vniuersæ aut internæ sunt, aut externæ. Externæ siquidem, quæ partus difficultatem inferunt, sunt aut immodicum frigus, quod vterum densauerit, aut immodicus calor, qui vires dissoluerit, aut quoddã aliud fortuito eueniens, *vt liquet ex Paulo & Aetio*: Nam & mulieres difficulter pariunt ob aeris præcedentem vel præsentem constitutionem, *vt Hippocrat. docuit*. Obest aquilonia: Austrina iuuat sicca, fœtum & mulieris corpus exsiccat, & difficilem facit partum. Nimis calida vires resoluit, vt diximus: frigida partes contrahit. Humida omnium aptissima est. Quæ modice calida est, vt veris (*quod cum autumno faciliores partus concedat.*) laudatur. Internæ autem caussæ, aut vitio parientis, aut fœtus, aut membranarum esse possunt. Sub quibus & alii intelligunt etiam posse fieri ratione vteri, vel partium vicinarum. At parientis quidem, vt si crassa obesaque sit, vterus exiguus, dolorum impatiens, aut timidiuscula, aut natura imbecillis, vt fœtum nequeat propellere, aut etiam si ante tempus pareat, vel inflammationem in locis genitalibus, aliave particula fuerit experta, aut alio quodam modo laborans: ob ceruicis vteri obliquitatem, aut ob carnem eidem ceruici, vel osculo eius adnatam, abscessum vel duritiem. Potest & difficultas pariendi contingere, si etiam ossa pubis nimium conserta fuerint: quoniam enim in partu dilatari non possunt, pariendi difficultatem faciunt: similiter si puerpera vesicæ calculo laboret, vel excrementorum copia in intestino recto, aut vesica fuerit detenta, siue prouectæ ætatis fuerit, aut puella nondum virilis, nec vires vigoris adepta: nec minus ob nimiam lumborum cauitatem vterum comprimentem difficulter pariet. Ita quoque si matris adsit mala confirmatio, staturæ breuitas: ex vicinarum partium tumore, vel vitiis vesicæ, aut musculorum abdominis. Nimia quoque omenti & vicinarum partium spissitudo & obesitas. Nam Hippocrates scripsit, omenti magnitudinem impedire conceptum, os vteri comprimendo: sic & facile partum molestat. In quibusdam enim omentum descendit inter vesicam & vterum, ibique spissus fit. Colli vtero longitudo facit quoque saltem, vt longiori tempore exeat fœtus. Fœtus vero vitio similiter difficulter pariunt; vt si inusitatæ magnitudinis fuerit, *vt Obseruat. 70. præcedente ostendimus*, vel exiguus, & modicæ grauitatis, seu magni capitis, vel menstruosus, vel mortuus; aut viuus quidem, sed adeo imbecillis, vt foras non possit procedere: similiter si plures fœtus fuerint. Nam Herophilus quinque edidisse mulierem memoriæ prodidit. Confirmauit idem Gellii auctoritas, qui, Diuo Augusto imperante, ancillam in agro Laurente quinque pueros peperisse testatur. Vbi biceps prodit difficulter pariunt, vel quouis alio modo monstrosus, gemini, vel cõiuncti, aut duo vel tres. Nam duo corpora, teste Valesco, nata visa sunt duo capita habentia, duo ora, quatuor brachia, quatuor manus, vnam anum. Primus mortuus est, & deinde alius longo tempore post, & fœtente altero. De monstrosis partibus & diuersis scematibus partuum, vide 4. lib. Iacobi Rueff chirurgi Tigurini: nam & figura ipsius fœtus naturæ contraria, vt hoc exemplo præcedente ostendimus, difficilem efficit partũ; vt si obliquus, aut in pedes procedat, ex Hipp. auctoritate eodem lib. De natura pueri. Naturalis siquidem figura pdeuntis fœtus est (*vt diximus*) vt recte in caput manibus ad vtrumque femur extentis prodeat. Proxima huic vbi in pedes conuersus est, præcipue si manibus super vtroque femore extentis prodeat. Reliquæ vero omnes præter naturam sunt, Aetio & Paulo testibus: vt si caput in dextram vel sinistram vteri partem declinet; aut altera aut vtraque manus exseritur, & crura intus inter se diducuntur: aut etiam altero pede intus detento, altero prodeant, aut si duplicati vteris innitãtur, aut etiam obliqui prodeant; licet hi minus improbandi sint, vt liquet ex eodẽ Aetio. Quapropter natura diligenter prouidit, quo pacto fœtus, qua conueniebat figura, ad collum vteri prouenirct. Caput etenim eius primum collo matricis indidit, tum per id aliis ipsius partibus viam muniuit, *vt liquet 15. De vsu partium*. Procedit autem in caput, si secundum naturam prodierit, vt inquit Hippocrates, quoniam grauissimæ sunt ipsi supernæ partes, si ex vmbilico perpendatur. Atqui si fœtus obliquus, aut transuersus paret egredi, aut si secundum longitudinem quidem, sed non vt nunc, scilicet caput non insereret, quod nonnunquam etiam, sed raro accidit, vel pedem ante caput, vel menum exserens, difficilem aliis membris exitum efficeret, *vt eodem 15. De vsu partium, a Galeno scriptum est*. De his vide plura, & quæ sint schemata infantis nascentis seu prodeuntis, in Harmonia Gynæciorum, & quæ Moschio ad longum scripsit. Et ita Fernelius breuiter: Quum non recta in caput fertur, nec manibus secundum latera adductis, sed vel ambos pedes, vel (*quod multo operosius exsistit*) alterum duntaxat, vel manus primum exserit, vel duplicatus in nates exit; vel obliquus alterutrum latus, vel pronus ventrem primum exhibet, quæ omnium pessima est pariendi figura. Difficilis quoque fit partus, si secunda, aut propter crassitudinem non abrumpatur, aut propter tenuitatem antequam oportet, diuellatur simul cum aliis membranis fœtum ambientibus; siquidem humore euacuato, infans præ siccitate ægre mouetur, ac per os & collum vteri difficulter elabitur: humor enim iste, qui in pueri membranis continetur, nedum eisdem lubrificandis confert, sed vteri ceruicẽ ad maximam dilatationem reddit facilem: a prædicto namq; humore collum humectatũ mollius redditur, dilataturq; facilius, eodem Galen. teste citato lib. 15. De vsu part. Difficilem itaq; partum in propinquo esse, prænuntiat (*inquit Fernelius*) humor aquosus allantoide conclusus, totus ante partum effluens, aut copiosior sanguinis eruptio multo tempore fœtum

Interna caussa trifariam.

Parientis vitio caussa.

3

Ex parte fœtus caussa.

4

5

6

Caussa ex parte membranarum.

Signa difficilis partus in propinquo.

7 præcedens. Loci enim ſicci manent, destituti eo humore, qui fœtui tranſitum facilem & lubricũ præbet: languidi dolores ex interuallis longioribus recurrunt, quandoquidem ægre abrumpuntur acetabula, vixq; ſecundæ ab vtero diuelluntᵉ. Sed & hæc ſigna, præter ea quæ ſuperius diximus, proximi partus ſunt ex Moſch. Si ſeptimo, vel nono, vel etiam 10. menſe, grauedo vteri, & ex renum conſenſu feruor & dolor in clunibus, lumbis & inguinibus erit; ipſius etiam matricis ad inferiores partes diſcenſus cum orificii apertione & humectatione. Cum vero proximat, ſuperiores partes graciliores fiunt, & extenduntur loca ſuper pectinem & inguina, & frequenter vrinæ deſiderium naſcitur. Immiſſoq; digito ad magnitudinem oui in orificio inuenitur: humor vero qui effertur, primo lentus, poſtmodum plurimus & ſanguineus. Differt autem hic dolor a feruore qui in partu occurrit, & ab inflammatione vteri, eo quod a feruore dolor cum clauſura & ſiccitate in orificio inuenitur. At iam cauſſa difficultatis partus antequam ad curationem accedatur, diligenter inquirenda, vt ſic pro ratione cauſſæ commoda inueniantur remedia. Et licet tot ſint pariendi difficultatis cauſſæ, haud tamen ægre a Medico percipi poterant: externæ ſiquidẽ ex aſtantium ſeu puerperæ ſermonibus innoteſcent: internas vero tum ex ſe ipſis Medici inueſtigabunt, tum etiam ex earundẽ parientium loquela. Nam debilitas ægræ, macilẽtia, veluti etiam pinguedo, ex habitu corporis deprehenditur. Si vteri vitio ſit ex propriis indiciis, ſiue adſit vlcus, abſceſſus, inflammatio, aut tale quippiã, facile deprehẽdes. Si quoque a frigore externo, vel calore, parientis indicio habebitur. Si mater debilis, vel laſſata, vel morbum prius paſſa ſit, vel ob longam moram magis laſſata, vel famem experta, meticuloſa, aut in pubertate, vel annoſa, ab ipſa quoq; vel aſtantibus percipies. Ita & fœtus imbecillitas ex debili & tarda motione habetur, ſi mortuus, eius ſigna antea diximus: a motu ceſſat, frigiditas ventris adeſt & lateris, dolor iuxta vmbilicum grauis, febris lenta, faciei decoloratio, fœtidus anhelitus, aſcenſus vaporum horribilium ad ſuperiora, immobilitas ventris, inſtantia vigiliarum. Magnitudo fœtus ex parentum corporis conſtitutione, ac ventris parientis mole coniicitur, eaque grauiter incedit. Quando autem hæc deficiunt, & mater fortis eſt, facilis motus, & fœtus mouetur ad exitum, & tamẽ partus eſt difficilis, tunc ſignum eſt, ſecundam ſeu ſecundinam eſſe fortem; & tunc non exit aliqua aquoſitas nec ſuperfluitas, & prægnans in enixu plurimum laborat; inde craſſities ſecundæ colligi poteſt. Et ſiccitas vteri facile cognoſcitur per ſiccitatem prægnantis; quia eſt macilenta, ſicca, ſitibunda, agilis, minime lubricoſa. Nunc ad ſigna prognoſtica accedamus, exemplis prius productis de partu valde periculoſo, & de primipara ex partu moriente.

Signa proximi partus, ex Moſch.

Dolor parturientis differens a feruore ſeu inflammatione vteri.

8 *Signa cauſſarum difficultatis partus.*

Observatio LXXII.

De partu valde periculoſo: & de primipara ex primo partu moriente.

1 Valde periculoſum eſt, ſi puer vel fœtus ſuper pedes exierit. Euaſit tamen hoc modo nata Elizabetha Iacobi Teylingii ſororii mei filia. Oportet vt obſtetrix pedes impellat ſurſum, deinde paulatim conuertat fœtum. At ſi egrediatur vſq; ad corpus, tunc præcipe ei vt comprimatur, & fac eam ſternutare cum condiſi: *ſæpe enim*, inquit Albucaſis, *auxilio & gratia Dei, vidimus euaſiſſe incolumes & matrem & fœtum.* Et ſi non egrediatur hoc modo, tunc obſtetrix reducat fœtum paulatim donec reponat eum ſecundum figuram naturalem. Si ita forte repoſuerit recte, facile pariet mulier. Quod ſi nulla harum ratio ſubueniat, foue vterum cum muccilagine althææ & oleo ſeſamino. Puto autem filiam ſororii mei præmiſſis pedibus, manibus deorſum ad femora deductis natam; qualis eſt prima figura apud Iacobum Rueff: in quo caſu obſtetrix oleo, conuenientibuſq; linimentis inſtructa, exitumq; infantis vngendo & demulcendo tantum iuuet, ne retro feratur, ſed vti cœpit ita recte pergat. Inprimis autem operam dabit vt vtraq; infantis brachia deorſum porrecta apprehendat, firmiterq; teneat, nec retrorſum deducere permittat; ſed hoc ipſo modo ad partum prodire compellat, & ad reliqua pergat, vt ibidẽ annotatur. Si vero in pedes procidat, manibus ſupra caput ſurrectis, tunc melius eſt, partum in vterum repellere, *vt videre eſt apud eundem auctorem cap. 2. vel de ſecunda figura innaturali.* Si ad genua deſcendat, facile repellitur. Si in nates ſedeat, vt contigit vxori calcearii Alcmariæ, in qua fœtus complicatus natibus exire nitebatur: ſed manu infante repulſo leuiter eductus fuit. Vide 9. figuram apud auctorem citatum. Sicuti forma innaturalis fœtus non careat periculo; ita peſſima ſunt ſymptomata quæ nos terrere debent; & tunc periculum prædicemus, ſi febris inter pariendum præcipue acuta adfuerit, dum diu in excutiendo fœtum laborant, & ſi plurimũ ſudent pulſuſque minuatur, & poſtea in totum non appareat, ſubſequente delirio. Tales aliquando vna cum fœtu dum in paru ſunt, moriuntur: vt nuper euenit primiparæ valde tenuis conſtitutionis & imbecillæ exſiſtenti.

2

Scholia.

3 Ex parientibus ac puerperis maxime laborant primiparæ, propter inexperientiam dolorum: & dolent quidem totum corpus, maxime vero lumbos, ac coxendices. Nam coxendices earum diſparantur. Verum expertæ iam partus, minus primiparis dolẽt: quæ vero multoties pepererunt, multo minus dolent; *vt inquit Hippocrates lib. De natura pueri.* Primiparæ & iuniores difficulter pariunt; ita & ſeniores quæ nunquã pepererunt; & aliquãdo cum vitæ periculo, ſi mala ſymptomata acceſſerint. Et vbi obliquus, aut in pedes fœtus procedet, nedum mulier difficulter pariet, ſed multæ vel ipſæ perierunt, vel puer, aut ſimul matres vna cum fœtibus; vt Hippo. in lib. citato ſcriptum reliquit. Huc referendæ ſunt prædictiones habitæ de conceptione: nam & mulier poſt annũ 25. primum concipiens difficulter pariet primipara-

Signa prognoſtica.

para. Pinguis mulier sicut difficile concipit, ita & ægerrime pariet. Si dolor imas partes ventris tentat, cum parientis virium robore, & nulla adsit anhelandi difficultas in muliere temperaturæ & ætatis mediocris, bonum est: nam facilitatem partus præsignat: etiam cum dolor est prope vuluam, tum dilatantur lacerti per embryonis præsentiam prope [illegible] existentis, & cito exibit ille nouus calamitosus mūdi socius, dicente Valesco. Quandocunq; igitur dolor declinat versus inferiora & [illegible] sit bonus, partus erit facilis. Mulieres, vt dixi, pingues magis laborant in partu, quam graciles aut macilentæ. Masculus cum minori labore egreditur, quam fœmina. Si dolor ad ilia & os sacrum tendat difficillime pariet. *aph. 55. lib. 5.* Quæcunque vterum gerentes a febribus corripiuntur, & fortiter calefiunt sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo, aut abortum parientes periclitantur. Non sine ratione igitur [illegible] (*inquit Galenus in Commen.*) aliquid [illegible] sed ex febre & vitio humorum corrumpitur: nonnunquam vero perducitur vsque ad tempus partus; sed cum ipse & [illegible] vt qui longo tempore laborauerit, [illegible] imbecillem, non sine periculo [illegible]. Nam ad bonum partum (*vt alias quoque diximus*) [illegible] corporum vigore est opus, & [illegible] mulieris & infantis. Quidam hic adiiciunt [illegible] quæ in [illegible] pariunt, mutos edere. Vtrum id verum sit dubitamus. Plinius oscitationem in [illegible] lethalem esse voluit, *lib. 7. ca. 6.* Quod vero mulieri, quæ difficulter parit, sternutatio superueniens bonum sit, *decretum reliquit senex Hippocrates lib. 5.* quoniam vehementiori concussu ac [illegible] partim quidem naturam excitat, partim vero excernit quæ partib. corporis firmiter infixa adhærent, *vt inquit Gal. in Commēto.* Accessus tempore imprægnationis in vtero accidens lethale: & hoc quoque prius ex Hippocrate dictum. Partus autem difficilior in fœtu mortuo, quam viuo.

Observatio LXXIII.

De quibusdam mulieribus in partu periclitantibus, & egregie liberatis.

CAtharina, mulier quæ extra portā qua Schiedamum itur habitabat, vxor illius Iacobi Iohannis, qui vela conficiebat, cum circa tres dies in partu difficili hærens parere non posset nec lotium emittere, ad eam tandem ego accitus fui, cum obstetrix eandem pro deplorata haberet. At his infrascriptis remediis anno 1571. per me descriptis tandem feliciter peperit. 24. Febr. eam accessi, & cum aluum non deponeret, balanis sequentibus soluta fuit: *℞. pul. hiera picra ℥ ij. salis communis, & salis gemmæ ana parum, mellis q. s. fiant duo suppositoria.* Imperaui quoque, vt obstetrix ventrem inferiorem ad pubem vsque inungeret, ob humorem effluxum & matricem siccam: *℞. ping. gallinæ, anatis, anseris, olei liliorum, cheyrini, ana ℥ ß. olei amygd. dul. ℥ ß. misce pro linimento.* Interea dum in officio obstetricandi esset, intus vuluam quoque illinebat oleis sequentibus: *℞. olei amygd. dul. ℥ j. ß. olei liliorum ℥ ß. misce.* Sacculi quoque parati erant in vino Rhenano cocti, & expressi calide pectini admoti ad vrinam prolectandam (cum ea retenta esset) & partum facilitandum: *℞. folior. saluæ, flor. chamæmel. meliloti, parietariæ ana m. j. artemisiæ m. ß. semin. anisi, anethi ana ℥ ij. cherefolii m. j. fiat sacculus quadratus intersutus.* Interim & pul. ad prouocandum partum non febricitanti per tres vices exhibitus est. Obstetrix alium puluerem pro vxore Cornelii pictoris dederat; de qua muliere suo loco dicemus; quem citra meum consilium a pharmacopœo extorserat, sed nihil effecit, cum casus ab altera diuersus esset. Verum hæc subsequentibus pulueribus cum vino assumtis, & admotis sacculis, ex iis copiose lotium reddidit, & mox feliciter peperit, & salua euasit, & sana etiamnum viuit. Hic erat pul. facilitans partum: *℞. cinnamomi selecti ℥ j. ß. ossium dactylor. ℥ ß sem. viol. ℈ ij. rad. dictamni albi ℈ ß. fiat puluis subtilissimus in tres partes diuisus.* Venit mihi tunc in mentem textoris vxor, quæ cum octo diebus in difficili partu valde angeretur, a M. Iohanne Tiengio Amstelrodamensi Medico curata fuit, vbi nono die accepisset ℥ j. pil. de assa fœtida (de qua superius dictum est) cum cyatho vno decoct. sabinæ, idque ter, post prandium, & hora 4. & sub noctem hora 8. quibus eadem nocte, Dei nutu, peperit filiam, & salua mansit. Sed & alteri etiam octo diebus hærenti in difficili partu, cui ante 4. dies matrix aperta humorem mensesque profuderat, exhibita est ℥ ß. pil. ex assa fœtida iam dicta cum vino decoct. verbenæ, sabinæ & artemis. & liberata est illa nocte, cum bis sumpsisset. Ita & puerpera, cui duobus diebus secunda intus permanserat, valde defatigatæ tertio die extrema inunctio adhibita fuit, vt in deploratis fieri solet. Sed singulis tribus horis accepit easdem pill. ad ℥ ß. (quam descriptionem accepit a Nicolo Florentino, auctoritate Rhas. cap. proprio De facilitando partum) exhibitas cū succo verbenæ & prassii mixtis cum vino Rhenensi, & fuit liberata. Idem vtebatur suo clareto & vnguento emolliente, descriptis antea Scholio Obs. 43. huius libri.

Scholia.

CVrationem antequam aggrediamur, de obstetrice perita ac gnara, & sagaci, ac minime temulenta, prospiciendum est, vt per eandem omnia illa, quæ partum difficilem inferunt, recte curare possimus; nam vt traditur in Harmonia Gynæc. cap 9. obstetrix literas nosse debet, cui & ingenium promptum, & memoria præsens adesse debent. Eaque sit studiosa, munda vniuerso etiam corpore, fortis & laboriosa; quæ &, iuxta Moschi, sit medicinalibus actionib. exercitata, prouidens, iusta, diligens in adiuuando, quæq; partes diuidere nouit, & accidentia mitigare, non iracunda nec turbulenta, compatiens, sobria, pudica, arguta, quieta, prudens, nec auara, atq; in eo munere facilis, audacula, quæ animum primiparæ facile excitet, & quæ præparcum animum coarguat, faceta,

hilarisque, non annosa, quæque non solum difficultati partus opportune expediteque succurrat; sed etiam contra ea (*vt Benedictus Veronensis dicebat lib. 25. cap. 25.*) quæ accidunt ingeniose agat; & in præcidendo deligandoque vmbilico infantis non impigra sit. Non dicaculã, sed religiosam esse oportet. Nam sæpe infans veluti emortuus enascitur, qui prius quam deligatur vmbilicus, compresso intus sanguine, tanquam recepto alimento, vitæ restituitur; is alioqui deliquio moritur. At nunc de iis, quibus obstetrices indigent, vt est sella obstetricalis ab ipso Mosch. tum veteribus descripta, instar sellæ tonsoriæ similitudine lunæ præcisa, vt illuc infans cadere possit. Sed q sinu insident alterius mulieris; vt nostras obstetrices facere diximus, non adeo incommodum est, quam quod a viris fortibus brachia teneantur: nam quædam vel aspectum virorum dum parturiunt abhorrent. Interea Moschio adesse vult ministras vna cũ obstetrice numero tres, ex quibus duæ dextra læuaque ad latera stare debẽt, inter quas incumbere possit; tertia vero dorsum eius teneat. Sed si in sinu sedeat mulieris robustæ, tertia minus opus erit. Interea omnia sint parata quæ ad partum sunt necessaria, vaporationes ex oleis calidis, spongia mollis, lana munda, fasciæ ceruicalia, resumtiui odores, & cathedra obstetricalis Reliqua vide apud eundem, quid facere oporteat antequam in sella ponatur parturiens, & quomodo eam collocare oporteat. Etenim si ita fuerit lassa, vt supina sedens in lecto parere non posset, ad sellam eam leuant, vel in mulieris femoribus sedere debet (*vt & nos paulo ante diximus*) vt illic pariat. Obstetrix ita sedere debet vt vtiliter sit cincta, auctore Moschione: & si in lecto partus efficiatur, habeat modice inferius obstetrix sedile, in quo sedeat, vt ita facilime manus mittere possit. Si vero sedens in sella paritura est, & sedeat inferius obstetrix humiliori sella, vt possit ex superiorib. partibus infantes adducere, & aliquantulum pedibus suis apertis, plus tamen humiliore loco, vt eam non impediat, faciem suam auersam auertat, ne pariens præ verecundia se concludat. Ante omnia tamen ligamentis omnibus & capillis solutis; quod propter laxamentum solet fieri. Digito autẽ sinistro oleo calido peruncto, orificium matricis circumagendo, aperiat, vt chorium illuc cadere possit. Omni cura circa parturientem satagere debet, & petere eam, vt non clamet, sed omnẽ spiritum ad inferiores partes exponat, maxime cum dolor occurret. Si folliculus diu non fuerit ruptus, vnguibus eum rumpere, & immissis paulatim digitis plus adaperire conabitur. Obseruandum est ne infans subito cadat, ne quassatio capiti & ceruici infantis adducatur. Naturaliter vero orificium aperitur aliquando, mergentibus humoribus per ipsum. Tunc apprehendere debet obstetrix, & in diuersum adducere hucatque illuc. Illo tempore quando se matrix aperit, conari oportet; & quando se concludit, non conetur, ne feruore aut sanguinis fluxu, ipsius matricis adductio emergat. A lateribus vero ministrę sine quassatione, manibus aptis deorsum deducant. Cum vero exire fœtus cœperit, manibus pannũ habentibus eum suscipiat obstetrix; & id obstetricaliter quam lenissime, vt vna cum secundis procidat. Quando autem & quomodo vmbilicum oportet præcidere, ex Moschione sic habeto. Cũ modice infans in terra requieuerit, a ventre eius digitis quatuor scalpello aut cultro acutissimo præcidẽdus est. Nec superstitionibus antiquorum consentiendum est, qui lino aut vitro, vel canna acuta, aut cortice panis secabant. Cum vero præcideris, sanguinem, qui in eo remansit, coagulatum exsiccabis, & lana torta vel licio ligabis, ne subsequenti fluxu sanguinis infans periclitetur. Sed eadem hora qua natus est, ex vtraq; parte ligandus est, & sic in medio præcidendus, ne & ipsa parturiens fluxum sanguinis patiatur. De regimine parturientium hic ea adiungere poteris, quæ & Erotis de passionibus mulierum cap. 16. De regimine parturientium scripsit. Nunc vero quod ad difficultatem partus attinet, & rationem curandi, variatur quidem iuxta caussarum diuersitatem, vt nunc nonnullis exemplis præcedentibus constat, & etiam sequentibus manifestius ostendetur, si speciatim eas curare velis: quanquam quædam sint animaduertenda tanquam omnibus caussis communia, quæ primo conscribemus; simul etiam & mentionem facientes quorundam medicamentorum, qeæ indifferenter omnibus puerperis difficulter parientibus ex quauis caussa adhiberi poterunt; hic etiam adducentes tria documenta ab ipso Donato ab Altomari cap. De difficultate partus etiam descripta. Primum est aduertendum, quod puerperæ eo tempore, quo partus instat, non sunt multa alimentorum copia grauandæ, neque varia alimenta & crebro exhibẽda sunt, veluti Neapoli abuti consueuerunt mulieres, & vetulæ, & quidam vulgares Medici, vt eisdem obsequantur; quod & magis hic apud nostras mulierculas fieri solet. Distrahitur enim calor pro conficiendis multis ac diuersis alimentis, & quia etiam coctioni ac retentioni alimentorũ vacat, viriliter expellere nequit, qua facultate tamen ac functione valida eo tempore parientes indigent. Pauca itaque ac moderata alimentorum copia tribuatur, sintque concoctu faciles, bonique nutrimenti cibi; vt oua recentia, ac sorbilia, seu tremula, ius pullorum, gallinarum, phasianorum, aut starnarum, quod ex contusis carnib. fit & vulgus consummatũ appellat; vel etiam eorundem animalium contusa caro, quam idem vulgus tortilium nominat; aut buccellæ panis in vino Græco aut alio odorato vino maceratæ simul cũ eodem vino tribuantur. Ita & Benedictus Veronensis: *Tum interea* (inquit lib. 25. cap. 23.) *vitanda sunt acria, appropinquante partu, exiguoq; cibo vti necesse est, qui tamen plurimum alat, vinoque odorato exinde hora internallo.* Paritura quoque in aere calido & humido, iuxta Guainerium, collocetur; in cuius domo nulla pira dimittantur, teste Diosc. vuluam aperire prohibet: omnes lapides pretiosi ab illa amoueantur. Ad hæc, pro secundo docu-

Sella obstetricalis. vide Mosch.

De ministris tum aliis rebus ad partum necessariis.

Obstetrix quomodo sedere debeat.

Quando aut quomodo oportet vmbilicum præcidere ex Mosch. lib. matricis.

Curatio.

Primum documentum.

5 6 7 8 9

Secundum documentum.

documento, permittendum haudquaquã est, vt obstetrices difficile parientium vterum diutius dilanient, sed leniter, & placide vteri partes contrectent, dulci interim oleo, aut alio quopiam, eiusdem locos perfundentes. Item, pro tertio documento, non ilico parturientes in sella collocandæ sunt; sed obstetrices prius os vteri tangere debẽt, & primum cum in dehiscentis modum auctum animaduerterint, quod ad fœtus transitum satis pateat, tunc vt surgat mulier, iubere debent, eandemque in subsellio collocare, adhortarique, vt ad expellendum fœtum strenue se pareat, *quemadmodum 3. de natura facult. a Galeno scriptum est.* Spiritum quidem detineant; verum non, velut imperitæ faciunt, ipsum in gutture cõgregare debent; sed ad inferiores partes propulsare, *ex decreto Aetii cap. 14. lib. 16.* quo tempore, vbi partus difficilis sit, corallum aut lapidem aquilæ, aut styracem, coriandrum viride, seu polygoni radicem, in dextro crure alligare cõuenit. Guainerus ait: *Lupinas carnes parturiens si comederit, pariet facilius, & incantationes noxiæ versus illam* (inquit) *non valebunt.* Conducunt iaspis, smaragdus coxę alligatus & cor gallinæ adhuc palpitans; & tota ala aquilæ vel penna vulturis pedibus parituræ supposita; & vnguis milui sub laborantis camisia portata, & magnes in sinistra manu retentus. Insuper, *vt etiã Donatus refert*, & accipitris seu falconis stercoris ℥ j. cum vino albo aut aqua capill. Ven. præbe, vel tantundem cinnamomi vel cassiæ. Aut hunc in modum puluerem conficias, iuxta Donat. vel nostro vtere, de quo dictum est prius: ℞ *fimi accipitris ℥ j cinnamomi cassiæ ana gr. vij. croci gr. iij. misceantur, & cum pauco vino odorato albo, aqua capill. Ven. aut flor. citrang. exhibeatur.* Interim quoque *myrrhæ aut castorei ℥ ß. aut ℈ ij. cum gran. quatuor cinnamomi* propinabis. Sunt, qui *trochis. e myrrha etiam* ℥ j. exhibent. Insuper *& phaseolorum seu cicerum sub ac fœnugræc. decoct. cum oleo amygd. dul.* Quod si parum cinnamomi, croci, aut casiæ, seu alterius prędictorum permisceas, magis conferet. Excitare quoq; hoc tempore sternutamenta cõducit, modo nõ admodum imbecilli capitis parturientes sint. Suffitus etiam resinæ, aut cumini, aut pinus corticis, confert, *Hippocr. auctore, lib. de morbis muliebribus.* Verum speciatim vnicuique caussæ, quæ cõferunt, nunc dicamus, facto initio, si mulier ipsa, vel vteri vitiũ, aut morbus in caussa fuerit, hoc exemplo prius interiecto.

Tertium documentum.

Quæ a proprietate facilitant partum.

Observatio LXXIV.

De muliere obesa in hyeme difficulter pariente.

MVlier obesa in asperrima hyeme difficulter pariebat: nec erat mirum, cum talis, eo quod esset obesa, vuluam quoq; strictam magis habebat; tum in hyeme etiam naturaliter orificium matricis magis strictum habent, vt Erotis dicebat: nam propter frigiditatem temporis & aeris plus constringitur vterus. Ad hanc accitus, quo melius pareret, propter frigus condensãs, vterum & meatus angustiores reddens, obstetrici, tum astantibus imperaui, vt parturientem in cubiculo calido ponerent, & pannos multos calidos simul circa vuluam applicarent, & eandem, quantum possibile esset, a frigore externo custodirent, & vt partes anteriores & posteriores inungerent, cum oleo sampsuchino, & etiam liliaceo. Alii, vt Rhazes, inungunt oleo iesemino, ab vmbilico infra; etiam artemisiam cõtusam emplastri modo ventri apponunt. Quia autem hæc erat valde crassa ac obesa, cuius caussa minus parere poterat, eandem in lecto vt ponerent, iussimus; nam & pronam, vultu in terram deiecto, dum in lecto est, eam figurari volunt. Illud enim & Haly & Auicenna iubent, quemadmodum & Valescus refert. *Si mulier*, inquiunt, *fuerit pinguis, iaceat supra ventrem, id est, supra genua sub ventre.* Ista positura (*teste Valesco*) lacerti ventris leuius & facilius stringuntur, & sic mulier facilius parit, si crassa, pinguis, & obesa exsistat: & ita pariunt quadrupedia. Iussi deinde, vt obstetrix oleo liliaceo, butyro, axungia anatis & gallinæ, os vteri liniret: simul propinans, cum non febricitaret, puluerem sequentem: ℞ *Trochis. de mirrha ℈ ij. cinnamomi ℈ j. fiat puluis.* Sumsit cum vino Rhenano, decoct. artemisiæ: & tandem præter spem, in cubiculo ab externo frigore tuta, feliciter peperit; & deinde bene purgata, & a secunda, vna cum prole liberata, recte valuit.

Scholia.

CVm enim pro ratione caussæ remedia sunt admouenda, speciatim quod ad mulieres attinet, difficulter parientes, si ob aeris constitutionem præcedentem, vel ab immodico frigore vterum condensante ac coarctante; fiat pariendi difficultas, in aere mediocriter calido locanda erit, & in eo gestationem eam mouere conuenit, modo febris, aut aliud quippiam non impediat. Nonnulli etiam conquassationes validas, sternutamẽtisque ciendis idonea adhibuerunt, *Pauli & Aetij testibus*: quibus etiam opem adferre oportet, laxatione per insessus calidos, & suffitiones, ac per infusiones oleorum, tum actu, tum potentia calidorum: itemque per illinitiones, ac cataplasmata eiusdem generis. Qua de re infundere oportet largiter oleum dulce, & calidum: item decoctum fœnugræc. aut maluarum, vel seminis lini; deinde & pubem etiam cum abdomine & lumbis eisdem medicamentis illinire, aut alio relaxante medicamento, vt hydrelæo & aliis huiusmodi: eadem quoque laxamenta adhibenda sunt a balneis (*Valescus vtitur balneo aqua calida, cauendo frigus*) si non febris aut aliud quippiam prohibuerit, ex eorundem auctorum testimonio. Si vero ob calorem immodicum vires exsoluentem, pariendi difficultas excitetur, condensãtibus ac maxime constringentibus, seu adstringentibus, & firmitatem inducentibus eam roborare oportet: qualia sunt inspersiones & insessiones ex myrto, pampinis vitis, malis punicis, aut rosis: nec minus odoramenta fiant ex aqua ros. myrt. & nimph. cũ aceto, addendo, si lubet, parum santal. & coral. rub. Cõuenit quoq; vnguentum ex vino & oleo ros. frigidis, vt inquit Aetius: nec minus cibis & potionib.

Si ex immodico frigore fiat partus difficultas curatio.

Si ex immodico calore fiat, curatio.

refocillandæ erit facilis coctionis, multi nutrimēti, ac modicæ quantitatis, permixtis semper quibusdam adstringentibus, vt cydoniis, malis punicis ac reliquis huiusmodi: insuper buccellæ panis vino imbutæ, ad arcendum animi deliquium, eisdem offerantur, in aereque parum frigidiori degant.

Si ex siccitate, curatio.

Si vero siccitate, vel aliqua re comprimente, partus retardauerit, oleum dulce calidum commode iniicitur cum decoct. fœnug. aut maluę, vel seminis lini, aut ouo coniecto, nam & plurimum recreat. Exinde ventri, pubi, lumbisque cataplasmata ex lini semine imponuntur, & hydrelæo; vaporationesque & balnea ex supradictis, modo febris absit & parturientem in lectica in conclaui, *vt supra*, ponemus:

5

Si timida, quid faciendum.

Timidis ac puellis mentis robur admonendum, quemadmodum eis, quæ inexpertes dolorum sunt, vt validissime spiritum comprimant, & ad inguina depellant. Inprimis enim metuentem adhortamur; sicuti inexpertam doloris increpamus: sed præcipue spiritum continere & ilia conflare, si quæ animi defectum pati inceperit: etiam, præter ea quæ diximus, odoramentis recreamus: & ad sensus reuocatam, exiguo cibo, sed præstanti, reficimus. Sicut timidæ sunt corroborandæ, ita & ira concitatiores compescēdæ sunt.

Si mulier ob virium imbecillitatem parere non possit, curatio.

At si mulier ob virium imbecillitatem parere non possit, reparanda est imbecillitas illa ante tempus partus; aut si imbecillior facta fuerit propter morbum præcedentem, aut aliquam euacuationem, aut dissolutionem spirituum, aut propter aliam caussam, alenda est euchymis & multum nutrientibus, vt vino, succo carnis, testiculis galli, & similibus. Si autem ea imbecillitas proueniat ob lōgam defatigationem in ipso partu, citra insignem sanguinis euacuationem, bonū erit dare potionem cordialem ex confectione alchermes cum vino, vel cum iusculo; vel parare potionem ex aliis pulueribus cordialibus, vt: ℞ *diamb. vel diamosch ℈ j. pul. diagalangæ & diarod. abb. ana ʒ ß. vini albi ℥ ij. aquæ betonicæ & meliss. bugloss. ana ℥ ij misce, fiat potus.* capiat ventriculo vacuo, & per duas horas nihil accipiat.

6

Quouis modo igitur imbecillæ sint mulieres parturiētes, ex morbo, temperamento, vel ætate prouectę, eisdem cibis boni nutrimenti ac potibus reficiendæ sunt, vino odorifero, bonis iusculis, adiectis cinnamomo & croco, sumendo tessellam vnam diamarg. calidi. Iucundi odores, ac styrax calamitis, moschus naribus admoueatur; nec verendum, vt quidam sentiunt, matricem, quæ bonis odoribus delectatur, sursum reuocari, sicque partum impediri. Nam fœtus grauitas vterum deprimit, sursumque ascendere prohibet, atque interim bonis illis odoribus parturientis vires, & spiritus roborantur, valdeque iuuantur. Quod si ob lumborū cauitatem, aut propter nimiam pinguedinem, pariendi difficultas contigerit, eadem erit curatio quam in præcedente Obseru. diximus. Puerpera misella prona flexis genibus collocetur, seu in lectulo, vt vterus delabens ceruicem rectam extendat, atque idem e directo ostioli habeatur; quod quidem ceratis, oleis, ac pinguedine delinire digito oportet, & sensim aperire.

7

Idem quoq; vteri osculum, vbi clausum fuerit aut permanserit, pinguib. medicamentis emolliatur ac relaxetur. Hæc vltima caussa, sicuti & sequentes, ad vteri vitia pertinet; de quibus & nunc etiam speciatim agamus.

Quomodo difficultas partus curetur ex cōstrictione orificii matricis.

Si igitur contingat difficultas partus ex constrictione orificii matricis, cuius cura grauior est inter omnes, ideo tale subiungimus consilium Erotis seu Trotulæ. Prouideat sibi mulier in tribus vltimis mensibus in dieta, vtatur leuib. cibis & digestibilibus, & per quos membra dilatentur, qualia sunt vitella ouorum, carnes & iura pullorū & minorum auium, perdicum, phasianorum, & piscium squamosorum cum bono condimento. Sed hæc subsequentia, instante partu, adhibenda: balneum aquæ dulcis, in qua herbæ emollientes bullierint, sed balneum aerium & stupham fugiat. A balneo exiens inungatur oleo seminis lini, axung. anseris, vel anatis, vel gallinæ, ab vmbilico inferius. Aetius *lib. 16. cap. 22.* paucis verbis dicit: *Si vteri ostium occlusum persistat, pinguibus medicamentis emolliemus & relaxabimus.* Et ita quoque Ægineta: *Si ex adstrictione sit, laxatione prius opitulandum, infundendo largiter oleum dulce & calidum, & decoctum fœnug. maluæ, & sem. lini, & aliis leniendi facultate præditis: insessus ex hydrelæo & aliis supradictis.*

Si vuluæ paruitas in caussa sit, quid faciendum.

Si vuluæ paruitas in caussa fuerit, loca pingui quopiam etiam inungenda & fouenda erunt, osque vuluæ digitis dilatandum, ac fœtus violenter extrahendus: idemq; si non successerit, dissecādus; quod præcipue facere oportet, si fœtus præmagnus fuerit, vel interierit. *Sed de his postea.*

8

Si ex aliis vteri vitiis.

Si ob alia vitia vteri mulier parere non possit, *inquit Aetius*, siue ob inflammationem, vlcus, œdema, duritiem, aut quippiam simile; infestantib. morbis occurremus. Si ob carnem collo vteri innatam, aut tunicam obstruentem, pariendi difficultas eueniat, sicut non perforatis mulieribus accidit; quodcunq; impedimento fuerit, amputabimus.

Si ob partes vicinas læsas vel impeditas.

Et si morbus aliquis particulas vicinas obsederit, huic etiā prospiciemus: vt si ossa pubis nimium conserta fuerint, quoniam in partu dilatari non possunt, linimentis pinguibus oleosis ea relaxabimus: ita quoque si vesicæ calculus affuerit, cum primo propellere oportet: & si eadem lotio plena fuerit, idem educendum: similiter si intestinum rectum excrementis plenum fuerit vel repletum, clysteri, inquit Aetius, abluemus, vel melius cum balanis, vt prius diximus, & vrinam retentam tubulo, *iuxta eundem Aetium*, eliciemus. Vtile enim est parturientibus vt quouis modo lotium emittant: imo vtilissimum vt rectum intestinum vacuum sit omnibus recrementis; sic enim facilius parit, vt longa experientia vidimus, & exemplo antea ostendimus. Nunc de curatione dicamus, si ex parte fœtus fiat difficultas: quæ etiā ex parte liquet Obs. 70. præcedente De partu difficili ex magnitudine fœtus, & Obs. 71. ob innaturalem positionem fœtus: tum ex sequentibus exemplis hæc curatio multo clarior euadet.

OBSERVATIO LXXV.

De partu difficili ob geminos.

Maria

1

MAria Petri Sasboti diuitis illius Zythepsæ Delphensis filia, quæ in ædibus paternis habitabat in Mundi intersignio, ex duobus gemellis masculis in partu difficili periclitabatur. Cum itaque anno 1566. 25. Octob. parere nō posset, nec obstetrix, etiam fotu adhibito ex floribus chamæmeli, artemis. & polygonii, quid proficeret, cum prægnantem in eo balneo pedibus ad femora vsq; imposuisset, maxima angustia parturiens correpta fuit; ita vt enixus partus qui prius aderant, omnino cessarint. Ad quam ego vna cum Ericio collega meo primum 18. die Octobris acciti fuimus, & vna hæc subsequentia præscripsimus: ℞. *pulegii, calamenthæ, hyssopi ana m. ß. caput vnum radicis liliorum albor. myrrhæ ʒ ij. puluerisatis adde terebinthinæ & mellis q. s. fiant duo pessi sindone serico obuoluti.* ℞. *olei lilior. albor. lini, amygd. dulc. ana ℥ j. olei irini, sabini ana ℥ ß. misce*; ac pessi illis oleis, tum vulua intus inungatur: ℞. *cinnam. electi ℈ iij ß. nucleor. dactyl. num. ij. cassiæ ligneæ, doronici Romani ana ℈ j. sabinæ m j. fiat puluis pro iij. dosibus.* Dedimus cum vino maluatico, cum nulla adesset febris 29. octobris: ℞ *cinnamomi selecti ʒ j. doronici Romani, galangæ calami arom. ana ℈ ß. sabinæ p. j. pul. perlarum [illegible]ss. tritarum* (quia debilis) *vnicornu ana ℈ ß. rasuram nuclei dactyli. fiat puluis pro tribus dosibus*; & cum vino maluatico propinabatur. 30.

2

Die Octob. cum partus instaret, obstetrix Heyla nomine, alioqui in obstetricandi arte perita, paratam penes se habebat expressionem foliorum lauri, gallitrici, nepitæ, cum vino Rhenano, quam propinare decreuerat. At nos, ne caput tentaret, folia lauri amouenda esse diximus, cum herba capitalis esset & eius loco (*ne gloriosa obstetrici curatio adscriberetur*) pulegium viride accepimus, atque illud expressum cum reliquis supradictis, exceptis foliis lauri, propinauimus, & post assumtum hoc medicamentum, hora secunda, eodem die peperit masculum viuum. Interea obstetrici ac astantibus mulierculis mandaueramus, si ob partus angustiam, qui tot diebus enixu lassauerat, in lipothymiam incideret, aut syncopen, vel in fluxum nimium, aut morbum vterinum, quo alias laborare consueuerat, a me tamen antea curata, vt ex syrupis, qui tunc ad manum erant, cochlear vnum sumeret: ℞. *syr. ex ros. sicc. ℥ ij. syr. absinth. ℥ j perlarum exquisitarum subtilissim. tritarum ʒ j. misce.* Sed quia syncope illam non apprehendebat, ideo propinatum non fuit. Postea cum secundum fœtum patere non posset, neque a se excutere, fluxu quoque iam apparente, inhibuimus tunc, ne ex puluere suprascripto, cum vino maluatico amplius sumeret. Deinde quia certis signis fœtum mortuum esse coniiciebamus, qui etiam inuersus & cum brachio male locatus erat, eum vt obstetrix dextre reponeret præcepimus. Interim dum rursus conamina seu enixus partus intenderentur, refocillatis viribus optimis cibis, & iusculis, adiecto cinnamomi puluere. (nam omnibus modis ad partum facilitandum confert) primo die Nouemb. mane hora quarta, secundum masculum peperit, sed mortuum, cum brachio & collo liuido; obstetrice tamen affirmante, paulo antequam pareret, partum vixisse, & in ipso vehementi enixu exspirasse: Ceterum cum deinde puerpera ipsa post duos partus laboriosos maximo dolore afficeretur, qui plerumque puerperas subsequi solent, exhibuimus ceruisiam, in qua flores chamæmeli decocti erant. Hoc enim, licet simplici remedio, tāquam tamen arcano, etiam Alcmariæ, antequam Delphos venirem, vti solebam; & etiam nunc semper cum maximo successu. Proinde eo decocto sumto, doloribus paulatim cessantibus, optime deinde fuit purgata in puerperio, & bellissime se habuit. Quanquam hæc ipsa post duas septimanas in puerperio incidit in abscessum maxillæ, & dentium dolorem haud exiguum. At cum perciperemus, exterius in maxilla duritiem quandam esse, accepimus diachyli cum gummis ℥ ß supra coria rotunda quatuor eiusdem formæ, paulo ampliora dalero, inducentes: quorum cōtinua impositione, vnius post alterum, ruptus est abscessus paulo supra mentum; & facta mundificatione & cōsolidatione per chirurgum, sine manifesta cicatrice, recte fuit curata. Forte hunc abscessum contraxerat ex frigore externo, cum octo [illegible]b. in difficili partu fuisset, antequam vltimus seu secundus partus prodiret. At cum hæc scriberem, mense Decemb. anno 1589. belle habebat; & etiam anno 1595. quo rursus Alcmariam a magistratu Alcmariano reuocatus eram.

3

SCHOLIA.

4 — *Si ex parte fœtus fiat, curatio.*

QVæ vero non vterum gerentis vitio, sed ipsius fœtus, difficultatis pariendi caussæ sunt, hoc modo corrigendæ erunt. Si gemini fœtus fuerint, aut terni, aut plures, ac collum vteri obsederint, reliqui ad fundum vteri repellantur, & is, qui magis paratus videbitur, prius educatur: sensim autem & citra contusionem omnia fiant, oleo locis perunctis, *vt idem Paulus refert.* Et sic ex Moschione: Vbi duo, tres, quatuor, pluresue simul se ad orificium contulerint, in sinum vuluæ omnes sunt repellendi, & sic sigillatim recipiendi. Et ita si propter ipsius fœtus figuram præter naturam, partus difficultas adsit, ad naturalem situm reducendus est, quantum eius fieri potest, partim pellendo, partim adducendo, partim flectendo, & partim in rectum agendo, *vt inquit Paulus.* Et si manum vel pedem præmiserit, ne attrahatur per membrum, nam magis impingitur, aut luxatur, aut etiam abrumpitur; verum digitis humero fœtus, vel coxæ affixis, rursus in conuenientem locum introducatur; id, quod iam præmissum est. Oportet autem obstetricem primo vnguibus incisis oleo illinitis, & digitis in vnum conductis, schemata mala infantis corrigere. Vbi enim valde infixus est, prius eum a loco inoportuno euellere oportet. Si recte positus sit, & ad manum perueniat, teneat eam, & sic educat. Sin in diuexum aut obliquum iacet, *iuxta Moschionem*, immissa manu obstetrix eum componat; & si in caput proximum inuenit, ipsum teneat & abducat. Si infans caput interius habuerit, & si duas manus eiicit, oportet obstetricem prius immissa manu sua, caput ad orificium

Si duo vel plures, quid agendum.

Si in diuexum aut obliquum iaceat, quid faciendum.

Si ambæ manus foras veniunt.

corrigere, & comprehensis manibus infantis, conari, ne caput eius orificium vuluæ obturet, vt facilime omne corpus infantis exire possit, quo priores manus exierant. Quoties videlicet manus emittat, non abducat, relicto capite intus orificium matricis obturante; sed potius digitis in humerum infixis, retrorsum agat, & in capacitate vuluæ positum ita componat, vt manus eius erectas lateribus inungat, & apprehenso capite foras conari incipiat, ne vitiosus aut manu exarticulata prodeat. Si in pedes descendat: *vt antea dictum est, age.*

Si ambo pedes vel vnum reiecerit, vel diuisi sint.

Si ambos eiecerit, duabus manibus suis obstetrix in inguinibus infixis sursum repellat, & compositum foras eiiciat. Si vnum pedem, corrigatur; &, si fieri potest, manibus eius lateribus inungat, & apprehensis pedibus foras adducere conentur. Si diuisis pedibus duabus partibus vuluæ plantas infigat, immissa manu obstetrix eos iungat ad orificia matricis, eosque componat, & sic educat.

In genua.

Si in genua exeat, retrorsum pellendus est, & correctis manibus, forte & pedibus, adducendu .

In nates.

Si in nates, retro infantem impellat, vel repellat, & correptis manibus vel pedibus educat.

Si caput grāde vel contortum.

Si grande caput habeat, vt exire non possit, intrinsecus repellendus est, & vnctionibus vncto orificio, immissa manu obstetrix eum adducat, tenens caput eius, adiuuante etiam conatu suo parturiente. Si caput contortum habuerit, immissa manu id corrigat, & humeris comprehensum leniter adducat, ne matrix ipsa quassetur.

Si duplicatus.

Si duplicatus; quod duobus modis fit, quoties nates in orificio inueniuntur, & in interiori parte fiet duplicatio, secundo modo, quando caput & plantæ in orificio fuerint, in superiori parte; potest obstetrix ita corrigere, vt plantis reuocatis sursum, caput hic teneat, & sic infantem foras adducat.

Si in diuexum iaceat, aut supinus.

Si in diuexum iaceat, aut supinus, vel in dentes, præcipimus, vt in vulua displicitus & apprehenso capite adducatur. Enimuero obstetrix leniter immissis digitis in latus eum conuertat, & accepto spatio, vt vel vnam manum immittere possit, eum facilime ad integrum schema componat; & quascunque partes orificio propiores habuerit, easdem teneat, & sic adducat; ita tamen, vt maxime caput infantis quærat, & ipsum teneat, & sic adducat. Hæc autem omnia leniter ab obstetrice, & sine quassatione, facienda sunt; ita vt frequenter oleum calidum, vel succum fœnugræci, lini, & maluæ decoctum infundat. Hac enim diligentia & lapsum infantibus præparat, vt sani euadere possint, & quæ parit, sine vexatione, & sine quassatione seruatur. Plures enim infantes, post difficilimum partum euasisse, cognouimus, & viuere vidimus.

Exitus fœtus latitudinaliter, pendēte vna ex manibus eius.

Si latitudinaliter exeat, pendente vna ex manibus eius, retrudatur manus: si autem non potest reduci manus, fac mulierem iam leuatam ambulare: si id non posset, iaceat supra lectum, & concute crura eius; & deinde adhibe linimenta ex muccilaginibus: & si accedant dolores partus, sedeat in sella, & compone fœtum secundum figuram naturalem, adhibita sternutatione, & comprimat se, donec egrediatur. Plura de his vide in libris Harmoniæ Gynæciorum, & præcipue librum 4. Iacobi Ruef, cum figuris schematum innaturalium partuum.

Si vna cum fœtus figura mala, os vteri compressū est, quid sit faciendum.

At si vna cum fœtus figura mala, os vteri compressum, seu coarctatum fuerit, prius ab osculo vteri in sublime eleuetur fœtus, & postea rursus ad osculum recta dirigatur, fiantq; omnia placide, leniter; ac citra compressionem, oleo assidue locis affuso: hoc etenim ex salute tum fœtus, tum parientis fuerit, & vterus ita quoq; illæsus manet.

Si infans nimis magnus, quid agendum.

Vbi vero infans præmagnus fuerit, aut totus, aut ob capitis, seu thoracis, aut ventris magnitudinem, ea adhibenda sunt, tum intus, tum extra, quæ laxare ac dilatare vteri os possunt. *Huius exemplum posuimus Obser. 70. præcedent.*

Historia difficilis partus ex magnitudine fœtus.

Ita & anno 1561. mense Decemb. ad mulierem obesam quoque accitus, cum duobus diebus in partu difficili fuisset, ob magnitudinem fœtus, & variis, diuersisq; remediis obstetricis tum mulierclarum vsa fuisset, sed aluo duriore exsistente, vnde vterus magis comprimebatur; glandem immitti iussi, & statim vbi aluum deposuisset, atque vterus per linimenta & olea emollientia relaxatus esset, & puluerem hunc sequentem parturienti dedissem, mox feliciter peperit. Hoc modo a me componitur, & in vsu habetur: ℞. *rad. dictamni albi vulgar.* ʒ vj. *ligni aloes, lapid. dactyl. misc. & fiat pul. datur* ʒ j. *cum vino.* Est quoq; in vsu apud nos pul. partur. ex sola radic. dictamni albi, si cum aqua raphani dentur ℥ ij. non enim solum vermes, sed fœtum mortuum expellit: etiam in aqua sabinæ, vt experti sumus in difficili partu, etiam ad mortuum fœtum expellēdum, & secundinam propulsandam. Sumserat & hæc pul. dominarum ʒ ß. cum decoct. artemisiæ, flor. chamæmel. sabinæ ℥ ij & syr. de artemis. Ita in officina paratus habebatur: ℞. *cinnam.* ℥ ß. *zinz. galangæ, curcumæ, baccarum lauri ana* ʒ ij. *caryophyl. nucis moschatæ ana* ʒ j. ß. *croci* ʒ j. *cumini præpara.* ℥ j. ß. *macis* ʒ j. *semin. iuniperi* ʒ [illegible] *sem. zedoar.* ʒ j. *zacch.* ʒ vj. *fiat puluis*, & immissa glande, & irritatione eiusdem, epoto puluere partus, clamabat, quod lectum confœdaret, & aluo soluta, mulieribus prius inunctis, enixa est, vt dixi, fœtum præmagnum. At si fœtus magnus eo, quo iam diximus nondum procedat modo, aut etiam infans mortuus fuerit, modo spes sit salutis, omnino necessarium est, fœtum secare, ex communi sententia tum Aetii, tum Pauli, *vt postea dicemus.*

Si fœtus sit imbecillis, quid agendum.

At si propter fœtus imbecillitatem, aut paruitatem, difficultas pariendi contingat, præter id, quod mulieres sunt hortandæ, vt strenue mediis abdominis musculis eundem fœtum conentur expellere, vinum maluaticum dandum (*si nempe minus pueri ob imbecillitatem vix sentiatur*) modo non adsit febris; alioqui iuscula ad refocillandum fœtum conueniunt.

Ex parte membranarum si fiat difficilis partus, curatio.

Si vero ex parte membranarum contingat pariendi difficultas, vbi secūda solidior ac crassior fuerit, quam vt rumpi possit, discindatur, *inquit Aetius.* Tamen secundum alios, obstetrix prius tentabit, num vnguibus leniter discerpere & rumpere possit. Verum si propter tunicarum tenuita-

rennitatem, in quibus humor continetur, difficilis fiat partus, propterea, quod humor in membranis contentus ante debitum tempus effluxerit, ita vt vteri sint resiccati; eis albumina ouorum cũ maluæ aut fœnug. decocto excolato, aut cum ptisanæ cremore tepido infundantur, decreto eiusdem Aetii; cuius exemplum quoque posuimus Obseruat. 71. præcedente huius libri. Memini, socrum meam mihi aliquando narrasse, quod Catharina Iacobi, vxor Florentii Teylingii, sororii mei, propter membranam nimis tenuem statim perruptam effuso humore, plerumq; per sex pluresve dies in difficili partu permanserit, non sine vitæ periculo, obstetrice imperita, nec Medicum vocante. Ita enim obstetrices quædam sunt nimis sciolæ & obstinatæ, attamen plane indoctæ, vt nec legere nec scribere norint; quales & nos, proh dolor, aliquando nouimus: & præter quod ipsæmet non sciunt adhibere remedia ad partus difficiles ob varias caussas, ne Medicum quidem doctum admittunt, vt eas doceat, ac imperet quid factu opus sit.

Observatio LXXVI.

De quibusdam mulieribus, quæ ob mortuos infantes ex difficili partu laborarunt.

ANno 1552. 17. die Martii, mulier Alcmariana nobis vicina, cum gemellos mortuos in ventre haberet, & quinque diebus aut pluribus in partu periclitaretur, nec, vt fieri assolet, obstetricum omnibus suis remediis tentatis ab vtero depellere posset; tunc me prius vocauit, cum mulier parturiens animam ageret, humore multis diebus iam effuso, totus venter frigebat, eratque interstitium in ventre, vt facile ibi gemellos mortuos adesse censeremus; quos & ante tres quatuorve dies mortuos esse obstetrix referebat. Ego vero tardius vocatus, iussi tamen ventri vt adhiberet linimenta ex oleis relaxantibus calide, tum fomenta; similiter, vt decoct. de semine lini, fœnug. maluæ, vna cum mucilaginibus & oleo liliaceo vterum intus humectaret; ac eiusmodi perfusionibus relaxantibus, apertientibus, & humectantibus, & moderate calfacientibus, etiam cataplasmatis similibus ventri impositis vteretur, præcepi, dedi per os decoctum artemisiæ, sabinæ, cum aqua liliorum, deinde accepi sabinam viridem adiecto pauco croco contusam, eamque linteolo obuolutam pessi instar, & oleo liliaceo immersam, iussi, vt in vuluam poneret, & ibidem aliquantulum hæreret. A quibus medicamentis vix per quartam partem horæ mulier fœtum mortuum reiecit; & deinde post horas quatuordecim, alterum etiam mortuum cum maxima difficultate & labore peperit. Erantque ambo gemelli non solum mortui, sed plumbei atque corrupti, & valde fœridi, vt vidimus. Sed misera paupercula multis diebus præcedentibus, sed frustra, defatigata, quamuis statim vt accessimus, (*sed proh dolor tardius*) ad vires refocillandas, iusculis tum aliis resumtiuis vteremur, cum vires tamen neque post partum vllo modo reparari possent, paulo post obiit; nimis nasuta exsistente obstetrice, quæ Medicum non vocauerat oportune, ita vt multæ parturientes, proh dolor, earum negligentia perdantur. Etiã altera rustica mulier, anno 1559. ad Mosam pagum per quinque dies etiam partu difficili laborabat, ex fœtu non solum mortuo, sed eodem male posito, quæ erat vxor rustici illius Petri cognomento Diuitis. Ad hanc quoque vocatus, obstetrici inprimis mandaui, vt ad naturalem situm, quantum possibile esset, fœtum deduceret, partim flectendo leniter, partim pellendo sine vehementia; & partim in rectum ducendo. Vbi igitur dixit, recte caput ad ostium vteri lapsum esse, & nunc partum exspectare, hanc potionem propinaui: ℞ *decoct. sabinæ, verbenæ, artemisiæ in vino Rhenensi ℥ ij. aquæ liliorum alborum ℥ j. pulueris dominarum ℈ j. syrup. artemisiæ ℥ ß. misce, sumsit vnica vice.* Interim nostro iussu ventrem inferiorem inungebat obstetrix *oleo amygd. dulc. sesam. cheyrino, liliorum butyr. recenti, & pinguedine gallinæ, simul commixtis*, & digitis inunctis *oleo amygd. dulc. & oleo liliaceo*, vt commodius arte obstetricandi vteretur, & infantem mortuum susciperet. Post duas horas, cum pro deplorata parturiens haberetur, ab assumta potione, magno cum meo honore, a fœtu mortuo liberata est, cum animam agere videretur. At hic, proh dolor, ex crassa ipsius obstetricis rusticæ imperitia, cum violenter partum ederet ægra, anus & vulua vi fœtus magni ac mortui perrupta sunt, ita vt vnum foramen factum sit. Solet id enim aliquando in difficili partu, & valde violento, & in fœtu mortuo, eoque magno exsistente, fieri, cum vehementi & magno enixu partum reiiciunt. Quod equidem sæpe ob imperitiam obstetricem euenit; vti in hac parturiente rustica primipara contigit, quamuis duæ adessent obstetrices, sed rusticæ & parum in arte obstetricandi peritæ. Hac etiam de caussa, ne illud amplius fieret, & vt hoc periculum euitetur, consulo semper antequam fœtus reiiciatur, aut nixus contingat, vt pannum lineum molliusculum, instar pilæ oblongum & contortum paratum habeant, & vt in anum ponant, mando: idque ob hanc caussam, vt in quolibet conatu infantem eiiciendi, firmiter obstetrix eundem pannum in anum imprimat, ne eiusmodi continuitatis solutio fiat. Estque hoc consilium Erotidis seu Trotulæ, lib. De pass. mulier. capite 10. De iis, quæ post partum accidunt. At bona fortuna hæc rustica nacta medicastrã & chirurgi viduam, quam nos monuimus, quid agere deberet (nam obstetrices negligentes, quanquam post lotionem a sordibus & pure puerperam repurgassent, per aliquot dies illud incõueniens, seu graue symptoma subticuerunt) filo serico partes solutas vniendo, vt moris est fuit tandem probe curata. At anno 1566. mense Decembri feliciori successu Elisabetha Henrici, Iacobi ceruisiarii vxor, in cuius cupis gallus pro insigni erat, filiam cum peperisset, & secundam prolem parere non posset, his infrascriptis per me, nutu Dei, aliam femellam priore multo maiorem, nempe secundam peperit:

4 ℞. cinnamomi puluerisati ℈ iij. cassiæ ligneæ, doronici Romani ana ℈ ß. nucleum vnum dactylorum, sabinæ ℈ j. perlarum finissimarum ℈ ß. fiat puluis, partiatur in duas partes; detur cum vino maluatico: ℞. olei amygdal. dulc. liliorum, sesamini, butyri recentis, ping. gallinæ, anatis ana ℥ ß. misce, inungatur venter inferior: ℞. manus Christi cum perlis ℥ j. ß. detur cum panata ceruisiaria, pro debilitate. Sumto puluere, & prius vna dosi, & hora post altera, post horas quinque peperit secundum fœtum, nempe fœmellam. Verum vxor Cornelii Iacobi pictoris in octauo mense, anno 1571. cœmiterium transiens prolapsa, post casum domum reuersa, fœtum non sentiebat. Ast 14. die prius post casum subsequuta sunt partus conamina, & ingens mensium fluxus; vnde obstetrix accita fuit, vt a partu, qui etiam credebatur mortuus esse, liberari posset: sed adeo debilis erat, vt ex nimio illo fluxu lipothymian incurreret, & quasi syncopen. Tunc prius sub noctem ad eam vocatus sum 22. die Februarii. Sumserat autem eodem tempore panatam ceruisiariam, cum nuce moschata, ex obstetricis, tum astantium consilio; & valde angebatur, etiam deliquio animi subsequente, ob fluxum, enixu partus cessante. Ob deliquium animi dedi sequens: ℞. syr. de limonibus ℥ ij. perlarum subtilissime tritarum ℥ ß. misce, statim euomuit. Post vomitum paululum recreatæ, hunc puluerem sequentem, vt vna hora post alteram exhiberent, mandaui: & deinde peperit fœtum mortuum, cuius brachium etiam ruptum erat, ex casu præcedente: alioqui erat fœtus optime formatus, sed octimestris; qui partus viuere non solent: ℞. rasuræ dactylorū nucleor. ℥ ß. sem. viol. ℈ j. cinnamomi ℥ j. perlarum gr. v. fiat puluis subtilissimus; diuidatur in duas partes. Accepit cum vino maluatico interim digitis obstetricis, tum ventre inunctis oleis sequentibus. Et puluere exhibito paulo ante 10. horam noctis, & deinde hora 11. altera dosi sumta, & circa 12. horam noctis peperit fœtum mortuum, sed ipsa salua euasit, quamuis ab omnibus pro deplorata habita. Anno 1576. 13. Augusti, paupercula cum per octo dies in difficili partu hæsisset, & fœtum mortuum haberet, neque parere posset, & obstetrix de vita parturientis desperaret, his sequentibus etiam a partu mortuo, Dei nutu, liberata, peperit fœtum mortuum, & sana euasit; quæ adhuc viuit nunc vidua, vti & altera præcedens etiam nunc vidua, mense Decemb. anno 1589. cum hæc rescriberem: ℞. olei sesamini, lilior. cheyrini ana ℥ ß. Venter inferior sub vmbilico ad inguina vsque iis inungantur: ℞. radic. dictamni albi ℈ ij. ß. sem. viol. ℈ j. sabin. ℈ ß. cinnamom. electi ℈ ij. rasur. dactylor. gr. v. puluerisentur subtilissime, & diuidatur in duas partes, vna dosi sumta, & deinde altera, post duas horas fœtum mortuum corruptum reiecit. Alia quoque mulier ex infima plebe, Delphis in vico fecis ceruisiariæ dictæ, anno 1591. 22. die Aprilis, cum in difficili partu esset, fœtu etiam per 4. dies mortuo, duabus præsentib. obstetricibus, manu extra vterum propendente, nullo nixu adiuta, viribus destitutis, pro deplorata cum haberetur, his sequentibus remediis per me descriptis, fœtum mortuum reiecit: ℞. sabinæ viridis ℥ ij. artemisiæ p. ß. ebulliant semel in aqua artemisiæ, & lilior. vnica vice; & huius expressionis accipe ℥ ij. ß. pul. sem. viol. radic. dictamni albi, cinnamomi ana ℈ ß. misce. ℞. butyri recentis, olei liliorum ana ℥ j. ß. pingued. gallinæ, anseris, caponis ana ℥ ß. misce. Per totum ventrem ab vmbilico vsq; ad pubem & inguina inungatur. Ad vires debiles capiebat zaccharum perlatum cum ceruisia. Et, Deo adiuuante, præter omnium spem reiecit fœtum mortuum: deinde bene purgata recte habuit, & conualuit.

Scholia.

Foetus autem viuus suo motu nisuque partum & adiuuat & accelerat. At mortuus prorsus cessat a motu: adest ventris frigiditas, *vt antea diximus*, & dolor iuxta vmbilicum grauis, spiritus exhalat fœtidus, facieique parturientis color prauus est. Et quia non se mouet, multo difficilius prodit, quum viuus: ideo & fortiora adhibenda sæpe præsidia. Inter simplicia betonicæ ℥ j. bibitur in vini cyathis tribus: & partus mortuos extrahunt radices panacis appositæ. Et dictamno vis est, partus emortuos vel transuersos eiicere, nec potu tantum, sed & illitu & suffitu valet. Ex Harmonia Gynæciorum part priore, cap. 16. de pessariis fœtum mortuum expellentibus: Laseritidis ℈ ß. cum succo porri conteres, & facies pessarium duorum digitorum & subiicies: cito educit. Citri folia coques in aqua, & bene inde fomenta vuluam intus, & partum educet, etiamsi mortuus sit. *Vide Bonatiolum muliebrium lib. 1.* Suffitu vngulæ asininæ, vt abortus euocetur: nec aliter adhibetur, quoniam viuentem fœtum seu partum ocyssime internecat, cum mortuum educat. Alii addunt hunc pessum, ad fœtum mortuum educendum. *Aristolochiæ rotundæ, myrrhæ, ellebori ana ℥ ß. excipiantur succo pulegii, linteo deinde raro inuoluantur, fingaturq; pessus*, qui in vterum demittatur. Suffitus præterea ex fimo equi, aut asini, aut ex vngula eorundem. Alii vtuntur *trochiscis ex gummi, inde fumigia parantes*: vel ex *truncis caulium, myrrha, & felle tauri, pessos conficientes*, vel ex *myrrha, elleboro nigro, opopanaca, felle tauri, p. æ.* Et si istis non pellatur, ad sectionem veniunt: de qua postea. Nunc historiam adducamus, quomodo mulier quædam fœtum corruptum paulatim excreuerit, quæ & hoc tempore adhuc viuit, nempe anno 1593.

7 *Quæ partum mortuum educunt.*

8

Observatio LXXVII.

De muliere fœtum corruptum paulatim exonerante.

1 Mulier prægnans, quæ extra fossam aqueam habitabat, cum ad 15. septimanas grauida fuisset, ab eo tempore menses non fluxerunt. Sed cum ex onere subleuato dolorem in ventre sentiret, aperti sunt menses, anno 1564. circa Natiuitatem Domini. Cum autem hyems asperrima esset, mensesque fluerent, gelu quoque intensum, ita, vt tutum non esset, ambulare per plateas glacie concretas, non sine metu cadendi; hæc

hæc tamen eo tempore in forum prodiit: sed curru occurrente, prolapsa in terram, & rota currus circumacta, sese eleuare subito non potuit, atque femur fractum fuit: quin ipsa referebat (*ac alii quoque, qui idem viderant*) rotam ipsam currus molitoris (*qui graue pondus, & sarcinas frumenti vel farinæ multas sustinet*) pectus ventremque ipsum transiisse. Ceterum hæc ipsa per chirurgum a fractura femoris curata fuit: sed menstruæ purgationes ab eo tempore paulatim stillabant: non tamen copiose, ventre tumido permanente, etiam mammillis magis accrescentibus, & in maiorem molem eleuatis, ac extuberantibus. Postea quoque a fractura femoris probe curata denuo incedebat. Verum cum curru in Hagam comitis circa 26. Februarii diem, anno 1565. veheretur, domum rediens, ex concussione currus maxime in ventre dolere cœpit, & 27. Februar. die, menses aperti admodum copiose fluxerunt. Deinde cum mammillæ duræ essent, & quasi sanguis ab iis distillaret, nouitate rei obstetrix, quæ aderat, commota, me in consilium adhibuit. Postea etiam lac e mammillis fluebat. Ego vero iudicabam, fœtus corruptelam adesse, vel quod in insaniam verteretur; vt postea latius in scholio. Ceterum cum omnia mihi referrentur, quæ antea mulier passa esset, femur fuisse ruptum, deinde curatum, & currum per ventrem transiisse, cum grauida foret; ego fœtum corruptum adesse iudicabam, obstetrix vero molam carneam esse existimabat, ventre ipsius grauidæ duro permanente. Sentiebat quidem modo in hoc, modo in aliud latus, cum sese volueret aut moueret. Eo autem tempore, quo vocatus eram, lecto incumbebat, & facies ei alba & exsanguis erat, mammillæ durissimæ, & valde dolebant, vt obstetrix abscessum, quasi in iisdem exspectaret. 28. Februarii ad eam accitus, vt ventrem durum obstetrix inungeret sequenti linimento, iussi: ℞. *pingued. gallin. anatis, porcin. muccilagin. fœnugræc. althææ extract. cum aqua maluæ & lilior. olei liliorum, butyri recentis ana* ℥ ß. *olei sabinæ* ℥ *iij. misce.* Mammas inungebat oleo amygdalarum dulcium; & potum sequentem sumsit: ℞. *syr. artemisiæ* ℥ *ij. aquæ artemisiæ* ℥ *iij. aquæ lilior. albor.* ℥ *ij. pulueris parturientium* ℈ *iiij. pul. dominarum* ℈ *j. pulu. sabinæ* ℈ *ß. diuidatur in duas partes.* Vna ebibita mane, & cum post meridiem redirem, mensibus fluentibus, incepit particulas carneas ipsius fœtus corrupti excernere paulatim, tum ossa quasi cartilaginea & muccosa, vt non compacta, & vix ossa apparerent, quæ obstetrix reseruauerat, & nobis ostendit. Mammillæ ex inunctione iam dicta molliores euadebant, postquã fœtum ita corruptum paulatim excerneret. Hora quarta pomeridiana (quanquam ægre admittebat) reliquum potionis cum altera parte pulueris propinaui. Nocte valde angebatur (non tamen febricitabat; quod mirum est in fœtus corruptela) & euomuit sanguinem per superiora, vt idem etiam per os & nares exiret. At a vomitu multo melius habuit, & alleuiata est ab illo tempore, & sanguis ex mammillis amplius non exibat, omnisque durities mammillarum cessauit, quamuis effluxerit per aliquot dies lac corruptum ex mammillis: deinde paulatim, præter multa putida sanguinolenta & saniosa, particulæ fœtus seu embryonis, ex vtero emanabant, vt deinde viribus resocillatis, tandem curata fuerit.

SCHOLIA.

Alexander Benedictus Veronensis, Medicus doctus, refert *lib. 25. cap. 33.* historiam quoq; mirabilem, de Veneta matrona, cui, cum partum legitimum exclusisset, alter inter vterum mãsit mortuus; qui in magnis puerperæ difficultatib. tabefactus, fluore quodam profluit, ex naturalibus oris: demum ortis in ventre tribus fistulis, ex vna, quæ omnium maxima erat, integra infantis caluaria extracta est, cunctis mirantibus; deinde singulis diebus, reliqua ossa demta sunt; vnde mirabili opere naturæ sanitati restituta est. At in nostra muliere, licet corruptela fœtus adesset, tamen cum viderent, lac in mammillis exsistere, non solum grauidam eam esse arbitrabantur, sed fœtum adhuc viuere, quod motum antea sensisset, priusquam ex eleuatione ponderis menses aperti fuere, quanquam postea & currus ventrem eiusdem transiisset, etiam femore rupto, deinde sanato. Solent enim quædam in tertio, aliæ in quarto mense fœtus motum sentire; imo nonnullæ volunt, (*quod tamen puto admodum rarum esse*) in septem septimanis, vel duobus mensibus, fœtum posse sentiri. Attamen, *teste Hippocrate lib. De pueri natura*, (vt antea quoque diximus) plurimæ mulieres paulo ante trigesimum diem perdiderunt informem: sed quæ post trigesimum diem perdiderunt, conformatus iam comparuit. At de motu fœtus prius dictum est, vt non opus sit, ea repetere. Quod lac habebat prius grauida, eoque effluente, cum fœtus corruptus esset, minus mirum; cum & in mola sæpe sint visæ mulieres lac habere; quod & a multis obstetricibus & mulierculis obseruatum intelligo. Quamuis plerique auctores dicunt, mammillas quidem intumescere & indurescere, vt fit in prægnantibus, tamen de lacte mentionem non faciunt. Noui medicum, qui eius erat sententiæ, iuxta Auicennam, & molam posse fieri, non solum ex semine viri corrupto, sed & mulieris, & quibus menstrua deficiunt; etiam lac generari posse in virginibus; quas & mola laborare fieri posse, contendebat. De lacte vero in virginibus, Hugo medicus, cum inter nos hæc quæstior oborta esset, semel se lac in virgine vidisse, affirmabat. Et Ericius collega meus, se ter hoc ipsum vidisse referebat, iuxta illum aphorism. Si mulier, quæ neque grauida est, neque peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt. Sed ibi loquitur Hippocr. de mulieribus, & non virginibus. Mola tamen, vt dictum est prius, *iuxta Galenum 14. De vsu partium*, non fit sine viris. Quod mulieribus vero sanguis per mammas effluere possit, id quidem certum est ex Hippocrate. Quibuscunque mulieribus sanguis ad mammas colligitur, furorem significat: quanquam Galenus in commento eiusdem scribat, hoc se nunquam vidisse. Be-

5 *Historia Alexãdri Veronensis Medici, de fœtu mortuo, & paulatim reiecto.*

6

Aph. 39. lib. 5.

Aph. 40. lib. 5.

nedictus Fauentinus præceptor meus, super hunc aphorismum scribens, sic ait: Ego, per Iouem, in temporibus sexaginta annorum practicæ meæ iam peractorum, pluries me vidisse, fateor, & talis desipientiæ optimam moliri curam, testimonium perhibeo, quoniam verum est; & tanto id verius censeo, quanto quod ab Hippocrate, antiquæ medicinæ Magistro, sæpius relatum est. Amatus quoque *Centur. 2. curation. 21.* affirmat, vidisse se sanguinem per mammarum papillas effluere in duabus nobilibus, altera Lusitana, altera Italia, quarum nulla in insaniam aut furorem deuenit; sed potius sanguine ex saphena misso, ilico restitutæ sunt. Hæc etiam Antonius Musa Brassauola vidit, in muliere gemellos nutriente, qui ita exsugerent, vt sanguinem in lac conuerti non sinerent; sicuti in coitu nimio, cum sanguis in semen conuerti non potest. Ita hic, sed in corruptela fœtus, primo sanguis ex papillis emanabat, postea & lac: quale etiam antea dictum est, signum esse, si vltro effluat in grauidis, quod fœtus sit imbecillis. Hic vero non tantum imbecillis, sed mortuus erat & corruptus. Mulier hæc, *de qua nunc agimus*, agebat annum vigesimum; at curata postea alios infantes sanos peperit. Quo exemplo admonentur grauidæ, ne pondus eleuent graue, & vt se custodiant a casu.

Observatio LXXVIII.

De Muliere ex partu mortuo simul occumbente, & de altera viua permanente.

1 RVstici vxor, ex infima plebe, prope flumen Sciam dictum habitans, cum quatuor diebus ex partu mortuo difficile pareret, & brachium propenderet, quod obstetrix libenter abscidisset; exhibito nostro puluere parturientis, peperit quidem fœtum mortuum iam corruptum; ast viribus antea ex longo partu exhaustis, etiam ipsa exspirauit. Verum cum rusticus postea alteram duxisset vxorem, ipsa quoque nono mense duos gemellos mortuos, sumto puluere parturientium ad ʒ j. cum aquæ lilio. ℥ ij. & vini Rhenensis optimi ℥ j. partibusq; vteri relaxatis cum vng. emollientibus & relaxantibus, reiecit, in vita permanens.

Scholia.

2 SI istis validioribus secunda vxor non peperisset, vel fœtus mortuos excussisset, consuluissem embryotomian vel incisionem, quam Albucasis & alii docent, & Aetius *lib. 16. cap. 23. de fœtus extractione siue sectione ex Philumeno.* Interea admonet Medicum, vt in eiusmodi sectionibus peragendis prius spectet, num febricitet mulier, nec ne, num præsidii capax sit, ad deplorata. Sic & Paulus *lib 6. cap. 74.* Aliis remediis non iuuantibus, si quidem salus adhuc speratur, tunc manum admoliemur: sin contra, attingi non debet. Quæ igitur perniciem sui portendunt, inexpugnabili dormiendi necessitate premuntur: Lethali enim affectu periclitantes, *teste etiam Aetio*, lethargico sopore occupantur, febricitant, propeque mutæ euadunt, & dum maximis clamoribus vocantur, vix incertum quippiam susurrantes, rursus in soporem deferuntur: quædam & vibratim conuelluntur, aut neruis conturbantur, aut tremunt, aut alimentum non sentiunt; ac pulsus creberrimus debilissimusque percipitur; vel valide inturgescens, *iuxta Paulum*, deprehenditur, sed languidus. Quæ incolumes futuræ sunt, nihil eiusmodi patiuntur. Sic anno 1590. mulier, cum in partu esset, & fœtus mortuus, brachio extra pendente corrupto, cum adhuc valida esset, consului, vt obstetrix brachium amputaret, quo sic melius pareret. Quod cum facere nec auderet, nec vellet, post duos tresue dies adhuc permanens in difficili partu, misere mulier obiit. Quomodo fiat sectio, docet Aetius *loco citato.* Puerpera igitur, inquit, in lecto supina decumbat declini capite, erectis diductisque cruribus, detineaturq; vtrimque a peritis robustisque mulieribus. Si vero non adfuerint, mulieris thoracem vinculis quibusdã lectulo adfirmabunt, ne corpus attrahendo attractionis vim dissoluat. Ac primo duæ vel tres panis buccellæ vino madefactæ, ad arcendum animi deliquium offerantur, iugiterque in ipso opere vino facies respergatur. Chirurgus autem prius difficultatis caussam speculo inspiciens, sit ne thymus, aut callosa eminentia vel quippiam eorum, quæ prædiximus, videbit. Quicquid fuerit, volsella arreptum scalpro polytomo amputabit; sin tunica os vteri obstruxerit, eam quoque secabit. Si vero tunicæ abrumpendę soliditas obstabit, hanc, si fieri possit, ensiculo hastato, (scolopomachærium vocant) vel alio simili incidemus; quam deinde incisam dilatabimus, locumq; idoneum prodituro fœtui præparabimus. At si caput infantis locum obstruxerit, in pedes vertẽdus est, & ita educẽdus. Quod si adeo inhæserit, vt nullo pacto ad profundum impelli queat, vncus instrumenti attractorii in oculo, ore, aut mento figendus est, & ita infans extrahendus. Instrumentum autem attractorium dextra manu detentum immitti oportet; vnicum vero eius sinistræ digitis occultatim sensim deduci, quousque ad vteri cauitatem peruenerit; postea cuipiam prædictorum locorum infigi; deinde alterum instrumentum ex altera parte oppositum, simili prorsus modo imponi, & infigi, vt æqualis & in neutram partem attractio, imo & tutior fiat: forte enim vnum tantum instrumentum in attrahendo elabi posset, & fœtum dimittere: æqualiter vero, nec recte tantum, sed & oblique attrahemus; digitumque aliquo pingui illitum intra vteri os & membrum obstructum immittemus, orbiculatimque circumducemus. Dimidio autem fœtu prodeunte, primum instrumentum peculiariter superioribus partibus, inde secundum alternatim figendum est. Quod si caput vel natura, vel hydrocephali morbo plus æquo intumuerit, ensiculo, quem polytomum vocant, vel communi scalpro incidemus, deinde contractum extrahemus. Quod si ne ita quidem prodierit, totum sinciput conteremus, & ossa digitis educemus. Si vero aliquod os eminuerit, ossario aut radicario forcipe auferemus, ac tum demum instrumentum attractorium infigemus, & infantem eripiemus.

3

4

Prodeunte autem capite, si thorax vteri ostio impingatur, hastatum ensiculum, aut scalprum polytomum duobus digitis occulentes, inter costalem membranam circa clauem pectoris vsque ad profundum secabimus, vt, excretis humoribus, moles thoracis concidat. Sed si egresso thorace, venter mortui fœtus intumuerit, & hydropis formam induerit, eadem regula vtentes, ventrem incidemus, & intestina eximemus. Sin manus altera ad sinum pudoris exierit, prope humerum articuli excidetur. Oportebit igitur linteo manui prodeunti implicato violenter attrahere, vt humeri articulus exseratur, tuncque pudendi plicas digitis hinc inde deducere, & postea articulum scalpro secare; deinde sinistram manum immittere, & capitulum dirigere, atq; ita fœtum educere. Vtrinq; vero manu prodeunte, vtramq; secabimus; deinceps caput conteremus; ac tum demum infantem extrahemus. Quod si venter locum obstruxerit, linteo cruribus inuoluto violenter attrahemus, vt loca pubis & sumen efferantur, quod tanquam melius incidemus. Sin alterum crus in sinum pudoris deciderit, linteo implicato valde attrahentes, & pudendi plicas diducentes ad inguen crus abscindemus. Si duplicatus fœtus occurrat, neq; dirigi possit, si capitulum magis paratum fuerit, eius ossa conteremus, cute nequaquam dissecta, deinde cuipiam eiusdem capituli parti attractorium instrumentum infigentes attrahemus, tum crura dirigemus, & ita fœtum educemus. Sed si crura magis exposita sint, coxæ articulum abscindemus, & ita coxas transcendemus, vt caput relinquatur facili contritioni paratum. Si vero obstructio duplamenti pertinacior fuerit, pedibus magis procidentibus, caput in articulatione vertebræ amputare oportet, deinde thoracem transcendendo, pedes attrahere: & si reliquis membris capitulum relabens detineatur, sinistram manum oleo illitam in intimos recessus immittemus, capută; perquirentes, sensim ad os vteri deducemus cui deinde manu detento vnum vel duo attractoria instrumenta infigemus: eruntq; loca figendo instrumento maxime idonea, in capite, oculi, meatus aurium, os, pars menti inferior, in thorace, axillæ, claues, hypochondria, pectus, vertebrarum articuli, ingulum; in cruribus, ossa pubis, fœminæ infantis pudendum. Ostio tamen vteri inflammato nulla vis adhibenda est, sed perfusionibus pinguibus affatim vtendum, eiusdemq; naturæ insessionibus, irrigationibus, cataplasmatis; vt inflammatione quadantenus remissa, & vuluæ ostio dilatato, fœtus, sicuti diximus, deferatur. Vbi vero integram sectionem fœtus perfecerimus, omnia eius membra sunt componenda, diligenterq; spectandum, an quodpiam desit, vt nullum prorsus interius omittatur: deinde loculum protinus educemus. Eadem fere habet Paulus loco citato.

Observatio LXXIX.

De secunda relicta.

VXor Andreæ Cloethii, cognomento Antuerpiani, puerpera annos nata 40. Alcmariæ eo tempore habitans, anno 1554. mense Martio, secundam relictam cum reddere non posset, binæ obstetrices ad eandem accitæ fuere. Verum iis nihil proficientibus me vna consultarunt. Cum satis adhuc robusta esset, vt sternutamentum ex elleboro albo fieret mandaui: deinde vt obstetrix digitos inunctos oleo liliaceo immitteret; lente quidem, ne vterus procideret aut subsequeretur, primum in obliquum deducendo, huc illuc circumagendo, deinde paulo validius attrahendo. Hoc enim pacto, vt Paulus docet lib. 6. cap. 75. a connexu solui solet: sicuti etiam, Deo adiuuante, factum est. Verum cum 4. diebus puerpera secessum non habuisset, antequam hæc fierent balano imposito, vbi aluum exonerasset, obstetrix melius suo officio fungebatur. Postea tamen hæc ipsa incidit in quandam febriculam, sed leuem: sumebat rob cerasorum & ribes ad alterationem & sitim. At quinq; postea diebus interpositis ventre dolebat; qui dolor cessauit *inunctione olei chamæmelini & anethini.* Febris iam aberat: ideo adhibito *decocto cicerum cum hordeo mundato in vino Rhenensi*, bene purgata fuit. Quanquam diebus aliquot intermissis crura inflata fuere; sed *vnctione vng. pop. & alabast.* detumuere. Sed oborta quoq; leui inflammatione gutturis, aluo *cum foliorum senæ infus.* soluta, *ex garg. aquæ plantag. viol. exiguo adiecto sem. coton. facta ebullit. & colaturæ immiscendo diamori & mell. ros. paululum*, ea ipsa cessauit. Contra vigilias, quibus & tunc afficiebatur, præscripsi *oleum pap. & mandrag. an. ℥ ij. opii thebaici gr. ij. croci gr. vnum*: & bene dormiuit. Sed post duas septimanas dolore ventriculi accedente, ex ℥ ß. *pilul. ex aloe*, tribus assumtis pilulis, cum facilis solutionis esset, hic dolor quoq; sopitus est; & bene deinde habuit.

Scholia.

EX secundis interiorem Empedocles animam vocauit, exteriorem Chorion; sed ambas alii hysteras nominant. Dum enim fœtus adhuc vtero geritur, ipsum natura conformans, machinata quoque est loca, per quæ alimentum ac spiritum posset a matre suscipere, & reliqua quoque eiusdem fœtus excrementis idonea comparauit. Etenim toti ipsi membrana tenuis (*vt anatomia docet, & a Donato quoque annotatur*) vndique est circumiecta, quam ἀμνίον, id est, amiculum appellant, fœtus velut sudorem excipiens: huic extrinsecus tenuior alia incumbit, quam ἀλλαντοειδῆ, id est, intestinalem nuncupant, in ipsius vesica perforata, quæ & hæc in se ipsa colligit vsque ad partum ipsum, velut fœtus lotium. His autem extrinsecus in orbem altera membrana circumiecta est, totum vterum intrinsecus subiungens, qua media fœtus vtero connectitur. Nam in singulis orificiis vasorum, quæ intrinsecus in vterum pertinent, per quæ etiam sanguis menstruus in ipsum, quo tempore vtero geritur, fertur, aliud vas gignitur; arteria quidem in arteriæ, vena vero in venæ orificio, vt sint ea, quæ generantur numero æqualia in orificiis, quæ intro in vterum desinunt: colligatque ea membrana hæc, tenuis quidem, sed fortis; ita vt simul in mu-

4

nimentum, & ligamentum eorum sit, tum inter sese, tum cum vtero. Et quoniam exiguum est vasorum quodque cum primum ab vtero exoritur, cuiusmodi sunt arboris radices extreme in terram defixæ, quæ tamen paulatim progressæ per coniugationem coalescunt; ita vt ex duobus vnum procreatur, rursusque eorum singula cum singulis eiusdem generis coalescunt, fitque id perpetuo quoad parua omnia in duo magna coeant, quæ velut stypites quidam fœtus, per locum vmbilici inseruntur. Quatuor itaque omnino hæc vasa sunt: duæ scilicet arteriæ, & totidem venæ, nullis diuersæ generis inter se commixtis; sed venis quidem semper cum venis, arteriis cum arteriis in idem coeuntibus: per quæ vasa, velut per truncos quosdam fœtus ex vtero sanguinem & spiritum trahit. Verum inter hæc omnia, & vasa exigua, quæ dicta sunt, media est iam dicta membrana, quæ veluti truncorum radicatio exsistit, quæ radicatio a Græcis χωρίον nuncupatur, quod nihil aliud est, quam vasorum multitudo membrana tenui connexorum, quæ haud facile numerari queat, *Galen. auctore 15. De vsu part.* Interim ὕστερον seu δεύτερον appellatur, *Comment. aphor. 49. lib. 5. a Galen. & cap. 75. lib. 6. a Paulo.* Latini *Secundam* & *Secundas* nominare solent: sic quidem appellantes, quod velut secundum domicilium, ac receptaculum sit ab vtero, & velut fœtus indumentum, *vt inquit Aetius cap. 24. lib. 16.* Hæc secunda quoniam ex vmbilico pueri hæret, & vmbilicus postremus ex vtero exit. Namque si primus exiret, non accederet per ipsum puero nutrimentum, quoniam ex ipso dependet, *Hippoc. auctore lib. 1. De morbis mulieb.* Propterea fœtu excusso foras prodire debet in naturali partu. Sed quoniam contingit interdum, vt fœtu in lucem edito, ipsa præter naturam detineatur; inde quod eius detentione vterus quodammodo afficiatur, & quod eadem detenta morbus sit in numero atque in excessu, nemini in dubium venit. Detinetur autem, aut proprerea quod fundo vteri connexa est; aut licet seiuncta fuerit, tamen circa aliquam vteri partem instar pilæ conuoluta est; vel propterea, quod os vteri clausum sit, ita vt foras prodire non valeat. Hoc est, quod Aetius refert ex Philumeno: In loculorum detentione, qui etiam secundi appellantur, interdum vteri os clausum, interdum apertum reperitur, ac nonnunquam inflammatum, nonnunquam inflammatione carens; atque loculus ipse interdum vteri fundo adhuc coniunctus, interdum seiunctus est. Ita edito tandem partu, secundas lethaliter interdum hærere vidimus, quas non minus, quam abortiuum reformidamus: corruptionem enim accelerant. Propterea protinus eximendas procuramus: æstate præsertim, vnde facile mulieres examinari videntur, vbi putridi vapores cordis vitalia, stomachum, cerebrumque subeunt. Vidimus, & furore percitas nonnullas insanire, ac furere. Quomodocunque tandem ipsa detineatur, neque statim ac violenter extrahenda est, neq; eius eductio parui facienda, seu negligenda erit. Ob

χωρίον seu secunda, quid sit, vnde nomē sumserit.

5

Pars affecta.

Affectus quis sit.

Caussa.

Prognostica.

eam rationem vafræ obstetricis est vmbilicum protinus femori puerperæ adalligare, ne temere retrocedant secundæ. Tum sternutamenta concitantur vtiliter: ilia quoque spiritu intenta secundas deprimunt: sique vmbilicus apparet, subito corripiendus est, atque deligandus; cui fini filum promtum habere necessum est. Iuuant crebræ vel inanes vomitiones: os & nares obturentur, *Hippoc. præcepto aphor. 49. lib. 5.* præsertim si mulieres imbecillæ non fuerint. *Quod si nec sic exciderit; si ergo os* (inquit Aetius) *vuluæ apertum est, & loculum seiunctum inueneris, qui alicui vuluæ parti pilæ modo conuolutus inhæserit, facilima curatio est: manum enim sinistram calidam, & pingui illitam, seu oleo, in abditum recessum immittere oportet, totumque loculum extrahere. At si vteri fundo connexus sit, simili quidem modo manum calidam in pingui illitam immittemus; sed apprehensum loculum non statim recta attrahemus, vuluæ procidentiam verentes: Sed placide nulla violentia adhibita. Primo in obliquum sensim ducemus, huc & illuc circumuertentes; postea aliquanto validius attrahemus. Hoc enim pacto obediet & a connexione soluetur. Si vero os vteri clausum fuerit, perfusionibus vtemur, & sinistræ manus digitis leniter aperire, ac paulatim dilatare conabimur. Quod nisi successerit, mulieris tacentis sumini ouium lysin illinire oportet, rursusque loca perfundere, & impinguamenta fomentaque adhibere: & si patiens robusta sit, eo tempore etiam sternutatoria e castorio & pipere confecta naribus admouebimus, & potiones aliquas earum, quæ menses cient propinabimus. Quæ quidem omnia primo & altero die peragenda sunt. Præterea suffitu vtemur, decoctis in olla aromatibus, qualia sunt, cassia, nardus, iunci odorati flos, artemisia, iris, sabina, dictamnus, pulegium, & huiusmodi, olla sellæ supposita, cui mulier insideat, vestimentis vndique circumsepta. Postea pertentabimus: & si os vteri apertum inuenerimus, manum immittemus, &, sicut diximus fœtum enitemur educere. Qui si parum obediat, dilacerandus non est: haud multis enim postea diebus marcescet, & in saniem solutus excidet.* Hactenus Aetius. Atque hæc ipsa, vt rite fiant peritæ obstetrici mandabimus.

6 *Curatio.*

7

OBSERVATIO LXXX.

De secunda relicta in quibusdam puerperis: & quibus medicamentis ab ea liberatæ sint.

1

MVlieri cuidam Delphensi, honestæ matronæ, cum secunda relicta esset post partum, mulierculæ astantes pro communi remedio, quo vti solent, exhibuerunt horminum satiuum cum sale, sed nihil profecere. Nos ad eam acciti dedimus ℈ j. *trochisc. de myrrha cum ℥ iij. artemisia in vino Rhenano coctæ.* Et cum obstetrix diceret, secundam solutam esse, & quod tenderet ad exitum, facta quoque inunctio est per eam *ex olei amygdal. dulc. lilior. cheyrini, ping. anatis, gallinæ, porcinæ, butyri recentis, ana ℥ ß. tam intus,* quam extra. Altero deinde Medico mox superueniente, *ex elleb. albo pipere nigro, sternutamentum præscriptum est:* Sed ab eo non sternutabat lassata prius. Et ideo vt vires resumeret, accepit *ius pulli*

pulli cum ouo molli, pauco insperso cinnamomo & pulu. nucis myristicæ, totumque ventrem & inguina inungendo, vt dictum est. A potione ex trochisc. de myrrha sumta, post quatuor horas probe a secunda liberata fuit. Altera quoque puerpera anno 1558. mense Octobri cum ℈ j. *trochisc. de myrrha, vini Rhenensis ℥ ij. & aquæ artemisiæ*, sumsisset, etiam secundam reiecit. Vt super sellam collocarent imperauimus, quo ita obstetrices melius suo munere fungerentur. Alteri quoque mulieri, quæ extra portam fossæ aqueæ habitabat, a partu difficili & periculoso euadenti, secunda post partum relicta fuit. Duæ obstetrices præsentes eandem pro deplorata habebant, & in lecto posuerant. Vocati nos de nocte cum ex difficili partu & longa mora debilis esset, exhibuimus confectionem manus Christi perlatam (vt vocant) & puluerem propinauimus: *℞ pulu. parturientis ex radice dictamni parati, cassia ligneæ, pulu. seu rasuræ lapidis dactylorum ana ℈ j. aquæ artemisiæ ℥ ij. vini Rhenensis ℥ j. ebibit.* Et tertia obstetrix magis perita superueniens manu pingui intincta, e lecto muliere in sede leniter collocata, eduxit secundinam. Atque ita perfusionibus adiuta, & potione a linamentis relaxantibus, tandem & a secunda hæc quoque liberata fuit. Sed paucos post dies incidens in febrem & fluxum ventris, nec me aut alios Medicos consulens, postea, vt mihi relatum fuit e vita decessit. Verum textoris vxor, mulier paruæ staturæ & tenera, cum bis fœtum mortuum peperisset cum magno periculo; ac tertia vice cum rursus pareret, ac sex diebus iterum in difficili partu esset; 29. Octobris 1581. ad eam accitus sum. Cum igitur fœtus dudum esset mortuus, hoc puluerem exhibui: *℞ radic. dictamni albi, cinnamomi ana ℈ j. seminis viol. ℈ ß. fiat puluer. subtilissimus*: sumebat cum ℥ iij. aquæ artemisiæ, quod febricitaret. Die sequenti cum fœtus, seu partus, quasi dimidius vsque ad humeros in exitu foret, nec foras prodire posset, pulu. rursus exhibitus est cum vino Rhenano, quod minus febricitaret, fœtusque mortuus plane corruptus subsequebatur. At obstetrix cum non posset habere secundinam, & puerpera pro mortua quasi haberetur, non sine febre; mandauimus, vt obstetrix imum ventrem totum inungeret linimento sequenti: *℞ olei liliorum cheyrini, lini, axungiæ, gallinæ, caponis, caninæ, ana ℥ j. misce.* Iterum hæc pulu. ad secundinam expellendam, & cum non purgaretur, exhibitus est: *℞ pulu. radic. dictamni albi ℈ ij. ß. cum aqua flor. chamæmeli ℥ iij. detur.* at nihil subsequutum. Mulierculæ muscum pruni arboris portantis cærulea pruna, tanquam in his sympathia esset, cum vino colatum dabant, quibus multas adiutas dicebant, licet muscus restringat: sed nihil his iuuantibus, tandem per partes corruptas, vt prædixeramus, excidebat. Et rursus exhibito puluere sequenti cum vino, magis putrefacta per partes prodibat: *℞ radic. dictamni albi ℈ j. ß. seminis viol. cinnamomi selecti, ana ℈ ß. rasuræ dactylorum gran. iij.* Quarto Nouemb. deinde & sexto rursus puluerem propinauimus; a quibus perfecte, partibus omnibus corruptis paulatim excidentibus, a secundina liberata fuit; demum bene purgata recte deinde valuit. At Antonia vxor Ioannis Musii Pedemontani cum a secunda post partum liberari non posset, imo ventre tum muliebribus per obstetricem *oleo liliaceo & amygdal. dulc. pinguiter inunctis ac fotu, post ℈ ij. ß. pul. parturientium ex dictamno exhibitos. & decoctum rad. schœnanthi & dictamni in aqua liliorum & artemisiæ, etiam balano immisso*, vt aluum redderet, secundam mox eiecit, & deinde bene purgata optime habuit. Heyla vulgo, seu salutaris, obstetrix valde experta apud Delphenses, cuius opera multæ mulieres in difficili partu vtebantur, in obstetricandi arte gnara, dum praxin Delphis exercerem: hæc ipsa ad secundinam depellendam capiebat fimum equinum, & ponebat in puppa, & cum vino insciis puerperis expressum dabat, cum nulla alia remedia iuuarent: atque eo modo plurimæ a secunda liberatæ fuere.

SCHOLIA.

QVod si istis remediis iam dictis, & sternutatione, tum sabinæ decocto, & trochisc. de myrrha vel borace, (*quibus etiam fœtus mortuus reiicitur*) secunda, vel, vt alii vocant, secundina, non expellatur, verendum est vtero eam esse affixam & alligatam. Id deprehenditur his coniecturis, quod neque medicamentis, neque vehementissimis illis conatibus mulieris, vel sternutatione, sit reiecta, & quod ante tempus puer emissus fuerit, idque aliquando sine doloribus magnis præcedentibus, vt aliquando obseruauimus secunda relicta. Dolores enim, qui præcedunt partum, fiunt, dum disrumpuntur venæ & arteriæ cotyledonibus vteri alligatæ. Itaque si dolor non præcesserit, fracta est tantum secundina, & vtero adhæret: ideo manu comprehendenda, aut vinculo, & leniter trahenda, ne disrumpatur in partes, maxime quo diutius retenta fuerit. Memini cum apud puerperam Schiedami essem, secundam fuisse retentam: sed cum quædam obstetrix nimis audax subito ad se secundinam attraheret, illico puerpera in deliquium animi cadens statim exspirauit. Quare si ita adhæreat, vt vnguibus non possit extrahi, immittantur medicamenta suppurantia: nam eadem non est dilaceranda, vt quæ intra paucos dies putrefacta, vt & Paulus censebat, in saniem dissoluta excidet; *quemadmodum & paulo ante ex Aetio diximus.* Vt etiam euenit vxori textoris, de qua etiam nunc in Obs. præcedente egimus. Interea illo tempore, vt & Paulus tum Aetius admonent, quia secunda ita emarcescens nimio suo fœtore caput replet, & stomachum euertit, odoramenta iugiter suffienda sunt, quæ possunt huiusmodi calamitatibus repugnare, & loculum subducere. Ad quos vsus excellunt, *cardamomum & caryca*, si apte suffiantur, & *bdellium cum sabina, thus cum styrace; vnguis aromatitis, ladanum iisdem castorii ℥ j. & pulegii tantundem, ex mulsa propinato.* Conueniunt & leniora ex his, quæ menses ducunt; *artemisia decoctum, lauri bacca, myrrha & cyclamine cum vnguento mixta,*

4 5 6 Cautio.

ouis & capræ loculi arefacti è vino triti, & propinati, aut cum vnguento impositi, aut pro amuleto gestati. Verum, vt paulo ante diximus, fieri potest, vt in ea parte putrescat: vt & nos vidimus puerum putrefactum: quod & Rondeletius testatur se vidisse, & frustulatim reiectum. Sed, vt ille vidit; relictis magnis ossibus in vtero per longum tempus, quæ post in vtero matris mortuæ reperta sunt. Vxor fuit chirurgi Monspeliensis, qui post mortem, vt caussam alicuius affectus interni cognosceret, passus est illam dissecari. Quia vero odoris grauitate (*vt paulo ante diximus*) caput replet, stomachum putrefacta euertit, & alia inducit sæpissime symptomata grauissima & sæuissima, ad id necesse est per interualla iniicere ea, quæ vim habent detergendi, quod putrefactum est. Ad id valebit (teste Rondeletio) vnguentum basilicum in multo oleo lilior. H amygd. dissolutum, vel in decoct. sequenti: *rad. mal. viol. ana ℥ ij. rad. aristoloch. longæ vel rotundæ ana ℥ j. seminis lini fœnugr. ana ℥ ß florum chamæmeli, & centaurii minor. ana p. j. fœum. p. ij fiat decoct. in aqua & oleo. & in eadem dissoluatur vnguen. basilicum, vng. Ægyptiacum,* ad detersionem etiam iniici potest. Arrodit enim & potentissime abstergit, & sua acrimonia facultatem expultricem mouet. Periclitantur mulieres, si adhæreat & contineatur, & moriuntur: vel ob vsum medicamentorum acrium vlcus in vtero fit. Quamobrem optimum erit antequam adhibeantur remedia, id prædicere, ad vitandam calumniam. Potio sequens sæpe danda est: ℞ *sabinæ. artemis. ana m. j. fiat decoct. in aqua, in ℔ ß. decocti adde vini albi vel clari ℔ ß. arom. c. m cinnamomo. & detur frequenter, si sine febre est.* Vel, ℞ *boracis ℥ j. capiat cum ℥ iij. vel iiij. prædictæ decoctionis. aut cum vino albo.* Aut detur tantundem *trochisc. de myrrha, vel ℥ j. carabes,* maxime si cum magno fluxu sanguinis sit. Nam vrinas mouet, secundas deiicit, & sanguinem fluentem retinet. Decoctum vel aqua fabarum distillata, & vt aqua florum croci, detergit, secundinas pellit, & dolores illos sedat. Quare non est omittenda in hoc negotio. Memini Mariam Francisci, in foro frumentario Delphis habitantem, 6. mense peperisse fœtum mortuum, & post partum relictam fuisse, secundinam ad quam 27. Septemb. die, anno 1578. accitus, valde debilem repperi, cum insigni satis profluuio sanguinis. Quare hanc mixturam sequentem sæpius sumsit: ℞ *conseru. viol. borag. citri conditi* (scilicet cort. eius) *ana ℥ ij. fragm. lapidum pretios. vt alcohol. puluerisatorum ℈ j. manus Christi cum perlis ℥ ß. syrup. de limonibus ℥ j. fiat mixtura, & foliis auri cooperiatur.* Deinde sumto hoc puluere cum ceruisia: ℞ *rad. dictamni albi ℈ j. seminis viol. raf. dactylorum, ana ℈ ß. fiat pulu.* & inuncta vulua intus & extra oleo liliorum amygdal. dulc. sexta hora a quo sumsisset puluerem, hora diei 10. a secundina liberata fuit. Post aliquot dies in suffocationem vteri incidens, cum neque ex odoratu fœtidorum ad os, tum aliis præsidiis ad se rediret, quasi pro deplorata habita, hoc assumto puluere a suffocatione curata, probe deinde valuit, satis bene in puerperio repurgata: ℞ *gran. iuniperi, calami arom. incisi, ana ℈ j. radic. ostrutii* (eius loco pharmacopœus sumsit semen eius, cum radix ad manum non adesset) *radic. gentianæ, ana ℈ ß. seminis pastinacæ ℈ j. fiat pul. subtilissimus in duas partes diuisus*: ac vna parte assumta cum ceruisia, miraculi instar, suffocatio vteri cessauit.

17 — *Historia Rondeletii.* — 8 — 9

Observatio LXXXI.

De dolore post partum eueniente.

AD dolores post partum (quos vulgares muliercuIæ nostræ suo idiomate, *nae vveden*, vocant) magna cum laude vtor sola flor. chamæmeli decoctione in ceruisia communi: miraculi instar, dolores post partum compescit. Matrona quædam cum peperisset filios, quotannis post partum sex dies, diebus interpolatis, bibebat ℥ vj. olei amygd. dulc. recenter expressi, cum sacharo; & ita dolores mitigabat, & irritabat purgationes sopitas. Sic in Italia, vt ex præceptore nostro Romæ Gisliberto Horstio accepimus, rusticæ mulieres oleum commune, (sed minus rancidum ibi quam hic) accipiebant: quod & laudatur. At matronæ ibidem potius accipiunt ℥ iiij. olei amygdalarum dulcium expressi. Hoc illico vidi a dolore post partum liberatas; & commode eo in multis vsi sumus. Valuit & decoctum florum chamæmeli & artemisiæ cũ iure pulli, etiam pro clysteri, cum fæces etiam retentæ essent in vxore puerpera Beroaldi cum oleo lilior. & vitello oui. Vbi ventositas adest, commode datur vinum decoctionis cumini, vel paulum cumini puluerisatum & inspersum, modo febris absit.

1

Scholia.

ANtequam puerperæ recte purgentur, dolores post partum sæpe iis oboriuntur. Matrix enim tunc (inquit Erotis) tanquam fera syluestris, propter subitam euacuationem, quasi vagando huc illuc declinat, vnde vehemens efficitur dolor. Pro dolore exhibet vinum calidum in quo cuminum bullierit. Ceterum oportet in omnibus caussam quoque doloris animaduertere. Sic mulier quædam Elisabetha Gellii cum pateretur enormes torsiones in ventre post partum; Ioannes Tiengius, Medicus insignis, bis terve subsequentem potionem dedit, & omnis dolor euanuit: ℞ *verbenæ, calendulæ, viol. ana p. j. schœnanthi ℥ ij. seminis dauci, gentianæ, fœnugræc. seminis althææ, ana ℥ j. fiat decoct. pro ℔ ß.* (nempe in aqua, si adsit febris: alioqui in vino, quamuis non expresserit) *exprimatur, addendo syrup. de artemis. ℥ j. misce.* Sed & alia, Magdalena dicta, post partum graues dolores matricis & totius ventris incurrebat, cum retentione omnium superfluitatum & menstruorum & ventris stypticitate. Exhibita fuit hæc potio: ℞ *radic. pæoniæ, ℥ j. schœnanthi. gentianæ. florum chamæmeli, ana ℥ ß. foliorum senæ ℥ ß. fiat decoctio in aqua artemisiæ pro ℥ iij. colaturæ adde cassiæ recens extractæ ℥ ij. misce.* Vesperi sumsit, & curata est ab omnibus accidentibus iam dictis. Memini ipse, dum Alcmariæ praxin adhuc exercerem, vxorem Iacobi Themistoclis nautæ, paulo antequam pateret,

2 — *Dolores post partum.*

teret, Amstelrodamo vna cum marito Alcmariam venientem, in dorsum fortiter cecidisse supra scapham: ex quo casu, altero die peperit. Post quatuordecim dies a puerperio dolor ita intendebatur in dorso, & adeo vrgebat, vt multis diebus dormire non posset, subsequente febre, sed non adeo vehementi. Potionem sequentem dedi: ℞ *cassiæ recens extractæ* ʒ *vj. diacathol.* ʒ *ij. dissoluantur in aqua scabiosæ & scolopend. q. s. mummiæ* ℈ *j. mellis rosi. solati* ℥ j. qua medicina copiose aluum deposuit, dolore cessante, vna & febre, etiam loco dolente inuncto linimento sequenti: ℞ *vnguent. dialthææ, olei anethini, chamæmelini, axungiæ vituli, ana* ℥ *ß. misce.* recte deinde valuit. Si dolor post partum sit a ventositate, dentur semina ventositatem carminantia. Valent & ea, quæ ad inflationem vteri diximus. Sed videndum num adsit febris, & nunquid dolor ille sit ex frigore, vt magna ex parte contingit; raro enim ex calore, *vt videre licet cap. proprio De dolore post partum apud Gilbertum Anglicum, tum alios, & in libro de Harmonia Gynæciorum.* Ideo & recte nos admonet Alexander Benedictus Veronensis, quod mulierem a puerperio ipso, a frigore & vento, clauso cubiculo obscuro tuebimur, a strepituque ac clamore, vestimentis bene opertam, atq; iubebimus si vel molam enixa sit, aut emortuum infantem, vt somno moderato quiescat, alta ceruice, sine vllo iniucundo odore. Etiam hæc conueniunt omnibus post partum, etiamsi bene pepererint: & sunt tractandæ non aliter, quam si febricitarent, ne in febrem incidant: eam enim aliquando incurrunt, *vt quibusdam exemplis in lib. De febribus demonstrauimus.* Ideo cibus in initio sit præpartus, crapula enim facile febris excitatur, ac sitis validior. Propterea prima die ius gallinaceum damus pingue, ac ouum sorbile, vel carnem in cœna ac prandio duntaxat. Sed modus etiam seruandus est, ne inconcoctis cruda superingerantur. Confectionem interdum damus diamargariton, aut dianisum. Vinum vtile est, quod modicas vires habeat, subdulce, hyeme tepidum; frigidis enim vulua tentatur. Ea victus ratio ad decimum vsque diem seruatur vtiliter. Vitamus carnem assam, & quicquid astringit. Aluus si nihil reddit, iniectis clysteribus mollienda est; vti nos fecimus in illustrissimi Principis Auraici vxore. Si ii non iuuant, vel si clysteres abhorteant, vt sæpe euenire solet mannam damus cum cassia. Si partum purgationes sequuntur, bonum est, si hærent, non est bonum, sed tunc promouendæ sunt, vt postea dicemus. Ita ex Moschione: Ponenda est in lecto, cum prius post partum spongia longa detersa fuerit, in cubiculo obscuro, modice patentibus pedibus, vt quicquid ex ea foras exire cœperit, non impediatur, pannis loca ipsa contegantur, ita vt frequenter mutentur. Sed & lanis mundis & ventrem & pectinem contegi oportet; &, si sine quassatione partus effectus est, oleo viridi cum modico vino admixto ipsam partem irrigari; si vero laboriosus partus præcesserit, oleo dulci & calido ipsa loca calefieri: deinde biduo eas a cibo abstinere. Hic tamen ratio habenda, vt pro viribus parce alantur: nostræ enim puerperæ omnimodam inediam non sustinent: tum astantes mulierculæ nostræ quædam pessime faciunt, quæ ad multos cibos tum pultes sumendas eas cogunt, dando ceruisiariam panatellam iuncto caseo, qui tamen obstruit. Id in Frisia mulierculæ faciunt, sed pessime, quamuis dicant lumbos roborare. Vtantur simplici cibo. ouis sorbilibus, & pultibus, primis diebus. Et si leuis suspicio adsit de febre, vinum interdicatur. Septimo die vinum exhiberi poterit aqua exiguo temperatum. Addunt & hæc alii, vt si pepererit masculum, quod triginta diebus sese in lecto contineat, nec foras prodeat, si fœminam, 40. Nonnullæ tamen statim a partu resurgunt, sæpe tamen suo damno. Cujus enim crudelis partus est, & exitus tardus, inprimis tenuem victum huic exhibere oportet. Symptomata post partum plura esse possunt, *de quibus mox agemus.*

OBSERVATIO LXXXII.

De quibusdam symptomatibus puerperis euenientibus.

IN puerpera febricitante ex mẽstrua purgatione suppressa recte vsus sum decocto hordei mundati, glycyrrhicæ & schœnanthi in hunc modum: ℞ *hordei mundati m. j. glycyr. ras.* ℥ *ß. schœnanthi* ʒ *j. ß. coquantur in aqua communi pro* ℔ *j.* id quidem vel in febre non obest, & simul purgationes sopitas aperit, vt euenit puerperæ in Gryphone aureo decumbenti. Debilioribus ʒ j. schœnanthi in iure pulli bullire iubeo. Hoc modo Florentiola, Medicus Bononiensis vtebatur. Valet & ius cicerum. Mulieres Bononienses dant ius columbæ in quo bullierit schœnanthum, ad purgationes promouendas, si febricitent; estq; remedium Nicoli. At in robustioribus puerperis, si menses diu retineantur, vena tali incidenda. Vt in puerpera in insigni follis e regione domus ciuicæ, cum maximo successu fecimus, menstrua purgatione subsequente; etiam sumendo ʒ j. pul. dominarũ cum aqua artemisiæ. Puerperæ vero Alcmarianæ, cum aluus restricta esset, valde debili existenti, ius sequens exhibitum fuit: ℞ *foliorum senæ* ʒ *vj. tamarindor. num. ix. prun. damas. qr. j. vuar. passul. ab acinis repurgat.* ℥ *j. sem. anisi, anethi* (nam in ventre etiam maxime dolebat) ʒ *j. ß. florum viol. bugloss. borag. an. m. ß. seminis petros. p. j. contusa in gallina pingui, prius mundata a fecibus & intestinis, & interaneis, collo pedibusq; abscissis consuta, coquantur in aqua, ad dissolutionem carnis ab ossibus: omnia cum iusculo contundantur, & postea colentur vna cum iure, adiecto pauco vino & sacchar. pro sapore delectabiliori.* Ex eo iure cyathum subinde sumens & restaurabatur, & simul secessum habebat. At Mariæ Teylingiæ in puerperio febricitanti ℥ j. ß. mannæ selectæ cum iure pulli propinata, probe aluus soluta est, febrisque cessauit. Puerperæ Delphensi cum lochium retentum esset, sola inunctio olei scorpionis

profuit. Noui & aliquas puerperas melancholicas factas, & quasi insanientes, si filiam peperissent; si masculum, eo malo non afficiebantur: sed paucis adhibitis remediis sanæ euadebant, quemadmodum & illa apud Amatum *cent. 2. curat. 52.*

SCHOLIA.

3 VAria symptomata aliquando puerperis post partum eueniunt, & præter dolores, qui aliquando post partum contingunt, innumera alia contingere possunt. Præcipua vero hæc sunt, sanguinis retentio, aut eius fluxus nimius, & vlcera, & immites dolores. Si enim non repurgantur, & sanguinis fiat retentio, alii morbi quoque oboriuntur. Si ex retentione sanguinis vertigines oboriuntur, syncopes, febres, & vniuersaliter ægritudines ex repletione; quemadmodum de retentione menstruorum diximus. Vtere iis, quæ menses leniter educunt; sed videndum num adsit debilitas. Sic puerperæ debili exsistenti tali vena aperta non fuit, vt alteri robustæ: sed summitates schœnanthi, capil. ven. melissæ, rad. apii in iure decocta fuere, & vrina apparente turbida, mox leni adhibito fumigio sub vestibus ex pilulis dictis: ℞ *bdellii, myrrhæ, galliæ moschatæ, ana ℈ j. trochisc. de myrrha ʒ j. fiant pilulæ cum melle ros.* & vna supra prunas iniecta fumus recipiatur per vuluam, cauendo tamen ne nares attingat, menses fluxere.

Sanguinis retentio.

Si vero nimia purgatio subsequatur, & vires deficiant, leniter constringatur cum iis, quæ de nimio profluuio mensium diximus. Sic istis diebus noctu vocatus sum ad puerperam, quæ ex nimia & continua purgatione inciderat in syncopen: frictione digitorum ac manuum reuocata, factis etiam ligaturis membrorum superiorum, ex hoc condito, meo iussu, sæpe capiebat: ℞ *conser. ros. antiq. ʒ j. diacydon. sine spec. ʒ ß. fragment. lapid. pretios. ℈ ij. manus Christi cum perlis ʒ ß. cornu cerui vsti ℈ ij. trochis. de carabe ʒ j. syr. de ribes, cydonior. menthacei, ana q. s. fiat conditum.* At altera quæ post abortum nimio sanguinis fluxu laborabat, sumsit commode has pilulas: ℞ *pilul. de bdellio, trochisc. de terra sigillat. de carabe, ana ℈ j. cum syr. myrt. fiant pil. dentur mane.* Sed & istis diebus vng. comitissæ cerati instar super ventrem inferiorem positum profuit. Reliqua vide loco de iis, quæ menstrua superflua constringant; quæ non opus est vt repetamus.

Superflua purgatio. 4

Ita quoque si febres eas apprehenderint, subtilia regimen, & aquam hordei in potu dato; deinde reliqua secundum exigentium febris administra. Sed quia de his copiose diximus *in libris nostrarum Obser. De febribus*, eosdem consulito.

Puerpera si febricitent.

Si contingant post partum vlcera, de his quoq; prius dictum est. Volunt interea vt ex ros. axungia recenti & albumine oui fiant pessi. Si vulneretur vterus, vel vuluæ accedat ruptura, quidam vulneri adhibent pessos ex succo arnoglossæ, succo portulacæ, & oui albumine; vlceri vero ex cera, oleo ros. spuma argenti, ac cerusa, & alumine vng. conficiunt. Ad rupturam Erotis pul. rad. consolidæ maioris inspergit. Vide apud eundem, quid sit faciendum, si rupturæ fiant in ano & vulua.

Ad vlcera & vulnera.

Ad dolores.

Ad dolores vteri, *vt præcedente Scholio & Obseru. 81. etiam ex parte diximus*, cataplasmata anodyna vnctionesque, & alia remedia mitigatoria administranda. 5 Aliqui exhibent trypheram opiatam in potu. Vbi dolor immitissimus est, hoc electuario vtitur Guainerius: ℞ *piper. longi sem. hyoscyami albi, ana ʒ x. opii thebaici, croci, ana ʒ v. pyrethri, castorii ana ʒ j. ammeos, baccarum lauri, cumini, folior. rutæ, siccor. calamenthæ ana ʒ iij. margaritar. hyacinthi, ana ʒ j. moschi fini ℈ ß. cum melle despumato q. s. fiat electuar.* Eo non vtendum nisi ad minus sex menses præterierint ipsius præparationis. Datur autem a ʒ ß. vsque ad ʒ j. cum vino calido, decoct. artemisiæ. Quamuis tamen istud statim dolorem sedat, non est vtendum eo nisi magna cautione, si reliqua nō iuuerint: cum alia habeamus anodyna. His alii addunt contra rugas in ventre post partum remanentes: axungia enim caponis inungunt ventrem.

Contra rugas ventris post partum.

Si post partum difficilem vteri prolapsus fiat, curetur, vt prius dictum est. Si mammillæ doleant ex lacte, Erotis apponit argillam cum aceto, mammilla prius aqua calida fota. Alii mammillis dolentibus apponunt panem in melicrato infusum cum oleo dulci contritum. Si lac ad mammillas confluat cum tensione grauedine, dolore & feruore, ex Mosch. primo impone spongias molles cum posca, vel panem in posca infusum cum palmulis tritis. Et si lac stringere velis apponatur pulicaria seu psyllium, vel coriandrum viride: si adsit feruor, relaxentur cum oleo & aqua calida. Si lactare non velit, lac stringitur pyrite lapide trito cum cerato. Vide ea, quæ scripsimus *Obs. 18. lib. 17. de lactis exsiccatione.* At vua passa trita lac euocat. De defectu lactis diximus *Obs. 14. & 16. lib. 17.* Vide in eodem libro de aliis affectib. mammillarum; & de fissuris papillarum in eodem libro sub finem; & quæ Aetius *lib. 16. cap. 35. ad caput 50. De mammillarum affectibus* scripserit. Vide & de lacte grumoso vel vitiato.

Mammillæ si afficiantur post partum.

6 Addemus autem quædam, antequam hunc librum finiamus, de regimine infantis, & de regimine nutricis, ex diuersis auctoribus. Eo, quod Medici de his rebus aliquando consulantur, vt ita tyrones etiam ea ad manus habeant.

DE REGIMINE INFANTIS.

7 *AVres infantis* (inquit Erotis) *premendæ sunt statim: & hoc multoties est faciendum. Postea obseruandum ne lac subintret, aut nares cum ablactatur. Et ligetur vmbilicus tribus digitis a ventre mensuratis. Quia secundum retentionem vmbilici, erit virga virilis maior vel minor. Vt vero rectius loquatur, vnge palatum cum melle. & nares cum aqua calida; & factis vnctionibus, semper mundificetur, & mucilagines semper emungantur & emundentur. Puer præterea sæpe est fricandus; & qualibet eius membra in vnaquaque parte fascia sunt retinenda, & iungenda: & restricta siccanda sunt eius membra; caput videlicet, frons, nares, venter, & renes temperentur, ne multa ex eis exeat vnctuositas vel humiditas. Quod si aliquid istorum appareat, diutius a solita fasciatione cogatur abstinere, & diutius dormiat. Postea vero in aqua calida balneatur, & ad suam consuetudinem reducatur: & si opus sit de medicinis sopori-*

Erotis de regimine infantis cap. 18.

soporiferis, parum detur, vt dormiat: (non tamen opium, vt nostræ mulierculæ pessime faciunt.) Cutis eius æqualiter est mouenda: quod etiam consueuit fieri post mammillarum susceptionem. In principio natiuitatis, oculi cooperiendi sunt, & summopere cauendum ne sit in loco lucido. Ante ipsum sint diuersæ [illegible]ræ, panni diuersi coloris, margaritæ. Coram eo [illegible]lenis & facilibus vtendum vocibus, nec asperis vocibus canendum: & rauci soni vitandi, sicut bombard[illegible]. Postquam hora loquendi appropinquarit, nutrix eius linguam frequenter cum melle & butyro vngat. Et hoc maxime faciendum est, cum loquela tardatur. Coram eo frequenter est loquendum & facilia verba proferenda. Cum vero tempus natiuitatis dentium venerit, gingiuæ singulis diebus cum butyro & axungia gallinæ sæpe fricandæ sunt, & aqua hordei liniendæ; gula & spondylia inungenda. Quod si venter eius laxabitur, superponatur emplastrum quod fit ex cumino & aceto: & admisceatur saccharum, gummi Arabic. bol. Armen. & similia. Cum tempus aduenerit, in quo comedere incipiet, danda sunt infanti magdaleones ad modum glandis facti de saccharo ac lacte, & similia, quæ possit in manu tenere, & cum eis ludere, & de eis sugere, & aliquid transglutire. Caro quæ est in pectore gallinarum & phasianorum, est ei tribuenda. Et postquam bene capere cœperit, mammillarum substantiam mature incipiens, eas in nocte sugere permittas. Ita & in die ordinate ducendus est, bene obseruando ne tempore calido a lacte remoueatur. Si vnum membrum pueri sit maius alio, ad bonam habitudinem sic potest reduci, si talis dispositio fuerit recens, quia inueterata nullo modo reducitur. Fomentetur ergo primo cum decocto brancæ vrsinæ, radic. althææ, foliorum apii, petroselini & marathri, diutius bulliendo in aqua, & membrum patientis ponatur super vas, & cooperiatur panno lineo vt sudet. Postea chamæmelum & althæa incoquantur. Et in illa viscositate malaxetur cera, & totum membrum inde cooperiatur. Postea ligetur fascia linea stricte, & ita membrum patientis sudet per noctem vnam: mane vero fricetur, vt spiritus excitentur, & fluant ad locum dolorosum. Quo facto, fricetur statim cum dialthæa ita composita, vt sint duæ partes dialthææ, & tertia de oleo laurino: commisceantur, & vngatur membrum prædicto modo ter vel quater in die. Tunc quoque accipe diacerasceos, ceroneum oxycroceum, & ad inuicem puluerisentur. Deinde decoquantur althæa, & puluis ille malaxetur cum illa viscositate, quousque bene adhæreat: & membrum totum patientis cooperiatur, & fascia ligetur. Et sic fomentando, & emplastra ponendo, poterit alleuiari. Quibus factis, iniungatur requies & otium, & vtatur calida & humida diæta, optimo vino, & mediocriter rubeo, quod bibat quousque curetur. Insuper & balneo aquæ dulcis vtatur. Hactenus Erotis. Moschio autem hæc dat: Ex quibus probabis infantem aptum esse ad nutriendum? Ex hoc videlicet, quod illa, quæ illum in vtero habuerit, omnibus mensibus sana fuerit. Vitali etiam mense si sit sanus natus ipse paruulus. Si omnibus partibus fuerit integer, omnes poros patentes habeat, vocemque solidam statim vt cadit, emittat. Hæc omnia integre sanitatis sunt testimonia, & pleno tempore natum infantem ostendunt. Quoties in die lauandus infans est? Semel. Necessitate vero aliqua occurrente, bis: frequens vero lauacrum flaccidum corpus facit (liber Matricis habet, capiti eius nocet.) In quali loco lauandus? In obscuro, & temperate calido. Quibus rebus infantis superficiem lauari oportet aut aspergi? Antiqui vino cum aqua salsa abluebant. Alii vero lotium pueri & puluerem gallarum vel myrta aspergebant. Nos autem salem tritum & aphronitrum aspergimus: prædicta enim res odore suo infantem feriunt, nec tutum est infantem nimium astringi: inde enim deterius habet. Si vero multum mollis est infans, admixto sale (alias, melle) vel oleo, vel succo fœnugræc. asperge, aut line per corpus, ita vt neque oculis, neque ori ex his aliquid incidat. Deinde cum siccatur corpus, aqua frigida eum abluere, & aqua calida ipsum lauare debes. Digitis vero in naribus, vel ore immissis, omnia purgare, & oleum oculis infantis infundere. Deinde minimum digitum in ano infantis immissum, meconium (in Græco [illegible]) tollat, & vmbilicum lana ligatum immediate sui præcidere, & linteolo oleo intincto contegere. Propter quam caussam oculi infantium oleo irrigantur? vt tunicæ quibus constant, emolliantur, extergantur, vt integrum visum habere possint. Quare iubentur matres post lauacrum infantum auriculas & nares exsiccare? Ne remanente ibi humore, graciles aurium pori, perfrigescant, & male accipiantur. Quomodo oportet infantes vngere? Primo ad dentes positos, deinde etiam supinos femoribus suis ante supposito linteolo, ita vt aliquando singulatim manus iungat. Aliquando vtrasque iungat, & extendere etiam iuuat. Similiter etiam pedes, singulasque corporis partes formare: & quæ concaua esse debent, premantur: quæ vero gracilia, constringantur; & quæ exstantia, adducantur. Oculorum etiam ipsorum folliculos frequenter fricare, caput vero diligenter rotundum facere, patellas etiam in genibus mouere, deinde omne corpus extendere & remittere, & vniuersas partes suis officiis commemorare. Quomodo fasciandus est infans post lauacrum? (in margine annotatum erat: Forte: Quomodo disponendum est lauacrum?) Sedere debet nutrix, & genubus iunctis femoribus suis, in linteolo infantem accipere, & sublatis fasciis oleo tepido vngere: & in pelui grandi aqua calida limpida, & sine odore missa temperata. Deinde manum sinistram sub axillam infantis sinistram tenere, ita vt pectus supra cubitum iaceat. Deinde in aquam positum leniter fomentare. Primo dorsum, deinde supinum conuersum, & partes ipsas fouere, ita vt omnes sordes, quæ in collo sunt, & concaua loca, sicuti sunt axillæ & inguina diligenter extergantur. Immissoque digito intra os, salivas omnes tollere, & leniter gingiuas & linguam confricare. Deinde leni manu supra pectinem premere, vt vrinæ officium commemoret. Sed cum viderit corpus eius aliquantulum calefactum, sufficienter obtersisse, lauare, & in tepida aqua deponere, vt ad vsum frigidæ assuescere possit infans. Quomodo oportet infantem fasciare? Superposita femoribus eius fascia munda, & lata sufficienterque longa e lana, vt singulas per partes voluere va-

Harmon. gynæcior. par. prior. cap. 20. & seqq. de infante, & quomodo tractandus.

leat, ita vt omnia loca, quæ sunt gracilia, constringantur, & ante laxius circumcingantur. Deinde coniunctis genibus, & talis lana interponatur, ne ita coniunctis aliquid de membranulis cassetur. Caput pannis aut lanis mundis contegatur. Vbi oportet & quomodo infantem iacere? *In locis mediocriter calidis, ita vt nihil oleat, & nec valde sit lucidus locus, stratumque eius sit concauum, nec valde molle, ne multum iacendo, spina infantis aut collum contorqueat. In mediocri mollitie collocatum etiam caput infantis iacere debet.* Quanto tempore fasciandus est infans? *Apud quosdam diebus quadraginta: apud alios sexaginta. Apud nos quamdiu integro sui corporis infans coaguletur & solidetur: quod si citius soluatur, euenire ei solent languores, dum sano corpore sunt nati. Tardius vero solui debet, qui imbecillis est. Semel omnis fascia, & non delapses soluimus, sed per partes paulatim. Si vero semel soluerimus eos, & corpus mundauerimus, nouitate ipsa percutitur, & male accipitur.* Post quot dies vmbilicus infantis cadere solet? *post tres vel quatuor. Vulnusque quod remanet, plumbi puluere bene curetur.* Quomodo concauitates vmbilici formantur? *Frustum plumbi ad similitudinem denarii factum apponimus, quod possit pondere suo concauum facere.* Quando oportet infantem cibum accipere primum? *Cum post omnem commotionem* (alias, commutationem) *quietus fuerit effectus; hoc est, post nonam* (alias, octauam) *vel 10. horam, talem cibum primum accipiat, qui stomachum & ventrem purgare possit, & eum nutrire, sicut est mel modice decoctum.* Si enim crudum fuerit, & austerum est, & inflat: si vero paulo plus fuerit coctum, constringit. Quomodo mel ei dandum est? *Nutrix debet os eius illinire, & mulsam tepidam instillare, & sic secunda die lac offerre.* Cuius lac accipere debet infans? *Maternum lac dare oportet: aut extraneum, non maternum, siquidem adhuc ex labore partus & turbatione, & purgatione, lac eius malum est crassum* (alias, pingue) *& indigestibile.* Quod vero lac bonum? *Bonum lac est mediocriter candidum, nec subliuidum, nec gypso simile, nec subacidum, sed moderate coagulatum & stillatim in vngue leniter dilatetur, nec se cito diffundat. Reliquæ autem differentia malum lac ostendunt.* Maternone lacte nutriendus est infans, aut nutricis? *Amabilius quidem potest a matre nutriri; verum matrona vt post partum sana esse possit, melius a nutrice potest nutriri. Vnum enim lac maturum sufficienter duobus infantibus ministratur.* Post quod spatium lauacri ad mammillam applicandi sunt? *Post modicum, donec omnis turbo lauacri digeratur: quicquid enim prius accipitur, corrumpitur & non nutrit. Nam & ipsa nutrix si non digesserit balneum, & exsiccatis antea mammis infantem applicet, male habebit infans.* Quomodo lactari debet? *Manibus acceptum infantem aliquantulum in latus ponere, & ad vtrasque mammillas conuertere, vt modo dextram manum infans, modo sinistram liberam habeat, & de ambabus mammis accipiat. Deinde ori eius appositam papillam teneat, & quasi latenter lac exprimat, ne cum labore infans didam sugere incipiat.* Quoties in die infans lactari debet? *Frequenter in die lactandus est, modo ex sinistra, modo ex dextra mammilla; quoniam semel, quod ei sufficiat, accipere non potest. Lassatur enim diutius lactando, aut de bono lacte cito satiatur. Non ergo determinandus est modus, sed cum visus fuerit velle, oportet eum accipere. Ita tamen vt ante lauacrum, nec in lauacro vnquam accipiat didam, ne lædatur corpus* (alias, cor) *eius. Qui enim ante lauacrum, vel in lauacro lactantur, scias eos variis & multis languoribus detineri.* Quibus signis intelligere possumus, infantem debere cibum accipere? *Eo quod præcordia eius concaua sunt, vel etiam tantum tempus transiuit, vt cibum accipere debeat, os etiam aperiat, & labia frequentius moueat, & cum in lacte intinctum digitum labiis eorum applicuerimus, sugant cum quodam ploratu.* Quomodo vero apprehendimus, an propter cibum ploret, an non? *Fasciam principaliter inspiciamus, ne stricta sit, ne iacens pedem aut manum contorserit, aut aliqua re puncturam senserit, aut de abundantia cibi, aut lactis ploret, inspice: & ne a plurimis coopertoriis grauatus; aut ne paruitate eorum perfrixerit, aut nimio sole æstuauerit. Si vero aliqua re punctus est, subito plorare incipit. Si coopertoria plurima vel parua, id visu probatur & tactu: aut enim frigidus esse debet, aut multum calidus. Si autem abundantia lactis vel cibi premitur, huc atque illuc se proiicit, & plena præcordia habet. Si æstuauerit, cum anhelitu rubet: si vero aliqua caussa inæqualitatis est, & ille languet, & lac accipere non vult, & macrior effectus est. Ex prædictis signis omnes ploratus eius separari possunt.* Quomodo infantem a lacte deducere debemus? *Post annum & sex menses, aut suppleto biennio, dentibus iam abundantibus & firmis, quod possint non tantum cibum diuidere, sed etiam diligenter eum manducare.* Quem cibum primum infanti dare debemus? *Panosum, hoc est, micas in mulsa vel in condito, vel in lacte infusas, vel succum alicæ, vel pultes.* Deinde bibere? quid ei dabimus? *Aliquando aquam, aliquando vinum, aliquantisper per vasculum vitreum ad imaginem papillæ formatum & pertusum, quod rusticitas. + Vtula appellat.* (Nostris datur ceruisiola tenuis, & recte.) *Ante paucos vero dies, paulatim cibum offerre conuenit, & raro ad didas applicare, & nouissime ex toto lac negare, & quæ amara sunt mammillis illinire.* Quando gestandus est? *Ante cibum gestandus est: nunquam statim post, vt non quod accepit rumpatur aut reiiciatur.* Quæ sunt exercitia, quæ facere possunt infantes? *In primis ad pilam ludunt, vt altius manus extendant.* Hæc exercitia vtilia sunt infantibus. Addit hæc Bonaciolus lib. 1. Mulieb. cap. 8. quomodo infans recens natus sit tractandus. *Recrementum* (quod papauerculum vocitant) *plus quam pro partus magnitudine, colore cruentum atque admodum atrum piceumve deiicit: quamobrem quia valde tenellus est, muria pauci salis, cui admista sint, coctus, sumach, fœnugræc. origanum, eundem præter os & nasum, circumlinire diligentiores iussere. Demum lauatrix manu dextra, læuo brachio eius pectori adacto, eum prehendat, tepida aqua æstate, hyeme calida, meratiore generosove temeto, ouorumque vitello binis adiectis,*

Margin notes: 17 · 8 · 9 · 10 · 11 · + -φυλίδα τὸ τατζαρίον. · *Quomodo tractandus nuper natus infans, ex Bonaciolo.*

adiectis, a proluuie quacunque nares digitis, vnguibus excisis, perpurgando, anum minimo digito adaperiendo, exquisite pelluat. Quod plerumque bis aut ter in die (æstu potissimum) *facere conducit atque expedit. Deinceps vero lauigato linteolo madidum infantem desiccet; singulaque membra leuibus pressuris efformet, ac excultius effigiet. Vesicam, vt lotii egressus facilior sit, deprimat: leuibus pannis extensus, brachiis ad costas porrectis, obuoluatur: institisque capitio capite operto, peruinciatur. In ipsius nares oleum coniiciatur. Denique capite eleuato super latus, quo melius pituitosa materia ex capite expurgetur, cunabulo suauiter semicirculari motu quasso, succentante quapiam, obdormiat: mellis per diem* (primum scilicet) *suctu contentus, nec nisi flenti propinetur. Demum vsque quo parentis temperatura pristina naturæ restituatur, eundem nutrix interdiu bis aut ter lactet. Tantisper enim puerperæ lac in pumicis modum coit, quod colostrum appellatur, ac propterea infantes qui hoc lactauerint, colostrati: sed iis nutricis potius lac exhibere conuenit, quando matris exitiosum sit. Maternum tamen præferatur si bonum sit; vt mox de nutrice dicturi sumus. At cum vmbilici exesa vellere pars ceciderit,* (quod post tres aut quatuor dies iugiter accidit) *cochlearum cinis vtiliter imponitur.* Paulus vero Ægineta lib. 1. cap. 5. hæc de educatione pueri paucis scribit: *Primum infans recens natus melle nutriri debet; mox lacte: idque bis in die, aut plurimum ter. Cum autem prompte & alacriter puer assumit, ac spes est, eum posse quod oblatum est concoquere, tunc & cibus solidior recte datur, qui non ipsum repleat. At si forte imprudentibus nobis puer repletus fuerit, somniculosior autem statim & torpidus magis euadat, venter intumescat infleturque, & vrinæ aquosiores reddantur, quæ repletionis notæ sunt, nihil exhibere oportet, donec cibos prius ingestos consumserit. Abunde autem fuerit duobus annis lacte puerum enutrire, inde ad cibos solidiores transgredi. Conuulsione plerique ac præcipue corpulentissimi* (vt de morbis pauca adiiciamus) *habitissimique, & lacte copiosiore crassioreque vescentes, atque astrictas aluos habentes* (quippe qui satietate vexentur, & recrementis squalescant) *ac potissimum plenilunio, corripi assolent. Quo morbo omnes ferme ante septimum solem pereunt: ob id die septimo* (iis superstitibus) *tanquam eorum saluti magis credamus, nomina imponuntur. Proinde iecur asini, panace modica admixta, in os instillatum a comitialibus morbis & aliis, quadraginta iugiter diebus factitatum, puerperia tuetur. Cerebrum capræ per annulum aureum traiectum, priusquam lac detur infantibus, contra comitiales ceterosque infantium morbos instillatur.* Ceterum præcox illis risus atque celerrimus, lacrymave ante quadragesimum solem maxima ex parte haudquaquam conceduntur; quanquam die eodem quo satus esset, Zoroastrem vnum risisse lectitauimus: sicuti & Crassum, Crassi in Parthis interemti auum (ob idque Agelastum appellatum) nunquam risisse ferunt, quomodo & plurimos nunquam flesse: alios quoque multos, quod rarum fit, maximæ sapientiæ auctores, veluti Socratem, Diogenem Cynicum, Heraclitum, eodem semper vultu, nec aut hilari magis aut turbato (*quales [illegible] Græci nominant*) exstitisse. Qui sane animi tenor in rigorem quendam, naturæque duram atque inflexibilem toruitatem summopere exit, humanos etiamnum affectus proculdubio adimit. At quoquo modo res se habeat, si ante quadragesimum diem risus eruperit, ominosum id atque timoris plenum vulgo iudicatur. Cuius temporis partem plurimum obdormiunt. Etenim homini animalium vni per aliquot menses somno confestim genito premi sopiriq; datum est. Subinde iam longior indies insomnia. Somniare etiamnum eos cominus compertum est. Nam & pauore expergiscuntur, & suctum imitantur. Plerosque vero nunquam: quibus exitiale contra somniorum assuetudinem indicium fuisse, multorum exemplis veteres inuenere. Insuper recens natis vertex adeo mollis est, vt cerebrum palpitare perpendatur; qui sane serius duratur. Quinimo Zoroastri ita palpitasse, vt impositam manum valentissime repelleret, futuræ scientiæ præsagio constat. Pueris primores 7. mense dentes gignuntur: priusque his superiores, illis inferiores; at omnibus fere prius parte supera haud dubium est. Ex quibus qui primus ceciderit, vt terram non attingat, in armillam inclusus, in brachioque assidue habitus, muliebrium locorum dolores efficacissime prohibet 7. eosdem anno decidere, ac alios suffici, dilucet. Quosdam & cum dentibus (*tametsi rarenter*) nasci, sicut Marcum Curtium (*qui ob id Dentatus cognominatus est*) & Cn. Papirium Carbonem, præclaros viros, inclaret. Id quidem in viris mali fuisse auspicii, antiquitas negauit. At in mulieribus ea res infausti ominis atq; inauspicati exempli Regum temporibus exstitit, quando Valeriam, ita natam, ciuitati Sessapiæ, ea tempestate florentissimæ, in quam deportata fuit, aruspicum responso vaticinante, veridico exitio fuisse, dignissimi auctores scriptitauerunt. Aliqui etiamnum dentium vice osse continuo superna oris parte gignuntur; sicuti Prusiæ regis Bithynorum filium fuisse tradunt. Sed ex dentib. quaterni primi [illegible] a Græcis nominantur, ii exinde quatuor caninis dentibus ex omni parte cinguntur. Vltra quos vtrinq; fere maxillares seu molares quaterni sunt; præterquam in iis, in quib. tres vltimi, qui sero gigni solent, nō increuerunt: horū vtrinq; bini caninis proximiores, columellares vocitātur. Quare viceni omnes erunt. Ex quibus primores singulis radicibus, maxillares vtriq; geminis, quidam etiamnum ternis quaternisve nituntur. Atq; ex radice eadem in pueris nouus (altero deciso) dens subit, qui multo sæpius priorē expellit. Interdum vero, aut supra aut infra eum sese ostendit. Sed non desunt, quibus tricenos binos viris dentes attribuere, feminis numerum minorem (*excepta turdulorum gente*) placuerit. Quibus non plures fuere, longioris vitæ promitti spatia putant. Paulus ad dentium ortu inquit: *Dentiunt 7. mense pueri, quando inflammationes gingiuarum, maxillarum, & tendinum, aliquando conuulsiones etiam, eueniunt.*

Margin notes: 12 — *Educatio pueri ex Paulo.* — 13 — *Bonaciolus [illegible] terum.* — 14 — 15 — *Ex Paulo lib. 1. cap 9 de dentium ortu.*

probam corporis educationem plurimum adfert momenti. Duodecimum annum egressi, ad grammaticos, & geometras mittendi sunt; corpusque eorum exercere oportet. A quarto decimo, vsque ad primum & vigesimum, mathematicis disciplinis, & sapientiæ studio incumbent: exercitiis pluribus propter corporis robur credentur; vt & animo & corpore laborantes, a libidinis impetu coerceantur. Hic etiam vinum circumcidendum est. Ætate florentibus educatio absoluta tum animi tum corporis congruit, eoque exercitiis omnibus, præsertim quibusquisque assueuit vtendum, cibo item pleniore & valentiore. Declinantibus autem moderata competit animi & corporis educatio. Exercitia enim qualiacunque fuerint, pro horum ratione imminuere oportet: alimento detrahendum, vt quorum habitus iam frigescere incipiat. Sed hæc de regimine infantis, & etiam puerorum affectibus ac morbis, dicta sufficiunt; cum & de iis passim in nostris Obseruationibus dixerimus. Quod si quis pleniorem de puerorum morbis & symptomatis, tum dignoscendis, tum curandis doctrinam desideret, his adiungere poterit libellum illum Sebastiani Austrii Rubeaquensis, De puerorum morbis. Nunc de nutrice tam ex veteribus, quam Neotericis pauca adiiciamus.

24.

DE NVTRICE, VEL REGIMINE NVTRICIS.

1 De nutrice, ex Mosch. cap. 18. in parte 2 Harmon. gynæciorum.

QVænam sit ad nutriendū apta, docet Mosch. nempe: *Adolescentia, quæ pulcro etiam sui corporis sit colore, & iam bis pepererit, & pectus latum habeat; ipsasque mammas, neque nimium laxas, & rugosas, neque interim valde densas papillas, neque multum graciles, neque valde breues, & quæ non multas cauernas habet: neque iterum parua & breuis, animosa, & quæ cum integro affectu puerum amare possit, & quæ nunquam irascatur, si fieri potest, grata & munda sit.* Eodem modo & Paulus. *Deligi nutrix debet nulli morbo obnoxia, ætate mediocris, ita vt iunior quinque & viginti annos compleuerit, grandior quinque & triginta non excedat: pectore sit amplo, magnis mammis, papillisque, neque conniuentibus, neque auersis: reliquo corpore nec admodum obeso, nec nimium gracili.* Præterea magnum est infanti commodum, si nutrix non multum ante pepererit, magisque si masculum. Ita quoque Erotis: *Iuuenem oportet esse nutricem, clarum colorem cum albedine & rubore permixtum habentem, quæ non sit partui vicina, neque multum a partu remota. Non sit maculosa: neque infirmas, neque nimis grossas habeat mamillas: pectus grossum & amplum: pinguis sit mediocriter.* Vitanda ei sunt (inquit Paulus loco citato) *admodum siccantia, salsa, acria, acerba, & valide calfacientia. Item odores tum fœdi tum suaues præter modum, condimenta aliaque acria nocent. Ad hæc Venere nutrix abstineat: manus humerosque molendo texendoque exerceat: puerum vlnis gestet, vbi tres iam menses quatuorue excesserit.* Ita quoque Erotis: *Non comedat salsa, nec acuta, nec stiptica, nec porros aut cœpas, neque ceteras species, quæ admiscentur cibariis pro sapore, vt piper, allium, erucam: & præcipue vitet allium, solicitudinem, ac sibi a menstruorum prouocatione caueat.* Qua vita agenda est nutrix? *Communiter sicut omnes homines, vt sana esse possit. Exerceri ergo debet lauacro, vel perunctione corpus reficere, cibumque sufficienter sumere, semperque ebriositatem & indigestionem vitare.* Quæ sunt exercitia, quæ manibus nutricis fieri possunt? *Exercere se debet nutrix in aliquo opere, præsertim partibus supernis, vt lac plurimum & digestum habere valeat: &, si fieri potest, ad virum suum non accedat, ne per vsum Venereum purgatio se commoueat; qua superueniente, copiositas lactis exterminetur aut exstinguatur. Primis vero diebus, quibus lactare incipit, simplicem cibum ac leuem accipiat, & aquam bibat, ne solidum lac mox natis infantibus cum difficultate per angustos gutturis meatus descendat. Et cum paruuli, accedentibus diebus & mensibus, solidantur, & fortiores fiunt, iam etiam solidiorem & fortiorem cibum capere nutrix incipiat. Postea vero vinum sic vt & conditum subiungat.* Et si ita per ordinem actum fuerit, vt docuimus, infans sine læsione & sine indignatione saluus custodiri potest. Nam si nutrix ebrietati deseruiat, infans infirmabitur. Infans namque separatus a matre, non præualet, hæc & his similia sustinere. Sicut enim ramusculi, dum adhuc in eadem arbore consistunt, vnde nati sunt, sustinent tempestates & ventos; separati vero ab arbore, inserti in alia, non præualent sustinere, quousque radicem infigant. At laudatissimum lac est, moderatum spissitudine, copia, colore, odore, & gustu. Commendatur & quod in vnguem pollicis instillatum, eo inclinato ad lucem, neq; subito neq; tarde videtur defluere. Iam vero in hunc modum probari potest: infuso lacti in vas vitreum, coaguli exiguum admiscetur, digitisq; agitatur: in quo, postquam concreuerit, inspicietur, num casei portior minor quam serum fuerit. Hoc enim lac inutile est: contrarium huic, concoctu contumax: probatissimum, quod vtraq; habet mediocria. Et sic lac minuatur (inquit Erotis) pultes de farina fabarum, & similiter risi & de pane similæ, cum lacte & zacchar. factæ, dentur ei ad sorbendum: quibus augmẽtetur lac: in quarum decoctione parum de semine fœniculi admisceatur. Si autem lac eius fuerit grossum, nutrimentum ipsius subtiliandum erit; & ita etiam cogatur laborare. Cui insuper dandus est syrupus acetosus, & vinum subtile. Si vero lac eius fuerit subtile, nutrimenta sint grossa & fortia, & somnis vtatur longioribus. Quod si venter pueri solutus sit, dentur nutrici, quæ constipant. Quomodo lac vitiatum corrigatur, docet etiam Paulus lib. 1. cap. 4. his verbis: Lac vitiatum corrigi debet. Si crassius fuerit, pituita vomitu elicietur, qui optime oxymelite epoto citatur: laboribus cibū præcedentibus eadem extenuabitur. Tunc nimirum in cibo cōducunt, origanum, hyssopum, satureia, scandyx, & thymus, item radicula exigua, vetusq; salsamentum cum oxymelite. At si acrius, tenuiusque lac euaserit, multis quidem laboribus nutricem leuare, sorbitionibus autem & carnibus suillis, sæpeq; & vini dulcis potu reficere conuenit. Si lac fuerit

Paulus lib. 1. c. 2. De nutrice.

Erotis de pass. mul. cap. 19 de electione nutricis.

Vitanda nutrici ex Paulo.

Ex Erote.

2 Ex Harmonia gynæciorum.

3 Paulus lib. 1. cap. 3 de lacte nutricis.

Erotis.

Quomodo lac vitiatum corrigatur, ex Paulo.

4


lac fuerit imminutum, sorbitionibus & pleniori modo sustentanda est, vinum dulce potui dabitur: pectus & mammillas perfricare oportet. Quibusdam cucurbitula quoque defixa abunde præstitit. Medicamenta vero etsi lacti generando proficere quidem aliquid sciam; non tamen frequenter ipsis vti præceperim, vt quæ violentius consumant. Est autem fœniculi radix, & sem. ptisanæ incocta; item cytisi folia ex vino nigro aut ptisana: melanthion dulce & anethum, pastinacæ radix atque semen. Quæ calida prius irrorata, admouenda sunt. Omne vero lac vitiosum, siue crassum, siue acre fuerit, & fœtidum, puerum, qui prius suxerit, eadem qualitate inficit. Lac autem acre nunquam ieiuno exhiberi debet; fœtorem eius vinum odoratum & cibi dulces emendare possunt. De caseato lacte ipse *3. lib. cap. de mammillis* idem tractat. Quid est faciendum, si nutricis lac fuerit exterminatum? *Si hoc contigerit alteram mammillas accipiat: vel si non sit alia, illi, cuius lac exterminatum sit, competenti diligentia prouocandum est, & si lapsum est, cibis & potionibus competentibus confortetur.* Secundum auctoritatem etiam antiquorum, vbera omnium pecorum manducata. sicut vespertilionum etiam combustorum cineres, & noctuæ cum vino bibere dabant, vel cum aqua soluta mammis illinebant. Quæ nos omnia reprobamus: importunitas enim hæc stomachum exterminat, & cibum corrumpit. Illis vero, quæ plusquam debent lac habent, & fortioribus exercitiis & laboribus, & stypticis rebus minuatur. Si vero spissum est, accipiat cibum digestibilem, & qui modice nutrice possit, neque siccus sit; aquam bibat; & quotidiano lauacro vtatur. Nam & nutrici cibos salsos accipere non permittimus, quoniam paruulum corrumpunt, & lac & vires infantis minuunt. Nutrix vero cibos bonos & succos, qui facile digeruntur accipiat. Potiones, quæ stomachum custodire valeant, & lac augere, bibat. Illam vero, quæ aquosum lac habet, rarius oportet lauare; & vinum bibat, & cibum accipiat solidum, sicq; & sunt pultes duræ, oua elixa, frixa; & porcina caprinaue carne vtatur. A somno expergefactam, quid facere oportet nutricem? Deambulare modice, mammas fricare, vt lac, quod somnus constrinxit, soluatur; & sic infans applicetur. Subinde (*vti diximus antea De regimine infantis*) maternum lac potius sugat: quippe quod alimoniæ, qua, dum in vtero infans erat, alebatur, perquam simile exsistat: muliebria naraque in vbera delatæ concoctione lactescunt, & ob id, eidem vel maxime conueniens: quod etiamnum quotidiano experiméto compertum est, propterea, quod maternis mammillis puerperii oriadmotis, alliciatur, ac denique quæque eidem officerent, arceantur. Etenim a partu purgationibusq; lactis copia excitatur; adeo vt plerisque non modo de papillis, sed & passim per vbera, aliquibus etiam per alas, effluat: in posterum quoque quoties nec concoquatur, neque exeat, sed redundet supra modum succus, globuli obdurescunt, intumescuntque. Quas murinum fimum aqua pluuia dilutum, reficit. Easdem a partu adeps anseris cum rosaceo & araneo, custodit. Mammis puerperio vexatis, otidum adipem vtilem esse inuentum est. Anserino adipe mammis perunctis, dolores mulceri existimant. At vbi lactis putrescentis vbertate atque affluentia mammillæ rubore suffusæ obduruerint, inflammenturque, quod die tertio omnibus maxima ex parte obuenit; muricum vel purpuræ testarum cinis cum melle, efficaciter sanat. Atque aduersum eas, quæ eam fortunam inciderint, plerique Medici se Medicos non inueniunt. *Ego* (inquit Bonaciolus) *certe scio* (pace ac venia dicere liceat) *raro quampiam, quæ se illis credidisset, hinc pesti ereptam.* Verum ita nos eius curationem iis, quæ infra præscripta sunt, intra quartum diem expediuimus: *Abrotani, menthæ, apii ana m. j. psillii, acaciæ, gallarum ana ℥ j. cumini ℥ ß. radic. althææ m. ij. castorii ℥ ß. seminis lini ℥ iij. radic. brassicæ, rubræ vstarum ℥ xiij. cancrorum fluuiatilium exustorum totidem: Hæc cum in aqua menthæ, quod sufficit, subferbuerint, donec pars tertia decesserit, mamma sæpius foueantur.* Mox a fomento emplastro tali illinantur: *Acaciæ ℥ iij. cyclaminis ℥ j. mucilaginis, seminis lini, psillii ana ℥ j. ex succo apii quod sufficit, emplastrum molle confice.* Subinde, tempore procedente, sandaracha, myrrhaque adiiciendæ sunt, sandaracha præponderante: quæ, si mammas obdurent, fotu florum maluarum, ac radicum althææ, ex aqua fontium ad tertias decoctarum, præstanter succurritur. Hercules, a partu ob dictas caussas duritiam iis accidere, in confesso est. Quandoquidem vbera tota fungosa exstent: adeo vt si casu aliquo pilum mulier poculo hauserit, dolor in mammis (quod malum pilare vocitant) nimirum moueatur: neque aptius sedatur, donec vel sponte vel mulctra pressus pilus egrediatur. Cancri etiamnum fluuiatiles illiti, vel marini, pilos in mamma, vel muricum carnes appositæ tollunt. Sed quoniam natura non ita fert, vt succus idem pluribus vna locis erumpere possit, hinc quam diu e mammis lac emanauerit, magna ex parte menstruæ purgationes astringuntur; assidue dixerim, haud perpetuo, quando & iam quibusdam lactantibus (vt nos ipsi nouimus) muliebria proruperint. Lac autem, donec mulier conceperit asseruari, tum autem desinere atque aboleri, tam in homine, quam in quadrupedum viuiparo genere, inclaret. Quanquam fœminis partum alentibus, si ex eodem viro rursus conceperint, lac minime corrumpi, Nigidius auctor est. *At si quid* (vtpote quia lac integrum non sit, aut quia parens viета, languida, aut nobilis, admodumque delitiosa sit) *matrem puerulam lactare inhibuerit, nutrix eligenda, cuius ætas inter viginti quinque, & triginta quinque annos: sit viuidi coloris, fortis ac robusti colli, pectorosa, musculosa, duræ ac multæ carnis, non obesa, non gracilis: cuius etiam mammæ solidæ ac firmæ sint, mediam magnitudinem modicamque duritudinem obtinentes.* [Noui & ego nutrices, quæ

Margin notes: 5; ...is Harmenia ...gynaeciorum.; 6; Maternum lac præfertur ex Bonaciolo.; 7; 8; 9

magnas mammas habebant, & valde somnolentæ erant, cumque noctu lactarent infantes, ac statim somniculosæ dormirent, eos oppressere, ac suffocationis caussam procul dubio dedere. Ideo præstat nutricem, postquam infanti lac exhibitum fuit, eundem in cunabulis ponere.] *Sit autem iisdem lac plurimum, odoratum, candidum, perdulce, aquabile, neque admodum crassum, neque tenue; cuius super vitreum vmbonem recte probatio fit, si neq; prorsus fluet, neque vmbone reclinato omnino constet: aut si in vasculo illius portio emulgeatur, myrrhæ tantillo adiecto, sero pariter atque caseo pars aqua detur. Probatissimum etiam, si in vngue hæreat, nec destillat, atque quod a partu quadraginta & quinque, sexagintave solibus abscesserit. Si marem iusto partu illa pepererit, neque abortiri assueta. Si laudatorum morum exstiterit, quæ neque ocyssime animæ passionibus afficiatur, neque penitus obtusi sensus aut stolida sit: quæ lactare prohibent. Quæ nihilominus admonenda est, ne concumbat, vt probatis cibariis vescatur: vt quaque vice ante lactationem partui mellis pauxillum ex pauco vino lingendum tribuat: item vt lactis quicquam mulgeat, vt mammulæ pressione puerperii suctionem iuuet, ne forte vehementi suctu, & gulæ instrumenta obladantur, & malarum ossa luxentur, quod sæpius contingit: vt singulis lactationibus non vberem lactis copiam, sed parcam exhibeat. Quod si defuerit, remedia adhibenda sunt. Nam suillum lac potum deficientia puerperarum vbera mire replet. Asininus lien inueteratus ex aqua illitus mammis abundantiam præstat. Terreni vermes cum mulso poti lac deuocant, atq; perdicis oua sorptui data mulieribus. Glauciscus e iure sumtus, & smarides cum ptisana sumta, vel cum fœniculo decoctæ, lactis copiam faciunt. Item cancri cum lapatho & apio in iure cocti vbertatem præstant. Iis itaq; obseruatis, puerulus & bene habebit, & commode lactabit. Hactenus Bonaciolus.* Et ita ex præcedentib. auctoribus, quibus modis nutrix regenda sit, constat.

ABsoluto igitur hoc libro vigesimooctauo de mulierum affectibus, superest adhuc liber vigesimusnonus, de extremis quibusdam partibus corporis; vt ita earum morbos & caussas accuratius pariter tractemus. Transibimus itaque ad sanandas podagras & chiragras, & articulorum dolores, grauissimos plerumque morbos; quique nonnullis sæpe vt peculiares adhærent. Ita tota cyclopædia nostrarum Obseruationum de morbis præcipue ad Medicum spectantibus absoluatur.

FINIS LIBRI VIGESIMI OCTAVI.



INDEX
RERVM, VERBORVM, MORBORVM, CVRATIONVM, CAVSSARVM, SIGNORVM,
in his Obseruationibus Foresti contentarum.

Numerus prior sectiones libri, sunt enim tres, quarum secunda XI. libro, altera XVI. incipit: posterior paginam, litera A, B. columnas denotat.

Sicubi vero occurrat l. denotat librum, ob. obseruationem.

A

A

Aqua

Epile-

Fœcun-

lecti-

L.

M.

N.

O.

Oculo-

P.

Q.

R.

F I N I S.